


Wahren.

C. C. M.

Goldast

2 works in 1 Band

6.

RERUM ALAMANNICARUM

SCRIPTORES ALIQUOT VETUSTI,

à quibus

ALAMANNORUM QUI NUNC PARTIM SUEVIS, PARTIM HELVETIIS CESSERE, HISTORIÆ TAM SÆCULARES QUAM ECCLESIASTICÆ TRADITÆ SUNT.

Tribus Tomis divisi,

CUM GLOSSIS RERUM ET VERBORUM DIFFICILIORUM,

Ex Bibliotheca

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI.

Cum INDICE rerum & verborum accuratissimo.



FRANCOFURTI,

Impensis JOHANN-MARTINI PORSSII, Bibliopolæ.

Typis JOHANNIS GEORGII SPÖRLIN.

ANNO M. DC. LXI.

EMINENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

JOHANNI PHILIPPO

Archiepiſcopo Moguntino, S. Rom. Imperii per Germaniam Archi-Cancellario Principi Electori, Epiſcopo Herbipolenſi, Franciæ Orientalis Duci

Domino meo Clementiſſimo



Lamannicas res, Eminentiſſime Princeps ac Domine, ad oblivionem propè tendentes poſteritatis gratiâ denuò typis ſubjicere conſultum duxi. Opus hoc & Goldaſti Collectoris famâ, & rerum varietate quantivis precii æſtimãdum, hactenus ingenti deſiderio requiſitum eſt. Habuit enim Vir ille nõ cõparandam nominis exiſtimationem illa adminicula, quæ vix ulli noſtro tempore competunt. Unũ dico Bibliothecæ, inque ea variorum & optimorum Codicum theſaurum incomparabilem: alterum; notitiam cum Principibus & Clariſſimis per Europam Viris, qui illius familiaritatem quaſi certatim ambiebant: quorum ope & favore nihil non rerum graviſſimarum in Germania foriſq; experiri, omniaque antiquitatis monumenta undique eruere ac in publicum conferre potuit. Inter quæ non ultimo loco extat Alamannicorum iſtud ſcriptorum non pœnitendum Opus,

)(2 Scri-

Scriptores hos iterum excuſos Tuo, Eminentiſſime Princeps ac Domine, Nomini inſcribo, & ex antiqua voventium formula, libens meritiſſimoq; do, dico, conſecro. Te ſummum eligo Patronum, Eminentiſſimũ totius Imperij Germanici Archicancellariũ, cujus curæ Archiva rerumq; omni ævo geſtarum monumenta concredita ſunt: Qui nihil in Imperio niſi laudandum & dicis & facis. Lætatur tota Germania, Pacem Tuâ prudẽtia firmatam florere, quâ reſtituta eſt vis legibus & conſtitutionibus, judicijs auctoritas, magiſtratibus majeſtas; rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique facultatum poſſeſſio. Hac laude vivis viveſque per omnium ſeculorum memoriam: & Annales teſtabuntur de animi Tui magnitudine, ſingulari pietate, virtutibus cæteris.

Ut verò hanc dedicationem pro laudata Tua Clementia ſuſcipere digneris, Eminentiſſime Princeps ac Domine, qua poſſum ſubmiſſione humiliter & enixè rogo obteſtorque. Francfordiæ Calendis Martij Anno Chriſti M DC LXI.

Eminentiſſimæ Celſitudinis Tuæ

Devotus

Joannes Martinus Porſſius.



REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. JOHANNI SWICHARDO, SACRÆ MOGUNTINÆ SEDIS ARCHIEPISCOPO, S. ROMAN. IMPERII

per Germaniam ARCHICANCELLARIO,
PRINCIPI ELECTORI, &c.

Domino meo clementissimo.

ALamanniæ nomen, Reverendissime & Illustrissime Princeps Elector, quod priscis illis rerum Germanicarum Scriptoribus, Cæsari, Plinio, Tacito, Sammonico, & Geographis insitatum ac inauditum, sub Francorum Regum imperio videtur primo esse natum atque inventum. Namque illorum prospera & felicissima migratione permoti Alpini supremæ Germaniæ populi, relictis asperis & incultis sedibus suis, glandiferas (ut Cicero loquitur) & fructuosas quærere ipsi quoque armis egressi tentaverunt. Qua tempestate Hunni ad idem exemplum, Gotthi, Vandali, Langobardi, ruptis Boreæ terminis, non Germaniam modo, sed universam propemodum Europam turbarunt ac miscuerunt. Ea gentium confusione Germaniæ nostræ partim confusa & permixta existimantur nomina, alia prorsum obsoleta. Omnes populos singillatim commemorare ad institutum nihil intelligo pertinere: ipsam veterem illam Germaniam præoptaverunt THEUTONIAM appellare posterioris ætatis Scriptores, nomine ab Italis accepto, eamque generatim & universe in tres potissimum provincias tribuere, Alamanniam, Rhetiam, & Germaniam speciatim ita dictam. RHETIAM (ut de hac prius autumem) definiunt ac collocant inter Alpes Julias & dextrum Danubij latus ae ejus ortu ad usque Noricum, quæ est Pannonia superior. GERMANIAM ad Rhenum sitam esse volunt, quæ ab Trans & Cisrhenanis nationibus colitur. ALAMANNIAM aliquanto latius excitaverunt Francorum Historici, quam ipsius vicinitatis nomen ac termini postulabant. Omnes etenim populos, qui Germanicæ linguæ societate conjuncti sunt, Alamannorum appellatione comprehendi voluerunt. Cui rei originem dedisse videntur perpetua cum Francis bella, quorum proximas habuere vicinas, tum

)(insu-

insuper alienationes Regum in eos, quos totiens subigere atque in ditionem suam redigere continuis illorum defectionibus abigebantur, ut apud Francos nullum nomen hostile Alamannico fieret celebrius, nullum frequentius. At vero Walafridus Alamannus, probus auctor inprimis, & ceteri sanius sapientes, Alamanniam his finibus circumscribunt ac definiunt: Quæcunque regiones ab utroque Rheni latere Alpibus includuntur, ab ortu ejus usque ad Rauracos, comprehensis ad Acromij dextram Alpigovia, & in Rheni defluxu continentibus terris, qua parte sese Brisgovia extendit ac finit: ad sinistram vero pleraque Helvetia & bona Burgundiæ parte. Et hæc est vera illa ac vetus Alamannia, à Francis post victoribus in provinciam redacta, in Ducatusque honorem constituta, cui fere ex Regum prosapia Principes præfecti. A queis quidquid cum Episcopis & Abbatibus, Alamanniæ Principibus, ipsos annos DCC. *gestum, aut inter se vel cum Imperatoribus hostibusve memorabile factitatum, hisce monumentis, quæ nunc primum in dias litterarum oras producimus, ordine quidem proditum est, etsi non ea, qua docuit, orationis honestate. Quam vero cur tantopere in hujus generis scriptoribus nonnemo velit refugere, equidem caussam nullam esse video.* Ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quæritur, *aut non minus vere quam eleganter in Oratore suo Tullius. Proba est materia, si probi non item fabri. Atqui probi sunt à pietate, si minus à studio litterarum, ut mihi juxta videtur, & elegantiorum hominum nullus negitat. Neque rerum adeo omnium imperitum quemquam reperiri existimo, qui non studeat melior ex his libris quam doctior evadere: mores bonos discere, quam phrasium elegantias: vitia corrigere, quam litterarum apices.*

Plautus Trinum.

Atque utinam veteres mores, veteresque parsimoniæ
Potius majori honori essent, quam mores mali,
Nam nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet.
Ambitio jam more sancta est, libera est à legibus.

Quos mores? inquiunt isti. Monasticosne dicis? in quorum æstu scriptores isti toti incedunt, quine viam quidem facere possunt ad prudentiam ituris?

Pacuv. in Chrysid.

Dii monerint meliora atque amentiam auerruncassint.

*Si *prudentia est calliditas, quæ ratione quadam potest delectum habere bonorum & malorum, * ex scientia quorum ipsa constat, & quam considerata sequitur actio, ejus exempla si sequi student, ab his scriptoribus sument. At Abbates & Episcopi fuerunt? Quid ergo? Fugit ne in omni quondam actione atque administratione Imperij Romani præcipue floruisse Episcopos & Abbates ejusdem Imperij Principes? Hi domi militiæque primi in consiliis, hi bella gerebant, hi Imperatorum castra secuti, hi Duces, hi signiferi, hi à lateribus Regum, in Palatijs summi, &, ut multa paucis verba obnuntiem, Imperatorum* τὰ πάντα. *In hac parte hæc sunt: videamus nunc quid porro utilitatis afferant in suo cuique statu. Habemus exempla vala illustria hominum perditorum, qui Ecclesias sæpe malis labefactare moribus conati sunt, & quo pa-*

** Cornific. ad Heren.*
** Cic. de Invent. & in offic.*

Eto illis obuiam itum in tempore à viris probis ac ſanctis. Habent Eccleſiaſtici ambitioſorum & auarorum nequiter expetita machinamenta, quibus docti eadem vitia, ceu peſtes Eccleſiæ & ipſorum auctorum, ſanguine viperino cautius vitent atque fugiant. Habent Laici, quibus auctoritatibus pietatem relictis rebus omnibus debeant præuertere. Habent Aulici velut ſpeculum, in quo prauos & periculoſos mores, ambitione & auaritia, interim etiam dolis, ſimulatione, & criminibus corruptis contemplentur atque ob oculos ponant. Habent Nobiles clararum familiarum non inſuperhabendam vetuſtatem. Quo nomine Ephemerides quàm maxime ſeſe faciunt commendabiles, ut vel earum gratiâ multum mihi Nobilitas noſtra ſe debere fateatur neceſſum eſt. Multa prætereo: grauiora enim facta ſunt, quàm memorandi apud te, Reuerendiſſime & Illuſtriſſime PRINCEPS, *nunc ſit locus. Omnia ad arbitrium* CELSITVDINIS *T. collata ſunt. Debentur enim C.T. Scriptores iſti ſuo quodam iure atque merito, non tantum quia plurimas res geſtas Anteceſſorum tuorum Archiepiſcoporum exſequuntur, verùm etiam quia in tua floruerunt ditione Metropolitana. Eſt quippe omnis hæc Alamannia ſub iis C. T. iuriſdictionem & poteſtatem Eccleſiaſticam ſubacta. Quod ſi quis negare ſeſe ſtudeat, clamant ipſi Auctores, ſuorumque ſcriptorum vſuram nemini, quàm C. T. pendendam vno ore fatentur. Abſque hoc foret, ſunt aliæ cauſſæ innumeræ, quæ me vt C.T. virtutem gratâ memoriâ, ipſum verò nomen animo grato perſequar, impellunt. Principio dum ſacram Sedem vti primariam auguſtè veneror: vt Metropolitanam, legitimè obſeruo: vt Principem, ſanctè colo. Scilicet ſub ea mihi primam lucis huius vſuram datam atque conceſſam fuiſſe. Deinde ſingularis ac propemodum vnica C.T. facilitas, vnica humanitas, cum Principali (quod difficillimum eſt) grauitate conſentiens quâ omnibus in rebus tam erga ſubditos quàm vicinos ita te exhibes, vt T.C. metuant velut Dominum, & iuxtim quaſi patrem non iam diligere, ſed amare videantur. Quibus artibus id effectum nullo negotio impetraſti, quod alii vi & armis numquam potuiſſent. Etenim vt ſubiecti pariter cum vicinis tutam tranquillamque pacem, cuius & ipſum nomen dulce & res ſalutaris eſt, traherent, tua perfeciſti comitate. Digniſſimus mehercule pacifico & glorioſo Imperatore Archicancellarius, qui Domini prudentiam, cujus res geſtæ iisdem quibus Solis curſus, regionibus ac terminis continentur conjunctam cum juſtitia adeptus exiſtimaris, ad ea omnia, quæ vel timẽda ſunt in Romano Imperio vel prouidenda, & animo & conſilio paratus. Et his optimarum virtutum copiis ornata atque prædita C. T. concinnat ab earumdem ſtudiis non abhorrere Domeſticos, quorum prudentiam, induſtriam, humanitatem, ac benevolentiam cum civibus ſalutarem, tum gratam exteris ſæpiſſime perſpeximus. Quis Moguntiam adiuit, nec vidit CL. V. Franciſcum Philippum Fauſtum, C. T. Cancellarium ſummis florere laudibus? Cujus in Repub. tua maximis graviſſimisque cauſſis cognita & inprimis probata fides, induſtria, patientia, labor, & animi magnitudo. Ipſius quidem humanitate quid mihi exploratius eſſe poteſt, quàm ut ſummam erga me etiam abſentis obtinerem, univerſa familia omnibus in rebus declaravit? Vt (quod præfiſcine*

dixe-

dixerim) virum grauiorem, pleniorem officij, & bonorum studiosiorem non compererim. Hoc Principe, his Consiliariis Res stat Moguntina, & ut propero atque æternum felicitetur, id vero DEVM OPT. MAX. exsummis precibus veneror quæsoque. Cujus mei voti testes venire volo hos Scriptores, quos nunc C. T. more majorum DO, DICO, CONSECRO, meque pariter cum illis, benè vertente Faventiâ. Francofurdiæ. IV. NON. Septembr. A. N. CIϽIϽCVI.

Reverendiss. & Illustriss.
Celsitudinis T.

Devotus

Melchior Haiminsfeldius Goldastus,
Helvetius.

SYLLABVS
SCRIPTORVM HOC TOMO
CONTENTORUM.



HISTORIARUM ALAMANNICARUM
PARS I.
Complectens res in Alamannia gestas ab A.N.C. Iↄc, usque ad AN. MCCL.

VERSVS NOTKERI BALBVLI DE ALAMANNIA, ex libris eius de Vita S.GALLI;

Dura viris, & dura fide, durißima glebâ.

VERSVS HARTMANNI MONACHI S. GALLI de eadem, qui inter vet. membr. superiori subiiciuntur;

Dura fuit quondam, sed nunc est mollis ut unda:
Exceptaque fide, quam corda fatetur & ore.

DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS.
HEPIDANNVS COENOBITA S. GALLI.

De hoc nihil à me apud alios lectum. Virum non indoctum fuisse, vel breves isti annales testantur, in quibus, quæ soluta oratione narrat, effinxit ad phrasin veterum historicorum, & vel in Salustio non indiligentem, annus ML. fidem facit. Exstat apud me eiusdem *Computus Ecclesiasticus* eadem brevitate concinnatus. An vero ille sit, qui iussu Vdalrici Abbatis vitam Wiboradæ instituit, apud me inexploratum est, & fere inclinor, ut negem. Disconveniunt enim tempora & stylus. Ille, quem annos in membrana sua adscripsisset MLXXXVII. morte tamen (quomodo mihi persuadeo) præventus in MLXII. substitit. Iste vero in præfatione ad Vdalricum Abbatem testatur, se ab anno demum MLXXII. ad scribendum vitam illam accessisse. Quo indubie annales hosce perduxisset, si auctor eorum atque pater existeret. Iam stylus & genus dicendi quàm alienum sit ab eo, quod in vita, nemo est, qui utrumque legerit, qui non statim dicturus sit, toto cœlo distare. Fuerint ergo duo Hepidanni, qui eodem tempore vixerint, sicut duo fuere Ratperti, duo Hartmanni, duo eod. tempore Ekkehardi, duo Notkeri, &c. de quibus partim hic, alio partim loco à me dicetur.

RATPERTVS TVRINGENSIS MONACHVS S. GALLI.

ILlustri & generosa familia natus in pago Tigurino, quæ media ætate Thuregiensis appellari cœpit, & natalibus Salomone, Notkero, atque Hartmanno Comitum filiis, Ekkehardo teste, nihil inferior. Præceptoribus usus est Marcello & Isone scholarum in Monasterio Magistris. Scripsit & Epigrāmata quædam, quæ edita sunt ab Henrico Canisio, inter quæ celebratur hymnus Ecclesiasticus, *Ardua spes* mundi. Præterea *Litaniarum* libellum. Apud Thuregienses natum Vadianus & Stumpfius tradunt. Vitam eius describit Ekkehardus iunior in Notkero c.21. & Ekkehardus minimus in vita Notkeri. Huius historiæ sex habuimus scripta exemplaria: duo ex Monasterio S. Galli, duo ex Bibliotheca Bartholomæi Schobingeri IC. & item duo ex nostra. Fuit & alius Ratpertus superioris nepos, Monachus, & ipse doctus adæque quàm nobilis. Quem in Dialogis suis de Vita S. Galli loquentem inducit Notkerus Balbulus. Nec dubito, quin horum scripta confundantur, & superiori Ratperto attribuantur carmina, quæ huius sint. Testimonia veterum hæc sunt.

Ekkehardus iunior præloquio suorum casuum; *Scripserat ante nos Ratpertus, homo doctissimus, & ipse codicillum similis materiæ à S.Gallo & Othmaro usque ad seipsum &c.*

Burckardus in casuum præloquio; *Laudabile & satis huic loco usitatum esset, si veteres scriptores nostri de simili materia imitati fuissent Hartmannum, qui priorem librum de casibus fecerat: & Ratpertum, hominem doctissimum, qui eundem usque ad sua tempora librum auxerat.*

Ekkehardus minimus Decanus in Vita Notkeri c.21. *Scripserat idem homo beatus librum de casibus Monasterii incipiens à temporibus B. Columbani, usque ad Salomonem Episcopum, & Abbatem nostrum.*

strum. Dictaverat etiam Litanias, quas Ecclesia canit per totum orbem in diebus rogationum, praeter alia plura, quae fecerat.

Conradus Fabariensis cap. 3. *Ratpertum, Tutlionem, quorum in divinis officiis solemnia satis recitant carmina.*

EKKEHARDVS IVNIOR MONACHVS S. GALLI.

QVinque legimus Ekkehardos in Monasterio S. floruisse, nobilitate & eruditione claros, Quos, quia nonnulli confundunt, diligenter atque ordine discriminabimus, simul etiam, qua ætate vixerint, quid & ubi scripserint indicatur. Et primus quidem fuit.

Ekkehardus, quem Seniorem cognominant, Decanus, nobili Ionsuuiliorum familia apud Alamannos natus, vir eruditus & prudens, summæque apud omnes auctoritatis, scripsit præter varia epigrammata, quæ hincinde leguntur, sequentias: *Prompta mente canamus, summum praeconem Christi, qui benedici cupitis, a solis occasu.* De S. Afra antiphonas, ut reliquias eius mereretur, Luitoldo Episcopo Augustano & sequentiam dictavit, & hymnum: *O Martyr aeterni patris*, antiphonam *Ambulans Iesus, Adoremus gloriosissimum.* Hæc Ekkehardus in casib. c. 9. Puer adhuc carmine composuit *vitam Walthari Manufortis*, quam postibi, quia mendis & barbarie, quippe à puero perscripta, scatebat, Ekkehardus ille iunior Aribonis Archiepiscopi mandatu Magontiæ correxit & emendavit. Ex relatione S. Kebæ inclusæ scribere cœpit *vitam & passionem S. Wiboradae Martyris*, sed morte præventus non absolvit, ut auctor est Hepidannus iunior. Fecisse præterea videtur librum, quem insolenti titulo *Lydium Carolomannum* præscripsit, quo de in glossis annotavimus. Moritur An. D. 977. ut legitur in Annalibus Hepidanni, non ut Stumpfius scribit anno 966. Testimonia veterum hæc sunt:

Hepidannus anno 977. *Otto Imp. Augustus, & Purchardus Dux, & Vdalricus Episcopus*, & *nepos eius Adelberto, & Vdalricus Comes, & Ekkehardus Monachus isto anno de hoc seculo recesserunt.*

Hepidannus iunior in Vita Sanct. Wiboradæ: *Tempore, quo venerabilis Cralo congregationem S. Galli rexit, fuit in ea quidam frater nomine Ekkehardus, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, &c.*

Tiusburgius in Ephemeridibus Augusto *XVI. KAL. obiit Ekkehardus Decanus, de Enkinfurt quod habet Ger. Alarrarius.*

Stumpfius Chronic. lib. 2. cap. 5. Craloh ward durch Tyranney von månniglichen verhaßt/vnd kam in solchen Vnfall/daß er an Leib vnd Gemůth abnam/so viel/ daß man jhm seinen Dechan Egkarten/vom Geschlecht von Jonschwyl zugab/ein geschickten Mann / der gab månniglichen Red vnd Antwort von deß Abts wegen: vnd ward also sein Pfläger biß auff Zukunfft K. Othen/ohn welches Bewilligung vnnd Vorwissen die Mönch der Abtey halben keine Enderung furnemmen bedörffend.

Idem lib. 5. cap. 5. Abt Vlrich rychsirt fünff Jahr/vnd verließ das Leben am 12. Febr. Ann. Dom. 996. in welchem Jahr der alte vnd vermårte Mönch Eckhardus verschied.

Alter Ekkehardus, qui Minor vel Iunior & Palatinus nuncupatus, Senioris ex sorore nepos, vir eruditus & acutus, Latinæ Græcæque linguæ (quod illo seculo perrarum in Alamannia) ignarus. Præfuit primum scholæ utrique Claustrali (quam vocant) & Canonicæ, id est, Interiori & Exteriori, & cum magna quidem laude. Demum Portarii Claustralis officio præfectus, invitus licet, concessit in Ottonum Aulas, satagente Haduuiga Sueviæ Duce, cuius ille præceptor fuerat in arcibus Dvvielanis, evocante Imperatore. Quo ubi pervenit, illico à Cæsare in senatum legitur, eique fit à consiliis secretis, Capellanus, & Ottonis iunioris pædagogus. Scripsit præter varia epigrammata, quæ circumferuntur, sequentiam de S. Desiderio, *Summis conatibus*, & sequentiam *Diei*. Excepit acta colloquii habiti inter Ottones, patrem & filium de electione Notkeri Abbatis S. Galli. Notas scribendi apprime peritus Ottonis Imper. commodus exstitit Capellanus & Secretarius. Moritur An. Dom. 966. Fallit enim Stumpfius, qui seniorem Ekkehardum in eum annum produxit. De illo Herimannus Contractus anno 990. *Vdalricus Abbas, & Eggehardus Magister doctus in Cœnobio S. Galli obiit.*

Tertius Ekkehardus, qui & ipse Minor dictus ab historico Ekkehardo, respectu videlicet superioris, cuius fuit consobrinus: Senioris vero itidem similiter ex sorore altera nepos, vir, ut Ekkehard. ille scribit, idonee litteratus, Diaconus primo, post Decanus & ipse. Quid ediderit, nusquam exprimitur à scriptorib. Monasterii. Scripsisse tamen, quum & scholis præfuerit, & ab Hadvvige Sueviæ Duce, cui ab Ekkehardo Palatino fuerat commendatus, ad scribendum stimulatus, mihi nullum fit dubium.

Quartus Ekkehardus, qui & ipse Iunior cognominatur, tum in manuscriptis, tum à Burckardo, auctor est huius libri *de Casibus Monasterii*. Moguntiæ constitutus iussu Aribonis Archiepiscopi, cuius utebatur familiaritate, *vitam Walthari Manufortis*, quam Ekkehardus senior puer etiam, ut supra memoratum, pueriliter conscripserat, emendavit & elimavit. Eiusdem rogatu composuit *Benedictum librum* carmine, quem ante hos annos Monasterio S. Galli dedicavimus. Mandatu item Imperatricis ibidem commorans descripsit Psalterium in linguam Barbaricam, id est, Germanicam, à Notkero Labeone Physico traductum, in privatos nimirum Imperatricis usus. Quod opus nunc in nostra manu est. Vita defungitur sub Notkero Abbate, cui successit Vdalricus I. An. Dom 1071. sub Henrico IV. Imperatore.

Burck-

Burckhardus, præloquio Casuum: *Ekkehardum quoque iuniorem, qui à Salomone incipiens usque ad Notpertum, se singula dicere velle prohibitus est, sed in Notkero finivit. Siue autem morte præventus hoc, quod in exordio libri sui se dicturum promisit, non perfecit, aut si perfectum postea perditum sit, nos nescimus.*

Cunradus Fabariensis prohemio: *Antiquorum gesta patrum, sicut in libro, qui de Casibus monasterii succincte & compendiose scriptus, non humili stylo legentibus patere potuit.*

Quintus Ekkehardus, quem Minimum appello, Decanus Monasterii S. Galli, scriptor est vitæ B. Notkeri, ut in II. parte à nobis demonstrabitur.

BVRCKHARDVS MONACHVS S. GALLI.

NVllum vetus exemplar, quibus usi sumus (habuimus autem quatuor: duo ex Bibliotheca Bartholomæi Schobingeri I C. sanctissimæ memoriæ viri, altera ex nostra) hunc auctorem agnoscit, sed in calce Ekkehardi hæc tantum verba leguntur: Finit Ekkehardus Iunior, incipit aliud Præloquium de Casibus. In uno tamen Ioachimi Vadiani manu adscriptum erat, incipit Burckhardus, ex vetustiori ne exemplari, an alio aliquo scriptore, non habeo compertum. Illud scio, maximæ fidei summæque diligentiæ virum fuisse, qui nihil temere vel dicere vel scribere solitus erat. Eius ergo fidem non sequi, mihi religio maxima fuit. Cap. 4. testatur, se in Italia fuisse. Cap. 5. Diepaldi gesta ait didicisse ex senibus, qui ipsum noverit. Mortuus autem Diepaldus An. D. 1034. Cap. 10. testatur, se rerum ab Vdalrico Tegerfeldio gestarum αὐτόπτην & oculatum arbitrum exstitisse. Fuit is Abbas Friderico Barbarossa imperante An. D. 1166. Heinricus vero Klingius, sub quo scriptor iste claruit An. D. 1204. & auctor librum.

CVNRADVS DE FABARIA, PRESBYTER S. OTHMARI.

VIxit circa An. Dom. 1240. in Fabariensi monasterio nutricatus, in Ecclesia S. Othmari, quæ est in monasterio D. Galli, Presbyter Canonicus. Scripsit præter librum *de Casibus Monasterii Catalogum quoque Abbatum, qui præfuerunt monasterio S. Galli.* An quid præterea, nec dum rescire potuimus. Cap. 8. ita de se ipse scribit: *Ego, qui hæc scripsi, Cunradus Presbyter S. Othmari dictus de Fabaria, &c.* Stumpfius Chron. li. 1. c. 6. das schreibt Herr Conrad von Pfäuers/ der ein Leyenpriester S. Othmars Kirchen gewesen ist/ &c. Eius, ut & superiorum, meminere præter Vadianum & Stumpfium, Tschudus quoque, Bullingerus, Kesslerus, Munsterus, Falco, & Myconius, in Chronicis.

BERTHOLDVS MONACHVS S. GALLI.

DEscripsit ætatis suæ Abbates, natus sub Vdalrico Tegerfeldio, denatus sub Ruomone Ramstainio, an. Dom. quasi 1281.

IOACHIMVS VADIANVS COS. SANCTGALLENSIS.

VIr doctissimus simul & prudentiss. Medicinæ Doctor & Professor quondam in Academia Viennensi, Theologus, Iurisconsl. Philosophus, Orator, Poeta, Historicus imcomparabilis, scripsit in omni disciplinarum genere libros eruditissimos, ex quibus alii sunt vulgati, pars in privatorum scriniis tineis & blattis pulchrum præbent pabulum. Obiit ante annos 50. Eius vitam descripsit Iohannes Kesslerus Sanctgallensis, quæ in Bibliotheca Reipub. S. Galli asservatur.

TIVFBVRGIVS MONACHVS S. GALLI.

QVin auctor sit Ephemeridum, quas ex variis hinc inde anniversariorum libris collegit, nullus ambigo. Et fidem facit ipse M.S. cod. in quo legitur: *Iste liber est S. Galli, & Dominus in Tiufburg scripsit istum librum, anno Domini M.CC.LXX.II.*

IOHANNES GEORGIVS TIBIANVS.

NVperus est scriptor ac recens, cuius Panegyricon, quia brevi manu plurima Alamanniæ loca & eleganter comprehendit, ea re visum adiungere. Tantum de huius partis scriptoribus.

HEPIDANNI COENOBITÆ S. GALLI
ANNALES BREVES RERUM IN ALAMANNIA GESTARUM.
ANNO DOMINI NOSTRI INCIPIUNT.

DCCVIII. Hyemps dura. Gothefridus Dux mortuus est.

DCCX. Annus dūrus & deficiens fructus.

DCCXII. Aquæ inundaverunt valde.

DCCXIV. Pippinus maior domus, defunctus est. Karolus filius in maiore domatu succedit cognomento Martellus.

DCCXV. Karolus Alamanniam rebellantem domat, Liutfrido Duce eorum superato. Cuius filius Thietpaldus S. Pirminium pepulit.

DCCXVIII. Vastavit Karolus Saxoniam plaga magna.

DCCXX. Pugnavit Karolus contra Saxones.

Abbas noster Othmarus ponitur anno.

DCCXXI. Eiecit Theuto Saracenos de Æquitania.

DCCXXI. Magna fertilitas.

DCCXXIV. Beatus Pirminius primo venit in Augiam à Gregorio II. in Germaniam missus, quemadmodum & Bonifacius, ante Vunifridus dictus, natione Anglus.

DCCXXV. Saraceni venerunt primitus.

DCCXXXI. Beatus Beda Presbyter obiit.

DCCXXXII. Karolus pugnavit contra Saracenos ad Pictavis die Sabbato.

DCCXXXVII. Karolus pugnavit contra Saracenos in Gotia in die Dominica.

DCCXL. Karolus mortuus.

DCCXLIII. Karlomannus & Pippinus in Saxonia. Iste Karlomannus Alamanniam etiam afflixit.

DCCXLV. Karlomannus ivit ad Romam, & ob honorem Dei omissis sæcularis pompæ deliciis comam capitis sui deposuit, & suo germano Pippino Regni gubernacula reliquit.

DCCXLVI. Sidonius Episcopus Constantiensis Ecclesiæ & Abbas Augiæ B. Othmarum in synodo de adulterio accusatum damnavit, mox missum in exilium.

DCCXLIX. Pippinus in Saxonia.

DCCLI. Stephanus Papa in Franciam venit. Dominus Bonifacius Episcopus in prædicatione Phrisiam perrexit, vitam temporalem in martyrio finivit.

DCCLII. Sanctus Bonifacius Episcopus martyrio coronatur, & Dominus Pippinus per auctoritatem Stephani Romani Pontificis deposito ac detonso Rege Hildrico, qui à baptismo alio nomine vocitatus est Danihel, ex Præfecto Palatii Rex constitutus est, & cum exercitu Francorum Italiam ingreditur & receptis rebus S. Petri reversus est ad sedem suam.

DCCLIII. Franci iterum in Longobardiam cum exercitu.

DCCLIV. Papa Stephanus defunctus.

DCCLV. Venit organa in Franciam.

DCCLI. Rex Pippinus Saxoniam ingreditur.

DCCLVIII. Rex Pippinus cum exercitu in Æquitaniam. Vvarinus & Ruodhardus beatum & sanctum virum Othmarum multis iniuriis affligebant: ipse vero plenus dierum, plenus etiam sanctitate meritorum de angustiis huius vitæ eripitur, atque in insula Rheni fluminis, quæ vocatur Stein, sepultus est. Eo ipso anno Iohannes Episcopus administrationem cœnobii nostri per vim suscepit.

DCCLIX. Pippinus iterum in Vuasconiam usque ad Limodiam civitatem.

DCCLX. Rex Pippinus iterum in Æquitaniam, Bittiricam conquisivit.

DCCLXII. Hiems grandis & dura.

DCCLXIV. Pippinus conquisivit Limodiam.

DCCLXV. Pippinus Tolosam perrexit.

DCCLXVI. Pippinus obiit VIIII. Kalend. Octobr.

DCCDXVII. Karolus & frater Karlomannus regnare cœperunt.

DCCLXVIII. Translatio S. Othmari Abbatis de insula Rheni ad monasterium S. Galli.

DCCLXIX. Karlomannus Rex obiit II. Non. Decembr.

DCCLXX. Franci in Saxonia cum Karolo Rege.

DCCLXXI. Karolus in Longobardia.

DCCLXXII. Paveia civitas conquisita, & Rex Desiderius & Ansa uxor eius pariter exiliati sunt ad Chorbeiam. & ibi Desiderius in vigiliis & orationibus & ieiuniis & multis bonis operibus permansit usque ad diem obitus sui. Karolus pervenit ad Romam.

DCCLXXIII Ka-

DCCLXXIII Karolus in Saxonia.

DCCLXXIV. Karolus Rex in Italiam,& inde in Saxoniam iam sine bello.

DCCLXXVI. Karolus Rex in Hispaniam,& Saxones in Franciam.

DCCLXXVIII. Franci in Saxonia sine bello. Fames magna & mortalitas in Francia Rautpertus Abba constituitur.

DCCLXXXIX. Karolus in Saxoniam, deinde ad Romam. Rautpertus moritur Vualdo Abbas constituitur.

DCCLXXX. Karolus reversus est de Roma, Pippino baptizato.

DCCLXXXI. Rex Karolus cum Francis ad Lippiam absq; bello:& postea Saxones mentiti sunt,& quosdam de Francis occiderunt:& iterum Franci super Saxones. Vualdo moritur. Vuerdo Abbas constituitur.

DCCLXXXII. Karolus Rex iterum in Saxonia cæde facta terram devastavit.

DCCLXXXIII. Karolus Rex ad Lippiam transivit Rhenum,& devastavit Saxones.

DCCLXXXIIII. Rex Carolus Merspurg resedit, & Saxones in pace conquisivit.

DCCLXXXIV. Karolus Romam venit, deinde ad S. Benedicti monasterium,& ad Capuam:& cruces in vestibus apparuerunt.

DCCLXXXV. Karolus de Roma veniens ad Paveiam,& exinde duxit Langobardos & exiliavit eos in Francia,& resedit Vuormaciam,& exinde perrexit per Alamanniam in fines Bauuariorum,& ibi Dux Dassilo reddidit ei ipsam patriam, & dedit ei filium suum Theodonem obsidem.

DCCLXXXIX. Karolus Rex Regnum Hunorum vastat.

DCCXC. Rex Karolus Regenesburg resedit:& Pippinus comam capitis deposuit, & quidam de Francis occisi sunt & suspensi propter consilium quod fecerunt super Karolum.

DCCXCI. Wilhelmus pugnavit cum Saracenis ad Narbonam, & perdidit ibi multos homines,& occidit unum Regem ex ipsis cum multitudine Saracenorum.

DCCXCII. Karolus iterum in Saxoniam,& ipsi Saxones venerunt obviam illi,& promiserunt fidelitatem,& postea mentiti sunt.

DCCXCIII. Iterum Rex Karolus cum magno exercitu Franchorum in Saxonia terram devastavit,& ipsos conquisivit,& inde adduxit obsides LXX.& reversus est cum pace. Vuandali conquisiti sunt,& zotanus Dux de Pannonia venit ad Karolum Regem ad Aquasgrani,& seipsum dedit & patriam,quam habebat,& ipse baptizatus est,& omnes, qui cum eo venerant,& reversus est cum pace & honore in patriam suam.

DCCXCIV. Karolus Rex in Saxoniam cum magno exercitu terram devastavit,& cum præda magna reversus est ad propria.

DCCXCVII. Iterum Karolus in Saxoniam venit, terram devastavit, & cum pace reversus est in Franciam ad aquas:& iterum cum exercitu in Saxoniam cum omnimoda domo sua, & resedit ibi hibernum totum.

DCCXCVIII. Karolus Rex in Saxoniam,& conquisivit illos,& exinde adduxit obsides innumerabiles & reversus est cum pace.

DCCXCIX Keroldh occiditur.

DCCC.

Octingensimus I. Karolus Imperator factus & magnus cognominatus.

DCCCII. Heito Episcopus in consilio Karoli clarus habetur.

DCCCX. Heito Episcopus super mare transivit.

DCCCXI. Vuerdo Abba obiit: Vuolflecz Abba constituitur.

DCCCXIII Karolus Imperator obiit. Ann. I Ludovici Imperatoris.

DCCCXV: Cozpertus Abba constituitur.

DCCCXVIII. Sedulius Scottus clarus habetur.

DCCCXX. Heigo Episcopus in Augia militat.

DCCCXXIII. Vuetinus Monachus de Augia obiit.

DCCCXXIX. Initium basilicæ S. Gall.& translatio S. Othmari de eadem ecclesia in basilicam S. Petri Apostoli. Vnde versus Notkeri Balbuli:

Iustitiæ Gozbertus heros fratris Winihardi
Artibus eximiis fasces portantibus omnes — 1 amat
Pauperibus monachis lapidum calcisque & harenæ — mis.
Vt quondam largus fecitque Sisinnius almus.

HANC STRVXIT ECCLESIAM.

DCCCXXXIII. Dedicatio basilicæ S. Galli.

DCCCXXXVI. Bernvvicus Abba constituitur.

DCCCXL. Ludovicus Imperator obiit,& eclypsis solis facta est III. Non Maj. inter octavam & nonam horam.

DCCCXLI. Bellum trium fratrum. Chrimaldus Abba efficitur.

DCCCXLII Divisio regni inchoata.

DCCCXLIII. Pax facta inter illos.

DCCCXLIX. Terræmotus. Vualahfredus Abbas Augensis obiit. Ille vir litteratus vitas sanctorum Galli & Othmari ad petitionem Gozperti Abbatis compilavit eleganter.

DCCCLX. Hiems magna, & mortalitas animantium.

DCCCLXI. Fames validissima. Meginratus heremita martyrizatus est.

DCCCLXIII. Gens Hunorum Christianitatis nomen aggressa est.

DCCCLXIV. Translatio S. Othmari de ecclesia S. Petri in basilicam S. Galli.

DCCCLXVII. Terræmotus & nimia superfluitas imbrium.

DCCCLXVIII. Stella Cometis. Fames validissima & mortalitas hominũ & animantiũ.

DCCCLXXI. Yso magister obiit. PRID. ID. MAI.

DCCCLXXII. Grimaldus Abba obiit, & Harthmuotus ei successit, cui & hoc epithaphion posuit.

Hic manet interius divinæ legis amator,
Grimoldus humilis templum hoc qui condere iussit.

DCCCLXXVI. Ludovicus Pius Rex Germaniæ obiit. Volo cecidit.

DCCCLXXVII. Karolus secundus Imperator cœpit regnare.

DCCCLXXIX. Papa Iohannes in Franciam venit.

DCCCLXXXII. Karolus Imperator à Johanne Papa benedicitur.

DCCCLXXXIII. Karolus Imperator gubernacula regni Francorum suscepit.

DCCCLXXXIV. Ex petitione Harthmuoti Abbatis Pernhardus in locum illius constituitur.

DCCCLXXXIX. Karolus Imperator à regno dispositus est, & obiit in octava Theophaniæ eodem anno: & Arnolfus in regnum elevatur, in cuius temporibus Agareni in istas regiones primitus venerunt.

DCCCXCI. Salomon Abba efficitur.

DCCCXCII. Ipse Episcopali honore coronatur. Radespona igne cremata est.

DCCCXCIII. Arnolf. cõtra Maravenses pergebat, & Agarenos ubi reclusi erãt dimisit.

DCCCXCVII. Arnolfus efficitur Imperator.

DCCCXCIX. Agareni Italiam intraverunt, & Langobardos bello vicerunt.

DCCCC. Arnolfus Imperator obiit. Ludovicus filius eius in regnum elevatur adhuc puerulus. Norici cum Agarenis pugnaverunt, & partem ex eis occiderunt.

DCCCCI. Tuuentibolch Rex à suis interficitur.

DCCCCII. Agareni à Baioariis ad prandium vocati, ubi Rex eorum Chuslol occisus est, & alii quamplurimi cum eo. Terræmotus per loca.

DCCCCIV. Salomon Episcopus residet cellam suam in Turgovia.

DCCCCVI. Adalbertus decus Franchorum occiditur.

CCCCVIII. Baioariorum omnis exercitus ab Agarenis occiditur. Adelbero Episcopus Augustensis cum magno apparatu & multis donis venit ad monasterium S. Galli.

DCCCCIX. Agareni in Alamanniam.

DCCC X. Adelberto Episcopus obiit. Agareni cum Alamannis & Francis pugnaverunt, eosque vicerunt, & Norici partem ex eis occiderunt.

DCCCCXI. Stella Cometis apparuit. Ludowicus Rex filius Arnolfi Regis obiit, & Domnus Chuonradus regnum accessit.

DCCCCXII. Chuonradus Rex in festivitate S. Stephani ad vesperum venit ad monasterium S. Galli. Eodem anno Notkerus magister obiit.

DCCCCXIII. In Purificatione S. Mariæ transacta festivitate ad vesperum, grande miraculum contigit, ut stellæ miro modo usque ad mediam noctem inter se volitarent. Eodem anno nix immanis cadens ID. APR. ebdomadam Paschæ perduravit. Hatho Archiepiscopus obiit, & Orthpetus Episcopus occiditur. Agareni Alamanniam intraverunt. Erchanger & Pertholt frater eius, & Vodalrichus Comes auxiliante illis nepote eorum Arnolfo optimo Duce Baioariorum, totum exercitum eorum iuxta Ine fluvium penitus occiderunt, nisi XXX. viros.

DCCCCXIIII. Salomon Episcopus captus est.

DCCCCXVI. Erchanter & frater eius Perethold & Liuhfrid capti & occisi sunt. Vuiberat exclusa est.

DCCCCXVIII. Chunradus Rex obiit ante natale Domini. Heinricus Saxo Rex electus est.

DCCCCXVIIII. Salomon Episcopus obiit in vigilia Epiphaniæ Ruodolfus Rex & Purchardus Dux Alamannorum pugnaverunt ad Vuintertură, & Rex superatus est.

DCCCCXX. Rachilt in nativo S. Mariæ inclusa est.

DCCCCXI. Harthmannus Abba effectus est.

DCCCCXII. Ruodolfus Rex filiam Purchardi Ducis accepit.

DCCCCXXIV. Engilbertus Abba efficitur.

DCCCCXXV. Purchardus Dux in Italia dolo occiditur. Agareni monasterium S. Galli invaserunt. Vuiberat martyrizata est. Engilbertus Abba ab Henrico Rege Abbatiam suam suscepit.

DCCCCXXXIII. Thieto Abba efficitur, V.KAL.Nov.II. feria.

DCCCCXXXIV. Notingus Episcopus, & Engilbertus Abba, & Moyses Decanus obierunt. Aluuicus Abba effigitur in Augia.

DCCCCXXXV. Chuonradus Episcopus efficitur.

DCCCCXXXVI. Ista iuventus mortua est. Heinricus Rex obiit: Otto filius eius successit ei in regnum.

DCCCCXXXVII. Monasterium S. Galli concrematum est, VI Kal. Maj. in IV. feria, & Arnolfus Dux Bavariorum defunctus est.

DCCCCXXXIX. Eclypsis Solis facta est circa horam tertiam diei, XIV. Kal. August. in IV. anno Ottonis Regis in VI. feria, luna XXVIIII. Eodem die in Regione Galliciæ innumerabilis exercitus Saracenorum à quadam Regina nomine Tota penitus extinctus est, nisi Rex illarum & quadraginta VIIII. viri cum eo. Eodem anno Eberhardus Dux Franchorum occisus est, & Kisalbertus Dux Choldhariorum in Rheno vitam finivit.

DCCCCXL. Annus durus & deficiens fructus.

DCDCCXLI. Signum mirabile apparuit in cœlo, & mortalitas boum fuit.

DCCCCXLI. Thieto abbatiam suam dereliquit, & Cralo frater eius uterinus ei successit, II. Kal. Iun. III. feria.

DCCCCXLIII. Omnis Agarenorum exercitus à Baioariis occisus est.

DCCCCXLIV. Terræmotus factus est III. feria Paschæ circa pullorum cantum, XVI. Kal. Mai. Eodem anno æstas omnis versa est in pluviam.

DCCCCXLV. Nix magna IDVS Mar. cadens.

DCCCCXLVI. Rachilth reclusa defuncta est.

DCCCCXLIII. L ntaugia concremata est Non Iunii. Eodem anno Liutolfus Deo carus & omnibus sanctis, filius Ottonis Regis, cum Heremanno Duce venit primitus ad monasterium S. Galli in festivitate ipsius.

DCCCCXLVIIII. Vualdo Curiensis Episcopus, & Herimannus Dux Alamannorum obierunt.

DCCCCLI. Otto Rex Italiam cepit.

DCCCCLII. Kerhilt VI.. Kal. Iunii, in die Ascensionis Domini sacro velamine induta est, & in natali S. Mariæ inclusa. Eodem anno duo tonitrua maxima facta sunt monasterio sine læsione.

DCCCCLIII Discordia exorta est inter Ottonem & filium eius Liutolfum Ducem Alamannorum. Eodem Anno Abba suscepit regimen monasterii S. Galli, & rexit illud annum I. & menses II. & ebdomadam I.

DCCCLIV. Adalbero filius Pertoldi, & Arnolfus filius Arnolfi Ducis occisi sunt, & Fridericus Archiepiscopus Magontiensis, & (heu proh dolor) Anno Abba obierunt.

DCCCCLV: Otto Rex cum Agarenis pugnabat in festivitate S. Laurentii, eosque Deo auxiliante devicit, & erat numerus illorum centum millia, & multi illorum comprehensi sunt cum Rege eorum nomine Pulszi, & suspensi sunt in patibulis. Et aliud bellum cum eis gerebatur à Poemanis, ubi comprehensus est Rex illorum nomine Lele, extincto exercitu eius. Eodem anno Otto Rex & filius eius Liutolfi in festivitate Sanct. Galli pugnaverunt cum Abatarenis & Vulcis & Cyripsanis & Tolosenis, & victoriam in eis sumpsit, occiso Duce illorum nomine Ztoignavo, & fecit illos tributarios. In ipso anno Heinricus Dux Baioariorum defunctus est.

DCCCCLVI. Liutolfus filius Regis Ottonis Italiam ingreditur. Ipso vero anno cruces apparuerunt in albis vestimentis.

DCCCCLVII. Liutolfus in Italia febre correptus (heu proh dolor) vitam præsentem finivit.

DCCCCLVIII. Aluuic Augensis beatæ memoriæ Abba paralysi morbo ægrotare cœpit.

DCCCCLVIIII. Cralo venerabilis Abba vita discessit. Cui successit Purchardus vir nobilis ex antiquorum Regum prosapia ortus, sapiens & pulcher & decorus aspectu Eodem anno Aluuicus Augensis Abba defunctus est, & in eius locum Ekkehardus eodem cœnobio, hortto deliciarum, prælatus est.

DCCCCLX. Annus durus & in multis regionibus deficiens fructus, & multi fame perierunt.

DCCCCLXI. Perethrat ad cellam S. Georgii in lusa est.

DCCCCLXII. Otto Rex secundam profectionem in Italiam fecerat cum magno exercitu in mense Augusto.

DCCCCLXIIII. Ipse à Papa Octaviano benedicitur in Purificatione S. Mariæ die Dominico.

DCCCCLXVII. Ruodman Abbas Augensis nocturnus claustrum intravit & clandestinus, ut si quid reatui proximum indagare posset, publicaret, ut lupus caulas introit. Sed Ekkehardi monachi perspicacia proditus, qui ei deprehenso laternam anteferebat, multas venias petens vix sine dedecore emissus est, atque ipso machinante.

DCCCCLXVIII. Adventus & immissio octo Episcoporum ac totidem Abbatum in monasterium S. Galli ad examinandam vitam nostram & regulæ observationem. Qui Deo dante optima testimonia daturos polliciti, fratresque facti caritative abierant.

DCCCCLXIX. Thietpertus Presbyter defunctus est.

DCCCCLXX. Hoc anno eclypsis Solis factus est XI. KAL. JAN. luna XXVIII. hora die III.

DCCCCXXI. Turbo vehemens cum magna ædium & arborum ruina exortus est III. NON AVG.

DCCCCLXXIII. Hoc anno efficitur Notkerus Abba benignus.
Monstrua quindenas præcedens luna Kalendas.
Cum fore venturas præsignet mense Thesco.

DCCCCLXXVIII. Otto Imperator Augustus, & Purchardus Dux, & Vodalricus Episcopus, & nepos eius Adelbero, & Vodalricus Comes, & Ekkehardus monachus isto anno de hoc sæculo recesserunt.
Quis dederis partem, voluisti quam dare septem,
Necnon octavam ô Dee senct, tuam.

DCCCCLXXXI. Stella Cometis tempore autumni visa est. Mox secuta est mors Abbatis Notkeri, & eius quondam antecessoris Purchardi. & Notkeri medici.

DCCCCLXXXII. Ymmo Abbas ordinatus est. Orta est hoc anno gravis de regno contentio inter Ottonem Imperatorem & nepotem eius Henricum Ducem Baioariæ, filium Heinrici.

DCCCCLXXXIV. Lotharius Rex Franchorum contentiose agens adversus Imperatorem Ottonem de finibus regni Aquisgrani, tanquam sedem regni patrum suorum invasit. Terram quoque inter Mosellam & Rhenum, quæ erat in Ottonis imperio, affectare cœpit. Contra quem statim Otto XXX. milia equitum in Franciam duxit, & hostiliter eam devastans famosissimam fecit expeditionem.

DCCCCLXXXV. Kebehardus Episcopus efficitur.

DCCCCLXXXVI. Pertherat in claustro defuncta petit loca cœlo.
Hartker mox antrum post quam se damnat in ipsum.

DCCCCLXXXVIII. Otto Imperator non contentus finibus patris sui, dum esset Romæ, egressus est occupare Campaniam, Lucaniam, Calabriam, Apuliam, & omnes ulteriores partes Italiæ usque ad mare Siculum & portum Traspidem. Qua causa Imperator Constantinopolitanus, sub cuius erat hæc omnis terra imperio, primo per nuntios nequiquam eum tentat revocare ab incepto: dein Saracenos ex Sicilia & aliis insulis maris & finibus Africæ vel Ægypti adversus eum conduxit in prœlium, cum quibus ille infeliciter dimicavit. Nam ad prandendum eos venire æstimans, dum paucos in litore maris quasi latrunculos conspicit, parva manu aggressus est eos opprimere & circumfusus infinita multitudine, quæ se nocte in montibus occuluit, omnibus in exercitu suo fugatis vel occisis vel captis ipse navigio vix ad castellum quoddam suorum evasit. Ex captivis autem multos postea reversos vidimus tam clericos quam laicos, quorum unus erat Vercellensis Episcopus carcere diu maceratus apud Alexandriam.

DCCCCXXXLVIIII. Hoc anno Imperator cogitans se vindicare in eos, qui in Sicilia habitant, Saracenos, voluit arte Darii quondam Regis Persarum, ponte navibus iuncto, quemadmodum ille Græciam, ita & ipse Siciliam intrare: sed immatura morte præventus est & Romæ sepultus. Pro quo regnavit filius eius Otto tertius hoc vocabulo quartum ætatis annum agens, cum quo simul regnavit mater eius Theophanu, quam sibi pater ex nobilibus Græcorum suscepit uxorem.

DCCCCXC. Hic bene maturo transit pater ille sub ævo,
Ad patriæ requiem hic obiit Ymmo diem.
Hunc merito nostri vigilanter habent memorari
Plura loca galli stant monimenta cui.

DCCCCXCV. Stella Cometes apparuit clara in natale S. Laurentii.

DCCCCXCVI. Vodalricus Abbas vita discessit, & Gerhadus ei subrogatur, atque Ekkehardus monachus defungitur.

DCCCCXCVII Faillanus Scottus beatæ memoriæ de hoc sæculo migravit & Theophanu Imperatrix nono anno viduitatis suæ defuncta est cum multis regni sui nobilibus.

M. Millesimus.

MI. Heinricus Dux Baioariorum, filius Heinrici, defunctus est, cui mortem civile bellum præcessit multorum interitu nobilium Baioariorum. Hoc Anno Ruodolfus in Burgundia, qui patri Chuonrado successit in regnum, quondam suorum hæreditate paterna priuare conatus, bello lacessitus est ab eis: ubi ipse regulus licet copiosum haberet exercitum, facile tamen victus & fugatus est. Notabilis annus etiam siccitate aeris nimia, multis pecoribus, multis quoque mortalibus siti extinctis. Tantum enim siccabantur

cuncta

cuncta Europæ flumina,ut pene nullum non esset vadosum. Inter hæc Saxones & Sclavi, qui dicuntur Vueletabi,mutua se cæde & incendio mactantes totam, Germaniam inter Danubium & Oceanum sitam quam maxime inquietabant.

MIII. Mense Februario stella Cometes visa est,& non longe à Sole recedens pauculis diebus circa ortum diei apparuit.

MV. Intonat arce poli,nostri iaculantur ab igne:
Nemo tamen læsus laus tibi Christe Deus.

MVI. Kerhardus Abbas diem obiit.

MVII. Purchardus nostras Dominus commisit habenas,
Quippe viro iam tunc sibimet per cuncta parato.

MVIII. Otto Imperator Romæ sine hærede defunctus est,cui successit Heinricus de regio genere Dux quoque Baioariorum tertius eo nomine: cum quo & Heremannus Dux Alemanniæ & Alsatiæ regnum sorte dividere & parti aspirare temptabat: sed infecto negocio ultionem conatus in eos,qui in Strazpurch cum Rege senserant adversus se, irrupit civitatem & in direptionem dedit, pessimo quoque exemplo sacra profanavit, mox à rege subiugatus diem anni non replevit. Parvulus filius eius consobrinus Regis Dux populi ordinatus est.

MVIII. Rex nova,dum Purcharth Gallo sua tecta restaurat,
Rusticus extremo de culmine per caput actus
Nostris spectaculum nimis addiderat miserandum;
Sed postquam cecidit,caput allevat atque resedit;
Mirum, surrexit Gallo integer & benedixit.

MV. Sabbata Spiritui Paschæ ultima rite parata
Accepit solitus Fratres post prandia somnus:
Muta fide ducta petiit penetralia nostra,
Clam quoque de plebe nulli fas illa subire.
Pollet in his titulus Patrum studiis operatus,
Gallus ibi requiem sibi dixerat esse perennem,
Hic uti se quærat hanc visibus ipse docebat.
Accessit,pater ut docuit cui plectra resolvit.

MXI. Ecce fames,qua per sæcla non sævior illa.

MXII. Nova stella apparuit insolitæ magnitudinis,aspectu fulgurans,& oculos verberans non sine terrore: Quæ mirum in modum aliquando contractior, aliquando diffusior etiam extinguebatur interdum. Visa est autem per tres menses in intimis finibus Austri ultra omnia signa,quæ videntur in cælo.

MXIII. Pestilentia gravis,quæ subitanea morte populum late vastabat.

MXIIII. Cruda virens Deo Gerhilth seniore sub ævo.
Fungitur in claustris reserans ergastula carnis.

MXVII. Hartker in melius mutatur(ut opto)reclusus.
Dexter in octava sit bone Christe tua.

MXVIII. Dux puer en patribus apponitur hic Heremannus
Signa capit tum res vir huicque sororius Ernest.

MXVIIII. Heinrich in Italiam,lecto quoque militem Romam
Ægre spectatus fertur Cæsarque creatur.
Compositis rebus, velut æstimat,inde reversus
Ipsius & terræ populi mox deficit à se,
Pars post Harthuuinum iam sceptra diu temerantem.

* *

Insolito more tristes arsere Cometæ
Tempora longa quidem per loca non eadem,
Nunc medium mundi,nunc interiora sub Austri,
Nunc se post gelidos occuluere polos:
Consequiturque lues sine nomine corpora perdens
Visceribus fervens, inde fluore fluens.

MXX. Flendo peractorum Kothelint veterana dierum
Sponsi cella subit,cui se vivam sepelivit.

MXXI. Pœnitet & miseret,dolet & piget,obstupet,horret,
Sola sine exemplo casu mors facta sinistro,
Mollem nosse feras umquam silvis agitatas,
Mallem confractas pharetras quascumque sagittas
Quam male succisam Ducis Ernest flore iuventam:
Ochibo dextram telum titubando regentem
Pro cervo nostrum figere pacificum:
Sponte tua quamquam facinus haud feceris umquam
Sanguis amice Ducis,fide Comes lateris,

Pax

Pax Ducis atque pater placidæ quis pacis amator
Istum pacificis adnumerato tuis,
MXXVII. Hic quatitur totus terræ globus undique motus
Horrida ceu fissis portenta sonant in abyssis.

MXXVIII. Heinricus Imperator in gravi manu Apuliam ingressus à Beneventanis gratulantibus honorifice ac magnifice suscipitur, Troiam, Capuam, Salernam, Neapolim urbes imperii sui ad Græcos deficientes ad deditionem coegit: quarum Troia viribus fortissimis omnique bellico apparatu munitissima longior mora nodusque victoriæ extitit. Tamen licet afflicta afflixerit, & in sui defensionem multos sauciaverit plurimos interfecerit, tertio mense postquam obsessa est & Imperatori manus dedit suique incolomitatem & gratiam victoris dato fidei sacramento promeruit, rebusque compositis revertitur Capuanum Principem in custodia secum abducens: sed circa egressum Italiæ pestilentia exercitum eius affecit, & ex maxima parte absumpsit, ut Romani imperii corpus tot membrorum suorum destitutionem sine miseria, & dolore memorare non possit. Eodem anno æstas horrenda tonitruis & corruscationibus plus solito mortales exterrentibus: & impetus turbinis ab occidente intonans ædificia concussit, & arbores radicitus evulsit. Dominus Purchardus Abbas elegantissimum sanctæ Ecclesiæ speculum, Ymmo & Purcharth bonæ indolis adolescens in ipsa expeditione interierunt. Notker nostræ memoriæ hominum doctissimus & benignissimus, Heribeat & duo Ruadperti summæ innocentiæ viri, Teiterich, Liutolth, morbo late sæviente interierunt. Ruodhardus etiam Constantiensis Episcopus obiit, eique Heimo successit, & Thietpaldus Abbas efficitur.

MXXX. Benedictus Papa obiit. Heinricus Imperator obiit, & Chuonradus apud Magontiam in natali S. Mariæ in regnum consecratur.

MXXXI. Sævæ contentionis fomes exarsit in sacrosancto die Pascali apud Vindelicam Augustam inter Chuonradum Regem & patruelem eius Chuonradum, cui etiam Ernest consobrinus eius Dux Alamanniæ & Welfhardus Comes postea confœderati, simul Regi rebellare sunt ausi. Sed hoc temere inceptum Deo prohibente non habuit effectum.

MXXXII. Rex Chuonradus natalem Domini Aquisgrani celebravit, & circa vernum tempus Italiam ingressus eam sibi pene totam cis Romam subiugavit, sola Lucca sibi resistente cum Reginhero Marchione. Heimo Præsul Constantiensis defungitur, & eidem ecclesiæ Vuarmannus præficitur.

MXXXIII. Rex prædictus Romam perveniens à beato Papa Iohanne in die sancti Paschæ Romanorum Imperator ordinatur, inde per Alamanniam revertens Vlmæ publicum conventum indixit, ibique Ernestum Ducem, scilicet privignum suum, & Welfhardum Comitem, aliosque reos maiestatis sese dedentes suscepit, ipsos per diversa loca custodiæ mancipandos deputavit. Castrum etiam, quod Chiburch dicitur, tribus mensibus obsessum, Vuerinhero Comite frustra diu repugnante, tandem ab ipso Rege capitur. Gisela Imperatrix simul cum filio suo Heinrico monasterium S. Galli ingressa xeniis benignissime datis fraternitatem ibi est adepta.

MXXXIV. Idem Heinricus Imperatoris filius patre suo præsente in die sanctissimo Paschæ Aquisgrani à Pilchrimo Coloniæ Archiepiscopo unctus coronatur.

MXXXVI. Ernest Dux Alamannorum vitrico suo Imperatori denuo rebellis effectus gratiam suam cum Ducatu amisit, & Herimannus frater eius matre sua imperatrice id precibus obtinente eundem Ducatum promeruit. Imperator vero Vngariam invasit, eamque citima ex parte circa Fiscam fluvium devastavit. Interim Ernest quondam Dux cuidam castro, quod Falckenstein dicitur, cum prædicto Vuerinhero milite suo insedit, locaque vicina cum incolis non minima clade afflixit. Sed Comes quidam Mangolth dictus hac vice Imperatoris dolens cum eo prælium commisit: in quo uterque illorum cecidit, aliique quamplurimi utrimque sunt interfecti in octava S. Laurentii.

MXXXVIII. Rege Ruodolfo defuncto, Voto filio sororis suæ regnum Burgundionum, tanquam hæreditatem patrum suorum, valida manu affectavit, & aliqua municipia capta custodiis suis munivit, Imperatore per idem tempus Pulanis Sclavis bello insistente.

MXXXVIII. Idem Imperator secum copiam militum fere media hyeme in Burgundiam adduxit, castella Murtenam & Nuvenburch obsedit: sed nimia vi algoris præditus infecto negotio rediit. Deinde vero proxima æstate Votoni bellum intulit, urbes eius rapina & incendio funditus evertit, ipsumque hac necessitate ad se supplicem venire coegit, deinceps emendationem quamvis ficte promittentem.

MXL. Vuarmannus Episcopus & venerabilis Abba Thietpaldus obierunt: quibus successerunt Eberhardus Episcopus, & Abbas Nortpertus. Chuonradus Imperator iterum Burgundiam cum exercitu intravit, & omnia municipia cum civibus usque ad Rodanum fluvium suæ ditioni subegit. Genevamque pervenit. Ibi vero ab Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo cæterisque Italiæ & Burgundiæ Principibus honorifice susceptus in festivitate S. Petri ad vincula coronatus producitur, & in regnum Burgundionum Rex eligitur.

MXLI. Fa-

MXLI. Fœdus validæ Coniurationis in Italia exoritur. Inferiores namque milites superiorum iniqua dominatione plus solido oppressi, simul omnes illis resistunt coadunati. Nec non etiam quidam ex servili conditione contra dominos suos proterva factione conspirati ipsi sibimet intra se iudices iura ac leges constituunt, fas nefasque confundunt. Contra quos sedandos, Episcopus Mediolanensis aliique senatores Italiæ insurgentes conati sunt eos à tanta insolentia revocare, si possent: sed nullatenus eis volebant acquiescere, donec scripto concessum est illis à Rege ius patrum suorum inviolatum tenere.

MXLII. Chuonradus Imperator filio suo Henrico Gnut Regis Anglorum filiam matrimonio coniunxit, & Chuonrado patrueli suo Ducatum Adalberonis in Carentano, illo deiecto, commisit: ipse vero collecto exercitu in Italiam incipiente hyeme proficiscitur.

MXLIII. Idem Imperator natalem Domini Veronæ celebrata Mediolanum inde perrexit, ibi ab Archiepiscopo & civibus susceptus honorifice, quamvis (ut fertur) dicta fide, eumdem Episcopum iter progrediens secum Ticinum adduxit, & de improviso captum quasi reum maiestatis Aquilegensi Patriarchæ custodiendum tradidit. Cui ille astuta fuga elapsus à Mediolanensibus id ferio triumphantibus gratanter in urbem est receptus. Imperator autem hoc in eos ulcisci cupiens Civitatem valida manu obsedit, & res Episcopii exercitu ad devastandum dispertiit. Sed mirum & prius inusitatum tunc temporis ibi accidit prodigium. Nam in die sacro sancto Pentecostes sole exoriente visa sunt desuper exercitum corruscare fulgura, mugire tonitrua, civibus intra mœnia hæc omnino non sentientibus. Fertur etiam equos & homines non paucos ibi à fulmine esse transfixos, quosdam vero Dæmone arreptos. Bellum inter Cozelinum & Votonem committitur, in quo Voto victus interiit, eiusque exercitus hac illacque diffugit.

MXLIII. Vxor Heinrici Regis, & frater eius Herimannus Dux Alamannicus obierunt, cuius Ducatum cum regno Burgundionum idem Rex à patre suo eodem anno percepit, ipsis eiusdem regni Principibus cum iuramentum sibi fidem dantibus.

MXLV. Chuonradus Imperator diem obiit, & filius eius Henricus regni gubernacula suscepit.

MXLVI. Idem Rex monasterium Sanct. Galli ingreditur, & in ipso anno Boemanum Ducem Pezpremonem frenum imperii sui pati recusantem edomare aggressus in ipsa silva, per quam ad eum iter suum disposuit, plerosque de suis non infimos heu pro dolor perdidit. Nam Comes Vuerinherus cæteris auctor audendi factus, dum cum eis insidiarum ante se ignarus saltum incaute init, inter angustas semitarum fauces simul devenere in locum sibi nimis infaustum, hostium autem fraudi satis accommodum. Ibi omnigenis telis eminus obruti moriebantur multi, quoniam illis densitate saltus irretitis copia non erat contra feriendi vel manum conferendi.

MXLVII. Rex prædictus *altum servans sub corde dolorem*, veteri exercitui novum addidit, itemque Boemiam cautius quam antea intravit, urbesque expugnavit, oppida incendio consumpsit, ad ultimum eundem Ducem filium suum sibi dare obsidem coegit, ipsumque post se venire Radesponam fecit. Eodem anno Petrus Rex Vngariorum à quodam Comite suo turpiter proprio regno expulsus ad ipsum Regem Heinricum deprecans auxilium confugit, cuius infortunium Rex piissimus quamvis prius ab eo læsus miserans sortem humanæ fragilitatis flevit, ipsi autem paternum solatium rebus & verbis exhibuit.

MXLVIII. Rex Heinricus assumpta secum copia militum Vngariam irruit, eamque ex maxima parte devastavit.

MXLVIII. Notabilis annus nimia imbrium superfluitate & fructuum terræ paucitate. Rex prædictus Petrum avito solio restituere cupiens ingentem classem summis viribus instruit, atque fortunam belli temperaturus iterum Pannoniam per Danubium intravit. Ingressus vero multa fortiter, multa feliciter egit, ipsumque adulterinum & suppositicium Regulam pecuniam iniuste possessam sibi offerre compulsit, insuper eum iuramento ne fines regni sui excederet constrinxit, rem tamen, ob quam venerat, credo Dei nutu præpeditus nondum perficiebat. Nam idem Petrus quamdiu regnavit in multis prævaricator extitit. Inde quidem remedians Vlmæ generale colloquium habuit, ac Constantiam tempore Synodi venit, ubi cum Episcopis quamplurimis cæterisque regni primatibus intrans conventum resedit, & publicus cognitor omnium illic gerendorum fuit. In quarto autem die, qui vulgo Indulgentiæ dicitur, ipse gradum cum Pontifice facundus orator ascendit, & luculento sermone populum ad pacem cohortari cœpit: ad ultimum vero sententiam suam ita conclusit, ut cunctis sibi obnoxiis ipse dimitteret, omnesque qui illic aderant tum præcibus tum pro potestate id ipsum facere cogeret. Hoc igitur salubriter inibi inceptum dilatari præcepit per omne regnum suum, ac non longo post tempore omnibus rebus in pace compositis uxorem duxit filiam Willihelmi Ducis Pictaviensis.

Gisela Imperatrix obiit.

ML. Fa-

ML. Fames valida. Item Rex prædictus contractis undique auxiliis tertio in Pannoniam proficiscitur, cui cum infinita multitudine occurrit ille regulus adventu suo, ut videbatur, imperterritus, & cum prohibere eum transcursu cuiusdam fluminis posset, ex consulto transire permisit, ratus sibi pugnam infra terminos regni sibi faciliorem, & hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem, sed longe aliter quam speraverat, evenit. Denique Princeps noster statuit cum illo quam primum confligere, suis virtutem verbis addere, melius esse dicens fortiter in bello animam ponere, quam ut vilia mancipia hostium ludibriis subiacere. Ipse vero armatus, quo cæteris amplior esset animus, pro loco atque copiis acies instruit, datoque signo hostes invadit, ac velut quædam tempestas obviantia quæque prosternit. Nec mora, fit victor Christi favente clementia, nihilque cunctatus urbem ascendit, ubi uxorem Regis & filios cum ingenti pecunia comprehendit, Petrum vero solio regni restituit, & re bene gesta in Saxoniam rediit.

ADDITIO ALTERIUS.

ANNO ab incarnatione Domini M.C.LXXX. regnante gloriosissimo Romanorum Imperatore Friderico, Comes Ruodolfus de Fulndorf, collecta maxima copia auri & argenti, Ierosolimam petiit, & se perpetualiter sancti Sepulchri servitio dicavit. Audiens vero benignissimus Abbas Ecclesiæ Sanct. Galli, eundem Comitem, huius loci videlicet Advocatum, de Mamona iniquitatis per circumiacentia cœnobia sibi amicos comparare, propter mutuam, quam ad invicem habebant, quondam amicitiam litteras sibi direxit, & uti reliquias transmitteret obnixe rogavit. Ille autem petitioni eius volens satisfacere, ad quoddam cœnobium perrexit, quod ad Sanctum Abraham nominatur, illicque decem marcas auri obtulit: deinde pro caritate reliquias petiit. Illi honorifice eum tractare volentes duxerunt eum ad altare publicum, quod in honorem Patriarcharum erat consecratum, & altare aperientes devote sibi reliquias Abrahæ & Isaac & Iacob ostenderunt, & quia horum reliquias supra modum petiit, licet renitendo tamen ei particulas ex ipsis dederunt. Comes vero, sicut honestissime semper consuevit agere, capsulam pretiosi operis comparavit, ac reliquias in illa sub proprio sigillo recondidit, & sic sigillata Abbati Sanct. Galli amantissimo Domino suo transmisit. Vbicumque autem reliquiæ fuerint, uti illi testati sunt, illic pax, & augmentum, & lenitas aeris semper erit. Hæ autem reliquiæ in altari Sanct. Galli cum reliquiis nostris sunt collocatæ. Ille autem locus, ubi hæ reliquiæ impetratæ sunt, iuxta Damascum est, in agro videlicet Damasceno, ubi Adam creatus est.

* * *

FINIS.



RATPERTI MONACHI S. GALLI

LIBER

DE ORIGINE ET DIVERSIS CASIBUS MONASTERII S. GALLI IN ALAMANNIA.

CAPUT I.

De beatissimis viris Columbano & Gallo.



OSTQUAM beatissimi viri, sanctus videlicet Abba Columbanus cum B. Gallo, reliquisque discipulis suis divinæ caritatis fervore succensi, relicta Hibernia, parentibus spretis, prædiisque paternis per maria diversa Hiberniam transmearunt, & Gallias advenerunt, Sigibertum illius provinciæ Regem adierunt, qui, cognito eorum desiderio, devotissima mente famulis Christi concessit, ut, ubicunque vellent, Dei servitio congruum sibi locum eligerent, & ut illis placeret incolerent: Se vero in cunctis necessitatibus fautorem illis esse promisit, quod & copiosissime implevit. Ingressi igitur heremum, quæ Vogesus nominatur, locum invenerunt, antiquitus cultum, sed tunc vetustate collapsum, penitusque destructum, aquis tamen calidis speciosum, nomine Luxovium. Protinus vero ibi cellulas construentes felici vita, Christoque amabili conversatione usque ad tempora Sigiberti junioris, filii Hiltiberti, nepotis videlicet Sigiberti, perduraverunt, qui etiam beatissimam erga sanctos habuit mentem. Sed Brunehildis, avia ipsius Sigiberti, uxor autem prior Sigiberti, plena Dæmonio, tenebrarum socia, lucis inimica, omnibus bonis contraria, non passa est, sanctos in illo consistere regno, nec requievit, donec eos inde proturbaret. Qui relicta terra illa, spretaque Diaboli filia, ad Lotharium Regem pervenerunt, à quo benignissime suscepti cum honore, ut cupiebant, ad Theodebertum Regem Austrasiorum sunt perducti, à quo, accepta potestate, per Alamanniam locum eligendi aptum divinæ servituti Tuconiam advenerunt, quæ est ad caput laci Turicini, ubi cum consistere vellent, populumque ab errore Dæmonum revocare (nam adhuc idolis immolabant) Gallo idola vana confringente, & in lacum vicinum demergente, populus in iram conversus non sine multo & ignominioso damno sui generisque futuri, Sanctos exinde pepulerunt. Inde iter agentes pervenerunt ad castrum, quod Arbona nuncupatur juxta lacum Potamicum, ibique à Willimaro Presbytero honorifice suscepti septem dies continuos cum gaudio permanserunt. Qui à sanctis interrogatus, si sciret locum in solitudine illorum proposito congruum, ostendit eis locum jocundissimum ad inhabitandum nomine Brigantium, ibique reperientes templum olim Christianæ religioni dedicatum, nunc autem Dæmonum imaginibus pollutum, mundando & consecrando in pristinum restituerunt statum, atque pro statuis, quas eiecerunt, S. Aureliæ reliquias ibidem collacaverunt. Cellulas vero ibidem construeutes, ibique degendo Christo servire volentes prohibiti sunt à populo, cujus pars major adhuc erroribus diabolicis illudebatur. Indeque expulsus auctore Cunzone Duce S. Columbanus cum suis ad Agilolfum Regem Longobartorum perrexit, S. videlicet Gallo infirmitate detento in illis partibus derelicto, quem etiam ob laborem itineris putans S. Columbanus ægritudinem simulare officium illi altaris interdixit, dum ipse Columbanus in hac vita mansisset. Hæc autem omnia quisquis plenius scire cupit, & quædam in hoc opusculo sequentia, à nobis vero ex aliqua parte contacta, *in libris actuum eorundem Sanctorum* plenissime digesta reperiet. Nos vero, ut cœpimus ex notis, quæ sunt necessaria, pauca ex parte tangamus, & ad intacta citius Deo donante properemus. Igitur B. Gallus post felicis discessum magistrum studiose cœpit inquirere locum in heremo, ex alia parte castri præfati Alpibus contiguo divinis famulatibus aptum, quem & inventum aquis planitieque jocundum, Duce quodam Willimari presbyteri Diacono nomine Hiltibolt cum gratulatione suscepit non minima, ipsumq;

 locum

locum jejuniis & orationibus consecrando cellulam ibidem, in qua ipse, & cum eo Domino servi uti commanerent, celeriter ædificavit. Interea prædicti Ducis Cunzonis filiam, sponsam videlicet Regis Sigeberti, spiritus malignus invasit, quem cum Episcopi à Rege directi, quorum etiam credebat sanctitati, ab ea expellere non potuissent, sed etiam cum ignominia ab eo expulsi fuissent, B. Gallus non prima, sed iam secunda legatione atque humillima supplicatione ab eodem Duce suscepta, locum, in quo puella vexabatur, Presbytero comitante devenit, hostemque malignum, oratione præmissa, à pervasa domo imperiosa voce potenter ejecit, patrique puellam reddidit sanam, statimque ad dilectæ solitudinis cariorem rediit aulam. Præfatus igitur Rex audiens puellam à passione tanta sanatam, suis eam jubebat præsentari aspectibus, quæ interrogata à Principe memorato de causa salvationis suæ sanctum virum cum actibus suis & beneficiis circa se per illum exhibitis ordine pandit, adjiciens & rogans, ut ipse eum suæ gratia pietatis dignaretur fovere. Quod Rex benigne suscipiens, cuius heremi hospes extiterit inquisivit, comperiensq; narrante puella aliisq; fidelibus viris, ex parte ad regiã potestatem, aliunde vero ad possessionem nobilium virorum pertinere, heremum, in qua sanctus commanebat cum suis, protinus partem regiæ potestati cedentem præfato sancto sua auctoritate contradidit, & constituit, ut tam ipse, quàm posteri eius, ibidem scilicet eius exemplo Domino servituri, locum præfatum cum circumiacentibus silvarum commodis per regiam auctoritatem deinceps firmissime retinerent, & ut à nullo hoc in posterum destrui valeret, propriæ auctoritatis firmissima conscriptione munire decrevit, quod ut bene cogitavit, optime perfecit. Cunzoni quoque Duci præcepit, ut cum omnibus eidem heremo vicinis necessitatibus S. Galli sedulus ac studiosus fautor existeret, & in ædificiis, & in qualibuscunque rebus illius indigeret solatio, quod & devote complevit. Qua auctoritate talique firmitatis conscriptione locus iste tutus ab adversariis usque ad tempora Pipini & Karoli permansit, religiosos etiam viros, qui eundem Sanctum in sua susceperunt, eiusdemque heremi jus hæreditarium illi potestativa manu concesserunt, subter notare curavimus, quorum nomina hæc sunt: Willibertus videlicet Presbyter, & Talto vir illustris, Tagoberti scilicet Regis Camerarius, & postea Comes eiusdem pagi, à quibus idem Sanctus, cum in corpore viveret, cum augmentatione huius loci non parva maxima veneratione habitus est.

CAPUT II.

De S. Othmaro primo Abbate.

AT postquam de corpore spiritum transmisit ad astra, à successoribus istorum locus iste ob amorem sancti similiter augmentatus est usque ad tempora Karoli. Taltonis vero filius fuit Tietolt, cuius filius Pollo: Pollonis autem filius VValdpertus, qui genuit VValtrammum. Ipse vero VValtrammus locum istum in omnibus ob amorem S. Galli augere desiderans, regularemq; inibi vitam instituere cupiens, Othmarum sanctum virum à Victore Rhetiæ Curiensis Comite impetravit, eique cellam præfatam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit, Abbatemque constituit, ut in *Vita ipsius* plenissime continetur. Postea vero tempore procedente, atque statu monasterii in melius proficiente, præfatus VValtrammus eundem Abbatem Othmarum Pipino Regi præsentavit, ipsique Regi monasterium, quod adhuc hæreditario iure in sua tenebat potestate, cum ipse pariter Abbate contradidit, ea videlicet causa, ut ipse Abbas, eiusque successores idem monasterium regia auctoritate retinentes nullius deinde violentia premerentur, sed tantummodo Regũ iussionibus obedirent. Quod benivolus Princeps benigne suscipiens statim huius causæ conscriptionem fieri præcepit, scilicet ut monachi eiusdem loci deinceps potestatem haberent Abbatem eligere, sibi atque solis tantummodo Regibus subjacerent. Quam conscriptionem suæ auctoritatis signaculo cõfirmavit, atque Abbatem ipsum in sua remisit, qui idem monasterium per annos XL. feliciter rexit, VValtrammo prædicto XX. annis solatium illi præstante. Postea vero ob quam causam, & quando, & qualiter idem Abbas à VVarino & Ruadhardo exilio damnatus ad perpetuam sit coronam perductus, in libris vitæ ipsius, qui scire desiderat, pleniter digesta reperiet. Post hæc vero Sidonius Constantiensis præsul, qui & monasterium, quod Avua * nominatur, in sua potestate habebat, instigantibus præfatis Comitibus cœpit inquirere monasterium nostrum, & in potestatem Episcopatus redigere. Quibus, ut illi solatio essent, beneficia promisit atque donavit, VVarino videlicet Vina & Turinga & Engi: Raudhardo vero Antolvinga & Vzinhaha: Miloni autem advocato ipsius monasterii, ut illi solatium subtraxisset, sextam villam, quæ Heimbach nuncupatur, contradidit. Quamobrem præfatus Sidonius, quod nequiter cœpit, auxiliantibus iniquis Principibus, pessime ad sui, ut postea res docuit, damnationem perfecit, monasteriumque ipsum in ius Episcopatus redegit. Igitur prædictus Episcopus fratres in monasterio B. Galli multis injuriis semper afficiens, quodam die etiam maioribus, ibi si aliqui essent sibi contrarii, afflicturus calumniis monasterium turbolentus ingreditur, & cum ante confessionem S. Galli quasi oraturus constitisset, quid in mente habuerit pœna corporis & illuvies ventris, ut *in vita S. Galli* scriptum est, manifestavit. Quo redundante supplicio ad Auvam perlatus de cloca corporis vitam exhalavit plenam miseriis.

* al. Ovva

CA-

CAPUT III.

De Iohanne Episcopo & Abbate.

POst cuius obitum Iohannes Monachus Augensis Constantiæ Episcopus ordinatus amborum regimen suscepit cœnobior. Qui tres nepotes suos educavit, quibus honorem suum in tribus illis locis situm post suum discessum distribuere cogitavit. Quo agnito fratres utriusque cœnobii Episcopum pariter adierunt, rogantes, ut privilegia eis apud Principem acquireret ac potestatem eligendi Abbates: se vero, si hoc fieret, eosdem illius nepotes sibi Abbates electuros polliciti sunt. Quod ille consensit, ac se facturum promisit. Tempore vero transacto, Karolus Rex cum Hildigarda coniuge sua Romam profecturus Constantiam advenit. Tempus vero opportunum se invenisse existimantes utriusque Monasterii fratres pro prædicta necessitate principem adeunt, eiusque clementiam interpellant. Rex vero Episcopum, quid de hoc illi placeret, interrogavit, Episcopus autem æternæ beatitudinis gaudium illum exinde percepturum respondit si talem & tantam securitatem famulis Christi absque ulla perturbatione Domino serviendi concederet. Quod audiens Rex gavisus est, & prorinus utriusque cœnobii fratribus, S. Galli scilicet & Augensis, firmissima auctoritate privilegium optatum contradidit, ac scripta emunitatis ad hæc eadem retinenda fieri præcepit, quæ signaculo suæ auctoritatis firmavit, constituens atque præcipiens, ut post mortem Episcopi Monachi prædictorū Monasteriorum potestatem haberent sibi eligendi Abbates, & ut nulli absque Regibus deinceps essent subiecti. Fratres igitur læti redierunt in sua: Episcopus autem cartas utrorumque, quas Rex fieri præcepit, secum retinuit. Cum igitur idem Præsul finem sibi præsentis vitæ cognosceret imminere, assumpta Augensium fratrum carta ad ipsum Monasterium devenit: cartam autem fratrum de Monasterio S. Galli in scriniis Constantiensis Ecclesiæ dereliquit, eo quod noluissent nepotem illius sibi Abbatem, sicut pridem promiserant, eligere. Senserant enim, cartam à Rege datam multum esse depravatam, & multo aliter, quam Rex iuberet, & res eorum indigeret, esse conscriptam. Idcirco nepotem illius sibi Abbatem eligere neglexerant. Similiter autem & fratres alterius Monasterii fecerunt. Postquam igitur præfatus Episcopus vita excessit, Augenses quendam senem Presbyterum, & Monachum nomine Petrum sibi elegerunt Abbatem cum consilio Hildigardæ Reginæ, cuius etiam adminiculo res apud illos ita perstitit, quia à Geraldo Comite germano prædictæ Reginæ locus ipse maxime constitit & augebatur. Hic in fin. annotantur in 3. MSS. hæc verba: *Nota quod de Ratperto Abbate hic non fit mento, qui secundum regulam & Chronicam post Iohannem annum unum dicitur Abbatiam tenuisse immediate: sed tantum mentio fit VValdonis Abbatis, cuius alibi in Chronica nulla fit mentio, sed in regula.*

CAPUT IV.

De VValtone Abbate, & Eginone Episcopo Constantiensi.

POst obitum Iohannis Episcopi fratres nostri VValtonem concœnobiotam, * virum sapientem, sibi Abbatem, Rege permittente, constituerunt. Sed non in finem res ita permansit, ut in sequentibus manifeste declarabimus, quia post obitum Iohannis Episcopi Egino Episcopi Constantiensis iura suscepit, qui mox omnia insidiarum genera circa monasterium nostrum exercere non metuens, sicuti Sidonius S. Othmarum, ita & iste VValtonem persequi cœpit Abbatem, quatinus iterum perverso more antecessorum suorum Episcopatui subjiceret monasterium. Huius igitur rei gratia optimatibus Regis prædia & pecunias contulit infinitas, illosque ad consensum suum provocans *muneribusque*, ut scriptum est, *etiam sapientium obrutus excæcans*, quod nequiter cœpit illorum adminiculo pessime complevit, iterumque monasterium non æqui observatione Episcopio subiici fecit. Karolus vero Serenus Augustus cum voluisset prædictum Abbatem cum Episcopo pacificare, eo videlicet pacto, ut Episcopi præcepto obediens Abbatis locum in monasterio ageret, præfatus VValdo non valens diutius præsens intueri tantam defectionem suorum, tale fertur Regi dedisse responsum: Cum enim, inquit, semel manus * vestræ dominationis ingressus tantæ celsitudinis merui dominio sublimari, nequaquam posthæc, dum horum trium dignitorum vigorem integrum teneo (nam scriptor erat eximius) vilioris personæ manibus me subdere decrevi. Itaque cum consensu ipsius Imperatoris ad vicinum monasterium, quod Avua nominatur, ibidem commoraturus devenit, ut postea Abbas electus atque ordinatus ad ultimum monasterium S. Dyonisii suscepit regendum.

*al. concœnobitam.
*al. minus.

CAPUT V.

De VVerdone Abbate.

PRædictus igitur Episcopus assumens quemdam Presbyterum forensem nomine Werdonem, obtulit eum ad nostrum monasterium, ut Abbatem illum constituisset, ne si de Monachis eisdem aliquem ordinasset, res ab eo aliquatenus cedere videretur, quem tamen Monachi in tali habitu commanentem minime susceperunt Abbatem. Quod cum sensisset idem Werdo, cum conversatione habitum mutavit, & tunc demum monachicis indutus vestimentis susceptus, atque, ut decreverat Episcopus, Abbas est ordinatus. Tum vero quodam perversæ fidei pacto inter Episcopum & Abbatem contra Monachorum necessitates effecto, res nostræ magis ac magis in desolationem vergere cœperunt, cum hi, qui tutores esse debuerant, afflixissent, & nullus esset ex nostris, qui eos prohibere potuisset. Habuerunt autem adhuc fratres monasterii nostri firmissimum emunitatis præceptum, quod beatæ memoriæ Domnus Pipinus Rex illis scribi iusserat, propriaque manu firmatum contradiderat, in quo etiam multum confisi sunt, quod etiam idem Episcopus maximo studio sæpius investigabat, sed invenire non poterat, Ipsum quoque præceptum, quod superius à Carolo Imperatore sub Iohanne Episcopo factum monstravimus, adhuc in Constantiæ scriniis detentum à Monachis non recipiebatur, eo quod, ut superius diximus, depravatum, atque contra Imperatoris præceptum, illorumque necessitatem fuisset conscriptum. Contigit autem tempore quodam Wolfharium Remensem Episcopum legatione à Domno Carolo sibi iniuncta iustitias in Rhetia Curiensi faciendas ad ipsum pagum venisse, indeque reversum ad nostrum monasterium devenisse, ibiq; prout illis facultas erat, benigne susceptus devoto servitio sustentatus est. Quem cum non lateret calumnia & iustitia, quas passi sunt incolæ monasterii nostri, prædictum emunitatis præceptum sibi ostendere rogavit. Quód cum vidisset ac perlegisset, hortatus est eos, ut per aliquem fidum hominum eandem firmitatis cartam Domno Imperatori divigerent: se vero res eorum notas Imperatori facturum, atque auxilium illis præbiturum promisit. Cuius consilio consentientes cuidam vasallo Imperatoris nomine Engilrammo, in cujus fide multum præsumebant, ipsam cartam, immo totius securitatis spem commendaverunt: qui etiam in altario S. Galli juravit, se ipsam cartam Regi perlaturum, atque ipsis Monachis cautissime esse redditurum, quod, suadente Diabolo, aliter, quã promisisset effecit. Deniq; discedente eo de monasterio, atq; secum cartã portante, Episcopo res innotuit, qui protinus, directis illis muneribus non parvis, præfatam cartam, sicut diu cupivit, accepit, atque in suam potestatem redegit. Statim vero cupiens penitus omnem spem securitatis nostris auferre, ad ipsum monasterium venit, atque cautissima investigatione perquisivit, si alicubi aliquod exemplar ipsius cartæ inveniri potuisset. Quod cum nequaquam invenisset, quia omnino non erat, delatum est ei, quod Amalgarius Monachus & Diaconus eam exemplari tradere voluisset: cuius facti licet ille securus esset, tamen nequaquam de hoc aliter apud Episcopum se potuit excusare, nisi in altario S. Galli cum iuramento firmaret, nec se eam ullo modo habere scriptam, nec in aliquo loco scire esse conscriptam. Tunc demum Episcopus securus suæ voluntatis effectus rediit in sua, atque monachis nostris, qui secum soliti erant commorari, quasi ob aliam causam à se foras transmissis, sæpe memoratam cartam ignibus tradidit, atque in favillam redegit, ut postea res nobis innotuit. Temporibus vero transactis, Egino Episcopus finem vitæ præsentis accepit, anno ab incarnatione Domini DCCCXIII. anno autẽ imperii Caroli serenissimi Augusti XLVI, post cuius obitum Episcopatum Constantiensis ecclesiæ adeptus est Wolfleoz monasterii S. Galli * cœnobiota.

* al. cœnobita.

CAPUT VI.

De Cotzperto Abbate, & VVolfleoz Episcopo Constantiensi.

ABBATE vero VVerdone postea vitam finiente, Cotzpertus eiusdem congregationis monachus à fratribus est Abba electus & ordinatus, vir statura procerus, sapientia quoq; morumque dignitate præcipuus, anno ab incarnatione Domini DCCCXVI, anno autem Imperii Hludovvici Imperatoris, filii præfati Caroli Augusti, tertio. Cum igitur VVolfleoz Episcopus more antecessorum suorum etiam causas monasteriis suæ subjiceret ditioni, incolæ monasterii, quasi in proprio fratre & conservo consolationem in eo se habere posse confisi sunt. Ille verò non solum cæteris mitior non existens aliqua in parte illis, de quibus venit, pepercit, sed etiam in quantum potuit, more Roboam digitum suum dorso antecessorum suorum erga sibi subiectos grossiorem exhibere tentavit, monachosque, de quibus exivit, cessante piorum exemplo, affligere non destitit. Quæ omnia, quanta & qualia fuerint, non decet memoriæ tradere: tamen necessaria huic textui subnectimus, sed & paucissima. Idem namque Episcopus, cum omnes monasterii causas sibi ubicunque

sibi ubicunque vellet afferri iussisset, nihilominus ad libitus suos sæpius idem monasterium invisens, omnes ibidem ministeriorum consuetudines ad suos detorserat voluptates: denique cellario cunctisque similibus monasterii officinis laicales præfecit personas, sibi forin secus ministrare solitas, nullosque eorum, qui ad hæc eadem ministeria constituti fuerant, monachorum vel intrare, aut de his aliquatenus habuit potestatem tractare vel habere. Quare contigit, non solum alia necessaria, sed etiam victum, supremum, videlicet corporis sustentaculum, omnino fratribus defecisse. Tanta igitur causa necessitatis Hludovvicum piissimum Imperatorem fratres de monasterio S. Galli adierunt, eiusque clementiam suæ miseriæ solamen esse poscebant. Episcopus quoque eodem tempore præsens aderat, coepiscoporum confisus solatio aliorumque familiarium Regis, quos omnes suæ partis sciebat esse adminiculatores, monachorumque adversarios: maximam tamen suæ pertinaciæ fiduciam habuit in quadam carta, quæ diabolicis machinationibus à quodam Diaboli ministro conscripta, non solum idem monasterium, sed & alia loca non pauca falsissime cavebat ad Episcopii partes, quasi hæreditario jure, pertinere: Monachi verò econtra nullam eo tempore suæ securitatis cartam habuerunt, una ut prædiximus concremata, alia vero, sicut etiam præfati sumus, quam suscipere ob aliquam causam monachi noluerunt, ab Episcopo detenta. Cum verò altercatio * inter Episcopum & Monachum oriretur, coram Principe Episcopus petiit, ut sua carta coram Imperatore legeretur, & secundum eam res dijudicarentur. Ipsam autem, quam supra commemoravimus, mendis plenissimam præferre cogitavit: sed divina pietas suis, quibus humana deerant solatia, superna dignata est, intercedente S. Gallo, conferre subsidia. Denique Episcopus, cum de manibus proprii ministri suæ voluntatis se putaret accipere cartam, imò S. Galli famulos destruendos invidiosam decipulam, non eam, quam voluit, sed proficuo nobis errore aliam cartam Imperatori, cunctisque Principibus causæ penitus ignarus coram designavit, quam ab Imperatore Carolo sub Iohanne Episcopo nobis factam, sed à nostris antecessoribus ob alicuius infandæ additionis maculam non receptam supra memoravimus. Quam cum piissimus Imperator suscepisset, sigillumque sui patris recognoscendo intuitus esset, venerando deosculatus est, circumque astantibus similiter honoris causa deosculandum contradidit: deinde traditur carta legenda. Cum verò audisset Episcopus, contra suum decretum cartæ procedere textum, protinus recusavit istam asserens perversam, aliamque cupiens suæ perversitatis in præsentiam afferre scripturam. Quod benivolus Imperator non consensit, sed tantæ auctoratatis firmitatem Monachis restituendo contradidit, ut liberi ad sua redeuntes potestatem deinceps eligendi sibi Abbates haberent, nullamque potestatem Episcopi absque magisterii causa spiritalis super eos deinceps haberent, excepto quodam censu, quem de monasterio ad Episcopatum persolvi debere singulis annis, hoc est, unum equum, & unam unciam auri, supra memorata adulterata à Iohanne carta asserebat. Insuper etiam præfatus Princeps ad augmentum securitatis eorum cartam emunitatis sua auctoritate illis contradidit. Quibus peractis Monachi cum suo Abbate Gotzperto ad monasterium rediere lætantes: Episcopo nihilominus ad sua cum tristicia redeunte. Gotzpertus vero Abbas una cum suis ad monasterium rediens omnio studio satagebat circa communem Fratrum utilitatem omnem sui laboris impendere solertiam, nostræ in omnibus rebus congregationis ubicunque potuit commoda cumulando. Ad augmentumquoque nostri monasterii veteri destructa novam S. Galli cœpit ædificare basilicam, quæ hodie rationabili proceræque magnitudinis statura cernentibus apparet constructa, anno videlicet incarnationis Domini DCCCXXX. Hludovvici vero Imperatoris XVII quam utique spacio septem annorum ad plenum ædificando perduxit, annoque nono dedicationem ipsius basilicæ perpetravit, convenientibus ad idem monasterium Wolfleozo, ad cujus diœcesim pertinebat, Constantiensi Episcopo, unaque * Oadalricho Basiliensi Episcopo: Erlebaldo quoque Augensis monasterii Abbate cum aliquantis suæ congregationis fratribus præsente manente, aliisque Alamannorum Principibus, non paucis. Dedicatione igitur ipsius basilicæ gloriose cœpta, & non sine signorum claritate honorifice peracta, postea præfatus Abba Gotzpertus in omnibus monasterii nostri utilitatibus sine cessatione se studuit exercere. Librorum enim, quorum maxima penuria in nostro loco usq; ad illius tempus extiterat, tantam copiam ille patravit, ut locus iste ex eorũ multiplicatione non parum excresceret; qui quales, & quot fuerint, qui diligentius quæsierit invenire poterit.

* al. altricatio.

* al. Vualricus.

Caput VII.

De substitutione Bernvvici Abbatis.

TEMPORE verò procedente idem Abbas, cum iam ætatis gravitatem corporisque infirmitatem non sufficere crederet, ad instantium necessitatem negociorum à Hludovvico clementissimo Augusto impetravit, ut Bernvvicus Monachus noster successor illi existeret. Quod statim, ut ille postulavit, effectum est. Ordinatus est verò Bernvvicus Abbas, vivente Gotzperto, anno incarnationis Domini DCCCXXXVII. Hludovici autem Im-

Imperatoris XXIIII. Posthæc verò Hludovvicus Imperator XII. Kalendas Iulii de hac luce migravit, anno incarnationis Domini DCCCXL. Eodem etiam anno facta est solis eclipsis III. Nonas Maji in vigilia Ascensionis Domini. Post obitum vero Hludovvici Imperatoris maxima discordia orta est inter filios illos Hlotarium, qui primus fuit ætate, & Hludovicum & Karolum. Itaque Hlotharius, cum esset ætate primus, potentia utique & multitudine populorum post se declinantium cæteros præcellebat. Cum igitur, ut diximus, maxima pars populorum Hlotharium sequeretur, contigit & Bernvvvicum nostrum Abbatem illius partis fuisse adminiculatorem. Nec minus interea Hludovvicus Alamanniam penetrans singula loca suæ suorumque ditioni subiecit, indeque Abbatem in nostro monasterio constituit Engilbertum Monachum nostrum. Quare contigit, ut sicut regna, ita & monasteria diversis erroribus atque laboribus quaterentur. In tantum autem maior pars populorum Hlotharium sequebatur, ut quidam Principes Alamannorum cum exercitu magno Hludovvico obviam pergerent, eumque, ne fines illorum intraret, prohibere vellent, cum quibus protinus pugnam validam commisit, & maximam eorum partem prostravit: reliquos vero omnes in fugam convertit, & sic ad fratrem suum Karolum pervenit, in quibus terminis Hlotharius cum maximo exercitu aderat contra fratres suos Hludovvicum & Karolum, & ipsi contra illum. Die autem constituta commissum est prælium validissimum atque miseria plenum, & Domino disponente iuniores extiterant victores, anno incarnationis Domini DCCCXLI. Ergo hac miserabili consummatione belli peracta protinus Hludovvicus Abbatiam S. Galli Grimaldo destinavit atque contradidit, qui statim eam, in quantum * valuit, causa regiæ auctoritatis obtinuit.

*al. voluit.

CAPUT VIII.

De substitutione Grimaldi Abbatis.

POST QUAM vero divisio regni patrata est, & pax inter Germanos Reges firmata est, Grimaldus Abba ad monasterium S. Galli veniens honorifice atque omni obsequelæ suavitate à fratribus eiusdem monasterii susceptus est, atque devota illorum servitute sustentatus. Causa autem extitit, quam nemini miram puto videri, fratres nostros tristicia non parva agitari, eo quod securitas electionis eorum, quæ tam multis, ut ante prædiximus, laboribus sæpe difficilime fuerat acquisita, tam facile de eorum potestate deficiebat excussa. Sed huius tristiciæ Domino iuuante iocunda venerat medicina. Nam prædictus Grimaldus temporibus semper idem monasterium protegere atque erga illud clementer agere consueverat. Quam causam loco & potestate accepta non minuerat, sed augebat, magis * caritatem, quam suæ potestatis declarans magnitudinem. Qua confidentia Monachi eum flagitare cœperunt, ut sicut in illo emunitatis privilegium amiserunt, ita cum illo pristinæ securitatis recuperarent augmentum. Quam petitionem ille gratissime suscipiens, studioseque complens à Rege Hludovvico permissione illis acquisita concessit, ut statim sibi eligerent, qui post ipsum illos, illorumque omnia procuraret, & postea nullam suæ securitatis & propriæ electionis dubitationem haberent. Qui protinus gratanter hanc benedictionem suscipientes Hartmotum elegerunt, scientia & moribus, nobilitate præclarum, eumque Grimaldus secum ad Regem perduxit, qui cum manibus Regis à Grimaldo fuisset contraditus benigneque ab eo susceptus protinus à regia potestate ipsum S. Galli locum cum omnibus ad illum pertinentibus suscepit, post Grimaldum secunda vice regendum, eo videlicet pacto, ut post obitum Grimaldi hæc eadem stabilitas electionis à Rege concessa, & in Hartmoto cœpta, deinceps stabilissime præsentibus, cæterisque ad eundem locum futuris signaretur & firmaretur mansura. Quo peracto, Grimaldus Abba cum Hartmoto lætus, lætantibus pariter fratribus, ad monasterium rediit. Posthæc igitur Grimaldus regularem in nostro monasterio vitam omni sagacitate mentisque alacritate instituere cœpit. Cuius rei curam, quia ipse sæpius regalibus fuerat occupatus officiis, Hartmoto iniunxit, ut spiritalis structuræ ædificia in fratribus fundaret, & non minus etiam exteriora officinarum necessaria studiose construeret. Quam indictionem Hartmotus benigna mente suscipiens, studioseque perficiens, cum prius Monachi colerent officinas suæ utilitati incommodas, non multo tempore succedente, omnia nostri claustri habitacula, quamvis prius cœpta pulcherrime ad perfectionem, ut modo cernimus, perducta venienti Grimaldo consignavit. Nec non etiam singulare eidem Abbati domicilium cum omnibus necessariis ad illud pertinentibus utilissime pulcherrimeque construxit. Quare Grimaldo apud nostros sæpius demorante contigit, nostri provectus non parum excrescere suavitatem: sed sicut nos & dies sibi alternatim successerunt, ita adversa cum prosperis se sæpius miscuerunt, talesque vices variaverunt. Venerabilis namque Constantiensis ecclesiæ Præsul nomine Salomon, cum suæ sedis dignitatem non solum non minuere, sed etiam in omnibus vellet religiose accumulare, ad nostrum monasterium nuncios direxit, censum, ut sæpius præfati sumus, nefanda conditione

*al. claritatem.

ex

ex monasterio ad Episcopi partes conditum sibi restitui inquiens. Quæ perturbatio fratres aliqua ex parte inquietavit, maxime cum ille census ab hoc à Hludovvico Imperatore ita fuisset concessus, ut ipsum monasterium & ab Episcopis, & ab omnibus secularibus potestatibus absque solis Regibus fuisset absolutum. Grimaldus autem Abbas cupiens omnia utrobique cum pace & caritate finiri, claustra ingrediens monasterii Principes fratrum ad se cōvocavit à quibus inquirere cœpit, cur censum sicut scriptura ipsorum continebat ad Episcopatum non persolverent. Tunc Hartmotus præ cæteris respondens: non merito, inquit, debemus hunc censum, sicut hactenus fecimus, persolvere. Grimaldus dixit: unde debet cessare census istius ad Episcopatum donatio? Hartmotus respondit, quia illa securitas & illa emunitas, quam nobis iste census liberam Regum donante clementia usque huc fecit, à nobis penitus ablata est. Grimaldus dixit, ob quam causam, & per quē eadem libertas vobis ablata est? Hartmotus respondit, utiq; propter vos. Quia enim vobis in beneficium tradiri sumus, ideo Episcopo censum persolvere non debemus. In vestræ enim dominationis servitute nobis sufficere credimus, & ideo in diversa partiri nequimus. His auditis, Grimaldus ex illo tempore cœpit cogitare, rogantibus Hartmoto & reliquis fratribus, atque cum illis pertractare, qualiter ipsum monasterium & ab istius censns, & ab omni inquietudinis liberaretur molestia, quod ita peractum in sequentibus, Deo miserante, monstrabimus. Exinde igitur utriusque loci Rectores, Episcopii videlicet & monasterii, cum sibi subiectis perquirere cœperunt, quali et salubritas pacis inter utrumque locum ita statueretur & firmaretur, ut absque discordia quandoque liceret utrisque Christi servitio inhærere. Cum vero huius consilii prolixitas sæpius utrimque pertractaretur, tandem, salubri consilio reperto, Rectores præfati consentientibus partis utriusque familiis intervenerunt & decreverunt, ut quædam possessiones de monasterio ad episcopatum contraderentur, per quarum donationem monasterium ab episcopatu segregaretur, & ab omni census molestia deinceps redderetur securum. Quod decretum ab Episcopo & Abbate inventum placuit ambobus, Episcopi videlicet filiis, & monasteriis incolis. Interea contigit, Hludovvicum piissimum Regem publice placitum suum habere in villa, quæ dicitur Vlma, præsentibus filiis suis aliisque regni sui Principibus. Ad quod placitum istius conventionis causa perlata est. Et cœpit exinde Rex sollerter & caute cum suis cogitare atque pertractare. Cumque Summates, qui aderant, in bonam partem causam declinare studerent, tandem piissimus Princeps ab Episcopo & Abbate Monachisque, qui aderant, inquisivit, si utraque pars, Monachorum videlicet & Clericorum, in hac re consentiret? Responsum est ab Abbate & Monachis, qui aderant, in hac voluntate se cunctamque illorum congregationem persistere. Similiter & Episcopus interrogatus pro se suisque similem reddidit istius consensus responsionem. Rex vero ambarum partium cum conspiceret unitatem, sese huic pacto interposuit medium, atque in semet omne negotium assumens cum manu sua potestative res prædictas ad episcopatum contradidit, atque cum ipsa manu similiter potestative ab Episcopio monasterium abstulit, penitusque diremit, ita ut deinceps nullam potestatem Episcopi in rebus eiusdem monasterii haberent, neque in censu, neque in ulla alia causa præter spiritalem tantummodo Episcopalis officii dignitatem, sed pura mente ex hoc, & deinceps licentiam haberent Monachi iidem servire, nullique seculari Potestati, nisi solis Regibus subiacerent. Hæc confirmatio cum per regiam auctoritatem circa utramque partem fuerit stabilita, oriebatur & alterius similis causæ necessitas in præsenti, quæ & protinus in eodem consilio penitus finiebatur. Nam cum ipsa loca ita unitate fuissent antea copulata, ut velut uni semper viderentur cedere potestati, huius causa communionis quidam hæreditatem suam ad Constantiam censûs debito cedentem monasterio contradiderunt: econtra tributarii monasterii eandem tributariam hereditatem ad episcopatum contradiderunt: & ut in hoc etiam penitus omnis dissensio auferretur, idem Rex de parte monasterii, consentientibus Abbate & fratribus, quasdam res ad Cōstantiam condonavit, ea videlicet ratione, ut omnia, quæ tunc in potestate monasterii erant, vel à præfatis tributariis illuc delegata, vel qualicunque modo ibidem cōfirmata, postea sine ullius contradictione personæ firmarentur ibidem in perpetuum permansura. His vero ita à clementi Rege omnicum consensu compositis, iussit idem Rex suæ auctoritatis præceptum utrique parti ad perpetuam confirmationem istius pacti statim in præsenti conscribi, & ut cuivis hæc eadem firmitatis scriptura communiretur, præcepit primitus tantummodo dictatam, & in aliqua sceda conscriptam sibi præsentari, & cum ille causam comprobaret, tunc demum Cancellario præcepit in legitimis cartis conscribere præfati pacti confirmationem, & cum perscriptæ fuissent propriæ manus auctoritate eas confirmans, unā Episcopo cum suis, aliamque Abbati Monachisque contradidit, perpetuæ firmitatis sine aliqua eversione ita retinendas indicio. Quisquis autem vult scire, quantæ fuerint causæ ob redemptionem prædicti census, & monasterii securitatem, & præterea ob tributariorum prædictorum reconciliationem ad Episcopatum contraditæ, legat in cartis supra memoratis, & invenire potuit, quod quærit. Præterea Rex piissimus Hludovvicus statim iussit, Monachis fieri aliā cartā firmissimæ emunitatis, ut post Grimaldum deinceps potestatem in perpetuum haberent eligendi sibi Abbates, nulliq; hominū nisi solis Regibus subiacerent: & in eadē carta

conscribi iussit regia dona sibimetipsi secundum consuetudinem aliorum monasteriorum securitate praeditorum quotannis ventura, id est, duos caballos & duo scuta cum lanceis. Et sic etiam istam cartam manu sua confirmatam, proprioque anulo consignatam, Monachis tradens laetos eos in sua redire permisit.

CAPUT IX.

De regimine Hartmoti Grimaldo Abbate adhuc vivente.

His ita Deo disponente peractis, Grimaldus Abbas omnia monasterii negocia Hartmoto cõmendans ipse securus regali se frequentabat exhibere praesentiae. Harmotus itaque cum fratribus tandem optatae securitatis quiete praecepta operibus necessariis totis studebat nisibus insistere, atque in primis templum Dei in honore S. Galli constructum variis coepit ornamentis decorare & sublimare. Principio verò tumbam S. Galli cum reliquis altaribus, & analogio atque confessione ita innovari, maximaque ex parte totum ex integro fecit aedificari, sicut hodie videtur & cernitur. Praeterea coronis argenteis, aliisque diversis luminaribus pariter cum multimodis variorum ornamentorum splendoribus ipsam magnopere studuit insignire basilicam. Absidam quoque post altarium S. Galli ita honorifice pictura deaurata, sicut in praesenti videmus, ipso composuit tempore. Librorum etiam non parvam copiam sub eodem Abbate Hartmotus composuit, quorum nomina haec esse scias: Quinque libros Moysi, Iosue Iudicumque in volumine I. Regum libros IIII. in volum. I. Tres libros Salomonis, & librum Sapientiae vel Iesu, Iob & Thobiam in volumine I. Paralipomenon, Iudith, Hester & Hesdram, Machabaeorumque libros II. in vol. I. Omnes Prophetas in vol. I. Epistolas Pauli, Actus Apostolorum, VII. Epistolas canonicas, & Apocalypsim Iohannis in vol. I. S. Augustini super Iohannem partem secundam & tertiam, XXII. libros de Civitate Dei in duobus voluminibus, Augustini de Civitate Dei libr. XV. in vol. I. Contra Faustum Manichaeum libr. II. in vol. I. LXXXII. Quaestiones, & contra adversarium Legis & Prophetarum in vol. I. Augustini super Psalmos VI. volumina. Item de eisdem libris in voluminibus duobus excerpta valde necessaria. Libros VII. Confessionum S. Augustini. eiusdem libros VII. de Baptismo in Genesim ad literam libr. XII S. Ambrosii cõtra Arriannos librum I. & Epistola eius & S. Augustini contra eosdem in vol. I. pusillo. De Doctrina Christiana libri IV. in vol. S. Recapitulationes S. Augustini, Lectionarium ad basilicã sine evangelio, duo volumina Epistolarum S. Hieronymi, Homilias Iohannis Chrysostomi, & de Compunctione cordis, & reparatione lapsi in volum. I. S. Hilarii super Matthaeũ volum. I. Collectarios duos in singulis voluminibus de Adventu Domini usque in Pascha, S. Ambrosii Episcopi in evangelium secundum Lucam in vol. I. Eiusdem in Epistolas Pauli vol. II. Eiusdem de Bono mortis, & Hieronymi in Apocalypsim Iohannis in volu. I. Victorini de Sancta Trinitate, Librum S. Clementis, Passionales duos in duobus volumin. Cassiodori super omnes Psalmos in tribus volum. Bedae super Cantica Canticorum, Collationum, Patrum tertiam & quartam partem, Regulam S. Benedicti, & reliquorum Patrum in volum. I. Explanationem super lectiones in vol. I. Libros Etymologiarum Isidori in vol. I. Iosephi de Antiquitate Iudaica libri XII. in vol. I. Item libr. IIII. in volum. I. Item eiusdem de bello Iudaico libri VII. in vol. I. Excerpta de Pompeio in vol. I. Gesta Alexandri in vol. I. Librum Hymnorum optimum, Grammaticam Prisciani in vol. I. Librum Canonum, Passionalem Apostolorum, Passionem SS. Sergii & Bacchi, Chronicam Eusebii & Hieronymi, Tractatum Originis in Epistolam Pauli ad Romanos, Rabani Episcopi in posteriorem partem Ieremiae Prophetae vol. I. Item Epistolas Pauli Apostoli, & septem epistolas canonicas in vol. I. Actus Apostol. & Apocalypsim in vol. I. Vitam S. Columbae in vol. I. Item Iob, Tobiam, Iudith, & Hester in vol. I. Visiones Wettini & Baronti. Praeterea etiam Hartmotus sub Grimaldi temporibus ipsa fratrum necessaria, in quantum potuit, meliorare studuit & augere, quod tunc constitutum usque hodie similiter permanet firmum. Temporibus etiam illis, exigentibus meritorum eius insigniis, corpus S Othmari de ecclesia S. Petri festive sublatum in basilicam S. Galli, cum debita laudum honorificentia est perlatum, praesente Grimaldo, Abbate, & Archicapellano Regis Hludovvici, & Salomone Constantiensis ecclesiae Episcopo, cum caetero innumerabili populo, IV. feria sub 8. Kalend. Novemb. die, Ann. incarnationis Dominicae DCCCLXIIII. Collocatum est autem corpus sancti viri in ecclesia S. Galli juxta altarium S. Johannis Baptistae, ubi magna miraculorum abundantia meritorũ eius claruere praeconia, usque dum nova sibi aedificata basilica, quae statim in brevi tempore est peracta, tumbaque argento & auro sibi parata honorifice in eam sancti viri exuviae sunt perlatae. Quae basilica etiam post tempora Grimaldi ab Harmoto Abbate ita, ut hodie videtur, aucta est atque constructa, tumba videlicet & altari plenius decoratis. Post haec igitur temporum transeunte curriculo Grimaldus Abbas, cum iam aetatis plurimos dies haberet, coepit sedulo in nostro monasterio commorari, cupiens reliquum vitae suae tempus cum quiete transigere, & in Christi ducere servitute. Hartmotus vero praecipiente Grimaldo, omnes labores & itinera, sive ad curtem, sive in expeditionem, & ad omnes alias necessitates vice illius strenue cõplevit, omnium-

omniumque curam negociorum in semet accepit. Ipse autem Grimaldus, cum alia loca & monasteria suæ ditioni habuisset subiecta, in hoc monasterio præcipue cupiens finem dierum suorum expectare, cœpit studiosissime monachicis se exercere disciplinis, & licet habitu non esset, conversatione tamen & voto monachus existebat, orationibus sæpe insistebat, eleemosynarum largitatem solus præ cæteris possidebat in tantum, ut pater pauperum vocaretur, & esset. His itaque & aliis similibus bonarum virtutum profectibus cottidie crescens, senex & plenus dierum in cõfessionem veræ fidei de hac luce, Domino vocante, altitudinem cõscendit, ut credimus, lucis perpetuæ, atque in eodem monasterio cum omni honore & debita veneratione sepultus requiescit in Domino. Contigit autem transitus eius Idus Iunii, VI. feria in primo ortu solis, anno incarnationis Dominicæ DCCCLXXII.* Rexit autem monasteriũ nostrum feliciter per annos XXX. & unum. * al. DCCC-

*Præmia tantorum cui * da, pie Christe laborum*
*Huicque polum tribuas * mare qui terramque crearas:*
*Matheus & Marcus Lucas * quartusque Johannes*
*Sint * cui fautores quorum celebrabat honores.*

* vet. ex dona Chr. * v. e. qui sidera celsa Cr. * v. e. pariterque * v. ex. illi Comites.

Caput X.

De electione Hartmoti in Abbatem Grimaldo mortuo.

Post obitum vero Grimaldi fratres juxta permissam sibi licentiam protinus cum maximo unanimitatis consensu Hartmotum sibi elegerunt Abbatem, cum quo pariter quidam de senioribus fratrum ad piissimum Regem Hludovicum devenerunt. Qui cum eorum consensum & desiderium comperisset, sicut prius disposuit, Hartmoto monasterium cum omni securitatis libertate contradidit, nulla addita vel interposita causa per quam aliquomodo ulterius violari potuisset huius securitatis integritas. Hartmotus vero cum fratribus ad monasterium rediens optimi se pastoris perfectione studuit ubique & undique exercere. Nam licet præteritorum maxima pars ille fuisset laborum atque bonorum, tamen nunc quasi incipiens cumulum & augmentum solitorum desiderabat augere meritorum. Nam parietes basilicæ S. Galli & in choro & foris chorum & posteriora templa sicut modo cernuntur pictura deaurata idem eodem in tempore fecit ornari & comi. In aliis præterea ædificiis, ut cerni poterit in præsenti, plurimum nostro monasterio decorem suis temporibus ipse patravit, & ut plurima breviter comprehendam, ubicunque fuit sive intus sive foris, sive apud divites sive apud mediocres, Domino donante, Sapientiaque à Deo sibi concessa nostra omnia cautissime providente, non semper securi extiteramus. Iste etiam Hartmotus velum optimum, quod adhuc hodie in quadragesima ante crucem extra chorum appenditur, per manus sororis suæ nomine Richlin contextum donavit. Librorum quoque, quos ille ad communem monasterii utilitatem suo tempore patravit, hæc sunt nomina. Lectiones Evangelii, quem librum auro & argento ac lapidibus preciosis ornavit. Lectionarium * elephanto & auro paratum XXXV. volumina B. Gregorii in Iob in VI. corpora divisa, Collectaria duo de Pascha usque ad adventum Domini VII. libr. S. Augustini in Septateuchum S. Ambrosii de Fide contra Arrianos libr. III. in volumine I. Item ejusdem lib. III. proprie de Spiritu sancto, & unum de incarnatione Domini, & alium de laude sanctorum in volumine I. Vitam S. Martini in vol. uno. Vitam S. Galli & Otmari in vol. uno. Vitam S. Silvestri in vol. I. Instituta Patrum, quas nuncupant Vitas patrum minores in vol. I. XXII. homilias Gregorii super Ezechielem Prophetam in vol. I. Ambrosii de officiis libri III. in vol. I. S. Augustini de Magistro, & eiusdem Epistolas; item de gratia & libero arbitrio, Collectanea Flori presbyteri de voluminibus S. Augustini in epistolam Pauli ad Romanos in volumine I. S. Augustini de utilitate credendi & bono naturæ, & scholiam Cyrilli de Incarnatione Domini & paucas quæstiones; Polyhystorem Solini in volum. I.* Altercatio Attici * Cetoboli ad parvum tempus non poterat inveniri, pro qua antequam inveniretur scripta est alia, & additus est ei liber S. Augustini de vita Christiana, & * Altercatio Ecclesiæ & Synagogæ. Collectanea Florii in epistolam ad Corinthios secundam & ad Hebræos. Decreta Põtificum Romanorum in vol. I. Regulam S. Basilii & cæterorum. Alios quoque libros, proprii causa videlicet usus, iocunda patravit scriptura, quas similiter post finem dierum suorum S. Galli servitio perpetualiter contradidit retinendos, imprecans etiam illi non parvæ dedecus confusionis, si quis præsumpserit aliquam partem eorum de monasterio S. Galli abstrahere, illi usque servitio eos auferre. Nomina verò eorundem librorum sunt hæc. Quinq libri Moysi, Iosuæ, Iudicumq;, in vol. I. Regũ lib. IIII. in vol. I. Psalterium de Hebraico trãslatũ, Proverbia Salomonis, Ecclesiastices & Cantica canticorum: item liber Sapientiæ & Iesu filii Syrach, & Paralipom. libri II. vol. I. Iob, Tobias, Iudith & Hester in vol. I. Esdras, Neemias & Machabæorum libri II. in vol. I. Esaias & Ieremias in vol. I. Ezechiel, & XII. Prophetæ & Daniel in volum. I. Evangeliorum volumen I. Reliquorum librorum novi Testamenti volumen I. Bedæ libelli II. de Natura rerum & temporibus, item unus grandis, & alia argumenta computandi in vol. I. Regula S. Benedicti & Martyrologium Bedæ, & Hymnarius, nec non & Homeliæ

* al. ebore. * al. Altricatio. * al. Cretoboli. * al. Altricatio.

Cæ-

Cæsarii in vol. I. Etymologiarũ Isidori volum. II. Medicinalis liber unus. Glossa in Epistolas Pauli. Super Lectiones volum. duo. Super Evangelia volum. duo. Volumen Orosii Martiani de Nuptiis Mercurii & Philologiæ lib. II. Item de VII. liberalibus artibus lib. VII. Boethi V. libri Philosophicæ consolationis in vol. I. Item alii V. in altero volumine. Inter hos etiam unam mappam mundi subtili opere patravit, quam inter hos quoque libros connumeravit.

Post obitum vero Hludovvici piissimi Regis in partem Karoli filii eius nostro monasterio pertingente cum cætero regno omnes eas unitatis cartas à patre eius Hludovvico nobis condonatas ab ipso clementissimo filio eius Karolo Hartmotus Abba nobis renovari fecit, atque illius auctoritate iterato conscribi. Neque hoc silentio prætereundum est, quantum de regalibus donationibus ad nostrum monasterium fuisset illo tempore concessum. Deniq; præfatus piissimæ memoriæ Rex Hludovicus, vivente Abbate Grimaldo, locum, qui dicitur Mecchina, ad monasterium S. Galli æternæ causa remunerationis regia auctoritate contradidit. Post cuius obitum Grimaldo quoque defuncto Karolus clementissimus Rex filius eius Hartmoto intercedente quandam possessionem regiæ potestatis in pago Turgoiensi sitam in loco, qui dicitur *Roholuesriuti, S. Gallo in perpetuam possessionem condonavit, quod & protinus suæ auctoritatis conscriptione firmavit. Quendam etiam montem situm in Rhetia Curiensi, in quo constructa est basilica S. Victoris martyris, cuius & nomine vocatur idem locus Mons Victoris, ipso tempore ad monasterium S. Galli contradidit, firmitatisque cartam regia auctoritate exinde fieri iussit, rogante Eusebio Scotigena, qui ibidem per XXX. annos spontaneè clausus Domino serviebat: anno vero incarnationis Dominicæ DCCC-LXXXIIII. pridie Kalend. Februarias de hac luce migravit ad lucem perennem.

*al. VVolfesriuti.

Postquam vero idem Karolus Italiam ingressus pacifice eam suo subjugavit imperio, alium etiam locum in pago supradicto similiter regiæ auctoritatis domino cedentem nomine *Stainheim cum omnibus ad illum pertinentibus S. Othmaro imperatoria contradidit potestate, huiusque donationis firmitatem imperialis scripti præcepto firmissimè corroboravit. Sed & illius, quam supra memoravimus, donationis imperatoriam denuo iussit scribi commemorationem, quod factum est ut impetravit. Postquam autem idem mitissimus Imperator Karolus omnibus Italiæ Germaniæque populis suavissimo ordine imperavit, rogante Hartmoto & efficiente Liutvvardo Episcopo atque Archicancellario Imperatoris; quandam abbatiolam in Italia sitam olearum & vinearum feracem (quam tunc idem Liutvvardus in beneficio habebat) cui nomen est Massin, ad monasterium S. Galli imperatoria auctoritate contradidit, eo quoque pacto, ut idem Luitvvardus tempore vitæ suæ sub usufructuario ipsas res possideret, censumque de ipso loco sicut ipse contradixit singulis annis ad monasterium prædictum persolveret, hoc est vel VI. languenas de oleo, vel LX. solidos de argento. Post obitum vero Liutvvardi ipsæ res sine ullius condictione perpetualiter ad ius pertinerent monasterii, cuius rei carta protinus firmissime sua auctoritate est scripta, atque firmata, atque ipso Imperatore iubente super altarium S. Galli est posita, ubi hodie Deo volẽte cum pace tenetur. Igitur venerabilis Abbas Hartmotus post tantorum, ut supra commemoravimus, perfectionem laborum cupiens etjam finem suæ clarissimæ administrationis aspicere propriis oculis, iam quoque ætate requiem poscente, cœpit sedulo ab Imperatore deposcere & cum fratribus quærere quatinus ipse ab his laboribus liberaretur, & alius in eius locum subrogaretur, cujus ætas & valitudo apta existeret ad supportandos varios casus, qui nunc etiam prioribus ampliores variantur in mundo. Cuius rei consensum neque apud Imperatorem neque apud Monachos facile potuit invenire. Sed cum ille diutissime & omnimodo in hac persisteret petitione, ætatis suæ sæpius causando gravedinem, tandem difficillime acquisitam istius petitionis ab Imperatore suscepit promissionem. Proinde lætus cœpit ad hæc ipsa negocia congruens inquirere tempus. Aliquando vero temporum transeunte curriculo contigit Dominum Imperatorem de al a redeuntem nostrum intrare monasteriũ, ubi cum maxima laudum honorificentia cunctorumque non parvæ læticia fuisset susceptus, ipse etiam lætus triduo ibidem permansit. Tunc vero venerabilis Abbas Hartmotus opportunum tempus suæ voluntati occurrere credens Imperatoris clementiam, ut suæ promissionis memor existeret, studiosissime cœpit flagitare. Piissimus vero Princeps nullius præteritæ immemor vel dictionis vel promissionis, volens & Abbatis petitioni annuere & Monachis in omnibus satisfacere, illorum concessit arbitrio ut quem vellent de suis Abbatem sibi eligerent, Hartmoto videlicet successorem. Quæ res à fratribus audita maximæ tristiciæ & lacrimarum, pariterque intermixtæ læticiæ seminarium existebat: tristiciæ, quia à tanti patris dominio, ipso vivente, se abstrahere cordetenus recusaverunt; læticiæ vero, quia idem clementissimus Imperator cum rem * finiri necessitas exegisset non per suos nuncios absens, sed per seipsum nostras causas maluit confirmare atque statuere præsens.

*al. Stainhem.

*al. futuri.

Caput XI.

De Bernhardo Abbate.

CUM igitur hæc, ut diximus, necessitas, immo etiam dignissima utilitas rem * finiri *al. futuri exigerent, omnes pariter senes & iuvenes à primo usq; ad ultimum Domino donante communi consilio atque una voce Bernhardum sibi elegerunt Abbatem virum nobilitate & iuventate præclarum, cuius sapientia & moribus atque benignitate & regia servitia peragi & se cum omnibus suis fidissime protegi confidebant, cuius rei notitia cum ad Imperatorem fuisset perlata, protinus ipse conventui eorum dignatus est interesse, ibique inprimis Hartmotum, ut sæpissime postulaverat, honorabiliter atque cum magna gratiarum actione à pondere tantorum liberum donavit esse laborum, sed non destituit à magisterio ibidem degentium. Postea vero omnibus Bernhardum sibi Abbatem poscentibus, statim in præsenti benignissimus Princeps eorum desiderium audiens Bernhardo monasterium cum congregatione commendavit, ipsumque Abbatem constituit, qui inter alia plurima consolatoria verba hoc etiam intulit promittendo, se nunquam hanc securitatem nobis ablaturum, tantummodo si inter nostros valeat inveniri qui ad hoc officium idoneus possit existere. Omnibus vero rationabiliter constitutis Dominus Imperator omnes ibidem conversantes lætos efficiens ipse quoque lætus de monasterio abscessit. Contigit autem ista ordinatio circa finem anni incarnatione Domini DCCCLXXXIII. VI. feria, VIII. Idus Decembris, indictione prima anno vero Karoli Imperatoris tertio, super omnia vero regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria per indeficientia secula, Amen.

EXPLICIT RATPERTUS: INCIPIT EKKEHARDUS.

EKKE-

EKKEHARDI IVNIORIS COENOBITÆ S. GALLI

LIBER

DE CASIBVS MONASTERII S. GALLI IN ALAMANNIA.

PRÆLOQVIVM.



MONITI à loci nostri fratribus id operæ pretium putantibus quædam cœnobii sanctorum Galli & Othmari cum infortuniis tradere fortunia, rem arduam aggressi sumus. Enimvero obloquiis patere non dubitamus; quoniam, ut nunc morum & temporum est, si quicquam asperum, & maximè quod disciplinæ sit, tetigerimus, si malorum libertates & impunitates non laudare videberis, velut impostor & calumniator apud eos, qui in le ita te ambulant, habeberis. At vero quoniam rerum loco nostro gestarum etiam alii veritati nihil parcentes fortunia & infortunia quomodolibet erant edixerant, temperantes quidem & nos ea, quæ à patribus audivimus, ea aviditate, qua illi, quam verissime datum est stilo & atramento veritatem perstringere, fortunia & infortunia loci nostri veritati nihil parcentes edisserere. De Salamone etenim Abbate nostro, post Episcopo, ingressi sumus, quem per ordinem secuti rebus nostris potiti sunt Gartmannus, Engilpertus, Thieto, Cralo, cui interstitiũ regiminis frater suus fecerat Anno. sequuntur Burkardus, Notkerus, Ymmo, Vdalricus, Kerhardus, Burkardus alter, Thiepaldus, * Norpertus, cuius hodie sub regimine quidem non *prout ipse & nos*, (ut inquiunt) *volumus sed prout possumus, vivimus.* Scripserat ante nos Ratpertus homo doctissimus & ipse codicellum similis materiæ à S. Gallo & Othmaro usque ad seipsum: à quo nos incepisse videmur Salomonem Episcopum, cuius nominis tamen * æquivocatio sit, ut bene cerneret præmonemus. Nam tres eius nominis cum Constantiæ præfuerint secundum Ratpertus censum à loco nostro exegisse scripsit. De tertio nos, prout Deo dante potuimus, sic incipiemus,

* *al Norpertus.*

* *al, æquivocatio.*

CAPUT I.

De Salomone Abbate S. Galli.

SAlomonis tertii parentes cum essent clari & illustres, ipsum Isoni S. Galli Monacho tunc temporis Doctori nominatissimo tradunt erudiendum & clericatui initiandum, quem apprime (ut aiunt) ipse erudierat, sed & Notkeri, Tutilonis, Ratperti, Hartmanni, Commonachorum statui prætulerat, & delicatius quasi Canonicum educaverat, Creverant tamen inde clandestinæ inter summæ indolis condiscipulos invidiæ, & cum con liberales genere essent & ingenio, ut ea ætas solet, æquanimiter non ferebant alienum sibi, qui fratres essent, præferri, & qui natalibus quidem essent pares, doctrinarum profectibus ab illo præiri. Defunguntur Salomonis adhuc pueri parentes, tandem autem & frater, & ipse rerum herus effectus ad maximas res animum intenderat, scholisque ablatus Grimaldo Abbate nostro Archicapellano eius juvante Capellanus fit Ludowici Regis, cuius singulari gratia in brevi potius Elevvangis adhuc Canonicus primo præficitur, post etiam Campidonensibus variis sujmet & loci damnis illum detrectantibus præponitur. In processu autem Hattone Archiepiscopo Magontino sibi propter animi acutissimam solertiam amicissimo opitulante plurimis locis præficitur, tandem & nobis, postremo vero & Constantiæ Pastor & Episcopus efficitur. His partim per transgressum prælibatis ad ordinem incepti operis revertamur.

Grimaldi temporibus Canonici Abbatis, Hartmuto eius, quasi Proabbate, Marcus quidam Scotigena Episcopus Gallum tamquam compatriotam suum Roma rediens visitat. Comitatur eum sororis filius Moengal, postea à nostris Marcellus diminutive à Marco avunculo suo sic nominatus. Hic erat in divinis & humanis eruditissimus. Rogatur Episcopus

loco

loco nostro aliquandiu stare. Allecto nepote diu secum deliberantes vix tandem consense-rant: dieque condicto partitur Marcellus nummos avunculi sui per fenestram, timens ne discerperetur ab eis; confremebant enim in illum quasi ipsius suasu Episcopus restaret. Equos autem & mulos, quibus ipse voluit, nominatim Episcopus tradidit: libros vero, aurum & pallia sibi & Sanct. Gallo retinuit. Stola tandem Indutus abeuntes benedixit: multis autem lacrimis vtrinque discessum est.

Remanserat Episcopus cum nepote & paucis suæ linguæ apparitoribus, traduntur post tempus Marcello scholæ claustri cum Notkero postea cognomine Balbulo & cæteris monachici habitus pueris: exteriores autem, id est Canonicæ, Isoni cum Salomone, & eius comparibus. Jocundum est memorari quantum cella S. Galli hiis auspiciis crescere cœperit, tandemque floruerit, Hartmuto eam Grimaldi quidem Vicario tandemque Abbate omnimodis augmentante. Petit tandem Salomon jam adolescens bene educatus, ut frater conscriptus nobis fieri mereretur, quod Grimaldo jubente & Hartmuto juvante a patribus est consecutus. Tradidit autem de prædiis, quibus habundaverat, S. Gallo locum, qui Golda dicitur, concambium sibi faciens vt annonam monachi & locum hospitis in refectorio haberet dum viueret, & collem quemdam qui vltra Iram amœnior sibi videbatur cum pratis sibi & agellis adjacentibus possideret, vt mansione ibi parata crebro velut frater adveniens Abbati non esset onerosus neque familiæ incommodus. Talibus homini velut jam cum Fortuna ludenti ad votum cedentibus aulam Regis Ludovvici, vt diximus, adiit, Capellanus factus eius fit intimus, & prælibatis Abbatiis proclive est prælatus. Locum autem nostrum sibi præ omnibus habitum subinde adiit, claustrumque ille quia potens erat absque duce &, quod magnæ confusionis tunc erat, cum lineis vestibus diatim introiit. Surgunt inde ab æmulis illius murmuraria ipso ignaro; comitantur, vt assolet, in absentem colloquia. Plurima fratribus velut dives opum commoda fecit: quorum cum vni, reverendo quidem (vt erant tunc plurimi) pelliceum traderet, & sui eum apud Deum memorem fore rogaret: pelliceum, ait ille, tuum si volueris tibi optime repretiabor, nam duas cucullas ab Abbate habeo, quarum vnam tibi, vt claustrum decentius nobiscum in ea introeas, induendam trado. Et ille Eya, inquit, hæc vtique Tutilo & Ratpertus, vel alij invidi mei more suo posuerant, nonne quæso, & Abbas vester lineus claustrum tot annis ingreditur? Claustra, ait ille, tuorum, qui te eius habitus Abbatem susceperant aut pro peccatis aut aliquo Dei nutu, & tu quidem, etsi non licenter, intras tamen potenter: sed nos in fraternitatem interdum & laicos recepimus, quibus tamen in laico habitu nequaquam, inquit, in claustro abutimur. Recessit homo artificiosus, ratione simplicis quasi devictus. Ibat autem secum reputans hominem tanti meriti non nisi in spiritu Dei sibi talia prolocutum. Abstinuit tandem absque aliquo Patrum, vt moris est, præduce claustrum introire. Sæpius tamen, vt diximus, loco S. Galli, quantum a Regibus & cœnobiis suis licuit, immoratus fratribus, quæ potuit, hilariter dedit, maxime Isoni magistro. Caute etiam Grimaldus jam senescens & Hartmutus cum illo egerant, ne animum & per se divitis & in regno potentis in aliquo læderent. Incipit igitur tandem in colle concambij sui ecclesiam in honorem & modum S. Crucis ædificare, in quam ad vnguem perductam S. Magni brachium Adalberone Episcopo dante & prosequente de Faucibus sumptum magnis hinc inde velut triumphi trepidus intulit, & in honore eam S. Crucis & ejusdem privati patroni nostri dedicavit, & prædiis suis, id est Tegerinouua, Bernhardicella, Sitirundorf, Goldahan etiam, quam, vt diximus, concambians jam loco tradiderat, & aliis quibusdam eam dotaverat, Hartmuti tunc quidem Abbatis concessione vt in die Sancti ipsius fratres convivarent, constituerat, se etiam si Deo placeret ibi sepeliri velle ajebat.

Accidit autem post aliquantum temporis vt a palatio veniens quadragesimam loco nostro ei tempori aptissimo viso agere eligeret: ingrediturque clam penetralia claustri nostri bonus fur noctibus nudipes cappa quidem, vti fratrum vnus putaretur, indutus. Senserant illum Notkerus, Ratpertus, Tutilo, & aliquamdiu sanctam fraudem texerant.

Nimis tamen, vt jam diximus, insolens semper erat & est præter monachici nostri habitus quemquam introire intima nostra, maxime noctibus. Initur consilium, vt, quomodo moris est duo ex nobis fratres claustri vigilias agerent, intranti illi ipsi vigiles cum lumine, quia solis loqui licuit, occurrerent, & quis esset silentio quærerent. Verebantur enim hominem Palatinum, qui jam quasdam abbatias canonicus habebat, ne aliquid irregulare, vt forte fit, videns sibi viam apud Regem occasione hac etiam ad nostram aperire temptaret, quibus nunc post Canonicos Abbates Monachis pater domesticus præerat Hartmutus homo amantissimus.

Ingreditur iterum vt heri & nudiustertius fur ille vitabundus. Ratpertus & Tutilo sunt vigiles: vnus illorum circuibat, alter ad introitum clamdestini illius servabat. Progreditur interea præventor maturitatis ad sepulchra cimiterij oraturus pater eius temporis nostrorum apud Deũ potentissimus Ruggerus, cuius gravitatem reveriti vigiles loco paulisper cedunt. Senserat ille pater post modicum pedetemptivum nesciens quem signo vocis & strepitu pedum notat quasi furem. Vigiles cum lumine confestim adproperant, agnitus est, atque illico pater ille, *per Sancti Galli*, inquit, *meritum* (sic enim patres jurabant) hunc in claustro eius hiis horis non patimur habitum. Vigiles illi pro tempore siluerunt, qui tantum interpretem rupto habuerunt silentio. Tremefactus autem ille a bene ignari hominis verbis tali tempore sibi inusitatis, Patere me, ait, pater reverende vel oratorium S. Petri, quod proximum est, ingredi: ibi postquam oravero, nun-

quam isto habitu nisi ductu alicuius primorum, vt lex loci habet, claustrum intrabo. Te autem juvante & fratribus ad hoc idoneis cras Abbatem precari est animus, vt monachico habitu mihi liceat claustrum ingredi, vobiscum in eo versari vt monachum & egredi: deforis autem coram militibus meis & cæteris canonico, vt soleo, vestimento versari. Immo, ait ille, Sanctus Gallus tibi in cor mittat, vt si semel eo induaris, numquam quoad vixeris nisi solito Monachis tempore exuaris. Panditur Abbati animus hominis & petitio, Ruggero astipulante & cæteris aliquibus, enimvero non omnibus. Erat Senatus Reipublic. nostræ tunc quidem sanctissimus. Consuluntur Hartmannus consilio magnus, ille quidem qui *Humili prece* melodiam fecerat; Notkerus, qui sequentias; Ratpertus, qui *Ardua spes mundi*; Tutilo, qui *Hodie cantandus est*, & pleraque alia dictavorant, qui denique, vt diximus, in condiscipulatu animum eius didicerant, & in rebus, quas vellet, artificia patrandis. Loqui jussi sunt regula nostra. Hartmannus ait, non similitudinem Monachi sed Monachum ipsum quærit. Notkerus, mihi prætexta hæc, qua superindui (inquit) desiderat, si togam prætenderet non vtique displiceret. Ratpertus,

Aut hæc in nostros fabricata est Machina muros,

Aut aliquis latet hic error------

ait. Tutilo, fraternitatem illi, inquit, integre ante concessimus, hanc ei quantum in me est, Abba mi, ego non denego: si autem lupum ovino vellere quærit induere, per alios quam mei consensum perficiat. Audiens Abbas quod suspicarentur in homine, videlicet ne hoc schemate indutus proximior esset dominatui Abbatiæ, cuius per ipsum tunc tertio quidem recepimus privilegium: scio, inquit, fratres & filij, quid ab illo vereamini, sed hoc & mihi quoque quidem subolet, existimo tamen melius nobiscum actum fore, si sic apud nos initiatus Monachum se aliquando nostrum faciat, ne iterum Canonico subdamur, vt antea: Placet igitur vt agamus cum illo, quo revera habitum sumat à S. Gallo, vt si arte sua acciderit quod veremur, noster tamen sit frater & Monachus.

Mittitur ad illum Ruggerus cum aliis quibusdam rem suasurus. In processu temporis Deo dante pollicetur facere, quod petitur, tantum interim propter claustri reverentiam talis habitus sibimet rogat sit licitus: Variis fratrum hinc inde tractatibus vix tandem conceditur, designaturque ei locus, quem hodie quadris lapidibus notatum videmus, quibus intrans habitum indueret, exiens exueret: ingrediturque claustrum noster Monachus nocte & die de talis consortij permisso lætissimus. Parat autem pro hoc beneficio insignem crucem Sanct. Gallo, quam argento partim deaurato vestitam analogio nocturnali supposuit. hanc nostris temporibus Norpertus noster columnæ deargentatæ infixam confessionis superposuit altario. Convivia fratribus duodecim diebus in anno, id est Kalendis, prætextatus noster quamdiu secularitervixit, hilariter facere suevit. Solebant idipsum ante etiam quidam alij fratres conscripti nostratibus caritatis signum exhibere. Præ omnibus quidem Karolus Rex, ipse qui Sanct. Othmari hebdomada ipse propositor & pincerna per triduum de vico Stainhem servivit, volatiliaque nos edere fecit. sed & Adelbero, qui supra, Augustensis multo tempore Antistes, qui signa & virtutes Sanct. Galli à plurimis audiens locum in die Sanct. Galli orandi gratia adiit, & præsens plura conspiciens; Maior est, inquit, gratia loci huius quam rumor quem audivi. Devovit autem benedictione fratribus data anno altero vita comite se rediturum, &, vti tunc quidem, nequaquàm venire nudimanum, domum rediit, interrogatusque inter cætera aliquando à suis essetne nobiscum vt fama vulgavit, religio cum doctrina, severitas cum disciplina? Quid cæteri, inquit, sentiant nescio, quid mihi animo est, pronuncio; vnum egomet sanctum & hunc defunctum quæsivi, vivos autem sanctissimos vt vere fatear fratres inveni. Doctrina autem illorum & disciplina in virtutum eorum operibus videre est, delectat enim me: talium memorari, quos quidem vt iterum videam vix expecto. Oportet autem vt omnibus meis me juvantibus me præparem, quatinus vti me & meos decet ad proximum S. Galli diem viros Dei visitem, frater illorum conscriptus fiam, & quantum mihi copiæ est caritatem illorum regratier. Venerat Dei electus die dicto, vt spoponderat, quantus autem venerit: & qualis in donis Sanct. Gallo fratribus & familiæ fuerit, capitulum, quod in memoriam eius regulæ nostræ codici asscriptum est, plenius pandit: Postnon multum quoque temporis accidit Petrum etiam Veronensem Episcopum à palatio redeuntē simili loci gratia inopinatum venire, Fratres autem suscipientes illum, quod melius quidem habebant, Evangelium ei offerebant. Ille autem arbitratus se despici, quoniam famam loci magnam audiverat, de vilitate libri secum fluctuabat. Ad missas argenti calix etiam, qui melior habetur, proponitur, quibus peractis etiam de calice sinistrum quoddam secum trutinat. Prandium ei exhibetur sumptuosum, surgens à mensa fratrum postulat alloquium, quibus collectis (nam Abbas loco deerat;) Bene, ait, mecum Domini, Abbate vestro abiente, egistis. Sed pro evangelio & calice vilioribus mihi propositis aliquid subolet. Quamvis enim ipse sim vilis & indignus, non tamen vilis loci nominor Episcopus. constanter meliora non esse Sanct. Gallo protestantibus spiritus hominis paulisper quieverat: sumensque tandem quosdam fratrum in partem secreto eis locutus: Mittite, inquit, post me Veronam sex quos habetis fidissimos viatores, quique bini & bini per tres vias, quæ hinc illo ducunt, mihi adveniant, & peregrinos se habitu & verbis simulent, singillatim tamen se mihi ostendant, & pollice sic in manum recurvo eleemosynam

synam petant, quos ego, vt alios soleo, in penetral meum quoddam solus solos coram meis inducam & vestiam, aurum autem, cuius æquipondium nunc vobis do, cruribus eorum fasciolis circumligabo & dimittam eos, vt ad vos eodem quo venerant, Fortuna comite, artificiò redeant. Factum est, vt largitor acutus docuit: allatum est S. Gallo grave pondus auri Veronensis: concordat pondus æquipondio, fit de auro Petri cavea Evangelij, fit calix, fit capsa, quæ omnia Salomon primo frater conscriptus noster, vt præmisimus, deinde & Monachus, tandem Abbas, gemmis & arte Gallo par avit. Hartmutus autem pro Grimaldo, vt & Ratpertus scribit, Rempublicam nostram strenue gubernans per semetipsum quoque non mediocriter amplificans jamque senescens Berinhardo Monacho nostro Abbatiam suam fratrum communi electione per Regem Karolum tradit. Ipse autem Herginisovvam cum Waltchincha & Putta minore sibi & posteris Abbatibus à potestate forte cedentibus imperiali auctoritate ipsius Karoli retinuit. Obiens autem post multas, quas per se statuit & per Berinhardum obtinuit fratribus & familiæ, benivolentiæ constitutiones, circa Landaloum Episcopum in titulo Apostolorum conditum, cognatum & amicum suum, extra parietem tamen sepeliri se petiit. De quo ipso Landaloo Sancto Treuerensi quidem Archiepiscopo pauca scribere necessarium puto.

Suevus hic & nobilis erat, apud S. Gallum quidem educatus & doctus, cujus Windinissa cum multis aliis hereditas erat. Igitur Episcopus factus Romam pergere solebat. Per Jovis itaque montem transiens ibat: per Septimum autem rediens Gallum & Hartmutum suum salutabat. Devoverat etiam S. Gallo Lolingam villam dare, sed cognatis renitentibus conquisitionis suæ loca quædam cuidam Vodalrico Comiti, ut Gallo Ahadorff cum eisdem locis disponeret, concambiens tradidit. Rediit autem tandem aliquando Roma, & ad Gallum suum tendens Italici aeris vitio febre correptus vix ad Rorstanchin pervenire prævalens, Hartmuto cum fratribus ad se advocato, nobiliter diem obiit. Disposuit igitur adhuc vivens ad titulum S. Petri, cui jam ibat, qui est in cimiterio S. Galli, capellam qua itinerans utebatur cum reliquiis & liberis & omnibus utensilibus sacris, in quo & corpus illius cum omni honore humatum est: Freneticus, ut aiunt, in Septimo ejus super illius corruens tumbam sanus surrexit. Tradunt & alias infirmitates sæpe illic meritis ejus curatas. Sed ut ad ea, unde digressi sumus, redeamus; Salomon præmonachus noster idem semper loco nostro & fratribus apud Deum & homines permanebat: Ruggerum autem semper præ oculis habebat, quem sibi in his quæ ad Deum fuerant Ducem & custodem elegerat, à quo dum quadam die ab aula veniens psalmo benedictionis susciperetur, surgens ad osculum patris gloriabatur inter cætera de muneribus Regis Arnoldi, quæ se S. Gallo daturum ait. Nam, ut id genus hominum est, laudis avidissimus per quædam erat, de quo in periculum, uti post liquebit, aliquando venit. Erat munus illud capsa solide aurea gemmis regaliter inclita, reliquiis summis referta, in formam capellæ creata, cui simile quidem nihil umquam vidimus. Superscriptio ejus est;

En crucis atque piæ cum sanctis capsa Mariæ,
Hanc Karolus summam delegit habere capellam. *Versus Salomonis.*

Suadet Ruggerus homini non aurum sed seipsum, ut sæpe pollicitus est, Gallo suo offerre & Monachum se ejus verum jam tandem perficere. Factum est ut magni consilii Angelus hortatus est. Rege tandem datori suo postquam votum suum aperuit, capsam illic ipsam quadam die suspendens collo tunica Monachi & cuculla indutus aram S. Galli Berinhardo annuente nudipes adiit, peccata deflevit seculoque abrenuncians S. Galli fit Monachus. Abbas illum tanquam de palatio Monachum delicatius tractavit: & omnibus qui sub se militabant præhabuit.

Post non multum vero temporis consiliis hominis carere non posse republica tota personante, Abbatis sui permisso Rex eum iterum in aulam assumpsit & priorum honorum statibus restituit, tandem quoque & adauxit. Nam Augense ei tunc cœnobium tradidit. Ajunt autem hominem fortunatum tandem duodecim abbatias rexisse. Berinhardo itaque Abbate, ut alias relatum est, deposito per Hattonem Archiepiscopum nobis oblatus & nostrum locum suscepit regendum, quem præ omnibus postea quæ gubernavit locis apud Deum & homines amplificare curavit. Cum autem annum & dimidium nobis præesset, Constantiæ tandem prælatus Dei factus est Pastor & Episcopus. Sic quoque ipse, & Hatto ille Moguntinus Archiepiscopus sibi semper amicissimus, quem cor Regis nominabant, cum & ipse (ut ajunt) duodecim abbatiis præfuerit, post Regem imperium tenuerant. Fuldensis enim & ipse erat Monachus & Abbas, qui Magontiam ipsam à loco suo antiquo motam propius Rheno statuerat, & in hoc & in aliis multis animi sui magnitudinem ostenderat. Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia. Procurabant ambas Cameræ, quos sic vocabant, nuncij: Franciam ad Alpes tum Werinhere, Sueviam autem Pertolt & Erchinger fratres, quorum utrorumque multa ditioni subtracta sunt per munificentias regias in utrosque Episcopos. Surgunt inde invidiæ, & odia utrorumque in ambos, præter scelera quæ in Reges ipsos machinati sunt. Hattonem Franci illi sæpe perdere moliti sunt, sed astutia hominis in falsam Regis gratiam suasi qualiter ad Alpes fraude ejus de urbe * Pabinberk detractus capite sit plexus (aliter enim morbo obierat) quoniam vulgo concinnatur & canitur, scribere supersedeo: ad Salomonem redeo. Huic, sicut diximus, cum aliqua Potamum Cameræ nunciorum juris oppidum pertinentia à Regibus darentur; sicut *al. Bapabinberck.*

Werinhere & Ruodhart dominum Othmarum, sic ipsi insequi conati sunt & ipsum. Sed episcopio & abbatis ipse multiplex variorumque militum manu fortior casu aliquando viris occursaverat, pacem salutando prior, si forte resalutare velint, incassum expectat, nunciis post eos missis qui rem agerent, pacificari nolebant. Ille autem cum præ omnibus S Galli claustro semper maneret, quadam nocte præmonitus vim sibi ab illis nisi fugeret inferendam, secessit secretus in silvam Vallis Turbatæ ea tempestate quidem vastissimam. At illi S. Gallo invaso Episcopum capere volebant si adesset. Ille vero capellula in ea solitudine in nomine S. Galli fabricata, plurimis * suorum ubi esset ad tempus ignaris, ad aulam nunciis directis latuit. Jubentur à Rege tunc quidem Arnoldo Episcopus & ipsi sub banno pacis ad aulam Magontiæ venire, ubi causa publicè peracta rei majestatis lege pronunciati ipsi illi in Ingilheim truduntur, usque dum exilio aut morte punirentur. Egit tandem Salomon cum Hattone Episcopo, anxius ne cædis illorum ipse quidem causa foret, ut eos liberaret.

*al. Summorum.
*al. Suuorum.

Adeunt supplices ambo secreto imperium, cor Regis molliunt, hostes illos in gratiam reducunt, coram omnibus Salomoni supplices facti pacificantur, potestati pristinæ ipso juvante restituuntur. Redeunt tandem domum tanquam amicissimi, juramento coram Rege dato ne unquam Episcopum læderent, numquam Episcopum in rebus fiscalibus sibi dono traditis se esse læsuros. Invitantur posthoc viri ab Episcopo Constantiam ad convivium & munera, sedetur ad mensam, & ut fit inter delicias potationum, cum mirarentur artificia vasorum auri argentique, maxime autem vitreorum, Episcopus laudis quidem quiddam, ut diximus, avidior quædam inter cæteras divitias, quas à Regibus haberet, extollens hospitibus arte tacitis laudis verba etiam de S. Galli rebus magnis, quibus animos dudum vulneratos offenderat, intulit, quæ tamen cum essent levia, mala conflabant gravia. Dixerat enim illis ipse, utique indiscrete ludens, habere se apud S. Gallum clibanum, qui uno calore ambobus illis panes coqueret in annum, nam mille coqui posse ajunt. Simile etiam quiddam de lebete æneo grandi, & de tarra avenis centum maltrarum commoda cum projectasset, pastores gregum se habere adjunxit, quibus etiam ipsi, si viros viderent, pilleis capitibus inclinarent detractis, patienter tulerunt homines fraudolenti Episcopi gloriam usq; ad capitum pastoribus inclinationes, id enim numquam fieri posse refellentes loquuntur. Afferuntur tamen viris animosis cara munera tandem recessuris, inter quæ erant vascula duo vitrea nimis insignia, quæ ipsi pridem in convivio præ cæteris mirabantur, quæ illi in manus sumentes consilio latenti uterque suum decidere sinens frustata ridebant: cæteris omnibus milia gratiarum Episcopo remittentes callide abstinebant. Missione tandem data cum eos Præsul osculo peteret; Vestra, inquit, erant, ideo vos tanti pretii pocula confringere piguit: sed multa animabus vestris, si ea pro nummis dantes pauperibus dedissetis, remedia facere poteratis. *Vitrei*, inquiunt, *amici vitro sunt donandi*: sed nos, qui vitrei esse nolumus, vitrum confregimus. Amore, ut moris est, osculato & epoto lætabundè discedunt. Non multo post tempore Conradus tunc Rex natale Domini Constantiæ egit. Ipsa die post mensam cùm Episcopus ei processiones vespertinas tridui illius apud S. Gallum laudaret, Rex inquit: O utinam ibi essemus, & quare illuc, amici mi, matutini non ibimus? Parantur continuo naves, quibus mane conscensis cum Episcopis & cætero comitatu Rex littus nostrum meridianus attigit, & S. Gallo cum tripudiis appropians novis laudibus dictatis in loco gloriose susceptus est, tribusque noctibus in omni hilaritate loco immoratus quarto die Arbonan tandem nocturnus venit. Longum est dicere quibus jocunditatibus dies exegerit & noctes, maxime in processione infantum, quibus poma in medio ecclesiæ pavimento antesterni jubens, cum nec unum parvissimorum moveri nec ad ea attendere vidisset, miratus est disciplinam. Refectorium quoque fratrum hora mensæ cum duobus Episcopis cum intrasset in Infantum die plura sibi assurgentibus læta locutus, nobiscum, ait, velitis nolitis partiri habebitis. Decanum autem, qui mensa Abbatis sui causa cedere parabat, amplexatum retinens assedit & ei apposita ad se sumens omnes circumspectans & arridens, His interim (inquit) participemur. Misit autem quantocius ad Salomonem ne sibi superveniret, sed uterque pro altero mensas teneret. Præposito deinde cum nihil sibi, nisi quod fratribus paratum esset, juberet apponi, ô Rex, (inquit) nostra infortunia, quod superventurum diem non expectabas, cras enim fabas nudas & panem forsitan habebimus, sed hodie nòn sic. Enimvero, ait ille, & cras vobis Deus misereri poterit. Infantulis deinde per ordinem lectitantibus & analogio descendentibus aureos in ora ad se elevatis misit, quorum unus pusillior cum clamitans aurum expueret; *Iste*, inquit, *si vixerit bonus quandoque Monachus erit*. Surgens tandem à mensa hilariter fratribus multa locutus optimæ spei esse monebat, quoniam si adviveret tales convivas lætificaret. Rediit igitur ad suos, Salomoni & omnibus numquam se lætius convivatum gloriatus. Inter hæc autem Berchtoldum & Erchingerum tristes invenit & exasperatos, causam quæsivit hilariter, quæ quidem hæc erat. Magistri pastorum duo, homines utique silvestres, hirsuti & prolixis barbis, ut id genus multum videri solet, quasi venerandi, cum tales pridie pro ferina juberentur die nocteque laborare, ursum de lustro unus, alter cervum recens occisos attulerat. Quod Salomoni cum ministri super mensam silentio intimarent, jubet homines feras fratribus illis, qui per se quidem tunc mensa utebantur ut Primates, oblatione propria offerre, fingebantur autem vicini esse & liberi, quibus talibus aspectis assurgent germani pilleis detractis, regratiantur venatores reverenter inclinati. Quod videns Episcopus antedictorum memor secum gaudebat. At illi

sciolì

ſcioli quidem facti feras coram Epiſcopo poni fecerant à dicentibus, Sint tua tibi, nobis ſatis
eſt haberi deriſui,timore tamen Imp.animum prementes iram fregerant. Quod Rex ſapiens
prudenti leniit conſilio;quoniam ad gaudia quidem convenimus mei iuris eſt, inquit omnia
nullius periculi ludicra defendere,&ſi in rixas venerint,imperiali decreto adnullare,quapro-
pter ſedato animo,iudices mei,ambos vos eſſe volo&in gratiam redire cum Epiſcopo,recon-
ciliantur enim umbratili pace tunc ſecundo. At Rex veſperū & noctē cum egiſſet hilariter,di-
luculo conventum fratrum petens omnium votis faventibus fit frater conſcriptus. Tribuit
cuiq; fratrum argenti libram ut habeat ad veſtitum. Puerulis edixit tres dies ad ludendum &
tunc quidem&in poſterum,ingreſſuſq; S.Galli baſilicam palliis veſtivit altaria. Emunitatē et-
iam loci à Grimaldo inceptam,ſed adhuc non firmam,Epiſcopo admittente ipſe manu ſua &
ſigillo ſolidā fecit&perpetuam.Ingreditur tandem oratorium B.Oth.auctoritate Romana in
Sanctum levati(nam parentes eius erant qui eam vexaverant)ſeq; reū,quaſi ipſe interfuerit fa-
ctis,ad eius aram reddidit,palliis quoq; auro & argento Sanctum placavit.Sed&circa Stainhē
villam S.Ohm. Karolo datam quædam loca regii iuris adhuc erant. Ille vero quicquid inibi
regii fiſci erat totum in manum advocati ſuper aram eius tradiderat&ſigillo ſuo roboraverat:
&converſus ad Salomonem,eo(inquit)pacto ut fratres noſtri conſcripti pro convivio noſtro
heſterno habundantius à Karolo ſtatutam hebdomatam natalis Domini mei huius etiam in
memoriam mei debeant convivari,&ſubridens; Nam & ego hodie frater conſcriptus volo
prandere cum fratribus&fabas noſtras de meo piperare. Aguntur cereles Regi miſſæ à fratri-
bus ſuper id ipſum altare,præmaturatur prandium,impletur refectorium,vix unam lector re-
citaverat periodum,i.e.verſum uno ſpiritu prolatū *Caritas,quæ non agit perperam*,licenter ſpre-
vit diſciplinam.Nemo ait,hoc aut illud eſſe inſolitum,quamvis ante nunquam ſit viſum, vel
auditum unquam ea domo ſoporatum Monachum. Odorem ferinæ hauriunt & * carnium. **al.cari-*
Saltant Satyrici,pſallunt Symphoniaci. Numquam tale per ſe tripudium Galli habuit refe- *num.*
ctorium.Graviores Rex fratrum ſpectat inter ſtrepitum,ridet quorundam vultus contractos
propter rerum talium inſolentiam. Carpuntur iterum cordibus fratres illi ſæpe dicti pro da-
mno regii fiſci. Nam caſtellum quoddam ſuper Stainhem iam dudum ſtruxerant, quod con-
quiſitionis ſuæ proprietate coram Rege ſibi vendicabant,quibus Rex Caſtellum(inquit)ſine
Opidanorum damno habere nequibitis: quibus ſi iniurioſi quidem fueritis, mei gratia care-
bitis. Diſcedit Rex veſpertinus fratrum ſuorum laudibus lachrimoſis proſecutus, quibus ſe
vivere liceret, non ſemel benefacturum promiſerat. Invadit loca lege Alamannica cum ad-
vocato Epiſcopus tribus diebus,uti * ius erat,homines fiſci iuramentis S. Othmaro vendi- ** al. viſe-*
cantes. Quibus cuſtodes caſtelli, niſi ſibi parcant,male habituros minantur,minaſque factis *rat,al. vi-*
exequuntur. Nam victimas & cætera, quæ libebat ſponte nolentibus dare fiſcalibus, vi *feret.*
quidem auferebant. Quod cum advocatus cum per ſe,tum verbis Salomonis fratribus illis
non ſemel quereretur,aut ficta verba,aut iniurioſa paſſus receſſit. Cumque hoc per annum
pene pateretur,quadam die ipſe viris obvius iniurias queritur Epiſcopus. Et cum indigne
quidem ipſius verba tuliſſent,Epiſcopus ſubintulit: Enimvero,ait,cum mei cauſa meis ali-
quando anguſtiis coram Rege Arnolfo fueritis,unde ægerrime ego ipſe vos eripui, iam eius
articuli ſemper liceat recordari. Illico Liutfridus,ſororis amborum filius iuvenis pertina-
ciſſimus,gloriatur ne(inquit)Monachorum ſceleratiſſimus iniuriarum pro ſe vobis illatarum,
ô avunculi, & vivere eum patimini? extractoque gladio, niſi ab ambobus premeretur, Epi-
ſcopum occidiſſet. Ipſe autem,ut iugulum declinaret,cum citius equo diverteret, à fratri-
bus ambobus freno tentus comprehenſus eſt. Quidam autem ſuorum cum gladium edu-
centem iuvenem illum ipſe econtra gladio ſtricto occurrere vellet, lanceis circumvallan-
tium transfixus interiit. Dicitur Epiſcopus in diverticulum quoddam propinquum, ubi de-
ſcendere iuſſus ſedit,usque dum illi in partem cedentes,quid de eo facturi ſint, tractent. Ipſe
autem confiſus in Domino ſuum dominum Gallum inceſſanter inclamitat. Suadet Liutfri-
dus,ut ei aut oculos eruant, aut dexteram abſcindant. Militum autem pars ſanior, ne quid
amplius in Chriſtum Domini inſanirent,omnimodis flagitat,ſed & incolumem relinqui op-
timum fore aiebant.Stat tandem fratribus conſilium,ut in Diepoldisburg,ubi * Berrha uxor **al.Berth-*
Erchingeri tunc agebat,duceretur. Ipſam enim,cum eſſet quidem alias ſtrenua,ad dolos acu- *ta.*
tiſſimam aiebant,& quoniam ei amore mariti ſæpe ante male optabat,incunctanter eum quo-
quo modo apud illam periturum. Sternitur viro Dei vilior interea equus. Portarii autem,
cum viderent turbam,ad ſpectandum accurrunt. Quibus viſis Perchtolt: inclinare coram
iſtis,inquit,Dei maledicte, & ut tibi veniam precentur,pedes eorum lambe. Ille vero,quo-
niam vim ſciebat,quod iuſſus eſt,fecerat. Commiſſis tandem ſatellitibus,qui eum ducerent,
Berthæ, qui factum panderet,celer præmittitur. At mulier facinore audito percutiens pectus
ingemuit,& hæc,inquit, eſt dies, quæ honoribus noſtris apud Deum & homines finem da-
tura eſt. Parat illico baſilicam & aram; parat tapetos & pallio dorſili caminatam.Evangelio
Epiſcopum aliquos, qui aderant,Presbyteros recipere iubet. Progreditur ipſa adventanti
obviam ad portam, in manum illum ſumens,ſi ſe dignetur oſculari, lacrimans rogat. At mili-
tes dolo hæc fieri ſibimet ſilenter aiebant. Paratur citiſſime lavacrum,ut pulvere & laſſitudi-
nis tergeretur ſudore. Verebatur & ipſe,quamvis fortunatus,infortunia. Clauditur cami-
nata ſuper Epiſcopum &duos,qui aderant,Presbyteros.Nam,ut ipſum dixiſſe aiunt,quietam

noctem agere poterat, nisi quod tubarum clangores & vigilum ægre passus est clamores. Ingreditur ad hospitem tantum illa cum una sola pedissequa: Salutem homini & maturum ad suos pollicetur reditum. Reficit cum reficiente, per puellam sibi, per Presbyteros apponitur Episcopo. Postquam Episcopum viri illi à se, ut dictum est, dimiserant, Duellium montem victualia convehentes nocte die nituntur munire. Ipsi interim cum suis, quos habe-rent fidissimis clamdestini agere, in silvis pascuosis noctibus delitescere. Intimantur tertia tanti facinoris nocte Sigefrido Episcopi patrui filio, qui illico propinquis & Episcopi militibus quantis hora concluso licuit collectis in silva quadam matutinus eos aggreditur dormientes. Experrecti vero pauci contra turmas loricis & galeis tutas arma rapiunt inutilia, ipsos tres viros, quamvis animose repugnantes armis exuunt, vivos comprehendunt, vinctos abducunt, Curruntilico celeres, qui Berthæ & urbanis suis dicerent, nisi Christum Dei citissime solverent, dominos suos machinis pensilibus impositos tribus partibus urbis in faciem sibi ad Solem torrendos. Quo audito, custodes falli se primo æstimantes certiores facti omnes urbe viris vacue facta dilapsi sunt. Relinquitur Episcopus liber cum Presbyteris, & Bertha flens & eiulans cum pedissequis, quam tamen ipse pro tempore consolatus manu tenens urbis portam obviam suis egreditur. Nam nocte proxima, cum eo de furtiva dimissione per quoddam latens ostiolum condixit, quoniam sibi per nuncium viri sui innotuit, nocte alia illum aut Duellium, aut, quod magis timebat, ad perdendum esse transportandum. Fuga urbanorum competta equis potentiores prævolant curraces, Episcopo pro portis conspecto, clamativo illum cantu salutant, *heil herro, heil liebo*, & cætera: urbem tamen intrare præter nominatos propter mulierum res servandas Episcopus noluit. Nam in itinere armatorum se suis adiungentium & prosequentium turba erat innumerabilis. Tum virum alloqui mulieri desiderant solus ad horam adducitur: quem complexa, cum præ fletu naribus cruor proflueret, vix ab ipso quoque plorante avellitur, Movebat & inimicos tam repentina rerum mutatio. Episcopo autem, cum vinctus procidens sibi remitti supplicaret, quantum in me est (inquit) remitto, & custodibus iratis amotum benedictione prosequitur. Egit tamen cum nepote & militibus, ut mulier ad suos cum honore & rebus suis duceretur tutatis: & cum ibi pernoctassent, ipse eius omnia bona fidelibus suis commendans ordinavit avehenda. Dimittens autem illam invitavit ad se rebus in melius vergentibus Constantiam, ut si fidei memor sit in lætiori experiretur fortunio. Rediit cum comitatu famoso Petrus alter ereptus ab Herodibus Constantiam, tali omnium circumquaque convenientium quidem tripudio, quali nec, si ipse quondam Romæ tertius de cœlo ceciderit, receptus sit Cato. Traduntur damnosi tres illi in Duellium ad cognitionem publicam reservandi, plurimis suorum iam, si forte ad ereptionem illorum in via occasio daretur, in arma collectis. Quod milites abbatiarum & episcopii cum cognatis Christi Domini circumvallando providebant. Innotuit res Conrado in Francia tunc posito. Nam veredarii & Episcopo capto & recepto dies & noctes celeres ibant. Aiebant autem, illum mane evigilantem fama à prioribus audita lecto exiluisse, & patientiam regiam nullo modo tenere potuisse: à sequentibus autem corde sibi reddito parumper quievisse. In se vero reversus de valetudine capti & recepti cum quæsisset: Constat (inquiunt) ô Rex, dure tractatum adhuc male valere, & si, quia mox venturus sit, nosset per nos vobis profecto mandasset. Quo audito, seorsum cedens flevit: erūpebant enim lacrimę, & non poterant se continere. Consilio dehinc habito primo colloquium publicum Magontiæ, postea generale edixit concilium, ubi tribus illis lege abiuratis & præscriptis, prædiisq; eorum in fiscum redactis maiestatis reis capita damnata sunt, cæteris omnibus qui tanto facinori intererant, tamquā rei præ hostib. prosequi iussis. Sueviæ Principū assensu statuitur Alemannis Dux primus Burkhardus gentis illius nobilissimus & virtutum dote probatissimus: cui & prædia damnatorum confiscata in beneficium sunt tradita, exceptis dotibus Berthæ sibimet edicto, quoniam viro non assenserat, stabilitis. Episcopo autem apud Ducem inducias damnatis rogante, ut si fieri posset exilium eis à Rege intercederet, aliquot eos dies Dux in custodia tenuit. Rex autem crebro ab eo fatigatus tandem eos iugulari præcepit. Quibus tamen Episcopus multum eorum nece tristatus indulgentia, quantum in se erat, etiam vivis data sepulturam concessit ad ecclesiam. Rex vero castellum illud odiosum S. Othmaro causa mali tanti tradidit diruendum, omnique anno ille, dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulchrum eius uti filius carnificum illorum pro reatu in eum quasi proprio misit: Quod & Ruodolfus postea Wolfhardi Comitis pater, cū ejusdē quidē prosapiæ fuerit, in censu calybum de metallo Faucium Juliarum fecit. Sed idipsum Wolfhardus & Hainricus filii eius aliquot annis dum facerent, motus rubore Hainricus, quasi homo sit censarius, fratre invito, censum supersedit. Accidit autem, ut in vigiliarum S. Othmari die fratres ambo capreū venantes in cacumen quoddam rupis artissimæ ducti, lassi cum consedissent repente petra, super quam Hainricus sedit, collapsa adolescens ille magnæ indolis proh dolor in profundissimas valles rueret & periret. Vix spiritum habere poterat mater orbata: (scripturi nunc sumus, quod vidimus) nec dum lu-ctu finito cum filio & filia unicis ad pedes sancti muneribus & calybe supersesso venit, quod in censu non soluto peccatum est, tres pro se & defuncto pœnituerunt.

Salomon autem videns Fortunam, ut solet, ludicra rotæ reciprocare, immo Deum in se non occultis indiciis potentiam suam ostendere, apud imperium severus accusator sui permisso

misso dato Romam petiit, flens & eiulans, atque dicens, merito hæc passus sum, quia peccavi coram Deo in cœlum, veniam petere habeo ab ipso miserante me Petro. A Papa vero benigne susceptus, cum ibi supplicans aliquamdiu moraretur, indulgentiam sibi ab eo plorans petiit, maxime autem, quod sui causa tres illi quidem decapitati sunt, pœnitentiæ, quem vellet modum, sibi rogavit, imponeret. Tandem autem ab Apostolico indulgentiam adeptus, domum redire lætanter aggreditur, reliquiisq; sanctorum donatus quamplurimis, maxime animo in reditu suo contenderat, quomodo illas quam decentissime posset domum veniens honorificaret: præ cæteris autem corpus Pelagii martyris, in cuius die inimicis suis subactis ipse liberatus est à vinculis. Qui cum multorum miraculorum virtutibus insignis esset, cottidie rumor eius non solum proximas, sed & exteras Constantiam fecit orandi causa turmatim confluere regiones. Opinabile autem erat, in quantum se post reditum suum in virtutibus Christi Dei exercuit, quam assiduus nocte dieque in precibus, quam largus in dando, maxime autem pauperibus, quam promptus & assiduus in pacificationibus. Accidit autem, ut eo quidem domum reverso Hatto Archiepiscopus sodalis utique, ut sibimet dicebat, suus Italiam ius regium exacturus tendens Constantiam deveniret. Aiebant autem, illum Magontinis suis minus consilum totum, quod in thesauris haberet, sodali suo dum rediret, commissurum, secum tulisse. Erat autem sodalitatis illorum, quoniam ambo acutissimi erant, ius mirabile. Nam uterque illorum, in quo alterum in verbis & in rebus per astutiam decipere posset, agere solebat: ut in cantaro quodam, quo Salomon utebatur, gemmato gravissimi ponderis aureo. Quo cum uterque ut solebant, coram convivis * Rhenum aquæ quasi vinum potarent: Salomon autem in conclavi vase quodam æneo mire figurato ad aquam inferendam uteretur. Hatto abiturus inter cætera viro ait. Vas illud aquæ (inquit) quo in conclavi tuo uteris mihi, sodes, tribue. Quo hilariter annuente, Hatto pincernæ ait latenter, coppam auream domini tui, quoniam sic ego & sodalis meus (inquit) condiximus, pincernæ meo confestim offerto. Quod mox ille, uti iussus est, fecerat, ablata est coppa fraude amica interim tecta. At Salomon mensa sequenti, dum eam exegisset, deceptum se sentiens. Enimvero si vixero, idem illi modus remetietur, thesaurosque suos postea, uti præmisimus, sodali suo sodalis eo pacto, ut si defunctum audiret pro animabus amborum, quibus vellet, eos dilapidaret, abiens consignaverat. Vix mensis, ut aiunt, abiit, & mercatores ab Italia redeuntes defunctum Hattonem diffamare per nuncios præmonuit, doloreque ad horam simulato scriniis reclusis multos denarios distribuit pauperibus: fabrorum quoque copia contracta cantarum quondam suum primo dispertiens sarcofagum illud magnificum, quod hodie miramur, S. Pelagio ex auro viri & gemmis electis compegit, martyris ossa sollemniter intulit. Crucem etiam illam honorandam Sanct. Mariæ Tutilone nostro anaglyphas parante ex eodem auro & gemmis mirificavit. Altare vero Sanct. Mariæ & analogium evangelicum eiusdem fratris nostri artificio in locis congruis deaurata Hattonis sui de scriniis vestivit argento, & diptivit, ut videre est, ex auro electo Sanct. Gallo etiam, in nullis fortuniis immemor eius, duas tabulas eburneas de eisdem scriniis attulit, quibus alias magnitudine æquipares rarissime videre est, quasi sic dentatus elephans aliorum fuerit gigas. Erant autem tabulæ quondam quidem ad scribendum ceratæ, quas latere lectuli soporantem ponere solitum in vita sua * scriptor eius Karolum dixit: quarum una cum sculptura esset, & sit insignissima, altera planitie politissima, Tutiloni nostro politam tradidit sculpendam, quibus longioris & latioris moduli Sintrammum nostrum scribere iussit evangelium, ut quod tabulis abundaret, auro & gemmis Hattonis ornaret. Hoc hodie est evangelium & scriptura, cui nulla, ut opinamur, par erit ultra: quia cum omnis orbis Cisalpinos Sintrammi digitos miretur, in hoc uno, ut celebre est, triumphat. Mirari autem est, hominem unum tanta scripsisse, quia in nominatissimis locis plerisque harum regni partium Sintrammi characterum libri S. Galli obsides habentur. Sed & hoc in homine mirabile erat & singulare, quia cum delicata eius scriptura iocunde sit directa, raro in pagina vel unius verbi mendacium invenias rasum. Rediit dives ille ab Italia ditissimus, neque iam damnum istud sentire habebat. Nam prius abiens cum Pelagii cum miracula terrerent aspecta, magnisque eum laudibus prosecutus honorare eum disponeret, cum rediret: dispendium habet gazæ cum Chumo propians audiret, sodalem suum omnium hominum submurmurat versutissimum, multaque in illum, cum spiritu infremeret, tristius agebat, Curiæque sibi cum multis occursenten cum alloqui nollet, ita conventus est à suis: Hoc vos ludicrum, Pater, si semper decuit, si per hanc aleam semper alter alterum decepistis & tabulam patere & te nunc deceptum, sicut etiam ille multotiens, ut bene scimus, deceptus est. Salomone autem iuratores ei præponente non aliter se, quā ut condixerat, egisse, vix tandem alloquio eius frui valuit. Comperto autem, quod maior pars adhuc sibi superarat, cum quietior iam aliquid esset, Salomon ait, fidei violatæ innoxium, vel in hoc sodalis certus esse poteris, quod cantarum meum, quem mihi iure assumere possem, pro anima tua carissima primo partitus sum. Sed & amplius pace tua, sodalis, loqui liceat; bene enim & optime tecum actum noveris velim. Elemosynæ enim, quæ obitum præcedunt, certiores & Deo sunt, quam quæ sequuntur cariores. Modo quidem si etiam ad tuos vivus perveneris, quod nescis, casuque, qui ignotus est, obieris, paucissima de scriniis tuis post te quidem daturi sunt tibi. Tandem in pristinam redeunt condicto mutuo sodalitatem, ut ultra neuter alterum nec serio deciperet nec ioco.

*al ieiunum. al. ieiuni aquam. fort.

*Einhardus.

Veniens Hatto Constantiam festiveque receptus sarcofago Pelagium precatutus appropiat. Miratur opus tantum tam brevi peractum: miratur & crucem lapidibus crystallinis circumclusam. Amplexatus sodalem, ut de tanto thesauro suo vel illam sit asportandi permissio, osculis rogat. Et ille, si civium (inquit) seditionem non vererer, permittere poteram, dictoque citius ab audientibus urbs undique concluditur. Quærenti, quid id utique esset? Sua præcia, inquiunt cives, in cruce esse quam maxima, nolleque nec Episcopo suo iubente S. Mariæ oblata dimittere. Et ille, quod meum est (inquit) mihi liceat abducere. Illis autem non ad votũ sibi respondentibus, Salomon illi silentio sine illos, inquit, quia aptiori tempore, si ab incepto non desistis, cavea inclusam, quo tum mihi dixeris, nave terrave eam tibi mittam. Sedato tamen animo turbam ille dimisit: deinde Constantia relicta abiit in sua. Parvo autem post tempore confectus Italica febre, cruce non exacta, diem obiit, sicque in verba Salomonis tãquam Prophetica devenit. Egit tamen ille pro anima eius precibus & opibus quantumcumque potuit, scrinia eius palatio addicta sibi non proderant. Sapientia autem æquivoci sui antiqua Salomon noster amici sui animam, ut diximus, auro suo, nollet vellet, forte redemerat, & ut vellet, artifex acutus tandem effecerat. Patravit quoque multa Salomon studiis suis in honorem S. Mariæ, nec non & Galli unici sui, id est, libros, vasa, vestes varias, scibere jubens in aliquibus ævo longiore duraturis:

Tertius hæc hagiæ Salomon dat dona Mariæ,
Tertius hæc almo Salomon dat munera Gallo.

Salomonis versus. *al. vocat*

Nec hoc quidem prætereundum, quod aliquando pridie Palmarum, id est, Sabbato, quo Papa * vacat & elemosynam dat, cum primo Sole ipse per se omnibus urbis sive regionis dispersisset pauperibus, fatigatus his, ut solebat, in ecclesia orationi prostratus iacebat. Inter orandum autem vigilijs longis soporatus, cum obdormiret, esserque iam circa horam tertiam expergefactus, conclave festinus intraverat, antiphonamque *Pater iuste*, secum silentio cantitãs: ô, inquit, quali studio & vocibus futuram diem fratres mei apud S. Gallum sunt acturi. Sternatur utique (ait) ambulatrix mea quantocius, quia istam ipse vespere levaturus sum antiphonam: ascendensque equitem illam velocissimam quæsitus, quos secum vellet: utinam (inquit) omnes. Suis autem procuratoribus, ut necessaria victui quæque possent post se transmitterent, edixit, sicque urbanorum populus plurimus pedibus, navibus, equis post illum nocte dieque concurrerant. At ille spirtu Dei vectus circa nonam aderat cœnobio antiphonamque præoptatam ipse in evangelium levavit, & clare percantavit: Cœnam fratribus caritativam hilariter exhibuit: quod reliquum diei erat, mandato & pauperibus impendebat. Crastinam autem processionem ad mansionariam suam S. Crucis disponens ecclesiam in proximo prato stationari iussit. Ibi de gradibus ligneis Esdras Domini populum legem novam edocuit, & quod Esdræ veteri non licuit, indulgentiam dedit. Gradibus descendens omnem gregem, qui aderat, missis persolutis, in pratum ipsum ad panis rogaverat confractionem. Quantum dies illa consumpserat, Dominus solus novit, qui hospes verus in prandiolo collectus est & cibatus. Ibant refecti singuli in sua gaudentes & laudes dantes Deo & grates S. Galli cœnobio. At vir Domini videns, se ætate iam gravescere, post Pasca proximum adiit Palatium, & omnia loca, quæ Constantiam sive ad alia monasteria studio proprio vel Regum conquisivit munificentia, cartis & sigillis tunc Regis Conradi fecit roborari. Erant autem, quæ S. Gallo conquisierat, abbatia Fabariensis, longum dictu qualibet per illum S. Gallo quæsito & stabilita sit artibus. Cuius quidem fere omnium locorum cartæ, quæ tunc ad illã pertinebant, in S. Galli adhuc hodie servantur armario. Qualiter autem S. Gallo ablata sit, loco suo dicere habebimus. Sunt & alia multa, quæ S. Gallo cõquisierat, loca quia senes interrogati in armario quæri oportere tam plurima dicerent, intacta reliquimus, hoc verissime asserentes, quia præ omnibus, quæ rexit, monasteriis Gallo suo semper conquisivit. Tradidit autem Arnoldus quidem Rex ei quandam villam in Araris pago, Chollinchovem dictam, sibi in possessionem. Quam rogatus, ut Constantiæ daret, Gallo suo daturum pollicitus obiens peregit. Multa sunt etiã, quæ per concãbiũ ei acquisivit, quæ itẽ in cartis armarii, qui scire voluerit, legere poterit,

Tantũ pro donis pax sit animæ Salomonis.

Qui & de arbitriis aliquando Augensi & Sanctigallensi requisitus, si neutram haberet, utram mallet: Augensis quidem est latior & ditior: S. Galli autem commodior & saturatior est. Commoditas talentũ, inquit, valet: hanc quia exquisivi à iuvẽtute mea, & amator factus sum formę illius, semper præhabui. Nunc ergo tantũ virum dilectũ sibi & hominibus, cum ad se recipere, vellet Dominus, nativitatem quidem suam nobiscum, ut sanus ageret & lætissimus, S. Gallo concessit. Cumq; quatuor singulis dieb. verbo Domini, quo semper abundaverat, præ omnibus diebus suis abundantius populum pasceret, mane post Innocentum diem Constantiam pergere cum disponeret, fratribus valedictis scholas præteriit (erat autem hic dies scholariũ) ostium quoque, ut, quomodo se haberent, perspiceret, & aperuit & intravit. Erat utique ius illorum, sicut adhuc hodie quidem est, quoniam exleges quidem sunt, ut hospites intrantes capiant, captos, usque dum se redimant, teneant. Ille vero uti Dominus loci securus in mediũ illorum progressus cum staret, Episcopum, inquiunt inter se, non Dominum Abbatem capiamus. Ille vero libentissime hoc perpessus quomodolibet se tractare vellent consensit. Capientes vero illũ in Magistri posuerunt, vellet nollet, solium. Si in Magistri, inquit, solio sedeo,

iure

jure ejus uti habeo, omnes exuimini. At illi incunctanter id agentes liceret sibi tandem, rogant ab ipso se, sicut à Magistro soliti sunt, redimere. Cum ille subjunxisset, quomodo? Parvuli Latine pro nosse, medii rythmice, cæteri vero metrice, quasi pro rostris rhetorice etiam affantur. Quorum duorum quoniam à patribus verba recepimus: unus inquit:

Quid tibi fecimus tale ut nobis facias male:
Appellamus Regem, quia nostram fecimus legem.

At alter Versificator inquit:

Non nobis pia spes fuerat cum sis novus hospes,
Ut vetus in pejus transvertere tute velis jus.

Et ille, cum studiis loco S. Galli semper molitis jocundaretur, suis temporibus adhuc solide stantibus omnes, ita ut erant in lineis, exurgens amplexatus & osculatus, induite, inquit. Enimvero si vixero, ait, me redimam, & talem indolem remunerabo, collectisque quantocius ante januam scholarum fratrum primis, statuit parvis illis & eorum perpetuo posteris pro testamento singulis annis ludi sui tribus ab imperio statutis diebus in eisdem scholarum ædibus carnibus vesci, & de Abbatis curia singulos tribus donari escis cottidie & potibus. Quod cum ipse quidem annuatim præsens solvi juberet, postea ita solutum est usque ad Ungrorum, de quibus loco suo dicturi sumus, invasionem. Abiit tandem quo disposuit, benedictis nostratibus, & ultime, proh dolor, vale factis.

Peractis ergo missis Constantiæ in octava nativitatis Domini die, secretario residens capitis dolorem querebatur. Pauperibus ergo, ut solebat, ante prandium suum hilariter consolatis mensam fratribus & civibus tenens largissimam dolorem continenter tulit, sicque diem ipsam in gaudiis peregit: Sole autem sequente, cum languor ingravesceret, missis circumquaque apparitoribus Presbyteros, Monachos, & Canonicos collegit, quo citius potuit, præcipue autem nostrates. In octava igitur S. Johannis missas sustentatus agens ab omnibus indulgentiam publice confessus petiit & dedit. Postea vero loca quædam nondum data S. Mariæ & Pelagio, Gallo vero suo & Othmaro villam Chollinchovin super tabulam lecti solito jure canonum pro animæ requie disponens dedit, multum rogans nostrates, quatinus ecclesiam ab eo in loco S. Galli in honore S. Crucis Sanctique Magni constructam, & sub regiæ auctoritatis privilegiis dotatam tuerentur, ibique servitium Canonicorum minui non paterentur. In vigilia dein Theophaniæ confidentibus in Domino diem obiit, & in ecclesia sedis suæ ad parietem dexterum multis suorum lacrimis fletus sepultus est.

In cruce quæsitam pretioso sanguine vitam
Des cui Christe locis in Paradysiacis.

Karolus autem homo deinceps videndus est, in quem largitor omnium bonorum tantum * suorum congerat donorum. Erat enim homo præter decore faciei dotem & staturæ proceræ indoctus & disciplinatissimus: scribendi lingua manuque artifex; lineandi & capitulares literas rite creandi præ omnibus gnarus, ut in apicibus L. & C. longi evangelii primis videre est: quas Episcopus ut ajunt, probans quid in talibus adhuc posset, lineans aurificabat. Metro primus, & coram Regibus plerumque pro ludicro cum aliis creator. Dicendi, præter quod naturalis ei commoditas inerat, artifex erat. In Palatinis & Synodicis æque valens conciliis. In eo loco, quo Apostolus Prophetas ponit, nemo nobilior illo: adeo ut raro in gradibus stans orator ille vehemens auditoribus promptis lacrimas non eliceret. Favoribus quia aures interdum adhibere solebat, seipsum arguebat, hoc malum, inquiens, esse, quod & justi & optimi vix vitare valeant. Quis enim tam sanctissimus, ait, qui non dicta & facta sua recipi malit, quam abiici? Ilicoque adest pestis illa, quæ Græce dicitur * κενοδοξία, aurium inflatio magna. Post elemosynarum cottidianas & pedum lavacri exhibitiones comessator pro tempore, loco, & personis hilaris erat & jocundus, prodigus numquam. Mariæ & Pelagii, & Galli sui, & Othmari, ut dicere solebat, singularis dilector, in quorum etiam, ut ajebant, nominibus deficiens expiravit. In calce tandem opusculi & reticenda hominis tangere indecorum non puto. Adolescens quidem & adhuc scholaris gratia amicos visendi hospitio cujusdam nobilis viri receptus privignam ejus virginem latenter agnovit. De qua semel tantum, ut ajunt, cognita filiam habuit. Quem lapsum pœnitentia multa secuta est amborum. Velum sacrum utique Turegi sibi imponi expetens vitam agebat laudabilem: ad ultimum Abbatissa inibi ejus juvamine facta multa fecit pro anima utique ipsius & sua. Filiam vero tandem viro maturam cum oblatum sibi velum recusaret, dotatam cum prædiis viro tradidit cuidam Notkero de prosapia Waltrammi & Notkeri, de quorum dominio montes nostri nomina habent. Ejus quidem fœminæ generis viros fortes & bonos, clericos præclaros, virtutumque conspeximus Monachos. Enimvero ipsa dum Turegi apud matrem educata aliquantisper etiam litterata in ætate puellari videretur quidem pulchra, ad amplexus Arnolfi Regis clam dum peteretur, respondisse fertur leoniæ procis: Ejus generis prosapiæ nec de matre nec de patre sum (inquit) virginitatem meam me cuidam vel ipsi Regi quidem deceat prostituere: Sicque amplexus illicitos Regis hac & illac fugitans & latitans, usque dum prædicto viro nuberet, frustraverat. Claruerat autem Salomon sub quinque Regibus æque sibi amicis, Ludovvico, Karolo, Arnolfo, iterum Ludovvico, Conrado. Sub isto Salomone fuerunt simul in monasterio nostro Presbyteri XLII. Diaconi XXIIII. Subdiaconi XV. Pueri XX.

* *Scio, 3. mss. in unius margine aliena manu Karo autem.*

* *2. mss. cenodoxa.*

CAPUT

CAPUT II.

De Magistro Isone Monacho S. Galli & discipulis ejus.

HInc de Isone Magistro & discipulis ejus Notkero Balbulo, Tutilone, Ratperto, vitas, ut ita dicam, non negligendas aggrediar scribendas. Iso quidem non solum bene natorum sed & sanctorum filius fuit parentum. qui, ut crebro solebant victualium aliarumque rerum abstinentia semet & consensu pro Deo affligere, quadragesimam quandam secreto, cubantes sabbato sancto lavacro tandem utebantur, ornanturque ambo post cineres & cilicia ad processionem cum civibus, prout bene natis copia erat. Ibat mulier vigiliis convicta dormitum in lectum. Temptatoris ductu vir ejus in conclave ipsum fortuitus intraverat, nobilius quidem tunc pro tempore stratum post lavacrum, accedensque ad illam ipsa quidem non recusante eo sancto die concubuit. Fit post facinus patratum tantum amborum in ipso conclavi lamentum, ut familia superveniens, quid factum sit, non quæreret, cum Deum inclamando quid fecerint ipsi palam fecerint. Inter lacrimas ambo iterum abeunt lavatum, induuntur item ciliciis per tot hebdomadas tritis: cineribusque aspersi, Presbyteri loci nudipedes coram omnibus civibus vestigiis procidunt. Ille vero pie discretus pœnitentia eorum accepta populo Domini pro eis inclamante indulgentiam eis dedit, alevatos pro foribus basilicæ eo die & nocte punitionis gratia incommunicatos jusserat stare. Ibant tandem officio diei peracto ad proximæ villæ Presbyterum, fama quidem sanctum, & eodem habitu ipsi & civibus ejus lapsum suum fletibus nudant, & ut crastino eis communicare liceat, permissum ejus rogant. Quos ille severe invectus temeritatis arguebat, benedictione tamen illius accepta redeuntes in sua jejuni vigilem fluentes duxerant noctem. Dies Pascæ illuxerat, matutini pro foribus stabant, cruce ante missas exportata extremi sequuntur. Presbyter autem illos populi totius anni su inter *Kyrie eleison* induxerat extremos locaverat: communionem, quia Presbytero illi jam dicto non placeret, non petebant. Communione autem finita quasi Presbyter ille festinus, tanquam populo suo adhuc officium facturus ingreditur, manibus apprehensos ad aram duxit, pixide communionis aperta fletu perfusos communicavit, & festinans quasi ad suos rediturus revestiri eos, & epulari pace & osculis datis edixit & rediit. Lætati quoque sunt omnes talis viri auctoritate illos communicatos. Diem tandem in lætitia & eleemosynis agentibus, partesque Presbytero illi sancto & eulogia per equitem mittentibus, inventum est, eum nusquam eo die à suis discessisse, sed Angelum Dei quod factum est, etiam in synodo prolatum est, totum fecisse. Agebant ambo illi gratias deinde die & noctu Deo & virtutum operibus, quibus assueverant, tunc artius insistebant. Sed mulier illa concubitu illo cum esset gravida, & tempore labente propinqua jam partui ericium perperisse somniaverat, puerulosque plures, ut stimulos ei eruerent, accurrisse, & parietes ejus caraxasse viderat. Evigilans nimis stupida somnium viro narrat. Qui in Deo confisus somnium illud nihil mali portendere, ad inclusum in monte Victoris Eusebium pergens conjectorem fore ejus rogavit. Filium, inquit, uxor tua pariet, quem S. Gallo votabis: apud illum enim educatus Doctor erit magnificus, & multos pueros ipse, asper disciplinis, stilis armaturus. Factum est: ut vir ille spiritu Dei plenus Sanctique Galli compatrianus prædixerat: per cujus præter hæc præsagia Dominus multis revelaverat multa: Sed & ipsi Karolo quidem, qui ejus petitione, ut & Ratpertus scribit, ipsum illum Victoris montem S. Gallo contradidit. Puer natus, educatus, S. Galli fit Monachus doctissimus, docuitque, ut in gestis ejus jam scripsimus, Salomonem cum cæteris quam plurimis. Sed Hartmuotus noster, Ruodolfo Burgundionum Regi notissimus, qui & cognatus, cum Magistrum aliquem nostratium Grandivallensium cœnobio peteret, ipsum illum Regi ad annos tres à Grimaldo expetiit, condicto in manus pacto, uti ter in anno sumptibus sibi Regis monasterii sui daretur invisere claustrum. Ibi vas illud spiritus sancti cum devenisset, provinciis diffamatum & regnis, S. Galli dulcissima suffecerat pocula.

Fulsit autem ibi S. Galli lucerna illa interdum quidem per miracula. Nam, uti plurima doctus, cum ungenta quidem facere nosset, leprosos & paralyticos, sed & cæcos curaverat aliquos. Quod quidem, dum id diu celasset, virtute sanctitatis suæ magis fecisse, vellet nollet, tandem patuit. Nam dum pauperculum quendam cæculum mendicare audisset ad ostium, misericordia tantilluli motus ungentum afferri jubens egreditur ad videndum. Cujus cum digitis benedicens tractaret oculos, ungentoque linire inciperet, exclamavit puer, video (inquit) Domine video; & per aliquot dies convalescens oculis tandem quidem clarissime vidit. Quod tamen ille, ut celatum esset, ungenti pretiosissimi quod manu ferret factum affirmans virtute non mentitus est. Talibus vir DEI cum Dominum suum S. Gallum, ubicumque esset, ornasset virtutibus, stimulos suos pluribus scholaribus acuebat, cum ipse tantis virtutibus pollens vellet tamen esse involutus, ut ericius. Anhelabant ad illius doctrinam totius Burgundiæ, nec non & Galliæ ingenia. Erant & aliqui, qui inter suos satis haberent, si discipuli Isonis vel ad horam dicerentur, etiamsi ad stilos ejus non acuerentur. Erat enim de illo late fama, quoniam, etsi obtusa inveniret ingenia,

ipse

ipse eis daret acumina. Libuit tandem & ipsum vel propter gratas consuetudines discipulorum, vel propter * m na n dandam ad mensam, vt post tres annos Regi concessos aliorum annorum moras sibimet ab Abbate suo per se ipsum expeteret. Mansit itaque in benigna peregrinatione sua per plures tandem annos, ratisque sibi temporibus claustrum suum, Abbatem & fratres visitans, benedictione illorum roboratus discipulos iterum ægre expectatus revisit. Disponente vero tandem eo, qui posuit terminos, qui præteriri non poterunt, morbo correptus plurimis hinc inde dolentibus bene validæ adhuc ætatis diem obiit, multum dolens, quod claustro suo procul sit, & in cimiterio S. Galli sepeliri non licuit. Collectis autem vndequaque discipulis eius sepultus est in ecclesia S. Germani. Vbi eum tandem coruscaret miraculis, *corpus eius furto, vt aiunt, in Burgundiam in quandam hominis potentis translatum est ecclesiam. Quod etsi dubie roboretur, præterire tamen noluimus. Constat tamen id in tumulo, quo conditum est, non haberi.

*al. minam. al. misericordiam.

*fort.

CAPUT III.

De Magistro Notkero, & Consodalibus suis Ratperto & Tutilone.

De Notkero, Ratperto, Tutilone, discipulis eius & Marcelli, quoniam quidem cor & anima vna erant, mixtim qualia tres-vnus fecerint, quantum à patribus audivimus, narrare incipimus. Hi quidem ab Isone, cum in divinis non mediocriter essent prælibati, Marcello, vt jam diximus, sunt conjuncti. Qui in divinis æque potens & humanis, septem liberales eos duxit ad artes, maxime autem ad Musicam. Quæ cum cæteris naturalior, & quamvis difficilius apprehensa, vsu quidem sit jocundior, tantum in ea tandem valuerant, quantum in operibus singulorum, quæ jam ante quiddam tetigimus, apparet. Enimvero hi tres quamvis votis essent vnicordes, natura tamen, vt fit, erant dissimiles. Notkerus corpore non animo gracilis, voce non spiritu Balbulus, in divinis erectus, in adversis patiens, ad omnia mitis, in nostratium acer erat exactor disciplinis, ad repentina timidulus & inopinata præter Dæmones infestantes erat, quibus quidem se audenter opponere solebat: in ornando, legendo, dictando creberrimus, & vt omnes sanctitatis eius in brevi complectar dotes, sancti Spiritus erat vasculum, quo suo tempore abundantius nullum.

At Tutilo longe aliter. Bonus erat & vtilis homo, lacertis & omnibus membris, sicut * Fabius athletas eligere docet: erat eloquens, voce clarus, cœlaturæ elegans, & picturæ artifex: Musicus, sicut & socij eius, sed in omnium genere fidium & fistularum præ omnibus (nam & filios nobilium in loco ab Abbate destinato fidibus edocuit) nuncius procul & prope sollers: in structuris & cæteris artibus suis efficax: Concinnandi in vtraque lingua potens & promtus natura: serio & joco festivus, adeo vt Karolus ei aliquando maledixerit, qui talis naturæ hominem Monachum fecerit. Sed inter hæc omnia, quod præ aliis est, in choro strenuus, in latebris erat lacrimosus: versus & melodias facere præpotens: castus, vt Marcelli discipulus, qui feminis oculos clausit.

* 3. mss. Favius.

Ratpertus autem inter ambos, quos diximus, medius incedebat, scholarum ab adolescentia Magister, Doctor planus & benivolus, disciplinis asperior, raro præter fratres pedem claustro promovens, duos calceos annum habens: excursus mortem nominans, sæpe Tutilonem itinerarium vt se caveret monens, in scholis sedulus. Plerumque cursus & missas negligebat, bonas, inquiens, missas audimus, cum eas agi docemus. Qui cum labem maximam claustri impunitatem nominasset, ad capitulum tamen non nisi vocatus venit, cum sibi officium capitulandi & puniendi gravissimum, vt ait, sit traditum.

Tales cum essent tres isti nostræ Reipubl. Senatores, quod semper Doctorum est & vtilium, ab ocio vacantibus, & in levitate ambulantibus detractiones & dorsiloquia patiuntur assidua: sed maxime, quia minus refellere solebat Sanctus (vt vere asseram) Dominus Notkerus. Tutilo quidem & Ratpertus acriores talibus minusque ad contumelias habiles rarius ab eis lædebantur. Notkerus autem hominum mitissimus, quid injuriæ essent, in semetipso didicit. De quibus omnibus vnum aliquem, vt quantum Sathanas in talibus præsumat, ab vno discas omnes, introducere volumus.

Erat hic quidem refectorarius nomine Sindolfus: postremo autem fictis obsequelis, cum alias in nullo esset vtilis, accusans fratres criminibus conjectis, à Salomone operariorum positus est Decanus. Enimvero cum esset refectorarius, pro commodis incommoda, quibus ausus erat, exhibebat, præ cæteris autem Notkero. Salomone autem in plurimis occupato, nec attendere ad singula sufficiente, alimonia interdum fratribus cum aut detraheretur aut depravaretur, clamabant plures pro injustitia, inter quos etiam aliquando tres, quos diximus, isti aliqua locuti parebant. At Sindolfus discordiæ semper fomes, sciens antiquam condiscipulorum odij facem & causam, accommodat se auribus Salomonis, quasi pro suo honore rem sibi sit dicturus. Ille vero etsi nihil nocivius scisset Prælatis, à subditis, quam susurros audire, quid novi afferret, quæsivit. Ille vero, tres illos semper super se verba jacere solitos, hesterno quę Deo importabilia sint mentitur

titur locutos. Credidit ille sermonibus, & nihil mali opinantibus rancorem portavit, tandem & ostendit. At illi, cum nihil ab coreatus sui exculpere possent, Sindolfi se technis hariolantur fuisse circumventos. Re tandem coram fratribus discussa, cum ipsi testantibus cunctis nihil omnino contra Episcopum dixisse cum cæteris eum vincerent, vindictam super falsidicum quisque sibi rogant, quem ille cum dissimulasset, taciti quieverant. Erat tribus illis inseparabilibus consuetudo, permisso quidem Prioris, in intervallo laudum nocturno convenire in scriptorio, collationesque tali horæ aptissimas de scripturis facere. At Sindolfus sciens horam & colloquia quadam nocte fenestræ vitreæ, cui Tutilo assederat, clamdestinus foris appropiat, aureq; intrò affixa, si qui drapere posset, quod depravatū Episcopo traderet, auscultabat. Senserat illum Tutilo homo pervicax, lacertisque confisus, Latialiterque quo illum, qui nihil intelligeret, lateret compares alloquitur: Adest ille, inquit, & aurem fenestræ affixit. Sed tu Notkere, quia timidulus es, cede in ecclesiam. Ratperte autem mi, rapto flagello fratrum, quod pendet in pyrali, deforis accurre. Ego enim illum, cum appropinquare te sensero, vitreo citissime redaperto captum capillis ad meque pertractum violenter tenebo. Tu autem, amice mi, confortare & esto robustus, flagelloque illum totis viribus increpita, & D eum in illo ulciscere. Illa vero, sicut semper erat ad disciplinas acutissimus, modeste exiens rapto flagello cucurrit celerrimus, hominemque intrò capite tractum totis viribus à dorso ingrandinat. Et ecce ille manibus pedibusque renisus flagellum incussum capiens tenuit. At ille virgam propius aspectam rapiens ictus ei validissimos infregit. Cum autem parci sibi male jam mulctatus incassum petisset: Voce (inquit) opus est, & exclamans vociferavit. At fratrum pars voce audita tali tempore insolita stupens accurrit luminibus & quidnam esset, quæsivit. Tutilo autem Diabolum se cepisse creber ingeminans lumen adhiberi rogat, vt in cuius illum imagine teneret, certius inspiceret: Capite autem inviti hac & illac ad inspicientes versato, si Sindolfus esset, quasi nescius interrogat. Omnibus autem vere ipsum esse clamantibus, & vt illum dimitteret rogantibus, relicto eo, me miserum (ait) in auricularem & intimum Episcopi manus misisse. Ratpertus vero fratribus accurrentibus in partem cedens clam se subduxit. Neque enim ipse, qui passus est, à quo cæderetur, scire poterat. Quærentibus autem aliquibus, vbinam Dominus Notkerus Ratpertusque abissent? ambo, inquit, ad opus Dei Diabolum sentientes abierunt, meque cum illo in negotio perambulante in tenebris dimiserunt. Vere autem omnes scitote, Angelum Domini ictus ei manu sua incussisse. Discedentibus tandem fratribus à partium sectatoribus surgunt, vt fit, multiloquia: alii Dei judicio, vt auscultatores clamdestini publicarentur, factum dicebant: alii autem tali viro, nisi quod Angelum Dei prætendit, tale opus non decuisse. Occultabat autem se confractus ille corporis pariter & mentis dolore. Interrogatque tandem Episcopus post aliquos dies, vbinam tamdiu moraretur suus famidicus? (sic enim hominem nominare erat solitus, nova semper aliqua sibi clam apportatem) Re, vt erat veraciter comperta, quoniam tantæ auctoritati pro tam turpiter reo nihil imputare volebat, consolatur accitum: Quoniam, inquit, illi à pueritia mei semper invidi male tibi fecerant, ego quidem, si vixero, melius tibi facere habebo. Data est post non multum temporis occasio, & plerisque omnibus, ne rem loci tam præclaram in tali homine deiiceret, contradicentibus, vt supra prælibavimus, operariorum factus est ab ipso Decanus.

Erant illo in tempore S. Gallo & alij cœnobitæ quidem sancti, quorum justitiæ apud Deum non sunt in oblivione: quorum quidem opera multa audivimus præclara. Inter quos Hartmannus & ipse doctissimus, Abbas cœnobij post Salomonem: Waltrammus vero, cuius etiam melodiæ quis fuerit non celant: Rueggerus, cuius supra meminimus, & alij quidem multi, cum sanctis sancti, cum electis electi. De quibus, quia longum est operi audita prosequi, tres solos quos assumpsimus in exemplum posteris sufficere credamus.

Notkerus vero in his, quæ in capitulo suo prælibavimus, dies noctesque semper idem & novus, quod Ratpertus in scholis, hoc ipse in claustro præter verbera omni caritatis egit censura. Nam Prioris permisso, magis autem & hortatu, juveniores adhuc idonei noctes diesque, quando ab orationibus quiescerent, velut in insidiis erant. Neque enim hora incompetens dicebatur, si codice in manibus quis cum Domino Notkero loquebatur. Ipse autem, cum propter regulæ tenorem sibilis eos interdum & strepitu absturbaret, ab Abbatibus ei per obedientiam, quod refutarat, iniunctum est. Quam autem mellifluus in responsis fuerit, lacrimæ eorum, qui hominem viderant, testantur. Enimvero etiam in spiritu Dei multa bonis & malis aut fortunia prædixit aut infortunia. Sicut, vt gratia exempli superiora repetam, cuidam Karoli elati animi Capellano: Nam Rex idem, cum ob caritates agendas fratribus, vt solebat, cœnobio veniret, totumque triduum gratia reverentiæ conversantium ibidem moraretur, Sanctisque nostris, vt & Ratpertus scribit, munificus Abbate jam mutato abire parasset: ille quidem elati animi Capellanus virum Dei psalterio, vt solebat, assidentem præteriens conspexit, agnitoque quod is esset, qui Karolo multa quærenti pridie quæsita resolveret comitantibus ait: Ecce (inquit) iste est, quo neminem aiunt in regno Karoli doctiorem. Sed ego, si vultis, illum tam præcellentissime doctum ad irrisionem vobis temptabo, & quod tantæ famæ vir omnino nesciat interrogabo. Illis vero vt hoc faceret curiose rogantibus, accedunt pariter, salutant eum. Humilis ille assurgens, quid petant, quærit. At ille infelix, quem diximus, scimus, inquit, homo doctissime omnia te nosse. Quid autem Deus in cœlo nunc faciat, à te cupimus si nosti audire. Scio, inquit ille, & optime scio: Nam enim facit quod semper fecit, vtique & tibi quam mox facturus est

ras est: exaltat enim humiles & humiliat superbos. Abibat temptator ille & irrisor à suis irrisus, parvipendens quid sibi futurum dixisset. Sonatur continuo ad concursum & laudes Cæsaris abituri. Arripit ille infelix futurus labarum eo die ordinis sui Dominum antecedendi: & equo superbus invectus ante portam civitatis offendens cecidit, & misere in facie collisus crus confregit. Committitur Abbati novo Hartmuoto suffecto Bernhardo procurandus. Cui ipse tandem præsagium Notkeri omnemque huiusmodi rem cum aperuisset, desiderabat viri Dei si se in viscere dignetur absolutionem & præsentis benedictionem. Quod cum ipse despective de Notkero audiens nihil sibi mali eius vaticinio assereret contigisse, coagulari fractura illa nullis fomentis, nullis adunari valuit ligamentis. Supplicatur tandem media quadam nocte à miserantibus clamores eius Notkero, qui dum adveniens crus contrectasset, confestim combullire illud sensit confractus, didicitque severe de cætero humilia sentire.

Et ut ad ordinem redeamus, Sindolfumque sub Salomone licenter bacchantem prosequamur, quadam die quod erat refectorarii. Notkero & Ratperto simul ordinariis mensuram potus ut officii sui erat confidentibus cum in uno vase non poneret, sed maledicta submurmurans absentibus adhuc quasi projiceret, vas illud de mense lapsum in terram decidit; operculoque procul rotante in latus iacuit, vinumque tamquam si subreptum esset solide continuit. Quod ille morose reversus (nam per passus aliquot festinus abscesserat) cum levasset, accurrentibus qui procul viderant, & si quicquam de vino effusum sit terram conspectando quærentibus; Ne miremini, inquit, si Diabolus, à quo nigros libros noctibus discunt, fascinatorum suorum calices ne effunderentur continuit. Quod Hartmannus à dicentibus cû audisset, protervoque illi occurrisset; Vide bone vir, inquit, ne in tales viros iniurias tuas tam patienter ferentes nimium tandem desipias. Cui ille cum sibi solita usque ad convicia respondisset protervia, Waltrammus Decanus in proximo fratrum capitulo regulari vindictæ subjecit.

Titulo vero Abbatum, sub quibus militaverat, permissis plerumque & præceptis multas propter artificia simul & doctrinas peragraverat, ut in suo capitulo tetigimus, terras. Picturas etiam & anaglyphas carminibus & epigrammatis decorabat singulariter preciosis, tantæque auctoritatis, ubicumque moraretur, apparuit, ut nemo illum qui vidisset Sancti Galli Monachum dubitasset. Erat autem in divinis & humanis ad responsa paratissimus; & si quid incondecens, maxime in Monachis, usquam vidisset pro loco, tempore, & persona zelator erectus, ut in uno de pluribus dicere habebimus.

Enimvero, quoniam homo erat itinerarius, lateque terrarum & urbium gnarus, missus est aliquando pro communi caussa Mogontiam, utique pro pannis laneis emendis, quos sericalas aut tunicas vocant. In ingressu ergo civitatis circa S. Al. monasterium hospitiû petês hominib. suis statim propter pabula & victualia mercatum missis ipse super sedile se lassus, ut paulisper quiesceret, locaverat. Erant autem dies vindemiæ, quibus fratres ad obedientias dimissi sunt per vineas. Et ecce primo signo ad vesperas pulsato circa or fratres collecturus asino pro religione insidens ostio pomus hospitii iam dicti, quasi aliquem & ibi quæsiturus, appropiat; Latenter autê sicut matrina sua domo sit sciscitando domum inequitat. At illa de camera egressa salutans compatrem hospitem illum dormire putans obtulit viro mustum. Quo ille impigre hausto vaseque reddito, mammâ feminæ titillat assentientis. Hospes vero viso facinore exilit, illum scelestum inclamitans, comis apprehensum in terram deiecit, flagello quo ad æquum usus est, adhuc manu habito acriter hominem cecidit adiciens; Hoc, inquit, tibi Sanct. Gallus S. Albani frater dedit. Ille vero, quamvis pro reatu sit tristis & passus, timidus tamen sui venia petita uti se celatum habere vellet hominem rogat. Hospes illi, ne modo adjicias peccatum peccato, quantum in me est bene celaberis. Intimatur Abbati, fratrem de S. Gallo ante portam hospitari, vocatur in claustrum: non sciscitati agnoscunt hominem diu fama vulgatum, caritativeque tractato ipsi exhibebant Martham: ille autem capacibus exhibebat Mariam, rogaturque ibi morari, usque dum thronum Dei in * bractea altaris aurea cœlaret, cui similem anaglypham raro usque hodie videre est alteram, in circulo scribens hunc versum; *al. brachia. *al. bractea.

Ecce polo potior solio, terraque scabello. *Versus Tutilonis.*

Cum autem ibi aliquantum tardasset non cœlatum est ex parte. Quid deforis egerit rogatus dicere; Fratrem, inquit, ibi indisciplinatum vidi, quem ut ferirem flagellum levans intentavi, quod illi & mihi indultum quidem rogo. Sic ille fidei memor veritati parcens non tamen mentitus est.

Dixerant autem de illo unum aliquid, quod quamvis Monachi non fuerit, propter naturam tamen hominis dicere volo. Ibat aliquando per silvam latronibus aptam, duobus suis comitatus, uno scutato cum lancea, altero sine. Et ecce à duobus audacissimis invasus, ambos istos uterque suum equo deiecerat. Interea ille utroque in spolio occupato robur quoddam validum circumspectum arripuit, & terrore magno minax super illos venit. At illi videntes hominem forti assimilem spolia omittunt, scuta dorso reiecta contra illum vergunt, lanceasque ille latronum præ securitate procul abiectas suos citissime rapere jussit, & ut se defenderent acer verbis emonuit. Quas cum deiecti celeres raperent, tanti ducis violentiam mini-

minime se perpeti posse videntes hostes, ab eo exarmati divertunt. Sic isti lancea etiam sua levata, ut si illi reverterentur, Domino eam darent, silvam imperterriti transeunt.

Notkerus autem spiritualiter, ut diximus, fortis, quantum Tutilo in homines, tantum ipse valuit in Dæmones; alias autem corpore ut ieiunans & vigilans, tener ut diximus & macer. Accidit autem ut quadam nocte in ecclesia præveniens in maturitate, altariaque circuiens ut solebat clamaret: In cryptam vero veniens XII. Apostolorum sanctque Columbani, acriores depost aram oculi eius cum deducerent lacrimas, quasi canem audierat mussitantem. Cumque interea suis vocem grunnientis mixtam sentiret, intellexit temptatorem; Es ne tu, inquit, iterum ibi? quam bene tibi miser contigit non mussitanti & grunnienti post gloriosas voces illas, quas in cœlis habueras, accensoque lumine, quo angulo lateret, quæsivit. Ille vero sinistro angulo appropiantem tanquam canis rabidus vestibus lacerat, Eya, inquit ille, servitium tuum foris cryptam satagere habeo. Neque enim pœnæ illæ valent, quas, ut aiunt, jam pateris, acrius tibi aliquid paraturus sum. Præcipio tibi autem in nomine istorum Sanctorum & Domini mei, ut me in eodem, quo nunc indutus es canino corpore expectes. Et ille, faciam, inquit, si volo. Et Notkerus velocius abiens; Confido, ait, in Domino, quia velis nolis me expectabis. Festinato autem aram S. Galli adiens * cambocam suam & Magistri tui multarum virtutum operatricem cum spera illa S. Crucis notissima rapuit & in introitu cryptæ dextero spera posita cum baculo sinistrorum caninum illum aggressus est Diabolum. Cum autem illum baculo sancto cædere cœpisset, voces suas anteriores altius gannitu edidit & grunnitu. Tandem vero cum ad speram sanctissimam cedendo ardentem fugiens venisset, ultra iam progredi non valens constitit, & tot iam ictus & incussiones ferre non sustinens barbarice clamans. O *wemir wve*, vociferavit. At interea æditu us cum basilicam intrasset vocesque horridas audisset, lumen velox in manibus sumpsit & ad cryptam acceleravit. At ille cum ei ictum ultimum fecisset, baculum sanctum in locis confregit; & nisi æditu us speram videns allevasset canemque sic abire permisisset, adhuc eum cædere habuisset. Æditu us vero baculo inspecto attonitus; Baculum ne sanctum, Domine mi, in cane fœdasti? Illo conticente addidit; Quisnam ille erat, inquit, qui *ovve* vociferavit? putásque illum pro pietate furem aliquem celare, ivit in pedes per totam ecclesiam furem comprehendere cupiens, sed cum neque furem inveniret, neque canem, graditur secum mirans, quia ecclesiam post se introiens clauserat, quidnam esse poterat quod contigerat. Virum denique regulatem iam semel sibi tacitum amplius alloqui non ausus est præsumere. Et ille, secundum quod humilis erat & prudens, æditu o foras ire significans in partem sumpsit benedictioneque prolata; Quomodo baculum, inquit, fili mi confregi? nisi tu vivis, secreta mea habent efferri. Sed quoniam meum non est ambulare in magnis & in mirabilibus super me, silentio fidei tuæ quod factum est committo: sicque ei rem ut facta est enucleavit. At ille baculo per fabrum latenter reparato quod factum est ad tempus occultavit. In temporis autem processu res, ut erat, in medium venit. Et ut videas loci nostri religionem, etiam in psalmodiis tredecim sedilia cum psalteriis aut auro impictis aut alias nobilibus habebat præter alias & habet illa S. Galli basilica capellas; in quarum uno angulari foribus proximo Notkerus psallere erat solitus. Accidit autem, ut quadam die ad nonæ synaxim non veniret neque eam per se caneret, In illo autem solio cum post completorium clara adhuc die precibus insisteret, videt super se in laquearii interrupti trabibus Diabolum consedisse & stilo in tabula scribere. Quem cum quid scelus scriberet, interrogasset; nonam, inquit, quam tu scelus hodie supersederas, scribo. At ille dicto citius, *Deus in adiutorium meum intende*, prosecutus videt eum manu celerrima quod scripserat planasse. Cumque ad preces synaxis se in terra prosterneret, tabulam laquearii disrupti super eum deiecerat. At ipse videns, ut ictum declinaret, citus exiliit. Cachinnans tandem ille, mihi ut assurgeres, inquit, effeci. Enimvero, ait & Notkerus, situ, ut nuper caninus fueris, iterum habeo tecum operari. Tandem cum evanuisset, fratres aliqui in extremis templi orantes sonum tabule vocesque audientes, mirati quid esset citi aderant, videntesque eum ut solebat prostratum nolebant illum, quod etiam incompetens hora esset, impedire. Tandem tamen Tutilo unus ex illis signo dato amice illum foras evocans silenter in aurum; Magnas, inquit, inquietudines tu & Dæmones tui fratribus facere soletis. At ille; Audierantne, mi anime, fratres omnia? Non omnia, inquit, sed mihi velim quæ hæc turba fuerit per singula pandas. Ipse vero id cum abnueret ab coque se concitus, tabulam ibi cecidisset dicens, subtraheret, erant alii qui viderant & factum ut erat non celabant.

*al. cambotam.

Erat eodem in tempore in loco adolescens quidam Monachus admodum literatus, Comitis cuiusdã filius nomine Wolo, inquietus & vagus; cui propter aversionem cũ nec Decanus ipse nec Dominus Notkerus seu cæteri imperare potuissent, crebroq; esset verbis verberibusq; correctus nihilq; proficeret, omnes pro tal s ingenii viro dolebant. Nã cum nunquã S. G. nisi libertatis Monachum habuisset, nobiliores tamen sæpius aberrabant. Advenerant in monasterium parentes eius pro eo solliciti, per quorum monita cum parumper proficeret, iterum post abitum eorum idem erat. Diabolus autem quadam die Domino apparuit Notkero diluculo; Malam tibi, inquit, & fratribus tuis facturus sum noctem. Mala avis, ait ille, malam famam prodere solet. At ille fratribus quæ audivit, uti die illo se caverent, prænotuit.

notuit. Wolo vero cum hoc & ipse à dicentibus audisset; senes, inquit, semper vana somniant. Erat autem dies ipse, quo sibi à Decano nequaquam, ut solebat, claustro progrederetur interdictum esse omnes noverant. Et cum sederet ad scribendum, ultima eius scriptura erat: *Incipiebat enim mori:* illicoque exiliens cæteris illum inclamantibus, quod nunc Wolo, quo nunc? in campanarium S. Galli per gradus ad hoc quidem nobis paratos ascendere incipit, uti oculis quia gressu non licuit montes camposque circumspiciens vel sic animo suo vago satisfaceret. Ascendens vero, cum super altare virginum venisset, impulsu ut creditur Sathanæ per laquear cecidit collumque confregit. Plurimis autem, qui viderant, vel audierant, accurrentibus cum viaticum ei properanter afferrent, confessione dicta communicavit. At illi cum eum efferre voluissent & ad domum infirmorum portare; Sinite me, inquit, sanctas virgines prius inclamare; ipsæ enim sciunt, quia quamvis alias nefandissimus, mulierem tamen non novi. Interea cum alte eiulasset, Notkero accurrente manus illi porrexit; Tibi (inquit) Domine mi & sanctis virginibus, quas semper amabas, animam peccatricem commendo. At ille iactans se circa eum; Sanctæ, inquit, virgines in vobis confisus fratris istius crimina super me tollo & ambos nos vobis committo; & hæc dicens flebat & eiulabat. Cumque ille efferretur, præ foribus ecclesiæ quiete petita Notkerum manu artissime stringens omnib. preces effundentibus emisit spiritum. Inter exequias Notkerus eum lavit, in feretrum collocavit, obsequium fa ciens totam eius sepulturam ipse procuravit, semperque quoad vixit duo in se Monachi officia testatus est persolvenda. Completorium ipso obitus viri die dum finiretur, Patrum quidã simplicior precem, in qua inest; *Vt sicut læti diximus diem, ita noctem quoque læti transigamus*, dum recitasset, exiliens vir Dei; Quid petis, inquit, frater admirabilis, quid petis? sufficeret hodie diei malitia sua & superabundaret, tu autem & nocti eadem precaris. Septima vero obitus hominis die cum pernoctans in ecclesia permansisset, circa tempus laudis nocturnæ parumper super genua pausans videt quasi Ratpertum suum se excitantem & dicentem; *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* At ille evigilans, unde anime mi unde hoc nosti? cum subiunxisset, quia modesto gradu ille exiit. At ipse putans eum ecclesiam, ut ibi licentius loqueretur, exire, dum eum extra velum prosequitur, neque ipsum neque gressus eius ullum sentire poterat sonum, cereoque accenso quæsivit eum in lecto; quem invenit surgentem, ut & ipse sicut solebat præveniret in maturitate & clamaret. Cereo extincto ecclesiam rediit, *Te Deum laudamus* præ gaudio flens silenter cantavit. Die autem dato, quærente Ratperto utrumne ad excitandum se nocte venisset, quod viderat amabili suo aperuit; tandem quoque & cæteros fratres res tanta non latuit.

Ratpertus vero & ipse sanctus circa claustrum Sanct. Galli cum languidus iret, nec tamen docere desineret, XL. discipulis quondam suis, Canonicis tunc quidem Presbyteris, loco propter festum advenientibus animam singulis in manibus commisit: quorum quisque ei triginta missas obituro promiserat. Sicque ille lætissimus Deum, uti se diutius morbo coqueret, rogans panis nitidus factus inter discipulorum manus in Paradysum, ut concedimus, transiit. Pro quo Notkerus & Tutilo præter cæteros fratres dolentes, qui post eum relicti sunt, multa fecerunt.

Tutilo vero cum apud Metensium urbem * cælaturas satageret, peregrini duo S. Mariæ imaginem cœlanti astiterant, eleemosynamque petebant. Quibus cum nummos clam tribueret divertentes ab eo clerico cuidam astanti aiebant, Benedictus Domino vir iste, qui nos hodie bene consolatus est: sed estne soror eius, inquiunt, domina illa præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat & docet quid faciat? Ille vero miratus quod dicerent, cum nuperrime ab eo digressus nil tale vidisset, revertitur, & quod dixerant velut ad momentum & in ictu oculi contemplatur. Ait autem illi clericus & peregrini; Benedictus tu Pater Domino, qui tali magistra uteris ad opera. Qui cũ ipsos quid dicerent nescire assereret, vehementer in illos invectus ne cui tale quid dicerent interminatur. In crastinum autem cum gloriam talem de se plures audirent dictitare, subtrahens secessit de medio, neq; iam ultra in urbe illa operari volebat. In * bractea autem ipsa aurea cum reliquisset circuli planiciem vacuam, nescio cuius arte postea cœlati sunt apices;

* al. celaturus.

* al. brattea.

Hoc panthema pia cœlaverat ipsa Maria.

Sed & imago ipsa sedens quasi viva cunctis inspectantibus adhuc hodie est veneranda. Dicebant autem nobis patres quod ipse vir Dei inter agendo in quandã villam, ubi ad missas sonatum est, properans Dæmonem ab homine in ecclesia bacchantem invocatione S. Galli eiecerat. Sunt vero & alia quæ de illo audivimus multa, sed & de aliis nostro in loco Dei viris, quibus quia, ut nunc seculum, diffidi putamus, tacere quam scribere maluimus. De obitu autem eius quia nihil constans comperimus, hoc solum, quod ad gandia eum migrasse confidimus indubitanter asserimus.

De Nokero quæ reliqua sunt, audenter narrabimus, quoniam illum Spiritus Sancti vas electum nequaquam dubitamus. Remansit ille sanctissimus uterinis in spiritu viduus & orbus: tandemque malum illi, qui dolore cordis intrinsecus tactus est, accidit, Epistolas Canonicas Græcas à Liutvvardo Vercellensi Episcopo petitas multis sudoribus illi exemplaverat. Et ecce Sindolfus magnus iam & præpotens in loco, ut diximus, codicem illum delicate scriptum casu incurrens furatus est, & singulis quaternionum, sicut hodie videre est, cultro

decisas discerpsit atque depravavit, & iterum complicatas in locum ubi eas fuerat furatus reposuit. Quæ autem Tutilo dictaverat singularis & agnoscibilis melodiæ sunt ? quia per psalterium seu per rotam, qua potentior ipse erat, pneumata inventa dulciora sunt, ut apparet in *Hodie cantandus*, & *Omnium virtutum gemmis*. quos quidem tropos Karolo ad offerendam, quam ipse Rex fecerat, obtulit canendos. Qui Rex etiam *Viri Galilæi* offerendam cum dictasset, Tutiloni versus addere iniunxit, ut ajunt, *Quoniam Dominus Iesus cum esset*. *Omnipotens genitor, Fons & origo*, cum sequentibus, *Gaudete & cantate*, & alios quidem, sed istos proposuimus, ut quam dispar eius melodia sit cæteris, si musicus es, noris. VValtramnus autem, quem supra diximus, Decanus, sed & Hartmannus qui Abbas noster factus est, quas fecerant laudes, sua nomina quia præferuntur in cantillenarum libellis, studiose transimus, præter quod VValtrammi sequentia, *Sollemnitatem huius devoti filii Ecclesiæ*, sine eius nomine scribitur. Fecerat & Hartmannus minor quædam, quæ utrius sint æquivocatio dubia facit. Erant vero & alii quidam nostratium, qui sequentias & tropos, nec non & alia quædam plura pro studio quisque suo fecerant opera, quos loco suo memoraturi singulorum singula narranda servamus.

CAPUT IV.

De Hartmanno Abbate S. Galli.

HARTMANNUM post Salomonem privilegio electionis Patres acceperant Abbatem. De quo, quoniam proprium & sui temporis libellum habemus, plura scribere supersedemus. Erat tamen, ut à Patribus audivimus, præter sapientiæ doctrinalem dotem religionis tenacissimus, claustro sæpius manens, quæ de foris in locis suis agerentur minus sollicitus, magisque suos habere passus quam se, quæ sibi suppares in manus dare vellent regratiando contentus, solius disciplinæ Patrum more investitor & severus exactor. Doctrinas vero ita amabat, ut inter scholas & claustrum aut nihil aut parum intersit. In victu fratrum & vestitu Hartmoti statuta secutus. Maxime autem authenticum antiphonarium docere & melodias Romano more tenere sollicitus. De quo antiphonario altiora repetere operæ pretium putamus. Karolus Imperator cognomine Magnus cum esset Romæ, Ecclesias Cisalpinas videns Romanæ Ecclesiæ multimodis in cantu, ut & Iohannes scribit, dissonare, Rogat Papam tunc secundo quidem Adrianum, cum defuncti essent quos ante Gregorius miserat, ut item mittat Romanus cantuum ignaros in Franciam. Mittuntur secundum Regis petitionem Petrus & Romanus, & cantum & septem liberalium artium paginis admodum imbuti, Metensem ecclesiam ut priores adituri. Qui cum in * Septune lacuque Cumano aere Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus vix ad nos usque venire potuit. Antiphonarium vero secum, Petro renitente, vellet nollet cum duos haberet, unum Sanct. Gallo attulit. In tempore autem Domino se iuvante convaluit. Mittit Imperator celerem quendam, qui eum si convalesceret nobiscum stare nosque instruere iuberet. Quod ille quidem Patrum hospitalitati regratiando libentissime fecit, Quatuor, inquiens, mercedes vos Sancti Domini in me uno acquisistis; Hospes erat, & eum in me collegistis: infirmus, & visitastis; esurivit in me, & dedistis mihi in eo manducare: sitivit, & edistis ei bibere. Dein uterque fama volante studium alter alterius cum audisset, æmulabantur pro laude & gloria naturali gentis suæ more; uter alterum transcenderet, memoriaque est dignum, quantum hac æmulatione locus uterque profecerit, & non solum in cantu sed & in cæteris doctrinis exercuerit. Fecerat quidem Petrus ibi iubilos ad sequentias, quas Metenses vocant: Romanos vero Romane nobis econtra & amœne de suo iubilos modulaverat, quos quidem post Notkerus quibus videmus verbis ligabat: frigdoræ autem & occidentanæ, quas sic nominabant, * iubilos illis animatus etiam ipse de suo excogitavit. Romanus vero, quasi nostra præ Metensibus excollere fas fuerit, Romanæ sedis honorem Sanct. Galli cœnobio ita quidem inferre curavit. Erat Romanæ * instrumentum quoddam & theca ad antiphonarii authentici publicam omnibus adventantibus inspectionem * repositorii, quod à cantu nominabant Cantarium. Talequidem ipse apud nos ad instar illius circa aram Apostolorum cum authentico locari fecit, quem ipse attulit, exemplato antiphonario: in quo usque hodie in cantu si quid dissentitur, quasi in speculo, error eiusmodi universus corrigitur. In ipso quoque primus ille litteras alphabeti significativas notulis quibus visum est aut * sursum aut iussum, aut ante aut retro, assignari excogitavit: quas postea cuidam amico quærenti Notker Balbulus dilucidavit; cum & Martianus, quem & de nuptiis miramur, virtutes earum scribere molitus sit. Hartmannus autem paucos annos cum præfuerit, in maximo nostratium luctu diem obiit, claustrumque nostrum disciplinæ Patrum tenacissimus sectator doctrinæque assiduus inculcator reliquit celeberrimum: præter quod terras colentium & secularis rei curas gerentiũ non sine damno loci minus exilis exactor erat. Enimvero eo claustri solius gubernacula curante, & Præpositis religionem, quam docuit, etiam deforis in sancta simplicitate artissime servantibus, hunc vicilli maio-

*al. Sectimo Leg. Septimo.

*al. iubiles animatos.

*al. ministerium

*al. repositorium.

*al. susu s. visum.

maiores locorum, de quibus scriptum est quia *servi non timent tument*, scuta & arma polita gestare inceperant, tubas alio quam cæteri villani clanctu inflare didicerant; canes primo ad lepores postremo etiam non ad lupos sed ad ursos & ad Tuscos, ut quidam ait, minandos alu-erant apros. Cellerarii, aiunt, curtes & agros excolant; nos beneficia nostra curemus, & venatui, ut viros decet, indulgeamus. His bonis florentem Rempub. nostram, hisque malis Hartmannus obiens reliquerat periclitantem.

CAPUT V.

De Engilberto Abbate S. Galli.

DEfuncto Hartmanno Engilbertus eligitur* Conradoque dirigitur, quem ille omni honore dignatum S. Galli fecit esse vicarium, brevique supervenie ns tempore defunctus est & ipse. At Engilbertu, loca foras monasterium minus culta colere incipiens maiores, quod diximus, talium desueti minus ei bene perabant. Atque ille his atq; aliis multis afflictus infortuniis, quæ & sibi per se, & defuncto Conrado totius regni imminebant cervicibus, domi residens tristis finem rei jejunans cum suis & orans expectabat. Cuius rei seriem breviatim dicere ad r agendiam nostram explicandam utile duxi. *al. Cuonrado.*

Conradus* Rex virili prole carens, * Eburhardum autem fratrem habens ad regni gubernaccula, si sibi superviveret, aspirantem: sensit enim nec regno virtute quidem habilem nec populo moribus acceptum, rogantemque, cum ipse jam senesceret, ubi se populo commendaret, crebro frustravit. Incipiens autem mori clam loquitur fratre; Video, ait, germane mi, & semper vidi te à populo nolle accipi, ideoque quod sæpe rogaras, nec te* contristarem, tacite distuli. Consilium autem meum si nunc feceris, ut in Deum spero, ingloriosus non eris. Est in Saxonia cui neminem in regno æquiparem scio, Heinricus quippe Comes Mathilda coniuge clarus. Sumens ergo coronam & sceptrum nocte dieq; accelera ad ipsum, teque & regnum ei meis verbis in manus dato, & mei vitæ memores fore ambos rogato. Fecit igitur ut Rex iusserat, veniensque secretum Comitis petiit alloquium. Eliminatis omnibus ipse ostium clausit, chlamideque exuta ad pedes viro corruens nimis stupenti coronam & sceptrum detegit, & quæ jussus est narrat. Cui ille inter cætera, si secum in fide qua dixerat sentire vellet, omnia quæ quæ tanto nuncio decerent facturum spospondera. Et ne per longas ambages vadam, fit colloquium publicum, Heinricus Saxonum & Francorum consensu elevatur & ungitur in regnum. Sed postea Lotharingorum Kisilbertus *Eburhardum castigatū. cui honorem suū alieno dedisset, Regi Saxonico rebellare secumq; sentire persuasit. Surgunt ambo in arma: Ducib. Suevo & Norico litteras mittunt. Quib. secum sentire jam motis, quadam die cum collectas in armis apud Brisachum copias navib. transposuissent, ipsique interea in littoris planicie luderent tabula, Chuono quidem regii generis, * Churzibolt à brevitate cognominatus fortuitu viginti militibus stipatus viros incurrit. Kisilbertum cum omnibus, qui in navi erant, quam insilivit, lancea infixa submersit: Eburhardum levitatis increpatum gladio in littore occidit. Erat quidem angusto in pectore audax & fortis: qui leonem cavea effracta se & Regem solos inventos in consilio insilientem, Rege grandi quidem viro gladium, quem Chuono tunc ut moris est gerebat, arripere volente ipse præsiliens incunctanter occidit. Diffamatur longe lateque, Heinrici Regis militem leonem se insilientem gladio occidisse. Mulieres ille & mala arborum naturali sibi quodam odio adeo execratus est, ut ubi in itinere utrumvis inveniret, mansionem facere nollet. Multa sunt, quæ de illo concinnantur & canuntur, quæ quia ad nos redeundum est præterimus, nec quod provocatorem Sclavum giganteæ molis hominem è castro Regis prorumpens novus David lancea pro lapide straverat.

al. chonradu — *al. Ebihardum* — *al. contristarem* — *al. Eberhard.* — *al Clrizibolt.*

Burkardus autem Dux Suevorum Sueviamque tyrannice regens, præstationes Engilbertum Abbatem primo militibus suis petivit, postea utique quod cum Rege Saxonico sentiret insimulatum, quæcumque loca S. Galli sui rapere vellent patienter tulit, & nisi pretiis gazophylacii eius redempta nulla reddi fecit, inter quæ calicem illum aureum Adelberonis Episcopi donum cum dari sibi consentiret & crucem, à S. VViborada correptus uxori verbis simulatis; ut aiunt, uti redderet iussit, reque infecta ad Italiam, ut eius Regem secum sentire faceret, properans, beata illa ei mortem pro avaricia præsagiente, equo ruens periit, quæque alibi plenius sunt scripta, hic libasse sufficiat. Engilbertus vero, ut unde digressi sumus redeamus, ad Henricum venit, Abbatiam ab eo suscipiens fidem iuravit omnique honore ab eo dimissus domum ad maiora adhuc infortunia rediit. Nam Ungri auditis tempestatib. regni Noricos rabidi invadunt & vastant, Augustaque diu obsessa precibus Vodalrici Episcopi, sanctissimi quidem inter omnes tunc temporis viri, repulsi Alamanniam nemine vetante turmatim persuadunt. At Engilbertus, quam idoneus à mala toleranda quidem fuerit, impiger ostendit. Nam malis his imminentibus, militum suorum unoquoq; pro semetipso sollicito, validiorum fratrum arma sumere iubet familiam roborat, ipse velut Dei gigans lorica indutus cucullum superinduens & stolam ipsos eadem facere iubet. Contra Diabolū, ait, fratres mei quā hactenus animis in Deo confisi pugnaverimus, ut nunc manib.

ostendere valeamus ab ipso petamus. Fabricantur spicula, piltris loricæ fiunt, & Wannis scuta simulantur, sparrones & fustes acutæ focis prædurantur. Sed primo fratrum quidam & familiæ, famæ increduli fugere nolunt. Eligitur tamen locus velut à Deo in promptu oblatus ad arcem parandam circa fluvium * Sintrianum, quem S. Gallus quondam S. Trinitatis amore de tribus fluviis in unum confluentibus sic æquivocasse fertur. Præmunitur in artissimo colle vallo & silva excisis locus, fitq; castellum ut S. Trinitati decuit fortissimum, convehuntur raptim quæque essent necessaria. Hæc in vita Wiboradæ per scriptorem eius minus dicta, à fratribus qui hæc noverant docti perstrinximus. Capella citata fit oratorium, in quod invehuntur cruces & dypticiis capsæ nec non & pene omnis præter libros repositorios ecclesiæ * thesaurus. Illos Abbas Augiam, non satis tuto tamen, commiserat. Nam cum reportarentur, ut aiunt, numerus conveniebat non ipsi. Senes cum pueris in Wasserburg tutioni dedit, quam cum familia quæ translacum erat sollicite firmavit, quibus etiam, ut navibus quidem crebrius inesset, victualia secum assumere iussit. Ibant exploratores per nota sibi loca nocte dieque adventum hostium fratribus Gallum unquam à barbaris invadi nimis incredulis, ut ad castellum fugerent, prædicturi. Engilbertus enim & ipse talibus assentiens pæne sero carissimas S. Galli res castello intulit. Unde & ciborium Othmari relictum est hostibus. Nam hostes non simul ibant, sed turmatim, quia nemo restiterat, urbes villasque invaserant & spoliatas cremaverant, ideoque in provisi qua vellent imparatos insiliebant. Silvis quoque centeni vel minus interdum latentes eruperant. Fumus tamen & cœlum ignibus rubens, ubi essent turmæ quæque, innotuit. Erat autem tunc inter nostrates frater quidam simplicissimus & fatuus, cujus dicta & facta sæpe ridebantur, nomine Heribaldus. Huic cum ad castellum fratres primo pergerent ut & ipse fugeret cum terrore quidam dicerent: enimvero, ait ille, fugiat qui velit: ego quidem, quia corium meum ad calceos Camerarius hoc anno non dedit, nusquam fugiam. Cum autem illum fratres ut secum pergeret in novissimo articulo vi cogere vellent, multa reluctatus nisi annotinum corium sibi ad manus daretur nunquam se juravit iturum. Sicque Ungros ingruentes imperterritus expectabat. Fugiunt tandem pæne sero fratres cum aliis incredulis horridis vocibus instanter irruere perculsi: sed ipse intrepidus in sententia permanens otiose deambulabat. Ingruunt tandem pharetrati illi pilis minantibus & spiculis asperi, locum omnem perscrutantur sollicití, nulli sexui vel ætati certum est misereri, inveniunt solum illum in medio stantem intrepidum, quid velit curque non fugerit mirati. Ferro interim parcere necatoribus iussis primipilares per interpretes interrogantes facuitatis monstrum ubi sentiunt omnes illi risibiles parcunt. Aram lapideam S. Galli, quod prius crebro talibus frustrati nihil intus nisi ossa vel cineres cum invenissent, nec tangere curant. Requirunt tandem à fatuo suo ubi thesaurus loci sit conditus?

mss. Sintria unũ.

** al. thensaurus.*

Quos cum ille alacer ad gazophylacii duceret occultum ostiolum, effracto illo nihil ibi nisi candelabra & coronas deauratas reperientes, quas in fugam festinantes reliquerant deceptori suo alapas dare palmis intentant, duo ex illis ascendunt campanarium, cuius cacuminis Gallum aureum putantes, Deumque loci sic vocatum non esse nisi carioris metalli materia fusum, lancea dum unus ut eum revellat se validus protendit in atrium de alto cecidit & periit. Alter interea in dedecus fani Dei ipsius ad summum pinnaculi orientalis veniens dum ad aluum se purgasset purgandum, retrorsum cadens totus confractus est, quos ambos, ut Heribolt post retulit, inter postes valvarum dum cremassent, roguíque flammivomus superliminare, & laquear vehementer invaderet contisque incendia certatim plures miscerent, nequaquam templum Galli, sicut nec Magni, incendere quiverant. Erant autem in cellario fratrum communi duo vasa vinaria usque ad sigillos adhuc plena, quequia in articulo illo nemo boves iungere aut minare est ausus, ita sunt relicta.

Hæc vero nescio quo loci fortunio, nisi quod talibus in vehiculis prædarum abundaverant, hostium nullus aperuit. Nam cum quidam illorum ascia vibrata unum retinaculorum succideret, Heribaldus inter eos iam domestice versatus, sine, inquit, vir bone: quid vis vero ut nos; postquam abieritis, bibamus? quod ille per interpretem audiens & cachinnans socios, ne fatui sui vascula tangerent, rogavit: Sicque usque ad Abbatis conspectus Ungris locum deserentibus sunt servata. Exploratores autem, qui silvas & quæque latentia sollicitissime scrutarentur, certatim illi mittunt, eos si quid novi referant operiuntur. Sparguntur iam, Wiborada iam passa, per atrium & prata ad prandia copiosa: ciborium quoque Sanct. Othmari argento vestitum nudant, quod repente invasi fugientes asportare non poterant. Primipilares quidem claustri planiciem tenentes omni copia convivantur. Heribaldus etiam coram illis plus quam unquam, ut ipse postea dicebat, saturatus est. Cumque more suo super viride fœnum singuli ad prandendum absque sedilibus recumberent ipse sibi & Clerico cuidam præda capto sellulas posuit. Ipse vero cum armos & cæteras victimarum portiones semicrudas absque cultellis dentibus laniando vorassent, ossa obesa inter se unus quidem in alterum ludicro jecerant. Vinum quoque plenis cuppis in medio positum sine discretione quantum quemque libuerat hausit. Postquam vero mero incaluerant, horridissime Diis suis omnes vociferabant; Clericum vero & fatuum suum id ipsum facere coegerant. Clericus autem linguæ eorum bene sciolus (propter quod etiam eum vitæ serva-

ve-

vaverant)cum eis valenter clamabat: cumque jam satis lingua illorum insaniisset, Antiphonam de S.Cruce, cuius postera die inventio erat, *Sanctifica nos*, lachrimans inceperit, quam Heribaldus cum eo quamvis voce raucosus & ipse decantabat. Conveniunt omnes qui aderant ad insolidum captivorum cantum, & effusa lætitia saltant coram Principibus & luctantur.

Quidam etiam armis concurrentes quantum disciplinæ bellicæ nossent ostenderant. Interea Clericus ille pro relaxatione sua rogandi tempus opportunum in tali alacritate arbitratus S. Crucis implorans adiutorium, provolvitur miser Principum cum lacrimis pedibus. At illis nimis effero spiritu, sibilis & quasi grunnitu horrido satellibus quid velint insinuant, illique rabidi advolant hominem dicto citius corripiunt, cultellos ut ludicrum, quod Teutones *Pichin* vocant, in coronam eius facerent antequam capite illum plecterent, exigunt. Interim dum talia parant, exploratores in silva quæ castellum vergit, subitanea tubarum & vocum significatione accelerant, castellum cum armatis legionibus obfirmatum in proximo sibimet esse asserunt, Clerico ibi & Heribaldo relictis solis in claustro, celeres pro se quisque viri foras festinant, & ut assueti erant priusquam quisquam credat parati in acie stabant. Audita autem castelli natura quod obsideri non possit, locum autem longo collo & artissimo impugnantibus maximo damno certoque periculo adibilem, tutores eius suæ multitudini dum victualia habeant, modo viri sint, nunquam cessuros; monasterio eo, quod Gallus Deus eius ignipotens sit, tandem omisso villæ domos ut videri possint (nam nox proxima erat) aliquas incendunt & silentio tubis & vocibus indicto via quæ Constantiam ducit abeunt. Castellani autem cum monasterium ardere putassent, abitu eorum comperto, per compendia eos insecuti, exploratores delonge multitudinem prosecutos in faciem aggressi quosdam occidunt, unum autem vulneratum captum avehunt, cæteri vix fuga lapsi multitudini tubis ut caveant significant. At illi campos & planiciem quam citissime poterant obtinentes, aciemque prout copia esset alacriter instruentes, vehiculis & cæteris impedimentis circumpositis noctem vigiliis partiuntur, fusique per herbas vino & somno taciti indulgent. Mane autem primo villas proximas incurrentes, si quid fugientes reliquerint, investigant & rapiunt, cunctaq; quæ prætereunt ædificia exurunt. At Engilbertus hostium invasionis primicerius, castellum repetere cæteris dimissis, cum paucis æque audacibus monasterium vitabundus inambulat; si aliqui ad insidias relicti sint explorat; Heribaldi fratris fatuitatem, bene quidem nati, miserans si vel corpus eius ad sepeliendum inveniant sollicite investigant. Illo quidem nusquam reperto (nam cacumen proximi montis vix à Clerico persuasus cum ipso occupans inter arbusta & frutecta latuit) miserebatur adhuc, si tantæ simplicitatis mancipium hostes quidem secum abegerint. Miratus etiam vini vasa ab hostium nimium bibulis vitata, gratias Deo egit. Matutinas deinde laudes cursum de S.Cruce, prout silentissime poterant persolventes ianuas & laquear præustum mirantur, locoque celerrime abeuntes si VViborada vivat ad clausulam eius silentio sciscitantur, compertoque quod passa sit tardare non ausi montem proximum superant, castellumque per avia nota celeres tandem revisunt timentes, ut fit, ne aut in insidiis relicti aut ad alia circumquaque spolia sparsi socios in locum secuti superveniant: parati tamen, quoniam res eis pro anima erat, aut fortiter emori aut manibus quidem viriliter defendi. Et Clericus Heribaldo assumpto (castellum enim de monte conspexerant) matutini adveniunt: Sed custodes de longe illos & adhuc in tenebris prospicientes exploratores putant s sociis clamabant. At illi agiliter erumpentes, Heribaldo agnito, de Clerico primo hæsitant, in munitionem tamen eum recipiunt, & omnem tragœdiam eius audientes hospitaliter tum pro Christo sed & pro captivo suo, cuius linguam noverat, tractant curando: tandemque per illos duos omnes insolentiæ hostium didicerant mores. Vngar baptizatus uxorem duxit, filios genuit, deinde quoniam reverti eos interdum solere didicerant, arbores silvæ iterato contra castelli aditum latius succidunt, fossaque altius fodiunt, puteum ubi scirpus ante crescere solebat altissime fodientes certe aquam purissimam inveniunt, vinumque quod Heribaldo Vngri indulserant langenis & quibuscunque possent vasculis clandestini die noctu curraces reportant, sicque degentes Dominum assidui invocant.

De S. VViborada autem, quia* liber per se est eius amplus, non loquemur, præter quod in sanctam eam levari iam bis nostris temporibus per duos Papas decretum est, sub Notperto tandem impletum. De S. Vodalrico autem, qualiter nobiscum egerit, dicta patrum quædam audivimus, quæ quidem in vita eius vel tertio iam scripta non invenimus. De nobilibus enim ille ut & ab aliis iam dictum est, natus apud nostrates educatus est & doctus. Hic viam, qua in cælos volavit, subvolare didicit: hic virtutibus, quas nunc operatur, præludium fecit. SS. enim nostrorum Galli & Othmari, quos puerulus patres elegit, se Monachis iungens cum sanctis sanctissimus & cum electis ingreditur electissimus. Hartmanni enim iunioris discipulus divina præ omnibus Spiritu Sancto prælibatus hausit: in refectorio coram patribus, ubi vel in puncto peccare capitale erat, lector inoffensus creber erat quamvis canonicus, quod tamen illi progenitorum suorum indultum est gratia: VViboradam inclusam, coævolis se licentia data ad ludos parantibus, feriatis diebus furtim visitare assolitus di-

* *Ab Hartmanno scriptus, cuius meminit Conradus infra c. 3.*

vinis ab illa interdum verbis & exemplis instructus est paginis. Nam quadam die cum illum ante fenestellam clausulæ stantem levissimo videret cingulo præcinctum, de suo ei paratum offerens; Castitatis, inquit, fili mi tibi cingulum per hoc lineum meum à Deo accipe, continentiæque *stropheo (*id est cingulo virginali*) ab h ic deinceps die per Wiboradam tuam te præcinctum memento. Cave autem, me tibi à Domino meo edictum ferente, ne ullis abhinc colloquiis vanis mulierculis misceariss & si, ut facillime fit, aliquo carnis igne incensus fueris, loco in quo fueris mutato. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina*, mox cantaveris. Sin autem sic pacem aliquo alio lapsu tuo vetante non habueris, titionem sive candelam ardentem quasi aliud aliquid agas quærens digitum vel leviter aduure, eodemque versu dicto securus eris. Sic magistra prædurata discipulum Sanctiss. futurum, ut ipse patribus narrabat, contra ignem igne prædutaverat. Multa sunt quæ de doctrina nutricis suæ (sic enim etiam vetulus eam nominare solebat) patribus ille dixerat, quæ quia austera huius temporis Sanctis videri possunt & impossibilia ne quid eis suboleat præterimus. De cilicio etiam, quo ipsa utebatur, cuius hodie asperitatem pro relquiis id habentes horrescimus, pulvillulum filio suo, ut & ipsa eum nominabat, in abstinentiæ diebus utendum conneverat: quod interdum in sinu gestans noctibus i le maxillis lapide supposito aptare solebat. Tali ille lectisterno pro deliciis usque coram ianuis ecclesiæ nocturnorum sonitum aut in sedili aut nuda quidem expectare terra solebat. His & aliis similibus eum à pueritia assuescentem cum & fœminarum alloquia & solita sociorum fugitasset ludicra, sanctulum illum derisorie jam abinde cœperunt vocitare. Audivimus etiam de eo, quod quidem pro nihilo ab rig dis corde duci soleat, quod cum ei grafium coævulorum quidam furatus sit, per nescio quam sub capula incuriam sibimetipsi manum transfixerit. Quam cum ille dolore clamans *exereret, diu quæsitus & sæpe peieratus, Vodalrici proditur stilus. Hoc tamen ille & alia de se similia cum tegere nosset, illius meritis fieri præter altioris aliquos ingenii quis credere nollet. Nam figuratis & interdum etiam risum moventibus, non tamen falsis & inanibus, crebro visus est verbis, ut cuidam scholarium elato & glorianter agenti, cum Constantiæ D aconatu precio empto inter processores nostros progredi parans, stola indutus sibi evangelium eo die nobis lecturo non sine gloria assisteret; Eya, inquit, mi sodes care, quam decenter tibi clypei fascia insidet. Idipsum tamen etiam sibi pro reverentia sui, ut nobis Canonicus evangelium legeret, concessum. Nam frater conscriptus tum vocis pulcherrimæ gratiam habebat. Diutius autem quam cæteri coævi sui tum pro Viborada sua scholis inhæserat. Quas tamen tandem relinquens suique juris in possessionibus factus Augustæ, ubi Canonicus ab infantia erat, in virtutum exemplis charissimus Gallum suum crebro visitabat, fratres suos conscriptos ter in anno ipse minister paverat. De convivii autem ipsis quamvis multa dicta dulcia patres, qui intererant, narrare soleant, ego miraculum etiam sibimetipsi grande visum in memoriam posteris memorabo. Est non longe à monasterio pons altus, sic quoque vocatus, super præcipitium arduum ut videre est, situs alteque profundum, inevitabilis quidem Gallum illac petentibus. Ducitur vas vinarium Vodalrici tunc quidem Episcopi boum paribus copiosus longoque tractu minatis per ipsum * pontem illum ad caritatis fratrum, ipso iam in loco manente, convivium. Et ecce horridum dictu, vehiculum illud onustissimum exorbitans cecidit, & paria illa super se convoluit. Clamatur, viciniæ circumquaque ad auxilium conveniunt, undique integra omnia & sana invenientes iumenta prostrata disiungunt, acuto ingenio & anxio labore, quia alias non poterant ad pontem ipsum item omnia reportant, Kyrieeleison vere cantantes paucaque iumentis quia perculsa erant, argumenta nectentes Episcopo bozanarium suum expectanti deferunt & integra omnia & sana ostendunt. Laudes Deo cum fratribus tandem vir Dei publice persolvens exemplo Benedicti & Mauri ipse hoc signum fratrum meritis, ipse autem impossibile illud virtutum eius possibilitati attribuunt. Egerat quidem aliquando in loco sancti Magni etiam diem sibi semper amabilem, reliquasque eius, ut mos nobis est, cappa illa aqualifera indutus vespere diei sancti ipso domum reportabat: & cum infirmus tunc esset, ut sæpe quidem erat, paralyticus quidam adjutorio suorum in viam se ut ipse super eum graderetur prostraverat. At ille homini appropians quasi de obstaculo indignatus, surge, ait, quia & ego pedibus infirmus super te progredi nequeo. At ille tanquam ad increpantis verbum velocissime surgens incolumis abiit, secutusque fratres sine ullius adiutorio. S. Magni ecclesiam cum cæteris sanus introiit. Et Episcopus capitio cappæ imposito cum anhelus stetisset, & de via lassus audiens sanitatem hominis acriter indicentes invectus super cancellos tandem innititur, signumque tam manifestum ab se excutiens S. Magni virtutem, quam in manibus gerebat, hanc esse astantibus prædicans asseruit. Neque tamen sic eis, ut hominum ab ipso sanatum esse discrederent, persuadere quidem ullo modo posuit. Hæc de pluribus, quod apud S. Gallum commanens gessit, tribus vitæ eius scriptoribus non præjudicantes scripsimus. Neque enim miramur eos cum quibus in seculo versatus est, ea qui cum spiritalibus gessit, quia minus sciverant non scripsisse, sed plura eos quæ de eo concinnantur vulgo & canuntur tacuisse, cum infima quædam eius magna fecerint etiam miramur. Neque enim quia interdum ridenda, ut diximus, non inaniter loqui solebat & facere, ea dici ab eis quæramus: ut Abbati nostro Immoni verecundo homini & talia semper detestanti cum incudem noviter

*al. tropheo. Gloss. sema sapiunt inclusa.

*al. exerceret.

*al. motum.

ter sub terra repertam sibi dari peteret, feminam de mercato, dorso validam, inferri iusserat. Sed & Hettinum Camerarium suum in effuso Lico flumine iam mergi visum, quomodo ad se festinum vocaverit, fluctusque illum coram pedibus suis in litus eiecerit. Sed & ipsam urbem suam Augustam quidem in Vngrorum invasione sub Hainrico, ut iam diximus, Rege, quomodo meritis suis liberaverit ab ipsis, prius illam, quam ad nos venerint, arta obsidione cingentibus, nec uno verbo tetigisse miramur. Nam imminente irruptionis illorum iam facili introitu infantulos vrbis universos ab uberibus matrum raptos circa se coram altaribus nuda terra iactari iusserat; vagitibusque illorum lacrimas cum eiulatibus miscens infestissimos illos alter Ezechias abegerat hostes. Nam nulla nisi talium precum existente causa efferi illi urbe relicta ad alia dispersi sunt loca. Hugo etiam quidam regii generis homo primarius propter sororem viri Dei virginem sacram incestu agnitam ab ipso, quia sæpe inclinatus est, insolenter ei inimicus quadam die carri vehiculo, ut erat infirmitatis suæ, occurrit invecto. Quem cum milites Episcopi præcessores, uti ei non occurreret, præmonerent: Carrucarium, inquit, illum ab itinere meo nunquam declinabo. Quod ille à dicentibus post audiens: Carucæ, inquit, vehiculo scitote filii mei, ipse plus, quam ego indigus erit. Nec post multum, nocte quadam sanus sopori se tradens, cum evigilasset, lumbos, in quibus peccaverat, acerrime dolens in inferioribus ab illa nocte ita decreverat, ut præter cutem & ossa gracilia nihil haberet. Sicque longævitatis tempora numquam cogi valens, ut pacem à viro Dei peteret, perduxerat. Ipsa autem sanctimonialis illa sanctorum exemplorum post visa est fœmina, quippe quam frater novis sententiis, dum vixit, annuatim puniverat. Vngris autem à se recedentibus, cum Buchowam illos, ubi soror ipsa erat, partesque nostras, ubi VViboradam matrem sciebat, invadere velle comperisset, orasse fertur: Domine mi, feram istam adhuc impunitam mihi dona, ut gladio non pereat: sed & illam gladio semper paratam, ut palmam martyrii mereatur, confortans robora. Cellam quoque Galli tui integram cum famulantibus pie & misericors conserva. Atque ita precibus eius sanctis effectum Deus undique dedit.

At Engilbertus noster circumquaque omnibus igne cælo nocte dieque relucentibus, exploratores iam emittere non ausus, castellum suum cum suis immanens tuebatur. Raro autem in monasterium magis animo fidentibus, ut missas ibi agerent, missis spiritum inter eorum reditum vix habere potuit. Multum autem socios roborabat inter timorem & spem Heribaldi & clerici assidua de hostibus relatio. Mirabantur tandem altioris ingenii fratres pium Deum, tam amicum simplicitati, ut eum etiam fatuos & hebetes tueri non pigeat inter medios hostium gladios & contos. Quærentes autem ab Heribaldo inter ocia, quomodo sibimet tam numerosi hospites S. Galli placerent: Eya, inquit, quam optime. Nunquam ego, credite mihi, hilariores in claustro nostro homines vidisse me memini. Cibi enim potusque datores sunt largissimi. Quod enim ego ante cellarium nostrum tenacissimum vix rogare poteram, ut vel semel sitientem me potaret, ipsi mihi affluenter roganti dabant & clericus: Si bibere, inquit, nolles, alapis cogebant. Non nego, ait: id enim unum valde displicebat, quod tam indisciplinati quidem erant. In veritate dico vobis, nunquam in claustro Sancti Galli tam indisciplinatos vidi: neq; plus in ecclesia & in claustro, quam si foris in prato essent ferales illi, inquit, egerant. Nam cum eis semel manu signū darem, ut Dei ipsius memores vel in ecclesia silentius agerent, grandes mihi in collo infregerant ictus, atque illico, quod in me peccaverant, vino ablato, quod nemo quidem vestrum faceret, emendabant. Taliter imperterriti illi Deum semper invocantes miseriis se pascebant, dum otia haberent. Fama vero volante, ut fit, reversos hostes iterum in cœnobio versari, emitti se fatuus, ut ad catos suos veniret, enixe rogabat. Sicque per aliquot dies ipsi & VVasserburgenses in navibus tamen sæpius agentes, quæ hostes nullas habebant, finem hosticæ tempestatis exspectabant. Audiunt tandem Constantiæ foris muros cremata, intus armis defensa, Augia quoque navibus subductis armatis multis in circuitu fulgida hostes sævos eis citraque Renum omnia igne cædibusque pervadentes transisse. Ausi tandem monasterium securi intrare oratoria purgant, officinas perscopant, Episcopo Notingo tunc accito qua benedicta cuncta spargi rogantes vim Dæmonum omnem eliminant, atque sic Engilbertus armis relictis militiæ cœlesti seque suosque iterum assuefaciens in utrisque frugi hominem se exhibuit. Oves enim dispersas velut humeris reportans ad gregem regulæ eas redocuit tenorem, pabula, quæ eis cara tunc quidem omnibus erant, omni industria undiquaque corradere sollicita curavit sollertia. Neque enim erat emere omnibus profligatis, neque spes verni fructus; hostibus arare vetantibus. Sic ille octo post hanc tempestatem annis loci sui provisor decessoris sui scilicet Hartmanni disciplinam deintus tenuit; protervam deforis servorum naturam frangens emendavit tandemque infirmans fatigatus corporis malis Thietoni venerando Abbati electo à fratribus regimen suum Regi supplicans reliquit: ipse autem loca Abbatum, quæ diximus, non diu superveniens tenuit. De Vngrorum quoque infortuniis tragœdiæ nostræ non piget ascribere. Erat ea tempestate in pago, quem Fricovve dicunt, Hirminger quidam vir non adeo præpotens, sed manu & animo validus; filiorumque Machabæorum sex; sicut Mathathias quondam, pater fortissimus. Iste enim turmam illam, quæ scis Renum nos quoque, à sociis, qui ultra Renum erant disiuncta: invaserat, ita circumvenerat. Enimvero

eum

cum Sechingensem S. Crucis locum illi invasuri in arto Reni pontem parantes inspectui sociis consedissent, seque invicem super flumen allocuti securius iam agerent, iste istos cum filiis, copiis pro tempore undecunque corrasis, intempesta noctis somno vinoque sepultos tribus partibus impetu facto improvisos invaserat, & pene omnes, præter qui Renum fuga transnataverant, aut occiderat aut merserat. Nam & villani quidam prædocti * ollis prunas in proximo monte paratas habentes tumultu audito faces accensas levabant, & ut discretionem sociorum & hostium nossent, quasi perlustrium fecerant. Spectabant sociorum internecionem transfluminales hostes otiosi, itaque armati accurrunt ad profluentis littus rabidi missilia furori satisfacientes plurima iaciunt, caninoque ululatu voces horridas miscent. At Irminger cum suis spolia in facie hostium collecta basilicæ triumphans intulit, & per omnes circumquaque munitiones dispertivit, & quia naves præter eius urbis defensaculo subductas nullas in Reni viciniis sciverat, suadebat urbanis, navibus ipsis pontibus junctis armatas legiones transponere, se duce, qui illorum mores in armis jam nosset quantocius confligere. Dum hæc sataguntur, navibus Vngri de Schvvartzvvalde multis paratis in Alsatiam ipsi priores suas legiones transponunt, & à Luitfrido quodam terræ illius potentissimo bello suscepti plurimo damno sui tandem cruendam victoriam sunt adepti. Senserant jam mitius sibi agendum inter Teutones, & in terra illorum minus fore tardandum. Alsatia tandem qua ierant vastata & cremata, Hochfeldi montem * Iuræque silvam festinanter transeuntes Vesontium veniunt.

** msf. ollas.* ** al. Iurisque.* *al. viris q;.*

Erat tunc Burgundionum Rex Conradus adolescens floridus, S. Adelheidæ Imperatricis quidam frater. Venerant quondam Saraceni navibus in Burgundiam, belloque omnia disturbantes tandem victum in valle Fraxnith angustiis tutissimo invito, qui tunc erat, Rege consederant, pace que petita uxore filias gentis ducunt, vallem maximæ ubertatis parvis Regi reditibus datis incolunt. Ad quorum Ducem Conradus nobili astutia usus Legatos dirigit his verbis: Ecce Vngri, fillones illi fugitivi nunciis me fatigant, ut sibi pace mea vos quidem à tantæ ubertatis terra armis expellere liceat: sed vos, si viri estis, obviam illis me juvante quantocius pergite. Enimvero si vos eos in faciem invaditis, ego eos à latere involabo, sicque illos, ut confido, profligatos exterminabimus. Misit autem & ad Vngros, qui dicerent: Quare viri fortissimi mecum armis agere vultis? Expedit enim utrisque nostrum magis, ut pacifici simus. Venite ergo mecum & hostes meos illos eradamus de terra uberrima; vosque ibi confidite: sed & insuper provinciam maximam terræ illi, si mecum in fide senseritis, libens vobis tribuam. Consenserant utrimque legationi regiæ, erumpunt Saraceni à valle Fraxnith confertissimi die & loco condictis, occurrere parant Vngri. Rex suis undecunque collectis aciem ordinat specie velut his & his futuris subsidiis: quam acute, inquit, incidant lanceæ & gladii hodie ostedite socii mei fortissimi, tā diversorū Dæmonū utra pars vicerit nemini sit curæ. Victores esse qui cœperint tribus vos partibus insilite, parmis *(id est, clipeis)* re ectis ferro utimini, nullo discrimine trucidetur Saracenus & Vngar, neminis illorum misereri certum est, quia mei quidem ipsorum miseret nemo. Confligunt tandem in conspectu Regis in acie prospectantis electissimi Satanæ milites & filii, neutris cedentibus trucidantur utrimque ut victimæ. Tandemque Rex animose pugnantibus veritus ne utra pars ad ultimum aufugeret, signo dato gradatim velut subsidians supervenit, & undique ad hos & ad illos prosternendos turmatim omnes circumdedit, fugæque locum non habentes quos non occidit captos Arelato vendidit: ipse vero paucis amissis Deo & S. Mauritio, in cuius ense & lancea ita pugnabat, laudibus triumphabat, & ut ad nos redeamus.

Glossema sapiunt inclusa.

CAPUT VI.

De Thietone Abbate S. Galli.

THieto tandem fratribus ad prospera & adversa & æquanimiter ferenda in prædictis tempestatibus accerrimæ præduratis, & ad spiritalia ab Engilberto reformatis, initio gubernaculi sui facile præfuit: sed infortuniis maxime dolendis in processu temporum suorum prosecutus lacrimandæ tragœdiæ materiam posteris reliquit. Nam monasterium sub illo crematum est ita. Letania maior Dominicam incidit: fratribus cruces alias sequentibus officinæ loci, ut moris est, non sunt benedictæ, & abinde morem patres statuunt, ut quocunque loci cruces sequamur Presbiter diei, si Dominica fit, claustrum circuiens benedicat. Erant disciplinæ loci, ut semper, & tunc severæ non modo in claustro, sed & in scholis exterius. Vnde etiam præter Clericos, qui apud nos sæpe nutriti sunt, clarissimos ecclesiis variis multotiens dedimus & Episcopos. Et ut tragœdiam *(id est luctuosam relationem)* quam picturus sum, consoler, vidi egometipse Conrado Imperatore Ingilinheim Pasca agente S. Galli Monacho scholas Magontiæ curante officium, ut solitum est, in medio chori crebro Coronati inspectu agere. Cumque manum ille ad modulos sequentiæ pingendos rite levasset, tres Episcopi, hominis quondam discipuli, Imperatore in throno proximi: Ibimus, aiunt, Domine, & Magistrum in eo, quod ipse nos docuit, iuvabimus. Illo hoc gratum fore dicente

Glossatoris sunt inclusa.

descen-

descendentes sociantur S. Galli Monacho inclinantes inclinato, opus Dei quod docuit reverenter cum eo perficiunt. Flebat homo cum gaudio gratias referens S. Gallo. Post missas peractas vix ille coactus pedes Imperii, ut moris est, petere auri uncias in eis positas sustulit. At Imperatricem autem ridente Imperatore per vim tractus & ibi aurum eius sumpsit è pedibus. Machthilda quoque soror eius anulum illi in digitum vellet nollet inseruit. Hæc * ego nequaquam aurium inflationi satagens dixerim, sed ut honorem doctrinæ & disciplinæ loci nostri præmemorans damna, quæ à scholaribus pro * disciplinis pertulimus, quamvis importabilia fuerint, portabilius audiantur. Erat, ut diximus, dies S. Marco solemnis, & ut solent scholasticuli diebus festis, ut cras vapulent, sæpe mereri, veniam per precatores vel inducias, ut verius scribam, secunda feria habuerant. At tertia feria exactoribus, quos circatores vocamus, culpas eorum Magistro rememorantibus omnes exuere iubentur. Mittitur unus vapulandorum in superiora domus pro virgis ibi repositis deferendis. At ille, ut se & socios liberaret, titionem de fornacula quadam citissime rapiens aridis lignis tecto proximis infixit, & quantum ocii erat conflavit. At exactoribus illum cur tardaret inclamantibus domum ardere vociferans reclamavit. Sicque tegulis aridis Aquilone quoque flante incendia rapientibus domus tota flammis colluxit. Revestiti dicto citius omnes Magistro spreto prosiliunt, tecta conscendunt, tegulas disiectas cum igne Aquilo rapuit, & in turris cuiusdam culmina ecclesiæ S. Galli proximæ volantes portavit. Erat turris ipsa ab Hartmoto quondam ad hoc ipsum ignis discrimen tribus muri obvoluta tegminibus, ut thesaurus ecclesiæ, si casu locus ardescat, in hanc per cryptam pervium illac usum habentem raptim portetur. Hæc vero tegulis ligneis super lapideas tecta ignem, ut diximus, rapuit apsidæque SS. Virginum imminens eam, ut adhuc videre est, mordacius igne cremavit. Mira, ut à senibus, qui tunc juvenes aderant, audivimus, mora erat incendii, priusquam superius tectum ignesceret. Campanas enim omnes depositas cum universo ecclesiæ suppellectili evehunt, cancellos confractos circum & super aram Sanct. Galli convolvunt, ne ossa eius quidem igne solverentur S. Othmari tandem corpus exportant, cunctaque quæ exportant in domiciliis curtis Abbatis, quæ incendium vix evaserant, sub custodibus locant. In talibus miseriis & infortuniis Thieto spectator anxius circumcursabat. Incendio postea finito cineres parietibus ecclesiæ proximi caute collecti in profluente purgantur. Hartmotique aurea talenta guttatim micantia eruuntur: varietas hominum de viciniis, ut fit, concurrentium multa fraudibus auferunt. Enimvero, ut aiebant, nec ipsi custodes rerum fidem tenebant, libri multi rapiuntur, tum cætera. Post talia ambustorum infortunia fratribus nec tecta nec victualia per spatia aliqua temporum habentibus fit occasio temptationibus. Per montes enim & valles proximasque villas quaqua poterant fratres, dum loca manendi quærere non erat inhiberi, tum veræ tum falsæ, ut fit, oriuntur infamiæ. Thieto enim, ut necessitas erat, tum per se tum per nuncios de fratribus idoneos, si quos compati sperabat, miseriis loci consulere rogabat. Relicti sunt circa ambusta & cineres Galli senes cum iunioribus non adeo ad imperia parentibus: conveniunt, qui & quando volunt, ad tuguria in ambustis ad hoc ipsum contexta; fiunt disciplinæ per concordes, refelluntur per discordes. Quidam enim disciplinas detrectantium, in quibus in tali tempestate & spes utique esset, excusso iugo recalcitrant, in quibus erat Victor quidam Retianus, doctus præ cæteris, sed juvenis insolens & minus obediens.

al. ergo. *al. discipulis.*

CAPUT VII.

De Cralone Abbate.

ERat tunc Cralo, Abbatis quidem frater, Decanus, homo antiquæ disciplinæ & severitatis, & (ut aiebant) interdum pernimiæ & rigidus inultionibus. Fit Victor reus, invehitur Cralo in hominem severius. Victor autem rebellio factus inter convicia illum insilire parans alapam minatur. At ille pertinaciem devitans equo ascenso fratri foras agenti turbam nunciat. At Anno frater, & ipse quidem homo mitissimus, Victori & propter generis & propter ingenii nobilitatem semper amicus in gratiam eum reducere frustra parat. Nam Abbatem animosum supervenire Victor audiens loco cessit. At Thieto ætate iam gravescens laborumque pertæsus veritus etiam ne iuventus soluta licentia insolesceret, ecclesia & claustro vicinorum juvamine tectis, quosque fratrum voluit, ut Cralonem Abbatem post se eligerent, sollicitavit, idque Victore avulso proclivius effecit. Ottonem adiit, germanum ipse pro se Abbatem fecit iussum quidem, ut si Victor ad se supplex venerit suscipiatur. Nam propinquorum eius quidam per Regem, quæ vellent, effecerant, quibus ille versus & epistolas, quibus se Imperio innotescerent, conquestivas dabat. Rediit Cralo domum, quo festive suscepto Thieto caminatam quandam * veterem, Seniorem angulam vocatam, introiit; loca: quæ Abbatibus supra diximus, dicata in finem vitæ retinuit. Tandem Victor cum propinquis suis viris potentibus venit, supplex, ut iustum est, recipitur, ipsi tamen propinqui hominis, ut ei Abbatiam Fabariensem traderet, precia & prædia Craloho porrigentes frustrati

al. veterum.

ſtrati ſunt, iratique recedunt minati, ſi unquam copia fuerit, ultionem. Compulit tandem Cralo fratres errovagari poſt arſuram ſolitos clauſtro ſtabiles vivere, ſilere & loqui pro tempore, regulam cottidie audire & facere, licentias interdum, quæ etiam irregulares eſſent, tanquam novitiis dare, arcum tendere & laxare. Tandem vero & acrius, quoniam ſic homo erat, in aliquibus commiſſa punire. Vnde etiam, ut fit, odio patuit, cuius ſcintillas quaquà potuit Victor inflammavit, *præter quod & ipſi in ſcholis, quas ei commiſerat, plura incommodaſſet, ſeverius inconſulto eo cum pueris agendo. Sed & prima utriſque diſcordia *manet alta mente repoſta*. Surgit tamen in Abbatem pluralis querela tum à familia tum à fratribus iugum eius propter inſolentiam detrectantibus. Nam & Enſelinum quendam Victoris patruum Fabarienſium præpoſitum ad ſe accitum, cum reum feciſſet verberatum, depoſuit: qui tamen, cum eſſet aſtute acutus, ultioni ſe, quam loco ſuo dicere habebimus, nepote acuente præparavit.

al. propter.

CAPUT VIII.

De Annone Abbate & eodem Cralone.

ERat his temporibus tempeſtas illa pluribus nota inter Ottonem quidem & Luitolfum patrem & filium. Sed Luitolfus per Svevos ſecum tum ſentientes Italiam petens locum S. Galli minax Abbati propter inſolentiæ querelas adiit. Cralo autem adventu eius audito clam aſſumpto Waningo fratre & paucis ſervitoribus ad Ottonem in Franciam profugus venit. Paraturas vero ſanctuarii ille, quas ſecum inconſiderate cariſſimas ſumpſit, furto amiſit. Cum autem & ipſe Rex de eo non bene ſentiret, pro fide tamen, qua fugiens venit, S. Vodalrico condiſcipulo quondam ſuo, qui tunc Aulæ aderat, pro eo loquente cum gratia receptus eſt. Et cum de privato Regis interea paſci iuberetur, magnam cum ſuis penuriam pertulit, propinquis Enſelini & Victoris menſæ regiæ & victualium iconomis (*procuratoribus*) qui ei & in hoc & in aliis quaquà poterant gravi incommodo erant. Luitolfus igitur monaſterio biduum immoratus electione fratrum Cralonem deteſtantium, Annonem quidem fratrem eius Abbatem eis poſuit, pluraque gratiæ & dilectionis ſigna oſtendens fauſta (*id eſt felicia*) ſibi clamantium vocibus proſecutus receſſit. Anno vero homo digniſſimus, ſi digne eſſet electus, frugi Abbatis egerat opera, & virtutes apud Deum & homines. Et anno regiminis ſui uno & fere dimidio, quibus adauxerat inter plura, quæ paſſim accelerans effecerat, opera vallos urbis, ſicut per ſecula videre eſt, miro conatu effoderat, muros ipſos cum turribus tredecim fundans ſupra terram ultra genu altos obiens reliquit. At Cralo cum Rege duos fere annos exul ducens ab iconomis, quos diximus, frequenter turbatus infortunia multa perpeſſus eſt. Venit interea & Enſelinus in aulam, quam diximus, cœpitque cum propinquis ſuis iconomis & aliis, quos plurimo, ut aiebant, auro aeraverat, amicis, ubi ocioſe verſari, vitabundus tamen de Cralo ſe videret ſollicite agere, verſibus etiam Regi ſe per amicos conqueri. Nam & ipſe utique, velut apud S. Gallum educatus, admodum erat litteratus. Et cum elegos (*id eſt, verſus miſerabiles*) eius Rex legiſſet, floſculis verborum delectatus querelis compaſſus eſt. Tandem vero aliquandiu bene celatus caſu Cralonem incurrit. Cui ille: Væ tibi Enſeline, ait: quid tibi hic negocii? per coronam meam iſtam, inquit, malo tuo veniſti. Econtra ille, quod riſum multis moverat, Retianus & minus Teutonus, *Cott ilferro*, reſpondit, id eſt, *Deus adiuvat Domine*: locoque quantocius cedens, minas ipſas in lacrimabiles elegos tranſtulit, & Regi eos ipſe oſtendit. Quibus ille delectatus hominemque intuitus oſculari ſe iubet, regratiandum pro verſibus ſi ambo viverent pollicitus: Cum Abbate tuo te, inquit, quem iam domum regredi pace reddita volo, ubi primum copia fuerit, pacificabo, & ſi quid rei tuæ cum ipſo moliri potero, libens agam. Nam Luitolfus in Italia mortuus erat. Sed & Anno lacrimandus ſuis obierat.

Videtur à gloſſatore irrepſiſſe.

Ex gloſſemate ſunt incluſa.

Gloſſema.

CAPUT IX.

De Cralone reſtituto Abbate.

MAne ſequente Cralo in alloquium Regis vocatus aſſedit, ſed & Hartperto Curienſi Epiſcopo aſſidente, Rex ait: Quoniam quidem, Abba mi, ad caulas redire paras, ouem tibi quandam, non tamen perditam in humeris pono reportandam. Enimvero non dubito, quin noveris quem dico. Cum autem ille aliquandiu ſederet, ovemque tandem recipere nollet, motus eſt Rex. Sed Epiſcopus ita eſt quaſi pro nobis locutus: Vide Rex animum ſubditis non ferendum, qui & tibi poſt gratiam clementer exhibitam reſultare non metuit, & acute ſubiunxit: Neque enim ſi iuſticiam, mi Rex, ipſe mihi feceris, eius eſt ovis illa, quoniam meæ ſedis ſemper erat illa Abbatia, quouſque Salomonis Epiſcopi technis inde eſt ſubducta. At iconomi aſtantes, in fide, inquiunt, qua tibi Rex juravimus, neminis eſt iuſtius Fabarienſis Abbatia, quam fiſcaliter tua. Quibus dicti Aulici omnes atteſtando aſſultant. Rex

vero

vero in ira consurgens consessum diremit. Cralo autem in veniam frustra cecidit, vehementer frustratus gratia Domini. S. autem Vodalricum audiens supervenientem, nocte in occursum eius qui ei infortunia sua panderet misit, ita mandans: Adiutor in opportunitatibus accelera quantocius, quia famulus ego tuus sum in tribulatione. At Aulici adventum Sancti ut prævenirent Regem mane primo ut conventu edicto de abbatia decerneret rogant, timentes quia Ottoni intimus erat sancti hominis præsentiam. Capita autem conventus ut abbatiam fisco regio attestando addicerent præstruunt, aurum Enzelini, quod plurimum ut dixi attulerat, obærando eis dilapidantes. Rege autem assidente, pari consessus testimonio, fisco eius addicitur abbatia, quam ipse illico Enzelino ferula tradidit. Venit tandem Episcopus sanctus nihil contradicere valens Sanct. Galli damnis optimumque ducens si vel in gratiam reducere posset. Quod tandem tamen consiliorum artificio sollicite perfecit, Rege quidem ante datam gratiam iurante, nisi quod sibimet in tempestate bellica fidei specie advenit, tam immitis animi Abbas jam non foret: commissusque ipsi Dei viro redeunti, ut eum in sedem suam auctorabiliter reponeret, fratres quoque quibus invisus erat reconciliaret, Cralo cum illo domum revertitur. Sed in monasterio in adventu illorum acerba fuit confusio. Ad recipiendum enim Episcopum cum evangelio, etiamsi frater conscriptus non fuerit, æquum esse ut pariter occurrant omnes concordant. Sed non sic quidem invisam Craloni quidem insolentiam. Suscipitur Episcopus, Victor evangelium obtulit ipsi, quod ubi ille osculatur, victor revertitur. At Episcopus currax post illum veniens à capillo hominem capiens regyravit. At ipse evangelium in Episcopum rejiciens, furibundus abscessit. Sed ipse codice suscepto Abbati porrigit, quem Abbas osculatum suscipiens per se ipsum usque ad altare gestavit. Victor autem (sonoræ enim vocis erat) responsorium *Deus qui sedes* levat: quod fratres cæteri, quoniam ipse inter eos magni momenti erat, lugubriter percantantes claustrum spretis illis introeunt, & totum illud super se quidam claudentes partim de nocte partim palam recussuri oportunitatem expectant. Erat autem, ut à patribus qui intererant audivimus, inter primam & tertiam confusio ista. Venit Episcopus cum suis & Abbatis militibus ad ostium ecclesiæ, quod claustri est introitus, pulsans vero nominatim condiscipulorum quondam postulat alloquium, hominum qui quaqua opus foret singulares loci sui columnæ quidem essent. Inter quos erant, de quibus loco suo, DEO dante, dicturi sumus magnali, Eggehardus post doctrinas Decanus: Notkerus, quem pro severitate disciplinarum Piperisgranum cognominabant, doctor, pictor, medicus: Geraldus ab adolescentia usque senilem vitæ finem semper scholarum Magister: Burkhardus post Abbas, præter singulares scientiæ & virtutum dotes, nobilitate, qua & cæteri pollebant, regalis. Hi quatuor prælecti à fratribus januæ ecclesiæ clausæ appropiant, & Episcopum, si ad se intrare tenetur, Amalungum ut secum solum sumeret rogant. Erat autem hic Ekkehardi frater laicus admodum litteratus, orator in consiliis facundissimus, consilio magnus, religione Monachus: qui & dulcis ad omnia erat & jocundus, in quodcumque rem, ut aiebant, vertere vellet potentissimus. Huic soli, ut audivimus, laico ab illius memoria Capituli domum intrare permissum est. Operæ pretium erit dicere, si memor sim quæ à diversis diversa audivi, quantos utique Dei spiritus die illa tenuerit, quæ ratio & confessionis fratrum humilitas. Reos se quidem esse, quod Dominum insolentem minus perpeti possint, & quod is, quem liberi patrem elegerint, pro liberis, se servos fecerit, æquanimius non tolerarit: Evangelicæ patientiæ esse usque ad mortem obedire, sed hoc si in persecutione tyrannus infestet, carnifex laniet: se quidem in pace ecclesiæ patrem qui filios diligere non odire, pastorem qui oves tondere non glutire libeat, privilegii iure elegisse: illum vero, lupo veniente, noctu nemini ovium verbum dantem fugisse, se lupis reliquisse, insuper thesauros ecclesiæ clam à se raptos perdidisse: tandemque postquam abbatiam Sanct. Gallo honoram incautela sui amisit, quasi re bene gesta super nos tanquam pastor & pater (aiunt) venit, quibus utique nec amicus est, post & quando nos desertor aufugit, neque per litteras neque per nuncium unquam uno verbo consolatus est. Et Walto Decanus; Sed ô sancte Dei frater tanto tempore per te nobis desertorem ipsum imperii iussu iterum imponendum audivimus, tibi Episcopo & fratri & honorem debitum impendere non dubitavimus, sed illi non ita. Tu quoque insolentia, qua volebas, usus es in fratrem nostrum & tuum. Scias autem nobis animo firmissime sedisse redaperto claustro, quod quidam inconsultius clauserant, quoniam qu dam nostrum est* nemini resistere, introitum non vetare: domicilium autem, quod per Sanct. Gallum nidus noster est, usque ad querelas Regi dirigendas, quoquomodo illum patiamur, etiamsi alapas incusserit, velle fovere. Quorundam autem animos, qui eum fugere, &, ut ipsi aiebant, tyranno cedere cogitabant, ægre sedavimus, & quicquid Deus de nobis fieri pro peccatis permiserit, nobiscum pati persuasimus. Postquam sic per Waltonem Decanum hominem præter dotes generis & virtutū, verbo potentem omnium assensu peroratum est, Episcopus lacrimatur. Et Amalung. Nobis duob. (inquit) qui ad ad tantæ molis causam introducti sumus nun non est flendum, sed solatiis si quæ possumus & consiliis, in articulo hoc commodis, sancte pater, agendum. Optimum videri in aurem dixit, ut ipsum primum fratris, in quem manum misit, animū nec non &

* al. nem. manu resist.

omnium fratrum quantum posset leniret, ne tristiciam hanc super tristiciam habentes minus paterent consiliis. Surgens vero Episcopus, veniam quidem ab omnibus sibi assurgentibus petens, Victori per se prosternitur: à quo sublevatus pacem, Decano monente, viro sanctus obtulit & recepit. Purpuram vero magni pretij, quam ipse protinus Sanct. Gallo dedit, fratri læso postea tradidit. Consilio tum breviter habito, concordiæ cedere omnibus persuasis, Victor tantum solus condiciones quasdam cum Abbate agendas instrepitat: cui animo saniores resultant, introductoque in claustrum Abbate Episcopus cum Amalungo in partem illum sumentes tragœdiam fratrum pandunt, qualemq; se inter eos veniens exhibeat præmonent. Enimvero nisi rigori solito verbis & gestu, prout tempus tunc erat, aliquantulum cederet, novissima peiora prioribus futura præsagiunt. At ille, quæcunque duo illi suadeant, tamen ne Abbatis nomen in se vilesceret videant, facere spondet. Et Episcopus: sunt, inquit, inter ipsos viri, ut nosti, quibus hoc regnum maioris consilij non habet, Regi ipsi noti & grati, quibus te placet primitus pacificari, & eorum consultorem aggredi. Bene, ait, sanctissime monuisti, id ambo ut agendo agatis postulo. Ingreditur tunc solus persuasor fratrum Episcopus, quibus lenitis cum Decanum assumere regrediens vellet, sine capite se inveniri nolle cæteri inquiunt: quatuor autem illos, quos diximus, cum illo progredi sanxerunt. Quibus ille in aurem consulto quædam locutus cum ipsis egreditur, Abbatem dux talib. aggressurus commilitonibus & subridens dixit: Prima coniunctio acerrima est. Amalung. autem, ubi germanum vidit cum illis, surgens occurrit viris, & silentio: Benedictionem ab illo, ait, non adhuc petatis, sed patientes estote, & cõfirmate corda, & taciti usque dum quid sentiat ab ipso, audiatis consistite. Sicut silva, inquit, personas, sic echo resultat. Appropiantibus vero Abbas assurgens *Benedicite* prætulit. Quibus tacitis Amalung: Quantum mihi, inquit, de regula innotuit, minores à maiore benedictionem habent pro tempore petere. Et Episcopus: Magna, inquit, donaria tibi frater offerimus. Et ille: Vtinam mihi, inquit, ut ego ipsis offerar, Dominus

Glossema. donet. Factum est utrimque silentium, parantur alloquia: quæ Amalung. ne forte commotionem paterent pertimescens: Eya, inquit, consilium meum facessere (*id est capere*) utrimq; dignamini. De simultatibus rogo nullum iam verbum hinc iude loquamini sed in pace Domini omni fastu deposito utrimque veniam petentes osculemini. Placuit Episcopo & utrisque consilium, in venias & in oscula ruendo, Post pauca paucis verba utrimque semet anti-

al. consedunt. cipantes considunt inanimes: conferuntur consilia, qualiter eorum corpus capiti & caput corpori restituatur. Stat consilium patrem filiis oblatum in Sanct. Benedicti, cuius imago appicta sedebat, ponere solium. Inducitur manu Episcopi, locatusque parumper residet: tandemque insurgens lacrimando in veniam corruit, sed & Episcopo secum ruente, fratres omnes econtra ruebant. Erat facietenus videre, Spiritum Sanctum opus suum ibimet agere. Osculatis singulis unanimitas in domos solidatur. Amalungus vero homo iocunditatis gratia vox dulcedinis sequentiam *Laus sit ô fidelis Deus* gratulanter incipiens, Episcopo & Abbate cunctisque iuvantibus consummavit. Agitur dies in lætitia, longos rancores caritas fregit.

Non tulit hanc speciem furiato pectore Victor.

Ex Virgil. 1. Æneid. de Chorœbo. Abbatem quippe in sede sua cum vidisset, turbidus exiliit, & quasi loco cessurus capituli domo exivit. Quem tamen Episcopus prout potuit revocatum delinivit, & in Abbatis gratiam reductum ad tempus compescuit: quod tamen post abscessum eius minus quidem profuit. Egreditur post aliquot dies loco Episcopus ad suos iturus, Victoremque, ut putabat, in gratia stabilitum reliquerat. Accidit autem tempore labente, ut ad amicos foras eundi à Decano licentiam Victor peteret, revera Enzelinum modernum Fabariæ Abbatem, ut Craloni damnis insultaret, vel etiam cum illo penitus persisteret, petiturus. Insinuatur Abbati deforis tunc agenti, Victorem quidem abscessum non parvis impensis se celato parare Mittit ille secretius ad militem suum quendam viæ eius contiguum, ut eum custodiret, claustroque suo invitum reduceret. Nemo enim de familia Galli tanti generis viro vim inferre auderet. Custoditus invaditur, ut redeat primo rogatur, tandem cum nollet hastarum impulsibus compellitur. At ille robur quoddam è proximo rapiens militem ipsum capite incutiens equo cadere fecit seminecem. Eo autem cadente omnes pariter sui, Victorem invadentes equo dejiciunt oculosque illi proh dolor furibundi eruunt. Miles autem ille, cum refocillatus illo iam cœcato ad se rediret, multum doluit, quoniam sibimet deinceps domo propria exulandum non dubitavit. Nam aliquando post hæc elapso tempore amicis viri obvius occiditur: armiger quoque eius, qui facinori intererat, in arbore suspenditur. Deportatus per silvam ad proxima armentariorum cœnobii magalia, cœcus intimatur in cœnobio fratribus. Fitque in monasterio non conferenda confusio, pene omnibus in Abbatis insolẽtiam facinus vergentibus. At discipuli hominis pluresque de fratribus celeres ad illum venientes, luctus tali orbo inspecto miscent & in cœlum eiulatus. Re tandem Abbas audita monasterium in tali confusione ingredi distulit, sine armis autem non esse fidelium consilio curavit, quoniam propinquorum cœci minas sævas audiverant. Misit tamen nuncium Decano VValtoni, uti fratrem illum sollicite curaret. At ille severus etiam & ipse: Alius, inquit, dum ego Decanus sum, curet. Dic ergo illi, quod ante me Decani semper infirmos curabant non iussi, sed talem numquam, raroque quisquam Abbatum Mona-

chum

chum, quem cœcari fecerit, Decano curandum commisit. Talibus ille responsis tanti viri auditis, ut Waningum in omnibus tempestatibus suis Capellanum eius dicere audivimus, tantum contabuit, ut vix loqui residens valeret. Victor deinde, per Notkerum Medicum orbibus in brevi sanatis, in bonis postea operibus semet exercuit. Et ut ea, quæ de eo audiveram, brevi perstringam, Argentinensis quidam Erchinbaldus nomine, sanguinis sui Episcopus sub Burkhardo Abbate propter doctrinas & miseriæ consolationem permisso ipsius ad se hominem traxit, & urbem suam doctrinis eius floridam fecit. Tandem autem Episcopo defuncto cellam quandam heremiticam intra Hochfeldinos montes, Longum mare vocatam, solitario defuncto ingressus per multos annos tenuit, mu tasque virtutes, ut ibi celebre est, in extremis suis faciens, sanctissimus circumquaque habitus diem senex obiit. Veni autem & ego ipse in locum ad quendam tunc temporis magni nominis solitarium, vidensque inter colloquia sepulchrum quoddam plus cæteris honoratum, cuiusnam id esset quæsiveram. Sancti Victoris esse ait. Et cum breviter mihi vitam eius & casus utique plus notos panderet, nihil venenatum super illum tumulum vivens progredi posse asseruit. Serpentes autem enormes ibi videre est plures, & reptilia informia, Vsque huc de Victore. At Cralo quasi corpore tristicia effœto & doloribus incedere cœpit in dies amplius languidulo. Nam & fama erat venturos quantocius ab Imperio, qui eum ob vindictam facinoris depossituri erant à regiminis solio. Nam Regem procul contra Danos Slesvvick agentem factum non latuit. Ingresso tandem monasterium variæ ei res erant cum variis. Quadam autem die quorundam quasi fidelium consilio fratribus, sed & Victore, præsentibus rogat licere sibi conscientiam in ara Sanct. Galli iuramento purgare de eo, quod in Victore patratum est, facinore, ita uti sic sibi Deus lumen æternum daturus sit, sicut ipse in privatione luminum eius hominis reus fuerit, Ad quæ Gerhaldus ad responsa, ut aiebant, semper paratissimus: Prætermisso, inquit, quod manus in illum mittere Domine mi iusseras, ne sic quidem tanti facinoris, ut aiunt, causa fueris. Tandem vero nemini iam fratrum animo sedit, illum iureiurando reatum ipsum à cervice sua excutere posse. Differtur tamen causa propter honorem eius in posterum, præter quod etiam ipsa die Virginem Kerhildam Notkeri Balbuli neptim apud Sanct. Magnum circa Wiboradæ clausulam includere ipse condixerat. Nam & antea quidem Rachilda post Wiboradæ passionem iugissima primo ad DEVM assumpta: Perchtera quædam vidua sancta cum & ipsa includi apud nos optasset, & clausula eius sibi oblata pene annum in probatione laudabilis appareret, vulgi visitationes crebras & inanes devitans in cella Salomonis circa parietem tituli Sanct. Georgii includi rogaverat, magnarum virtutum operatrix plures inibi annos exegerat. Obiit quoque cum omnium dolore VValto Decanus, & in locum eius subrogatur Burkhardus, & anno elapso velut comitus post eum fit Ekkehardus Decanus. In quo tandem Cralo plus quam in semet confisus loco, quoniam imbecillior in dies erat, interdum cedens Herginisovvam pro pausatione creber adierat, fratribusque absentiam eius non ægre ferentibus ibi manebat. Nam in Ekkehardo natura & studio caritatis dulcedine pleno spiritus cunctorum quieverat: qui de Ionsvvilare quod ut diximus ipse requisivit & tenuit, hebdomadam septem cottidie victualium statuit cum pane abundo & quinque mensuris de cervisia: quarum quintam nonalem quidem vino comparari voluit. Hic aliquando Romam pro voto pergens Papæ intimus factus aliquandiuque apud illum propter doctrinam detentus, aeris terræ vicio morbo corripitur, perque sex hebdomadas lecto tenetur. Papa vero sæpe eum visitans impensorum copiam dabat. At ille quadam die satis iam tarde quidem eum rogat, ut, quando proxime se visitet, Iohannis Baptistæ reliquias secum ferat. Erat enim semper assertor eius & amator validus. At ille mane proximo ad eum cum reliquiis cum accederet, æger in amplexus ipsarum & Papæ assurgens ex illa hora melius habere cœpit, & cum in brevi convalesceret, reliquiis Baptistæ & multorum ab Apostolico donatus Sanctorum, sospes domum rediit, & permisso Burkhardi tunc Abbatis & dote ecclesiam illis decoram paravit. Multa de eo post dicenda sunt, sed prius à quo spiritu ductus sit ex verbis illius nosci liceat. Scripsit enim doctus ille sequentias *Prompta mente canamus Summum præconem Christi, Qui benedici cupitis, A solis occasu.* De S. Afra antiphonas ut reliquias eius mereretur Luitoldo Episcopo & sententiam dictavit, & hymnum *O martyr æterni patris*, antiphonam *Ambulans Iesus, Adoremus gloriosissimum.* Scripsit & in scholis metrico magistro vacillanter quidem, quia in affectione non in habitu erat puer, vitam VValtharii Manufortis. Quam Magontiæ positi Aribone Archiepiscopo iubente pro posse & nosse nostro correximus. Barbaries enim & idiomata eius Teutonem adhuc affectantem repente Latinum fieri non patiuntur. Vnde male docere solent discipulos semimagistri dicentes: *Vide quomodo disertissime coram Teutone aliquo proloqui deceat, & eadem serie in Latinum verba vertite.* Quæ deceptio Ekkehardum in opere illo adhuc puerum fefellit, sed postea non sic, ut in Lydio Charro mannico mole ut vincendi ipse quoque oppressit. Obtulit autem ille S. Gallo ad monachatum quatuor ex fratribus vel sororibus nepotes suos: duos sibi æquivocos Burkhardum quoque post Abbatem, Notkerum Magistrum nostrum: quorum quisque ecclesiæ dicendus sit speculum, de quibus loco suo memoralia sua dicemus. Vnusquisque enim ipsorum libro suo sufficeret. Tales palmites

dum vitis illa iam mitteret, bene matura in die Felicis in Pincis vindemiata est ipsa. Talis autem luctus de obitu hominis erat, ut Decanus post illum. Immo postque Abbas ipse ad S. Michaelem, ubi liberius eiulare posset corpore eius in feretro posito secederet ita vociferans: Vide Domine

---- *& considera quem vindemiaveris ita.*

Et his quidem per digressionem dictis ad Cralonem redeamus. Enimvero Ekkehardum hic defunctum ad facta sua insignia mox resuscitabimus. Cralo autem cum indies viribus deficeret, & iam sæpe Victoris amicis milites sui securitatem frustra pro eo porrigerent armis infra forisque commanens custoditur. Tandem vero communi consilio responsa totius Abbatiæ committit Ekkehardo. Ipse autem in Herginsovvam exercitii gratia equitans ibi in lectum decidit. Videns autem finem vitæ adesse, Ekkehardum cum fratribus sanioris consilii evocans disposuit domui & ipse pro se Abbatem eligere. Facile omnibus persuasis viam omnium ingressus est, reportatusque cœnobium honorifice sepelitur. At Ekkehardus Ottone apud Anglos cum Adalrage Rege ipsorum socero suo aliquandiu agente, ut iunctis viribus Chnutonem Danorum debellarent Regem, habenas Abbatiæ, sicut sub Abbate vivo solebat, usque ad cognitionem Imperii strenue regebat. Accidit autem ut quadam die foras iturus ante portam equo in glacie lapso tibiam pedemque confringeret, hisque non recte coagulatis postmodum claudicaret. Qua causa electionem suam omnium fratrum concordia in Burkhardum unanimem suum transtulit, de quo supra diximus, de quo etiam adhuc altius quædam repetere habemus,

CAPUT X.

De Burkkardo Ingenito & parentibus eius.

VODALRICUS quidam Comes de Karoli prosapia Wendilgartam Henrici Regis de filia neptim uxorem accipiens Adalhardum, qui Gallo Altstetten post tradidit, de ea & filiam procreavit. Hic nuncio Buochorn, ubi habitavit, accepto Vngros Noricum, ubi prædia ei erant, irruere, hostes cum cæteris bello aggressus victus capitur, & in Vngariam captivus asportatur. Qui autem Vngros Aggerenos putant, longa via errant. Wendilgarth vero quasi viro, ut fama erat, occiso vidua ad nuptias petita nutu Dei nubere noluit, sed Salomone rogato ad Sanct. Gallum concessit, ubi sibi iuxta Wiboradam caminata constructa de suo vixit, fratribus & pauperibus pro anima viri quasi defuncti multa largitur. Dulciaminum autem cum esset avida & novitatum semper appetens, uti delicate nutrita & his assueta, increpata est à Wiborada, quoniam non esset signum pudicitiæ in fœmina appetere varia cibamina. Quadam autem die ante clausulam virginis cum sedisset ad colloquia, poma sibi dari ad vescendum, si dulcia ibi haberet, petiverat. Quibus pauperes utuntur, illa, ait, habeo pulcherrima, proferensque mala de silva acidissima inhianti & de manibus ei rapienti reliquerat. At illa vix unum dimidium ore & oculis contractis vorans, cætera proiiciens: Austera es, ait, austera sunt & mala tua. Et cum esset litterata: *Si omnia*, inquit, *mala factor talia creasset, numquam Eua malum gustasset.* Bene, ait illa, Evam memorasti: enimvero quomodo & tu

Ex glossemate. sic deliciarum avida erat, ideo in esca un us mali peccaverat. Abscessit fœmina nobilitatis, rubore perfusa per virginem humilitatis, vimq; posthæc sibimet inferens dulciamina occursantia ligurrire (*id est summatim gustare*) abstinuit, tantaque monitrice in brevi adeo excrevit, ut sacrum velamen, quod antea detrectavit, à iam dicto Episcopo imponi sibi synodo faventerogaverit. Quo facto, laicali in tantum exuta est animo, ut virtutibus cum inclusis assuefacta post Rachildam, quæ passim in corpore & mammillis ulcerosa cottidie emori visa est, in-

** 2. mss. vere.* cludi optaverit. Et quia * fere & ipsam quidem martyrem (*scilicet Rachildam*) incidimus, levius ei erat cum magistra (*scilicet VViborada*) semel cerebrum dispergẽdum obtulisse, quã XXI. post

Inclusa glossa toris sunt. illam annis testa saniem cum S. Iob inclusam rasisse. Cum tamen interea ieiunare & orare (vigilare enim dolores dabant) & eleemosynas da re non tæderet, ut de illa * Ekkehart, qui supra, consobrinus eius cecinit:

** Senior Decanus*

Hanc Sathan hanc læsit, cum Iob saniem sibi rasit:
Ieiunans flevit, tormenta dolens vigilavit.

Neque enim vitam vel passionem votivæ martyris lucidius succingere potuit. Ad cuius sepulchrum in repentinis angustiarum motibus, experto credite, multum valet orasse. Venerat quarto anno nunciante anniversarius, ut credebat, viri sui amarus, & VVendilgarth Bouchorn adiens dispersit ut solebat, dedit pauperibus. Et ecce Vodalricus captivitate fortuito elapsus eam inter cæteros pannosos, clamdestina arte se celans, ut sibi vestem daret inclamat. Quem illa quod improbe audaciusque mendicaret increpitans, vestem tamen ei velut indignans dedit. At ille manum dantis cum veste stringens ad se tractam amplexatus, vellet nollet osculatus est, capillisque prolixis in collum manu reiectis cum etiam aliqui alapas minitassent: Parcite quæso, ait, tamdem alapis, quam multas pertuli, & Vodalricum vestrum recognoscite. Audita tandem voce Domini milites stupidi, vultuque

quon-

quondam noto inter crines recognito, clamose salutant, familia gratulans vociferatur. Wendilgarth autem dum quasi dedecus ab aliquo passa stupida resedisset; Nunc demum (ait) Vodalricum mortuum sentio, cum talem ab aliquo pertuli violentiam. Ille autem cum ei manum de vulnere aliquo quondam notissimo ad allevandum porrigeret signabilem, quasi de somno evigilans; Dominus meus, ait; omnium hominum carissimus. Salve (ait) Domine, salve semper dulcissime. Et inter oscula & amplexus; Induite, inquit, Dominum vestrum, donec ei lavacrum ad horam acceleretis.

Indutus vero; Eamus, inquit, ad ecclesiam, & inter eundum; Quæso, ait, quis capiti tuo velum illud imposuit? Audito quod in synodo Episcopus, tacitus sibimet; Nec ego te iam, nisi eius permisso, amplecti (ait) habeo. Laudes à clericis tandem, qui plures ad diem convenerant, inchoantur: à plebe persolvuntur: missas pro vivo non pro defuncto in gaudio celebrant. Itur lavatum, fama volans ut fit multos adduxit. Convivio diei opipare (*id est laute*) per acto dies multi lætificantur. In proximo fit synodus, repetit uxorem, quam Deo ille subarraverat, ab Episcopo Vodalricus. Velum manu Episcopi ablatum in scriniis ecclesiæ synodi decreto servandum locatur, ut si vir eius prior obierit, vidua illud reinduat. Nuptiæ tandem aguntur à principio, concepit mulier, Gallumque suum & inclusas sanctas viro comite votive adiens, si masculum pepereri, Sanct. Gallo Monachum devovit. Abeunt igitur domum. *Glossema.*

At tempore labente appropinquans partui prægnans periclitatur, & ante quatuordecim temporivi partus dies emoritur. Infans excisus & aruinæ porci recens eructæ ubi incutesceret involutus. bonæ indolis cum in brevi apparuisset baptizatur & Burkhardus nominatur. Pater illum tandem nutricis sinu adductum Gallo, ut cum matre voverat, super aram ipsius ponens cum terris in Hœsten & decimis multum matrem plorans initiaverat. Educatur puer in monasterio delicate pulcherrimus. Solebant autem fratres eum cognominare Ingenitum. Et quoniam immature est editus, nec musca illum sine sanguinis eruptione postea mordebat, ideoque & virgis in eo magister parcebat. Vir quoque factus virtutes sibi ingenitas, quamvis carne imbecillis fuerit, semper amabat, & animo bene maturo immaturæ præerat carni. Tali ac tanto patri virtutes longa consuetudine in naturam iam vertenti Ekkehardus honores sibi oblatos omnium assensibus obtulerat. Dirigitur tandem cum fratribus allectis magno Ottoni Magontiam, Chnutone Rege victo Schlesvvich revertenti: qui illum ante notissimum ut eminus aspexit, Accelera, ait, nepotule & osculare: (pusillus quidem erat & pulcher facie) stringensque illum sub chlamyde delicate tractavit. Videns autem ferulam; Estne mortuus, ait, Monachorum suorum ille * cæcator? Defunctus, inquiunt, Abbas noster est ô Rex: in Deo nunc solo est quid fuerit. Deinde singulos osculatus; quid velitis, ait, video: sed quem velitis nescio. Eum ipsum, aiunt, ô Rex quem amplexaris dominum nostrum Burkhardum, quo dicto procedebant pariter. Surgere iussi; Sed & Pater noster Ekkehardus precator noster orationem vobis, aiunt, mandat & salutem, & promissorũ frequentium in hoc uno vos memorem postulat. Vereor, ait ille, ne disciplinarum severitates, quas patres vestri præ omnibus amaverant, exosi ad hunc tantillum, mitem quidem vobis & consensibilem, concesseritis, & quare illum ipsum quem dicitis, virum magnanimum non elegeratis? Deinde omni serie electionis per ordinem propalata ad hoc etiam: Non adeo mitis ô Rex, inquiunt, hactenus fuit in disciplinis, ut earum neglector quidem ullo modo sit fore putandus? Quibus auditis dum quiesceret, conversus ad illum, amento virum, manum tenuit & delicatis verbis? Tunc eris Abbatulus meus? si Domini voluntas sit fiat & mea. Deinde illum secum duxit in ecclesiam ad Otigebam Reginam, Nepotem hunc meum, inquit, mox Abbatem te iuvante futurum ad tuam offero gratiam. Collectaque continuo facta, ferulam exigens tribuit ei verbis quibus solitum est Abbatiam. Ipse autem *Te Deum laudamus* inchoans omnes qui aderant, laudibus instare monebat. ** miss. creater.*

Quibus ita finitis cum Abbatem novum Regina in partem sumptum amice haberet, calicẽ S. Galli magni pretii aureum dare, si ei Fabariensis Abbatia reddi possit, pollicetur. Regii iuris, ait illa, ambo sunt & calix & Abbatia. Sed petitionem tuam opportunus forte alia quam nunc vice ego quidem Domino meo intimabo. Quapropter quia nunc unam accepisti, domum redito, & cum proximo adveneris, pro altera puto comodius interpellare tunc habebis. Missione deinde hilariter sibi ab Imperatore data, domum rediit. Qualem autem se consiliis Ekkehardi quantũque exhibuerit, pauperes nec non fratrum & familiæ pars multa, quam videmus adhuc hodie, quidem interdum cum lacrimis testari solet. Delicatus autem cum esset, ut diximus, Episcopi tunc quidem Counradi iussu carnes edebat. Quod tamen pace novitatis Monachorum; qui irritare nunc Deum solent in adinventionibus suis, ut multiplicetur in eis ruina, nequaquam dixerim. Quibus tamen licentius erat carnes crudas laniare, quam infanda plura, quæ quasi religiosi superstitione quadam schismatica assolent facere. Nimia est tamen, si ausim dicere, varietas vestis ecclesiæ, qua scribitur induere si utrosq; quos dicimus suo quidẽ colore in eam dignatur intexere aut deforis, ut interdum solet, * polymitare. Relinqamus necesse est Deo soli iudicium suum: cum tamen id audenter & veraci argumento possimus asserere, si aliquid apud nos in his schismatum tempestatibus cœlum, ut vere quidem faciunt, adipisci nituntur, acrius quam in Patrum sere- ** al. polimetare.*

nitatibus, ut aciem Sathanæ perrumpant, assurgere habent in clypeum, validius torquere spicula, acutius iacere tela. At Burkhardus eleemosynas, ut ab infantia solebat, quia nunc copia maior foret, agere nimium lætatus non egenis solum & peregrinis, sed passim tam fratrum quam familiæ palam & clam dispersit dedit pauperibus. Cumque hoc sedulus dies & noctes agens subnudus interdum domum rediisset vel nudipes; Camerarius suus Richere fratris quidem filius incusabat illum crebro secretius, quasi camera sua dispersiones eius ferre non posset, cum unis distractis semper alia reposceret. Cumque ille aliquando nepotem, ne sibi molestus esset, secretius argueret, Enimvero, ait, si tu non dederis quæ postulo, alium scio (Decanu dicens) qui in quantiscumque poterit, me quidem adiuvabit. Nam ille sæpius quæ egenis, dem quam tu, roccos videlicet & camisias, caligas & calceos, & cætera usque ad cingula mihi clam suggerit, sed & sub opertorio lectuli ut ibi inveniam abscondit.

Cum autem etiam Ekkehardus ipse per se esset elemosynarius, iocundum quiddam de eo dicemus. Hominem quendam domesticum cum ad hoc quidem destinaverit, ut si quos ei pauperes vel peregrinos diceret, clam in domo ad hoc decreta lavaret, raderet, vestitos reficeret, & noctibus jussos ut nemini dicerent à se emitteret. Accidit quadam die ut ei contractum, Gallum genere, carruca advectum ut solebat, cõmitteret. Quem ille grossum quidẽ & crassum cum toto virtutum annisu, clauso super se solos ut iussus est ostio, vix in vas lavacri provolveret, maledicens (erat enim irascibilis) vere, ait, simpliciorem quam Dominum meũ hodie nescio hominẽ, qui cui benefaciat discernere nescit, mihi quoq; tam pinguem helluonem dorso sustollere iniunxit. At contractus cum aqua sibi lavacri nimis videretur calida, Gallice rustice, *kalt kalt est*, ait. At ille quoniam id Teutonum lingua *frigidum est* sonat, & ego, inquit, calefaciam? haustamque de lebete ferventi lavacro infundit aquam.

At ille cum clamore horrido; *Eya mi kalt est kalt est*, ait. Enimvero, ait ille, si adhuc frigidum est, ego hodie vixero si tibi illud calefícabo, & hauriens adhuc ardentiorem infudit. At ille bullientis aquæ fervorem ferre non sustinens, oblitus contracturæ citus assurrexit, lavacro exilivit, ad ostium recludendum ut fugeret velociter currens cum pessulo aliquandiu luctatur. Sed & hominem ubi deceptorem vidit, titionem ardentem ab igne dicto citius rapiens grandes sine numero nudo infregit. Ad Ekkehardus turbam & voces in superiori domo audiens, acriter in utrumque cum citius descenderet Teutonice & Romanice invectus est, hunc cur falleret, illum cur sibi ad puniendum hominem non reservasset increpitans. Eya, ille ait, mi DOMINE severe, tute ei corniculum abmorderes, & plures quam ego nunc illius ori infringeres? enim vero longe aliud ageres, scelestum hunc vestitum & saturum noctu à te deosculatum dimitteres, quod ut te novi & hodie facturus es. Et ille, *ô servum* (ait) *furciferum! annon licet mihi facere quod volo?* &c. His peractis castigatum quidem verbis hominem & ne facinus tale unquam repeteret iurare coactum abire permisit. Et quoniam hic locum aptum puto, de Ekkehardo sororis eius filio, quem & ipse & Geraldus docuerant severe, rem arduam aggredior: quoniam cum tales viri aut nulli aut nunc rarissimi sint, discredi mihi vereor. Erat hic facie adeo decorus ut inspicientes, sicut Iosephus de Moysi scribit, gratia sui detineret, ut Otto Saxonicus Rufus de illo: *Nemini umquam*, ait, *Benedicti cuculla decentius insederat*: statura procerus, forti assimilis, æqualiter grossus, oculis fulgorosos, ut quidam ad Augustum ait;

Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum: sapientia & eloquentia, maxime autem consiliis nemini id temporis postponendus. In ætate florida gloriæ, ut talis facturæ vir, quam humilitati proximior: sed postea non ita, quia disciplina, cum qua nihil unquam participii superbia habuit, in ipso erat spectaculo digna. Doctor prosper & asper, nam cum apud suum Gallum ambas scholas suas teneret, nemo præter exiles pusiones quicquam alteri nisi Latine ausus est proloqui. Et quos ad litterarum studia tardiores vidisset, ad scribendum occupaverat & lineandum; quorum amborum ipse erat potentissimus, maxime in capitularibus litteris & auro, ut apparet in versibus fornicis Galli, quos fecit.

Versus Ekkehardi Minoris Palatini.

Templum quod Gallo Gotzpertus struxerat almo,
Hoc Abbas Immo picturis compsit & auro.

Has ille litters cultello concisas illic liniverat. In litteris autem studiose mediocres & nobiles æque erudiverat; quorum tamen numerosos Gallo & aliis ad summum evexerat. Eorum enim plures ipse vidit Episcopos, ut quondam Magontiæ in generali concilio cum consessum adveniens intrasset, sex ei quondam discipuli tunc Episcopi assurrexerant & magistrum salutabant. Et Wilegisus Archiepiscopus digito accitum osculatus: Digne fili mi, ait, & tu quandoque cum talibus inthronizaberis. Cuius pedes cum peteret, manu eum delicate erexerat. Et quoniam præpostere fortunam hominis prælibavimus, ad altiora eius acta veniemus.

Hadavviga Henrici Ducis filia, Suevorum post Burkhardum virum Dux vidua, cum Duellio habitaret, femina admodum quidem pulchræ nimiæ severitatis cum esset suis, longe lateque terris erat terribilis. Hæc quondam parvula Constantino Græco Regi cum esset desponsata, per eunuchos eius adhoc missos litteris Græcis apprime est erudita. Sed cum imaginem virginis pictor eunuchus Domino mittendum uti simillime depingeret sollicite eam inspiceret, ipsa nuptias exosa os divaricabat & oculos. Sicque Græco pervicaciter repudiato,

litteris

litteris post Latinis studentem Burkhart illam Dux multipliciter dotatam duxit, & cum iam esset decrepitus, thalamo (ut aiebant) secum nequaquam cubantem in proximo moriens quamvis non intactam, incognitam ut celebre est cum dotibus & Ducatu reliquit puellam. Hæc S. Gallum vidua orandi aliquando petiverat causa, quam Burkhardus Abbas festive susceptam utique neptim, donis cum prosequi pararet, ipse se alia dona nolle ait quam Ekkehardum sibi doctorem si Duellium ad tempus concederet. Nam cum Portanarius esset, de voluntate ipsius ipsa cum eo pridie secreta condixerat. Quod cum Abbas ingrate quidem concederet, & avunculus dissuaderet, ipse tamen nihilo minus quæ petitus est facere pertenderat. Duellium die condicto cum ægre expectatus veniret, ultra quam ipse vellet susceptum in conclave suo proximum, suum (ut ipse ait, manu duxit magistrum. Ibi nocte & die cum familiari aliqua intrare solebat ad legendum pedissequa, foribus tamen semper apertis, ut si quis etiam ausus quid esset, nihil quod diceret sinistrum haberet. Illic quoque crebro ambos ministri & milites, Principes etiam terræ lectioni aut consiliis invenerant agentes. Moribus tamen illa suis severis & efferis sæpe virum exasperans domi interdum quam secum mansisse multo malle fecerat. Vt in dorsi pallio & cortina lecti sui quæ humilia sentiens ipse iussit deponi, deponentem illa iussit verberari, & Magistro multa rogante vix concessit non decapillari. Domum ille aut festis, aut quando libet, visere iret, opinabile erat quantas homini impensas navibus Steinham præmiserit, novum illi semper aliquid in paraturis aut sibimet utendum aut Gallo offerendum acutissima ipsa Minerva præstru, faciens. Inter quæ præter casulas sericas, cappas & stolas, alba est illa Philologiæ nuptiis auro insignis; præter quæ dalmaticum & subtile pæne aures, quæ postmodum, immone Abbate sibi antiphonarium quendam petitum denegante, acutia sua versipelli resumpserat. Patuerant his temporibus ora invidorum, ut semper, in Monachos quasi pro libitu viventes. Positus est, ut cæteros relinquamus, & nostra fortunia tangamus, Augensibus Abbas de fratribus ipsorum nomine Ruodmannus. Qui cum suis tyrannice præesset, pellem vellicare nesciens perscinderet, linguam quoque malignam in Sanct. Galli Monachos quasi minus regulares quaqua poterat dilatabat. Erant adhuc S. Gallo præter Ekkehardum, quem dicimus, iuniores que quos patres nutriverant multos, Ekkehardus Decanus bene validus, Gerhaldus, Notkerus, Chunibardus Altaha *(id est nomen loci)* post Abbas, Walto secundus, qui iussu Abbatis sui Ruodmannum per Ekkehardum internuncium convenientes linguæ parceret fraternæ rogabant. Quod ille cum minimi penderet, nuncium tamen & personæ honore & Ducis severæ, ad quam etiam ille tunc ibat, timore tractabat condigne. Ipse vero Ekkehardus cum hominem ad omnia ad versativum prudenti facundia crebro inter agendum frustra convinceret, minis eius validissimis motus ad monasterium clam rediit, & qui obstaculum adventus sui Duci rediceret in montem propinquum remisit, & missionem Ruodmanni dedignans ibivit. Ad Ruodmannus ad Ducem eum abisse arbitratus equite ascenso S. Gallum noctu invadens claustrum clamdestinus introiit, ut si quid reatui proximum invenire posset, furtive perspiceret. Et cum claustrum sibi notissimum circuiens undique speculatus fuisset, nihil voti sui inveniens e parte ecclesiæ dormitorium ascendit, secessumq; fratrum pedetemptivus ascendit & occulte resedit. E vestigio illum Ekkehardus homo ad omnia circumspectus strato surgens insequitur nescius eius, solumque hominem nactus miratur quisnam fratrum noctibus vobis insolitam ita iret viam illam vitabundus. (Lumine enim ille officinæ obscuro sedebat occultus.) Aliquandiu autem cum quis hæsitasset, runcore narium, quo commotus solebat, Ruodmannum esse persenserat, illicoque accensam, quam fratrum quendam afferre monuit, Abbatis lucernam coram illo statuit, & stramina apponens pro capellano procul constitit. Accedentesque solito fratres silentium nutibus monuit, miratos cui laterna steterit. Nam Abbas, cui soli laterna geri solita est, loco abfuit. Tandem diu expectatus cum nescius ille quidnam facere posset surgeret, & laterna levata abeuntem eadem qua eum venisse senserat prævivit via. Et cum ad introitum ecclesiæ, ubi locus auditorii est, venissent, sedere eum quoad eum Decano avunculo & fratribus intimaret, ut hospitem tantum non ignorarent, silenter monuit. Et ecce fratrum pars, maxime juvenum, novitate rei stupidi cum appropiassent, quidam ipsorum re agnita flagello de pyrali rapto scelestum illum incurrens clamitat, & nisi animis saniores ei erecto ad ictum brachio occurrissent, grandes incussisset. At ille se in angustia esse tandem sentiens, si fugæ (inquit) copiam haberem, juvenum optimi, profecto fugerem: nunc autem in vestris quia velim nolim sum manibus, mitius mecum quidem vos condecet agere, sed & Decanum vestrum & cæteros fratres expectare. Decanus tandem consilio in brevi petito supervenit cum patribus.

Ex glossemate. Est Abbatia Bavariæ, de qua infra. ist

At Notkerus Medicus Piperis granum animosior in illum: Malo tuo versutissime hominum, loco quærens quos devores, fratrum quos alter Sathanas accusas manus (inquit) incideras. Ille vero tanti viri verbis tremefactus Decanum animi piissimi non ignarus; Vide, ait ille, pater prudentissime, ne me æquivoci tui artibus circumventum dehonestari sinas, & te postea intempori ve pœniteat, tandemque procidens, ecce (ait) veniam ab omnibus peto, ut in gratiam vobiscum rediens deinceps talibus quidem abstineam. Moverat animis saniores repentina rerum in tam potenti mutatio. At alii, ut fit, aliud fremebant. Tandem consul-

to Ekkehardi lenitis patribus, & per ipsos omnibus reconciliatus, ipso comite ad suos ubi iussi expectabant est egressus, lætaque coram suis locutus abibat, obnixe Ekkehardum, ut quando proxime Duellium pergeret, sed non præteriret inter cætera rogans.

Fratribus vero duo vasa vini per ipsum pollicitus nave Steinaham in proximo misit. Sed Burkkardus foris turbam audiens nimis cum adveniret doluit, quod tam securus & liber abivit, querelasque inauditæ rei Episcopo mandat. Et ecce Ekkehardo æquivoco Diacono, & Burkardo puero post Abbate consobrinis comitatus Duellium pergens iterum Augiæ Ruodmannum, ut condixerant, alloquitur. Inter colloquia versutus ille artibus suis abusus imparem non invenit, nam festinantem ne serus feminæ severæ adveniret, equo decoro donat, quem ille cum parte comitatus cum præmitteret, paulisper inter verba læticiæ & familiares astutiæ ictus sciolus tardat, tandemque cum inter amplexus & oscula dimitteretur, supplantator ille hospiti suo in aurem; Fortunate, ait, qui tam pulchram discipulam docere habes grammaticam. Ad quod ille quasi caro assensu subridens talia in aurem adversario reddit amico, sicut & tu, Sancte Domine Kotelindam monialem pulchram discipulam caram, docuisti quidē dialecticā: dictoque citius cum ille nescio quid resibilare vellet, ab eo divertens equo ascenso indignanter abivit. At Otkerus frater & Miles Abbatis cum motum sensisset, illum equum Domini mi ut mihi videtur penitus perdidisti.

Fratres autem quos diximus duo illi, sicut ab ipsis audivimus, cum missionem peterent inclinari, aversus ab illis ait fratri; Utinam, inquit, post illum celeres qui equum illum nobilem mihi reducant mittere velles. Et ille, enimvero (ait) illam petit ille cum suis nūc feminam, ut cuiquam meorum quicquam illius tangere iubere non præsumam. Sic illi duo equis ascensis post Magistrum modeste perrexerant. Ascendentes autem montem apparuerunt Duci ad vesperas eunti. Quibus salutatis, (nam turbam Ruodmanni iam priorem audiverat) enimvero, ait, ut audio Magister mi non percommodus laternifer fuisti lupo illi aliunde caulas intranti. Cumque ille quidem subrisisset; *Per Hadwigæ* ille ait *vitam* (sic enim iurare solebat) *si imperitorum aliquis claustri illius invasori grandes infregisset, non ego curassem.* Altera deinde diem cum diluculo, ut ibi solebant, silentium regulæ, cuius & ipsa exactrix erat sollicitas de more persolvisset, (nam iam monasterium in monte statuere cœperat) Magistrum lecturæ adiit, & cum consedisset, ad quid puer ille venerit pro astante inter cætera quæsivit. Propter Græcismum, ille ait, Domina mi, ut ab ore vestro aliquid raperet alias sciolum vobis attuli. Puer autem ipse pulcher aspectu, metro cum esset paratissimus, sic intulit;

Burckhardi Iunioris versus.

Esse velim Græcus, cum sim vix Domna Latinus.

In quo illa, sicut noverum rerum cupida, adeo est delectata ut ad se tractum osculata scabello pedum proximius locaret, à quo ut repentinos sibi adhuc versus faceret, curiosa exegerat. Puer vero Magistros ambos intuitus, quasi talis osculi insuetus, hæc intulit.

Eiusdem versus.

Non possum prorsus dignos componere versus;
Non nimis expavi Duce me libante suavi.

Illa vero extra solitam severitatem incachinnans versa tandem puerum coram se statuit, & eum antiphonam, *Maria & flumina* quam ipsa in Græcum transtulit, canere docuit; ita; Θάλασσαι καὶ ποταμοὶ εὐλογεῖτε τὸν κύριον, ὑμνεῖτε πηγαὶ τὸν κύριον, ἀλληλούϊα crebroque illum postea, cū vacasset, ad se vocatum repentinis ab eo versibus exactis Græcissare docuit, & unicè dilexit; tandem quoque abeuntem Horatio & quibusdam aliis, quos hodie armarium nostrum habet, donavit libris. Ad Ekkehardus Minor ille interea cum puero ad alios, ut solebat, quosdam Ducis Capellanos, quos illa nullo modo in curte sua ocia tenere est passa erudiendos secesserat. Nam & ipse erat idonee litteratus. Remanserant solito soli ad legendum illi. Virgilius erat in manibus, sed & locus ille;

---Timeo Danaos & dona ferentes.

Locum hunc, Ekkehardus ait, commode heri ego Domna mi memorare habui. Et cum ei quomodo se Abbas Augiam invitatum equo honorabili donaverit, versutis tamē sermonibus inter dona non abstinuerit, insinuasset, ultima tamen utrimque in aures susurria celavisset; Vellem, ait ille, omnem illam quæ nuperrime inter vos accidit à principio audire tragœdiam, quoniam si eam vere quidem audierim ignoro: miror etiam me Imperii vicaria tam prope assidente duo mei Ducatus monasteria, me quidem spreta, tanta miscuisse infortunia. Enimvero nisi consiliarii dissuaserint, ubi reatum invenero, iuste vindicare habeo. Et ille Infidum est, ait, serena mi; ut ego quidem, qui reconciliationis post avunculum pars maxima fui, accusative tibi quicquam quia aliter non potero post pacis oscula dicam. Quamvis enim me illi heri in multis, ut ipsa hominem nosti, cum & dona staterint, clam stimulaverit, meum tamen nequaquam est tantam virorum pactam pacem scindere, cum & ego propter hoc non omittam quin paci prout ipse quidem vult cum illo assentiam. Placuit mulieri ratio & rectilinium Magistri. Colloquium tamen publicum postea pro his & pro aliis regiminis causis Walewis villa edixit, illuc quoque Episcopum & Abbates venire iusserat. Ruodman autem Ekkehardum verba illa in aures dicta Duci propalasse suspicatus animo contabuit, litterasque in montem ei per peregrinum sagacem quendam direxit. Hæc, post se reparando inter se genere litteras verba; *Miror enim amicum meum ad omnia acutissimum, si novissima illa in aures susurria Dominæ Ductrici effuderat. Quod si forte feceras, renuncies rogo.* Eius autem è

contra

contra per eundem gerulum hæc, post aliqua verba; *Neque enim tanta apud formosissimam meam umquam fui fiducia, ut severitatis eius auribus hæc ausim ingerere.* Hæc de mediis amborum brevitatis ego gratia excerpseram brevibus. Absolutus tandem timore maximo eius quam maxime timuisset, ad Kaminoldum tunc Episcopum se primo per nuncios vertit. Qui cum & ipse ei pro fraude claustri invasi infestus fuerit, ratis donariis eum pacificavit. Deinde ipsum in montem duosque cum eo ad Ducem misit causidicos. Episcopus quidem, quod in se peccasset, dimissum coram ea pronunciat. Causidici vero, si ab Episcopo liber est, gratia vestri (aiunt) immerito Dux optima caret. Quibus illa; Sanct. Galli, inquit, locus Imperialis libertatis cum sit meique regiminis, immunitatis privilegio pollet, quam ei præ illo sub Abbatis nomine vere tyranno obtinebo, si potero. Legatur multa immunitati inscripta & quoniam Episcope mi pro eo venisti, sicut ius postulat, S. Gallo eam & Abbati resolvat. Et quoniam mei iuris est, si laicus laicum, ut id ipsum iuridicialiter proloquar, involaverit, coram Comite meo lege multetur: multo magis, si regiæ libertatis Abbatem tyrannicus Abbas nocturnus invaserit, regali coram me sententiæ subiacebit. Attamen maiestatis reo nisi quod tanti viri vos quidem, qui pro illo loquimini, estis, si vel respondere iam absque præsentia Imperii me deceat nescio. Tandem post plura cum consiliarios, inter quos & Ekkardum adhibuisset, vix actum est ut Abbate nostro per multam immunitatis prius in præsentia suorum, quos ad hoc direxerat, pro invasione illa numquam inter Monachos audita, reconciliato, die dato centum libras ante portas Duellii ut se diceret Ruodmannus ostenderet, tandemq; tūc gratiam suam haberet. Dieque dato quinquaginta Abbati Episcopo gratia remissis, cætera recipi iussit. Misit post dies istos Dux ipsa Burckhardo nostro, cognato videlicet & amabili suo, ambulatorem valde decibilem & alacrem, ut animum suum læsum & ipsa leniret. Audivit enim eum delicatis equis delectari nimium. Sed & ne pro se pigeret quidem orare. Quem ille continuo amoræ tantæ Ductricis sellari sibi iubens, abiturus ascendit. At equus exaltanter eum gestans in postem valvarum curtis hominem teneritudinis, ingenii tamen ardoris & alacritatis, impedit, & fœmur ei disiungens vertibulo coxæ evulsit. Qua plaga eum per Notkerum pro posse sanaretur, postea tamen absque geminis sustentaculis ingredi non potuit. Et cum talia diu sit passus, Richero iam dicto curtis suæ camerario, homini pro virtutibus vix comparando, Ekkehardi Decani iam senescentis ut ageret consiliis & Abbatiam pro se regeret, communi fratrum iniunxit consensu, raroq; cœnobium aliud iocundius quam Galli tunc floruit.

CAPUT XI.

De visitatione sub Burckhardo Ingenito Abbate S. Galli auctoritate Imperatoris Ottoni facta,

ASsumptus est interea in aulam Ottonum patris & filii, Hadevviga agente, Ekkehardus ut capellæ semper immanens doctrinæ adolescentis Regis necnon & * summis dexter esset consiliis: ibique in brevi tantus apparuit, ut in ore omnium esset summum eum aliquem expectare pontificatum. Nam & Adelheida Regina illum nunc sancta, per se diligebat. Cumque ei ita aliquandiu agenti Abbatia Elevvangensis quasi ad expectandum, ut aiebant, offerretur a Regibus, & ipse eam suscipere ingratus non esset, Regina cum Duce, quoniam adhuc aulæ præ omnibus esset necessarius, fortunam distulerant, usque illum Episcopio magno donarent. *al. Summus.

At Ruodman cum & ipse quidem multa dando Aulicis esset intimus, & Ekkehardus aliquando fratres suos ut inviseret, Palatio ad tempus cessisset, susurrabat contra eum sed & adversus cæteros, ut solebat, S. Galli Monachos, quasi ipse & quidam alii ex ipsis multa possidentes delicatius viverent: cæteri autem famelici inediam paterentur, Abbas vero in infirmitate detentus minus eis consulere posset. Se vero Coloniæ Monachum regularissimum nosse Sandracum nomine, cui si copia daretur, tam potentes viros humiliando Benedicti viam ingredi cogeret. Perveniunt ad aures Imperii verba, & ecce Ekkehardus reversus supervenit. Secreto Ottones illi infamiam narrant, ab ipsoque quidnam videatur quærunt. At ille amborum provolutus pedibus, privilegii nostri modo memores sint rogat: de cætero vero quoscumque velint ad perspiciendum quæ religio in loco sit dirigant, & si quid ibi devium reperiatur, consilio perspicientium tunc quidem emendent. Otto vero pater; Neque enim, ait: ut nepotem meum privilegii vestri Abbatem deponam, facile etsi etiam clinicus (*id est paralyticus*) fiat animo erit. Infamiam tamen, quam audis, aboleri vobis ipsis petendum erat. Rogat ille tandem, uti quoscumque, præter Ruodmannum solum, vellent in locum dirigerent, quoniam hæc ipsa (inquiens) infamia technis ipsius est in Aula vestra. Audita quoque & ipsius odii causa nihilo minus consilio inito inter Episcopos & Abbates ad hoc electos sedecim in locum Galli dirigunt. Et Otto filius in consessum eorum à patre missus; Ite, inquit, vos nominati Episcopi cum Abbatibus, cœnobii Sanct. Galli Monachos qui infamantur correcturi: & quia repentina rerum mutatio semper novissimum errorem priori facit peiorem, ideo tot magni consilii angelos (pater meus dicit) dirigimus, ut prudentia omnium Glossema.

vestrum

vestrum collata, si qua nimis ibi contra Deum senserit esse, manere non sinat; si qua autem portabilia viderit, ipsis quidem cum ratione vos monentibus stare patiamur. Scimus enim quocumque more vivant virtutem tamen S. Gallo non defore viros. Si autem scientia, quæ inflat, elatos ibi senseritis, & nuncii vestri ut fit in aliquo contradictores, nobis tales in Aulam adducite, ut ex eis si idonei sint scholis aliquibus, quæ in regno vacillant, præponantur; sint autem, in regularia claustra includamus.

Huic edicto Ekkehardus consulto cum non interesset, sed nec Ruodmannus quidem, Arnolfus Tullo Episcopus; Rem arduam Domine mi Rex, inquit, aggredi habebimus, & ut ego suspicor infamia talis ex invidiæ fonte orta est. Ego enim nuperrime votivus quidem illū locum adiveram, & similem caritatem in regno patris tui nescio si invenerim: sed & cætera in opere Dei, quæ videram incomparanda dicebam. Quapropter quantum in me est, sine magnæ causæ occasione tanti meriti & nominis viros non aio impetendos. Neque enim unius tramitis & regulæ via cœlum & regnum Dei scanditur, quod quia intra nos est, aliis sic, aliis vero sic ascendere conceditur. Novit enim Deus in omni ordine hominum qui sunt eius: & quot mansiones in regno patris quidem sunt, tot viæ in eam mi Rex, ni fallor ducunt. At Hiltebaldus Curiensis Episcopus; Omnia, quæ ibi noscuntur, pie Rex, laude digna sunt, ait, præter quod ibi habent quædam sua, & carnium aliqui illorum utuntur eduliis: & hæc ipsa quidem Abbatum suorum ne deficerent semper egerunt permissis. Quod autem proprietates habent, tale est, ait; Idonei qui inter eos semper fuerunt semetipsos, sed & reliquos minus lingua vel manu validos, sub disciplinæ severitate à patribus stringunt molita.

In refectorio autem minus, ut loci penuria est, curatos in locis ab Abbate infra claustri septa destinatis quibuscumque possunt indigos cibariis pascunt. Si autem id habentibus habere inhibebitur, & interdum labore manuum, qui mihi semper preciosissimus erat & est, recipere vetabitur, vel etiam à cognatis & amicis emendicata contrahere, locus ille semper nutritor virtutis virorum in nihilum redigetur. Et si de memetipso pace imperii quicquam, inquit, adiicere audebo, hoc veraciter inferre potero: quoniam, si iustus ipse sibimet est lex magis regulares in vestro regno Monachos non habetis.

Ego enim inter illos nutriundus & propter virtutes adhuc eos interdum visitans scio quod assero. Enimvero si de suo ut asseritis, Rex ait, vivunt, id ipsum secundum regulam Benedicti ut faciant, quantum potissime poteritis ut agatis, vobis omnibus iniungimus, & quoniam & nos quidem aliquos de ipsis venerabiles agnoscimus, non hostiliter eos aggredi libet, sed tot consultores amicissimos quidem dirigimus, ut infirmo fratri meo Abbati, quoniam pater meus filium eum vocat, adminiculo sitis, ut bona multa quæ faciunt ad Benedicti regulam deinceps, inquit, vergant. Præmittitur tandem Ekkehardus nimis pro patria anxius, qui Abbati nostro adventus tot hospitum diem & causam denunciet, multum à patre & filio ut quæ regulæ sint sentiant adiuratus. Cui cum Ruodmannum, ut petiverat, legationis exortem relictum dicerent, gaudentior ibat, permitti tamen sibimet ambobus postulans, ut si quid pro loci qualitate consulere nossent liceret. Abbas autem & sanioris consilii patres, audito nuncio, primo stupent, postmodum vero orationum instantia roborati erant confidentissimi, pro impensis tandem receptionis illorum cum fluctuasset, literas Abbas Regibus dirigit in hæc verba, *Dominis meis terrarum potentissimis Burkkardus suus cælorum sine fine potentiam. Scio Domini mei sæpe me sanguinis vestri abiectum & degenerem delicatius quam optare habuerim ab utroque vestrum tractatum: nunc autem cum in manu Domini summi plagatus quidem affligar, insuper à vobis tam repentinis motibus concuti nunquam speraverim.*

Et post pauca de Ruodmanni prius inimici invasione, & de hac ipsa technis eius in se tot hospitum immissione; *Acuat*, ait, *oro Spiritus Sanctus ferulam meam sibi in gladium, & memet Ruodmanni iacula retundere non valente ipse retundat. Videat tandem super omnia maiestas vestra, si in immissione illa mihi parcere noluerit, quibus tantus populus apud nos vivat obsoniis. Enimvero si victualia ipsa, quæ in regularibus meis vix in annum reposueram, fuerit absumpta, non aliam quam penuriam habebunt postea regulam tandemque necesse erit ut coacti male vivant.* Inito tandem consilio injungitur Ruodmanno, velut annuorum fructuum repositori quidem quæstuoso, legatos regios in locis nominatis euntes procurare & redeuntes: in cœnobio autem nostro octo sibi nominatos Burkhardus susciperet, octo Ruodmannus.

Cum autem Counradus Episcopum nostrum in præsentia ipsius sui in talibus participem fore ipse Regibus suaderet, raucosa voce, ut erat, ille reclamabat; Nequaquam, inquiens: tu solus intrivisti, tibi soli edendum est. Omnibus autem in risum motis, neque enim (ait) cum accusatore fratrum in cœlis nec in terris participari libet. Indicta tandem die, quæ erat feria tertia Dominicæ tertiæ post Pasca, Desiderio tunc propter quod Gallus eius reliquias loco ipse intulerit apud nos celeberrima, adveniunt omnes, festive receptus *civis Apostolorum* responsorium canitur. Abbas in auditorio debilis residens introductus quidem eis assurgit. Legitur consedentibus lectio de caritate, & de pedd flequa eius discretione: quia finita assurgunt omnes in Abbatis & fratrum oscula; Deinde Abbas; *Benedicti vos* DOMINO & fratres; *Qui fecit cœlum & terram.* At Henricus Treverensis, cui summa rerum commissa erat, circumspecto claustro; Enimvero, ait, talis nidus bonas aures decet. Et Kebo Lauressensis (*id est Lorishan*) Abbas vir nominis reverendi præ multis, & eo die pro nobis plus cæteris sen- *Ex glossematis.*

tien-

tiens,sed & crebro nos postea donis & consiliis iuvans ; Si placet,ait,ipsarum avium hunc nidum qualis per omnia sit primitus ab Abbate audiamus, ut de cæteris quid agamus integrius scire valeamus. Et Kerho Wirzinburgensis Abbas magni nominis & ipse, qui nos post hanc tempestatem ad aquæductum,quem ipse primus excogitavit,fistulas terebrare docuit& semper amavit,Episcopum nostrum interea & Abbatem cum fratribus, quorum reverentia illum,ut post asseruit,vehementer movebat,in capituli domum comitatus quæ congrua nosset præmonuit. At illi pervagatis Ekkehardo duce officinis adhuc post arsuram vix quidem quibusdam vel tectis,penu fratrum pæne vino vacuum mirantur. Aperiri autem sibi etiam privatorum repositoria cum Ekkehardus ductor eius iureiurando nihil celaturum iubere moneret,cuncta perspiciendo sollicite peragrant.

Quærentibus autem etiam de Abbatis proprio penu; hæc ait,quæ monstravi fratrum privata eius semper sunt ad nutum parata. Neque enim ipse,quia * sic homo est, alio cellario assolet,nam omne debitum in fratrum quotannis congerit cellarium. Et Poppo Herbipolensis*(id est VVirtzinburgensis)*Episcopus conversus ad cæteros;Enimvero,ait, si ita se res inter Monachos & Abbatem habet,non nos hodie meliorem regulam neque vitam plus communem,etiamsi in loco pleno sit copia cornu,statuere poterimus. Abbas ut audivimus congerit fratribus,fratres ad hoc idonei congerunt Abbati,& nihil sine eius permisso sibi: omnis autem ab utrisque congestio neutris sufficere posse videre est. Et Palzo Spirensis Episcopus in loco nutritus,quo nemo fama ferente tunc eruditior;Si sciretis,inquit,mores & vim disciplinæ illorum distractam,experto credite,ultra omnes,qui in regno sunt regulares sub copia eos laudaretis sub inopia. Dein Henricus Treverensis Archiepiscopus, cui summa rei huius commissa est,ut diximus assumptis consortibus,prœlium se initurum dicens,consessum collegij nostri signifer aggressus est. Dietricus vero Metensis Episcopus,adolescens, Kerhaldi nuper in loco discipulus,regulæ librum manu gerens apertum,cum Magistrum suo loco stantem transiens præteriret,his ille velut discipulum silentio hominem invehitur ; *Tune librum, ait,contra me infers quem ego clausum quem tu apertum melius novi:claude illum.* At juvenis voce Magistri coloratus inclinans librum ocius clausit,& residens juxta se reposuit. Et hæc quidem,ut vim disciplinæ nostræ panderem,dixi. Cunctis tandem residentibus Primas, quem dixi,ita inchoavit;Benedictus Domino iste Sanct. Galli cœtus,ait,pater cum filiis.Et Abbati; Nostis,ait,tu fratresque tui carissimi nostri, quare rerum Domini pro vobis solliciti tot dilectos suos ad viros direxerint : nisi enim vos diligerent, tot electos ad consulendum vobis numquam dirigerent. Et ille;Scimus enim quod ad consulendum nobis peccatoribus directi estis,ideoque S.Spiritui summo hodie consultori utrimque nostro acceptissimi sitis: sed tamen unum me maxime movet inter alia miraculum , quod unus ex vobis non est missus vel Episcopus vel Abbas, cui non minus quam vobis omnibus ad omnia quæ ratio possibilia posceret,obediremus. Et Erpho Wormatiensis;Tot Sanct. Spiritus,ut hic, Abba sancte,videmus athletis concertare uni nimium fuerit: sed iam aliquam viam id efficiendi pro quo missi sumus mihi placet aggrediamur. Monuit tandem Henricus Treverensis,cæteris id suadentibus,Abbatem ut aliquem fratrum viam vitæ nostræ,quam tunc degeremus, iuberet edicere.

al. sicut.

Ex glossemate.

Iubet ille Ekkehardum Decanum,nec non Notkerum Medicum,plerisque illis notissimos,surgere,& à prima usque ad primam vitam vitæ nostræ edicere. Quam cum Decanus fratre juvante verissime absolveret,Kebo Abbas de Lorishan & Abbates Episcopis ; Enimvero,aiunt,hæc omnia quæ audivimus Benedicti sunt regulæ,præter hoc solum quod secundum illam laborant,secundum illam autem non vegetantur. Sed & hoc ipsum eius causa est, ut undecunque quærant quo vitam sustentent. Quæ quia Abbatis permisso quæsita,ubi iusserit reponunt,& ad eius nutum & arbitrium his quæcumque sunt utuntur, contra regulam non esse veraciter affirmare valebimus.

Et Milo Elewangensis Abbas; *Si* de carnium esu,inquit,hæsitatis, ego quod sentio audentissime dico: quoniam quamvis equus in cibo non sit licitus,ambulatorem meum prius vellem Monachus meus ederet obediendo,quam cætera quædam quæ regulæ sunt declinaret: ideoque Benedicti ego vice iudicio decerno,quæ Abbatis arbitrium iubeat,Monachus manducet & bibat; Abbas videat quod arbitrio suo quid iubeat. Cum autem ad verba eius quidam riderent,Henricus Treverensis intulit ; Mirum,ait, tam latum lacum hic patere,& hic piscium copiam non esse. Neque totus noster est,Ekkehardus ait,neque piscium adeo largus,ut interdum Domino nostro Abbati quod parce dat vel soli sufficiat. Si autem emere aliquando invenimus,precio,quod pro edulio uni nostrũ opponendo distrahitur, probum aliquem totam hebdomadam cibare poteramus. Enimvero Dietricus Metensis ait;Dum ego aliquando hic studui,plures dies aliquando abierunt,quod piscem de pelago illo non vidisse me memini:sed & maior pars fratum tunc carnibus non utebatur,quorum quidem parsimonia nimia videbatur.

Erant autem alii qui solis volatilibus, quod unius cum piscibus creaturæ sint,licite uterentur : pauci autem in locis intra domesticos parietes ab Abbate permissis quadrupedum quoque usi sunt carnibus. Meliorem autem ego,ut opinor,numquam Monachum videbo

quam

quam eorum aliquis erat qui interdum carnes edebat. Inclinantur tandem Abbates ad Episcopos, ut secretis pro legatione sua uterentur consiliis.

Quibus morose collatis, Henricus Treverensis surgens Abbati nostro ait & fratribus; Tantæ prudentiæ Domini nostri vos novimus, ut legationis nostræ iam effectum in manu arbitrii vestri ponere velimus. Nos enim, ut diximus, ad horam vobis locum dabimus. Consulite in medium petimus, ut qualicumque arte adhuc quidem poteritis, bona quæ facitis regulæ S. Benedicti conformetis. Et quia eius rei legati venimus ut regularis vitæ vobis monitores simus, quidnam hic boni statuerimus Dominis referre habeamus.

Et quamvis omnes qui venimus, bonum vobis testimonium coram eis dare vere habeamus, etiamsi meliora quidem quæ à patribus accepistis vobis propter consuetudinem sunt visa, si ad regulæ viliora (ut ita dicam) mutaveritis, infamiam tamen evadetis. Tandem illis pari condicto domo egressis conferunt consilia Abbas fratresque: Placuit omnibus, quicquid quisque privati haberet, in communes officinas in fide deferret, carnibus omnes præter quibus regula indulget abstinendo, mensas etiam si paupertatis sint simul habeant. Reliqua vero ordinis, quem audierant mutare, in quibus Laureßensis Abbas & cæteri Abbates suadeant paratißimi, usque dum reposita hæc si defecerint litteris Abbas Regibus intimaverint.

Vocantur in consistorium Abbates, auditisque unanimitatibus Deo gratias agunt: in consuetudine vero, qua denegamus, pauca mutantes tempus se, quoniam dies male essent, redimere aiebant. Properant illi foras alacri animo ad expectantes. Enimvero, Kebo ait à longe viris; Spiritus Sanctus tardare nescit: viros virtutum in sancto hoc cœnobio esse prius audivimus, nunc reipsa experiri habemus: venite iam ipsi, & qui sint pariter videte. Iterum confidentibus Abbas ait: Quod de meis ego fratribus Domini mei promittere veraciter audeo, unum hoc vobis dico, quia quod regulæ summam scio, dicto paratiores nescio: ideoque per me peccati non ignoro, si ea quæ perficere nequeunt eis iniungo. Quapropter à Dominis Regibus nisi vestro interventu nobis subveniatur, sumptus ad turrim evangelicam ædificandam suppetere non poterunt. Agite ergo quicquid meo iussu & vestro monitu facturi sint in brevi audite. Et Minori Ekkehardo illi Palatino; Surge fili, ait, & sicut Dominis nostris Regibus in præsentia legatorum tantorum & tu quoque dicturus sis, consensum nostrum hic in facie eorum eloquere. Dictoque ut erat semper paratißimus surrexit Ekkehardus, & ita exorsus est; In medium patres & electi Dei ut monuistis consulimus. Et ecce qua die vel hora Dominus noster & pater dixerit, memores nos Sanct. Patris Benedicti, privata nostra, quæ in eius abbativo permisso habuimus, in medium & ad pedes eius ponemus, & cætera quæ sancti Abbates à nobis consulti in via & modo conversationis nostræ mutanda censebant, quia in nostro arbitrio rem posuistis, eos in participium consilii assumentes mutavimus. Sed quoniam in bono affectis benefactum aliquod in æque bonum aut in parum melius mutare onerosum est, semper nos quidem humiliari assoliti ut iumenta fieri apud Deum non recusamus & onere bis gravari. His & aliis utrimque profligatis gratulantur legati, surgentesque Deum laudando conventum dirimunt. Postea vero in auditorio convenientes, fratribus se admissos pro die festo parantibus, Henricus Treverensis ait consortibus; Fideles nos nuncios iam nunc socii exhibemus, si quisque nostrum pro copia tantis viris in hac mala terra inopibus, ne in promissis deficiant, consulimus. Alacres omnes, prout ipse dictaverit, symbolum fatentur facturi. Et ille: Non meum est, inquit, de vestris cujusque sumptibus dicticare: pro copia, quam singuli habemus, in charta hic sub nomine quisque suo conferre scribamus. Factum est, & usque ad quadraginta quinque libras symbolus venerat. Interea sequentia *Summis conatibus*, quam Ekkehardus Palatinus dictaverat, ipso coram illis stante inchoatur & iocunde cantatur. Et Poppo Herbipolensis Episcopus iocose: Enimvero, ait, tot hostes viri isti pro nihilo æstimant, neque eo minus alacres iocundantur, quod assumus. Et Ekkehardus: Cantent, inquit, quam altißime velint, coquina adhuc cuique victum non habet. Quod Henricus audiens, alte quidem ingemuit. Et Kebo: Vnum est Domini mei, quod ego mecum cogitans multum vereor, sed & omnibus vobis vereri est, de postquam privata, quæ quisque sua collaturus est, fuerint consumpta, nec de proprio nec de communi habentes regulam tunc nec unam assequantur nec alteram. Et Henricus: Dominis nostris id ipsum, ait, dicere habebimus: nos vero, quod legatio nostra talem effectum habet, solummodo gaudemus. Enimvero egomet, antequam veneram, aliter evenire putaveram, neque in sapientia tanti rumoris & in virtute operum viros facile unquam à tam laudabili, quam degebant, vita avelli posse crediderim. Abscesserat ab illis iam Ekkehardus, & ecce quidam fratrum ecclesia egressus sequentiarum manu ferebat: quem illi assumentes in sequentia *Diei* Notkerum Balbulum laudant. At ille: Non Domini, ait, hæc est Notkeri, sed eius, qui juxta vos sedet, magistri nostri Palatini Ekkehardi. Et Conradus Constantiensis Episcopus: Insaniat, inquit, Ruodmannus cum hypocrisi sua in locum hunc, quantum velit, Monachos tamen hodie Sanct. Gallus habet, quorum similes ipse inter suos numquam * simulabit. Et Poppo: Enimvero, ait, huic ipsi, cuius hæc verba sunt, parem nusquam videmus. Et Palzo Spirensis Episcopus: Dicere, inquit, habueras, si Magistri mei avunculi ejus verba inspexeras, sed & aliquorum plurimorum ex eis verba & opera noveras. Dico enim id Sanct. Gal-

*al. simulabit.

Gallo prærogative datum; ut in ornatu verborum præcipuum sui hoc tempore teneant locum. Egressi interea fratres ut erant palliis parati stare usque Abbas veniat, monentur. Et Poppo interea Sanct. Gallus ait, tam londra guttura sua ne rauceant dulci hodie vino rigare velit & saturet. Vsque huc legationem illam scriptam in verba alia transferens chartis per impluvium perfusis, quæ secuta sunt, coniicere non poteram: quæ autem posthæc dicturus sum, patrum, qui intererant, relatibus didici. Interea accitus Abbas affuit & consedit. Et Henricus parva solatia se collaturos, & die condicta daturos fratribus pollicetur: dein Regibus se pro inopia eorum suasuros omnes concordant, & cum se orationi eorum committerent, Abbas intulit. Immo ut fratres conscripti, ait, sitis volo, quia alia vobis dona dare non habemus. Lætis ob hoc omnibus itur in ecclesiam: recepti manibus Abbatis singuli in libro vitæ scribuntur. Abbates rogati cum fratribus eo die mensæ aderant, de communi & privatis collectæ fiunt, & habundam caritatem faciunt. Cum autem disciplinam loci & morum tenorem singuli sollicite pervideren, nihilque se quidam illorum, nisi quod regulæ sit, ibi videre silentio sibi dicerent, Milo Elewangensis cochleatum sibi afferri signo petiit. Quod cum ministrantium unus manutergio afferret, arte ille sua quasi recipiens decidere sivit. Minister autem continuo non sine rubore in veniam corruit. Surgere autem signo iussus, ut mos loci erat, domo inclinatus hinc & hinc nisi à Priore signo vel nutu revocaretur, per exitum qui Claustrum ducit, exivit, per fores quæ à coquina sunt mox reversurus. At Kebo hilaritatem machinari artifex: Vide Milo, ait, miser quid feceris: frater ille, quem fuco tuo deceperas, exivit, nisi ipse eum revocaveris non est reversurus. Ille autem pectus incutiens, uni & alteri signo dato ut revocaretur, & nemine quia Kebo astantibus innuerat attendente, surgere ipse dum parat, veste eum Kebo retrahit, & à coquina regressum digito fratrem monstravit. Tali hilaritate cum ipsi inter se velut hospites licentius agerent, nemo quidem loci fratrum motus est in risum. Surgitur à mensa, itur solitus benedictionum hymnis in ecclesiam. Et ecce Kebo cum cæteris in veniam corruit coram fratribus ecclesia egressis: Nos, inquit, fratres & Domini docere vos venimus, & ecce disciplina vestra fracti stupescimus, cum nobis effuse solutis in risum ne unum vestrum dare viderimus assensum. Talem disciplinam huius loci semper audivimus prædicari, & quam crebro audivimus nunc oculis inspeximus. Indulgeri tandem rogamus, quod tantos viros non impares aggressi sumus, & doctissimos indocti temptavimus, veræ laudis vobis testimonio futuri quocunque venerimus. Surgentes à venia, pariter omnes fratres occurrunt in amplexus & oscula, & quoniam incompetens hora esset, Abbati Decanum dirigunt, ut eis cum hospitibus incompetentia competere permitteret. Venit ita quelætus ipse, ut semper erat, dulcissima caritatis anima Abbas; & meridiem usque nonam in sanctæ hilaritatis gaudeo perduxerat. Sonatur ad nonam. Qua peracta mittit Abbas Kebonem, qui Episcopos, ut fratres conscripti claustrum intrare iam utique suum non dedignarentur, rogaret. Veniunt omnes & societati fraternæ participandum fore gaudio gaudent. Itur in armarium, sed & in angustum Sanct. Galli thesaurarium. Præ omnibus autem scriptorum digiti efferuntur, gemmarum autem & auri, quorum satis habebant, non adeo, versum Ambrosii folio ascriptum:

Nectaris Ambrosii redolentia carpito mella

memoriter repetebant. Veniunt in pyrale, & in eo lavatorium, nec non & proximum pyrali scriptorium, & has tres regularissimas præ omnibus, quas umquam viderint, asserebant esse officinas, & absque dubio qui tales dudum incolerent regulares esse Monachos nulli negandum esset. Invitat tandem Abbas omnes pariter ad nonales fratrum, quibus conscripti essent, biberes. Ibi tanta hilaritate usque ad vesperum iam pæne sonatum commanent, vt senum qui adhuc hodie talia memorant recordationem voluptas sit audire. Ibant pariter ad laudes vespertinas quisque suas, Abbate cum fratribus omni dulcedine valefactis: condicto quidem ut cras matutini conveniant, & missionis suæ responsa Regibus reddenda communi disponerent consilio; & relatu roborarent concordi & caritativo. Veniunt diluculo in fratrum consessum, &, Henrico dictante, legationis suæ brevem & vniformem ordinant redditionem, vt quoniam non simul ad Aulam sunt redituri, Henricus cui caput causæ à Regibus datum est, Kebone comite, vnum os omnium & lingua foret. Neque ego, Henricus ait, si quid de meo adjicere potero, confratribus nostris derogare habebo. Assurgunt omnes acclini in gratias, pergunt tandem in ecclesiam ad dandas abeuntibus prosperæ viæ preces Abbas cum fratribus & recipiendas à tot Episcopis benedictiones, data prius confessione, & à stolatis remissione. Redeuntibus autem in claustrum ad oscula confratrum, Counradus noster inter cæteros: Quoniam ego me filii, inquit, proximior vobis loco sum quam cæteri isti fratres conscripti, pro memoria ipsorum & mea tribus diebus in annis quibus vixero caritates me vobis in refectorio facturum promitto. Et; vt qui intererant testantur, quoties ei vacabat, ipse quidem aderat, Abbati regio modo proponebat, mensas obambulabat, serio & ioco Abbatis assensu colloquia miscebat: sed & rauca sua naturali voce iocundus lect. rem aliquando increpitans numquam etiam conticescis? ait. Tu autem: sicque cum vitro puræ potionis in medium veniens Abbatem primo, tum cæteros in sancta caritate bibere rogans ipsum, primosque mensarum

osculatus omnibus per eos oscula misit. Talis erat Sanct. Counradi in nos caritas. Henricus vero Treverensis & Dietricus Metensis quoddam cum Ekkehardo Decano patrum lumentes in partem; prior quotannis viveret decem vasa vinaria, alter totidem salis Spira condixit die dato confratribus mittere. Quod & incunctanter singulis, quibus vixerunt, fecerunt annis. Sicque per oscula mutua, valedictione data, utrimque sibi fausta precati ad prandia discedunt noctem proximam Constantiæ simul acturi. Ibat autem & Ekkehardus ipse quidem ad Reges unicordes suos, & de his & de aliis mandata Abbatis ad illos laturus, sed & quantum in se sit, causam cum Aulicis prosperaturis. Præterit autem Ruodmannum die altera Constantiæ pro hospitibus agentem, & cum ei ille *benedicite* arte sua diceret, quasi ad navem festinans transeuntem non attendebat. At ille constitit, & quendam post eum ad navim misit, qui diceret, verum proverbium est: *Mendacia curta semper habent crura.* Et Ekkehardus: Verum illud, ait, esse numquam lucidius quam heri & hodie in nobis apparuit. Sed ne mirum, si me tantillum conviciis prosequitur Dominus tuus, cum ille in regno Monachi sint emeriti, qui DEO & hominibus conquerantur pro conviciis eius. Quapropter & hæc ego cum aliis mille perpretior acquiesco. Sed & quidam ministrorum hominis bene idoneus, cui causa Domini Reges interdum erant affabiles: Enimvero, ait, & si Dominus meus tacuerit, ego nequaquam omittam, quin talia conquerar Regibus. Rediit nuncius Ruodmanno cuncta quæ audierat renuncians. Ille modo non modice stupidus, nequaquam in eum verba hæc vertisse care iurans asseruit, sed magis in eos, qui ipsum & fratres nostros infamassent falsidicos. Hoc dixit sub obtentu quasi ipse quidem talium nullus esset. Et Otkerus, quem supra diximus, frater eius & miles: Miror te, ait, numquam hominis pigere, qui astu suo semper tuas exuperavit acutias. Latere autem te arbitror rumorem, quo apud omnes insigniris, secundam quidem iam te invasionem loco ille sancto, unam clam fecisse per te solum, alteram struxisse per tot Episcoporum & Abbatum collegia. Hoc in Aula tunc mussitatum est; sed & proximis diebus à militibus ipsius Abbatis mihi conquestum est. Ideoque ipso isto homine, cui nunc nuncium tuum misisti, agente, tu solus a legatione illa exceptus es. Vereor autem, ne, quia intimus quidem consiliis est apud Principes, animo quo nunc est infortunii tui aliquid conflet. Et ille, Non nego, ait, frater, sed & veraciter assero etiam caput meum abscidendum incunctanter me eo pacto tradere, ut omnes in regno Ottonum Monachi vivant secundum regulam Sanct. Benedicti: sed & super ipsos fratres; qui pæne sine Abbate sunt, à Dominis invitatus consiliis, quæ sensi, fide dixi quâ debui. Vt autem tot hospitibus invaderentur, crede mihi, neque consilio interfui, nec umquam placuit mihi, ubi comperi. Sed & hodie lætatus sum, & heri, ubi prospera de eis audivi. Nollem, ait ille, frater & Domine mi, te pro aliis quam tibi creditis adeo sollicitari, ut querelas tibi ullas à pari potestate præditis compares. Sed quantum illi pro tuis tantum te quoque curare pro suis, & salva sic caritate & pace hinc inde fueris. Nunc autem te cum tantis viris, qui ad honorem omnia & precibus perducunt & artibus tam severe discordare admodum doleo: & maxime cum illo, quem dixi, non parvi momenti viro. Cum autem Ekkehardum Duellium ipsi die ascenderet, & Watzemanno ibi Abbati, nobis & sibi amicissimo, omnem seriem rei nostræ ut Ductrici in proximo à Norico, ubi Pasca egit, redeunti insinuaret & per singula diceret, in Rotvvila legatis Ruodmanno & Otkero comitatis jungitur, ubi parum cum eis moratus in Dietingen villam nostram, ne quicquam Ruodmanni rerum tangeret, vespertinus divertit, quamvis tamen ipse ei per fratrem necessaria habunde promitteret. Ruodmanno autem legatorum quosdam rogante, ut de verbis ad navem male intellectis eum in crastinum corrigerent occurrentem, comitatu ille usque Spiram abstinuit, ibique eis se Ruodmanno cis Regnum regresso coniunxit. Kebo autem id rogatus Ruodmannum apud hominem purgare de verbis ipsis aggreditur. Cui ille nihil aliud nisi publicos impulsus & eversiones eius in se & fratres suos respondit reservandos. Et ille, enimvero (ait) hesterni diei oriique omnium nostri semper habet dum homo est reminisci. Audiunt tandem Reges rogationes & Ascensionem Magontiæ acturos. Illud conveniunt præscripti illi, sed & cæterorum aliqui, vimque omnem legationis suæ Ekkehardo astante quam optime poterant in brevi per ordinem absolverant, penuriaque loci conquesta maxime in vino & cæteris regulæ sumptibus, nisi solatio (inquiunt) inveniunt, neque sub regula neque sine regula, cum paupertatulas quas habent in medium collatas consumpserint, subsistere non poterunt. Neque hæc ipsa, Kebo ait, diu durabunt quæ contulerant, quia omne habere omnium illorum sollicite scrutati apud neminem ullius boni copiam præter caritatis & humilitatis invenimus: obeditionem autem illorum, ut vere asseram, DEI virorum laudare mihi non est magnopere, cum & patres nostri Episcopi dicto paratiores numquam maiorem vidisse testati sint. Et Otto filius ad patrem: Enimvero, Pater, iocundum est quod audivimus, teque decet talium compati penuriis; maxime vero ut famæ eorum invidi & proditores videantur confusi. Et Pater: Si tamen tandem aliquem unum habere consenserint in auxilio, qui regulæ penitus aliquantulum cum eis converletur temporis. Cum autem Kebo ad hæc quiddam ut diceret surgere cœpisset, Henricus illum nutu compescuit, & ad se accito in aurem:

Noli;

Noli, inquit, quicquam contra loqui, quia quantum eos nunc experti sumus, nemo Monachus hodie est in regno, qui in ratione bene vivendi inter eos veniens eos præcedere possit: & fortsitan quisquis ille erit, aut tantæ auctoritatis DEI servis manus est daturus, aut tandem quoquo modo loco cessurus. At Ekkehardus: Liceat & nobis, inquit, ô Rex, vice Abbatis nostri à quo & ad hoc ipsum missi sumus quiddam loqui. Bene & optime intulit quidem filius tuus penuriis nostris te decere compati, ne postquam reculæ nostræ quas in medium contulimus fuerint consumptæ, absque omni regula tandem famelicis tuis sit vivere. Quod autem maiestas tua gloriose mihi subiunxerat, peritiorem regulæ nobis aliquem in auxilio dari, à legatis vestris Abbatibus regulæ peritissimis nunc ut ita dicam initiati petimus, pater & fili, ab ipsorum aliquo iussu vestro revisi, & si in aliquo ab edictis eorum exorbitavimus explorari: quoniam grave quidem est, si ausim dicere, in tam brevi articulo tertia vice pauperes vestros ingredi, & ab eo, quod tam à multis claris viris iniunctum est, per virorum * neophicorum aliquem abduci. Et Henricus: Clavum quidem tu, inquit, legationi nostræ fixisti, cui sic peroranti plures alterant. Et pater rem in crastinum distulit, hoc inter cætera quasi de intimo cordis protestatus prius se coronam suam confracturum, quam Monachos Sanct. Galli absque solatiis, quibus regulam exequi possint, dimissurum. In crastinum Ottone Magno per noctem solito aliquo dolore tacto cum in publicum procedere non posset, Henricus & Kebo domos ire dimittuntur, Wormatiæ in octava Pentecoste iussi adesse. Ekkehardus interea ut solebat Aulæ immoratus, & rem Sanct. Galli quaquà poterat agens non modice consolatus est, Hadavviga quidem Regibus patruo & patrueli litteras pro regiminis rebus aliis dirigente, sed & pro nobis, quod res tantæ se nescia agerentur velut irascente. &, ne tandem quid de nobis severius decerneretur, rogante. Iubetur ipse litterarum portitor, Huotzo Presbyter magni quidem apud Dominum vir momenti diem expectare, & pro ipsa decretis interesse. Conveniunt die dato Wormatiam non solum Henrich & Gebo, sed & cæteri legatorum aliqui, magis autem pro nobis sollicitus erat ipsius Episcopus loci. Cum autem colloquio inito varie hinc inde res traherentur, malivolis nobis aliquem Abbatem regularem præponi suadentibus, regulariores Abbatem & Monachos hodie in regno non esse, si reliqua facultas sit, Huotzo respondit. Cui cum legati cæteri consentirent, Henricus surgens: Nostris, inquit, Domini Reges, qui legatione vestra quam maxime potuimus functi sumus, credere habetis responsis: quoniam quidem alii, qui hic sua prout libet interserunt, quid nos apud Sanct. Gallum invenerimus, quidque reliquerimus nesciunt: quæ autem nos vobis nuper quam verissime noveramus narravimus, iterum si vultis, ut & ipsi audiant, repetimus. Viros nos virtutum magnarum patrum viam sanctissimam gradientes ibi invenimus, à qua eos in regulæ viam, quoniam quidem eadem pæne erat, convertimus. In ea quidem nullius doctrinæ nunc egentes degunt. sed sumptus, quibus eam perficiant, infœcundæ illius terræ penuria desunt. Quapropter neminis alio præter sumptuum, qui desunt, egent solatio. Abbatem autem eis imponi, cum optimum habeant, vanissimum duco. Enimvero Abbat. & Monachos nemo nostrum aliter credit, quam Dei esse servos. Atque ideo vos Domini & nos rei quidem erimus, si non eos aut illam viam tenere sinamus, aut hanc idonee exequi sinamus. Illorum igitur ex parte, cum nullus nodus relictus sit, si aliquis iam fuerit, nostræ partis erit. Tandem post multa consiliorum colloquia Adelheida etiam per Ekkehardum adesse rogata, dantur Keboni Abbati & sibi de scriniis Regum sexaginta argenti librarum rata pondera, Abbati nostro & fratribus solatio in Sanct. Iohannis die ferenda. Iussu etiam Kebone in loco ipso usque Dormitionem Mariæ hospitari, atque Benedicti viam discretione, qua nosset coram Galli pullis ingredi moreque suo eos docere vivere. Venit ille tandem carus ad carissimos, & quicquid instituit, omnes unanimes ad exequendum invenit, Abbate ei cum Ekkehardo seniore Decano quidem ad omnia & de oblatis & de loci impensis copias suggerentibus, Ekkehardo etiam iuniore, quem multum ille præ oculis habuit, favente & cum eo donec recessit nocte dieque versante. Operæ autem pretium erat, si vacaret, multa quæ cum iocunde fecisse & eleganter audivimus locùmque esse sermoni interere. Vt in die S. Mariæ, post quem iam dolore omnium discessurus erat, cruces foras sequendo cum antiphonæ nocturnales cum capitibus psalmorum in via canerentur: Nonne regulæ nostræ sed & canonum est, ait, semel hodie matutinas agere? Enimvero si istos Kebo futuros scisset, non strato surrexisset? Quam autem omnes mentiti sunt, qui in hoc loco regulam non esse dixerunt, cum in tanto vacationis die non simplex, sed duplex solita sit persolvi. Cum autem Abbas claudus quidem esset, sed & Decanus pede nutasset, melius (ait) claudicare Reges quam regna, &, ô utinam tales egomet claudos in Lorishan haberem: enimvero præ Regibus (inquit) diligerem. Et cum statuta Hartmouti in victualibus ei optima visa sint, caritates in ieiuniis præ cæteris extulit, & amore nostro easdem suis provisurum promisit. Rediit tandem lacrimis prosecutus ad Reges, & inter optima, quæ eis de edoctis à se regularibus hilariter dixit, nisi illis locum aliquem vinarium & alias frugiferum de suo dederint, deficientibus datis illis solatiis, quæ interceperant, perficere non posse asseruit. Dein Regibus cum Principibus crebro quidem collatis cum opera trivissent consiliis, post aliquot dies Henrico Episcopo monente Sahspach Hadevvigæ

* *mss. nephicorum.*

beneficii villam, si ab ea rogatu Regem avelli possit, Sanct. Gallo tradere co: spirant. Quod illa cum multotiens tum per Reges tum per ipsos nuncios peteretur, sicut varium & mutabile semper est fœmina, nunc concedere se spem dedit, nunc facturam sancte abiuravit. Postremo quidem Abbate nostro in ipso monasterio & fratribus illi supplicantibus facturam tandem pollicetur, si ei missa cottidiana in loco pro viva & defuncta in perpetuum promittatur agenda: sed & Ekkehardo eius loci, usque dum vivat, committatur cura. De quo cum aliquos ex fratribus nostris invidos homini hæsitare audisset, irata exiliit, reque infecta conventum diremit, seque post hanc horam numquam cuiquam pro hac re aurem iuravit adhibere: sicque quorundam invida incautela Gallus villam illam, cum iam in manibus habere posset, amisit, Ekkehardo tandem carissime iurante nnmquam se causa sui in hac re illi verbum fecisse. Fratres autem quamvis hac spe frustrati, instituta tamen Kebonis sollicite tenebant, sicque communiter vivebant donariis Regum: symbolis quoque quæ diximus legatorum, quamvis anni penuriæ fuerint, ut neminis invidorum in se ora patefacerent. Conradus autem Episcopus crebro eos visitans, ut diximus, annis aliquot iam elapsis, cum diuturna eos penuria vidisset afflictos, senibus & invalidis pietate sibi solita consuluit, & caminatas claustri Abbatem aperire rogavit, Constantiaque & Arbona, in quantum copia erat, solatia privata talibus transmisit. Validiores vero hæc considerantes amicis suis foris locum, qui sibi ab eis solatia petant, permisso Abbatis mittunt: allata autem mensæ communi imponunt. Factum est autem, ut quidam pauperum parum quid, quod ab amicis datum est, solus comederet, intrantesque cum eam ob hoc increparent, ille quidem avide comedens: *Si calceus*, inquit, *dividitur, nemo calceatur*. Quod cum risum astantibus moveret, Decanus tamen ut audivit, ingemuit, nihilque fame improbius & sacrius esse respondit. Cum palam factum in multis eulogium hoc Monachi esurientis, Ruodmannus id in pharetra sua reposuit, & ut occasione data eo in fratres uteretur, iaculo ut postea fecit, reservavit.

CAPUT XII.

De primitiva constructione capellæ Sanct. Galli, & eius dedicatione.

BVrkhardus igitur Abbas senio iam gravescens corylum illam antiquam, sub qua Gallus quondam vepribus corruens *Hæc requies mea* cecinit, consulto Episcopo succidit, capellaque ædificata aram in loco arboris statuit: fenestellam quoque ad meridiem ei humilem imposuit, ad quam septo deforis aptato semet includere, & finem vitæ abbatia relicta devovit expectare. Parata capella & in honore Sanct. Crucis, sed & Sanct. Galli per Counradum nostrum dedicata vir ille sanctus septo iam illi tabulata perartifices præparans Notkerum pro se Ekkehardo favente, Notheri medici ex sorore nepotem eligi rogavit, & Regibus eum pro se inthronizandum direxit. Ipse autem, Episcopo Counrado ne tantæ teneritudinis senex includeretur obstante, Regum iussu loca Abbatibus à Karolo decreta multa reluctatus Ekkehardus se procurante retinuit, & camitatam antecessorum Abbatum quietis gratia tandem invitus introiit. Nisi enim quod penuriam timuerat, nil pro se habere volebat. Supervixit autem suffecto tandem suo, & Immonem quoque fore edixit Abbatem. Episcopus autem semper intimus eius defungi eum parantem oleo sancto adveniens unxit: defunctum vero multorum lacrimis prosecutum, maxime pauperum, ante ostium capellæ, quam ipse *Hæc requies mea* vocabat, sollemniter sepelivit, Ekkehardo Decano, ut diximus, cor suum erat, ante annum quidem modo, quo iam dixisse meminimus, assumpto.

CAPUT XIII.

De Notkero Medico, scriptore & pictore peritissimo.

DE Notkero vero Doctore, pictore & Medico cum materiam grandis voluminis habeamus, succincte quidem ad alia festinando dicemus. Picturas quidem post arsuram plures Gallo fecerat, ut videre est in ianuis & laqueari ecclesiæ & libris quibusdam. Sed hæc quid sunt ad mille alia, quæ dictans & medens insigniverat? Fecit enim Othmaro decoras illas antiphonas, & hymnum *Rector æterni metuende secli*, & quædam susceptacula Regum, & hymnum *De una virgine non martyre*, id est, hymnum B. Virginis, in quo cum de quodam uno verbo, quod metro congrueret, diutius hæsitaret, Ekkehardo Decano, ut id de suo adderet inclinatus, ille autem continuo *Quis*, inquiens, *ad capram lanam petitum venit*? Sed ut *labilem* poneret emonet. Hæc pro exemplo humilitatis & caritatis patrum præterire non potui. Medendo autem mira & stupenda frequenter fecerat opera, quoniam & in Aphorismis medicinalibus, speciebus quoque & Antidotis, & Prognosticis Hippocra-

cratis singulariter erat instructus, ut in urina Henrici Ducis versute se decipere temptantis apparuit. Qui cum ei urinam mulierculæ cuiusdam cameralis pro sua inspiciendam mitteret: Miraculum (ait) nunc & portentum Deus facturus est, quod numquam est auditum, ut vir utero pareret; nam Dux iste circa trigesimum ab hodie diem filium ex utero suo editum ad ubera suspendet. Erubuit tandem deprehensus ille, viroque Dei, ne se medicare renueret (nam ad hoc adductus erat) munera misit, fœminamque illam virginem putatam medicus Sanctigallensis supplicem sibi reduxit in gratiam. Nam ut Prognosticus ille prædixerat, ipsa partum dederat. Sed & Episcopo nostro Kaminaldo cum fluorem narium diuturnum adductus citissime sedaret, odorato cruore variolam morbum die ei tertia prædixit futurum. Sed pustulas ille die dicta sibi erumpentes cum eum restringere peteret: Enimvero, ait, facere potero, sed nolo, quia necis tuæ reus * karrinas tot ferre non potero: quia si restrinxero morti te trado: pustulasque tandem eruptas ita in brevi sanaverat, ut nec saltim de una fuerit signabilis. Hæc pauca de plurimis, quæ scriptor, pictor, medicus egit, quoniam iterum nobis narrandus occurret, hic libasse sufficiat.

* al. carinas.

Capvt XIIII.

De Keroldo Monacho S. Galli.

De Keroldo autem non minoris materiæ viro, quoniam plura non vacat, item quædam, ut in quantis columnis Galli crebro steterit, pateat, interseram. Erat à subdiaconatus sui principio scholarum semper ille magister. Presbyter vero factus prædicator altissime apertus, etiam Episcopus aliquando præsentibus & iubendo cedentib. populo declamator & (ut Apostolus tales vocat) Propheta erat mellitissimus. Vnde, ut antiquitus loci nostri mos statutus erat, publicus populo nostro etiam Presbyter positus est, ut in Ecclesia S. Othmari omnibus qui inter Goldahan & * Sintrianum fluvios degunt synodica quæq; præter disiunctiones coniugum pro Episcopo faceret. Cuius privilegia cum à Iohanne Papa cum Salomone Episcopo nec nõ Karolo adstipulante habeamus, invidi Monachis nunc tẽporis Episcopi vix nobis & nostris halitum relinquentes, ut Salusti verbis utar, *nil * nobis reliqui facere* moliuntur, ministrosque odii & invidiæ iniustæque potentiæ Holophernicos adsciscunt sibi Presbyteros, qui animas hominum carissime appreciatas vendant, fœminas nudatas aquis imergi impudicis oculis curiosi perspiciant, aut grandi se pretio redimere cogant. Hos tales quomodo faucibus strangulati vix evaserimus. Burkardum secundum dicturi plenius scribere habebimus. At Kerholdus, ut ad capacissimum S. Spiritus dolium revertamur, in his & aliis mille virtutibus animo & corpore diu attritus longoque senio fessus sed non defessus, cum iam plebis sibi commissæ fides in eum esset certissima, si quem corpore dolentem benedicens tangeret, allevigaret, confessione eis quadam die data & remissione petita moxse in lectum colligere velle, & in Christo emori flens pronunciabat, & missionem ab ipsis sollicite postulans in die Domini semel ut simque videndos spem se certam habere spondebat. Exutus vero alba & revestitus clamoreque familiæ usque cancellos Galli prosecutus, domum infirmorum per se nemine suffultus, multisque quid facere vellet mirantibus, introiit. Ibi ergo parumper residens substerni sibi fœnum terra nuda rogabat superque cilicium, in quo se quasi nihil mali passus reponens fratres omnes vocari rogabat. Quos cum adesse videret, salutatis omnibus surrexit, & stans & erumpens in lacrimas: Video, ait, Domini & fratres mei vocationẽ meam, quam semper reus ego timebam adesse: ideoque quia pium Deum nostrum confidens spero confessione coram vobis data securus abibo, tandemque assensu omnium confessus indulgentiam recepit, osculatisque per singula omnibus, à patribus ubi doleret requisitus, respondit in pectore & præcordiis: & utinam, inquit, Notkerus meus adesset, (erat enim ille tunc pro remediis in Aula regia) & residens requiescere se velle ait. At fratrum singuli quietem illi æternam precantes, præter custodes illi datos & quos ille rogabat psalmicanos, domo cessebant. Ipse autem quasi nihil adhuc quidem passus; *S. Iohannes Evangelista dilecte Domini recipe me*. & capitium capiti imponens brachialeque rocci subter caput revolvens super illud * nobile stratum se recollegit, & paulisper, ut sperabant, dormiens subito *Mi Domine bene venias*, ait. At ille disloqui eum ut ægroti solent putantes, unus tandem ex illis, videamus quid agat, ait, enimvero quisquis fuerit aliquem salutavit. Accedentes vero quantocius ad illum, oculis transversis labiisque albidulis vident præmortuum, signumque cursim pulsantes fratres advocant. Quibus quam concite circa se astantibus per semetipsum manus pedesque extendens omnes apertis oculis arrisit, tandemque quasi excusso risu cachinnulans expiravit. Tali exitu homine virtutum finito, erant qui dicerent, Iohannes eum, cuius dum viveret assertor erat assiduus in virginitate & in omni integritate, atque ideo absque dolore sicut ille assumptus est, qui a ipsi obiens commisit, & se visitantem in obitu salutavit, sepultusque est non longe à Notkero Balbulo magistro quondam suo sibique amicissimo.

* mss. sint tria vnum in Catilinario.

* mss. relinqui.

* al. mobile.

CAPUT XV.

De VValtone Decano, & Kuniberto Præposito Brisaugensi, & morte Kuniberti.

DE Waltone Decano nec non & Chunibetto Altaham Abbate grandia, siquidem quamvis non his similia, si vacaret, dicere poteramus. Quorum prior, quod eius officii quidem erat, memorabilem se posteris in secessus nostri structura difficillima fecerat. Non solum autem in hoc, sed in aliis multis magnitudinem suam ostendit operibus. Nam Saracenos, quorum natura est in montibus multum valere, cum è parte Australi nos & nostros adeo infestarent suis temporibus, ut Alpes nostras & montes obtinentes etiam fratribus crucem circa urbem sequentibus tela è proximo iacerent, militumque Abbatis manu ubi laterent investigari non possent, ipse quadam nocte cum familiæ audacioribus sibi ubi laterent proditos invasit, dormientesque nactus lanceis & falcibus, securibus quoque quibusdam trucidatis, quibusdam quoque captis cæteros fuga lapsos insequi inane duxit, cum capris fugaciores montes percurrerint. Quos autem ceperat, vinctos in monasterium ante se egerat, qui tamen ipsi manducare nec bibere volentes omnes perierant. Hæc de tragœdia eius temporis & de Waltonis magnitudine tetigisse sufficiat. Nam si miseriam omnem, quam nostrates à Saracenis sunt passi, percurrerem, volumen efficerem. At Chunibertus si extrema illum infortunia sinerent, inter omnes esset spectaculo dignus. Ipse enim vir ille erat, cui generis nobilitatem plurima quæ in illum DEUS congesserat dona quam maxime nobilitabant, scriptor directissimus, Doctor summe planus, pictor ita decorus, ut in laquearis exterioris Sanct. Galli ecclesiæ circulo videre est. Hic ab Henrico Duce Saltzpurgis doctrinis studere ab Karolo postulatus post annos aliquot Abbatiam Altaham promeruit. Vbi cum quot annos præesset tædio, quod Sanct. Galli claustro tamdiu careret, corde tactus abbatiam reliquit, claustrumque suum ægre expectatus revisit. Fit itaque in annum Decanus noster: & quia quot annis more Romano officia apud nos mutari solent, propter tutelam cog[n]atorum suorum, qui ibi abundabant, coactus in Priscovve constituitur Præpositus. Vbi cum multa erronea ad unguem corrigeret, monasterium aliquando cum reverti parasset, circa villam Wilaham cum Kerhardo post Abbate ut psalterii, quod reliquum erat, iam pransus absolveret, præivit. Ministri autem morum eius non ignari sibimet à longe in equis curracibus luserant, tandemque post illum accelerabant. Ambulator autem, cui ipse insederat, alacritatem equorum post se sentiens caput concutiens exultare cœpit, atque ille cum eum urgeret, ne curreret exiliens, gravem senio & corpore virum deiecerat. Erat autem in ore eius versus ille, ut aiebant: *Venientes autem venient cum exultatione*, quod *exultatione* clamose timore casus perculsus ultimum dixit; Corruens autem & quam cito resurgens Gerhardus illum cum iterum deciderat, equo descendens retinuit, & caput eius residens in sinum suum reclinavit: sicque viris pro aqua currentibus spiritum ex alto resumens obiit. Hic finis Cuniberti, statura proceri, & canicie venerandi, & ut plurimis visum est hominis sanctissimi. Corpus vero eius allatum monasterio plurimis lacrimis sepultum est in cimiterio. Necesse est autem, ut ordine præpostera sint, quæ dicimus, quia quæ simul tacta sunt, simul dici non possunt. Propterea unde digressi sumus redeamus.

CAPUT XVI.

De Notkero Abbate S. Galli.

NOtkerus electus dirigitur cum litteris Burkhardi Ottonibus Spiram, comitib. novem de patribus plerisque canicie venerandis ipse decimus, sed Regibus non adeo, ut præcessor quondam eius erat acceptus. Affuit illis advenientibus cito Ekkehart, nihil rerum priusquam aderant præscius, multumque anxius, quoniam Sandrat quem prius diximus, tunc aderat, & obloquia quædam iterum in nos susurrari Regibus sciverat, animo fluctuabat. Consilio tamen in brevi habito litteras sumpsit ad se Regibus hora apta præsentandas. At Otto iunior casu cum Ottone Duce amplexu mutuo non procul steterat, & Otto Dux Regi Rupertum Subdecanum gravitatis Monachum videns: Numquam, ait, leporem ille cuniculo capiet. Ad ipse id audiens inclinatus gratias egit. Et Otto Rex: Væ tibi misero, ait, ipse enim audivit. Et Ekkehardo approximanti Otto Rex; Qui sunt, inquit. Magister patres illi? Sanctigallenses, ille ait, Domini mi sunt, & hodie auxilio tuo juvandi, cumque pedes amborum ipsi peterent, Ekkehardus causam eorum in brevi perorat. Et Rex: Deus, ait, in cuius manu corda sunt Regum, faciat vobis Leonem meum mitem & placabilem. Sic enim patrem vocabat. Et dimissis illis Magistro in aurem, quis illorum electus sit, dicit. Quem præ se ferebant, ipse est. Et ille: illum delicatum iuvenem? ait. Enimero ut pater meus ad hoc consentiat, ut ipse eum nosti, non puto, talibus viris canicie venerandis Sanct. Gallo abun-

abundantibus iuvenem puellæ similem nobis quidem mittere: Convenite adhuc, ait, & te qui homines nosti consiliante graviorem eligite: aliter enim vos, ut petitis, Leoni meo sistere non audeo. Privilegium, Ekkehardus, ait, patribus à Karolo datum & per vos solidatum nos paucos quemquam eligere non patitur. Præterea de litteris Abbatis nostri fratris tui quid fiet? Nam Notkeri Medici tibi & patri tuo semper bene meriti & dilecti ex sorore nepos & ab Ekkehardo avunculo meo mecum nutritus & doctus, virtutibus patriis semper assueverat, & nisi virtutum virum nossent, numquam eum frater tuus & avunculus meus cum cæteris, ut ipse homines nosti, Dominum eligerent. Audito Rex rationis tantæ responso, maxime autem de Notkero, mitescere tandem cœpit: literas tamen, neque ipsos postea patri sisti priusquam ipse illum præstrueret, & anima eius explorato ad alloquia eos Leonis sui præpararet, placere sibi aiebat. Vocatis tandem ipsis bonæ spei esse monuit, & nocte precibus invigilare, ut quoniam invidos haberent, Deus eos iuvaret. Monet deinde Ekkehardum mensa cœnæ levata cum litteris sibi commode non deesse, qua levata patris & matris secretum postulat alloquium. Matre autem de mensa sua veniente ad ostium occurrens ut Sanct. Gallo faveret Ekkehardus in aurem rogat. Audiverat enim à dicentibus Sandratum adventum Monachorum Sanct. Galli Magno Ottoni, nec non & omnem causam eorum clam & sinistrorsum dixisse, & sui memorem fore pedibus petitis rogasse, quod Ottoni etiam suo silenter patre assidente paucis nudat. Silentio tandem omnibus aliis à cœnaculo eliminatis facto Otto filius ait: Sunt hic, Domine mi, nuncii filii tui quondam Abbatis Burkhardi DEI iussu diu infirmi, quid autem postulent, experiri habebis. Scio, ait pater, eos matutinos quidem affuisse, sed quare se à meo conspectu celaverint nescio. Sunt meorum quidam, qui eos non simpliciter venisse asserant: quoniam *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*, Et ille: malo suo pater, ait, valeant odibiles illi, qui te acutiis suis à bono avertere moliuntur. Et Regina: Vide, ait, Domine semper amande, ne talibus, quales filius tuus notat, inconsulte & nimium assenseris. Nam & prius Dei servos illos imperialiter quidem impetitos, sicut ab ipsis quibusdam, quos misimus, audivi, sine causa molestavimus. Et Otto: Ecce pater, ut ipse illos nosti, assunt ex eis viri venerandi à filio tuo pæne præmortuo missi, quos, cum me quidem, ut eos tibi sisterem, præpeterent, paucis cum eis locutus in crastinum ipse viros distuli: & ideo mentiti sunt, qui tibi dixerant, duplici illos animo quicquam machinari. Nam & litteras, quas tibi missas manu habebant, ego recepi, & ecce ipsas, quas cũ audiveris, si clamdestini assunt, videbis. Et à patre sigillum recludere iussus ipsi illud (nam Sanct. Galli semifacies erat) in manum dabat. Quod ille sollicite intuitus, filii mei pauperis Domini imaginem ait esse putavi: sed tu quidem quid litteræ velint insinua. Hæc verba: *Summæ post Deum maiestatis Dominis meis regnum æternum Burkhardus Abbas semivivus. Annis meis & senio finem mihi vitæ in ianuis habentibus, ne pastor oves, pater filium improvisos relinquam, Domini mei, privilegium gratiæ vestræ me sollicitant. Misi itaque vobis fiduciam vestri habens dilectum meum mihi adhuc vivo sufficiendum à viris virtutum optimi moribus assuefactum Sanct. Gallo, ut confido, vobisque placiturum. Misi autem vobis & testes meos ter tres idoneos qui eum coram vobis ferula mea reddita, & indulgentia mihi petita singuli eligant. Valeat regnum vestrum & imperium in Domino Dominorum, Amen.* Perlecta Epistola Otto eam patri & matri fidus interpres Saxonice reponens insinuavit, & ut petita facient amore eius, quem posthac visuri non sint, sollicite rogavit. Et Ekkehardus: Meminere vos Domini Notkeri medici eius qui eligendus est avunculi, sed & Ekkehardi vestri, qui eum, nisi idoneus esset, vobis dirigi numquam consentiret. Tandem post verba multa Otto pater: Cras, ait, diluculo appareant in conspectu meo, ut illo cum cæteris viso decernam quid faciam. Et Otto filius: Homo, inquit, videt in facie, Deus in corde, neque enim ille ita, ait, ut magister meus aspectabilis, neque ut Sandratus vester se exhibet despectibilis. Et ille: Vtinam fili mi, ait, omnes Monachi nostri Sandrati animum gererent. At ille monitu Ekkehardi, ne patrem commoveret, conticuit, sicque pater colloquium diremit. Ekkehardus autem notularum peritissimus pœnæ omnia hæc eisdem notavit in tabula verbis. Quibus Otto suus postea ut ipse nobis retulit, multum delectatus est sibi relictis, cum ipse præter notulas mihi viderit in tabula. At Ekkehardus suos, ubi hospitabant, continuo petiit, optimæque spei fore Ottonis sui eos verbis monuit. Cumque ab eo, si sui apud Reges mentio aliqua fuerit, quærerent: Magna, ait, si mihi dicere liceat, sacramentum enim Regis celare honorificum est. Sed hoc tamen vobis pandere audeo, quia sollicitum apud patrem filium habuistis interpretem. Venturi enim estis in conspectum patris diluculo ipsius edicto: sed eius horæ & articuli fortunam committere habemus Deo. Veniunt illi precibus nocte muniti in Aulam matutini, patre cum filio jam laudes, quarum Ekkehardus semper curam gerebat, audientibus. Ait Palzone loci Episcopo preces recitante Ekkehardus ostium pandit, ut videat si assint, cumque eos conspiceret testans paulisper Ottoni significavit. Pater autem eum egredi volentem chlamyde retinuit parumque subrisit. Et ille: Numquam oculi perspicaciores Leo mi erant quam tui. Enimvero ita & de Leone legitur. Ekkehardus ait, quia oculis apertis dormit. Et Palzo, unde sponsus ait ecclesiæ *Ego dormio & cor meum vigilat*. Sed Domine pie foris te expectant, qui talia dormientes melius quam nos vigilantes sciant. Vnde tu illos, ait, nosti? Quare illos, ait, non sciam, inter quos nutritus, & quæ optima scio, sum edoctus? Et ille: scio, ait, quia pauper & mendicus quondam circuiens terram peram paupertatis tuæ mendican-

do farciebas. Non ego,ait,sed quod illi dabant in summis ponebam.] Tandem ille terribilis egressus,cum Ottonem Ducem cum eis offendisset assistentem arridens ei *bon man* habere Romanisce dixit:dein & eos salvere ait. Ille etiam acclinis cum ipsis gratias egit. Wanuic vero primus ordine si loqui liceret quæsiit? Fidenter,Otto filius ait. Abbas noster, Domini-invalidus multum in vobis sed & in Domina nostra confisus nos ad pietatem vestram transmisit & gratiam regnum vobis optans sempiternum & imperium. Causam autem adventus nostri quondam litteris ab eo mandatam attulimus,non forsitan oportet,ut interim dum leguntur sileamus. Litterarum,Otto pater ait,molimina audivi,sed eum dum vivit deponere nescio,si possit decere. Et Cunibertus propius Regibus accedens: At nos Domini modum forsitan optimum scimus, quo vos deceat efficere,quod pater noster & nos eius iussu postulamus. Sic ille Dominus noster omni tempore quo vivit:quem subrogari sibi vult, nihil capitale absque eius nutu faciat,tantummodo,quod valde ille benivolentissimus formidat,ne nos moriens orphanos relinquat. Est enim ille magnæ spes vir quem destinat. Illo quoque, conticente, Otto pater: Quem tamen mihi nepos meus,inquit,miserit monstrate. At pariter illi Notkerum in ultimis,ut ordo eius erat,stantem produxerant. Et pater in aurem filio: Modo,ait, quoniam viros disertos inter illos video, quid dicere velint probare volo. Et Ekkehardus audiens: Aliud,ait,Domine mi, curato: absque responso enim illos non invenies. Et ille: Iste ne est,quem ætate vobis quasi filium eligere mihi proponitis? O maturitatem vestram & pæne omnibus vobis sparsam caniciem, Abbatem vestrum inter tot canutos qui sibi possit subrogari invenire non potuisse! Et Rupertus quem dixi subdecanus: Errasti Domine mi Rex,ait,& oppido errias. Inter tot utique Marias optimam partem dudum eligentes Martham nec unam quidem, quæ sollicita sit & circa frequens ministerium satagere velit,nepos tuus invenire poterit,ideoque talibus relictis ad minorem ætatem descendit, & optimam,mihi crede,si eam digneris,invenit. Ad hæc pater: Vt video, tu ipse dignior illo. Interea pater ad calceandum in caminatam ivit. Illis autem ut se expectent iussis ambo Ottones Regem comitantes Regina accita,ne tales viros diu detineret rogant. At ille in dubio se esse ait quid faceret, neque illum adeo placere quem attulerant. Regulam autem quoniam in loco illo numquam stabilire potuerit, regularem eis aliquem ponere velle si suaderant,ait. Et continuo filius Sandratum eum velle & Ekkehardus senserant. Ekkehardus autem ad pedes procidens tacitus surrexit. Et pater, quid petis, ait, enimvero etiam si tibimet abbatiam illam dari vis,absque regulari aliquo comite ab Ottone non ibis. Enimvero, ille ait,ex causa summe Domini pedes vestros hodie non petii neque petam. Longe aliud est, quod vestra quidem omnium trium vice Domini & Domina lacrimascere etiam potero, quod cogitavi & cogito. Vbi est veritatis semper inconvulsa firmitas,etiam apud Ethnicos, Regum? Dico enim privilegia à Karolo Sanct.Gallo usque vos data? Vestrum autem famulis vestris præ omnibus semper potissimum,in quo nepos vester Abbas,Ekkehardus vester & Notkerus cum cæteris Spiritus Sancti viris adeo confisi sunt & confidunt, ut neminem alium præter quem vobis *certissimi vestri miserant,expectent Abbatem? Ottones tandem Rex & Dux surgentes,Regina quoque supplice,privilegii memorem fore rogant. At ille silens secumque deliberans tandemque quasi invitus acciri homines iubet. Quibus coram stantibus,propter ablatum,ait ille, vestrum tunica qualem Benedictus quidem numquam induit decorum non statim vos viri Dei osculatus sum;osculamini igitur. Cumque eum præire invenirent, ille vitato eo cæteros osculatus est:hora osculi eius adhuc, inquit,forte erit. Cumque plura de statu monasterii cum eis disceptasset & de moribus eorum & vita, quæsivit si adesset qui dixisse fertur; *Si calceus dividitur,nemo calceatur,* risuque suis moto,ecce iterum Ruodmannum,Ekkehardus ait,sentimus. Quo audito,tu dixisti,Rex ait. Tandemque ferula recepta Abbate coram se ut motus est posito,condicto quidem tali eam Notkero dedit, ut vivo Abbate suo sicut ipse vellet iam curaret, nihilque capitale absque eius nutu & Ekkehardi Notkerique consilio ageret. Et continuo,meus tandem eris(ait)manibusque receptum osculatus est, moxque ille evangelio allato fidem iuravit, dimissoque eo in ecclesiam ad *Te Deum Laudamus,* milites Galli qui aderant reverso coram se accitos iurare iussit, tandemque surgens in partem illum cum patribus sumpsit,salutemque nepoti mandans & gratiam regulæque eos tenorem habere qui perspiciat eis in proximo missurum,quem quo gratantissime possent edixit ut receptum tractarent,& revera scirent, si sibi boni quid talis ille redicturus foret,in nullo se ærario suo parcere velle, quin eis in quibuscumque possit accommodaverit, tandemque eis missione data,si quid ab iconomis suis victualium exigere velint abunde dari iussit.

*forte dilectissimi.

Veniens domum Notkerus gratanter ab omnibus susceptus, Burkhardique manu in sedem potentiæ locatus colloquium in capituli domo facere Basilicam egreditur, ibique in Sanct.Benedicti vicem ab omnibus electus qualem se mox & semper quoad vixit exhibuerit,partim vix narrare,partim vix credere est. Hilaritas enim eius,quæ ei quodam ingenita modo quasi naturalis inerat,& ut nunc temporis est deliciis ascribatur, partim dicenda non est, propter quod invidi detrahere, desueti autem cum gemitu clamare non poterunt. O tempora,ô mores! Enimvero cum ubertas,quæ ultimos Burkhardi annos nobilitabat, officinas omnes monasterii Richero Ekkehardi monitus colligente suppleverit, largifluo in omni

omni hilaritate viro etiam suos Deus adeo frugibus oneraverat annos, ut regiminis sui meritis id quivis iure ascribere possit, ut cum Tullio meliori quidem ipse concinnare potuerit metro.

O fortunatam Galli me consule cellam.

Paucis utique ille post adventum suum diebus elapsis decessore suo cum allectis sanioris consilio monente, Kebonis doctrinam paulisper quidem sopitam sollicite excitavit, disciplinamque semper loco Galli insolitam recuperavit. In necessariis autem ubertate annua abundante fratres suos omnimodis procuravit. Vineas enim, postquam ab Hadewiga frustrati sunt, Richerus homo Sanct. Gallo conquisitivus Decani sui monitis tum precio tum concambio tantas collegit, ut ubertate redundante communi fratrum tum Abbatis penu repletis vasa vinaria non pauca in curte Abbatis deforis quoque sub divo locarentur sub custodibus, pluresque, qui alicuius momenti in loco erant, rubeum vinum quamvis alias bonum præ deliciis repudiarent. Sed Abbas Cralohi de fratre quidem, Notkeri autem de sorore cum nepos esset, ingenita sibi ab utrisque severitate, partim quia sub Burkhardo vacillante liberius vixerant, partim ut fama hæc Regum aures attingeret, fratres artius in claustro qui eiusmodi erant stringere curabat, taliumque ille culpas palam seculo factas foris claustrum interdum puniverat. Sed & plerumque in curtes longius sitas pane sordidiore aquaque alendos exiliaverat. Neque sic quidem linguas detrahentium restrinxerat, cum & suimet patrui filium multa scientia inflatum Furintovvam, alterum autem Nechinburg diu relegaverit. Pro quibus eum & aliis quidem simi ibus per nuncios & litteras cum Reges regratiassent, non tamen apud eos secure tutus esse longo tempore poterat: quod in loco suo post apparebit. Talis ille cum in claustro fuisset laicis quidem & militibus & famulis longe alius erat. Milites quidem, quando sibi absque fratribus esse vacabat, intus, & fortis mensæ suæ propositores & pincernas hebdomadarios habere solebat, disciplinanterque sibi ab eis ministrari volebat. Filios autem aliquorum, qui patrum beneficia habituri erant, ad se sumptos severo educaverat, qui coram eo interdum nudis tabulis luserant; sed & pro avibus captoriis & cæteris quibus libertatis indoles exerceri decet, si deliquissent, à magistris exacti vapulabant: quibus tamen missionis pro ætate temporibus armaturas ille & munera dabat. His similibusque, quæ se frugi hominem vulgassent, operibus adeo se ille commendabat, ut ubique de eo fama volaret, sed & coram ipsis quoque Regibus non aliter nisi boni Abbatis prænomine memoraretur. Hartmuoti vero constitutiones cum omnimodis servare sollicitus esset, loco plerumq; cedebat, ut effusius fratres eo absente lætificarentur, dicens Decano & symmistis suis, si eorum causa, quorum his temporibus in Monachos ora sunt patula, inflexibilem rigorem semper tenuerimus, aut arcum regulæ frangemus, aut chordam eius mihi, ait, credite rumpemus. Ideoque quia id palam pati non audeo, clausis super se ostiis ut aliquando remissius fratres mei agant, consulto carissimis loco cedere ait volo. Videte tamen, ait, obsecro vos Domini in quibus reclinor ne effuse effluant, & ne laici hilaritati illorum omnino intersint, maxime autem servi, quorum nec iusiurandis credere sæpius ait didicimus.

Claustrum autem Sanct. Galli, quoniam hunc locum incidimus, ab antiqua patrum memoria tantæ venerationi semper est habitum, ut nemini vel potentissimorum seculi canonicorum seu laicorum introitus vel etiam introspectus eius licuerit. Vnde & dicere habeo, quod ab religiosis huius temporis mihi quidem discredi scio. Vidi egomet ante tempora, quæ à Gallis patimur, Monachorum schismatis, Comites aliosque potentes, loci quoque Milites, pro delectione festis diebus crucem nobiscum per clastrum * sequendo, juvenes & senes quosdam ad cingulum barbatos Monachicis indutos roccis nobiscum quaqua ivimus ingredi. In refectorio quoque octo de illis, qui tamen emeriti videbantur, circa Abbatem & Decanos ad mensam Monachico consedisse habitu in die Pascæ vidi. Sed &, ut risum de commessatorum illorum uno moveam, Bernhardus quidam domi supra mensam silere non solitus: hic cum circa Subdecanum Ruopertum mensuram puræ potionis suæ coram se habentem consedisset, ut domi solitus erat, statim bibere volens eam manu sumpsit & impiger hausit. At ille sciens eum iocundum, silenter in aurem homini, regulariter nostrum est, ait. Et ille immemor quo præstructus erat silentii; si nostrum est bibamus illud, palam omnibus dixit, continuoque sibi poculo oblato: Ecce & istud nostrum est, bibamus illud & ipsum. Raucosus enim & ludibundæ vocis erat & morum, manu fortis quidem.

* sequendi.

At Notkerus annorum suorum vbertate quidem oppido habundus, plurima quæ nemo antecessorum eius unquam ausus sit aggressus est & fecit. Muros enim ille super vallos ab Annone patruo cœptos cum interpositis turribus & portis perfecit. Ad has impensas ille plura profundens universæ familiæ præbendariis, id est centum septuaginta viris, cum nunquam ante se nisi avena pascerentur, pura de spelta dederat grana, & quod amplius erat, spicarium ille novum, quia sic homo erat, solis feris & beluis avibusque domesticis & domesticatis iuxta fratrum condi fecit: quod & ipsum iam fieri iussit magnificum. Talibus bonis innatanti non tamen deerant interdum adversa inter prospera. Nam absque beneficiis multis, pro quibus artabatur à Regibus, ut ea quasi dives opum & homo largissimus vocatus præstaret quibus nollet, Ruodman eum tunc more solito apud Aulicos accusat, & Ekkehardo nescio spiritum eius fœtere fecerat nihil minus sperantis. Et ecce Ottonis celato Ottoni

filio

filio & Ekkehardo consilio Sandratus litteras ferens in ipsa Sanct. Galli vigilia vespertina incepta in templum deforis inter laicos estingressus. Latere se posse dum omnia perspiceret, quasi nemini notus, credidit. Volebat enim, ut postea fassus est, diebus illis sanctis hospitio sibimet qua posset petito de mercato se curare, ut exploratis quæ posset omnibus astus suos tandem acturus erumperet in medium liberius. Decanus autem de Muorbach iuxta Abbatem astans; Ecce Sandrat, ait, inter illos si umquam eum vidi Domine mi vitabundus graditur. Despectibilis ille enim, quem prospicis, ipse est. Et Abbas, video illum, sed si ipse est, mihi quidam despectibilis non est, accitoque quodam fratrem, digito monstratum in chorum duci & locari iubet. Quem ille non sine rubore vellet nollet secutus deprehensum se celare non potuit. Oculi enim omnium Intenti erant in illum. Abbas autem post laudes egressus in auditorio eum salutat, mirarique inter cætera ait, quod tam palam promissus ita supervenerit occultus. Responsi ille dubius Epistolam porrigit, & hæc pro me loquitur, ait, quam tibi Magnus Otto quidem direxit. Acceptis ille litteris & osculo veneratis, in turba hac festi nostri, ait, legere Domini litteras tutum non puto, ad quas ocium habere volo, sed pro hospitii tui commodis satagere portanarium volo, teque, quia forte lassus es, dies aliquot, ut post expeditior sis, in domo quietis pausare & quomodolibet per te curam tui gerere: hospitibus vero & aliis in claustro & deforis me oportet providere. Quapropter & à refectorio, ait, ne oculos tuos ibi quid lædat, hos dies volo ut abstineas. Lecta epistola Domini mei, quicquid libuerit mihi, ait, velim loquamini, tantum ut in principio introitus nostri nihil regulæ absonum inveniamur perpeti. His dictis discessum est, illeq; in alta illa, quam Sindolfus Sanct. Notkero quondam clausit, locatur caminata Epistola adventu Regum & Reginæ Italiam vere proximo petentium intimato, Sandratum ad instituendam regulam missum gradanter iubet recipi, & quoad ipsi in locum veniant paterne tractari. At Abbas accitis domino Burkardo Decanoque cum patribus primo Sanct. Galli diei diluculo in colloquium, Sandratum bene mansionatum hospitaliter tractari decernunt usque post festum, eoque transacto integrius utrimque quid facto opus sit tractari quidem posse. Quod ubi per Decanum Richerumque Præpositum homini demandatum est, tanta asperitate accepit, ut nisi quantocius sibi versari detur cum eis, quod docere venisset, mori omni postposita se minaretur abscedere. At Richerus Decano ne quicquam contra loqueretur in aurem monente, protervìam tamen verborum eius ferre non valens; Si fidelis nuncius es, ait, responsum pro quo missus es expectabis: sin autem in commisso fidelis esse nolueris, *infidelis* inquit *si discedit* ut ait Apostolus *discedat*. Et Decanus; Nequaquam, ait; enimvero litteris nobis regiis missum abire non patimur, sed & sub custodia quoniã fugam minatur volo servetur, moxque Præpositus ministris accitis ait; Omni honore & impensorum (inquit) opulentia seniorem istum Domini Regis nuncium curate, ipsum autem ne Abbate nostro inscio abeat sollicite servate. Veniet dies tertius, & hominibus suis missionem quidem dabimus. Talibus ille utriusq; verbis adeo est consternatus, ut stupidus eis abeuntib. sedens diceret suis, neminem cucullatum in se putasse fuisse, qui sibi contra votum suum tanta præsumeret respondere. Tandem ut multa quæ audivi prætercam, tertia die in consessum adducto Abbas consulto est locutus; Nobis, Frater, quibus ad opus optimum ut opto (ait, directus es, prudentiorem te Episcopis & Abbatibus opus est fore, qui nos mira caritatis discretione nuperrime in regulam Sanct. Benedicti stabilitos ut volebant reliquerant: à qua in aliquo nos cogere deviare, plerosque fratrum habeo qui immissionem per angelum malum peccatis nostris id exigentibus planissime asserant: in quo uni tibi quamvis sanctissimo homini repentino motu obsequi, non excussæ rationis, sed regalis esse scimus imperii. Mihi, ait ille, miror si de immissione mea si angelus malus sim quisquam attribuat, cum sponte mea credite mihi non venerim, neque ad vos neque ad ullos, quorum tamen Deo laus multos in regno correxeram, apud quos quoniam a bImperio missus sum imperiose quidem egeram, neque deprecative quicquam sicut & apud vos vbi primo adveneram facere permissus sim volueram, & si adhuc hodie permittor volo. Et Decanus Abbatis; Age igitur, Domine mi, cedamus angelo Imperii, & ordinem ei congruum dato nobiscum, ut quomodo vivamus videat, ubique versetur: hebdomadæ tamen inducias ante magistratum eius (inquit) petere volumus, ut regulæ viam qua gradimur perspiciens si nos exorbitare regula lecta docuerit, reducentem secundum Imrii iussum sequamur, & quia regularis Monachus absque Abbate esse non poterit, qui sibimet Abbas Decanusque sit, hic invenisse inter doctrinas suas regulares viros patienter ferat. Coloniæ, ille ait, Abbatem meum carissimum reliqui. Eius nobis, Decanus ait, etiamsi litteras commendaditias dederis, ea tamen teipsum facere & pati renuere quæ docueris, etiam Regi ipsi Magno nos tibi perpeti nolle rescriberemus. Talibus ille auditis secum fremens adeo ut præ ira etiam lacrimasceret commotus est. Sed Abbas conventu dirempto consurgens bono animo esse illum per se monuit, neque semetipsum quidem rationabilitati tanti viri ausum ait reniti, cum talium in loco sint plurimi qui ab Episcopis & Abbatibus nuperrime in regula Kebone commanente stabiliti non possint in impetu ab ea revelli: se autem Regis quas attulit litteris contraire nolle, si sub longis moris & examine regulæ rationabilia suis ingerat, & à tantorum virorum doctrinis tamdiu insolitis eos avertat. Iubet tandem ei ordinem dari post Decanos, & hebdomadam illam omnia nostra perspiciendo quietius agere, tandem-

denique cum ratione quæcumque non placuerint, regula teste, mutare. Finitur hebdomada in capitulo confidens plura sibi displicere ait, maxime autem in ecclesia exaltationes vocum gloriosas & nequaquam Monachicas, & alia quæ post dicere vellet plura, præter quod Dominicam in ea cottidie agere videret, feriam autem sextam in refectorio. Porcini autem liquaminis odorem nares suas omnino ferre non posse, carnesque se omnibus & liquamen infirmis & sanis edicto Regis interminari, vinum autem, quoniam bibulus quidem erat, nimis nobis parce dari aiebat, calicemque nostrum ad refocillandum potius quam ad potandum sufficere. Cætera plura quæ docuit & fecit præter quædam insignia, quoniam omnia exitum malum habent, ex quibus quidem volumen facere possem, omitto. Monet Abbas decem tandem nec non & omnes, quoniam parum firmitatis in eo quidem videtat, ut ei sicut se diligerent ad congrua & incongrua cuncta parerent, prædicens eis magistratus eius rigorem non diu duraturum. Iubet autem in summo dexteræ refectorii mensæ omnia ei quæ ipse diceret sine mensura proponi, & si ipse desineret bibere moneri, iam enim illum potando quis esset exploraverat. Decanus autem cum Præposito singulis fratrum ut idoneis illum moribus frangerent frequenter inculcabant. Erat autem ille fratribus semper post mensam indisciplinis propter potū quidem asperior. Accidit vero quadā die ut quidam iuvenū, cui iā plures dies ille infestior erat, cū illū severius ut in omnes solebat verbis inveheretur, *ecce iterum semimagister noster postquam mero incaluit*, diceret. Ille verbum clam ut putabat â juvene dictum ab ore eius illico rapiens; *Semimagister tuus*, inquit, *ego si insanio tibi ostendere quantocius habebo*, insiliensque in hominem bene quidem natum sed & admodum litteratum grandem ei manu in maxillam alapam dedit. Ille vero multum robustior brachio dicto citius extento, pugno illum in timpus validissime percussit seminecemque in terram cadere fecit; & nisi quod eum cæteri retinebant, maiora ei ad huc facere volebat. Superveniunt cum Decano continuo fratres, Abbate accito signum pulsatur ad capitulum, ibi iussu Abbatis iuvenis ille adhuc furens ad columnam pyralis ligatus accerrime virgis cæditur: & inter dolores quoniam litteratus erat, Mirum esse, ait, quod Christus ad columnam technis quondam passus est Diaboli, se alterius Sathanæ technis ad columnam quidem pati. Neque enim minus mirum quandoque evenire, si Sandrato per manus suas, quod æquivoco accidit, accidat. Talia eo inter verbera sibi præsagiente, ipse adhuc de illo ictu stupidus residens valde expavit humique coram Abbate stratus ut eum absolveret petiit, quidque sibimet post hæc faciendum sit pro Regis amore se doceat. Et Decanus; Nimis vrges, ait, Dominum nostrum ut te qui tot Monachos, ut ais, docuisti nosque post tot Episcopos & Abbates docere venisti, doctor tuus esse præsumat. Et Abbas; Quia Regi Domino fidem, ô vir Dei, ait, iuravi, quicquid nobiscum feceris ego habeo pati usque ad id quod nescio cuius regulæ esse tu dicis, si fratres meos quasi stolide audax manu cædendos insiliveris. Etenim in fide assero, uterque nostrum contra regulam etiam nunc operati sumus, tu filium meum absque iudicio cædendo manibus, ego ut tibi satisfacerem verberibus. Cumque omnes eum ut litteris gesta eius Ottoni filio mittendas tradi iuberet, surgens ille quasi cæteris exemplum dando roccum exuit, & coram se expandit, superque illum se extendit, utque puniretur pro tali excessu gemens oravit. Cumque pleriq; omnes ut vapularet optarent, Abbas illum induere, quoniam quidem nuncius Regius honorandus sit, iussit: dein illum cum fratre læso per potestatem pacificans quomodolibet tamen agere vellet arte sua non prohibuit. At ille cum eo minus vino non parceret, transactisque ab hoc articulo aliquot diebus in magistratu suo iterum insolesceret, quadam nocte vino sepultus stertendo & sternutando fratres inquietaverat: servum vero suum Hattonem, qui olim post adventum suum loco discesserat, clamans; *serve nequam* (ait) *ubi es?* sicque insaniens tandem ad urinam surrexit sine rocco & nudipes, Ruomonisque patris propter inquietudinem eius tunc absentis scamnum lecti perminxerat. Crastina vero à Decano ebrietatis & turpitudinis capitulo incusatus, iterum ut & prius sponte sua roccum exuit, & super expansum se extendens puniri postulavit. At Ruomo surgens Decano quidem non iubente flagello fratrum quod cominus pendebat modeste sumpto maximos illi ictus infregit, Decanoque illum quidem quidnam faceret inclamantes; Quod iussistis, ait, & quod ipse petiit facito (simulabat enim se nutum eius putasse) interimque maiores ei fortissime infregerat, illoque væ sibi quod unquam in locum venerit vociferante, Decano surgente vix ereptus est. Ruomodo autem tantæ auctoritatis meritis suis erat, ut à nemine sit notatus, ab aliquibus idonee fecisse sit dictus. Iubet tandem Abbas consulto omnium lectum illi sterni in caminata, qua primo hospitatus est, vigilemque ei industrium de familia dari.

Ibi ille aliquando de completorio veniens, videns vigilem sibi carnes paratas super mensam habentem, (nam illum nimis diligens fidem esse confidebat) anime mi, ait de carnibus & mihi dato & celatum habeto. Quod cum libens fecisset, de carnibus saturato etiam vinum porrexit. At ille de sacculo à nemine unquam in loco viso denarios proferens unanimi suo osculato ut & aliis noctibus par faceret dedit. Cumque hoc illi iam crebro clausis super se intus ostiis fecisset; quidam die Richero sciscitanti quomodo se magister fratrum noctu haberet? Enimvero optime, ait, si ei carnes iam dare haberem: nam quas habere potui, consumpsimus. Bene, ille ait, mi sodes, narras; neque enim tibi per me deerunt, sed quod tibi dico, ut de vita cures facito. Ianuas nocte proxima serare te simulato, reseratasque finito; &

to: & à ministris nostris quæ abundent carnibus sumptis opipare eas vobis parato. Venit ille nocte proxima de completorio, & ut solebat mensam ei minister fidissimus apponens carnibus onerabat, lætamque noctem habituros promittebat. Et ecce Præpositus assumptis quibusdam de fratribus avide illis supervenit comedentibus, & stans super illos; In bonis, inquit, operibus te magister sancte invenimus. Enimvero ait ægrotis nostris si tu velles, scutella hæc magis liceret quam tibi, & allevans illam in faciem eam minatus percutere, non tamen fecit; Vigilem autem, quasi & ipsi iratus, servum nequissimum vocans, numquam in conspectum suum venire iussum domo expulit, soloque illo deceptore quidem Regum & regni relicto abierunt, ianuis ne ultra intus intraret claustri post se sollicite clausis. At ille malum sibi aliquod maximum cras futurum timens de nocte fugam iniit, latibulumque die illo inter frutecta montis proximi habuit. Sed & Abbas cum neminem illum persequi vellet, securus tandem suimet factus, deambulatoribus peregrinis, qui Romam ibant, iungitur. Sed quid postea fortunæ habuerit, quia dubie affirmatum est, odio nominis eius libens ignoro. Et hæc est tragœdia Sandrati hypocritæ iussu Ottonis Magni in nos moliminum. Misit tandem Abbas litteras Ottonibus & Reginæ in Saxoniam cum muneribus, sciscitans tempus adventus eorum, nec non & Ekkehardo quaternionem omnem seriem Sandrati tenentem: quam ille Ottoni filio cum insecretis legere daret, in tantos ironiæ cachinnos solutus est, ut mater eius superveniens quid esset quæreret. At ille scripturam illam ipsi dans legere eam rogavit (nam litteratissima erat) quæ fortuna missum à parte sanctum Sandratũ comitata sit & secuta. Quã cũ & ipsa quidã studiose perlegeret, risumq; nõ contineret, filio ait: enimvero fili tã indecens mihi videtur fuisse patrẽ tuum talibus viris, quales & nos nuper de illis vidimus, tale scelus immisisse, monstrumque hominis tantæ reverentiæ viros post se trahere iussum fuisse; Eya, ait auricularis patris tui fuit ille hominum vilissimus & Deo odibilis: sed & ego fallebar in illo macilentum videns & pallidum, habituque neglectum, magnumque aliquid nos in eo expectare sperabamus. Scio autem tibi & Ekkehardo quicquam de hac re patri suo loqui minus, ait, convenire: sed ego quidem quando primum copia fuerit, scripturam istam fide interpres auribus eius aperiam. Miles quidam Abbatis nuncius datus Regi tandem Regina astante litteras dans munera offert, continuoque grate acceptis quomodo Sandrat se habeat interroganti Regina infert; mihi, ait, hoc Domine mi iniunctum est epistola lecta tibi interpretari. Quam cum ipsa legisset, finis eius erat; *Moveatque maiestatis tuæ pietatem indiscreta varietas molestiarum, quas per sedecim hebdomadarum spatia cum fratribus meis perpessus sum.* Et illa; has, Domine, in his cartis * breviatas à me clementer (ait) audi. Cumque ei scripturam illam totam quam citissime poterat fidelis interpres absolveret, tædet me (ait) mi dilecta & piget audisse vana hominis totque indiscreta molimina. Sed & miseret me, ait, mei timore talium & tantæ humilitatis patientiæque Dei virorum. O, inquit, in conspectum daretur deceptor ille levissimus, quam cunctis hypocratis in exemplum esset futurus. Accitoque Reginæ consilio Ekkehardo; scribe, ait, Notkero tuo cum suis non meam tantum illis sed & illorum mihi quia commoti sunt gratiam. Et si eos contristavi inscius, propter invictam mei causa illorum patientiam, eos si vixero sciens lætificabo, adventumque nostrum in Maio, Deo donante ad eos futurum, & vulnera quibus à perversis seductus eos læsi sanaturum. Ingreditur interea Otto filius. Pater illi scripturam illam quasi rerum inscio dat legendam. Ille autem inter legendum dum rideret, minor te (pater ait) ridere quod me libet flere, quod verax factus sis, ait, hoc pater gaudeo, crebro vobis cum eum insinuarem; & vos tamen me inconsulto illuc hominem misistis, quisquis esset celare non potuit. Sed vel nunc quæratur, Pater, ubi sit, ut cum nos in locum (ait) venerimus, in conspectu discipulorum suorum, quos indigne tractaverat, ipse digne tractetur. Et Regina; Si patri tuo Fili ait, prius ille ad manus venerit, non meo consilio eum illuc reservabit. Dimissus hilariter Miles Abbatis boni nuncii gerulus omnes Sanct. Galli viros lætificans Regum eis verbis edixerat, ut quoniam ipsi iam experti sunt quod bene quidem vellent, posthac viverent quocumque modo vellent, nec enim iam ultra ullum eis hypocritam spondent immissuros. Parantur in adventum illorum multimoda laudum recens dictatarum, cæterarum ut solet rerum copiosa impendia. Veniunt in locum in vigilia Ascensionis, quæ fuit in die Sanct. Potentianæ Virginis: suscipiuntur honore quo docuit. Otto Magnus à fratre Prunone Coloniæ Archiepiscopo sinistra ductus, dextera baculo fultus: filio autem matrem ducente, longe ipse præ aliis quasi leo præ bestiis, fratre manu osculata discedente, solus in medio fratribus hinc inde ad laudes in lateribus ecclesiæ directum statutis quasi statua constitit, oculisque grandibus in fratres hinc inde versatis quam antea noverat, si adhuc sit, disciplinam probans, baculum sibi decidere sivit. Cunone autem Duce genero eius accurante baculumque sibi timorate restituente, stare illum iubens ait; Ecce ego disciplinam horum, quam & tu forsitan audisti, temptans baculum mihi decidere sivi, meminisque illorum caput aut oculos ad hoc motos vidi. Dic vero Adelheidæ meæ & filio versutiam quam feci. Filius autem sæpe facere loqui solitu Cunoni referenti; Miramur, ait, cum tamen firmiter imperium teneat, quod baculus deciderit, enimvero quasi leo regna, quæ adhuc cepit, firmissime tenuit; neque mihi quamvis filio partem vel unam dedit. Tandem post laudes finitas Rex Magnus neminem nisi quem Abbas velit secum ad claustrũ ingredi edixit. Decano & aliis primoribus ad oscula vocatis Notkerus suus ubi esset interrogat,

* al. brevitas amasclam.

gat. Nam ille tunc senio cæcus in sedili quodam sedens ei monstratus est. Iubet ergo filio ut ipse sibi adduceret illum, qui mox osculatum ad patrem manu duxerat illum, quem & ipse osculatus virum sub chlamyde astrictum multum consolatus est illum, & manum ei dans duxit secum ad claustrum: O me, ille ait, felicissimum cæcum, qui tantos quantos nullus umquam meruit, hodie habeo ductores. In claustro autem residens iuxta se locaverat illum. Ibi illum Episcopi & Abbates laicique, quibus sæpe profuit, salutabant. Abbate interea assumpto Otto filius armarium sibi aperiri rogat: Quod ille renuere non ausus, condicto tamen risibili, ne tantus prædo locum & fratres spoliaret aperiri iubet. Illo autem libris optimis illecto plures abstulit, quorum tamen aliquos Ekkehardo rogante postea reddidit.

FINIT EKKEHARDVS: INCIPIT BVRKHARDVS.



BVRKHARDI MONACHI S. GALLI

LIBER

DE CASIBVS MONASTERII S. GALLI IN ALAMANNIA.

PRÆLOQVIVM.



CONqueror in primis, quod maxime sobolet antecessores nostros viros iustos & sapientes multorũ patrum, Abbatũ, & fratrum laudabilia gesta non scripsisse, cum constet eos multa digna relatu fecisse & dixisse. Laudabile enim & satis hoc loco usitatum esset, si veteres scriptores nostri de simili materia imitati fuissent Hartmannum, qui priorem librum de casibus fecerat; & Ratpertum hominem doctissimum, qui eundem usque ad sua tempora librum auxerat; Ekkehardum quoque Iuniorem qui à Salomone incipiens ad * Norpertum se singula ducere velle pollicitus est, sed in Notkero finivit, sive autem morte præventus hoc, quod in exordio libri sui se dictuturum promisit, non perfecit, aut si perfectum postea perditum sit, nos nescimus. Proinde seniores nostros arguo, qui omnia benefacta & etiam negligentias Immonis, Vodalrici, Kerhardi, Burkhardi, Thiepaldi, Vodalrici, Norperti viderunt aut veraci relatione didicerunt, nec tamen scripserunt. Manifestum est enim eos plura digna relatu & fecisse & dixisse & cum constet eos sanctissimos fuisse & in sanctorum numero aliquos ipsorum ascitos, grave nobis & tædiosum est, nihil de ipsorum virtutibus quod in hoc loco fecerint aut quid passi sint scire. Credimus autem etiam ipsos sicut antecessores nostros & nos quoque in hoc loco, quod quodammodo naturale loco & morale est, multa adversa cum aliquantulis commodis sustinuisse. Ab exordio enim huius nascentis loci usque ad senilissimam antiquitatem nostram Monachis nostris numquam persecutiones, tribulationes, detractiones, invidiæ defuerunt, & nisi sanctitas patris Galli aut fratrum, qui in singulis temporibus singulis tribulationibus interfuerunt, subvenisset, Sidonius Constantiensis Episcopus aut Ruodmannus Abbas Augensis locum nostrum aut penitus destruxissent aut ad nihilum redegissent. Sed de Sidonio, quomodo ne perficeret quod proposuit digna patris Galli ultione viscera sibi ante altare cecidissent, qui plenius scire desiderat metricam Galli vitam legat. Ruodmanni etiam intentio quomodo ad nihilum redacta sit, in præsenti libro plene dictum est. De cæteris autem Abbatibus tam nostris quam extraneis, quid & ipsi fecerint singuli, in suis temporibus quoniam scriptum est, nos aliquid dicere inde supersedemus. Sed hoc constanter affirmamus, quod quantum per bonos Abbates locus profecerat, tantum per malos defecerat: & quantum à bonis spiritali delectatione sumus nutriti, tantum per malos decrevimus multum tribulati. Sed dum nostras miserias deflemus, aliquantum ab incepto digressi ad historiam revertamur.

* al. Norpertum.

CAPUT I.

De Immone Abbate & morte eius.

NOtkerus Abbas defunctus religiose ab omni conventu post maximas decimas sepultus est. Sub ipso enim locus omni abundantia rerum & spiritalibus deliciis abundaverat. Ammonitiones enim Burkhardi antecessoris sui libenter audiens ad exemplum illius singula ordinate fecerat. In tantum autem locus sub ipso creverat, ut verissimus versus de ipso scriptus sit. Cum enim ad nutum ei omnia cessissent, * Ekkehardus, qui de ipso plurima dixerat, versum ex persona Tullii dictum in ipsum dixerat:

O fortunatam Galli me consule cellam.

Eodem anno etiam Burkhardus antecessor suus, eo quo ante nos dictum est, ordine obiit & sepultus, Notkerus etiam Medicus, de cuius industria multa in præsenti lib o dicta sunt, in Domino & in bona opinione moriens plus, quam credi posset, defletus sepultus est. Cum enim stella Cometis in Autumno visa fuisset, horum mortem & maximam regni turbationem signaverat.

* Non Decanus, ut Stumpfius opinatur, sed Iunior, qui præcedentem historiam scripsit.

Nam inter Ottonem Imperatorem & nepotem eius Henricum Ducem Baioariæ gravis de regno contentio orta est. In hac tempestate Immo canonice electus, & ab Ottone Imperatore legitime investitus ad monasterium reversus, sicut pius & fidissimus S. Galli ovium pastor benigne susceptus est. In hac autem commotione regni licet parti Imperatoris omni diligentia aspirasset, sua tamen benignitate & industria ne hostes regni res loci nostri vastarent effecit, & ut verissima fratrum narratione didici, fratrum amator cottidianam ipsorum annonam omni diligentia augens, aucta fideliter congregans, congregata caritative & largissime dividens, regularis vitæ strenuus informator, thesauros etiam ecclesiæ abundantissime auxerat. Auream enim tabulam, quæ usq; hodie ante altare Galli preciosior in arte quam in materia ostenditur ipse diligentissimo studio incepit, & pœnæ usque ad unguem perduxit. Casulas etiam optimas illas ille fieri instituit: unam in qua ascensio Domini auro intexta est, & alteram quæ diversas figuras desuper in medio & in margine simili modo præfert intextas; quam tamen, ut adhuc videre est, immatura morte præventus non perfecit. Abbas quoque quasdam deauratas in margine & in pectorali, quæ usque hodie singulari studio ornatæ videntur, ipse elaboravit. Stolas similiter deauratas, capsas dalmaticas, subtilia, cætera quoque ecclesiastica ornamenta tot & tanta perfecit, quod opinabile, res nulli umquam Principum in his temporibus mundo in deterius vergente tam brevi spatio tot magnifica opera concessum sit perficere. Plurima etiam opera sua tanta ammiratione magnificata sunt, ut si Regina Austri hoc in tempore fuisset Salomone transito ad Immonem declinasset. Vnde autem tot pondera auri, tam preciosissimam purpuram, tot margaritas, tam subtiles artifices habuisse potuisset, quid signabile in tanto studio fecisset aut dixisset, si ab his qui hæc omnia noverant scripta fuissent maxima tragœdia esset. Nos autem horum omnium ignari, quippe qui singula eius gesta non novimus, sed hæc pauca quæ diximus quorundam narratione didicimus, summa quædam tangentes ad alia transimus, sicut autem in arcu ecclesiæ de ipso scriptum est;

Hoc Abbas Immo picturis compsit & auro,

monasterium probato studio depinxerat. Othmari etiam ecclesiam, ut in fornice de ipso dictum est;

Hanc Othmare domum tuus Immo ornavit & auxit,

crypta & fornicibus gypsi auri speciebus convenienter auctam auro & coloribus ornaverat. Cum autem omnipotens Deus ipsius merita remunerari decrevisset, loci quem Gallus sibi suæque genitrici dicaverat oblitus Immonem multa (sicut caritas numquam occisa est) quæ adhuc facturus esset meditantem assumpsit. O quanta in eius transitu fratres dolore tabescebant, clerus & familia lugubri luctu tali Domino & patre orbati deflebant, talia sibi sine intermissione optantes;

Rectori summo nos te committimus Immo,
In vice cuius tu cellæ fueras pater huius,
Quem bene rexisti pro quo cœlum meruisti.

O quanta pericula post eius transitum loco futura, quod etiam exitus probabat, cuncti prædicebant, Immonis supparem loco numquam futurum constanter affirmabant. Cumque hæc & alia in tantis malis dicenda sibi sæpius reiterassent, maximo Abbatum & fratrum vocato conventu omni honore in loco, quem sibi ipse adoptaverat, eum sepeliverunt. Fratres autem omnia gesta ipsius diligenter considerantes, sed sigillatim per capitula non exponentes, brevissimum eulogium super ipsum metrice dixerunt.

Hic bene maturo transit pater ille sub ævo,
At patriæ requiem hic obit Immo diem:
Hunc merito nostri vigilanter habent memorari,
Plura loco Galli stant monimenta sui.

Caput II.

De Vodalrico Abbate huius nominis primo.

POST Immonem Vodalricus loci nostri suscepit regimina. Qualiter autem accessisset vel qualiter vixisset, ætas, quæ omnia aufert, usque ad nos pervenire non permisit. Vnum tamen memoriale & cunctis bonæ vitæ, si diutius vixisset, posuit exemplum. Fecit enim capellam illam, in qua sepulchrum Domini maximo studio auro & coloribus ornatum positum est.

Quam cum ad integrum perduxisset, aras quatuor in eadem capella constructas, unam Sanct. Trinitati, alteram in honore Sanct. Crucis consecrari fecit. Ad dexteram vero partem eiusdem capellæ assumptionem Sanct. Mariæ cum depinxisset, aram etiam ei ibidem consecravit; in sinistra vero parte dormitionem Sanct. Iohannis cum decorasset, sibi etiam inibi altare ædificavit. Quintam etiam Vodalrico Episcopo subtus in crypta ordinavit. Reliquum etiam tabulam deauratam, quæ est ante altare Sanct. Galli, quicquid ab Immone in ea imperfectum remansit, iste mox complevit. Cætera eius facta quoniam non sunt scripta, nos ignoramus. Opinabile autem est, quia si fratres inquietasset, si res ecclesiæ dissipasset, sicut de Cralone Abbate factum est, aliquis fratrum scripto signasset. More etenim hominum sæpe evenit, ut bonorum obliti mala quæ patiuntur sæpius memoriæ festinent committere. Sed sicut non laudanda viciosum est laudare, ita etiam honestum Monacho non est contra veritatem in laudem alicuius prorumpere. Sed quia brevissimum tempus, quinque videlicet annos, Abbas fuit, qualis esset aut qualis si vixisset futurus fuisset, eius qui rapuit eum, ne malitia mutaret intellectum, iudicio relinquamus. Rogo autem ne malivolentiæ aut negligentiæ arguar. Si enim vel scripto aut fama aliqua de ipso audivissem, licet ad alia festinem intacta non transissem. Ipso autem defuncto rem nostram Kerhardus suscepit regendam.

Caput III.

De Kerhardo Abbate & accusatione fratrum contra ipsius facta.

NVNC currentem necessario figimus pedem. Præ nimio quippe dolore gesta Kerhardi nos potius provocant ad flendum quam ad dicendum. Huius enim diei non solum nos sed & omnis post nos posteritas poterit reminisci. Hæc enim dies nobis & omnibus huius loci incolis maximo dolore est recolenda, in qua nobilem & florentem hunc locum, ita ut etiam alter paradisus dici potuisset, Kerhardus suscepit regendum: Sed qualiter accepisset, quoniam scriptum non est, ex sequentibus antecedentia probantes eum male intrasse affirmamus. Verissima quippe sententia Domini hæc est; *Quicunque in ovile aliunde quam per ostium ingreditur, non pastor sed fur vocatur.* Et cum certis indiciis officium mali pastoris designasset, consequenter adjunxit; *Fur non venit nisi ut furetur & mactet & perdat.* Si ergo Kerhardus honeste congregata beneficiavit, dissipavit, perdidit, quia per ostium non intrasset, suus actibus probavit. Cur autem cum impio Nerone iustus Cato rempublicam suscepisset regendam, & quare pessimi iustis præponantur, cum Boetius hanc causam multis argumentis circumscripsisset ex probatione in maximam venit ammirationem.

Cum ipso ergo ammirantes & nos hanc causam indiscussam relinquamus. Quoniam autem altissimorum profundior est casus, locus noster qui præ omnibus spiritali & regulari disciplina pollebat, à Kerhardo depravatus per contrarias partes in quibusdam malas consuetudines defluebat. Porro plurimi fratrum, quibus mens sanior erat, qui in regulari disciplina nutriti & assuetacti propositum suum sicut viderunt & didicerunt firmissime tenuerũt: isti tales moribus Kerhardi impares, sibi omnimodis graves & tædiosi, ipsorum firmitatem & societatem testatus est. Si quos autem, ut fieri solet, ubi rigor regularis iuvenibus relaxatur, malo suo exemplo post se traxerat, hos omni diligentia fovebat & ad omnem inconvenientiam concitabat.

Vt enim talem doctorem, immo seductorem decebat, eos seniores suos despicere & iugum ipsorum de cervicibus suis excutere cottidie monebat, sicut facile poterat, iuniores ad seniorum despectus & oppressiones informaverat, præposituras, decanias, & alias monasterii obedientias sapientibus irregulariter ablatas, ut omnia ad nutum suum fierent, juvenibus commendabat. Exinde multiplicatæ sunt invidiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, & domus Domini iam ruitura divisa est. Dux itaque partes dum in monasterio fuissent, una Abbatem defendentium & altera mala eius opera impugnantium, irregularia multa, quæ etiam pudet narrare, in loco fiebant. Regulares enim viri gravati & oppressi dum vindicem DEVM expectant & consolationes Altissimi sperant, sibi consulentes utilius judicant mala quæ viderant ad tempus conticescere,

 quam

quam contumelias & injurias Abbatis suorumque super se provocare. Quantis autem doloribus in corde uterentur, ipsi soli scire poterunt qui semper justiciæ zelatores fuerunt. Sed ubi Abbas viderat nullis renitentibus frena sibi relaxari, illico in omne nefas prorupit. Laicos enim, quos auxiliatores sui sceleris invenit, multis beneficiis & donis ditavit. Multa autem danda & nefanda quæ fecerat pro toga, qua semper indutus erat, utilius judicavi silere quam dicere. Cum autem nebulosa fortuna Kerhardo per omnia præluderet, & ipse volubilem rotam nesciens eius aculeos non caveret, subita super ipsum venit tristicia. Nam fratres recolentes omnia mala, quæ sibi & loco sancto fecisset, nec spem habentes eum cessare dum vixisset, eligunt monasterio relicto exulare quam eius insipientiam & incontinentiam ultra sustinere. Initoque consilio Ottoni tertio Romanorum Imperatori litteras in hunc modum direxerunt: *Summo regnorum Imperatori quidam fratrum Sanct. Galli per regna terrestria consequi cœlestia. Locus noster vestris & antecessorum vestrorum Donariis & privilegiis ditatus & nobilitatus in quantas devenisset miserias si sciretur, iampridem ei subvenisse tis. Nos etiam si diutius nostram tacemus oppreßionem, digni sumus qui nullam à vobis nostris doloribus consequamur consolationem, sed incipimus ea, quæ Abbas noster contra canonum & gratiæ vestræ decretum & contra regularis vitæ propositum geßit, non per ordinem sed pauca de multis vobis narrare. De quibus omnibus ea quæ statueritis die certi sumus ipsum in præsentia vestri & Principum certis & probatis capitulis superare. Vestra ergo regalis æquitas videat & iudicet & loci nostri destructionem, & in ipso regularis vitæ transgreßionem ut dignum est vindicet, cuius vicem geritis in terris ipse vos æterni regni participem faciat in cœlis.* Cum hæ litteræ legerentur, Rex quid facto opus sit Episcopos, Abbates, & cæteros regni Principes consulit.

Quibus ut in crastinum hoc consilium differatur rogantibus per totam noctem multi ipsorum, qui similia de suis subditis timebant, meditantes in crastina coram Rege hanc accusationem non esse iusticiæ sed invidiæ dicebant. Consulunt etiam, ut ipse Abbas pro suis excessibus per regias litteras arguatur, & ei ut Monachos suos ad strictiorem regulæ observationem cogat præcipiatur. Cæteri autem quibus mens sanior erat, non ita fieri debere constanter dixerunt: sed utrosque, Abbatem & Monachos, ad præsentiam vocandos & eos esse audiendos. Quorum consiliis Rex acquiescens litteras Abbati & fratribus in hunc modum dixerat: *Otto tertius Romanorum Imperator Augustus Abbati Sanct. Galli suisque confratribus gratiam suam & omne bonum. Auditis litteris, quibus te fratres tui pro loci destructione & vitæ tuæ transgreßione accusant, placuit nobis & regni Principibus utrosque vos ad præsentiam nostram vocare & causam vestram, prout iusticia dictaverit, certa fine terminare. Sed obtentu ergo gratiæ nostræ mandando tibi præcipimus, ut fratres tuos in nullo in personis aut in rebus lædas, sed eos cum omni honore usque ad præsentiam nostram perducas, ibique legitime accusatus certis rationibus vincaris vel vincas.*

Hæ litteræ cum per nuncium Regis ad nos delatæ fuissent, Abbas nihil horum suspicatus, sed tamen quia fratres semper suspectos habebat diligentius quid sibi hæc legatio velit meditatus, mens sua multorum sibi conscia per diversa, ut fieri solet, æstuabat. Cum vero statuta hora Abbas & fratres convenissent, nuncius ex more Abbate & fratribus salutatis litteras Abbati obtulit. Quas ille honorifice susceptas legens sui vultus varietate se reum & idcirco timidum ostenderat. Quid tandem? Die statuta utrique Abbas & fratres in Aula conveniunt. Cum autem Imperator ad discutiendam hanc causam pro tribunali consedisset, Abbate de fratribus in causa positis, fratres priores sibi advocatum & defensorem postulant: econtra Abbas & sui non alium Monacho nisi Abbatem suum advocatum dandum proclamat. Cum autem non ita esse fratres canonum auctoritate probarent iudicio Principum Abbati & fratribus advocati, quos elegerant, dati sunt. Sed cum Abbas suam causam quasi prioris & in dignitate positi prius audiendum esse diceret, & fratres an ita esset sub iudicio esset Principum posuissent, ipsi priorem qui accusatores fuerunt loquendi locũ obtinuerunt. Summa autem, quibus Abbatem suum impetebant, hæc erat: Eum, quem nobis, Domine Rex, Abbatem præposuistis, solo nomine id quod dicitur est. Locum enim nostrum sanctum, quem ad regendum suscepit, ipse non rector sed destructor omnimodis depravavit. Quod enim maximum est, Dei & sui propositi oblitus regulariter vivens regulares disciplinas destruxit, Monachi habitum gerens Monachi opera nulla facit. Et ne amplius vos multa narranda moremur, non solum nobis & loco nostro inutilis est, sed etiam malo suo exemplo plures Abbates & Monachos distollit. Quibus autem negociis dies & noctes occupatus sit, ipse in se recognoscat. Dum enim utilia non meditatur ad inutilia cottidie præcipitatur. Sed talia transeuntes tria designata capitula in eum scripsimus: Simoniace ecclesias vendidit, res ecclesiæ inbeneficiavit, thesauros dissipavit. De his eum ubi quando, cum quibus personis hæc fecerit certi convincere, cætera tacemus. Si autem hæc minus ad deponendum eum sufficiunt, maiora istis quæ adhuc latent in medium deveniunt. Etsi annales nostrorum laborũ & dolorum vos audire vacaret, dies prius finiretur quam sermo perficeretur. Econtra Abbas, dum se falsis occasionibus defendit, videns, si res ratione regatur, certam sui honoris ruinam, animum in alia deflectit. Fuit in his temporibus quidam Comes Mutzo nomine primus in Aula, in quo quasi uno omnia negocia & consilia regni pendebant. Et dum hæc causa usque in crastinum interminata differtur, clam eum nocte ad se Abbas vocans

ani-

animum ipsius multis donorum & beneficiorum promissionibus corrupit. Ille autem, sicut semper per eum regni judicia claudicabant, pro eo coram Rege intercedens suis consilijs & promissionibus Regem in Abbatis benevolentiam inclinans à justis judicijs deflectit. Et Rex convocatis Principibus astute eos præveniens his verbis ad ipsos usus est: Scitis, dilectissimi, quantis regni negociis nunc obligati tenemur: & si accusationibus horum Monachorum conquiescimus, non citius ad alia vacabimus. Et si vobis placet causam ipsorum judicio dimisso, consilio tractemus. Cum autem maior pars eius consilijs conquiesceret, alij quibus hæc displicebant & ipsi ne Regis offensam incurrerent altius judicia corrupta gementes conquiescunt. Mox Abbate & fratribus ad se vocatis his sermonibus corda eorum lenivit: Si vobis mala opera Abbatis vestri in publico proclamare concederetur, plus mali quam boni exinde oriretur. Nam si aliqua inhonesta de ipso diceretis, honor & opinio omnium Monachorum vilesceret, & utilitas monasteriorum decresceret. Consilium ergo nostrum est vos omni pace confœderare, & quicquid in Abbate vestro vobis displicuit, nos corrigere volumus, & si forte vos amplius in aliquo offenderit aut inordinate vixerit, ubi primo ad nos delatum fuerit, vobis tacentib. & quiescentibus absq; dilatione extirpabitur. Fratres autem licet nil utilitatis in his sermonibus cognovissent, sicut sapientes Regis consilio non contradicunt, his verbis causam finientes: Nos infecto negocio nostro redimus, sed quæcumque dehinc fortuna sequatur, quod iniquitatem eius non celavimus nos Domine Re[x] maxime solatur. Nunc quid nobis & loco nostro faciat, qualiter vivat, in vobis remaneat. Quos Rex blande solatus & Abbati plurimum nisi sibi caveat interminatus confœderatos in pace remisit. Sed in via pessimos felicissimos conquerentes, dum iustos sæpius tribulatos recolunt, se multis Patrum exemplis mutuo solantur. Et quidam ex illis metricator his versibus suæ causæ allusit:

Otto Rex tua lex quia semper venditur auro,
Hic gentes frustra quærunt iudicia iusta:
Otto dum regnas non sunt iudicia regni:
Otto dum regnas regnat pecunia tecum,
Plus valet argentum tecum quam lex sapientum.
Impie Rex Otto cur fulminate patiuntur?
Te regnare dolens cur non tibi terra dehiscit?
Tu cum Kerhardo nostro nimis ad bona tardo,
Et cum damnatis utrique precor pereatis.

Cæteri autem iocundo vultu tristiciam mentis celantes eundem multa loquendo detinuere diem diversa conquerentes, & magis futura quam præterita gementes. Cum aliquamdiu satis concordes & quasi præteritorum obliti unanimes in monasterio fuissent, sicut facilior pluvia humectat lutum quam scopulum, discordia, quæ regna etiam aliquando destruit, hac occasione rursus inter ipsos venit. Nam Mutzo, ut ea quæ sibi promissa sunt, exigat simulque quasi ab Imperatore directus quo statu locus regatur videat, ad monasterium venit, in cuius adventu Abbas turbatus paulisper hæsitat quid faciat. Si enim hunc fallat, timet ne Regem offendat: si autem quod spospondit faciat, scit quia fratrum odium incurrat. Sed quod peius erat citius elegit. Fuit in villa Ahdorf Præpositura canonice duodecim fratribus ordinata à Regibus & Principibus in prædiis auro & argento & purpura satis ditata: cuius fratres viri iusti & religiosi dum facta Kerhardi abbominantur, sibi semper odiosi & suspecti fuerunt, in quos dum quasi leo ruit ipsis eiectis, quæcunque illius ecclesiæ fuerunt Mutzoni & plurima quæ nostri iuris erant ei beneficia donavit, & Dei hominumque oblitus thesauros illius ecclesiæ confregit & Mutzoni dedit. Quædam etiam ad monasterium detulit, quæ quanta & magnifica fuissent adhuc videre est in deauratis palliis illis quibus alatri sanctorum nostrorum Galli & Othmari in summis festivitatibus velantur & ornantur. Cappas etiam & casulas, albas & stolas, quæque preciosissima exinde habemus. Hæc miserrima & omni seculo flebilis destructio cum monasterio audita fuisset, præ nimio dolore fratres exanimati sunt. Sed cum ad cor redierunt, totum æthera luctu & fletibus repleverunt, non jam Kerhardo sed patri Galli, qui tantam gloriam suam destrui patiatur, indignantes: illi etiam qui Kerhardo prius consentiebant præ cæteris maiori luctu æstuabant, ita pariter dicentes: Vt quid nati sumus videre contritionem & desolationem nostram & loci nostri & Sanctorum nostrorum ecur nos Pater Galle tibi oblatos & satis iam hic tribulatos in his malis dereliquisti? quod remedium huic malo invenire poterimus? In Rege non sunt judicia, Principibus regni talis in Episcopis & Abbatibus iam non displicet insolentia. Tibi ergo, pater Galle, horum malorum relinquimus vltionem, & sibi hactenus nostra placuerunt servitia, nostri & ejectorum illorum misertus locum suum ipsis restituas, & nos iam laboribus defatigatos saltim aliquando respirare concedas. Et ille metricator alijs flentibus his versibus se est consolatus:

Cum tua te genetrix concepit, pessime patrum
Hoc scio quod totum cœlum fuit imbribus atrum;
Sed cum te genuit, nox illa fuit tenebrosa;
Et quos ipse premis dum more fremis lacrimosa

In medio nisu sed si tua mater obisset
In multis felix nimium locus iste fuisset:
Nunc gemit atque tremit pereat ne funditus à te,
Et miseri misere nos istic vivimus hac spe.

Sed Mutzo quibusdam nobilibus acceptum inbeneficians, ipsis quia fideliter ei adhæserant cum absque hæredibus moreretur, ut de manu Abbatis eadem beneficia suscipiant, contulit. Cum his & aliis multis beneficiis Kerhard * noster locum depravasset & fratres nimium inquietasset, mox & ipse defunctus est. Cuius multa gesta non didici, sed ea quæ dixi quorundam veridicorum relatione cognovi, cui ut Dominus omnia peccata remittat oremus pariter, Amen.

* *Leg. nostrum.*

CAPUT IIII.

De Burkhardo Abbate huius nominis secundo.

SED cum Dominus afflictionem populi sui respexisset, post Kerhardum Burkhardum virum iustum & sanctum, huic præfecit ecclesiæ, qui quasi secundus Moyses nos diu Æpyptia servitute oppressos absolvit, & in optatam quietetem reduxit. Ipse etiam pii mandritæ studio æstuans officinas dilapsas reædificans cœnobium cum cœnobitis amplissime a[illegible]xit, quæcunque vilia & inutilia reperta sunt in melius commutavit, legem Domini die & nocte meditatus ipse spiritalis spiritales in hoc loco Monachos reformavit, inutilia omni studio resecavit, quæ vero utilia loco & fratribus fuissent hæc cottidie excogitavit & statuit, omnia antiquitus inbeneficiata exosus plurima de his sua diligentia ad se retraxit, & ad fratrum utilitatem destinavit, thesauros ecclesiæ ampliavit: cappas, casulas, albas, pallia & libros Immonem imitatus quæque optima & preciosissima elaboravit, nihil de omnibus minuit, sed in omnib. locum istum ditavit. O quam felices fratres sub ipso fuerunt! iugum enim eius cunctis suave, invidiæ, contentiones, æmulationes, & his similia fugerunt: in quorum locum caritas, pax & mansuetudo successerunt: Etsi adesses non hominum sed Angelorum in ipsis vitam videres: Et qui prius longa tristicia tabescebant, nunc spiritali læticia sine intermissione exultabant. Diversorum metrorum studia revixerant, quibus cum instantia laudabant, transacta iocundissime damnabant: hymnorum & sequentiarum & diversarum expositionum libri (quippe sine tristicia expeditum cor ad singula habuerunt) excogitati sunt, & si nulla tristicia tanto gaudio intervenisset, se iam Angelicam vitam possedisse æstimassent. Sed quod omniũ rerum vicissitudo sit in ipsis probatum est. Nam Otto Imperator dum Italiam lustrat, & castro paterno immatura morte decessit, Henricus vero Bajoariæ Dux assumptis insignibus regni post ipsum regnavit, & per Veronam Italiam petens omnes illarum partium civitates sibi subjecit: Papiam ipsam, qua conatus est die, irrumpens gladio & igne perdomuit, & acceptis obsidibus Saxoniam reversus adiit. Illic cum quædam negocia regni ordinasset, spiritu DEI repletus iuxta castrum Badenberg nobilem & divitem Episcopatum construxit, & Benedicto Papa vocato ecclesiam inibi in honore Sanct. Stephani consecrari fecit: Et regno iam firmato consilio Principum cunctis regni primatibus expeditionem in Campaniam condixit. Burkhardo quoque nostro similiter condixerat. Quod vbi auditum est fratres, clerus & populus vno luctu omnes æstuabant, & quæcunque pericula suo Abbati in hoc itinere futura forent, singuli pro ipso sustinere desiderant. Cum autem ultimum vale illis dixisset, tunc demum eo proficiscente totum cœlum fletibus & luctu repleverunt. Henricus cum exercitu Campaniam occupans Beneventum intravit, Trojam oppugnavit, cepit Neapolim, Capuam, Salernam, aliasque eorum locorum civitates in deditionem omnes accepit, & Nortmannis quibusdam qui tempore eius illo confluxerant quoddam illis in partibus territorium donavit, sicque per Romam transiens victor rediit in Germaniam. Pestilentia in exercitu orta multos extinxit, inter quos Ruodhardus Constantiensis Episcopus & Burkhardus noster obierunt. Notkerus quoque Magister & alii præstantes fratres apud Sanct. Gallum decesserunt. Sed Burkhardus honorifice ad castrum Frankenminster Theutonice dictum deportatus ibique in media ecclesia, ut adhuc videtur, sepultus, sicut in eodem loco ego ab ipsius ecclesia Canonicis audivi, multis miraculis qualis apud Deum sit, cottidie declaratur. Nobis autem hoc quod cineres ipsius apud nos non sunt, maxime est conquerendum: sed sicut vivus locum hunc dilexerat, ita etiam nunc apud DEUM pro ipso sicut speramus exorat.

CAPUT V.

De Thiepaldo Abbate S. Galli.

POst Burkhardum Thiepaldus loci nostri suscepit regimina, cuius mores & actus dum à senibus, qui se ipsum vidisse dixerant, requisissem, hoc eorum relatione didici, quod Thiepaldus homo pius & mansuetus fuisset fratrum amator, & totius ecclesiæ strenuus gubernator, pauperum diligentissimus procurator, & quia locus sub ipso annos XI. omni pace & abundantia requievit, quem ipse in omnibus ditavit & in nullo depravavit. Mortuus est autem anno Domini MXXXIIII.

CAPUT VI.

De Notperto Abbate.

POst ipsum suscepit loci nostri regimina piissimus & ecclesiæ nostræ gubernator fidissimus Notpertus de Stafile. Hic imitator Thielpaldi fidelis existens ecclesiam nostram ampliavit, fratres amavit, præbendam adauxit. Quomodo vero illam adauxerit, quia certa relatione à posteritate ipsius non didici, scribere prætermisi; quod autem auxerit præbendam ex hoc conjicio, quia in hebdomada Pascali etiam in meridie vinum & oblatas fratribus dari constituit. Fervore etiam caritatis ad utilitatem fratrum puteum construxit. Contra rebelles etiam velut strenuus gubernator dimicans se etiam Episcopo Constantiensi Ruomaldo nomine ita sagaciter opposuit, ut orta inter ipsos seditio prius sedari non potuisset, quam utriusq; loci possessiones igne, præda, & quod peius est, hominum occisione consumptæ fuissent. Obtinuit etiam amminiculante Henrico Imperatore & coniuge eius Agnete hoc apud Dominum Apostolicum Clementem secundum, recitata vita B. Wiboradæ eiusq; miraculis & de tamdiu neglecta re ab ipso Papa redargutus, quatenus ipsam præsente Theodorico Constantiensi Episcopo canonizaret & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diei solemnizandum institueret. Quantæ autem virtutis fuerit, qualiter se cuilibet ætati conformare didicerit, quoque etiam modo cuncta pro Dei amore spreverit, breviter quidam de ipso scribens tribus versibus comprehendit, dicens:

Constat Notpertum omni virtute refertum.

Et alibi:

Lac fuit infantum, iuvenum dux norma priorum:
*Iste timore Dei despexit * cætera regni.* *al. scep-tra regendi*

Resignatis igitur omnibus intuitu æternæ retributionis, Vodalricum præpositum suum auctoritate imperiali successorem sibi constituit ipse vero aliquibus annis supervixit, tandem in vigilia patroni sui Remacli, cuius festivitatem sollemnizandam hic instituit, ipso adjuvante ô utinam, ad cœlestia migravit. Quantus autem fletus omnium & præcipue fratrum fuerit, dies ante finiretur quam in scedula scriberetur. *al. scep-tra regni.*

CAPUT VII.

De Vodalrico huius nominis tertio & postea Patriarcha Aquilegiensi.

VOdalricus successor ipsius ecclesiam nostram quinque annis rexit. Tandem & ipse viam universæ carnis ingreditur, & pro eo Luitoldus Monachus huius loci à Ruodolfo Rege (si fas est ipsum Regem nominari) Abbas constituitur, qui à Monachis honorem Henrici Imperatoris defendentibus turpiter pastorali baculo, infra chorum fracto suscipitur, & vix apud illos sub nomine Abbatis per aliquantulum tempus habitus paulo post penitus expellitur, quem Abbas Augensis Ekkehardus de Nellenburg cum pseudorege Ruodolfo firmiter stans in sua recepit & sibi honorem Abbatiæ multis modis, etsi incassum, defendere laboravit. Rex vero Henricus mox ut Ducem Ruodolf. de Rinfelden suum regnum sibi usurpasse audivit, Pasca Veronæ moratus per Carintiam Domino Marquardo & filio suo Liutoldo Duce sibi ducatum præbentibus ad Theutonicas partes rediit Ruodolfum Regem in castro Sigmaringen obsessum turpiter fugavit. Eodem anno quendam iuvenem sui cognatum, Domini Marquardi Carnotensis filium in Abbatem hic promovit. Iste Voldalricus nomine, tandem post aliqua annorum curricula etiam Aquilegiensis Patriarcha efficitur. Contra quem Abbas Augensis zelo sui Domini Reguli Ruodolfi fugati, & eius inde expulsi Abbatis Luitoldi, inimicitias & ipsa arma contra regulam movit. Ille etiam non minus ferventi animo econtra aliquantulum regulæ modum excedens se undique collectis viribus firmare festinat. Vterque fuit juvenis, uterque satis nobilis, uterque litteratus & moribus agilis: sed iste Sanct. Galli plus magnanimus; ille tunc temporis ditior militibus, sed iste fidelioribus; ille

illi parcere nescivit, istum ei cedere puduit: ille prior istum provocans sibi expulsum Abbat. in monasterium superducere voluit, iste etiam audax non plurimis copiis collectis æquo marte rei eventum expectare volens omnia temptare non timuit. Postquam ille usq; uno miliari interposito pervenit, Deo instigante & quibusdam sanioris cõsilij sibi suadentib. infecto nego-
*al. Cra- cio ad sua rediit. Abbas vero noster super se mala ingravari videns juxta Sintriam quandam
saniam. munitionem nomine * Cratzaniam ædificare cœpit: quod inceptum Luitoldus huius loci Advocatus, licet sibi fidelitatem antea promiserit, ex improviso hostiliter invadens impedire voluit. Sed ibi pugna diu congressi Abbate cum paucis locum tenente Advocatus indecenter recessit. Quem locum Abbas sua sponte postea dimisit, & aliam munitionem in valle no-
*al. Do- mine Herburg ædificavit. Rebus sic se habentibus, Abbas Augensis Romanum iter aggres-
mini. sus in oppido Sancti * Domnini martyris captus Parmensi Episcopo est traditus: sed post satis longam captionem Papæ & Mathildis Comitissæ adjutorio est liberatus. Interim cum in hac captione laborasset, divulgata in Theutonicis partibus eius morte Abbas Sanct. Galli eius Abbatiam à Rege Henrico suscepit. Quæ res maximam utrique monasterio & maximas inimicitias hominum suscitavit. Abbas igitur Vodalricus noster Abbatiam suam Augensem ingressus Marchionem Bertoldum sibi insidias parantem per longam viam est insecutus. Idem Marchio postmodum in odium Henrici Regis omnem Brisaugiam rapina & incendio vastavit, & præcipue res monasterii Sanct. Galli his finibus maxima parte sitas in tantum suæ attraxit utilitati, quod infra multos annos neque de vino neque frumento neque de aliquibus usurarijs fructibus ipsis fratribus nostris ad servitium ad precium unius obuli devenire permisit. Sic etiam Dux Welf adjutor illius res eiusdem monasterij sibi è vicino sitas nobis subtraxit. Sic etiam omnes comprovinciales Principes ad se traxerunt, & ipsum monasterium fratribus fame & siti cruciatis pene in nihilum redegerunt. Fratres autem rerum harum circumventi penuria in sui servitij sumptum multa & innumera ecclesiæ consumpserunt ornamenta. Hæc ex parte hic enumerantur, præter laminas argento solidas de ipso
*al. colu- altari Sanct. Galli & de ciborio, & de pulpito publico subtus & circum eiusque basibus, & de *
mnis. columnis magnæ trabis innumeri ponderis abruptas, & præter XIIII. cyfos lampadum, & urnam, & magnum calicem ex electri miro opere, & stolas intexto auro perfectas XVII. coronæ & X. tabulæ altarium magni & probati ponderis argento fabrefactæ in hanc rerum sortem cadunt. Vnde commotus loci nostri Abbas zelo justiciæ inflammatus quantum & plus quam sibi licuit quibusdam captis, aliis deprædatis, eorum etiam castellis succensis, talionem hostibus reddidit. Nam quoddam satis minutum castellum nomine Marchtorf cum Comite Ottone non sine magno labore suorum expugnavit & succendit: Brigantium oppidum Marquardo nobilissimo Suevorum capto conbussit: Chyburg cuiusdam ditissimi Comitis Hartmanni, Regis Henrici infestissimi hostis, cum multis spoliis suoque filio capto castellum satis munitum in flammas destruxit. Aliis etiam Chochirsburg & Hittingen ferro & igne solotenus prostratis, res quantum ad bellicum apparatum sibi satis prospere processit, nisi quia in duabus munitionibus, una penes Glattam, altera prope Duram fluvium aliquantulum inconsulte constructis sua præsidia locata magno periculo dedit. Postquam ea castella nil proficere & milites, propter quædam beneficia denegata & magis ac magis imminentem intollerantiam bellorum, à se deficere cognovit, inter montana in quadam rupe nomine Rachenstein natura & situ loci nimis munita & satis tuta suam suorumque spem posuit. Ad quod castellum hostis sæpe incassum impegit. Post tanta autem pericula & tantos labores in eodem castro quadam die cum subnixo vultu tristem se ostenderet, subito peregrinum vidit sibi assistentem atque dicentem: Si multis curis tuis finem cupis imponere, in Agennum causa orationis pergito, sanctæque Fidis reportatis reliquiis capellam hic in eius honore cõstructo & pro remedio eius patrocinia certissime tibi adesse senties. His dictis peregrinus disparuit. Abbas discretus ammonitioni peregrini obediens Agennum perrexit, reliquias reportavit, ecclesiam sibi ædificavit, & ut post liquebit ecclesia sanctæ Fidis ædificata semper victor extitit. Abbas enim Augensis à captivitate reversus in ultionem suæ iniuriæ monasterium Sanct. Galli collectis copiis comprovincialium suorum per quatuor vices hostiliter ingreditur. Primo ædificia Abbatis solotenus persternit: secundo magnam prædam aliquibus
*mss. in- fisci hominibus captis abduxit: tertia in sancta nocte nativitatis Domini * interpositicium
terpositi- Abbatem secum superducens Monachis Sanct. Galli in eadem nocte tali periculo constitutis
cium. & per montana dispersis & in solitudinibus & speluncis testimonio fidei probatis perplura ibi irrationabiliter egit: attamen nullo honore sibi exhibito recessit. Quarta vice iterum collectis copiis monasterium nostrum hostiliter intravit, & in supercilio penes positi montis castellum construxit, quod Bernegg hodie nominatur, illic præsidia sua locans Vodalricum pe-
1085. nitus Abbatem propulsari non dubitavit. Sed paucis diebus interpositis Abbas Sanct. Galli non multis collectis copiis eandem munitionem expugnavit, flammis & ferro solotenus prostravit, & quodam satis nobili milite Folknando castellanorum potentissimo occiso, aliis in direptionem & captivitatem abductis, secundum promissionem peregrini victoria optata potitus est. Rege igitur Ruodolfo in Saxonia occiso & Merispurg sepulto, Hermannus de Luzilunburg ab Alamannis Rex constituitur. Henrico Rege propter quædam negocia Romæ posito, iste Luitoldo Pseudo Abbate Sanct. Galli deposito quendam Augensem Monachum

thum Werinharium nomine huic loco præfecit. Sed Vodalricus Abbas se isti sicut & illi fortiter opposuit. Abbas itaque Ekkehardus Augensem Monachum suum in Abbatia confirmare cupiens munitiunculam prope Duram fluvium sitam antea ab Abbate Vodalrico ædificatam & ab hostium vi sibi interceptam tantis turribus & copiis Marchione Bertoldo in id rerum favente munivit & innovavit, quatenus licet his & ter obsidione gravique atque mortifera pugna aggressa nisi duorum millium tunc temporis eidem castello præsidentium à militibus Vodalrici Abbatis captorum pacatæ vitæ conditione capi nec destrui potuit: sicque capta destructa est. Idem Abbas Vodalricus loci Sanct. Galli eodem tempore famosum castrum nomine Tokenburg natura & opere satis munitum in flammas destruxit, quia ille ulciscendo mortem fratris sui Folknandi ab eis antea occisi in suos multa mala exercuit. Destructo itaque castro idem Diethelmus cum Abbate Augense & cum aliorum comprovincialium innumerosa multitudine illi prædicto Vodalrico Abbati Sanct. Galli * penes insidias parante eum insequendo usq; Sintriam fluviū pervenerat: sed militibus Abbatis Vodalrici vix in articulo rerum iamiā vim hostiū instare pr.noscentibus, malunt pulchre armis mori quā inhoneste cedere vel in fuga spē ponere. Vnde in Crazavia æquo marte instructa acie audacter paraverant hosti conferre manus. Hostibus autem idipsum præ omnib. desiderare diu ac diu simulantibus, attamen propter difficultatem locorum bellum comittere fluctuantibus bis & ter aliqui eorum inconsulte rem armis movere cœperunt: econtra autem sagittarii & fundibularii Abbatis editiora loca sibi defendentes hostes demum infecto negocio turpiter recedere compulerunt: sicque Abbas cum suis omni honore ad sua est reversus. Inter hæc etiam mala quidam Comes, Burkhardus nomine, monasterio S. Galli invaso multa igne & præda vastavit.

* sc oppidum.

Anno ab incarnatione Domini MLXXXV. Abbas Vodalricus ad locum Sanct. Galli reliquias sanctæ Fidis attulit. In eodem anno Marchio Bertoldus & Abbas Augensis ordinatis duabus turmis cum una tam res Constantiensis ecclesiæ quam res Sanct. Galli à Brigantia usque Constantiam præda & igne miserabiliter devastaverunt: cum altera autem quodam milite Adilgozone præduce per territoria Walkilcha,* Piurren, Golssowa, Herisovva, usque ad fluvium nomine Vrnascha & ad ipsas Alpes ipsis pecoribus igni traditis omnia flammis & præda in nihilum redegerunt. Post aliquantulum temporis econtra Abbas S. Galli Vodalricus se in hostes ulciscendo circuiens totum pagum Durgovve usque ad Potamicum lacum versa vice, talione illi reddita, nulli pepercit. Inter hæc mala quidam miles Diethelmus de Tokenburg collectis copiis Sanct. Galli locum hostiliter invadit, quem redeuntem Abbas Vodalricus armatis præsidijs circa arta loca Crazaniæ locatis prævenit, & adeo congressu pugnæ coartavit, quatenus nullatenus nisi sub iugo conditionis & non sine damno rerum abire potuisset. Inter hæc etiam mala Gebehardus, frater Marchionis Bertoldi, Sanct. Aurelij Monachus Duce Welfone suadente à quodam Hostiensi Episcopo, ut putabant, & quasi Romanæ sedis legato Ottone Episcopo adhuc vivente Constantiensis Episcopus effectus est. Vnde quadam seditione inter milites subintroducti Episcopi Gebehardi & Abbatis Vodalrici orta, quia prædictus Abbas in odium Marchionis Bertoldi fratris sui sibi resistebat, civium Sanct. Galli domibus, non inulte tamen, combustis vix substiterunt monasteria. Inter hæc ex insperato Abbas noster Vodalricus laborum suorum allevationem cœpit accipere. Nam Patriarcha Aquilegiensis genere Sclavus, à suis aliisque profanis occisus est: cui Vodalricus Abbas huius loci successit. Factum est autem hoc anno MLXXXVI. transacto decimo Abbatiæ suæ anno. Cum igitur Werinharius Augensis Monachus Abbatem S. Galli tanto honore videret sublimatum, illi diutius resistere timuit, quasi pœnitentia ductus resipuit, tantæque usurpationi renunciavit. Marchio vero Bertoldus à priori infestatione non cessans monasterium Sanct. Galli hostiliter invadens præda & igne vastavit. Et quidam de suis aliquos de fratribus & aliosin ipsam Ecclesiam Sanct. Galli insequentes quendam infra sancta sanctorum gladio vulneraverunt, & quodam puero Sanct. Crucem quasi pro scuto sibimet in tanto periculo prætendente arma, cum quibus Christus nos redemit, quidam profanus cum suis armis incidendo corrumpere non timuit. Vnde digna ultione secuta quidam eorum infra triduum apud oppidum Roschach in amentiam versus se in lacum mergendo est suffocatus. Hanc autem invasionem idem Marchio Bertoldus propter hoc maxime perpetravit, quia Abbas & Patriarcha suam munitionem Tvviela urbanis ipsis sibi furtim tradentibus ad tempus possedit. Ob hoc etiam in eundem Abbatem Marchio maxima invidia exarsit, quia suus frater Luitoldus aliqua sui iuris, ut sibi visum est, scilicet Ducatum Carintiæ concessione Regia obtinuit, & alter eius frater Marchiam Histriam sub eadem concessione possedit. Super hæc etiam mala quidam regulares viri sub quibusdam novis adinventionibus & insolitis consuetudinibus de quibusdam cellis sancti Salvatoris, id est Schaffhusen, & sancti Aurelii (hoc est Hirsovve) sanctique Blasii se emergentes eundem locum Sanct. Galli aliquando instar cujusdam paradysi sub omni ornatu sanctæ & regularis disciplinæ efflorentem sub occasione cuiusdam anathematis tunc temporis late prævalentis eidem Marchioni & aliis secularibus locum Sanct. Galli contemptibilem & exosum fecerunt, in tantum quod ipsum rebus & disciplina quasi in nihilum redegissent. Cum autem Dominus ex insperato desolationem loci Sanct. Galli vellet respicere, & labori Patriarchæ Vodalrici dignaretur finem

impo-

* Puorren

imponore,clementi bonitate abstulit inimicus eius Rex Israel. Nam Hermannus Superpositicius Rex sibi semper odiosus in nativam terram suam Lutoringam Henricum Regem fugiens per insidias est interemptus. Abbas etiam Augensis Ekkehardus sibi semper infestus & nimis loco Sanct. Galli odiosus maliciæ suæ moriendo finem dedit. Luitoldus etiam adiutor illius Advocatus loci istius, inopinato hoste occiditur: cui filius eius Cuono adhuc puer commoritur. Sicque locus & Abbas Vodalricus à suis persecutoribus liberantur. Ne autem Abbas Sanct. Galli pro nimia prosperitate sibi à Deo in hostium victoria & morte collata in superbiam laberetur, reservat illi Dominus antiquum Iebusæum, qui omnibus expugnatis, à filiis Israel ad reservandum exercitium humilitatis ejici non potuit, id est Bertoldum Marchionem loco S. Galli semper infestissimum. Qui quadam nova causa iterum Abbatem Sanct. Galli infestando persequitur, ut per ipsum Abbati ac fratribus exercitium humilitatis reservetur. Nam Imperator Henricus cum Mantuæ Pasca perageret, quendam ex fratribus Sanct. Galli in Constantiensem Episcopum, licet eandem sedem Gebehardus ex donatione Hermanni superpositit ij Regis prius usurpasset, promovit. Quem ut designatum Episcopum, nomine Arnoldum, Patriarcha Vodalricus Aquilegiensis & Abbas etiam huius loci, auctoritate regia eidem sedi introducere voluisset, civibus Constantiensibus ingressum sibi occludentibus & sagittariis ac fundibulariis quosdam de suis vulnerantibus, infecto negocio quorundam civium ædificiis combustis recessit. Propter quod Constantienses loca S. Galli præda & igne late devastantes nullum modum vel in ecclesiis suæ insaniæ ponebant: econtra Gallenses nostri armati penes Duram fluvium cum ipsis confligebant. Illi vero vt fortes, uti præstantes numero, primo congressu acrius instabant: Gallenses autem non minori audacia imo justicia armati, quibusdam occisis, quibusdam captis, eos terga dare compellebant. Marchio autem Bertoldus ob iniuriam fratri suo Gebehardo illatam quam plurima è vicino posita loca præda & igne vastavit. Arnoldus autem Presbyterali ordinatione percepta, Episcopalibus vero rebus quibusdam sibi præpedientibus, à Papa Clemente rogatu sui Metropolitani Ravennæ post aliqua interstitia temporum Episcopus ordinatur. His ita peractis Abbas Vodalricus Abbatiam Sanct. Galli quiete tenuit, etiam cum in longinquis partibus per multos annos stetit. Hi ergo ex nostris merito erant socii consolationis in tempore exaltationis, qui prius cum ipso gementes erant socij tribulationis. Nam ut nobilitatem suam decuit, omnes fautores suos pace adepta vel hic in Abbatia remuneravit vel in primatchatum secum ducens ibi honoribus & rebus ampliando exaltavit. Cum autem hanc ecclesiam & illam per XLVI. annos & tres menses rexisset, plenus dierum viam universæ carnis & ipse ingreditur, unde in ipsius successoris electione maxima discordia hic oritur.

CAPUT VIII.

De Manegoldo Abbate & eius Adversario.

NAM quidam ex fratribus Sanct. Galli eligebant quendam concœnobitam suum, nomine Heinricum de Tvviele, huncque Regi Heinrico pro electo præsentantes regali sceptro sublimari petierunt, & per illius clementiam petitionis suæ efficaciam obtinuerunt. Alii vero fratres videntes hunc contra suæ voluntatis vota esse sublimatum, post aliquantulum temporis ex consilio Ducis Cuonradi de Zaringen filii Marchionis Bertoldi diem secreto statuunt, quando eligant Abbatem, ipsum Ducem advenire poscentes & in eius arbitrio omnes suæ electionis ius ponentes. Ille autem statuto die cum ducentis militibus loco Sanct. Galli appropinquans ac secum quendam nobilem & iuvenem Monachum nomine Manegoldum de Botstein oriundum cœnobitam Sanct. Galli adducens, præmisit in monasterium nuncium, qui fratribus intimaret quatinus cum debito honore advenientem electum susciperent, & ei in occursum sub omni celeritate properarent. Fratres autem, qui huius rei erant ignari, cum Abbate suo fugerunt, & lacum transeuntes venerunt ad locum qui dicitur Cile, ibique se cum suis Abbas usque ad terminum lit s continuit. Dux vero locum Sanct. Galli intravit secum electum suum ducens, & ab his quos hoc consilium non latuit honorifice susceptus est, & in Abbatem promotus est. Cumque hanc civitatem & vicina loca suo subdidisset dominio lacum transivit, itaque etiam possessiones Sanct. Galli sibi subjugavit. Ne autem post recessum ipsius adversarius eius his in partibus ex amicis fortissimus vim vi posset repellere, castrum illic construxit, quod Brachsberg nominavit, per quod cum omni securitate possessiones illas tenuit. Subiugatis igitur sibi omnibus Regem adiit, & electores suæ partis coram Rege ostendens probavit se canonice electum esse, maxime cum ille esset viventi quibusdam falsis litteris continentibus resignationem Abbatiæ à Patriarcha directis superpositus, ipse vero iam defuncto canonice esset substitutus. Audiens Rex huiusmodi allegationes & dissensiones inter se discordantium partium, ex sententia curiæ obtinuit neutram istarum partium iuri suo resistere, quin libere hanc potestatem posset in quemcunque vellet ex iure transferre. Rex vero in omnibus Duci deferens Monachum, quem sibi pro electo exhibuit, Abbatiæ Sanct. Galli honorifice sublimavit. Ille ad claustrum suum rever-

versus abbatiam quiete tenuit, quia ille suus adversarius damna loci Sanct. Galli augere noluit, sed se ad claustrum quod Zvvifalten dicitur usque ad mortem illius contulit. Mortuo autem Abbate Manegoldo post undecimum annum ad claustrum suum à successore suo Weringero Abbate revocatus Præpositus illius factus est. Nec omittendum est notare, quanta mala Ecclesia Sanct. Galli in hac discordia tunc passa sit, præsertim cum quicquid per infœdationem ab utrisque alienatum est, pacatis etiam omnibus postmodum ratum habitum est. In hac pestilentia fideles huius Ecclesiæ inter se possessiones nostras dividebant, ministeriales optimos mansus curiarum nostrarum eligebant, cellarii ecclesiæ iura villicationis villicationis in modum beneficiorum habere contendebant, & contra consuetudinem quidam ex ipsis more nobilium gladium cingebant. Ipse vero Manegoldus lite terminata, quia ex nobilibus parentibus oriundus fuit, & ideo in potestate sua fortissimus, omnia quæ male dispersa ab utraque parte fuerunt pro posse congregavit, & recuperasset si ipsum dies mortis maturius non subtraxisset. Fuit etiam ornamentorum ecclesiæ Sanct. Galli talis amator, quod præter illa ornamenta, quæ ei reparavit, etiam lacunar illud quod est extra chorum de materia Geneologiæ Christi depingeret, & diem iudicii in muro bonis coloribus ordinaret. Mortuus est autem annos XI. & paulo plus in regimine tenens, & ante ianuam Ecclesiæ S. Galli est humatus.

Caput IX.

De VVerinhero Abbate.

Post quem suscepit Ecclesiæ Sanct. Galli gubernacula quidam cœnobita S. Galli Werinherus nomine custos eiusdem ecclesiæ cum concordi omnium fratrum electione. Ille in initio suæ promotionis religionem prætendens & per ipsam omnia facta sua palliare volens adhuc usque cogitationi suæ consensit, ut ipsos fratres apud Dietvvinum Cardinalem de nimia libertate vitæ suæ accusaret, & quos defendere debuit clam accusare temptavit. Vnde comoti fratres unanimi consilio quædam capitula in ipsum dictabant, & se illi generaliter opposuissent, si Domini Werinheri Præpositi sui consilio & quorundam aliorum fratrum ab hac conspiratione cessare animo coniti non fuissent. Ad pacem ergo cum fratribus revocatus deinceps foris dilectionem illis exhibuit, intus vero odium erga illos semper portavit. Quoniam namque inquietum animum semper habuit, permisit Dominus ipsum rixas & contentiones semper invenire, & multo servitio Regum premi in tantum, ut ecclesia tantis debitis premeretur, quod etiam tempora mortis suæ in debito permansisset, si quorundam fidelium huius ecclesiæ morte absoluta non fuisset. Mortuus enim est quidam Advocatus huius ecclesiæ Vodalricus nomine de Gameringen ac filius eius adhuc puer, eodem iure mortis rapitur, & ab Abbate iam dicto Comes Ruodolfus de * Pfulmendorf datis trecentis marcis argenti illi substituitur. Abbas vero circa tempora senectutis suæ mores suos melioravit, fratres dilexit, in bonis operibus studiosus in tantum extitit, ut B. Leonhardi ecclesiam construeret & ipsam bene dotaret. Ecclesiam Iringen etiam B. Gallo per industriam suam à quibusdam liberis hominibus acquisivit, & illic cœnobium clericorum & sanctimonialium construxit. Sed quia insolentiæ ministerialium resistere semper studuit, plura ex ipsorum impedimento, quæ ex claustri sui utilitatem spectare possent, prætermisit. Mortuus est autem anno XXXVIII. regiminis sui, & sepultus est ante ianuam Sanct. Galli ad caput prædecessoris sui Manegoldi.

* al. Pfulvventorf.

Caput X.

De Vodalrico Abbate huius nominis quarto natione de Tegerfeld.

Post hunc Ecclesiæ Sanct. Galli regimina suscepit Vodalricus suus Præpositus ab omnibus fratrib, Deo gratias, in Abbatem promotus. Hic quia fuit per humilitatis virtutem ad tale cusmen deductus, illam semper tenuit & nunquam per superbiam maculavit. Huius itaque mores & actus circa sibi iniunctum ministerium cum describere cupiam, nil aliud quā modestiam, pietatem & misericordiam, mansuetudinem & humilitatem circa ipsum vigere notavi. Eleemosynarum vero largitorem eximium & ecclesiæ suæ providum dispensatorem fuisse oculis propriis conspexi & experimento cognovi. Hic siquidem, quia quietus & utilis semper esse voluit, severus tamen & irremissus, permisit eum Dominus tranquillam & quietam vitam ducere, tutavit eum ab inimicis suis, & in omni prosperitate & honore usque ad terminum vitæ suæ ipsum perduxit. Cum esset igitur in huius cœnobii regimine tribus annis & paulo plus, honestate sua & meritis suis & honesta fama exigentibus in Episcopatum Curiensem promotus est. Quem cum octo annis per electionem tantum tenuisset, in concilio Alexandri Papæ opinione accepta quam harum dignitatum vellet acciperet, quia ambabus

babus secundum canones præesse non potuit, Abbatiam ex devotione elegit, Episcopatum vero quatenus elationis vicium declinaret in præsentia totius concilii refutavit. Ad claustrum ergo reversus res alienatas ab antecessorib. suis studuit recolligere, villicatus vel emendo vel vacando reservare præbendam fratrum augere ipsosque diligere. Ad extraneos etiam opera misericordiæ extendens orphanis, pupillis & viduis eleemosynarum largitione subveniebat, pauperculas cellulas in ædificiis sustentabat, fratres & sanctimoniales inibi degentes vestiebat, & vix claustrum sibi vicinum habuit ad quod calicem argenteum non exhibuit. Erat autem in temporalibus sic providus, ut ex quadam industria ruinam ecclesiæ sicut vivens ita etiam moriens sive Abbatiam relinquens sustentaret. Cum enim semper locuplex esset & voluntatem resignandi Abbatiam animo gessisset, timuit ne id quod ipse ecclesiæ utilitatis contulerat alius sibi substitutus diriperet, magnam partem rerum suarum apud quosdam fratres posuit, quatinus si hoc quod timebat accideret ipsi per hoc ecclesiæ subvenirent: quod & factum est. Nam cum Abbatiam triginta tribus annis rexisset, & paulo post plenus dierum & propter hoc ecclesiæ inutilis prælationem suam resignavit.

CAPUT XI.

De Vodalrico Abbate huius nominis quinto natione de Veringen.

*al. Vveringen.

Sibiq; Præpositus suus Vodalricus de * Veringen substituitur. Qui cum in ira furoris Domini ecclesiæ huic in Abbatem constitutus fuisset quadraginta novem hebdomadibus tantum supervixit, in quibus curias tres, Elivvoge, Huntvvilare & Ruodmashorn, & calicem aureum, ac alias possessiones pro centum nonaginta marcis & centum libris denariorum invadiavit vel etiam infeodavit. Speciale etiam debitum & sine pignore LXX. libras, ecclesiæ reliquit. Hic itaque cum in ira Dei positus esset, ipso placato & miserante, ab illo à quo in ira positus est ab ipso etiam in ira paralysi percussus de medio sublatus est.

CAPUT XII.

De Henrico Abbate natione de Klingen.

HVIC igitur suus Præpositus Henricus de Klingen communi consensu omnium fratrum ac ministerialium & totius populi assensu substitutus est: qui statim in ipso promotionis suæ tempore desiderium antecessoris sui Vodalrici de Tegerfeld cognati sui adimplere cupiens, ipso adhuc vivente, depositi non immemor omnes cœnobii possessiones redemit, debita persolvit, immo etiam redditus ecclesiæ per hoc auxit, & omni nisu ad monasterii utilitatem apud se reposita convertere studuit cum etiam, sicut in novitatibus prælationum contingere solet, ut ad curias Regum cum magnis expensis perveniant, ipse Vlmam ad solennem curiam per expensam centum & XX. marcas sine gravamine ecclesiæ pervenit, ibique à Philippo Rege Imperiali sceptro honorifice huius Abbatiæ regimine investitus est. Secundo vero suæ prælationis anno apud Babenberg idem Rex sollemnem refectionem Principibus faciens etiam ipse invitatus centum quinquaginta marcas sine gravamine ecclesiæ expendit. Tertio anno ad curiam Eslingam quadraginta Marcas expendit, eodemque anno ad curiam Vlmæ habitam XXX. marcas expendit. Expeditionem ad Episcopum Erbipolensem promisit, & hanc, sicut prædictam expensam, sine læsione ecclesiæ centum quinquaginta marcis adimplevit. Quarto anno ad curiam Ravenspurg vocatus expeditionem in Lantgravium Turingiæ promisit, & hanc sicut & prædictam cum XX. militibus vadens CCCL. marcas argenti sine læsione ecclesiæ expendit. In eadem etiam expeditione à Rege Bohemorum & Vngarorum exercitu, & inferiore Rege Ottone, Palatino etiam de Reno fratre ipsius sibi auxilium ferente, in civitate Erdfurdendi obsessus per XXX. dies est. Curiam Eligovve & Huntvvilare & Ruomashorn ducentis marcis invadiatas redemit.

EXPLICIT BVRCKHARDVS: INCIPIT CVNRADVS.

CVN-

CVNRADI DE FABARIA PRESBYTERI S. OTHMARI

LIBER DE CASIBVS MONASTERII S. GALLI IN ALAMANNIA.

PROHEMIVM.


Ntiquorum gesta patrum, sicut in libro, qui *De casibus monasterii* succincte & compendiose scriptus, non humili stilo legentibus patere potuit, imitantes in quantum possumus ea, quæ nostris acta sunt temporibus, stilo scilicet de parvo scientiæ rivulo explicare curabimus. Igitur à temporibus Philippi Regis, quæ circa rectores huius loci ipsumque locum facta memorantur, breviter assignare studebimus.

CAPUT I.

De Henrico Abbate natione de Klingen.

HEinricus Abbas non parvæ auctoritatis vir, genere, persona, moribus, providencia elegans, de Klingen originem trahens, fortuna pollebat. Qui omni modo ad statum imperii, quod tunc temporis vacillabat, se ipsum cum omnibus ecclesiæ suæ rebus obtulit, adeo ut immensam pecuniam à suo sibi prædecessore relictam expenderet, afferens magnum hoc esse ecclesiæ emolumentum benivolentiam Principum circa loca Deo consecrata, nec aliter perdurare nisi Principum magnificentia tueantur. Ipse enim novit. *Virgil. 6. Aeneid.*

Parcere subiectis & debellare superbos,

laudis cupidus qui de facili commoveretur ad iram & in momento ad misericordiam, omnibus omnia seipsum faciens parvis parvum magnis maiorem se ipsum exhibuit. Iste in ultimo vitæ constitutus articulo à quibusdam suis monitus familiaribus pecuniam cum supellectili quam habebat distribuere, tale fertur dedisse responsum, *nec mihi nec aliis licet prælatis res dispergere ecclesiæ, cum dispersa nequaquam possimus recolligere*, exemplum suis dans successoribus ne forte distrahant congregata, cum non congregant dispersa. Et iste viam universæ carnis arripuit.

CAPUT II.

De Vodalrico Abbate huius nominis sexto, natione de Saxon.

SVccessit huic non minoris auctoritatis vir Vodalricus de Saxo in omni studio vitam maiorum imitari satagens, de quo in sequentibus, in quantum Deo adiuvante poterimus, explicamus. Operæ precium est nunc quorundam fratrum contemperaneorum nostrorum facta ædificationi profutura iuniorum interponere, ut quasi in speculo ipsorum contemplatione dignam investigantes viam dignos se studeant illorum & meritis æquiperare & moribus. Cum sit enim moris (ut ita dicam) naturalis senibus juvenilia sua facta antiquata repetere, dictisque iam elapsa iunioribus ac si recentia anteponere, laudare, renovare, iam habita nihili pensare, cum non tempori sed antiquitati dierum corporumque debilitati possit ascribi quicquid in eis vile iudicatur ac debile. Sicut enim in casibus invenitur monasterii, locus iste tam membris quam capite semper extitit gloriosus, & quod in membris huius ecclesiæ infirmum iudicatur ac debile, aliis ecclesiis robustum ac forte. In Abbatibus excellentia fulgebat, principatui formam qua regibus ac seculi huius placere potuissent assignans, adeo tamen temperata ut in monasterio constituti & ordini monastico proficerent, nec suæ minus dignitati prospicerent: in membris vero spiritalis sic effloruit disciplina, ut non solum Benedicti Regulam verum etiam philosophiam totamque ad unguem usq; investigarint theoricam. Platonis, Socratis, Aristotelis, Hippocratis, Boetii omnes investigaverunt rivulos, adeo vt in suis metris * Philosophi non solum sed & Poetridæ fuerint, quod arduum esse negociũ, & præcipue modernis qui aliquam poetriæ noverunt viam, perpendere satis est facile. Istorum nomina, licet in Casibus monasterii legentibus non sint incognita, in argumentum veritatis ea assignabimus ex nomine.

* *al. Philosophos n. s. sed & Poetriam fuer.*

CAPUT III.

Nomina quorundam fratrum in monasterio, qui columnæ fuerunt Ecclesiæ verbo & exemplo.

ISonem qui omni genere florens Philosophiæ diversos ex se palmites protulit fœcundos, Marcellum, Notkerum Balbulum, qui in carmine metrorum qualis quantusve fuerit quod & *sequentias* appellavit, Notkerum Magistrum artis theoricæ non pigrum, Ratpertum, Tutilonem quorum in divinis officiis solemnia satis recitant carmina, Hartmannum qui vitam Wiboradæ luculento satis sermone conscripsit. Hi locum ditaverunt moribus, ornaverunt scientia & disciplina.

CAPUT IV.

Heinricus Decanus turrim cum tribus construxit capellis.

FVERUNT item nostri temporis ætate moderni patres, qui locum suis præclaris ornaverunt meritis, non minus memorandi, inter quos Heinricus de Saxo trahens originem sua in adolescentia veterum imitatus caniciem quod non habuit annis, factis exequebatur. Qui domus patris oblitus & omnium quæ seculi vanescentis ingerere potuit cupiditas, ad Beat. Galli res conservandas toto se animi affectu tarnsformavit & nisu. Vnde non immerito factum est, ut custos Ecclesiæ, quæ tunc temporis non modico ditata censu inter alias florebat Ecclesias, institutus cum digne, sanctis ut videri potit, in minoribus amministrasset Decaniæ ac Prioratus suscepit officium, in quibus qualem se quantumve exhibuerit in sequentibus si quis indagare voluerit luce clarius animadvertere potuerit. Hic in Decaniæ vel Cellerarii officio decimas aliosque redditus suorum negligentia seu incuria antecessorum ab aliis feodi iure possessos manipulari militum manu recollegit. Iste vilicatus tres in Tiufenbach, in Roschach, in Hoehst monasterio voluntate & auxilio Abbatum cum requisisset, tria exinde fratribus instituit servitia, in Dedicatione scilicet, in festo Thomæ & in suo anniversario. In restauratione antiquorum ædificiorum inter modernos nulli secundus, in tantum ut nullam officinam reliquerit, in qua non aliquid reparaverit vel in meliorem statum reformaverit. Turrim maiorem à fundamento usque ad culmem erexit & perfecit, cuius ad fundamentum lapides cum requirerentur, prægrandes & adducerentur, Beat. Gallus quia suis non defuisset extructoribus manifestavit. Nã cum mirabile dictu lapis ille prægrandissimus angularis in sinistro turris latere positus per XL. boum iuga hominumq; fere quingentorum traheretur brachia, unus casu cum traheret inter lapsus surgere cum non potuisset, lapis ille prægrandis ipsum vehementer à toti ugis boum tantorumque hominum tractus diligentia super lapsi tractus corpus nulla in eo læsionis impressit vestigia, non sine admiratione multorum tam accurrentium quam lapidem prægrandem trahentium, qui in laudem Domini voces ex.ollebant, Capellam Sanct. Mariæ de loco ubi turrim extruxit abstractam ubi nunc cernitur extruxit. Columnas quatuor fornicibus ad aram S. Columbani in crypta supposuit. Ecclesiam Sanct. Iohannis ab Ekkehardo extructam non longe à foribus monasterii tunc sitam in visione admonitus in loco, quo in præsentiarum veneratur & colitur, locavit. Visum namque sibi fuit ut funibus cinctam eo loco attrahere deberet, Ecclesiam item Sanct. Osvvaldi & B. Thomæ meritis constructam dedicari & festive celebrari constituit, duobus exinde servitiis institutis, domum lapideam prægrandem successoribus suis Decanis vel Cellariis erexit in ædificio, ibique primo grandia excrescere cœperunt ædificia, & mea & tua appellari quæ prius fuere communia, sed quoniam vix cuiquam transitoria omnia succedunt prospera, quin poculis mellitis immisceantur, amara post multa ecclesiæ collata beneficia ex incuria oblivionis maximum Exclesia per ipsum excepit incommodum in paraturis miro sumptu deauratis XVIII. crematis, quæ trecentis marcis & amplius computabantur in precio.

CAPUT V.

De electione Vodalrici benignissimi Abbatis.

ISTE germinis eiusdem ramusculum de Saxo oriundum dulcis plantationis florem perspicuum, quo in ramum terebintum excrescente prægrandem, dulciloquiis grammaticæ & dialecticæ floribus imbutum informare fecit, informatumque Parisias ac Bononiam transmisit, iurisque peritum cum summa diligentia repatriatum omnibus bonis conformatum ad summa provexit. In quo cum mira verborum esset affluentia sapientiæ nectare condita, nec non spectabilis vultu animiq; iocunditas gloriosa, cũ esset Portarius dignus à cunctis Abba-

Abbatiæ præesse iudicatus est: sicque in Abbatem tam clientum quam fratrum in monasterio voluntario igitur arbitrio totiusque vulgi clamore electus. Apud Basileam igitur Philippo Augusto præsentatus honorifice ab ipso cum suis excipitur & in Principem promovetur, & quia lumen accensum sub modio latere non potuit. Dic, inquit Rex, nove Princeps quid in perplexa sententia cæteris non bene cognita Principibus sentias, eructa verbum, nodos extrica difficiles de armario olim S. Gall nostrorum instillatos auribus antecessorum Augustorū. Salva, inquit, reverentia Principum conflictum inter se habentium iuris procedant instituta non mea sagacia sed legum justicia. Principum, inquit, conflictus inter se varia repugnantia sic est elucidanda, ut amputatis opinionibus superfluis ad ultimum fiat concordia, quæ quomodo stare possit & non legum sic explicat distinctio. O mira in juvene Principe Mercurii Philologia, quæ sparso rubore juvenili promulgavit eloquia cordis dudum instincta callidili. Laudatur ab omnibus, dignusque summo iudicatus honore reversus est ad monasterium Quo postliminium domum reverso pii sui prædecessoris & habitum memorans & verba; habitum videlicet pecuniæ Heinrico de Eicheim Præposito cum alijs sodalibus creditū, & verba quibus licere sibi non esse conveniens ut dispersat congregata quę non congregavit, pecuniam ecclesiæ sibique creditam repostulavit. Ipse hospitalitati nimie dans operam, requisitam ab Abbate sibique creditam non reddidit, quoniam in hospitibus omnia quæ habere potuit expendit. Et quid fecisse credis Abbatem indignum, nisi ut pecuniam sui juris à fratre sibi subdito expostularet? Nolo, inquit, fratrem mihi creditum pro qualicunque exactione perdere pecuniæ. O virum inter mille septies probatum, quē nec caminus incendit penuriæ adversus fratrem, cum ipsum in sua habuisset potestate, neque *auri sacra fames* à caritate fecit apostatare. Erat namque iocundus in facto, blandus verbo, vultu delectabilis, cui nulla unquam se intulit acedia, fortis in adversis, humilis in prosperis, simulator cuius libet rei ac dissimulator pro tempore, & quia fidelis amator fratrum in nullos ipsos voluisset offendere. Qui in trivio Grammaticæ, Logicæ, Rhetoricæ & Philosophiæ non mediocriter eruditus, in jure forensi & ecclesiastico quicquid excogitare poterat, faceto Minervæ poculo cunctis audientib. propinabat, & quoniam scientia inflat, sublimioribus se regni Principibus & actu æquiparabat & moribus, & quum infra ordines constitutus in sacerdotem debuit promoveri, promotus talem se exhibuit in peragendo officio, ut humilitate morumque temperantia & perfectissimis se viris æquipararet & moribus. Suæ tamen dispensationis præpeditus negocio * quum oportuit suum executus est officium, sed & si quando celebrabat, sic devotum se studuit exhibere, ut non hominem sed Angelum, si liceret, crederes celebrare. Dies quadragesimæ cum summa studuit reverentia observare. *al. quam

Caput VI.

Accidit interea ut omnis boni inimicus zizania inter Comitem Hugonem de Monte forti & Heinricum de Sax, sæpe memorati fratrem Abbatis, summo conatu ingereret & pacem sæpius firmatam infirmare satageret. Vnde factum est, ut castrum à memorato Heinrico de Saxo inchoatum clanculo volens surripere, tempus nactus opportunum tū propter iam dicti Heinrici absentiam, qui tunc forte ierat in Hispaniam suis omnibus Abbati fratri commissis, tum propter dies Passionis in quibus etiam reconciliantur homicidæ aliique malefactores, in die Parascevæ cœpisse destruere, volat fama auribus venerandi ac fidissimi Abbatis quid Comes contra fas moliatur. Anxius ille dubitat, quidnam facere debeat duplo circumseptus mucrone: si Comitē, inquit, à malefacto quod inchoavit non revoco, castrum cum non sit munitum destruet, hæc mihi à latere uno exurget contumelia, cum tutelā promiserim fratri exulanti: si pacis summæ tempore, quod cilicium expostulat non arma, lacrimas non militares alas, vereor ne mihi cedat in incommodum, & hoc à latere alio. Et quoniam miseratio Dei multa est, fides exigit vt credita debeam defensare, & patriam toto nisu violenta si possum manu eripere. Exurgat igitur fidus mihi miles, si quo modo contumaciam morsu colubrino compescat exortam. Die igitur Parascevæ ad locum veniens Comitem longe profugatum depulit, sibique commissis pacem, ut promiserat, redditam conservavit: nec tamen impune. Audiant spiritales bellicosi, vindictam ab illo expectent qui se eam promisit retribuere. Nam dies illa ut * conicio bellorum frequentium fuit initialis, nec tamen umquam victoriæ fatalis. Ipse namque carnali fratris amori dum pacis postposuit auctorem inter amicas postmodum catervas victus succubuit. Sed his ad præsens dimissis ad alia stilum vertamus. *mss. conici.

Caput VII.

Libet hoc loco interponere de mutatione imperii occasione negocii præsentis, quoniam multa exinde monasterio venere incommoda. Heinrico excellentissimo Imper. Augusto defuncto Principibus regni loco suo regnare volentibus, diversi diversa sapientes toto sibi conatu Reges quilibet pro libitu eligentes, pace ubique perturbata, Philippum alii memorati Imperatoris fratrem, alii Bertoldum Ducem de Zaringen, alii Ottonem Ducem

Saxoniæ elegerunt, iuramenti quod Friderico nato Heinrici Imp. fecerant obliti. Vnde accidit ut maiori pro parte Principes Sueviæ Philippum sibi Regem, ac si tutorem fratruelis adhuc infra annos degentis eligerent in Sicilia sub tutoribus constituti, cumque Principum quorundam mens in facto tali opponere se vellet conamini, cum nec filium Imperatoris Heinrici vidisse se dixerint, monitu Diethelmi de Crenkingen Constantiensis Episcopi & Augiæ Abbatis Philippus animatus regnum sibi usurpare aggressus, quos prius habuit dubios Sueviæ Barones, Principes & Comites, fidissimos invenit & stabiles. Inter quos piæ memoriæ venerabilis Pater noster Heinricus dum decertasset usque ad finem Vodalricum tam regiminis loci huius quam factionis erga Ottonis alterius partis electum reliquit. Qui post syrtes scopulosque procellosos bellorum velis secundis, dato remige fortibus *attemnis, junctis sibi Principibus Regi fidissimis vltra fines Albæ fluvij Ottonem propulerunt. His & huiusmodi negociis regnum cum suis hac atque illac iactabatur Principibus, & ecclesia nostra multis subjecta fuit incommodis. Verum enim vero conquisito summi assensu Pontificis Innocentii nominis huius tertii cum ad portum venisse se crederent tam Rex quam Principes in civitate Babenberg præstolante Rege quo ad usque universis colligeretur exercitus flebotomizatas ibi requievit: sed requies, quam speravit, facta sibi fuit exitialis. Nam proh dolor à suo domestico Comite Palatino de Widelisbach pro eo, quod promissam sibi fraudaverat filiam Beatricem, quam Regi Hispaniæ dedit filiam, ficta pace *jugulatur.

*L. antemnis.

* al. iugulavit.

Caput VIII.

ANNO Domini MCCVIII. incredibile dictu quanta perturbatio, quam ingens luctus cunctis regni Principibus evenerit, omnia confusa, omnis ordo perturbatus Principum, Comitum & Baronum, cum de se quisque diffideret. Ipse tamen malefactor prout malefecerat recepit, à Marschalcho Heinrico de Chalendine non longo post tempore occisus. Nobis etiam, quæ sperabamus cessisse in commodum, quam plura venere incommoda. Venerando itaque patre nostro domi sua iura tuente & ecclesiæ utilitati toto invigilante conatu cum Advocatia, aliaque quam plurima feoda nostræ cessissent iuris dictioni, Bertoldus Dux de Zaringia quatuor milia marcas argenti monasterio, & clientibus auriculariis CCCC. item pondo argenti marcas obtulisset, hoc pacto ut Advocatiam sibi suoq; hæredi filio & non alii, si forte filium quem tunc non habuit acquisisset, numquam se alienaturũ iuramento voluit confirmasse. Abbas seniorum fratrum postposito consilio, sed ministerialibus magis assentiens qui potentiam dicti Ducis formidabant, huic petitioni tam salubri acquiescere dissimulavit, fratri suo nisi toto advocatiam magna pro parte volens adiungere. Sed frustra. Beatus itaq; noster hoc interrupit patronus, multa licet alia intervenerint infortunia. Castrũ Rinegg nutu & consilio ministerialium, cũ suæ debuisset esse ecclesiæ pro parte, cum sibi vendicasset Wernherus dictus Constantiensis Episcopus suorũ & ministerialium & nepotum Arbona, qui forte tunc idem occupaverat castrũ non manu Episcopi sed Regis, econtra asserebat. Nã in suæ fundo ecclesiæ illud esse constructũ relatione quorundam cũ affirmatet, partibus inter se utrisque aliud & aliud inter se pro suæ libitu conscientia asserentibus, curritur ad arma, odia nostratium & Arbonensium nec non Constantiensium referantur antiqua. Pernix volat vindicta, cum quisquam suam antiquam maioris respectu causæ recolere. Constansienses suæ occasione ecclesiæ, Gallenses æqua lance: illi Episcopum, isti Abbatem, nominatissimum scutum suæ anteponerent causæ & vindictæ. O dole mira reperte barbarie, qui ut teipsum exeras, tuæ venena malitiæ & inter inimicos æque & amicos disseminas. Surrexit tunc gens contra gentem. Cerneres circumquaque domos inflammari, rura infirmari usque Constantiam, omnia ac si anathemati exposita destructum iri. Neque enim nostræ partis homines huiusmodi effugere potuere incommodum, cum fumus nostris insurrexerit naribus, flamma oculis se illexerit pro dolore lippientibus. Nunquid tunc temporis aliquis pro tantarum concordia opposuit ecclesiarum? Non fuit advocatus qui suam tueretur ac defendere advocatiam, non spiritalia requirebantur ut oportuit iura, dum quisque fortiter quærit facere. Hic in armis & in equis, pauperes in Sanct. Mariæ & Sanct. Galli in lacrimis advenerunt. Interim portitores pacis inter utrasque partes Eberhardus de Rordorff, Heinricus de Kalphen, Abbas venerabilis de Salem & Augiensis, qui ad litem decidendam pacemque informandam operam dederunt. Bellona tamen spumantium ad bella equorum hinnitu aures arrigens iuvenis Abbatis, nacta tempus animum ad gestas tales naturaliter informatum non iuris facetia sed armorum copia, in qua confidebat & confidere habebat, si suorum se militum sibi qualiter debuit exhibuisset circumspecta sollertia. Quod quia secus, nostratibus & triumphus cessit & victoria. Bello inito cũ iam se in victoria in milite exercere contumaci in campo Breitenfeld cœpisset, Vdalricus Comes de Kiburg multorum recordatione postposita beneficiorum, quæ loci huius sibi præstiterant Abbates, ex obliquo, cum iam potiretur nostrates victoria, spemque nostram lugubri satis fine enervatam in captivitatem redegit. Dies ille infaustus huic fuisse fertur ecclesiæ, non parvo rememorandus tempore, cum non armis sed oratione locum debeamus manutenere. Exemplum habemus Victorem magnum Ducem Curiensis Retiæ, qui cum fraudem loco molitus est ignis Beat. Gallo visione cla-

clarifica se tuentibus, Dux idem equo lapsus à suis cum dolore est reportatus. Fuit item aliud vindictæ indicium evidens memoria dignum, quod in ecclesia beatæ Fidis violatorib. ipsius evenisse nemo qui interfuit ignorat. Manentibus in civitate militibus & cuicunquaque stipendiis deficientibus Cunradus de Schœnnenstein homo militaris, quo nullus in toto militum globo audacior, beatæ Fidis inexpertus virtutis ecclesiam ipsius audacter irrupit, & quæque annonæ competentia repperit ab ecclesia cum quibusdam suppellectilibus in civitatem transportavit. Secuta statim fuit vindicta. Miles quidam Bertoldus nomine de Mep, licas in horum consortio signifer crastino in obsidione, quod Episcopi cella nominatur, castri telo transverberatur. Alius item simili morte plectitur, & ut breviter dicam, nullus eorum qui ecclesiam iam dictæ virginis impune evasit, quin aut cæcaretur, aut suspéderetur, aut gladio puniretur. Adolescens quidam nobilis in horum consortio cum ecclesiæ spoliasset, cingulum volens sumere militare, in ipsa nocte Sancti Spiritus quando celebratur festivitas in crastino cum vellet cingere mortuus in lecto reppericur. Cunradus de Schœnnenstein in vigilia ipsius virginis saxo præcipitatur. Mirum dictu, ego qui hæc scripsi Cunradus Presbyter S. Othmari dictus de Fabaria, in ipsa vigilia stans ante fores ministerii audivi & vidi, quod scuta quædam ibi pendentia sic se excusserunt, quod in pavorem me duxerunt, & hoc quoddam fuit præsagium futurorum. Huius tamen occasione prælii quam plura suis largitus dona tyronib. plura beneficia, inter quæ Comiti de Dilingen ducentis marcas pro resignatione mansuum xx. in manus Abbatis, quas ab ipso iure recepit feodi. Fama interim, omni pernicior malo, auribus instillata Ottonis Pictaviæ Comitis insinuavit. Philippum sibi adversarium à Palatino occisum Comite. Rex animosus iudice Deo electus quicquid in electione prius habuit infirmũ, coadunatis in electione Principibus omnique tergiversatione postposita universaliter ab omnibus elevatur in Regem. Confirmatus in regno quæq;, sui iuris non solum sed ea quæ Philippo attinebant, jure sibi proprietatis usurpabat. Advocatiam etiam huius ecclesiæ quasi hæreditario ad se iure transmissam coniugis, quam acceperat, filiæ videlicet Philippi, ad se iure transmissam. Et quoniam Heinricus frater Abbatis partem huius receperat Advocatiæ, ipse Rex Otto ut cederet Advocatiæ Sanct Galli, Abbatiæ Fabariensis Advocatiam tricentarium marcarum pondo * pignori obligavit. Qui Rex cum captivos Abbatis in Arbonensium potestate constitutos redimere dissimulasset sic nostrum offendit Abbatem, ut si licuisset, se & res ecclesiæ periculo exponere non pertimuisset, quod & postea tempore comprobavit. In Italiam Rex profectus data sponsione iurisiurandi, ne Fridericum Henrici Augusti filium in omnibus sibi iure hæreditario attinentibus, Romanamque ecclesiam in nullo perturbaret, promovetur in Augustum ab Innocentio tertio, non diu porrectum conservans iuramentum, qui summo promissa Pontifici brevi infringere attemptasset. Nam Fridericum puerum Imperatoris Henrici filium regno Siciliæ proturbatum sicut Romano sic etiam Siciliæ nisu toto regno conatus est pellere. At summus Pontifex ammonitorias iuramenti, nec non minatorias cum frequenter sibi super hac re misisset, nec ab incepto revocaret, cumque terram Beat. Petri cremare non pertimuisset, communi omnium conprovincialium iudicio citatum, canonice tandem excommunicatum finibus abegit Apuliæ. Huius fama excommunicationis mandato summi Pontificis pervolat Sueviæ Principibus non ingrata, quos iam dictus in suis perturbaverat tam feodis, quam consuetudinalibus iustitiis. Quid multis moretur? gravis Italicis, Alamannis gravior, suis ingratus, fines attigit Alamanniæ. A nullo sibi Principe occurritur, nulli gratus excipitur. Summus interim Pontifex Heinrici Imperatoris filium ab Italicis primo fere omnibus, post Alamanniæ gratum Principibus transmisit. Veniens igitur primo à Curiensi Episcopo, postmodum à nostro suscipitur Abbate Vdalrico dudum nominato, ipsiusque ducatu & auxilio ultra montem, qui Rukkenbein nominatur, ad monasterium usque perductus honorifice ab ipso suscipitur, & ad Constantiam usque suo ducatu perducitur, Ottone interim ad Vberlingas cum suo manente exercitu. Episcopus Cunradus de Tegerfeld interim non bene animatus, licet excommunicatum Imperatorem audierit, suorum quorundam consilio ipsum in civitatem non sine periculo sui aliorumque multorum admisisset. Animosior autem factus viso Abbate cum tanta militum frequentia ponte munito locum dedit ut excommunicatus non solum sed & omnibus denunciaretur esse vitandus. Et hæc per Episcopum Barenlem legatum Apostolicæ sedis, qui cum Rege eo loci aderat, ita facta sunt. Rex interim Basileam usque consultu Abbatis & quorundã Magnatũ auxilio progressus, Abbas cũ magno militũ frequentia non parvo fuit tempore, quousq; Imp. ad Brisachum veniens turpiter inde fugiens in Saxoniam, unde venerat, redire compulsus est. Nostra tunc temporis in honore permaximo floruit ecclesia. Quicquid in causis subtile & in regni negociis nostro indagandum reservabatur Abbati, qui philosophica quadam perlustrabat cuncta sagacia, & circumseptus undique miro philologiæ indagabat cuncta sermone. Ipse Romam veniens ab Innocentio summo Pontifice honorifice latis susceptus in cunctis, propter quæ venerat, regni negociis talem exhibuit, ut miro omnium veneraretur affectu, & infulam pro vitta sua gerendam gratis ab Innocentio susciperet. Inquisitus ab Apostolico de B. Notkero, an magnæ penes Alamannos esset auctoritatis, dignum eum iudicavit canonizatione Catholica, responso Abbatis audito. Finito negocio, pro quo venerat, multis Apostolico xeniis transmissis auctus benedictione ipsius ad propria remeavit, Regi ac

* al. pignoris.

Principibus bonum, pro quo ierat, nuncium reportans. Innocentio viam universæ carnis ingresso Honorium suum successorem pro regni adiens negociis Imperatorem Constantinopolitanum, qui interim eo in civitate manente promovendus in Imperatorem eo loci cum magno venerat apparatu, ne apud S. Petrum consecraretur allegationibus impedivit quam plurimis, dicens eo pro Romani statu imperii ibi manente non licere Imperatorem consecrari nisi de voluntate Principum Principis. Veniente Imperatore * Constantinopolim cum assurgeretur sibi à Cardinalibus & à cunctis Romanæ dignitatis optimatibus Abbas gloriosissimus loco sedens Romani Principis non movebatur, indignantis animi signans effigiem, ac si non legatorie sed possessionaliter locum soli teneret Imperialis. Consecratus est autem Imperator non in ecclesia B. Petri, sed in ecclesia B. Laurentii extra muros, qui cum coronatus in civitatem dum vellet peragrare toto conatu ne fieret elaboravit & obtinuit. Lite inter Constantiensem nostramque ecclesiam non determinata Otto tam de manu Episcopi quam Abbatis castrum Rinegg suscepit cum aliis sibi adiacentib. beneficiis. Lite indecisa pro silva ad Trogen contendentibus his de Arbona, nostrates silvam incidentes unus pede est mutilatus: pro quo Abbas animosus sex suorum non viles personas fecit mutilari, sicque illorum omni tempore vitæ ipsius sopita est contumacia. Ipse præbendam nocturnam de bonis Sanctæ Fidis forte minus iuste adauxit in pane, qui dimidius in refectorio fratribus dabatur. Circatoribus iuxta mandatum Appstolici monasteria singula perlustrantibus suo tempore in tantum eius & religio placuit & monastica nostra consuetudo, ut scribenda censerent aliisq; monasterii ostendenda pro speculo.

*Leg. Constantinopolitano.

Anno Domini MCCXV. mœnia huius villæ exusta sunt igne domestico VI. Nonas Maij intempesta nocte, Abbate nostro præsente & tecta monasterii & claustri ædificia multa sollicitudine defendente.

CAPUT IX.

PAtratis omnibus, quæ sibi à Rege acceperat, mandatis in Italiam iterum cum Rege iturus apud Babenberg ipsum convenire gestiens, cum quo fratre suo Henrico tum pro aliis negociis supervacaneis ibi manens, post multam Minervæ facetiam cum omni dignus potestate clamaretur à cunctis, nescimus quo Dei iudicio vi febrium validissima corripitur, magnoque labore domum advectus non sine grandi omnium dolore recipitur. Fuit tamen murmur inter confratres, quod res ecclesiæ ad repetationem belli inter fratrem suum Comitemq; de Monte forte habiti damnabiliter & irrecuperabiliter deposuerat infeodare: Sed *non est consilium, non est potentia contra Dominum.* Audiant Abbates qui licenter res B. Galli sibi creditas non dono collatas alienare non pertimescunt. Ecce Abbas, de quo nunc est sermo, gloriosus inter Principes, carus inter fratres, dum respectu fratris à tramite iusticiæ deviat, manus Domini & vindicta B. Galli à tali proposito ipsum refrenat. Ingravescente languore unctus oleo tam dulci eloquio fratres de contemptu mundi alloquitur, & in tantam eos compunctionem induxit, ut à lacrimis abstinere se nequaquam potuerint. In magna igitur agonizans tribulatione spiritum reddidit, cunctisque loci huius amatoribus dolorem non parvum inflixit. Testantur versus in lapide ipsius superscripti, qualis fuerit, & quam gratus omnibus;

Invida petra nimis quæ tantum claudis honorem,
Aequiparem minimis, nec summis inferiorem.

Retulerunt quidam de ipso agonizante, quod audierunt voces plangentium, & bullitionem Caldariorum. Habuit etiam in consuetudine pauperculis post partum mulierculis in pastum ad dies XL. subvenire, cuius dies annuus in festo Teclæ celebratur.

CAPUT X.

De electione Ruodolfi de Giutingen.

IGitur transacto planctu tam lugubri nos, qui sub umbra cedri altæ quasi in Libani montis vertice consedimus, odore suavi refecti electioni operam dantes Ruodolfum elegimus Præpositum, Decanum atque Cellerarium, virum industrium, magnæ virtutis hominem, qui de Giutinga originem trahens omnia monasterii beneficia cum pertransisset ad ultimum Abbatiæ gradum conscendit, in quo satis proficisse potuit, sed non profecit nimio erga parentes ductus amore. Abbatiam ab Imperatore Friderico recipiens ecclesiam in magno repperit debito, quod antecessor suus pro honore huius ecclesiæ & pro imperii expenderat negociis. Invenit tamen quadragintas argenti libras & LXX. marcas, quas ab antecessore suo relictas in usus suos habuit expendere. Væ priori rumori, quem de suo habuimus antecessore benignissimo, cuius nobis & umbra fuit * refrigium, & memoria nunc in labore solatium. Duo nobis venerunt væ postmodum, quia crescente debito honoris tabescebat incrementum. Nam in Italiam Rege profecturo cum mandatum ab ipso eundi cum exercitu accepisset, iuvenis licet, piger tamen adulationi quorundam aures accommodans dicentium, turbidus

*L. refrigerium.

est aër in Italia,& ut dicitur in proverbiis, *Leo in via, leæna in semita*, tricentis quinquaginta marcis Regi datis se ipsum ab hac exemit via, cum ducentis marcis & Regi servire & profecisse potuisset ecclesiæ.

Omnes enim Principes, qui ierant, donis dotati ingentibus rediere ad sua cum gaudio. O Abbatem iuvenem pigrum, acedia confectum. Nonne sublimitatis ordo expostulabat frequentiam militum & intermiscere te consiliis optimatum? Videris ne forte te retraxerit quod parentem primum Paradiso exheredavit. Sed, inquis, clara est iuventus, quæ non de facili possit cohiberi. Ista est insania, quæ à Principe maxime dicitur comprimenda. Væ secundum abiit, tertium expectandum. Ad minuendum debitum ecclesiæ vocatis ministerialibus, fratribusque convocatis, iuramento interposito ratihabitio processit in medio, ut fratres de communi viventes eo pacto suos quisque redditus ad persolvendum uno daret anno, computatione facta CLX. pondo marcharum & ipse ducentas de suis redditibus marcas pro debito daret, ipse de reliquis viveret: Sicque computatione cum agape familiarium ecclesiæ usque ad ducentas marcas omne debitum esset persolutum: sed frustra. Nam Ananias cum sua Saphira fraudavit de precio & ecclesiam in priori reliquit debito. Vereor ne væ tercium rostro suæ maliciæ locum inficiat, & qui cedri sub umbra sedimus gloriosi, utinam sub ulmo requiescamus non sub paliuro. Dicat tamen aliquis, nonne fratrem suum provehere debuit ad summi gradum sacerdotii? si potuit debuit plane, sed sine sibi creditæ detrimento ecclesiæ. Eligitur in Episcopum Curiensem frater eius Albertus Præpositus Sanct. Stephani Constantiensis non magnum habens acervum pecuniæ. Item alterius partis eligitur alter æque fortis litteratura & parentela. Romæ causa ventilatur, pecunia expenditur, electi partis utriusque moriuntur. Pœnitet Abbatem rerum suarum simul cum amissione fratris expensio. Ad recuperationem itaque fratris & expensæ tandem laboravit & episcopatum consecutus est, elaborans ut super duos haberet dominium Principatus. Oportuit tamen eum obtinere Abbatiam dispensatorie, pro quo item tricentas marcas persolvit curiæ Romanæ. Contentione item in Episcopatu Curiensi cum ministerialibus habita, cum in Apuliæ partibus Imperatorem adiisset, licet non ab ipso prius visus honorificentissime tamen ab ipso susceptus & habitus, usque dum curia in Cremona data cum militum copia gloriosus apparuisset. A Cardinali itaque Romanæ ecclesiæ, quem humanissime in monasterio nostro tractaverat, quia fratrem suum ducentis marcis argenti in vasallum conquisivit, in suo ipsum habens comitatu Romam perduxit promittens omnia quæ vellet à summo se Pontifice conquisiturum. Cuius spe promissionis ecclesiam nosttam sive domi sive Romæ sive alias manendo debitricem fecit mille quadringentarum marcharum. Vnum admonendo potius quam exprobrando capitulum cunctis tam præsentibus quam futuris, qui hæc legerint, ad commodum antepono, ne sigillum conventus vel Abbati vel cuivis fratri concedant quovis pacta sine indeterminata causa, quoniã omnia ista monasteria propterea invenerunt incommoda. Ecce tertium væ expectavimus: expectavimus & experti sumus, & sicut non sub ulmo sed sub paliuro spinis tribulationum pungimur. Et ipse viã universæ carnis cum omnib. fere qui in suo fuerant comitatu ingressus sepulturam habuit gloriosam in ecclesia Sanct. Iohannis maiori Lateranensi; aliis hac atque illac prout oportuit sepultis. Referentibus qui interfuerunt aliquibus audivimus, quod Portuensis Episcopus Cardinalis apud Sanct. Rufinam multa eum fovebat diligentia tam defunctum quam vivum. Episcopus iste & Abbas noster ecclesiam S. Leonhardi dedicavit V. Nonas Maii, item duas cryptas nostras, XII. videlicet Apostolorum & omnium sanctorum, XI. & X. Kal. Octobris, Anno Domini MCCXXV. Descriptis in superiori pagina casibus antecessorum nostrorum Abbatum venerabilium, attẽdentes quoniam omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad legendum, ad audiendum, quia audientes ad benefaciendum quandoque maiorum exemplis provocat, quandoque de malis vitandis cautificat, ad eam, quam vidimus, electionem in Abbate Counrado stilum auxiliante Deo convertimus.

Caput XI.

De electione Counradi Abbatis de Bussnang.

Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi MCCXXVI. defuncto supra memorato Ruodolfo Curiensi Episcopo nostroque Abbate in Romana curia, fratres de morte cari patris contristati juxta summi Pontificis statuta Innocentii magna instantia elaborabant, quomodo & dignitati electionis à Regibus condonatæ, & monasterii pro posse prospicerent utilitati, & quomodo reverentissimus ille Abbas & Episcopus non in loco decessit, cum in primo noctis conticinio intempestæ nuncium tam infaustæ mortis accepissent, quippe suum ad utilitatem ecclesiæ procurandam composuerunt animum, & ne laicorum manus valida electionem suam violentia iuris infringerent modis quibus poterant elaboraverunt. Erant tunc temporis in loco personæ discretæ satis & iuxta seculi prosapiam nobiles: inter quas præcipue Counradus de Bussnang originem trahens, ætate quidem iuvenis,

maturus astutia, ingenio callens, forma conspicuus, statura, quæ nec longa dici possit, nec brevis, hilari vultu, intermixta tamen * ruboris forma rigoris ad se quandam habens prægnosticam, oculi roscidi firmitatem & constantiam signantes viri, dira vox, in blandiendo risibilis, in exasperatione terribilis, sic tamen variabilis, ut dulcedinem dilectis, amaritudinem suspectis intermisceat.

* mss. roboris.

Perspicuam tenet hanc prognostica forma figuram.

Nam teste Horatio Poetas

in Arte Poetic.

Vultum verba decent iratum plena minarum:
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuvat aut impellit ad iram.

Iste in præpositurae officio strenuus fuit & circumspectus, cuncta sibi credita circumspecto agens animo, ad obtinenda Ecclesia jura sedulo invigilans, amans hospitalitatē, sibi frugalis, largus aliis, honestus amabilis, pervicax avaris. Mirum dictu, homo non in foro educatus forenses naturali quadam philologiæ urbanæ sagacitate sic superabat, ut Tullii facundiam, ut Mercurii astutiam in ipso comprehendas, adeo ut sibi obstantibus tremor concutiat & animum & habitum. Igitur communi omnium electus & voce & animo, antequam in auribus vulgi hæc promulgaretur Oratio, seu electio ministerialium percelleret auditum, ne facta canonica ab omnibus electio violentia laicali deturbaretur, electio fratrum, antequam loco cederent, ab omnibus fratribus est obedientia promissa confirmata ad significationem sinceritatis & dilectionis, quam sic devote sibi exhibuerant. His ita gestis antequam loco decederent, non coactus nec rogatus verso vultu & manu ad aram Sanct. Salvatoris iuravit in omnibus bene se facturum & fratribus & loco. Ex quo vero mortis insperatæ fama infausta ministerialium percrebuit in auribus, attoniti & non sine armis convenerunt pro suo quilibet voto Abbatem, sicut ante consueverant contra Innocentii instituta, volentes eligere, maxime vero intenderunt electionem iam celebratam à fratribus in præposito memorato infringere, si quavis ratione potuissent. Sed frustra: quia in fanum iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipsi namque fratres oculo providentiæ pennati furibundas ipsorum supplantaverant machinationes. Caulæ Christi desolatæ arma intendarent & ipsi, si saperent desolati tam caro tamque pio patre ac domino.

Quid geris insana rabies modulamina vana?
Tetra manus laica tua non tibi suppedit hasta.
Arma ferunt, qui castra petunt, qui bella sequuntur,
Arma luant, dum plaustra ruunt fortes perimuntur.

Nos vero gladium spiritus habentes, animositate quoque electi Abbatis roborati, susurra ipsorum vana floccipendimus & minas. Iusticia namque dum staret pro nobis, ipsam non minus manu valida suorum, si fuerat necesse, defendere habuimus & amicorum & parentum.

Ipsi vero videntes unanimum totius assensum Conventus, & ipsi dissimulata palliatione obnutentet tali dignum acclamabant administrationis sublimatione.

CAPUT XII.

PRæsentatus itaque apud Vberlingen Henrico Regi semper Auguste, Duce Noricorum in curia manente, cuius consilio res imperii per id temporis disponebantur, aliisque Principibus Abbatiæ ut decuit principaliter suscepit investituram. Qua suscepta rogatus à Rege & Duce præfato, ut partem Advocatiæ possessionum quorundam Sanct. Galli in pago Turgaugiæ Hartmāno Comiti de Kiburg pignori feodaliter obligaret argenti marcis sexingentis, strenue contradixit, instantibus in precibus importune minis, inque tali casu suæ tam incommodo ecclesiæ quasi iubas exerens leonis viriliter contradicere non pertimuit, ita ut & nostris pavorem, astantibus gigneret ammirationem. Nam

Ditat honor mentem meritis minuitque timorem.
Hoc nactus culmen ructans de pectore fulmen:
Sævit ad exedras, Primatum solvit & edras.

Potuit itaque dici à circumstantibus: Quisnam, putas, Princeps iste roboratus in sui erit principatus dominio? & quis tam subito Regis tantique Ducis se opponere præsumat precibus, cum ipsorum petitiones mandatorum videantur esse affines? Nesciebant tamen illud proverbium antiquorum:

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Ex illo Horatii: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.*

Ipse namque in tenera adhuc ætate nullius umquam sine talione suscepit iniuriam. Quod si hoc in viridi, in arido multo dignius, quia maturius, cum pro sibi credita se opponeret ecclesia. Neque enim fuit licitum res Advocatiæ sibi creditæ frustratim scindere, sed totam simul Advocatiam conservare illibitam. Obtinuit tamen ipse Advocatiam à Rege pro memorati ponderet argenti iure pignoris habendam.

CAPUT XIII.

His ita gestis honore præcinctu, eximio cum lares reviseret proprios, à fratribus honorificentissime maximoque receptus cum tripudio, dicentibus:

Lux fratrum patriæ decus optime, inclite salve,
Ad caulas proprias venienti pangimus odas.

Quibus laudibus eximiis latus satis effectus & alacer, relatis Deo ac patronis ecclesiæ fratribusque gratiarum actionibus voto se tali publice constrinxit, ut prout melius posset toto semper nisu res ecclesiæ conservaret, dispersas congregaret, & ut iura ecclesiæ inviolata semper haberet, fecissetque pro modulo, nisi perplexissima ipsum retentassent negotia. Invenit namque ecclesiam MCCCC. marcharum argenti debito tenere obligatam. Quid ergo faceret anxius hac illacque versus ignorabat. Prædia vendere noluit, obligatas curtes nimis doluit: scivit tamen penes se, quia redemi oportebat prædia, quæ obligata pignori erant. Pertractabat Romanæ debitum curiæ, de quo se non facile arbitrabatur expedire. Sed qui Danieli absconditum revelavit consilium, ipse suum ad utiliora ecclesiæ facienda revelavit animum. Hac igitur urgente causa, accitis fratribus clericis ac laicis utriusque conditionis ministerialibus ac plebeis, apologiam eis gravitate quadam animi prop. fuit significans, nisi celeriter obviaverint, quale ipsis suisque liberis immineret periculum. Sermo fratrum laicorum:

Dic, pater, angarias mentis, cur dicere tardas?
Vis occultari plagam? non quis medicari.

Responsio Abbatis:

Pro vobis angor, pro me nimis undique frangor,

Igitur tali eos sermonem convenit Minerva: ô fratres mei dulcissimi, viscera mea in Domino, eadem qua me procreastis in patrem caritate vos aggredior, pensate quid vobis immineat periculi. Vos reliquistis omnia, parentes & spaciosa prædia, & vovistis Deo vos hic servituros usque in finem vitæ: Consulite vobis & nobis, in quanto simus positi debito, non pro nostra necessitate sed antecessorum meorum improvidentia. Providete vobis, ne forte depereat honorifica fama, qua præcelluit ecclesia nostra cunctas totius Alamanniæ ecclesias in symphonia ac diversi generis officio. Quæ si attenuabitur tam gravi debito, in tam solemni vix stabit obsequio. Hæc ad fratres. Ministeriales vero huiusmodi verborum aggredi attemptabat schematibus. O præclariss. milites B. Galli, vos prosapia generis & nobilitas ac magnificentia ecclesiæ magnificavit, immo & ipsa in vobis magnificatur & in filiis vestris. En cernitis in quantis ecclesia iam fluctuet periculis & antecessorum nostrorum negligentia? Providendum est vestræ, ut credo, & nobilitati & propagini, ne in manus incidamus illorum, de quibus non facile poterimus eripi. Hi autem Romani sunt, qui roduntad ungue, nec est qui contradicat, cum ipsi sint stimulus, qui fecit homines calcitrare, dum à nullo ipsi recalcitrentur. Cum enim mille aut minus ad septingentas argenti extorqueant marcas, sive pro pœna ipsius pecuniæ sive pro lucro, ipsi non extorquebunt, nec dimittent usque ad novissimum quadrantem. Tunc delebitur, cum neque vos neque filii vestri emolumentum aliquod, prout consuevistis, habere poteritis. Permoti omnes huiusmodi verbis, subveniendum esse quilibet pro modulo suo acclamabant. Fratres summam omnium redituum & præbendas unius anni dabant: Laici ac clerici plebani pro suo quique modulo: Collectaque est pecunia copiosa. Persolutum est igitur debitum quingentarum marcarum sine curia Romanâ non sine grandi alia expensa.

CAPUT XIV.

Videtur necessarium satis & rationi consentaneum narrare hoc loco crimen enorme nefandumque nimis in pago Turgovve patratrum in castro Reinesch vvile, omni post tempore memorabile plangendum que nimis. Erant duo fratres ingenui ac divites, originem à castro Toggenburg ducentes, filii Diethelmi Comites egregii. Fuit iste Diethelmus pater ipsorum, hospitalitatis amator eximius, seculari honore præditus ultra modum. Habuit vero iste duos filios, Diethelmum & Fridericum iuniorem. Diethelmus omni tempore fratri minori machinabatur insidias, quoniam condoluit ipsum sibi fore coheredem, cum plures haberet filios, duxerat namque filiam Comitis de Castro novo contra voluntatem patris, pessimam machinatricem seminarii odii inter fratres. Vnde pater minori fratri propinquior voluntate. Maior patrem matremque infestans sedulo conviciis, matrem attrectans sagitta ..tiit vulnerandam, patrem iniectum vinculis carceri mancipavit. Iunior frater Neoptolemus in Curia frater Imperatoris magni Cremonæ factus auxilio venerabilis Curiensis Episcopi & Abbatis nostri, cingulum militare morum decoravit honestate, Iunior consilio patris autem accommodans filiam Comitis Hugonis desponsaverat. Quæ causa maioris odii seminarium sparserat inter fratrem suamque coniugem, quoniam sororem ipsius, quam se accepturum promiserat, accipere recusavit. Ipsa igitur coniunx Diethelmi senioris Lia fœcunditate

ditate non lippitudine oculorum, mente licet lippa, livoris & invidiæ dilexit, augmenta, à pietate aliena, ingrata Deo, unde non bene circumspecta, genero suo frequenter ubi vel in quibus poterat mortem machinata, insomnem vitam nec suavem habere potuit. Sed quid inde?

Roditur invidia caro, desiccatur ut ossa
Coniunx compatitur dum sic ab utroque doletur.

Sed tu quid agis Iesabel? vide virum assentiri, credo quod possit nunc emoliri, ait hæc intra se ipsum. Ipsum quoque venenosis intrinsecus, dulcibus extrinsecus adulatoriis talibus aggreditur verbis:

O Dux, ô mea lux, speculum mihi, vita salusque
Dulcis in amplexu nihil ultra fortis in actu:
Omnia postposui, tibi novi vivere soli.

Cerne claram sobolem, quam tibi genui, florea ætate: tu quoque non minues juventutem: opera nostræ juventutis immaturam præveniunt caniciem senectutis. At ille: Quid, inquit, vis ut faciam? Caro mea sanguis meus est, quem tu persequeris. At illa, vide præstantissimam præcordialissimam tuæ vitæ dulcedinem in me. Ego reliqui parentes, affines, immo postposui omnia propter te. Nunc vero alia est vita, quæ sollicitat, numerositas filiorum. Falleris Achab apologia: tua te fallit Iesabel, ipsaque non minus fallitur. Nonne melior tibi tuæque soboli fuerat bonus, discretus, animosus cognatus & affinis, quam mille iugera omnisque rerum substantia? Tu vero dicis, quia melius mihi fuerat habundare rebus quam tantis ingratis participare cohæredibus, cum juxta Sapientum dicta, *Omne commune immundum.* Age ergo, perfice quod machinaris: sollicita maritum iam enervem effeminatum. Si caram me habueris, ut fingis, hostem illum quasi festucam meum impingentem oculum de medio tolles, quem nisi tuleris insidiatorem malivolum, soboles nostra clarissima rusticabitur, tota nostra propago depauperabitur. Proh dolor antiqua mulieris malicia miscet in poculis aureis clareto permixta toxica. Qui si aures habuisset aspidis obturatas, valentior incantationum sibilis obsistere habuerat. Succubuit igitur maritus talibus impactus pugionibus.

Angit opus dolor & gemitus mea viscera lustrant:
Sollicitor nimium, nam scelus eximium.

Hæc secum sedulus dum pertractat, vocatis tandem suis, quod sibi fideles credidit, amicis & sociis sibi fidelibus filiis Belial. mentis inquietudinem, insolemnietatem queritur, & mulieris exasperatricis oppropria. Tandem exponit fratris odium, qui & uxorem (inquit) medium animi mei offendit in sorore sibi desponsata turpiterque repudiata, ducere volens Hugonis Comitis filiam tam mihi quam sibi in opprobrium. Igitur ô fidelissimi consulite vestro & socio & Domino.

Non erit impunis sceleris præsumptio talis,
Quod me contempto præsumpsit & in manifesto.

Illis primo dubitantibus quidnam facerent, addit dubietati animositatem, spondet dona larga, promittit allodia, inimicos fratri reddit promissis inimiciores. Ait ergo:

Vt læsit multum, non me minus ut sit inultum;
Non natura dedit, quidnam desididis inquit.

Convenite, satis occasionem invenire poteritis. Denuo recordamini, qualiter fratrem & cognatum vestrum occiderit, occisum quasi cadaver vile proiecerit, nec in hoc solum sed in me pluribus tam me quam vos offendere attemptaverit: Prærogativam nativitatis amisi per ipsum castrum Dokenburg, unde traxi originem, qui totus & integer in mea nisi per ipsum florerem possessione ac dignitate. Huiusmodi querelis cum interfuissent, quos prænominatus frater non parum læserat, opportunitate quæsita, cum non aliam viæ suæ pessimæ invenissent voluntati, simulata pace ad castrum Reingesvvile vocatum multis fartum conviviis detinuerunt per triduum.

O miserum te, miseram illam tuam Iesabelem!
Quid furis, insanis, fraudem meditaris? inanis
Stabis, vesana tua sunt meditamina vana.
Macta sed innacta, nam spuria talia facta:
Nexaque perplexa pice carbasa cincta reflexa.

Circumpetunt, imparatum invadunt. Armis igitur militum ipsis dormientibus furtim subtractis dormientem occupant vigilantis fratris invocantem auxilium, sed frustra, quia dilapsus fuerat sperans se occupaturum & castrum Tokkenburg & Wilo oppidum sed fama præcurrente non obtinuit. Displicuit ergo misero, quod non qualiter voluit ita factum est. Luctuosis igitur ac miserabilibus super terram corpus miserabiliter mactatum, dum septem teneretur diebus, venerandus Sanct. Galli Abbas illuc adveniens recepit omnia, quæ ipsius fuere dum vixit, à patre ipsius & matre tam in prædiis quam in militibus honestis & famis copiosa, in præsentia multorum testamenti cartam faciens conscribi. Mater quoque ipsius quatuor præbendas fratrum usque in finem suæ habuit vitæ. Frater itaque occisi lacrimabiliter furens, sicut gladio linguæ fratrum occiderat; Ita hac illacque discurrens in irritum revocare gestiens si poterat Cain ipse secundus, cum omnibus ingratus etiam suis vagabun-

dus

dus erraret. Sepulto igitur apud nos occiso fratre suo, videns omnium se destitutum parentum solatio, non minus attemptabat fratri succedere in hæreditate, si non ei Abbas imperterritus obstitisset. Terrebant tamen miserum conscientia, totius populi contra ipsum clamor: frequentabatur in theatris opprobriis, conviciis, cantibus, unde effringi posset animus: ubique luctus, planctus, & miseria. Planxit pater cum matre utroque se orbatum filio: planxit iuniorem tam miserabiliter iugulatum, planxitque & fratrem; quod enormiter peccaverit Deumque ac homines implacabiles suæ reddiderit infamiæ. Insuper torquebatur ac cruciabatur doloris angustia, quod latas possessiones ac prædia transire præsensit ad extraneos, quibus longo vitæ suæ tempore usus fuerat sua pro voluntate. Venerandus ergo Abbas linceis providentiæ usus oculis importunitatem malefactoris præveniens animique non modicam importunitatem, prædiorum à patre suæ condonatorum ecclesiæ partem laicis feodi iure concessit, quo levis castrum potuisset obtinere cum burgo Wille. Citatus, denunciatus, ab Episcopo Constantiensi excommunicatus, item in aula regali proscriptus, damnatus, instante necessitate omnia, quæ patre cum matre Sanct. Galli contulerat ecclesiæ, accepta ab Abbate pecunia marcarum pondo quingentarum data manu roboravit cum filiis instrumento facto regalique testamento confirmato. Abbas igitur in multis ipsum fovens cum bene ipsum habuisset, castrumque apud Luttenspurg ipsius firmasset auxilio, machinatrix totius mali venenum, quod nondum expuerat, malitiæ tandem evomuit, seminariumque zizaniorum in possessores eorum quæ donata fuerant effudit. Et quoniam sæpe nominatus Abbas frequenter morabatur in curia regali, cum fratribus ipsius de Bussenang Werram ex improviso attemptabat aggredi. Fungebatur tunc temporis idem Abbas legatione Regali apud patrem divæ memoriæ Imperatorem à quo tam gloriose tamque solemniter receptus est, ut si stilo velim mandare, vix credi possit ab his, qui sinistre omnia norunt interpretari. Dicam tamen prout audivisse me memini ab his qui interfuerunt. Audito ipsius adventu Imperator augustæ memoriæ, ultra quam credi possit hilaris effectus est, sciens Abbatem Sanct. Galli non nisi bonum de filio apportare nuncium. Missis ergo nunciis honestissimis magnifice prout decuit, tam fidelem imperio venerari Principem fecit, quousque in propria persona ipsum convenire fecisset. Convocantur itaque Achpræsules, Præsules, Marchiones quam plurimi, Præfecti civitatum ad sollemnissimam Sanct. Galli Abbatis receptionem. Ostenditque sibi quæcunque habuit cara filium suum adhuc puerum Conradum Regem Ierosolymorum, cœlum astronomicum aureum gemmis stellatum habens intra se cursum planetarum; elephantes etiam & bardos, cæteraque quam plura, in quibus Imperialis perpenditur gloria. Perfectis itaque pro quibus venerat negotiis, donatum regiis ut docuit donis remisit ad filium. Tulit inter cætera litteras imperialis anathematizationis Diethelmi Comitis, tenentes mandatum proscriptionis ad Regem filium suum, quæ secundum formam ab ipso præscriptam Principibus denunciaretur. Idem tamen Comes prænominatus nacta, ut sperabat propter Abbatis absentiam præda, domorum crematione Werram aggredi cum attemptasset, repulsam à fratribus passus est Abbatis, & à ministerialibus Ecclesiæ, qui etiam suas ubique non minus invasas cremaverunt. In adventu quoque Abbatis excommunicatione pridem facta, nunc vero confirmata, castrum Reingesvvile manu forti & valida aggressus ibi confregit potentias, arcum, scutum, & gladium & * bellum, machinis, arietibus, tormentis undique circumdans, Unde *fort. telum.

*Ex incude mala * martis quassatur ut aula;* *al. matris.
Mox timor irrepsit, vix Aulicus abdita clepsit.
Vulcani telis Cyclopeis anxia Thetis
Ipsum derisit, Neptuna iuvamina misit:
Exitiale malum perspectans exuviarum
Plutonicum scortum Semiramis auxerat hortum:
Vippera trisulcis pus toxica mixta cicuris
Evomuit virus, theatrum fit Heretica myrtus.

Igitur insistentibus manu valida quatuor ad minus hebdomadibus, cum ignem iniecissent, non habentes ultra locum diffugii castrum dederunt cum omnibus, quæ in ipso fuetunt. Aliud quoque castrum apud Wengin, nec non & Luterberch castellum satis munitum. Videns itaque Comes in omnibus se succubuisse, & quia non erat locus diffugii, cum & villam Vzena in sua habuisset potestate, nullusque suorum parentum seu affinium, qui non sibi detrectaret conferre auxilium, ad Abbatis tandem se contulit gratiam impetrandam fretus adminiculo Comitis de Chyburg Advocati de Rapenschvvile. Tunc reverendus Abbas, licet homini misero condoluisset, precibusq; tantorum virorum divertere non esset conveniens, volens imitari antiquorum mores Romanorum, qui in usu belli statuerunt.

Parcere subiectis & debellare superbos. *Virgil. 6. Aeneid.*

in gratiam suam ipsum recepit recepto castro pro pignore apud Vzinbeck, datisque fideiussoribus, quod non toto pago Turgovviæ muniret castrum, nec in his, quæ in manu Abbatis erant, umquam ipsum seu quemquam suorum gravare præsumeret successorum, & hoc sigillo summi Pontificis, Imperatoris quoque ac Regis roboratum omnium umquam duraret incon-

convulsum. Sicque recepit eum in gratiam. Inauditum fuit olim, de Tokkenburg Comitem ita posse destitui & humiliari. Unde verum est proverbium:

Volvitur orbe suo Fortuna, revertitur ad se:
Sic stat in ambiguo quod firmius esse putatur,
Casibus imbutus nudus cadit & resolutus,
Est, fuit, & non est, venit, fuit, & nihil est est
** Dum redit in nihilum quod fuit ante nihil.*

Ex Ovidio.

Verum exigentibus peccatis, quæ perpetravit in patre suo & matre, talia infortunia perpessus fuisse creditur, cum Deus puniat in filiis, quæ ab ipsis in parentibus delinquuntur. Vox namque fratris ipsius mox clamavit ad Dominum de sanguinis effusione, innoxii, & multo fortius quam de occiso Cain, qui lacrimabilius & miserabilius ille succubuit. Invidia hunc, & hunc invidia prostravit & avaritia. Debuit igitur merito subiacere terræ maledictæ, qui fratrem invitans ad convivium in cratera iniquitatis mortis propinavit exitium. Et quoniam fraternum execratus est gaudium, pro maledicto detestantium persequentium se persensit gladium. Patuit ergo livor contumax, quod concepit livosior fallax. De Cain ultio data septies, de Lamech septuagies septies, de hoc duplicata in septies septuagies septies, cum nobilem de se procreatam prolem sanguine videt exhæreditatã delata sibi à patre dimissa hæreditate. Vrgebant miserum ubique, angustiæ, labores, detestationes hominum, quia scurræ, pelliparii, panifices, coriarii, textores, usu pelliones, Immotores qualitatis adversus hunc clamabant in theatris, in stratis, in viis. Illa vero misera Iesabel sceleratissima huiusmodi non ferens opprobria extra provinciam à tali se volens expurgare opere, testibus sibi competentibus expurgavit in loco, ubi nemini fuit licitum contraria suæ musitare nequitiæ. Inter duo itaque vertiginis fluctuans pericula, Scyllam proscriptionis Regiæ nec non Imperatoriæ, & Charybdim excommunicationis Ecclesiasticæ testiculis perplexus Leviathan inextricabilius, ubi prius passus naufragium ibi tandem portus placidius quæsivit refugium. Dominus itaque reverendissimus Abbas linceis omnia perlustrans oculis, ac si sagacissimus venator tempus nactus opportunum, Comitem infelicissimum, ac si canibus lacerando circumstantibus enervatum sagitta Minervæ contactum, tandem aggressus prædia prius donata testamentoque Regali suoque sigillo roborata non solum confirmavit obsidibus, verum etiam obligatione omnium quæ habere potuit tunc temporis prædiorum. Sed quid hoc? Nam illa sua Dalida semper inquieta non cessans ad infringenda quæ fecerat effeminatum lacessere non desiit. Sufficiant nunc ista ad præsens, quia alias de his plenius explicabimus, Deo auxiliante.

CAPUT XV.

ABbas benignissimus misero subvenit, in quibus competebat. Vnde castrum Reingeswvle, aliudque auxilio suo ad Luterberch tam in expensa quam in rusticorum copia. Fœneratores interim à Romana curia venientes argenti marcis postulatis CC. receptis abierunt. Mirari quis possit, unde argenti tanta copia tunc temporis venerit, etiamsi venam argenti montemque argenteum effodiendo spoliaverit, aut si Colchos insula sive Pactolus fluvius rivum suum ad ecclesiam direxerit. Nam Dominus Abbas, de quo nunc sermo est, sive in curia Romana, sive in Werra cum Comite præfato, sive in Curia Regis infinitam expendit pecuniam, plus minusve ad duo vel tria millia marcas argenti: cũ antecessores sui brevi, licet tempore loco huic præfuerint, qui non minus expenderunt. Vocatus igitur à Domino, Rege ad Curiam, ut in Aula secum maneret rogatus juramento fidelitatem spospondit, & frequentiam in consiliis regni habuit. Conscriptus itaque inter primos Palatii talem se in subtilitate perplexissimorum consiliorum, quæ in curia Regis emiserant, exhibuit, ut fidelitatem Regi, constantiam, & æquanimitatem in adversis non duplici sed sincero corde inflecteret adeo ut animum Regis in aliquibus in sinistra parte acclivem ad viam reduceret veritatis Habuit namque præfatus Rex voluntatem faciendi divortii in contractu filiæ Ducis Austrasiorum hortatu quorundam Principum, postquam sobolem de ipsa perceperat. Fuit autem causa divortii, quia filiam Regis Boemiæ desponsaverat, de futuro tamen & non contractu præsenti. Fuit tamen alia divortii causa, quia mortuo Duce Austrasiorum prænominato dotalia sibi sponsalitia nondum fuere exhibita. Ipse vero Abbas reverendus, difficulter licet, à tali hunc non bene sapidum revocavit infelici divortio, & à Regis Boemiæ filiæ contractu. Maximas inde consecutus gratias à Regina & ab aliis justitiæ regnique statui bono applaudentibus.

CAPUT XVI.

ROgatus venerandus Abbas à Rege, ut veniret cum militibus ad Noricum, cum magnam secum adduxisset militum copiam, Regi gratus & acceptus curtem in Creslarum ab ipso recepit in proprietatem Ecclesiæ Sanct. Galli servituram cum familia copiosa, cum pascuis, agris, montibus, & planis, ac omnibus suis appendiciis. Dicant enim nunc, quorum animus, mens & spiritus detractioni est deditus, cuius longo tempore Abbatis tot atque lata prædia

dia nostra possedit Ecclesia? Videant castrum ad Tokkenburg, Wilo cum militibus honestis & familia multa, eu tim, de qua nunc in proximo sermo fuit. Viderunt debiti quantitatem persolutam in curia Romana, emptionem castri cum burgo Wille, sine venditione prædiorum ecclesiæ. Videant dona largissima, quæ donavit in curia, ne forte fratres sui opprobrio subiacerent Visitatorum, qui multa perturbaverunt nobilia monasteria, ne longe petamus exemplum, sicut fecerunt in Augia, quos totonderunt, & iurare ad suum coegerunt mandatum, Domino Imperatore Friderico semper Augusto interim in Ultramarinis pro recuperatione sepulchri Dominici labore maximo dante operam. Gregorius IX. Romanæ urbis Pontifex modis, quibus poterat, elaborabat ipsum ab imperio perturbare, filiumque suum Hainricum Regem, concitatis ad hoc Principibus Alemanniæ quibusdam præcipuis, ac maioribus, Episcopis, Archiepiscopis, ac Baronibus in hoc assentientibus. Horum præcipue Dux Bavariæ præbuit assensum & consilium palliatione fallaciæ, quam erga Regem tunc temporis habuisse visus est. Videns ergo Dux circumspectum Abbatis animum circa Regis negotia inconvulsum, verbis eum vulminare attempt bat opprobriosis. Ipse vero debile amaritudinis ipsum olliciens iocose, licet melleis verbis ac sophismatibus mellitis, à se repellebat. Nā cum de habitu monachali objicere sib attemptasset, taliter sibi fertur respondisse: Dum in aula sumus Princeps, & principaliter e itimur, & principali habitu comparere debemus, ne deformitas habitus Regis ac Principum oculos offendat. Nam & ex verbis Domini sonuit in auribus Judæorum, quod *qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*. Sic & Beat. Ambrosius, *cum fuit Romæ ieiunavit ut Romanus Sabbatho: Mediolani cum fuit, carnes Sabbatho manducavit*. Huius itaque consilio Ducis & aliorum (ut creditur) Principum Romanus Pontifex Cardinalem misit ad machinationem discordiæ ac perturbationis in Regem & Principes, & qui excommunicationem à Papa factam manifestaret intendens, qui sic levius ad electionem Regis novi consentiret perturbato patre ac filio.

Caput XVII.

Fuit interim, dum hæc aguntur, civitas Argentina extra Principis gratiam, consentiente suo Pontifice. Unde Rex permotus omnia ipsis obcluserat itinera Rheno, mari terraque, damnumque maximum in mercibus vendendis & emendis accipiebant. Volentes igitur Regis impetrare gratiam, non concesso eis loco, Cardinalem intra civitatem receperunt, sibique in omnibus obedire temperavere. Rex itaque Cardinalem illum cum haberet suspectum, omnia sibi de civitate exire volenti obcluserat non minus intinera. Sculte tus enim de Hagenovve, Argentinæ civitati non parum infestus, frequenter in aula Regis pessima percantabat gallicina. Fama igitur omni laude sonora dulcior dum in aula insonuit de invictissimi Augusti de Ultramarinis partibus postliminio reditu felicissimo, Rex nimio elatus gaudio cum suis, sui vero æmuli perterriti stabant & timidi, Post discessum igitur Cardinalis à civitate Argentina, pacato aliquantum Regis animo Argentinam veniens paci reformandæ cum dedisset operam, dato argento non modico, ipso venerabili mediante Abbate, ipsius recuperaverunt gratiam. Rogatus itaque Abbas à Burgensibus post maximas gratiarum actiones pro reconciliatione Regis CC. marcas argenti recepit ab ipsis.

Caput XVIII.

Reconciliato Imperatori igitur Romano Pontifice, cum didicisset pro certo conspirationis factæ contra ipsum Ducem Bavariæ caput caudamque refrenantem, misso sicario violentissimo, qui suam vitam pro morte Ducis non timeret opponere, ipsum prout male gesserat pugione fecit occidi. Sicque iniquitas, quam perpetraverat, in caput ipsius est reversa,

Caput XIX.

Pacato Rege cunctisque regni Principibus, ab Imperatore apud Ravennam Aquilegiæ, ipsis cum occurrisset, salutatis prout decuit Principibus, speciali quadam dignitatis familiaritate Dominum Abbatem nostrum salutavit, & viciniorem cæteris Palatio regali mansionem dari sibi præcepit, ipsumque imperialibus redeuntem honorificavit donis. Mortuo Duce Austrasiorum, serenissimo Regis gloriosi socero, rogatus Abbas venerandus à Rege, ut pro pecunia sponsalitia sibi ab Duce iam defuncto promissa fines Austriæ attemptaret, viam aggressus est non sine grandi sollicitudine. Propter occisionem namque Ducis Bavariæ tam infantem grave fuit satis alicui Alemannorum fines terræ illius intrare: quia nemo de se præsumebant se ducere tanto viro tam improviso iugulato. Aggressus viam prospere in omnibus se agebat divina favente misericordia, æmulis suis, quos in aula habebat, aliter sperantibus. Mandaverant hi clanculo quibusdam terræ ipsius Magnatibus adventum ipsius in Austriæ fines non pacem portantis sed pacem fingentis, & affirmātes

quia ficarios Principum terræ illius interfectores in suo haberet comitatu. O livor edax, qui in tuos peius grassaris, & in vicinos malitiæ tuæ venena diffundis! Tu vero mus in pera, quia conradis te habentem, nec sine damno tui litescis possessoris. O livor, tu ignis in gremio, dum non excuteris, habentem te perimis, excussus viciniora lambendo consumis. Sed

Sui Deus est scutum, vehit hunc per devia tutum.

Huius auxilio protectus non solum, sed & optime, prout decuit Principem Regis (ut ita dicam) crissarium, susceptus est ac aliquanto tempore honorifice habitus. Nescivit tamen dolum liventium æmulorum suorum. Quo audito non sine timore repedavit, assumpto ducatu potentissimorum, quia confinia terræ illius sub suo habebant dominio. Reversus ad Palatium benignissime hilarique vultu receptus est.

CAPUT XX.

REX vero frequentissima non parvipendens obsequia Cuonradi Abbatis suorumque antecessorum loci huius Abbatum, donavit ecclesiæ curtem ad Crelarum cum omnibus suis appendiciis, cum familia multa, cum palmis, alpibus, & pascuis, pro suæ remedio animæ, faciens testamentum donationis sigillo roboratum imperiali, quod donatio ista maneat inconvulsa in perpetuum. Dicant in monasterio residentes desides, si meminerunt suo umquam tempore tanta ecclesiæ conquisita prædia. Ecce Tockenburg & Wilo: ecce prænominata villa sub Abbate Counrado conquisita. Sed tu forte qui satius creperum dicis, quia in monasterio sedulus magis esse debuerat. Verum quidem dicis, sed ecclesiæ magis istud expedit. Martha certe conquesta est Domino de sorore Maria, quod non eam adiuverit in ministerio, Dominus partem Marthæ bonam, Mariæ affirmabat optimam. Martha, si non ministrasset, non ibi Christus recubuisset. Maria nisi pedes Domini lavisset, nisi pedibus eius assedisset, Dominus pro ipsa nequaquam respondisset. Cesset ergo murmuratio, ne sit in Aula Christi perturbatio. Nam

Non bene conveniunt nec in una sede morantur

maiestas imperii & amor contemplationis. Maiestas imperii semper sit negociis occupata amor contemplationis in vita tenendus theorica. Othmarum contemplativa ditavit prædiis activa coronavit, dum de his delicuit contra invasores habendis. Cyclopum est naturale uno subiectam rerum materiam oculo lusco perspectare, astantibus inquietudinem pulsandi infligere, obmissaque lance rectitudinis trutinam semper sequantur detractiones. Sed tu Cyclops cum oculo iniquitatis dicas, quando ecclesia B. Galli tam fuerit celebris, tam famosa, sicut temporibus Counradi Abbatis, cui tu forte detrahere conaris. Non Alemanniæ hanc sinus comprehendit solus, sed totius Europæ servitus hoc habet expertum, quod sit colendus quam reverendus ecclesiæ B. Galli Abba & Dominus. Novit hæc Italia, Saxonia experta est & Fresia. Dicat qui audierit regni negotia, coram stantibus Archiepiscopus, Ducibus, aliis Principibus, in conclavi ab Abbate S. Galli trutinari quod foris in aula debebat annunciari. Multis namque donariis tam à Rege quam à Principibus honoratus, sicut gratus accepit, sic gratis expostulantibus honeste condonavit. Sed qui dicunt nihil hoc suæ præstare ecclesiæ, falluntur. Nam iuxta verba Poetæ:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Versus Ovid. Donis & muneribus Numina placentur. Qui quamvis largus sit & profusus, numquam promptuaria suorum antecessorum vino, frumento, aliisque sumptui profuturis adeo plena fuerunt.

CAPUT XXI.

CARDINALIS, cuius prius fuit habita mentio, concilium in Maguntia, civitate habiturus Comprovinciales citaverat Episcopos & Abbates & diversi ordinis Clericos, si non Abbas consilio suo cum Rege habito id irritasset. Præcepit enim Rex, ne quis in regno suo præter Episcopos, quorum id erat officii, concilia celebraret: aliud faciens gratia sua careret. Disposuerat namque præfatus Alemanniam datis quibusdam edictis spoliare. Videns vero quia non, sicut disposuerat, haberet processum, ad securitatem sui acceptu ducatu pacis Abbate Sanct. Galli Duce & Comite Ratisponam venit cum pace, ubi Abbas pontificalibus ab ipso acceptis, anulo scilicet & infula, repedavit ad Regem. Dederat itaque Abbati ei XL. argenti marcas. Visitatores etiam per diversas missos ecclesias, cum multos perturbassent tam Abbates quam Monachos, immo etiam plebanos & clericos minoris ordinis, cohibuit, ne ad monasterium venientes suos perturbarent fratres, non hoc sine summi Pontificis obtinuit permissione. Audivit enim qualiter in nobili ecclesia Augiensi processerant, & quemadmodum fratres ipsius perturbaverunt monasterii. Cum adhuc sit in dubio, utrumne nobis sicut aliis infligant ecclesiis. Consulo itaque ut simus cautiores in disciplina & moribus & honesta conversatione, quia ut ait quidam Sapiens:

Virgil. 2. Aeneid. *Res tua nunc agitur paries cum proximus ardet.*

Fuit

Fuit insuper sæpe dictus Abbas in suorum specialium amicorum negotiis satis accommodus, quod in Werra cuiusdam sui affinis comprobavit in pago Curiensi, cui quindecim diebus ibidem cum gravi manu militum contulit auxilium. Sic etiam plerisque tam parentibus quam affinibus subvenire sibi non fuit pigrum.

Caput XXII.

Rogatus à Rege venerabilis Abbas, ut ad patrem suum Principem Principum, sicut supra retulimus, venisset, tertianas propter aeris inæqualitatem die passus quodam Palatio interesse non potuisset. Rex erga ipsum benivolentissimus iocosa quædam, non sine compassione tamen erga fidissimum sibi amicum, verba eructavit in hunc modum: Domine Abbas, necessariam adinveni vestræ infirmitati medicinam. Accipiatis pro antidoto quadringentas argenti marcas. Credo enim, quia receptatione talis potitii à tertianis febribus poteritis continuo liberari.

Cætera desunt in omnibus, quæ in manus nostras venere, exemplaribus: uno excepto, quod asservatur in monasterio S. Galli.

CVNRADI DE FABARIA PRESBYTERI S. OTHMARI CATALOGUS

ABBATVM QVI PRÆFVERVNT MONASTERIO S. GALLI.

Domnus Othmarus annis XL.
Johannes ann. XXI.
Raudpertus anno uno (*al. Ruopertus, Rautpertus, Raupertus, Rauhertus.*)
VVerdo uno anno & dimidio.
VVerdo annis XXXV.
VVolfleoz ann. IIII. (*al. VVolfleor, VVolfleos.*)
Gozpertus ann. XXVII. (*al. Gorpertus.*)
Bernvvicus ann. IV. (*al. Bernvvicus.*)
Grimaldus ann. XXXI. (*al. Crimaldus.*)
Hartmotus ann. XII. & dimidio.
Bernhardus ann. VII.
Salomon Episcopus ann. XXX. & dimidio.
Hartmannus ann III. & mensib. IV. (*al. mens. III.*)
Engilbertus ann. VIII. mens. II. hebdomadib. III & dieb. IV. (*al. annis IX.*)
Thieto an. VIIII. mens. VII. & dieb IV. (*al. Dietho, Thieto.*)
Cralo ann. XVI. mensib. VIIII. (*al. Gralo, Craloh.*)
Anno uno anno, mensib. II. & dieb. VIII.
Burchardus ann. XIII. hebdomadib. II. *al Purchardus, Burkardus, Burckardus.*)
Notkerus ann. IIII. mens. VI. hebdomadib. IV.
Ymmo ann. VIII. mensib. VIIII. hebdomadib. II.
Vodalricus ann. V. hebdomadib. VIII (*al. Vlricus.*)
Gerhardus ann. XI. *al. Kerhardus.*)
Burchardus ann. XXI. (*al. Purch. Burkar. Burckhar.*)
Thietpaldus ann. XI. & mensib. IV. (*al. Dietp. Thiep. Tiep.*)
Nortpertus ann. XXXVIII. (*al. Northpert. Notpert.*)
Vodalricus ann. V. (*al. Dadalricus, Volricus.*
Vodalricus Patriarcha ann. XLVI. & mensib. III. (*al. annis XLI.*)
Manegoldus ann. XI. mensib. IIII. hebdomadib. II & dieb. IV.
VVerinherus ann. XXXVIII. mens. II. & hebdomadibus II. (*al. VVernherus ann. XXXVIII. mens. II. dieb. V.*)
Vodalricus ann. XXXII. hebdomadib. XX. & dieb. IV.
Voldaricus XLVIII. hebdomadib. IV. & uno die.
Heinricus annis IV. hebdomadib. XLVIII. diebus IV.
Vodalricus annis XV. hebdomadib. XL. (*al. annis XII.*)
Ruodolfus Episcopus & Abbas annis VII.
Conradus ann. XIII. hebdomadibus X. diebus II. (*al. cuonradus.*)
VValtherus ann. IV. hebdomadibus XLVIII. *al. septimanis XLVIII. al. hebdomad. XXXVIIII.*

Bertholdus annis XXVII. menſ. VI. hebdomadibus II. & diebus II. (*al. ann. XXVII. & dimidio & diebus.*)

Hactenus Cunradus: in uno exemplari ſequuntur.

Vodalricus annis III. menſ. VIII.
Ruomo annis V. minus X. hebdomadibus.
Willhelmus annis XX. minus VII. hebdomadib.
Hainricus annis XVII. menſ. VIIII.
Hilteboldus annis XI. hebdomad. XVIII. diebus IIII.
Ruodolfus Epiſcopus Conſtantienſis fuit gubernator monaſterii noſtri IIII. annis.
Hermannus annis XXVIII. menſ. V.
Georgius annis XIX.
Cuno annis XXXII. menſ. VI. dieb. XIX.
Hainricus annis VII. cum dimidio.
Cunradus gubernator X. menſ.
Hainricus annis VII. & fere VI. menſ.
Eglolfus annis XVI.

OFFICIALES DOMINI MONASTERII S. GALLI.

Ex veteri membrana.

HI quatuor Domini miniſtrant Abbati, cum Princeps creatur in aula Imperatoris.
Dux Sveviæ eſt Dapifer monaſterii, cujus vices gerunt milites de Bichellee.
Comes de Hochenberg eſt Pincerna, cujus vices gerunt milites dicti Schencken de Landegg.
Dominus de Zorn eſt Mareſcalcus, cujus vices gerunt milites dicti Marſchalken de Mamertzhofen.
Dominus de Regenſperg eſt Camerarius, cujus vices gerunt milites dicti Gielen de Glatburg.

BERTHOLDI MONACHI ANNOTATIO

DE ABBATIBUS MONASTERII S. GALLI.

Ex eadem membrana.



ANno ab incarnatione Domini MCCXCIX. II. Non. Febr. Vodalricus Abbas S. Galli huius nominis quartus abatiam reſignavit. Eadem die electus eſt Vodalricus Præpoſitus natione de Veringen, qui eandem rexit XLIX. hebdomadas & unum diem, & obiit XVIII. KAL. FEB.
Cui ſucceſſit Heinricus Præpoſitus ſexta decima Kalen. Februar. qui eidem præfuit IIII. ann. & XLVIII. hebdomadis trib. diebus mortuus eſt.
Cui ſucceſſit in abbatiam Volricus Portenarius, XV. KAL. Januar. & rexit eam laudabiliter annis XV. & hebdomadib. XL. & mortuus eſt VIII. KAL. Octobr.
Succedente ſibi in abbatiam Ruodolfo Præpoſito & Decano, qui præfuit eidem annis VII. & obiit XIIII. KAL. Octobr.
Cui ſubſtitutus eſt Counradus Præpoſitus, regens & gubernans ipſam abbatiam potentiſſime per ann. XIII. hebdomadas X. & duos dies, & mortuus eſt XIII. KAL. Jan.
Poſt hunc electus eſt in diſcordia tam fratrum quam miniſterialium eccleſiæ Waltherus Decanus operis, & tenuit ipſam abbatiam tum in diſcordia tum poſt ſedatam diſcordiam ann. IIII. & hebdomadib. XLVIII. & tranſivit ad ordinem Prædicatorum in Conſtantia, anno domini MCCLXIIII. indict. III. VIII. KAL. Decembr.
Huic ſucceſſit Bertholdus Portenarius in feſto S. Katherinæ à fratribus concorditer electus, qui præfuit laudabiliter gubernans ann. XXVII. menſib. VI. hebdomadib. II. & dieb. II.
Poſt hunc electi ſunt duo, Volricus de Giutingen & Hainricus de Wartinberg cum magna diſcordia Dominorum ſcilicet Conventualium, miniſterialium & civium: attamen ipſe Volricus tandem ipſum principatum gubernans annis quatuor, menſibus VIII.

CÆTERA DESUNT.

JOACHI-

IOACHIMI VADIANI CHRONOLOGIA

ABBATUM MONASTERII S. GALLI.

CUM NOTATIONIBUS EX VETT. MEMBRANIS

ANNO DOMINI.

DCXIIII. Beatus Gallus hanc heremum inhabitare cœpit.

DCCXX. Othmarus primus Abbas præfuit annos XXXVIII. menſ. VIIII.

DCCLVIII. Johannes, Abbas Augiæ & Epiſcopus Conſtantienſis, annos XXI. menſ. VI. dies XXI.

DCCLXXVIII. Rautpertus annum I. menſ. V. dies XXX. ♁. III. Kal. Maii.

DCCLXXIX. Waldo annum unum & dimidium, dies V. ♁. III. Kal. April.

DCCLXXXI. Werdo ab Eginone Epiſcopo electus, annos XXX. menſ. X. dies XV. ♁. in fine Martii.

DCCCXI. Wolfleotz, Eginonis ſucceſſor in epiſcopatu Conſtantienſi, annos IV. menſ. XI. dies XIII. *Iſte VVolfleos reſignata abbatia factus Epiſcopus Conſtantienſis dedicavit hanc eccleſiam in honore Dei Genitricis Mariæ & B. Galli, & tranſtulit corpus ipſius in aram ubi in hodiernum diem requieſcit & curatus à podagra per ipſius merita.* Hæc in vet. membrana,

DCCCXVI. Gozpertus annos XXI, menſ. X. dies II. ♁. IIII. Non. April. *Ad huius petitionem VValafridus vitam S. Gall & Othmari ſcripſit.* Ex vet. cod.

DCCCXXXVI. Bernvvigus annos V. menſ. IX. dies XIX. tempore Ludovici Imperatoris & Ludovici Regis ♁. VI. Eidus Decembris.

DCCCXLI. Grimaldus annos XXXI. menſ. XI. dies XI. ♁. Eidibus Iuniis.

DCCCLXXII. Hartmoutus annos XII. & dimidium, dies XXIX. ♁. X. Kalend. Februar.

DCCCLXXXIIII. Bernhardus, Hartmuoto reſignante, ann. VII. menſ. IX diem unum, tempore Arnolphi Imperatoris. ♁. V. Eidus Iunias.

DCCCXCI. Salomon de Ramſchvvag annos XXX. menſ. VIII. dies XX. ♁. Nonis Januarii in vigilia S. Stephanii, in Divos relatus.

DCCCXXI. Hartmannus, antea Decanus, annos III. menſ. X. dies XIX. ♁. II. Kal. Octobris.

DCCCCXXIIII. Engilbertus annos IX. menſ. XI. dies XIV. tempore Lotharii Imperatoris ♁. Eid. Augusti.

DCCCCXXXIII. Thietto annos IX. menſ. VII. dies IIII. ♁. VIII. Eidus Aprilis.

DCCCCXLII. Gralo ann. XV. menſ. IX. dies XV. ♁. IIII. Kal. Martias. Aliqua Chronica Thiethonem Craloni poſtponunt.

DCCCCLVIII. Anno annum I. menſ. II. dies XVI. ♁. Kalend. Decemb.

DCCCCLIX Purkardus primus de Buochorn annos XIII. menſ. VIII. hebdomadas IIII. ♁. XVI. Kalend. Auguſt. Legitur hic Abbas fuiſſe DCCCCLVIII. anno in Chron. Hepidanni. propterea expende numerum.

DCCCCLXXIII. Notkerus annos IIII. menſ. VIII. dies X. ♁. XVIII. Kal. Jan.

DCCCCLXXXII. Ymmo annos VIII. menſ. IX. dies XIV. ♁. IV. Kal. Novembr.

DCCCCXC Vlricus primus annos V. hebdom. VIII. dies V.

DCCCCXCVI Kerhardus ſive Gerhardus annos XI. & dimidium. ♁. XI. Kal. Jun.

MVII. Purkhardus II. annos XX. menſ. VII. dies XIX. ♁. XVI. Kal. Auguſti, ſunt qui ſcribant, V. Eidus Auguſti.

MXXVIII. Thietpaldus annos XI. menſ. VIII. dies XI. ♁. VII. Eidus Januar.

MXL. Notpertus de Stafile annos XXXV. menſ IX. Alii ponunt regimis eius ann. XXXVII. & duos menſes, alii annos XXXVIII. *Iſte reſignavit abbatiam, & primus inter Abbates anniverſarium ſuum inſtituit.* ex vet. cod. ♁ IIII. Non. Septembr.

MLXXI. Vlricus II. annos V. menſ. IIII dies XXVIII. ♁. VI. Kal. Febr.

MLXXVI. Vlricus III. Patriarcha Aquilegienſis, annos XLVI. menſ. III. *Iſte apportavit reliquias S. Fidis, & eccleſiam eius conſtruxit, & optime dotavit.* ex vet. cod. ♁. IIII. Non. April. Alii ſcribunt, Eidibus Decemb.

MCXVII. Manegoldus de Botenſtein, prius Decanus, annos XI. menſ. XI. dies XII. *Habuit fratrem in Augia Abbatem nomine Ruodolfum.* ex vet. cod. ♁ Kal. Maiis.

MCXXVIII. Wernherus seu VVeringarius annos XXXVIII. mens. IX. dies XIV. *Iste fundavit ecclesiam S. Leonhardi & optime dotavit*, ex vet. cod. ℴ. pridie Nonas Julias.
MCXVII. Vlricus IIII. de Tegerfeldt Episcopus Curiensis annos XXXIII. hebdomad. XX. dies IIII. *Iste resignavit abbatiam, & episcopium*, ex vet. lib. ℴ. pridie Eidus Aprilis.
MCXCIX. Ulricus V. de Veringen XLIX. hebdomadas, & unum diem. ℴ. XVIII. Kalendar. Febr.
MCC. Hainricus primus de Klingen annos IV. hebdomad. XLIX. dies XIIII. ℴ. XVII Kal. Ianuarii.
MCCIIII. Vlricus VI. de Saxo annos XV. hebdomadas XL. ℴ. Kalend. Octobr.
MCCXIX. Rudolfus primus de Giutingen Episcopus Curiensis annos VII. præter VI. dies ℴ. XIII. Kalend. Octob.
MCCXXVI. Cunradus de Bussenanc annos XIII. mens. X. & dies XII. ℴ. XIII. Kalend. Ianuarii.
MCCXXXIX. Waltherus de Druthpurg annos IV. mens. X. dies XLVIII. *Hic iuit ad prædicatores constantiæ*. vet. cod.
MCCXLIV. Bertholdus de Valkenstein annos XXVII. mens. X. dies XXVII. *Sub hoc Iutliberga arx destruitur*. ℴ. anno Domini 1272. IIII. Eidus Junii.
MCCLXXI. Ulricus VII. de Giutingen annos IIII. mens. X. hebdomad. IIII. dies IIII. ℴ. XIII. Kalend. Martii. Alii ponunt XV. Kalend. Mart. In aliquibus Chronicis variatur numerus anni. Ego in antiquis litteris inveni Berchtoldum Abbatem fuisse anno 1268. in aliis eum adhuc vixisse anno 1271. Quomodo igitur Vlricus iste potuit eo anno esse electus? Vide quæ diximus in descriptione Turgoviæ.
MCCLXXV. Ruomo de Ramstain annos V. minus X. hebdomadibus. *Sub Berchtoldo fuit Camerarius ordinis, dein Custos, tandem Præpositus & Decanus. Fratres habuit Cunradum & Rudolfum, sororem Offemiam de VVildenstain*. ℴ. XIII. Kal. Septemb.
MCCLXXIX. Wilhelmus de Monteforti annos XX. minus VII. hebdomadibus. *Sub eo floruit Fridericus LXII. Comes de Toggenburg*. ℴ. III. Eidus Octobr.
MCCXCIX. Hainricus II. de Ramstain annos XVII. mens. IX. ℴ. XI. Kal. Augusti, anno 1318. Observa ergo numeros, qui sunt emendandi.
al. VVerdenstein. MCCCXVII. Hiltipoldus de * Werstain annos XI. hebdomad. XVIII. dies XIV. ℴ. pridie Eidus Decemb.
MCCCXXVIII. Rudolfus II. de Monteforte Episcopus Constantiensis annos IV. mens. V. dies III. Aliqua Chronica habent 1333. *sub Abbate Ruodolfo*.
MCCCXXXII. Hermannus de Bonstetten annos XXVIII. mens. V. ℴ. X. Kal. Sept.
MCCCLX. Georgius de wildenstain annos XIX. mens. VII. dies XXVIII. sub Karolo IV. Imp. ℴ. pridie Kalend. Aprilis.
MCCCLXXIX. Cuno de Stoufeen annos XXXII. mens. VI. dies XIX. sub Sigismundo Imp. ℴ. XIV. Kal. Novemb.
Mangisdorf. MCCCCXI. Hainricus III. de Gundelfingen annos VII. & dimidium, dies II.
MCCCCXVIII. Hainricus de * Mansdorf cognomento de Mysnia annos VII. mens. VI. dies XIX. ℴ. Eidibus Septemb.
MCCCCXXV. Eglolfus Blarer annos XVII. mens. III. alii numerant regiminis eius annos XXXVII. Legitur enim adhuc vixisse anno 1438. sub Rege Alberto. ℴ. XIII. Kalend. Junii.
MCCCCXLII. Casparus de Breytenlandenberg annos XXI. hebdomad. III. minus V. diebus.
MCCCCLXIII. Vlricus VIII. dictus Rösch de VVangen ex Algovia annos XXVIII. minus sex hebdomatibus.
MCCCCXCI. Gothardus Giel de Glatburg annos XIII. hebdomadas IV. dies II.
MDIV. Franciscus Geisberger de Constantia annos XXV. minus XIII. diebus.
MDXXIX. Kilianus Germanus cognominatus Koufi annum I. mens. IV.
MDXXX. Diethelmus Blarer, vivit etiamnum.

FINIS.

EPHE-

EPHEMERIDES MONASTERII S. GALLI.

MS. *Iste liber est S. Galli, & Dominus de Tiufburg scripsit istum librum, An. Domini. 1271.*

IANVARIVS.



KL. Otprehtus * Dapifer & Adilheidis de Hagenvville coniunx eius obierunt: quorum anniversarius celebratur de Vrimanhusin & Niderwviller. Item obiit Liutkarda de Adilnswviller.

III. NO. Obiit Elsbetun de Valkenstein.

NONAS. Obiit Diethelmus miles de Tunrtun in Swvendi. item Waltherus de Kilcheim, cujus anima sit in pace. *De Singenberg.

VIII. I.D. Obiit Burkhardus miles de * Wazirburch, & Cuonradus Widarius. *al. Rilch.

VII. Hirburc de Scafrolfisheim obiit. *al. Wasfirborc.

VI. Heinricus de Cheltinholz obiit, & Trutman de Rodesheim professus est.

V. Migrauit Hludouuicus Abbas.

IIII. Obitus Liutheri Decani, & Burkhardi Præpositi, & Ruodolfi de Hagenvviler, cuius anniversarius fit de decima in Muola. ex Comitibus de Mōtfort.

III. Obiit Cuonrat de Wilre, & Cuonrat Dinchilspuole professus est.

IDUS. Obitus Landerici Decani, cuius anniversarius fit de Kapfe, quod habet Christanus * Alderebole. * al. an dem Bole.

XVIIII. Kal. ø. Adilhartus de Altstetin.

XVI. ø. Hainricus * Molendinator Presbyter, de domo quæ est proxima portæ versus torrentem. Est & obitus Hainrici Riter militis, * de Scarbenshoue: Müller. *al. Scarbannes-houe.

XV. Priscæ Virginis, Romæ Cathedra Petri. * Deccoli fratris S. Galli. *al. Vecoli.

XIIII. ø. Volricus Dapifer, & Cuonradus de * Tuselinger subdiaconus. *al: Tusiligin.

X. ø. Iunta. cuius ann. fit de decima vf dem Bole in superiori Berge, & de ortis iuxta capellam Sotorum apud S. Magnum.

VIIII. ø. Hartnidus * Monachus & Præpositus, cuius ann. fit de Varna. Item Virgine, de Wiere. *al. H de Varna Abbatis.

VIII. ø. Hainricus Wespinus. de Velde & de Ramsowve. item Albertus Schnwvorlinus, cuius ann. facit Ger. Blarrarius de domibus & pomario in dim Bruole.

VI. ø. Adilhaidis de Hagenvville, de decima in Muola. Defectio Lunæ facta est statim post Solis occasum.

IIII. ø. Hainricus Marscalcus de Valchinstein, de Musline.

II. KAL. ø. Cuonrat Bdæ, soror Rikiza, mater Suselini, vxor Cuonradi ab din Orte, Honora Huenlin, & filius eius Crittan, & uxor Marquardi Stulem.

FEBRVARIVS.

KAL. ø. Gerungus * Monatarius, cuius anniversarius fit de curia Gruonavv. Et * Bertun de fonte S. Galli, de prædio apud Apwviler. Et Manegoldus Decanus & Ortilebus. Müntzer. *al Bertā.

IIII. N. ø. Liutoldus de Chreigin Monachus & Decanus

III. ø. Waltherus miles de Altstetin. item Mehtildis de Rosenberc, de Ruokiswviller.

II. Ansker Archiepiscopus obiit.

NONAS. ø. Gerhardus, & Chuonradus Gielo miles de Glatteburc, de Vfhwviller. Item Volricus Spisarius, cuius anniversarium fratres sui Iohannes, Ruodolfus & Peregrinus expedire promiserunt.

VIII. ID. ø. Hainricus de Sax Decanus. Iste Decanus turrim nouam, & capellam S. Mariæ, Iohannis, Oswvaldi, funditus construxit, & præterea quatuor servitia instituit, in anniversario videlicet suo, in dedicatione S. Galli, in festo Oswvaldi, & Thomæ Matyris, & tres villicatus redemit, quos Cellario deputauit. Item ø. Mahtildis * Schiline in domo iuxta Vadam ante Kaminatas. *al. Scilline. nunc Zilin.

VII. ø. Dietricus de Altstetin Clericus, de molendino in Capilla. Est & obitus Wernheri de * Wiltberc subdiaconi. *al. Wilperth.

VI. ø. Henricus de Glat Subdiaconus, de domo iuxta Vadam ante Kemnatos. Et est obitus Alberti Goldasti militis, de Gotichouen. *al. Fuller.

V. ø. Waltherus Voli, de inferiori Curia Strubincelle, quam habet Hugo Voli. Item Egilolfus * Fullarius, de monte suo: & H. laicus, de Schœnenbuel.

IIII. ø. Wodalricus Huobit miles de Berge, de manso qni dicitur Widinhuobe in inferiori Berge. Burchardus de Wilere miles altera parte lacus. Wolricus * Occellus, qui fuit occisus, de quodam prædio super monte qui dicitur Elpirsberc Vüglin.

III. ø. Volricus Cnullin, de inferiori Curia in Kollicon.

II. ø. Albertus de Valkinstein miles, de bono an dir Egge.

IDUS. ø. Hermannus Presbyter de Buochorn, de Welnriuti. Ruodolfus Marscalcus, de Gezutvville.

XVI Kal. θ. Elisabeth Widame.
XV. Vodalricus Abbas obiit; & Counradus miles de Glatteburch, in cuius anniversario datur vinum, pisces, c. seus, & minor leibunculus de Oenkishouen quod reddit VI. modios tritici, & XII. solidos. Insuper de bono in Durstoudilon, quod pertinet ad Sanct. Fidem, de eodem anniversario dantur VI. denarii, ad unamquamque istarum sex capellarum, videlicet S. Mariæ, S. Sepulchri, S. Petri, S. Johannis, S. Jacobi, & S. Osvvaldi. De eodem etiam bono in Durstoudilon dantur VI. denarii ad hospitale fratrum, ad hospitale infirmorum VI. denn. inclusis omnibus VI. denn. leprosis etiam VI. denn. Eodem die obiit Volricus de Giuting Monachus.
XIIII θ. Volricus Capifer de Singinberch, de Frimanshusin & * Einsvviller. *al. Nidirvviler.
XIII. θ. Hugo Mersvvinus, de Steige prope * Rotundum montem, quod habet Johannes * Dispensator. Item Diemon de Korbin miles, de molendino in Cappille. *Romont. Schafner.
XII. θ. Svvikerus Vedirvvush miles de Glatiburg, de Linnachin, quod curiæ Jonsvviler attinet. Et Egilolfus Shrodils, de Riuti supra Waldiu, quod habet Burcardus.
XI. θ. Bertholdus * Mercator, de prædio in Cappille. Kofman.
X Cõmemoratio Waltheri de Landesberc militis, & Dominæ Margaretæ uxoris suæ horum commemoratio fit de Buochun sub castro * Lantsberg. *al. Lantisberc.
IX. Magister Johannes * Scholasticus obiit, & Ruodolfus de VViltberc, cuius anniversarius celebratur de Altegge in XIIII. Ecclesiis & capellis, videlicet S. Mariæ, S. Sepulchri, S. Petri, S. Galli, Othmari, Osvvaldi, Johannis, Laurentii, S. Spiritus, Leonardi, Magni, Jacobi, Fidis, & S. Georgii. Schuoler.
VIII. θ. Ruodolfus de manso in Rorscach.
VII. θ. Adilheidis VVetache, & est commemoratio Volrici Wienahter mariti sui, de domo Marscalci.
VI. θ. Waltherus de Kolinchon; & R. laicus de Rosinberc; & Ruodolfus Blaser, de Edlosvvile.
V. θ. Adilheidis de Schotibuocho, de quadam domo & pomario retro muros, quam habet Wet. de S. Georgio.
IIII. θ. Bertha de Ramsvvag, & victor de Stein.
III. Obitus Birthilonis Comitis, cuius anniversarius agitur per sex dies de Hiutinsville.
II. Waltherus de Rorbach miles in Algouia, de manso in Glasebach.

MARTIVS.

KAL. Obitus Wernheri de Tiufnovve, cuius annivers. fit de Herolzisperch, quod habet R. de Edanesvviller & solvit unam libram. Commemoratio B. Coci.
VI. θ. Volricus de Geizobe, qui contulit vineam Ecclesiæ.
V. θ. Heinricus Pincerna de Glatteburc, de scopoza in Rintal, quæ attinet curiæ Ionsvviller, quæ solvit X. quartalia tritici, * II. modios avenæ mensuræ de Wile, & VIII. sol. Advocatus accipit pullos & ova pro iure suo. *al. V.
III. θ. Vodlgardis de Ramstein laica.
NONAS. Obitus Gebezonis Monachi, qui Abbatem Wernherum nutrivit. Et est obitus Volrici Presbyteri Præbendarii S. Fidis.
VIII. ID. θ. Wolricus Occellus filius Volrici occisi, de quadam domo in civitate supra Lobium, quam habet Lestinus. Est & obitus Itæ, de inferiori curia in * Kolichon. *al. Rollichoven.
VII. Obitus Gerdrudis, de decimis in Waltchilchen, quas habuit Stabeneze.
VI. θ. Counradus de Ramstein, & est commemoratio Ostemiæ de Wildinstein: de quibus dat Camerarius de decima in Gumansvviler. Et est obitus Heinrici de Crumbenovve militis, de Horven Turtal.
V. θ. Obitus Ebirhardi Schoudiers, de domo Schilini.
IIII. Heinricus de Bernanc Presbyter, de domatibus Rufi & domo ad Garterhus.
III. θ. Ludevvicus Fabariensis Abbas; & Egilolfus de Valchinstein miles, de Othfridingin. * Richlin. * Peyer.
II. Obitus Juntæ * Divitis, de ortis retro domum, quos habet Ger. * Pavvarus.
IDUS. θ. Hugonis & Adilheidis, de Brisaugia.
XVII. KAL. θ. Bertha de * Birmoume de Rentvvigislehe. Et Agnetis obitus, de Tiurrinmuli. Et est obitus Wilhelmi Subdiaconi, de domo sua apud domum Wilhelmi Wirdingi. * al. Birboumilin.
XVI θ. Diethelmus de Chregin miles, de decima in Brisaugia. Et Egilolfus de Capella Presbyter, de Rotunde monte. Et Hedivviga de Stoufin, de * Nidervvile & de Urimanshusin. *Einsvviler.
XV. θ. Hainricus de Apvvile, & Williberga eius uxor, de quadam decima in Apvvile.
XIIII. Sebastianus Monetarius obiit.
XIII. Obitus Adilheidis Shatibuochin, de domo sua iuxta domum Voelini in platea versus S. Leonhardum.
XI. Commemoratio Hainrici & Gerdrudis de Bochinbergere, de quadam domo infra portam Gartherhus, quam habet Susilinus.

X. Ber-

X. 6. Berthun * Slnuorli e, de domo & de pomario an dim Broele, quæ habet Ger. Blarrarius. *al. Siturline.
VIIII. 6. Burchar ius de Meplins, de Woltribuhil apud Wangin civitatem. Obitus Hugonis.
VII. Obitus Liutuigç, uxoris Birthilonis Comitis, quæ Crucem magnam patravit.
VI. Obitus Magistri Walcheri Physici, & Osmanni Presbyteri.
V. 6 Rudolf. s de Rorsachmiles, de bono vf dem Buel. Obitus Cleinarii.
III Obitus Bertoldi Givvinnis, de decima sua in manso qui dicitur an dim Wege. Est & obitus C. de Grimminstein militis. Iste dedit curiam Zingeron, quam habet hospitale infirmorum locatam pro tribus fertonibus argenti annuatim. Walto Abbas diem obiit, & Werdo Abbas, & Wal. de S. Fide.
II. 6. Gebirge mater Occelli, de quadam schupoza in Ionsvvile quam habet Peregrinus Dispensator. Est & obitus Ruodolfi de Berge, de curia sua in Berge.

APRILIS.

KAL. 6. Heinricus de Valkenstein miles. Et est commemoratio B. * Coci, de curia an dir Egge. *Küchlmeister.
IIII. N. 6 Hæinricus Presbyter, de decima in Mose apud Sumbri, quam habuit Dives, nunc habet Bumannus.
III. Obitus Erchinberti. Iste instituit in sancto die Paschæ stuopum cum cifo & maiori leibunculo de Eilgovv, ut creditur. Et est obitus Elisabeth & Annæ mercatricum laicarum, de Welnriuti.
II. Hodie dantur II. leibunculi minores de Sacro vicu Abbatis. Et est ob. Heinrici de Eppinb rc militis, de Bruggon prope Schœnenvvegin.
NONAS. 6. Hæinricus Occellus, de monte Elpirsberc, quem habet nunc I. Jugo Voeli.
VIII. Obitus Notkeri, qui sequentias composuit. In cuius anniversario datur minor stuopus de balnea stupa retro muros, & de aliis duabus domibus sibi adiacentibus, & ortis superpositis, quæ pertinent ad ecclesiam S. Petri. Est & obitus Heinrici de Horning Monachi atque Presbyteri, de Otvvisriuti & in dim Tobile.
VII. 6. Iunta de Berge, de Widmhuebe in Berge. Item Guote Mercatrix, de Welnriuti.
VI. 6. Cuonradus Presbyter, de Tornburron. Et Clementum de Arbona, de Buoch apud Wile.
V. 6. Egilolfus de Golda, de Woluirsteige. Est & obitus Magistri Michahelis.
IIII. 6. Gertrudis de Husin, de quibusdam agris in Vrimanshusin.
II. Obitus Wolrici de Tegirvelt venerandi Abbatis, de Willere juxta Hakon. Eodem die anniversarius Lutholdi de Biurron, de Bruggeline & de Buœle prope Amptuncelle.
IDVS. 6. Guotmannus laicus, in huius anniverf. datur alba & minor leibo de molendino in valle Rupium. Et Domina Sophia, de curia an dir Egge.
XVIII. KAL. 6. Bertholdus Occellus, pater Bertholdi & Cuonradi Occellorum, de decimis in Birboumlin & Ionsriuti.
XVI. 6. Volricus Scholasticus, de bono suo an dem Liusibuel. Est ob. Agnetis de Tiurrunmuli.
XV. 6. Adilhæidis de Berge, uxor Domini Ruodolfi, de curia Domini Ruodolfi in superiori Berge, quod & ipse instituit & ministrat Peregrinus Dispensator.
XIIII. Obitus Hermanni Presbyteri de Abbatiscella. In huius anniverf. datur stuopus de balnea stupa retro muros, & de aliis duabus domibus sibi adiacentibus & ortis superpositis, quæ pertinent ad Sanct. Petrum ex donatione ipsius Hermanni. Est & ob. Adilheidis de Nidervilær laicæ, de domo ante Curiam Domini Abbatis, item Cuonradi de Huomlinkon militis.
XIII. Liuto obiit, & Bertholdus cocus. Iste instituit in principio cuiuslibet mensis unum stoupnm de feodo Stegin in Wittobach, ut pro commemoratione ipsius, & Adelheidis uxoris suæ, omniumque parentum suorum in singulis eorundem mensium principiis, mi sa pro defunctis a conventu ad altare publicum celebretur.
VIIII. 6. Heinricus dictus Witbs laicus; & Adilheidis uxor Wilderici, de Gumanlvvile; & Heinricus * Carpentarius, de Schoninloh.
VIII. Judith Augusta apud Turonos diem obiit in Monasterio S. Martini, ubi & corpus eius humatum est. *Wagner.
VII. 6. Wolricus Bolarius de Wiger.
VI. 6. Egilolfus de Rorschbach de Wolbrehtisberge: & Conradus Spisarius, de orto suo iuxta Steina: & Wolbrecht wigant.
V. Beatus Tuotilo obiit.
IIII. 6. Bertholdus mercator, de quadam decima in Hohinvirst & quodam censu in Turbline. Et est commemoratio Ruomonis de Ramstein, & Heilvvigæ, de villicatu in Morinshusen.

III. R-

III. Rautpertus Abbas obiit,& est ob. Volrici & Adilheidis dictæ Schurlezer, de orto versus S. Leonardum, item Counradi militis, de curia an dir Egge.

II. θ. Gerdrudis de Rosinberc, de Geizhaltun, & Ruodolfi de Keptun Clerici, de Hohenvirst.

MAIUS.

KAL. Manegoldus Abbas obiit,& Hermannus Sacerdos ac Presbyter S. Laurentii,& Hug de Tiurinhain monachus.

VI. θ. Adlbertus de Sturzinekke,& Guntrammus de Kisilekke ultra lacum.

V. Vernherus Abbas instituit dari vinum de māso, qui vocatur Huobe in Reitlisovve,& de curia in Berge puerorum quondam Egilolfi militis, quæ permutata fuit pro quodam prædio nostro in Berge Et est obitus Iræ de Lennenberc laicæ, de Hohenvirst.

IV. θ. Ruodolfus & Egilolfus laici de Riedirn.

III. Reginsinda obiit,& est ob. VVinnigebun Vescer.

VIII. ID. θ. Hæinricus de Wurmilingen, de orto qui subiacet domui Shilini,& benedicta de Singinberc uxor Dapiferi, de Ekke infra Blidekke & Singinberc.

VII. θ. Ruodolfus Gielo miles;& Bertholdus de Kisilegge de Imminrieth ultra lacum.

VI. θ. Volricus Urbanus laicus.

IV. θ. Burchardus Pistor, Ruodolfus de Nidirvvile, de Blavviller; Adilheidis de Bussinnanch, de Johivvile.

II. θ. Eigilvvardus de Valkenstein in nigra sylva, de villicatu in Berge.

II. θ. Egilolfus de Rosenberg, de Ruti.

IDUS. θ. Svvikerus de Bernanc, qui concessit vineam Bernanc,& Wolricus de * Leumberc miles, de Svvarzinbach.

* al. Glatiburch.

XVII KAL. θ. Adilheidis, de domo quæ interiacet domui Huobatiæ:& Willehelmus,& est commemoratio Berthæ & Gerdrudis de Glateburch de Hohinvirst.

XVI. Vuoradus obiit.

XV. θ. Ruodeger & Alberich de Endingen.

XIII. Abbas Volricus, Hanricus Decanus, Lutoldus Decanus, Sivridus, Hualricus, Hermannus, Rudolfus de Gutingen, Ludovvicus, Manegoldus, Magister C. Tatzo, Ruodolfus de Gurt. Cunradus de B. Burcardus de Cheilburg, Burcardus de Spigilberc. Gotfridus, Counradus, Rudegerus, Hanricus de H. Ernestus, Bertholdus, Volricus, Waltherus, Hanricus de Vullsi,& Ruodolfus, Wernherus Leprosus, Comitissa IV. fraternitatem oraverunt.

X. Eodem festo dantur pisces, scilicet duo Velchones Domino,& modius tritici,& XV. hami cervisiæ de Albirnberch,& XV. de Rorschach. Et est ob. Elisabeth Occellæ, de decima in Mulinon.

VIII. θ. Adelgolz & uxor eius Engelsint de Fafenhaim.

VI. θ. Heinricus de Griessinberc iunior.

IV. θ. Adalbrecht & Hug de Scaftolfeshaim.

IUNIUS.

KAL. θ. Peregrinus Decanus operis, de monte Martini.

IV. θ. N. Leittholfus obiit.

III. Salomon obiit Episcopus & Abbas.

II. Karolus Archiepiscopus obiit,& Burkardus Abbas.

NONAS. S. Bonifacii Archiepiscopi in Fresonis,& est obitus Burkardi laici, de Riccinbach apud VVile.

VI. ID. θ. Wolrici Buggonis Presbyteri, de Hitinhuobe,& Ruodolfi de Rinegge Advocati, de bono Zit Tannum apud Enzisvviler.

V. θ. Hæinrici Divitis,& est commemoratio Juntun uxoris suæ, de decima in Tiufinbach.

IV. θ. Adilheidis de Creigin, de decima in Tiufinbach. Et est obitus Bertholdi de Valkinstein Abbatis, de villicatu in Marpach, quem ipse sua pecunia comparavit, obiit hoc anno Domini MCCLXXII.

III. θ. Truotvvinus Bleh de Rotvvile,& uxor eius Mathilda.

IDUS. Grimoldus Abbas obiit, cui Hartmuotus Decanus & post Abbas hoc fecit epitaphion;

Hic manet interius divinæ legis amator.
Grimoldus humilis, templum hoc qui condere iussit.

XVII. KAL. θ. Othpretthi laici, de Nidirvvile & de Urimanshusen.

XIII. Eberhardus obiit.

XII. θ. Mehthildis de Eppinberc, de Bruggon * in Schonenvvegin.

* al. apud.

XI. θ. Hermannus de Vivario laicus, de Horriuti: Gerohoh obiit.

X. θ. Wol-

XI. θ. Hermannus de Vivario laicus, de Horriuti: Gerohoh obiit,
X. θ. Wolricus* Havillinus, de Svvendi. *al. Hemmlinus.
VIII. θ. Egilolfi Schrodils, de decima sua Altstetin, quæ modo permutata est pro decima in Gumansvviler.
V.I.θ. Cvvonradi militis de Curia, de curia Wannon in Witobach.
V. Commemoratio Heinrici Blarrarii, de Wiler prope Hakon, & de decima in Arnanc.
III. Eodem die dantur IV. fercula, scilicet carnes, caseus, ova, crucigira, cum vino & maiori leib. de Altstetin. θ. Bertholdus Monachus de Tengin, de Hitinhuobe.

IVLIVS.

IV. NON. Obit. Wolrici Episcopi Augustani. Hic Cellerarius incipit dare ovinas carnes.
II. No. Obitus Wernheri Abbatis.
VII θ. Chuonradus de Rogvvillere, & Ita Goldastine uxor eius, & quorum anniversatio datur de decima in Rogvville.
IV. θ. Wolricus de Goucheim.
III. θ. Cuonradus Ubirlingarius; & Ruodolfus de Ramstein Monachus atque subdiaconus, de decima in Wiere.
XVII KAL. Irmingarda Hludovvici Regis filia & sanctæmonialis obiit.
XVI θ. Guuoton de Curia, de Wannon in Witonbach.
XIII. θ. Marquardus de Ramstein Plebanus de Ulma.
XII. θ. V Volricus de Clatiburch miles, de V Valtinvvile.
XI θ. Theorpoldus Presbyter obiit.
IX. θ. Adilheidis de Burron, de Honberc.
VI. θ. Liutoldus de Glatiburch miles, de Hohinberc, quod adiacet cellæ S. Petri.
V. Præpositus de Argoia dat stoupum & vinum pro piscibus de Mittilnmuchein. θ. Item Dispensatricis, de decima in Gubilin, quam habet Volricus Spiser, & de domibus Zagillini apud S. Magnum, & Berthun Giflariæ, de domibus suis ante domum Buchiline, quam nunc habet C. de Ramsvvag.
IV. θ. Ruodolfus Comes de Raprehtsvviler.
III. Perchtoldus obiit filius Chadalohi Comitis.
II. θ. Hildiburga & Hugo Volinus.

AVGVSTVS.

KAL. θ. Fridericus de Huonvville.
IV. No. θ. Heinricus Pincerna de Landegge, de Bruggelin.
III. θ. Ruodolfus de Urstein miles, de Albirnberge.
II θ. Heinricus de Ramsvvag, de bono an dir Wise in Turtal.
VIII. ID. θ. Juntæ de Glatteburc, de Ufhovin prope Gebratsvviler.
VII. θ. Ruodolfus Spiser, de Niderndorf. Et est obitus Elisabeth Dispensatricis.
VI. θ. Heinricus de Einvviller.
II. θ. Isaac Presbyteri S. Osvvaldi.
IDUS. Obitus willine, de Kollichon in Argoia.
XVI. Kal. θ. Ekihardi Decani, de *Enkinfurt, quod habet Ger. Blarrarius & solvit Cristan Voeli. Et est ob. Heinrici dicti Krumben & Adelheidis sororis suæ, de domo sua iuxta domum Klaynarii ante S. Crucem. *al. Enkinvurt.
XV. θ. Ruuodolfi de Capella, de prædio in Capille. Ob. Adilheidis Scoubine, de domo quondam sua. Vvalahfridus Abbas obiit, vir in divinis & humanis litteris versatissimus.
IX. θ. Bertolfi Abbatis, & Annæ uxoris Mercatoris, de Secki, quod Blarrer.
XIII. θ. Bernardi Abbatis; & Ruodolfi Dispensatoris, de Vœgillinsberc, quod habet Jo. Spiser.
XII. Alberti de Lene, de Rothins.
VI. θ. Ruuodolfi de Arbona militis, & est commemoratio VVernheri patris sui, de Buoch iuxta VVile.
V. θ. Irmingardis de Valkenstein, de Otfridingin.
II. θ. Columbani laici, de domo sua & ortis.

SEPTEMBER.

KAL. θ. Osvvaldi Scovving, de prædio in valle Turbata.
IV. Non. Obitur Nortperti Abbatis. Iste primus inter Abbates anniversarium suum instituit, ordinavitque dari vinum pisces, caseum, ova, & pisa, & maiorem panem de Husin, & die sequenti eadem de Vtivvillere.
II. θ. Heinricus Cocus, de decima in Retinberc, quam habet Blarrer.

VIII.ID.Ex institutione Salomonis Episcopi & Abbatis datur præbenda de Golda fratribu in honorem S:Magni Confessoris. Et est ob. Volrici Spisarii, de decima in Huobe sub Rotundo monte.

VII. θ.Hæinricus de * Einvviller, de Huobe quod adiacet Rosinberch. *al. Anevvsler.

VI θ.Wolrici Gielonis militis, de Ufhovin.

V. θ. Elisabet laica, de decima in Mulimon an dim Wege.

IV. θ.Volricus Dispensator, de domo & vinea Ruodolfi Dispensatoris sita in Bernanc an der Halden.

III. θ. Adilhædidis Dapiferæ & Cvvonradi Gielonis militis, de Ufhovin.

XVIII.KAL.θ.Burchardus de Chisilekke miles. Rihboldus obiit.

XVII, θ.Gerdrudis laicæ, de Ekkolslene.

XV. θ.Itun, de quodam prædio in Rorschach. item Gervvigi Blatrarii.

XIIII. θ. Ruodolfi de Gutingen Abbatis & Episcopi, de Sneolfishouin quod attinet curiæ Jonsvviller. * al. Sneolshovin,

XIII.θ.Ruodolfi de Rorschach, de Geizhaltun, sicut & in anniversario Egilolfi de Rosinberc fratris sui, quod est in Crastino post festum Thomæ Apostoli.

XII.θ.Heinricus de Griessinberc senior, de Eichrein quod attinet curiæ Affoltrang. Gozbaldus Episcopus obiit.

XIII θ.Bertha de Vrstein, de Geitzhaltun. Et ministratur de Gamirtingen quod attinet curiæ Husin, ex institutione Wernheri Abbatis. Cuonradus obiit.

X. θ.Wolrici Abbatis de Sax. de Huobe quod adiacet castro Rosinberge.

VIII.θ.Heinricus Pincera de Glateburc.

VII.θ.Ebirhardus * Pistor, & Methildis uxor sua, de curia Eschans. Item ob. Egilolfus. Occellus, de quatuor maltris decimarum Brandis quod habet Johannes Occellus & Schizingouis. *Beck.

VI.θ.Counrat & Wichart de Tiundelingen.

IV.θ.Egilolfus Occellus, de Buoche quod habet Bolarius. Item Eigilvvardus de Valkenstein miles, de curia an dir Egge. Et Guote dicta * Kuchimaisterin. * Coca.

II. θ. Heinricus * Richillinus; de Volchinsvville quod est Commune Occellorum, & de Buoch, & de domate apud domum Bolarii. Item ob. Cvvonradi Presbyteri de Capella, de domo quam habet Magister Johannes Blarrarius. * Diues.

OCTOBER.

KAL. θ.Stephanus Sollichover; de domo sua extra muros.

VI. Non.θ.Williburgis conversæ, de domo sua retro muros.

V. Hora secunda noctis sequentis ecclypsis facta est anno XXII. regni Hludovici Regis in Orientali Francia θ. Adilheidis de Glatiburch, de Waltin Willere.

IV.θ.Franciscus de Watte.

II.Nidger laicus obiit, & fit administratio de Svvartinberch.

NONAS..Commemoratio Wolrici Patriarchæ & Wolrici Abbatis huius nominis Quarti & Hiltiboldi Plebani S.Fidis. Hic primum dari debet novum vinum à Cellario.

VIII.ID.θ.Cuonradus Camerarius. Iste instituit lumen ante aram S.Othmari omni nocte arsurum, & III.sol.in suo anniversario sacrificandos ad Chorum, ad S. Othmarum, & ad S.Laurentium, de decem sol.in Schorron apud S.Leonhardum, & de redditibus in Sindolstvviller. Item ob. Mehtildis Buchline, de bono des Walchis apud S.Georgium quod habent Pisarii.

VII, Hic Cellarius incipit dare bovinas carnes, & pisces & priscilla de Edilolsvviler quod habent Ramsvvagii. * al. piscella.

VI.θ.Ruodolfus Gielo miles de Vshouin maiori.

IIII.Obitus Wilhelmi Abbatis.

XVII.KAL. θ.Sigiram Goldast miles, & Wolfhart frater eius, de bonis in Hegiu ultra lacum.

XVI. Dedicatio ecclesiæ S.Gallii, quæ fit ex institutione H.Decani de villicatu in Rorschach, & processio ex institutione L. de Glatteburc de bono an dir Steige.

XV.θ.Itun de Arbona, de Buoch iuxta Wile. Et Commemoratio Clementæ.

XIIII.θ. Cuonradus Monachus atque Presbyter, de Butrichsmose.

XI.θ.Frida laica de Tettichouen, de decimis in Haimines.

VIII.θ,Conradus de Ramsvvag. abe dir Wise in Turtal.

VII.θ.Cvvonradus Rufus, de Richinzunvviler, quod habet Wernstein.

IV.θ.C.Widarii, de Mulinon & decima an dem Wege.

NOVEMBER.

KAL. θ. Bertholdus de Oetlineshusen, de Vrimaneshusen,

IV.℘.No.Commemoratio omnium fidelium defunctorum celebratur de fraternitate quæ est ad lapidem.
II.℘.Methildis Clubine,de domibus eius infra portam versus torrentem.
II.℘.Guo um laica de Rinegge,de decima in Granstein & Letthuobe adiacenti.
NONAS.℘.Volricus Lestinus laicus.
VIII.ID.℘ Liutoldi Simprehtis laicus de decima in Granstein &* Letthuobe adiacenti. Item ℘ Cvvonradi * Spizzin,de Strubincelle anteriori curia quam habet Hugo Voli. *al.Leithuobe.
VI ℘.M un de Berge,de Manso qui dicitur Widinhuobe in inferiori Berge.Et est ob.Siginun, de decima in Oberndorf quam habet Pavverus. *al.Spice
III.℘.Volricus Bueler laicus & Gerdrud uxor sua,de quadam decima in Honegge sita in monte qui dicitur Ruggebein.
II Commemoratio Wernheri Crezze & Berthu uxoris suæ, de decima in Tiufinbach.
Idus.℘.Methildis *Ougiline de curia Gruonovv prope Altstetten. Eodem die obiit BW.de Rineg.de quibusdam agris an dem B ldirich & an dem Gern. *Ocella.
XVII.KAL.℘.Wolrici militis de Ramsvvach.de Bleichum.Et est ℘.R vvdolfi de Gossovve, & R.filii sui occisorum,de prædiolo in Albrehtsvviller.
XVI.Othmari Confessoris. Eodem die dantur carnes,pisces,casei,& ova,cum stoupo & maximo leibone,& minore leibunculo de Stamheim,ad unum ferculum dantur cuilibet Domino duo velkones.
XIV.Octava Martini. Eodem die datur ciatus de Eschans pro commemoratione fratrum, quæ fit ad aram S.Benedicti ex institutione Burkardi Præpositi.
XIII.℘.Waltherus de Kisilekke,de Ceissinhouin.
XI.℘. Dominus Lutoldus de Glatteburg Canonicus Constantiensis,à dir Steige.Notingus Episcopus obiit.
X.℘.Hæinricus Occellus & Wolricus filius suus,de Berchu.Item ob. Berthæ conversæ.
VIIII.℘.Liutoldus,de superiori vinea in Vthvvillere, & Wolricus Dapifer,de Frimanhusin, & VVernherus de Arbona miles,de Buoch iuxta VVile. Iste Volricus Dapifer instituit lumen ad S.Michahelem omni nocte arsurum de prædio in Frimanshusin & Niderwviller. Abo obiit.
VI.℘.Berthun,de Steige prope Rotundum montem,quod habet Joh.Spiser. Item ℘.Alberti Abbatis Augiæ iunioris,de villicatu in Mœrishusen.
V.℘.Hælliwigæ,de Stalilhouin & Huob.quod habent * Impletores Volricus & Volricus.Et est ob.Domini VVal.de S.Fide. *Füller id est Fullarii.
III.℘.Egilolfus de Rosenberc,de Brugge,iuxta Herisovve.
II. Andreæ Apostoli.Eodem festo dat Hospitarius X.fercula,scilicet bis carnes,bis pisces,bis caseos,bis ova,duos ciatos,& unum stuopum,maximum leibonem,& minorem leibunculum,& in vespera stuopum,lunulas & oblatas de Linkinvviller. Proxima Dominica post festum Andreæ serviunt Hospitarius & Portarius per VII. dies, & Præpositus de Argoia per alios VI. dies sequentes.Eadem die est obitus Adilheidis * Cleinariæ , de monte Cleinnariæ. Hic Cellerarius incipit dare porcinas carnes. *al.de Rorschach.

DECEMBER.

KAL. Wernkerus de Languinstein in Burgundia miles,de Steinmuli.
III.NON.℘.Hermannus de Husen.
VIII.ID.℘.Hermannus Richilinus,de quodam bono in Oberndorf,quod habet Dispensator, & nunc R.Spiser.
VI.℘ Johannes de Hundunsheim ex Elesaz.
V. Truogo Episcopus obiit.Et est obitus Hermanni Monachi atque Presbyteri de Ottinburron,de Zuozvvillere. Iste instituit stuopum in anniversario Notkeri Magistri Sequentiarum.
IV.℘.Heinricus Vill cus de Berge,de manso in inferiori Berge qui dicitur VVidinhuobe.
IDVS.℘.VVolrici Patriarchæ,de Goucheim.Est & ob.Svvikeri Presbyteri de Gandersvviler, de Hohenvirst.
XVIII.KAL.Liutoldi Advocati,de Bleichun.
XVIII.℘.Notkeri Monachi & Presbyteri,& Waltheri de Svvarzinbach, de quadam decima in Mo e apud Sumbri,quam habuit dives.
XVII.℘.Hæinrici de Klingin Abbatis,de Ionsriuti aliisque reditibus.
XVI.Sedecimis Iani migravit Liuto kalendis.
XV.℘.Iunta de Valkenstein in nigra Silva,de villicatu in Berge.
XIV.VVernherus de Arbona Presbyter,de Hitinbuobe.
XIII.℘.Cvvonradi Abbatis de Busmanch,in cuius anniversario datur vinum,pisces, caseus, minor p nis,de XX.ovibus monetæ.Est & ob.Heinrici Simprethi, de decima in Granstein & Leitu pe adiacenti.
XII.Thomæ Apostoli. Dominus Abbas faciat duas caritates per duos dies sequentes: unam

cum piscibus albeccin II. & cas. & vino, & minori leibunculo: aliam sine vino de processione ad capellas. Obiit * Magister coquinæ.

*Kuchl-meister.

XI. ♁. Egilolfus de Rosinberc, de molendino in Hasela & prædio an dim Sunder.

XII. Eodem die datur stuopus de curia Nephlini in Rorschach, & de decima in Hegu quam habet Gebz de Lindaugia. Est & obitus Rudolfi Dapiferi militis, de Eggon inter Blidegge & Singinberc.

V. ♁. Irmingardæ, de decima in Muola, quam habet Hartm. & Bertholdi Iocularoris, de decima vf dim Bole in superiori Berge, & de ortis iuxta capellam sororum apud S. Magnum.

III. ♁. Svvikkerus de Glatteburg miles, de Zvvozvvile, & Gothofridus, de Chesvvilele.

FINIS.

IOHANNIS GEORGII TIBIANI PANEGYRICON.

SVPER LAVDIBVS ACRONII LACVS IN ALEMANNIA, ET EIVSDEM CIVITATVM



MONTEIS & fluvios, terram, pulchra oppida dicam
Acronii, fieri qua brevitate potest.
Virginis â partu, quem mox dixere beatum
Multi gente, loco, nomine, sorte, lacum.
Delius inspiret mihi si nunc Tullia verba.
Laudibus haut possim condecorare satis.
Acronius λαʹκκος summo nam dignus honore,
Carminibus, Phœbo, Mæoniique lyra.
Hic toto mundo & cœlo notissimus alto,
Cuius præclarum nomen ad astra volat.
Eius terra, eius quoque pars non infima mundi est,
Non solum ob pisces, sed quoque amœna loca.
Circumstant montes, urbes & lustra ferarum,
Perpetuum nomen vivit in urbe suum.
Hic vitreas semper sollers piscator ad undas
Felix plena vago rhetia pisce trahit:
Hic libet undivagos demissis fallere pisces
Rhetibus, hosque simul ducere cum calamo.
Veltiferi hic quoque conspiciuntur pondera mali
Vrbes quæ magnas condecorare solent.
Interdum hoc tumido gyratur navita Ponto,
Quando bibit missum fracta carina fretum;
Tempore sed sudo iuvenes dicuntur ad undas
Navibus & secum Bacchica dona ferunt,
Atque diem lepidis consumunt carmine & odis,
Et Venere & Baccho, nec Ceres ipsa latet.
Parte tamen rapidus qua nunc Sol respicit ortum
Ob varios monteis oppida pauca vides.
Hic & montanis veniunt è fontibus amnes.
Tempore qui æstivo florida prata rigant.
Ad dextra *Liblach* tenui perlucidus unda,
Bregentz & fluvium cernis adire lacum,
Flumine prociduo Acronium nam fertur in altum,
Huic semper multas ipse ministrat aquas.
Nubiferi montes, & saxa minantia cœlo
Cernuntur gelida semper operta nive.
Rhetia cernuntur iuga densis alba pruinis,
Cum Sol Icarei fervet ab ore Canis.
Dantur ab angustis undosi vallibus amnes,
Qui interdum lepidos dant quoque pisciculos.
Hicque vides *Bregentz*, quamvis sint mœnia parva,
Belligeræ tamen hæc gloria gentis erunt,

Hic

Hic populus magni vel gens est sueta laboris,
Summo quæ prompto pectore paret hero.
Dura manus bello, celeberrima gloria gentis,
Est populus veritus semper amore Deum.
Nemo illo maior bello est, nemo acrior armis,
Huic semper populo robora prisca manent.
Gloria Germanæ Germano in littore terræ
Acronii magni perpetuumque decus.
Deinde amnem *Fusach* cernis quoque parte sinistra,
Qui cursu proprio mollia prata rigat.
Cernitur hinc liquidi facies nitissima Rheni
Corniger & flexo gurgite lene fluens:
Fertur in Acronium pulchrum velocibus undis,
Cuius perpetuas auget amœnus aquas.
Fluctisonas citius Rhenus tunc deserit undas,
Atque per æquoreas hic cito fertur aquas.
Post tamen has qua parte lacus hic respicit Austrum,
Helvetii fortes oppida multa tenent.
Gramineam viridi cernis de capite terram,
Floriferi hic colles, pictaque prata virent.
Sunt circum gelidi fontes & mollia prata,
Sunt hic fœcundi rura beata soli.
Pomiferi florent amplis proventibus horti,
Qui Calabrum superant fertilitate penum.
Itur in æterno vestitos gramine campos,
Florida ubi fulgent prata colore suo,
Læta susurrantes saliunt per gramina rivi,
Α῎ερ ... & constans aer ubique bonus.
Helvetios cernis gentem in fera prœlia ferri
A primis annis viribus, arte valet.
Farris terra ferax, pecudum vis, pascua læta,
Sunt circum silvæ non sine fruge bonæ.
Contenti ergo queunt istis traducere vitam
Fructibus, expromit quod humus ipsa libens.
Hinc *Arbor felix* Romanis nota vetustis
Conspicitur, tangens Acronium arce suum.
Hac parte ante alias Princeps *Constantia* magna
Existens culti gloria magna soli,
Fertilis ipsa suas novit Constantia vires,
Accumulatque suas plurima classis opes,
Nobilium sedes pinnatis plurima muris
Arcis ad effigiem condita multa nitent.
Præsulis hic magni venerabilis aula superbit
Divi Conradi munera sancta gerens.
Hinc augusta nitent sacratis munera templis,
Cultaque divino carmine templa sonant.
Hic multi parochi Doctorum turba sophorum,
Multi sunt Medici Theologique simul.
Ordo sacerdotum, iuris proceres lepidi, qui
Iuris nodosi vincula torta secant.
Hos extra muros regit venerabilis Abbas,
Claustrum, quod felix à *Cruce* nomen habet.
Petridomus olim quam condiderat Gebehardus,
Ad Rhenum iacet, & Præsule non minimo.
Hocque loco est felix generosæ fertilis vitæ
Vinea, ubi vires Massica musta ferunt.
Est quoque Theutonico propius brevis insula ponto,
Augia cui maior nomen ab ore datum.
Insula mortiferis minime est infesta venenis,
Qua divus Marcus nunc requiescit humo:
Plenaque pestiferis serpens peregrina venenis
Intraducta perit munere Pyrminii.
Fructibus immensis avidi satiantur amanter
Agricolæ, hic possunt spargere semen humo.

Hic tibi pampineas autumnus porrigit uvas,
Flores odoratis terra benigna rosis.
Insuper Acronius tunc inferior bene notus
Oppida ab occasu plurima læta tenet.
Vrbs antiqua viget *Ratolfi cella* vocata,
Florigeri hic colles, pictaque prata virent,
Hic numerosa iuga & scopulosi vertice colles
Cernuntur longe, maxima saxa quoque
Frugifero munita solo castella videres,
Vdaque perpetuo ut gramine terra viret.
Parte tamen geminas λα'κκ@- qua respicit ursas,
Sunt urbes pulchræ, Bacchica vitis adest.
Sacra urbs Imperii non magna at nota Suevis,
Vberlinga iacet, Podmica stagna secans,
Auspicio quæ felici tam divite crevit
Floruit & nostris inclyta temporibus,
Digna Dea sedes, nitidis nec sordet ab astris
Condita monte bono qui sua saxa cavat:
Multis castellis floret tot & arcibus altis,
Atque situ pulchro mœnia lata nitent.
Egregium splendescit opus nova & ardua turris,
Egregia & Divûm splendida phana nitent.
Martis luce vides quàm frumentaria magna
Pictaque Principibus curia digna viris.
Frondosi collis latebras & saxa capescit
Hæc urbs, & populum hæc nunc habet ipsa pium.
Ocia nulla tenent iuvenes, nec & ocia adulti,
Sunt homines proni & ad pia facta pii.
Hic Domini patriæ, patres, sanctusque senatus
Antiquæ solido stant adamante viæ:
Non hi iusticiam sacrataque dogmata linquunt,
Hi veterum volvunt scripta librosque Patrum,
Qui corda idolis numquam corrupta dedere,
Quique alienigenos non habuere Deos.
Pendula textilibus nectunt umbracula vites,
Vestit pampineas vitis opaca comas.
Hinc *Mersburgum* est urbs Andino digna cothurno
Forti in monte sita & sydere fructifero.
Longe conspicies hic magni Præsulis aulam
Cuique racemipotens stat Deus ante fores.
Vrbs hæc pampinei lætissima munera Bacchi
Lesbous Bacchus talia vixque dabit.
Vitiferi colles pomis de vitibus horti
Hic premit & madidos nobilis uva lacus
Non procul est *Marchdorf* magnis dicenda Camœnis,
Oppidum & egregium, cespite terra virens,
Terra ferax vini, Cereris quoque læta favore
Et gelidi fontes, mollia prata quoque.
Hic gravidos onerat vindemia læta racemos
Florigeros aperit terra benigna sinus.
Huicque situs lepidus *Euchhorn* qui vergit ad Austrum
Romani Imperii urbs, attamen ipsa brevis.
Magnaque pampineo spumant hic pocula succo,
Serpit & hic gelidæ rivus amœnus aquæ.
Festa Corymbiferi celebrantur plurima Bacchi,
Et populus lætus cantica læta canit.
Schussius ad latus est decurrens parvulus amnis
Piscoso lætus margine prata rigans.
Cernitur hinc sacri Imperii urbs *Lindoa* per undas,
Insula quæ bellis credere sæpe solet.
Ipsa immota manet semper velut aspera cautes,
Fortis quæ numquam toxica bella timet.
Stat turris mœnita lacu muroque tenaci
Expectans hostem qui sibi bella parat.

Hæc

Hæc etiam pingit sinuosam in margine vitem,
Turgentes uvas vitibus ista trahit.
Sic urbes, montes aliquos, populosque suaves,
Podamicum cecini sub brevitate lacum.
Audivi mihi si felix facundia varis
Essent Pelignæ carmina docta lyræ:
Vestram non canerem satis ô vos Podmica stagna
Laudem, quod mihi non faustus Apollo manet?
Cum terra hicque lacus maiore est dignus honore,
Carmine quam tenui commemorare queam.
Quamvis strideat hæc gelidis mea Musula metris
Non volui laudem præteriisse tuam.
Felicem hunc populum magni Regnator Olympi
Perpetuo servet tempus in omne suum,
Hic populus truculentum hostem ne sentiat umquam
Sævos, barbaricos effugiatque Getas.
AMEN.

LECTORI BENIVOLO S.

IN edendis antiquis scriptoribus, qui apud me latent bene multi, duarum rerum me monuerunt amici sinceri illi, suaves, qui apertam veritatem amant: fidei scilicet & verborum intellectu difficilium. Illius, quod desiderari viderint in plerisque editoribus, qui ponunt, immutant, corrigunt, eradunt, quæque vel stupore ingenii seu indiligentia dicam non assequuntur, vel religione capere nolunt, manu audacissima: horum, quod remoram obiiciant lectoribus, & tenebras sæpe offendant sententiis præclaris, atque ad vitam humanam bene prudenterque instituendam excogitatis. Vt enim Platonis in Cratylo dictum huc trahamus, quisquis nomina nescit, ut res itidem nesciat necesse est. In fide præstanda ad superstitionem usque religiose illorum satis voluntati feci: in verborum explanatione multum diuque tergiversabatur animus meus, aversatus tam fœtida verborum sterquilinia, per quæ foret colligendi ambulandum. Tandem tamen non semel, sed iterum ac tertio à me contendentibus, ut aliquibus, quæ non parum patriæ afferrent lucis & ornamenti, scriptores istos saltim glossis ornarem, seu magis lubet, locupletarem, non potui non lubentissime obsequi, iea me sibi incredibili quadam & prope singulari benignitate devinxerunt. Feci autem id in musæo patrio, opera triduana adversariis perscrutandis impensa, sed feci manu brevi, dictaque quam pote fuit tam contuli ad compendium, quoniam mihi neque tempus neque animus est rebus otiosis lectores fallendi. Iccirco vitatis proletariis, ea tantum exesecutus sum, quæ obscura nec in vulgus videbantur esse nota, & quam apud mediæ ætatis Scriptores locutionum barbararum copiam offendi, digna videlicet patellis opercula, his annotamentis inspersi, quo & sententiam nostram idoneis testimoniis confirmarem, nec res ipsa fieret non illustrior. Alius plura sciat & rimetur, nos indicamus iter duntaxat, non auctores totos explanamus. Tu ne deutere, Lector, & insubitæ nostræ scriptioni ignosce, quippe extemporali & subitatis istis glossis accommodatæ, quas in ipsa peregrinatione & loco ἀμούσῳ, quia existimationem meam in ea re agi putabam, si amicorum postulata agere nollem, describendas suscepi. Vale, & quicquid est, boni consulens Francicarum rerum tomum suis iam numeris absolutum hilariter exspecta.

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI

GLOSSÆ

RERUM ET VERBORUM DIFFICILIORUM

IN HEPIDANNI ANNALES.

DCCCLXXXIX. *Agareni*) Distinguit inter *Saracenos* & *Agarenos*: per illos, Mahometanos, quos Turcas vulgo dicimus: per hos, Vngaros, qui Alamanniam devastarunt, intelligit. Sed eum tacito auctoris nomine reprehendere videtur Ekkehardus iunior Casuum cap. 10. ubi scribit: *Qui Vngros Aggerenos putant, longa via errant.* Balbus Catholico: *Agareni dicuntur Ismaelitæ, & corrupto nomine Saraceni.* Nicolaus Lyranus in Esai. 21. *Arabes sunt Saraceni ab Ismaele & Cedar filio eius, qui melius à matre sua Agareni. Sed maluerunt vocari Saraceni, quasi Sara libera, non Agar ancillæ sint filii.* Videntur Isidorus Etymolog. lib. 9. cap. 2. & Ekkehardus c. 15. Hodie vulgus Scriptorum eos populos, qui nostra ætate cum uxoribus & liberis Europam pervagantur, *Zigarenos* corrupte (opinor) pro Agarenos dicunt, & usuali sermone Zigeiner. Qui anno primum MCCCXVIII. in Almanniam pervenere amplius 14000. connumeratis uxoribus ac liberis, ut scribit Stumpf. Chronic. lib. 13. c. 10.

DCCCCXIII. *Iuxta Ineffluvium*) Lego, *Inum*, pro Oenum, qua facie, *cimiterium*, *iconomus*, & id genus alia in his scriptoribus. Apud Contractum tamen Vrstisianum eodem pacto, ut in nostro Ms. legitur, quum in veteri editione sit *Iconum.*

DCCCC. (XX *Rachilt in nativo S. Mariæ*) pro natali, quo verbo utitur anno DCCCC. (LII. *Et in natali S. Mariæ inclusa.*

DCCCCXXXVI. *Ista iuventus mortua est.*) Lego, *Ita iuventus*, & accipio de filia Henrici Imperatoris. *Iuventus*, quo modo apud Hispanos *Infantia*. In Vita S. Eugenii Carthaginensis: *Insontem infantiam in suum gurgitem demerserunt.*

DCCCCXXXVIIII. *Kisalbertus Dux Choldariorum.*) Ekkehardo *Kiselbertus*, Reginoni *Gisalbertus*, Contracto *Giselbertus*, Lamberto *Gisilbertus*, Sigeberto *Gislebertus*, apud quem vero in anno 927. corrupte legitur *Gigebertum.* Qui autem sint *Choldarii* pariter cum ignarissimis scio. Sigeberto vocatur *Dux Lotharingiæ* Anno 927. & expressius 938. Ekkehardo *Lotharingorum.* An ergo legend. *Chlothariorum*, id est Lotharingiorum: qui & *Lotharienses* Reginoni? Sane videtur.

Eodem anno; *Eberhardus Dux Franchorum & Kisalbertus &c.*) A Chuone milite Henrici primi oppressi. Nam alii hoc sub Henrico factum esse asserunt, patre huius Othonis eo nomine itidem primi, quos inter Ekkehardus cap. 5. quem vide.

DCCCCLII. *Duo tonitrua*) fulmina.

DCCCCLXXVIII. *Mense Theseo*) Iunio. Nam sic interpretatur ipse auctor in Computo: *Apud Latinos IVNIVS, Hebræos SIVAN, Aegyptios PAVNI, Græcos THESEOS.* Pravate, pro *Desius*, Δέσιος, Macedonum mensis proprie, de quo videndi Hadr. Amerotius, Hadr. Iunius, Ioan. Lalamantius, & Ios. Scaliger. Ergo *quindenas Kalendas mense Theseo* est, diem decimam quintam Kalendarum Iulii. Non absimili dicendi genere in titulo Nicæni Concilii legitur ἐν μηνὶ Δεσίῳ ἐννεακαιδεκάτῃ πρὸ δεκατριῶν καλανδῶν Ἰουλίων, id est, *mense Desio decima nona die ante XIII. Kalend. Iul.* Errant ergo Vadianus & Stumpfius, qui Purchardum Abbatem, cui Notker. Iste successit, mortuum tradunt XVI. Kal. August.

DCCCCLXXVII. *Nec non octavam*) *Octava* est dies requiei. *Septem* sunt dies laboris in hoc mundo. Legendum itaque, *quum dare septem*, id est quos voluisti in hoc mundo dies suos transire angendo & laborando, eosdem fac participes æternæ tuæ requiei. Videndus Belethus de Divin. offic. cap. 71.

MXXI. *Ochibe dextram*) Atqui apud Contractum legitur: *Ernust Dux in venatu ab Adalberone Comite sagitta occiditur.* Concilient, quibus otium & libri.

IN RATPERTI CASUS.

CAPUT

CAPUT I.

DE *casibus Monasterii*) Ita historias suas inscripsere, quibus, quid quovis tempore acciderit, prodebant. Ekkehardus Iunior cap. 9. *Cum breviter mihi vitam eius & casus utique plus notos panderet.* Cunradus Fabariensis cap. 10. *Descriptis in superiori pagina casibus antecessorum nostrorum Abbatum venerabilium*, &c. Ex veteri Poeta:

Per varios casus, per tot discrimina vitæ.

Sigebertum illius provinciæ Regem) In Regum successione errat Ratpertus. Nam ex Theodoro, Walafrido, Wettino, Herimanno Contracto, & Francorum Chronologis eam ob oculos ponemus, & brevi manu (ut Vlpiani verbo utar) velut in tabula delineabimus.

Clodovæus I. qui & Ludovicus Magnus, Hilderici I. F. primus Francorum Rex Christianus, regnavit annos XXX obiit. An. Chr. 514. cuius filii IV.

Theodoricus I. qui Mettis regnavit annis XXIII.

Ghlodomiris, qui Aurelius regnavit, ἄτεκνος, cui successerunt Hildebertus & Hlotharius fratres.

Childebertus qui Parisiis regnavit annis XLV.

Hlotharius, qui Suessionis regnavit usque ad An. C. 565. cuius filii itidem IV.

Theodebertus, qui Mettis regnavit annis XXIII.

Theobaldus, qui cœpit An. 550. obiit improlis An. 558. cui successit Hlotharius Suessionum Rex illius patruus magnus.

Cuntrannus Aureliæ Anno 567. cui mortuo successit Childebertus nepos ex fratre Segeberto.

Gherbertus Parisiis IX. annis

Chilpericus II. Suessione; cuius uxor Fredegundis, Anno 564.

Sigbertus I. qui & Haribertus Anno 565. Metis XV. annis regnavit, eius coniux Brunechildis illa Atanagildis Visigotthorum in Hispania Regis filia. Hunc Sigebertum Columbanus & Gallus Galliam ingressi adierunt.

Hlotharius II. An. 588. regnat annos XLIV. Suessione. Ad hunc pervenit S. Colũbanus Luxovio pulsus.

Childebertus, qui Ratperto, Walafrido, & Wettino *Hildibertus*, ad quem scriptæ sunt D. Gregorii M. epistolæ. Regnavit Aureliæ.

Dagobertus I. cognomento Magnus Anno 631. cuius duo filii

Theodebertus Austrasior. Rex, ad quem Columbanus, relicto Hlothario Rege, pervenit. Hic à fratre Theodorico postea interficitur, filiis trib. à Brunechilde proavia internectis.

Theodoricus II. Hic orationis causa adire Columbanum Luxovii degentem solitus erat, postea fratricida factus, & tandem ab avia Brunechilde veneno sublatus, Ann. 618. cuius filii nothi ac spurii IV.

Clodovæus II. qui & Hludovicus Fraciæ Rex annis XVII. Obiit, Ann. 661. cuius filii tres.

Sigebertus Austrasiæ Rex, annis X. cui desponsa fuit Cũzonis Alamanniæ Ducis, qui Vberlingã tenebat, filia, ex qua Dæmonium eiecit Gallus.

Sigebertus III. Hic ad Regnũ nõ pervenit.

Chorbus. Hic una cum fratre Segeberto in prœlio captus iussu Chlotharii interficitur.

Childebertus, qui Chlotharium fugiens quo devenerit nescitur.

Meroueus, ad nullum regnum pervenit.

Hlotharius III. Franciæ Rex A. C. 663. annis IIII.

Chilbericus III. sive Childericus I. Suessionis A. C. 679. ann. XVI. in interregno Theodorici.

Theodoricus III. Austrasiæ Rex An. C 666. annis XXXI. cuius filii

Dagobertus, qui tamen non inter Reges numeratur, in adolescentia à Grimaldo Maiore domus è medio sublatus.

Clodovæus III. An. 694. annis IV.

Hildebertus An. 698. annis XVII. huius filius

Dagobertus II. An. 716. annis IV. Filii eius

Theodoricus IIII. An. 727. quo fere anno Othmarus Abbas factus est. Regnavit annis XV. sub tutela Caroli Marcelli, morienti non successit, sed

Childericus II. cognomento Stupidus, quem quidam, ut alii malunt, filius ultimus Merovingorum. Quo deposito & in monasteriu͂ detruso, Rex creatur Pipinus Minor Maior domus. Et hic est Pipinus, qui Othmarum in Abbatia confirmavit, oblata ei Regula D. Benedicti.

Hoc est verissimum Franciæ Regum Merovingorum stemma, quod historias nostras attinet. In quo prætermissum vides Chilpericum IV. quia nulla eius illic mentio: similiter & Hlotharium IV. Dagoberti II. sive fratrem sive patruum, quem Carolus Martellus Francis imposuit Regem. Nunc est ut Carolingorum stirpem, quib. verbis eam vetere in membrana reperivimus Einhardo præscriptam, ad illustrationem nostri Ratperti pariter adtexamus. Ea sic habet.

Post depositionem istius Hildilrici Re- qui ex Prefecto Palatii Rex effectus fectos regebatur. Maior domus di- Pipinus.

HILDERICUS REX FRANCORUM

gis Francorum successit ei Pipinus, est, & quia regnum suum per Præ- cebatur tam ipse Hildericus, quam

Ab isto B. Othmarus Abbatiam & sibi hoc impetravit: licet prius Sanct. gundionum propter curatam sponter plura dona accepisset. Quod ergo postea morbo subentaneo obiit, &

REX PIPINUS ET MAIORDOMUS DUOS FILIOS HABUIT

heremum suscepit. Waltrammus Gallus hanc à Sigberto Rege Bursatam suam scilicet Ducis filiam, inille fecit, iste confirmare curavit. Iste Parisiis est tumulatus.

Iste Carolomannus cum Rex Francorum cum fratre suo Carolo constitutus fuisset, apud montem Soractem quadam de causa Monachum se fecit. Tandem in castro Casino vitam finivit: frater autem totum regnum obtinuit.

KAROLOMANNUS REX FRANCORUM.

KAROLUS IMPERATOR AUGUSTUS.

Iste requiescit Aquisgrani. Carolus habuit etiam tres filios de uxore sua Hildigarda, scilicet Carolum, Pipinum, & Ludovvicum. Hunc duobus fratribus mortuis Imperatorem constituit. Habuit etiam alium de concubina filium nomine Pipinum. Hunc propter quandam coniurationem contra se factam in Monasterium perpetualiter detrusit.

Vxor eius

HILDIGARDIS *Hæc erat de Suevis genita.*

Iste Privilegia immunitatis & electionis erupit, Grimaldum S. Galli Ecclesiæ Abbatem, cum Clericus & non Monachus, constituens. Postmodum Grimaldo rogante immunitatis & electionis iura privilegiis plus quam ante roboravit.

HLUDOVICUS PIUS IMPERATOR

Filius eius, id est Caroli & Hiltigardis. Iste sepultus est Campidonæ cum matre sua.

Iste fuit Grossus, superioris Ludovvici Pii nepos, sed fuit filius Regis Ludovvici in Orientali Francia.

KAROLUS REX FILIUS HLUDOVVICI

& S. Gallo Massis & alia plurima, qui usque ad tempora Bernhardi supervixit. Postmodum Augæ sepultus est. *Iste Carolus dedit B. Othmaro Stamheim,*

PIPINUS REX FILIUS KAROLI *Iste dedit Ecclesiæ Sanct. Galli multa munera.*

Ibi

Ibi cellulas construentes) *Cella* à celando & in templis & in domibus appellabatur pars aliqua remotior, unde factum, ut pauperum & servorum mansiunculæ, *cellæ* appellarentur, ut multis exemplis docet Læv. Torientius Antuerpianus Episcopus commentar. in Suetonii Tiber. cap. 43. & Caligul. cap. 41. In templis pars illa sacratior, in quam vulgo intrare non licebat. Cuiusmodi erat in Capitolio *Cella Iouis*, auctoribus Gellio ac Livio, testeque Calfurnio in dictione *Cella*. Ita & Monachi nostri, qui & pauperes sese ac servos faciebant, *Cellas* vocarunt habitacula in recessu ac solitudine posita, à frequentiáque hominum remota, in quas velut religionis gratia se conferrent.

Sigiberti Iunioris filii Hiltiberti, nepos videlicet Sigiberti) Immo hic Sigibertus filius fuit non Hiltiberti, sed vero Dagoberti, nepos autem Chlotharii, ut ex tabula superiori liquet.

Brunehildis avia ipsius Sigiberti, uxor autem prioris Sigiberti) Turpis ἀναχρονισμὸς, & in tam bono scriptore vix ferenda. Quam tamen sex vett. codd. constantissime præsentant, ut nulla ratio sit qui excusem, errorem in dicta Tabula deteximus.

Ad Theodebertum Regem Austrasiorum) Ita apud Walafridum quoque legitur cap. 5. libr. 1. Wertinum initio lib. 1. de Vita S. Galli, Ionam Abbatem in Vita Sanct. Columbani, denique Theodorum in Vita S. Magni. Nec audiendus Vadianus, qui pro *Theodebertum*, reponendum censet *Tagobertum*, Rationem in Tabula exposuimus.

Tuconiam) Nunc *Tugium*, ad lacum Tygurinum, quem Limacus fluvius perfluit, quo modo Rhenus Podamicum, Rhodanus Lemannum, &c. Vide Glossas in Walafridum.

Sponsam Regis Sigiberti) Qui filius fuit Tagoberti I. ut in Tabula ostensum.

Aliunde vero ad possessionem nobilium virorum) Ex veteribus Donationum Chartis deprehenditur, non adeo heremum fuisse, quin etiam ante Othmari tempora circa eam multa loca fuerint valde culta. Nam & sub Grimaldo prædia in *Steinigunekke*, quod iam *Steinegg* dicitur, & culta & habitata fuere. Præcipue autem familiæ, à quibus primum locus Sanct. Galli auctus, & qui circa monasterium prædia possederunt, erant, *Comites Toggenburgenses, & Vrsteinii*, dein Nobiles *Rosenbergii, Anvvilii, Oberbergii Svvanbergii, Helffenbergii, Eppenbergii, & Glatburgii.*

Talto) Ex qua familia fuerit, non queo divinare. Coniecturam quis sumere possit ex Ekkehardo in fine Salomonis, ubi de filia eius notha scribit, *Dotatam cum prædiis viro tradidit cuidam Notkero de prosapia Valtrammi & Notkeri, de quorum dominio montes nostri nomina habent.* Nam *Waltrammus* fuit Taltonis abnepos, ut cap. seq. à Ratperto memoriæ traditum est.

IN CAPUT II.

WARINO *& Ruadhardo)* Stumpfius Warinum Hegoviæ; Ruadhardum Turgoviæ Comites facit. Vadianus, Duces Alamanniæ. Sed erant Cameræ nuntii, qnos vocat Ekkehardus, qui Walafrido teste cap. 4. de Vita Othmari Alamanniam ab Imperatore missi administrabant ea potestate; qua Bertholdus & Erchinger, de quibus ad Ekkehardum dicetur, qui & ipsi Duces Alamanniæ nominantur. Videntur autem Warinus & Ruadhardus eius stirpis fuisse, unde postea *Guuelfi* nati sunt, *Comites Grauenspurgenses*, quorum qui Quartus, monasterium Altorfense, quod hodie Weingarten, fundavit, teste Conrado Vrspergensi, quem non videtur legisse nugacissimus & imprudentissimus scriptor Thomas Lyrer ad nostros quem Romulum regii generis Romanum, fundationem eius referens.

IN CAPUT III.

SCRIPTA *emunitatis)* Frequenter occurrit in libb. calamo exaratis, quod in vulgatis fere est in *immunitas*. In Ratperto incorruptum mansit, in cæteris non item, ne in MSS. quidem. Balbus Catholico, *Emunis & immunis dicitur, qui liber est à munibus, id est muneribus.*

IN CAPUT IV.

CONCOENOBIOTAM) Ita malui cum duabus vetustissimis membranis, quam cum quatuor chartis *concœnobitam*, quod ineptum est & ratione caret, quamvis posteriores omnes errores funem trahentes constanter ita scripserint. Ratpertus expressit Græcam inflexionem Græcæ linguæ non ignarus. Nam βιωτὴν illi dicunt ἀπὸ τοῦ βιοῦν, Vnde, κοινοβιῶν, κοινοβιώτης, qui cap. 5. *cœnobiota*, & συγκοινοβιώτης, *concœnobiota*. In uno chartaceo codice cap. seq. scriptum erat *zenobita*, quod nimis quam depravatum & in Barbariam ablegandum.

IN CAPUT V.

PResbyterum forensem) non de monasterio. *Forensis*, qui foris & extra locum, civitatem, aut congregationem aliquam est. Sic *pugnæ forasticæ* dicuntur à Sanct. Bonifacio Archiepiscopo exteriores, quibus opponuntur *intimæ*, epist. 3.

Spem securitatis) Sæpe occurrunt *firmitatis & securitatis* voces, apud Iurisconsultos præsertim, quibus significatur certum atque indubitatæ fidei scriptum, quod de rei alicuius firmitate

mitate ac securitate cavetur, ἡ ἔγγραφος βεβαίωσις, quæ Græcis eadem ratione ἀσφάλεια, Lexic. Græco-Lat. Ἀσφάλεια, *cautio, munitio, tutio, præsidium, tutela*. Videndus Gul. Fornerius Notis in Cassiodorum.

Novum S. Gallo cœpit ædificare basilicam) Extant Chartæ nomine Gotthefridi Alamanniæ Ducis anno Ducatus eius XX. scriptæ, annis plus minus XIII. ante Abbatem Othmarum. In quibus apparet, B. Gallum in ædicula seorsim extructa conditum, & prope ipsam, ecclesiam fuisse cum iure parochiæ, quæ forte illa est, quæ hodie S. Petro addicitur. Nam Pastorem tunc temporis præfuisse ipsa Charta testatur, item Monachum aliquem velut, pro Abbate habitum, sicuti eo tempore Scafrarium, cuius Charta meminit.

IN CAPUT VI.

L*IBRORUM tantam copiam ille patravit)* composuit & paravit, ut loquitur ipse capite nono eodem in negocio. Familiarissimum verbum his scriptoribus. Cap. 10. *Librorum quoque, quos ille ad communem monasterii utilitatem suo tempore patravit*, id est comparavit, alibi sæpe.

IN CAPUT VIII.

N*EC non singulare idem Abbati domicilium cum omnibus necessariis ad illud pertinentibus utilissime pulcherrimeque construxit) Palatium*, quod hodieque Pfallentz: de quo sunt ipsius Hartmoti versus:

Aula Palatinis perfecta est ista magistris
Insula pictores transmiserat Augia clara.

Regem publice placitum habere) Placitum, comitia, conventus Procerum publicus, Reichstag/ de quo multi multa dixere. Ab eo differt *Mallus* sive *Mallum*, quod proprie significat iudicium generale, Landtgericht/ Camergericht. Cuius iudices vulgo Rachenbürger vocabantur. Vnde erat ut existimarem oppidum Ravenspurg initio dictum fuisse Rafenburg pro Rachenburg/ quia ibidem & olim & hodie mallus generalis semper celebratus, cui præsidet Lantgravius, qui nominatur in histor. S. Fridolini, der Landtvogt. In Chartis legitur mallum publicum fuisse in Gozzesovv. An. DCCCCLVII. sub Cralone Abbate, anno Regis Ottonis XXI. quo tempore Purchardus Dux fuit Alamanniæ, Eberhardus Comes Turgoviæ, Adalo Tribunus. Et alium in Nuferen Turgoviæ anno Regis Ottonis XXII. sub Abbate Burchardo, cui ipse Abbas interfuit cum Comite Eberhardo. Durant adhuc nomina mallorum in Alamanniæ locis illis, ubi olim usus fuit celebrandi Landtgericht im Turgow / by Rafenspurg / by Ranckwyl der Grafen von Montfort/ cuius in historia S. Fridolin præclara mentio, Zu Werdenburg/ & alibi. Interdum *mallus* significat conventum Procerum alicuius religionis certæ, Kreißtag/ Landtag. Nonnumquam etiam, sed minus frequenter, comitia Imperii.

Cum manu sua potestative) Sic paulo post: *Cum ipsa manu similiter potestative*. Abo Presbyter in charta LXXVI. *Sub potestativa manu Hludovvici Regis & pueri. Manus* sub hac notione fere in Chartis & Legibus antiquis. *Cum manu Advocati sine manu tutoris*, quod ICti veteres *sine potestate*.

CAPUT IX.

A*NALOGIO)* in pluteo, quo missale, vel lectionarius, aut evangelium ponebatur. Philoxenus Gloss. *Manuale*, ἀναλόγιον. Suidas Lexic. Ἀναλογεῖον, ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία. Codinus Curopalates de offic. Constantinop. Ἐμπροσθεν δὲ τούτου ἀναλόγιον, ἐφ' οὗ ἐπίκειται ἅγιον εὐαγγέλιον. Papias Gloss. *Analogium dicitur quod sermo inde prædicetur*. Vgutio Glos. *Analogium, a λόγος quod est sermo, quia ibi supra sermocinamur*. Balbus Catholico: *Analogium, ab ἄνω sursum & legum, pulpitum, unde anolegium, quia ibi supra legitur*. Ibidem; *Pulpitum a publico dicitur, analogium, legium, lectrum, legitorium, quia ibi publice legunt, ut possint conspici a populo*. Ekkehardus in Salomone; *Parat pro hoc beneficio insignem crucem S. Gallo, quam argento partim deaurato vestitam analogio nocturnali supposuit*. Ibidem; *Infantulis per ordinem lectitantibus & analogio descendentibus*, & alibi sæpius. Videndus Ioh. Meursius Miscellan. lib. I. c. I.

Confessione) Ekkehardus in Salomone; *Hanc crucem nostris temporibus Norpertus noster columna deargentata infixam confessionis superposuit altari*. *Confessio* est locus in templo, ubi sacerdos, priusquam cantat missam, confessionem pronuntiat. Belethus de Divin. offic. cap. 33.

Absidam) ἀψίδα. Lexic. Græco Lat. Ἀψίς, *forfex, arcus fornix*. Plinio dicitur *constructio arcuatim facta*, Ovidio, *arcatum curvamen*. Isidorus Etymolog. li. 5. c. 8. *Absida Græco sermone, Latine interpretatur lucida, eo quod lumine recepto per urbem resplendeat*. Ekkehardus Casuum cap. 6. *Absidaque sanctarum Virginum imminens eam mordacius igne cremavit*, id est fornici ligneo, in quo super altari Virginum erant simulachra. *Absida* ex accusandi casu, pro, *apsis*, ad quam faciem *cassida* pro cassis, *paropsida* pro, paropsis, *statera* pro, stater, & similia.

CAPUT

CAPUT X.

ELEPHANTO *& auro paratum*) pro *elephanto* q. libb. habent *ebore*, ex glossemate, ut opinor. Nam omnium vetustissimi membranei duo illam, quam recepimus, lectionem præsentant. Signat tam animal ipsum, quam ebur. Lexicon. Græco Latin. Ἐλέφας, τὸ ὀστοῦν, hoc ebur. Vopiscus in Tacito; *Diu hæc senatus consulta, quæ ad Principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur*, id est eburneis Lucianus; ὥσπερ τὸν ἐξ Ἰνδῶν ἐλέφαντα ἔτι οἰόντα ὁρῶν, id est, Indicum ebur. Philemo vetus Poeta;

Ἢ δὲ ἐλέφαντος, ἢ σμαράγδου ζῷα

Bacchilides apud Athenæum li. 2. Dipnosophist. Χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι. Alcæus apud Eustathium;

Εἶπε λύρα καλὰ γυνὴ ἐλέφαντι νῦν.

Idem apud Hephæstionem;

Ἦλθες ἐκ περάτων γᾶς ἐλεφαντίναν
Λαβὰν τῶ ξίφεος χρυσοδέταν ἔχων.

Vnam mappam mundi) Balbus Catholico; *Mapa, togilla, quasi manepia, id est manu pians. Mapa etiam dicitur pictura, vel forma ludorum, unde dicitur mapa mundi.*

Post obitum Hludovvici piissimi Regis in partem Karoli filii eius) Hludovvici Iunioris Regis Germaniæ, cuius filius Carolus Crassus sive Grossus.

IN EKKEHARDI IVNIORIS CASVS

CAPUT I.

SALOMONIS *Tertii parentes cum essent clari & illustres*) nimirum *Comites à Ramsvvag*, quod castrum fuit ad sinistram Sinttriæ fluminis. Quæ familia post Baronum, tandem Nobilium dignitatem & titulum redacta est, hodieque celebris. Neque illa solum familia novercantis. Fortunæ iniurias experta est, habuit socias calamitatis ac miseriæ suæ complures *Wengiam*, quæ nobis quoque cognatione iuncta, ultimusque eius stirpis Conradus à Wengen, aviæ meæ maternæ frater uterinus, Abbas fuit in monasterio Wettingano ad Limacum fluvium; *Schellenbergiam, Boustertiam, VVattenvvilium. Klingiam*, alias, quarum quædam ad Nobiles, pars etiam plebeios concessere post illam summæ rerum in Alamanna nostra Helvetica turbationem ac mixturam. Vnica etiamnum floret illustrium ultima, *Hohensaxensium Baronum* familia, quæ tamen & ipsa ruinam incipit minari, & ludibrium Fortunæ persentiscere. Et verendum est, quod in statu res eius sunt, ne propediem illarum, quas dixi, cumulum adaugeat. Quod omen, quando familiam amo, ut Deus averruncet, id eum veneror.

Ekvvangis adhuc Canonibus primo præficitur) Sic Statim, *Grimaldi temporibus Canonici Abbatis*, quem non fuisse Monachum sed Clericum secularem, ut loquuntur, ex Ratperto didicimus, & veteri illa Carolingorum Tabula quam supra apposuimus *Canonici* ergo dicti Clerici sæculares, quibus opponuntur *claustrales*. Ekkehardus hoc loco; *Traduntur post tempus Marcelli scholæ claustri cum Notkero postea cognomine Balbulo & cæteris Monachici habitus pueris: exteriores autem, id est Canonici, Isoni cum Salomone & eius comparibus* Exsertim docet *scholam claustralem* fuisse, in qua pueri religioni dicati instituebantur; *Canonicam* vero, in qua pueri seculares: illa in remotiore ipsius monasterii parte tenebatur; hæc extra monasterium in adiacenti ædificio, cui tamen & ipsi Cœnobiotæ præfuere, quorum Magister tum Iso.

Vltra Iram) *Ira* rivus, S. Galli oppidum ab Occidente perfluens; in quibusdam Chartis *Yrrhon* dictus quasi, *Iræ rohnus*, h. e. ῥόος, qui in Chartis *decursus aquarum*. Etenim ῥέειν Alamannis est rinnen fluere, unde & *Rhenus* dictus Rhyn/notissimus Germaniæ; *Rusa* item rapidissimus Helvetiæ fluvius, quibus runnen est ῥεῦμα sive ῥύσις, Rhon/à præterito geronnen/fluxio, de fluminibus haut secus atque (quasi Ach/ Latinorum est *aqua*) usurpatum. Inde nomina sumpserunt in Turgovia Byrhon/duo vici ad fluenta aquarum positi. Inde *Pura Maior & Minor*, Ober und Nider Büren/quasi Byrhon/ad Turam fluvium: In Aragovia oppidum Byrhon ad Arolam. In Ducatu Wirtenbergensi Blawbewren/velut Blaw Byrhon/ad Blaviū amœnissimum fluviolum: Quod idem & de Ottenbeuren monasterio Sueviæ clarissimo existimandū, ut dictum sit quasi Ottenbyrhon/propter rivū, qui pedem collis, in quo sitū est, alluit. Et multo magis de Kaufbyrhon/quod nunc Kaufbeuren/oppidum Imperiale in Algovia Alamanniæ.

Cum lineis vestibus diatim introiit) Balbus Catholico; *Dietim, de die in diem, vel per singulos dies, quod & dietim invenitur, & derivatur à dies.* Ad quam faciem in Modiani Synonymus leguntur, *plateatim, hostiatim, civitatim, provinciatim & viatim* apud Diomedem lib. 1.

In Colle Concambii sui Ecclesiam in honorem & modum S. Crucis ædificare &c. Ecclesia S. Crucis, cuius etiam infra meminit, fuit, quam nunc S. Magni vocant, olim extra oppidum in dicto colle, nunc intra muros, sed extimo loco, pariter cum cœmiterio positum.

De Faucibus) Fauces, Fuessen/ad pedes Alpium Iuliarum, unde & nomen invenit, ut ab antiquis *Fuazin*. i. e. Pedes diceretur. Ita enim veteres pronunciabant, & exstat vox apud Otfrydum Wissenburgens. lib. 4. c. 2. ubi de Maria, quæ pedes Christi unguento lavit;

Thia

Thiagos si in fine fuazi &c.
Thie selbon fnazi frono
Mit loton iro stono.

Kero Monachus Lexico: *Pede*, fuazze. *Pedum*, fuazzio. *Pedibus*, fuazzum. Monachi nostri imperite *Fauces* reddidere. Eadem ignorantia & *Fuaßach* Austriacorum in supremo lacu Brigantino castrum *Fauciacum* dixere, quam veteres Alamanni sic appellarint quasi *Aquas* ad *Pedes*, sc. Alpium, quibus adiacet, & unde fluvius ille castrum alluens exoritur. Melius & signatius dixissent *Aquipedium*, ad eam formam qua *Aquigranum*, quod postea maluerunt littera inserta *Aquisgranum* scribere, & *Aquidurum* quod nunc Zurzach. Porro faucibus prima fundamenta iecit B. Magnus, sicut Magister eius S. Gallus monasterio & oppido S. Galli, & Theodorus eius sodalis manasterio & oppido Campidonensi. Videndus Theodorus Vita Magni l. 2. c. 7. Sunt qui *Phuscam* appellent, ex Italorum, opinor, *Phiesco*; item qui *Abusiacum*.

Præventor maturitatis) matutinitatis, id est auroræ. Cap. 3. de Notkero; *Quadam nocte in ecclesia præveniens in maturitate*. Ibidem de Ratperto; *Quem invenit surgentem, ut & ipse præveniret in maturitate*. Quod quid sit, exponit Iso de Othmaro lib. 1. cap. 7. *Cum nocturnæ celebrationis vigilias consurgendo præveniret*.

Nudimanum) Ea forma dictum, qua nudipes, quo est paulo ante visus, id est γυμναῖς χέρσι, qui *nudas*, hoc est, non plenas sive inanes & vacuas habet manus quod Alamanni optime exprimimus his verbis, mit lärer hand. Hinc illæ apud Suidam parœmiæ, γυμνότερος, πτέρος, γυμνότερος ἰαλέμου, γυμνότερος κατάλου, &c. de inopibus admodum tenuissimæque Fortunæ hominibus. Iuvenalis Satyr. 10.

Cantabit nudus coram latrone viator;

Quod ille apud Plautum:

Hic homo inanis est.

Herginisovvam cum Waltchincha & Putra minore) Leg. *Waltchincha & Piura Minore*, ex Burchardo cap. 7. Vici sunt non longe distantes. *Pura Minor* Niderbüren/ sive, ut supradictum, Byrhon/ ad Turam fluvium. *Pura Maior* paulo supra minorem, Oberbüren/ castrum est Pincernarum Castellanorum (der Schencken von Kastell) domicilium, sub ditione tamen Abbatis. Nam qui eius nominis fuere Nobiles, iam pridem olim stirpitus nulli sunt.

In titulo Apostolorum conditum) sepultum. Statim; *Ad titulum S. Petri, qui est in cimiterio Sancti Galli*, & cap. 9. *In cella Salomonis circa parietem tituli Sancti Georgi*. *Titulus* alicuius Sancti est basilica vel ecclesia aut capella eius honori dicata & consecrata. Infra cap. 9. *In cella Salomonis circa parietem tituli S. Georgii*. Walafridus de S. Othmaro cap. 1. *cuidam ecclesiæ Titulo S. Florini confessoris prælatus est*. Hinc Cardinalium Ecclesiæ Romanæ *tituli*.

Per Iovis montem transiens ibat: per Septimum autem rediens, &c.) De *Iovis monte* omnium accuratissime Ios. Simlerus Commentar. de Alpibus. *Septimus mons*, qui hodie Settmer/ attingit Alpes Iulias, quarum etiam nomine olim comprehendebant, in cuius cacumine *Stalla* visitur villa, quæ olim *Biutum*, & adhuc à Rhætis Italis *Beuio* nominatur. Itaque cap. 4. omnino legendum, *Qui cum in Septimo lacuque Cumano &c.* Loquitur de eodem, quo hic, itinere. Vbi alii *Sectane*, alii *Sectime*, quas lectiones falsitatis, arguit Ekkehardus Minimus in Vita Notkeri cap. 9. Videndus Tschudus in descript. Rhetiæ Alp. cap. 14. & 28. Stumpf. l. 10. cap. 5. Chronic.

In Septimo eius) Videtur hic legend. *in septima eius*, sc. die: sic enim infra c. 3. *Septima vero obitus hominis die Septima* der Sibend, abstracte, quo pacto *octaua* dicitur, ut, *in octava Innocentum, octava Epiphaniæ*, &c. in veteribus Kalendariis & Martyrologiis.

Capellam) vasa, instrumenta & ornamenta omnis generis Ecclesiastica, quæcunque in capella sive sacello ad sacra peragenda necessaria sunt. Mox; *Capsa solide aurea gemmis regaliter inclita, reliquiis summis referta, in formam capellæ creata*. Diximus ad Einhardum.

Procurabant ambas Cameræ, quos sic vocabant, nuncii) Procuratores fisci, qui erant Præsides Imperii subiectis impositi, ut Imperatoris fiscum ministrarent, cuiusmodi duodecim omnibus Israelitis imposuisse Salomo narratur 3. Reg. 4. v. 7. quem locum ubi contuleris, intelliges quinam isti nuncii fuerunt. Qui & *Advocati Cameræ* vel *Imperii* dicti. Vnde *terra Advocatorum*, quæ ab *Advocatis* id est Præfectis Imperii administraretur, Vogtland & corruptus Voydlandt, quod nomen remansit cuidam. Præfecturæ in Francia Orientali, Marchionum Brandenburgensium, qui Burggraviatum Norimbergensem possident, ditionis. Alioqni *Advocati Cameræ* nominabantur qui publicæ pecuniæ functionem & procuratotionem Imperatoris vicem gerebant, qui & *Advocati fisci*, & tandem denique *Fiscales* dicti: Erant hi sub Cameræ nunciis, quorum sub Ducibus æquata habebatur potestas, ut supra dictum.

Potamum Cameræ nunciorum iuris oppidum) Pertholdi & Erchingeri Cameræ nunciorum in Alamannia sive Suevia, qui ab aliis Duces Sueviæ. Qua de re supra admonuimus. *Potamus* sive *Potamum*, ut hinc patet, tempore Carolorum & Ludovicorum oppidum fuit, & quidem sedis Imperatoriæ. Id attestantur Diplomata Monasterii Augiensis, in quibus ita legitur; *Datum in Palatio nostro Imperiali Potamia*. In hoc oppidum sive potius Castrum, quod natura arteque erat quam munitissimum, ab Episcopo Sidonio & Synodo Provinciali condemnatus S.

Oth-

Othmarus,ab Warino; qui illud incolebat ut Comes Hegoviensis, abductus fuit. Vnde relegatus in insulam Rheni Werdam, illic vitam cum morte commutavit. Porro ab hoc antiquissimo & imperiali oppido Potamo *lacui* nomen inditum est *Potamico*, cum prius *Acromius* diceretur, quod nomen in Rhagusscia, quam hodie Vallum Rheni indigitant, adhuc retinet, ut nominetur der Chromsee/& Chromishorn/quod est castrum cum villa ad ripam lacus, sine dubio inde nomen invenit. quasi lacus Acromii cornu; quamvis in vetustis Chartis legatur *Romanshorn*, & Rhenanus, Vadianus, atque Stumpfius appellent *Romanum cornu* à Romanorũ, ut volunt, statione. Ita contrario exemplo *Chromishorn* à lacu nominata quum *Potamicus* postea à Potamo dici ceptus sit, non aliter atque à Constantia *Constantiensis*, à Lindaugia *Lindaugianus*, Brigantio *Brigantinus*: & inferior lacus à Venetibus accolis *Venetus*, à Cella oppido *Cellanus*. Qui sequius sentiunt, ægrorum somnia recensent scilicet. Sed ad castrum *Potamum*: quod cum oppido quondam Comes Hegoviensis inhabitabat, ab Imperatore in fidem receptum: alioqui Comitatus non hereditates erant sed dignitates, quæ personas non transgrediebantur. Ex istis a. fratribus Pertholdus Potami habitabat, Erchanger Diepoldispurgi. Destructum Potamum huius Salomonis tempore, cum supplicium capitis sumeretur de dictis fratribus, quod contigit An. C. 917. Ita quidem funditus, ut hodie ne rudera quidem ulla cuiusquam oppidi appareant. Reædificata postibi arx, & nunc incolitur à nobilibus Bodmenis (von Bodmen) qui quin ex Comitum familia descenderint, mihi nullum sit dubium.

Vallis Turbate) Turbenthal/& corruptius Turthal/ vallis est ad torrentem Tosam.

A Rege tunc quidem Arnoldo) Ita Arnulphum Imperatorem & alii vocant, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Sigebertus & coetanei.

Tarra avenis centum maltrarum commoda) Avena tosta, ut hodie, ita olim Alamannis, Turgoviis quum maxime, in cibo & pulmento. Ea sic conficitur. Torretur primum avena cruda, tum molitori pinsenda seu molenda traditur non in farinam minutam, sed crassam, ad instar hordei, quam ubivis locorum ad eam formam teritur. Locum seu fornacem, in quo torretur, *tharram* Alamanni etiamnum dicunt, tharr/à verbo thären/quod est Græcorum θέρειν, & latinorum *torrere*. Posses cum Hippocrate huiusmodi farinam tostę avenæ frictæve appellare ἄλφιτον. *Pultem*, quæ inde conficitur, Plinius vocat *avenaceam*, eamque *Germanorum cibum*.

Centrum maltrarum) *Maltra* mensuræ genus est, continens quatuor modios Malter hält vier müt. *Nodius*, müt (nam & ipsam Alamanni retinuere) comprehendit quatuor quartales, quorum omnium exempla reperies in Chartarum Centuria, & Ephemeridibus Monasterii. *Quartalis est*, quem Alamanni viertheil/Norici nimis generali nomini *metzam* seu *messam*, h. e. mensuram, Rhenani inferiores *simmeram* appellant. Eius meminit etiam Iohann. de Gallandia Decade 5. Synonym. hoc versu;

Dolia, quartalium, fundum, clepsedra, lagena.

vbi videndus Galfridus Anglus in Commentario. In liquidis *quartalis*, quart, continet apud Alamannos duas mensuras, apud alios quatuor. Qua de re in libro nostro De mensuris & ponderibus veterum Germanorum.

Inter quæ erant ascula duo vitrea nimis insignia, quæ ipsi pridem in convivio præ ceteris mirabantur) Ex Crystallo nimirum puto & pellucido. Consimilem historiam memini me apud alium nescio quem legere. Illud commemoratione dignum existimo, cuius rei ipse arbiter atque spectator fui. ¶ Quum abhinc sesquiennium in Aulam Illustris ac Generosi Domini, Maximiliani Tulingorum Lantgravii convivatus intervisérem, memini ab eo ostendi vitrum crystallinum paulo prius ab se quingentis thaleris probis comparatum. Id quum, ut fieri solet, in convivio lautiori daretur circum, imprudentia cuiusdam Doctoris levissimo impulsu disco illius frangitur, ut maiori constare nullum umquam haustum viderim. Et hunc luxum lautitiasque hominum miramur? Tiberius Princeps eum, qui vitri flexilis temperamentum reperit, iussit decollari, ut scribit Plin. lib. 36. cap. 26. Dio Cassius in Tiberio, Isidor. Etymolog. lib. 16. c. 15. & ex Petronio Ioh. Salisberiens. de Nug. Curial. l. 4. c. 5. qui si nunc imperaret, quid, putas, illis faceret, qui tanti pretii momentanea vitra reperiunt;

Fabas nudas) id est, ut Petronius loquitur, *folliculis spoliadas*, ἐρεγμίνους κυάμους veteribus Latinis *fresas*. Philoxenus Gloss. *Faba frensa*, ἐρεγμός. Balbus Catholico; *Fresus, id est contritus, concussus, unde & fabam fresam dicimus, qui habet thecam molitam, id est, fractam, concussam. & contritam.* Isidorus Etymolog. lib. 17. c. 4. & lib. 20. cap. 16. Pulmentum ex huiusmodi fabis ἐρέγμη, Aristophani; quamvis Scholiastes generaliter pro quovis pulmento ex Leguminibus accipiat, quomodo in interpretatione de Regula; *Leguminum, omne genus fabarum.*

Et panem) Siliginеum intellegit, nam crassiores & relictis furfuribus minus candicantes vocabant *leibunculos*. Exempla in Ephemeridibus.

Timore tamen Imperii) deß Reichs/id est, Keysers/Imperatoris, qua figura dicimus; Er ist vom adel/pro, ex nobilibus. *Imperii* vox sexcenties in his libris ex significatu, sicut *ministerium* pro ministro apud Ratpert. cap. 6. & alibi *dominium* pro domino, *servitium* pro servo, *officium* pro officioso, *obsequium* pro obsequente, & id genus alia, quæ in his libris frequentantur, quorum te semel monitum hoc loco memineris.

Sedato animo iudices mei, ambos vos esse volo) Verba Imperatoris ad Pertholdum & Erchingerum

gerum Rectores Ducatus Sueviæ sive Alamanniæ, quos modo *Primates*, paulo ante *Camera nuntios* appellavit Ekkehardus. Vnde id discas licet, *Iudices* dictos illo ævo omnes *missos*, h. e. *nuntios* & Præfectos Regios vocant *Iudices* & Franco-Galli *Iuges*. Qua de re in libro De Magistratib. veterum Germanorum.

Parentes eius erant) scil. Warinus & Ruadhardus, de quibus Walafridus, Ratpertus & Wettinus, quos supra diximus ex Comitum Gravenspurgensium familia fuisse. An ergo ex eadem familia Conradus I. Imperator, ut *parentum* nomine intelligantur maiores materni? Ita certe colligimus ex iis, quæ infra tradit Ekkehardus, scribens de supplicio Pertholdi & Erchingeri, eodem genere Warini & Ruadhardi prognatorum & in Ducatus procuratione successorum: *Omnique anno ille, dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulchrum eius* (S. Othmari) *uti filius carnificum illorum, pro reatu in eum quasi proprio misit.* Itaque Wolfhardus quoque Comes qui sequitur, & duo filii eius Wolfhardus & Hainricus, ex Guelforum prosapia extitere. Verum hæc tantum ex coniectura.

Periodum, id est versum uno spiritu prolatum) μονόκωλον περίοδον. Quam vero nullam reperiri auctor est Aquila Romanus libro De figuris, ubi hæc leguntur verba: *Constat ambitus ex duobus, ex tribus membris, ex quatuor interdum: etsi nonnulli ex uno membro ambitum putant posse compleri, quam* μονόκωλον περίοδον *appellant. Ego autem non video quemadmodum periodos cognominetur, & non potius colon sive membrum, si unum sit.*

Saporatum) Sapore & nidore culinæ atque obsoniorum saturatum, Balbus Catholico, *Saporare, saporatum facere.*

Odorem ferinæ hauriunt & carnium) Ita emendavimus, cum in omnibus libb. veterib. constantissime legeretur *carinum*. An Ekkehardus declinabat, *caro, carinis*, pro *carnis*? ut cardo, cardinis, ordo, ordinis. & similia?

Saltant Satyrici) Ludiones, histriones & mimi. *Sunt enim Satyri leves, ludificantes derisores, saltores*: Balbus Catholico.

Castellum quoddam super Stainheim) Quod nūc Stammen / sed vicus tantū. Nā ipsum castellū destructum eodem, quo Potamum, anno post Pertholdi & Erchingeri decollationem, ut observavit Stumpf. Chronic. lib. 5. cap. 16. Erat illud in monte situm, cuius radicibus vicus ille adiacet, & ab incolis hodie vocatur Burghalden / sollemni Alamannorum verbo, qui rudera destructorum castrorum, omisso proprio vocabulo, solent Burg / Burgstall / & si modica castella, Bürgle appellare. Quæ res effecit, ut propria nonnullorum castrorum nomina adeo oblivioni tradita sint, ut ne investigari quidem ulla ratione amplius possint, id quod graviter lib. 6. conqueritur Stumpfius.

Lege Alemannica tribus diebus) Hæc Lex non exstat in eo, quod tomo II. exhibemus per veteri & primigenio exemplari. Vnde est coniicere, Legi Alamannicæ paulatim alia atque alia capitula ab Regibus addita fuisse. Dicemus in Commentariis ad illam Legem. Porro huius rei exemplum habes in Charta LXXVII. eiusdem tomi.

Fiscalibus) Militibus præsidiariis Præfectorum Imperatoris. Bona ac prædia Stainhaimensia, & quæ circum, non erant in alodio illorum fratrum, sed feudo ab Imperatore concesso, quod illi ratione officii extorserant. Erant enim *Cameræ*, h. e. fisci Imperatorii, *nuntii* ac Præfecti. Quorum ministri & satellites dicebantur *fiscales*, velut eorum hominum, qui fiscum publicum procurarent & administrarent.

Vt in Diepoldisburg) Id factum referunt Annales ad Ann. Domini 914. *Diepolsburgum*, quam mox urbem appellat, sunt qui in Algovia collocent, sunt qui in Hegovia, eo loco ubi nunc Worblinga vicus, Ratoldicellam inter & Stainam oppida. Nos compertum habemus nihil. Hoc constat, dicto Anno 914. quo & Potamus & Stainheimum, funditus deletum fuisse.

Celer præmittitur) celer, veredarius, Italis *posta*, non à *Celere Romuli servo*, ut Benedictus Magister nugatur, nec à *cillendo*, ut Papias voluit, sed à Græco verbo, κέλλειν, quod est ταχέως τρέχειν. Vnde κέλης, qui Latinis *Celox*, ὁ δρομικὸς ἵππος, ut exponit auctor Etymologici & κελητίης, eques, Ritter / Hoffuncker. In Vita S. Eugenii Chartaginens. Episcopi; *Tum & quædam uxor cuiusdam lætitiæ Regis nomini Dagili, matrona nobilis ac delicata*, &c. *Celeris* voce utitur Ekkehardus infra quoque hoc cap. *Currunt illico celeres, qui Berthæ & urbanis* (i. e. civibus) *suis dicerent.* Et c. 10. *Vtinam post illum celeres, qui equum illum nobilem mihi reducant, mittere velles.*

Parat illico basilicam & aram) *Basilicam* vocat sacellum in ædibus privatis adornatum, in quo sacra peragi debeant. Supra monuimus, *capellam* vocari ab huius ætatis Scriptoribus sacra vasa & ornamenta, quibus, necessitate exigente, quovis in loco, ara ex mensa aut quavis obvia materie composita, sacra celebrari queant. Quo pertingit, quod in veteri Glossar. legitur. *Capella sub quo defertur Eucharistia sacramentum in processionibus fieri solitis: & dicitur sic quod olim fiebat de pellibus caprarum.* Himmelß Alamannis. Inde pro templo est translatum.

Et pallio dorsili caminatam) Infra cap. 10. *Vt in dorsi pallio & cortina lecti sui, qui humilia sentiens ipse iussit deponi.* Notkerus Balbulus de Gestis Caroli M. lib. 1. cap. 4. Et dixit Rex: *Sta post cortinam quæ pendet ad dorsum meum, & ausculta quantos adiutores honoris istius habeas,* Videntur tapetia (*tapetos* vocat Ekkehardus) fuisse retro Principum ac divitum hominum sellas arcuata & paris-

parietibus appensa. Cuiusmodi in caminata Salomoni præparasse Bertham istam verisimile est. Vt fortean sit legend. *parant tapetis & cum pallio dorsili caminatam.* *Caminata*, camera, conclave arcuatum, Alamannis corrupta voce **Kemnaten**. Infra hoc eodem cap. *Clauditur caminata super Episcopum & duos, qui aderant, Presbyteros.* Cap. 11. *Caminatas claustri Abbatem aperire rogavit.* Cap. 12. *Et caminatam antecessorum Abbatum quietis gratia tandem invitus introiit.* Cap. 16. de Ottone Imperatore Ottonis Iunioris patre; *Interea pater ad calceandum in caminatam ivit*, ex cœnaculo nimirum, auff **dem Saal**. Ibidem, *In alta illa, quem Sindolfus S. Notkero quondam clausit, locatur caminata.* Vtitur & Dithmarus Mersepurgens. Episcop.

Duellium) **Dwiel**/tunc **Hochendwiel**/Ducis Wirtembergensis munitissimum omnium, quantum habet propugnaculorum. Nomen dubio procul à bello accepit, pro quo *duellum* veteres dixere. Et in veteri Glossario olim ἀνωνύμως impresso legitur: *Duellium, bellum quasi dubellum, Duellum, locus in quo bellatur, & ubi milites perseveranter durant in bello, à duo & bellum componitur, quasi dubellium quia intus & foris geritur bellum.* Ab eadem origine esse videntur castella illa *Bellicon* in Aergovia & Brisgovia. *Belliza* munitissimum Rhetiæ fortalitium, ut horum scriptorum verbo utar; *Bellfort. Bellmont*, & similia Alamanniæ superioris loca à Romanis quondam, non ut Tschudo placet, Thuscis imposita.

Heil herro heil liebo) Salve Domine, salve acceptissime.

Iugulari præcepit) Capitibus plecti, ut alii Chronographi, Adingæ vico Alamanniæ Alpingovianæ.

Coram convivis Rhenum aqua quasi vinum potarent) Alii cod. *ieiuni aquam q. v. pot.* Verissime. Curabant cantharos suos aqua repleri, ut dum convivæ ab eis invitati meliuscule, quam sat fuerit, biberint, ipsi soli sobrii atque invinii essent, *ieiunus* pro non ebrio, id est sobrio.

In canthara quodam) aquario sc. qui etiamnum Alamannis **Kanthen**.

Coppam auream) Lexic. Græco Lat. Κόψα, *vrna, hydria.* Recte. nam & ipse Ekkehard. cantharum exponit. Alamannis adhuc **Kopf**/ opinor quia rotunditate sua capitis imaginem præsentet. Significat etiam poculum rotundum potorium, ut & apud Italos *Cappa.* Apud Tigurinos proprium certæ mensuræ nomen est, ut apud cæteros Alamannos *stoupus.*

Sarcofagum) σαρκοφάγον In MSS. codicibus perpetuo scriptum erat *sacrofagus*, ab imperitis librariis.

Anaglyphas) Sic & infra cap. 3. Rectius tamen in neutro *anaglypha*, τὰ ἀνάγλυφα. Eucherius Lugdunens. in lib. 3. Regum cap 17. *Anaglypha Græce dicuntur Latine cælaturæ. Cælata sunt autem vasa aurea vel argentea signis eminentioribus extra intusque expressa. Hæc & alio nomine sculpta vocantur: anaglypha vasa dicta quod superius sunt sculpta.*

Diptivit ex auro electo) An *gypsivit*, id est induxit & illevit? Nam ita Burckardus capit. 1. *Othmari ecclesiam crypta & fornicibus gypsi atque auri speciebus convenienter auctam auro & coloribus ornaverat.*

Fortuniis) *Fortunia*, sicut *infortunia*. Balbus Catholico; *Fortunium, prosper eventus, & dicitur à fortuna.* Infra cap. 3. *Multa bonis & malis aut fortunia prædixit aut infortunia.* Cap. 5. *Nescio quo loci fortunio.* Et cap. 15 *Vt ceteros relinquamus, & nostra fortunia tangamus.*

Scriptor eius Karolum dixit) Einhardus scil. cuius hæc sunt verba: *Tentabat & scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut quum vacuum tempus esset, manum effigiandis litteris assuefaceret.*

Scrinia eius Palatio addicta) Imperatorio, non Archiepiscopali.

Sapientia æquivoci sui antiqua Salomon) Cuius hæc sunt verba: *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ eius.* Videnda Charta LXXXIV. toti deincip s.

Ascendensque equitem illam velocissimam) Modo dixerat *sternatur ambulatrix mea.* Perniciores esse equas & veteribus potius quam equos in usu, notum. *Equitem* pro equo sive equa etiam alii dixerunt. Infra c. 10. *Equite ascenso S. Gallum noctu invadens*, &c.

In proximo prato stationari iussit) *Stationari*, congregari & subsistere.

In Araris pago) **im Aergöw**: quo modo *Turæpagus* **Thurgöw**. *Pagus*, regio, in quibusdam Chartis *gobia* **gow**. *Arar* fluvius ille est, quem hodie **Ar**. Latini *Arolam* dicunt Hepidannus in Vita Wiboradæ lib. 2. c. 9. *In pago qui Erigovve nuncupatur quem Araris fluvius ex uno latere præterfluit, & altero Rhenus.* Videndus Stumpfius Chron. lib 7. c. 21.

Chollincboven) Nunc **Zollikofen**. eius frequens mentio in Ephemeridibus & Chartis. Fuere qui *Zollicboverorum* S. Galli civium familiam inde deductam scriberent. Verene an falso, à nobis in iis libris, quos de Nobilitate Helvetiorum instituimus, disquiritur.

Sole sequenti) *Sol* pro die, veterum imitatione, quos notavit Servius Honorarius in Virgil. & Lutatius Statii interpres in 3. Thebaid. Balbus Catholico; *Quia Sol est causa diei, ideo ponitur aliquando pro die sed frequentius in plurali.* Hepidannus d. lib. 2. c. 4. *Cum apud materteram paucos exegisset soles.* Videntur Latini Græcos imitati. Euphorion apud Stobæum.

Ἠελίους ἤ τις τετρηκόσίους ἐφόρησας.

Nicander in Alexipharm.

τὸν ἠελίοισι δαμάζων, εἰσόκε ἐπτηκοστὸν. Scholiastes; ταῖς ἡμέραις.

Karolus autem homo deinceps videndus est) Ita 3. vett. codd. MSS. in unius margine adscriptum erat, sed aliena manu. *Raro autem homo*. Fort. *Tam rarus a. homo*. An *Karolus* accipitur, ut hodie ab Alamannis Kärle/de homine probo, bono, utili, ac strenuo, ut si Alamanniæ dicas: Von diesem tapferen Kärle? Sane, *Kerle* olim significasse hominem, sicut adhuc in Suecia & in Saxonia, observavit Flaccius Illyricus præfat. in Otfrydum Wissenburgens.

Capitulares literas rite creandi) Leg. *caraxandi*. Infra cap. 2. *parietes eius caraxasse*. Ekkehardus minimus in Vita Notkeri cap. 1. *Humili caraxatione prosequemur*. Vgutio Gloss. *Charaxare, à Character, id est scribere*. Aldhelmus de Laudibus Virginit. cap. 10. *Flexis literarum apicibus in quadrata parietis pagina caraxatis*. Gregorius Turonens. De Miracul. lib. 1. cap. 51. *Parietes domorum atque ecclesiarum signarentur atque caraxerentur*. Adamnus Scotus de locis sanctis lib. 1. in præfat. *Hæc universa, quæ infra caraxanda sunt*. Vtitur non semel Aldhelmus Bonifacii Archipiscopi discipul. epist. 69. Ædilvvaldus epist. 69. Isidorus Episcopus epist. 72. & Cinehardus Episcopus Wentanus epist. 74. In libro Epistolar. Bonifacii Balbus Catholico; *Charaxis, notatio, charagma, impressio, imago, vel littera*. Avianus. *Sicut numus habet caragma Cæsaris, sic homo habet caragma Dei*. Papias Gloss. *Caraxare, exinanire, scribere*. Exinanire, id est delere. Bertichrannus Cenomanens. Episcopus in Testamento apud Brissonium in Formul. *Si quæ literæ, si quæ caraxatura, si quæ literæ adiecta sunt, vel detracta, ego feci* Adde quòd notavit noster Freherus tom. 1. Germanic. Scriptor. & Doctor. noster Rittershusius in Sentent. Pauli, Savaro in Sidonium, Serarius in Bonifacium. De *litteris capitularibus* vide Notas nostras in Petronii Arbitri Satyricon.

IN CAPUT II.

EVLOGIA) Sic Christiani veteres vocabant munera Deo vota, quæ pauperibus distribuerentur, aut Ecclesiæ ministris mitterentur, vel iis largirentur; à quibus beneficio aliquo affecti essent, aut affici desiderarent, rebus tamen in divinis. Mutuata vox à Paulo Apostolo ad Corinth. 6. & 9. Balbus Catholico; *Eulogia, benedictiones, salutationes, & bona donationes*. Gregorius Turonens. Histor. Franc. libr. 5. cap. 14. *Post missas petiit ut ei eulogias dare deberemus*, ita illic legend. est, non *eulogos*, ut vulgo. Walafridus in Vita Galli lib. 1. cap. 20. de donis ab Iohanne Diacono S. Gallo allatis; *Et oblatis eulogiis salutavit patrem*. Adeundus Pamelius tom. 1. Lithurgiæ pag. 503.

IN CAPUT III.

OPERATORUM *Decanus*) Qui alibi *Decanus operis*, Werckzeugen/Baumeister. Est Præpositus operariorum, quem nostri Monachi lingua vernacula vocant Statthalter.

Convenire in scriptorio) Musæo publico, Monachorum studiis & scriptionibus hiberno tempore dicato, Italis *scrittoio*. Infra cap. 11. *Veniunt in pyrale, & in eo lavatorium, nec non & proximum pyrali scriptorium*.

Totis viribus à dorso ingrandinat) flagellat, verberat. *Grandes* ab his scriptoribus vocantur vibices flagrorum, interim etiam ipsæ flagellationes, quod catervatim grandinum instar irruant. Infra cap. 10. *Titionem ardentem ab igne dicto citius rapiens grandes sine numero nudo infregit*. Ibidem; *Flagello de Pyrali rapto, nisi ei erecto ad ictum brachio occurrissent, grandes incussissent*. Eodem loco, *Si imperitorum aliquis claustri illius invasori grandes infregisset, non ego curassem*. An. & c. 5. legend. *grandes mihi in collo infregerant*, deleto *ictus velut* glossemate? *Grandinare*, flagellare, castigare. In libro, cui index Aurora; *Carnis luxoriam grandinat ira Dei*.

Auricularem & intimum Episcopi) Vett. Gloss. *Auricularis amicus, secretus*. *Auricularius, secretus consiliator*. Vetus Interp. 6. Reg. 23. *Auricularium à secreto* Auctor Mamotracti. *Auricularius, secretarius*, & *consiliarius*. Infra ca. 6. *Auricularis patris fuit ille homo vilissimus* &c. Verba sunt Adelheidis Imperatricis ad filium de Sandrato Monacho Imperatoris intimo. Conradus Fabariensis casum cap. 8. Clientibus auricularis.

Labarum) Balbus Catholico; *Labarum est signum belgicum, quod ex auro & lapidibus pretiosis in vexillum S. Crucis transformatum inter alia signa bellica preciosius erat, quod Imperator & consules adorabant. Hoc signum & adorationem eius Constantinus fieri iussit*. Λαβῶρον vocat Curopalates. Videndus præter cæteros Baronius Anal. tom. 3. 4. & seq.

Pro pannis laneis emendis, quos fericales aut tunicas appellant) Fort. *tunicos, Panni fericales*. Francis *ferge* vel *farge*. Alamannis etiam farewat/ut in veteribus Poetis advertere est. *Panni tunici*, aut substantive *tunica*, Alemannis veteribus tunch/nostris n. ablato tuch/à verbo tüchen/, quod est *tingere*, quasi panni tincti.

Circator) Circitor vel circuitor, tralatio à re militari. Sunt enim *circitores* Vegetio, qui περίπολοι ἐφοδεύοντες Polybio. Vt hi vigiles recognoscunt, an in officio sint, ita ille Monachos, an in operis. Conradus Fabariens. cap. 8. *Circatoribus iuxta mandatum Apostolici monasteria singula perlustrantibus*. Infra cap. 6. vocat *exactores*, id est auscultatores.

Matrina) In Iure Canonico dicitur, quæ aliquem de sacrosancto fonte, ut loquuntur, levat. Hic

Hic pro ea, cuius aliquis liberos in sancto baptismate sustulit, quam & insolentiori vocabulo *commatrem* appellant, *commaire*.

Cambocam) Baculum camurum sive incurvum, quam *Pastoralem* nostri vocant, **krumbstab**. Marner vetus Poeta Nobilis; **Sagt mir der Pabst von Rom/was sol û der krumestab den Got dem guten Sanct Peter uns zu binden gab?** An eadem carmine ad Episcopos Abbates;

Ewer Krumberstab der ist gewachsen zeinen langen Sper.

Ekkehardus nunc *baculum* sæpius *ferulam* interpretatur. Walafridus in Vita Galli lib.1. c.26. *Qui* & *baculum ipsius* (Columbani Abbatis) *quem vulgo cambocam vocant, per manum Diaconi transmiserunt* Crebra eius mentio apud Theodorum in vita Magni, ut lib.1.c.7. lib.2.c.3 4. 6.& 8. alibi. Videtur autem rectior quorundam codd. scriptura *cambotam* præsentantium, si originem spectes. Nam à Græcis καμπτότης sive καμψότης mihi dicta videtur ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, quam ab Orientalibus Monachis accepere Latini.

Et Magistri eius) Columbani Abbatis,

Spera illa S. Crucis natissima), σφαῖρα, globo cui Crux infixa, aut particula aliqua sanctæ Crucis inerat, unde & *speram sanctissimam* appellat. Auctor Mamotracti in Isaiam c.29. *Speram, formam rotundam.* Itali retinent.

Barbarice clamans) Alamannice, *Barbari*, Alamanni sive Germanni κατ' ἐξοχήν Walafridus in Vita Galli lib.1. prolog. *priori nomine nos appellant circumscriptæ gentes, quæ Latinum habent sermonem: sequenti usus nos nuncupat Barbarorum.* Et c.6. de B.Gallo: *Non solum Latinæ, sed etiam Barbaricæ locutionis cognitionem non parvam haberet*, id est Alamannicæ linguæ. Et c.25. *Ad utilitatem Barbarorum bene prolata interpretando transfunderet*, hoc est, Alamannorum. Paderbornensis Monachus Annalium de Vita & gestis Caroli M. lib.1.

——— *Quod Barbara lingua nominat Eresburg.* Et eodem lib.

Nomen Heristalli dederas cui Barbara lingua.

Sidonius Apollinarius lib.4. epist 16. ad Arbogastum: Sic *Barbarorum familiaris, quod tamen nescius barbarismorum.* Videndus Savaro in Notis, & Commentarius noster ad Einhardum.

Comitis cuiusdam filius nomine Wolo) Comitis scilicet Kiburgensis, ut in Vita Notkeri cap. 27. scribit Ekkehardus Decanus.

Panis nitidus factus) Alludit ad verba D.Polycarpi, qui in circo leones cum videret, à quibus erat devorandus, conversus ad populum dixit: *Frumentum Dei sum, & bestiarum dentibus molor, ut purus panis Dei reperiar.*

Panthema) Hoc nomen quod ἔτυμον habeat, non queo divinare. Videtur significare sepulchrum seu imaginem sculptam.

Per psalterium seu per rotam pneumata inventa dulciora sunt) Lego, *neumata*, ut apud Ekkehardum. Decanum in Vita Notkeri c.c.22. Balbus Catholico: *Neuma, vocum emissio vel modulatio & neumaticus, modulator dulcis, suavis, & consonans. Et est vitium scriptorum, quum invenitur pneuma ut scribatur per p. & est ibi barbarismus, quia vitiose additur litera ibi.* Beleth us de Divin. offic. c. 59. *cuiusmodi sunt tropi, sequentia, kyrieleison, & neuma. Hic est notandum, quod semel diximus, neumam fœminei generis absque p. accipe pro iubilo* & c. In Margin. Vitæ Notkeri cap.17 *Iubilus, id est neuma, quem quidam in organis iubilant, plausum victorum lætantium commendat.* Hugo Reutlingensis Sacerdos in Florib. Musicæ c.4.

Versibus hexametris hanc neumam consociabis, &c.

Indita pendametris neuma sit ista tuis

Et alibi sæpe cum apud huncipsum, tum Guidonem Monachum & Iohannem Magistrum in libris de Musica. Quæ non eo animo adducta velim, quasi probum horum Scriptorum ineptias, verum quando semel occœpi hos auctores interpretari, existimavi officio meo fungendum esse. Est aliud agere interpretem, aliud disputatorem. Porro quod Ekkehardus ait *per rotam*, id perspicue explicat Ekkehardus Decanus in Vita Notkeri c.17.

Carolo) Crasso nimirum, cui Arnolfus successit.

Ad offerendam: Balbus Catholico: *Offerenda, antiphona, quæ canitur, quum oblatio debet celebrari.* Belethus de Divin. offic. c.41. *Dicto symbolo cantatur offertorum sivo offerenda, uti aliqui dicunt,* &c.

In Caput IV.

VT *Iohannes scribit*) Is est Diaconus Romanus in Vita S. Gregorii Magni P. R.

Frigdora autem & Occidentana, quas sic nominabant) Iisdem verbis apud Ekkehardum Minimum Decanum in Vita Notkeri capite 9. scriptum cgitur, Sunt hymnorum & sequentiarum genera, sic dicta à tropis & modis Musicis, quos *tonos* maluerunt appellare Monachi Martianum Capellam imitari. *Frigdorarum* originem à Græcis, *Occidentanarum* ab Latinis esse, vel ipsa nomina fidem faciunt. Nam *Frigdora* constant ex modis, quos Græci vocant *Phrygium & Dorium* queis de præter antiquos, qui de Musica integros libros reliquere, Mart. Capellam, Aur. Augustinum, Boethium, & Isidorum Hispalensem, videndus Hen-

ric. Loritus Glareanus in Dodecachordo, M. Ant. Maioragius orat. 23. & post Vincentium Galilæum de nova & antiqua Musica Erycius Puteanus in Musathena. *Occidentana* videntur mutatis Græcæ Ecclesiæ modis à B. Ambrosio Mediolanensi Episcopo inventæ a Gregorio Magno Pontifice Romanor. in Occidentali Ecclesia institutæ, & in Alamanniam atque Franciam invectæ, ut verbis non obscuris tradere videt ut Iohannes Diaconus in eius Vita, quem Ekkehardus noster est secutus. Et confirmare videntur, quæ notanter scripsit innominatus Hugonis Reutlingensis Interpres, ei (ut putatur,) coævus, in Prohœmio: *Post incarnationem*, inquit, *CHRISTI plures Doctores Sanct. Ecclesiæ, & specialiter Sanct. GREGORIVS & AMBROSIVS, cantum Musicalem, quo tam Latini quam Alemani, cum cæteris linguarum diversarum nationibus, utuntur in divino officio, in duo volumina librorum, videlicet in Antiphonarium & Graduale, collegit, dictavit, & neumavit seu notavit. Processu tamen temporis quidam Alemani, & præcipue canonici ordinis Sanct. Benedicti, qui cantum Musicalem non solum ex arte, verum etiam ex usu & consuetudine perfecte & cordetenus didicerant, ipsum, omissis clavibus & lineis, quæ in neuma seu nota Musicali requiruntur, simpliciter in libris eorum notare cœperunt, & sic decantaverunt deinde iuniores, & suos discipulos sine arte & frequenti usu & ex magna consuetudine cantum informare qui cantus sic per consuetudinem doctus ad diversa pervenerit loca. Vnde iam non musica, sed usus est denominatus. In quo tamen cantu discipuli deinde à Doctoribus, & Doctores à discipulis multiformiter discrepare cœperunt. Ex qua discrepantia & artis ignorantia usus dictus est confusus. Quo usu confuso spreto, nunc vere omnes Alamani hactenus miserabiliter per cantum seducti ad veram artem Musicæ revertuntur.* Et quæ sequuntur de Gregoriani cantus depravatione in Occidentali Ecclesia, quum maxime Alamannica, eiusque restauratione per peritos artis Musicæ. Verum de hoc Gregoriano cantu, quem & Occidentalem, Latinum & Romanum videntur appellasse, exstarent ipsius Gregorii, Item Romani Monachi, & Notkeri Balbuli de Musica libri, quam rem nunc quis addubitet nos facerent certiores. Dicemus tamen aliquid amplius ad cantum Musicum, quatenus & locus iste desiderat, & tu nobiscum postulas non ignorare. *Modi Musici* initio tantum quatuor veteribus noti, *Dorius, Phrygius, Lydius, Aeolius.* Quibus postea accesserunt *Asius & Ionicus.* Qui duo mediæ ætatis Musicis ignoti, illorum virtus quidem nota, appellatio ignara. Quippe *authentos* nuncupabant sive rectius *authentas* ordine cardinalis numeri, *primum, secundum, tertium, quartum.* Quibus subiunxerunt alios quatuor ab haut scio quo inventos, *plagales* seu *subiugales* à se dictos, quos primus (nisi vehementer memoria fallit) Glareanus Græca præpositione à cæteris distinxit, nominibus inditis *Hypodori Hypophrygii, Hypolydii, Hypoaolii.* Et hi octo toni soli à media ætate cogniti. Id nos præter Guidonem & Iohannem Magistrum docuit interpres ille capite 4. unde hæc verba duximus adscribenda: *Nota quod tantum quatuor toni à Græcis primo & principaliter erant adinventi, his videlicet, prothos, deutros seu deutrius, tritus, & thetrardus. Hæc enim nomina Græca ipsi Græci ipsis imponebant. Hos autem tonos autentos, id est digniores appellaverunt. Cantus enim, qui tunc temporis habebatur, eisdem quatuor tonis proprie poterat attribui. Nondum enim B. Gregorius cantum Gradualis & Antiphonarii, nec S. Ambrosius suum dictaverunt cantum, quibus cantibus nunc sancta mater* Ecclesia *utitur. Moderni itaque Musici videntes prædictos quatuor tonos minus posse sufficere ad omne genus cantus discernendum, quatuor alios prædictis quatuor addiderunt, quos plagales seu subiugales sive servos seu discipulos præfatorum quatuor vocaverunt, quemlibet prædictorum tonorum in duos distinguendo seu scindendos ut prothum in primum & secundum deutrum in tertium & quartum, tritum in quintum & sextum, thetrardum in septimum & octavum. Dicitur autem prothus à prothos, quod est primum: deutrus seu deutrius à deutro, quod est secundum: tritus à tris, quod est tres: thetrardus à tetras, quod est quatuor. Primo enim isti toni secundum ordinem debitum erant dispositi, licet tunc plagales toni sint eisdem immixti*; & quæ sequuntur. Tandem & Musices totius renovatio, & novorum modorum adiectio, notarumque transformatio facta circiter An. Dom. 1360. Notavit id Fr. Petrus Herp. Monachus Dominicanus in Chronico Francofurtensi ad illum annum scribens: *Musica ampliata est. Nam novi cantores surrexere, & componistæ & figuristæ inceperunt alios modos assuere.* Etenim prius ex usu tantum addiscebant canere neglecta artis disciplina, quæ primulum anno illo aut non multũ ante reducta videtur in Ecclesia Occidentali, ut præter Herpium locuples & satis idoneus testis esse potest supra memoratus Interpres, qui illo ipso tempore vixit, & verbis, quæ apposuimus, hæc subiicit. *Temporibus enim nostris super omnes homines variis artibus intendentes, Cantores usum addiscentes magis fatui iudicantur: quia in omni arte plura sunt, quæ nostro sensu cognoscimus, quam ea quæ à magistris discimus, &c. Stulti autem cantores usuales & ipsorum discipuli, etiamsi per centum annis quottidie cantarent, unam tamen historiam seu officium per se cantare nequeunt tempus multum, in quo possent in pluribus artib. proficere, inutiliter expendentes. Vnde etiam per cantum suum ex varia discrepantia frequenter Deum & Sanctos suos non laudare, sed se invicem in choris, & in ecclesiis confundere solent, & per hoc Deum ad iracundiam provocare. Vanitate ergo usus postposita cuncti cantores, qui hactenus usum didicerant & cantaverant, per consilium auctoris huius operis ad veram artem cantandi revertuntur, quæ ars est Musica* &c. Videtur & tunc primum Musica partiri cœpta in *Choralem & Figuralem*, suisque singulæ notis propriis scribi. Nam eius partitionis nulla apud superiores mentio, ne illum quidem Reutlingensem Hugonem, qui se teste paulo ante illud tempus floruit, hoc est, A.D. 1342. Versus eius, quibus id testatur, sunt;

M.so-

M. solum, tria C. simul X. tria prateriere
Post Christum natum, binum si iunxeris annum.
Cum flores istos contexuit Hugo sacerdos
Reutlingens. noris, si nomen scire loci vis,
Conscio Sueuorum quo colligitur variorum.
Post annos denos hinc plurima consociavit,
In varijs spacijs huius librique locavit, &c.

Videtur Hugo iste pleraque mutuatus à Guidone Monacho, qui pòst Boethium primus censetur à Monachis, si qua fides Hugonis Interpreti. Cum: *Vnde ipse Dominus Guido* (ait) *qui unus post Boetium huius artis tanquam neglecta & oblivioni tradita reparator fuit*, &c. Qui autem novi illi modo, quos Herpius anno illo scribit afsutos, nondum mihi constat. An, quos hodie vocant, *Mixolydius Hypomixolydius, Hypoionicus*? Si sunt, ecquibus cum nominibus appellavere? *Hyperæolius* & *Hyperphrygius* nuperi sunt, atque à nostris reiecti ceu spurii.

Aut susum aut iusum) Quidam libb. vett. *aut susum aut visum.* Illa scriptura confirmatur ab Ekkehardo Decano in Vita Notkeri cap. 9. & Anonymo quodam Sanct. Galli Monacho in libello, qui inscribitur, *Instituta Patrum de modo psallendi sive cantandi, ubi ita scriptum est: Nullus ante alios aut post incipere in versu vel cantu verba cantata reiterare, vel nimis discorditer festinare præsumptiori vel altiori, remissiori an graviori, id est susum vel iusum, tardiori vel velociori voce,* &c. An Ekkehard. noster, cuius auctoritatem isti sunt secuti, deceptus fuit privata alicuius libri scriptura, cum dicere voluerit, *susum aut versum? Susum,* etiam huius ævi auctores scripsisse testes sunt locupletes in Glossis suis Papias ac Vgutio, qui & Huguitio.

Villici maiores locorum) Infra capite quinto. *Minus culta incolere incipiens, maiores, quos diximus, talium desueti minus ei obtemperarent.* Isidorus Gloss. *Viticus actor.* Leg. *Villicus*, qui Ciceroni *possessionum & villarum dispositor.* *Villici maiores* qui& ἀπλῶς *Maiores* Alamannis etiamnum Meyer erant rusticarum possessionum & villarum administratores. Docuit nos Bertoldus Abbas Zuifaltensis libro de origine sui Monasterii, his verbis: *Ex his alpibus, ex decimis, & diversis areis, ex mancipiorum servitiis, procurator villæ daturus erat omnia vascula vino necessaria quotannis: cum trecentis caseis alpinis suum precium habentibus. Et hæc omnia cum sibi subiectis ad villam Fozahha, ad Brigantinum sive Podamicum lacum idem in plaustris necessaria deportaturus. Procurator villæ*, idem qui *villicus maior.* Erant autem *villici isti maiores* ab initio ex plebe & vulgo: postea progressione facta, cum à Dominis suis, non Principibus tantum, sed vero Baronibus & Nobilibus, prædia in beneficium sive feudum, ut Iurisconsulti loquuntur, accepissent, eo titulo etiam nobilitatem sibi vindicare cœperunt. Quo ex fonte infinita Nobilium profluxit multitudo. Quidam etiam ab officio nomen retentarunt, quorum ingens apud Alamãno-Helvetios numerus. Eorum nonnullos, qui tunc in memoriam sunt, & partim adhuc superant, partim sunt exstincti non pigrabo adscribere. Sunt vero *Maiores* (Meyer) *de Herdliberg, de Glarus, de Hochfelden, de Windeck, de Reidnovv, de Rietheim, de Sickingen, de Altstetten, de Sitten, de Mur, de Knonovv, de Burglen, de Eppenberg,* Meyer von S. Gallen & alii numerosi. Tandem rebus nimium procedentibus abusus natus est, ut ii *Maiores*, id est, villici, vocarentur, qui servi non essent, sed prædia colenda certa mercede conduxissent, suo nomine *Coloni* dicti, cuius rei exẽpla in Chartis observavimus. Hodie apud Germanos ulteriores omnes coloni, sive liberi sive servi sint, eo nomine gaudent, non item Alamannos De *Maioribus villarum* in regno Franciæ, quos illi vocant *Maires des villes*, non est nostri instituti neque huius loci commemorare. De quibus tamen qui rescire studet, is videat, quæ tradiderunt Longovallius in *L. imperium*, fol. 53. Alciatus Paradox. lib. 2. cap. 13. & Dispunct. lib 3. cap. 1. Drosæus Methodo Iuris in *L. magistratibus*, παρ᾽ ἐστ, de Iurisdict. & in lib. 10. Cod.

Scuta & arma polita gestare) Quod vetitum rusticis & ignobilibus etiam Lege quondam Alamannica, ut ex hoc loco condiscimus. Quæ repetita ab Friderico I. de pace tenend. libro 2. Feud. titul. 27 §. Burckhardus (a suum capit. 8. *Cellerarii Ecclesiæ iuris villicationis in modum beneficiorum habere contendebant, & contra consuetudinem quidam ex ipsis more Nobilium gladium cingebant.* Vide Animadversiones nostras in Winsbeckium. Durat huius legis imago in quibusdam Germaniæ urbibus, ubi quam Patriciis & Nobilibus non licitum cuiquam civi gladium gestare.

Tubas alio quam ceteri villani) Tubas pastoricias, ex arborum corticibus contextas, quas vulgo vocamus Alphörner *Villani*, qui in villis, qua fronte *Oppidani, Vrbani, Castellani*, qui in oppidis, urbibus, castellis. Adhuc Italis *villano est contadino, huomo de villa & villanamente, de villano*, rustice. Infra c. 5. *Villani quidam prædocti*, id est rustici. Brito Synonym.

Rusticus, agricola, rudus, & villanus agrestis,
Runco, ruricula, rurestris, villicus assint.

Hinc Franci hominem sordidum, rusticanum atque parum scitis moribus viventem vocant *villain.* Auctor eius libri, cui titulus Destructorium vitiorum, cap. 105. *vulgariter dicitur, Villanus est ille, qui facit villaniam, non qui in villa nascitur,*

Ad Tuscos, ut quidam ait, minandos aluerant apros) Solent lanii canes alere ad mi-

nanda animalia, non venatores. Sententia ergo iubet vt legamus, *venandos al. apros*. Et quod ſtatim ſequitur: *Venatui, ut viros decet, indulgeamus. Tuſcos apros* pro magnis dixit, ut Horatius *Lucanos apros, & boves Helvetios* pro ingentibus. Iohannes Vitoduranus in Chronico, qui extra Helvetiam erant.

Cellerarii) Qui & *Cellarii*, Keller/ut hodie, ita olim ſuberant Præfectis, quos Germani vocant Amptmann/ Alamanni corrupta voce Amman/tum *Villicos maiores*, vel ſimpliciter *Maiores*, ſicut dictum. Burckardus cap. 8. *Miniſteriales optimos manſus curiarum noſtrarum eligebant, Cellerarii Eccleſiæ tura villicationis in modum beneficiorum habere contendebant*, &c. Huiuſmodi *Cellerarius* à Regibus quoque Iudæorum conſtitutos ac diſtributos fuiſſe, patet ex 2. Paralip. 8. verſ. 4. & 6. & cap. 11. verſ. 11. 12. & 17. *Cellariatus*, Kellerey.

Curtes) *Curias* vocat Burckardus & Fabarienſis, id eſt *colonias*, Hof/ in quibuſdam Alamanniæ locis Curt. Legitur cum alibi in his hiſtoriis, tum apud Fabarienſem capit. 13. 16. 20. &c. Cæſarius Heiſterbacenſis libros Exemplorum: *Ex curtibus Eccleſiæ, quæ neceſſaria erant, tam in aratris, quam in pecoribus ſive expenſis, ipſe quaſi ſolus univerſa provideret. Curtinum* pro curte ruſtica apud Auctorem Deſtructorii vitiorum non ſemel. Significat autem *Curtis* vel *Chortis* proprie numerum hominum aliquo in loco congregatorum. Franci eo nomine familiam initio intelligebant, id eſt ſervorum mancipiorumque cohortes. Quæ quia plurimum ruri, ut agros colerent, inde fieri potuit, ut prædia ruſtica συνεκδοχικῶς eo nomine nuncuparentur.

An veteres Franci Latinorum Provincialium *Hortum* ad pronuntiationem ſuam detorquentes mutarunt in *Chortum* vel *Chortem*, poſtinde *Courtis* deleta aſpiratione, vel *Curtis*, quo prædium ruſticum intelligunt? Valde fluctuat animus meus in origine huius vocis: & vtra ſit potior, iudicent doctiores, & vel alterutri harum, vel illi quam infra propoſiturus, inrus ſum, fundi fiant potiores. In vetuſtis Tabulis ac Hiſtoriis *Curtium* appellatione venit poſſeſſio quædam integri ſtatus, ut Iuriſconſulti loquuntur, hoc eſt, pleni iuris, cum adiacentibus mancipiis, pecoribus: fructibus, & omni iure ſuo. Quo nomine & iuriſdictio interdum comprehenditur, & ea fere, quæ caret imperio. Alieniſſima enim fuere tam à Monaſteriis quam privatis hominibus imperia vel mera vel mixta.

IN CAPUT V.

G*Ladium, quem Chuono tunc, ut moris eſt, gerebat*) Quia gladio cingi proprium illo ſæculo nobilitatis, ut modo dictum, inſigne. Quod adimebatur illis, qui infamia notati. Qui mos apud Alamannos noſtros durat adhuc, dicuntque ehr vnd wehrloß machen.

Præſtationes militibus ſuis petivit) Tributa pro exercitu, qui in Italiam duceretur, conſcribendo exegit. *Præſtationes* Kriegsſtür/tributa, quæ ad expeditionem faciendam à Dominis exigunt, à vaſallis præſtantur. *Expeditionem* dixit Burkard. c. ult.

Piltris loricæ fiunt) Fortaſſis legend. *filtris*, id eſt filis vel funiculis. Balbus Catholico. *Filtrum, filum dicitur, quia ex pilis animalium fiat, unde filtratus.* Cuiuſmodi loricas perveteres ex funiculis orbiculatim contextas, quas lineas vocabant, & alias vidimus, & parens meus piæ memoriæ in armario ſuo à maioribus acceptam antiquitatis cauſa quam religioſiſſime cuſtodiebat. Nec Alamannis, ſed aliis etiam gentibus antiquitus in uſu. Nam Alexandrum lorica linea uſum auctor eſt Plutarchus in eius Vita. Et thoracibus lineis græcos pugnaſſe teſtis eſt Homerus. Iphicrates quoque *genus loricarum*, mutavit, *& pro ferreis atque aenis linteas dedit*, ut ſcribit Aem. Probus, ſive is Corn. Nepos ſit, in lib. de vita Excellent. Imperat.

Wannis ſcuta ſimulantur) Vanni pro ſcutis erant. Eſt autem *vannus*, ut Papias definit, *inſtrumentum de vimine factum in modum ſcuti.* Priſcos Germanos ſcuta geſtitaſſe viminea auctor eſt Cornel. Tacitus, & nos docuimus Animadverſionibus ad Tyrolem Scotorum Regem.

Sparrones & fuſtes acutæ focis prædurantur) *Fuſtes* in armorum generibus etiam Cyprianus Thaſcius poſuit epiſtol. quinquageſime quinta. *Fuſtes & lapides*, inquit, *& gladios, quos verbis parricidialibus iactabant, non perhorreſcimus.* Et Salluſt. Catilin. appoſite ad hunc locum: *Cæteri, ut quemque caſus armaverat, ſparos aut lanceas, alii præcautas ſudes portabant*, Ait *focis prædurantur*, ut apud Poetam: - *Sudibuſque præuſtis. Sparronis*, ſpari, ſparen.

Sintrianum) Ita reſtituimus locum in vett. codd. corruptiſſimum, in quibus *ſint tria u num* legitur. ſimiliter infra cap. decimo quarto, in Keraldo Monacho. *Sintrianus*, qui & *Sintria*, nobis Alamannis Sitter vel Zitter/fluvius eſt rapidiſſimus in ſummis Alpibus Abbati ſcellenſium oriens Alpiſaxum inter & montem Chronium, & in defluxu ſuperiorem Turgoviam perluens, tandem ad oppidum Epiſcopicellam Turiæ commiſcetur.

De tribus fiuuiis in unum confluentibus) Ergo dictus Sintrianus, quod tria flumina fiant unum quorum unus, *Fluſa* dictus, /der Fluß/ex monte Chronio: alter *Weisbacha* e Suandio: tertius *Barbacha* Bryllisovvo delapſi confluunt. Porro Stumpf. aliud adfert veriverbium. Arbitratur, *Sitteram* dictam quaſi *Zitteram*, à tremendo & horribili eius per ſaxa atque rupes delapſu, Chronic. lib. 5. cap 23.

Fitque

Sitque castellum, ut S. Trinitati decuit, fortissimum) Quodnam hoc castellum fuerit, nusquam est expressum. Hepidannus in vita Wiboradæ lib. i. cap. 31. ait *munitionem* fuisse *unius miliarii a monasterio*, scil. Helvetici. Mihi quidem, cum rationes locorum considero, videtur in Alpibus extructum natura locoque munitis, adversus hostium tam immanium irruptiones. Nec dubito, quin *Clanx* fuerit fortissimum illud atque munitissimum ad Sin. riam in Rhæticis Alpibus castrum probo milliario Helvetico supra Sanct Galli Monasterium. Huic enim loco, non alii, convenit descriptio sequens; *Audita castelli natura quod obsideri non possit; locum autem longo collo & artissimo impugnantibus maximo damno certoque periculo adibilem*, &c. Deinde narrans Englberti Abbatis in explorandis hostibus audaciam, ait eum per summa montium ad castellum rediisse: *Montem proximum*, inquit, *superant, castellumque per avia celeres tandem revisunt*. Et de presbytero ac Heribaldo Monacho Vngaros fugientibus verba faciens, scribit eos cacumen proximi montis occupasse, unde castellum potuerint conspicere. Quæ certè, nisi de Abbatis cellanis montibus, quum alii nulli sint, non intelligi possunt. Sed & illud opinionem nostram confirmat, quod ad hoc castellum in summis maximisque periculis suis Abbates semper confugere soliti, seseque in eo contra hostium vim atque impetus continentes tueri. Vnde & *Abbatis Cella* nomen accepit, quo modo *Episcopi Cella* in Turgovia à frequenti conversatione Episcopi Constantiensis. Tandem ab Abbate haut scio quo cum certis quibusdam prædiis in beneficium conceditur Monasterii cuidam ministeriali, cuius posteriori ex loco se von Klanx cognominavere. Rudolph. de Clanx *miles* (quo nomine equestris homo sive nobilis intellegitur) talis est in quodam instrumento Fabariensi Monasterio dato, A. Dom. 1257. de eius destructione, vide quæ diligenter ac sollerter collegit Stumfius in Chronic.

Capella citata fit oratorium) *Citata*, id est citò atque celeriter à festinantibus fratribus extructa atque ædificata.

Et dyptichiis capsa) Leg. diptychis. *Diptycha* in veteri Ecclesia duæ tabulæ erant, quorum altera virorum, altera mortuorum eo nomine continebant, quæ in missa recitabantur: translato vocabulo ab ostreorum diptycho, cuius mentio apud Ambrosium Hexamer. libro 5. cap. 8. Ex his eradebantur, qui post mortem anathemizarentur. Dionysius Areopagita Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. *Cum omnes se inter se salutaverunt, mystica sanctorum* διπτύχων *recitatio fiat*. Loquitur de συνάξεως λειτουργία. Iacobus Diaconus vita Sanct. Pelagiæ; *Quo illa audito, statim transmisit diptycum tabularum per eosdem pueros ita continentem; Sancto discipulo Christi peccatrix & discipula Diaboli. Audivi de Deo tuo, quod cœlos inclinavit & descendit super terram*, &c. *Diptychum* vocat epistolium, quod Pelagia conversionem & baptismum ac communionem sanctorum in diptychis comprehensorum à B. Nonno Episcopo Heliopolitano flagitavit. Formulam orandi *super recitata Diptycha* hanc in Sacramentario suo tradit Gregorius Mag. *memento etiam famulorum tuorum, qui nos præcesserunt & dormierunt in somno pacis*. Plura de his Iacob. Pamelius in Cyprian. epist. 66. & Lithurg. Tom. 1. pag. 262. Cuiacius observat. lib. 4. cap. 27. Gothofredus ad L. 7. § 5. C. *de summa Trinit. & fid. Cathol.* Gregorius XIII. P. R. ad Gratianum 24. q. 2. c. ult. & nos in Notis ad Prudentii *Diptychon*, quod perperam hactenus Amœno cuidam tributum. Ekkehardus & alii eius temporis Scriptores *Diptycha* vocant libros anniversarios, in quibus eorum nomina perscripta, qui pro suæ aliquid animæ remedio Monachis & Clericis legassent: custodiæ quorum *capsæ* istæ paratæ.

Ciborium Othmari) Infrà, *Ciborium S. Othmari argento vestitum nudant*) Mentio eius & alibi. Athenæus? Κιβώριον, ποτήριόν τι, οἷον κυμβίον. An flasconem illum parum intellegit, quo de Walafridus in Vita Othmari cap. 9. Balbus Catholico; *Ciborium quoddam vas ad cibos deferendos*. Confundit *ciborium* cum *cibotio*. Pompeius Festus; *Cibus appellatur ex Græco, quod illi peram, in qua cibum recondunt*, κιβώτιον *appellant*. Orus Milesius in Etymologico apud Fulvium Vrsinum Notis in Fest. ü: Κιβωτὸς ὠφελεῖ διὰ τὸ ... διὰ τὸ κεῖσθαι ἐν αὐτῇ, &c. [illegible] ... κιβώτιον ... τὴν βορὰν.

Corium ad calceos Camerarius hoc anno non dedit) Habuerunt Monasteria ditiora etiam officiales suos Monachos magnæ existimationis, & propriis beneficiis dotatos. Qui & proprios sacerdotes velut ancillares duos an tres habuerunt, & scholares totidem: ita privâ sigilla, & possessiones privas, &c. ut in Chartis est videre. Fuere autem *Decani, Propositi, Custos, Sacratarius, Cellarius* vel *Cellerarius, Camerarius, Portarius* sive *Portanarius* aut *Portnarius, Hospitalarius* vel *Hospitalarius, Aedituarius*, &c. Et hæ officiales personæ ferè cum Abbate ad firmandas donationes aut concambia facienda, etiam in longinqua loca iverunt. Et videntur in tempore Othmari durasse, atque adeo cum Abbatia institui. Nam ante Cozbertum Abbatem iam illi omnes leguntur in Chartis.

Primipilares (Capitanei, tribuni, ductores. Statim post; *Primipilares claustri planiciem tenentes omni copia convivantur*. Quos mox vocat *Principes*, id est Ductores, Hoptleuth: *Effusa lætitia saltant coram Principibus & luctantur*. Illico, *Provolvitur miser Principum cum lacrimis pedibus*.

Cellario) Cella, Keller. Brito Synonymis;

Dic Cellaria, promptuaria, dic apothecas.

Kerardus Monachus Augiensis Synonymis; *Cellarium, penus, pincerna, hypotheca*, Lego, *apotheca*. Vetus interpres Canticor. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua*. Ionas Abbas in vita Columbani:

Vas

Vas quod typrum vocant ad Cellarium apportavit. Walafridus in vita Galli lib. 1. cap. 11. *De parvo Cellario panem in integrum famulantibus porrexit.*

Usque ad sigillos adhuc plena) *Sigillus*, nobis Alamannis Sigel/est epitomium vasis vel obturaculum, quod orificio, ut Apuleius loquitur, vel ori summo doli inferitur, illudque obstruit, sic dictum, quia olim vasa signabantur. Cuius rei habes elegantem locum in Facetiis Hieroclis Philosophi, quas ante annum vulgavimus, *c.16.*

Minare) Verbum usurpatum Apuleio quoque & aliis elegantioris notæ Scriptoribus, quos notavit P. Colvius in Notis. Infra hoc c. *Boum paribus copiosis parique tractu minatus.* Auctor Mamatracti in Isaiæ cap. 20. *Minabit, ducet.* Serlo Magister in Different.

Dum grex minatur lupus illi dente minatur.

Gaius quidam Grammatista in Catholico laudatus.

Troia minans cecidit non se bene minans.

Balbus Catholico; *Minare, compellere vel ducere.* D. Hieron. *Me minavit & abduxit in tenebras, & non in lucem* Hinc Francorum *mener & pourmener*, quod & *promener.*

Retinaculorum) Retinacula, sunt siphunculi seu fistulæ, quæ dolio immissæ liquorem reddunt, Zapf: *feraculum* vocat Theodorus in vita Magni, ubi vide Glossas.

Cumque more suo super viride fœnum singuli ad prandendum absque sedilibus recumberent) More videlicet Orientalium populorum, qui cibum sumpturi non assident mensis, ut nos Occidentales, sed tapetibus, si divites; fœno aut stramine stratis, si tenues, humi accumbunt. Quem morem Turcæ necdum amiserunt.

Absque sedilibus recumberent) Sedile, Alamannis Sidel/olim sedale. Otfrydus Wissenburgensis ad Salomonem Episcopum Constantiensis;

Ther Biscof ist nun ediles

Kostenzero sedales id est, sedilis, sedis, Stuls. Videndus Achilles Gassarus in Dictionario priscarum vocum.

Plenis cuppis) Kuoffen/*coupe* Francis. Ios. Scaliger. Annotat. in Copam; *Cuppa quidem vasa vinaria, sed quæ mustum è torculari excipiunt, non quibus ad bibendum utuntur: quamquam hodie in vulgari sermone nomen cupparum in generibus cyathorum usurpemus.*

Ludicrum, quod Teutones pichin vocant) Qualis iste lusus, aut quid *pichin* hoc loco significet, ut scirem, ei rei operam dabam. Apud Belgas *pickelen* vocantur astragali seu tali lusorii. Sed nihil ad cultellos. Apud Alamannos hodie lusus est in usu, qui cultellis fit, vocaturq; Pecken/ sive Picken/ & modum fit ad istum. Culter à talis usque ad verticem singulis membris uni post alterum admovetur cuspide. Dein capulo compræhensus omni nisu & ex summa vi rotatur terram versus, si mucrone infixus steterit erecte, prosper est iactus? sin capulo inciderit, malus Verum ne iste quidem videtur huic loco posse accommodari. Marquardus Freherus, nobilissimus simul & eruditissimus, Palatini Septemviri Consiliarius, pro *pichin* legend. censet *picken*, quod in vet. Glossario exponitur *scabere, pungere*, ἐνσείω, opinor. Videtur namque lusus fuisse in conviviis & hilaribus usurpatus, quo eius, quem ei rei alligabant, ut risum iocumq; facerent, verticem non advertentis radebant.

Monasterio omisso villæ domos &c.) Ergo nondum erat oppidum in loco S. Galli, sed tantum villa, cuius appellatione huius ævi scriptores intelligunt vicos celebriores. Quod haut diu post sub Annone Abbate contra huiusmodi hostium invasiones muris cinctum & fossatis circumdatum A. D. 954. ut ex sertim scribit Ekkehardus infra cap. 8.

Castellani) Præsidiarii in Castello milites, qua notione utitur & Burckardus cap. 7. Alioqui *Castellani* dicuntur Domini Castrorum, nobiles in Castellis habitantes. Apud Sclavos Polonos sunt Castrorum Regiorum Præfecti atque Præsides. Et sic usurpatur Marcellinus Presbyter in vita S. Suuiberti Episcopi c. 7. *Ob defensionem Castellani Traiectensis*, id est, Præfecti. *Chatellain* Francis, sed nomine ad eos delato, qui apud Helvetios *Ammani* in villis.

Hostium invasionis primicerius) ad hostes invadendos & explorandos primus auctor, & antesignanus ipse atque ductor, *signifer* cap. 11. *Confessum collegii nostri signifer aggressus est*; Brito Synonymis.

Signifer, anteque signanus * *rem signat eandem,*
His primicerius, vexillifer associantur,
Primus pila gerens primipilus tomes istis.

* *Ita legen. non signarius, ut in vulgar. codicibus.*

De nobilibus enim ille natus) puta Comitibus Dilingensibus, ut in illis vitis præscriptum est, quas Welserus noster redidit.

Continentiaque strophio, id est cingulo virginali) Posteriora verba videntur esse à manu lectoris, qui ea in margine annotaverat, ab imperio librario in textum recepta, ut alia in his libris sexcente. Porro interpretationem confirmat Balbus Catholico, *Strophium dicitur pallium virginale.*

Pulvillum) lectisternium, ut ipsemet Ekkehardus interpretatur, id est culcita, quæ in lecto substernitur, ut ei incumbamus. Imperite dictum, cum *pulvillus* sit ἀγκωνιφάλαιον, quod vocant Erotianus & Philoxenus Hopfküssein/ cuius primitivum *pulvinus* Pfulben/ Alamannis, pro Pfulwen/ murato W. in b, sollemni nostræ gentis more. Placiades, sive is Placidis fit, Glossis ab Roberto Constantino in Supplimento citatis; *Pulvinus, privati hominis cervical sive culcita. Pulvinar vero ac pulvinaria Principum sunt vel Regum, id est lectisternia.*

Tali

Tali ille lectisternio) pro stragula vel stramento lecti. Auctor Historiæ de S. Findano, c. 4. *Pro lectisternijs lapides velatos paußans corpori occulte suppoſuit.*

Graphio) Kerardus Augienſis Synon. *Graphius, ſtylus, calamus, pugilaris.* Brito Synonymis;

Sunt graphium, ſtilus, & calamus Scriptoribus apta;
Atque pugillaris fertur capiente pugillo.

Hinc *Graphiarius* pro ſcriba, Cancellario.

Sub capula) Balbus Catholico: *Capula, parva capa. Capa, ornamentum capitis.* Neſtor Novarienſis Lexico; *Capula, genus eſt veſtis.*

Mi ſodes care) *Sodes* pro ſodali, à Barbaris dictum, docemur ab Vgutione. Et Balbus Catholico inquit: *Quod quidam dicunt, quod ſodes tantum valet, quantum ſocius, omni caret ratione.* Vnde paret errorem hunc eſſe vetuſtum, qui mihi videtur ex compendio ſcripturę natus, *ſodes*, quo notatur *ſodalis*. Supra cap. 1. de Salomone: *Quo in conclavi tuo uteris mihi ſodes, tribue.* Verba ſunt Hattonis Archiepiſcopi Magontienſis ad Salomonem ſodalem ſuum. Infra cap. ult. de Notkero Abbate: *Bene, ille ait, mi ſodes, narras.* Aldhelmus diſcipulus Bonifacii Archiepiſcopi in carmine 4. Epiſt. 69. *Phile Chriſti chariſſime, Cingo amoris vinculo Olim ſodes ſanctiſſime.*

Quam decenter tibi clypei faſcia inſidet) *Clypei faſcia.* Schiltlör/quo pacto galeæ faſcia, Helmlör & Brünlör. Vide anim dverſiones noſtras ad Winsbeckium.

Non longe à monaſterio Pons altus) In ſilva, ea via qua Conſtantiam itur, die Langbrück/olim Pontalt dictus.

Bozanarium ſuum expectanti) An ſic vocat aurigam, qui boves agebat? Quod ſi eſt, legendum erit *bozagmarium*, ἀντὶ τῦ *boſſagmarium*. Balb. Catholico: *Sagma à ſagum dicitur, quæ corrupte vulgo dicitur ſauma vel ſalma, id eſt ſella, vel pondus, vel ſarcina, quæ ſuper ſellam ponitur: & dicitur à ſtratu ſagorum, id eſt ſellarum, vel quia ſellæ ſago ſolent ſterni. Vnde ſagmarius, id eſt caballus: & hæc ſagmaria, id eſt equa vel mula: vel ut generaliter dicam quodlibet iumentum poteſt dici ſagmarius vel ſagmaria, pro diverſitate ſexuum.* Nec iumentum ſolum, ſed & qui iumentum agit. In Deſtructorio vitiorum cap. 96. *Sagmarius quidam bubulcus arabat pratum ut ſeminaret: ſed boves, ut ſolebant, non arabant, imo pro poſſe recalcitrabant, propter quod arator eos aculeabat. Boves autem vociferati ſunt contra eum dicentes: Maledicte, quæ de cauſa percutis nos, quia ſemper ſervivimus tibi: Quibus ſagmarius, cupio arare pratum, ut mihi & vobis cibum tribuat,* &c. Quibus locis omnibus perperam in vulgatis codicib. *& ſagina & ſaginarius*, &c. excuſum eſt. Ergo pro illorum verbis, *aſinus ſagmarius*, Sackträger: *Bos ſagmarius*, &c. clitellarius, Saumroß: *equus ſagmarius*, Saumroß. Sed coniunctis vocib. *bozagmarius* pro bubulco vel agitatore, Säumer/Ochſenſäumer. Quod ſi cui minus placet, is conſideret, an ſcribi oporteat *boſtanarium*, id eſt morticinia boum. Iam enim de caſu boum ad Epiſcopum elatum erat, qui propterea anxius exſpectabat morticinia proſtratorum & à curru ſuffocatorum ſuorum boum. Id quod innuere videntur ea, quæ ſequuntur verba: *Adiumenta nectentes Epiſcopo boſtanarium ſuum exſpectanti deferunt, & integra omnia & ſana oſtendunt. Laudes Deo cum fratrib. tandem vir Dei publice perſolvens,* &c. Derivatum nomen à *Boſtar.* Vgutio Gl. *Boſtar, locus ubi boves ſtant, ſtabulum. Dicitur etiam boſtar, locus ubi corpora boum comburuntur.* Papias Glo. *Boſtar, locus ubi comburuntur corpora boum, vel ſtatio boum.* Itaque *boſtanarium*, quod ad boſtar deducendum ſit. Sed hæc arbitraria ſunto, non definitiva.

Vt nos nobis eſt cappa illa aquilifera indutus) Aquila imperiali inſignita & acupicta, in ſignum eius libertatis, quæ præter Imperatorem non agnoſcit ſuperiorem. Hæc in proceſſionibus publicis ſplendidioribus Abbas vel eius loco Epiſcopus, ſi qui adeſſet, cui honorem illum cederet Abbas, indutus reliquias eius Sancti, ad quem proceſſio fiebat, baiulabat. Infra cap. 10. ait Hadvviga Sueviæ Dux. *Sanct. Galli locus Imperialis libertatis quum ſit, meique reginimis, immunitatis privilegio pollet,* &c. Et ibidem eodem loco: *Si Regiæ libertatis Abbatem,* &c. Et aliis locis perſæpe huius libertatis fit mentio.

Capitio cappæ impoſito) Differunt *capitium, caputium, & cappa.* *Capitium* ad os tunicæ collum circumamicit humeris iniectum, veteribus Alamannis Goller/quaſi *collare*, quam vocem Germani adhuc retinent, noſtrates Alamanni pro eo dicunt Halßmantel. Et fuit uſus capitiorum etiam mea memoria, qui iam prorſus obſolevit. Nam quod nunc eo nomine appellãt veſtimenti genus, plane à veteri illo diverſum eſt. Hoc totos humeros, dorſum atque pectus tegit: illud collũ modo circumcingebat, ut in antiquis picturis videmus. Romanis tamen videtur *capitium* fuiſſe id, quod nunc dicimus Goller. Sic enim ſcribit Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Capitium, ab eo quod capit pectus, id eſt, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit.* Quo cum facit Nonius c. 14. nu. 37. Pro noſtro collari Auctor Mamotracti: *Capitium, quod eſt circa collum.* Græcis περὶ ὤμιον, ut apud Septuaginta Exo. 28. & Iob. 30. ὥσπερ περιστόμιον τῦ χιτῶνος μυ περιέσχε. Latinus interpres: *Et quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.* Ex quo loco Balbus Catholico: *Capitium, os tunicæ vel alterius veſtis, unde caput immittitur.* Perverſe. Nam *capitium tunicæ* Hebraiſmus eſt, pro capitio tunicali, ut ita loquar, id eſt eo quod tunicæ inſtar pectus *tegit*, ut dict. loc. inquit Varr. *Caputium* pro pileo. Codin. Curopal. de Offic. Conſt. Ἀφαιρῦντες τὰ ἑαυτῶν καπούτια γονατίζουσι δύο πρῶτοι. Balbus tamen Catholico: *Caputium idem quod capa.* Quo modo legendũ videtur infr. c. 14. *Et caputium capiti imponens*, ubi o. lib. quos vidi *capitium* nõ recte videtur habere. Italis *capuccio*: vnde Fratres *Capuccini* ex ordine Franciſcanor. nomen poſſident. Eſt v. proprie *caputium* ea cappa, quæ tunicæ cohæret, in humerum reiecta. *Cappa* autem, capitis tegmẽ à tunica ſeparatum, cucullus,

Gugel/

Gugel/*capello* Italis, Germanis Kappen/ Alamannis Schlappen. Walafridus in vita S. Othmari cap. 2. *Ita ut interdum sine tunica sola cappa contectus ad Monasterium remearet.* Wandelbertus in vita Sanct. Goaris; *Ingressus cœpit quaquaversum aspicere, si forte esset locus ubi posset capam suam pendere vel abscondere, &c. Cumque appropinquasset ad radium Solis demonstratum speciem grossioris perticæ prætendent, appendit capam suam super ipsum radium,* &c. Anonymus in vita Sanct. Machutis; *Et ut posset melius ac levius operari, capam in quodam loco vineæ disposuit: peractoque labore cum vellet capam iterum induere, inventum est in ea cuiusdam ovum aviculæ,* &c. Lupus Ferrariensis Abbas Epist. 125. ad Volricum; *Minas prædonum, quibus vastatis longæ lateque celeberrimis locis etiam sedem. Negotiatorum cappas se petiturum iactabant.* Locus est corruptissimus & hoc pacto persanandus; *qui ut l.l. cel. loc. etiam sedem nostram & ociatorum cappas s.p. iactabant, subvertit, ac eos,* &c. De *cappa S. Martini* nota res est vel ex uno Walafridi libro de reb. ad missam spectantibus. Vnde illa sunt petita, quæ scribit Notkerus Balbulus, uti ego existimo, ut alii, Wernherus Sanct. Galli Monachus in vita Caroli M. lib. 1. cap. 4. *Quendam optimum dictatorem & scriptorem in capellam suam assumpsit; quo nomine Reges Francorum propter cappam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppressionem iugiter ad bella portabant, sancta sua appellare solebant.* Videndus Rigaltius in Glossar. Tactico Mixobarbaro.

De mercato) foro, ab dem Marckt/ in mercato Italis. Infra cap. 16. *Hospitio sibimet qua posset petito de mercato se curare.*

Carrucarium) *Carruccarius*, qui carruca vehitur: *Carrucator*, qui vehit. *Carrucare*, vehere. Paulus Diaconus in vita S. Arnulphi; *Vbicunque necesse esset fruges saccis impositas ad monasterium carrucaret.*

Seram istam adhuc impunitam mihi dona) An *seram*, quia serio ad ordinem pervenit, nec diu adhuc in eo stetit permansitque? Imo *seram*, id est pœnitentem, dolentem, atque cruciantem sese propter patratum cum Hugone Comite incestum. *Ser* Alamannis, dolor, cruciatus, weetag/ liden. Protrita vox Otfrydo Wissenburgensi in eo libro, quem Gratiam Dei Theotisce præscripsit, Notkero Labioni (hic enim auctor est, non Balbulus, ut falso hactenus opinatus sum) in Psalterio Barbarico, Willeramo, Abbati in Cantico Canticorum, Rudolpho ab Ems in Paraphrasi Veteris Testamenti, cuius Flaccius Illyricus & Theodorus Bibliander meminere, & ab heredibus Schobingeri nostri desideratissimæ memoriæ viri possidetur, Strikero in Gestis Caroli M. & Ruolandi, Gravenbergio in Wigolaiso, & apud CLIV. illos veteres Poetas, quorum volumen soleo Aulicum & antiquitatis Germanicæ thesaurum appellare. Kero Monachus Lexico; * *Dolum, seer, Dolentum, serazzantan.* Otfridus lib. 3. cap. 4. de Paralytico;

Dolum pro dolore dixit, cuius notionis exempla apud Savaronem notis in Sydonium

Thaz er lag siwaré
In themo selben sere.

Et in fine de Iesu Salvatore;

Thaz er was ther heilant/
Thier inan thes seres inbant.

Et aliis millenis locis.

Porro Freherus noster pro *seram* legendum censet *miseram*. Iudicet Lector.

Quasi perlustrium fecerant) ut omnia undique essent perlucida & clara. *Perlustrium* dixit, sicut alibi *disturbium*, pro perlustratione ac disturbatione.

Per omnes circumquaque munitiones) munimenta, castra munita, quæ *fortalitia* vocant alii, Francis *fort*, Italis *forte* & *fortezza* Feste oder Vestung.

Defensaculo) defensioni & munitioni. Vgutio Gloss. *Defensaculum, defensio, vel id quod defendit.*

Schvvartzvvalde) *Nigra silva* quæ & *Hercynia* & *Baccenis*.

Iuraque silvam) montem silvosum, qui Ratperto, Walafrido, Wettino, & Theodoro *Vogesus*. In MSS. *Iurisque* erat, quod nos bene, ut arbitramur, commutavimus.

Fillonss illi fugitivi) An villones, id est villani, villain, die landtflüchtige schälmen/ nebulones fugitivi? Auctor Destructorii vitiorum, in fab. Lupi & Agni; *Hinc clamavit lupus, Anloqueris furcifer, id est villane? & devoravit.* Nugæ, & obaudio Freherum *Fillones* exponentem verberones. à veteri verbo *fillen*, Otfrydo, Notkero Labioni, aliis frequens, pro *cædere, flagellare, fustigare.* An *latrones & prædones*?

Arelato vendidit) in regnum Arelatense.

IN CAPUT VI.

THIETO) Quid & *Thieto*, verum in antiquis Tabulis *Thioto*.

Coronati in, bectu) Imperatoris, Sic *Corona* pro imperio & regno. Vnde Francorum phrases, *attenter contra la couronne, tourbateur de la couronne,* &c.

Exactoribus, quos circa·tores vocamus) *Circatores* sunt, quos nunc in scholis coryceos appellant; Alamannorum scholastici Casalantes, qui occulte & clamdestino subauscultant quid dica-

dicatur, quid agatur: *Exactores* dicti, quod pœnas à Magistro exigant in pueros. Infra cap. 16. *Si deliquissent, à magistris exacti vapulabant.*

In domiciliis curtis Abbatis) *Domicilia*, conclavia. *Curtis*, aula vel palatium, Pfallentz / de quo supra ad Rapert. cap. 8.

Hartmotique aurea talenta) *Talentorum* verba generaliter usus est, pro thesauro, sive pro auro argentove.

In Caput VII.

Errovagari) *Errovagus*, una voce, erro instabilis & vagus, *Errouagari*, vagabundum errare, dispalare, in nullo certo loco consistere, hinc inde discurrere, Alamannis Irrwagen / eadem & compositione & origine. Sunt enim hæc & alia id genus verba Romanorum in Alamannia reliquiæ, aut certe à Rhætis illata.

Victor autem rebellio factus) Rhætismus. Nam Rhætis atque adeo Italis omnibus, *ribello* dicitur rebellis. Fuit autem Victor iste *Rhætus*, seu, ut Ekkehardus loquitur *Rhetianus*.

In Caput VIII.

Paratur as *sanctuarii*) Vasa pretiosa in sanctuario reposita. Auctor Mamotracti *apparatum* vocat, in 2. Paralip. 5. *Id est apparatum eorum, qui erant cum ipsa & circa ipsam.* Conradus Fabarienf. cap. 4. in fin *Maximum Ecclesiæ per ipsum excepit incommodum in paraturis miro sumptu deauratis XVIII. crematis, &c.*

Retianus & minus Teutonus) Rhæti enim corrupta lingua Italica utuntur, ii potissimum qui cis Curiam habitant, quos nos Alamanni Churwälschen/ hoc est, *Curienses Italos*, ipsi vero *Romanos* semet appellant. Paris his conditio Equestrium in Allobrogia ad lacum Lemannum, qui nunc Caballæsiani, & confinium Vallesianorum, qui corrupta utuntur lingua Gallica, quam *Romanam* ipsi vocant, & se *Romane loqui*, quod suo idiomate *parlar Roman.* utraque lingua, & Rhætica & Allobrogica, quas hodie *Curiensem* & *Sabaudicam* nominant, Provincialis Latinæ vulgaris videntur esse reliquiæ. Fuit enim ab Romanis in Provinciæ formam redacta cum Rhætia superior, tum Allobrogia, cuius tunc pars Delphinatus. Hinc est quod fabulosa poemata veteri lingua Gallica, quæ propius accedebat ad Romanam, id est Latinam, quamve Equestres ita repræsentant, ut veterem Alamannicam Helvetii, perscripta vocentur *les Romans.* Porro Rhætica lingua inter annos ducentos plurimum interiit, Alamannica indies invalescente, ut hodie nedum Curiani, verum & qui remotiores sunt, Alamannice loquantur, qui haut longe supra centum annos Italice fabantur, si modo corruptissima illorum lingua Italica est censenda. Et certis coniecturis ducor ut existimem, Rhæticam illam veterem linguam sese quondam usque ad Clusuras, quæ nunc ab Alamannis Hirtzensprung à cervi canibus agitati (ut fama perhibet) transsultu nominantur, semimiliario Helvetico infra Baronatum Saxensem, extendisse. Quod autem Tschudus putat eam linguam esse Thuscam, licet corruptam, caret ratione & auctoritate.

In Caput IX.

Ekkehardus *Decanus*) Ex nobili familia *de Ionschvvyl*, ut scribit Stumpfius libro 5. cap. 4. Quod quo auctore, affirmet, mihi non liquet. Nam quod infra dicitur, *Ionsvvilare* requisivisse & tenuisse, non videtur valde eius opinioni conducere: quum constet, Decanos ac Præpositos multa prædia peculio suo acquisivisse & possedisse, quæ vero familiaria aut gentilitia non erant. An *requisivit* aditione hæreditatis, & *tenuit* iure possessorio sive hæreditario? An fratribus & nepotibus suis moriens reliquit, qui inde cognomen sibi posterisque suis postea demum nacti fuerint? Illud magis fuit Stumpfio & Vadiano visum, quos interim sequimur.

Capituli domum) Balbus Catholico: *Capitulum dicitur quandoque locus ille, in quem conveniunt Claustrales: quandoque illa congregatio Claustralium.* Ibidem; *Capitolium dicitur à capitulum, quia ibi conveniebant Senatores, sicut in capitulo Claustrales: vel quia ibi conveniebant capita civitatis.* Et hæc postrema ratio potissimum tradit Capituli ἔτυμον. Nempe *Capitulum* est concilium vel senatus Principum ac Primorum regni, civitatis, ac collegii alicuius. Hinc *Capitularia* dicta leges, quæ in capituli communi Primorum consensu constituuntur & ordinantur. Vnde, quia in Monasteriorum & Collegiorum capitulis plerumque vitiosi emendabantur, delinquentes corrigebantur, nata Germanorum phrasis einen Kapitteln / aut etiam Capittel lesen / pro obiurgare ac corrigere.

Armentariorum) Vgutio: *Armentarius, custos armenti, sive animalium de armento.* Vetus interpres Amosi Prophetæ cap. 7. Walafridus in vita Galli lib. 2. cap. 23.

Magalia) Divus Hieronymus in Commentar. in Prophetam Amos; *Agrestes casas & furnorum similes Aphri appellant mapalia.* Philoxenus Glo. *Mappalia, καλύβαι.* Lactantius de Benefic. Christi.

Horrida prima mihi in terris magalia Iuda
Hospitia in partu sociaque fuere parenti.

Natus enim Christus in stabulo Bethlemi in terra Iudæa Balbus Catholico; *A magar dicitur hoc magale, quasi magare, i. posita pro t. & sunt magalia casa pastorales vel casa Aphrorum viles eadem & mapalia.* Veteres tamen discriminant, & *magalia* volunt esse Afrorum, *mapalia* Græcorum Lexic. Græco-Lat. Καλύβια Ἄφρων, *magalia*; *singulare non habet.* Carisius Sosipater lib. 1. *mapalia*, καλύβαι Ἀφρῶν, *magalia*, καλύβαι, Ἀφρῶν. Ita ibi legendum Καλύβη καλεῖται πᾶν αὐτοσχέδιον οἰκοδόμημα inquiunt Græcorum Grammatici. Videndus Festus, Servius in Virg. Isidorus lib. 15. cap. 12. Nestor Novarien. Lexico.

Solitario defuncto) Eremita Balbus Catholico; *Solitarius, singularis. Vnde Eremitæ dicuntur solitarii, quia soli in eremitario commorantur. Inde Honorio Solitario Augustodunensi nomen, qui scripsit Gemmam animæ & Chronicorum lib. 3.*

Virginem Kerhildam Notkeri Balbuli neptem) Ex sorore scilicet. An illa quæ Comiti Kyburgensi nupserat, unde genitus & Wolo Monachus, qui casu præcipiti collum fregit, ut supra cap. 3. refert Ekkehard.

Circa Wiboradæ Clausulam) Cellulam, ubi erat inclusa, *inclusorium* aliis, Clausenhüßlin Alamannis. Vsurpatur hac notione cap. 10. & ab Hepidanno Minore in vita Wiboradæ libr. 1 cap. 15. & 19.

Perchtera) Hepidanno in Annalibus *Perethrat & Pertherath.*

In Cella Salomonis circa parietem tituli S. Georgii) Nunc Monasterium est Sanctimonialium in monet, qua itur Abbatis Cellam, zu S. Jörgen.

Comitus) Eadem voce legitur in Lectionario veteri, lectione de S. Notkero, his versibus, tametsi corruptis & mancis;

Hos inter populos nostri miserere Monachos
*Commitus * isdo ab Ysone tuo.*

In quibusdam exemplaribus apud Ekkehardum legitur, *Comibus.* Latet aliquid, quod non extrico.

Hebdomadam septem cottidie victualium) *Victuale*, ferculum vel missus. Durch die gantze Wochen alle Tag siben Essen/id est Gericht. Namque Alamannis Essen, quod Ekkehardus *victuale* reddit, idem notat quod Latinis missus.

Quarum quintam nonalem quidem vino comparare voluit) Quæ est *Cervisia nonalis?* An quæ à tributariis nonarum penditur? Nam *nonæ & decimæ* tributorum species, cum nona vel decima pars exigitur, de quibus in Capitularibus Caroli Magn. in Additionibus Anni xvi cap. 5. 6. 7. 10. 12. & apud Ansegisum Abbatem lib. 2. tit. *de nonis & decimis.* An *nunalis*, id est festiva, sicut *festiva copia* dicitur à Latinis? Vgutio; *Nonales vel nonalia dicuntur nonæ & nondinæ.* An *nonalis*, quæ fratribus dabatur circa *nonam*, quæ est hora tertia pomeridiana; umb die non Zit/ quo tempore *merenda* solet sumi, quæ Alamannis corrupte Brend? Infra cap. 11. *Abbas invitat tandem omnes pariter ad nonales fratrum biberes, ibi tanta hilaritate usque ad vesperum iam pene sonatum commanent,* &c. Sed profecto quod dicam, habeo; quod affirmem, nihil est. *Cerevisia* valde vetus apud Alamannos usus, quippe qui vitium diu cultum ignoravere. Helvetii quum maxime parum volente Baccho usi. Et ex Tabulis vetustis didicimus, hoc ipso sæculo paucissima dum vineta ad Helveticam Potamici ripam, nulla in Valle Rhenana, rarissima in Turgovia fuisse, quibus nunc in locis omnium optima selectissimaque proveniunt vina quæ inter nobilitantur Ottonisbergensia Turgoviæ, & Buochbergensia Vallis Rhenanæ. Tempore quidem Caroli Martelli vineta erant circa Constantiam, sed perpauca. Nam *Regiam villam Ermentingen* habuisse vineta, patet ex litteris fundationis Augiæ Divitis. Sed Vallis Rheni, ut diximus, serò cœpta est coli, sicut cætera lacus Brigantini superiora litora. Videndæ antiquæ litteræ Cœnobii Sanct, Galli apud Tschudum in Descript. Rhetiæ, & Vadianum libr. 2. Vsus autem Cerevisiæ, si quis umquam fuit, quod Vadianus asserit adeo contra obsolevit, ut ab aliquot centum annis ne nomen quidem eius apud Alamannos Helvetios auditum fuerit, & hodie vix centesimus quisque, nisi peregrinatus in Germania, quid sit cerevisia novit, in hac maxime villa Ionsvvillana, ubi ne unus quidem reperitur, qui vel fando quidquam super ea acceperit. Eam intelligimus *Cerevisiam*, quasi sic dictam putant μετωνυμικῶς *quasi Cerebibiam*, quod *Ceres*, id est frumentum coctum, bibatur. Nos didicimus, Belgis in usu esse vocem terwe ἀντὶ τοῦ cerwe/mutato C. in V. sed strictius pro eo quod est triticum, aut potius, ut nos opinamur, respondentem τῷ ἄθὴρ: unde est *ador*, & forte Germanicum acher/ut *ador* fuerit quidquid aristam fert, ipso quoque *aristæ* nomine eò alludente. Sunt vero *tervvæ* aliquot apud Belgas species, winterterwe/sommerterwe/Turckischerterwe/Römischerterwe. Quid ergo dubitemus, quin nomen Cervisiæ ex ipsius frumenti, unde conficitur, vocabulo defluxerit. Habemus *Cervisiæ* veriverbium. Verum unde *bieræ* sive *byra*, quæ nunc in usu, deducemus? Nos nec de hoc dubitamus, quin ex Hebræo בר *beri*, id est, frumento petitum sit. Vnde & בריה *biriah*, pulmentum farinaceum, 2. Reg. 13. interpretantur: & Græcorum πυρὸς, quod triticum atque frumentum notat, indubiè originem sumpsit. At verò de *Bira* quid dicemus? Deductum id à *piro*, Biren. Ekkehardus καταχρηστικῶς *Cervisiam* dixit, cum hæc propriè sit ζῦθος, sive, ut Aristoteles & Athenæus interpretantur, οἶνος κρίθινος; Ille verò liquor ex piris ac pomis expressis,

Fran-

Francis scriptoribus *Sidra*, corrupte pro *sicera*, ab Hebræo שכר *secar*, vulgo Alamannorū Most/ propter eius dulcedinem, quia ad *mustum* accedit. Eius duo apud nos sunt præcipua genera. Vnum ex piris conficitur & à Normannis *pere* appellatur, Græcis *apire* sive *apytes*, Latinis, *piraticum*, Alamannis Birenmost: alterum ex malis, quod Galli vulgo *cydre*, Northmanni nominant *sidre*, κατὰ συνεκδοχὴν speciei pro genere. Quando itaque hæc nostra regio pomifera magis quam frumentifera, omnino videntur Monachi nostri *Cervisiam* accepisse pro vino piraceo: cuius tanta in his oris copia, ut multi coloni reperiantur, qui amplius xx. vehes, *foderas* ipsi appellant, et aliqui xxx. & ultra conficiunt. Habent autem duas pirorum species, quæ non alibi proveniunt, Bergjen & Brůndlen ipsi vocant, hoc est, pira montana & fontana: quorum illa montanis locis, hæc in palustribus copiosius enascuntur. Atque ex his pirorum speciebus multa expressa omnium optima sunt & durabilissima; quum cætera neque constantia sint & statim acescant. Venditur hodie in tabernis, non aliter atque vinum & cervisia, inebriatque melius. Exportatur etiam in exteras regiones, ipsam adeo Italiam. Et novimus œnopolam Tyrolensem, qui singulis annis quæ apud nos musta tribus aut quatuor pătingis emerat, domi suæ sex, septem, interim octo bernis pro vino præstantissimo vendere solitus erat. Vt nihil mirum, si Ekkehardus Decanus *vino comparari voluit*, quum, si coquatur, vel optimi Hispanici vini qua colorem qua saporem induat. Nec semel inter, fui quum exteri colore, dulcedine ac odore persuasi pro Malvatico biberent. Et Norinbergæ contigit, quod memoraturus sum. Gaspar Schlumpfius civis & negotiator Sanctgallensis convivium paravit non minus splendidum atque laudum. Ad id vocavit præter mercatores qui plerasque Vltramarinas regiones perlustravissent, & caupones quoque æstimatione exotericorum vinorum celebres. Affertur in iis mensæ gustatio cuius primas tenebat piraticum illud coctum, Quærit ex convivis ecquid vini iudicarent? Quum hic Malvaticum, hic Cretense, illi Corinthium, alius Corsum similare dicerent, tandem ipse dirempta contentione Turgovium esse pronuntiavit, nec in vitibus sed arboribus apud se nasci.

Luitoldo Episcopo) Augustano scilicet.

Vt in Lydio barromannico mole ut vincendi ipse quoque oppressit) Ita omnes libb. vett. Perperam, & sine sensu, si quid ego sentio. Nec tamen scio, quo pacto restitui lectio genuina possit, nisi interim legamus: *ut in Lydio Charlomannico morem vinciendi ipse quoque expressit.* Quæ lectio si vera est, quam tamen præstare vix ausim, perbelle constabit sententia: ut *Lydius Charlomannicus* libri titulus fuerit, in quo Ekkehardus Decanus Lydia Carlomanni Caroli Calui filii à patre ob vitæ dissolutionem & apostasiam, unde eum Regino & Sigebertus *alterum Iulianum* nominant, excæcati vitia, hoc est, mollitiem, luxuriam, & regni vastationes, versibus perstrinxit, in eoque morem ligandi orationem verius quam ante imitatus sit. Aut, si hoc minus arridet, *Lydium Charlomannicum* accipiemus pro libro, in quo Caroli Crassi, quem & ipsum *Carolomannum* sive *Carolum Magnum* appellant Monachi Angienses & Sancti Galli, constantiam rebus adversis tamquam ad Lydium lapidem probatam, descripserit: eaque re etsi summam aut paupertatem in extrema senecta redactus fuerit, ditiorem exstitisse ipsis Lydis auro affluentibus, de quo Statius lib. 2. Silvar.

Vive Midæ gazis, & Lydo ditior auro

Et hæc causa videtur quamobrem iidem illi, quos dixi. Sanctorum in numero reposuerint & festum diem peragant. Nascitur nunc sub penna & alia coniectura quam Lectori discernendam propono. An legend. *Vt in Lydio Romanico morem vinciendi ipse quoque expressit?* *Lydius*, modus est Musicus, qui putabatur intelligentiam acuere, & à terrenis rebus ad cœlestes ac divinas cogitationem extollere. Ideo scriptores Ecclesiastici in hymnis sacris pangendis eo delectati, quem Romanus primo Sanc. Galli Monachos edocuit, à quo *Romanicus* dici cœptus est. Quam coniecturam ipsi Ekkehardo debemus sic c. 3. scribenti: *Romanus vero Romane nobis è contra & amœna de suo iubilos modulaverat: quos quidem post Notkerus quibus videmus verbis ligabat.* Ad eorum æmulationem videtur Ekkehardus Decanus carmina composuisse, in quibus concinendi regnaret modus Lydius à Romano acceptus. Cur enim minus hymni Lydii dici possint, quam Phrygodorii, causa nulla est qua quis contendat.

In die Felicis in Pincis vindemiata est ipsa) Ita in Calendariis quoque, Martyrologiis, & Instrumentis antiquis, in quibusdam xii, in nonnullis xix, Kalend. Februarii. Rationem reddit Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 2. cap. 73. *Presbyter, inquiens, & Martyr pronomine dicitur in Pincis, à subulis quibus passus perhibetur. Nam pinca dicitur subula. Nam cum magister puerorum extiterit, & eis nimium rigidus fuerit, tentus à paganis, cum Christum libere confiteretur, traditus est in manus puerorum, quos ipse docuerat in Ecclesia, quem ipsi cum stilis & subulis occiderunt. Qui passus est Romæ xix. Kalendas Februarii.* Huius loci indicinam mihi fecit R.P. Iohannes Mintzenbergius Prior Monasterii Carmelitarum apud Francofurdianos, ab historiarum & omnis antiquitatis cognitione paratissimus.

CAPUT X.

DVLCIAMINUM) Ciborum Dulcium & delicatorum. Mox; *Dulciamina occursantia ligurrire abstinuit.* Lampridius Elagabalo; *Dulciario & lactarios tales habuit, ut quæcumque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modo de dulci, modo de lacte exhiberent.* Adde Iul. Firmicum lib.8.cap.2.

Anniversarius) Balbus Catholico; *Annuale, idem quod anniversarium, dies pro mortuis celebrata singulis annis.* Videtur quæ posuimus Tom.2. inter antiquitates Ecclesiasticas.

Inter cæteros pannosos) Mendicos, qui pannis, id est sordidis, vilibus ac laceris centonibus induti. Balbus Catholico; *Pannonus, cincinnosus vilibus pannis indutus.* *Pannus* veteribus pro crasso & lacero vestimento, qualia sunt quibus mendici operiuntur. Nivius Tabel. *Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpura est.* Hinc Petronius *pannum* dixit pro hominum mendicabulis. Videndus Dousa Pater Præcidaneor. lib.3. c.4.

Audita tandem voce Domini, milites stupidi) *Milites*, nobiles, vasalli, & Aulici. Ritter / & usitatius in abstracto die Ritterschafft / qui & *Tyroneos* Fabariensi c.8. Britto & Synonymis.

Miles, eques, tyro, tyrunculus, atque Quirites,
Atque Neoptolemus, novus est regnator in illis.

Poeta Grammaticus à Balbo laudatus;

Miles pungit equum, sed iudex iudicat æquum.

In Hymno Ecclesiastico de visitatione B. Mariæ Virginis;

Milesque sui Domini *Præsentiam dum agnoscit*
Tripudiando suscipit Loquitur de Ioanne Baptista

in utero matris Elizabethæ exsultante ad adventum Mariæ Iesum Dominum gestantis. Eodem modo interpretandus Fulbertus Carnotensis in Hymno Paschalis quo canit.

Ipsum canendo supplices *Regem precemur milites,*
Ut in suo clarissimo *Nos ordinet Palatio,*

Respicit enim ad milites Palatinos sive Aulicos.

Quam Deo ille subarraverat) Balbus Catholico; *Subarrare, quasi latenter aram dare.* In Historia S. Agnetis; *A nullo subarravit me Dominus meus Iesus Christus.* Sæpe in Iure Canonico. Vide Gloss. ad Fabarens. cap.8.

Solebant fratres eum cognominare Ingenitum) Latinius & elegantius vocavissent *Cæsarem.* Non. Marcellus; *Cæsares dicti, qui cæsa matre nascuntur.* Isidorus lib.9.cap.3. *Cæsar dictus, quod cæso mortuæ matris suæ utero prolatus eductusque fuerit.* Aut, si ab hoc tamquam Imperatorio ac Regio nomine abstinere voluissent, *Cæsonem*, quo nomine dictum, quia ex utero matris exsectus, scribunt Festus, Val. Maximus, & Plinius lib.7. capit.9. *Cæso*, Alamannis Ußschindling. *Ingenitus* Græcis Ἀλόχευτος.

Collectaque continuo facta) In Brachylogo: *Collecta est devota oratio continens necessaria: & est melior oratio post Pater noster.*

Polymitare) πολυμιτίζειν. *Polymita vestis* multis variique coloris filis contexta & variegata apud Iul. Pollucem. Glossatores Latini in huius vocis etymologia mirum in modum nugantur.

Cameræ sua dispensiones eius ferre non posset) *Camera* pro conclavi, in quo thesaurus servatur & custoditur, Schatzkammer. Andreas in cap.1. §. *si quis vero*, de *pac. iur. fir.* verbum esse ait iuris Feudorum. In Donation. Constantini, *Civitatum Neapolitanam pro camera Imperii reservavit.* Einhardus in vita Caroli Magn. fin. Et hæc *Camera* intelligenda supra cap.1. ubi Præsides Sueuiæ vocat. *Camera nuntios.* Hinc *Camerarius*, thesaurarius, Rentmeister / Cammerer / Camerlingo Italis, *thresorier* Francis, *à rationibus* Suetonio, *arcarius gazæ* in libr. Ester cap.3.

Roccos videlicet) Vox Alamannica, Rock / significans supremam vestem. Infra capit 14. *Brachiaque rocci subter caput revolvens.* Et cap.16. *Senes quosdam ad cingulum barbatos Monachicis indutos roccis nobiscum ingredi.* Ibidem. *Ad urinam surrexit sine rocco & nudipes.* A Germanis accepere Græci. Codinus Curopalates de Offic. Constantinop. Κατὰ τὸν ἑσπερινὸν ἀλλάσσει ῥοῦχον ὅλως ἱστάμενος ... Hinc eidem ῥουχαρεῖον, vestiarium.

Et Camisiis) *Vocamus, quod in his dormimus in camis, id est in stratis nostris.* Isidor. Etymolog. lib.19.cap.22. *Cama, lectus brevis, Papiæ.* Et ex eo Balbus Catholico, *Cama, genus lecti brevis & circa terram, quod & Gama, atis invenitur in Ambrosio de officiis.* Paulus Diaconus Epitoma Festi; *Supparus, vestimentum puellarum lineum, quod & subucula, id est camisia, dicitur.* Britto Synonymis;

Interulam vel camisiam rem dicimus unam
Additur his alias subitura subicula vestes.

Alamannis corrupta voce Hämmet / solemni more mollientibus priscam Pronuntiationem, quæ erat Chamit / sicut *Cassus*, pro quo & *Cattus* dixere, mutarunt in *Hessus*, *Chunus in Hunnus*, & id genus sexcenta. Cui mori argumenta diximus ad Tyrolem.

Gallice

Gallice rustice dixit, kalt kalt est) cald cald, id est calidum calidum. *Rustice*, quia vrbaniores dicebant *Chault*, ut & hodie. Rusticitatem ha c reti ent Allobroges, qui se *Romanos* vocant, ut supra dictum. Vnde & lingua eorum *Romanica* vocatur. Hoc eodem cap. *Acriter in utrumque Teutonice & Romanice invectus est.* *Teutonice*, id est Alamannice sive Germanice in suum domesticum: *Romanice*, id est Sabaudice sive Gallice in Gallum mendicum. Infra cap. 16. Otto Imperator, *Ottonem Ducem assistentem arridens ei bon man habere Romanisce dixit*, quod est bonum mane. Rhætica quoque lingua interdum *Romanica* dicitur, & habent hæ quotundam communionem vocabulorum, ut horum ipsorum *kalt* & *man*, pro quibus elegantiores Italoru *caldo* & *mattina*, Francorum *chaut* & *Main* usurpant. Alamannis prorsus contrario sensu *kalt* notat frigidum. Consimilem iocum duorum itinerantium, Germani & Itali, quos tempore hiberno idem hospitium, idem quoque lectus pro more Germanorum coniunxerat, in Facetiis nescio cuius legimus.

Eya mi Domine severe, tute et corniculum abmorderes) Quid hoc? An legend. *auriculam*? quoniam sequitur: *Plures quam ego nunc illius ori infringeres*, scilicet alapas. Notum est etiam, illo sæculo scelerosis post auricularum abscissionem verbera sive flagra impacta. Nam eo alluditur? An proverbii speciem prætulit apud Alamannos? Quale est illud, quo utitur Dietmarus Getzer, Equestris ordinis homo, & Philippi Imperatoris Palatinus, in quodam carmine, quod extat in mul itotiens laudato a me Musico Aulicorum libro.

Die die lüte da grüssen in der massen/ als der vns Christ verriht/
Ihr Herzen müssen Kranuß nagen.

An ergo Kranuß nagen est *carniculam abmordere*, si ita scripsit Ekkehardus?

Ut talis factura vir) Facturam pro creatura dixere veteres: pro natura, ut hoc loco accipit Ekkehardus, nunquam alibi a me lectum.

Magistro multa rogante) pro, multum valde, more Virgiliano. Sic infra cap. 12 *Loca Abbatibus a Karolo decreta multa reluctatus Ekkehardus retinuit.*

Casulas sercias) Balbus Catholico; *Casula dicitur vulgo planeta Presbyteri, quia instar parvæ casæ totum hominem tegit*. Idem alibi: *Item planeta Græce, Latine dicitur casula, quia totum tegit & signat charitatem*. Videndus Burckhardus cap. 1 Isidorus libr. 19. cap. 24. circa fin. Belethus de Divin. off. Durandus in Rationali.

Alba) Papias Gloss. *Alba, vestis sacerdotalis linea & stricta, quæ Camisia dicitur, & poderis, & talaris & subucula*. Burckhardus Casuum cap. 1.

Dalmaticam) Isidorus Etymolog. libro 19. capite 22. *Dalmatica vestis primum in Dalmatia provincia Græcia texta est; tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura.* Durandus & Belethus.

Acutia sua versipelli) *Acutiam* dixit pro astutia. Infra capite undecimo: *Qui astu suo semper tuas exuperavit acutias.* Et capite 16. *Qui te acutiis suis a bono avertere moliuntur.* Ruodmannus Abbas epistol. ad Ekkehardum Palatinum: *Miror amicum meum ad omnia acutissimum*, &c. In veteri Glossario: *Capitalior, id est acutior non est quam luxoriosus in factis suis perpetrandis, quomodo perficiat, quia innumeras vias coitus excogitat.* Papias Gloss. *Capitalis, acutus, versutus, superbus.*

Hominem ad omnia aversativum) versutum & astutum quem mox appellat, qui omnia *aversare* d est avertere & declinare versute possit.

Apparuerunt Duci) Ita recte & Latine appellat, quam Barbari *Ducissam*, Ruodmannus Abbas epistol. ad Ekkehardum *Ductricem*. Balbus Catholico: *Ducilla, parva Dux, vel Ducis filia.*

In Curte sua) Aula, Coria, a la court an ihrem Hoff. In Lege Alamannorum capit. 28. *in curte Ducis*, quod in Lege Baiuarior: *in curia Ducis.* *Cohors* & *Chors* Latinis numerum hominu significat uno aliquo loco congregatorum. Apud Ciceron. act. in Verrem 5. nisi me memoria fallit, pro cœtu hominum aliqua de causa sociatorum. Franci exinde, ut nostra fert opinio, *curtem* velut *chortem* dixere, familiam, etiam Aulicam, neque non & Aulam ipsam atque Palatium συγκλητικῶς. A Fran is mutuati sunt Græci Exempla collegit Nic. Rigaltius in Lexico *Cortinarii* & *Cortelini* pro Aulicis *Courtisans*, qui curiæ seu corti Principis addicti sunt; *Cohortales* in L. *omnes omnino*, C *Qui militare poss.* lib 12.

Susurria) αὐτὶ τὸ susurros. Balbus Catholico: *Hoc susurrium, murmur latens locutio.* Vetus interpres Iobi capit. 4. *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurrii eius.* Ita ibi legunt Auctor Mamotracti, quo libro glossas contexuit in universa Biblia, Balbus Catholico, Nestor Novariensis, & alii Grammatici. Ruodmannus Abbas Augiensis epist. ad Ekkehard. *Novissima illa in aures susurria Domina Ductrici effuderat.* Conrad. Fabariensis capit 11. *Susurria ipsorum vana*; ubi tamen MSS. codd. *Susurra* legunt. Ad eandem faciem *murmuria* confortavit Ekkehard. supra cap. 1. *Surgunt igitur ab æmulis illius murmuria* Quo & S Benedictus Abbas utitur regulæ suæ capit. quinto, ut referunt MSS. ex eoque deductum *murmuriosus*, quo idem Abbas vsus cap. 4.

Ratis donariis eam pacificavit) Sic infra c. 11. *De scriniis Regum sexaginta argenti librarum rata pondera.*

Si laicus laicum, ut idipsum iuridicialiter proloquar, involaverit) *Involare* iuris verbum est, & in-

& infra in Leg. Alamannorum sæpe occurrit pro rapere ac furari. Lexicon. Græco-Latin. Κλέπτης, *fur, involator*, κλέπτω, *furo, involo*. Philoxenus Gloss. *Involat*, κλέπτει. Alamannis inslen. Corn. Fronto, sive is sit Arusianus Messus, in Elocut. exemplis : *Involat, qui in die venit: Surripit clam, id est furtive*. Et hoc sensu *à vola*, quæ est medietas palmæ, deducit Servius in Virgil. Hadvviga vero alio sensu & usurpavit & exposuit ipsamet, quo nimirum Nonius interpretatur his verbis: *Involare est irruere, insilire, aut à volatu, aut à vola, media manu, dictum*. Et capite 2. *Involare, irruere, evolare, vel insilire, vel invadere*. Vtuntur Plautus Amphitr. Terentius Eunuch. Lucillius libro 30. Cicero de Orat. & *à volatu* deducunt Grammatici.

Ambulatorem valde decibilem & alacrem) *Ambulator*, equus, qui *tolutarius* Senecæ, *gradarius* Lucillio, *asturco* Plinio, cui mollis alterno crurum explicatu glomeratio est, Zelter / Alamannis quasi Toluter / *Tolutarius*, mutato *t*. & *z*. more illis consueto, de quo in glossis ad Walafridum capite quarto. Porro *ambulatorem*, esse equum tolutarem, fidem faciunt, Hispani, quibus retenta voce *cavallo amblador* dicitur. Supra capite primo. *Sternatur ambulatrix mea*, die Zelterin. Et infra ait Milo Elevvangensis Abba: *Quamvis equus in cibo non sit licitus, ambulatorem meum prius vellem Monachus meus ederet obediendo*, &c. Et capite decimoquinto. *Ambulator, cui ipse insederat, alacritatem equorum post se sentiens caput concutiens exultare cœpit*.

CAPUT XI.

VT *capellæ semper immanens, summis dexter esset consiliis*) *Capellani*, scribæ, secretarii, & arcanorum Imperii amministri. Hinc capite decimosexto. *Ekkehardus notularum peritissimus per omnia hæc eisdem notavit in tabula verbis*, &c. in Colloquio nimirum inter Ottonem patrem & filium habito. Sic Einhardus Caroli Magni Imperatoris Cancellarius vocatur *Archicapellanus* in Chronico Svvartzahensi, id est Princeps Scribarum. Sic Theodorici Veronensis Principis Scriba, apud Waltherum Eschelbachium parte tertia Heldenbochi.

Daß less ein glehrter Mann.
Vffsprang vngetrieben
Deß HErren Cappellan.
Er nam den Brieu behende
Da er jhn ane sah
In sine beyde Hände
Lesende erda sprach.

Notkerus Balbulus, an Wernherus, de Gestis Caroli M. lib. 1. cap. 4. *De pauperibus supradictis quendam optimum dictatorem & scriptorem in capellam suam assumpsit*.

Et ipse eam accipere ingratus non esset) *Ingratus*, nolens, invitus. Vox Plautina & Terentiana.

Voce Magistri coloratus) in ruborem datus, pudoratus, ut Barbari loquuntur. Alamannis eadem notione entfärben / de hominibus pudefactis. Hinc *pudoricolor* dicta rubens aurora à Nævio in Alceste apud A. Gellium lib. 19. c. 7.

Rerum Domini) Imperatores, Ottones, sc. Pater & filii. Frequentata phrasis mediæ ætatis scriptoribus. Notavit Fr. Iuretus Miscellan. in Symmachum.

Vnus ex vobis non est missus) *Missi* dicebantur, qui ad inquirendum perspiciendumque ab Imperatore legabantur, num probe sese haberent Clerici aut Monachi, quos hodie *Visitatores* vocant, Vnde Gloss. in Walafrid. cap. 17.

Quorum similes inter suos numquam simulabit) Vgutio Gloss. *A similis dicitur similare, id est, facere similem, vel esse, vel repræsentare*. D. Vigilius lib. 4. contra Eutych. *Neque in aliquo nobis poterat similari, si non id, quod ipsi sumus, in se ipso dignaretur accipere*.

Scriptorum digiti) libri digitis exarati. Sic Ekkehardus in Salamone. *Cum omnis orbis Cisalpinos Sintrammi digitos miretur*, id est, libros ab eo scriptos. Petrarcha Famil. epist. lib. 9. ep. 5. *Familiaris illum meus scripsit, iuuenis digiti quam ingenii melioris*.

Veniunt in pyrale) Hypocaustum quæ nunc *stuba conventualis*. Infra cap. 16. *In capitulo incusatus*, &c. *A Ruomo surgens Decano quidem non iubente, flagello fratrum, quod cominus pendebat, modeste sumpto maximos illi ictus infregit*. Capitulum celebrabatur in stuba conventuali; flagellum autem pendebat in pyrali. Infra eodem cap. 16. *Signum pulsatur ad capitulum, ibi iussu Abbatis iuvenis ille ad columnam pyralis ligatus accerrime virgis cæditur*. Supra capit. tertio: *Rapto flagello fratrum, quod pendet in pyrali, deforis acburre*. Ex quibus paret, verum esse, quod diximus, *pyrale* esse stubam conventualem, non *refectorium*, in quo cibum sumebant: non *scriptorium*, in quo studebant quæ tria hyppcausta expressis ac distinctis verbis separat Ekkehard. Alioqui generatim significat stubam quamcumque, quæ *pyre*, id est igne calefit, Franci *poile*. Vlpianus videtur *diætam hypocauston* appellasse. Verba sunt in L. 55. §. 3. D. *de legat*. libro tertio *Lignis legatis, quod comburendi causa paratum est continetur, sive ad balinei calefactionem, sive diætarum hypocaustorum solebat uti*. Quo loco balineum est, quod Ekkehardus hic vocat *lavatorium*.

Et in

Et in eo lavatorium) Quid? in pyraline lavatorium? Apage rem inauditam, & nostro periculo lege, *& inde lavatorium*, *nec non & proximum pyralis scriptorium*. *Lavatorium* vocat, quod Græcis proprie ὑπόκαυστον, Ciceroni *vaporarium*, Senecæ *sudatorium*, locus ubi sicco calore cietur sudor, Badstuben. Cæteroquin *lavatorium* est, quæ Ciceroni *lauatio*. A. Gellio & Ekkehardo supra capit. 10. *lavacrum*, Græcis λουτρὸν & νυμφαῖον, balneum in quo madide lavamus, Italis etiam *lavacro*. Et visuntur ambo lavatoria sæpe coniuncta apud Alamannos, quibus præter hæc & alia lavationum genera in usu. I. *Tholus*, Tholen, θόλος, locus concameratus & ære inductus, in quo aqua igne supposito, dum lavatur, calefit. Cuiusmodi *tholi* passim apud eos in ædium inferiorum angulis conspiciuntur, retinentque nomen Græcum vetus. Et quis scit, annon usus eius ex Græcia ad nos per milites nostros bellorum sacrorum, quos vocant, pervenerit? II. *Solium*, quod appellat Corn. Celsus, in quo sive in balneis, seu extra, sedentes lavabantur, πύελος & Nicandro ἀσάμινθος, ut volunt. *Caldarium* Vitruvio, quod nomen Itali & Hispani retinent: illi *Caldaro*, hi *Caldera* nominitantes. Huius apud Alamannos usus nullus, præterquam in thermis: sed eo nomine intellegunt aënum in lavatorio. Nec audiendi, qui volunt esse id, quod Ekkehardus supra capite 10. *vas lavacri*, Alamanni Zuber appellant, mutato t. in Z. quasi *tuber*, quod ex ligno fiat tuberum. Nam hoc unius hominis capax est, illud complurium: hoc ex ligno, illud ex ære: hoc extra sudatorium, illud etiam in sudatorio positum III. sive πυριατήριον sive θόλος ξηρός, ut nuncupatur ab Alexandro Aphrodisiensi, in quo vel titionibus inclusis vel lateribus ignis positis sicco calore sudatur, Wannebad. Hæc de *lavatoriis*, ὡς ἐν παρόδῳ, & quantum instituti nostri fuit. Sequitur in Ekkehardo.

Ad nonales fratrum biberes) Supra *nonalem cervisiam* dixit. An ergo & hic legendum *bieres*, Bier? An *nonales biberes* vocat haustus vespertinos, Abendtrunck? Vide quæ diximus ad cap. 9.

Dictante legationis suæ brevem) Brieff. Balbus Catholico: *Breve pro literis, quod & brevis invenitur, unde Breviarium, locus ubi reponuntur vel reportantur brevia. Brevigerulus, baiulus & portator brevium.* Lexic Græco-Latin. Πιττάκιον, pittacium, brevis Lampridius in Alexandro Severo: *Milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet breves, & numerum, & tempora militantium.* D. Benedictus Abbas Regul. cap. 32. *Ex quibus* (substantiis) *Abbas brevem teneat, ut dum sibi in ipsa adsignata, &c. sciat quod dat & quid recipit.*

In Capitular. Caroli M. cap *Qualiter præcep. Domin. &c. De rebus, quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt, volumus ut fiant descriptæ breves, & ipsæ breves ad nos fiant adductæ.*

Cum vitro puræ potionis) Meracæ, non lymphatæ. Ergo & Alamanni quondam vina sua aquis miscuere, sicut Itali, Galli, Hispani hodie.

Audiunt Reges rogationes & Ascensionem Magontiæ acturos) Gregorius Turonensis: *Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus.* Burckardus Wormatiensis libro 13. cap. 7. ex Concil. Aurelianensis can. 6. *Cumque Dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias ante Ascensionis Domini diem celebrarentur.* Eadem Iuo Carnotensis Decreti part. 4. cap. 40. Ekkehardus Minimus Decanus in Vita Norkeri Balbuli cap. 21. de Ratperto: *Dictaverat etiam litanias, quas Ecclesia canit per totum orbem in diebus Rogationum.* Vnde *solemnes litaniæ* vocantur Bedæ, Vsuardo & Adoni Treverensi in Martyrologiis. Fiunt autem in hebdomade Inventionis S. Crucis quæ Alamannis Crützwochen/institutæ primum à Mamerco Vienuensi Episcopo, teste Avito in Homel. Concil. Aurelianensis can. 23. & Sidonio Apollinari lib. 5. epist. 14. ubi videndus Ioh. Savaro, vir plurimæ lectionis & ingenii elegantissimi.

Neophitorum) in 4. MSS. perseveranter scriptum est nephicorum, & apud Theodorum in Vita Magni *neophicus*. Quam esse huius ævi scripturam docet nos Balbus in Catholico scribens: *Neos componitur cum phicos, quod est fides & dicitur hic neophicus Græce, id est novellus, novicius, rudis, fidelis vel nuper renatus, vel componitur à neos & phico, quod est quæro, quasi novus quæsitor.* Eadem inscita & *idolothicum* scripsere, teste eodem Balbo. Et legis tu Lector, ac risum premis? Quin ploramus insanam superiorum sæculorum ignorantiam & extremissimam barbariem, & grati simus lucis auctori in tanta luce.

Decretis interesse) *Decreta* pro loco & conventu, in quo aliquid deliberatur ac decernitur, Iudicium, comitium. Hinc statim subiicit: *Cum autem colloquio inito vario hinc inde res traheretur.*

Eulogium hoc Monachi esurientis) *Eulogium* ἀντὶ τοῦ *elogium*, id est proverbium, responsum. Est namque proverbialis locutio: *Si calceus dividitur, nemo calceatur.*

IN CAP. XIII.

QVÆ *dictans & medens insigniverat*) id est, insigniter fecerat.

Et quædam susceptacula Regum) Formulas *suscipiendi* sive excipiendi adventantes Imperatores & Reges. Cuiusmodi Augiensibus suis aliquot dictasse Walafridus legitur, quorum nonnulla apud nos sunt. Et hæc susceptacula infra c. 16. sic περιφραζόντως. *Parantur in adventum illorum* (Imperatoris & Imperatricis filiique illorum) *multimoda laudem retens dictatarum* (à Notkero scilicet) *cæterarum ut solet rerum copiosa impendia.*

In aphorismis medicinalibus) MSS. *anforismis* conformiter legunt, quæ videtur fuisse illius ævi scriptura: qua forma in hoc eodem scriptore & *langena*, vel corruptius *languena* in MSS. observavimus & *thensaurus*.

Muliercula cuiusdam Cameralis) Italis *Camariera*, Kammermagt/puella amanuensis. In veteri Gloss. Franco-Lat. *Chanberiere, pedisca, causia, catausia.* Monstra vocabulorum, & quibus coniectandis Oedipo aliquo opus.

Karrinas tot ferre non potero) Melius alii, *Carinas*, i. est convicia & maledicta, quæ in me dicturi essent homines, si te hoc pacto ad manes mitterem. Balbus Catholico: *Carinare*, *arguere, vel conviciari, vel illudere. Carinator, conviciator & maledictor.*

IN CAPUT XIV.

DECLAMATOR, &, *ut Apostolus tales vocat, Propheta*) 1. ad Corinth. 14. versic. 7. ubi verbum προφητεύειν non significat futura prædicere, sed arcana DEI effari, divinas res aut Prophetarum scripta tractare. Quo in sensu ab Hebræis quoque נבא ponitur 1. Paralipomen. 25. versiculo 1. Ratio est, quoniam Prophetarum interpretes proxime ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere. Idem Paulus ad Timotheum 1. Cretensium προφήτην vocat Epimenidem, non quia futura, sed quia certa veraque dixerat. Etiam Athenienses, divinos suos sacerdotes appellasse *Mantes*, id est vates, scribit Cicero.

Animas hominum carissime appreciatas) Balbus Catholico: *Appreciari, existimare, precium determinare.* Vetus Interpres Zachariæ capite 11. *Decorum precium, quo appreciatus sum ab eis.*

Fœminas nudatas aquis immergi impudicis oculis curiosi perspiciant) Viden' tu Episcopum Constantiensem ea exercuisse in territorio Abbatis Sanct. Galli, quæ sunt meri imperii, ut est *probatio per aquam*, qua fœminarum de veneficio suspectarum innocentia probabatur? Quæ si supernatarent, reæ iudicabantur: sin mergerentur, absolutæ dimittebantur. De qua probatione multi multa scripsere, & notæ sunt Scribonii Evvichiique conflictationes. Alamanni eam procedendi viam iam pridem non ambulant, & sine errore, quomodo mihi persuadeo.

Brachialeque rocci) Manuales tunicæ sive manicas. Sic enim interpretor *brachiale*, illam nimirum tunicæ partem, quæ est ab humero usque ad manum.

At illi disloqui eum putantes) *Disloqui* proprie incogitanter & imprudenter loqui, verreden: hic est inepte fabulari, Alamannis töppelen/quod fit furiosorum & ægrotorum, unde & *aegrotum somnia* in proverbium abierunt, quod recitat Petronius. Supra semel atque iterum habuimus *discredere* pro non credere.

IN CAPUT XV.

SARACENOS, *Quorum natura est in montibus multum valere*) Anne ex illis fuere, qui Burgundiæ partem occuparunt, unde in has Alamanniæ oras excursiones fecerint? Vide capit. 5. in fin. Mihi videntur Vngarorum reliquiæ fuisse, quos ille sui oblitus *Saracenos* vocat vulgi appellationem secutus, non animi sui sententiam, quam expressit supra cap. decimo. Ita nostrum vulgus eas latronum cohortes, qui cum liberis & uxoribus Europam pervagantur, *Zigarenos* appellat, qui in his ipsis Alamanniæ montibus & silvis latitantes multa mala perpetrant. Vide Gloss. in Hepidannum.

Ab Henrico Duce Saltzburgis doctrinis studere ab Karolo *postulatus*) Quonam Carolo? An Carolo cognomento Crasso Alamannorum Rege & Imperatore Romanorum? Vix puto. Nam Henricus Dux fuit Baioariæ, Ottonis I. Imperatoris frater, qui longo post tempore vixit.

More Romano officia apud nos mutari solent) Apud Romanos enim officia erant annalia, veluti Consulum, Interregum, Prætorum, Ædilium, &c.

Circa villam Wilaham) Oppidum *Wilam* in Turgovia, tunc temporis Toggeburgensium Comitum sedes, nunc Abbatis S. Galli Præpositura, qui totus subest Comitatus ille quondam illustrissimus. Fabariensi *Wilo*, Latinis nihil aliud est quam *Villa*, quam appellationem & alia oppida sortita sunt à vulgo, nomen appellativum ut hodie ita olim usurpante pro proprio, die Statt/Stattlüth/&c. Hinc oppidum Imperiale in Suevia coniunctim à posterioribus appellari cœpit *Wilerstat*, quum initio *Wila* & *Wilero* diceretur, hodie in matriculis Imperii & Recessibus Comitiorum Weil.

IN CAPUT XVI.

NIHIL *capitale absque eius nutu faciat*) Nullum negotium magnum aut arduum, quodque rem monasterii attingat. *Capitale*, præcipuum ac magnum. Infra hoc cap. *Nihilque capitale absque eius nutu & Ekkehardi Notkerique consilio ageret.*

Inter

Inter tot canutos) Vel canos & ætate albicantibus gravis crinibus, vel Calvos. Glos. Franco-Lat. *Chanu, Canutus*.

O fortunatam Galli me Consule Cellam) Convenientius dixisset, *me Præsule*, ut in illo versu Theodorici Abbatis in monasterio S. Trudonis; -- *Fit nummus Præsul & Abba*. Porro versum Ciceronis refert Didius in orat. Sallustii nomine in Ciceronem scripta.

O fortunatam natam me Consule Romam.

Concambio) permutatione, ἀντικαταλλαγμάτι. Supra cap. 1. *In colle concambii*, &c. & alibi persæpe. Eius formulas in Chartarum centuria complures produximus. *Concambiare*, permutare. Supra eod. cap. 1. *Goldaban etiam quam concambians*, &c. Philoxenus Gloss. *Cacumbeat*, διαλλάσσει. Casaubonus in Apule. & Heraldus in Adversar. emendant, *Cambiat*. Nos minus discedentes à cusa lectione legerimus. *Concambiat*. Pro quo & *concambire* in usu, & simplex *cambire*. Gloss. Franco-Lat. *Changier, cambire, unde hoc cambium; & cambitor, incitor, & compositum concambium*. Lex. Græco-Lat. Αντικαταλλάττω, submuto, cambio. Balbus Catholico *cambio facit campsi, campsum supinum v. in o. fit campso are, id est frequenter cambire, & inde campsor*, wechsler. Vffingus Monachus Wertinensis in Vita S. Idæ lib. 2. cap. 1. *A quo Abbas Regiam curtem aliis repensis possessionibus iuxta legalem cambiebat ritum*. Videndus Priscian. lib. 10.

Exiliaverat) Dositheus lib. 3. *A quo exiliatus est?* In Vita Sanct. Iohannis Apostoli, quæ apud nos est MS. *Domitianus eodem anno quo iussit S. Iohannem exiliari, à Senatu Romano interfectus*. Pari forma *consiliare* dixit supra.

Nudis tabulis) In quibus nulli pirgi, calculi, aut tesseræ, sed lapillulis duntaxat aut virgulis minuatim concisis colluderent. Quos ludos vocant *duodecim scruporum*, zwelfftemaal; *novem scruporum*, Nüntemaal; *lupum*, Wolff spil; *ovem*, Schaff spil. Nec prohibentur pueris in scholis & Monasteriis etiam hodie.

Avibus captoriis) Aucupibus, quibus alias aves persequitur, Valker. Ergo aucupium scholasticis potest permitti. Et vulgatus ille versiculus; *Per pisces & aves multi periere scholares*, non de aucupio intelligendus, sed vero heluatione & ἀσωτίᾳ.

Pura de spelta dederat grana) *Spelta*, Latinis *far*, Græcis ζέα. Dionysius Halicarnassæus l. 2. τοῦ φαῤῥὸς, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. Qui cum consentit Asclepiades Medicus apud Galenum περὶ τόπων l. 9. φάῤῥος (inquiens) ὃ καλοῦσι ζέαν ἀλλοδαποί, ubi insuper Galliæ proprium frumenti genus asserit. Et D. Hieronymus in 4 cap. Ezechielis, ζέαν sive ζεαν, *nos vel far, vel gentili Italiæ Pannoniaque sermone spicam speltamque dicimus*. Recte, *gentili*. Et perdurat nomen adhuc, apud Germanos & Pannonios spelt, Italos atque Hispanos *spelta*. Q. Soranus epist. ad Cleopatram, *Pane levi facto de spelta*, &c.

Pura grana) Nullo admisto vel secali vel avena, lutter kernon/purum frumentum. *Grana* his scriptoribus, quod Alamannis *kerno*, ut Chartarum exempla docent.

Spicarium) Quemadmodum à granis *granarium*, ita à spicis deduxere *spicarium*, spicher locus ubi frumentum reponitur & conditur. Lege Salica tit. 18. §. 2.

Domesticatis) Feræ naturæ, sed manusuefactis: qualia in Principum Aulis solent haberi animantia.

Absque beneficiis multis) feudis, quæ præstare Abbas cogebatur ab Imperatore, quibus suapte nollet concedere. *Beneficium* sæpius quam feudum dixere isti scriptores.

Egressus in auditorio eum salutat) Supra cap. 11. *Abbas in auditorio debilis residens, introductis quidem eis assurgit*. Ergo *auditorium*, die Audienz oder Verhörstuben. Cæterum pro Ecclesia ponitur, ubi convenitur ad audiendum verbum divinum. D. Vigilius Martyr. libr. 4. adversus Eutych. *Iccirco cohortatione fratrum in auditorio domi Dei nostri considerandâ & refutanda suscepi*.

Bene mansionatum hospitaliter tractari) Præparari egregium cœnaculum, ubi liberaliter habeatur. *Mansio*, cœnaculum, conclave, κατοίκιον, ubi quis manet. *Mansionare*, habitationem constituere, concedere. Fabariensis cap. 18. *Viciniorem cæteris Palatio Regali mansionem dari sibi præcepit*. In Histor. Apollonii Tyrii, cuius interpretem sunt qui Symphonium an Symphonianum quemdam faciant; *Tunc Rex festinus iussit ei assignari aulam ubi digne quiesceret*. Pro, *aulam*, in MS. Lipsensi, quem Gothof. Iungermannus, elegans & doctus iuvenis, ab se collatum mihi legendum dedit, legitur *mansionem*. Vera lectio fuit, *assignari in aula mansionem ubi*, &c.

Neminem cucullatum) Monachum, qui & *Cucullarius*. Notkerus Balbulus Præfat. Sequentiarum ad Luituuardum Vercellensem Episcopum; *Notkerus Cucullariorum Sanct. Galli novissimus*.

Cedamus angelo imperii) Nuntio, legato, misso Imperatoris. Lexic. Græco-Lat. Ἄγγελος, *nuncius, nunciator, renunciator*. Ammonius περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, Ἄγγελος, πᾶς ὁ ἀγγέλλων τι ἀγγελία...

Pugno illum in timpus validissime percussit) Sic omnes libb. vett. Grammaticos sequitur, qui *timpus* per *i*. pro parte capitis scribendum esse censent, quos vero reprehendit Vgutio. Et Nestor Novariensis Lexic: *Tempus item pars capitis est quod ab indoctis timpus enunciatur*.

Si Sandrato per manus suas, quod æquivoco accidit, accidat) παρονομασία, qua alluditur ad nomina *Sandrati* & *Sathanæ*, quæ ille vocat *æquivoca*.

Scu-

Scutella hæc magis liceret) pro, Scutellas, Alamannis detorta voce ſchüſſel/ Italis *ſcodella*, συνεκδοχικῶς pro ferculis poſuit.

Quaternionem omnem ſeriem Sandrati tenentem) In Vitis Patrum lib.4. de Sanct. Silvano & eius diſcipulo Marco : *Ingreſſus cellam Marci invenit quaternionem , quem eadem hora inchoaverat , in quo literam o. faciebat : & audita voce ſenis non fixit nec gyravit calamum ultra , ut impleret & concluderet literam, quam in manu habebat.* Vide Ermenrici Supplementum Vitæ S. Magni cap.16.

IN BURKHARDI CASUS

CAPUT I.

A *B Ottone Imperatore legitime inveſtitus*) *Inveſtire*, confirmare & ſtabilire aliquem in rei poſſeſſione cuipiam oblata, donata, tradita. Exempla paſſim obvia ſunt, quum maxime in Chartar. Centuria, ſub tit. De benef. & feudis. Ekkehardus Minimus in Vita Notker. cap.4. *Annuens votis inveſtitum cum ſociis remiſit* Fabarienſis cap.12. *Abbatiæ Principaliter ſuſcepit inveſtituram.* Burckhardus infra cap. ult. *A Philippo Rege imperiali ſceptro honorifice huius Abbatiæ regimine inveſtitus eſt.*

Cottidianam ipſorum annonam) *Annona* cibus alicui deſtinatus, ut in Monaſteriis & Xenodochiis mos eſt. In Vitis Patrum lib.4. *Rogo vos ut neſciat meus Abbas : de annona mea modicum panis do vobis & aquam.* Sed tritior Monachis noſtris *prabendæ* quam *annonæ* vox, quæ notant idem, ut infra c.6. & 10. in Vita Findani c.9. & in Ephemeridibus pluries.

IN CAPUT II.

DORMITIONEM *S. Iohannis*) obitum, κοίμησιν. Can.23. Concil. Antiocheni, μετὰ κοίμησιν τοῦ ἀναπαυσαμένου, poſt obitum quieſcentis, id eſt eius qui præceſſit. *Dormire*, κοιμᾶν, mori, familiare Sacræ Scripturæ verbum.

IN CAPUT III.

DE *Kerhardo Abbate*) Ita omnes libb. vett. At ſunt qui *Gerardum*, quive *Ekkehardum* indigitent.

Inbeneficiavit) à Monaſterio abalienavit, & aliis in *beneficium*, hoc eſt, feudum conceſſit ac tribuit. Sigebertus Chron. Ann. Dom. 1007. *Valentianus Balduino Comiti beneficiavit.* Burkardus ſeipſum explicans mox; *Laicos*, inquit, *quos auxiliares ſuiſceleris invenit, multis beneficiis & donis ditavit.* Ibidem : *Res Eccleſiæ inbeneficiavit.* Et ſtatim; *Mutzo quibusdam Nobilibus acceptum inbeneficians, ipſis, quia fideliter ei adhæſerant, cum abſque heredibus moreretur , ut de manu Abbatis eadem beneficia ſuſcipiant, contulit. Cum his & aliis multis beneficiis* Kerbardus *noſtrum locum depravaſſet*, &c. Infra cap.4. *Omnis antiquitus inbeneficiata exoſus plurima de his ſua diligentia ad ſe retraxit.* Pro quo c.11. *infeodare* dixit. *Beneficiati*, vaſalli.

Fanda & nefanda) Per fas & nefas. Balbus Catholico; *Pandus , quod quis debet fari, & dicitur à for.*

IN CAPUT IIII.

P*Ii mandritæ ſtudio æſtuans*) boni Paſtoris. Walafridus in Vita Sanct. Othmari capite I *Boni mandritæ ſtudium in ipſo executus*, &c. Quibus qui præerant, *Archimandritæ* dicti, quos Epiphanius in Panario interpretatur *Monaſteriorum patres*, id eſt Abbates. Vgutio Gloſſ. *Archimandrita, paſtor ovium : per translationem dicitur quandoque de paſtoribus ſpiritualibus.* Ekkehardus Minimus in Vita Notkeri capit.2. *Sub Archimandrita, qui tunc loco huic præerat, nomine Grimaldo Abbate.* Quo ſenſu L. *reddentes honorem.* § 2. C. *de ſumma. Trinitat. & fid. Catholic*, & Novell.5. capit.7. Vadianus putat dictos ἀπὸ τῶν μανδρῶν, id eſt à ſpecubus cavernisque, à quibus primi ferme Monachi habitarunt. Græci enim μάνδραν vocant ſpeluncam. Verius Budæus veteres ſecutus à grege Monachorum, cui ceu *mandræ*, id eſt, ovili, præſint paſtores Abbates. Quibus Latinis quoque *mandra* pro grege, ut Iuuenali Satyr 3. & Martiali lib.5. Brito Synonymis;

Cuſtodes ovium nos dicimus opiliones,
Archimandritas dices hos eſſe vocatos.

Videndus Nicolaus Serarius Notis ad S. Bonifacii epiſt.99.

IN CA-

IN CAPUT VI.

VINUM *& oblatas*) Oflaten, sunt panes rotundi ἄζυμοι, quos olim in Ecclesia offerebant Christiani ἐν ταῖς ἀγάπαις, ut loquitur B. Iudas Apostolus. Quos si consecrabant, *hostiæ* dicebantur: ἀγάπαι ... , & benedictos distribuebant in fratres, *eulogiæ*, à posterioribus *oblatæ* ab offerendo. Iso de Miracul. S. Othmari lib. I. cap. 5. *Quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, Frequens earum apud Alamannos, sed in usum profanum, confectio, retinentque nomen antiquum. Exempla in Ephemerid. Hepidannus in Vita Wiboradæ lib. I. c. 24. *oblationes* vocat vasa sacra, quibus in offerendo sacrificio utuntur.

IN CAPUT VII.

DOMINO *Marquardo & filio suo Luitoldo Duce sibi Ducatum præbendibus*) se comitantibus. Balbus Catholico; *Ducatus ductus, vel guida*. Alanus in Anticlaudiano:

Ducatu summi Regis conscendit in arcem.

Benedictus Magister; *Id est ductione sed erravit ibi in syllaba* &c. Alioqui *ducatus* significat defensionem in via per alicuius territorium. Vide gloss. ad Fabariens. c. 8.

In castro Sigmarien) Nunc Simeringen, Comitum Hohenzolleranorum sedes: non à Cimbris dicta, ut nonnulli opinantur, sed à *Sigmaro* quodam eius fundatore. An eundem auctorem, an vero cognominem habuit *Sigmarsvvang* in Turgovia quondam dictum, quod nostrati vulgo Gübertwang?

Quandam munitionem nomine Cratzaniam) vel *Crassaniam*, nunc Crägeren.

Luitoldus) Baro de *Regensperg*) ut infra vocatur. Quibus Baronibus à populo Tigurino propter Tyrannidem pulsis, Regenspergium in Præfecturam suæ Reipubl. redigitur à Tigurinis, à quorum civitate abest miliario Helvetico, oppidum parvum & angustũ, sed natura loci munitissimum, in quo duo memorabilia, quod plateas habet nullas (ædes enim omnes in gyro exstructæ pro muris sunt) & quod unâ portâ clauditur.

Huius loci Advocatus) Schirm oder Castenvogt. Vel in vitis Episcopis & Abbatibus Regum Franciæ, & post ibi Imperatorum Germanorum cura & vigilantia *Oeconomi* dabantur, &, ut vulgo vocantur, *Vicedomini*, qui earum rerum, quæ ad vitæ alimoniam & reditus ecclesiasticos pertinebant, sedulam curam gererent. Ea ætas *Advocatos* appellavit, nostri Alamanni Vogt/ex Latino deducta voce κατ' ἀφαίρεσιν, ut ad Tyrolem à nobis demonstratum. In Instrumento quodam Bertholdi Ducis Zaringiæ; *Thuregini loci legitimus Advocatus*, *quod Kastvoget dicitur.* Sic *Ecclesiæ Advocatus* dicitur Imperator Romanus etiam hodie. His etiam verbis in auguratione Electoribus fidem suam obstringit, daß wir in zeit solcher unser Käyserlichen Würden/Ampts und Regierung der Christenheit/und den Stuel zu Rohm / auch Bäpstliche Heiligkeit/und die Christliche Kirchen/als derselben Advocat, zue guetem Bevelch/ Schutz und Schirm haben &c. Cæterum huius loci, id est Monasterii S. Galli, nunc temporis *Advocati* sunt quatuor Helvetiorum Pagi, Tigurum, Lucerna Suicium, Glarona. Quorum vices gerit ille, quem quot biennis alternantes mittunt, Capitaneus, qui Wile in Comitatu Toggenburgensi residet.

In valle nomine Herburg) In *valle* scil. *Rheni*, quæ tempore Ottonis Imperatoris à quibusdam Monachis dicebatur *Ringau*, sicut ex vetustis Tabulis clare patet. Nostratibus Alamannis Rhinthal. *Herburg*, nunc Herbrugg/Schobingerorum S. Galli patriciorum prædium. Castro vero huius ab Vdalrico Abbate constructi ne vestigium quidem potuimus observare, loco vel diligentissimo à nobis considerato. Verisimile tamen est, eo loco fuisse, ubi sunt ædes Schobingerorum.

Marchionem Bertholdum) de Zaringen, eius nominis II. Rudolphi Pseudo-Regis, quem Burchardus nominat, gener, Bertholdi III. pater. Cuius III. vidimus Diploma, in quo ita scriptum erat; *Ego Bertholdus de Zaringen, Dux & Rector Burgundiæ, Dei & Imperiali gratia, Thuregini loci legitimus Advocatus*, *quod* Kastvoget *dicitur: Venerabili Vvalthero prædicti loci Præposito, cunctisque confratribus eius* &c. Datæ litteræ Anno II. Vrbani Tertii, Anno XXXV. Friderici Barbarossæ, An. Dom. MCLXXXVII. Ergo non hic, ut Stumphius contendit, sed pater eius Ruodolphi Regis gener, Friburgum apud Nuichthones fundavit, si vero sunt rationes, quæ ex versibus putantur, qui visuntur Friburgi:

Anno milleno, centeno, bis quoque deno
Friburg fundatur, Bertholdus Dux dominatur.

Indifferenter etiam à scriptoribus nunc *Dux* appellatur, nunc *Marchio*.

In servitii scriptum) Balbus Catholico; *Servitium, ius vel actus servientium vel munus.* Nam quot officia in monasterio tot erant & servitia. Huic legitimus in anniversariis Monasterii; *Pertinet ad servitium Abbatis, Decani, Præpositi, Cellerarii, Camerarii*, &c. Et habebant inter se dies distinctas, quibus hic vel ille ministraret, id est res fratrib. in hoc vel in illo anniversario legatas quotannis suppeditaret, ut sunt *vina, panes, pisces, carnes, ova, pulli, gallinæ, vel cones, gancvische,*

pisces;

casei,poma,pyra,lunulæ,oblatæ. & eius generis alia. Hæc vocabant illi *servitia*, quod reditus isti serviantur,ut loquuntur,hoc est,ministrentur ab his,quos diximus,officialibus. Supra hoc cap. *De aliquibus usurariis fructibus ipsis fratribus nostris ad servitium* &c. Videndus Conrad.Fabariensis cap. 4.

Cyfos lampadum) Cyphos,id est scutula.

Hittingen) Yttingen in Turgovia,olim castellum,quod possidebant Nobiles quidam, quos infra cap.9.appellat *homines liberos*,die Freyen von Yttingen/à quibus castellum illud acquisivit Weringerus Abbas,inque ius eius Monasterii redegit, quod hodie in affluenti rerum statu florens celebratur.Vide infra cap.9.

Agennum) Agaunum,S.Moritz in Wallis/quod olim Alamannis Agenn.

Aliquibus fisci hominibus captis) scilicet Imperialis sive Regii, cuius homines nunc *Fiscales*, interim *Fiscalini* dicuntur,mancipia propria fisci,quæ Abbas Vdalricus pro Imperatore Henrico tenebat: Ekkehardus verò Augiensis,qui à partibus Rudolphi contra Henricum stabat, in captivitatem abduxit.Cæterum de mancipiis fiscalinis alio loco à nobis commodius dicetur in libris de servitute Germanorum antiqua & nova,si Deus cœpta fortunaverit.

Nobili milite Folknando) Comite Toggenburgico,qui aliis *Folkardus*.

Munitiunculam prope Duram fluvium) Quam Vdalricus *Duruuart* appellavit, quod nominis,ubi hostium potita est, amisit,à Lutoldo Ekkehardi Abbatis Augiensis fratre *Lutoldesburgi* nuncupationem sortita,Incolis Lütisburg/Fabariensi cap 14 *Lutensbur.*

Quidam Comes Burkhardus nomine) Comes videlicet de Nellenburg, fratres eorundem Ekkehardi Abbatis & Lutoldi Comitis.Qui *Comitatus Nellenburgius* nunc evectus est in *Lantgraviatum*, & à patre Ferdinando Archiduce relictus filio Andreæ Austriaco Cardinali & Episcopo Constantiensi. Ab cuius obitu ad fratrem pervenit Carolum Burgoviæ Marchionem.

In Primarchatum suum ducens) An legend. *Patriarchatum*,ex compendio scripturæ ? An *Primarchatus* vocem nove & hibride finxit,sicut alius quidam *Ministeriarchis*? de qua Balbus Catholico; *Ministeriarches princeps ministerii. Archon,quod est Princeps,componitur cum ministerium.* Eadem fictione *Archidux* à Germanis dicitur,& *amphiscpire* legitur in Hymno quodam Ecclesiastico,pro circumsepire.

IN CAPUT VIII.

FIDELES *inter se possessiones nostras dividebant)* *Fideles* sunt Principis alicuius subiecti ingenui atque liberi, qui feudo accepto in Domini fide ac clientela sunt; vicissimque suam ei fidem præstiterunt quomodo in Iure Feudor.lib.2.tit.5.& alibi traditur.Quo facit, quod ICti.*feudum* dictum volunt à *fidelitate* vel à *fide*,quam vasallus Domino præstare tenetur & Itali *fede* appellant. Cuius ἐτύμου auctor est Obertus homo Italus lib.2.Feudor. tit.3 cap. 2. in fin.quem communiter sequuntur Doctores. *Fideles*,inquam,quos à *feudo* proprius deducta voce *Leudes* sive *Leodes* nominatos volunt ab Aimoino,Fredegario,& aliis Historicis; *Leaulx* sive *Loyalx* à Francis quasi veteres dixerint *Leods* ἀντὶ τοῦ *Feolds*. Quod mihi neque verum videtur neque verisimile. Nam *Leudes*,& ex affinitate vocalium *Leodes*,pura puta vox Germanica ea est non à *feudo* detorta,ut illi falluntur,verum à Leut/quod significat *homines*. Vnde nonnulli scriptores pro *leudes* maluerunt Latine dicere *homines*,quam de vasallis loquuntur: & *hominium*,seu,quod idem est,*homagium facere*,pro fidem præstare domino. Quos & ipsi Itali-ci lingua vernacula sunt imitati. Neque etiam iidem sunt *Leaulx* & *Loyalx*:quorum illud originis Francicum est,id est Germanicum,ex nomine Leut/tantumque illis tribuitur, qui fidem alicui iurarūt,hoc vero provinciale, id est Latinum, mutato legis vocabulo in *loy*,quemadmodum *fidei* in *foy*. Quæ utriusque vocis nova est cum scriptura tum pronunciatio. Nam veteres scribebant *loi* & *foi*,pronunciatum ut Græci οι diphthongum. Ex quo pronuntiatu ab Latinis formata sunt *leudum* & *feudum*, quæ posterioribus,ex illa corrupta pronuntiatione an affinitate vocalium dicam,*leodum* & *feodum*. Vt nunc,dum calamum premo, fere incipiscat oriri dubitatio,à Germanis acceperint Galli anne Latinis *Leudium* originem,qua appellatione prisci nostri maiores non simpliciter homines,sed eos innuebant,qui communitati alicui lege erant adstricti,hoc est cives: Vnde fors est ut *Leodio* civitati Belgicæ nomen,ea ratione quam supra de *Villa* attulimus. Et habent sane,ut Hebræi & Græci,ita Latini quoque multas cum Germanis voces communes. Igitur illa. Nunc quæ supra diximus, vera esse vincemus verbis fidelitatis, quæ leguntur in Titletonio, quod in libro in feudale Anglorum exponitur; libro 2.capit.1.in hunc modum; *Ieo deueign vostre home de ceo iour enauant de vie & de membre; & de terrene honor, & a vous sera foial & loial , & foy vous portera des tenemens qui ieo claim de tener de vous,salue le foy que ie doy a nostre seignor le Roy.* In quibus verbis *loy* fidem exprimit, *foial* & *loial* fidelem & legalem,id est qui secundum fidem ac legem facit,*home* hominem sive leudem. Ex quibus intelligitur,cur cap.seq. Vdalricus Baro de Gameringen & Ruodolphus Comes de Pfulmendorf *fideles* appellentur *Ecclesiæ*, quia scilicet Advocatiam monasterii ab Abbate in feudum pro se posterisque suis acceperunt. Aloqui *fideles* generatim dicuntur omnes Principum subiecti; qui fidem ei adstrinxerunt, in eiusdem ditione domicilia possident, ut exsertim,

tim in d. titul. 5. scriptum est. Et confirmat illa formula, qua etiamnum Imperator Romani Imperii subditos compellat; Unsern und deß Reichs lieben und Getrewen, id est *dilecto & fideli*. Et Dominus quidam in Historia Sanct. Deicoli: *Ite cum festinatione, & si quis illum fidelium meorum capere possit, sine mora castretur*, pro, subditorum meorum. Vtuntur plerique Historici mediæ ætatis.

Ministeriales) Homines liberi, qui Principi alicui ministrant, Edildegin/Edelknecht/Dienstman/Amptman sive Amptleut/Ambacht priscis Celtis. Iul. Cæsar lib. 6. de Bel. Gall. *Ita plurimos circum se ambactos clientesque habet*, id est, ut Burckhardus noster loqueretur, *ministeriales* fidelesque. Philoxenus Gloss. *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος λέγει, ait, id est ministerialis. Itaq apud Paulum Diaconum in epit. Festi ex schedis P. Stephani legend. *Ambactus apud Ennium lingua Gallica servus dicitur*, id est, ministerialis.

Et hæc est vera certaque huius nominis notio, quam vero Grammatici isti, ut ingenue fatear quod sentio, non bene percepere, quod liceat pace Illustrissimorum virorum Anton. Augustini & Jos. Scaligeri indicasse. Interdum *Ministeriales* dicuntur omnes homines nobiles Principis alicuius fideles & subiecti. Hinc illa formula, qua nonnulli Principes adhuc vasallis suis scribentes utuntur, Unsern Edelknecht. Burckhardus capite sequenti. *Sed quia insolentiæ ministerialium resistere semper studuit, plura ex ipsorum impedimento, quæ ad Claustri sui utilitatem spectare possent, prætermisit.* Et capite duodecimo *Heinricus de Klingen communi consensu omnium fratrum ac monasterialium & totius populi assensu substitutus est.* Conradus Fabariensis capite octavo. *Abbas seniorum fratrum postposito consilio, sed ministerialibus magis assentiens, qui potentiam dicti Ducis formidabant.* Et capit. 10. *Ad minuendum debitum Ecclesiæ vocatis ministerialibus, fratribusque convocatis*, &c. Cap. 13. pereleganter & dilucide; *Ministeriales huiusmodi verborum aggredi attemptabat* (Abbas) *schematibus: O præclarissimi milites B. Galli vos prosapia generis & nobilitas ac magnificentia Ecclesiæ magnificavit, imo & ipsa in vobis magnificatur & in filiis vestris. Providendum est vestræ, ut credo, & nobilitati & propagini*, &c. Vide eumdem cum alibi, tum cap. 11. & Animadversion. nostras ad Tyrolem.

Optimos mansus curiarum nostrarum) Papias Gloss. *Mansus dictus à manendo, quod integrum sit XII. iugeribus.* Vocabularius Iuris Sigismundo Imperatore scriptus: *Mansus secundum vulgare Italorum dicitur quantitas terræ, quæ duobus bobus sufficit in anno ad laborandum.* Fabariensis cap. 8. *Comiti de Dilingen ducentas marcas pro resignatione mansuum XX. in manus Abbatis, quas ab ipso iure recepit feodi.* Alamannis in pratis mansmat/in vineis/mangrab/in agris manwerch/in alpibus mannstofel.

Curiarum nostrarum) Quas ad Ekkehardum diximus *curtes* vocari. Hof. In libr. Feudor. tit. 51. § 1 *Quidam Capitaneus in quadam curte sua beneficium dedit militibus, & postea eandem curiam vendidit.* Sic infra cap. ult. Eligovve & Huntvvilare & Romanshorn *curias* vocat. Et alibi non *curia* pro curte usurpatur.

Iura villicationis in modum beneficiorum habere) De villicis dictum ad Ekkehardum capit. 4. Auctor Mamorracti in Lucam cap. 16. *Villicum, id est villæ gubernatorem, quasi villæ Custodem, à quo villicare villicandi officium exercere*, Infra cap. 10. *Villicatus vel emendo vel vacando reservare.* Conrad. Fabariensis cap. 4.

IN CAP. IX.

COMES *Ruodolfus de Pfulmendorf*) Nonnulli MSS. *Pfulvrendorf*, in Additione Annalium Hepidanni *Fulndorf.* Mortuus hic in Palestina, dum *se perpetualiter sancti Sepulchri servitio dicavit*, ut habent verba Additionis.

Itingen à quibusdam liberis hominibus acquisivit) *Liberi homines*, Freyherren/ quorum maiores nullam, quod sciatur, servierunt servitutem. Et hi proprie *Nobiles*. Nam qui ex servitute manumissi libertatem consequebantur, *Ingenui* dicti, & ab Alamannis *Semper frey*, ex formula manumissionis, *Semper ingenuus atque securus existat*, cuius exemplum exstat in Chart. 7. tom. II. & apud Cuiacium Observat. lib. 14. cap. 27. itaque concipitur in Chart. 8. dict. tom. *Ab omni servitutis iugo sit exutus in perpetuum.* Hæc formula avorum memoria, sublato manumissioni ritu, iis aptari cœpit, qui Baronum ordini ab Imperatore primum adscribebantur, ut iuberentur esse ac dicerentur porro *Semper frey*, quæ appellatio olim, ut diximus, nota erat libertini generis, apud maiores autem nostros novorum Baronum, der Newgebachnen Freyheren. Hodie, ut vetustas temporis omnia commutat, & vilia quoque in maius provehit, & quæ despecta erant, in honoris ac dignitatis gradum collocat, sicut alii tituli, sic etiam iste ab iis vindicatur, qui hoc in gradu superiores aliis esse ac præire student, & tantum non primus ac novus honor factus est. De *Baronis* voce, eius origine & etymologia multis ad Winsbekium diximus.

IN CAPUT XI.

R*VOMASHORN*) In veteribus Chartis *Romanishorn*, hodie Romischorn/ de quo vide gloss. ad Ekkehardum cap. 1. Habitatum quondam fuit à Nobilibus eiusdem nominis, quorum stirps interiit, ipsum vero castrum cum villa cessit Abbati S. Galli, à quo redactum est in præfecturam, quam *Advocatiam* vocabant superioris ævi scriptores.

Invadiavit) Oppigneraverit. Balbus Catholico: *Vadium, pignus vel fideiussio. Vnde vadiare, in vadio ponere, vadium vel pignus alicui dare. Et componitur, ut convadiare, invadiare, revadiare, id est repignerare, à vadio recolligere, subvadiare. id est post vel latenter vadiare.* Poeta Grammaticus;

Pignus in o. natum, sed in e. facit esse vadiatum.

In Instrumento Fœderis inter Muretenses & Biellienses pacti. An. Dom. 1341. *Nullus etiam de nostris debet aliquem coniuratorum nostrorum de Biello & eiusdem pertinentium impignerare seu invadiare, prater quam suum debitorem confessum vel fideiussorem.* Burckhardus ca. seq. *Ducentis marcis invadiatas redemit.*

Infeodavit) Supra dixit *inbeneficiavit* capite 3. Venceslaus Brack in Terminis Iuristarum.

Arrestare frenen, dic impheodare belehnen.

Burckhardus supra cap. 8. *Quicquid per infeodationem ab utrisque alienatum est.* Fabariensis cap. 8. *Quod res Ecclesia damnabiliter & irrecuperabiliter disposuerat infeodare.* Et c. 12. *Pignori feodaliter obligaret argenti marcis sexingentis,* &c.

Cum in ira Dei positus esset) Inde versus mortuo facti à suis Monachis.

Qui iam consumis terram, quam nunc bene dormis,
Fortasis vivus trivisset tempus in hornis.
Sed te, ne damno calcares limina Galli,
Iura Dei iussit maturo funere tolli.

Paralysi) Alamannis Parlysucht/ inde deducta voce.

IN CAP. XII.

VT *ad Curias Regum cum magnis impensis perveniant)* ad Comitia Imperialia, auff die Reichstäg. Hoc eodem cap. *Vlmam ad solemnem Curiam,* &c. Item, *Ad curiam Esslingam. ad curiam Vlma habitam, ad curiam Ravenspurg,* &c. Comitia, quæ Philippus Imperator Vlmæ, Esslingæ, & Rauenspurgi, ' iuitatibus Suæuiæ Imperialibus celebravi ; deliberaturus cum Proceribus Imperii de expeditione in Herbipolensem Episcopum & Lantgravium Thuringiæ rebellantes instituenda.

Expeditionem ad Episcopum Erbipolensem promisit) Expeditio, Heerfart/ pecunia sive tributum pro expeditione facienda, *præstationem* dixit Ekkehardus cap. 5. In Diplomate Caroli Crassi Imper. Ecclesiæ Sanct. Salvatoris, quæ est Francofordiæ , dato, cuius mihi videndi copiam fecit CL. Iohan. Fridericus Faustus, Patricius ac Senator Francofurdianus; *Et ab illo Abbate, cui prædicta capella commissa fuerit, nulla umquam hostilis expeditio exigatur, nec ullus et inde quicquid auferre præsumat.* Walefrido *iter hostile,* lib. 2. capit. 17. de Vita Sanct. Galli; *Fertur eundem Episcopum aliquando ad iter hostile sibi de ipsius Monasterii sumptibus viaticum præparari iussisse.*

Expeditionem in Lantgravium Turingiæ promisit) Hermannum scilicet de quo miranda canunt Poetæ illi Nobiles in aureo illo Musico Aulicorum libro, quorum nonnulli in eius Aula vixerant, antequam ad Philippi Imperatoris partes concederent , ut Waltherus Vogelweidius. Wolfaramus Echilbachius, Tanhauserus, Bitterolfus, alij, quorum nomina nunc non comminiscor.

IN CVNRADI FABARIENSIS CASVS

CAP. II.

PHILOLOGIAM *totamque ad unguem usque investigaverunt theoricam)* Per *Theoricam* intelligit Mathematicam & Astronomicam, quibus semper fuere Monachi isti quam deditissimi, ut ex libris eorum patet, qui in Bibliotheca Monasterii adhuc superant. Sic cap. sequent. *Notkerum Magistrum vocat artis theoricæ non pigrum*, quem insignem Mathematicum fuisse scriptores tradunt, qui ei *Computum Ecclesiasticum* adscribunt. Intelligit autem Notkerum Labeonem Physicum & Medicum, quem ad differitatem cæterorum duorum vocarunt *Magistrum.*

IN CAPVT IV.

AB *aliis feudo iure possessos)* Vetus Glossar. Franco-Latin. *Fou, feodum.* Mira Scriptura, si vera, & non aberravit Glossator , qui in quarta vocali reposuit, quod in secunda erat collocandum, ut antiqui dixerint *feu,* quod nostri Franci *fiev* , quum & Itali *fe* dicant pro *fede,* unde *feudi* appellationem deduxit Obertus. Vide Gloss. ad Burckhard. capite 8. Venceslaus Brack in Terminis Iuristarum.

Est Phadus lehengut, est depactio digniess.

Ibidem;

Ius feodi lehnrecht, burgrschaft civilitas exstat.

Fabariens. infra cap. 8. *Suevia Principibus, quod in suis perturbaverat tam feodis quam consuetudinalibus iusticiis.*

In Caput V.

CORDIS *dudum instincta casidili*) id est, ut Walafridus loquitur de Gallo lib. 1. cap. 23. *alta memoriæ & armario cordis inseruit.* Vgutio Gloss. *Casidilis vel Casidile, dicitur sacculum, pera, sarciperium ficacium, marsupium, moculus. loculus, crumena.* Papias Gloss. *Casidilis, pera pastoralis.* Verus Interpres Thobiæ cap. 8. *Protulit de Casiduli suo partem iecoris.* Matthæus Vindocinensis in Thobia;

Casidili profert auxiliare iecur.

Ita enim ibi legend. ex nostro MS. & vet. edit. Parisiensi, qua nos donavit R. P. Carolus Perrotus Parisiensis, non *cosili*, ut autumat in Catholico, nec *casiculi*, ut ii quos adducit Auctor Mamotracti.

Acedia) ἀκηδία. Balbus Catholico; *Accidia, tristitia, molestia, anxietas, vel tædium. Accidiosus, molestus, tristis, anxius. Accidiari, tristari, anxiari, vel habere tædium, vel indignari* Quo verbo utitur verus Interpres Ecclesiast. cap. 6. Vox est Theologorum suum sibi ac proprium.

In triuio Grammaticæ, Logicæ, & Rhetoricæ) Balbus Catholico; *Grammatica, Dialectica, & Rhetorica dicuntur trivium, quadam similitudine quasi triplex via ad idem, id est ad eloquentiam. Arithmetica vero Musica, Geometria, & Astronomia dicuntur, quadruvium, quasi quattuor viæ ad idem, id est ad sapientiam tendentes. Vnde & Triviales dicuntur, qui docent vel qui studient in trivio sicut Quadruviales qui in quadruvio.* Et hinc *Schola trivialis* dicta, in qua tres illæ artes tantum traduntur.

In iure forensi & ecclesiastico) Civili & Canonico, Cæsareo & Pontificio, Cap. 11. *Forenses* pro causidicis dixit, qui in *foro* versantur, id est iudicio.

In Caput VI.

CASTRUM *à memorato Heinrico de Saxo inchoatum.* Quod *Forsteggiam* nominavit à vicina silva, in cuius angulo eminenti exstructum contra impressiones Comitum Montilfortium, qui è regione trans Rhenum tum habitabant castrum suum *Montemfortem*, hodie Austriacæ potestatis. Cæterum Forsteggia annis abhinc quasi decem iniuria cuiusdam ancillæ lotricis ambustum conflagravit. Ad cuius restaurationem quum Iohan. Philippus Saxii & Hohensaxii Baro animum adiecisset, & iamiam in opus incumberet, à nepote suo crudelem in modum in convivio nihil mali conspicatus iugulatur. Quod tamen parricidium non tulit impune. Nam haut diu post Viennæ comprehensus in carcere detruncatur. Muri vero ab hoc ipso Henrico exædificati adhuc supersunt indicia castri munitissimi & tali loco digni.

In Cap. VIII.

C(*CC. itrem pondo argenti marcas*) Infra cap. eodem; *Tricentarum marcarum pondo pignori obligavit.* Cap. 10. *CLX pondo marcharum* Capit. 12. *Argenti marcis sexingentis.* iunctis verbis quæ in fin. *Pro memorati pondere argenti.* Cap. 14. *Accepta ab Abbate pecunia marcatorum pondo quingentarum.* Balbus Catholico, *Marcha est quoddam pondus, sc. media libra, ut dicitur marcha argenti.* Marck silber. Dicetur in lib. de nummis Germanorum vetustis.

Non iuris facetia sed armorum copiæ) *Facetiam* pro facundia dixit etiam cap. seq. *Post multam minervæ facetiam.*

Huius occasione prœlii quam plura suis largita dona tyronibus, plura beneficia) *Tyronibus*, id est, militibus. Brito Synonymis:

Miles, eques, tyro, tyrunculus, atque Quirites.

Hinc Alamannis tornet/*tyronium* corrupte pro *tyrocinio* id est ludo equestri vel militari, unde Barbari formarunt *torneamentum*, turnieren/velitari in armis sese militarem in morem modumque exercere, quod Barbari *torneare*, & monstrosius *hastiludiari*.

Tam fœdis quam consuetudinalibus iusticiis) So wol an Lehen als jhren gewonheiten vnd gerechtigkeiten. *Iustitiæ*, Gericht/quas nonnulli *iurisdictiones* vocant, *seigneuries de iustice.* Hinc *miles iusticiæ*, Gerichtsherr. Balbus Catholico; *Miles iustitiæ potest esse una dictio composita, & tunc pertinet ad quoddam officium reddendi iustitiam.*

Ipsiusque ducatu & auxilio ultra montem, qui Rukkenbein nominatur, ad Monasterium usque perductus, ad Constantiam usque suo ducatu perducitur) Venceslaus Brack in Terminis Iuristarum.

Gleitet conducit, ducatus sit qut geleite.

Infra Cap. 19. *Assumpto ducatu potentissimorum* Wettinus pro eo *viam & defensionem* dixit, in Vita S. Galli lib. 1. *Tunc viam seu defensionem per altam Germaniam ad Italiam petit*, à Rege scilicet.

IN CAPUT X.

NIMIO *erga parentes ductus amore*) *parent*, cognatos, qui Alamannis eadem notionis ratione Vetter. Balbus Catholico; *Pariter etiam accipitur pro consanguineo vel affine, unde parentela, cognatio, consanguinitas, congermanitas, contribulitas.* Infra cap. 11. *Manu valida suorum defendere habuimus & amicorum & parentum.* cap. 14. *Nullusque suorum parentum, vel affinium* &c. cap. 21. *Plerique tam parentibus quam affinibus supervenire sibi non fuit pigrum.* Kerhardus Augiensis Synonymis; *Semen, prosapia genus, stirps, genealogia propago, maneries, tribus, linea, consanguinitas, progenies, sanguis, parentela,* Infra hoc cap. *Eligitur alter aqua fortis, literatura & parentela.* Wettinus lib. 1. de Vita S. Galli: *Patris ac matris seu parentilla cum possessionibus diversis immemor.* Quod Walafridus: *Spreta propinquorum & prædiorum dulcedine.*

Cum agape familiarium Ecclesia) cum præbendis Monachorum. Vgutio Gloss. *Agapa vel agape, labor alienus, dilectio, vel charitas, vel orationum communio, vel eleemosyna rogata.* Recte ait: *Charitas.* Hinc *Charitatem facere* Monachis, & *charitative suscipere* apud Ekkehardum pro ἀγάπαις ποιεῖσθαι, ut legitur in libro Concilior. sacrorum.

In vasallum conquisivit) *Vassus* à *vade* nomen accepit, qui vadimonium pro beneficio accepto auctori suo fecit. *Vasallus*, quasi *vassulus*, sicut *vessel* & *vesello* à *vasculo* Francis & Italis derivatum. In veteri Dictionario Italico Vulgari Latino exponitur *Vasallo, subdito dil signore, cliens fiduciarius,* Quandoque pro homine libero accipitur & nobili, tametsi beneficia teneat nulla. In Historia S. Deicoli; *Respondet esse non longe locum palustrem & fontibus satis irriguum in prædio cuiusdam præpotentis vasalli nomine Werfarii.* Hunc enim sui juris fuisse ex illis, quæ sequuntur, verbis clarum fit: *Qui tunc temporis in alodio suo manebat.*

IN CAP. XII.

PRÆSENTATUS *Haimrico Regi semper Augusto, Duce Noricorum in Curia manante*) In Aula, am Kayserlichen Hoff. Infra cap. 14 *in Curia Regali.* cap. 15. *in Curia Regis.* Et ibidem; *Vocatus à Domino Rege ad Curiam, ut in Aula maneret rogatus,* &c.

Primatum) Magnatum, Optimatum, Procerum.

Edras) conventus, consessus. Homerus odyss. γ.

Ἵξον δ' ἐς Πυλίων ἀνδρῶν ἄγυρίν τε καὶ ἕδρας.

id est, συνέδρια, ut Eustathius exponit, & ante eum Didymus. Proprie autem *hedra*, sedes Lexic. Græco Lat. Ἕδρα, καθέδρα, *sedilis, sedes.* Videndi Suidas, Hesychius, Erotianus, & Phavorinus Camers in Lexicis.

IN CAP. XIII.

APologiam) Orationem, ἀπολογίαν, verbo Dosithei Magistri li. 3. inf. c. 14. *Falleris Achab Aplogia,* id est oratione Iezabelis.

Angarias mentis) Angst. Vgutio Gloss. *Angaria ab ango,* &c. apposite ad hunc locum. Dic nobis, quæ te res angit, id est cruciat? Cæteroqui *angaria* est compulsio, coactio. *Angariare,* compellere.

Tali sermonum Minerva) Eleganti & artificiosa facundia pro quo statim: *huiusmodi verborum Schematibus,* id est figuris. Supra cap. 9. *Post multam Minervæ facetiam.* Et infra capit. seq. in fin. *Sagitta Minervæ contactum,* id est oratione Abbatis persuasum. *Minerva*, quæ & *Pallas*, sapientiæ & artium liberalium Dea, per μετωνυμίαν pro ipsis artibus: qua figura *Venus, Mars, Bacchus, Ceres, Vulcanus,* pro rebus à se inventis frequentantur. Pari eodemque schemate supra capit. 5. de Vdalrico Abbate: *O mira in iuvene Principe Mercurii Philologia, quæ sparso rubore iuvenili promulgavit eloquia.* Quam diligentes in Marciani Capellæ libris fuerint Monachi S. Galli, vel unius Ekkehardi testimonium nos edocere potest, qui Casuum suorum cap. 14. ita de Notkero circa fin. scribit. *Quas notas cuidam amico quærenti Notkerus Balbulus dilucidavit, cum & Marcianus, quem de Nuptiis miramur, virtutes earum scribere molitus sit.*

Clerici Plebani) Parochi, qui plebi præsunt. Balbus Catholico: *Plebanus Dominus plebis: Plebanatus, eius dignitas, vel districtus plebani.* Poeta Grammaticus:

Plebs hominum dicas, sed plebes Ecclesiarum.

IN CAPUT XIV.

IVNIOR *frater neoptolemus in Curia frater Imperatoris magni Cremonæ factus*) *Neoptolemus* cognomen Pyrrhi fuit Achillis filii, inde impositum quod admodum adolescentulus primum tyrocinium in bello Troiano posuit. Etenim νεοπτόλεμος Græcis tyronem sonat seu militem novitium. Brito Synonymis.

Miles, eques, tyro, tyrunculus, atque Quirites:
Atque neoptolemus novus est regnator in illis.

Quam mille iugera) Eorum mensura pro varietate regionum videtur & ipsa variare. Suidas, πλέθρον ait esse mensuram centum pedum. Herodotus sextam stadii partem. Plutarchus Camillo:

Camillo: Ἐκώλυσεν ἄνθρωπον μηδένα πλέθρων πεντακοσίων πλείονα χώραν κεκτῆσθαι. Quod Livius lib. 5. *Tulit hic legem, ne quis plus quinquaginta iugera agri possideret.* Victorius de Ratione Calculi, quæ apud nos MSS. est: *Iugerum habet passus XLVIII. pedes CCXL.* Isidorus Etymolog. lib. 15. cap. 15. *Iugerum constat longitudine pedum ducentorum quadraginta, latitudine centum viginti.* Balbus Catholico; *Iugerum secundum, quod communiter accipitur, est spatium terræ, quod unum aratrum potest arare in die.* Et hanc apud Alamannos nostros etiam hodie comprehendit mensuram, retento antiquo nomine Iuchert.

Clareto permixta toxica) *Claretum*, Claret/ Hispanis *Clarea*, vinum factitium dulce vel aromatices, quod Germanis & Belgis alicui locorum *Hippocras*. At Francis *clairet* est *vin clair*, rufum. *Toxica* sunt venena, süssen Wein mit Gifft vermengt.

Promittit allodia) Vgitio Gloss. *Allodium dicitur hæreditas, quam vendere vel donare possum, ut meapropria.* Græcitas.

Dicitur allodium fundus fundum maris unum.

Kerardus Augiensis Synonymis: *Allodium, furueg fundus.* In libello, cuius Index, *Gramatellus pro iuvenum eruditione cum glossa Alamannica*: *Singula allodia prorsus inpromptam pecuniam sunt redacta*, alle ewer Vorberge/ &c. In historia S. Deicoli: *Legationem quæstuosam Domino suo, qui tunc temporis in allodio suo manebat, in loco qui dicitur Villa-Callonis transmiserunt.* In Charta antiquissima a Duodone quodam scribi iussa, anno XVIII. regni Caroli M. *Ob amorem Domini nostri Iesu Christi, & remissionem peccatorum meorum, ut veniam dilictis meis consequi merear, infuturum trado, donoque, donatumque in perpetuum esse volo ad monasteria sancta Gallo, qua est constructus in pago Durgauinse, portionem meam in villa nuncupante qua dicitur Sitingamarca, in pago Bertoldesbara, quicquid ibidem in ipsa marca Sitinga tam de alode parentum nostrorum, vel de quolibet attracto possidere videor, totum & integrum*, &c. Item in alia Charta pervetusta, quæ data est anno XXIII. regni Caroli M. hæc verba erant: *Igitur ero Ruakerus in amore Domini nostri Iesu Christi & remissione peccatorum meorum trado ad monasterium sancti Gallonis Confessoris, ubi & Agino venerabilis Pater Episcopus & Rector praeesse dinoscitur, quicquid in his subtus nominatis locis tam de alode parentum quam etiam de quolibet attractu visus sum habere*, &c. Adscripsi uberius initia harum Chartarum, quoniam in Centuria sequentis tomi non exstant.

Castrum potuisset obtinere cum burgo VVile) Castrum sc. *Tokkenburg*, de cuius origine suaviter nugatur nugivendus ille & ferrei oris scriptor Thomas Lyrer Ranckvvillensis in Chronica Sueuiæ, quæ tota, quanta quanta est, fabulis constat & mendaciis consuetis, ut non iniuria *ad demulcendum aures Nobilium compositum* scripserit Felix Fabri Dominicanus Ulmensis histor. Sueuor. l b. 1. c. 20. & *mendacissimum scriptorem* appellet V. Nobilissim. Iohannes à Schellenberg, Hyffingæ Stoulfæ & Randeckiæ Dominus. Porro similem huic locum habes inf. c. 16. *Videant castrum ad Tokkenburg, Wile cum militibus honestis & familia copiosa. Burgus*, Castellum, oppidum munitum & muris cinctum, Balbus Catholico: *Burgus, castrum, & inde Burgarius & Burgensis in eodem sensu.* Inf. c. 17. *Abbas à Burgensibus*, id est civibus, scilicet Argentinensib. Burgern Videndus Isidorus Etymolog. lib. 8. c. 4. Græcis πύργος. Vnde Birg Alamannis montes, alpes: & Berg/ mons.

WErram ex improviso attemptabat) Balbus Catholico: *quasi totum tempus guerræ dicitur bellum.* Britto Synonymis:

Bellum, conflictus, congressus & ala, duellum,
Obsidio, Mars, atque rebellio, prœlia pugna,
Barbaries prohibet prædictis addere guerram.

Kero Augiensis Synonymis: *Certamen, pugna, bellum, contentio, altercatio, duellum, litigium, litigatio, lis, guerra.* Infra hoc cap. *Domorum crematione vverram aggredi.* Cap. 15. *in vverra cum Comite.* Capite 21. *In vverra cuiusdam sui affinis.* Verum de hac voce eiusque veriverbio diximus ad Winsbekium, quæ vide, si tanti.

Elephantos etiam & bardos) Lege, *Pardos*, pardales, Bard/ Pardeerthier/ de quibus Isidorus Etymolog. lib. 12. c. 2.

Literas Imperialis anathematizationis) *proscriptionis*, ut mox appellat, sive banni, Germanis proprie Keisers aut Reichsacht/ quæ successit in locum priscæ illius aquæ & ignis interdictionis, ut docuimus Animadversionibus nostris in Winsbekium.

Martis quassatur ut aula) *Martus*, Malleus, *Marteau*. Hinc *Martiolus*. Iohannes Sarisburiens. Polycratici lib. 4. c. 5. ex Petronio: *Martiolum de sinu proferens, vitrum correxit aptissime.* Vbi tamen mallem legere *Martillum*, quam cum Dousa *Marculum*. Nam *Martellus, mediocris malleus* exponitur à Papia, & in Gloss. Franco-Latin. *Martel, Martellus.* Quo nomine Carolus Magni Imperatoris avus, qui & *Challe Martiaus* appellatur à Guillermo de Nangis in Chronicis Regum Francorum lingua materna ab se scriptis, insignitus est, quod hostes suos non secus domaret atque faber in incude ferrum. Quo pacto Babylonia vocatur *malleus universæ terræ* ab Ieremia Propheta c. 50. v. 23.

Vt aula) pro, olla, antiquitate propter paronomasiam nominis sequentis *Aulicus*. Diminutivum eius adhuc in usu. Balbus Catholico: *Auxilla, olla vel mensura parum maior quam iusta, unde hæc auxillula parva olla, vel parva talis mensura.*

Aulicus) *ab aula dicitur, id est domo Regia, & Aulanus, id est Palatinus, quasi Aulæ custos, quia assidue est in Aula.* Balbus Catholico.

Abdita clepsit) subtraxit, furtim abstulit, à Græco factum, quod est κλέπτειν. Papias Gloss. *Clepere, clam rapere, furari, surripere, celare.* Prudentius. Psychomach.

Quod rapere & clepere est, avideque abscondere parta.

Hinc *Cleps* & *Cleptis* deducuntur Balbo.

Caßibus indutus) armatus. *Caßibus* dixit pro cassidibus, id est galeis. Sic Ioh. Sarisburiensis princip. sui Polycratici:

Si develatam faciem monstraverit, ut non
Perstringat vilum caßibus ille tuum.

Sic enim locus ille legendus pariter & interpungendus, quem unius literulæ adiectio totum obscuravit. Sensus est: si faciem suam detexerit, ne forte oculos tuos galeæ splendore aureo perstringat.

Scurra) Vgutio Gloss. *Scurra, leccator, vaniloquus. Proprie dicitur. qui sequitur curiam gratia cibi.* 2. Reg. 6. *Et nudatus est quasi si nudetur unus de scurris.* Balbus Catholico: *Scurrilitas, leccacitas, turpitudo, luxoriosa verba, quæ vulgariter barrizare dicuntur: & dicitur à stultis curialitas.* Britto Synonymis huius generis homines fere omnes coniungit his versibus, qui ad sequentia quoque referendi:

Histrio, vel pantomimus, vel gesticulator,
Est epulo, scurra, leccator, vel parasitus,
Et palpomimus, ioculator, sive comœdus:
Addito vaniloquum, nebulonem vel nebulonum:
De serpente nepa dictos adiunge nepotes.

Et Iohannes de Garlandia sive Gallandia Decade 9.

Scurra, nepos, liricen funambulus, hystrio, mimus.

Videndus Thomas Aquinas aut Iohannes Gerson Comment. in Boetium de consolat. Philosoph. lib. 3. metr. 4.

Pelliparii) Vgutio Gloss. *Pelliparius, qui parat, id est præparat pelles.* βυρσοδέψαι. *Confectores coriorum* Iul. Firmico lib. 3. Mathes. Ledergerber. In dicto tamen *Grammatello pro iuuenum eruditione cum glossa Alamannica legitur: Et pellicia de pellibus vulpinis, mustelinis, agninis, cuniculis per pelliparios facta*, durch die Kürßner / id est pelliones.

Panifices) pistores, Pfister Alamannis, Becken. Vgutio Gloss. *Panifex, qui vel quæ panem facic.* Idem & *Panificus.* 1. Reg. 8. *Filias vestras facient sibi unguentarias, & focarias, & panificas.* Hinc *panificium* Beckerhandwerck / & *panificare*, pinsere.

Coriarii) sutores, Francis etiam *cordonnirs.* Vgutio Gloss. *Coriarius, qui parat coria, vel qui operatur de corio.* Ergo utrumque significat, & *pelliparium* quem supradixit, id est coriorum concinnatorem, qui in vetere Inscript. *Coriarius subactarius*, Hispanis *curtidor que adoba cueros*, & eum qui Italis *calzolaio*, & *caligaro*, Pl uro *Calceolarius.*

Vsupelliones Non satis verborum suppetit Conrado, qui exprimat, fratricidam istum non solum bonis omnibus, sed & vilissimis nequissimisque hominibus quibusque per vias, in foro, in theatris, in concione, in conventibus civium, in conviviis, in tabernis, in omni sermone familiari, fabulæ, dicterio, atque ludo fuisse. Est verò *usupelliones* hoc loco nihili verbum, pro quo legend. *vispelliones*, qui sunt iidem cum scurris, Suppenfresser. Nam *vispa* Alamannorum est Suppa / quasi *iuspa.* Kerhardus Synonymis: *Ius iustilium sorbinum, sorbellum, sorbium, offa, offella, vispa*, &c. Richardus de Buri Dunelmensis Episcopus Philobiblii c. 7 *Viciosi vispilionis addictus servituti.* Fulgentius Planciades exponit *baiulos & funerum elatores.* Et Philoxenus Gloss. *Bispello* νεκροφόρος, *Bispelliones*, νεκροθάπται, κοπιᾶται. Sic dicti à *bispilo*, id est seculo sive sarcophago. Papias Gloss. *Bispilus, ubi mortuus portatur.* Quod habetur vile genus hominum atque improbum etiam hodie. Et possunt hic esse, qui *Sandapilæ* Balbo, quæ vox idem notat, quod *bispilus.* In Catholico: *Sandapila à sanna, quod est derisio, dicitur, id est Scurra.*

Immotores quaßitatis) Hæc non intelligo, & fere est, ut corrupta existimem. Quid si legamus, *mimatores*, ex Brittone & Garlandia? Nam in Pyladis Vocabulario legitur: *Mimator, ioculator, & proprie rerum humanarum imitator: sicut olim erant mimi in recitatione comœdiarum, quia quod verbo recitator dicebat mimi motu corporis exprimebant, & mimari talem actionem significat.* Qui prout verba loquitur, emendanda porro erant sequentia ad hanc faciem: *quassatis capitibus adversus hanc clamabant in theatris.* &c. reposito in suum locum nomine, quod exciderat. *Quaßitare* dixisse constat ex Balbo in verbo, *Quaßio.*

IN CAPUT XVII.

SCULTETUS *de Hagenovv*) Sculteß quasi Schultheiß / quia Latinis *Prætor.* Sic in vetustis Instrumentis legitur. *Scultetus de Franconofurt Scultetus de Berna* &c. In Lege Langobardorum titul. 6. *Tunc Gastaldius Regis & Sculdahis requirat culpam ipsam, & ad curtem Regis exigat*, &c.

IN CAPUT XVIII

PROPTER *occisionem Ducis Bavariæ tam infantem*) pro infandam, πιθανικῶς. Cæteroqui *infans* est *illoquens*, sicuti *Fans*, *loquens*, apud Balbum Catholico.

Principem Regis Crissarium) Lege, *apocrisarium*) Balbus Catholico: *Apocrisarius, Secretarius, Consiliarius, unde & quandoque sic dicitur Cancellarius, quia ipse Secretarius est Regis vel Imperatoris, & eius secreta scit. Sed nomen sonat quasi de secretariis, quod Rex vel Imperator plures habet Secretarios & Consiliarios, quorum unus est Cancellarius. Vnde in præscriptione tituli Prisciani sic dicitur: Prisciani Grammatici Cæsariensis Apocrisarii Doctoris urbis Romæ Constantinopolitanæ de arte Grammatica liber primus incipit.* Petrus Diaconus præfat. de Notis literar. *Quicquid ubique in Stolomattro remorantes apocrisarii à Deo conservati Imperii nacti erunt.* Herimannus Contractus Chronic. Ann. 578. *Hoc tempore Gregorius tunc Apocrisarius Moralia Iob scripsit.* Codinus Curopalates de Offic. Constant. εἰ δέ τι τῆς ... ἀναγκαῖον, &c.

IN CAP. XIX.

CURTEM *ad Cressarum*) Grieffern, in Valle Rheni, quam & supra cap. 16. à Rege donatam ob servitia Abbatis industriosa memorat: Rege, inquam, Henrico VII. Friderici II. filio, quod factum Ann. Dom. 1228. Abbate mortuo oppignoratur Ramsuuagiis Nobilibus, in quorum potestate permansit annos quasi 300. hoc est usque ad An. Dom. 1510. quo eam redemit Franciscus Abbas. Mirum autem hic nullam fieri mentionem meri imperii, quam curti connexam volunt nostri Abbates & ab eodem Rege condonatam, quum tam diligenter cætera cuncta expresserit.

Cum palmis, alpibus & pascuis) Lege, *planis*, pro *palmis*. Supra d. capit. 16. de eadem curte: *Cum pascuis agris, montibus & planis*, &c. *Plana* sunt campi in convallibus, Plane / id est Blachfeld / Alamannor. vetustis Poetis frequens. *Alpes*, pascua montana, quo æstate pecora aguntur & pascuntur, Alpen. Bertoldus Zuifaltensis Abbas de Origine Monasterii: *In proxima villa, quæ Flusconis dicitur, duas vineas, item in montanis prope positis amplas alpes vel salicæ terræ agros.* Ibidem. *Ex his alpibus, &c. cum trecentis caseis alpinis suum precium habentibus.*

Faciens testamentum donationis) *Testamentum* imperite pro instrumento dixit Ekkehardus Minimus in Vita Notkeri c. 29. *Firmavit eum regalibus testamentis & honoribus.* Sæpe in Chartis. Videndus Vadianus lib. 2.

Qui satius creperum dicis) Satis dubie. Balbus Catholico: *Creperon, dubium dicitur: unde creperus, dubius.* Hepidannus lib. 1. de Vita Wiboradæ c. 35. *Se creperum, sapere, &c.*

De his delicuit contra invasores habendis) *Delicuit*, pro delicavit, id est asseruit, affirmando vindicavit. Nam veteres *delicare* dicebant pro affirmare, asserere, testibus Festo & Nonio, quos Conradus noster actores habet. Lambinus Notis in Lucretium. Dicebant & *dedicare*, sicut *abdicare* pro negare, resolvere, notante Doctore nostro Giphanio in Ind. Lucret. & Præceptore Scioppio Verisimil. 4. ibidemque Frutero in Epigram. Vt de veritate lectionum infra inter se contenderint viri docti. Vtraque proba, utraque bonis scriptoribus usurpata, nec sine exempl s verborum consimilium. Nonne *melitari* dixerunt & *meditari*, *lacrumas* & *dacrumas*, *melos* & *medos*, *olere* & *odere*, *mel* & *med*, unde *medum* Barbaris, & Germanis Met.

IN CAP. XX.

PRO *receptatione talis potitii*) potionis Balbus Catholico: *Potitium potatio vel confectio ex vino & herbis, vel medicina quæ potatur.* Hepidanno de Vita Wiboradæ lib. 2. capit. 14. *potitium*, ποτήριον.

IN CUNRADI FABARIENSIS CATALOGUM ABBATUM.

IN isto Catalogo Iohannes Episcopus ponitur, secundus Monasterii Abbas ab Othmaro. At Ratpertus Sidonium Constantiensem Præsulem recenset, ab Othmaro alterum Abbatem, illum autem Iohannem in tertio reponit numero.

FINIS.

HISTO-



HISTORIARVM ALAMANNICARVM

PARS II.

Complectens selectas Sanctorum Historias, qui apud Alamannos claruere, in quibus plurima antiquitatis monumenta, quæ frustra alibi quæras.

DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS.

VVALAFRIDVS STRABVS ABBAS AVGIENSIS.



TRes faciunt Strabos sive Strabones Walafridum, quem vixisse volunt A. Dom. 700. Anglicanum Bedæ Venerabilis fratrem, A.750. denique Fuldensem, quem & Gallum cognominant, Glossæ Biblicæ auctorem. Sed errant cum in nominibus, tum in ætate. Nam ut Anglicanus quidam Strabo fuerit, quo de non disputo, certe quem Fuldensem indigetant, haut alius est à Walafrido, qui adolescens in monasterio S. Galli scholas frequentavit, ut ipse de se alicubi scribit. Inde Fuldam ablegatus eudiendi Hrabani caussa sub eius disciplina perduravit, donec ad Archiepiscopatum Magontiacum eveheretur. Tum enim relicta Fulda Augiam accessit, in quo monasterio post multas calamitates à fratribus perpessas concessit tandem fatis, & monumentum sortitus est vita sua dignum. Bebelius, Ortelius, & Tilemannus vocant *Galfridum*. Imperite. Ille enim Anglus fuit, scriptor *Alexandreidos*, quibus libris res gestas Alexandri M. exsecutus est. Vixit circiter An.D. 840. ut satis mirari nequeam oscitantiam Surii, Gesneri, Frisii, Baronii, qui tam supinum Trithemii errorem errare maluerunt, quam certam Walafridi ætatem pervestigare. Testimonia veterum.

Hartmotus Abbas S. Galli Catalogo librorum, quos Monasterio acquisivit apud Ratpertum cap. 10. *Vitam SS. Galli & Othmari volumine uno.*

Ipso Magister lib. 1. de Mirac. S. Othmari; *Virtutes & miracula ob sanctitatem B. Othmari cœlitus declarata Walfridus Abba vir doctus & sapiens, qui in litterarum scientia apud nostrates illustris ante alios habebatur, seniorum in cœnobio S. Galli conversantium relationibus, seu etiam scriptis veritatis ratione plenissimis fidem accommodans luculento satis sermone, & veraci assertione conscripsit.*

Hepidannus Anno 849. *Vualahfredus, Abba Augiensis obiit. Iste vir literatus vitas Sanctorum Gallo & Othmari ad petitionem Gozperti Abbatis compilavit eleganter.*

Herimannus Contractus An. 840. *Vualafridus Strabo Abbas Augiensis, vir doctus, obiit.*

In Catalogo Abbatum Monasterii S. Galli; DCCCXV. *Gozpertus &c. Ad huius petitionem Walafridus vitam S. Galli & Othmari scripsit.*

Tiusburgius Ephemeridib. in Augusto; XV. K. L. *Walafridus Abbas obiit, vir in divinis & humanis litteris uersatissimus.*

Ioh. Trithemius Abbas Spainhaimensis de Illustrib. viris Germaniæ: *Walafridus Abbas monasterii* * *S. Galli, Ordinis D. Patris Benedicti, vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus literis egregie doctus, ingenio subtilis, & disertus eloquio, metro excellens & prosa, monarcha disciplinæ Regularis, & multorum pater Monachorum. Scripsit inter cætera ingenii sui opuscula, Vitam S. Galli prosaice* * *lib. 1. Eandem postea* * *metrice lib. 1. De Officiis quoque divinis lib. 1. & varias ad diversos epistolas, & quædam alia. Claruit circa tempora Tyberii Augusti, anno Domini DCC.*

Idem de Scriptorib. Ecclesiast. *Walafridus Abbas S. Galli, ut dicitur, natione Germanus vir in divinis Scripturis studiosus, & in secularibus literis omnium suo tempore doctissimus, ingenio & eloquio clarus, carmine valens & prosa, monarcha Disciplinæ Regularis, & multorum pater Monachorum. Scripsit ad ædificationem omnium fidelium deuote legentium, Vitam S. Galli prosaice lib. 1. Eandem postea metrice lib. 1. &c. Et alia nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt, &c.*

Tanta poposcit institutum: plura producimus Tom. II. parte I. & alia in Tomo Rerum Francicarum, quatenus scil. rebus & locis convenire intellegimus; quæ vel iterare, vel unum in locum coacervare, & lectori tædiosum, & nobis molestum.

*Hunc errorem refutavit iam Iodoc. Mezlerus S. Galli Monachus, cuius verba refert Hen. Canisius Tom. 6. Antiquitatum.

*Noster Ms. in duo est tributus.

* Exstat etiamnum in Monasterio S. Galli.

150

ISO MAGISTER, COENOBITA S. GALLI.

NObili genere apud Rheugulcos in Alamannia natus, vir peræque sanctus & pius quam doctus, collega Marcelli Magistri in scholis. Discipulos habuit doctissimos & ævi sui lumina, Notkerum Balbulem, Tutilonem, Ratpertum, Hartmannum, Salomonem Episcopum, & alios. Scripsit libros non paucos, quorum optima pars interiit. Exstat adhuc præter ribrum istum de Miraculis S. Othmari, & Lexicon quoddam Latinum ex omnibus veterum glossariis collectum, nomine discipuli sui Salomonis Episcopi editum, quod S. Galli in Monasterio, & Constantiæ in Bibliotheca Cathedrali asservatur. Scripsit & Cartharum formulas, & quasdam etiam Chartas, quarum aliquot Tom. II. parte I. edimus. Fertur & carmina quædam composuisse, quæ videre nondum contigit. Moritur in Grandivallensium Cœnobio An. D. 871. Vitam eius perscripsit Ekkehardus Iunior in Casibus cap. 2. & Ekkehardus Minimus in Notkeri Balbuli. Testimonia veterum.

Ekkehardus Iunior in Casibus cap. 1. *Salomonis tertii parentes cum essent clari & illustres, ipsum Isoni S. Galli Monacho, tunc temporis doctori nominatissimo, tradunt erudiendum & clericatui initiandum, quem apprime, ut aiunt, ipse erudierat*, &c.

Idem eodem libro cap. 2. *Iso non solum bene natorum, sed & sanctorum filius fuit parentum* &c.

Hepidanus Anno DCCCLXXI. *Yso Magister obiit* Prid. Id. Mai.

Cunradus Fabariensis cap. 3. *Isonem, qui omni genere florens Philosophiæ diversos ex se palmites protulit fœcundos.*

Ekkehardus Minimus vita Notkeri cap. 7. *Sub Isone Magistro hoc in tempore literatissimo* &c.

In Lectionario Ecclesia de Notkero canit;

Hos inter populos nostri miserere Monarchos
*Commitu, + fido ab Y*sone *tuo.*

S. THEODORUS EREMITA.

S. Columbani & Galli discipulus, B. Magnoaldi Hiberni, qui postea Magnus à miraculorum magnitudine dictus, assiduus comes atque socius, cum magistris suis Luxovio in Alamaniam pervenit. Magni auctoritate primus cellam Campidonensem ad Hilarum fluvium exstruere cœpit, illicq; vitam solitariam traducere. Iecit itaq; fundamenta illustrissimo illi Campodinensi apud Alamannos monasterio, non aliter atque Magister suus Sanctgallensi. Descripsit vitam S. Magni sodalis sui libris II. quos Lanto Episcopus Augustanus in tumulo Magni repertos Ermenrico Elevvangensi Monacho describendos pariter atque emendandos commisit. Moritur sub Othmaro primo Abbate Sanct. Galli, & Pipino, Caroli M. patre, Rege Francorum. Meminit eius Walafridus in vita Sanct. Galli libr. 1. capite 9. & ipse satis luculenter in suis libris, quum maxime lib. 2. cap. ult. circa fin. & Ermenricus in Supplem. capit. 14. Hermannus Miles, proavunculus meus, Rector D. Magni, Epist. ad Vadianum; *Nomine venerabilium virorum Willimari Presbyteri, nec non Hiltiboldi Diaconi in Arbona, qui Gallo nostro heremi solitudines ostendit, summopere desideras. Qua in re nedum patriam nostram, verum etiam genealogiam tuam, quam sermo vulgaris noster de Wat vocitat, plurimum extolles. Si tamen gloriosam virginem Wiboradam matremque nostram, denique Magnoaldum, qui propter magnarum virtutum insignia Magnus tam à Theodoro confratre, quam ab incolis appellatus est, non postposueris.*

ERMENRICUS ELEVVANGENSIS MONACHUS.

FLoruit tempore Ludovici Iunioris, Ludovico Pio Imperatore nati, Regis Orientalium Francorum, cui Lanto Augustanæ sedis Episcopus, ut vitam S. Magni describeret, tabore corrupta redintegraret, & depositionem eius, quam vocant, præterea suppleret, iniunxit. De se ipse cap. 16. sic scriptum reliquit: *Assumpsit secum præfatus Episcopus Lanto pictatium pæne putridum, sed tamen divina sanciente providentia paginæ licet obscuræ, tamen ad legendum sunt conservatæ, & accersivit quendam Monachum prudentem & industrium ex monasterio Elevvanga, nomine Ermenricum, tradiditque ei ipsos quaterniones ad legendum & corrigendum atque emendandum. Ille autem asserens se minime ita doctum esse, ut tale innovaret, atque prout dignum erat inserere valeret, necessitatis obedientiæ constrictus suscepit illud pictatium, & secundum virium suarum considerationem, iussionem Pontificis contemnere nolens adimplevit, quæ ibi invenit scripta revocans & corrigens omnia, atque Domino annuente seriem confusam capitulorum luminibus emendavit.*

ANONYMUS SCRIPTOR VITAE S. FINDANI.

DE hoc nihil habeo dicere, nisi perveterem esse, & ipsius Findani σύγχρονον; dignum profecto, qui non à me tantum, sed ab omnibus antiquitatum patriarum studiosis pellegatur. Et pessimæ fuere manus, quæ tam probum nobis Scriptorem detruncarunt.

HEPIDANNUS COENOBITA S. GALLI.

VIxit, ut ipse de se in præfatione testatur, Ann. Dom. 1072. sub Abbate Vdalrico Notkerti successore, cuius iussu in vitam S. Wiboradæ duobus libris pertexendam cœpit incumbere. An quid præterea composuerit, nondum habeo exploratum. Nam Annales & Computum alterius Hepidanni esse, iam supra part. 1. argumentis evictum est.

EKKEHARDUS MINIMUS, DECANUS S. GALLI.

HVnc existimo vixisse simul & scripsisse Rudolpho Guttingio Abbate, circiter An. Dom. 1220. præter propter. Nam cap. 8. mentionem facit Friderici II. Imperatoris, & Vdalrici Saxonis, Abbatis eo nomine, ut ipse notat, V. ut alii VI. jam defuncti, sed quem Imperator sua memoria Romam legaverit ad Innocentium III. P. M. Cap. ult. numerat 200. & plures ab obitu Notkeri annos, qui, Herimanno teste, ad superos concessit Anno 912. Quibus recte putatis, elucescet, neminem eorum Ekkehardorum, quos supra memoravimus, huius esse vitæ auctorem potuisse, & ordine me fecisse, qui hunc & *Quintum* & *Minimum* appellarim.

S. FRIDOLINI HISTORIA.

ET hæc est innominato auctore præscripta, qui eam ex Balthario excerptam in hoc compendium redegit: Balthario, inquam, qui integram Fridolini Historiam non eleganter instituit ad Notkerum Sanct Galli Monachum. Vnde error natus, ut vulgus Scriptorum ad ipsum Notkerum auctorem referrent. Quem errorem primus deprehendit ac detexit Iod. Metzlerus Sanct. Galli Supprior & Præpositus Villanus, diligentissimus harum rerum inquisitor: quum in eum impegissent viri etiam docti, Tschudus Munsterus, Stumpfius, Vrstisius, Simlerus, alii. Porro hanc nobis historiam communicaverunt Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Episcopocellanæ in Turgovia.

WALAFRIDI STRABI ABBATIS AUGIENSIS

DE VITA B. GALLI CONFESSORIS.

LIBER I.

Prologus.



NIsi me sacrarum auctoritas scripturarum, & præcipue illa veridici Prophetæ sententia, qua sacrificio obedientia præfertur, ad necessitatem obediendi constringeret, præceptis vestris, ô sanctissimi Patres, apologiæ huiusmodi genus opponerem: Si Propheta, qui antequam formaretur in utero, à Domino electus est, & priusquam exiret de ventre sanctificatus est, dum eum Dominus Spiritu suo illustrans verbi officio manciparet, de ætatis infirmitate & ignorantia conquestus est; quid ego peccator acturus sum, qui in iniquitate conceptus & in delicto profusus propter sordes vitæ incircumcisus sum corde & auribus, quia videlicet nec scieda digne percipio, nec audita devote conservo, quomodo iustitias Domini enarrabo & assumam testamentum eius per os meum, cuius ætatem nec tempus adhuc implevit, nec scientia commendavit, cuius dicta nec doctrina corroborat, nec vita confirmat, præsertim cum ea scribere iubeatis & ordinare, quorum dignitatem vix animo torpente coniicio? Tres tamen ob causas audiendi talia viam invenio, scilicet quod credo me à Domino sublevandum, ob cuius iussa pariter & promissa, quod virium consideratione exhorrui, obediendi cupiditate suscepi: deinde quod me confido B. Galli intercessione vestrisque precibus adjuvari, pro quorum veneratione & amore grande onus humeris adaptavi debilibus: postremo quod alienis insisto vestigiis veritatisque tenendæ lineam novis tantummodo cogor passibus dimetiri. Vitam igitur S. Confessoris Christi Galli patroni nostri, cuius corporis thesaurum fidelibus servatis excubiis, sensu nobilem, scripto degenerem vultis à me lumine rectæ locutionis ornari, & seriem confusam capitulorum distingui limitibus: ego cum me non possim ab hoc excusare negotio, eligo potius pro ignavia lacerari, quam pro inobedientia condemnari. Porro dum primum ipsum opus perlegerem, inveni ab auctore eiusdem conscriptionis terram, quam nos Alamanni vel Suevi

Sueui incolimus *Altimaniam* sæpius nominati. Sed ipsius nominis originem quærens apud nullum Scriptorum, quorum adhuc notitia nos respexit, eius reperi mentionem. Nisi fallor enim ab alto situ provinciæ idem vocabulum à modernis convictum est. Nam iuxta Scriptores authenticos pars Alamanniæ vel Sueuiæ inter Alpes Penninas & meridianum littus Danubii sita Retia dicitur. Porro est ad septentrionalem plagam Histri Germaniæ deputatur. Et ut non nostra dicere existimemur, aliquos ipsius rei testes asciscamus. Paulus Orosius, in cuius dictis fides omnium concordat, de situ terræ scribens hæc inter cætera ponit; *Pannonia, Noricus & Retia habent ab Oriente Moesiam, à meridie Histriam, ab Africo Alpes, Penninas, ab occasu Galliam Belgicam, à Circio Danubii fontem, à Septentrione Danubium & Germaniam.* Cum Noricus Regio si Baioariorum, & eius septentrionalis terminus Dannubius & Germania, necesse est Retiam, quæ simul ponitur eisdem finibus Aquilonem versus terminari. Solinus quoque in Polyhistore, ubi Galliæ facit mentionem, has provincias uno terrarum tractu positas his verbis designat; *Ex isto sinu (*videlicet Galliæ*) quaquaparte orbis velis exeas. Si Thracia sit petenda, excipit ager Reticus, bonus frugibus, Brigantino lacu nobilis: inde Noricus, frigidus, parcius fructuosus, qua subducitur à iugis Alpium admodum latus: dehinc Pannoniæ, viro fortes, solo plano ubertoque Dravo Savoque inclytis amnibus circumfluæ.* Si Retia solummodo infra Alpes est, ut multi volunt, quæ sequentia est, ut Noricum à Gallia pergentes asperitatem Alpium transcendamus, & non potius per maiorem Retiam recto itinere Noricum usque tendamus? In qua etiam Retia, secundum supra dictam sententiam, Brigantium oppidum iam vetustate collapsum lacui, qui Rheno interfluente efficitur, nomen dedit, qui alio nomine iuxta Græcam etymologiam Potamicus appellatur. Igitur quia mixti Alamannis Suevi partem Germaniæ ultra Danubium, partem Retiæ inter Alpes & Histrum, partemque Galliæ circa Ararim obsederunt, antiquorum vocabulorum veritate seruata ab incolis nomen patriæ derivemus, & Alamanniam vel Sueuiam nominemus. Nam cum duo sint vocabula, unam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumpositæ gentes, quæ Latinum habent sermonem, sequenti usus nos nuncupat Barbarorum. Scimus similiter Francos partes Germaniæ vel Galliæ non solum potestati, sed etiam suo nomini subiugasse. Et quia provinciarum descriptiones attigimus, licet paucis Hiberniæ Insulæ, de qua nobis tantum, decus emicuit, iuxta eosdem auctores situm commemorare. *Hibernia Insula*, ut scribit Orosius, *inter Britanniam & Hispaniam sita longiori ab Africo in Boream spatio porrigitur. Hæc propior Britanniæ spatio terrarum angustior, sed cœli Solisque temperie magis utilis*, & vt supra dictus Solinus testatur, *ita pabulosa vt pecua ibi, nisi interdum æstate à pastibus arceantur, in periculum agat satias. Illic nullus anguis, auis rara.* Quam horrenda vero ipse vel alii de moribus incolarum eius testentur, fide Christi iam lucente supersedendum est, quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia:* & à Solis ortu Indis vel Æthiopibus usque ad occasum Britannis vel Scotis iam laudabile est nomen Domini. *Excelsus enim est super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius.*

Tilemannus in Discursu Philologico de Historicorum delectu non percepit mentem Walafridi.

Henricus Bebelius, in Epit. laudum Svevorum.

Obsecro itaque te, Gotzperte carissime Abba monasterii Sanct. Galli, cunctosque fratres, qui sub te militiæ deserviunt spiritali, ut me orationibus adiuuetis, quatenus & hoc opus & alia deinceps digne Deo merear explicare. Nam si gratanter recte à nobis posita susceperitis, clementer vero titubantia correxeritis, & si Dominus permiserit, huius operis agreste pulmentum postmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippe est, ut nostris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad nostram salutem Dominus destinavit. Benevalentem & nostri memorem paternitatem vestram in æternum S. Trinitas conservare dignetur. Amen.

Explicit Prologus.


O Pater, ô patris proles, ô Spiritus alme,
Vne & trine Deus nos miserate rege:
Me tua iussa ligant, tua me promissa gubernent,
Luceat in dictis lux tua quæso meis.
In te Galle Deum, in Domino te Galle fatebor,
Tu pro me sacras funde preces Domino,
Vt veniam noxis, dictis moderamina præstet.
Quod nocet evellat, quod iuuat amplificet.

IN

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI INCIPIT VITA B. GALLI CONFESSORIS CHRISTI.

CAPUT I.

Quibus profectibus B. Gallus a puericia sub magisterio S. Columbani usque ad sacerdotii profecerit dignitatem.



CVM præclara sanctissimi viri Columbani, qui & Columba, conversatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, & veluti splendidum ignei solis iubar singulare decore omnium in se provocarit amorem, sicuti de eo priusquam nascetur provisum esse liber gestorum ipsius pleniter indicat, inter cæteros, quos fama virtutum eius attraxerat, parentes B. Galli, secundū Deum religiosi, secundū seculū nobiles, filium suum primæ ætatis flore nitentem, cum oblatione domino offerentes, illius magisterio commendaverunt, ut in regularis vitæ proficeret disciplina, & inter plurimos spiritualis miliciæ sectatores obedientiæ & artioris propositi imitaretur exempla. Dumque bonæ indolis vir caro nutriretur affectu, magno virtutum crevit augmento, superna quoque gratia præveniente tanto studio divinas epotavit Scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset & vetera; Grammaticæ etiam regulas, metrorumque subtilitates capaci consequeretur ingenio. Obscura autem scripturarum tam sapienter scire volentibus reservavit, ut cuncti, qui eius prudentiam & sermones audierant, admiratione eum & laude dignissimum iudicarent. Qua sapientiæ maturitate factum est, & universorum communi consilio, & iussione Columbani Abbatis, per singulos sacræ promotionis gradus ascendens, invitus sacerdotii susciperet dignitatem. Ergo dum sacris instaret officiis die noctuque precibus Dominum placavit & lachrimis, & superni inspectoris oculis placere desiderans pro virtutum & vitæ meritis amabatur ab omnibus, placuit universis.

CAPUT II.

Qualiter Sancti viri pro nomine Domini peregrinationem aggressi ad Sigibertum Regem pervenerint, & Luxovium cœperint incolere.

CVM hæc agerentur cottidie B. Columbanus Evangelicam cupiens assequi perfectionem, ut videlicet omnibus quæ habebat relictis crucem suam tolleret, & nudus Dominum sequeretur, consilio suo egit cum fratribus, quorum animos idem fervor accenderat, ut spreta propinquorum & prædiorum dulcedine mentis ardorem opere comprobarent, ascendentes in navim venerunt Britanniam, & inde ad Gallias transfretarunt. Cumque vir DEI ad Sigibertum Regem cum suis pervenisset, rogavit eum Rex, ut infra Gallias resideret, nec eis relictis ad gentes alias commigraret; se vero spopondit omnia quæ sanctus pater peteret præbiturum. Ad hæc vir DEI respondit: *Qui nostra reliquimus ut secundum Evangelicam iussionem Dominum sequeremur, non debemus alienas amplecti divitias, ne forte prævaricatores simus divini mandati.* Cuius obiectioni Rex ita occurrens ait: si crucem tollere & Christum sequi desideras, vastæ heremi sectare quietem, tantum ne solo nostræ ditionis relicto ad vicinas transeas nationes. Poteris enim hoc consilio & tua præmia cumulare & nostræ saluti prospicere. Itaque Regis persuasioni consensit, & accepta optione heremum, quæ Vosegus dicitur, cum suis intravit. Invenerunt autem locum muris antiquitus septum, calidis aquis irriguum, sed iam vetustate collapsum, qui vulgo Luxovium vocabatur. Ibi oratorium in honore B. Petri Apostoli construentes, mansiunculas in quibus commanerent fecerunt, illisque ibi conversantibus, & ipsum locum excolentibus multi non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum, amore vitæ laudabilis ad ipsos confluxerunt, & monitis spiritalibus instituti tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti sunt, ut omnia sua ad ipsum locum nonnulli contraderent, & coma capitis deposita monasticæ vitæ habitum voluntaria paupertate susciperent.

*Ex Eusebio qui hoc Thaddæo Apostolo tribuit.

Caput III.

Qua auctoritate B. Columbanus Theodoricum Regem corripuit, & quibus odiis eum Brunnihildis de regno illo eiecerit, qualiterque ad Lotharium Regem indeque ad Theodobertum cum suis pervenerit.

CVmque hæc tam felix commanentium semper in melius proficeret disciplina, singularis B. Columbani sanctitas miraculis frequentibus comprobata per totas cœpit Galliæ vel Germaniæ diffamari provincias, laudabatur ab omnibus, colebatur à cunctis, adeo ut Theodoricus Rex, filius Hildiberti, nepos Sigiberti, qui eo tempore Burgundionibus regnabat, ad eum sæpe veniret, & precum eius suffragia summa cum devotione deposceret. Quem cum Pater sanctus increparet cur concubinarum pollueretur amplexibus, & non potius legitimæ coniugis conubio frueretur, monitis eius obtemperans cuncta huiusmodi illicita se vitaturum promisit. Sed Brunnihildis avia regis videns DEI consiliis obedire, stimulo maliciæ concitata mentem serpentino furoris armavit veneno. Verebatur enim ne, si abiectis concubinis Regina in consortium regni assumeretur, dignitas sua honore substracto vilesceret. Quo timore laborans invidiam contra virum DEI cœpit habere, & post multas iniurias quas illi machinata est, ut Scriptura sanctæ conversationis eius testatur, consilio cum Rege inito, ut eum regno suo deturbaret, misit legatarios suos cum Epistola ad sanctum virum denuncians ei ne deinceps in illo regno consisteret. Ille Iezabelis insidias vitans iter cum suis aggressus ad Lotharium Regem pervenit. Apud quem cum aliquanto tempore moraretur, rogavit ut illius solatio ad Theodebertum Austrasiorum Regem pervenire potuisset, ad quem cum secundum petitionem voluntatis suæ venerabiliter missus esset, susceptus est ab eo cum omni honore & gaudio magno. Mansit itaque apud illum aliquot diebus Sacras Scripturas aperiens & insinuans ei veritatem. Cumque & ipsum rogaret ut ad Agilolfum Regem Langobardorum eius iussu per Alamanniam duceretur, moleste ferens Rex tantorum discessum virorum pollicitus est eis infra terminos sui regni se reperturum loca venusta, quæ famulis Dei & ad incolendum essent commoda, & ad instruendas verbo veritatis circumpositas nationes opportuna. Vir Dei semen verbi in cordibus gentium plantare desiderans aliquantisper moraturum se promisit, si regia auctoritas factis dicta firmaret.

Caput IV.

Quomodo optione data quærendæ habitationis ad Tucconiam venerunt, & quid ibidem gesserunt.

ACcepta igitur à Rege licentia eligendi locum ubicunque voluissent, dum loca plurima perlustrassent, venerunt infra partes Alamanniæ ad fluvium, qui Lindimacus vocatur, iuxta quem ad superiora tendentes pervenerunt Turicinum. Cumque per littus ambulantes venissent ad caput lacus ipsius, in locum qui Tucconia dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Porro homines ibidem commanentes crudeles erant & impii, simulacra colentes, idola sacrificiis venerantes, observantes auguria & divinationes, & multa quæ contraria sunt cultui divino superstitiosa sectantes. Sancti igitur homines cum cœpissent inter illos habitare, docebant eos adorare Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, & custodire fidei veritatem. B. quoque Gallus sancti viri discipulus zelo pietatis armatus fana, in quibus Dæmoniis sacrificabant, igni succendit, & quæcunque invenit oblata demersit in lacum. Qua causa permoti ira & invidia sanctos insectabantur, & communi consilio Gallum perimere voluerunt, Columbanum verò flagellis cæsum & contumeliis affectum de suis finibus perturbare. Beatus Pater cognito consilio eorum zelo iustitiæ imprecatus est eis talia dicens: Deus, cuius providentia mundus subsistit & cuncta reguntur, fac super caput generationis huius reverti contumelias quas famulis tuis paraverunt: nati eorum facile pereant, & antequam senescant præ subitaneo stupore delirare cogantur, ipsique cum terra quam incolunt dura potentium dominatione premantur, ut cunctis ignominia eorum pateat in æternum, & sicut scriptum est; *Convertatur dolor eorum in caput ipsorum, & in verticem illorum iniquitas ab ipsis patrata descendat.*

Caput V.

Adventus eorum ad Willimarum Presbyterum apud Arbonam, & humanitas eius, & Brigantii commemoratio.

POST hæc non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritalis lucri persuasus contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter corda arida diutius irrogaret, qui benivolis mentibus quam plurimum prodesse interim potuisset. Per-

gens ergò inde cum suis pervenit in Castrum, quod Arbona vocatur, & invenit ibi Presbyterum bonitate conspicuum nomine Willimarum; qui cum intuitus eum fuisset: dixit; *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & reliqua, cui vir Dei ita respondit; *De regionibus congregavit nos Dominus.* Presbyter ergo apprehensa dextera eius duxit eum in oratorium, & postquam pariter oraverunt introduxit in hospitium, qui pacem Domini imprecantes deposuerunt sarcinulas suas. Priusquam verò recubuerunt, iussione Abbatis Gallus divina recitavit eloquia, profunda reserans veritatis inter sacra doctrinæ salutaris conuiuia. Prudentiam viri Sacerdos miratus à fletu se continere non potuit. Toto autem septem dierum circulo cum summo honore & diligentia illis ministravit, & quos carnalibus fouit deliciis, ab ipsis cottidie passus est dapibus Scripturarum. Inter sacræ igitur ædificationis colloquia Columbanus Abba Presbyterum interrogavit, si sciret aliquem in solitudine locum, in quo cellula fieri potuisset custodiis aliquantulum regularibus opportuna. Hospes Sanctorum huic inquisitioni respondit; In hac solitudine Locus quidam est antiquæ structuræ servans inter ruinas vestigia, ubi terra pinguis & fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelsi, heremus vasta, & imminens oppido planicies copiosa, victum quærentibus fructum laboris non negat. Et cum loci ipsius situm per multa laudasset, indicat nomen eius Brigantium.

CAPUT VI.

Vt eundem locum adierint, & quid in conventu populi B. Gallus fecerit, qualiter oratorium restauraverint, & quamdiu ibidem constiterint.

ILLIS igitur illuc ire cupientibus parauit Presbyter nauiculam, & imposuit remiges. Venerabilis autem Abba comitibus Gallo & quodam Diacono nauim conscendens invocato nomine Domini ad locum desideratum via recta pervenit. Egressi de navicula oratorium in honore Sanct. Aureliæ constructum adierunt, quod postmodum Columbanus in Priscum renouauit honorem. Post orationem cum per gyrum oculis cuncta lustrassent, placuit illis qualitas & situs locorum: deinde oratione præmissa circa oratorium mansiunculas sibi fecerunt. Receperunt autem in templo tres imagines æreas deauratas parieti affixas, quas populus dimisso altaris sacri cultu adorabat, & oblatis sacrificiis dicere consueuit; Isti sunt dii veteres & antiqui huius loci tutores, quorum solacio & nos & nostra perdurant usque in præsens. Columbanus itaque Beat. Gallo id iniunxit officii, ut populum ab errore idololatriæ ad cultum DEI exhortatione salutari revocaret, quia ipse hanc à DOMINO gratiā meruit, ut non solum Latinæ sed etiam Barbaricæ locutionis cognitionem nō paruam haberet. Cumque eiusdem templi sollemnitas ageretur, venit multitudo non minima promiscui sexus & ætatis, non tantum propter festivitatis honorem, verum etiam ad videndos peregrinos, quos agnoverant advenisse. Ergò dum ad horam orationis concurrerent, iussu venerandi Abbatis Gallus cœpit viam veritatis ostendere populo, & ut ad Dominum converterentur admonere, utque vanis abiectis adorarent DEUM patrem Creatorem omnium rerum, & unigenitum eius Filium, in quo est salus, vita & resurrectio mortuorum, & in conspectu omnium arripiens simulacra & lapidibus in frustra comminuens proiecit in lacum. His visis nonnulli conversi sunt ad Dominum & confitentes peccata sua laudes Domino pro sua illuminatione dederunt; alii propter imaginum comminutionem ira & furore commoti gravi indignationis rabie turbidi recesserunt. B. autem Columbanus iussit aquam afferri, & benedicens illam aspersit ea templum, & dum circuirent psallentes dedicavit ecclesiam. Deinde invocato nomine Domini unxit altare & beatæ Aureliæ reliquias in eo collocavit, vestitoque altari missas legitime compleverunt. Omnibus itaque rite peractis, reversus est populus in sua cum gaudio magno. Post hæc permansit ibi B. Columbanus cum cōmilitonib. sui tribus annis, & ædificata inibi cellula illi hortū laboraverunt, alii arbores pomiferas excoluerunt. B. verò Gallus texebat retia, & misericordia Dei cooperante tantam piscium copiam cœpit, ut nunquam fratribus defuissent, quin etiam advenientes peregrinos huiusmodi iuuit solatio, & de eodem labore assiduas populo benedictiones exhibuit.

CAPUT VII.

Quas Dæmonum voces Gallus audierit, & quomodo idem error abscesserit.

AT dum quodam tempore retia sua mitteret in pelagus, in silentio noctis audivit Dæmonem magno vocis strepitu de vertice montis proximi vocantem quendam alterum nominatim quasi in pelago commorantem, cumque & is, qui vocabatur, præsto se esse quasi de lacu responderet, consurge, inquit ille, in adiutorium mihi ut peregrinos istos eiiciamus de his sedib. quia ipsi de longe venientes me de tēplo meo expulerūt simulacra mea

con-

contriverunt,& populum qui me sequebatur post se averterunt: commoveat te iniuria quam patior,& hostes communes unitis viribus à nostris terminis arceamus. Et ipse respondit: Heu, quod de tuis calumniis narras ex meo contemptu percipio. Nam unus ex illis me in pelago premit & mea devastat, cuius necretia numquam corrumpere possum, nec ipsum decipere, quia invocatio divini nominis de ore eius numquam recedit, qua munitus continuo vigilantia insidias nostras contemnit, quapropter tam cautos bellatores nostræ non superabunt versutiæ. His auditis vir Dei munivit se undique signo sanctæ crucis,& dixit illis: In nomine Domini nostri Iesu Christi adiuro vos, ut recedatis de loco isto,& neminem hic lædere præsumatis. Deinde cum ad littus festinanter rediisset, Abbati suo quæ audierat nunciavit. Ille hæc auditu percipiens ecclesiam petiit,& signo pulsato fratres convenire fecit. Prius autem quam initium psallendi fecissent, auditæ sunt diræ voces Dæmoniorum per montium summitates & quasi discedentium eiulatus cum terrore confusus. Hæc audientes servi Dei prostraverunt se in orationem Domini postulantes protectionem, illique laudes & gratias persolventes, quia eos liberare dignatus est de terroribus malignorum.

CAPUT VIII.

Machinatio & malicia incolarum adversus sanctos viros, & post præceptum Ducis consilium discedendi.

INTEREA nonnulli ciuium propter ydolorum suorum abolitionem prædicationis eorum monita contemnentes cœperunt contra eos odia concitare, insidias machinari. Qua etiam intentione locorum ipsorum Ducem nomine Gunzonem adierunt, & apud eum accusaverunt Sanctos, dicentes venationem publicam in eisdem locis propter illorum infestationem peregrinorum esse turbatam. Quo audito Dux furore succensus missis nunciis famulos Dei de loco eodem discedere iussit. Sed neque hoc sufficit satellitibus Dæmonum, quin etiam vaccam eorum furto abstrahentes in invia ducunt sylvarum. Quos cum duo de fratribus è vestigio insequuntur, consurgentes latrunculi interficiunt eos, & auferentes spolia eorum discedunt. Mirati autem fratres cur tamdiu differant redire, mittunt alios qui eos requirant. Illi vestigia eorum secuti occisos eos inveniunt, & cadavera ipsorum suis humeris imponentes ad cellam reportant. Inter hos angustiorum & tristitiæ fluctus nuncius Ducis adveniens de illo eos loco commeare præcepit. Nec immerito; quia non est societas luci ad tenebras. Egit autem hoc arte sua Diabolus, ut populum, quem præsentia lucis amittere cœpit, discedente sanctitatis fulgore tenebris occuparet antiquis. Sancti igitur viri moleste ferentes, quod sede pellerentur amabili, consilio communi Italiam petere decreverunt,& dum nimio tenerentur dolore, sanctus pater Columbanus his verbis cœpit eos consolari; Invenimus quidem, Fratres, his in partibus concham, sed venenatis serpentibus plenam. Cedat tamen tristitiæ languor exitialis, quia certa est fiducia de auxilio protectoris. Deus enim, cui servimus, Angelum suum mittet nobiscum, qui nos perducat ad Agilolfum Longobardorum Regem, ubi eius clementia præparante humanos affectus & pace plenum habitationis locum inveniemus.

CAPUT IX.

Qualiter descendentibus cæteris Gallus ob infirmitatem remanserit, quaque à sedulitate à Willimaro presbytero receptus sit & apud eum recreatus.

POST hæc igitur cum proficiscendi tempus instaret, B. Gallum repentina febris invasit. Vnde Abbatis suis pedibus advolutus indicavit se infirmitate vehementi laborare, & ideo iter propositum non posse perficere. Ille verò existimans eum pro laboribus ibidem consummati, amore loci detentum viæ longioris detrectare laborem, dixit ei, Scio, frater iam tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari, tamen hoc discessurus denuncio, ne me vivente in corpore missam celebrare præsumas; & cum ei licentiam per se conversandi dedisset viam ingressus est abeundi. Post discessum magistri & sociorum Gallus retia sua navi imponens ad Willimarum presbyterem venit,& cum obtulisset ei retia inter lacrimas & suspiria, retexuit omnia quæ gesta fuerant circa fratres suos. Dein infirmitatis suæ causas aperiens rogavit eum ut sui curam dignaretur habere. Qui suscipiens eum cum omni caritatis obsequio domum vicinam ecclesiæ eius necessitati concessit,& duobus clericis suis Magnoaldo & Theodoro hanc sollicitudinem commendavit; ut cum omni diligentia eius recuperationi servirent. Exactis aliquot diebus Domino; qui medicus est verus, medelam impertiente cœpit sumere cibos & per incrementa temporum confortatus indeptus est sanitatem. O infirmitatem omni humano robore fortiorem! O febrem omni laude colendam! O languorem sanitati & gaudiis asscribendum! Exemplo enim Domini pro nobis Gallus doluit, ut animarum morbos prædicatione sacra depelleret, ire cum Magistro non potuit, ut nobis viam veritatis ostenderet. Vere patiens & misericors Dominus in prædicatoribus suis iam pridem contemptus dum conversionem peccatorum sustinet, Doctorem ne errantes deserat retinet:

CAPUT X.

Insinuatio Hiltiboldi Diaconi de loco solitariæ habitationis, quam vir Domini desiderabat.

DIACONUS itaque sæpe dicti Presbyt. nomine Hiltiboldus omnes heremi semitas notas habebat & recessus. Solebat enim piscium & accipitrum causa capiendorum sæpius solitudinem pervagari & secreta locorum usu cottidiano perdiscere. Huic cum vir sanctus familiaritatis suæ gratiam præstitisset, quæsivit ab eo, an invenisset umquam in solitudine locum aquis abundantem puris & salubribus, planicie stratum & humanis cultibus opportunum, desiderio, inquiens, animi ferventes exæstuo cupiens in solitudine dies ducere huic vitæ concessos, iuxta quod Psalmista pronunciat dicens: *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine, expectabam eum, qui salvum me faceret*, & reliqua. Diaconus respondit: hæc, ô pater, solitudo aquis est infusa frequentibus, asperitate terribilis, montibus plena præcelsis, angustis vallibus flexuosa, bestijs possessa sævissimis. Nam præter cervos & innocuorum greges animalium, ursos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes rabie singulares. Timeo igitur, ne si te illuc induxero ab hujusmodi hostibus devoreris. Ad hæc vir sanctus: Apostoli, inquit, sententia est: *Si Deus pro nobis quis contra nos*? qui scimus, quomodo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, qui Danielem liberavit de lacu leonum, potest & me eripere de manu bestiarum. Cui Diaconus hæc respondit: Mitte in peram tuam cibaria & rete parvissimum: cras enim introducam te in heremum. Et si inveneris locum tibi acceptabilem, age gratias Deo & præcepti dominici comple rigorem. Deus autem, qui eduxit te de regione longinqua, ipse sicut Tobiæ famulo suo Comitem cœlitus dedit, ita Angelum suum mittet nobiscum & ostendet nobis locum desiderijs salutaribus aptum. Igitur vir beatus die eodem jejunus permansit, & usque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit. Dignum quippe erat, ut quod divino inchoabat amore, instantissima prece Domino commendaret.

CAPUT XI.

Quomodo cum Diacono desertum penetrans optatum reperit locum, sibique prælegerit, & obedientia ursi.

DUM autem lucifer suo processu noctis latibula direxisset, & sol inferiora dimittens cursu consueto superioris orbis plagas inviseret, igneumque iubar ab orientis axe mortalibus demonstraret, athleta DEI ea quæ ductor suus dixerat secum assumens cum orationis benedictione illo præeunte viam aggressus est, cumque per totum diem ita agerent circa horam nonam dixit Diaconus: pater hora refectionis iam instat, sumamus paululum panis & aquæ, quia ita confortati viæ quod restat melius consummare poterimus. Homo DEI respondit, ut iuxta necessitatem corporis refectionem percipe, fili mi; ego non gustabo quicquam, antequam Dominus mihi locum desideratæ mansionis ostendat. Et ille, sicut, inquit, socii sumus passionis, sic erimus & consolationis. His dictis cœperunt iter agere festinato, quia dies iam declinabat & solaris fervor propinquabat occasui. Venerunt autem ad quendam fluviolum, qui Staina nominatur, ambulantesque per decursum ipsius, dum venissent ad rupem, de qua idem cum impetu descendens gurgitem facit speciosum, viderunt ibi plurimos pisces, & imponentes retia sua ceperunt eos, igni deinde succenso Diaconus pisces assavit, & panem posuit super peram. B. autem Gallus dum morandi gratia modicum ab illo divulsus esset inter condensa veprium fructecta ambulans & pede hærens ad terram corruit, quod Diaconus videns accurrit, ut sublevaret prostratum. Sed vir DEI præscius futurorum, sine me, ait: hæc requies mea, in seculum seculi hic habitabo, quoniam elegi eam. Et cum post orationem surrexisset, sumens virgam colurneam fecit crucem, & fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capsellam, in qua continebantur reliquiæ B. Dei genitricis Mariæ & sanctor. Martyrum Mauricij & Desiderij, quam cum in ipsa cruce suspendisset, vocavit Diaconum, & prostraverunt se pariter in orationem. Tunc vir venerabilis huiusmodi preces emisit: Domine Iesu Christe, qui pro salute humani generis de virgine nasci & mortem subire dignatus es, ne despicias desiderium meum pro peccatis meis, sed in honore sanctæ genitricis tuæ & Martyrum Confessorumque tuorum præpara in hoc loco habitationem tuis aptam servitiis. Finita oratione, sole occumbente, finitus est dies, & ipsi tandem cum gratiarum actione cibum sumpserunt, rursumq; Deo gratias exhibentes statuerunt se in terra, ut aliquantulum requiescerent. Sed vir sanctus cum Comite suũ alto teneri sopore putaret, surgens prostravit se in figurã crucis ante capsellã, & preces Domino devotas effudit. Interea descendens ursus de monte micas & fragmenta, quæ convivantib. deciderant, caute legebat. Hoc factum ut vidit homo Dei, dixit ad feram: præcipio tibi bestia in nomine Domini, tolle lignum, & mitte in ignem. Ad cuius præceptum belua conversa validissimum lignum attulit & igni iniecit. At vir benignissimus ad peram accedens de parvo cellario panem integrũ famu-

famulanti porrexit, & accipienti ita præcepit: In nomine Domini mei Iesu Christi ab hac valle discede, & hoc pacto montes & colles circumpositos habeto communes, ut nullum hic hominem, nil de pecoribus lædas. Dum hæc agerentur, Diaconus dormire se simulans, quod vir Deo carus gessit cum bestia, considerabat, & surgens prostravit se ad pedes ejus & dixit: nunc scio vere Dominum esse tecum, quoniam & bestiæ heremi obediunt tibi. Ille autem dixit ei, cave, ne omnino hoc alicui dixeris, donec videas gloriam Dei.

Caput XII.

Ut Dæmonum fantasmata in specie mulierum ostensa eodem loco sanctus pater depulerit.

NOCTE igitur exacta cum lux aurea silvarum illustraret opaca, Diaconus ait: Pater mi, quid facturi sumus hodie? At ille respondit, obsecro te, Fili, ne moleste feras quod dico, quia Dominus nos fecit quod quæsivimus invenire, hunc etiam diem in hoc loco ducamus. Tolle rete & ad gurgitem vade: ego quoque post te quantocius ibo Forsan Dominus solitam nobis largitatem ostendet, ut regredientes ad castrum referamus patri nostro Presbytero de hoc loco benedictionem, quam Domin. nos invenire donavit. Diaconus respondit, gratiam habeo, quod præcipis, Pater, & surgens cito cum invocatione nominis Domini assumpto retiaculo perrexit ad fluvium, cumque illud in gurgitem mittere voluisset, duo Dæmones in effigie mulierum steterunt in littore ita nudati, quasi balneum intrare voluissent, & cum turpitudinem sui corporis illi objicerent tollentes lapides jactaverunt contra eum, quia dixerunt: tu induxisti virum istum in hanc heremum, virum iniquum & invidia plenum, qui suis maleficiis semper nos vincere consueuit. Ille autem reversus ad virum Dei indicavit illi quæ viderat & audierat. Electus Dei bellator pariter cum Diacono prostravit se & huiusmodi verbis Dominum deprecatus: Deus omnipotens, ineffabilis bonitas, inæstimabilis majestas, secundum misericordiam tuam non secundum merita mea auditu placido has suscipe preces: iube hos Dæmones hunc locum deserere, ut sit sanctificatus in honore nominis tui. Surgentes ab oratione venerunt ad gurgitem, & continuo Dæmones in fugam conversi ierunt per decursum fluvioli contra proximum montem. S. vero Gallus dixit illis, præcipio vobis fantasmata per immensæ potentiam Trinitatis, ut hunc locum deserentes in montes desertos eatis & huc revertendi ulterius non habeatis fiduciam. Deinde mittentes in gurgitem rete ceperunt quantum volebant, & dum pisces de maculis lini absolvunt, audiunt in summitate montis voces quasi duarum mulierum defunctos plangentium, & dicebant ad invicem: Heu quid faciemus vel quo pergemus? Peregrinus hic inter homines nos habitare non sinit, in heremo quoque manere non patitur. Non solum autem tunc hæ voces auditæ sunt, verum etiam postmodum tribus vicibus, dum ipse Diaconus saltem ad capiendos accipitres intravisset, audivit Dæmonia de quodam monte, qui Himilinberg dicitur, clamantia, & utrum adhuc Gallus esset in heremo sciscitantia, vel si jam discessisset.

Caput XIII.

Loci ipsius electio & serpentium discessio.

IGITUR post discessum Dæmonum dum fideles illi heremi ductores vallem lustrarent videntes inter duos fluviolos multos desiderabilia, silvam speciosam, montes per gyrum, planiciem in medio probaverunt locum ad ædificandam cellam optimum esse. Anno autem ab incarnatione Domini DCXIII. Sanct. Gallus hanc solitudinem incolere cœpit, & recordatus vir sanctus sententiæ, quam Iacob post visionem Scalæ & Angelorum ascendentium per eam protulit, dixit: *Vere Dominus est in loco isto.* Erat autem usque ad istud tempus in eadem valle plurima serpentium multitudo, porro ex illa die tam pleniter abscesserunt, ut postea ibi non comparerent. Congruit hoc miraculum cum prioribus. Nam Diabolo inde expulso dignum erat ut animal, per quod hominem deceperat, habitationi cederet sanctitatis.

Caput XIV.

Qualiter locum eundem ieiunio dedicaverint, & ad castrum regressus mortem Episcopi cognoverit.

DUM QUE reversi fuissent ad locum primæ stationis, ubi pridem vir Dei cruciculam defixerat, Diaconus Dixit ad eum, sumentes peram & rete regrediamur ad castrum. Et ille: Tu, inquit, Fili, ut placet, ad propria revertere: Ego vero his in locis aliquantisper moratus post triduum Deo duce te subsequar. Diaconus dixit, nequaquam te absente

remeabo ad patrem nostrum, ne forte dicat te propter spolia à me interemptum, vel si homicidium negare voluero, hæc mihi obiiciat, cur illum dimisisti in solitudine? cito reversus educ eum ad me, & erunt mihi duo pariter, labor duplicatus & manifesta confusio. Ad hæc vir Dei respondit: vade, Fili, ego post vestigia tua quantocius properabo. Quo abeunte athleta Dei toto triduo ab omni victus adiumento corporei ieiunus permansit, ut videlicet locum, quem spiritali militiæ providebat, parsimoniæ consecraret initiis. Quarto itaque die hieremo digrediens domum revisit presbyteri, & inter amicæ salutationis officia gratias Deo pro omnibus bonis, quæ eis ostendit, cum debita laude persolvit. Presbyter autem suscipiens illum cum gaudio iussit mensam apponi, & cum consedissent benedicentes Deum cum gratiarum actione cibum sumpserunt, & inter prandendum Diaconus dixit Presbytero, si ursus adesset, fortassis Gallus porrexisse illi benedictionem, interrogantique unde huiusmodi verba proferret, narravit omnia quæ gesta erant in heremo. Ex illo die & deinceps habuerunt eum sicut Prophetam & virum sanctum, cottidie meritorum eius magnitudinem per vitæ illius asperitatem & virtutum studia metientes. Interea illis commanentibus nuncius venit ad Presbyterem indicans Constantiensem Episcopum Gaudentium nomine de hac vita migrasse. Hoc audito, unanimo fervore pro requie defuncti pastoris precibus & lacrimis institerunt.

CAPUT XV.

Quomodo ad Ducem cum Presbytero sit evocatus, & illuc ire nolens Retiam commearit, & à Ioanne susceptus sit.

SEptima post hæc die Gunzonis Ducis epistola venit ad Presbyterem præcipientis illi, ut die duodecimo ad Iburningas villam veniret, & virum Dei secum adduceret. Nam filiam eius nomine Frideburgam, quæ illi erat unica singulari pulchritudine fulgens, spiritus invasit malignus, à quo dum diversis torqueretur molestiis, pœnæ continuam toleravit inediam, & sæpius terræ prostrata inter spumas horribiles miserabili volutabatur insania, adeo ut vix quatuor virorum teneri posset instantia. Post triginta autem dierum circulum, ex quo ei hoc accidit, cœpit ille habitator malignus per eam diras emittere voces. Hanc ob causam pater eius nuncios misit ad Regem Sigibertum Theodorici filium, qui eam habuit desponsatam, ut ei nunciarent quicquid circa puellulam agebatur. Rex vero cum omni festinatione misit duos Pontifices, de quorum meritis potissimum præsumebat, cum donis regiis ad puellulam, ut eam medicamine orationum à furoris vesani languore sanarent. Igitur Willimarus Presbyter volens tempore per epistolam definito ad Ducem venire dixit beatissimo Gallo: Scis Ducis mandatum, eamus ad eum. Et ille, tuum est, inquit, hoc iter, non meum. Tu ergo proficiscere: quid mihi cum Principibus seculi? Nam in heremum, unde exivi, revertar. Noli, ait, ita agere, sed perge mecum, ne forte Dux, qui in vexatione filiæ nimium contristatur, ira commotus mittat satellites teque vinctum illuc faciat perduci. Vir Deo plenus respôdit, vadam prius ad cellulam meam, ut provideam utilitatem & necessaria fratrum, qui ibi sunt Domino servituri. Hoc idcirco dixit ne ad Principem iret, & consurgens ad electæ pridem habitationis locum miles Dom. tendebat egregius. Sequenti die fratribus, qui secum erant, interdixit, ne quis illorum cuipiam quo pergeret indicaret: Sed etsi curiosius interrogati fuissent à quoquam, iussit ut eum per epistolam Magistri sui Italiam dicerent invitatum. His dictis sumens secum duos de discipulis suis per solitudinem Retiam Curiensem commeavit, cumque proximum montem transcenderent, venerunt in heremum, quæ Sennia nominatur, indeque ad proximum vicum qui dicitur Quaradaues digressi repererunt ibi Iohannem Diaconum virum iustum & Deum timentem, isque recepit eos hospicio, & omni fovit humanitatis obsequio. Finxerunt enim se de longe tunc venisse, & apud eum manserunt septem diebus.

CAPUT XVI.

Qualiter misso post virum Dei presbytero Episcopi à Rege directi filiam ducis liberare non valentes ad Regem cum confusione redierint, confesso Dæmone B. Galli virtutem.

PORRO cum sæpedictus Presbyter hospes Sanctorum audisset virum Dei de cellula discessisse navim conscendens ad Ducem transfretavit, & quæ circa hominem Dei facta fuerant indicavit. Dux vero ut cito reverteretur illi imperavit, & missis post virum Dei legatis eum advenire devote rogaret, & adiiciens; si enim, inquit, per eius orationes filiam meam Dominus à Dæmonio liberaverit, dabo illi pontificatum Constantiensis ecclesiæ, & insuper eum copiosis præmiorum muneribus honorabo. Ille promittens se ut iubebatur acturum, sicubi eum qui desiderabatur invenire potuisset, navim petens ad propria remeavit. Interea Pontifices à Rege transmissi venerunt, & invenerunt ipsam quidem puellulam

nimio

nimio laborantem furore, parentes autem eius omnemque familiam & propinquos flentes super eam & miserabili mœrore depressos. Tota enim domus una clade contabuit: puella vexabatur insania: cæteri torquebantur tristicia. Postquam ergo ingressi Pontifices munera à Rege directa præsentarunt, preces in conspectu puellæ fuderunt ad Dominum. Illa vero tenentium manibus se excutiens uni eorum gladium abstulit volens Episcopos interficere, & cum id non posset efficere spiritus immundus, uni eorum dixit: si volueras me, sicut Regi promisisti, de hoc vasculo propulsare, cur filiam tuam, quam nonna illa de te concepit & genuit, non fecisti tecum venire? Deinde ad alterum, & tu, inquit, cum tribus feminis fornicationem commisisti. Vestro quidem imperio, quod nullo sanctitatis merito roboratur, numquam egrediar. Est vero quidam vir magnæ apud Deum virtutis nomine Gallus, qui me de Tucconia, ubi diu optata quiete potitus sum, potenter eiecit, domosque meas audenter destruxit: postmodum inveniens me apud Brigantium commorantem eadem virtute exhereditavit. Porro quia Dux iste eum de eodem expulit loco, in ultionem eius iniuriæ puellam istam arripui, de qua possessione nisi ipse advenerit nullatenus amovebor. Vnus deinde Pontificum dedit furenti alapam dicens, obmutesce Satanas desertor veritatis, falsitatis amator & auctor. Putavit enim eum de gallinacio dicere gallo. Et dum spiritus nequam pluribus eos verborum iniuriis affecisset, manserunt ibi tribus tantum diebus, ac deinde ad sua reversi nunciaverunt omnia, quæ gesta fuerant, Regi.

CAPUT XVII.

Vt vir Dei per presbyterem ad Ducem venerit.

PResbiter vero cum secundum iussionem Ducis virum Dei fuisset è vestigio prosecutus, reperit eum in spelunca animum suum lectionis consolatione pascentem, & accedēs salutavit humiliter, & dixit ad eum, ne timeas serve Dei ad Ducem venire. Sub testificatione etiam iurisiurandi promisit se nullam tibi irrogaturum iniuriam, sed & cum posueris manum tuam super caput puellæ, si ab ea per orationes tuas spiritus immundus abscesserit, in sede Constanciensi pontificatus te sublimabit honore. Dum de huiusmodi colloquium rebus haberent, superveniens Ioannes Diaconus secundum consuetudinem obtulit ei panes azymos & lagunculam vini, oleum & butirum & mel in vasculis cum piscibus assis. Vir Dei cum eum venire cognovisset, gratias agit Deo gaudio plenus, discubueruntque tres convivæ fidissimi, & cum gratiarum actione dona Domini perceperunt. Inter hæc vir Dei Presbytero, duc, ait, nobiscum noctem instantem & crastina die tecum Domino volente proficiscar. Cūque huic consensum persuasioni præbuisset, & ad virum Dei Diaconus dixit. Mane primo diluculo huc veniam, & adducam mulum meum stratum, vt simul ire possitis. Ego vero cultor ero speluncæ, & eam cura diligenti custodiam. B. Gallus respondit, bene dixisti. Fili, & ego quidem via qua veneram per heremum regrediar ad cellulam meam & visitabo fratres postmodum vero quam citissime potuero ad castrum properabo. Presbyter ergo adiuratione valida constrinxit eum ut nequaquam faceret contraria dictis, & abscesserunt pariter, Iohannes quoque accepta benedictione rediit in domum suam. Cumque vir beatus recto itinere pervenisset ad cellulam, requievit ibi nocte illa cum fratribus mane autem sequenti sumptis secum duobus fratribus perrexit ad castrum, repperitque inibi cum Presbytero Ducis missum, qui eos cum omni festinatione ire deposceret, qui etiam indicavit puellam continuato iam triduo sine alimonia perdurare. Et illi navicula conscensa totis nisibus ire festinantes ligno natatili profundi terram sulcante nocte proxima peruenerunt ad Ducem.

CAPUT XVIII.

Qualiter oratione & verbo filiam Ducis à Dæmone liberaverit.

DVmque devictis profundæ noctis tenebris sol terris cum iocunditate serenum restitueret diem, iussit eos Dux venire in cubiculum, in quo arreptitia servabatur. Iacebat autem tunc in sinu matris suæ oculis clausis ore hianti, membra quoque eius ita erant disiecta, ut quasi mortua videretur: fœtor vero tam gravis oris prorupit ex adyto, ut sulphure locus ipse aspersus putaretur. Pater vero cum domesticis suis intravit ut videret quid vir Dei esset acturus. Ille de Domini largitate certissimus humiliter se prosternens preces has Domino cum lacrimis fudit: Domine Iesu Christe, qui pro salute humani generis carnem sumere & per virginem nasci dignatus es, qui ventis & mari imperasti, Diabolum etiam calliditatis suæ fraudibus insistentem retro ire iussisti, quique passione tua mundum redimere & restituere libertati dignatus es, iube hunc immundissimum spiritum de puella hac pro tui gloria nominis exire, ut plasma tuum superbus invasor deserat, & tibi creatori suo creatura tua gaudens deserviat. Et cum surrexisset ab oratione apprehensa dextera eius allevavit eam; Spiritus enim malignus conturbaverat illam, & imposita manu super caput eius dixit: Impero tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, spiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc plasmate

Dei. Et cum hæc dixisset aperiens illa oculos respexit in eum, & spiritus malignus his verbis eum allocutus est: Tunc es, Gallus, qui de habitationibus me expulisti prioribus? Ego plane ob ultionem iniuriæ, quam Dux iste tibi & sociis tuis irrogavit, filiam ipsius invasi, & sic eiicis me? Si hinc exiero, quo vadam? Illuc, ait, ubi tibi paratur in abysso supplicium sempiternum à Domino: & statim videntibus, qui aderant, exivit de ore puellæ quasi avis nigerrima & horrore terribilis. Hora eadem sana surrexit, & à viro Dei gaudens gaudenti reddita est matri.

CAPUT XIX.

Qua ratione oblatum episcopatus honorem respuerit, & quando pauperibus dona Ducis distribuerit, discipulum ad eleemosynam hortatus sit.

HIS ita patratis Dux iussit ei afferri dona, quæ Rex puellæ transmiserunt, & insuper ut apicem Pontificalis gradus dignaretur assumere postulavit. At quod vir beatus ita respondit, vivente Domino & Patre meo Columbano interdictum altaris officium non usurpabo, nisi ab illo permissus. Quare huius regiminis pondus, quod offers, subire non possum. Quod si hoc indubitanter fieri cupis, sustine interim donec mittam epistolam ad Abbatem meum ad insinuandam illi voluntatem tuam: & si eius permissum cognovero, tunc demum pastoralis curæ oblatum onus suspiciam. Et Dux ad illum; Bene, inquit, dixisti, fiat secundum verbum tuum, & dimisit eum cum pace. Ille sumptis quæ donata fuerant remigando pelagus superavit. Dux autem sanctitatis eius tam manifesto compunctus indicio iussit Arbonensi Præfecto, ut cum omni plebis officio iret ad locum Cellæ, ædificia iuxta viri Dei dispositionem, & quæcunque necessitas poposcisset construeret. Venerabilis ergo pater post celeuma (*id est carmen nauale*) celebratum, cum Arbonense castrum intraret, fecit convenire omnes pauperes & egenos, & dona quæ detulerat illis distribuit. Hæc videns quidam discipulus nomine Magnoaldus dixit ad eum; Pater, habeo vas argenteum pretiosum cælaturis insigne: si vis reservabo illud ut sacri vasa ministerii ex eo faciamus. Ille respondit, Fili, memor sententiæ B. Petri Apostoli, quam paralytico speranti pecuniam protulit; *Argentum*, inquiens, *& aurum non est mihi*, ne contrarius exemplo inveniaris salubri, vas quod possides pauperibus conferre curato. Nam præceptor meus B. Columbanus in vasis æneis Domino solet sacrificium offerre salutis, quia fertur & Salvator noster clavis æneis cruci confixus. His omnibus expletis reversus est ad dilectæ solitudinis aulam.

Inclusa videntur à glossatore esse.

CAPUT XX.

Quo caritatis fervore Iohannem Diaconum litteris evocatum instituerit.

DEINDE misit epistolam ad Iohannem Diaconum rogans eum ad se venire. Qui cum dilecti Magistri litteras accepisset, tulit quod pro benedictione offerre poterat, & venit ad eum & oblatis eulogiis salutavit patrem & salutatione paterna est honoratus. Cui interroganti virum sanctum de prosperitate itineris eius ille respondit, divina nos præveniente misericordia & subsequente cuncta prospere provenerunt. Nam cum summa gratulatione suscepit nos Princeps, & eripuit Deus filiam eius à Dæmonio, & ipse dedit nobis dona non modica, & insuper obtulit mihi episcopatus honorem. Ego vero non consensi suscipere ante præceptum Abbatis mei. Ergo Fili acquiesce consiliis meis, esto mecum & lege divinæ libros scientiæ, & docebo te cooperante gratia Dei intelligentiam scripturarum. Cecidit autem Diaconus ad pedes eius gratias agens, fecitque redire in sua pueros, qui secum venerunt: ipse vero remansit apud virum venerabilem, & ille cœpit eum introducere in cellaria scripturarum, ostendens ei novi & veteris occulta thesauri. Superna itaque illustratus clementia tanti magisterii profecit instantia, adeo ut in omni scripturæ divinæ latitudine nobiliter eruditus laboris paterni fructus ostenderit.

CAPUT XXI.

Quibus verbis Ducis filia vitam B. Galli & virtutes enarrans Sigiberti Regis illi gratiam & solatium impetraverit.

SIGIBERTUS igitur Rex cum audisset puellæ redditam sanitatẽ, mandavit patri eius ut eam conspectibus exhiberet. Qui sumens dona ingentia & puerorum multitudinẽ ac puellarum cum magno suorum comitatu duxit eam usque ad Renum, indeque per Comites ad Regem transmisit. A quo dum gratanter suscepta fuisset, interrogata quomodo suæ remedium consecuta esset infirmitatis, cum per Pontifices ad hoc missos sanitati non posset restitui, hanc reddidit rationem, Domine mi, inquiens, est vir quidam in provincia, quam huc

ducta

ducta reliqui, cuiusdam incola solitudinis de gente Scotorum, nomine Gallus, tantæ apud Deum virtutis & meriti ut adversus Dæmones singulari quadam utatur potentia. Nam cum ego ancilla tua gravi vexatoris instantia periculosum vitæ nutantis finem pæne subirem, rogante patre meo idem vir Dei supervenit, & signo vexilli salutaris me muniens imperiosa voce iussit exire tyrannum, & videntibus cunctis qui aderant exivit de ore meo quasi corvus colore piceus, horrore tartareus, cumque sacrificii cælestis me pabulo confirmaret, pristinæ restituta sum sanitati. His ita relatis puella procidens ad pedes Regis; obsecro, ait, Domine, ut virum ipsum tuæ gratiæ foveas lenitate, & pro me dignas illi gratiarum actiones rependere non graueris. Interrogavit autem eam, in qua heremo vir mansitaret eximius? Et illa respondit, in saltu qui Arbonensi territorio adiacet, & est publici possessio iuris. Situs autem inter Alpes Retiarum & Brigantini marginem lacus. Rex igitur ut audivit in publicis eum commorari possessionibus, iussit fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem regiam obtineret. Auri quoque libras duas, & argenti pondo totidem cum epistola concessionis iam dictæ per suos nuncios viro Dei destinauit se sacris orationibus eius commendans attentius, Gunzoni autem Duci præcipiens, ut vi solitudinis incola vellet solatiorum ei copiam ad ædificandam cellam sumministraret.

In Caput XXII.

Quo consilio eadem puella thalamos Regis evadens divinæ se subdiderit servituti.

NON multis in medio revolutis diebus volens Rex illam puellam suis thalamis sociare, celebri edicto sacerdotum & Principum suorum senatu nuptiarum præcepit adesse sollemniis. Cumque stipatus agmine procerum introiisset ubi ipsa manebat, dixit illi, ascendamus in palatium, nam nuptiæ paratæ sunt, sacerdotes & capita populorum cum benedictionibus congruis advenerunt. Quibus illa auditis cecidit ad pedes eius dicens, mi Domine, quia præteri. a passio suo me pondere tabefecit, vires absorbuit, valitudo contraria, membrorum officia ægritudine sunt resoluta: da mihi vel septem dierum inducias, ut aliquatenus virium detrimenta recuperem, & sic tuis possim applicari conspectibus. Quam petitionem dum Rex piè susciperet, ad Palatium remeavit, illa in privato commorante cubiculo. Fiebat autem utroque in loco ingens apparatus lætitiæ, admirantibus multis cur tam diu divisi convivio distulissent conubia. Transactis interea septem diebus circa matutinum officium puella cum duobus viris totidemque puellis ecclesiam B. Stephani protomartyris introivit, & secedens post ianuas templi exuit se vestimentis regalibus, & habitum propositi sanctioris assumpsit nescientibus hoc viris qui pariter cum illa advenerunt. Deposito ergo terrenæ dignitatis amictu, sanctimoniæ nitorem cum quodam sui secuta contemptu accessit ad altare, & in faciem proruens Dominum studiosius adoravit. At demum cum se erigeret cornu comprehendit altaris huiuscemodi voces emisit, B. Stephane, qui sanguine tuo testimonium Christo perhibuisti, deprecationem meam tuis meritis Domino commendato, ut tua intercessione hodie cor Domini mei Regis convertat secundum voluntatem meam, ne velamen quod amore Dei suscepi auferat de capite meo. Viri ergo, qui erant cum illa, hæc videntes venerunt ad Regem & nunciaverunt ei quæ facta fuerant. Et ille advocans sacerdotes & quosdam principes suos cœpit inquirere ab eis, quid super hac re faciendum censerent? Cyprianus Arelatensis Regi respondit, quia ut liquido claret puella hæc cum à Dæmonio erueretur hoc se voto, quod perfecisse videtur, constrinxit, cavendum tibi est ne forte si irritum feceris votum eius, rediuiuo Dæmonum comprimatur incursu: tu vero tanti criminis reatum incurras. Rex ergo iustitiæ tenax & timore Domini plenus huic consilio devotæ mentis pandit assensum, & ingressus ecclesiam fecit afferri vestem nuptiis præparatam & Coronam sponsæ nitoribus imponendam. His allatis dum puellam ad se iussisset accedere sponsa Dei iam agni comitatibus hærens avelli non potuit ab altari, quia se timebat de ecclesia protrahendam. Cumque instantius aræ cornibus inhæreret, Rex eam ne timeret admonuit, hodie inquiens, per omnia tuæ voluntatis videbis effectum. Porro illa inter spem & metum posita caput super altare reclinans, ecce, ait, ancilla Domini fiat mihi secundum voluntatem eius. Rex verò iussit sacerdotibus ut elevarent eam & ad se perducerent. Quo facto induta est illo iubente veste regali & sacro velamine coronata. Intuitus autem eam Rex religiosius dixit illi, ecce meis te nuptiis præparatam sponsi cœlestis Domini nostri videlicet Iesu Christi credo complexibus, & dextram eius comprehendens posuit in altari, deinde & ecclesiæ limen excedens lacrimis absconditum patefacit amorem. Post hæc vocavit eam, & iuxta se fecit in Palatio residere, & donis ingentibus honoratam prætulit monasterio ancillarum Dei, quod in honore B. Petri Principis Apostolorum constructum est in Metensium civitate, ubi gesta sunt universa quæ proxima narratione retulimus. In his autem omnibus perficiendis secuta est puella consilium B. Galli, qui eam Domino auxiliante à Dæmonio liberavit.

Caput

CAPUT XXIII.

Quantum ex viri Dei doctrina & exemplis supra dictus Iohannes triennio profecerit.

PER idem tempus Iohannes Diaconus perseverans apud venerandum patrem prudentiam, quæ in eo cœlitus abundabat, studio sitienti potavit in absolutione dumtaxat difficilium Scripturæ divinæ quæstionum & intemeratæ fidei ratione. Operis quoque cotidiani, quod idem egregius Apostolicæ districtionis imitator sedula accelerabat instantia, non solum dilexit scientiam, verum etiam comprehendit. Gratia enim illustratus divina quicquid vel visu vel auditu percepit, alta memoriæ &(ut ita dixerim) armario cordis celer inseruit, & sub huius magisterii disciplina cum omni mansuetudinis & humilitatis custodia triennium duxit.

CAPUT XXIV.

Quomodo B. Gallus ab episcopali se promotione excusaverit in concilio principali.

POST hæc Dux sæpe iam dictus per epistolam suam virum Dei rogavit, ut ad Constantiam oppidum perveniret ad eligendum qui eidem sedi præficeretur antistitem. Advocavit autem Augustidunensem & Veritunensem Episcopos cum multitudine clericorum. Nemidonæ etiam, qui à modernis Spira vocatur, venire fecit Episcopum: nec non per nuncios & epistolas suas totius Alamanniæ presbyteros, diaconos, universasque clericorum copias generaliter die denominata, id est proxima Pascæ Dominica, apud Constantiam convenire præcepit. Ipse quoque cum Principibus & Comitibus suis huic intererat conventui. Cumque hæc synodus tantæ multitudinis celebraretur accessu, & trium spatio denunciaretur futura dierum, B. Gallus divino plenus cõsilio assumptis Iohanne & Magnoaldo Diaconatus officio sublimatis perrexit ad oppidum, ingressoque eo locum concilij Dux huiusmodi verba profudit; Deus omnipotens, cuius providentia totum corpus ecclesiæ augmentatur & regitur, per interventionem & meritum B. Mariæ semper virginis, in cuius honore locus iste consecratus est, effundat hodie super nos Spiritum Sanctum ad eligendum Pontificem qui ad regendam plebem fidelium sit idoneus, & ad gubernandam ecclesiam Dei pastorali sit diligentia plenus. Admonuit deinde Pontifices & omnem clerum, ut iuxta saluberrima canonum decreta rectorem ecclesiæ providerent. Cæperunt autem omnes clerici ad invicem dicere, Gallus iste testimonium habet bonum ab omnibus, qui eius vitam noverunt, in scripturis divinæ scientiæ culmen obtinuit, & in omni vitæ honestate, sapientiæ luce refulget; iustitiæ autem vitæ castitatem corporis sociavit, mansuitudinem cum humilitate possedit, continentiæ vero salutari patientiam iunxit: largitor est Elemosynarum, Orphanorum pater, in viduarum solatijs alacer. Hunc omnium virtutum sectatorem decet esse pastorem populorum. His auditis Dux dixit ad illum, audis quid isti loquuntur & affirmant? Sanctus pater respondit, bene quidem dicunt, utinam verum esset quod fatentur: cum autem invicem talia tractant, nesciunt in canonibus esse prohibitum, ne aliqui de locis suis commigrantes alijs facile ordinentur in locis. Est vero mecum Diaconus quidam nomine Iohannes, cui merito testimonium, quod isti mihi dederunt, potest aptari & vicinorum ingenia locorum. Hunc divino credens electum iudicio vobis offero promovendum.

CAPUT XXV.

Promotio & consecratio Iohannis supradicti, & cura quam postmodum sibi invicem exhibuerint.

DUMque hac attestatione vir Sanctus in Iohannem cunctorum concitaret amorem (neque enim aliud de illo credere poterant quam quod vir Deo carus asseruit) Dux Diaconum venire fecit in medium; Tu es, inquiens, Iohannes Diaconus? & respondit, ego plane. Vnde, ait, ducis propaginem generis? Et dixit, in Retia Curiensi mediocri natalium sum procreatus, Dux vero ad illum, potes ne, inquit, Pontificalis infulæ pondus subire? Tunc venerabilis Gallus se pro filio responsurum promisit. Et dum hoc mutuo sermonem commercio pertractarent, subtraxit se Diaconus & fugiens latibulum quæsivit in ecclesia Sanct. Stephani martyris, quæ est extra oppidum. Secuti sunt autem sacerdotes cum plebe & apprehensum lacrimis perfusum felicibus, licet renitentem, in præsentiam Pontificum pertraxerunt & Ducis, & levaverunt omnes pariter vocem dicentes, Iohannem elegit sibi Dominus Pontificem hodie. Et respondit eis populus, Amen. Episcopi itaque duxerunt eum ad altare, & sollemni benedictionis officio ordinaverunt antistitem, consummatoque sacræ promotionis mi-

nisto

nisterio rogaverunt eum sacrificij salutaris celebrare mysteria. Præmissis ergo ex more divinæ liberationis initijs post lectionem euangelij rogavere venerabilem Gallum, ut multitudini, quæ aderat, verbi officio sacræ instructionis pabula ministraret. Qui assumpto Iohanne Episcopo gradum ascendit, eo videlicet pacto, ut ipse quidem ædificationis instrumenta colligeret, Episcopus vero ad utilitatem Barbarorum bene prolata interpretando transfunderet. Cœpit igitur verbum facere de initio creaturarum, & Adæ peccatum, pro quo depulsus est Paradyso, commemorare. Transiens inde ad diluuium Patriarcharum consequenter tempora perstrinxit & actus: egressum quoque filiorum Israel de Ægypto, & transitum per mare Rubrum, legisque lationem per Moysen, & cœlestis alimenti miracula replicavit. Regum deinde successionis & tempora Prophetarum breviter attingens adventus dominici tempus retexuit. Baptismum etiam Salvatoris & mirabilium eius gloriam commemorans crucis ignominiam cũ impijs insectationum generibus veraci relatione subiunxit: Hæc audientes ecclesiæ pastores cum populi multitudine lacrimas fuderunt uberrimas, & ad invicem dixerunt; Vere Spiritus Sanctus locutus est hodie per os viri istius. Ille verò prædicationem perduxit usque ad resurrectionem Christi & in commemoratione generalis iudicij terminavit. Omnes ergo qui aderant alacri mentis exultatione repleti benedicebant Dominum & ad sua cum gaudio remeabant. Doctor itaque venerabilis manens apud Iohannem Episcopum septem diebus inter multa salutiferæ consolationis verba hæc sæpius inculcavit; Quem Deus elegit homo non despiciet, sed erit omnium veneratione sublimis, quem divinum cõmendat iudicium. Deinde accepta ab eo benedictione reversus est ad cellulam suam. Episcopus autem iussit his, qui rebus Episcopij præerant, ut ad virum Dei cum sibi subiectis venirent & eius obtemperarent iussioni. Post hæc tanto studio caritas mutua servabatur utrinque, ut spiritalis glutino clientelæ sibi semper cohærentes solo corpore viderentur divisi. Magister paterna sollicitudine precibus & consilio salutari mathiten refovebat: Ille vero paterno honore & omni necessitatum subsidio didascalum sublevabat. Sicque sacra piorum societas aucto crescebat honore & multiplicato commendabatur amore.

Caput XXVI.

Vt transitum B. Columbani S. Gallus sicut prius per visionem cognoverat, ita post discipuli legationem factum compererit.

Tempore subsequenti cœpit virtutum cultor eximius oratorium construere, mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum fratribus, quorum iam duodecim monastici sanctitate propositi roboratos doctrina & exemplis ad æternorum desideria concitauit. Quadam itaque die dum post laborem matutinalis officii quiescendi gratia lectos suos reviserent, primo diluculo vir Dei vocavit Magnoaldum Diaconum suum dicens illi, instrue sacræ oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille; num, inquit, tu pater missam celebrabis? Dixit ergo ad illum, post huius vigilias noctis cognovi per visionem Dominum & patrem meum Columbanũ de huius vitæ angustiis hodie ad Paradisi gaudia commigrasse. Pro ejus itaque requie sacrificium salutis debet immolare, & signo pulsato oratorium ingressi prostraverunt se in orationem, & cœperunt missas agere & precibus insistere pro commemoratione B. Columbani. Finito sacræ devotionis officio venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum Diaconum, fili, non tibi grave videatur petitionis meæ pondus, sed arripe viam & Italiam petito, pertransiensque usque ad monasterium, quod Bobium nominatur, diligenter perquirito quid actum sit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam, ut si eum compereris esse defunctum, possis agnoscere utrum visio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia sollicita investigatione perdiscens regressus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes magistri provolutus ignotum sibi iter conquestus est: sed vir benedictus voce blanda eum ne timeret ammonuit: perge, inquiens, & Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pii doctoris alumnus præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico festinanter aggressus est. Cumque pervenisset ad monasterium, ut volebat, invenit omnia ita contigisse sicut patri suo per visionem fuerant revelata. Mansit autem ibi una nocte, & accepit à fratribus epistolam ad B. Gallum continentem transitum venerandi Columbani, qui & baculum ipsius, quem vulgo Cambocam vocant, per manum Diaconi transmiserunt dicentes, sanctum Abbatem ante transitum suum iussisse, ut per hoc notissimum pignus Gallus absolveretur. Dimissus autem ab illis iter acceleravit & prospere in omnibus agens die octava pervenit ad Dominum suum & patrem ferens epistolam relationis & absolutionis indicium. Lecta epistola Sanct. Galus carissimi patris amorem pleno retinens corde lacrimas perfudit uberrimas, & collectis fratribus causas mœroris aperuit; deinde tanti patris memoriam precibus sacris & sacrificiis salutaribus frequentaverunt.

Ca-

CAPUT XXVII.

Miraculum tabulæ incremento monstratum.

CONTIGIT autem quadam die, dum in construendo oratorio cum fratribus laboraret, ut tabula quædam parieti imponenda brevior cæteris mensura palmorum quatuor appareret. Quam dum eiusdem operis artifices vellent abiicere, B. Gallus virtutis, quam in domino habebat, conscius iussit eos ab opere disiungere & domum ad percipiendam secum refectionem quam Dominus præparavit intrare. Quibus secundum iussionem eius facientibus benedictum panem manu sua porrexit. Post prandium autem cum omnes pariter opus repeterent imperfectum, invenerunt tabulam, quam propter sui brevitatem pridem abiicere voluerunt, cæteris omnibus longiorem mensura dimidii pedis, & admiratione de eo quod evenerat habita lignum, quod mirabili creverat modo, in loco suo parieti aptaverunt. Quod ipsum longo deinceps tempore à fidelibus expetitum Domino faciente dentium doloribus efficaciter medebatur, propter antiqui commemorationem miraculi novis semper effectibus honorandum. In quo facto meritorum eius magnitudinem & orationis possumus pensare virtutem, quia & lignum aridum contra naturam incrementis auctum, & ne vetus aboleretur miraculum rediviva signorum attestatione semper est repetitum.

CAPUT XXVIII.

Qua ratione fratribus Luxovio venientibus satisfecerit, & quam mirabili eos doni cœlestis ubertate refoverit.

POST hæc Abba monasterii, quod Luxovium dicitur, nomine Eustasius, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab huius exilio vitæ ad supernam patriam commigravit. Fratres ergo in eodem cœnobio constituti consilium inierunt, ut venerabilem Gallum revocarent, & eius regimini se subdendo contraderent. Miserunt itaque sex fratres ex his qui ab Hibernia venerunt, qui epistolam ferrent continentem causas eiusdem legationis. Igitur illi recto itinere cum ad viri Dei cellam pervenissent nunciati advenisse, ducti sunt ad orationem. Qua expleta domum ingressi porrexerunt epistolam, quam vir sanctus perlegit dixit illis, ego quidem ô fratres verba Prophetæ cupiens imitari dicentis; *Extraneus factus sum fratribus meis & peregrinus filiis matris meæ*, deserui notos meos & propinquos, & ut liberius Domino possem vacare solitudinis elegi secreta, utique parentum & prædiorum dimissionem prætercam, Episcopatus honorem & divitias mundi suscipere non consensi, & quo pacto post hanc renunciationem & voluntariam paupertatem seculi implicabor negotiis? exaltabor honoribus? ponderibus aggravabor? Absit, inquam, ut qui manum in aratrum misi, oculos ad relicta retorqueam, & sicut canis revertar ad vomitum. Scitis ipsi me inter vos positum humilitati semper dedisse operam & subiectioni, & quomodo creditis ad tanti culminis me provocari posse fastigium? Innovate consilia, aliorsum vos vertite, mihi quod animo semel infixum est, Dominus immutari non sinet. His & similibus verbis animos eorum ab spe impetrationis huius amovit. Vocavit deinde unum è fratribus & eum interrogavit quid essent tempore refectionis sumpturi? Cumque responsum esset, tantummodo sextarium farinæ ad usum haberi cunctorum, iussit fieri panes dicens, potens est Dominus parare mensam in deserto. Et cum fecisset olera colligi, ipse sumens rete & unum ex discipulis suis cum fratribus qui supervenerāt iuit ad gurgitem dicens, videamus utrum misericors Dominus aliquos nostris velit necessitatibus largire pisciculos. Cumque pervenissent ad gurgitem viderunt piscem magnum in aquæ collectione natantem, duosque illum insequi lutros quasi capere fugientem, volentes, immisso reti captum eum traxerunt ad littus. Habebat autem in longitudine palmas duodecim, & in latitudine quatuor, quo facto lutri se profundis immergunt. Imposito rursum reti cum piscatores sancti piscium latebras pulsando inquietarent, iterato lutri apparaverunt pisciū tantam multitudinem propellentes in rete, ut id sua pluralitate per loca dirumperent. Præda itaque ad littus perducta vir discretione plenissimus quosdam pisces adiuuantibus qui aderant rursum in aquam proiecit & fratribus dixit, hodie propter adventum vestrum mirabilem suæ largitatis evidentiam Dominus manifestare dignatus est. Illi econtra meritis ipsius quod factum fuerat imputantes, eo alacriter præeunte domum redierunt. Et ecce iuxta introitum cellulæ vir unus apparuit ferens duos utres vino plenos & ternos farinæ modios ob suæ devotionis indicium. Quibus cum gratiarum actione susceptis cibum sumpserunt, & post corporis refectionem spiritalis colloquii dapibus animas suas pascere studuerunt. Detinuit autem eos B. Gallus aliquantis secum diebus, & caritatis intuitu omni humanitatis fovit obsequio. Narravit quoque de communi patre B. videlicet Columbano, quod certa relatione didicerat. Deinde osculo pacis oblato dimisit eos, & illi benedictione tanti patris armati ad sua remearunt.

CA-

Capvt XXVIIII.

Quomodo sanctiss. Pater inter ædificationis studia apud Arbonam migrarit ad Dominum.

NEc multo post cum iam bonorum omnium auctor & propagator athletam suum de mundi agone sublatum præmiorum laureis vellet perhennibus adornare, Willimarus Præsbyter veniens ad cellam viri sancti rogauit eum vt secum egrederetur ad castrum, & vt obtineret quod voluit huiusmodi voce flebili querimoniam summissus explicuit; Cur, inquiens, ô pater, me qui tuorum monitis dictorum innitor quasi despectum dereliquisti, & Doctrinæ tuæ salutaribus institutis auditorem fraudasti beniuolum. Cui hanc abiectionem ascribere possum nisi peccatorum meorum fætoribus? nisi enim vita mea tuo displiceret iudicio, amabili me ædificationis tuæ non priuares solatio? Nunc ergo noli nos pro peccatis nostris abiicere, sed Domini prouocatus mandatis viam veritatis desiderantibus aperi, & solitæ nobis binignitatis munus impende. Motus igitur hoc supplicantis alloquio pietatis amator, descendit cum illo & venerunt ad castrum. Vocata autem multitudine in die sollemni, scilicet sancti Michaelis, vir sanctus prædicationis dulcedine auidorum, corda refecit & tanta quæ dixerat sapientiæ luce vestiuit vt summa omnium gratulatione auditus & plena cunctorum veneratione sit honoratus. Biduo itaq; ibidem ducto tertia die febre correptus tantum in breui eius violentia depressus est, vt nec ad cellam redire, nec cibi sustentaculum potuisset percipere. Cumque hac infirmitate per dies quatuordecim laborasset, die sextodecimo mensis Octobris, id est X VII. Kalendas Nouembris, expletis nonaginta quinq; annis suæ ætatis in senectute bona huius vitæ liberatus ergastulo, animam meritis plenam felicibus reddidit bonis inhæsuram perhennibus.

Capvt XXX.

Vt funeri eius Episcopus interfuerit, & quemadmodum cognouerit non ibi eum debere recondi.

DVm qve igitur audisset Iohannes Constantiensis ecclesiæ præsul, B. Gallū apud Arbonam infirmari, ascendens nauiclam, potuum & ciborum ea secum genera tulit, quæ infirmitate laboranti nouerat congruere, vt videlicet sua visitatione fidissimum refoueret amicum. Cumq; portui propinquaret audiuit in domo præsbyteri planctum magnum circa funus viri Dei celeberrimi, & interrogauit quæ tanti esset caussa ploratus? Audiens autem Gallum venerabilem firmissimum suæ familiaritatis custodem de huius seculi emigasse periculis, misit se in aquam (neq; enim poterat propter nimium dolorem sustinere donec nauicula littus attingeret) descendensq; cum his qui secum venerant intrauit domum præsbyteri; lugubri voce & corporis gestu mærorem cordis insinuans. Inuenit autem corpus viri sancti iam inuolutum & in loculo repositum, aperiensq; sarcofagum & exanime amici cadauer inspiciens amariores cum hac voce lacrimas dedit; Heu heu pater amate, heu doctor egregie, cur me de domo patris eductum in his periculis quasi orphanū dimisisti, & confidentiam meam, qua de tuis consiliis plurimum præsumebam, immatura morte rupisti? Tibi quidem in perceptione præmii, quod tam ardenter desiderabas, hæc tua mors est fructuosa; nobis autem in tot mundialium perturbationum procellis laborantibus multipliciter est luctuosa. Sed quod de vitæ corporalis interruptione dolemus, de animæ immortalis libertate gaudere debemus, certi quia orationib. non desines adiuuare quos consilio & exemplis roborare consueueras. Inter hæc verba præsbyter eum vt surgeret monuit, & pro requie defuncti ambitiosius Dominum precaretur. Intrauerunt itaq; ecclesias, & Episcopus pro carissimo salutares hostias immolauit amico. Finito autem fraternæ commmemorationis obsequio respiciens post tergum vidit fossam, in qua sanctum corpus humare volebant acceptaq; cruce & his quæ exequiis exhibentur, intrauerunt domum volentes thesaurum preciosi corporis locum sepulchri deducere. Cumq; archam, qua claudebatur cadauer, feretro impositam ad fossam sepulturæ conarentur deferre, nullis viribus vsquam potuit commoueri. Quod noui genus miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractarent, Iohannes Episcopus dixit, in veritate cognosco hanc sepulchri sedem patri meo Gallo non placere: & iussit præsbyt. vt duos equos inueniret indomitos, & faceret introduci. Quod cum factum esset, strauerunt eos cum magno labore & ad locum vbi corpus iacebat duxerunt, & Episcopus cum clero huiuscemodi orationem dedit: Deus qui per potentiā maiestatis tuæ vbique totus es, pro cuius amore vir iste reliquit patriam suam vt præcepta tua conseruaret, fac corpus eius ab his equis indomitis ferri in locum, quem tua voluntas meritis ipsius præuidit, cumque finita esset oratio, cuncti qui aderant Amen responderunt.

CAPVT XXXI.

Debilis per vestimentorum sancti viri munus acceptum sanatus.

CONGRVVM videtur in loco retexere miraculum, quod Dominus inter sui Confessoris exequias exhibere dignatus est, quo liquido cunctis ostenderet seruum suum secũ veraciter tunc viuere dum carnis huius carcere liberatur. Erat ibi quidam mendicus tanta per omnes membrorũ iuncturas debilitate contractus, vt penitus inter alias suæ infirmitatis molestias incessu pedum careret. Huic, dum præsbyter indumenta viri Dei distribueret pauperibus, caligas eius cum calceamentis dedit, statimq; debilis pro accepto munere summo repletus gaudio vt sacras cruribus & plantis aptauit exuuias, per omnes artuum compages repente solutus est, & exiliens voce clamauit ingenti & gratias egit Domino & B. Gallo, per cuius merita redditam sibi videbat salutem. Videns autem Episcopus & cuncti qui aderant sanitatis huius miraculum, vnanimiter glorificauerunt Deum atque dixerunt: manifesta virtute dignatus est Dominus hodie gloriam serui sui nobis ostendere. Dederunt itaque ei qui sanatus fuerat cereum, & prosecutus est funus cum cætero populo. Hoc primum signum post transitum eius Dominus ad memoriam illius declarauit.

CAPVT XXXII.

Signa mortificationis eius post transitum deprehensa.

INTER easdem quoque beati pastoris exequias aliud non mediocre sanctitatis eius indicium apparuit. Habuit vir Dei capsellam de corio factam diligenter seruatam, cuius clauem sub tam vigili custodia ipse retinuit, vt nullus discipulorum eius quamdiu vixerat quid intus seruaretur cognoscere potuisset. Hanc autem ex suis humeris pendentem ferre solebat quocunque ambulauit. At vbi de hac vita migrauit sumpta claui aperuerunt capsellam, & inuenerunt in ea cilicium modicum & cathenam æream sanguine aspersam. Deinde corpus inspicientes magistri inuenerunt locum cathenæ, vbi sæpius præcingi solebat, carnemque ipsam in locis quatuor profundis cathena sulcatam, adeo vt de eisdem vulneribus cruor decurrens cilicium per loca perfuderit. Posuerunt autem capsellam cum cilicio ad caput eius in feretrum, & deportauerunt cum corpore ad locum monumenti, & suspenderunt hæc tria mortificationis eius indicia iuxta tumulũ ad caput eius, per quæ deinceps ad ostensionem meritorum ipsius plurimas virtutes Dominus pie quærentibus exhibuit. Qua ex re intelligere possumus, quia idem vir, etsi á persecutore sanguinis effusione non est immolatus, semetipsum tamen offererns Domino hostiam viuam in odorem suauitatis, & crucem suam tollens cottidie saluatorem secutus martyrii laborem & palmam Confessor adeptus est.

CAPVT XXXIII.

Quomodo ab equis indomitis ad locum sepulturæ corpus eius delatum sit.

POSTQVAM sanctitas venerandi patris & miraculi magnitudine & horum manifestatione signorum cunctis, qui funeris eius intererant negociis, patenter ostensa est, Episcopus ad feretrũ accessit, & ex vna parte illud subleuans præsbytero altrinsecus sustollente equis superposuit & astantibns dixit, auferte frenos de capitibus eorũ, vt libertate cõcessa quo Dominus voluerit pergãt. Accepta ergo cruce & candelis psalm. & melodias cõcinentes iter agere cœperu[n]t. Equi autem in neutram partem declinantes recto itinere perrexerunt ad cellam viri Dei. Q[u]o cum peruenissent depositum est feretrum ante oratorium. Discipuli autem eius eleuantes pii Doctoris reliquias intulerunt & ante altare posuerunt: deinde cum Episcopo orationem pro illo facientes fossam sepulchri inter parietem & altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmissis sepelierunt eum, omnibusque rite consumatis multitudo, quæ ad tanti viri concurrit exequias, Episcopi benedictione communita ad propria remeauit.

CAPVT XXXIIII

Miraculum in cereis ostensum.

CVM beati corporis thesaurum felix locus in pace suscepisset, volens Dominus de morte famuli sui mœrentibus consolationis præbere medelam, nouitate miraculi patefecit, qua apud se claritate spiritus fulgeret amici. Nam duo cerei in castro, dum corpus eius eleuaretur, accensi ita ardentes delati sunt vsque ad locum sepulturæ. Positi autem vnus ad caput, alter ad pedes per triginta dies deinceps mirabile dictu non deficiendo ardebant & ardendo non deficiebant, & vt monstraretur has durandi vires ceræ liquenti cœlitus attributas, & de huius miraculi materia plurimæ in posterum virtutes emanarunt. Nam quicunque dentium fatigati doloribus vel oculorum lippitudine vel aurium præclusione laborantes de eisdem cereis quippiam ceræ tulerunt, & locis quæ huiusmodi tenebantur incommodis aptauerunt, optatæ celeriter dona percepere salutis, post hæc tanta virtus ad sanandos variis infirmitatib. depressos apud sepul-

sepulchrum beati viri cunctis illuc venientibus & orationum eius suffragia fideliter postulantibus apparuit, vt & fama tanti meriti cunctis quæ circumpositæ erant regionibus innotesceret, & locus ipse non mediocriter frequentaretur à populis.

Capvt XXXV.

Conclusio libelli.

Quia igitur, ô beatissimi patres, vita & virtutes S. Galli si in vnum compingantur librum possunt ob sui prolixitatem aliquod ingerere legenti fastidium, statui duobus hoc opus libellis distinguere, vt prior illorum vitam eius & actus vsque ad sepulturam illius veridica relatione perducat: sequens mirabilia, quæ postmodum pro meritis eius Dominus ostendit, primo videlicet ea quæ priorum ad nos scripto perlata sunt retexat, deinde quæ à probatissimis testibus indicata nostra ætate à Gotzberto carissimo fratre litteris sunt mandata subnectat, ne quod particulatim scriptum est laciniosa diuisione disiungatur, sed potius quod iunctum est paritate factorum etiam copulatum comprehensione dictorum, atque hic prioris libelli finis quæ præmissa sunt terminet, & sequenti quæ restant sine præiudicio comprehendenda reseruet.

WALAFRIDI STRABI ABBATIS AUGIENSIS De Miraculis B. Galli Confessoris LIBER II.

Capvt I.

Quomodo hostes sepulchrum B. Galli violauerunt.

Meritis beatissimi Galli cottidie per Miraculorum signa radiantibus & longe lateque circumpositorum aures famæ suæ dulcedine mulcentibus, cum jam post transitum eius anni quadraginta fuissent euoluti, venit Otwinus partium earundem potestate præditus cum exercitu magno & ira intolerabili concitatus, deuastauit non minimam partem pagi, qui ab interfluente fluuio Turgowe nominatur. Constantiense quoq; territorium & Arbonensis pagi confinia depopulari cœpit & igni succendere: viuos, quicunque inueniri potuerunt, gladio peremit: vxores & paruulos eorum in captiuitatem egit: peculiis quoque & omni suppellectile sublata fructus omnes penitus demoliri fecit. Arbonenses itaq; huius terroris immanitate compulsi cum omnibus quæ habebant fugerunt in solitudinem & ad cellam viri Dei se contulerunt. Deinde facta in agro fouea absconderunt ibi quicquid habebant, & fossam terra cooperientes ne secretum eorum deprehenderetur lini semen desuper inspergerunt. Cumque iam Arbonensem pagum hostes desolauissent, vestigia fugientium secuti venerunt ad cellam sancti patris & fugitiuos quos repererunt vinctos abduxerunt, & iuuenes eorum in captiuitatem miserunt. Erchonaldus autem Præfecti vicarius cū vicina solitudini inhabitaret loca, habuit res eiusdem cellulæ notissimas, is oratorium ingressus inuenit mendicum quendam intus sedentem, quem bene nouerat, & dixit illi; indica mihi vbi isti, quos tam nudos & miseros inuenimus, vestes habeant repositas & vtensilia, aurum & argentum, quorum copia hactenus fruebantur. Ille respondit; nonne mihi melius est illorum denudare secreta quam vestræ seueritatis iram incurrere? Si ita, inquit, egeris, eris in consortio nostro, & participio societatis nostræ gaudebis. Qua promissione persuasus surrexit, & eum ad subterraneū duxit armarium. Quod cum idem vicarius aperiri fecisset, species quas inibi reperit his qui secum erant facta diuisione distribuit. His ita patratis, putantes passim tale quid occultari discurrerunt loca singula signis quibusdam sollicite explorantes. Eiusdem rei gratia Erchonaldus assumptis secum septem pueris introiuit oratorium, dumq; clausis ostiis pauimenti planiciem pulsarent, ob spem videlicet inueniendæ pecuniæ, vnus illorū post altare veniens pauimentum percussit, & audiens à cauitate tumuli sonitū reddi, hic est, inquit, quod oppido desideratis. Accurrentes igitur pollinctores infesti cœperunt fodere, & cum ad loculum peruenissent extulerunt illum dicentes, quia isti Retiani calliditate naturali abundant, videamus ne quippiam sub hac archa occulti remaneat. Huic sacrilegio inseruientes inuasit eos horror immensus, qui in fugam conuersi dum ostium oratorii singuli præoccupare niterentur insania agitati euaginatis gladiis inuicem se conciderunt. Erchonaldus vero huius auctor sceleris timore cogente volens exilire per ostium caput super liminari illisit & ad terram concidens alienatus mente iacebat: cumq; à suis perduceretur ad propria nimia infirmitate & nouis doloribus cœpit vrgeri. Toto itaq; ipsius anni circulo fortissimis maceratus molestiis capillorum honore & cutis superficie spoliatus etiam digitorum vngues amisit, & vt omnibus longo tempore vltionis in eum diuinitus collatæ signa paterent, cunctis vitæ suæ diebus hac deformitate notabilis fuit.

CAPUT II.

Qualiter Boso Episcopus corpus eius reposuerit.

AVDIENS ConstantiensisEcclesiæ præsul nomineBoso sepulchrum B Galli violatum esse ab hostibus,nullumque remansisse in cellula præter duos fratres Magnoaldum &Theodorum, qui sacri corporis reliquias tumulo restituere potuissent, venit illuc cum clericis suis & invenit cellulam desolatam,sancti Patris corpus de sepulchro eiectum,altaria nudata,duosque fratres qui remanserant spoliatos iacentes in oratorio& magnitudinem calamitatis gemitibus & lacrimis protestantes: & misericordia motus cœpit eos consolari multiplicibus verbis,illam replicans psalmistæ sententiã,quã dicit: *In tribulatione inuocaui Dominum,&exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.*His dictis sumens loculum,in quo sanctum corpus erat, posuit super terram inter parietem & altare, & desuper vt moris est archam altiorem construxit, fossam vero terra repleuit: de suo quoque fratribus vestimenta largitus est, & vnde alerentur disponens ad episcopium remeauit.

CAPVT III.

Qua pœna multati sint eiusdem loci violatores.

POST multum vero temporis misit Pipinus Maiordomus exercitum copiosum ad deuastandam Alamannorum prouinciam, & iterato Francorum ditioni subiugandam: cumque tota terra hostili conterreretur incursu, auidi prædones Arbonensem pagum percurrentes ad cellam viri Dei venerunt, & quoscunque ibidem inuenerunt (nam multi illuc confugerant sperantes in Dei misericordia & patrociniis sancti illius) duxere captiuos. Quinque autem supra memorati Principis satellites ingressi oratorium repererunt ibi quasdam ancillas eiusdem loci cum paruulis earum, & quæ essent percontati sunt. Quæ dum se de familia ipsius sancti esse proclamarent, hoc à prædonibus audierũt; Exite, egredimini, sanctum quem dicitis ignoramus. Et abduxerunt eas captiuas in Franciam. Eodem vero anno à malignis spiritibus arrepti & amentes effecti nudi circum quaque discurrebant, & ubicunque urbes vel vicos ingressi sunt, cruciatus sui causas retexebant dicentes; Gallus Abba nos habet ligatos. Et cum hac criminum misera commemoratione suorum vitam infeliciter ducentes flebiliter finiuerunt.

CAPVT IIII.

Quo miraculo palla super lectum sancti incensa redintegrata sit.

ALIO tempore Diaconus quidam nomine Stephanus dum in eiusdem sancti patris ecclesia custodis fungeretur officio, quadam vespera incensam oratorio inferens candelam posuit super candelabrum iuxta beati viri sepulchrum, quæ à rectitudine status vergens in partem ardens cecidit supper arcam sepulchri. Cuius ardoris violentia vnam comprehendens pallam vsq; ad medietatem exussit & ita restincta est; nihil lecto, nihil baculo, qui in eo pendebat, vel aliis linteaminibus super sepulchrum expansis inferens læsionis. Qua ex re colligitur, ad declarationem virtutum beati viri potius quam ad damnum rebus eius inferendum idem euenisse incendiũ:quia vt in sequentib.apparet,pallam,quã lenis flamma diminuit,virtus manifesta restituit Mane itaq; facto fratres oratorium ingressi, quod factũ fuerat, peruiderunt, & admiratione non minima sunt perculsi. Tertia vero die cum ad matutinale conuenirent officium, inuenerunt in oratorio cereos ardentes, & duos iuuenes stantes, vnum ad caput, & alterum ad pedes distendentes inter se pallam,quæ pridem fuerat ignis attacta vaporibus. Hoc viso timore nimio conterriti cum celeritate egressi ad lectulos redierunt,cumq; se collocarent,ecclesiæ campanum insonuit,& auditi sunt duo chori incredibili alternantium personarum dulcedine perstrepentes. Igitur die illa nequaquam ausi sunt oratorium introire: die autem sequenti ante ostium eius vnanimiter conglobati prostrauerunt se in orationem, & cum surrexissent cum magno timore, intrantes inuenerunt pallam, quam partim ignis absumpserat, super lectum expansam, sicut prius expandi solebat, nulla imminutionis habentem indicia,sed potius latitudinem vel longitudinem eius trium auctam esse magnitudine cubitorum. Huius perspicuitate miraculi hilares facti benedixerunt Domino, qui tam manifestis gratiæ suæ virtutibus serui sui merita declarare dignatus est.

CAPVT V.

Miraculum missæ auis.

IDEM Stephanus dum quodam tempore cum his, qui simul aderant, carnem ad percipiendum in cuiusdam accessu ieiunii non haberet, resedit in cellula de eadem penuria cum cæteris locuturus, dumq; sermone vario paupertatis solacia mutuo ministrarent, auis quædã ignotæ formæ cõsedit in limine. Vnus assidentium torrem de igne rapiens alitem percussit, cuius carnes dum suis vsibus præparassent,incredibilem saporis dulcedinem in gestu earum deprehenderunt: facientibus hoc,vt credimus, beati viri meritis,vt sicut famulis eius in similitudinem antiqui miraculi, quo populus Dei coturnicum carnibus in solitudine est refectus,auis incognita missa est, ita sapor procuratæ cœlitus escæ nouæ dulcedinis delectamentum haberet.

CAPUT VI.

De signorum sancti viri multiplicitate.

TAnta autem est miraculorum copia, quæ Dom. apud tumulum eius diversis temporibus ostendit, ut non facile scribendi studio comprehendi possit. Ex quibus propter abundantiam multa omittuntur, pauca vero & eminentiora propter memoriam posteris commendandam huic inseruntur opusculo. Præter mortuorum enim resuscitationem corpoream cæterarum infirmitatum remedia celeberrima inibi largitate à Domino præstita sunt & præstantur. Siquidem & Dæmoniaci ibidem curati & languentes sunt recreati, aurium claustra reserata, oculorum detersæ caligines, multorum exclusa silentia, paralyticorum eliminata defectio, sed & quicumque animæ vel corporis necessitate coactus fide integra apud sepulchrum B. Galli instantiam orationis exequitur, Domino Confessoris sui merita comprobante, precum suarum nullatenus fructu privatur, verum sine tarditate divinæ largitatis sentiens dona lætatur.

CAPUT VII.

Quomodo donarium sancto deferendum ab incendio sit reservatum.

TEmporibus igitur Carlomanni Maioris domus miraculum memoria dignum per merita sancti patris effectum huic operi inserere utili iudicamus. Vir quidam pauperculus in pago, qui Perahtoltespara dicitur, ex summa devotione cum uxore sua ad cellam B. Galli causa orationis properare disposuit. Cuius intentione devotionis dum mulier pallulam, quam in S. loco oblatura erat, contextam paravisset, involuit ea formellam ceræ, quam simul oblatū ire cogitabat, & in arca sua inter alia vestimenta reposuit. Contigit a. dum ire pararent domum illorum cum omnib. quæ infra illam erant rebus, igne cremari, cumque consumptis omnibus flamma cessante sopitum fuisset incendiū, cœperunt inter favillarum cumulos ferramen torū reliquias quæritare. Et ecce inveniūt, mirum dictu, ceram pallula involutam inter cineres & carbones, nihilq; in eis læsionis apparuit, cum ipsam arcam, & quicquid aliud repositum erat, penitus consumpsisset incendium. Viso igitur tantæ virtutis miraculo, benedixerunt Deo, & iter quod disposuerant, peregerunt, & narrantes fratrib. quæ gesta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto consecratum in supremis non poterat perire periculis. Servatæ sunt autem ibi eædem res in testimonium postfuturis usque ad tempora Othmari Abbatis.

CAPUT VIII.

Correctio eius, qui caballum, quem voverat, fraude retinuit.

NEque illud silentio prætereundum videtur, quod in supra dicto pago temporibus Pipini Regis contigisse refertur. Quidam vir nomine Wilimarus gravi infirmitate depressus sub voto promisit, se equum unum duosque boves si pristinæ restitueretur sanitati, ad ecclesiam B. Galli donaturum. Cumque ex illa die confortaretur, & plenam recepisset sospitatem, contigit, ut cum Birichtilone Domino suo causa orationis ad cellulam viri sancti eodem vectus equo veniret. Igitur cum post orationem omnes illi, qui simul advenerant, digressi non longe essent ab ecclesia, equus, quem sponsor infidelis, postquam voverat fraude retinuit, repente substitit. & licet eum sessor calcaribus urgeret ac verberibus fatigaret, nunquam potuit cōmoveri. Videntes hoc, qui aderant, cœperunt inquirere huius miraculi causas. At ille confusione digna correptus prodidit reatum, & fraudem, quam in voto fecerat, confessus aperuit. Reversi autem omnes pariter equum obtulerunt ad limen ecclesiæ, & benedictione percepta ad sua sine obstaculo redierunt. In quo facto & divina pietas & sancti viri virtus apparuit, dum is, qui per se resipiscere noluit, per correptionem ad correctionem pervenit.

CAPUT IX.

Cera de furto oblata in lapidem conversa.

ILlud quoque miraculum, quod quarto anno Carlomanni Regis in pago, cuius supra mentionem fecimus, contigit, libet memoriæ commendare. Pauperculus quidam juxta regiam possessionem, quæ Rotenvvila dicitur, commanens, dum ad cellulam S. Galli pergere voluisset, nec haberet aliquid, quod ob devotionis indicium illuc deferre potuisset, diabolo suadenti consentiens atrium cuiusdam divitis irrupit, & alvear cum melle & apibus furtim auferens intulit domui suæ. Apibus deinde extinctis ceram confecit, & non multo post inter vicinos & amicos cum hoc furtivo munere ad ecclesiam venerabilis Galli perrexit. Cumque singuli quod attulerant, obtulissent, is, qui contra fas offerre voluit de rapina donarium, ceram reperit in lapidis durissimi rigorem mutatam. Ingenti itaque timore perculsus uni eorum, qui secum venerant, reatum suum confessus est, qui deinde dum custodibus ecclesiæ, quæ facta fuerant, indicaret, fama huius miraculi mira celeritate cunctis innotuit.

CAPUT X.

Pronunciatio scriptoris de qualitate operis assumpti.

DEscriptis his, qui priscorum sollertia de vita, fine, & virtutibus B. Galli ad nos usque scripto transmisit, hinc ea stilo comprehendere temptavimus, quæ à fidelissimis testibus indicata à carissimo fratre Gotzperto literis sunt mandata. In quibus primo quomodo vel quando in cœnobio B. Galli regularis vitæ instituta servari cœpissent, liquido declaratur, deinde quibus miraculis eiusdem patris virtus cunctis effulserit, probabiliter exponitur, commemoratis pariter singulorum, quæ introducuntur, assertoribus. Quæ idcirco novis dictionum positionibus ordinare voluimus, ut cum prioribus aliquam similitudinem locutionis habeat, & brevitatis compendio succincta fastidiosis lectoribus onerosa non fiant: siquidem nomina eorum, qui scribendorum testes sunt vel fuerunt, propter sui barbariem, ne Latini sermonis inficiant honorem, prætermittimus scientes de veritate dictorum à fidelibus non esse dubitandum, quippe qui norunt, nil horum, quæ referimus, Deo impossibile esse, in quo fit, quicquid per sanctos mirabiliter & laudabiliter fit. Sed & si quis earundem rerum testes nosse desiderat, in conscriptione, quam sequitur, poterit invenire. Inserimus quoque huic operi nonnulla, quæ non Scripturæ testimonio, sed veracium virorum relatione didicimus. In quibus omnibus quantum ad nos attinet, veritatis lineam servare studebimus, neque per amorem falsi aliquid de nostro inserentes, neque per invidiam veri quippiam ex voto celantes. Et quia nos scripta vel dicta sequimur aliorum ad illos veritas rerum, ad nos pertinet abbreviatio dictionum & adunatio rationum.

CAPUT XI.

Quemadmodum Pipinus eundem locum Othmaro cum privilegio & donis commendarit.

POST venerandi patris B. videlicet Galli Confessoris gloriosam depositionem cottidianas excubias apud sacri corporis eius reliquias quidam religiosi clerici, vel discipulatus eius memoria, vel divino amore succensi per multa annorum curricula, scilicet quasi à temporibus Dagoberti Regis usque ad Karolum patrem Carlomanni & Pipini, ad laudem Christi administrabant. Igitur cum fama virtutum, quas Dom. per Confessoris sui merita pie quærentibus exhibere dignatus est, longe lateque circumpositorum mulceret aures populorum, cœperunt undique alacri devotione ad tanti patris suffragia postulata concurrere, eundemque locum ob suæ diuturnitatem memoriæ multiplicibus substantiæ & possessionum amplificare donarijs. Cumque res hac largitate fidelium collatæ aliquantulæ Monachorum congregationi viderentur suppetere potuisse, Waltrammus quidam, ad cuius paternam possessionem termini vastæ solitudinis, in quibus vir Dei cellam construxerat, pertinere videbantur, videns res collatas à quibusdam præsumptoribus inordinate tractari, religiosum quendam Presbyterem Othmarum nomine, cui summam earundem committeret rerum à Victore tunc Curiensium Comite impetravit, & ei cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit. Postmodum consilio cuiusdam Ducis nomine Nebi persuasus ad præfatum Principem Karolum cum eodem Duce properavit, ipsique eandem cellam proprietatis jure contradidit, & ut Othmarum Presbyterum eidem loco præficeret, exoravit. Annuens petitioni eius Princeps Othmaro ad præsentiam suam vocato locum commendavit, & ut regularem inibi vitam instituere studeret præcepit. Qui regressus arripuit statim boni pastoris initia, & undique versum habitacula Monachorum usibus congrua disposite construens eiusdem sancti statum loci utilitatibus diversis aptavit. Sed cum iam dictus Princeps temporaliter regnandi & vivendi finem fecisset, duobus filiis Carlomanno & Pipino administrationem regni reliquit. Carlomannus itaque paucorum decursibus evolutis annorum ob amorem regni cœlestis secularis gloriæ pompam deposuit, & cum causa quietoris vitæ Romam tenderet in vicina supradicti loci deveniens ad idem monasterium causa orationis accessit, audiensque assiduis signorum virtutibus eundem locum pro beati viri meritis à Domino illustrati dixisse fertur: tenuis quidem hic locus est facultate, sed pro meritis B. Galli celebri diffamatus rumore. Cumque vellet ibidem degentibus aliquod suæ largitatis conferre solatium, sed retractaret a negocijs se regni disiunctum explere non potuisse, quod voluit fratri rescripsit, ut sui amoris intuitu eidem monasterio aliquod regiæ largitionis solatium dignaretur impendere. Cum igitur ab Othmaro Abbate præsentatam Pipinus Princeps accepisset epistolam, annuens petitioni fraternæ libellum, quem Benedictus pater de cœnobitarum conversatione composuerat, eidem Abbati tradidit, & alia regiæ dignitatis impertiens dona id ei sub omni diligentia iniunxit, ut in loco commendato ad supplendas B. Galli excubias regularis ordinem institueret vitæ, atque ut melius posset quod iubebatur efficere, concessit illi quosdam tributarios de eodem pago, ut & illis conlaborantib. officinas fratrum usibus necessa-

cessarias construeret, & vectigalia, quæ annuatim Regiis redditibus inferre debebant ad sustentationē fratrum sub commemoratione largitatis eius haberet. Inter cætera quoque suæ munificentiæ donaria rogante Abbate unum campanum ad sancti loci dedit ornatum, quod ad usque nostræ ætatis tempora in cœnobio eodem pro memoria beneficiorum ei permansit, & ne cuiusquam avaritia tanti incrementis obsisteret boni diuturnæ firmitatis epistolam fecit conscribi, & ut moris est circumspecta roborari cautela, quo deinceps quam ipse qui aderat, quam successores eius idem monasterium per regiam obtinerent auctoritatem, & nullius violentia pressi solis rerum Principibus subiacerent. His Regiæ pietatis Othmarus Abba donatus solacijs & sublimatus honoribus monasterium lætus regreditur, & ex illo tempore monasticæ vitæ in cœnobio S. Galli exordium quidem cœpit, augmentum autem & profectus hodieque laudabiliter dilatati non desinit.

Cap. XII.

Qualiter præcaventibus Victoris incursum populis signum sit datum.

Præmissa narratione, qua comprehensum satis vere credimus, quomodo sacer locus emunitatis privilegiū meruerit, & quo in tempore cœnobiali dignitate sit adornatus, liberius iā ad miraculorū B. Galli cōmemorationem stilum convertimus. Victor Curiensis Retiæ Comes, cuius superius mentionem fecimus, cum innumerabiles apud tumulum Sanct. Galli per merita ipsius virtutes ostendi celeberrime didicisset, invidia perurgente tanta novarum generositate virtutum nostram gentem insigniri perdoluit, & ut tunc fama vulgaverat latenter voluit per abdita heremi supervenire & preciosi thesaurum corporis, si quo pacto potuisset auferre. Qua malitiosi raptoris intentione comperta, hi qui in circuitu cellæ viri Dei commanebant custodibus vicissim per turmas deputatis eundem locum ab hostili incursione, ne videlicet tam cari fulgore margariti carerent, omni sagacitate defensare studebant. Igitur cum quadam nocte custodes in summitate montis, qui monasterio superimminet, ad suspectos incursus armati residerent præcavendos, casu lucem è cœlo venire ac totius ecclesiæ perfundere mœnia conspexerunt. Immensitatem itaque luminis admirati ad ecclesiam citius concurrerunt, & dum trepidi stupentesque ibidem constituti eundem intuerentur splēdorem, paulatim se lux submissa recolligens astris inseritur. At illi viso miraculo agentes Domino gratias secuti ad propria remearunt, credentes corpus viri Dei per vim ab eo loco minime auferri posse, quem illi Dominus ante secula prævidit, & suæ illustrationis honore temporibus illis derogavit. Vnde datur intelligi, quanti apud Deū meriti vir iste fuerit, cuius Sepulturæ locum cœlitus contigit illustrari, ut videlicet lumen, quo eius anima perfecte fruebatur in cœlis, etiam mortuo corpori non deesset in terris.

Caput XIII.

Qua animadversione idem à sua præsumptione sit repressus.

Avdiens itaque Comes prædictus à cella Sancti viri discessisse custodes, cupiens suos conatus explere virorum turbam assumpsit, ut, quod male cogitaverat, repentino & latenti perpetraret accessu. Verum quia non suæ devotionis utilitati prospiciens, sed alienæ felicitatis profectibus invidens id moliebatur, Dei nutu cito repressus fuisse cognoscitur. Nam eodem momento, quo iter illud regressus est, de equo, cui insedebat, corruit, coxaque illius eo casu confracta est, Domino beati viri merita in hoc quoque remunerante, ne à loco, quem ipse elegerat, auferretur, quem de ultimis Hiberniæ finibus ad salutem multorum Retiæ vel Germaniæ destinavit, & vicini quidem exhibuerunt excubando suæ devotionis obsequia. Deus verò cunctorum custos bonorum ibi etiam ad coercendum raptorem vigilavit, ubi sollicitudo alternantium non affuit populorum, & hoc quidem egit, ut credimus, ne fideles populi thesauro, quem ferventibus studijs ambiebant, fraudarentur, & ne is, qui per maliciam hoc decus attingere voluit, suæ perversitatis potiretur, effectu, præcipueque præcavens, ne ablatis sancti viri reliquijs Monachorum catervas, quæ inibi laudibus Dei servituræ erant, deesse contingeret. Itaque Comes correptus, & domum à famulis reportatus per multa tempora nimiis doloribus est agitatus, ut intelligeret saltem ex pœna, quam superbe id cogitaverit, quod suis viribus effici potuisse credebat.

Caput XIV.

Paralyticus cæcus & surdus B. Galli meritis sanatus.

Qvia igitur Domino custodiente pij pastoris corpus à deuotarum septis ovium auferri non potuit, dignum fuit, ut miraculis fidem facientibus virtus meritorum eius ibidem cunctis manifeste claresceret. Quidam namque de vicino territorio, cum diu-

turna ægrotatione vexatus lecto decumberet, subrepente humore nocivo oculorum lumen auriumque sensum amisit. Deinde plantis pedum retortis ad nates tanta depressus est infirmitate, ut de solo pectusculo vitæ manerent fugacis indicia. Qui à suis ad monasterium vehiculo delatus, dum petentibus amicis in ecclesia Beat. Galli unius spacium noctis ducere permissus à custode fuisset, solusque ibidem pernoctaret circa gallorum cantum in subito mentis excessu quatuor viros candidissimis indutos vestibus oratorium introire conspexit. Qui dum altari appropiantes diutissime dulci modulaminum alternatione concinerent, unus eorum laudibus finitis ad lecticam, in qua clinicus decumbebat, accedens: quid, inquit, causæ est ô homo, quod hic pernox tenebrarum transigis solus horrorem? Crede tantum, & ab hac infirmitate deinceps eris securus. Qui protinus surgens & omni debilitate summota egressus ad suos sanus abscessit.

CAP. XV.

Quomodo Othmarus Abba ab iniquis primatibus sit afflictus.

IGITUR Othmarus Abba cum multis annis idem cœnobium strenue rexisset, possessiones ipsius loci religiosis quibusque circumquaque degentibus ob amorem mercedis æternæ plurima suæ largitatis dona conferentibus in tantum amplificavit, ut infra paucos annos suppetente exterar. copia rerum, & vita eius clarescente mundicia, multorum pater existeret Monachor. Comites verò quidam Warinus & Ruodhardus, qui totius tunc Alamanniæ curam administrabant, cum infra ditionis suæ terminos ecclesiasticarum non minimâ partem rerum suæ proprietatis dom nio per potentiam subjicere niterentur, maximam de eiusdem monasterij possessionibus partem sibimet vendicarunt. Nam tributa, quæ bonæ memoriæ Pipinus eisdem fratribus concesserat, abstulerunt, aliaque quam plurima, quæ ex donatione quorundam religiosorum eidem cœnobio fuerant contradita, suæ rapacitatis abstraxere protervia. Insuper etiam ipsum Abbatem, cum pro hac re apud Principem illos accusasset, vinculis iniecerunt, & in quandam Reni fluminis insulam juxta locum, qui Stain dicitur, in custodiam relegarunt, ubi cum aliquantum temporis sub artissima districtione mansisset, de carcere huius vitæ ad lætitiam commigravit cœlestem, expletis non minus quadraginta regiminis sui annis, quo sancti illius loci statim & gloriam nobiliter amplificavit & auxit.

CAPUT XVI.

Qualiter eorundem instinctu Sidonius Episcopus eundem locum invaserit.

HOC itaque in rebus humanis subtracto prædicti Comites sublatas sancti loci possessiones retinentes Iohannem quendam Monachum de proximo monasterio in eius locum subrogaverunt, ac deinde, ut suæ tyrannidis crimen augmentarent, Sidonium Constantiensis ecclesiæ Præsulem instigarunt, ut idem monasterium episcopij partibus subjicere studeret. Et hoc idcirco fecerunt, ut eo licentius, ipso machinationibus eorum favente, ea, quæ iniuste abstulerant, retinere potuissent. Pontifex igitur cum suasionibus eorum libenter præberet assensum, monasterium ingressus fratres opprimere, & eundem locum episcopij rebus subjicere molitus est. Porro fratres cum potentiæ illius resistere non auderent, maluerunt eius ditioni parere, quam tot adversitatibus implicari. Sed sequentia probant, quam perverse egerit, qui per avaritiæ morbum sacri loci privilegium ausus est violare.

CAPUT XVII.

Quod damnum in rebus suis pro eadem temeritate incurrerit.

FERTUR siquidem eundem Episcopum aliquando ad iter hostile sibi de ipsius monasterij sumptibus viaticum præparari iussisse. Quod dum fratres prætermittere non auderent, ea quæ iussa fuerant navi imposita per quorundam manus fratrum ad Episcopium transmiserunt: cumque, qui missi fuerant, navigare cœpissent, avis quædam, ut sæpe isti testati sunt, ante eos apparuit, & quasi ducatus eis officium esset præbitura facili præibat volatu, & dum per totius lacus vastitatem ipsius incognito uterentur ducatu, prospero tandem successu ad portum venientes, quid hæc novæ ducis obsequia portenderent, mirabantur, aliisque quam partem peteret diligenter notantibus domum quandam littori contiguam, in qua res præfato itineri aptæ servabantur, intravit. Mirum dictu, mox eandem cellam flamma corripiens in altum prorupit, & omnia, quæ ibi côgesta fuerant, penitus consumpsit, ut nihil eorum omnino huic incendio superesset, fiebatque iusto Dei iudicio, ut qui aliena per potentiam rapuerat, suis per supernam iusticiam fraudaretur.

CAPVT XVIII.

Qua seueritate fratribus institerit, & quàm turpiter discesserit.

TEMPORE quoque alio idem Episcopus ad monasteriũ veniens, dum quadam violentia eundem locum Episcopio subiicere, suæq; tyrannidi non consentientes monachos quasi iusto rebelles, iniuriis multiformibus afficere temptauisset, Tello quidam Curiensis Ecclesiæ præsul misit ad eum humiliter deprecans, vt sui amoris causa, quoniam eorundem fratrum aliqui consanguinitatis vinculo illi erant coniuncti, ab eorum cessaret iniuriis, nihilque incommodi Dei famulis irrogaret. Quam petitionem furore dictante superbe contemnens remandauit se illius precibus nullo pacto consensurum, verum resistentibus sibi celerem pro contemptu illaturum vindictam. Et mox oratorium B. Galli Confessoris quasi oraturus ingreditur, & ante aram ipsius nomini consecratam consistit; quiq; ad salutem non merebatur audiri afflictiones, quas aliis se irrogaturum iurauerat, conuenienti satis talione recepit. Nam intestina eius more sartaginis igni superpositæ feruere cœperunt; & tam diræ viscerum tortiones illum inuaserunt ex templo vt sine aliorum adminiculo nequaquam egredi potuisset; sed quod dicere pudet egestio naturæ turpi impetu prorumpens cum astantes nimio fœtore grauaret, sine mora ab Ecclesia eiectus vehiculo, quo decedere monasterio posset, sicut rogauerat est impositus. Sicq; immoderato fluore naturæ consuetudine carens vasi in quod egesta defluerent superſedens egressus est, & ad vicinum monasterium, quod Augia nominatur, cui & tunc præerat, perductus est; vbi etiam ingrauescente languore tantum sibimet famulantibus ob nimium fœtorem intolerabilis factus est, vt ei iam pæne nullus obsequia impendere solito potuisset. Tali itaq; pœna mutatus cum hoc factionum suarum præmio post aliquot dies de cloaca corporis spiritum exhalauit.

CAPVT XVIIII.

Miraculum in sagina porcorum exhibitum.

PERACTA superioribus sententiis relatione, qua nos satis vere comprehendisse credimus, quomodo sacer locus per merita B. Galli diffamatus & possessionibus dilatatus, nec non quibus sit maliuolorum quorundam molitionibus impetitus, & quæ quosdam humiliauerit vltio: nunc replicandum esse censemus, quanta beatus vir præsidia sibimet famulantibus ad res suas custodiendas vel defendendas accomodet, quaq: auctoritate se postulantibus & de se præsumentibus multiformi genere virtutum succurrat, Domino meritorum eius magnitudinem signorum assiduitate mortalibus declarante. Quodam tempore dum sterilitas terræ fructus arborum non solum porcis, sed etiam siluestribus feris vel animalibus denegaret, ita vt in proximi heremi pastibus nusquam sagina posset inueniri, qua sues qui in vsus monasterii nutriebantur pasci potuissent, occulto quodam impulso grex suillus per siluarum auia celeri cursu cœpit abscedere, transuadatoque Reni fluminis alueo remotioris heremi secreta penetrauit. Subulcus autem subitam sui pecoris fugam miratus è vestigio insequitur, & gregem quem pessum ire putabat repperit copiosissimis pascuis immorantem. Cumq; viam redeundi nesciret, mansit ibi fructib. arborum & carnibus victitans, donec grex totus affatim carnibus grauaretur obesis. Itaq; domũ redire cupiens cœpit anxie cogitare, quo ingenio ignotũ iter aggredi potuisset. Nocte igitur quadam vidit in somnio senem quendam reuerendi habitus & vultus canicie venerabilem dicentem sibi; quia vt video porci quos sequeris vbertim sunt saginati, iam redire parato. Qui dum respõderet se viam nescire, dixit illi; scrofam quam totus grex quasi ductricem sequi solet cædito, & quocunq; illa præcesserit tendito gressum. Quod dum ille faceret & præeuntem diligenter sequeretur, sine errore ad monasterium cunctis aliud suspicantibus ex inopinato peruenit. Qua in re quid aliud quam B. Galli merita claruerunt, dum ad vsus sibi famulantium ignotum animantibus pastum ostendit, & ea rursus mirabili ordine ad propria reuocauit?

CAPVT XX.

Qualiter deprehensi sint qui stabula incenderunt.

FRATER quidam eiusdem monasterii possessiones quasdam sub cura habens in quodam remotiori loco ob nutrimenta pecorum stabula construxit, & illic quam plurimum fœni recondit. Duo itaq; homines diabolica instigati persuasione eadem repositoria cum omnibus, quæ inibi congesta erant, noctu igni apposito succenderunt. Sed dum iam pæne toto anno huius auctores facti laterent, vnus eorũ arreptus Dæmonio cœpit per vicina discurrere loca publice proclamans, stabula pecorum B. Galli succendi & ideo versa vice ab ipso inuisibiliter incendor. Cum itaque diuinum in eo continuatum iudicium patesceret, pluresq; importunis eius clamoribus concitati per loca singula ad hoc miserabile spectaculum conuenirent, rogauit omnes, vt eius incendia restinguerent. Illis autem certatim in eum aquam mittentibus pœna diuinitus illata humanis viribus extingui non potuit. Non paucis deinde diebus exactis in hoc miserabili genere tormentorum insanus vitam finiuit. Alter vero cum sui sceleris socium tali cruciatu vidisset damnatum, ad præpositum supradictum venit, vtroque diuinum perhorrescens

iudicium

iudicium delictum confessus est, duosque boues pro debito obtulit ac se voto constrinxit, quod deinceps nunquam rebus S. Galli damnum inferret. Frater autem idem pœnitudinem eius agnoscens boues non suscepit, sed abire cum suis ad sua permisit.

CAPVT XXI.

Quomodo ille qui siluam publice incenderat correptus sit.

IN possessione quadam eiusdem monasterii quædam siluula ob porcorum pastum custodiebatur, ne passim à multis consumeretur incisa. Hanc pauper quidam occulte solebat adire, & furtim multa inibi præcidendo grande damnum inferre. Itaque die quadam cum iuxta morem suum latenter intraret & pauca succideret arbusta, gladius quem tenebat tám valide manu eius adhæsit, vt illum deponere nullatenus potuisset. Agnoscens igitur, cuius rei causa multatus sit, ad basilicam in honore B. Galli constructam festinauit, diuq; in orationibus decumbens manu resoluta gladium ante altare dimisit. Egressus vero cogitare cœpit nihil obesse, si ligna quæ præciderat domum deferret, non autem prodesse si putrefacta perirent. Subiunctis ergo bobus carpento ad siluam remeat, & præcisa in vnum comportat, quæ cum vehiculo vellet imponere, dolore quodam præualido seu stimulis vrgeretur in posteriorib. attractus est. Quo cum sine mora manũ protẽderet, gladium quem coram altari dimiserat fortuito recepit; digitis autẽ manubrium constringens detestabile munus tam valde retinuit, vt articulorum iuncturæ inuicem laxari putarentur. Tum miser dolore compulsus ad Ecclesiam recurrit, ibique prostratus veniam pro commisso & absolutionem manus deposcit. Cumq; diu in oratione persisteret; & gladium nequaquam dimittere potuisset, iuramento tandem ac voto promisit nunquã deinceps se damnum B. Galli rebus illaturum. Mox manus aperta gladium deposuit, qui ob testimonium miraculi in eodem loco suspensus multo tempore ibi permansit, inuasoribus Ecclesiasticarum rerum grande timoris pondus incutiens.

CAPVT XXII.

Quam periurus vindictam pertulerit.

FRumoldus quidem nomine de possessione quadam eiusdẽ monasterii ancillas duas vi abstulit & suæ seruituti subiecit. Is ab Aduocato pro eisdem fœminis sæpius interpellatus, tandem censura iudicum coactus, vt eas vel monasterio redderet, vel suo iuri cum sacramento in altari B. Galli peracto firmaret. Itaq; auaritia impellente iuramentum paruipendens monasterium cum suis adiit & vt diiudicatum fuerat, audacter peregit. Sed pro contemptu sancti Dei vltio cum festina præuenit. Nam iuramento expleto ad propria iturus Basilicam egressus est, iumentoque adducto cum super illud saliendo vellet ascendere, mente captus faciem suam ad posteriora equi insidendo conuertit. Æstimans itaq; id per famulorum contigisse neglectum resiliit, & caballum regirari citius iussit. Cumq; secunda ac tertia vice ascendere cupiens pari luderetur errore, tandem clientium adminiculo equo superpositus monasterio cum rubore discessit. Non longe autem inde positum subito eum dirus oculorum dolor inuasit, ac deinde per momenta singula decrescente visu cæcitatis horrore damnatum materiali funditus luce priuauit.

CAPVT XXIII.

Quemadmodum invocatus vir sanctus quendam à nece liberauerit.

INuocatus etiam venerabilis Gallus quam promptum impendat auxilium sequenti liquebit exemplo. Quidam vir dum per siluam quãdam iter ageret, ac circumspecte incursus latronum qui in ea solebant commorari multisq; nocere, festinando deuitare conaretur, tantus eum subito sopor inuasit, vt vix incedere potuisset, cumq; periculi metu suspectos haberet itineris casus, & dormiendi causa paulisper diuertere vellet, rusticum quendam obuium habuit eumq; rogare cœpit, vt interim custos sui existeret, donec importunitatem somni parumper quiescendo depelleret. At ille pacem simulans fidem spospondit. Itaq; modicum diuertens pallium capiti supponit & se prosternens beati Viri suffragia his verbis implorat; S. Galle tua me protectione custodi. Signaculo crucis deinde munitus cum obdormisset, infidus custos sponsionis immemor sumptis armis soporatum quasi perempturus aggreditur, de collo vestem subtrahit quo facilius vno ictu perimat dormientem. Sed cum gladium in ictum vellet deponere, artubus rigore stupefactis inflecti brachia nequiuerunt. Interea dormienti quidam astitit & in somno dixit; Quid somno deprimeris, quem ab imminenti interfectione modo tutatus sum? At ille euigilans & fidelem socium nudato gladio cernens capiti imminere, exilit & comprehensum qua pro causa hoc scelus vellet admittere percontatur. Qui cum pro spoliis ipsius accipiendis se id facere voluisse fateretur, continuo brachia quæ diuina obriguerant iussione deposuit, perpendens itaq; alter se diuina misericordia per merita B. Galli à nece seruatum cum illo fecit & illæsum abire permisit.

CAPVT

Capvt XXIIII

Puella Dæmonio liberata.

Prætere a tam multi à furore Dæmonum per eiuſdem ſancti patris merita ſunt liberati, vt ſi omnium curationem commemorare velimus, faſtidioſis lectorib. occaſionem murmurādi tribuamus. Vnum ergo è pluribus replicamus, ne hoc virtutũ genus viro ſancto defuiſſe putetur. Puella quædam ſæuiſſima hoſtis antiqui vexatione detenta & non ignobilium labore parentũ ad monaſteriũ perducta, cum oratorium B. Galli Confeſſoris intraſſet, ſtatim horribili Dæmonis infeſtatione agitata ad terrā concidit, & miſerabiliter ſe diſcerpens horrendo clamore ſpurciſſima verba cœpit effundere. Qua cauſa vnus è fratribus Stephanus nomine miſeriæ illius compaſſus tamdiu ſuper eam exorciſmum recitauit, quo ad vſq; eadem vexatio finiretur. Reſipiſcenti autem puellæ modos pœnitentiæ indixit, ſeſeque pro illa in orationibus ac ieiuniis exercere cœpit. At miſera fœmina, vt de prohibitis eſcis quidlibet vſurpauit, tam acriter eam continuo Dæmon inuaſit, vt vix à mults teneri potuiſſet. Cumque identidem ad eundem locum perducta eſſet, & Stephanus ſupradictus iterato ſuper eam exorciſmum recitaſſet, animal paruulum in modum bruchi nigerrimum ab eius ore prolapſum eſt. Hoc viſo cum idem frater attentius adiurationi inſiſteret, tribus vicibus ſingulorum ſimilitudo bruchorũ ore excidit fœminæ. Quæ animalia dum aſtantes manu capere niterentur ſubito diſparuerunt. Puella autem eadem hora ſurrexit incolumis, & reliquum vitæ ſuæ tempus abſq; vlla Dæmonis infeſtatione tranſcgit.

Capvt XXV.

Miraculo olei defluentis anxietas increpata cuſtodis.

Illvd quoque libet oſtendere euidenti miraculo, quomodo vir ſanctus quoſdam in ſeruitio ſuo de penuria rerum trepidantes corripuerit & modicæ fidei puſillanimitatem confortarit. Eccleſiæ eius cuſtos dum quodam tempore olei copiam ad luminaria inſtruenda non haberet, lumen quod in crypta omnibus ardere noctib. ſolebat quadam nocte extinxit, quia lumen, quod ante ſuperius altare & tumbam ardebat, per quandam feneſtram radios ſuos ad altare infra cryptam poſitum dirigebat, & ſufficere vtrique loco credebatur. In eadem autem lampade vitrea, quam extinctam à cuſtode retulimus, aqua inferius & olei pinguedo deſuper erat. Mirabilem rem dicturus ſum: ita totum oleum per rimam in fundo repertam guttatim ad terram defluxit, vt nil aquæ deeſſe videretur: idemque liquor per terram vſq; ad altare decurrens pallam eius lineam aſcendendo occupauit, & ita vſq; ad medietatem infecit vt nunquam deinceps ablui potuiſſet. In quo quid potiſſimum mirer inuenire nõ potero: vtrum ne quod oleum ſubtus aquam depreſſum eſt, an quod aqua per eandem fracturam non defluxit, vel certe quod oleum de pauimento in pallam ſurſum aſcendit? In quibus tamen omnibus & virtutem ſancti viri oſtenſam & ſtultam parcitatem non ambigo.

Capvt XXVI.

Qualiter fugitiuus Monachus reuocatus ſit inuitus.

Sileri non debet qua virtute ſeruitium ſuum dimittentes & fraudolenter abſcedentes beatus pater reprimat, & vel lapſos reuocet, vel pertinaces in malo feriat. Frater quidam monaſterio fugam molitus equũ furto rapuit & per noctem abſceſſit. Cumq; ad Reni fluenta fugax veniſſet, transvadare in equo temptauit, & à medio aluei neſcius ad locum vbi intrauit caballo deferente reuerſus cum magna feſtinatione ad monaſterium rediit, putans ſe in alias longe partes abſcedere. Mane facto cum ſe recognouiſſet fruſtra laboraſſe, confuſus interdiu delituit: noctu vero fugam arripiens in fluuio ſicut prius ſalubriter errorem paſſus eſt, & * ſtrofa facta per eandem viam neſciens remeauit. Confuſioni igitur obſtinationem iungens ipſa etiam ſe occuluit die, & nocte inſecuta tertio notum iter carpens modo quo diximus itidem reuocatur. Cumq; iam tædio victus ſe tertio ſopori in campo dediſſet, à quibuſdam equum cognoſcentibus captus eſt & loco ſuo reſtitutus, & quia effectum voluntatis ſuæ non inuenit etiam nolens ſancti viri victus ad viam peruenit. Solent autem plures teſtari, cunctos qui de familia ipſius ſancti aufugerint aut emendationem quantocius ſubire aut manifeſtæ vltioni debere ſuccumbere, neq; cuiquam impune cedere, qui fidem illi plenam ſeruare contempſerit.

Capvt XXVII.

Fulmine deformatus partim Romæ, partim in hoc Sancto loco ſanatus.

Qvod Dominus flagello ſuo quoſdam à peccatis coerceat & pro commiſſis affligat teſtis eſt paralyticus, cui ante ſanationem Saluator peccata dimittit, ſic autem aliquando percutit, vt eos ſanctorum ſuorum meritis ſuffragantibus ſanitati reſtituat, vt & diuinæ operationis ſit indicium, cum interius homo per flagellum à peccato compeſcitur, & virtus ſanctorum liquido comprobetur, cum pro illorum meritis exterius ſanitas exhibetur. Fit etiam interdum, vt qui Dei occulto iudicio non vni, ſed pluribus infirmitatibus ſubiacet, non pariter omnia, ſed diuerſis temporibus & interceſſoribus debilitatis amittat incommoda, vt dum alicu-

alicuius remediũ mali per vnius merita sancti conceditur, redintegratio sanitatis alterius precib. & honori servetur. Quarum omnium rerum euidens indicium dabit subiecta narratio. Quidam violentia fulminis ictus post ægrotationem diuturnam ita totius formam corporis & membrorũ officia perdidit, vt monstruosum quiddam potius quam hominem videretur exprimere: si quidem & statura flebili contractione deposita & gradiendi facultas ablata est. Facies vero tanta combustionis est fœditate corrupta & oculorum sedes ita sunt carne & cute superductis complanatæ, vt inspicientibus horribile ingereretur miraculum. Adminiculo igitur parentum Romam perductus corporis quidẽ reliqui resolutis nexibus pristinũ vigorem recepit & statum, in cæcitatis autem squalore permansit. Is à suis reductus cum ad cœnobium B. Galli venisset & quadam Dominica nocturnis laudibus interesset, sopore depressus quasi duas ardentes sagittas ab altari vidit emissas & sibi in oculorum loca defixas, statimq; tanta visione perterritus exclamauit & tremens ad terram concidit. Cumq; diu in pauimento volutaretur, cute quæ oculis supercreuit velut gladii sectione recisa, continuo de luminis amissi restitutione gauisus est. Tempore deinde procedente oculorum eius acies tam pura inspectantib. apparuit, vt pueri perspicaces vincere videretur obtutus. Potuit quidem, vt indubitanter credimus, ille Apostolorũ eximius, à cui Domino ligandi atq; soluendi potestas collata est, meritis & precibus suis omni eum debilitatis genere liberare, sed diuinæ prouidentia virtutis constat actitatum, vt in eiusdem nouitate miraculi venerabilis Gallus Apostolicis actibus æquaretur, quatenus hoc quoq; modo meritorum eius magnitudo clarescceret vniuersis.

CAPVT XXVIII.

Surdus & mutus ibidem sanitati restitutus.

IN sequenti quoq; Dominica surdus quidam & mutus multorum ibi fratrum cognitioni notissimus, vtpote quidem monasterium solitus fuerat frequentare, cum nocturnis interesset excubiis repente impulsu valido in pauimentum deiectus est, statimq; cum ab eius ore & auribus plurimus sanguis prorumperet, sine mora vtriusque membri munia recepit, & sanus abscessit.

CAPVT XXVIIII.

Furtum per visionem indicatum.

VIDETVR huic operi inserendum quantum Dei famulus inuigilet ad eorum res defendendas, cum eius suffragia deuote postulare contendunt. Puer quidam, qui postmodum corpori eiusdem congregationis insertus hæc eadem attestari solebat, cum adhuc primæuæ ætatis flore gaudens inter scholasticos monasterii cuiusdam Dominicæ noctis sollemniis interesset, quidam è vicino territorio mansionem eius irrupit, ipsiusque codicem & quæcunque inibi reperire poterat furatus abscessit. Puer de basilica regressus damnum quod illatum est largo fletu perdoluit. Porro fratri ipsius foras monasterium posito senex quidam eadem nocte vultu placido in somniis assistens cuncta, quæ erga puerulũ acta fuerant, indicauit, nomen etiam furis locumq; vbi commoraretur edixit, tempus pariter eiusdem depromens. Ille fidem visioni accommodans monasterium regressus quod in somniis audierat factum inuenit, moxque indicia, quæ perceperat, secutus absque difficultate furem deprehendit, & omnia quæ ablata fuerunt recepit.

CAPVT XXX.

Qualiter ibi sanctimonialis fœmina brachia receperit.

ALIO quoq; tempore sanctimonialis quædam de Episcopio Constantiensi, cuius brachia ad mamillas cum rigore contorta ad nullius operis vsum deflecti poterant, cum aduenisset & ante sepulchrum S. Galli aliquantisper orasset, sanitatem indepta gaudens abscessit.

CAPVT XXXI.

Furtum in ferramentis factum quomodo sit denudatum.

QVIDAM non simplici, vt postmodum claruit, animo adueniens dum quosdam monasterii operarios à diurno agricolandi labore disiungẽtes ferramenta in aratris per noctẽ dimisisse perspiceret, tempus tenebrosum fraudib. suis oportunum ratus tot ferramenta sustulit, quot oneri sufficere proprio credidit. Cumq; fugam celerans tota nocte vacuo laboraret conatu in ipso lucis exortu ad portam monasterii ex improuiso peruenit, & quia factum latere non potuisse cognouit confessione spontanea patefecit, quod præsumptione pestifera in rebus S. Galli Diabolo suadente commisit. Sicq; reddens quod auferre molitus est, petita venia vacuus repedauit.

Cap. XXXII.

Debilis reformatus.

Debilis quidam ita membris omnibus contractus, ut nullo pacto per se quoquam progredi potuisset, ad memoriam B. Galli à suis perlatus & cottidie juxta sepulchrum in crypta collocatus dum usque ad vesperam ibidem orationibus insisteret, ab eisdem ad hospitium reportabatur. Quod dum aliquod ageretur diebus, presbyter quidam eiusdem congregationis die quadam in ipsa ecclesia nō longe sacris oblationibus operam dedit, subitoque præter illos cum nullus adesset æger cœlitus per merita, ut credimus S. Galli, cuius suffragia sedulo flagitabat, visitatus confusa horribiliter cæpit voce perstrepere, ita ut idem sacerdos inter sacra missarum sollemnia sicut sæpius testari solitus erat non minimo quateretur terrore & metu. Cumque circumspiciens oculis cuncta lustrasset, & per alicuius præsentiam magnitudinem timoris desideraret evincere, membris miseri ad statum suum redeuntibus crepitum quasi virgarum in ariditate fractarum audivit, & huc illucque se præ angustia vertens post paulolum eum qui debilis fuerat sanum de crypta prodire conspexit, cui etiam tanta mox sanitatis accessit perfectio, ut sine infirmitatis obstaculo optato deinceps potiretur incessu.

Caput XXXIII.

Quidam à periculo fastidii liberatus.

In eadem Alamannorum provincia quidam dives tantum valetudine contraria tabefactus est, ut pæne per annum integrum fastidio laborans deficeret, & solatia alimentorum, ut sanitatis recuperatio poscere videbatur, percipere vel continere non potuisset. Is ad cœnobium B. Galli pro hac eadem causa perductus est. Vt diuturnas igitur preces & suspiria cum sacræ oblationis consummeretur officium, benedictionis panem de manu sacerdotis accepit. Quo comesto caruit fastidio, & desiderio victualium congrue percepto benedicens Domino & merita S. Galli miratus sanus cum gaudio ad propria remeavit.

Caput XXXIV.

Alter à ferri vinculis absolutus.

Pauperculus quidam Presbyter propter homicidii reatum circulis ferreis tam in collo quam in utroque constrictus brachio, quum gravibus cottidie suppliciis afficeretur, per sulcos quos ferrum carnibus eus inflixerat videntibus fidem fecit. Qui cum multa sanctorum loca pro eiusdem cruciatus remedio & admissi sceleris abolitione lustrasset, divina tandem miseratione respectus nexus quibus in collo vel uno brachio stringebatur amittere meruit, & cum forte in vicinia cœnobii S. Galli venisset per visionem ei (sicut referre solitus erat) præceptum est, ut sancti Viri patrocinia quærens monasterium adiret, pariterque indicatum, quod ibidem circulum quem uno adhuc ferebat in brachio amissurus & optatæ gratiam sanitatis esset adepturus. At ille desiderio promissæ salutis ardescens, utpote qui tanto tenebatur cruciatu, ut totum iam brachium ferro immerso esset conversum, iter ad monasterium maturavit. Cumque nocturnis ibidem vigiliis interesset, alto sopore depressus senem assistere videt canicie venerandum, casula indutum sibique dicentem: Quid tu ô homo cæteris laudem Domini celebrantibus somni torpore deprimeris? cuius præsentia perterritus cum responsum reddere non auderet, baculo senex quem manu gestabat locum ei vulneris tetigit. Dissiliente itaque longius ferro præ dolore, quem ex attactu persensit, horrendis vocibus astantes perterruit. Quibus percontantibus, qua pro causa psallentes inquietaret, cuncta per ordinem quæ videbat retexuit. Et licet recenti adhuc vulnere non careret, pro amissione tamen ferri, cuius nexibus cruentabatur, quia sanitas in promptu erat, gaudio replebatur ingenti.

Caput XXXV.

Pharus cum lampadibus mirabiliter servata.

Alio quoque tempore frater quidam, qui in eadem Ecclesia custodis fungebatur officio, cum farum, quæ ante altare S. Galli pendebat pro incendendis luminaribus ad inferiora deponere debuisset, incaute funem quo ipsa farus dependebat retraxit, qui statim è manu dilapsus paxillum cui insertus erat de pariete extraxit. Cumque eadem farus sub nimia celeritate solo appropiasset, repente substitit, & absque ullo humanæ retinaculo artis in aera suspensa remansit. Custos igitur miraculi stupore perculsus allato igni lampades omnes accendit, & plurimis hoc factum cernentibus absque pinguedinis effusione seu diminutione lucernarum altius ipsam farum quam pendere solebat retraxit. Deo itaque laudes à cunctis, gratiæ referuntur ab omnibus, qui ad declaranda patris eximii merita stupendi novitate miraculi lumen sanctis aptatum usibus vel ad horam loco venerabili deesse non passus est.

CAPUT XXXVI.

Lucernæ casu non læsæ.

IDEM frater dum alio tempore lucernas vitreas in eadem lavaret Ecclesia, alius quidam ibi incaute deambulans cum se alio repente vertisset, quasdam iuxta positas veste attactas pavimento deiecit, ita ut violento eiusdem eiectionis impulsu usque in ecclesiæ cancellos ferrentur; sed miro divinæ operationis modo absque læsione repertæ suis continuo non sine admiratione restitutæ sunt locis.

CAPUT XXXVII.

Qua medela medico periclitanti subventum sit.

FRater quidam eiusdem congregationis medicinali scientia non ignobiliter instructus, dum quodam tempore incidi flebotomo venam fecisset, & præpropera festinatione post modicum quippiam operis incaute faceret, statim non solum brachium, cuius venam incisio vulneraverat, verum etiam totum corpus eius distensum est tumore. Qua ex causa accidit, ut mortem suspectam habere cœpisset, quippe quia viderat suæ sibi artis industriam studiosius adhibitam nihil prodesse. Sequenti itaque nocte vidit in somnio placidæ gravitatis senem sibimet assistere, causas infirmitatis blandis inquirentem sermonibus. Cumque interroganti totius ex ordine rei replicaret eventum senex dixit ad eum, memento fili, ut luce terris reddita oleo, quod in crypta ante altare consuevit ardere, vulneris locum perungas: nam continuo sanitatem recipies. Itaque facto mane quod in somnio audierat, custodi ecclesiæ retulit, pariterque cum illo basilicam ingressus, ut edoctus fuerat certus de promissione peregit: nec mora, sacro perunctus liquore toto corpore detumuit & integerrimam assecutus est sanitatem.

CAPUT XXXVIII.

Puella à nativitate cæca illuminata.

MVLIER quædam unicam filiam ab ipsa, ut ipsa referebat, cæcam nativitate propriis humeris monasterio advexit, eamque ante altare S. Galli deponens solo prostrata pro illa diutius incubuit. Illaque orante devotius subito puellula huc illucque in pavimento volutata miserabiliter exclamat, & inter angustias ac gemitus optato visu donata gratissimum omnibus, qui aderant, præbet signi perspicuitate spectaculum.

CAPUT XXXIX.

Infirmus puluere sarcofagi & oleo recreatus.

IN eodem monasterio inter scholasticos tunc temporis erat quidam puerulus, pauperculis licet parentibus oriundus, studio tamen discendi satis intentus. Cumque immatura morte utriusq; parentis solatio nudaretur, quamvis cottidianum victum suis laboribus assidue quæritaret, nequaquam tamen boni studii etiam necessitate compellente instantiam dereliquit. Is lateris quodam dolore percussus usque adeo gravi per longa temporum spacia infirmitate contabuit, ut in uno latere ab humero videlicet usque ad extremam corporis partem ulcera saniem emittentia paterent quam plurima. Qua infirmitate in tantum gravatus est, ut iam vix sine aliorum adminiculo quoquam gressum movere potuisset. Sed cum corporale medicamentum quamvis sæpissime adhibitum nihil illi prodesset, & iam iamque desperaretur à cunctis, custos ecclesiæ in festivitate B. Galli cineres de sarcofago illius collegit, & oleum quod ante ipsum altare ardebat admiscuit, adductique corpus pueri ea parte perunxit, quam dolor possederat. Qui die altera ulceribus iam superductis sanus inventus ob memoriam redditæ sanitatis reliquum vitæ tempus in eiusdem sancti loci excubiis fideli devotione transegit.

CAPUT XL.

Manus arida puellæ restituta.

POST aliquantum temporis puella quædam iam multos per annos manus aridæ & curvatæ pondus ferens inutile, ad monasterium cum matre pervenit. Cumque pro voto manui torpenti globulum lini superponens ad altare sancti Confessoris accederet & impositura quod attulit continuo manus ipsa restituta est sanitati.

Caput XLI.

Cera, quam rusticus ab Ecclesia rapuit, in lapidem conversa.

Tempore vero alio rusticus quidam in eadem beati Patris basilicæ ceræ particulam suis aptandam usibus ab altari occulte diripuit. Inde regressus ad hospitium cum de sinu ceram ad quodlibet opus ex ea faciendum protraheret, in duritiam lapidis conversam invenit, continuoque recurrens ad ecclesiam loco suo quod abstulerat restituit, & astantibus suam salubriter confessus protervíam quod factum fuerat indicavit. Qui rei novitate stupefacti dum inter admirationem eandem particulam certius rem cognituri tollerent ab altari, mirum dictu in pristinam suæ naturæ mollitiem repererе mutatam.

Caput LXII.

Mutus vocis officio muneratus.

Juvenis quidam pauperibus orationis causa monasterium adiens fratrem suum iam dudum amissæ vocis dispendia deplorantem secum adduxit. Cumque altari Sanct. Galli appropinquasset, Presbyterum quendam inibi sacrosancta tractantem mysteria conspexit, & consummationem sacræ actionis opperiens eiusdem sacerdotis ab officio redeuntis genibus advolvitur, ut pro misero dignaretur aliquas fundere preces ad Dominum instanter exorat. Et ille huiusmodi desiderio satisfaciens primo orationem pro misero fecit: deinde crucis eum munivit signaculo, ac sic Dominici corporis & sanguinis sacramento firmavit. Quo facto resolutis linguæ vinculis, qui mutus advenerat, pristinæ locutionis recepit officia.

Caput XLIII.

Puer contractus à debilitate liberatus.

Puerum quendam membris omnibus ita contractum, ut per se nullatenus quoquam progredi potuisset, non longe in itinere quod monasterium ducit, hi, qui eum ferre solebant, solum dimiserunt. Armamentarius autem quidam per eandem viam de silva monasterium tendens dum iacentem miserum conspexisset, ait ad eum, quomodo & unde ô flebilis advenisti, quove securitatis genere in hoc solitudinis horrore non timuisti remanere? quo itaque venire desiderasti? Et ille; pro his, inquit, calamitatibus, quarum me numerositate septum vides, ad B. Galli patrocinia multo iam ex tempore pervenire cupiveram. Sed ecce hi, quorum me labore illuc deferri sperabam, modo viæ longitudine fatigati me miserum in hac solitudine reliquerunt fama cruciandum & bestiis laceràdum. His ille quæstibus per compassionem ad misericordiam flexus puerum humeris impositum per unum miliarium ad monasterium portat. Quem deinde frater, cui suscipiendorum pauperum cura commissa est, assumens congrua mansione refovit. Nocte itaque quadam circa nocturnas vigilias cæteris, qui similiter suscepti fuerant, ad ecclesiam festinantibus, cœpit idem puer omnes attentius exorare ut ad basilicam deferretur. Cunctisque id quod petebat denegantibus, cœpit crebris B. Galli nomen invocare clamoribus, deinde etiam horribilius perstrepere ita ut non parvum audientibus terrorem ingereret. Itaque quibusdam ut causas angustiarum eius agnoscerent introeuntibus sanus inventus est, & cum gratiarum actione ad Ecclesiam properat.

Caput XLIV.

Paralytica sanitati restituta.

Puellam paralysi multo tempore laborantem sui ad monasterium detulerunt. Quæ ad ecclesiam deportata ad lectionem Evangelii, quæ in nocturnis secundum consuetudinẽ regularis officii recitatur excubiis, circumstantes, ut se terra sustollerent & inter manus sustentarent cœpit rogare. Cumque sublevata fuisset, dimitti se postulavit: illis autem id facere metuentibus ne forte casu subito lęderetur, valere se confidentius affirmavit. Igitur dimissa per se stetit ac deinceps totius corporis resumpto vigore sana recessit.

Caput XLV.

Cæca illuminata.

Cujusdam patrisfamilias non longe à monasterio commanentis ancilla dum fortuito domus ianuas aperiret, turbo venti pulverem & paleas in faciem eius & oculos proiecit, statimque crescente molestia paulatim ei visus decrevit, donec horrendis penitus tenebris cingeretur. Hæc ad Ecclesiam B. Galli perducta cum eius suffragia primo ingressu devotissime precaretur, recepto quod amiserat lumine gaudens abscessit.

CAP. XLVI.

Candela cœlitus incensa.

NON multo interiecto tempore, dum festivitas octavarum Epiphaniæ annuo celebraretur officio, cunctis tempore sacrificii ad Ecclesiam convenientibus, luminaria & candelæ incendebantur ex more. Vna autem candela sine lumine inter cæteras ardentes dimissa inter sacra missæ sollemnia principalis primo cœpit paulatim fumo tenui vaporare, deinde videntibus non paucis flammam concipiens & cœteris clarius rutilans signi effectum splendoris singularitate commendavit.

CAPVT XLVII.

Scotus à multiplici debilitate curatus.

NVPER quoque de natione Scotorum, quibus consuetudo peregrinandi iam pæne in naturam conversa est, quidam advenientes unum è suis conviatoribus multiplici peste possessum in eodem monasterio dimiserunt. Qui cum aliquantis ibidem moraretur diebus, & cottidie infirmitatis suæ remedium plena fide deposceret, nocte quadam senem sibi per somnum vidit assistere gestu & habitu venerandum, quem quis esset interrogâs, B. Gallum fuisse perdidicit, & protinus ad illum; Cernis, inquit, ô Domine toto me corpore dissolutum meritorum tuorum cottidie evidentiam præstolari. Noli ergo, quod te aliquando credo facturum, differre diutius. Ad hoc enim huc usque me reservatum esse, cognosco, ut sicut his barbaris virtus tua latissime claret, ita etiam gentis tuæ hominibus meritorum tuorum fulgor innotescat & claritas. Scis ipse, scis inquam, à natali solo quam longe sim disiunctus, quantaque inter peregrinationis angustias corporis debilitate compressus: succurre citius, opitulare quantocius. Qua ille motus querimonia vultu placido paucis ita respondit; Die mortalibus reddita Ecclesiam petito, & videbis divino te melis sublevari consilio, quam patriæ vel parentum solatio. Mane facto summo animi gestientis ardore basilicam properat, & iuxta tumulum B. Galli promissionis memor precibus insistit. Post orationem & lacrimas angulo sarcofagi adnixus cœpit se sensim erigere, nec prius lecti angulum cui innitebatur deseruit, quam statura erecta & accepto robore per se ire & redire potuisset. Qui tempore præcedenti plena sanitate donatus in eodem monasterio precibus & sanctæ vitæ deserviens hactenus conversatur.

CAPUT XLVIII.

HÆc de copiosissima segete B. Galli virtutum memoriæ horreis grana libuit commendare, & nostris & aliorum pastibus profutura: poterunt enim hæc plurimam diligentibus iusticiam ædificationis conferre, quia & morum honestatem insinuant & ad laudem Domini qui ita sanctos suos glorificat devoti lectoris animum vel auditoris inflammant. Cæterum tot & tanta sunt eiusdem sancti Patris miracula, ut nec à studiosis Scriptoribus propter copiam sui possint comprehendi, nec à fastidiosis lectoribus sine tædio & rugata fronte percurri. Ea vero huic operi tantum inserta sunt, quæ & veracium relatione testium veritatem custodiant, & moderata brevitate nullius quamvis etiam utilia nausiantis mentem offendant.

ORATIO WALAFRIDI.

OBsecramus itaque te, B. Galle, Christi Confessor, ut sicut sanitatem corporum meritis tuis multis te contulisse retulimus, ita nostris mentibus divinæ miserationis medelam implorare digneris. Amen.

Expliciunt vita & miracula Sanct. Galli: Incipit vita S. Othmari Abbatis.

WALA-

WALAFRIDI STRABI ABBATIS AVGIENSIS

LIBER

DE VITA S. OTHMARI ABBATIS

PROLOGVS.

FINITIS duobus libellis, quos de vita & virtutibus B. Galli Confessoris iuxta fidem, quæ vel scripto vel dicto ad nos usque pervenerat, vere potius quam lepide composuimus iubentibus vobis, Fratres sanctissimi, qui in cœnobio eiusdem sancti Patris constituti fervorem eius, quem in Dei rebus habuit, sancti strenuitate propositi specimem exhibetis, libet subnectere eam relationem, quæ de sancti Patris Othmari studiis & virtutibus per eum ostensis vestra assertione & cura litteris est mandata veracibus. Quæ cum sit veritate plena ratione perspicua non ob aliud à nobis est iterata, nisi quia carissimus frater Gotzpertus, cuius caritati quicquam negare nec volumus nec debemus, id, ut fieret, postulavit, immo præcepit: quem etiam in hac occupatione instantissimum ergodioctem (*id est coöperatorem*) sine tædio læti sustinuimus. Itaque lectori credulo sufficiat hæc abbreviatio nostra: incredulus autem qui fuerit, ad eam conscriptionem, quam sequimur, recurrens multiplici astipulatione testium conventus ad fidem, si gratus est, segnis non erit. *Inclusa ex margine irrepserunt.*

EXPLICIT PRAEFATIO, INCIPIT VITA.

CAPUT I.

Quomodo vir Dei Othmarus pro sanctitate vitæ cellulæ S. Galli sit prælatus, & regia auctoritate regularem inibi vitam instituerit.

IGitur Othmarus genere Alamanorum oriundus in ætate puerili à fratre suo Retiam Curiensem perductus est, & in servitio Victoris earundem partium comitis multo tempore cõstitutus, & litterarum scientia sublimatus, virtutum sectator morumque laudabilium possessor sacerdotii gradum conscendit, & à supradicto Comite benigne retentus cuidam ecclesiæ titulo S. Florini Confessoris prælatus est. Cumque morum eius probitas & sanctæ vitæ mundicia plurimorum aures rumore dulci respergeret, Waltrammus quidam, qui sibi vastitatem heremi, in qua S. Gallus cellulam construxerat, velut à parentibus hæreditario iure transmissã vendicavit, eundem Othmarum à Victore supradicto ad præficiendum eidem cellulæ impetravit, & voti compos effectus cellulam cum omnibus, quæ ad eam pertinebant, illi solemniter commendavit, atq; ut sui melius desiderii convalesceret utilitas, ad Pipinum Regem profectus eundem Abbatem ipsi præsentavit, & locum, cui pridem præfecerat, proprietatis iure Principi contradidit, omni instantia deposcens in regia auctoritate ex integro Othmarus Abba eidem præficeretur loco. Cuius petitioni iam dictus Princeps assensum præbens locũ sibi traditum viro venerabili commendavit, & regularem inibi vitam instituere iussit. At ille regressus confestim boni mandritæ studium in ipso executus, initio undique versum congrua Monachis habitacula construxit, & ipsius sacri loci statum ad utilitatem divini servitii studiosissime reformavit. Religiosos etiam quosque ita libertate sua ad devotionis studium invitavit, ut ex quorundam donationibus possessiones ipsius cœnobii admodum dilataret, & infra paucos annos quam plures ad sacræ militiam vitæ fratres attractos magisterio suo & cura decentissimæ gubernaret.

CAPVT II.

Qua conversationis sanctæ perfectione nituerit.

HIs prælibatis, vitæ eius sanctitatem liceat summatim perstringere, vt liquido cunctis clareat, quibus profectuum gradibus ad hanc gloriam sit euectus. Erat deniq; parsimoniæ sectator eximius, creberrimo macerans ieiunio corpus, ita ut in præcipuis ieiuniorum diebus & consuetudine bidui abstinentiam continuaret frequentius, & his contra temptamentorum iacula clypeis præmunitus vigilias amabat, & assiduitate orandi spiritalia nequitiæ repellebat. Summæ autem humilitatis gratia præcipue præditus in tantum voluntariam paupertatem diligebat, ut terrenam gloriam omnib. fugeret modis. Cui etiam hæc erat consuetudo, ut si quoquam pro utilitate monasterii eum tendere necessitas popolcisset, vilis miti dorso veheretur aselli. Erat inter cætera tanta in eo pauperum sollicitudo, ut eorum curã per se potius quã per alios exhibere studeret. In eo vero misericordiæ opere, quod elemosyna dici-

dicitur, vix cuiquam habebatur secundus. Nam ad suscipiendos leprosos, qui cæteris hominibus seiunctim manere semotim consuerunt, hospitiolum haud longe à monasterio extra eas mansiones, quibus cæteri pauperes recipiebantur, constituit, & eis curam per se omnimodis impendebat ita sollicite, ut nocturnis etiam horis monasterio sæpe digressus curam infirmitati eorum miro devotionis adhiberet obsequio. Capita siquidem eorum pedesque abluens, purulenta suis manibus vulnera detergebat, & victui necessaria ministrabat, illam semper animo revolvens sententiam, quam iustus iudex misericordibus prolaturus est dicens: *Quod uni de his minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis.* Sicque factum est, ut cunctorum, qui eum noverant, veneratione sublimis, pater pauperum appellaretur à plurimis. Quem tam pleniter misericordiæ studium possederat, ut, si quem pauperum nuditatis iniuria torpentem conspiceret, plerunque suis exutus vestibus miseri contegeret artus, ita ut interdum sine tunica sola cappa contectus ad monasterium remearet. Maluit enim per præsentis pompæ contemptum ad indumentum incorruptionis æternæ pertingere, quam per boni operis omissionem futuræ nuditatis opprobria sustinere.

CAPUT III.

Quantam in pauperes misericordiam habuerit.

QVodam etiam tempore ad Pipinum Regem veniens honorifice susceptus est, & inter alia largitatis eius beneficia ad necessitates fratrum suorum, sublevandas argenti libras septuaginta percepit. Sed mox, ut ad sua rediret egressus, maximam eiusdem pecuniæ partem pro foribus, qui secum erant, compulsus retinuit. Quibus postmodum quoddam territorium monasterio vicinum coemit. Dominicorum enim non immemor mandatorum sui causa de crastino non cogitabat, sciens Monachum victu & tegumento contentum esse debere. Et ideo paupertatem sibi potius suisque delegit, quam rerum transeuntium possessionem superfluam expeditis mentibus onerosam.

CAPUT IV.

Qualiter à quibusdam iniquis pro zelo iustitiæ, quo fervebat, multis affectus sit iniuriis.

IGitur cum iam Dominus meritis eius digna rependere decrevisset, callidus universæ bonitatis inimicus bonis eius actibus invidens, eiusque exemplis aliorum vitam dolens proficere, quietem, quam in Christi servitio, licet non parum laborando possedit, perturbare contendit. Sed quamvis flatibus temporariæ adversitatis pulsata radicem petræ veritatis habens infixam Paradisi cedrus inconvulsa permansit. Nam Warinus & Ruodhardus, qui tunc temporis totius Alamanniæ curam administrabant, Diabolo suadente immanissimo avaritiæ morbo præventi res ecclesiarum sub sua potestate sitarum magna ex parte in proprietatis suæ dominium per vim contraxerunt. Qui cum sibi de possessionibus B. Galli perplura eodem violentiæ ausu vendicassent, vir Dei Othmarus non possessionibus terrenis inhians, sed cœnobialis vitæ defectum præmetuens, Pipinum Regem adiit, ipsique tyrannicam eorum præsumptionem exposuit, pariter protestatus, grave eum crimen incursurum, si eorum actibus consentiendo faveret. Qua pro causa benivolus Princeps utrumque conveniens interminatus est eis gratia sua illos omnimodis carituros, si non ecclesiis Dei, quæ iniuste abstraxerunt, absque recrastinatione restituerent. At illi patriam repetentes vicio rapacitatis infecti, & bestiali sævitia efferati iussionem regiam neglexerunt. Virum etiam Dei Othmarum, cum pro hac re iterum Principem adire vellet, missis clanculum post eum militibus vinculis iniectum per vim reduci fecerunt, nec non & Lampertum quendam, qui fratribus eius professione conumeratus erat non vitæ sanctitate, persuaserant, ut ei facta quadam machinatione luxuriæ crimen impingeret, id elaborantes, ut sanctitate eius huiusmodi suspicionibus infamata deponendi eum occasionem invenirent. Qua causa plurimi tam dolosæ factionis ignari ad concilium evocantur.

CAPUT V.

Quam in obiectione ficta criminis modestiam tenuerit, & qua accusator eius pœna multatus sit.

ITaque vir venerabilis castitate, integer vitæ, ac morum maturitate grandævus in medio cœnobii collocatur, & in eius accusationem Lambertus falsitatis minister coram omnibus præsentatur, acceptaque loquendi licentia veritatis oblitus falsitatis assertor dixit, se quandam fœminam nosse, quæ à viro beato vim pollutionis fuisset perpessa. Ad quod fertur nullum penitus dedisse responsum: cumque à plurimis respondere cogeretur obiectis huiusmodi, dicto temperavit eloquium: Fateor, inquiens, me supra modum in multis peccasse, de huius

autem

autem obiectione criminis secreti mei inspectorem Deum invoco testem. Illis autem, ut huius facti se excusatione purgaret, attentius ei insistentibus, mente securus, conscientia liber, tacitus perduravit: & quia accusandi licentiam apud Iudices patere cognovit, maluit pro sinceritate sui pectoris divino, quam humano pro excusatione criminis placere iudicio. Mox ergo, ut cunctis clarescerct, ipsius castimoniam falso fuisse infirmatam, Lampertum ultio divina corruit. Nam febrium vexatione persuasus paulatim resoluto membrorum vigore contrahi cœpit, sicque omnibus membris status sui annitentibus rectitudinem vel formam capite ad terram more quadrupedum inclinato, non solum deformitate figuræ terribilis, verum etiam viva voce in sanctum Dei peccasse omni tempore fatebatur.

CAP. VI.

Quomodo inter arta custodiæ claustra vitam finierit.

CONcilio autem inique inchoato iniquius terminato vir Dei Othmar, apud villam Potamum palatio inclusus est. Quo cum nullus intrare vel colloqui cum eo permitteretur, aliquot dies absque corporalis sustentaculo victus transegit. Cumque diuturna vexatione famis laboraret, Perathgotzus quidam è fratribus eius noctu advenire solebat, & ei victus solatia ministrabat. Postmodum vero Gotzbertus quidam vir potens, dum sibi virum Dei commendari ab iniquis Principibus impetrasset, in quadam Rheni fluminis in ula nomine Stain iuxta prædium suum custodiæ illum deputavit. Vbi idem sanctus pater spiritali tantummodo exercitio, id est orationibus ac ieiuniis, vacans eo liberius Domino deservivit, quo ab humana frequentatione curisque secularibus fuerat absolutus. His & similibus notæ devotionis insistens operibus, exacto non multi temporis spacio, ab his mundanæ perturbationis angustiis ad cœlestis latitudinem gaudii XVI. Kalendarum Decembrium die commigravit, & corpus eius in eadem insula tumulatum multis deinceps diebus ibidem sine corruptione permansit.

CAPUT VII

Qualiter post multum temporis corpus eius sine corruptione repertum sit.

EVolutis autem post transitum eius decem annis, fratres illius per versionem à Domino commoniti sunt, ut corpus cari patris ad monasterium reducerent. Hoc patefacto, divinę voluntatis consilio undecim ex eisdem fratribus noctu ad locum, in quo sancti viri exuviæ servabantur, deveniunt, & sepulchrum aperientes corpus eius ab omni corruptione illæsum reperiunt, excepto quod pars extrema pedis unius, quem aqua alluebat, tantum colore mutato, quasi tabida videbatur. Et congruo satis miraculo prima sanctitatis eius indicia claruerunt, ut videlicet tam illæsum à corruptione corpus eius inveniretur, quam liber ipse fuerat à crimine, cuius oppositione superatus videbatur ad tempus. Hac itaque devoti fratres rerum novitate perfectius instructi corpus honorifice sumptum rati imposuerunt, & accendentes candelas unam ad caput, alterum collocaverunt ad pedes.

CAPUT VIII.

Quam mirabiliter in translatione corporis eius tempestas sedata sit.

CVmque deserto littore incertis se profundius commisissent, & summa instantia remigio insistentes sub omni celeritate cuperent remeare, continuo tanta vis pluviæ ventorumque prorupit, ut vix effugium se crederent habituros. Sed mira omnipotentis Dei dispensatione, &, ut credimus, sancti viri meritis actum est, ut ipsa etiam elementa, quæ nobis insensibilia videntur, famulantia sui creatoris imperio, quanti viri reliquiæ ibidem veherentur, sentirent. Nam pelagus circumquaque imbrifera tempestate commotum undasque in altum suspendens nil omnino remigantibus molestiæ intulit, sed in quamcunque partem navis devenit, reiectis flatibus tumentes in se fluctus depressit, & ita omni ex parte undarum molibus, imbrium effusionibus, ventorumque flatibus non parvo dimotis spacio quasi sæpe quædam scafa cingebatur, ut ne una quidem pluviæ gutta, quę hinc inde vehementer inúdabat, in illam descenderet. Cerei quoque, qui in beati patris obsequium ardentes ad caput pedesque fuerant collocati, lumen primæ accensionis nequaquam amiserunt, quo ad usque corpus eius ad monasterium deferretur.

CAPUT IX.

De abundantia potus cœlitus subministrati, & ubi corpus eius post translationem sit tumulatum.

ALIVD adhuc restat miraculum, quod in eadem sacri corporis translatione devotis fratribus Dominus patefecit. Nam cum ex nimia remigandi instantia fessi adveniente

refectionis hora ad recuperandas alimento corporeo vires laudibus Domini præmissis consedissent, tandemque felici convivio intermisceri potus solatia commonerent, unus ministrorum intulit, nil ibi iam potuum superesse, præter quod in flascone parvo servabatur, unde vix unicuique quippiam ad gustandum potius quam ad bibendum præberi potuisset. Illi vero miraculorum Domini, quomodo paucis panibus multitudines hominum paverit numerosas, facientes mentionem ex eodem parvo, quod habebant, cunctis, qui aderant, cum caritate distribui fecerunt, & mirum in modum cœpit in eodem vasculo ita liquoris haustus crescere, ut continua effusione nihil minui videretur, quoad usque bibentes poculorum copia vincerentur. Ergo pro rei novitate obstupefacti largitori omnium bonorum Domino, qui eis tam mirabiliter sufficientiam præbuit, debitas gratiarum actiones cum laudibus persolverunt: statimque ut iter cœptum itidem aggressi sunt, in vasculo potus cessavit. Cumque optati littoris portum subissent, fratribus, qui obviam cum Dei laudibus venerunt, quæ gesta fuerant ex ordine retexuerunt, celebratoque in commune gaudio sancti viri corpus sumptum cum honore ad monasterium transtulerunt, & inter aram S. Iohannis Baptistæ & parietem in sarcofago posuerunt, ubi etiam postmodum ipsius facientibus meritis memoria digna Dominus dignatus est manifestare miracula.

CAPUT X.

Mutus & surdus ad sepulcrum eius curatus.

DEnique quodam tempore surdus & mutus cum quibusdam de vicinis locis orationis causa monasterium adeuntibus advenit, & quia à primæva ætate & locutionis & auditus carebat officiis, tabulas duas collo dependentes gestabat, quarum collisione & sonitu misericordiæ opus, quod voce nequibat, precabatur. Is cum suis conviatoribus ecclesiam ingressus, dum eos singulis altaribus particulas ceræ, sicuti pauperum est consuetudo, imponere conspiceret, ad viri Dei sepulchrum accedens tabulas, quas gestabat, desuper posuit, seseque quasi oraturus ante illud prostravit, & protinus alto sopore depressus, ut ipse postmodum retulit, senem quendam facie nitidum monachico habitu gloriosum quasi è tumulo vidit procedere dicentem sibi: O homo, cur hic sopore deprimeris: Cumque ad interrogata nihil penitus respondere potuisset, senior ad eum dixit: surge & incommodorum, quibus hactenus laborasti, remedium à me tibi impetratum scito: ergo tabulis istic dimissis confestimque monasterio discedens donum à Deo tibi concessum in hoc loco nemini pandas. Qui cum evigilans surrexisset sub magna festinatione monasterio digressus inclinato iam die vesperi ad cuiusdam Ratcozi potentis viri hospitium divertit, cumque ab illo interrogaretur, unde veniret, per ordinem exposuit, ubi, quando & quomodo sanitatis donum fuisset adeptus. At ille narrationi eius non credens teneri eum & custodiri præcepit, ipseque veritatem rei certius inquisiturus eadem nocte ad monasterium venit, & tabulas super tumulum positas reperit, conviatores quoque sanati cum invenisset adhuc eiusdem facti penitus ignaros, diligentius ab illis inquisivit, si talem hominem monasterium pergentes in comitatu habuissent, & continuo ex eorum narratione vera esse, quæ domi audierat, deprehendit, quæ res & præsentibus citius innotuit, & ad nos usque veridica relatione pervenit.

CAPUT XI.

Quomodo lux in eodem loco cœlitus data apparuerit.

PRæsbyter quidam ex ipsa congregatione nomine Tanco, dum in eadem ecclesia custodis officium gereret, nocturnæ quietis tempore præficiendis luminaribus basilicam solitus introire tribus vicibus pene omnia reperit extincta. Ad sancti autem viri sepulchrum perveniens ardentem cereum iuxta illud invenit, sciensque luminis illius cœlitus administrari splendorem, extinguere non præsumpsit. Vt vero discessit, lux, quæ per se venerat, per se etiam subtracta est. Vbi & ad maioris indicium miraculi ignis quidem in candela solito rutilabat, ceræ vero nihil per hunc ardorem minui videbatur. Hæc idem venerabilis Presbyter sæpius sua relatione confirmans omne dubitationis argumentum ab hoc facto veritatis ratione depellit.

CAPUT XII.

Quidam ibidem casu desperatus quam facile convaluerit.

QVodam etiam tempore, dum eiusdem ecclesiæ tecta vetustate dilapsa necessario restaurarentur, quidam ex ipsius monasterii familia tegularum, quas ad fastigia basilicæ deferre debuerat, onere prægravatus de ipsa tecti altitudine super viri Dei corruit sepulchrum, moxque immensum aliud lignorum pondus corruentis impulsum attactu in ipso eum casus exitio desuper operuit. Cumque astantes concurrerent, ut ei, quem iam exanimem crediderunt, funeris debita persolverent, sublato lignorum pondere, aliquantisper nul-

los membrorum motus ostendens iacuit, ac deinde per multa suspiria halitum resumens absque ulla læsione surrexit incolumis, & ad incepti operis laborem rediit gaudens. In hoc ergo miraculo haud dubie sancti patris merita claruerunt, cum & altitudo tecti, unde supradictus homo ceciderat, non minus quadraginta pedum mensura à terra esset suspensa, & pondus insequens corruentem, quod ad multorum hominum oppressionem sufficeret, operire præcipitem non conterere potuisset.

Cap. XIII.

Contractus sanitati restitutus.

ALIO tempore cæcus quidam adveniens hospitio pauperum necessitatibus præparato susceptus est, & nocte eadem cum ecclesiam vellet adire puerulus, qui ei ducatum præbere debuerat ob nimiam frigoris asperitatem officii sui negavit illi iuuamen. Cumque nimis doleret, qui tantæ sollemnitati interesse non mereretur (erant quippe Dominicæ diei vigiliæ) adolescens quidam ita membris omnibus contractus, ut non aliter quoquam procedere quam manibus reptando potuisset, cum in eodem loco quiesceret eius dolori compassus de lecto se protraxit & quasi potuit solatio cæci vestigia texit. Vt ergo ecclesiam intraverunt, utili errore ad Sanct. Othmari sepulchrum venere. Putabat etenim idem benivolus cæci præcursor in ipso angulo aliquod ostium patere, per quod cryptam eidem loco vicinam intrare potuissent. Itaque ex improviso in sarcofagum viri Dei, quia paulo altius eminebat à terra, impingens, subito resiliit & ad terram protinus concidit, totiusque ecclesiæ spacia horrendis implevit clamoribus. Cæcus vero hæc audiens ductorem suum insania æstimans agitari prout potuit aufugere studuit. Misericors autem Dominus totius boni auctor & amator, quia viderat debilem puerum ultra vires opus pietas exhibere voluisse, B. Othmari etiam meritis id obtinentibus, benivolentiam eius dono sanitatis remunerare dignatus est. Nam protinus membris in statum suum restitutis cæcum, quem paulo ante manibus reptans ad ecclesiam traxit, firmatis iam gressibus per cætera in eodem ambitu orationis loca deduxit. Et quia aliquandiu in ipso monasterio postea mansit, ita omnibus etiam qui huic facto minus interfuerant ad ipsam declaravit, ut de eo nulli deinceps licuerit dubitare.

Caput XIV.

Cera in lapidem conversa.

QVidam è numero scholasticorum ab eodem B. Othmari tumulo particulam ceræ furto subtraxit. Regressus autem ad hospitium cum parvi penderet quod commisit, statim manifesta Dei correptione stultitiæ suæ errorem confusus agnovit. Nam cum eandem particulam de sinu proferret, in lapidis eam duritiem reperit commutatam, cumque temeritati obstinationem iunxisset, multo tempore hoc factum à cunctorum agnitione abscondit, præter eum videlicet qui & earundem rerum tunc erat conscius, & in hoc tempore miraculi quod retulimus relator extat fidissimus.

Caput XV.

Clerico cuidam manu restituta.

ALIO quoque tempore clericus quidam advenit, cui utriusque manus officium miserabili prorsus modo fuerat denegatum. Nam contortis in volam digitis unguibusque ad ossa usque palmarum immersis, nimiis sine intermissione cruciabatur miser doloribus, adeo ut etiam quædam partes manuum putrefactæ gravem longius fœtorem emitterent. Is cum non longe à beati viri tumulo consisteret, subito cœperunt digiti eius singillatim ex ordine erigi & ad naturalium concordiam actionum redire. Ipse vero, qui pro concesso sanitatis dono gaudere debuerat, doloris magnitudinem clamore horribili testabatur, & eadem hora manibus ad integrum restitutis postmodum sanus abscessit.

Caput XVI.

Quomodo idem sepulchrum in destructione basilicæ illæsum permanserit, & qualiter reliquiæ viri sancti translatæ sint.

QVID nuper quoque circa eiusdem viri sancti sepulchrum gestum sit, quando ecclesia B. Galli reædificandi causa destruebatur, arbitramur non esse silentio reprimendum. In eadem basilica iuxta aram B. Iohannis Baptistæ arca quædam parieti contigua non magnis lapidibus operæ cæmenticio in quatuor lateribus constructa, superius autem tabulis, quarum grossitudo trium vel quatuor erat digitorum in transversum, positis cæmentoque desuper litis cooperta visebatur. In qua sæpe dicti viri corpusculum paulo altius à pavimento sublevatum tabula lignea tantum superposita iacebat. Æstimantes

tes igitur corpus sancti patris sub terra positum, arcæ vero constructionem ad designandum tantummodo sepulturæ locum commendatam, & ideo tumulum remanere intactum posse credentes, muros ecclesiæ machinis aggressi crebris arietum ictibus ruere compulerunt. Qui cum omni ex parte magnæ altitudinis essent, magnique machinarum impulsibus pariter pæne corruentes sepulchro viri Dei superferrentur, mirum in modum nullam arcæ particulam læserunt, quæ evectis cineribus sic intacta ex omni parte reperta est, ac si nullo cadentium impetu parietum impetita fuisset. Postea verò dum quidam saxum haud grande super eam incaute iecisset, protinus quadam ex parte confracta est. Tandem itaque cognito quod in ea reliquiæ sancti patris haberentur, cum magno eas honore inde transtulerunt, & in ecclesia S. Petri post altarium posuerunt.

CAPUT XVIII.

Quæ ostensio in eodem oratorio cuidam fratri manifestata sit

PAucis deinde diebus exactis, quidam frater, dum nocturnas vigilias præveniens idem oratorium orandi gratia quadam nocte fuisset ingressus, totoque affectu precibus insistens ad altare direxisset intuitum, nescio quam à dextris altaris in Angelicæ claritatis nitore vidit stare personam sacerdotali quidam habitu præfulgentem, facie autem ad orientem versa gestu corporis intentissimæ orationis specimen exhibentem, vestimenta vero ipsa tanti fuisse nitoris asseruit, ut humanæ infirmitatis reverberarent obtutus. Cumque hæc diu conspiceret, & utrum propius deberet accedere anxia mentis hæsitatione trutinaret, persona quæ apparuerat se subtrahens cum miraculo & stupore consternatum reliquit. Non est igitur incredibile, eundem venerabilem virum visione præsentiæ suæ declarare voluisse, digne circa translationem suam fraternæ devotionis iteratam fuisse sollertiam.

EXPLICIT DE VITA ET VIRTUTIBUS S. OTHMARI: Incipit de miraculis eiusdem.

ISONIS MAGISTRI COENOBITÆ S. GALLI

DE MIRACULIS S. OTHMARI ABBATIS

LIBER I.

PRÆFATIO.

HUCUSQUE virtutes & miracula ob sanctitatem B. Othmari cœlitus declarata Walafridus Abba vir doctus & sapiens, qui in litterarum scientia apud nostrates illustris ante alios habebatur, seniorum in cœnobio Sanct. Galli conversantium relationibus, seu etiam scriptis veritatis ratione plenissimis fidem accommodans luculento satis sermone & veraci assertione conscripsit. Sed quia nos fratres in eodem cœnobio Deo militantes post harum descriptionem virtutum multa miraculorum insignia circa corpus eiusdem viri divinitus manifestata esse cognovimus, aliqua ex eis ad laudem & gloriam omnipotentis Dei stili officio commendare memoriæ curavimus, quatenus hinc liquido ab omnibus sanum sapientibus colligatur, quam digne ab hominibus honorificetur in terris, qui tam manifesta signorum attestatione cottidie glorificatur è cœlis. Non tamen amore eius ducti aliqua in dubium venientia vel etiam falsitati obnoxia, sed ea tantum litteris titulare disposuimus, quæ & luce clarius constat actitata, & multorum narrationibus noscuntur esse probata.

CAPUT I.

Quibus miraculis B. Othmari sanctitas in basilica S. Petri claruerit.

CUM beati viri corpusculum ab accessu popularis turbæ remotum in oratorio Principis Apostolorum per multa annorum spacia quiesceret, plurimis signorum ostensionibus manifesta sanctitatis eius indicia circa eius tumulum frequenter ostensa apparuerunt. Nam multæ ex nostræ congregationis fratribus, qui nocturnæ celebrationis vigilias prævenire solebant, causa orationis idem oratorium ingressi ceteros ardentes vitreasque lucernas sponte sua incensas frequenter se ibidem invenisse affirmabant. Angelorum etiam inter se choros ducentium suavissimus ibi concentus audiebatur, quorum præsentiam tanta luminis clari-

claritas prosecuta est, ut fenestræ ipsius ecclesiæ maxima splendoris illustratione clarescerent, locaque in vicino posita fulgoris sui immensitate perfunderent. Dulcissima quoque odoris fragrantia sæpius ibi narratur esse aspersa, quæ & naribus odorantium incognita & sui iocunditate satis odorifera habebatur. Quibus profecto omnibus patet, vir iste quanti apud Deum sit meriti, iuxta cuius sepulchrum cereis atque lucernis sponte sua irradiatis Angelicæ modulationis dulcedinem immensa luminis magnitudo consequitur, & incognita odoris fragrantia mortalium olfactu sentitur.

Caput II.

Quomodo Salomon Episcopus eius sanctimoniam in synodo perstringens triduanum ieiunium indixerit.

Talibus igitur miraculorum indiciis vir Dei Othmarus post altarium S. Petri honorifice sepultis annis XXXIV. & CXCIV. diebus in pace quievit. Sed cum iam omnipotens Deus lucernam lucis operibus accensam hominumque negligentiam diu in occulto positam ad exemplum atque illustrationem fidelium super candelabrum ponere, ac splendore sanctitatis eius omnibus in domo Dei manentibus luminis sui gratiam vellet administrare, coetus fratrum in coenobio Sanct. Galli sub regulari censura Christo devote famulantium assiduas colloquiorum sermocinationes de meritorum eius excellentia facere coepit. Huiuscemodi vero colloquiis idem fratres se invicem cohortantes divino, ut credimus, nutu pariter omnes desiderare coeperunt, ut sancti viri corpusculum ad Beat. Galli ecclesiam, quæ iam Deo opitulante decenter adornata refulsit, iterato reduceretur. Dictante autem æquitatis ratione cum hoc suo tantum consilio facere non præsumerent, vitæ eius libellum, qui nostrorum sollertia antecessorum multiplici testium adnotatione olim conscriptus ad nos pervenerat venerabili Episcopo Salomoni legendum contradunt, suæque voluntatis affectum quo omnis eiusdem loci congregatio fervebat aperiunt, eius per omnia iudiciis eiusque obedire parati consiliis. Benivolus autem Pontifex perspectis vitæ eius exemplis multimodas gratiarum actiones bonorum omnium auctori persolvit, quod bellatorem suum pro zelo iusticiæ fortiter dimicantem tam apertis miraculorum ostensionibus declaravit. Remoto etiam dubietatis scrupulo de sanctitate illius quamvis certus extiterit, nil tamen temere nilque de se ipso inordinate sua sola auctoritate voluit diffinire, sed more suo prudenti usus consilio causa ecclesiasticorum dogmatum annualem synodum sollemniter indicit, & Presbyteros ac Diaconos diversique ordinis clericos apud Constantiense oppidum convenire præcepit. Quibus in unum collectis venerandus Pontifex in medium consurgit, factoque silentio vitæ ipsius sanctimoniam, quæ iam multos ibidem residentes dulci rumore aliquantulum permulserat, sparsim pro tempore coram omnibus recitavit. Quo facto cum maxima clericorum copia in viri Dei laudibus acclamaret, primo Augensis coenobii Abbatem, qui etiam tunc temporis cum quibusdam fratribus nobis valde carissimis illo confluxerat, ac deinde omnem illius concilii clerum Episcopus commonuit, ut triduani ieiunii abstinentiam facientes totius boni fontem in commune precarentur, quatenus pietatis suæ munere his in rebus suæ voluntatis dispositionem dignaretur perficere. Quibus dictis Episcopi sententiam synodus collaudat, seque libenter ita facturam esse conclamat.

Caput III.

Qualiter idem Episcopus Sanctum de sepulchro sustulerit & oblatas ibi illæsas repererit.

Finito itaque synodi huius concilio ac peracto trium dierum ieiunio, venerabilis Præsul ad idem monasterium cum suis perveniens seniorem nostrum Grimaldum Rectorem ipsius monasterii ac Ludovici Regis Archicapellanum de hac re tractaturus aggreditur. Post amicæ vero salutationis officia cum mutuis inter se colloquiis vitæ illius rigorem ac miracula ob indicium sanctitatis eius frequenter ostensa commemorarent, Monachos eiusdem coenobii in unum convenire præcipiunt, simulque cum eis residentes sanctum corpus de tumulo in quo eatenus iacebat auferendum atq; in S. Galli ecclesiam collocandũ pari voto ac cõmuni consilio omnes unanimiter decernunt. Venerabilis etiam Abba Grimaldus, quorundam animos metu ac formidine sentiens esse permotos, confidentior cæteris effectus infirmantium mentes consolidando roborat & paternæ affectionis studio trepidantium corda informata astruens ex divinæ voluntatis dispositione procedere, quod tam multi de eodẽ tumulo sancti viri corpusculum desiderarent auferre. Præsul autem præclarus, cum Abbatem tam fiducialiter in his rebus conspiceret, Hartmotum Decanum una cum cæteris fratribus secum assumit, & ad sepulchrum accedens lapidem superpositum removere, ipsum sarcofagum in quo thesaurus preciosi corporis iacebat præcipit aperire. Quo facto membra sanctitate

ctitate plena inspiciens Monachus lætaniam decantare precibusque devotis hortatur insistere: deinde venerandas sancti patris exuuias humiliter deosculans cum omni reverentia de tumulo sublevavit, & in lectica, quæ illarum receptui paulo ante compacta fuerat, reposuit: sub capite autem & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæsæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Episcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel specimen sui amittentes aspicientium oculis infra spacium ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ. Quo vero ordine quoue in tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem novimus esse manifestum. Hoc tamen omnes pro certo scimus, quod per triginta quinque annos nullus mortalium eius sepluchrum aperuit, antequam præsens Episcopus ministerii sui fretus auctoritate eiusdem congregationis fratribus hoc faciendum iniunxit. Idem tamen Episcopus venerabiliter eas assumens sacro corpori appoiuit, ipsumque corpus cum summa cautela obvolutum in lectica superius dicta honorifice commendavit.

CAPUT IV.

S. Othmari translatio & festivitatis eius indicta celebratio.

POST hæc igitur facto intervallo quasi horæ unius Præsul devotus hortatu Grimaldi Abbatis debito cum honore sanctum virum ex eodem oratorio iubet transferre. Tunc vero omni illa Monachorum congregatio albis continuo vestibus induta dulci modulamine in Dei laudibus prorumpens beati viri corpus lætabunda prosequitur; sicque per numerosæ multitudinis populos, quos amor translationis eius attraxerat, magno cum honore ductus ecclesiam Sanct. Galli ingreditur ac iuxta eius altarium in dextera parte deponitur. Episcopus autem animadvertens, frequentiam populorum, qui diversis ex partibus illo convenerant, aliquid de sanctitate illius velle audire, cum propter frigoris subreptionem faucium raucedine impeditus ipse ad eos loqui non potuisset, quendam Archipresbyterum ambonem conscendere ac vice sui sermonem ad populum loco consistens ea tantum proferret, quæ sibi Episcopus in vicino positus dicenda insinuaret. Aliquantis ergo vitæ eius exemplis ac virtutibus coram populo breviter recitatis missarum sollemnia peraguntur populusque ad sua cum gaudio revertitur. Episcopus vero ipsa nocte mansit in in monasterio: mane autem facto fratres in unum collegit, atque inter alia sacræ institutionis documenta de sancti viri meritis certus existens confidenter præcepit & superveniente depositionis eius die vigilias ac missarum sollemnia honorifice perficiant, diemque illum tam ipsi quam omnis familia infra monasterium constituta in honore B. Othmari feriando cum gaudio spiritalis lætitiæ festivum possideant. His omnibus ita ut retulimus veraciter peractis, Præsul benignus orationibus fratrum ac benedictione munitus monasterium lætus egreditur.

CAP. V.

Abbreviatio temporum, in quibus res commemoratæ gerebantur.

QVO vero temporum statu, vel sub quibus regni Principibus hæc gesta fuerint, si quis pie quærendo cognoscere cupit, in hac nostræ conscriptionis serie facile poterit invenire quod quærit. Ipsa enim temporum statuta in hoc loco ideo conscripsimus, ut & legentium fidem custodiant & maiorem apud posteros vigorem sui adnotatione scriptis exhibeant. Igitur B. Othmarus primis temporibus Karoli, patris Karlomanni & Pipini, à Waltrammo nobili ac potente viro ad eiusdem Karoli præsentiam adductus cellulam S. Galli gubernandam ab illo suscepit, eiusque possessiones per multa annorum spacia in diversis rebus nobiliter augmentando dilatavit. Defuncto autem Karolo non post multos annos filius eius Karlomannus divino, ut putatur, amore omissis secularis pompæ delicijs germano Pipino regni gubernacula reliquit, & primo Romæ in monte Soracti apud Ecclesiam Sanct. Silvestri constructo monasterio regularis vitæ institutis libera colla subdidit, ac deinde in Samniam provinciam ob amorem secretioris vitæ succedens in monasterio Sanct. Benedicti, quod est situm in castro Cassino, reliquum vitæ tempus religiose conversando complevit. At vero Pipinus pater Karoli Imperatoris post auctoritatem Stephani Romani Pontificis deposito ac detonso Rege Hildirico anno ab incarnatione Domini DCCLIIII. indictione septima ex præfecto palatii Rex constitutus solus Francis cœpit imperare. His ita gestis Waltrammus, ad cuius possessionem cellula S. Galli quasi hæreditario iure pertinere nitebatur, comperto quod Pipinus ex Francorum consensu in regni sede fuerit collocatus, virum Dei Othmarum sicut superior vitæ eius libellus edocet iterato assumens ad palatium perduxit, atque eiusdem loci titulum ipsi Othmaro à Rege postulavit commendari. Quo facto, sanctus vir multis Regiæ largitatis muneribus pro eiusdem loci instructione susceptis gaudens & tripudians ad monasterium rediit. Septimo autem anno regnante Pipino, Warini & Ruodhardi potentia iniuste oppressus plenus dierum, plenus etiam sanctitate meritorum de angustiis huius

huius vitæ eripitur, & pro bonorum studiis operum ad æternæ beatitudinis gaudia perducitur. Evolutis posth ec decem annis a suis Monachis ad monasterium translatus inter aram S. Iohannis Baptistæ & parietem ecclesiæ in dextera altaris parte honorifice commendatur, ac deinde interpositis non minus sexaginta annis, X V I I. Kalendar. Maij in die S. Parasceves Pascæ ad oratorium S. Petri deducitur. Post hæc autem XXX V. anno, incarnationis autem Domini octingentesimo sexagesimo quarto, indictione XII I. sub piissimo Rege Ludovvico translationem, quam supra descripsimus, Grimaldus Regis Archicapellanus atque ipsius Abba monasterii cum Salomone Constantiensis ecclesiæ Præsul quarta feria sub VIII. Kalend. Novembrium die peregit, & ut nos sollerti studio indagare potuimus à septimo Pipini anno, quo vir sanctus de huius seculi angustiis commigravit, usque ad hanc translationem centum & quatuor anni computantur.

Caput VI.

Incognita odoris fragrantia circa eius corpus aspersa.

Descriptis temporibus, in quibus res superius commemoratæ gerebantur, nunc ad miracula veniamus, quæ post translationem quam retulimus circa reliquias S. Othmari Omnipotentis Dei virtute manifesta esse cognovimus. Venerandis sancti patris exuviis ad basilicam S. Galli præfato ordine deportatis continuo, in ipsa nocte Episcopo adhuc infra monasterium posito magna odoris suavitas in basilica S. Galli circumquaq; effusa, maxime iuxta B. Othmari corpus, quasi in modum nebulæ volitando redundari comperta est, cuius odoris fragrantia cum continuatis tribus diebus ac noctibus ibidem duraret, non tamen ab omnibus potuit sentiri, sed quidam nostræ congregationis fratres, qui etiam religiosiores esse videbantur, suavitatem illius degustabant, & religionis suæ auctoritate huius rei veritatem apud cæteros commendabant. Quibus etiam odor ipse quamvis incognitus atque catenus inexpertus extiterit, dulcedinem tamen balsami partem, ut asserunt, poterat imitari.

Caput VII.

Lucerna vitrea coram eo cœlitus incensa.

In proximo quoque sabbato, id est quarta die à beati viri translatione, sanctum corpus post aram S. Iohannis Baptistæ interim collocatur, donec nova basilica sub eius honore dedicanda ipsius habitationi ædificaretur. Eadem ergo nocte Dominica cum ecclesiæ custos nocturnæ celebrationis vigilias consurgendo præveniret, more solito basilicam ingressus cũcta eius luminaria pæne extincta repperit: cuius vestigia Presbyter quidam nostræ congregationis latenter subsecutus cancellos basilicæ egreditur, ibi coram sacro corpore oraturus prosternitur. Consurgens verò ab oratione lucernam vitream sponte sua inibi aspexit incẽsam. Quo viso orationi attentius incubuit, egressusque de oratorio nemini luminis ipsius administrationem tam cito indicare decrevit. De custodibus quoque ecclesiæ nullus eandem lucernam extinxit, quia alius ab alio incensam esse existimavit. Illa verò clarius cæteris resplendens tota Dominica die quasi per singula horarum spatia maiori semper luminis perfundebatur abundantia. Presbyter autem, cui illa cœlestis administratio luminis primitus manifestabatur, tanti signum miraculi metuens silentio opprimere, finita iam vespertina sinaxi, cæteris hoc fratribus indicavit. Tum multi nostrorum lumen ipsum cupientes videre propius accedũt, & prout illis visum fuerat, ignem ipsum, qui quasi à medio noctis tempore ardore non destituit, nihil omnino ex liquore olei consumpsisse deprehendunt. Deinde cum ipsa lucerna quasi vehementius ardere cœpisset, oleo paulatim decrescente lux eadem semper se ipsa maior existens, ac tota sequenti nocte universam S. Galli basilicam fulgoris sui immensitate perfundens, incensionem sui quasi ad octavam diei horam in secunda feria protraxit.

Tunc enim custos ecclesiæ cernens eam aliquantulum minorari, finita iam missa, funem quo lucerna dependebat incaute laxando submisit, sicque lux ipsa decessit. Tum verò mirum in modum sub plumbo, cui papirus imponebatur, cineres ignem eius unius digiti mensuram ex oleo consumpsisse, & eidem plumbo super se posito nil omnino dispendii vel læsionis intulisse. Vbi quid stupendum quidve potius sit admirandum, non facile intelligere possum: hoc videlicet quod lux ipsa per se irradiata extitit, an illud quod tam diu ardens nihil ex liquore olei minoravit, vel etiam id quod ignis ipse plumbi mollitiem super se positam caloris sui potentia non resolvit.

Caput VIII.

In vigilia festivitatis eius alia itidem lucerna sponte sua irradiata.

Post huius ostensionem miraculi adveniente depositionis eius festivitate, vespertinæ celebritatis vigilias sollemniter peragere studuimus. Quibus rite peractis quidam de ministris Ecclesiæ coronam, quæ ob eiusdem festivitatis gaudia coram sancto

corpore incendebatur, extinxit, & cum lucernam quæ in medio ipsius coronæ pendebat iterato vellet incendere, sponte sua aspexit eam subito esse irradiatam. Quod multi non solum ex nostra familia verum etiam ex scholasticis atque hospitibus, qui tunc temporis monasterium adierunt, se vidisse testati sunt. Cuius incensionem luminis in hoc etiam cœlitus administrari apparuit, quia cum nullus mortalium eam reficeret, tamen ante alterius noctis medietatem acceptæ lucis gratiam moderate ardendo non amisit.

CAPUT IX.

Opificum labor in eius sollemnitate frustratus.

DEVOTA quoque fratrum congregatio iussionibus Episcopi obtemperans cum Dei laudibus insistendo nocturnalis officii sollemnia decenter perageret, diemque ipsum omnes infra monasterium constitutos in honore S. Othmari feriare decerneret, ex ministerio Cellerarii tres lignorum opifices, qui in artis huius peritia cæteris etiam videbantur esse præstantiores, ex præceptoris sui iusso in cellam, quæ est supra monasterium constructa, laboraturi succedunt, ibique dolium vetustate & incuria dissolutum coniungere incipiunt. Collectis vero in unum tabulis cum primo fundum illius satis difficile coadunarent, easdem tabulas diligenter assignatas in circuitu erigere cœperunt, nec ullo penitus ingenio per totum fere diem laborantes eas constabilire prævaluerunt, mirumque in modum semper à stationis suæ loco resilire omnemque artificiosæ manus capulationem videbantur respuere. Tum ipsi opifices, inclinata iam die, videntes laborem suum in nullo perficere, iniuste se egisse cognoscunt, & post vesperam ad monasterium redeuntes prostrati in ecclesiam suam sibi stultitiam non imputari veniam precando deposcunt.

CAPUT X.

Quemadmodum panis adeo afflictus eius desiderio fuerit invasus.

ADOLESCENS quidam de pago qui vocatur Elisaza progenitus, qui à nativitatis exortu, sive ut cautius loquar à recordationis suæ tempore, nunquam se panem manducasse asseruit, ad monasterium adveniens neq; panem manducans neque aliud ex eo nunquam degustans dimidium fere annum ibidem permansit, in cibo quoque vel potu si quippiam panis etiam nescius deglutivit, statim cum admixtione sanguinis quod acceperat invitus evomuit. Hic ergo à B. Othmari festivitate octava die basilicam S. Galli ingressus cum orando altaria circuiret ad S. Othmarum perveniens eius suffragiis sese adiuvari tota intentione precatur. Tum primo nimietate frigoris in pectore concutitur, ac deinde in modum ebrii capitis gravitate nimioque stupore circumdatur, & cum ad gradus sacro corpori contiguos, per quos crypta intratur, deveniret, tanto panis desiderio anxiari cœpit, ut continuo de crypta rediens Presbyterum quendam in ipso monasterio commorantem panem sibi dare deposceret. Idem verò Presbyter cum pro certo sciret eum antea panem non manducasse, basilicam parvulam in honore S. Dei Genitricis dedicatam ingressus panem benedixit, illique parvum primo frustulum quasi pro benedictione manducandum porrigit. Quē cum ille stans iuxta altare deglutiret, confestim cruentatum de eius ore exiliens post ostium basilicæ in pavimentum cecidit. Stupefactus verò Presbyter quid strueret, vel cur panem eatenus sibi denegatum manducare vellet, interrogat. Et cum primitus illum iuxta corpus Othmari eius desiderio invasum perdisceret, porrecto illi pane; Festinanter, ait, ad eum locum tendito, in quo primum panis cœpisti habere desiderium. Fortassis enim Deus illo in loco suæ pietatis tibi conferre dignabitur auxilium. Cuius præceptis pauperculus obediens ad ecclesiam rediit, & antequam illo perveniret panem quem à Presbytero acceperat manducando consumpsit. Ingressus verò ecclesiam celeriter miraculo divulgato à multis nostrorum panem accepit, & coram sancti viri corpore sedens satis auide comedit. Qui huc usque apud nos constitutus consueto hominum more panem sine tædio manducat, atq; hoc miraculum divina pietate in se esse peractum viua voce proclamat.

CAPVT XI.

Quidam debilis sanitati restitutus.

QVIDAM pauperculus ex Gallorum provincia genitus, qui sinistrum genu cum pede flaccido & sinistram partem detorto contractum atque à terra sublevatum à nativitatis suæ exordio pondere potius quam subsidio deportabat, duobus sustentaculis inter ascellas suffultus domos fidelium & eleemosynam quęritando circuire solebat Hic itaque eodem anno transactis nativitatis Dominicæ sollemniis in pago qui vocatur Linzovve constitutus virum quendam venerabilem sacerdotali stola indutum & vultus honestate præclarum sibi in somnis assistere, hisque se vocibus affari asseruit; Si meam ô paupercule mansionem adires, baculum tibi condonarem, cuius adminiculo sustentatus per inepra viarum discrimina melius

melius incedere prævaleres. Cui ille; Domine, ait, mansionem tuam nescio & in quibus eam partibus quærere debeam penitus ignoro. Ipse verò ad eum; Lacum, inquit, stagni huius transfretare, illisque in locis sollerter eam investigare curato, pro certo sciens si illo perveneris quod pro baculi receptione gaudebis: & ut facilius eam invenire valeas, noveris me in domo alterius adhuc positum esse ac propriæ mansionis habitaculum nondum habere. In hac visione pauper ille commonitus transgresso lacu ad cuiusdam Presbyteri domum quadam die sero pervenit, eademque nocte prædicti habitus virum iterato sibi assistentem & cur tamdiu inveniendo tardaret interrogantem aspexit. Ad cuius interrogationem cum idem debilis ob eiusdem loci ignorantiam suæque debilitatis incommoda antea se non posse venire fateretur, ille pedem eius nisi celeriter eundem locum adiret sese abscissurum esse comminabatur. Huiuscemodi ergo iussionibus idem pauper obedire paratus reddita mortalibus die Presbytero viam dictante ad monasterium properat, ibique nocte ipsa quæ etiam tunc dominica habebatur in vigiliarum celebrationibus devote pernoctat. Facto autem mane post recitatum in publica missa Evangelium cum ad gradus, quos sacro corpori contiguos esse memoravimus, deveniret, nervorum atque venarum iuncturæ rupta cute ac mox subsequente sanguine franguntur, & membra diu contracta divinæ operationis effectu subito corriguntur. Quorum tensionem atque fracturam æger ipse ferre non prævalens in ipsis gradibus corruit horrendisque vocib. perstrepens omnes in ecclesia stantes perterruit: quorum plurimi concurrentes eum continuo sustulerunt, cognitoque miraculo omnipotenti DEO debitas gratiarum actiones retulerunt. Pauper autem ipse eductus de ecclesia per temporum momenta convaluit, & post aliquot dies sanus monasterio discessit.

CAPUT XII.

Mutus loquendi officio donatus.

POST sanitatis huius miraculum exacto trium hebdomadarum spatio mutus quidam in vicino territorio natus atque nutritus, quem multi nostrum à primæva ætate locutionis officio noverant esse privatum, in Dominica itidem die monasterium aggressus ad corpus S. Othmari accessit, & quoddam lini globulum piæ divotionis intuitu eius arcæ superposuit, quo facto subitaneo quodam impulsu cum extasi mentis terratenus deiectus dissolutis linguæ retinaculis sanguinis copiam ex ore profudit, quem suis ipse manibus ne in basilicæ pavimentum caderet suscipiens continuo extra ecclesiam proiecit, sicque ingenti formidine atque terrore persuasus nemini quod sibi evenerat innotescens cum omni festinatione monasterio digreditur, & ad mansionem suam cito perveniens collata sibi loquendi facultate suos ibidem notos cum gaudio alloquitur. Quem ut ipsi loquentem suisque interrogantibus respondentem audierant, non minima admiratione permoti hoc miraculum cæteris indicando celeriter divulgaverunt. Cum verò ex eiusdem loci incolis plurimos utriusque sexus in unum convenire, & ob concessam muto loquelam obstupescere ipsumque in illorum medio positum quomodo sibi contigerit, & ubi vel quando lingua eius soluta fuerit cerneres enarrare, sequenti autem die clericus quidam ex eodem loco illum assumens ad monasterium reduxit, & huius rei veritatem nobis per ordinem indicavit.

CAPUT XIII.

Membris omnibus à nativitate contractus meritis sancti corrigitur.

EODEM anno vir quidam civis Aurelianensium puerum omnibus pene membrorum iuncturis contractum atque conglobatum piæ devotionis intuitu parvo vehiculo impositum modo trahendo, modo coram se impellendo, tum etiam propriis humeris gestando Romam perduxit. Paucis dierum circulis ibidem exactis inde revertitur, atque ut ex eius ore didicimus Alamanniam petere & Sanct. Galli monasterium adire noctu visione commonetur. Cui ille visioni annuere desiderans laborioso satis conatu iuga Alpium superat & quadam die imminente iam vespera diu desideratum lassus ingreditur monasterium. Quo etiam in ipso itinere quot molestias quotve incommodorum pertulerit angustias, testes fuerunt humeri, quos vestibus eiusdem vehiculi adeò attritos esse comperimus, ut multi nostrorum callos in eis duratos esse prospicerent. In primo igitur basilicæ ingressu ad corpus Beat. Othmari perveniens puer ipse tendentibus sese compagum retinaculis vehiculo decidens in pavimentum provolvitur, & vocibus horrendis tecta ecclesiæ cōplens nimio se dolore urgeri insolito clamoris strepitu protestatur, senior autem noster Grimaldus his diebus in monasterio positus cum ipsa hora pro foribus basilicæ infra claustrum consisteret, audito huiuscemodi strepitu Salomonem Episcopum una cum Augensis cœnobii Abbate, qui ipso die ibidem forte convenerant, secum assumens ecclesiam intrat causamque tam horrendi atque insoliti clamoris interrogat. Quid plura? Abbates cum Episcopo propius accedunt, flebili ululatu puerum huc illucque in pavimento volutari cernunt, seque ipsum propriis unguibus

cogente molestia lacerare & quasi discerpere perspiciunt. Post longam huiuscemodi vexationem sinistra manus in volam contracta extenditur, incurvata cervix erigitur, sinistrum quoque genu cum pede ad tibiam supinato laxatur, & planta pedis dextra ab ipsis natibus quibus impressa fuerat fracto genu cum sanguinis effusione prosiliens (Episcopo autem astante hymnumque *Te Deum laudamus* canente) corrigitur. In processu ergo temporibus puer ipse ambulare incipit & modo in monasterio novis utens gressibus huius miraculi idoneus testis existit.


ISONIS MAGISTRI COENOBITÆ S. GALLI

DE MIRACULIS S. OTHMARI ABBATIS

LIBER II.

CAPUT I.

Qualiter B. Othmarus in suum oratorium fuerit translatus.



SANCTI patris nostri miracula hactenus à nobis vili sermonum schemate prolata quamquam lectoribus benivolis ad declaranda sanctitatis eius præconia sufficere non dubitemus, tamen quia basilicæ in eius honorem ædificandæ paulo superius mentio incidit, qualiter peracta eius constructione sanctus vir in eam translatus fuerit, quibusque miraculorum ostensionibus sanctitatem eius divina clementia ibidem postea manifestaverit, ne oblivione depereant successoribus nostris breviter contradere libet, non pomposa verborum complexione supervacuam laudantium gloriam aucupantes, sed dictorum tantummodo simplicitate veritatem rerum quærentibus ostendere cupientes. Neque enim nostræ, sed illius nos gloriæ potius studere condecet, qui lectis suis primo bonum velle, deinde tribuit inchoare, tum etiam vires implendi suggerere, ac postremò digna eos mercede remunerans sanctitatem eorum virtutibus & signis parenter dignatur ostendere. Quapropter ipsum per omnia totius boni fontem bonorumque omnium largitorem in beati patris nostri miraculis laudare desideramus Davidicum illud dicentes; *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

CAPUT II.

De consecratione basilicarum S. Othmari & Michaelis Archangeli & reparatione muti.

POST translationem igitur supra memoratam evolutis trium pæne annorum spaciis cum Othmari basilica studiis devote eam ædificantium decenter iam perfecta fuisset, senior Grimaldus Ludovvici Regis Archicapellanus præfatum Constantiensis Ecclesiæ Præsulem ad peragenda consecrationis eius sollemnia in monasterium itidem venire rogavit.

Quod dum fama vulgante populis in vicino positis compertum fuisset, videlicet quod sanctus vir de basilica Sanct. Galli in suum deportandus esset oratorium, sacris eius exequiis interesse cupientes monasterium catervatim adire cœperunt. Episcopus autem die statuta superveniens ecclesiam sui ipsius nomine sollemniter dedicavit, ac deinde sacrati corporis membra aggressus quasdam ex eo particulas pro reliquiis deinceps condonandis seorsum reposuit, cætera autem manu sua honorifice involvens in sarcofago novo collocavit, illas quoque illatas, quas narratione superiori in eius tumulo retulimus fuisse repertas, eatenus incorruptas atque omnimodis illæsas perdurasse miratur, & quasdam ex eis involutas sacro itidem pectori superposuit, alias vero pixide recondens superventuris temporibus pro sanctitatis eius testimonio conservare præcepit. Post hæc autem nobis omnibus sacris vestibus sollemniter paratis, Præsul ipse, data in altum oratione, Presbyteros, qui astabant, virum Dei foras deportandum levare commonuit, nec mora, cum crucibus & cereis atque turribulis sanctus vir ecclesia deportatur, eademque hora mutus quidam eius, ut credimus, meritis loquendi officio mundatur. Cuius tamen persona, utpote vilis, quia nobis eatenus incognita extiterat, ideo miraculum, quod in se patratum, referebat, primo credere dissimulavimus, sed cum ex pago, qui vocatur Aragoevve, se fuisse assereret, a parentibus eius aliisque qui eum bene noverant, nostrorum postea inquisitione verum esse didicimus. Tum vero omnes nos laudes ac melodias canendo, comitante numerosa populorum multitudine, debita cum veneratione corpus cari patris prosequimur. In prato autem orientem versus constituto paulolum presso gradu terratenus prostrati adoravimus, surgentesq; pias eius exuvias singil-

larim

latim subire ac superiecta velamina devotione humili cœpimus osculari. Quo facto, cum veneratione maxima ad monasterium properantes sanctasque reliquias in suam basilicam introducentes gratias Deo debita cum laude retulimus, qui tantam nobis lætitiam conferre dignatus est. Quanti ibi iocundantium fletus, quantique exultantium oborti fuerint singultus, nequaquam enarrare valemus, quippe qui nec ipsas Dei laudes crebris singultibus intercepti absque lacrimis proferre potuimus, præcipueque venerandus pater noster Grimaldus tripudiantium lætitia motus à lacrimis se continere nequivit agens Deo gratias, quod suis in temporibus in loco etiam sibi commendato tantum decus, taliaq; omnipotentis Dei beneficia videre promeruit. Ad huius quoque lætitiæ cumulum Augiensis cœnobii Abba cum quibusdam ipsius loci fratribus eadem hora supervenit, fratresque ex monasterio, quod Campidona vocatur, ab Abbate suo missi huiuscemodi exequiis talibusque se interesse gaudiis gratulabantur. Episcopus autem interea sacras pii patris exuvias in archa saxea recondens altario subposuit, sicque missarum celebratione sollemniter peracta benedicens populum abire permisit. Facta sunt autem hæc anno incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo septimo sub piissimo Rege Ludovvico, supra memoratis Principibus pastoralis officii functione curam Ecclesiæ Dei strenue agentibus, VIII. Kalendarum Octobrium die, quarta feria, indictione prima. Die verò sequenti, ut honore beati viri latius augmentaretur memoratus Præsul ex reliquiis eius, quas pridem huius rei gratia seorsum eum posuisse retulimus, primo sibi tulit, deinde Abbati ex Augia & fratribus de Campidona cæterisque religiosis, utique ac venerabilibus viris aliquas ex eis particulas, prout sibi visum fuerat, commendavit, nobis præsentibus omnes eos sollicite commonens, ut per omnia honorifice digneque eas tractare curarent. Quibus peractis, beati Archangeli Michahelis ecclesiam consecravit, multoque chrismate sacro confirmans salutatis fratribus lætus cum suis monasterio decessit. Altera autem die Abbatem ex Augia fratresque ex Campidona cum laudibus & cantilenis extra monasterium prosequentes post fraternæ dilectionis colloquia dato pacis osculo ad sua cum gaudio remeare permisimus.

Caput III.

Quod per reliquias sancti viri etiam in locis aliis plurima sint, ostensa miracula.

Finita relatione qualiter vir beatus in suam translatus fuerit basilicam, ne fastidioso forte lectori protractus in longum sermo turbata mente rugam frontis ingereret, aliqua ex sanctitate eius indiciis, quæ ipsius clarescentibus meritis ibidem postea manifesta fuisse perspeximus, in calce huius conscriptionis strictim ac succincte subiungere curavimus, non utique omnia, quæ vel ipsi facta vidimus, vel ab aliis patrata esse comperimus, huic opusculo inserentes, sed ex multis pauca atque à nobis prospecta in unum colligere voletes. Cuncta enim hæc facile enarrari posse non credimus, præsertim cum in locis plurimis non ad nos tantum, sed ad alios quoque pertinentibus, quæ sacris eius pignoribus ditabantur, tam multa cottidie miraculorum signa effulserint, ut nec verborum facundia proferri, nec stili instantia absque labore valeant comprehendi. Quapropter his interim omissis, ad ea nos tantum scribenda convertimus, quæ nobiscum omnimodis facta cognovimus, & apud livoris expertos attestationi sanctitatis eius sufficere posse confidimus.

Caput IV.

De servo cuiusdam pedem vulnerato meritis S. Othmari sanitati restituto.

Quidam paterfamilias multorum apud nos cognitioni notissimus servum quendam habuit, qui operis quippiam faciens casu pedem vulneravit. Pes verò ipse protinus in tumorem versus adeo venarum contractione debilitatus est, ut ambulandi facultate penitus privaretur. Hanc ob causam sustentaculum quoddam geniculo supponens gressum, quem pedis infirmitas denegabat, per annum fere integrum fulciendo sublevare curabat. Is cum ad B. Othmari suffragia venisset, ante eius altare prostratus oravit, confestimque, soluto pede relicto quo sustentaculo sanus abscessit.

Caput V.

De alio pedem cum tibia ad posteriora retorto interventu viri Dei correcto.

Nec multo post alius quidam pedem cum tibia altius terra levatum, & ad posteriora contractum non ad subsidium itineris, sed ad ponderis potius gravitudinem ferebat. Hic die quadam baculis suffultus monasterium devenit, & B. Othmari oratorium ingressus coram altari eius stando, cum orasset, pes ipse cum tibia solutus protenditur, sonitumque modum fracti quondam ligni crepitando emittens corrigitur, nec mora suo restitutus officio ferentem se ferebat, portantemque grata mercede remunerans deportabat.

CAP. VI.

De sanctimoniali fœmina in vigilia Pentecostes à templo quondam Spiritus Sancti, sed nunc una cum eodem spiritu effectu, post diutinam cæcitatem illuminata.

SVB ipsius anni spatio sanctimonialis quædam de oppido, quod Basilea dicitur, ante annos quatuor utrisque luminibus orbata sororis suæ ducatu ad monasterium tendendo pervenit, ibique tribus fere hebdomadibus cæcitatis tenebris adhuc involuta permansit. Annuo autem cursu accedente festivitate, qua Catholica per orbem ecclesia S. Spiritus adventu lætatur in sabbato, quod eam præcedens ipsi quoque imminet, cum multitudo populi more solito orationis causa monasterium adiret, sanctimonialis ipsa inter alios, qui advenerant hora diei quasi quarta ante beati viri tumbam oratura, prosternitur, ibiq; aliquantisper orando lumen, quod amiserat, recepit, multisque in unum convenientibus perspicuitate huius miraculi magnæ admodum lætitiæ causa fuit.

EXPLICIVNT MIRACVLA S. OTHMARI ABBATIS.

S. THEODORI EREMITÆ

DE VITA S. MAGNI CONFESSORIS SODALIS SVI.

LIBER I.

AB

ERMENRICO ELEWANGENSI MONACHO EMENDATUS ET DISTINCTVS.

CAPUT I.

IN tempore illo, cum B. Columbanus simul cum B. Gallo diversa loca perlustrarent ad diffamandum verba Dei, & peregrinandi causa in Hibernia pervenirent, quidam frater nomine Magnoaldus ex præfata patria Hiberniæ procreatus pulsare cœpit aures B. Galli discipuli S. Columbani ita alloquens: B. Magister & Domine, video vos in servitio Dei tantum sollicitari, ut heremum concupiscentes aliquantisper ibi morantes feræ, bestiarum scilicet, ursorum, bubulorum, luporum, multitudo frequentet, & ad vestrum imperium recedant. Vnde vestris vestigiis provolutus deposco, ut spretis faleramentis seculi & præsentium pompam facultatum temnens æterna præmia capere merear. Quod Beatus Gallus cernens ad medicamenta concurrere, uniusque cœnobii septa, ubicumque Dom. iuberet, per eius orationem concupisci, B. Columbano hoc indicans obtulit eum illius obtutibus sciscitans ab eo consilium & voluntatem. Cui B. Columb. respondit: Pergentes, fili, in heremum voluntatem probemus, utrum desideratum arripias iter, an non. Pergentes ergo simul tertium adolescentem nomine Soniariũ in comitatu sumunt, & ad destinatum locum pervenerunt unius panis tantum cibo contenti. Cumque iam tertius transisset dies, nec quicquam panis fragmentum remansisset, horaque refectionis appropinquaret, impetantur à patre, ut per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perveniant, & quicquid ad cibum opportune reperiant, deferant. Ovantes illi per concava vallis transeuntes invenerunt capturam piscium olim à pastoribus consertam in amne, qui vocatur Lignona, undisque obpositam. Quod inspicientes & Deo gratias agentes, sumentesque tres, quos repererant pisces, & venerabili patri præsentaverunt. At ille nempe Spiritu S. plenus noverat sibi passim à Domino dapes paratas, & cum gratiarum actionibus sumpserunt cibum, & post cibum iterum gratias Conditori agentes. Quod inspiciens Magnoaldus sequens B. Gallum læto animo promittit se eorum imperiis pariturum, & Christo Dom. iugiter serviturum. Quẽ vir S. Columbanus suis beatis manibus receptum in obedientia posuit, donatumque iuxta magnificentiam suam nomen imponit dicens, Magnum te faciet Dominus in sapientia & astutia, à cuius magno nomine Magnoaldus voceris, addens iterum, cognita tibi sunt omnia ministeria monastica, à quibus cognomen habebis Magnoaldus, factoque Monacho reddidit ei clavem cellarii, statimque divinum in eo manifestatur miraculum. Nam cum hora refectionis appropinquaret, & minister refectorii Soniarius cervisiam administrare conaretur, vas, quod tiprum nuncupant, ad cellarium deportavit, & ante vas, quo cerevisia condita erat, apponit, tractoq; serraculo meatus in tiprum currere sinit, quẽ subito patris imperio Magnoaldus Soniarium

niarium celeriter vocavit. At ille ardens obedientiæ igne obserare meatum oblitus pernici cursu ad beatum pergit virum, & ferraculum, quod duciolum vocant, manu ferens ante conspectum B. Magnoaldi astitit, videntibus sanctissimis viris Columbano & Gallo. Postquam autem sibi vir Dei Magnoaldus, quæ voluerat imperare, deprompsit, interrogavit eum, quid est, Soniari, quod tenes in manu tua? At ille viso ferraculo recordatus negligentię velociter ad cellarium rediit, æstimans nihil in vase, de quo cerevisia decurrebat, remansisse. Intuitus ergò vidit tiprum in tantum cerevisiam crevisse, ut non iam plus profunditatis in vase quam supra vas cumulata altitudinis habere videretur, & nec minimam stillam foris cecidisse. Præfatus verò Soniarius illud miraculum magnum inspiciens ad pedes B. Magnoaldi accessit, narrans ei, quæ de sicera vidit. Ille pavore perculsus quid agere deberet ignorans, concitus perrexit ad Winiachum Presbyterum, quem assumens secum ad cellarium duxit, & omnia secundum narrationem pueri Soniarii invenit. Corruit ergo ad pedes eius ita locutus est: Domine Winiache, quid dicturi sumus Domino patri B Columbano, si hæc audierit? At ille respondit, absit frater, ut misericordia Christi tam sanctum virum tam pium patrem nostrum debeat celari, qui absque nostra narratione per spiritum, & cum Deo omnia, quæ facta sunt, se cognovisse lætatur. His dictis concito gradu perrexerunt ambo, veneruntque ad pedes Columbani, & narraverunt ei omnia, quæ accederant. Quibus B. Columbanus ait: Fratres, hoc non meis meritis actum est, sed intercessione viri istius Magnoaldi. Ille hoc audiens prostravit se ad pedes eius & dixit: Domine, noli hoc dicere, quia scio pro vestris sanctis meritis hoc actum esse, non meis. Respondit B. Columbanus: tace frater, scio utique. Nam ego vidi Angelum Dei præcedentem te, quando Soniarium vocabas, qui facto signo crucis supra tiprum stetit sicera in modum coronæ, sicut vidistis. O magnum divinæ potentiæ donum, qui adhuc neophico suo servo tantam gratiam conferre dignatus est, ut iam Magnus inter fratres voceris. Ad hæc B. Magnoaldus gratias egit Deo in corde suo de tanta misericordia sua.

Caput II.

Eo itaque tempore, cum sub quodam scopulo inter vasta heremi ieiunio corpus afficerent B. Columbanus & Gallus, nihilque aliud præter ruris poma in cibos capere valerent, venit quadam die assueta avidæ verocitatis fera ursus, cœpit necessarios delambere cibos ac passim poma ore detrahere. Cumque iam hora refectionis advenisset, dixit Columbanus ad B. Magnoaldum, frater Magnoalde, cognita sunt tibi poma meliora, & defer nobis consuetam mensuram pomorum. Qui cum abisset, ursum inter densas frutices rubosque pervagate perspexit, ac poma lambendo carpere, vidensque eum Magnoaldus iussu patris implere volens timuit valde, sed confortatus in Domino muniens se signaculo S. Crucis ait ad feram: In nomine Domini mei Iesu Christi ista paulisper, usque dum eligam poma, quæ patribus nostris ferenda sunt, & tibi partem ex aliis deinde comedendi. Mira in fera obedientia severitatis suę oblita stetit caput inclinatum tenens. Tunc ille divisit virga frutices & rubos, quæ poma ferebant, elegitque partem ex his, quæ iuxta viri Dei imperium meliora erant ad opus suum ferenda, aliamque partem dedit feræ, ut comedat. Aiebat itaque comede ista te, aliaque in usus viri Dei Columbani & Galli reserva. Fera ergo in tanta obedientia extitit, ut nequaquam ex prohibita sibi parte ausa esset capere cibos, sed in segregata permissa sibi fruticum parte tantummodo pabula requisivit. Alia verò die iterum B. Magnoaldus inquirens poma invenit salva & bene reservata, gratias agens Deo, ait ad feram: In nomine Domini, ita age cottidie. Audiens autem fera, poma procul dubio salva reservavit, quoadusque vir Dei in illo loco commoratus. Quarta vero die iterum Dominus cibū præbens suis discipulis tanta copia alitum advenit, ut omnem planiciem loci illius adimpleret. B. vero Magnoaldus hoc videns intellexit ob necessitatem patris suorum que à Deo has dapes terræ diffundi, & ait ad B. Gallum: Iubeat hæc pater altilia capere ad opus fratrum, si placet, quoniam à Deo data sunt. Hæc Gallo ad Magistrum suum deferente, ait B. Columbanus: Tu Magnoalde, qui in nomine Domini urso iussisti reservare poma ad opus nostrum, fac iterum iuxta tuum nomen magnum opus, & impetra à Deo, ut volatilia maneant, donec capiantur à fratribus ad usus necessarios. Ille mirans, quomodo palam factum fuisset, beato viro de fera, tamen non audebat interrogare, sed iussu eius prosternens se in orationem pariter cum B. Columbano & Gallo orabat. Erigens autem se Abba dixit Magnoaldo surge, præcipe capere aues. Surrexit Magnoaldus gratias agens conditori, cœpitque aves capere cum reliquis fratribus. Miraculum valde mirum & stupendum, capiebantur aves, prout patris imperium erat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur, donec B. Magnoaldus ait: Si patri nostro placet, habemus per triduum aves sufficienter, & ideo bonum est, ut recedant. Sicque alitum phalances abire iubet, & sumpto volatu, quæ remanserant, recesserunt. Sicque divina misericordia ex vicinis urbibus frumenti copiam per bonos viros in gyro manentes ad B. Columbanum per manus felicis Galli & B. Magnoaldi direxit.

CAPUT III.

INterea venit cogitatio in mentem, quatenus Sclavorum terminos adiret, eorumque cæcas mentes evangelica luce lustraret, & ab origine per avia errantibus veritatis viam panderet. Cumque hæc beatis Gallo & Magnoaldo narrasset, & ita patrare se velle profiteretur, Beat. Gallus dixit Magnoaldo: Frater, quid tibi de isto itinere nostri Abbatis videtur? Respondit, Domine, perquirite in primis voluntatem Domini, & postea, si dignum duxeritis ad proficiscendum, proficiscami. Hoc audiens B. Columbanus iussit triduanum ieiunium fieri, Domini misericordiam implorans, ut eis indicaret suam voluntatem. Tertia verò nocte Angelus Dei per visum illis tribus apparuit, & ambitu parvo quasi solet paginali stilo orbis describi circulum mundi compage monstravit dicens: Cernitis, inquit, quod maneat totus orbis desertus? Dicite Columbano, perge dextra levaque, ut comedas laboris tui fructus; non est tibi opus illuc properandi. Hæc audiens B. Columbanus intellexit per visionem similiter sibi monstratam non esse gentis illius in promptu fidei profectum, & ideo quievit in loco solummodo contentus unius ministri Magnoaldi, qui & Magnus, famulatu, donec aditus ad Italiam viam panderet.

CAP. IV.

INTEREA orta est lis inæstimabilis inter Theodoricum Regem & Theodebertum: utrisque namque gentium robore in invicem superbientibus. Inter quæ vir Dei ad Theodebertum venit, isque eum infra suos fines libentissime recepit, deditque ei optionem, quacunque in parte voluisset experimento quærere locum, qui sibi & suis placeret ad habitandum. Inquisitoque loco audivit à beatis viris Gallo & Magnoaldo, qui iam perlustrata habebant spacia locorum, laudabilem locum fore infra Germaniæ terminos situm in Alamannia circa Renum fluvium oppidumque olim dirutum, quem Brigantium nuncupabant, quem procul dubio ratum ducebant fore, ut impetraretur à Rege, & partem saltus ipsius iuxta ipsum oppidum stantem, ubi apta loca invenire quiverant ad manendum. Dedit ergo eis Rex iuxta petitioñe ipsorum præfatum oppidum locaque vasta intus in saltu consistentia, sed non plurima, nisi pauca, ubi invenire potuissent apta ad cellulam construendam, B. verò Gallus, cum S. Magnoaldo, fratribus, qui iam ex Luxovio venerant, ad eum simul cum B. Abbate relictis, ipsi ingressi sunt in saltum, & in eo huc illucque pergentes diversaque loca circuentes repererunt infra ipsius saltus terminos loca venusta & famulis Dei ad omnem oportunitatem congrua, proximasque nationes undique haberi ad prædicandum. Reversi ergo iterum ad virum Dei laudaverunt loca, quæ invenerunt. Quibus vir Dei ait: pergemus illuc, & moremur aliquod spatium temporis ibi, & construamus cellulam, usque dum Dominus det nobis aditum proficiscendi in Italiam. Perrexerunt ergo ad lacum Brigantinum, in cuius littore invenerunt locum antiquum destructum, qui vocatur Arbona ibique morati sunt construentes cellam expectantes eventum inter Theodoricum & Theodebertum.

CAPUT V.

CUM QUE hæc agerentur ab illis seditione firmata inter Theodoricum & Theodebertum ortum est bellum iuxta Tulbiacense castrum, ibique prælio inito innumera hominum multitudo ex utroque exercitu perierunt. Victus tamen Theodebertus fugit. Ea ergo hora qua apud Tulpiacum illud bellum commissum est, vir Dei Columb. operantibus sanctis Gallo & Magnoaldo cum cæteris fratribus qui ex Luxovio venerant, supra truncum querci putrefacti sedens librum legebat, quem sopor oppressit. Sopitus dormiensq; inter duos quid ageretur Reges vidit. Expergefactus ministrũ vocat Magnoaldum, qui & Magnus, cruentamque Regum pugnam indicat, & humanum sanguinem multum fundi suspirat? Respondit Magnoaldus prostratus ad pedes eius, & ego, Domine pater, sopore oppressus iacebam subter unam arborem abietis, & videbatur mihi simul eos conflictum inter se habere, arreptoque baculo volebam percutere Theodoricum & liberare Theodebertum, sed prohibuit me species quædam dicens: non est tibi necesse, quoniam Dominus cito vindicabit magistrum tuum Columbanum de eo in interitum ignis. Illico evigilans festinabam huc ad vos venire, & enarrare hanc visionem vobis interim me clamante. Dum ergo mirarentur ambo de his visionibus, alius minister astans Eunochus nomine temerario conatu ait: Pater mi, tuis precibus præbere deberes suffragium Theodeberto, ut hostem communem Theodoricum debeller. Cui B. Columban. ait, stultum ac religionis alienũ administras cõsilium. Non n. Dominus ita vult, qui nos pro inimicis nostris orare præcepit. Et Magnoaldus inquit: vere, Domine, vestra sanctitas bene de hoc sentit, quoniam in arbitrio iusti iudicis esse debeat, quid de eis fieri velit. Theodoricus ergo persecutum Theodebertum deprehendit, & ad aviam Brunehildã direxit. Ipsa eũ clericũ factũ non post multos dies impie nimis perimi iussit. Theoder. itaq; morans penes Metense oppidum divinitus percussus inter flagrantis ignis incendia mor-

mortuus est,& B. Columbanus à Deo vindicatus. Porro Lotharius collecto exercitu fines regni,quæ suæ ditioni debebantur,recepit,perempto Sigiberto,qui ei resistere volebat cum quinque filiis Theodorici. Brunehildam vero captam indomitorum equorum caudis ligatam miserabiliter vita privavit. Memor vero prophetiæ viri Dei funditus radicitusque deleta Theodorici stirpe trium regnorum solus potitus est monarchia. Cognoscens quippe in hoc facto viri B. Columbani prophetiam in omnibus impletam fore præfatus, Lotharius voluit B. Columbanum magnis honoribus ditare; sed ille hoc respuens, relicta Gallia atque Germania,Italiam ingressus est, ubi ab Egilolfo Longobardorum Rege honorifice susceptus est, largita ei optione,ut infra Italiam,quocunque in loco voluisset, habitaret. Qualiter autem B Gallum & Magnoaldum in Alamannia reliquit,non est silendum , quoniam Dei consultu actum est.

CAP. VI.

PERagratis ergo locis circa lacum Turicinum, & pervenientes ad caput laci ipsius in locum, qui Tucconia dicitur,inde venerunt ad lacum Brigantinum ad præfatam cellulam, quam ante construxerant, prædicantes populo Christum colere,& simulachra vana & surda in frustra comminuere. Ob quam causam zelo Diabolico populus inflammatus propter simulachra diruta & in frustra comminuta cœperunt cum Sigiberto Principe tractare, ut eos a finibus suis eiiceret. Egit autem hoc arte sua Diabolus,ut populum, quem in præsentia lucis per prædicationem beatorum virorum amittere cœpit, discedente sanitatis fulgore,tenebris occuparet antiquis. Igitur sancti viri moleste ferentes,quod sede pellerentur amabili,consilio communi inito,Italiam petere decreverunt,dicentes: Deus,cui servivimus,Angelum suũ mittet nobiscum,qui nos perducat ad Egilolfum Longobardorum Regem,ubi,eius clementia præparante,humanos affectus & pace plenum habitationis locum inveniemus.

CAPUT VII.

IGitur cum iam proficiscendi tempus instaret B. Gallum repentina febris invasit. Pro qua re advolutus Abbatis sui pedibus indicavit se infirmitate vehementi laborare , ideoque propositum iter non posse perficere. Ille verò existimans eum pro laboribus ibidem consummatis amore loci detentum viæ longioris detractare laborem,dixi ei:scio iam,frater, tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari,tamen hoc discessurus denuncio,ne, me vivente,in corpore missam celebrare præsumas. Et cum ei licentiam per se conversandi dedisset, viã ingressus est abeundi. Audiẽs hoc Magnoal. procidit ad pedes eius&dixit:Domine, quid me vis agere? si reliquero eũ absq; adminiculo erit & deficiet,tamen sequar te, si volueris,ipso relicto,sicut Petrus secutus est Deum,relictis retibus suis. Respondit ei B.Columbanus,scio,te, Magnoalde,magnum futurum esse,& lucrari DEO ex populis orientalibus plurimum,ideoque noli mecum proficisci,sed relinquo te & Theodorum fidelissimum nostrum Galli obsequiis parituros,ut cum omni diligentia eius recuperationi serviatis. Dico tamen tibi, Magnoalde,quod te volo esse acturum,& quomo cum eo morari debeas. Futurum est enim,ut peractis aliquot diebus diaconatus officium ab Episcopo Constantiensi accipias,sic volo,ut moreris cum Gallo usque dum tempus veniat,me ab hac luce discessurum.Itaque si fieri potest,ut, me ægrotante tibique Spiritu Sanct. revelante,ad me venire potueris , gratum mihi est,alias me defuncto,quoquo modo sit, Domino annuente,tibi revelatum erit, sicque accelerare festina ad sepulchrum meum, & ad fratres meos ,ut inde accipias epistolam meam & cambocam,quam affer Gallo,ut eum absolvas à meo iudicio. Nuncio autem tibi, quia defuncto Gallo post triennium vastandum erit sepulchrum eius à raptoribus, te & Theodoro insipiente,& ut hoc actum fuerit, restaurato sepulchro eius , festina properare ad locum,ubi auditum habemus,quod Sanct. Narcissus Episcopus Diabolo præcepit Draconem interficere,ibique Domino cooperante plurimos ad fidem Christi convertens animas lucraturus eris,atque habebis ibi nomen tibi à Deo impositum,& vocaberis à populo terræ illius Magnus propter fidem,quam prædicaturus eris convertens eos ex inanitate & cultura Dæmonum ad fidem Christi. Ibi enim occurrent tibi Dæmones multa mala tibi ingerentes, sed tu confortatus eris à Domino,qui te illuc deputavit ad morandum atque manendum. Et his dictis profectus est.

CAPUT VIII.

NON post multum verò temporis Beat. Gallus divina pietate convalescens, postquam filiam Ducis Gunzonis à Dæmonio liberavit, oblatumque sibi ab eodem Principe Constantiensis ecclesiæ pontificatum humiliter recusavit,misit epistolam ad Iohannem Diaconum rogãs eum ad se venire. Qui cum venisset ad eum, erudivit eum divinorum librorum scientia,& cooperante gratia Dei , construit eum coram Duce plenum scientia & virtute,atque divinarum scripturarum intelligentia,dicens; Hic est indigena vicinorum locorum

corum, cui merito testimonium potest aptari, quod sanctum virum decet, divino eum credens electum iudicio vobis profero eum promovendum. Cumque hac attestatione vir sanctissimus Iohannem laudaret, Dux cum electione populi congregatione collecta cæterorum Episcoporum Pontificatum Constantiensis civitatis ei tribuit, & à vicinis Episcopis ductum ad altare sollemni benedictionis officio ordinaverunt Antistitem. Doctor itaque venerabilis, his perpetratis, memor prophetiæ Sanct. viri Columb. quam prædixerat de diaconatus officio B Magnoaldo fore futurum, à Constantiensi Episcopo, inter multa salutiferæ consolationis verba hæc sæpius inculcavit, ut B. Magnoaldum, qui erat iam cum eo omnium veneratione sublimis congruo tempore adveniente, initio quadragesimali, primo Sabbati ieiunio trãsacto, divino eum commendaret iudicio ad diaconatus officium peragendum, cui Iohannes Episcopus ita respondit: Magister, paterna sollicitudine mecum his diebus eum relinque, ut adveniente ieiunio quadrgesimali faciam, quod hortaris. Quo audito, Beat. Gallus Iohannis familiaritate confisus ei Magnoaldum paterno commendavit amore. Perveniente autem sancta sollemnitate venturæ quadragesimæ, B. Magnoaldus, accepta à Iohanne Anistite sacra benedictione diaconatus officii, reversus est cum gratiarum actionibus ad cellulam B. Galli Abbatis.

CAP. IX.

DIE itaque quadam, dum post laborem matutinalis officii quiescendi gratia lectos suos revisérent, primo diluculo vir Dei vocavit Magnoaldum Diaconum suum dicens illi: Instrue sacræ oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille, num (inquit) tu pater missam celebrabis? Dixit ergo ad illum, post huius vigilias noctis cognovi per visionem, Dominum & patrem meum Columbanum de huius vitæ angustiis hodie ad paradysi gaudia commigrasse. Pro eius itaque requie sacrificium salutis debeo immolare. Et signo pulsato cœperunt missas agere, & precibus insistere pro commemoratione B. Columbani. Finito sacræ devotionis officio venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum Diaconum: Fili, non tibi grave videatur petitionis meæ pondus, & arripe viam, & Italiam petito, pertransiensque usque ad monasterium, quod Bobium nominatur, diligenter perquirito, quid actum sit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam, ut, si eum compereris defunctum, possis agnoscere, utrum visio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia sollicita investigatione perdiscens regressus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes magistri devolutus, ignotum sibi iter conquestus est: sed vir benedictus voce blanda eum, ne timeret, ammonuit, perge (inquiens) & Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pii Doctoris alumnus præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico viam festinanter aggressus est, memor Prophetiæ B. Columbani, qui asseruit, eum venturum esse ad sepulchrum suum in Italia, & baculum suum assumere, sanctumque Gallum per eum absolvere. Cumque pervenisset ad monasterium, ut volebat, invenit omnia ita contigisse, sicut patri suo per visionem fuerant revelata. Mansit autem ibi una nocte, & accepit epistolam à fratribus ad Beat. Gallum continentem transitum venerandi Columbani, qui & baculum ipsius per manum Diaconi transmiserunt dicentes, Sanct. Abbatem ante transitum suum iussisse, ut per hoc notissimum pignus Gallus absolveretur. Dimissus autem ab illis iter acceleravit, & prospere in omnibus agens die octava pervenit ad Dominum suum & patrem ferens epistolam relationis & absolutionis indicium. Lecta epistola Sanct. Gallus carissimi patris amorem pleno retinens corde lacrimas uberrimas profudit, & collectis fratribus causam mœroris aperuit. Deinde tanti patris memoria precibus sacris & sacrificiis salutaribus frequentarunt. Commoratus est autem B. Magnoaldus cum S. Gallo fere annos decem post perpetratum iter ab Italia: decimo verò anno defunctus est B. Gallus.

S. THEO-

S. THEODORI EREMITÆ

DE VITA S. MAGNIS CONFESSORI SODALIS SVI,

LIBER II.

AB

ERMENRICO ELEWANGENSI MONACHO EMENDATUS ET DISTINCTVS.

CAPUT I.

POST transitum igitur B. Galli relictus est Magnoaldus & Theodorus in cella ipsius. Prostraverunt se in orationem Domini misericordiam implorantes, ut disponeret iter eorum secundum suam voluntatem partibus orientis, ne quasi fraudulenter abscedentes B. patris corpus relinquerent, memores iterum prophetiæ B. Columbani, qua prædixerat venturum fore B. Magnoaldum in heremo orientali ad fontes Alpium Iuliarum, ubi B. Narcissus Episcopus Tolosanæ civitatis iussit Diabolo Draconem interficere, quando sanctam Afram convertit ad fidem. Sequenti verò nocte per visionem B. Magnoaldo demonstratum est, ut fiducialiter pergeret, Dominique sibi adminiculum semper nosse adesse. Facto igitur mane iterum orationibus attentius exorati sunt, ut Dominus eis demonstraret viam & voluntatem suam. Adveniente ergo meridie Presbyter quidam ex ipso pago advenit nomine T o z z o, qui iam auditam habebat famam B. Galli, & ideo ad sepulchrum eius veniebat ferens ardentem cereum in manu, quem quidem miro modo illuc attulit, scilicet ut quando noctu proficiscebatur, cereus ardebat, & nullo modo a vento extingui poterat; die verò astante, lux ab ipso cereo per se illico subtracta est. Cumque viderent eum B. Magnoaldus & Theodorus venientem, cereum quippe nihil per ardorem minui, admirantes obviaverunt ei & interrogaverunt, unde veniret. At ille per ordinem exposuit, unde erat, & quomodo ei reuelatum fuit, ut visitaret sepulchrum B. Galli, immo eos, quos inveniret, velle proficisci ad partes orientales, recto itinere duceret, usque dum ad locum desideratum venirent. Illi autem hæc audientes prostraverunt se in orationem Domino gratias agentes, qui talem Ducem eis ostendere dignatus est, & neque per angustam viam errare permitteret, & tunc demum suscipientes Presbyterum deosculati sunt eum, & duxerunt in ecclesiam ad sepulchrum B. Galli, factaque oratione miserunt eum in hospitium suum tribuentes ei, prout poterant, necessaria, & conviatorem eligentes. Sicque præfatus Presbyter pernoctans cum eis orto mane orantes coram sepulchro B. Galli, & benedicentes Deum, atque valedicentes fratribus, qui ibi erant, simul profecti sunt. Arripientes verò iter iuxta lacum Brigantinum relinquentes eum in sinistra parte usque ad locum, qui dicitur Brigantium, pervenerunt, ibi morati sunt duos dies. Tunc verò illis ibi commanentibus, cæcus quidam, qui multorum hominum cognitioni pago in illo consistentium notissimus erat, obvius fuit Beat. Magnoaldo postulans ab eo alimentum necessarium. Ille autem reminiscens Apostolicæ sententiæ dixit: Non sum ego dignus, me æquiparari eius sanctitati, qui dixit, *argentum & aurum non est mihi*, sed in nomine eius, qui & ipsam potestatem dedit, ut faceret, quod fecit, & cæcum illuminavit, aperire oculos tuos imploro, ut videas, & manibus tuis laborando victum acquirere possis. Et hoc dicto linivit oculos cum saliva sua, nec mora, plurimo sanguine ex oculis eius prorumpente aperti sunt, & videns corruit ad pedes eius & dixit, Domine, quoniam Magnus es tu & magna opera tua, ideoque si vis, sequar te, quocunque ieris. Ille respondit, si vis Domino quidem servire, sequere me. Sicque post signum hoc perpetratum ab incolis terræ illius vocatus est Magnus, & profecti sunt ambo, scilicet B. Magnoaldus & Theodorus, secutusque est eos cæcus Domino gratias agens de recepto visu, comitaturque cum eis Dux itineris præfatus Presbyter nomine Tozzo.

CAP. II.

VENERUNT itaque post aliquos dies ad locum, qui vocatur Campidona, ibique repperetunt oppidum valde amœnum, sed penitus desertum. Tunc interrogavit B. Magnoaldus Presbyterum, quomodo ille locus vocitaretur, vel fluvius, qui ibi defluebat? Ille respondit, locus iste ab incolis terræ huius sæpissime visitatur & vocatur Campidona, sed non

ausi

aufi saltim una nocte hic manere propter diversa genera vermium, qui hic sunt. Fluvius verò vocatur Hilara: hilaris autem non est, quoniam multos homines conturbat propter velocissimum suum cursum, eosque potius in mœrorem vertit quam in hilaritatem. Nos autem oportet velocius transire, ne vermes nos hic esse sentiant: quoniam si senserint, magnum impetum facient super nos ad devorandum. Plurimos namque homines, qui causa venationis huc venerunt, devoraverunt, non permittentes eos saltim una nocte hic iacere. Respondens B. Magnoaldus dixit, vere Dominus noster Iesus Christus potestatem habet similiter hos vermes de isto loco eiicere, sicuti habuit eiiciendi ursos & lupos cæterasque feras, immo & vermes, nec non & Dæmones per orationem Domini & Magistri nostri Galli de loco, quē ipse elegit ad construendam cellulam, & ad corpus suum sepeliendum. Nos ergo, permittente Domino, oportet hac nocte hic manere, & dixit ad Theodorum: frater, tuum est orare & Domini misericordiam implorare, ut nobis auxilium præbeat ad eiiciendos vermes de isto loco, & Dæmones, qui in eis latitant: quoniam à te est iste locus construendus & ædificandus. Ideoque oremus pariter, ut Dominus nos exaudire dignetur, & mundemus istum locum, qui est ab hominibus propter timorem vermium inhabitabilis: & hæc dicens prostraverunt se in orationem. Dum verò orarent, egressus est de oppido serpens magnus, qui dicitur Boa, impetum faciens super beatos viros iacentes in oratione. Presbyter ergo, qui eos ducebat, videns eum exclamavit voce magna, dicens: Heu mihi, quia huc vos adduxi, & in fugam versus simul cum eo, qui cæcus fuerat, festinabat ad unam arborem, ut se liberaret.

CAPUT III.

BEATUS verò Magnoaldus confisus de Dei misericordia surrexit, & faciens signum Crucis coram se arripiensque cambocam, quam à Sanct. Gallo acceperat, & crucem, quam secum gerebat, perrexit in occursum vermi & dixit: Impero tibi in nomine Domini mei Iesu Christi, ut hic iaceas, & Diabolus, qui in te latitat, ipse te interficiat adiuratus per Deum vivum & verum. Et cum hoc dixisset, percussit eum cum camboca in caput, & confestim vermis crepuit medius & mortuus est. Cæteri verò vermes, qui intus in oppido & circa ipsum oppidum morabantur, omnes in fugam versi sunt, & nusquam comparuerunt. Sicque mundatus est locus, & morati sunt unam hebdomadam Domino gratias agentes, qui eos exaudire dignatus est.

CAPUT IV.

THEODORUS itaque, ut vidit tam magnum signum factum à Domino & à B. Magnoaldo, surrexit de loco, in quo iacebat, orans, & elevatis manibus ad cœlum dixit: Domine Deus omnipotens, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, tibi gratias refero, te invoco, te adoro, tibi laudes psallo, qui nos liberare dignatus es à tanto periculo & à tali devoratione vermium. Et cum hoc dixisset, concurrit ad B. Magnoaldum, flexoque poplite osculatus est genua eius, nec non quasi lugens manus suas & oculos dixit, vere non vocaberis ultra Magnoaldus sed Magnus, quoniam tibi Dominus tantam gratiam contulit ut per te iste locus purificaretur non solum à vermibus verum etiam à Dæmonibus. Ad hæc B. Magnus, noli dicere, frater, non sum ego Magnus, sed minimus servus servorum Christi, qui nos liberare dignatus est à tali periculo. Tuæ ergo orationes à DEO exauditæ sunt, & ideò non meis meritis, sed de Dei iussione isti vermes recesserunt. Nunc autem voca conviatorem nostrum, & purgemus locum istum, quia Dominus vult eum præparare ad ædificandam cellam. Memento, quomodo patri nostro Sanct. Gallo accidit in loco, quem ipse elegit ad manendum, ita & nobis suis meritis intervenientibus à Domino concessum est. Idcircò nulli dubium sit, quin Dominus velit sibi præparari locum istum. Presbyter verò ut vidit, eos ambos fore incolumes, descendens de arbore, ad quam confugerat, & cæcus, qui visum receperat, simul cum eo prostraverunt se ad pedes eorum, & ait Tozzo: vere Dominus est in loco isto, qui B. Magno tantam gratiam contulit, ut cum sua camboca tale signum inauditum faceret. Nunc autem fiducialiter ducam vos per deserta & angusta loca, usque ad locum, quem elegistis ad manendum, quia video, vobis à Deo tantam potestatem tributam, ut per vestra merita iste locus purificetur, & qui nunc est inhabitabilis, habitabilis efficiatur. Respondens B Magnus dixit, præsentem hebdomadam hic moremur, ut ædificemus oraculum parvulum, ut discat populus terræ istius, qualem misericordiam eis Dominus conferre dignatus est, manseruntque ibi ipsam hebdomadam. Presbyter verò occurrit per vicina loca sibi cognita ad homines, qui ibi morabantur, diffamans hoc signum. At illi venerunt illuc, & attulerunt alimoniam præfatis fratribus sufficientem nimis, admirantes & tanta virtute Dei & plurimi per prædicationem B. Magni Diaconi ad fidem conversi baptizati sunt à præfato Presbytero TOZZONE, & Domino gratias agentes manserunt ibi colentes illam terram & construentes cellulam simul cum B. Magno & Theodoro. Transactis igitur illis diebus, pernoctantibus illis in oratione, die verò laborantibus cum matutinale officium tertia nocte oriente aurora diei surgentes celebrare vellent subito Dæmones in aere volitantes, eiulantes &

cum

cum magno ſtrepitu vel fremitu voces emittentes atque impetum quaſi ſupra Tozzonem præsbyterum facientes clamabant, tu inimice ſenioris noſtri & noſter vt quid induxiſti virum iſtum cum ſocio ſuo in locum iſtum, qui & nos & membra noſtra per quæ multas animas lucrabamur à loco iſto expulit?

CAPVT V.

MAGISTER autem illorum ſemper nos cum ſuis maleficiis ſicut & iſte inuocato nomine Domini vincere cõſueuit. Iſte vero non ſolum nosmetipſos, verum etiam membra noſtra cum terribili nomine Adonai victos habet & expulſos. Hoc audiens præfatus Præsbyter tremefactus eſt, tamen muniens ſe ſignaculo S. Crucis feſtinus ad virum Dei perrexit & indicauit illi quæ viderat & audierat.

CAPVT VI.

TVNC S. Magnus pariter cum Theodoro proſtrauerunt ſe in orationem & huiuscemodi verbis DOMINVM deprecatus eſt dicens; Deus Omnipotens, ineffabilis bonitas & inæſtimabilis pietas, qui nos ſecundum miſericordiam tuam non ſecundum merita noſtra à membris iſtorum Dæmonum & à venenis mortiferis illorum eripere dignatus es: tu auditu placido has à nobis ſuſcipe preces ſicut ſuſcepiſti in his ipſis verbis magiſtri noſtri Galli, & iube hos Dæmones hunc locũ deſerere, vt ſit ſanctificatus in honore nominis tui. Et ſurgentes ab oratione egredientesq; de oratorio audierunt Dæmones clamantes atque dicentes; tu Magne tria nomina portas in capite tuo & cum Trinitate nobis tanta mala obiicis: & tu Theodore quid tibi eſt nobiſcum; Venient dies quando non habebis Magnum iuxta te, & tunc pugnaturi erimus aduerſum te per varios errores, homines terræ iſtius aduerſum te excitantes. S. vero Magnus reſpondens dixit; Miſeri confitemini, ſcitis S. Trinitatem Dei? Et illi dixerunt, ſcimus eam ineffabilem eſſe & immenſam. Et B. Magnus, nunc iam quia confeſſi eſtis B. Trinitatem, impero vobis non meis nominibus infimis ſed per immenſam potentiam Trinitatis, vt hunc locum deſerentes in montes deſertos eatis vbi DOMINVS voluerit, & huc reuertendi vlterius poteſtatem non habeatis: Ad hanc vocem continuo Dæmones eiulantes dixerunt; Heu quid faciemus, alium Gallum hinc habemus: Iſte Gallus peior priore eſt, quia cum ſuis galliciniis nos & membra noſtra pariter eiicit, ſed nec in heremo manere permittit. Porro ex illa die tam pleniter abſceſſerunt & in fugam verſi ſunt, vt poſtea ibi non comparerent, ſicque factum eſt vt ab illo die homines in illo loco tranquille Domino gratias agentes habitare permiſſi ſunt.

CAPVT VII.

HIS ita geſtis B. Magnus Diaconus dixit ad Theodorum, Deo age gratias frater quia Dæmones receſſerunt. Nunc bonum eſt ut locus iſte à te cuſtoditus & conſtructus ſanctificetur, ne populus iſtius loci & qui deinceps venturi ſunt huc ad orandum potius quam ad venandum conueniant. Theodorus reſpondens dixit, mi Domine, iuxta præceptum tuum facio, ſed vt audiero te conſolidatum in loco à Deo tibi electum, veniam & viſitabo te. Et his dictis valedicentes ſeq; inuicem deoſculantes profectus eſt B. Magnus, accepto ſecum conuiatore & duce itineris Tozzone præsbytero, relinquens cum Theodoro cæcum qui viſum receperat. Cœpto itaque itinere tranſitoque fluuio perrexit recto tramite ſicut eum viator ducebat: ſicque venerunt ad locum qui vocatur Epthaticus, & inuenerunt ibi Epiſcopum S. Auguſtæ eccleſiæ nomine Wichpertum. Tozzo igitur propter noticiam quam habebat Epiſcopi præceſſit B. Magnum venitque ad eum & narrauit ei omnia de ſancto viro, quæ audierat & viderat ſeu de itinere eius nec non de aduentu ſuo ad eum, immo & de loco ad quem Dominus eum deſtinauerat ad manendũ. Præfatus autem Epiſcopus interrogauit de qua origine eſſet? Et reſpondit Præsbyter; Domine ſicut audiui à Theodoro, qui nunc eſt relictus ad Campidonam, de Hibernia prouincia eſt ortus. Vt autem audiuit Epiſcopus eius famam bonam ſuſcepit eum benigne, cœpitq; cum eo loqui atque cum honore fouere. Et moratus eſt cum eo paucos dies ſciſcitans ab eo cottidie de B. Columbano & Gallo. Deinde interrogauit eum vbi voluntas ſua eſſet proficiſcendi. Reſpondens B. Magnus dixit, Domino auxiliante directus ſum ad locum qui vocatur Fauces, vbi prope ſunt fontes Alpium Iuliarum, & vbi Draco fuit, qui iubente Narciſſo Epiſcopo à Diabolo interfectus eſt, quatinus Domino annuente quicquid boni ibi ædificare potuero faciam. Nunc igitur Paternitas tua decernat quomodo tua voluntas me ſit agere, quoniam ad tuum imperium prompto animo debeo facere, ſicuti Dominus mihi reuelauerit per os tuum. Ego autem iam ſenex & grandæuus cupio in vltimo meo tempore illum locum ſi tuæ paternitati placet inviſere & Deo ad ſeruiendum præparare. Ad hæc Wichpertus Epiſcopus reſpondit, locus ille valde eſt anguſtus & inhabitabilis populo, etiam feræ diuerſæ ibi morantur, id eſt cerui, apri multi, plurimi vrſi, & propter illorum multiplicationem Dominus Rex Pipinus ad ſuam venationem exercendam illum ſaltum tenet, ſerpentes etiam plurimi ibi morantur.

CAPVT VIII.

B. MAGNVS Diaconus Spiritu ſancto repletus dixit, pater, talem gratiam habuerunt magiſtri mei Columbanus & Gallus, vt quando ad talia loca venerint Dominus noſter Ieſus Chriſtus feras diuerſi generis per orationes illico expulerit ab illis locis, in quibus manere decernebant. Similiter ego credo in Dei miſericordia, quod non permittet eos manere in ipſo loco dum aduenero. Acquieuit autem Wichpertus Epiſcopus verbis ipſius & dedit ei ſolamina ciborum præbens ei conuiatorem ſupra ſcriptum Præsbyterum Tuzzonem, & duces itineris qui eum perducerent ad locum à Deo ſibi deſtinatum. Cumque veniſſent ad locum, qui vocatur Caput equi, iacebat ibi in quodam loco draco magnus, qui non permittebat vllum hominem per illam viam tranſire neque equum, & idcirco vocatus eſt ille locus Caput equi quia omnes viatores reliquerant ibi ſuos Caballos, & pedeſtres ibant ad venandum. Cum ergo B. Magnus Diaconus in vicino loci illius veniret, dixit ad præsbyterum, frater, conſtruamus nobis hic tabernaculum hac nocte ad manendum, & oremus Dominum vt expellat præſens membrum Diaboli ab iſto loco, atque aditum permittere dignetur nobis ad transeundum. Fecerunt itaque vt imperauerat, & manſerunt ibi. In tota autem nocte non ceſſauit B. Magnus orare, & DOMINI miſericordiam implorare, vt Draconem ſubuertere dignaretur. Circa vero mediam noctem ſurgens Beatus Diaconus dixit ad Præsbyterum, mitte mecum hominem qui me ducat ad locum anguſtum vbi Draco iacet, & reſpondit Præsbyter, timeo igitur ne, ſi te illuc induxero, ab eo deuoreris. Ad hæc vir ſanctus, non poſſum timere quia Deus illum tradet in manus meas. Pergamus ergo fiducialiter, quia qui liberauit DANIELEM de lacu leonum, poteſt & me eripere de manu huius beſtiæ. Itaque cum hoc dixiſſet, miſit in peram ſuam panem ſanctificatum, & in manu ſua ſumens picem & reſinam atque Cambocam S. Galli crucemque pendens collo ſuo perrexit & dixit; DEVS Omnipotens, qui eduxit me de regione longinqua ipſe ſicut TOBIÆ famulo ſuo mittat Angelum ſuum mecum, qui me liberet ab ore iſtius Draconis & oſtendat nobis locum deſideriis aptum ſalutaribus. Et hæc dicens muniuit ſe ſignaculo Sanctæ Crucis, & de pane ſanctificato miſit in ore ſuo & paulolum aquæ, ſicque venit ad locum vbi Draco iacebat, relinquens omnes ſocios in tabernaculo præter vnum ſolum ducem itineris. Cumq; vidiſſet eum Draco, illico ſurrexit impetum faciens ſuper eum. Ille habens in manu picem & reſinā projecit in os eius inquiens: Adiuua me Domine Deus meus, & cum hoc dixiſſet confeſtim Draco cœpit ardere & crepens mortuus eſt. Vt autem ille vidit qui cum eo erat hoc peractum ſurrexit continuo & peruenit ad ſocios & dixit, ſurgite, egredimini & venite, quia iſte magnus vir Draconem interfecit. Surrexerunt ergo & inuenerunt B. Magnum Diaconum iacentem in oratione & gratias DEO referentem, dignum quippe erat vt qui tale opus diuino inchoabat amore, inſtantiſſima prece ſemetipſum DOMINO commendaret, quoniam DOMINVS ſicut per os B. Narciſſi Epiſcopi Diabolum compulit vt alium Draconem interficeret, ita & per manus tanti viri fecit ſocium eius per ardorem ignis interire.

CAPVT VIIII.

VT viderunt autem Draconem mortuum deſcenderunt ad rupem, de qua idem Draco impetum facere viſus eſt ſuper ſanctum virum. Præsbyter dixit, gratias tibi agimus DOMINE, qui nobis talem virum & tam magnum oſtendere dignatus es, vt per merita ſua iſta loca purificentur efficianturque habitabilia quæ antea erant inutilia. Facta vero oratione tranſierunt illum anguſtum locum, & venerunt per viam iuxta Licum flumen ad locum quendam amœnum. Habebat autem B. Magnus diaconus pendentem in collo cruciculam, in qua continebantur reliquiæ B. Dei Genitricis Mariæ, & de ligno S. Crucis atque ſanctorum Martyrum Mauricii & ſociorum eius, nec non beatorum confeſſorum Columbani & Galli. Inuenit ergo ſupra præfatum flumen locum valde amœnum & à littore prefati fluminis ſpatio quaſi cubitis triginta arborem pomiferam valde decoram ſuſpenditque cruciculam in ipſa & vocauit Præsbyterum atque proſtrauerunt ſe pariter coram crucicula in orationem. Tum venerabilis vir preces ad Dominum emiſit dicens; Domine Deus meus IESV CHRISTE qui in hunc mundum venire dignatus es & per virginem naſci voluiſti, ne deſpicias deprecationem meam ſed permitte nobis conſtruere in hoc loco oratorium in honorem nominis tui & S. Genitricis tuæ. Finita oratione cœperunt iacere fundamentum, & ædificauerunt eccleſiam. Qua perfecta rogauerunt Wichpertum Epiſcopum vt veniret & eum Domino & S. Mariæ conſecraret. Venit ergo præfatus Epiſcopus ad illum locum admirans valde quomodo illuc peruenire potuiſſent. Dedicauit ergo eccleſiam in honore B. Dei Genitricis Mariæ & S. Floriani martyris, & ſic adminiſtrari cœperunt ad laudem DOMINI noſtri IESV CHRISTI in illo loco diuina officia.

CAPVT X.

IGITVR cum fama virtutum per Confessoris sui merita, quas Dominus in illo loco exhibere dignatus est, venerabili Episcopo nota facta esset, quosdam religiosos clericos in discipulatus eius curam commendauit, qui diuino amore succensi per viginti quinq; annorum curricula obsequia præbentes laudem CHRISTI die ac nocte horis atque momentis iussu eius administrabant. Relictis itaq; patri venerabili quæ necessaria erant, profectus est suprascriptus Episcopus Wichpertus ad gloriosum Regem Pipinum, qui tunc temporis totam Germaniam Galliamque regebat, cum epistola B. Columbani, quam ipse quondam ad Lotharium direxit, flagitans pro sanctis viris Gallo & Magno in regno suo consistentibus, vt eos benigne in amore Domini foueret eisque familiaria loca prout oportunum foret pro sua gratia tribueret, & quoniam Lotharius minime hoc adimplere voluit propter diuersorum inimicorũ Dei infestationes, præfatus Rex propter amorem & petitionem fratris sui carissimi Carlomanni, qui propter DEVM relinquens temporalem regalis gloriæ pompam monasterio se tradidit & eleemosynæ suæ largitatem nec non & petitionem præfati Episcopi ipsum locum sublimare in aliquo largitionis suæ solatio dignaretur. Cumque gloriosus Princeps accepisset Epistolam compunctus ex petitione fraterna diligenter interrogare cœpit suos proceres ex Alamannia qualis ille locus esset, quem præfatus Episcopus postulabat sublimari? Tunc Dux eius Cuntzo ex prouinciis Augustæ & Retiæ respondens dixit; vere Domine Rex ille locus tenuis quidem est facultate, sed optimus ad venandum, si sæuitia serpentium non impediret. Wichpertus vero Episcopus cœpit narrare de virtutibus B. Magni, quomodo Domino adiuuante Draconem interfecit, & cæteras virtutes, quas Dominus per merita & orationes ipsius in illis locis ostendere dignatus est, vel quomodo ille locus purificaretur vbi vir Dei morabatur. Hæc audiens gloriosus Rex Pipinus commotus valde animo dixit, in veritate comperi, quia quamuis ille locus tam tenuis sit facultate, tamen pro meritis tanti viri celebri erit diffamandus rumore, sicuti auditum habemus iam locum esse vbi corpus B. Galli requiescere videtur. Inquisiuit ergo à præfato Duce quomodo in vicinis locis potuisset tributarios inuenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim redditibus Regiis inferre deberent. Et inuenit in ipso vicino loco pagum, qui vocatur Keltinstein sibi per omnia annuatim tributa persoluere. Inter cætera ergo munificentiæ suæ dona quæ impertiuit beato viro dedit ei totum ipsum saltum cum marcha, firmitatemq; in epistola sua fecit conscribi & vectigalia centum & tredecim, quæ ex præfato pago inferri debeant annuatim quatenus pro memoria beneficiorum eius perpetuo ibi permanerent. His Regiæ pietatis Wichpertus Episcopus adornatus solatiis & sublimatus honoribus impertitisque donis optimis B. Magnus à Rege Pipino lætus ad patriam regreditur tribuens Beato viro ea cum omni diligentia, dansque ei potestatem vt in loco sibi commendato ad supplenda B. Mariæ obsequia omnem ordinem canonicæ institueret vitæ. Et ex illo tempore ipse locus à B. Magno exordium sanctitatis accipiens, augmentatus autem & sublimatus à Pontificibus Augustensibus CHRISTI nomen vsque hodie laudabiliter dilatare non desinit.

CAPVT XI.

HIs itaque prælibatis cum audisset Theodorus, qui apud castrum Campidonense morabatur, Beatum Magnum consolidatum in loco quem DOMINVS disposuerat cœpit properare in illas partes vt videret, qualiter & quomodo Domino annuente in his locis moraretur. Vt autem ad eum peruenit cum salutassent se inuicem & deoscularentur oculos pariter & manus, narrauit ei Theodorus diuersa & innumerabilia quæ passus est à paganis Hilargaugensibus: sed tamen quamuis tantas iniurias & calamitates ab eis sustineret, ædificasse se ecclesiam paruam super littus Hilaræ quam postulabat vt apud Wichpertum Episcopum impetraret quatenus illuc proficiscens ipsam basilicam Domino in honore S. Mariæ Genitricis eius consecraret. Venerunt quippe ambo ad locum qui vocatur Epthaticus repereruntque ibi supra scriptum Episcopum in oratorio suo sedentem & orantem. Ergo vt obtutibus eius præsentati sunt, narrauit ei B. Magnus Abba de Theodoro qualiter cum magno labore ecclesiam construxisset in loco Campidonensi & quomodo deprecabatur vt ipse illuc pergeret & ipsam ecclesiam Domino dedicaret. Audiens hæc venerabilis Episcopus dixit ad eos, dicam vobis ego prius quæ nunc cogitabam, & sic congruo tempore DOMINO annuente proficiscar. Vere carissime pater Magne nunc hic sedens cogitabam, vt quia iam te DEVS Omnipotens ita magnificatum habet in illo loco per multa miracula eius, accerserem te proximo venturæ sollemnitatis ieiunio septimi mensis & ad sacerdocii dignitatem superna gratia fauente te promouerem. Inclinato denique capite B. Magnus inquit, cur hanc obiectionem asseris pater? peccatorum meorum squaloribus & flagiciis fœtere me video: idcirco vita mea non est talis, vt amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promouere queat. Ergo noli deprecationem meam abiicere sed DOMINI prouocatus mandatis incipe salubre iter, viamque veritatis desiderantibus aperi: postea mihi

seruo Dei indigno quando paternitati tuæ placuerit sanctum benignitatis munus impende, ne refutare videar quæ à DOMINO disposita sunt super me seruū eius. Et cum hæc diceret viderunt ambo, id est Wichpertus & Theodorus, coronam splendidissimam adhærentem capiti eius in modum rotæ circa solem in nubibus fulgentem. Continuo surgens Episcopus amplexatus est eum & osculans oculos & os eius dixit; DEVS Omnipotens qui per potentiam maiestatis suæ in te tantam virtutem ostendere dignatus est, vt pro eius amore patriam tuam derelinqueres & præcepta eius conseruares, ipse te faciet locum ab eo tibi destinatum custodire & sublimare cooperante gratia Spiritus sancti. Et respondit THEODORVS, Amen. Adhæc iterum inquit Episcopus, bene vocatur iste locus Epthaticus, quia in medio constat inter monasterium B. Afræ & cellulam tuam. His dictis surrexit venerabilis Episcopus & profectus est ad castrum Campidonense, descenditque cum illo B. Magnus comitante simul cum eis Theodoro & venerunt ad castrum. Conuocata autem multitudine populi in die sollemni dedicationis huius ecclesiæ vir venerabilis Episcopus prædicationis dulcedine auidorum corda refecit, sicque petitione eius B. Magnus postea quæ ipse dixerat tanta sapientiæ luce vestiuit corda populorum, vt cum summa gratulatione auditus & ineffabili veneratione ac cunctorum sit honore ornatus. Biduo itaque ibidem manentes cum gratiarum actione populoque benedictione tanti patris armato, & ab Episcopo osculo pacis tributo ad sua reuersi sunt venerabilis Episcopus & S. Abba, relinquentes Theodorum ad custodiendam ecclesiam Campidonensem.

CAPVT XII.

B. Itaque Magno morante in cœnobio suo quod sibi parauerat ad Fauces per viginti quinque annos magnas virtutes ibi operatus est Deus per eum, illuminans cœcos, præbens surdis auditum, Dæmonia à plurimis eiiciens, claudicantibus tribuens gressum. Sicque docuit populum & conuertit ad fidem Christi & ad credulitatem eius vt relinquerent idola vana & surda, & crederent in Dominum Iesum Christum, insuper etiam per orationem eius ostendit Deus venas ferri in montibus gyro positis ita. Post susceptam enim benedictionem sacerdotalem cum ipse circuiret montes & colles per diuersa loca explorans & intuens plurima loca apta ad manendum, quadem die ascendens in montem excelsum, qui vocatur Swiling inuenit ibi plurimos vrsos comorantes in maxima ferocitate, sed facta oratione cœperunt ante eum tam mites incedere, veluti boues qui ante bubulcum pergunt ita irent ante eum. Vir ergo sanctus prostrauit se in figuram crucis ad terram & preces deuotas Domino effudit, vt populo in illo pago moranti aliquod adminiculū præberet ad victualia acquirenda. Interea vrsus vnus appropinquans ad eum cum magna mitigatione cœpit cum pede monstrare abietem magnam, quasi significans quod sub ipsa arbore copia venarum ferri esset. Hoc vt homo Dei vidit, dixit ad feram, præcipio tibi in nomine Domini mei vt ad ipsam abietem eas, & quia securim non habemus neq; fossorium vt possimus radices eius incidere neq; effodere, tu in nomine Domini cum pedibus & dentibus tuis radices eius euelle rumpendo quatinus nobis Dominus demonstret suam voluntatem in adiutorio populi istius terræ. Ad eius ergo præceptum belua conuersa cœpit radices arboris rumpere & cum dentibus frangere. Illa vero cum radice funditus ab vrso effossa corruit. Vir denique benignissimus gratias Deo agens assumens panem de pera sua integrum famulanti porrexit, & ei ita præcepit: In nomine DOMINI mei IHESV CHRISTI panem istum manduca & sequere me, atq; ad istum locum hominem quem tibi monstrauero, absque vlla læsione adducere stude, defendens eum ab aliis feris si eum lædere voluerint, & hoc facto circumposito, montes & colles cum aliis feris habeto communes, ita vt nullum hic hominem lædatis, neque pecora eorum. Et his dictis reuersus est B. Magnus ad cellulam suam secutusq; est eum vrsus sicut canis qui sequitur dominum suum.

Ergo vt ad cellam appropinquauit, vocauit hominem suum, nomine Luitonem, & præcepit eum venire & afferre secum securim & fossorium atq; asciam, & commendauit eum vrso & ait, istum hominem sanum & incolumem perduc ad locum, quem Dominus ostendit nobis, & caue ne aliquam læsionem ab aliis feris patiatur. Belua itaq; conuersa obediens iussioni eius cœpit pergere ante hominem, & aperire viam atq; monstrare semitam adduxitq; eum ad locum incolumem, vbi arbor corruerat, nullam aliam feram permittens ad eum appropinquare donec vir effodiens saccum suum metallo impleuit & per eandem semitam vsque ad cellulam viri Dei reduxit. Hoc facto vrsus ad saltum reuersus est. Homo vero prostrauit se ad pedes B. Magni & dixit, vere Domine nunc cognosco & certus sum, quia Dominus omnino est tecum, quoniam & bestiæ heremi obediunt tibi. Nam me vrsus ita prouidit & custodiuit, vt nec alias feras ad me accedere permitteret. Ille dixit ei, caue diligenter ne alicui hoc dicas, dum ego vixero, sed præpara aditum cæteris hominibus sicut ipse vrsus te duxit quatenus viam noscant illuc proficiscendi, & Domino annuente deinceps opem habeant ad victualia cæteraque necessaria per ferrum acquirenda. Ab illo ergo die notæ factæ sunt incolis terræ illius in illo loco & gyro diuersæ venæ ferri per merita & orationes B. Confessoris Christi Magni.

Caput XIII.

CVmq; transissent viginti quinque anni & Dominus illum locum per merita tanti viri sublimare decreuisset, Wichperto Episcopo defuncto XIIII. Kalendarum Maiarum Tozzo per electionenm B. Magni ad Pontificatus honorem à Pipino glorioso Rege iam in vltimis suis diebus perductus est. Sed finitis XXVI. annis beatus Pater ægrotare cœpit atque in infirmitate febrium languescere. Misit ergo ad Theodorum sodalem suum, qui tunc temporis in Campidonensi cellula morabatur, & accersiuit eum, vt accelerarét atq; eum uisitaret, & sua visitatione fidelissimum refoueret amicum. Audiens hoc Theodorus commotione maxima de inualitudine tanti viri animoq; mœsto celeriter in illas partes profectus est, sumens secum Prout poterat ea, quæ in infirmitate laboranti nouerat congruere. Veniens autem ad præfatam cellulam inuenit beatum virum in maxima infirmitate detentum, & misit celeriter ad Tozzonem Episcopum intimans ei vt veniret & tantum patronum priusquam ab hac luce discederet visitaret. Cum audisset hoc præfatus Episcopus velociter in illas partes profectus est, & peruenit ad cœnobium beati Viri. Cumq; B. Magnus in infirmitate maxima laborasset, videns hoc Episcopus cœpit flere & dicere, cur sanctissime Pater me in his periculis quasi orphanum dimittis? Ad hæc B. Abba inquit, noli flere venerabilis Præsul, quia me in tot mundialium perturbationoum procellis laborantem conspicis, quoniam credo in misericordia Dei quod anima mea in immortalitatis libertate sit gauisura, tamen deprecor, vt orationibus tuis sanctis me peccatorem & animam meam non desinas adiuuare. Inter hæc verba B. Magnus per dies tredecim laborans expletis viginti sex annis orationis suæ in illo cœnobio ætatis vero suæ annis septuaginta tribus in die S. Dominici & in octaua Idus Septembris commendans se Deo & venerabili Pontifici in senectute bona circa horam nonam diei ipsius sanctam animam Domino reddidit de huius vitæ liberatus ergastulo. Flentibus Episcopo & Theodoro coram lectulo eius, exaudita est vox; veni Magne veni, accipe coronam quam tibi Dominus præparatam habet. Audita ergo hac voce dixit Episcopus ad Theodorum, cessemus flere frater, quia potius nos oportet gaudere de animæ eius immortalitate in hoc signo audito quam luctum facere: sed eamus ad Ecclesiam & pro tam carissimo amico salutares hostias Domino immolare studeamus. Finito itaq; fraternæ commemorationis obsequio, inuenerunt ambo sarcofagum optimum lapideum à quodam Duce antiquis temporibus nomine Abuzaco constructum, qui & ipsum construxit & à suo nomine similiter Abuzacum vocauit: sed non fuit in ipso sarcofago quisquam positus neq; sepultus. Purgato ergo ipso sarcofago assumpserunt sanctum corpus & recondiderunt in loco, vbi ipse Pater sibi oratorium construxerat, & cooperuerunt humo ponentes eius vitam ad caput eius scriptam virtutibusq; plenam sub auctoritate Theodori ita; Ego itaque Theodorus monachus S. Galli iussu Tozzonis Episcopi sicut à Theodegisilo monacho S. Columbani audiui & postea ipse oculis meis vidi & auribus audiui, seu postquã me reliquit in cellula Campidonensi plurima, sed non omnia in pictatio meo scribere curaui & ad caput eius posui recõdito eo in sepulchro quatenus futuris temporib. quando Domino reuelante corpus eius sanctũ inuentum fuerit, sicut Domino annuente illi, qui tunc pastores & rectores sanctæ ecclesiæ fuerint inuenerint iustum & dignum, ita ea, quæ corrigenda sunt corrigant, & quæ emendanda emendent, nec non pro me seruo Christi intercedere non dedignentur, quatenus orationibus tanti patroni suffultus anima mea in requiem sempiternam procedat.

ERMENRICI ELEVVANGENSIS MONACHI.

SVPPLEMENTVM.

VEnerabilis vero Episcopus post obitum B. Patroni Magni prout potuit ipsum cœnobium semper cum suis custodiuit secundum facultatem loci regens & gubernans atq; disponens ea, quæ ad ipsum monasterium iure pertinere debebant, custodiens sanctum corpus cum clericis & officiis diuinis atque luminaribus vsque ad obitum suum, qui permanens post discessum B. Magni in Pontificatu annos quinque & menses tres septima decima Kalendarum Februarii vitam secularem finiuit, tradens ante obitum suum hereditatem suam ad sepulchrum B Magni cum firmitate & astipulatione secundum legem Alamannorum, sepultusq; est à clero suo sub testimonio in eadem hereditate.

Caput XIIII.

DEnique post obitum gloriosi Regis Pipini filiis eius litigantibus erectus est Huotilo in ducatum Baioariorum & Gotefredus in regimine Alamannorum, sicque orta magna seditione inter Baioarios & Alamannos deuastantibus & deprædantibus seu spoliantibus omnia, quæ in marchis duorum regnorum consistebant, minime quiuit Theodorus fidelis monachus S. Galli custodire locũ Campidonẽsem propter varias persecutiones, sed relinquens illum locum profectus est iterum ad monasterium B. Galli, inuenitq; B. Othmarum Abbatem ipsius monasterii iam senem & grandæuum prouectæq; ætatis, sed Spiritu sancto plenum & virtutibus diuinis

imbutū, narrauitq; ei omnia de B. Magno Confessore Christi, quæ acciderant & de loco Campidonensi seu de persecutione plurima quā passus est à paganis vel à malis Christianis. Hæc audiens B. Othmarus dolens & mœrens de tanta persecutione, seu & iam de sua quam jam à pessimis Comitibus Warino & Ruodhardo patiebatur, quendā de fratribus eius Perechtgozum monachum optimum, virū prudentē, cum quatuor monachis aliis illuc direxit, qui ipsum locum custodirent donec Domino opitulante pace reddita iterum à Rege Karolo sublimaretur, permittens Theodorum morari in monasterio B. Galli vsq; ad obitum suum. Igitur Karolo Rege consolidato & confirmato in prouinciis Galliæ restaurans & reædificans ecclesias, quæ à malis inuasoribus desolatæ erant, totam Germaniam Dominus eius subiugauit imperio, interfectis Principibus Germaniam possidentibus. Cumque audisset de B. Othmaro multa iniuste acta, cumque per contumelias impiorum ad finem vsque perductum, nec non cœnobium Campidonense & ciuitatem Augustensem quippe & monasterium S. Magni & cellam S. Afræ pæne destructam & desolatam, compunctus corde iterum reædificare cœpit ipsas ecclesias & sublimare. Constituit autem Episcopum Sintpertum nomine in ipsa ciuitate, restituitque omnia quæ ab antecessore suo Pipino illuc tradita fuerant, insuper & addidit plurima, susceptoque Episcopatu Sintpertus profectus est ad Augustam Vindelicam, & per annos fere triginta rexit ipsa monasteria construens basilicam S. Afræ & restaurans cænobium S. Magni. Parrochiam vero ambarum partium Lichi fluminis per auctoritatē Domini Leonis tunc temporis Papæ & confirmationem Domini Karoli iam facti Imperatoris in vtroque regno simul Domino fauente coadunauit. Qualiter ergo corpus B. Magni repertum sit, & inter cæteras virtutes, quæ ante sepulchrum eius Dominus per merita sua reuelare dignatus est, & quam maximam partem reperto corpore suo manifestavit, non est silendum.

CAPVT XV.

DEfuncto autem Sintperto Episcopo, Lanto Episcopatum suscepit, sed cum non amplius, quam septem annos in Pontificatus honore ipsam sanctam ecclesiam regere videretur, minime quiuit aliquid ex his rebus sublimare, nisi tantum in Baioaria propter suam progeniem, quam ibi præsens habebat, ea quæ potuit ad ipsam ecclesiam acquisiuit. Transactis a. post acceptum Episcopatū septem annis, successores eius, qui in ipsa sancta ecclesia cōstituti sunt; primus Nitkarius cœpit à fundamentis ecclesiam B. Magni construere: cæteri vero præsules eum subsequētes prout potuerunt similiter cōstruxerunt, tamen non fuit aula basilicæ ad præfectionem operis perducta donec Domino annuente à gloriosissimo Rege Ludouico Filio Ludouici clarissimi Imper. Lanto ipsam sanctā sedem eo tribuēte adeptus est. Cōsecratus ergo beatus vir in pontificatus dignitate quinto anno Episcopatus sui ecclesiam perfecit & omni pulchritudine decorauit, sanctumq; corpus infra mediā ecclesiā requiescere sinens sicuti prius positum fuerat, cum omni diligentia & honore donec cum Archiepiscopo suo & cum cæteris fratribus suis inueniret si eum auderet ab illo loco ad aliam transferre. Consilio autem inito cum Archiepiscopo suo sanctæ Magotinensis ecclesiæ nomine Otkario & cæteris Episcopis suis suffraganeis, inuenerunt dignum fore sanctum corpus ab illo loco in meliorem & sublimiorem si Deus vellet transponere. Sicque reuersus cum licentia piissimi Regis Ludowici ad propria, ad cœnobium B. Magni accelerans gratissimum omnibus qui aderant manifestauit se cum Episcopis suis repperisse consilium. Erat autem quidam frater in eodem monasterio ex pago Duria ortus, & quamuis pauperculus, tamen ex liberiori genere ortus. Cumque ibi moraretur, & assidue quasi cottidianum victum suis laboribus quæritaret, graui quodam dolore in latere percussus per spatia temporum longa infirmitate contabuit, ita vt ab humero videlicet vsque ad dexteram corporis partem in vno latere vlcera saniem emittentia parerent quam plurima. Qua infirmitate adeo aggrauatus est, vt vix sine aliorum adminiculo gressum mouere potuisset. Lanto vero Episcopus conuocatis plurimis Presbyteris ex parrochia sua indixit triduanum ieiunium Domini misericordiam implorans, vt transactis tribus diebus sanctum corpus reuelare dignaretur, cuiusque meriti esset ostenderet. Sequenti itaque tertia nocte dum corporale medicamentum illi ægro adhibitum nil prodesset & à semet ipso atque à cunctis eum conspicientibus iam iamque in desperationem lapsus esset, vidit in somnio sibimet assistere grauitatis senem placidoque vultu blandis sermonibus infirmitatis suæ causas inquirentem. Cumq; æger se interroganti ex ordine infirmitatis suæ replicaret euentum, dixit ad eum senex; postula fili Episcopum præsentem, vt quando hodie corpus meum inuenerit illudq; à crypta in qua iacet abstulerit ipsam cryptam tibi osculari permittat, & dum osculata fuerit sume cineres de ipso loco & misce cum aqua atq; ex oleo sancto simul & ante altare nouū quod constructū est prout poteris te prosterne, nec non vlcera tua omnia perungere roga. Et si hoc feceris, Dominus te continuo pristinæ sanitati restituet. Euigilans ergo æger facto mane venit ad ecclesiam, & quod in somno audierat custodi ecclesiæ retulit, & cum illo basilicam ingressus ad pedes Episcopi prostratus sicut edoctus fuerat Episcopo narrauit: Pontifex ergo diutius cum Presbyteris orans inter angustias ac gemitus assumpto fossorio cœpit fodere & inuenit sarcofagū lapideum splendentē, in quo sanctū corpus iacebat more carbunculi optimi. Aperto itaq; eo inuentum est corpus eius totum illæsum, & vita eius ad caput positum, sed membra tantum fuerunt tabida, vt vix à quoquam legi potuissent. Corpus vero tantum quasi colore mutato iacebat candidum & congruo satis miraculo indicia

ſanctitatis eius primo claruerunt. Nam Epiſcopus eleuato corpore de ſepulchro permiſit cuſtodi eccleſiæ, vt ægrum afferret quatenus ipſe ſecundum viſionem ſibi oſtenſam perficeret. Cuſtos vero eccleſiæ ablato corpore, puero permiſit eum locum oſculari in quo ſanctum corpus iacuit, ſumensq; cineres de ipſo ſarcofago miſcuit cum aqua & oleo ſancto & perunxit puerum ægrum ea parte quam dolor poſſederat. Die vero altera ſciſcitatus eſt Epiſcopus à cuſtode eccleſiæ quid de ægro puerulo actum eſſet. Cuſtos itaque arrepto curſu ad manſiunculam eius cucurrit, vt videret quid de eo Dominus per promiſſionem S. Magni oſtenſum haberet. Mirum opus diuinæ operationis actum, rem cognitam fecit, quia ſicut præterita die vlcera patebant quam plurima, ita alia die abſque aliqua læſione ſana ſunt reperta ac ſi vix ſaltim cicatrix inueniri potuiſſet. Tunc demum Epiſcopus eum ſuſcipiens ante ſepulchrum B. Magni ſanum incolomemque adduxit, ſicque gratiarum actionibus Domino de tanto miraculo peractis ob memoriam redditæ ſanitatis ipſe puer Domino ſemetipſo & S. Magno obtulit quatenus reliquum vitæ tempus in eiuſdem ſancti loci excubiis diebus vitæ ſuæ fideli deuotione tranſigeret.

CAPVT XVI.

HIs igitur ita tranſactis de corpore S. & B. Magni, aſſumpſit ſecum præfatus Epiſcopus Lanto pictatium pæne putridum, ſed tamen diuina ſanctiente prouidentia paginæ licet obſcuræ, tamen ad legendum ſunt conſeruatæ, & accerſiuit quendam monachum prudentem & induſtrium ex monaſterio Elewanga nomine Ermenricum, tradiditq; ei ipſos quaterniones ad legendum & corrigendum atq; emendandum. Ille autem aſſerens ſe minime ita doctum eſſe vt tale innouaret atq; prout dignum erat inſerere valeret, neceſſitatis obedientiæ cōſtrict⁹ ſuſcepit illud pictacium, & ſecundum virium ſuarum conſiderationem iuſſionem Pontificis contemnere nolens adimpleuit, quæ ibi inuenit ſcripta reuocans & corrigens omnia atque Domino annuente ſeriem confuſam capitulorum luminibus emendauit. Quanta vero & quam plurima ſigna ante ſepulchrum B. Magni poſt orationem eius corpuſque reconditum Dominus ibi reuelare dignatus eſt, omnia ſcribi valerent, faſtidium potius facerent nauſeamque legentis menti, quam à ſtudioſis propter copiam poſſent comprehendi memoria. Nunc ergo ad laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſemper ſanctos ſuos glorificat hæc pauca inſerta ſunt, quatenus lectoris animus deuotus exiſtat potius ad legendum vel auditoris promptus ad audiendum, quam tædio aliquo aut nauſea rugata fronte minime poſſit læta mente percurri. Itaque ſufficiant iſta de tanto patrono conſcripta. Sed obſecremus eum, vt ſicut ſanitatem corporum animarumq; adorantibus eum multis ſuis meritis à Domino contuliſſe credimus, ita noſtris mentibus diuinæ miſerationis medelam implorare dignetur, vt peccatorum noſtrorum remiſſionem conſequi mereamur & vitam æternam adipiſci, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat & gloriatur ſine fine Deus per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

ADDITIO

Celebratur autem ſollemnitas S. Magni Confeſſoris Chriſti atq; Abbatis quarto Idus Septembris ad laudem & gloriam nominis Domini.

Explicit Vita Sanctiſſimi atque glorioſiſſimi Magni confeſſoris Chriſti.

ANONYMI SCRIPTORIS HISTORIA.

DE VITA S. FINDANI CONFESSORIS.



VM Deus Omnipotens electos suos, quos ad vitam ante mundi constitutionem prædestinauit æternã, diuersis huius mundi curis occupatos ac varia studia sectantes ineffabili misericordia ad perfectioris vitæ instituta perducere soleat, modis quidem diuersis ex purissimo tamen clementiæ suæ fonte manantibus, nobis quoq; haud absurde visum est memorabilis viri, qui nostris imitabilia fecit exempla temporibus, prædicabilem verbis compendiosis conscribere mentionem, quatenus & nobis hæc sæpe legentibus & posteris aliquid ad profectum suum afferant vtilitatis. Vir igitur quidam nomine Findan genere Scottus, ciuis prouinciæ Laginensis, quibus occasionibus ad perfectionem vitæ peruenerit quibusque temptationibus ac laboribus sit frequenter attactus, hinc enarrare Deo fauente conabimur. Prædicti ergo viri sororem gentiles, qui Nordmanni vocantur, plurima Scottiæ insulæ, quæ & Hibernia dicitur, loca vastantes inter alias fœminas adduxere captiuam. Tunc Pater ipsius filio suo Findano præcepit, vt accepta pecunia sororem redimeret, & ad patrem reduceret. Qui sumptis secum comitibus pariter & interprete iussa patris implere desiderans, amoremque fraternum pio corde conseruans, in eodem mox itinere à paganis tentus atque in vincula coniectus, nec non & ad naues ipsorum, quæ proximo in litore stabant, est sine mora perductus. Ipso vero die & nocte sequenti catenis ligatus sine cibo potuq; permansit. Mane vero Nordmannis consilium ineuntibus atque aliquibus, quibus mens sanior erat & (vt credimus) à Deo instigata humanitas, referentibus, quod illuc venientes pro aliis redimendis vi teneri non debuissent, inde ipse hoc modo liberatus est. Igitur piissimus Dominus famulum suum adhuc in laicali habitu constitutum, sciens inter omnia postea sibi deuotissime seruiturum, iam tunc liberare dignatus est de manibus hostium. Vice quoq; alia cum multitudo hostium eorundem eum in quandam domum fugientem insequeretur, & ipse post ostium latitaret, nemo ex illis ipsum reperire poterat, quamuis circa ipsum huc illucque discurrerent. Nec hoc silendum arbitramur, qua occasione peregrinationem susceperit, etiam laudabiliter adimplere conatus fuerit. In eadem Laginensium prouincia inter duos Principes grandis orta est seditio. Vnius ergo Principis miles fuit pater Findani prædicti, qui de contraria parte hominem occidit. Quod audiens Princeps contrariæ partis nimia succensus ira continuo domum patris Findani magno stipatus exercitu, omnia illius ipsumque ferro flammaque perditurus adiuit, venientesq; noctu domum armis cinxerunt ignemque ad tecta iacientes patrem ipsius Findani de ignibus foras progredientem iugulauere. Findanum vero in alia domo manentem cum similiter ignibus circumdedissent & se pro foribus viriliter defendentem, apprehendere nequiuerunt, sed ipse per medios ignes & hostes diuina videlicet eum gratia protegente parum læsus elapsus est. Fratrem vero eius qui in eadem domo fuerat, occiderunt. Inde igitur inter vtramque gentem magnæ concitatæ sunt inimicitiæ inexorabilesq; discordiæ: sed post haud longum temporis interuallum interuentu quorundam fidelium pecunia non modica Findano suisq; data vtraque pars in pacem rediit. Eodem vero anno hostes Findani timentes ne vindicta super eos veniret, & dolor paternus in corde Findani reuiuisceret, pariterque eum exstirpare volentes hoc modo dolus in corde meditati sunt. Inito consilio Findano præparauere conuiuia in locis mari contiguis, ad quæ Findano inuitato Nordmanni venientes & de medio conuiuarum ipsum rapientes, sicuti cum inimicis eius consiliati sunt, artissimis vinculis conligauere & secum pariter abduxere. Iuxta morem ergo suum Dominus eius Nordmannus, quia nec dum ad patriam suam redire cupiebat, alii illum vendidit, & mox ille tertio, atq; ipse quarto, qui sociis collectis patriam reuisere desiderans hunc secum cum aliis in captiuitatem duxit: Cum ergo media æquoris spatia nauigando transissent, ecce occurrerat quædam classis eiusdem gentis, & vnus de his in nauem, qua Findanus erat, ascendens interrogauit insulæ qualitatem & qualiter ibi erga illos accidisset. In ipsa autem naui erat quidam, cuius fratrem ille qui hoc inquisiuit occiderat, & continuo ab eo cognitus ac simul interemptus est. Quod ipsius socii videntes pugnæ se præparauerunt, & duæ naues acri certamine diu dimicauerunt. His ita litigantibus Findanus in vinculis cõstitutus Domino suo ac sociis sese erigens auxiliũ ferre volebat. Interuenientibus autem cæterarum populis nauium & bellantes ab inuicem sequestrantibus eo modo nauis, qua Findanus inerat, absq; læsione recessit. Dominus ergo eius recordatus deuotionis, qua sibi etiam vinculatus subsidium ferre volebat, ac fidem talem remunerari cupiens, mox eum vinculis absoluit, & bene sibi cum eo futurum esse pollicitus est. His ita gestis ad quasdam venere insulas iuxta Pictorũ gentẽ, quas Orcades vocant. Illis igitur de classi in terram descendentibus, & corpora reficientibus, atq; per insulas huc illucq; discurrentibus, pariter & ventum prosperum expe-

expectantibus, Findanus & ipse licentia percepta loca insulana cœpit disquirere, ac de salute sua atq; fuga anxia mente cogitare. Ignotis igitur in locis saxum ingens reperiens sub illo se statim occultare curauit. Quam rupem æstus maris increscens subire solebat. Quid igitur ageret, quo se verteret ignorabat. Hinc eum pontus vrgebat, illinc hostium timor circa eum discurrentium & super Saxum, quo latebat, ambulantium & vndiq; illum ex nomine suo vocantium vehementer angebat. Malens itaque rabiem ponti sufferre quam in manus hominum vniuersam beluarũ ferocitatem exsuperantium incidere, spretis vndarum molibus die illo nocteque sequenti in ipso loco ieiunus permansit. Crastina autem hostibus in alia ipsius insulæ parte manentibus recedenteque maris æstu, qui fores speluncæ contingens interdum quoque flatu ventorum actus fluctus ire compellebat in antrum, Findanus exsurgens manibusque per loca dumosa metu paganorum repens exitum diligentissime omnia perlustrans inuenire cupiebat. Putabat autem terram esse contiguam ab hominibus habitatam. Finem vero insulæ cernens deprehendit vna parte magno mari cinctam, alia sinu haud modico circumdatam. Itaque cuncta corporis firmitate destitutus nimiaq; valitudine, quam ex vinculis fameque contraxerat obsessus aquis se credere non audebat. Per tres itaque dies continuos insulam peragrans exitumque quæritans duplicato labore herbis tantummodo & aqua sustentatus ibi mansit: tertia tamen luce cum monstra marina immensaque delphinum corpora prope litus ludere volutarique conspiceret, divina præventus clementia hæc secum tacita mente pertractans, has imo cum lacrimis fudit de pectore preces; Deus qui & hæc bruta animalia & me hominem creasti, quique illis mare pervium & me terris tuta figere donasti vestigia, solita mihi pietate in præsenti tribulatione succurre: tibi Domine ab hac hora corpus & animam meam devoveo servituram & nunquam ad mundanas animum retorquebo inlecebras: te propter limina Apostolorum petam & peregrinationem suscipiens ad patriam nequaquam sum reversurus: totis viribus tibi deinceps famulabo, teq; sequẽs lumina tetrorsum flectere nolo. Hac igitur constantia fidei armatus omnibus ut erat vestibus indutus immisit se in aquas. Mira dicturus sum: ita continuo divina pietas vestes eius rigidas fecit, ut his sustentatus mergi nequiverit, & quasi ipsarũ natatione ut sibi videbatur per tumidos fluctus inlæsus veheretur ad terras. Ascendens igitur altissima montium cacumina sicubi villas vel tecta fumantia cernere posset exiguo herbarũ victu binos iterũ duxerat dies. Cum ergo tertia terris inluxisset aurora, ecce homines eminus vidit ambulantes. Quos cum vidisset alacritate mentis exultans licet ignotos adire non dubitavit. Tunc illi susceptum eum ad vicinæ civitatis duxerunt Episcopum, qui & ipse in Hibernia insula litteralibus erat studiis inbutus, & eiusdem linguæ notitia satis eruditus: cum quo per biennium moratus multis humanitatis atque largitatis eius beneficiis est usus. Ipse autem Findanus promissionis suæ recordatus collectis sociis acceptaq; licentia sui Episcopi Galliarum partes paravit adire. Hinc Martini sedem petens, postea Franciam, Alamanniam, Langobardiamq; peragrans, proprio demum pedum labore Romam pervenit. Inde reversus quendam nobilem virum in Alamannia adivit, cum quo in clericatu IIII. annis permansit, per singulos abstinentiæ virtute proficiens & nova exempla semper ostendens. Tunc senior eius in proprio monasterio, quod Rinaugia vocatur, eum monachizari fecit anno Dominicæ incarnationis DCCC. ætatis vero suæ LI. ubi per quinquennium singulos virtutum gradus ascendens tandem majore profectus amore succensus in artissimo loco se reclusit & inaudita corpus abstinentia perdomuit.

CAPUT II.

FIndanus cum recludi voluisset, & instantibus precibus pro hoc Domini voluntatem scire al cluit, laboraret, vox huiuscemodi ad eum delapsa est; * *Isket duit o Dia anathesetin dabdane*, licet tibi à Deo post alios remeare.

*Id est, licet sibi à Deo ire in abbatiam.

CAPUT III.

CVm permissu Abbatis sui quartam partem panis in cottidianum victum sibi, ut cæteris fratribus deputati uno anno, & in altero maiorem iam adgrediens parcitatem dimidiam, & in tertio tertiam quarta sibi solummodo parte reservata libens pauperibus erogavit.

CAPUT IIII.

PRo lectisterniis lapides velatos adhuc inter fratres pausans corpori occulte supposuit atq; paulolum requievit, donec cunctis quiescentibus secreto se in orationem dedisset. Accidit vt quadam nocte consuetudinariis incumbens orationibus Dæmonem in similitudine hominis cuiusdã miræ magnitudinis ore aperto, linguaq; emissa, manibus expansis, oculis minacibus videret, & cum impetum in eum facere vellet facto signo crucis evanuit: ipse tamen interritus matutinalia coram altari in modum crucis stans expectavit officia.

CAP.

CAPVT V

Reclusus iam cum tanta fames eum vrgeret, vt panem totum & plus manducare vellet in natale S. Patricii, quæ tunc forte aduenerat, Deum sedulo rogauit, vt huiuscemodi ingluuiem ipsius interuentu à se auferret. Qui mox post orationem & lacrimas, quas incomparabiliter etiã in leuibus rebus fundere solebat, tale oraculum aure percipit propria lingua prolatum; *Ataich Cristosus Patric Artmache, farna feiltãm nakisetteilbruebir tart doit teilco, il farkysel. & ex hoc edacitatis vitium minime sensit.

*Id est, obsecra Christum & Patricium Arthmachensem.

CAPVT VI.

Item foris positus priori anno, quo claustrum erat ingressurus, omnibus noctibus stans in ecclesia in oratione pernoctauit. Igitur priori nocte antequã S. Blasii reliquiæ illuc de Roma venissent, more solito in basilica orans vidit subito corporalibus oculis columbam super altare consedisse, sensimq; inde in cryptam volantem disparuisse. Crastina ergo super ipsum altare easdem posuere reliquias, super quod Dei famulo ante apparuit hæc auis astitisse.

CAPVT VII.

Foris positus procedenti quoq; tempore cum similiter noctu intra basilicam solus existeret, vt prædicti Martyris suffragia his verbis imploraret, dicens? S. Blasi qui peregrinus his locis sicut & ego, esse cognosceris, pro meis ad Deum intercede peccatis. Cum hæc ingeminans lacrimas more suo vberrime fudisset, stans ante altare, quo sanctæ positæ fuerant reliquiæ, non inclinatus, sed erectus, sed tamen, vt referre solebat, obtutibus paulisper obtenebratis vocem audiuit huiusmodi; *Sedes tua in cœlo iam dimissis peccatis parata est.*

CAPVT VIII.

Iterum in artissimo loco constitutus, de quo cum oportunum fuerit pleniter expedire conabimur, cum mane diei futuri reliquiæ sæpe memorati Martyris ab eodem loco in vicinum saltũ deportandæ fuissent, præfatus Dei famulus magno exarsit desiderio, vt ipsius Martyris reliquias propriis efferre humeris mereretur, cum iam dudum in eodem loco positus voto se constrinxisset inde numquam se exiturum. Vt igitur Dominus desiderium pauperis (vt ait per Prophetam) exaudiens adimpleret ac famuli deuotissimi vota rata esse concederet, eadem nocte visus est sibi pontem Rheni fluminis, per quem de ipso monasterio exitur, cum copiosa multitudine transisse, columbam quoque humeris suis insedisse & eam se, vt cupiebat, humeris deportasse, inde alios petere, iterumq; sibi volantem adesse. Cæterum ostensionem loci ipsius in Fauariensi monasterio adhuc degenti & de hac perfectione iam meditanti nobis ipse referens, licet impulsus ac pene coactus, hoc etiam intimauit, eadem videlicet loca aquis esse circumdata & frequenti circuitu plures efficientia insulas.

CAPVT VIIII.

In natali S. Columbæ iterum temptatione afflictus & in dubitatione positus si paruam annonam, quæ ad victum cottidianum, sicut aliis monachis, ipsi quoq; dabatur, pauperibus erogare debuisset. Reputabat enim secum ne si cibos de aliorum labore sibi oblatos pauperibus erogasset, hinc Deum offenderet. De hac igitur re Domini voluntatem per intercessionem S. Columbæ precibus & lacrimis requirebat. Cui tale continuo responsum voce suauissima *diuinitus direxit; *Cucendo chach cukennde t faden, maith det faden maith do chach.*

*al. diuinitas.

CAPVT X.

Primis quoq; diebus, quo pœnalem locum, quem in hoc mundo pro Dei amore delegerat, intrare illum contigit, gulæ nimium vicio temptatus est. Nam vsq; ad horam, qua cæteri reficiebantur, expectare nequaquam poterat, sed etiam donec euangelium à cibo abstinere nequiuerat, qua sugestione vehementer affectus & vltra quam credi potest erubescens ad solita confugit auxilia. In festiuitate quippe S. Aidani Episcopi audiuit, cum illius imploraret adminicula, huiuscemodi vocem; *Ainmne ilao ocus in naidchi ni longe colongece ledremui noferfas frui thiu*, qua voce statim temptatio ipsa sedata est.

CAPVT XI.

Inclusus vero tantam multitudinem spirituum imundorum noctu conspexit, vt terram simul & arbores, quas Rhenus hinc inde cingit, implere viderentur: cumq; diu horrisonas darent voces, sancti viri præcibus disparuerunt & vlterius illi nusquam comparuerunt.

CAPVT XII.

In festiuitate quippe S. Brigitæ Virginis non modicam pauperum turbam, vt sibi moris erat, collegit: carnem totam, quam habuit iuxta numerum adgregatorum, particulatim incidi præcepit. Hoc autem facto, ecce tanti pauperes vt aderant inprouise venerunt. Vir vero beatus in aduentũ eorum Deo gratias agens particulas, quas ad numerum prius commeantium parare iussit, in Dei largitate confisus, qui quinq; panes V. milia virorum multiplicauit, distribui fecit. Sed licet numerus geminaretur egenorum, & nihil de carnibus vel ab illo vel à quoquam adderetur, vnicuiq; tamen sua particula ex eadem caruncula inueniebatur.

Capvt XIII.

Findanus igitur patronus noster artissimo loco inclusus, qui situs est ad septentrionalem partem basilicæ S. Mariæ Genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, xxii. annos incomparabiliter corpus perdomuit. Nam post primum supradictorum annum cilicio indutus erat, calore ignis numquam refectus non pausans in lectulo, balnei lenitatem deuitans, ieiuniis vigiliis orationibusque indesinenter insistebat, pane vero post primum annum ingressionis eius & post xvi ab omnibus, quæ mandi possunt, extra pisciculis & his paucissimis, se Domino confortante abstinuit aliæque præfati sanctissimi viri virtutes, quæ multis sciendo veraciter testibus sunt prænotatæ in alio miraculorum volumine, ex parte videntur fore cum cautela exaratæ.

Cætera desunt.

HEPIDANNI COENOBITÆ S. GALLI De Vita S. Wiboradæ Virginis & Martyris Christi.

LIBER I.

Prologus.

SOlet plerumq; modernis Scriptoribus à Patribus vicio deputari traditiones antiquorum scriptis vel factis ab eis mutari, ea videlicet obiectione, quod quasi illorum virtutibus calcatis suis nihil probabilius velint æstimari. Sed eorum reuerendam caniciem ab huiusmodi suspicione oportet alienam conspici quicquam ab eis reprehendi, non quia crasse compositum inlepideque putetur, sed quia nuper; vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt; vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ imberbes didicere, senes perdenda fateri. Non equidem insector delendaque carmina leui esse reor. Cum enim legerim aliquem priorum Deum orasse, quo dignaretur alicuius Spiritum suscitare, qui virginem suam Wiboradam tot virtutibus decoram venustiori stilo faceret saporam, quid dicam posteros optasse, cum aliqui eorum si temporalis vitæ dilatio illorum votis responderet hoc opus voluissent adtemptare? Tamen nunquam in animum duxi quid tale aggredi, tum considerans rusticitatem mei ingenii, tum ne putaret meo studio mihi ad fauorem patrum negligentiam velle denotare. Hæc denotatio duobus modis euenire solet, cum vel quilibet atrogans iniussus præsumit suscitare dormientem Homerum, vel cum Tucca & Varo quis obediens præuento morte Virgilio tantum superflua studet præcidere. Ad illud prouocat arrogantia, ad istud cogit obedientia. Obedientia, vt nostis karissimi, nobis est necessaria, si perfectæ libertatis cupimus adipisci compendia. Hæc enim quamuis omni humanæ creaturæ, vt Apostolus hortatur, sit exhibenda propter Deum, specialius tamen ad illos respicit sub quorum regimine in cœnobiis degentes districto iudici rationem de nostris excessibus reddituros pro certo scimus, illorumq; excusationem nostram fore damnationem. Ad quod regimen, tu venerabilis pater Vdalrice, anno millesimo septuagesimo secundo incarnationis Domini eius mira dispensatione vocatus, cum bonæ memoriæ Abbatis tui Nortperti tunc triginta & octo annis super ouile S. Galli vigilantis non solum amabili præceptione, verum etiam communi fratrum electione successor effectus prout complacuit tuæ paternitati onus iniunxisti, quod prius exhorrui imponere meæ paruitati, nempe vt vitam memoratæ Virginis interdum propter diuersorum simplicitatem Scriptorum superfluitate verborum quasi quibusdam foliis exuberantem falce strictioris eloquii præcidere studerem. At ego quamquam in hac obedientia me scirem onus importabile debilibus aptare humeris, tamen non exacui linguam verbis contradictionis, eligens mihi satius esse sub præceptorum tuorum fasce deficere, quam eis repugnando titulum inobedientiæ incurrere. Exemplum etiam cum Grammatico proponere placuit, ne pigeat alios etiam à me vel ignorantia forte prætermissa vel vitiose dicta. Nihil enim ex omni parte perfectum in humanis credo esse inventionibus posse sua quoque industria vel addere vel mutare. Sed antequã mihi alligatum onus adaptandũ moveam, operæ precium esse duco breviter in medium proferre, per quos præclara gesta hujus Virginis posteris primitus innotuerunt, ut cum aperietur me non hujus relationis esse novum auctorem, sed potius auctorum sequacem, nullus vicium falsitatis adnotet meæ paginæ. Tempore igitur, quo venerabilis Gralo congregationem S. Galli rexit, fuit in ea quidam frater nomine Ekkehardus, vir totus ex sapientia virtutibusque factus. Is cum quodam tempore hydrope ad extrema pene ductus esset, voluit B. Wiboradæ omnia quæ de eius sanctitate posset comperire literis se traditurum, si ei ad præsens dignaretur à Deo aliquod impetrare remedium. O archiator in virga & in baculo! O propaga-

pagator tuorum sanctitatis electorum! illico venit ei in animũ, ut sibi postularet afferri martyris cilicium, illudq; super aqualenta extenderet membra. Quod cum factum fuisset, confestim sensit se aliquid melius habere, ac dein non multis diebus exactis ad plenum conualuit. Tunc memor sponsionis suæ conuenit Kebem, quæ B. Virgini ab ipsis cunabulis usq; ad mortis articulum obsecundauit, indicans ei quali voto se obligauit, quodq; sequenti die ad eam venturus foret, vt de hoc themate plenius ab ea informaretur. Quæ vehementer in verbis eius admirans non minus etiam cœpit anxiari, quia ea de quibus interroganda erat iam dudum letheus obsorbuerat morbus. Ad vltimum suasu cuiusdam sacerdotis ad tumbam Dominæ suæ oratura prosternitur, vt qui incensam à Chaldæis legem per Esdram voluit reparare, ipse etiam Martyris suæ merita, quantum ad hominum memoriam abolita, per eam dignaretur declarare. Postquam huiuscemodi exaggerauit preces, surrexit atque basilicam non minori anxietate egreditur quam etiam ingressa est. Erat enim ignara quam in proximo esset eius consolatio. Nocte vero insequenti cum se sopori dedisset, visum est ei locum orationis repetere atq; B. Virginem pictatium aureis conscriptum litteris sibi ostendere, hac voce subiuncta; *Vtere cupitis.* Mox expergefacta omni fragilitate obliuionis propulsa ita perfecte cœpit memoriæ viribus vti, vt luce reuersa non solum nihil sollicita esset, quid supradicto fratri responderet, verum etiam vltronea fieret inuitatrix, eiq; desideratum thema à primordio vsq; ad acceptum cum palma martyri brauium promulgaret. Quod ille imis reponens sensibus cum feruenti opera, recte proclamauit cum Psalmista; *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudation. tibi, quoniam eripuisti me de morte.* Sed cum hæc vota ex parte redderet, heu dira morte præuentus multos sui propositi habuit heredes, qui quoniam diuersi diuersa sapiunt, interdum minus necessaria necessariis miscuerunt. Horum ego insistens vestigiis studui ea quæ mihi digna memoria videbantur ad huius Virginis sanctitatem comprobandam strictim colligere, non illis ad opprobrium, sed quod verius est præcipue tibi ad obediendum, vt prædictum est, Pater reuerentissime.

CAPVT I.

Quali parentela VViborada originem duxerit, & qualis eius conuersatio in annis infantiæ fuerit.

In Argo-nia lib. 2. cap. 9.

BEATA Dei Virgo Wiborada ex Alamannorum prosapia oriunda à parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, secundum Chistianam autem libertatem nobilissimis, originẽ duxit. Itaq; Deo ab ipsis cunabulis deuota existens, ac virtutũ incrementis transcendens tempus ætatis, nobilitatem suam religiosa conuersatione ornabat. Nam vniuersas iuuenilis petulantiæ illecebras à tenero vngue execrans, vt legitur de Raguelis filia, nunquam miscuit se cum ludentibus, neque cum his qui in leuitate ambulabant. Spiritus enim sanctus, qui eandem puellam iusti viri thalamo sociandam in vmbra legis immaculatam conseruauit, ipse etiam Wiboradam per lauacrum regenerationis in adoptionem filiorum Dei receptam dignatus est inuiolatam custodire, vt sancta & corpore & spiritu thalamum cœlestis sponsi mereretur introire.

CAPVT II.

Quam laudabile sit nomen illius.

FIDES, diuinam prouidentiam non solum facta sed etiam voluntates hominum prouidere siue præparare, credulos nos efficit, huic B. Virgini ita laudabile nomen non sine eius prouidentia esse impositum, cuius nomen à solis ortu vsque ad occasum laudabile est. Nam Theutonica locutione prolatum *mulierum consilium* sonat. Quotienscunque enim ita spiritualia nomina electorum Dei legimus, aperte per ipsa vocabula datur intelligi, quod Angelus magni consilii in cordibus vtriusque sexus dignabitur spiritum consilii diffundere, vt cum ab illis nobis errantibus spiritualiter consulatur, ipse in eorum consiliis glorietur *Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum,* proclamat Psalmista. Laudabile, inquam, est nomen B. Wiboradæ quia cum Martha actiuam vitam agendo, & cum Maria speculatiuam, omnibus pie viuentibus viris ac mulieribus consilium vtriusque dilectionis perfectionem exequendi in se exhibuit.

CAPVT III.

Quomodo quædam soror illius noluit ad chorum exire cum coæqualibus, eo quod audisset Angelicos concentus.

CONGRVVM ergo videtur lectioni inserere, quod huic B. Virgini soror erat summa innocentia vitam ducens. Quam cum quadam die eius coæuulæ secum ad chorum exire horta-

hortarentur, illa cuiusdam sapientis edocta proverbijs *extrema gaudii luctus occupat*, & iterum: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis*, post alta suspiria sic erupit in vocem; Quæ dilectatio huius seculi potest mihi dulcis esse, quæ audio Angelicos choros dulcisonæ modulationis frequentare harmoniam: illuc ire desidero, his choris intermisceri delector. Vix sermonem complevit, & genas ubertim lacrimis perfudit. Post paucos vero dies carne soluta est: quia Deus propter hoc properavit educere eam de medio iniquitatum, quia placita ei erat anima illius. De cuius ergo natalitio gaudentes, certi quod dominus virtutum non privavit eam bonis, quia ambulabat in innocentia, stilum ad opus inceptum acuemus.

Caput IV.

Qualis eius conversatio fuit, quando ad intelligibilem ætatem pervenit.

Beata igitur Wiborada, ut præfati sumus, omnimodis petulantiam execrans in tantum studuit divinum præceptum implere, ut pene cottidie omnibus postpositis nudipes ad Ecclesiam, quæ longe à domo paterna distabat, gradiens, *primum quæreret regnum Dei & iustitiam eius*, & postea operibus manuum suarum se irretiret. Panem enim ociosa non comedit, sed labores manuum suarum manducavit. Vnde beata est & bene ei erit. Popularem enim frequentiam non solum extraneorum sed etiam notorum prout licuit fugiens secreta semper amabat, quatinus & ociosa verba facilius posset vitare, & sanctis mediationibus aciem mentis liberius infigere. Parentes nemo reverentius coluit, nemo erga suos divinæ legis præcepta devotius implevit, nemo inopia morbisque confectos amabilius tractavit, quia ipsa eis alimenta præbens ministravit, fomenta paravit, balnea contulit, lectisternia disposuit, & ipsa eos reclinavit, & competenti tempore levavit. Parsimoniam vero in tantum amabat, ut plerumque in secunda, quam sæpe in tertia die, nisi ad vesperum non ieiunium solveret. Nostræ autem non est facundiæ scriptis percurrere eius sanctam conversationem, & quomodo corpus suum castigavit ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereretur. Ideo pauca de multis, parva de magnis scribentes eos qui altius sapiunt admonemus, ut in paucis plurima, in parvis maiora pensantes glorificent mirabilem Deum in sanctis suis.

Caput V.

Quomodo quodam festo die cum parentibus ad Ecclesiam processura noluit privatam vestem mutare nisi ab illis coacta, & quod graviter caput dolere cœpit in via, quodque illa dies maxime fuit inceptiva non amare transitoria.

Quadam itaque celebri festivitate cum parentes eius ad Ecclesiam processuri dicentius solito ornarentur, illa sciens Deū magis delectari in puritate cordis quā in vestiū nitore, noluit privati consuetudinem vestitus mutare. Sed parentes eius more secularium occasionem improperii fugientes (nam sicuti in patre filia, ita & in filia pater honoratur) iusserunt eam desist re cœptis. Quorum iussioni illa honorem deferens decoris amicta vestimentis capitalibusque compta redimiculis iter cum eis aggressa est. Pergentibus autem illis virgo caput graviter dolere cœpit, quia dominus qui eam dilexit corripuit, ut ista correptio quasi præmonitio esset observandæ humilitatis, ne vitium elationis propter exteriorem vestis candorem allapsum interius obfuscaret cordis splendorem. Contra quam allapsionem etiam pastorem Ecclesiæ sive traditas oves cautificare æstimo, ubi dicit; *Non in veste preciosa*. Confestim vero sentiens per spiritum se divina visitatione commonitam, equi cui insedebat dorsa descendendo relevans teristrum cum omni vittatoria compositione detrahens, nunquam deinceps huiusmodi ornamentis visa est. Cumque comites ut equum reascenderet hortarentur, penitus non consensit, sed pedestri itinere usque ad Ecclesiam pervenit. Illa dies in tantum inceptiva fuit rebus transitoriis renunciandi, ut etiam matrimonii contradictione in animo spreta fratri suo Hittoni apud cœnobium Sanct. Galli in scholis agenti magis quam procis adventantibus se commendare studeret, ea quibus indigebat per fideles internuncios mittendo.

Caput VI.

Quod frater eius Hitto eam Psalmos docturus cum eum tæderet inceptus per visionem est correptus.

Memoratus itaque clericus ad Presbyteri gradum promotus studuit sine crimine vivere atque unius uxoris vir esse, id est, Ecclesiæ, cumque septies in die laudem Deo dicturus frequentaret Psalmodiam, ardentius B. Virgo cœpit ei insistere, com-

municans ei omnibus bonis, ut etiam se cathekizaret verbo. Cuius desiderio se satis facturum spondens in ipsa inchoatione fervebat in erudiendo, sed studium eius paulatim tepescens ad ultimum refrigeravit. Cum ecce quadam nocte per visionem correptus in abstinentiam cibi præcipitur esse, donec sororem suam Psalmum quinquagesimum edoceret. Nam anteriores ab illo edocta, iste solus de quinquaginta supererat. Quid plura? De nocte surrexit, sororem accersivit, visum apperit, seque paratum ad erudiendum innotuit. Factusque est tunc discendi hortator qui prius fuerat docendi negator. Quinquaginta igitur Psalmis ita carptim à fratre perceptis reliquos Sancti Spiritus magisterio didicit.

CAPUT VII.

Quomodo in Dominica incipientis quadragesimæ adiuta est fratrem suum in missarum celebratione.

IN Dominica die ordientis quadragesimæ cum prædictus sacerdos missarum solemnia celebraturus conquestus esset sibi deesse adiutorem, consolans eum B. Virgo dixit; confide de adiutorio altissimi, & ipse te adiuvans tecum commorabitur. Virginis igitur credens promissioni processit, & spirituale officium inchoavit, cum quo statim ita auctoraliter ipsa psallere cœpit, ut in scientia eorum, quæ inibi cantabantur, nequaquam inferior esse videretur sacerdote. Tua sunt hæc miracula, Domine pater cœli & terræ, qui abscondisti thesaurum sapientiæ à prudentibus huius seculi, & revelasti eum parvulis. Tibi enim mortua vivunt, insensibilia sapiunt, cœca contemplantur, surda audiunt, muta diserta sunt ad laudem & gloriã nominis tui. Sacerdos autem, & universa circumstans concio, ista audientes post non modicam admirationem glorificabant Deum eius possibilitati hac ascribentes.

CAPUT. VIII.

Quomodo hortata est eundem fratrem suum ut relictis omnibus monachicum susciperet habitum, illoque præbente consensum Presbyter ecclesiæ B. Magni efficitur ad ultimum.

IDEM sacerdos iam inde à iuventute cum illo Evangelico iuvene mandata vitæ custodiens illud solummodo, quod præfectionis esse veritas docuit, adhuc etiam cum eo tristis audivit. B. vero Wiborada, quæ iam transitoriis in mente renunciando fluctibus huius seculi se emerserat, cupiens etiam fratrem suum ad portum perhennis tranquillitatis pervenire, huiuscemodi verbis eum alloquitur; Quamdiu, frater carissime, ista temporalia amando in fluminibus Babylonis iactamur? Humiliati enim sumus in hac valle lacrimarum propter præsumptionem primi parentis, & necesse est, si per elationem amissam patriam consequi desideramus, per humilitatem promereri. Idcirco te moneo, frater mi, ut neque sub fluminibus, neque in fluminibus, sed super flumina huius Babylonis secedentes cottidie cum lacrimis præstolemur finem nostrum, ut dolore cordis nostri ad Deum ascendente eius gratia mereamur adiuuari, ut per gradus humilitatis de virtute in virtutem conscendentes pedes nostri stabiliantur in atriis Ierusalem. Scimus enim, quod terrestris domus nostra huius habitationis dissolvitur. Idcirco nunc agendum est ut post huius dissolutionem ædificationem habeamus à Deo, domum non manufactam æternam in cœlis. Te enim sacras scripturas scientem non opus est à me insulsa edoceri, quomodo oporteat sapere ad sobrietatem, & vigilare ad adventum revertentis à nuptiis, tamen unum moneo: tempus enim prope est. Tali allocutione sororis mutatum est cor fratris, atque relictis omnibus nudus de naufragio huius mundi fugiens remis virtutum studuit arripere portum salutis. Itaque in monasterio Sanct. Galli ad suave iugum regularis vitę se humilians, cum universis eius conversatio placuisset, fratribus id in commune consiliantibus, ecclesiæ B. Magni à patre monasterii præficitur. Qua etiam usque post sororis martyrium probabiliter gubernata, divina vocatione migravit in regionem vivorum.

CAPUT IX.

Quale propositum elegit sibimetipsi post fratris conversionem & quomodo Diabolus eam terruit ad basilicam nocte gradientem.

VENERABILIS igitur Virgo post conversionem fratris nihil credens actum, si non & illa augeret propositum, vocatis duabus de domesticis suis, quæ sibi fidæ præ cæteris videbantur, denudavit eis voluntatem suam, quod neque ita deliciosis uti prius ultra vellent refici alimentis, neque in plumis pensilibus quiescere, & tamen hæc omnia non minus sumptuose parari quam si & ipsa eis vellet uti. Quæ voluntarie obsequentes præceptis dominæ, olera sive legumina una cum carne mensæ superponunt. Illa vero interdum carnem ori admo-

admovens, os & populum putantem eam carnibus uti fefellit; nempe clanculo reiecit, ut per carnis abstinentiam spiritum redderet fortiorem, & post paulolum quasi præ saturitate fastidiens pauperibus vel astantibus erogavit. Similiter & eius lectus ornare parabatur ad præsens, sed post minus secretorum abscessionem iussit sibi cilicium substerni, silici capiti supposito, & ita paulolum pausans cum quies gravissima esset mortalibus surrexit, & clam basilicam intrans dominum pro dilectis suis humiliter geniculans deprecata est. Sed virtutum insectator Diabolus eam ad basilicam gradientem conatus est deterrere, modo ante valvas Ecclesiæ veluti scropha gruniens, (scilicet recolens antiquam permissionem in gregem porcorum) interdum in oratione iacenti in figura ranæ ante oculos eius repens: Sed illa fidei clypeo præmunita & gladio spiritus, quod est verbum Dei, armata omnem virtutem inimici effugavit.

Caput X.

Quomodo servientem cuiusdam matronæ Dæmoniosum suis precibus reddidit sensatum.

CVM hæc cottidie indefesse agerentur, & fama eius conversationis passim divulgaretur, quædam prædives matrona illius sanctitate rescita quendam de suis servientibus malignis spiritibus obsessum ad eam transmiserat, quatinus eius meritis opitulantibus sanitati restitueretur. Illa vero per invocationem nominis Iesu Christi exclusis dæmonibus fecit eum repatriare incolumem, matrona autem pro eius sospitate glorificans post aliquos dies remisit illum B. Virgini, unice obsecrans ut quem divino auxilio tot iniquis dominis surripuerat eiusdem deinceps sola dignaretur dominari, cuius petioni quamvis invitæ assensum præbens aliquandiu retentum in servitio donavit eum libertate.

Caput XI.

Quomodo Diabolus ei infamiam adulterii per quandam ipsius ancillam impingebat, & qualiter divina clementia coram Salomone Episcopo copiosaque multitudine eius innocentiam per iudicium comprobabat.

INiquus autem vendicator imaginis Dei fremens se ex alieno mancipio à B. Wiborada expulsum zelo ultionis in ipsam armatur. Itaque cum iam cognovisset per diversos terrores à se illatos frequentiam orationum eius non rarescere, nisus est eandem frequentiam orationum eius macula infamiæ obvolvere, concitans adversus eam quandam ex ipsis ancillis, quæ affirmaret eam non causa orationis clam per singulas noctes surgere, sed potius ut nefaria quæ sub sole erubuisset agere, nocturna freta caligine securius perageret, & hoc verbum quod iret oratum quasi deaurationem esse eius scelerum, quæ & cum tam multis exercuisset ut sibi videretur impossibile eius calculo comprehendere, super his autē tacendum esse, si immunis existeret, pollutione fraterni concubitus. Hæc illa circumquaque incessabiliter latrante, & quibusdam ficta esse dicentibus, aliis vero humanam fragilitatem culpantibus, pervenit fama ad aures Salomonis Constantiensis Episcopi. Quid opus est verbis, sistitur Præsuli vice mechæ sponsa Christi criminatur pro innumero adulterio quæ non polluta fuit saltim uno, diffamatur fratris esse concubina fraternæ castitatis consiliatrix. Negantur à virgine asserta à meretrice: sed populus ignarus veri æque credidit utrique. Episcopus autem volens eorum dubietati finem imponere, statuit ei diem in qua de sibi obiectis cum Dei iudicio dubitandi populo fidem faceret. Fiducialiter agis Wiborada: oportet enim nunc modicum contristari in variis tribulationibus, ut fides nostra preciosior sit, auro quod per ignem probatur. Ille enim filius fabri ille non Propheta ob tactum meretricis, ille Dæmonium habēs, ille alia innumerabilia opprobria sustinens tuis quoque compatietur opprobriis. Per hæc oportuit illum in gloriam suam, per hæc & nos oportet eius gloriæ fieri coheredes. Cum enim audio ab Apostolo, quod gloriandum est in tribulationibus, non video causam tuæ diffidentiæ, nisi inde quid sias pusillanimis, qui pro levi tribulatione etiam cuiusdam adhuc sub impossibilitate legis pugnandis impar videris. Dico autem Susannæ: Illa enim diffamata est à duobus Presbyteris quibus credendum erat ut senioribus populi, tu vero ab una vili ancillula cuius verba reservantur iudicio probanda: illa sine mora morti adducitur, tu vero quod ulla pœna plectaris nec loquerur, sed neque adhuc diffidas quasi à Deo derelicta. Veniet enim dies cum plus probaris Susanna: de qua die noster sermo ad præsens est reprimendus potiusque ad tibi præscriptum iudicium reflectendus. Conveniente autem cum Episcopo ad præfinitum diem copiosa multitudine, omnipotens Deus omnibus ita liquido eius innocentiam comprobavit, ut incredibili lætitia tripudiantes illi geminarent grates: & quod in ea innocentia conservavit & eandem diffamatam infamia disculciavit, cumque ei à Præsule daretur optio, quali pœna plecteretur inficiatrix, respondit, *Deo vindictam, ipse ei retribuet.*

CAP. XII.

Quomodo ultio divinitus illata est eidem ancillæ.

HIS ita transactis infelix, quam prælibavi, serva sciens finem esse suis mendacijs apud socios virginis innocentiæ, pergens ultra lacum Potamicum facta est & ibi plena rimatum omnibus ubi ut turpissime potuit de illa loquens. Atque cum eius ficta credibiliora viderentur, solita erat subinferre se à Wiberada ob aliam causam non esse expulsam, nisi ut ab eius increpationibus pro illicitis quieta foret. Sed Deus omnipotens sibi deputatam vindictam non diu differens, sicut prius per iudicium comprobavit virginis innocentiam, ita etiam postea manifestavit inficiatricis amentiam. Nam cuidam malefico spe felicis conjugij se subponens non post multum temporis cœpit diabolizare, & ita vagata est circumquaque donec in nimiam pauperiem delapsa est, & sic de morte transmigravit in mortem. Sic Deus fideles in se sperantes solummodo non confundit, verum etiam eorum gloriam ex invidia dat crescere, quia contrariam semper fecere viam virtuti.

CAPUT XIII.

Quod Salomon Episcopus post iudicium eam in tantum amare cœperit, quod etiam cum equitatu illam ad Constantiam perduci præcepit, illaque spreto equitatu ad pedes eundo eo pervenit.

PRædictus igitur Constantiensis præsul post agnitionem innocentiæ B. Wiboradæ ampliore dilectione iocundior factus est erga illam, in tantum ut etiam sollicitus seculares tumultus ei impedimento fore ad DEI servitium eam alicubi congregationi sanctimonialium inserere cogitaret, ubi posset sine intermissione orare, atque huius rei gratia directis ministris suis cum equitatu præciperet eam ad se perduci. Quibus illa hospitium & cætera necessaria benigne contulit, atque sequenti die faciens eos cum equitatu remeare comitantibus duabus ancillis pedes Constantiam pervenit, quam Episcopus honorifice susceptam improperabat ei aliquantulum sprevisse equitatum. Data autem mansiuncula prope basilicam Præsul accersitis duabus quas prædixi ancillis exquisivit ab eis, quid in alimentis percipere solita esset? Illæ vero ut præmonitæ erant responderunt, dominam suam à nullis comestionibus abstinere, quibus Christiano homini uti licuisset, Quod ille laudans (legerat enim in Genesi *omnia valde bona esse quæ creavit Deus*, ideo nihil rejiciendum, quia neque Enoch qui primus Deo placuit, neque Noe qui in diluvio solus iustus inventus est, neque Abraham ille amicus Dei, aut cæteri justi ab his abstinuisse leguntur) omnia quibus indigebat sufficienter dari præcepit. At illa solito more corpus ieiunijs afficiens ea quæ sibi ad victum dabantur pene omnia dispergens dedit pauperibus, vix secunda seu tertia die ad vesperum pastum quid panis & aquæ degustans.

CAPUT XIV.

Quomodo Cilia reclusa eam divinis eloquiis ædificatura ei ostendit sua marsupia, illius obedientiam in horum fœneratoria augmentatione probatura.

EOdem tempore fuit ibi quædam Inclusa nomine Cilia corpore non mente inclusa, quia nondum in se mortificavit philargyriam, quæ est radix omnium malorum. Quam expetens B. Virgo atque spiritalem matrem existimans petivit ut de bono thesauro cordis sui dignaretur eructuare verbum bonum, cuius petitionem non solum promissionis verba sunt subsecuta verum etiam quadam die iterum adest ultro vocata promissionis solutione gavisura. At illa aperta fenestella post mutuam salutationem infit; Incedis soror cara forinsecus in vestimentis ovium, sed nostrum est, ut ait Apostolus, probare spiritum si ex Deo sit, antequam tibi ad exemplum nudentur secreta nostræ conversationis. Obedientia sine mora primus humilitatis gradus est, & sine hac nemo potest Deo digne servire: nam & victimis præfertur. Per huius impositionem in primis te volo probare, & proferens loculum cum nummis dixit, accipe soror hos nummos quos mihi ad eleemosynam à multis oblatos usque huc servavi, & hic divitibus urbanis mutuum da ad tempus quando eos recipias cum usura. At illa valde obstupescens inquit, tale præceptum interrogans Propheta super perfectionem habitantium in tabernaculo Dei non accepit aut requiescentium in monte sancto eius. Apostolus quoque usurrijs, sive dicam avaris (*avaritia* enim *est studium pecuniæ*) minatur ut audio non esse partem in regno Christi & Dei: hosque non semel nominat servitores idolorum, quorum consortium longe sit à me. Etiam incautum foret me hoc aggredi, cum nesciam de tot taleris hemisseclas vel obolos observare, huiusmodi enim negotium numquã gessi, nam captatoribus & fœneratoribus notius est tale negotium: his trade hanc pecuniam. Illa vero ut eius intentionem collegit, dixit;

Per-

——Percussa maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.

Crede mihi conversatio tua inutilis est sine obedientia? perdis labores. His dictis fecerunt dissidium.

Caput XV.

Quomodo eadem Cilia contra Virginem invidiam cœpit habere, & quomodo Salomonem Episcopum hortabatur, ut eam fecisset Linthaugiæ, & qualiter per visionem prohibita est ab hoc itinere, & Ciliam post aliquos annos de clausula ejectam esse.

AT Cilia invidiose tumens contra Virginem propter eius inobedientiam, simul verita sibi decrescere quæstum si diu ibi moraretur, demandavit Episcopo quod vellet cum illo secrete verba miscere. Quo adveniente postquam semotis cæteris multa perfide quasi fideliter de Virgine locuta est, etiam hanc sententiam subintulit; Compertam habeo vestram spiritalem voluntatem erga eandem puellam quod eam si vobis occasio datur vultis inserere alicubi choro sanctimonialium, quatenus tuta à munduali fluctuatione liberius in Dei servitio possit durare; ad hoc etiam rescitum habeo vestrum iter Linthaugiam. Eò loci si vos non alias trahit voluntas, consiliater eius insertionem, tum quod conversatio ibi valde spiritualis est; tum quod promptior ei illic pateret ingressus: ibi omnia vestro nutui parebunt. Præsul autem hæc de radice dilectionis procedere autumans lætus effectus est, & præcipiens ratem armare misit quendam de suis servientibus B. Virgini intimandum, ut sibi ad navim eunti expedita foret ad navigandum secum ad prædictam insulam. Sed illa antequam Episcopalis legatio venisset ingressa basilicā oratura prosternitur coram quodam altari in honorem Sanct. Galli conse. rato, & sicut fuit voluntas Dei inter preces obdormivit, & vidit oraculum, nec non somnium, beatum virum sibi vas sanguinolentum porrigentem multis spurciciis plenum, dicentemque sibi, si ad locum, ad quem Episcopus te ducere cupit, perveneris hunc sordidum victum manducabis & sanguine Kerbirgæ reclusæ ibi inebriaberis. Cumque evigilasset & secum miraretur de somnio, offendit eam legatus in admiratione. Qui cum deposuisset ei mandata Præsulis, non respondit ei nec ad unum verbum, sed dimisit illum abire sine affatu. Super quæ admirans Episcopus cum didicisset, misit alium & iterum alium Virgine in eadem taciturnitate permanente. Episcopus autem continuo cogitans ei aliquid revelatum esse navigationem suam peregit, & ad urbem Deo gubernante ipsa die prospere rediit. Cumque ad cœnam discumberet, non est oblitus prioris consuetudinis, sed omnia necessaria in cibis & in potibus venerabili puellæ direxit, cilia iam tum penitus oblivioni tradita. Nam eius res exinde ita retro cœperunt vergere, ut post aliqua annorum curricula pelle eius simulatæ sanctitatis detracta etiam de clausula eliminaretur, procul dubio nutu Dei nolentis scilicet se à suis fidelibus diutius in idolorum servitute glorificari.

Caput XVI.

Quomodo prædictum ad cœnobium Sanct. Galli pergentem voluntarie est secuta, & quia eodem iubente ei apud cellam Sanct. Georgii mansiuncula obsecretum est constructa, brevisque dialogus de conversatione eius in illa.

EXactis autem paucis diebus idem præsul ad cœnobium Sanct. Galli profecturus misit ad interrogandum sæpe dictam puellam, si secum proficisci vellet. At illa statim ingenti perfusa gaudio cum duabus ancillis ad navim properat. Igitur vento secundante navigium celeriter littus attingunt optatum. Episcopus verò veniens ad mōasterium à fratrib. honorifice susceptus est, B. etiam virgo cum pedestri itinere tractim prosequens, & ad locum circa solis occasum perveniens ab Episcopo nec non ab omni congregatione benigne suscepta est. Benignus autem Pontifex etsi non ex toto voluntatem suam erga eam perfecit (nam prælibata visio eam inserere sanctimonialibus eum non permisit) tamen ne eius voluntas penitus careret effectu, iussit ei domicilium iuxta basilicam S. Georgii Martyris parari, ut ibi posset secrete conversari. Quali igitur parsimonia quatuor pene annos inibi se afficeret, loqui arduum videtur, quia ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia facto putat, æquo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Erumpe tu quæso potius Alarice serve Dei: dic quid caput Ecclesiæ præciperet te demandare membro suo. Cur me, frater, ea adtemptare cogis, quæ tu (ut conjicio) videns quosdam iuxta Apostoli præsagium à veritate auditum avertisse, aggredi detrectas? Mihi, Domine mi, ut nulla virtute prædito loquendi virtutes discedunt: respersi vero dulcedine tuæ sanctitatis libentes tibi præbent auditum. Nam & maioris potentiæ visus gener Aratæ Regis Baptistam sciens virum iustum & sanctum non solum eum libenter audiebat, verum etiam eo audito multa faciebat.

Papæ, cessent obsecro gravia exempla. Nam quamvis ad loquendum confortent, nobis tamen minoribus multum est audire ad comparationem summam in natis mulierum, neque vulgus urbanis nescius loqui audet conscendere solium Tetrarchæ, nisi quod utrobique in hac apologia tutis auribus depono, propter detrahentes consului, quibusque exemplis cessantibus agnoscerem me hîc debitorem eius promendæ sanctitatis, quod Dominus divinæ illius congregationis me primum post se dignatus est intimum eligere. Ego * Alaricus minimus servorum Christi, decrevi me pro eius nomine in quadam insula Turicini lacus solitarium persistere. Ergo me inibi consistente quadam nocte (quid me cogis, frater, loqui, quo me indignum hæc audientes possunt reputare?) Angelico affatu huiuscemodi verbis ammonitus sum? In monasterio Sanct. Galli quadam in montibus constructa scias quandam virginem Deo consecratã in eius servitio fideliter perdurantẽ. Ad hanc fidelem legatum ista mandata portantẽ dirigas; Vnaquęq; arbor sive fructuosa vel infructuosa dũ viva terra radix tegitur in viriditate poterit permanere, & fructibus vel frondibus se obducere: at si terram quæ foveat abesse contingat, nudata radice necesse est ut arbor arescat. Quapropter à Deo ammonita parcas tibi aliquid de nimia abstinentia, quatinus aridum corpus plus aliquid solido reficiens eius servitio & laudibus plenius insistere prævaleas. Magnam sane ostendis, Alarice, Virginis parsimoniam, cum Deum prædicas huic allegasse temperantiam, Nam labores Pauli, regyratio Laurentii, ostendunt eum posse pati electos suos multum probari. Sed & tibi non desunt testes, & bis refici iussus Propheta sub iunipero, & turba Dominum triduo sustinens, postremo universitas cui educitur panis de terra, ne ei in itinere huius vitæ desint viatica. Quid si & illud miraculum in testimonium sumatur? nosti cum prædictus à te lacus in tantum profluit, ut plurimi dies transirent quam navigando eum nullus intrare auderet; & cum tu iam pæne famæ consumptus ad orationem confugeres, persona quædam tibi apparens panem vinumque capiti tuo imminere indicavit, quibus refocillatus convaluisti, tuo frater arbitratu. Nam scientia veritatis terret Alaricum huic testimonio refragari: imperfectio verò meritorum dissuadet eum hæc affirmando prædicare: tuum enim est potiùs hæc annunciare cum ad gloriam Wiboradæ tuæ non parum sint respicientia.

*Ms. alacrius.

Caput XVII.

Quomodo iacens in oratione quandam personam Angelicæ visionis vidit sibi assistere, eandem audivit primum versum XXI. psalmi tertio dulciter decantare.

QVADAM igitur nocte iacenti in oratione vidit sibi quandam personam Angelicæ visionis assistere non sine magna claritate, quæ illam obambulans primũ vigesimi Psalmi primi versiculum trib. vicibus dulci modulatione decantavit, moxq; eadem claritate qua venerat abscessit. At ille cogitanti de visione venit ei in memoriam, quod hunc psalmum prius consueverat ad cursus decantare, & quod hanc consuetudinem tam diu oblivioni tradidit. Tunc agens pœnitentiam de oblivione, correxit in melius quod ignoranter dereliquit.

Caput XVIII.

Quomodo cœpit ei displicere mansio apud cellam Martyris, & de annua caritate in fractione panis cum mulieribus devotis, & quia una ex illis dedignans hoc officium caritatis decidit in lectum doloris, ac postea illius precibus recepit gaudia sospitatis.

SED spes B. Wiboradæ secrete conversandi apud cellam supradicti Martyris non diu erat spes, quia undique ad eius sanctitatem confluxerant corpori necessaria ei deferentes, & corpori & animæ salubria ab illa recipientes. De quibus partim destinavit ad pauperum refectionem, partim verò ad devotarum mulierum susceptionem, quæ ad illam annuatim venire consueverant, & in spirituali tripudio panem frangere. Quam caritatem quædam opulentior cæteris opprobrio egestatis ascribens dedignata est ad eam in sequenti anno venire, dicens se eius fragmentorum non esse indigam. De cuius absentia cum cæteræ mœstæ fuissent, beata Virgo consolans eas dixit; consolamini sorores, veniet enim dies quando libenter adveniret, si posse ei non deesset. Igitur iuxta verbum eius in lectum decidens cum ægritudo invalescens redigeret eam in desperationem vitæ, confessa est marito suo quas ampullas emisit contra B. Virginem, optans ut eius obtutibus præsentaretur. Cuius votis maritus allubescens detulit eam illuc. At virgo illius contumaciam redarguens, benedicens panem dedit ei, quod egustato extemplo convaluit atque lætabunda cum gratiarum actione repatriavit.

Caput XIX.

Quomodo in Pentecoste à Salomone Episcopo iuxta basilicam S. Magni est inclusa, & quia à Diabolo mox est temptata.

EVolutis vero pæne quatuor annorum circulis prædictus Constantiensis Præsul ad cœnobium Sanct. Galli venit. B. autem Wiborada, quæ cum Martha iam diu stetit in activa vita laboriose decertans, iuxta pedes Domini cum Maria desidere desiderans quatinus peccatis & vitiorum tumultibus libera optata in Christo mentis quiete perfrueretur, postulavit ab eo sibi domicilium alterari, & ut breviter eius desiderium prosequar, secretum clausulæ concupivit. Qui studens omnibus modis ei morigerare, iussit ei desideratum domicilium propter basilicam Sanct. Magni construi, atque in sacrosancto die Pentecostes copiosa multitudine cum divinis laudibus prosequente devotis precibus Deo commendatam sanctisque benedictionibus consignatam includens abscessit. Igitur omnibus cum Episcopo abscedentibus Virgo Dei cogitans se locum certaminis ingressum divina adminicula mox oratura prosternitur. Quod fuit probabile inceptum & memoriale exemplum dimicaturis contra versutias antiqui hostis. Non exarmes te fortis Domini bellatrix inexpugnabili scuto æquitatis, sciens te contra quem te munis quam cito conflicturam. Inimicus autem humanæ salutis sperans se non parum promovere, si noviter inclusam terroribus iniciaret, proiecit ante eam inter preces caput hominis ore hianti, oppido hispidum, atque ut succinte eius deformitatem includam simile fuit proiicienti. At illa immobilis in oratione persistens, atque vexillum crucis fronte figens omnem fantasiam inimici effugavit.

Cap. XX.

Qualiter dissoluta cuba eius precibus est reiuncta.

COnsuetudo fuit huic beatæ Virgini ter in anno balneo uti, non tamen sine licentia Abbatis sui. Quadam autem die cum ei balneum in tyna paratum esset, repente vinculis resilientibus dissolutio tegularum aquis profluendi dedit locum. Super hac re cum eius serva nimis contristaretur, consolatorie dixit ei beata Virgo; Noli mœrore affici, sed expectemus misericordiam Domini. His dictis consignans semetipsam & vas per S. Crucis impressionem, conglutinavit omnem eius dissolutionem. Quod vas non solum tunc & deinceps quamdiu in corpore vixit ad usus balnei utile fuit, sed etiam post eius martyrium pro diversis languoribus medicabile fuit, & est.

Caput XXI.

Quomodo in vigilia Sanct. Iohannis Baptistæ vidit B. Gallum missas celebrare.

FActum est in festo Sanct. Iohannis Baptistæ cum adhuc orientale crepusculum esset, vidit non sine oraculo visionem; B. Gallum sacerdotali infula albatum missas celebrare, & multitudinem animarum mere fulgentium cum illo audivit psallere, aut post expletionem missarum ad fenestellam accedere sibique complura, quæ postea eventus probavit præsagire. De hoc oraculo plerique solent mirari, quo modo B. Virgo adhuc in corpore constituta invisibiles sua natura spiritus posset contemplari. Sed hi tales adhuc ut carnales quæ carnis sunt sapiunt, nescientes ut spirituales omnia examinare, quibus eos qui non sunt in carne, sed in spiritu oportet innotescere. Res corporales corporalibus, spirituales etiam spiritualibus oculis videri certum est. Esse spiritualem quandam naturam in nobis, ubi corporalium rerum formantur similitudines sive cum aliquod corpus carnalibus oculis subiectum sensu corporis tangimus & continuo formatur eius similitudo in spiritu memoriaque reconditur, sive absens sive olim notum, sive quod non novimus, sed tamen esse non dubitamus, sive ita spiritu assumente alienamur ab omni corporis sensu & avertimur ut solis similitudinibus corporum spirituali visione teneamur. Hæc igitur natura spiritualis, in qua non corpora sed corporum similitudines exprimuntur, inferioris generis visiones habet quam illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo & ista inferiora diiudicantur, & ea autem cernuntur, quæ neque sunt corpora neque ullas gerunt formas similes corporum, ut est caritas, gladium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, & cætera huiusmodi, quibus propinquantur Deo, & ipse Deus ex quo omnia & per quem omnia & in quo omnia. Quamvis itaque in una eademque anima fiant diversæ visiones, sive quæ sentiuntur per corpus quas dicimus corporales, sive quæ spiritu videntur & vocantur spirituales, sive quæ mente intelliguntur & dicuntur intellectuales, tamen habent ordinem suum & est aliud alio præcellentius. Præstantior est enim visio spiritualis quam corporalis, & rursus præstantior intellectualis quam spiritalis. Corporalis enim sine spirituali esse non potest, quandoquidem momento eodem quo corpus sensu

corporis tangitur fit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc sit, sed quod simile sit. Quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecus adiacent sentiuntur. Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuncio utitur ad formandum in se ipsa quod extrinsecus nunciatur: sed non discernitur nisi cum fuerit sensus ablatus à corpore, ut id quod per corpus videbatur inveniatur in spiritu. Nam cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago eius in spiritu, sed non dinoscitur facta nisi cum ablatis oculis ab eo quod per eos videbamus imaginem eius in animo invenerimus. At verò spiritualis visio etiam sine corporali fieri potest, cum absentium corporum similitudines in spiritu apparet & finguntur multæ pro arbitrio vel opinatione. Ab his omnibus ita discernimus illa corporalia quæ videmus & in quibus præsentibus sunt sensus corporis nostri ut non dubitemus hæc esse corpora, illas verò imagines corporum. Rursus spiritualis visio indiget intellectuali ut dijudicetur. Cum enim Petrus illum discum videret alienatus à corporis sensibus & illas voces, *macta & manduca & quæ Deus mundavit tu communia ne dixeris*, in spiritu audiebat: Redditus a. corporis sensibus, id ipsum quod visum atque auditum memoria tenuerat in eodem spiritu cogitando cernebat. Quæ omnia nō corporalia sed corporaliū imagines erant, sive cum primū in ipsa alienatione visæ sunt, sive cum postea recordatæ atq; cogitatæ. Cū verò disceprabatur & requirebatur ut illa signa intelligerentur, mentis erat actio conantis, sed deerat effectus donec nunciati sunt qui venerant à Cornelio. Hac verò corporali etiam accedente visione, cum & Spiritus Sanct. *surge* in spiritu eius diceret *vade cum eis*, ubi & illud signum ostenderat & impresserat voces, adiuta divinitus mens intellexit quid illis signis omnibus ageretur. Intellexit verò ista spirituali, inferiore non indiget. Non enim fallitur intellectualibus visis. Aut enim intelligit & verum est, aut si verum non est non intelligit. Illuditur autem anima similitudinibus rerum non earum vitio, sed opinionis suæ, cum approbat quæ similia sunt pro his quibus similia sunt ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in visione corporali, cum ipsis corporibus fieri putat quod fit corporis sensibus, sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, & intuentibus cœlum stare sydera quæ moventur. In visione autem spirituali, id est in corporum similitudinibus quæ spiritu videntur, fallitur anima, cum ea quæ sic videt ipsa corpora esse arbitratur, vel quod sibi suspicione falsaque coniectura finxerat hoc etiam in corporibus putat, quæ non visa coniectat. Illa corporali usus est Moyses in monte Syna: Ista verò spirituali Esaias vel ille Virgo in insula Pathmos: tertia cum Apostolo usuri sumus cum omni ænigmate sublato Deum videbimus sicuti est. Sed quid Moyses, quidve Esaias? nonne asseclæ Wiboradæ? nonne similiter in corpore constituti cum eisdem visionibus sunt usi? Erant plane. Qua si de re essent in Wiborada quasi discredendo mirari, quæ exuberante scripturarum auctoritate in plerisque patribus facta esse non possunt negare.

CAPUT XXII.

Quomodo prædixit B. Vdalrico illum Augustæ Episcopum esse futurum, multaque adversa in Episcopio passurum.

EOdem tempore fuit in monasterio Sanct. Galli quidam adolescens nomine Vdalricus, cuius mores ibi extendit apposita regula disciplinæ. Is verò cum gravitatis senem in iuvenili flore virtutibus æmularetur, post discessum iam sæpe dicti Salomonis rogatus est à fratribus ut monachico habitu assumpto nomen & curam pastoris eorum hæreditaret. At ille sciens omnia facienda esse cum consilio, B. Wiboradam cum in omnibus agendis solidus adiit, desiderium fratrum ei innotuit, seque si Dei voluntas esset in omnibus velle obtemperare illorum vobis. Illa autem trium dierum spacium petens post horum expletionem sic Prophetice dixit; nec Monachus nec Abbas hic fies, quia omnipotens Deus in orientali plaga te Episcopum fieri prædestinavit. Multo enim tempore tuæ res sibi secundæ erunt. Tandem verò multa adversa à paganis & malis Christianis passurus eris: Sed in his omnibus superabis & in magna tranquillitate deinceps dum vivis tuum episcopum reges, quæ omnia iuxta eius præsagium in eo completa esse *liber gestorum* ipsius evidenter attestatur. Tale donum Prophetiæ ei à Domino concessum esse non ista solummodo lectio loquitur, verum etiam aliæ complures, ut istum libellum legentibus liquet, quas nos continuare diversitas temporum non permisit, quasdam etiam in nostris auctoribus legendas reservavimus, ut est, per Spiritum cognoscere Gallum vicisse vulpeculam, claves perditas monstrare, hospitum adventum prophetare.

CAPUT XXIII

Quomodo puer quem Waltrammus Presbyter ad illam direxit benedictum panem ab ea accepit, eumque cuidam sibi occurrenti despective porrexit, hacque de causa tamdiu cibos fastidivit donec iterato benedictum panem ab ea accepit.

PResbyter quidam nomine Waltrammus habuit quendam servientem, quem frequenter ad B. Wiboradam dirigere solebat. Contigit autem ut quadam die eo missus frustum bene-

benedicti panis accepisset. Qui regrediens forsan non ita indignus, ut ille Ægyptius puer proditor Amalechitarum, eundem panem cuidam sibi occurrenti ita despective dedit. Nec multum post à febre corripitur, atque in tanta detinebatur infirmitate quòd neque manducare neque bibere suaue duxit, donec iterato B. Virgini præsentatus benedictum panem accepit, & per huius degustationem & fastidium cibi pepulit & pristinam corporis incolumitatem recepit.

CAP. XXIV.

Quomodo una ex ancillis eius vasa sacrificii purgare neglexit, atque Dominus hoc per visionem revelavit.

HÆC eadem beata Virgo uni ex ancillis suis id iniunxit officij, ut utensilia, quibus in sacrificio solita erat uti, sibi munda præberet. At illa quadā die nescio quid negotiata id ipsum officium sorori suæ commendavit; sed cum illa minus devote illud implevisset, omnipotens Deus qui est amator omnis munditiæ præcepit quandam famulam suam ei per visionem apparere, quæ ut ipsa in eadem visione testabatur in corpore manens eius serva fuit, ut ei intimaret obl tiones non ita munde puritas esse, ut puritas sacrificandi poposcisset, & cuius negligentia hoc evenisset. Sic & sacerdotes olim panes propositionis neglexerant, quos ipsi iuxta traditiones Hebraicas serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debuerant. Vnde & eis à Domino per Malechiam Prophetam dicitur; *Ad vos ò sacerdotes qui despicitis nomen meum sermo iste dirigitur: offertis super altare meum panem pollutum.* Facta autem die vocans ad se B. Virgo prænotatam ancillam, postquam interrogaverat eam quis oblatas in proximo paravisset vasaque sacrificij purgasset, illaque ivisset i ficias, neminem nisi se ipsam fecisse, proferens quæ sibi per visionem dicta erant devicit eam à veritatis regula deviasse. Tunc in ea negligentia redarguens iussit eam neglectum officium implere; admonens ut ea quæ ad Dei servitium pertinerent non ita despectui haberet.

CAPUT XXV.

Quomodo sibi specialem pauperem elegit, & Dæmon in eius similitudine quadam die illi se obtulit.

ITA Virgo sancta ut prælibavimus quicquid de alimonia sibi superserat, totum pauperibus profligavit. De quibus sibi specialem quendam eligens præcepit eum cottidie circa nonam secretius advenire. Huius incessus ita laboriosus fuit, quod duobus baculis inter ascellas illum sustentantibus non incongrue posse, tibi in memoriam revocare debilitatem Miphibosech. Quadam itaque die Diabolus in similitudinem eiusdem pauperis magno strepitu baculorum prædictam horam antevenienis prostravit se humi, tanta infirmitate dicens se laborare quod nisi quam cito consuetam eleemosynam perciperet, sub eodem momento se extrema pati non incertum duceret. O Lucifer qui mane oriebaris, hi habitus hæque voces non decent arrogantem sibi sedem in lateribus Aquilonis & similitudinē Altissimi. At illa ut in oratione iacuit, nullum profano responsum dedit. Ille à. afflictum clamitans cum cognovisset se preces in ventum fundere surrexit à tellure atque caput æquans fenestellæ introspexit. At virgo se consignans oppositionem Sanct. Crucis Diabolicum fantasma esse probavit: nam illico nusquam comparuit. Etiam hoc ei magnam præstitit certitudinem, quod pauper iuxta consuetudinem suam circiter nonam horam secretius advenit, consuetam eleemosynam patienter donec sibi daretur præstolans.

CAPUT XXVI.

Quod Mæcham, quæ puerum suum perdidit, cessare ab iterata pœnitentia fecit.

QVædam igitur Mæcha genitrix effecta adiecit peccatum supra peccatum; infantem quem ex adulterio conceptum peperit in t varium demergens. Sed Deus omnipotens, quem magis delectat nostra conversio quam perditio, voluit hoc scelus ei ad salutem manifestari. Itaq plebs fidelium cōtra tale nephas zelo iustitiæ armata decrevit eam ad stipitem legatam cute privari. Cogito plebem istam cum * Gaio Cæsare de verberibus sensisse, cum tale nefas eorum vindicta audio ab illa puniri, & etiam prius quam ultima sententia imponeretur quæ subiungitur, ad hoc etiam decretum est, ut circulum anni clauderet omnibus festivis diebus passis crinibus pedibusque nudis in atrijs S. Magni stando, ut qui eius sceleris conscij contristabantur, illius pœnitentiam videntes consolarentur. Postquam autem circulum anni in tali pœnitentia fideliter persistendo clausit, recogitans immanitatē reatus sui eadem pœnitentia sponte sua tamdiu se adhuc obligavit, donec B. Wiborada eam ad se vocavit, frenaque afflictionis iam laxanda esse indicavit, puerum in refrigerio esse. Huic non

*Sallustius in Catilinario.

non erit dissimile, quod de Traiani anima legitur, quia liberata sit ab inferno Gregorio dolente pro illo. Nam eius animam ab inferno ereptam atque in Paradysum collocatam esse omnino incredibile videretur, ipsa veritate dicente; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei.* Sed infernus hic per Methonomiam dicitur id quod continet pro eo quod continetur, sicut est *percutere civitatem in ore gladii* cum populus in illa habitans percutiatur, tendens ad hoc, Trajanum cruciatibus inferni refrigerium esse consecutum, non autem ex inferno eductum. Valet enim anima & in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti unus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere, per Dei autem iustitiam cuncta æqualiter non valet exurere. Qam unius cuiusque quantum meruit culpa, iusto Dei iudicio tantum sentietur & pœna. Sed tu Deus noster memor humanæ fragilitatis *noli* ita *districte intrare in iudicium cum servis tuis: reminiscere* quæso potius *miserationum tuarum Domine & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt*: liceat nos sperare in te cum Propheta, *quia non ad consumptionem nostram emittas manum tuam & quia si in profundum inferni dimersi fuerimus inde nos liberabis.* Hæc quæ à nobis nunc breviter ad te Domine sunt singultata, confidentes apud tuam misericordiam nobis in perpetuum profutura, qui lacrimas Prophetæ in conspectu tuo posuisti, ad prædicandam Virginis tuæ sanctitatem sermonem reflectimus. Postquam vero Wiboradam meretricem frenis afflictionis absolvit, cathenam cautelæ ei innexuit admonens eam ut in posterum de tam nefandis sceleribus se custodiret, ne ei *novissima peiora fierent prioribus.* Ergo eius admonitionibus admodum ædificata in sanctitate & iustitia deinceps servire Deo studuit omnibus diebus vitæ suæ.

CAPUT XXVII.

Quomodo B. Rachilda ad illam venit.

QVædam igitur prænobilis puella, nomine Rachilda, quæ etiam virginitate sua Deo dicata in eius obsequio iugiter perdurabat, frigorretico morbo non modice vexabatur. Quā cum parentes eius Romam deferre vellent spe recipiendæ sospitatis, demandavit ei B. Wiborada, ut si vellet sanitatem recuperaer, quantocius ad eam veniret. Procul sit ab animis audientium Wiboradæ legationem omnis suspicio, quasi sperantem puellam ab Apostolica potestate salutem subquaquam æquiperatione in potestate curationum ab itinere retraxisse, cum longe aliam eius intentionem fuisse sequentia dilgienter inspecta declarent. At illa hac legatione gavisa implevit sibi demandata. Postquam autem ventum est ad oscula S. Wiborada infit; Benedictus Dominus, qui te diu desideratam huc transmisit sibi ad servitium, & nobis ad solatiū. Postea inibi morata infra paucos dies non ex parte sanitatem recepit, atq; cuncta quæ spiritualis mater eam docuit non solum in tabulis cordis notavit, sed etiam ut ita dicam supra suum posse omnia perfecit.

CAPUT XXVIII.

Quod parentes B. Rachildæ voluerunt illam repatriare, & hoc B. Wiborada cœpit dissuadere dicens eam Dei prædestinatione reclusam ibi fieri debere.

HIsdem diebus Burckhardo Duce Alamannorum bella gerente, populis etiam inter se diffidentibus propter Saxonicum Heirricum Regem factum cum militaris populatio gravem penuriā terris inferret, parentes B. Rachildæ metuentes eam ibi fame cruciari voluerunt eam repatriare. Cumque se præsentarent B. Wiboradæ causa petendæ licentiæ dixit eis, super hac re non tunc sibi esse respondendum, sed irent ad hospitia & in crastinum convenirent eam. Fecerunt ergo iuxta verbum eius & dictum est illis ut cum gaudio ad sua remearent, Dei prædestinatione em esse filiam eorum inibi subsistere. Monstrabatur illis etiam locus, qui ei à Domino ad clausulam deputatus esse dicebatur. Igitur illius præsagio non discredentes iter arripiunt: nec longum tempus evolutum est inter parentum abitionem & filiæ inclusionem in eodem locello, quo sancta Virgo præmonstraverat.

CAPUT XXIX.

Quomodo B. Rachilda infirma fuit atque in susceptione baculi B. Wiboradæ convaluit.

SÆpe memorata Virgo Rachilda quodam tempore ægrotabat, & ex nimia infirmitate in desperatione vitæ præsentis iacuit. S. vero Wiborada corrogata una ex domesticis tradidit ei baculum suum, & huiuscemodi mandata: Defer illum spirituali filiæ meæ, & dic ei ut tripedem imitans senectutem veniat ad me. Cumque ministra exequeretur præcepta Dominæ, B. Rachilda extensa manu suscepit baculum atq; in ipsa susceptione convaluit, confestimque surgens B. Wiboradæ se præsentavit. Quid nunc lezi? video te nescio unde mutato

tato vultu, forsan miraris per susceptionem baculi Virginis ægram convaluisse, cum cogitas per positionem baculi Domini tui defunctum non surrexisse, & quodammodo præcellere eam in gratia curationum. Non equidem miror: non enim ibi multum laborat admiratio, ubi rerum fieri potest æquiparatio. Baculo Wiboradæ tuæ ægra accepto surrexit: Domino autem meo superveniente puer revixit, & etiam ut ipse nosti minus est ægram sanare quam mortuum resuscitare. Qua de re minus patet mihi ex parte Wiboradæ illud præcellere. Bene dixisti Domino tuo superveniente defunctum revixisse: ego vero in quio, Wiborada absente ægram tantum per susceptionem bacilli eius convaluisse. Sic & absentis Pauli semicinctia ægrotantibus superposita sanabant, quod maioris virtutis erat quam ipsum supervenisse, & longa oratione morbos fugasse, potes & in hoc notare, si placet, illud Virginis præcellere, quod baculus eius non efficiendum miraculum mittitur, & tamen in ipsa susceptione efficit: baculus verò Domini tui hac de causa per te directus nec longa positione consequi miraculi effectum. Sed quid loquar per positionem baculi signum non evenisse, cum ipse baculi Dominus superveniens hoc quasi vix obtinens moraretur. Scriptum quippe est; *Ingressus est ergo Heliseus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius, ingressusque clausit ostium super se & super puerum, & orabat ad Dominum, & ascendit & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo semel huc & illuc, & ascendit & incubuit super eum & oscitavit puer septies, aperuitque oculos suos.* Postremo ubi tu maxime hæres Wiboradam mortuum non resuscitasse, cum Dominus tuus legatur hoc fecisse, nequaquam obest ad iam ostēsam Virginis præcellentiam. Qui scis obitam non revicturam, quam vides ægram sanatam? An dubitas qui hæc per merita Virginis suæ dignatus est operari? Admirationem, quam putavi æquiperationem levigare, mirabiliter frater in laude Virginis procedendo non solum mihi augmentasti verum etiam, quod rarum est, contradictorem reddidisti auditorem tui benivolum. Sed quia si quid residuum fuerit igni comburendum est suppressa super iudiciis Dei, quæ sunt abyssus multa, ammiratione horror te, si qua adhuc supersunt, de tali Virgine loqui, & tamen si possis quæ gloriam Domini mei non sint ita obnubentia. Paretur. Wiborada autem benedictione præmissa salutavit amice venientem Rachildam, edocens illam quod fides eius & obedientia eam allevarent. Postquam vero multa spiritualia locutæ sunt, cœpit B. Rachilda flagitare eundem baculum sibi condonari à matre, quatinus pro eius amore eum servaret, quoad usque viveret. Quo impetrato nec non usque ad finem vitæ conservato post obitum suum sepulchro piæ matris eum restitui disposuit.

CAPUT XXV.

Qumodo S. Gallus B. Wiboradæ scissis vestibus innotuit quod Burckardus Dux ecclesiasticas res diripuit, ab illaque pro his correptus emendationem promisit, quam continuo per calicis acceptionem non observavit, & quomodo in Italia postea vitam finivit.

QVadam igitur nocte vidit B. Wiborada somnium, B. Gallum sordidis & scissis vestibus amictum, cumque obstupescens inquireret ab eo, quid regeret his figuris? Audivit illum, se conqueri de ecclesiasticarum rerum direptione, & populi sui contritione, & huius sceleris effectum prædicto Duci Alamannorum imponere. Post non prolixum tempus idem Dux ad monasterium veniens confestim ab ea accersitus est. Quo veniente postquam eum de iniquitatis perseverantia valde redarguit, exposuit ei visionem per ordinem, hoc adnectens nisi scissuræ vestium Sanct. Galli digna pœnitentia consuerentur, vitam eius in periculo constitutam fore. Ille autem semen cadens super petrosa cum gaudio suscepit verbum increpationis, à quo erat recessurus ut non habens radicem in tempore temptationis atque sub iureiurando pollicitus est de præteritis emendationem & de talibus in posterum abstinentiam. Cui illa, sic occurrens inquit, probatio iuramenti tui non diu differtur. Cœnobitæ eiusdem viri, de quo nunc apud nos sermo est, tractantes qui mitigarent ferocitatem animi tui super ad eos pertinentia disposuerunt te cum perfecto calice de auro donare, & nosti ut iam pauper locellus in tali munere exhauriatur ad hoc quod nunc exterius à te vastatus ut dictum est dinoscitur. Quem calicem, si tibi cura sit reservandæ vitæ, nequaquā præsumas accipere. At ille quasi abhorrens eius dictis iterando confirmat iuramenta, se non solum exinde de rebus Sanct. Galli quid tale accepturum, sed etiam irrationabiliter eis utentibus omni studio contraire. In hac igitur sententia ab illis digressus venit ad monasterium. Susceptus est vero à fratribus, ut scriptum est; *terror divitum exigit sibi honorem.* Ipse Abbas nomine Engilbertus eius tyrannidem contremiscens se credidit fugæ. Cum autem in crastinum discessurus esset, fratres præmissa benedictione obtulerunt ei prædictum à beata Virgine munus. Quid nunc? quid conaris? nonne si accipis fies periurus? contine obsecro manus, dic, ut magnæ virtutis hominem decet, gratam duco vestram clientelam, dives voluntas gratior est munere, munus non sperno, tollens relinquo, pœnitet me scelerum, fui prædo hactenus in servos Sanct. Galli, hinc potius oportet per me eius ecclesiasticas res augmentari quam

quam minui. Si scires, Frater, inexuperabiles Principum huius seculi necessitates, nimirum huiusmodi suasionibus parceres. Me enim sub potestate constitutum oportet tali munere in Regis Domini mei prodire obtutum: creberrimi etiam militares apparatus nolunt pauca adesse eorum sumptibus, atque danda largiter stipendia militibus: præterea sunt excedentia numerum, quæ persæpe cogunt amicos huius seculi transgredi iustitiam Dei. Si vis amicus esse huius seculi, quid mihi tunc tecum, cum constituaris inimicus esse Dei? Perge, perge, non adjicio verbum. Cerneres illum tot periuria non vereri, sed incunctanter utrasque manus in eius susceptionem extendentẽ. Vt gratificatur quoties inter manus liberatur; quam diversi pretij à circumstantibus æstimatur: Igitur inde se domum proripiens uxori suæ quæcunque beata Virgo ad eum locuta est per ordinem retexuit, eique calicem ostendit Iam iam vero ad Italiã in militiam profecturus rogavit eã ut illum Sanct. Gallo remitteret, si mors eius reditum præoccuparet. Sicque discessit in Ramoth Galaad infaustus persuasor substantiæ Naboth Iezrahelitæ, experturus in eodem itinere Dominum locutum esse per os Michæ. Nam insperato in foveam cecidit, & ita quasi quadam præsaga fine malorum de medio sublatus est, itaque in lacu æternæ miseriæ digna sua pravitate præmia accepturus. Matrona autem eius obitu comperto calicem, ut rogata fuit, monasterio remisit; catenam vero lapidibus intextam preciosis retinuit (ô defraudatrix Saffyra) aliamque multo minorem pro illa dedit.

CAPUT XXXI.

Quomodo quadam meridie vacans psalmodiæ libro ultro se complicante pressa est sopore, divinitusque cognovit de Vngrorum vastatione, & quomodo consuluit quendam Waltrammum si debuisset visionem proferre, & quia Abbas eam voluit secum ad castellum quoddam quo ipse omnia sua fugarat vehere illaque noluit discedere.

CVM autem omnipotens Deus Virginem suam iam diu bonum certamen certantem per palmam martyrii vellet cursum consummare, quadam meridie ei ex more vacanti psalmodiæ psalterium ultro se complicuit. Res admiratione digna, super quod faciem aliquantisper inclinans gelido sopore fuso super artus paululum obdormivit. Hac tenui pausatione divinitus ei revelatum est, sequenti anno Vngros Alamannia vastata in Kalendis Maij cellam Sanct. Galli invasuros, seq; eisdem vulnerantibus ultima fata passuram. Evigilans autem nimis fluctuare cœpit de visione, utrum propalanda foret an non. Pensabat enim quod de futuris prædicere ultra eius meritum esset; nihilo minus etiam cogitavit Deum plerumque electis suis etiam per peccatores innotescere ut fugiant à facie arcus; metuitque si reticeret eorum contritionis se ream fieri, quos præsentia periculi posset salvare: postremo pertractans, quia in antiquis est sapientia, accersito quodam monacho nomine Waltrammo, cuius etiam superius fecimus mentionem, provectæ ætatis viro, denudavit ei omnem visionem usque ad martyrium, & quomodo fluctuaret utrum occulenda foret vel propalanda, cumque huius rei gratia accersitum quia speraret in eo portum consilii reperire suæ fluctuationi. Ille vero ut rem per totum collegit, post aliquantulam deliberationem censuit tam commune periculum nequaquam esse celandum. Quamvis igitur consilium daret, tamen ipse non modice anxiatus fecit anxietatem duorum esse multorum Abbati suo aliisque fratribus hæc eadem propinans. Abbas vero stupefactus ex auditis, directis quibusdam de fratribus ad illam tum causa diligentius de his indagandi, tum quatinus cum illa tractarent ut egressa de clausula ad tutiora loca se pateretur transferri, quoad usque paganorum furor pertransiret, nil ei potuit extorquere quid esset eius voluntatis, nisi ipse adveniret, & solus cum ea misceret colloquia. Nec mora, regrediuntur legati Abbati suo nil certi referentes nisi Virginem ipsius desiderare præsentiam: qui sperans se ad hoc vocari ut cæteris remotis ille quasi secretior eligeretur suasor eius evasionis accelerauit ad eam gressum: sed illa iam divina revelatione certificata de die vocationis suæ magis cœpit ei consilium dare de exteriorum, videlicet ecclesiasticarum domesticarumque rerum procreatione quam de temporali vitæ suæ dilatione. Quæ consilia ille attente percipiens expectabat si etiam ad ea vellet extendere quæ ipse sperabat: sed cum nulla vox de his audiretur, ad ultimum cupiens cognoscere quid haberet animi huiusmodi verbis cœpit uti; De cœteris iam navigo in portu remis tuorũ consiliorum navim meæ intentionis adjuvantibus: de te vero quid fiat adhuc in media carybdi laboro. De me, inquit, noli sollicitus esse: nam ego confidens de adiutorio Dei *non timebo quid faciat mihi homo si circumdabunt me sicut apes & si exardescant in me sicut ignis in spinis fortitudo mea Dominus fiet mihi in salutem.* Tunc senior prorumpens in lacrimis rogavit eam ut propitia sibi esset atque egrederetur. Noli, inquit, pater venerabilis me ita perturbare lacrimis tuæ compassionis, sciens procul dubio quod semel animo unitum est mutari non posse, si divina non dedignabitur clementia abesse. Locum enim, quem contra versutias antiqui hostis pugnatura elegi, Deo adjuvante spiritu redeunte ad eum qui dedit illum etiam corpore tegam. Animadverteres meas esse intrepidi militis animum, & velle pro illius gloria omne subi-

subire periculum, qui priusquam montes fierent existens nobis, in quos fines seculorum devenerunt, factus est refugium. Tunc venerabilis pater admirans eius constantiam, commendans se illius precibus ad claustrum rediit. Cum autem haberet quandam munitionem unius miliarii à monasterio, optimum facturatus est in hac se suaque omnia præmunire, quoniam naturalis firmitas loci tribuit ei fiduciam à nullo posse expugnari, si custodientibus eam victus non deesset.

CAPUT XXXII.

Quomodo parentes B. Rachildæ eam voluerunt de cella vehere, & quia B. Wiborada eis promittenda filia illorum nihil mali provenire læti ad sua rediere.

SVpervenerunt etiam parentes Beat. Rachildæ volentes ad tutiora deducere loca, quos Beat. Wiborada sic allocuta est; Nolite sollicite esse de filia mea, qui tempus eius nondum advenit, sed adhuc per multa tempora vobis aliisque multis ad solatium reservabitur. Qui nihil hæsitantes in eius promissionibus, nempe illos credeliores reddidit quod viderunt priorem prophetiam in filia eorum completam, quia sequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio, ad sua cum gaudio reversi sunt non parum admirantes de nobili constantia Virginis. Quomodo ista retentio B. Rachildæ placuisset hæremus, quia fertur postea extimuisse martyrium, atque spiritualis matris ne pateretur imploralle auxilium, illamque quoddam membranum Dominica suspensione depictum ei dedisse, ut illud ibi expanderet ubi infirmanti aditus fuerat introeunti ad illam ancillæ, atque hoc munimine ab hostibus esset protecta.

CAPUT XXXIII.

Quomodo Wito Presbyter incredulus de Vngrorum vastatione ad castellum pergendo factus est credulus in oppressi pueri salvatione.

QVidam Presbyter nomine Wito fama ciente de adventu Vngrorum venit ad B. Wiboradam dicens se creperum sapere tam sacrum locum unquam à paganis posse contaminari, atque hoc nefas existimari preces B. Galli prius à Deo pro eius emendatione exauditas, modo in eius contaminatione credere adnullari. Quem illa mox divinis oraculis non incredulum esse monens, fugamque quantocius accelerare hortans prædixit ei in eundo improvisum mœrorem propter eius incredulitatem provenire: quod & factum est. Postquam tota domus reda componitur, una quendam puerum impositæ supellectili supersedere fecerunt, en subito nescio quo casu reda subversa est, & puer qui dudum superledens impositam supellectilem premebat, diffidebatur aliquantisper huius impressione vivus evadere. Tunc illi quasi exanimati, maxime propter puerum, redamque cum impositis reponderantes invenerunt puerum in periculo sanum. Presbyter autem animo recolligens sibi prædictum mœrorem, non solum fit credulus omnium quæ sancta Virgo prædixerat, verum etiam glorificavit Deum, qui ei tale donum prophetiæ conferre dignatus est, mox igitur mœrore gaudio propulso læto cursu ad castellum pervenit.

CAPUT XXXIV.

Quomodo Vngri cellam invadentes ferro igneque omnia vastantes ad ultimum ad Virginis devenerunt ædes, & quomodo tria vulnera capiti eius infligentes abierunt seminecem eam relinquentes.

CVM hæc agerentur iam tum non fama volabat per cellam de adventu Vngrorum, sed illorum rabies undique eam circumsepserat. Mox ad prædandum cuneus dispergitur omnis, ingemitque avaritia contra eius parentes sinus vacua patere æraria. Extruuntur in basilicis pyræ, prorumpentesque in altum flammæ divina virtute permittuntur obfuscare laquearia, incenduntur altaria, sanctorumque reliquiæ ignium dominaturæ ignibus traduntur, humiliantur usque ad terram in altum eructæ domus, humiles vero aut deicebantur aut ignis dominabatur earum. Tali vastatione basilicam Sanct. Magni adeuntes voluerunt & illam rogo extructo concremare: sed ubi divina potentia eis resistente eorum voluntas caruit effectu, tunc avaritiæ suæ consulentes cœperunt spe pecuniæ quæque secreta rimari, sicque rimando ad ultimum ad oratorium Virginis devenerunt. Quod undique præmunitum esse comperientes, autumantes omnem thesaurum eo loci fugatum esse, disiectione tegularum sibi aditum parabant. Cum que introgressi essent invenerunt eam cilicio indutam Spiritum contribulatum Deo sacrificantem. Vtrum propter hoc quia noluisset secreta patriæ denudare facerent, vel quod æstimarent eam eis aliquid officere in quærenda pecunia, ignoramus. Postquam ei omnem amictum præter cilicium detraxerunt, tria vulnera in caput eius librabant, & ita seminecem relinquebant. O detestabile vitium avaritiæ, cuius potio cũ sit sitis, sui amatores omnia exquirere terra & mari sollicitat, &

non solum talentorum reconditores verum etiam victu & vestitu contentos plerumque iugulare effecit propter quæstum,& quod dolendum est illos quam sæpe ab his, quorum sanguinem sitiunt,exceptos precibus fidelium indignos expirare.Ergo post actam necem,quæque absconsioni idonea diligenter scrutantes postquam nihil invenerunt horum quæ sperabant,protinus erumpebant foras magis sceleribus quam gazis onusti.

CAPUT XXXV.

Quod sanguis eius inspersus muro per plurimos annos non potuit aboleri, & quomodo per huius inspersionem visus redditus est cuidam mercatori.

AT virginalis cruor undatim profluens in prima eruptione vicinum conspersit murum atque exin decurrens rivis cilicium totum perfudit. Quæ conspersio quamvis sæpe calce dealbaretur,nullatenus per multos annos potuit aboleri. Quod miraculum quidam excœcatus mercator audiens venit in basilicam S. Magni baculo regente gressum, qui præmissa oratione postulavit se deduci ad locum,quo deductus parum quid radens de sacro sanguine panno involutum domum deduxit,cumque diversorium suum ingressus fuisset,illico orbatis inspergens luminibus mox de recepto visu gratulabatur,atque sepulchrum beatæ Virginis cum debita veneratione revisit glorificans Deum.

CAPUT XXXVI.

Quod frater eius venerat eam sepelitum, & cum hoc à Rachilda esset prohibitum,ad castellum perrexit hoc nunciatum.

BEata igitur Virgo & Martyr Christi non eadem hora emisit Spiritum,sed vivens usque in sequens mane in sinum Abrahæ expiravit. Venit itaque bonæ memoriæ frater eius, qui nescio ubi inter fruteсta latens totum conspexerat, volens preciosum thesaurum terræ commendare ne forte barbata gens iterato veniens igni eum traderet.Sed huius rei voluntate à B.Rachilda spoliatus donec Abbate cum omni clero adveniente honorifice sepulturæ daretur involutum sacro velamine,ad castellum proficiscitur atque Abbati cæteræque multitudini omnia uti gesta erant per ordinem retexuit,qui fraternam commemorationem pro eius requie celebrantes manserunt ibi octo dies propter metum pagnorum.

CAPUT XXXVII.

Quomodo veniente die octava Abbas eum fratribus rediit ad monasterium, & quod in corpore martyris nulla cicatrix patuit vulnerum cum illud nudarent lavatum.

VEniente autem die octava Abbas comperto discessu paganorum rediit cum fratribus ad monasterium, reliquis etiam qui illo confugerant repatriantibus. Memoratus autem frater eius collectis secum quibusdam de fratribus ac laicis cœpit studiosius satagere, ut corpus eodem die sepulturæ traderetur. Cumque illud nudarent lavandum, ut moris est, nulla in eo patuerunt vulnerum indicia,nisi qua catena sulcabat, sed ita sanum atque inviolatum viderunt ut etiam à plerisque de martyrio posset dubitari,si effusus cruor testis non esset. Eandem vero catenam ante barbarorum eruptionem à se dissolvens iuxta altarium occuluit,& postea eos qui excubias circa funus eius celebrabant per visionem admonuit,ut de eodem loco sumptam prope eam in sarcofago collocarent,quod & fecerunt.

CAPUT XXXVIII.

Quomodo cum idem corpus vellent levare in sarcofagum non potuerunt præ curvitate membrorum,& quomodo illis videntibus extendit se in directum.

POSTquam vero lotum corpus linteaminibus reinvolutum in sarcofagum levare voluerunt,cognoverunt eis impedimento esse beatam Virginem in finali angore unum crus atque brachium ad se trahendo curvasse, spirituque recedente ante eorum extensionem ita in curvitate diriguisse.Procul dubio fidelium est credere Deum ad hoc declaranda martyris suæ merita fieri voluisse. Volant in turba diversæ cogitationes: nam sectionem artuum æstimabant Virgini esse iniuriam, libitinam autem secundum membrorum curvitatem formare laboriosum duxerunt. Cumque ita penduli stetissent, viderunt eadem membra velut viventia in directum se extendere, faciemque eius quodam Angelico rubore perfusam quasi in risum hilarescere. Tunc & ipsi lætabundi preciosum thesaurum sarcofago imposuerunt, iuxta eius admonitionem catenam prope illam collocantes.

Caput XXXIX.

Quomodo venit Abbas cum congregatione atque celebrantes missarum sollemnia pro eius requie honorifice eam tradiderunt sepultura.

Ergo omnibus expeditis venit Abbas cum congregatione fratrum & copiosa multitudine utriusque sexus non sine magna devotione, atque missarum sollemnia celebrantes in Spiritum humilitatis sacrificabant pro eius requie summo & vero sacerdoti. Expletis autem missarum sollemnijs acceptaque crucis & his quæ exequijs exhibentur usque ad locum sepulchri procedunt, ibi Deum cui omnia vivunt fideliter pro ea deprecantes virginalem glebam spoliatæ telluri virginitate cum multa lacrima commendaverunt anno nongentesimo vigesimo quinto incarnationis Domini Iesu Christi, qui vivit & regnat Deus per infinita secula, Amen.

HEPIDANNI COENOBITÆ S. GALLI

DE MIRACVLIS S. VVIBORADAE VIRGINIS ET MARTYRIS CHRISTI.

LIBER II.

Caput. I.

De candela quæ ad sepulcrum eius posita cœlitus est tricies incensa.

Egitur post sepulturam præcluis agonistæ, divina potentia, quæ adhuc in carne manente signorum attestatione dignata est mortalibus innotescere quã fideliter in mandatis eius incederet, ipsa etiam non dedignata est post eius depositionem frequentia miraculorum mundo declarare quali gloria ab ea remunerata sit in cœlis. Ad eius tumbam lucerna posita erat, quatinus quando missarum sollemnia, seu vespertinalis oratio, seu matutinæ laudes celebrarentur lumen adesset. Quadam vero die post officiorum expletionem æadituus eam extinguens altera die ingressus reperit eam ardentem, quam secundo extinctam secundo invenit incensam atque extinxit, similiter tertio ingressus repperit ardentem sed minime extinxit cupiens prius indagare quis ei officium suum ita dimidiaret, cumque ab interrogatis non solum nil certi posset exarare verum etiam eius inquisitio omnium admirationi fuisset, itur in commune ad lucernam. Posses mirari fluentem ceram à facie ignis tunc eius calore nil esse imminutam, atque idipsum lumen paulatim se subtrahere visibus humanis, ut facile in hoc miraculo animadverteres beatam Virginem ornata lampade ad nuptias cœlestis spõsi intromissam cum illo habitare lumen inaccessibile.

Caput II.

Quod quadam de ancillis eius voluit noctu basilicam intrare causa orandi, sed propter immensum lumen quod vidit in ea non ausa est ingredi.

Una servarum huius Virginis quadam nocte stratu suo relicto causa orationis basilicam petijt, quæ testata est se tantam claritatem in ea vidisse ut ingenti terrore correpta fusis precibus ante valuas minus periculosum esse eligeret positum in horrentibus tenebris thorum revisere quam irradiatam cœlesti lumine basilicam introire.

Caput III.

Quod germen fœniculi circa tumulum eius crevit tempore hyemali.

In autumno, qui æstatem passionis B. Wiboradæ retrudit, sæpe memoratus frater eius viridis fœniculi germen circa tumulum eius fixit, quod divina dispensatione radicem terra figens atque per totum brumale tempus in sui viriditate permanens ad ultimum adeo crevit, quod comis in modum coronæ nexis totum sepulchrum protexit. De cuius germinis viriditate non solum multi sunt mirati, verum etiam plerique languentes sanitati sunt restituti per acceptionem temperati ex eo antidoti.

CAPUT IV.

De pectinis eius inventione.

SOROR erat huic B. Martyri nomine Willidruda tricesimum possidens gradum. Hæc cum haberet notam, rogabatur à Virgine sorore ut hanc permitteret aliquot dies secum morari, qua permittente cum apud materteram paucos exegisset soles informata morti debitum soluit. Mater autem post aliqua annorum curricula morte intercedente soluta à lege viri cœpit frequentare tumulum martyrizatæ sororis, ibique divinis laudibus die noctuque se occupans in gradu sexagesimo à morte inventa est. Huic adhuc in corpore degenti quodam matutino crepusculo prædicta filia eius hilari vultu apparens huiuscemodi verbis ad eam visa est. Num vigilas mater? quæ respondit, vigilo. Surge, inquit, & dic avunculo meo quod Domina mea Wiborada ægre feret eius thesaurum illius negligentia tam diu celari. At illa suspicans de thesauro pecuniæ dixit, qualem thesaurum credenda est occulisse quam sperabamus consortem veræ beatitudinis in cœlis, eo quod in terris posita non sperare visa est in pecunia & thesauris? Cur illa, non est (inquit) ita ut tu suspicaris: nam inventio thesauri tollet tibi huiusmodi suspectum. Mox igitur linquens stratum adiit fratrem, sibique per somnium revelata nunciavit. Nec mora, surgitur à sacerdote atque una locum sepulchri Virginis adeuntes viderunt illius pectinem sine appendiculo ab aere sustentari, quem cum soror Presbyteri manu tangeret cecidit ei in manum, tunc ille indignatus (voluit enim plures testes huius miraculi fieri) suscepit eundem pectinem atque ad claustrum properans Abbati cæteræque congregationi eum præsentavit, simul omnia de visione in præsentando retexens, quem pater monasterii reverenter suscipiens illa mirabili sustentatione audita exosculatur laudesque & gratias pro eius inventione Deo omnipotenti persolvens die eadem argento inclusum ad tumbam Virginis appendi præcepit.

CAPUT V.

Quod cuiusdam turgidum caput eodem pectine benedictum pristinæ sanitati est redditum.

HVic miraculo non incongruum illud videtur subnectere, quod quidam, cui violato supercilio turgescens caput spem vitæ præsentis ademerat, eodem pectine à supradicto sacerdote benedictus pristinam indeptus est sanitatem.

CAPUT VI.

Quod B. Rachilda cum infirmaretur per eius visitationem sanabatur.

PER id temporis ægrotabat B. Rachilda, atque tanta detinebatur infirmitate, quod pene tres continuas noctes diesque quasi exanimis iacuit, tertia vero nocte circa pullorum cantum paulolum resumpto spiritu cœpit implorare Martyris auxilium. Exaudivit ergo mater spiritualis vocem filiæ laborantis, atque cum magno labore cœlestis luminis adveniens suavissimique odoris fragrantia caput suum capiti iacentis acclinat, manumque leniter pectori eius admouit, atque sic aliquantisper moras nectit. Post breve vero cum ipso iubare visibus humanis sublata est, permanente inibi usque ad lucem odoris fragrantia, sicque matre veniente fuit languor à filia, hacque recedente rediit sanitas pristina.

CAPUT VII.

Quomodo iuuenis Vdalricus ad sepulcrum eius est sanatus.

QVidam ephebus nomine Vdalricus in congregatione S. Galli scholari sudabat Pierio. Hunc quodam tempore invalescens ægritudo ad hoc redegit, ut carnibus attenuatis spiritum iam ossa regere negaret. Is ad tumbam Virginis deductus ut eius suffragia cœpit implorare obdormivit; mox autem evigilans postulavit escas, quibus allatis comedit, convaluit, atque sospes ad claustrum rediit.

CAPUT VIII.

Quod Engilbertus Abba monasteri anniversarium eius cantu & lectionibus præcepit venerari, & quod per visionem innotuit quia mutatio velaminis altaris displicuit.

HÆc virtutum eius insignia Engilbertus Abbas monasterij imis reponens sensibus, veniente eius anniversario præcepit supradicto fratri eius illum sollemnem agere cantu & lectionibus, ut solet de una virgine, quod ille libenter percipiens in tantũ studuit eundem diem venerari, ut etiam altare velaret cultiori velamine privato, nã quo privatis diebus

bus velabatur, beata Virgo proprijs manibus texuerat, cumque finitis matutinis se sopori dedisset, adest invisu gloriosa Martyr, gratesque pro veneratione solvens velaminis mutationem minus placitam duxit; qui expergefactus illico surrexit atque juxta Virginis velle operuit altare.

Caput IX.

Quomodo B. Rachildæ germana eius visitatione est sanitati restituta.

IN pago qui Erigowe nuncupatur, quem Araris fluuius ex uno latere præterfluit & altero Renus, fuit quædam materfamilias nomine Pliddruda Beat. Rachildæ germana. Hæc quodam tempore ita languida facta est, ut dentium pedumque officio privata, vix interdum in lectulo, interdum nullomodo quiescere potuisset. Cumque diu tantis languoribus tabesceret, tandem cœpit invocare Beat. Wiboradam. Nec statim defuit invocanti misericordia Domini, viditque sibi assistere invocatam Virginem partemque ianctinæ pellis formam vaginæ exprimentem iacientem super se, hac voce subjuncta; Optasti quietem quiesce. Mox igitur soporata stertuit illam noctem & subsequentem diem magna ex parte; dehinc expergefacta poposcit escas, quæ cum collatæ ei essent satis avide comedit tantumque in brevi cœpit convalescere, quot aliquot diebus exactis cum oblatione visitavit sepulchrum auxiliatricis suæ, omnibus quos ad præsens repperit causam innotescens suæ oblationis.

Caput X.

De obitu Hitonis germani illius, & quomodo Egibertus successor eius visu orbatus per eius merita est sanatus.

IAM aderat plenitudo temporis quo ille venerabilis Hitto, viridis illa senecta cuius anni non deficient, debuit contingere metam divinæ vocationis, quo educto carnis ergastulo, quidam Archipresbyter nomine Egibertus successit ei in regimine basilicæ Sanct. Magni. Nam & is omnibus quæ possidebat relictis, quo Christum perfectius cruce accepta posset sequi, in cœnobio S. Galli ad regularem disciplinam cervicem cordis humiliavit, cui post aliquot annos cum gravi dolore cœpit caligare visus, adeo ut illum apertis oculis nihil videntem Deum diceres aliud vas electionis sibi in illo præparare, qui ad tumbam Martyris Christi provolutus vouit pro recuperatione visus se unaquaque septimana, quoadusque viveret, in honore viuificæ Crucis ad eius altare missam celebraturum in die quam amatores secularium litterarum diem Veneris appellant, nos autem utres novi liquoris sextam feriam vocamus. Inter hæc vota ob dormivit mirum in modum oculi sopore gravati morbis relevantur, illoque excusso lumen ante à tenebris fugatum clarius rediens tenebras depulit, atque postea in sui claritate permanens nulla caligine interpolari potuit, donec anima recedente cæterorum etiam officiorum corpus reddidit extorre.

Caput XI.

De quadam Reginsinda quæ debuit vacare eius sollemnia.

MVlier quædam nomine Reginsinda cum continuum væ pateretur in capite, audiens quales virtutes Dominus dignaretur operari per merita B. Wiboradæ adijt cernua ad locum sepulchri eius, ibique vovens diem passionis eius annuatim festive veneraturam, in vouendo somnium cœpit, unde excita omni dolore remoto incolomis repartiavit. Igitur adveniente profesto natalis Virginis, hæc eadem quam prædixi mulier iam pridem habens telam erectam speravit eadem die eam usque ad finem perducere, si diem ex integro texeret. In hac itaque spe festina cum iam vergens sol intrans Oceani undas mortalibus denegaret sui præsentiam, corripitur in texendo tanta infirmitate capitis quod prius relictum Virginis auxilio thorum languore ingrauescente revisit. Tunc se reminiscens prævaricatricem ultra suum posse ut ita dicam nisam, iterato ad sepulchrum eius venit, ibique oratura prosternitur. Quomodo ego miser hic digne valeo loqui lacrimas, commissa pœnitentium, cuius captivata mens adhuc magis voluntarie ducitur in lege peccati quam ut condelectetur lege Dei. Funduntur ubertim lacrymæ testes veræ pœnitentiæ, æmulantur vota melius solvenda prioribus neglectis, exaggerantur preces pro venia precibus pro incolomitate, singultusque continui sæpe illi abrumpunt precantia verba. Tandem divina clementia respecta, quæ nobis delinquentibus semper post virgam correptionis porrigit baculum consolationis, repente inter preces somno gravatur, quo exonerata illico surrexit sana atque cum gaudio regreditur ad sua.

CAPUT XII.

Quod duo diversis morbis vexati ad eius sepulcrum sunt sanati.

NON enim arbitror & hoc miraculum esse reticendum quod duo diversis afflicti morbis (nam unus febre, alter dentium dolore laborabat) aliorum adminiculo ad memoriam huius Virginis adducti (ingens enim dolor utrique proprias vires consumpserat) per eius merita pristinæ redditi sunt incolumitati.

CAPUT XIII.

Quomodo quidam qui dentium dolore laboravit tactus ligniculo de cupa eius sanus recessit.

GNatus ministri B. Wiboradæ adeo vexabatur dolore dentium, quod capite ex omni parte tumescente ab omnibus eum intuentibus desperabatur, cui cum pater dentes ligniculo de cupa Virginis tangeret, tribus vix guttis sanguinis prorumpentibus sospes cunctis mirantibus surrexit.

CAPUT XIV.

Quomodo Diabolus Kebininam in ignem trusit, & quomodo inde eruta quasi in extasi iacuit, & ad vesperum resipuit.

NEC hoc silentio prætereundum quantam pietatem virtus divina ostendere dignata est ob merita Virginis atque Martyris suæ planius declaranda super fidelem servam eius Kebininam. Post transitum igitur B. Wiboradæ, commissione & præcepto illius B Rachildę fideliter serviendo adhærebat. Ipsa vero Rachilda crebra infirmitate fere per omne tempus vitæ suæ cruciabatur. Hæc autem quam prædixi serva quoddam potirium miscere edocta fuit à Wiborada cōtra eius consuetudinariam infirmitatem, quod cum quadam die in testula igni apponere voluisset, ut se inclinavit Diabolus utriusque dilectionis insectator quadam invisibili impulsione trusit eam in ignem, in quo cum diu huc illucque volutata miserabiliter cremaretur (nemo enim astabat qui eam extraheret) tandem divina miseratione & beatæ Martyris ut credimus auxilio ignibus eruta sella iuxta posita consedit. Tale post quædam conserva eius aliique cum supradicto sacerdote Egiberto intrantes diversorium illamque videntes ita crematam obstupuerunt in insolita facie, cumque inquirerent ab ea si ipsa esset Kebinina paulolum resumpto spiritu respondit, ego quidem sum: nolitèque obstupescere neque mirari, inimicus hæc fecit, non enim hæc mala quasi non præscita mihi evenere, nam cum in cella Sanct. Georgij apud Dominam meam Wiboradam mansitarem, contigit me gravissima infirmitate detineri, cumque mihi in dubio esset vita & mors, subito visus est capiti meo astare iuvenis pulcherrimus & alius quasi persona deformis Æthiopis, quem ille pulcher increpans, quid inquit hic astas cruenta bestia? in aliquo enim adhuc post tempus dabitur tibi potestas lædere hoc corpus: in anima vero nec modo nec deinceps ullam tibi concessam scias, en tempus læsionis: spero autem de Domini misericordia, si cum Propheta ei tradita sum in interitum carnis quod etiam animam meam cum illius anima servet. Mirabile dictu, cerneres eam in uno latere usque ad pectus ita concrematam, ut ossa & interiora quædam apparerent & vestem nil esse læsam, in altero vero vestem combustam & carnem in nullo penitus læsam.

CAPUT XV.

Quomodo divina revelatione corpora ambarum Virginum basilicæ Sanct. Magni sunt intromissa, & quod unus artificum pede læsus sospitati pristinæ est redditus.

IGitur dolore huius ustionis in lectum decidens cum per aliquot dies graviter laborasset, accidit ut quadam vespera resolutis membris frigido corpore ita omnium officiorum iaceret effœta ut à cunctis circumstantibus mortua nunciaretur. Fletur, extenditur, ordinatisque excubiis pro mortua custoditur, circa pullorum vero cantum fragor nimius, veluti tonitrus ita graviter super ipsam domum increpuit, ut omnes qui in excubiis aderant nimio terrore perculsi ad terram corruerent. At Virgo Rachilda divino ut credimus instinctu vocans ad se prædictam servam dedit ei cilicium B. Wiboradæ, eamque super defletæ corpus expandere iussit, sed & baculum eius addens supponi præcepit, quod cum factum fuisset, extemplo recalefacta convaluit, resedit, visum apperuit, omnibusque quinque perticis officiis ad plenum recuperata est. Tunc erumpens in vocem dixit: Gratias tibi refero Christe salus omnium in te sperantium, qui dolores meæ ustionis medicamento gratiæ tuæ fugasti, & tibi domina mea Wiborada per cuius merita hanc misericordiam confido me consecutam.

CA-

CAPUT XVI.

OPeræ precium esse diximus & hoc paginæ commendare, qualiter omnipotens Deus has sanctas Virgines prius in ergastulis, in quibus se pro eius amore incluserant, tumulatas basilicæ S. Magni intromitti revelare dignatus est. Quadam igitur nocte sæpe dictæ Kebeninæ visum est somnium, quidam iuvenis aspectu decorus trahens redam geminis rotis compositam quadam cerea materia, ut ei visum est, oneratam, cumque illa interrogaret qua de causa veniret vel quid ex hac materia facere vellet, missus sum (ait) ut harum sanctarũ Virginum sepulchra muro interrupto basilicæ intromittam. Post hanc igitur visionem aliquot diebus exactis Gralo, qui id temporis cœnobio Sanct. Galli præerat, in animum duxit, credo divina inspiratione, visionem ancillæ factis exequi. Tunc prostratus ad memoriam Virginum devotis precibus illarum voluntatem, & adiutorium cœpit implorare, ut is, cuius voluntas opus est, patrandum opus dignaretur aspirando prævenire & adiuvando prosequi. Postquam hæc & his similia virgineis auribus humiliter instillavit, surrexit conveniensque ancillam quam prædixi enucleavit illi archana voluntatis suæ. His illa auditis retulit ei econtra somnium quod viderat. Sicque factum est ut fide veniente ab utroque ad utramque duo certa fugarent dubium ab opere patrando. Extemplo vocantur cæmentarij, opusque in divina providentia perfectum humanis studijs traditur perficiendum. Iam tum fervente opere contigit, ut quoddam immane saxum ab eisdem artificibus incaute levatum sed incautius relictum uni ex illis in pedem cecidisset, graviterque collideret: qui a sociis ad diversorium delatus iussit cereum parari, eumq; ad sepulchrum B. Wiboradæ accendi, quod cum factum fuisset, meritis beatæ martyris id obtinentibus sequenti die cum cæteris cæmentariis sospes & lætus ad opus inceptum mature venit.

ET SIC EST FINIS.

EKKEHARDI MINIMI DECANI S. GALLI

LIBER

DE VITA B. NOTKERI BALBVLI.

Prologus.

IN primis conqueror, quod maxime subolet perfectos viros ac sapientissimos cœnobio Beat. Galli degentes multorum patrum sive fratrum inibi commorantium laudabilia gesta non scripsisse, cum constet eos multa digna relatu fecisse & dixisse. Ideo multo mœrore affectus sum, & miror valde quid causæ extiterit quod tanti viri, quibus inmeritus est mundus frui, quorum institutione informatur clerus, per quos omnium artifex Spiritus Sanctus voluit ornare officium divinum, in quo iocundantur animæ iustorum, quorum doctrina fulget & lætatur Ecclesia Dei non solum per Alamanniam verum etiam a mari usque ad mare & in universo mundo usque ad terminos orbis, in hymnis & sequentijs, in tropijs & letanijs, in diversis cantibus & melodijs, pluribusque ecclesiasticis disciplinis. Nam cum sciamus eos sanctissimos & doctissimos fuisse, & in sanctorum numero aliquos ipsorum ascitos, grave nobis & tædiosum est nihil de eorum virtutibus scriptum reperisse, sed nos eadem quamvis modica gesta, quæ maiores in scriptis nobis reliquerunt, de Notkero cognomento Balbulo, viro doctrina sophiæ tunc in tempore famosissimo meritorumque sanctitate beatissimo, eiusque sodalibus, quæque invenimus in scedulis, in unum conpilare studuimus. Licet enim huic operi longe impar sim, laudabilis vitæ conversatio & sapientia prænominati. Notkeri Balbuli valde hoc exposcit, ut lucerna tam clara non sub modio sed super candelabrum ponatur, ut luceat omnibus qui in mundo sunt. Virtutes quoque sancti viri suamque vitam digne describere non tepentis animi officium est, cum ad hoc opus sufficere non credam quem libet sapientissimum. Quidam vero in rationis inquisitione aut in ornatu eloquentiæ laborantes ea, quæ simpliciter proferri possent & plane, audientibus vel legentibus fastidium sæpius præbent. Nos itaque nec donati regulis adplene inbuti, vel Grammatica Prisciani, minusve Dialecticis versutijs exercitati, nec Rhetoricis floribus Philosophicæ eloquentiæ exhilarati, non in sublimitate sermonis ea quæ collegimus vera, fideli humilitate dictante rationis justitia exequemur. Vnum vero timendum & verendum mihi est, cum narravero magnalia facta sanctorum, dicat mihi Deus peccanti; *quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?* Ego non de justicia præsumendo, sed in-

vocato sancto viro DEI ut meritis ipsius & precibus adiutorium per Spiritus Sancti gratiam conferatur, ut inceptum opus devote perficiatur, quod quasi libamen aliquod ad degustandum auribus & animo vestro propono. Si quid vero displicuerit, rogo ut emendetur & nobis concedatur.

CAPUT. I.

CHRISTUS DEI virtus & DEI sapientia, qui misericorditer ut nos à peccatis liberaret formam carnis sibi assumpserat peccatricis, sicut nos peccatores per diversas vocat ætates, ita etiam propter diversas meritorum virtutes iustificat & salvat. Quosdam enim adhuc in utero sanctificat, & replet Spiritu Sancto: quosdam autem in lacte matris, licet virtutum qualitates non discernentes, ornatum pudicitiæ superinduit: aliosautem adhuc pueros, ut à lascivitate quiescant, continentiæ dote roborat: ipsos vero iuvenes maximam carnis adversus spiritum pugnam quasi nimis ferventes passos in victoriæ corona triumphare donat: senes iam quasi ad mortem declinatos ad pœnitentiam revocat: eos denique qui in decrepita ætate sunt varijs affecti tribulationibus tandem amore cœlestis patriæ ad superna suspirare concedit. Has igitur virtutes licet partim & per diversas ætates aliquibus det, multos tamen, eos videlicet quos ecclesiæ suæ speculum & formam proposuit, ut eum de quo nobis sermo est, omnibus his virtutibus decorat. De cuius virtutibus ea quæ virorum valde venerabilium veraci relatione didici, vel pro quantitate ut scripta in continenti comperi ne amore loci aliquid fingere arguar, simpliciter humili caraxatione prosequemur, & singula eius facta vel dicta sanctarum scripturarum auctoritatibus eo spiritu, quo vir sanctus habundabat, corroborantes confirmantes ad relationis nostræ propositum redeamus.

CAPUT II.

IGITUR B. Notkerus de pago qui Turgowe dicitur oriundus fuit, & in vico, qui Sacer pagus vocitatur Latine, vulgariter vero appellatur Hellicgowe, à nobilissimis progenitorib. procreatus est. Nam de Karolorum genere & sanguine & Saxonum antiquorum, de quibus illo in tempore Imperatores Ottones orti sunt, erat parentum eius prosapia. Eymologiam vero sui nominis per vices temporum adimplens cum Apostolo necessarie desiderans esse cū Christo multo melius: sed tale nomen in tali loco non casu arbitror accidisse, sed Dei dispositione, si cuius nutu nec pluviæ gutta in terram cadit. Filius enim Dei qui Bethleem ubi nasceretur elegerat, Nazareth ubi nutriretur, Ierusalem ubi pateretur, quique ipsa loca nominibus tantis sacramentis convenientibus voluit appellari, ipse etiam locum, quem tanti viri nativitate consecraverat, tali vocabulo voluit appellari, cuius præfati parentes cum secularis vitæ nobilitate eleganter floridi pollerent, ab ipso matris utero filium suum grammaticæ artis flagello subdere devoverant. Quia vero in monasterio Sanct. Galli septem liberalium artium studium & regularis vitæ rigorem vel disciplinam florere audierant, Spiritu Sancto eis tale desiderium inspirante, ut eundem locum virtutibus tanti viri ob meritum beati patroni adornaret, monasticæ eum vitæ ibidem subjicere proposuerant *(Processu etiam temporis postea eorum pene omni substantia collata est huic monasterio)* quem etiam sub Archimandrita, qui tunc loco huic præerat, nomine Grimaldo Abbate canonico admodum venerabili & sanctitate honesto viro regulariter Domino & patri Gallo cum oblatione deferentes atque inibi sacræ institutionis gratia Spiritus Sancti prælibuto coma capitis sub eiusdem Abbatis regimine deposita magisterio Isonis omnium artium eruditissimo & maxime divinarum scripturarum peritissimo inbuendus contraditur. Literali itaque disciplinæ bonæ indulsis puer appositus tanto ingenio quæque docte didicit, ut facile agnosceretur non hanc humani studij esse capacitatem, sed divini spiritus operationem, qui sicut in Regum libro legitur de David; *Spiritum Sanctum accipiens infantulus per omne tempus vitæ suæ mansit cum eo*, & in reliquum. Nam ut eiusdem gratiam paradyti in baptismate susceperat, ita à pueritia per omnes ætates in Dei timore inmaculatum conservabat, præterea sine quib. homo esse nō potest vivens, nunquā de secreto cordis sui ubi verum Dei templum esse debet eam expulerat. Hic quasi novus Daniel adhuc puer seniorum patrum discutiebat facta, ac tanta discretione pensabat ut quidquid virtutis in eis videret conveniens ætati suæ hoc in abscondito mentis suæ depingens imitaturus recondidit. Si quid autem vitiosum vel reprehēsibile senserat, aut unde sibi suspicio nasci posset, statim recurrit ad sui ipsius miseriam, sciens quia vix est homo qui non aliquando excedat pro rigore magisterij claustralis disciplinæ, qui semper in eodem loco ob sanctæ regulæ pueriliætati maximus inerat, nolens vel audens arguere, sed cito removens à se & longe de suæ recordationis intentione abjiciens. Erat enim ei in desiderio magis cœlibem in terris ducere vitam & fraternam caritatem conservare ad omnes, quam oculo suspicionis alere odium nutrimentum detractionis.

Inclusa videntur ex margine irrepsisse.

CA-

CAPUT III.

SAnctus vir Dei cum de infantili simplicitate processisset ad iuventutis florem, animum tamen semper habebat firmum ad devotionem boni propositi, sciens scriptum; *adolescentia & voluptas vana sunt*. Plus se convertens in illam sententiam quæ dicit, *Letare iuuenis in adolescentia tua*, numquam eo se iocundiorem se exhibebat, sed amplius gravitatis exempla præbebat* coævibus. Amoris namque flamma sic ardens, ut cottidie in oratione mentem afficiens & carnē macerans per compunctionis lacrimas nihil terrenum nihil transitorium quærens solus sibi vacabat, ut ei qui omni fecit mente collecta in unum adhæreret, & eius desiderio transcendens mundana omnia non iam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed dilectionis igne succensus cum odore virtutum, ita ut merito in sponsæ laude diceretur ei; *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ & thuris & universi pulveris pigmentarii*. Itaque iusti viri oratio concepta ex virtutibus intimi amoris quasi fumus ex aromatibus lacrimas elicere solet, quia dum sola cœlestia postulat, fit plerumque interdum tantæ subtilitatis vis amoris ut hanc nec ipse animus comprehendere possit, qui illuminatus habere meruit, & ideo thuris myrræque incensum sacrificat, dum assidue in se carnis vitia mortificat, & apud Dei visionem, ad quam pervenire medullitus inardescit, seque ipsum in bonis virtutum operibus Deo exhibet & exercet, ac sic velut pigmentariorum pulveres offert.

*f. coævulis.

CAPUT IV.

HAbebat vir beatus defectum à pueritia, eo quod tardioris & impeditioris linguæ esset, sed velocissimus erat facundia spiritus. Erat enim in eodem monasterio tres Notkeri vocabulo nominati, viri doctissimi & nobilissimi genere, sicuti cœnobium S. Galli ab exordio sui semper habuit nobilissimos filios magnorum terræ monachos. Horum trium virorum unus dicebatur Notkerus Physicus, qui Abbas postea factus vir multæ scientiæ & prudētiæ magnæ doctor, & pictor valde ingeniosus, cuius gesta habentur in libro casuum monasterii: in cuius electione cum à senioribus domus præsentaretur Imperatori Ottoni Magno sprevit nimiam iuvenilem ætatem in homine timens ruinam domus & disciplinæ. Respōsum est à Ruperto Decano; & in hoc errat oppido discretio Regis: inter tot utique Marias optimam partē dudum eligentes nec unam quidem Martham quæ sollicita sit & circa frequentes ministerium satagere velit invenire potuimus: ideoque talibus relictis ad minorem ætatem descendimus & optimam (mihi crede) si enim digneris suscipere comperimus. Qui tandem annuens votis investitum cum socijs remisit. Veniens ergo domum ita gratanter & gaudenter receptus est, ut cum Tullio meliori quidem ipse concinnare potuerit merito;

O fortunatam Galli me consule cellam.

Erat alter Notkerus, qui cognominabatur Piperis granum, ita quod fuit valde acri ingenij, homo doctissimus, strenuus ac religiosus. Notkerus, de quo nobis sermo est, qui cognominabatur Balbulus voce quidem, sed spiritu eloquentissimus, quod non casu ei evenisse putandum est, sed sicut B. Moyses, ex quo loqui cum eo Dominus cœperat, ineloquentem se fatebatur, ita iste accepta Sancti Spiritus gratia redditus est exterior homo elinguis ut interior loqueretur plane.

CAPUT V.

STuduit namque vir Dei plenus ut gratiam collatam sibi de facili non amitteret, omni custodia muniens cor suum, orationi, vigilijs, jeiunijs, abstinentiæ & patientiæ operam dedit, & subito se ipsum transcendens juxta illud Isaiæ: *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Israhel, & replebunt faciem orbis semine*. Omni vero impetu nisus est sternere carnem, superare Dæmones, ut perveniret ad eam celsitudinem qua invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiceret, ideoque oculum contemplationis per fenestellam dirigens humilitatis ad supernam civitatem Iherusalem, & ad universum inibi cœtum filiorum Israhel, id est videntium Deum, ubi de plenitudine sedentis in dextra, id est Domini nostri Ihesu Christi, acciperet unde repleret sanctam ecclesiam per latum orbem diffusam semine, id est exemplo, doctrina & laude. Sacros vero ordines, quos adhuc puer ipse susceperat, ita beatis moribus ornabat, ut si ætatis temeritas non repugnaret, altioribus quibusdam sacramentis coaptari potuisset, cumque puerilem ætatem cum coævulis suis & earumdem virtutum suarum æmulis transiret, ita se eisdem in omni familiaritate & morum honestate conjunxerat, ut in ipsis laudem sine invidia & partes amicos facile invenias. Ea autem quæ vitiosa iuvenum & lubrica ætas exposcit, sicut est discurrere, vagari, circuire, lasciviri, superbire, ambire, voluptatibus uti, stulta consortia, inutilia loqui, & alia plura, quibus iuvenes afficiuntur ita prorsus detestatus est ut numquam extra portas monasterij nisi obedientia coactus pedem posuisset, & cum firma religio id eum compulisset, quasi fortius ibi pugnaturus

antequam

antequam egrederetur signo crucis se muniens, veniis per singula altaria sanctorum sibi cum lacrimis expostulans præsidia, prostratus etiam fratrum religiosorum pedibus ne aliqua seculari macula vel delectatione inficeretur deprecatus est ut orarent. Nam psalmus vel sancta meditatio foris dum esset raro aut numquam defuit: cætera quæque parvipendit ista numquam neglexit. In monasterio vero nullus eum unquam de solio surgere vel ambulare nisi ordinate viderat: numquam se iuvenum vel sodalium iocis immiscuit, sed ipsis jocantibus quia extrema gaudij luctus occuparet sæpius proclamavit. Sed nec illius præcepti obliviosus auditor *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua & in æternum non peccabis.* Fuit quidem in omni mansuetudine omnibus subditus, & ad serviendum promptissimus, etiam Domini sui factus imitator qui ad filium Reguli non iuit, ad servum centurionis ire paratus fuit, cellæ infirmorum frequentius interesse quam cum sanus conversari studuit; quos blande consolatus ne ipsam infirmitatem sibi inaniter sed ad suorum veniam peccatorum provenisse sperarent fideliter monuit. Sordes autem & fætores infirmantium ita familiariter & delectabiliter passus est, quod non fœtoris, sed dulcissimi odoris redolentiam eum sensisse putares.

CAPUT VI.

PRæposituras vero ad Decanias aut alicuius ordinis officium seu prælationem numquam concupivit, dicens prælationem sæpius superbiam, iactantiam, arrogantiam, discursus multiloquia comitari, & huic sine crimine interesse nō humanæ virtutis, sed divinæ donationis fore. Ipsis tamen conpassus non transgredientes dure aut strenue arguit, sed eos priorem sibi requiem fletibus & precibus expolcere diligentius rogavit. Prælationes enim aliquando ex virtutibus, quandoque etiam ex vitiis ad maiorem ipsorum damnationem occulto Dei iudicio provenire contestatus est. Mulierum vero colloquia quasi certos temptatoris laqueos fugit, à forma ipsarum etiam consanguinitatis catena coniunctarum oculos dimovit dicens cum psalmista: *averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me*, castitati videlicet & cordis munditiæ tam arduus sectator & amator exstitit, prout ipse sæpius ad exemplum cum socijs confabulabatur, ut agni vestigia immaculatus sequi posset. Numquā præstigijs aliquarum fæminarum Dæmonum instinctu imaginationi consensit, ut illo fornicationis genere se pollueret, sed mentem suam sub tali cautela servabat, ut iuxta Beat. Iob exemplum nec quidem cogitaret de virgine. Si quos etiam sermones blæsos aut risui aptos proloqui audierat, illis quia de omni verbo otioso redditun essent rationem caritatis amator prædixit. Narrando sive laudando viri sanctissimi Notkeri Balbuli gesta laudes sociorum eius minime queo reticere, ideoque parcendum est mihi, si necessitate compulsus plectro linguę à latere tangam cordam, qua resonent virtutum facta vel dicta dulcissimi viri sodalium laude digna huic operi inserenda.

CAPUT VII.

CUM beati viri mens micis de magna mensa sanctæ Scripturæ cadentibus saturata cum sodalibus Ratperto & Tuotilone æque monachis sub Isone magistro hoc in tempore literatissimo artium liberalium subtilitates non pro gloria & favore seculari, sed pro utilitate sanctæ Dei ecclesiæ admodum satis edocta esset, & in divinis non mediocriter prælibata adepta fuisset, tamen cupiens amplius inbui, postulans in fide nihil hæsitans Spiritum San. qui eum ab infantia repleverat, qui ubi vult spirat, ut eius desiderium compleat. Nam sicut terræ arenti serotinum imbrem quo infundatur ut germinet mittit, ita mox quendam Episcopum Scotigenam nomine Marcum Dominus misit ad cellam S. Galli, qui rediens à Roma repatriare volens Gallum tamquam compatriotam suum visitat: cui comitabatur filius sororis Moengal nomine, postea à nostris Marcellus diminutiue à Marco avunculo eius est vocatus. Hic erat in divinis & humanis scripturis eruditissimus, cuius doctrinis beati viri Notkeri sitibundum cor infusum refocillatum est, cumque à fratribus honorifice, sicut Episcopum decuit, susciperentur, cognita beatus vir Notkerus scientia supra dicti Marcelli cucurrit subito ac preces Domino fudit, obnixius cum lacrimis oravit ut eis voluntatem ibi morandi ob meritum Sanct. Galli daret et petijt: qui statim exauditus est. Itaque tantum desiderium loci & regularis vitæ utrumque Spiritus Sancti gratia id operante ceperat, ut si abire etiam cogerentur ipsi quantum viribus prævalerent stare repugnarent, quid plura? rogatur Episcopus cum socijs loco nostro aliquandiu stare. Allecto nepote diuque secum deliberantes tamen tandem consensit remanere Episcopus cum nepote & paucis suæ linguæ apparitoribus, cæteris igitur repatriantib stola indutus abeuntes benedixit, & multis lacrimis utrimque discessum est. Traduntur post breve tempus Marcello Scolæ claustri cum B. Notkero Balbulo & cæteris monachici habitus pueris: exteriores vero, id est Canonicæ, Isoni cū Salomone & eius conparibus. Iste Salomon quis vel qualis fuerit in sequentibus dicemus. Marcello vero præsidente mentes discipulorum Notkeri, Ratperti, Tuotilonis aliorumq; septem liberalium artium scientia adplene imbuit. Musicæ autem jocundissimæ arti diligentiæ hi

tres

tres præ cæteris animum apposuerunt, sed præ omnibus Sanct. Notkerus, quæ cum cæteris artibus sit naturalior & quamvis difficilius apprehensa, usu quidem sit commodior ac suavior, tantum in ea demum prævaluerant quantum in singulorum operibus, quæ iam ante tetigimus, aliarum sex artium, scilicet tres isti discipuli Marcelli Notkerus Balbulus, Ratpertus, Tuotilo ita unanimes in omni familiaritate virtutum honestate & morum conversatione erant ut esset eis cor unum & anima una esset individuo amore fraternæ caritatis, & sicut mater unicum filium ita amabiles in vita sua dilexerunt se, & cum in morte sint separati in regno tamen Christi in unum sunt congregati, & quamvis votis essent unicordes in fraterna caritate, natura tamen ut fuerant dissimiles, Quantum autem vir Domini Notkerus cum socijs in arte musica profecerit, subsequentia declarabunt.

CAPUT VIII.

DVM more sapientissimi Salomonis secundum institutum Regis David patris eius in domo Domini propter compunctionem musicæ dulcedinis Beat. Papa Gregorius, ut scribit de eo Iohannes sedis Romanæ Archidiaconus, antiphonarium * cantum studiosissimus nimis utiliter compilasset, scholam etiam Cantorum, quæ hactenus eiusdem institutionibus dulcedinem inter alias Europæ gentes Germani seu Galli sive Alamanni discere crebroque rediscere potuerunt. Incorruptam vero tam levitate animi, qua nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali minime servare. Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisone perstrepentina susceptæ modulationis dulcedinem proprie non resultant, quia bibuli gutturis Barbara grossitas dum inflexionibus & repercussionibus & diaphoniarum dyptongis mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces iactat, sicque audientium animos quos mulcere debuerant tales exasperando magis ac obstrependo conturbant. Eiusmodi gens si forsan desunt bona naturalia, vel si nolunt an non possunt bonum modum adipisci statim despiciunt, & incidunt in illam sententiam; *stulti contemnunt sapientiæ doctrinam*, & cum sint incompositi moribus & incompta voce, magistri tamen & rectores propter alicuius, quam sibi arrogant, religionis intuitum volunt videri, & solummodo ipsi non percipiunt, verum etiam alios impediunt ne percipiant modulaminis dulcedinem & intellectus. Hinc est quod huius Gregorii tempore cum Augustino tunc Britanniam adeunte per occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi barbaros insigniter docuerunt, quibus defunctis occidentales Ecclesiæ subito susceptum modulationis organum vitiarunt (*Iterum Iohannes quidam Romanus cantor cum Theodoro æque Romano sed Eboraci Archiepiscopo per Gallias in Britannias à Vitaliano Papa destinatur, qui Iohannes circumquaque positarum Ecclesiarum filios ad pristinam cantilenæ dulcedinem revocans tam per se quam per suos discipulos multis annis Romanæ doctrinæ regulam servaverunt: sed his defunctis statim deviaverunt. Hic est ille Vitalianus Præsul, cuius adhuc hodie cantum, quando Apostolicus celebrat, quidam qui dicuntur Vitaliani solent edere in præsentia eius.*)

*Ms. centon.

Inclusa videntur ab alio interspersa.

CAPUT IX.

INterea Karolus, qui dicebatur Magnus, Rex Francorum cum esset Romæ offensus dissonantia Romani & Gallicani cantus cum Gallorum procacitas à quibusdam nostratibus neniis argumentaretur esse corruptum, nostrique è diverso autenticum antiphonarium probabiliter ostentarent, interrogasse fertur, quis inter rivum & fontem limpidiorem aquam conservare solet? respondentibus, fontem: prudenter adiecit, ergo & nos, qui de rivo corruptam limpham hactenus bibimus, ad perhennis fontis necesse est fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios clericos Adriano Papæ dereliquit. His quidem satis eleganter eruditus Metensem Ecclesiam ad suavitatem modulationis pristinæ revocant, per quam totam Galliam correxit. Sed cum post aliqua tempora defunctis his, qui Romæ educati fuerant, tantum Gallicanarum Ecclesiarum à Metensi dispensare prudentissimus Regum vidisset, ac unumquemque ab alterutro vitiatum cantum iactantem adverteret, iterum (inquit) redeamus ad fontem. Fuit interim in maximo desiderio prælatis cœnobii Sanct. Galli & Beat. Notkero aliisque magistris ibi degentibus ut cantum secundum autenticum antiphonarium regerent, & melodias Romano more tenerent. Qualiter autem ista prosecuti sint, intimare curabimus posteris. Mittens ergo denuo Imperator Karolus Romam ad Adrianum Papam, rogat ut iterum ei mittat duos Romanos cantuum gnaros in Franciam. Tunc Papa Regiis precibus annuens iuxta petitionem suam secundo duos mittit cum autenticis antiphonariis & septem liberalibus artibus, quorum iudicio Imperator omnes quidem corrupisse dulcedinem Romani cantus levitate quadam cognovit. Vocabatur autem unus eorum Petrus, & alter Romanus, cantuum & septem liberalium artium paginis admodum satis imbuti. Metensem Ecclesiam ut priores adibant, qui cum in septimo lacuque Cumano aere Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus vix ad nos usque pervenire potuit. Antiphonarium verò secum Petro renitente vellet nollet cum duos haberent unum

unum Sanct.Gallo attulit. In brevi autem tempore Domino se iuuante convaluit Romanus de febre? Petrus quidem pergit ad Imperatorem, qui comperto de Romano mittit celerem nuntium qui eum si convalesceret nobiscum stare nosque instruere iuberet, quod ille quidem patrum hospitalitati regratiando libentissime fecit. Deinde nuntius subintulit verba Karoli ad congregationem; Quatuor (inquiens) mercedes vos sancti Domini in me uno acquisistis: hospes erat, & in me eum collegistis: infirmus, & visitastis: esurivit, & dedistis mihi in eo bibere. Dein uterque fama volante studium alterius cum audisset, æmulabantur pro laude & gloria naturali gentis suæ more, uter alterum transcenderet. Memoria dignum est, quantum hac æmulatione uterque locus profecerit, & non solum in cantu, sed & in cæteris doctrinis excreverit. Fecerat quidem Petrus ibi iubilos ad sequentias, quas Metenses vocant: Romanus vero è contra Romane & amœne de suo nobis iubilos modulaverat, quos utique post sanctus vir Notkerus quibus videmus verbis ligabat, frigdore videlicet & occidentane quas sic nominabat, quibus animatus etiam ipse de suo cogitavit. Romanus atuem, quasi nostra præ Metensibus extollere fas fuerit, Romanæ sedis honorem Sanct. Galli cœnobio siquidem ita inferre curavit. Erat Romæ instrumentum quoddam & theca ad antiphonarii autentici publicam omnibus adventantibus inspectionem repositorium, quod à cantu dicebatur cantarium. Tale namque ipse apud nos ad instar illius circa aram Apostolorum cum autentico locari fecit: quem ipse attulit exemplato antiphonario, in quo usque hodie in cantu si quid dissentitur quasi in speculo error eiusmodi universus pervidetur atque corrigitur. In ipso quoque primus ille litteras Alphabeti significativas notulis, quibus visum est, susum aut iusum ante aut retro assignati excogitavit: quas postea cuidam Lamperto amice quærenti B. Notkerus Balbulus dilucidavit, cum & Martianus, quem de nuptiis miramur, virtutes earum scribere molitus sit. Abinde sumpsit exordium tota fere Europa & maxime Germania sive Teutonia secundum modum & formam, sicut in monasterio Sanct. Galli viri peritissimi ediderunt B. Notkerus Balbulus & Romanus cæterique magistri correxerunt iuxta exemplum autentici antiphonarii Gregorii elegit cantare, & hunc ritum modulandi servare, quem etiam omnes usum appellaverunt. Hoc itaque supradictos viros secutus Berno Monachus S. Galli postea Abbas Augensis super hunc usum summam valde subtilem scribit ad Episcopum Peregrinum Coloniensem.

CAPUT X.

QUANTUM cella Sanct. Galli in hoc tempore virtum auspiciis ob merita inhabitantium spiritalibusque disciplinis augeri cœperit tandemque floruerit, memorari iocundū est. Erat enim senatus Reipublicæ loci illius tunc quidem sanctimssius, ut Adalberto Augustensis Ecclesiæ antistes testatur, qui beatus Præsul signa & virtutes S. Galli à pluribus audiens locum in die festivitatis eius orandi gratia adiit, & pra sens plura conspiciens, maior est (inquit) gratia loci huius quam rumor quem audivi. Igitur domum rediens interrogatus inter cætera aliquando à suis essetne nobiscum ut fama vulgavit religio cum doctrina, severitas cum disciplina? cæteri, inquit, quid sentiant nescio, quod mihi animo est pronuntio: unum ego sanctum & hunc defunctum quæsivi, vivos autem ut vere fatear fratres sanctissimos inveni: doctrinam vero illorum & disciplinam in virtutum eorum operibus videre est. Delectat enim me talium memorari, quos quidem ut iterum videam vix expecto; oportet ut omnibus modis meis me iuvantibus præparem, quatenus ad proximum Sanct. Galli diem viros Dei visitem, frater illorum conscriptus fiam, & quantum mihi gratiæ est caritatem eorum regratier. Venerat Dei electus ut spoponderat, & magnis donis fratres & familiam exhilaravit.

CAPUT XI.

EODEM modo accidit etiam Petrum Veronensem Episcopum inopinatum venire. Hunc ergo fratres suscipientes, quod melius quidem habebant, evangelium ei offerebant. At ille arbitratus se despici, quoniam famam loci magnam audierat de utilitate secum fluctuabat libri. Ad missas argenti calix proponitur, qui etiam melior habetur? de quo etiam quiddam sinistrum trutinat, cumque prando sumptuoso pasceretur, surgens à mensa fratrum petit alloquium, quibus collectis; bene (ait) Domini mei mecum egistis, & ut audivimus sic vidimus; sed pro evangelio & calice vilibus propositis manet scrupulum, quamvis sim indignus & vilis, non tamen vilis loci dicor Episcopus. Constanter nobis protestantibus, meliora non esse S. Gallo, spiritus hominis quievit sumens tandem quosdam fratrum in partem secreto locutus est eis, mitte (inquit) post me Veronam sex quos habetis fidissimos viatores, qui bini & bini per tres vias, quæ hinc illo ducunt, mihi adveniant; singillatim tamen se mihi bini & bini ostendant ac pollice in manum recurvo eleemosynam petant, quos ego ut alios soleo in penetrali meum solus solos coram meis inducam & vestiam, aurum autem cuius æquipondium vobis do cruribus eorum fascicolis circumligabo, & dimittā eos ut ad vos eodem artificio quo venerant fortuna comite redeant. Factum est ut largitor acutus docuit allatū est S. Gallo

Gallo & fratribus eius grave pondus auri Veronensis,& concordat pondus æquipondio,quid ergo de auro Petri fit?calix fit,capsa fit,cavea evangelii omnia preciosissimis gemmis ornata.

CAPUT XII.

SIMILI modo Landeolus vir sanctus Darviensis Episcopus. Hic Suevus & Nobilis erat, apud S.Gallum educatus & doctus,qui etiam multa dona contulit cœnobio eius & fratribus. Igitur Episcopus factum Romam sæpius adire solebat,sed tandem aliquando rediens à Roma Gallum suum & fratres visitare cupiens Italici aeris vitio febre correptus vix ad eos usque pervenire prævalens,qui sciens supervenisse sibi vitæ præsentis finem vocatis ad se Abbate & fratribus coram eis diem ultimum clausit ac nobili obitu transivit,& cum omni honore in Ecclesia Sanct. Petri corpus eius humatum: ad cuius tumbam sæpe infirmi meritis ipsius sanitatem adepti sunt. Hæc sint pro gloria domus scripta,in qua tales sancti habitabant,quos venerint ab oriente & occidente æmulari Pontifices regionum & Principes terrarum. Sed ad propositum revertamur.

CAPUT XIII.

SCRIPTUM est; *thesaurus occultus & sapientia abscondita quæ utilitas in utrisque.* Sanctitas viri perfecti ignora sic est quasi sol in nocte sub nube,nulli lucet. Ideo veritatis voce docemur ut lumen sanctitatis non sub modio sed super candelabrum sistamus, vt omnibus qui in domo sunt rutilet,& civitas supra montem posita non obnubiletur latebris ignorantiæ. Licet signa non sint fidesium sed infidelium, tamen Christus Ihesus Dei filius dilectum famulum suum Notkerum Prophetiæ spiritu coronavit, per quem signis quam plurimis ut sancti viri bonitas innotesceret,mirabiliter donavit. Enimvero in spiritu Dei multa bonis & malis aut fortunia prædixit aut infortunia. Nam his qui, vt Apostolus Paulus ait, *Spiritu Dei aguntur,data est potestas filios Dei fieri*, sicut Iohannes asserit. Tales enim aliquando signa ex potestate faciunt, velut Petrus qui Tabitam suscitans orando mortuam; Ananiam vero & Saphyram increpando morti tradidit; ita beatus est unum superbe disquerendo puniens deiecit,alterum per fatuam stultitiam in mortem lapsum à pœnis inferni precibus ad perpetuam vitam revocavit, de quo in sequentibus dicemus.Karolus Magnus Imperator,qui multis bonis ditaverat locum Sanct.Galli,ipsi Rex per se hebdomada Sanct. Othmari propositor & pincerna fuit. Eo igitur tempore ut more solito sæpius ibi commanebat fratres lætificaturus ad prædictum monasterium venit,& per triduum ibidem caritative moratus profundissimis sanctarum scripturarum quæstionibus apud sanctum virum Norkerum nepotem suum se exercitavit. Quem quidam Capellanus suus elatæ mentis comitatus est. Sed Deus, qui arrogantes deponit mitibus autem dat gratiam.in hoc ostendit quantum sit iustos despicere, eos odisse,quod proprie est sancti spiritus blasphemia quæ nec hic remittitur neque in futuro,virtutibus ipsorum detrahere. Is ergo cum audisset Regem se interrogando,quærendo exercere, ipsumque dulcissimis sancti patris Notkeri responsionibus certificatum,insufflavit Sathanas in cor eius ut sapientiæ iusticiæ,humilitati sancti viri invidens sicut semper superbi humilibus adversantur,cœpit alludere, torqueri,& contemnere. Et cum per Ecclesiam secum hæc omnia cogitando vellet transire , virum Dei psalterio ut solebat assidentem præteriens conspexit,agnitoque quod is esset qui Imperatori Karoli plura quærenti pridie quæsita resolveret,comitantibus ait;Ecce(inquit)iste est quo neminem in regno Karoli aiunt esse doctiorem; Sed si vultis,ego illum tam præcellentissime doctum ad irrisionem vobis temptabo, & quod tantæ famæ vir solvere omnino nesciat interrogabo.Illis vero ut hoc faceret curiose rogantibus,accedunt pariter & salutant eum.

Humilis ille assurgens ipsorum adventum miratus, quod petant an quid velint requirit. At hic infelix,de quo præfati sumus;scimus (inquit) homo doctissime omnium artium profunditates te ex studio scire:cælestia vero secreta ex Sanctæ vitæ contemplatione omnia nosse : quid autem nunc promissionibus Domini certus dicentis; *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, Spiritu Sancto per os eius respondente; scio(inquit) scio & optime scio,nunc enim facit quod semper facit,utique & tibi quam mox in brevi facturus est : exaltat humiles & humiliat superbos , quod sanctum virum non voto maledicentis aut vindictæ dixisse sed officio Prophetantis ipse Propheticus Spiritus, qui malivolam animam non ingreditur, probat. Abibat temptator ille & irrisor à suis magis irrisus,parvipendens quod sibi futurum prædixisset,quid plura?Sonantur continuo campanæ ad concursum & laudes Cæsaris recessuri: Arripit ille infelix futurus labarum suum eo die ordinis sui Dominum antecedenti, & equo superbe invectus ante portam civitatis offendens cecidit,& misere in facie collisus crus confregit. Committitur novo Abbati nomine Bernhardo procurandus , mox accurrunt fratres, prostratum sublevant, claustro inferunt,diversis momentis ut crus eius coaguletur atque ut uniretur laborant: sed cum nihil suas artes profecisse viderent , comperto tandem fratres Beati viri Notkeri præsagium hortantur ,ut viri Dei si se invisere dignetur absolutionem

nem & tanti patris benedictionem sibi petere non negligat. Quod cum ille ut semper perversæ mentis fuit despective de Notkero audiens, nihil sibi mali eiusdem patris vaticinio contigisse proclamat, coagulari fractura illa nullis fomentis, nullis adiuvari valuit ligamentis, cum ergo continuo dolore diu cruciaretur, tandem in se reversus recogitabat, qualiter temperaverit virum Dei media quadam nocte supplicatur fratres, ut famulum Dei ad se venire benedictionem ei impositurum deprecarentur qui statim iussa complentes concite sanctum Dei accersierunt miserati suam passionem & clamores. At ille veniens quid vellet inquirit? Tunc ille, pater sancte peccavi in Deum & in te temptando te, rogo ergo ignosce mihi & tange crus meum & spero sanari, qui dum crus contrectasset, confestim combulire sensit illud ac subito coagulatum & unitum est, ita ut ipse infirmus paucis diebus pristinæ sanitati restitueretur meritis sancti viri & verbis eius correptus ne amplius superbiret quoniam Deus superbos humiliaret. Humiliatus autem mente & corpore severe didicit de cætero humilia sentire, sanatus ad sua cum gaudio remeavit.

Caput XIV.

*Ms. Corabbatis.

TEmporibus Grimaldi Canonici Abbatis & Hartmoti eius* Coabbatis, Salomonis parentes cum essent clari & illustres ipsum Isoni S. Galli Monacho tunc temporis doctori nominatissimo tradunt erudiendum & clericatui initiandum, quem adprime, ut aiunt, ipse erudierat: sed & Notkeri Balbuli Ratperti, Tuotilonis & Hartmanni commonachorum statui prætulerat, & delicatius quasi canonicū educaverat. Creverunt inde clandestinæ inter summæ indolis condiscipulos invidiæ, & cum liberales essent genere & ingenio, ut ea ætas solet, æquanimiter non ferebant alienum sibi, qui fratres forent, præferri, & qui natalibus essent pares doctrinarum provectibus ab illo præiri. Defunguntur Salomonis adhuc parentes pueri, & ipse hæres effectus scholisq; ablatus iam adolescens petiit frater fieri conscriptus, quod & consecutus est. Grimaldus Abbas, qui erat Archicapellanus, eum sibi sufficerat & eo iuvante fit Archicapellanus Ludovvici Pii Imperatoris cuius singulari gratia in brevi potitus, ut adhuc canonicus primo Elewangis, post etiam Campidonensibus præficeretur, tandem Hattone Archiepiscopo Maguntino favente pluribus locis Abbas præponitur, locum vero Sanct. Galli præ omnibus diligebat. Vnde tradidit de prædiis suis ut mansio ei fieret, dum crebro ab aula veniens Abbati & familiæ non esset onerosus. Claustrum enim, quia potens erat, absque Duce, & quod magnæ confusionis tunc erat & est, lineus diatim introiit, propter quod ab æmulis suis murmura surgunt ipso gnaro. Nam cum uni pellicium vellet dare: pellicium (ait ille) tuum optime repreciabor, duas cucullas habeo, quarum tibi unam ut claustrum decentius nobiscum in ea introeas induendam contrado. Et ille: Eia (inquit) hæc utique Tuotilo & Ratpertus vel alii invidi mei in ore tuo posuerant. Recessit homo artificiosus ratione simplicis quasi devictus, reputans hominem tanti meriti non nisi in spiritu Dei sibi talia prolocutum, & deinceps abstinuit, absque aliquo patrum ut moris est præduce claustrum introire manifeste. Itaque ingreditur clam penetralia claustri nostri bonus fur noctibus, nudipes, cappa quidem uti fratrum unus putaretur indutus. Senserant illum tres prædicti sodales Notkerus, Ratpertus, Tuotilo: sed sanctam fraudem texerant. Nimis aiunt insolens est præter Monachi habitum quemquam intrare intima nostra, maxime noctibus: initur consilium & constituuntur duo vigiles, qui observent incessum eius. Ingreditur iterum ille sicut fur in nocte, senserat hunc Ruodkerus senior: qui prævenerat vigilias matutinas stans in oratione, cumque vidisset hominem in tenebris nesciens quis esset, sed agnitus est dum vigiles approperant cum lumine. Rursum pater ille, *per Sancti Galli* (inquit) *meritum* (sic enim patres iurabant) *hunc in claustro eius his horis non patimur habitum*.

Tremefactus autem ille ab non ignari hominis verbis (nam eum semper præ oculis habebat & sibi in his quæ ad Deum fuerant ducem & custodem elegerat) parere me, ait pater reverende oratorium S. Petri ingredi, ibi postquam oravero numquam nisi ut lex loci habet claustrum intrabo, te vero iuvante & fratribus cras Abbatē precari est animo ut Monachico habitu mihi liceat claustrum egredi & ingredi: deforis autem coram militib. meis & cæteris canonico ut soleo indumento versari. Immo, ait senior, Sanct. Gallus tibi in cor mittat, ut si semel eo indu aris numquam quo ad vixeris, nisi solito more Monachis tempore exuaris. Panditur animus hominis & petitio Abbati, Ruodkero adstipulante. Erant tunc in Republica nostra senatores sancti viri & prudentes, qui consuluntur. Hartmannus consilio magnus, qui letaniam *Humili prece* textum & melodiam fecerat: Notkerus Balbulus, qui Sequentias: Ratpertus, qui *Ardua spes mundi*: Tuotilo qui *Hodie cantandus*, & plerasque alia dictaverant. Fuerunt & alii, cœnobitæ Sanct. Galli viri doctissimi & sanctæ religionis, Hartmannus junior & Waltrammus, aliique quam plures sancti viri, quorum melodiæ ipsi quales fuerint non celant: opera enim illorum multa per Ecclesiam præclara extant, qui omnes ab Abbate loqui iussi sunt, regula nostra, ait Hartmannus, non similitudinem Monachi sed Monachum ipsum quærit. Notkerus ait; prætexta hæc, qua superindui desiderat, si togam prætenderet non utique displiceret. Ratpertus dixit,

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros
Aut aliquis latet hic error.———

Tuotilo inquit; frater nam societatem ei plene concessimus, hanc ei quantum in me est mi Abba non denego: si autem lupum ouino vellere quærit induere, per alius quam mei consensum perficiet. Audiens Bernhardus Abbas quid suspicarentur in homine; scio, inquit, filii, quid ab illo vereamini: sed existimo melius actum fore nobiscum, si apud nos initiatus Monachum se aliquando nostrum faciat & habitum à Sancto Gallo sumat, ne si arte acciderit quod veremur ut iterum canonico subdamur; noster tamen sit frater & Monachus. Mittitur ad illum Ruodkerus cum aliis quibusdam rem suasurus. In processu temporis Deo dante pollicetur facere quod consulitur, tamen interim propter claustri reverentiam talis sibi habitus rogat sit licitus. Variis hincinde fratrum tractatibus vix tandem conceditur, designatur ei locus ubi intrans habitum indueret exiens exueret. Aliquando postea veniens ab aula inter cætera de muneribus Regis Arnolfi, quæ S. Gallo se daturum ait, etiam munus valde gloriosum attulit, capsam solide auream, gemmis regaliter inclitam, reliquiis summis refertam in modum capellæ formatam, cui simile quidem nihil umquam vidimus, cujus superscriptio sic est;

En crucis atque piæ cum sanctis capsa Mariæ.
Hanc Karolus summam delegit habere capellam.

Suadet iterum Ruodkerus homini non aurum sed seipsum Gallo suo offerre, & se Monachū ejus verum tandem perficere. Factum est ut magni consilii Angelus hortatus est, Regi datori Arnolfo postquam votum aparuit suum capsam illam suspendens collo tunica Monachi & cuculla indutus aram S. Galli Bernhardo Abbate annuente nudipes adiit, peccata deflens, seculo renuntians S. Galli Monachum se profitetur, quem etiam Abbas tanquam de Palatio Monachū delicatius tractavit, ac præ cæteris habuit post modicum tempus consiliis hominis carere non posse republica tota personante, Abbatis sui promisso Rex eundem Salomonem iterum in Aulam assumpsit & priorem hominem statuit, tandem quoque & auxit. Nam Augensem abbatiam ei tradidit; Bernhardo per consilium Hattonis abbatia resignata idem Salomon substituitur & locum S. Galli suscepit regendum, quem præ omnibus locis postea apud Deum & homines amplificare curavit in thesauris, in ornamentis ex auro & argento gemmisque pretiosis & sanctorum reliquiis & substantia magna. cum vero annum & dimidium loco S. Galli præfuisset, tandem Constantiæ est prælatus & Dei factus pastor & Episcopus. Erat enim homo fortunatus, prudens consilio & eloquens valdeque liberalis. Ajunt eum cum Præsulatu duodecim abbatias rexisse. sic quoque ipse & Hatto Maguntinus Archiepiscopus Monachus & Abbas Fuldensis uterque duodecim abbatiis præfuit, insuper provisores regni erant, post Regem imperium tenuerant. dem Salomon à Roma Constantiæ attulit martyrem Pelagium, & ut putatur à Perusio Constantium Episcopum & Martyrem, quibus sarcofagus miro artificio auro & gemmis & ebore aliaque plura in honore S. Mariæ nec non & Galli unici sui cruces, vasa diversa, vestes varias, omnia per manus Tuotilonis comparavit, sic scribere jubens in aliquibus ævo longiore duraturis;

Tertius hæc bagiæ Salomon dat dona Mariæ:
Tertius hæc almo Salomon dat munera Gallo.

Qui plura ejus gesta nosse desiderat, librum qui de Casibus monasterii scriptus est legat.

CAPVT XV.

EO tempore Cuonradus tunc Romanorum Rex natale Domini Constantiæ egit. Ipsa die post mensam cum Episcopus ei processiones vespertinas tridui illius apud S. Gallum laudaret, Rex ait; ô utinam ibi essemus: & quare illuc anime mi matutini non ibimus? parantur continuo naves, quibus mane conscensis cum Episcopis & cætero comitatu Rex litus nostrum attigit meridianus, & S. Gallo appropians novis laudibus dictatis in loco gloriose susceptus est, tribusque noctibus cum omni hilaritate loco immoratus quarto die abscessit. Longum est dicere quibus jocunditatibus dies exegerit & noctes admirans senes cum junioribus qualiter sicut Angeli in choro in omnibus gestis & disciplinis incederent, & maxime in processione infantum quibus poma in medio ecclesiæ pavimento antesterni jubens cum nec unum parvissimorum mo, veri nec ad ea adtendere vidisset, obstupuit tantum rigorem religionis. Refectorium vero fratrum hora mensæ cum duobus Episcopis intrans in die Innocentum plura sibi assurgentibus læta locutus; Nobiscum, ait, velitis nolitis partiri habebitis. Decanum autem, qui mensam Abbatis sui causa cedere parabat, amplexatum retinens assedit, & ei apposita ad se sumens omnes circumspectans & arridens; his, inquit, in nomine Domini interim cum gratiarum actione participemur. misit quantocius ad Salomonem Episcopum & Abbatem ne sibi superveniret, sed uterque pro altero mensas teneret. Proposito dein cum nihil sibi nisi quod fratribus paratum esset juberet apponi; ô Rex, inquit nostra infortunia quod superventurū diem non expectabas. cras enim panem & fabas nudas forsitan habebimus, sed hodie non sic. Enimvero, ait ille, & cras

nobis Deus misereri poterit. Infantulis deinde per ordinē lectitantibus & analogio descendentibus aureos in ora ad se leuatis misit, quorum vnus pusillior cum clamitans aurum expueret; iste, inquit, si vixerit bonus quandoque Monachus erit. Surgens tandem à mensa hilariter fratribus multa locutus, optimæ spei esse monebat, quoniam si aduiueret, tales convivas lætificaret, rediensque ad suos Salomoni Abbati nostro & Episcopo gloriatus aiens se numquam lætius conuiuatum. At Rex vesperum & noctem cum egisset, diluculo conuentum petens fratrum omnium votis fauentibus fit frater conscriptus. Ingressus vero basilicam Sancti Galli pretiosis vestiuit altaria palliis. oratorium Beati Othmari intrans seque reum quasi ipse interfuerit afflictioni eius quæ illata quondam ei fuerat, eius aram adiit palliis quoq; auro & argento sanctum placuit. Nam parentes eius erant qui eum vexauerant. Facta oratione Rex conuersus ad Salomonem; eo, inquit, pacto ut fratres nostri conscripti pro conuiuio nostro hesterno habuntantibus à Karolo statutam hebdomadam Natalis DOMINI huius etiam in memoriam mei debeant conuiuari, & subridens; nam & ego hodie frater conscriptus volo prandere cum fratribus & fabas nostras de meo piperare. Aguntur celeres Regi missæ à fratribus super idipsum altare, præmaturatur prandium, impletur refectorium, vix vnum lector recitauerat pariodum *caritas quæ non agit perperam*, licenter tunc amouit disciplinam. Numquam tale per se tripudium Galli habuit refectorium, iocunde & humiliter cum fratribus Rex conuiuatus grauiores quosdam fratrum spectat inter strepitum, ridet quorundam vultus contractos propter rerum talium insolentiam, tamen repressit vnusquisque se dissimulans & sustinens propter regiæ Majestatis præsentiam. Finito conuiuio Rex discedit vespertinus, fratrum suorum lacrimosis laudibus prosecutus, quibus si viuere liceret benefacturum promiserat. Valedicens ergo fratribus abiit & commendans se orationibus eorum venit cum Episcopo Constantiam.

CAPVT XVI.

AGENTE eodem Imperatore Chuonrado, pascha apud Maguntinam civitatem S. Galli Monacho scholas inibi regente, & procurante etiam cantoris officium, ut solitum est in medio choro imponens crebo coronatus & infulatus adornatusque prætiosissimis indumentis. Cumq; manum ille ad modulos sequentiæ pingendos rite leuasset, tres Episcopi hominis quondam discipuli Imperatori suo in throno proximi: ibimus, ajunt, Domine Rex, & Magistrum in eo, quod ipse nos docuit, juvabimus. Illo hoc gratum fore dicente descendentes vestiti pontificalibus sociantur S. Galli Monacho, inclinantes inclinato, opus Dei, quod docuit, reuenter cum eo perficiunt. Flebat homo cum gaudio gratias referens S. Gallo. Post missas peractas vix ille coactus pedes Imperii, ut moris est, petere auri vncias in eis positas sustulit: ad Imperatricem vero, ridente Imperatore, per vim tractus, & ibi aurum ejus sumpsit è pedibus. Mahthilda quoque soror ejus anulum ei in digitum vellet nollet inseruit. Hæc idcirco enarraui, ut honorem doctrinæ & disciplinæ, sicut à Spiritu sancto B. vir Norkerus in secreto cordis sui contemplando didicerat, ad ædificationem audientium proponerem. Nam eandem disciplinam Angelicam Deus dedit viro sancto per Spiritum sanctum suum & sociis suis docere ecclesiam in jubilis* sequen-

*In margine hæc annotantur: *Sequentiæ etenim canticum victoriæ designant, quo justorum animæ in Deo pro sua liberatione exultant, sicut filii Israhel pro sua exceptione canticum victoriæ canebant, & quondam Romani. Iubilus autem, id est neuma, quem quidam in organis jubilant, plausum victorum lætantium commendat.*

Quotiens in oratione verba superant affectum, fit multiloquium, in quo peccatum non deerit, nec prece tali exaudiuntur homines à Deo, quasi eum plurimis verbis conentur inflectere: neque conciliat eum multiplex sermo orantis, sed pura sinceraq; orationis intentio. Si autem tristitia fuerit oratio, vlulatus dicitur: Si vero gaudii, jubilus. Tunc nec quidem verbis exprimi, nec prorsus valet sileri. Ideoque vir sanctus, quia defectum habebat linguæ, nitebatur semper corde orare, insuper sciebat etiam, bonum esse, & sono vocis Deum, hymnis & canticis spiritualibus glorificare. Modicum ajebat prodesse sono vocis canere sine cordis devota intentione, sed sicut ait Apostolus, Cantantes in cordibus vestris Deo, hoc est, non solum voce, verum etiam corde psallentes. Vnde & alibi dicit: Psallam spiritu, psallam & mente: orabo spiritu, orabo & mente. Sicut ergo orationibus regimur, & docemur, ut devotissimus Deo, & stabiles in virtutibus, ita psalmorum studiis delectamur ineffabilia æterna. Psallendi enim utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, studiosos oblectat, mentes exsuscitat peccatores ad lamenta invitat, mundiora reddit hominis interiora & promptiorem ad pietatis opera. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim, ut dulcedo psallentium insonuerit, ad effectum clementiæ animum eorum inflectit. Itaq; dum Christianum non vocis modulatio, sed tantum verba divina debeant commovere, nescio, quo tamen pacto, quandoq; modulatione canentis major nascitur compunctio cordis. Multi enim reperinutur, qui cantus suavitate commoti sunt, crimina plangunt atq; ex ea parte magis flectuntur ad spiritum contritionis & lacrimarum ubertatem, ac benivolam emendationem, ex qua non verborum, sed psallentium dulcedo vocum & discretio insonuerit jocundissima. Oratio in præsenti vita tantum pro remedio peccatorum effunditur: psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem amministrat, sicut scriptum est: Beati, qui habitant in domo, &c.

quentiarum agendam, ideo, ut reor, ut per intuitum Angelicarum disciplinarum oriatur, hominibus mentis devotio, & dilatato corde mens seipsam transcendat & spiritalior fiat. Helisæus Propheta, sicut liber Regum narrat, requisitus de verbo Domini, cum se sensisset Spiritum prophetiæ tunc temporis non habere, fecit sibi psaltem adducere, quo psallente statim spiritum propheticum hausit: Solet namque, ut plures novimus, dulcis harmonia cor exhilarare, & ei sua gaudia ad memoriam revocare, & quo uniuscujusque animum suus amor artius afficit, eo profundius audita harmonia exteriori affectum tangit, & interiorem illam spiritualem harmoniam ad memoriam reducit, ut audita melodia audientis animum ad assueta gaudia suffulciat atque levet. Psallendo itaque seu laudando viam Domini paramus, qua ad nos miris quibusdam mysteriorum suorum revelationibus venire desiderat, quando ex magno cordis tripudio in divina præconia jubilamus, & in gratiarum actionem assurgentes ex intimis visceribus medullitus in Dei laudes sincero mentis amore cum magno cordis clamore roboramus. In tali igitur psalmodia spiritualique harmonia anima contemplativa spiritualibus theoriis assueta incipit tripudiare, & præ gaudii nimietate suo quodam modo gestire, ac spirituales quosdam, & sui generis saltus dare, & se à terra terrenisque omnibus suspendere, & ad cœlestium contemplationem tota mentis alienatione transcendere, Tali etenim doctrina repleverat Spiritus sanctus vas sibi electum B Notkerum. Sequentias, quas idem pater sanctus fecerat, destinavit per bajulum urbis Romæ Papæ Nicholao & Liutuuardo Vercellensi Episcopo tunc tempore Karoli Magni Imperatoris Archicancellario, qui venerandus Apostolicæ sedis Pontifex ea, quæ vir sanctus, Spiritu sancto annuente, dictaverat, sanctivit, atque sanctæ Ecclesiæ Christi per mundi clymata in laudem Dei colenda instituit, & non solum ea, quæ B. vir Notkerus dictaverat, verum etiam ea, quæ socii & fratres ejus in eodem monasterio S. Galli composuerant, omnia canonizavit, videlicet hymnos, sequentias, tropos, letanias, omnesque cantilenas rithmice, metrice vel prosaice, quas fecerant, & displicinas, quas docuerunt, totum autenticavit, ac divulgavit in laudem S. Trinitatis & B. Mariæ, omniumque sanctorum S. Matri Ecclesiæ.

CAPUT XVII.

FErtur de beato viro, cum quadam die per dormitorium transiret auscultans; erat enim molendinum juxta vicinum, cujus rota tarde voluebatur propter penuriam aquæ garriens quosdam dabat quodammodo * vocum sonos, quod audiens homo Deo dignus, statim fuit in spiritu, & illud elegans dictamen edidit de possessore suo, nectareum modulamen eructavit, scilicet eodem almo spiritu, ac toti mundo ad salutem propinavit, sequentiam dico, quæ est de sancto Spiritu, *Sanctus Spiritus assit nobis gratia* Cum ergo eam plene complesset, misit eam pro xenio Magno Imperatori Karolo, qui forte tunc morabatur Aquisgrani. Idem verus Christicola Imperator remisit ei per eundem bajulum, quod sibi idem spiritus inspiraverat hymnum *Veni creator.* talibus alis solent pennata animalia se mutuo ferire, id est perfecti viri, & docti spiritali scientia eruditi solent se diversitate adhortationum exercitare, sicut S. Augustinus B. Iheronimo, & S Iehronimus B. Augustino per internuntium Paulum Orosium fecerunt Bene hic ponendum est, quod nostris temporibus evenit colloquium de beato viro apud sedem Romanam.

* In eod. marg. *Græci etiam simili modo Pytagoram Philosophū affirmant trāsisse secus fabricam aliquando & audiens malleatorum ictus super incudem discrevit sex voces musicales.*

CAPUT XVIII.

VEnerabilis Abbas S. Galli Oudalricus piæ memoriæ hujus nominis quintus, in legatione Regis Friderici secundi postea Cæsaris venit Romam ad Innocentium Papam tertium missus. Cumque de multis esset sermo eorum & plura conferrent ad invicem, accidit, missam celebrari ante Apostolicum de sancto Spiritu cum sequentia *Sancti Spiritus assit nobis gratia.* præsente Abbate. Fecerat & ipse idem Papa sequentiam de sancto Spiritu (*videlicet: Veni sancte Spiritus*) peractis missis & orationibus, convenerunt iterum ad confabulandum, & inter cætera requisivit Papa Abbatem dicens: *quis fuit Notkerus tuus, an quomodo agis diem anniversarij ejus?* Erant enim Romæ aliqua scripta de eo in libris Sequentiarum, quæ ipse Papa legerat. Respondens Abbas, Monachum eum fore in domo sua de nobilissimis terræ ortum, valde sciolum & sanctum. Ad quem Papa: Agis ne festivitatem ejus? cui ille: non Domine: scimus, quia sanctus est, privatim tantum agitur de eo, sicut pro alio defuncto. His verbis Papa commotus: O nequissimi, inquit, malo vestro tanti viri tam sanctissimi viri, qui erat plenissimus Spiritu sancto, quod hujus festivitatem non celebratis, infelices eritis.

CAPUT XIX.

NVnc ergo quales tres isti prædicti senatores extiterint, scriptis demonstremus. Otio numquam vacabant, & quod semper doctorum est & utilium in lenitate Spiritus, & in quiete cordis ambulantes. Raro aut numquam sine opere aut meditatione vel exercitio virtutis præteriebat eis tempus. Vnde assiduas ab aliquibus detractiones & dorsiloquia, ut vitiose solet fieri, inconvenientibus patiebatur: sed maxime quia minus refellere solebat sanctus, ut

vere afferam, Dominus Nòtker. Tuotilo quidem & Ratpertus acriores talibus minusque ad contumelias habiles rarius ab eis lædebantur. Notkerus autem hominum mitiffimus, quid injuriæ effent, in femet ipfo didicit. De quibus pluribus vnum aliquem, ut quantum Sathanas in talibus præfumat, ab uno difcas omnes, introducere volumus. Erat hic quidem refectorarius nomine Sindolfus, fictis autem poftremo obfequelis, cum alias in nullo effet utilis, accufans fratres criminibus conjectis, per quæ agnitus eft ipfe proditor, & proditi perfecti inventi funt. Nam cum effet perfectorarius, pro commodis incommoda fæpius, quibus aufus erat, exhibebat, præ cæteris autem S. viro Notk. quod ille æquanimiter ferens conpatiebatur inferenti, & orabat pro eo, Salomone vero in multis occupato, nec adtendere ad fingula fufficienti, alimonia interdum cum aut detraheretur vel depravaretur, clamabant plures pro injuſticia, inter quos aliquando etiam ifti tres, quos dicimus, aliqua locuti funt. At Sindolf. difcordiæ femper fomes fciens antiquam & difcipulorum odii facem & caufam accommodat fe auribus Salomonis, quafi pro fuo honore rem fibi fit dicturus. Ille verò, etfi nihil nocivius fciffet prælatis ab fubditis, quam fufurros & detractatores audire, quid novi afferret quæfivit? cui fubdit: tres, inquit, illos femper fuper fe verba jacere folitos, hofterno, quæ Deo inportabilia funt mentitur locutos. Credidit ille fermoni, quem dixit, & contra fe nil mali opinantes rancorem portavit, tandem & oftendit. At illi cum nihil ab eo reatus fui exfculpere poffent, Sindolfi fe technis ariolantur fuiffe circumventos. Re tandem coram fratribus difcuffa, cum ipfi teftantibus nihil fe omnino erga Epifcopum dixiffe, & eum cum cœteris convincerent falfidicum, ut judicet, & vindictam fuper eum faciat, quisque fibi rogant, quod cum ille diffimulaffet, taciti quieverant.

CAPUT XX.

ERAT tribus illis infeparabilibus confuetudo permiffo quidem Prioris intervallo laudum nocturno convenire in fcriptorio, collocationesque tali horæ aptiffimas de fcripturis facere. At Sindolfus fciens horam & colloquia quadam nocte feneftræ vitreæ, cui Toutilo affederat, clandeftinus foris appropiat, aureque vitro affixa, fi quid rapere poffet, quod depravatum Epifcopo traderet, aufcultabat. Senferat illum Tuotilo homo pervicax lacertisque confifus latialiterque quo illum, qui nihil intelligerer, lateret, compares alloquitur. Adeft ille, inquit, & aurem feneftræ affixit. Sed tu, Notkere, quia timidulus es, cede in ecclefiam: Ratperte autem anime mi, rapto flagello fratrum, quod pendet in pyrali de foris accurre. Ego enim illum, cum appropinquare te fenfero, vitreo citiffime redaperto captum capillis & ad me pertractum violenter tenebo: tu autem cor meum confortare, & efto robuftus, flagelloque illum totis viribus increpita, & Deum in illo vlcifcere. Ille verò, ut femper erat ad difciplinas acutiffimus, modefte exiens, rapto flagello, cucurrit celerrime, hominemque intro tractum capite totis viribus à dorfo ingrandinat. Et ecce ille manibus pedibusque renifus flagellum, quo vapulabat, capiens tenuit: at Ratpertus è vicino virgam propius afpectam rapiens ictus ei validiffimos infregit. Cum autem parci fibi male jam multatus in caffum petiffet, apud fe fub murmurans voce opus effe exclamans vociferavit. Statim fratrum pars voce audita tali tempore infolita ftupens accurrit luminibus, & quidnam effet quæfivit. Tuotilo vero Diabolum fe cepiffe creber ingeminans, lumen adhiberi rogat, ut, in cujus illum imagine teneret, certius infpiceret Capite autem inuiti hac & illac verfato ad infpicientes, fi Sindolfus effet, quafi nefcius interrogat. Omnibus enim vere ipfum effe clamantibus, & ut illum dimitteret rogantibus, relicto eo: me miferum, ait, in auricularem & intimum Epifcopi manus mififfe. Ratpertus quidem accurrentibus in partem cedens clam fe fubduxit. Neque enim ipfe, qui paffus eft, à quo cæderetur, fcire poterat. Quærentibus autem aliquibus, ubinam Dominus Notk Ratpertusque abiffent: ambo, inquit ad opus Dei Diabolum fentientes abierunt, meque cum illo in negotio perambulare in tenebris dimiferunt. Vere, ait, fcitote omnes, Angelum Dei ictus ei manu fua incuffiffe. Demum, difcedentibus fratribus, à partium fectatoribus furgunt, ut fit, mutiloquia: alii Dei judicio, ut aufcultatores clandeftini publicarentur, factum dicebant: alii verò tali viro, nifi quod Angelum Domini prætendit, fimile opus non decuiffe. Occultabat ergo fe ille confractus corporis pariter & mentis dolore. Interrogabat denique Epifcopus poft aliquot dies, vbi nam tamdiu moraretur fuus famidicus? fic enim hominem nominare folitus erat nova femper aliqua fibi clam apportantem, à quo re ut erat veraciter comperta, quoniam tantæ auctoritati pro tam turpiter reo nihil imputare volebat, confolatur accitum fic dicens: quoniam, inquit, illi à pueritia mei femper æmuli male tibi fecerant: ego, fi aduixero, melius tibi facere habebo. Nam operariorum factus eft ab ipfo Decanus, contradicentibus cunctis, ne rem tam præclaram loci in tali homine dejiceret. Deinde amplius non deftitit adverfari tribus illis de decore fibi illato, & officio collato animatus. Quadam igitur die, quod erat refectorarii, Notkero & Ratperto coquinæ ordinariis menfuram potus, ut officii fui erat, cum in vafe fuo non dico poneret beato viro, fed maledicta muffitans, eo abfente, adhuc quafi projiceret, vas illud cafu accidente de menfa lapfum in terram cecidit, operculoque procul rotante vas in lacus jacuit, vinumque, velut fi fubrectum effet, folide continuit. Quod ille videns huc atque illuc circuiens tandem

tandem morose reversus, cum levasset accurentibus, qui astantes viderant, & si quicquam de vino effusum sit terram convenientibus nec vsque ad vnam guttam compererunt exisse; ne miremini, inquit Sindolfus, si Diabolus, à quo nigros libros noctibus ipse & socii eius discunt, fascinatorum suorum calices ne effunderentur continuit. Quod Hartmannus Proabbas post à dicentibus cum audisset, protervoque illi cum occurrisset: vide, inquit, bone vir, ne in tales viros injurias tuas tam patienter ferentes nimium tandem desipias. Cur ad invidiam in tantum concupiscit spiritus tuus? an nescis, quia susurrones & detractores, qui irritant fratres, ac serunt inter eos discordias, Deo sunt odibiles? cui ille cum sibi solita usque ad convitia respondisset proterviâ, Waltramus tunc Decanus in proximo capitulo regulari eum vindictæ subjecit: sed tamen adhuc ejus non quievit nequam spiritus. Itaque tandem malum per eum viro sancto, quo dolore intrinsecus cordis tactus est, accidit, epistolas Canonicas Græcas à Luituuardo Vercellensi Episcopo sibi præstitas multis sudoribus beatus vir exemplaverat, & ecce Sindolfus eundem codicem delicate scriptum casu incurrens furatus est, & singulas quaternionum, sicut hodie videre est, cultro excisas discerpsit & depravavit, ac postea iterum complicatas occulte in locum, ubi eas fuerat furatus, reposuit, transtulit idem sanctus vir psalterium de Latina in Barbaricam linguam, sicut hodie est in armario.

CAPUT XXI.

RAtpertus inter ambos, Notkerum videlicet & Tuotilonem, medius incedebat scholarum ab adolescentia Magister, doctor planus & benivolus, disciplinis asperior, raro præter fratres pedem claustro promovens, duos calceos annum habens, excursus mortem nominans, & ideo sæpe Tuotilonem itinerarium ut se caveret amplexibus monens in scholis sedulus, plerumque cursus & missas negligebat bonas, inquiens, missas audimus, cum eas agi docemus, qui cum labem maximam claustri impunitatem nominasset, ad capitulum tamen non nisi vocatus venit, cum sibi officium capitulandi & puniendi gravissimum, ut ait, sit traditum. Cum vero & ipse sanctus circa claustrum S. Galli diu languidus iret, nec tamen docere desineret, XL. discipulis quondam suis Canonicis tunc quidem Presbyteris loco propter festum advenientibus animam singulis in manibus commisit, quorum quisque ei triginta missas obituro promiserat. Sicque ille lætissimus factus Deum uti se diutius morbo coqueret rogans, & panis nitidus effectus inter discipulorum manus in paradysum, ut credimus, transiit, pro quo B. Notkerus & Tuotilo præter cæteros fratres dolentes, qui post eum relicti sunt, multa fecerunt. Scripserat idem homo beatos liberum de casibus monasterii incipiens à temporibus B. Columbani, usque ad Salomonem Episcopum & Abbatem nostrum. Dictaverat etiam letanias, quas Ecclesia canit per totum orbem in diebus Rogationum, præter alia plura, quæ fecerat.

CAPUT XXII.

LOnge aliter Tuotilo bonus erat & utilis, quam socii, homo lacertis & omnibus membris, sicut Favius athletas, eligere docet. Erat enim valde eloquens, voce clara & dulci, cœlaturæ elegans, picturæ artifex, ac mirificus aurifex, musicus, sicut & socii, sed in omnium genere fidium & instrumentorum & fistularum præ omnibus. Nam & filios nobilium in loco ab Abbate destinato fidibus edocuit. Nuntius procus & proprie sollers in structuris & cæteris artibus suis efficax, concinnandi in utraque lingua promptulus & potens natura, serio & joco festivus adeo, ut Karolus noster aliquando ei maledixerit qui talis naturæ hominum Monachum fecerit. Sed inter hæc omnia, quod præ aliis est, in choro strenuus, in latebris erat lacrimosus, versus & melodias facere præpotens, castus, & Marcelli discipulus, qui fœminis oculos clausit. Ea autem, quæ dictaverat, singularis ac agnoscibilis melodiæ sunt, quia per psalterium seu per rotham, in qua potentior ipse erat, neumata inventa dulciora sunt, ut apparet in tropis *Hodie cantandus* & *Omnium virtutum gemmis*, quos quidem tropos Karolo obtulit canendos ad offerendam scilicet *Viri Galilæi*, quam ipse Rex fecerat. Hanc etiam Rex offerendam cum dictasset, Tuotiloni misit, versus addere injunxit. at ille apposuit: *Quoniam Dominus Jesus Christus cum esset, omnipotens genitor fons & origo*, cum sequentibus *gaudete & cantate*, & alia plura ad invicem conscripserunt: sed ista proposuimus, ut quia dispar ejus melodia sit cæteris, si musicus es notis. Abbatem vero, sub quibus militaverat permissis plerumque & præceptis, multas propter artificia simul & doctrinas peragraverat terras, picturas & aurificia etiam & anaglyphas carminibus & epigrammatis decorabat singulariter pretiosis: tantæque auctoritatis, ubicumque moraretur, apparuit, ut nemo illum, qui vidisset, S. Galli Monachum dubitasset. Erat enim in divinis & humanis æque ad responsa paratissimus, si quid indecens vel inordinatum maxime in Monachis usquam vidisset, pro loco, tempore & persona, zelator erectus, ut in uno de pluribus dicere habebimus.

CAPUT XXIII.

GNarus namque homo quoniam erat itinerarius longe lateque terrarum & urbium, missus aliquando est pro communi causa Maguntiam, utique pro pannis laneis emendis, quos Sericales vocant aut tunicas. In ingressu ergo civitatis circa S. Albani monasterium hospitium petens hominibus suis statim propter pabula & victualia mercatum missis ipse super sedile se lassus, ut paulisper quiesceret, locaverat. Erant autem dies vindemiæ, quibus fratres ad obedientias dimissi sunt per vineas, & ecce, primo signo ad vesperas pulsato, circator fratres collecturus asino pro religione insidens ostio domus hospitii jam dicti, quasi & ibi aliquem quæsiturus, appropiat: latenter quoque, si commatrina sua domi sit, sciscitando domum inequitat. At illa de camera egressa salutans compatrem, hospitem illum dormire putans obtulit viro mustum. quo ille impigre hausto vaseque reddito mammam fœminæ titillat assentientis. Hospes vero viso facinore exilit, ne ulterius procederent, in facto illum scelestum inclamitans, comis apprehensum in terram dejecit, flagelloque, quo ad equum usus est, adhuc manu habito acriter hominem cæcidit, adjiciens: hoc, inquit, tibi S. Gall. frater S. Albani dedit. Ille quidem, quamvis pro reatu sit tristis & passus, timidus tamen sui venia petita, uti se celatum habere vellet hominem rogat. Hospes illi, ne modo adjicias peccatum peccato, quantum in me est, bene celaberis. Intimatur Abbati fratrem de S. Gallo ante portam hospitari: qui statim per nuntium vocat eum in claustrum, nomen sciscitati agnoscunt hominem diu fama vulgatum, caritativeque tractato ipsi exhibebant ei Martham, ille autem capacibus porrigebat Mariam: rogaturque ibi morari, usque dum thronum Dei in brathea altaris aurea celaret, cui similem anaglipham raro usque hodie videre est alteram, in circulo scribens hunc versum:

Ecce polo potior solio terraque scabello.

Cum autem aliquantum ibi tardasset non celatum opus ex parte relinquens, rediensque à nostris, quid deforis egerit, rogatus est dicere: fratrem, inquit, ibi indisciplinatum vidi, quem ut ferirem, flagellum levans intentavi. quod illi & mihi quidem ut indulgeatur rogo. Sic ille fidei memor veritati parcens non tamen mentitus est.

CAPVT XXIIII.

MIssus aliquando ad Metensium urbem celaturus thronum & imaginem B. Mariæ desuper. quod quamvis Monachi non fuerit, propter naturam tamen hominis dicere volo. Cum ergo iter ageret, ibat per silvam latronibus aptam duobus suis comitatus, uno scutato cũ lancea, altero sine, & ecce à duobus audacissimis invasus ambos suos uterque isti suum equo dejecerat. Interea ille utroque in spolio occupato robur quoddam validum circumspectum arripuit, & terrore magno minax super illos venit. At illi videntes hominem forti assimilem spolia omittunt, scuta dorso rejecta contra illum vergunt, lanceasque ille latronum præ securitate procul abjectas suos citissime rapere jussit, & ut se defenderent, acer verbis emonuit. quas cum dejecti celeres raperent, tanti Ducis violentiam minime se perpeti posse videntes hostes, ab eo exarmati divertunt. Sic isti etiam lancea sua levata, ut, si illi reveterentur Domino suo, eam darent, & ita imperterriti silvam pertranseunt. Ergo Tuotilo cum venisset ad urbem, & operi celaturus astans satageret, ecce duo viri astiterunt juxta illum S. Mariæ imaginem celanti in habitu peregrini elemosinamque petebant. quibus cum nummos clam tribueret, divertentes ab eo celerico cuidam à longe astanti ajebant: benedictus vir iste DOMINO, qui nos hodie consolatus est, sed est ne soror ejus (inquiunt) Domina illa præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat, & docet, quid faciat? Ille vero miratur, quid dicerent, cum nuperrime ab eo digressus nil tale vidisset. Revertitur ergo cum peregrinis, & quod dixerant, velut ad momentum & in ictu oculi contemplatur. Ajunt autem illi clericus & peregrini: benedictus tu Domino, pater, qui tali Magistra uteris ad opera. qui cum ipsos, quid dicerent, nescire assereret, vehementer in illos invectus, ne cui tale aliquid dicerent, interminatur. Statim peregrini transeuntes dispaniuerunt, nec amplius ab aliquo sunt visi. In crastinum autem cum gloriam talem de se plures audiret dictitare, occulte subtrahens secessit è medio, neque jam ultra in urbe illa operari volebat. In brathea autem ipsa aurea cum reliquisset circuli planitiem vacuam, nescio, cujus arte tales celati sunt apices:

Hoc panthema pia celraverat ipsa Maria.

Sed & imago ipsa sedens quasi viva cunctis inspectantibus adhuc hodie est veneranda. Dicebant autem nobis partes, quod ipse vir Dei in reditu iter agendo in quandam villam, ubi ad missas sonatum est, properans Dæmonem ab homine in Ecclesiam bachantem invocatione S. Galli ejecerit. Sunt & alia, quæ de illo audivimus, multa, de quibus cum nobis nihil certum constat, tacere quam scribere maluimus. De obitu autem ejus, quia nihil constans comperimus, hoc solum astruimus, quod eum ad gaudia æterna transisse confidimus, indubitanter asserimus.

CAPUT XXV.

BEati igitur viri Notkeri, quæ reliqua sunt, de eo audeter narrabimus, quoniã illum Spiritus S. vas electum nequaquam dubitamus. Erat enim corpore, non animo gracilis, voce non spritu balbulus

balbulus, in diuinis erectus, in adversis patiens, ad omnia mitis, in nostratium acer erat exactor disciplinis, ad repentina & in opinata timidulus erat præter Dæmones infestantes, quibus quidem se audenter opponere solebat: in orando, legando, meditando, dictando creberrimus, & vt omnes sanctitatis ejus sub compendio conplectar dotes, sancti Spiritus erat vasculum, quo suo tempore habundantius nullum. Nam ut prælibauimus, dies noctesque semper idem & novus, quod Ratpertus in scholis hoc ipse in claustro, præter verbera omni caritatis egit censura. Priorum itaque permisso, magis autem & hortatu, juveniores ad hoc idonei noctes diesque, quando ab orationibus quiescere velut cum in insidiis Dæmonum erant, ipse propter regulæ tenorem sibilis eos, interdum etiam strepitu, absturbarat. Hoc idem cum refutaret, tamen ab Abbatibus per obædientiam ei injunctum est. docebat enim eos bonitatem & disciplinam & scientiam, & mandata Dei sollicite credere & servare, dicens: vitæ mundiciam & puritatem non inueniri in terram suaviter viventium, sed oportet hominem excolere terram cordis sui, sicut rusticus agrum, ut uberes fructus exinde habeat; qui vero incipiunt & non perseverant, comparantur perdici, de qua Iheremias ait: ***Fouit perdix, quæ non peperit, in dimidio dierum suorum derelinquet ea, & in nouissimo erit insipiens***, non attendentes, quia ***extrema gaudii luctus occupat.*** permisso Abbatum, sub quibus militabat, secundum voluntatem suam viuebat ad libitum suum, quia videbant verbo Domini firmatum, & ubi spiritus Domini ibi libertas, & quoniam spiritalis judicat omnia & ipse à nemine iudicatur. Ardua enim ejus continens vita quiddam diuinæ excellentiæ in vultu prætendebat: Oculus intuens in eum iocundabatur, & auris audiens eum gratulabatur, tamen omnem gratiam, quam se senserat percepisse sub tutela humilitatis studebat occultare dicens cum B. Iob. ***Si fuero lotus aquis niuis & fulserint mundissime manus meæ, tamen sordibus intingues me & abbominabuntur me vestimenta mea.*** Propter humilitatis igitur custodiam cum esset homo scientissimus, semper assidebat magis psalterio quam cæteris libris. Porro non erat hora neque incompetens dicebatur, si codicem in manibus non habuit, quando quis cum eo aliquid conferebat. Inter omnes confratres suos sic ambulabat, majores & minores ita venerabatur, ut nulli se præponens, sed quantum in ipso, esset omnibus amabilis affabilisque, quam autem mellifluus in responsis fuerit & alloquiis, lacrymæ eorum, qui hominem viderant & post ipsum supererant, requirentibus eum liquido manifestabant.

CAPVT XXVI.

POSTQUAM vero Presbyterii gradum vir Domini NOTKERUS multa obædientia coactus humillime conscendisset, tunc demum sic quasi nihil prius virtuose aliquid egisset, ita illas quatuor cardinales virtutes & earum appendices, id est justiciam, prudentiam, fortitudinem temperantiam, tamquam animæ naturales, tanta diligentia obseruauit, discussit atque se in his exercuit, ut cunctis pateret quia fortis CHRISTI miles omnia arma spiritalia contra Diaboli nequitias pugnaturus sibi induisset. Spiritaliter quoque, ut diximus, fortis erat, sicut Propheta ait: ***qui appropinquant Deo, accipient de doctrina illius, & qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem & assument sibi pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, sed volabunt, ut requiescant, sicut columba in foraminibus petræ***, id est CHRISTI, & adeo elongantes se à consortio mundanæ offensionis fugiunt & manent in solitudine æternæ jocunditatis. Quantum enim TVOTILO robustus fuit in homines, tantum vir sanctus & plus valuit ipse in Dæmones. alias autem corpore attenuatus, vt rejunans & vigilans, debilis, tener & macer. Contigit ergo quadam nocte eum ut in ecclesia præueniens in maturitate altariaque circuiens, ut solebat, in oratione flendo eiularet: cumque veniens incryptam XII. Apostolorum sanctique Columbani vberrime acriores de post aram oculi eius deducerent lacrymas, quasi canem audierat musitantem, interdum etiam mixtim vocem sicut suis grunnientis, cum sentiret, intellexit temptatorem: es ne tu, inquit, iterum ibi? Bene constat virum DEI plures pugnas & conflictus cum eo habuisse, de quibus triumphos victoriæ reportarat. Quam bene, inquit, tibi miser contigit nunc musitanti & grunienti post gloriosas voces illas, quas in cœlis habuerat, accensoque lumine, quo angulo lateret, quæsiuit, Ille vero sinistro angulo appropianti tanquam canis rabidus vestes lacerat: eia, infit ille, seruitium tuum foris cryptam satagere habeo. Neq; enim pœnæ illæ, quas, ut ajunt, jam pateris sufficiunt, acrius tibi aliquid paraturus sum. Præcipio autem tibi in nomine Domini mei Iesu Christi & istorum sanctorum, ut me in eodem, quo nunc indutus es, canino corpore expectes. Et ille: faciam, inquit, si volo. At Notkerus velocius abiens: confido, ait, in Domino quia velis nolis me expectabis. Festinato autem aram S. Galli adiens cambocam, quam Magister S. Columbanus per Magnoaldum Diaconum miserat cum epistola absolutionis felici discipulo suo Gallo multarum virtutum operatricem cum spera illa S. Crucis notissima rapuit, & in introitu cryptæ dextro spera posita, cum baculo vero à sinistro introiit, & caninum illum aggressus est Diabolum. Cum autem illum baculo sancto cædere cœpisset, voces suas anteriores altius gannitu edidit lartatu & grunnitu. Tandem vero cum ad speram sanctissimam Zebulus cædentem fugiens venisset, ultra jam progredi non valens constitit, & tot jam ictus & incussiones ferre non sustinens barbarice clamans, *Ovve mir vve* vociferavit. Interea æditYuus cum basilicam intrasset vocesque horridas audisset, lumen velox in manibus sum-

sumpsit,& ad cryptam acceleravit. At pater sanctus cum Dæmoni ictum ultimum fecisset, baculum sanctum in locis confregit,& nisi æditiuus speram videns levasset, sicque Diabolum more canis abire permisisset, adhuc eum cædere habuisset. Æditiuus vero baculo inspecto attonitus: baculum ne sanctum, Domine, mi cane fedasti? Illo conticente addidit: quisnam erat ille, inquit *auvve mir vve* vociferavit? putans ergo æditiuus, illum pro pietate furem aliquem celare velle, iuit pedes per totam ecclesiam furem comprehendere cupiens: sed cum neque furem inveniret neque canem, graditur secum tractando fluctuans, quia ecclesiam post se introiens clauserat, quidnam esse posset, quod contingerat satis admirans. Virum denique regularem jam semel sibi tacitum amplius alloqui non ausus est præsumere. Secundum autem, quod vir sanctus Domini Notkerus humilis erat & prudens, æditiuo foras ire significans in partem eum sumpsit, benedictioneque prælata, quoniam baculum, inquit, fili mi, confregi, nisi tu juveris, secreta mea habebunt efferri: sed quia meum non est ambulare in magnis, neque in mirabilibus super me, silentiæ fidei tuæ committo, quod factum est. Sicque ei rem, quamvis invitus, ut facta est, enucleavit. At ille baculo per fabrum latenter reparato, quod factum fuerat, ad tempus occultavit. In temporis autem processu res, ut erat, in medium venit. Paucos sanctorum legimus Diabolum sic coercitum strinxisse, ut vapulatus plagas cædentis non potuerit effugere. Vnde canis ille infernalis aliquid tale machinabatur intra se, qualiter viro sancto rependeret confusionem digne sibi illatam.

CAPVT XXVII.

ERAT eodem tempore in loco adolescens quidam Monachus admodum literatus Comitis de Kyburc filius, B. viri Notkeri de sorore nepos, nomine VVolo, inquietus & vagus cui propter aversionem, cum Decanus ipse nec Dominus & S. vir Notkerus, seu cæteri imperare potuissent, crebroque esset verbis & verberibus coercitus, nihilque exinde proficeret, omnesq; pro talis ingenii viro dolebant. Nam quadam die advenerant in monasterium parentes ejus pro eo sollicitii, per quorum monita cum parumper proficeret, iterum post abitum eorum idem erat. Diabolus autem una die S apparuit Notkero diluculo: Malam, tibi, inquit, & fratribus tuis facturus sum noctem. Vt probatius conjici potest, datur intelligi, Dæmoni huic permissum futura præscire. Respondit beatus vir spiritui nequam: mala avis frequenter malam famam prodere solet. Mox itaque ille bonus Notkerus (sic enim à vulgo nominabatur) fratribus, quæ audierat á Sathana, intimavit, uti die illo se caverent præmonuit. VVolo vero cum hoc & ipse à dicentibus audisset: Senes, inquit, semper vana somniant. Erat autem dies ipse, quo sibi à Decano ne quoquam, ut solebat, claustro progrederetur interdictum esse omnes noverant. Cum ergo sederet ad scribendum, ultima ejus scriptura erat: *incipiebat enim mori.* Igitur illico à loco exiliens cæteris illum inclamantibus, quo nunc, VVolo, quo nunc? in Campanarium S. Galli per gradus ad hoc quidem nobis paratos ascendere incipit, ut oculis, quia gressu non licuit, montes camposque circumspiciens vel sic animo suo vago satisfaceret. Ascendens namque, cum super altare virginum venisset, inpulsu, ut creditur, Diaboli per laquear cecidit, omni corpore concussus collum confregit. Plurimis autem, qui forte viderant vel audierant, accurentibus, cum viaticum ei properanter afferrent, confessione dicta communicavit. Illi vero cum eum efferre voluissent, & ad domum infirmorum portare: Sinite me, inquit, sanctas virgines prius inclamare. Ipsæ enim sciunt, quamvis alias nefandissimus, mulierem tamen numquam novi. Interea cum alte ejulasset, B. Notkero accurente, manus illi porrexit; tibi, inquit, Domine mi, & sanctis virginibus, quas semper amabas, animam peccatricem commendo, qui statim spiritu turbatus gemendo circa eum se jactans: sanctæ, ait, virgines in nobis confisus, fratris istius crimina super me tollo, & ambos nos vobis committo. Et hæc dicens flebat & ejulabat ex intimo cordis affectu. Cumque ille efferretur de oratorio pro foribus ecclesiæ quiete petita Notkerum manu artissime stringens omnibus preces pro eo effundentibus emisit spiritum. Inter exequias S. Notkerus eum lavit, more solito in feretrum collocavit, obsequium ipse faciens totam ejus sepulturam procuravit, semper quoad vixit & quamdiu potuit duo in se Monachi officia assumpsit atque persolvenda sibi lege statuit. Completorium vero ipso obitus viri die cum finiretur, patrum quidam simplicior precem, in qua scriptum legitur, *ut sicut læti duximus diem, ita noctem quoq; transigamus læti*, dum recitasset, vir Dei mœrens surgebat: quid petis, inquit, frater admirabilis, quid petis? sufficeret hodie malicia sua & superhabundaret, tu autem & nocte eadem precaris. Septima autem obitus hominis die, cum sanctus Dei pernoctans in ecclesia mansisset, circa tempus laudis nocturnæ parumper super genua pausans videt quasi Ratpertum suum se excitantem & dicentem sibi; Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Euigilans ergo ait: unde, anime mi, unde hoc nosti? Hæc ergo cum subjunxisset, quasi modesto gradu ille exiit. At ipse putans eum ecclesiam, ut ibi licentius loqueretur, exisse, & dum eum extra velum prosequitur, neque ipsum neque gressus ejus ullum sentire poterat sonum, cereoque accenso quæsiuit illum in lecto. quem etiam cum invenisset de lecto jam surgentem, ut & ipse, sicut solebat prævenire in maturitate, & anticipare vigilias, vir Dei cereo extincto in ecclesiam rediit. æstimabat autem se visum vidisse, & intelligens sciebat, quod factum fuerat, quia per Angelum fiebat.

fiebat. Mox igitur hilaris factus gratulabundus *Te Deum laudamus* incipiens præ gaudio flens silenter cantavit. Die autem clare dato quærente Rarperto, utrum ne ad excitandum se noctu venisset? Sanctus Dei quod viderat, amabili suo apparuit, tandem quoque & cæteros fratres spes tanta non latuit. Gavisi sunt ergo fratres magno tripudio de salvatione fratris, laudantes & glorificantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, sicut dixit illis vir beatus.

CAPUT XXVIII.

UT datur perspici adhuc hodie loci religionem considerantibus & intuentibus etiam in psalmodiis tredecim sedilia cum psalteriis aut auro inpictis, aut alias nobilibus picturis ornatis & secundum veritatem valde correctis habebat. Præterea alias habet illa Sanct. Galli basilica capellas, in quarum uno angulari foribus proximo Beat. vir Notkerus psallere erat solitus. Nempe hic locus est ille, ubi assidue sanctus Domini humilis ac tremulus videns paupertatem suam præstolabatur psallens spiritu & mente, ut intelligeret in via immaculata, quando adveniret ad se in meditatione sua exardesceret, divinus ille ignis, & eloquium suum igniret, quem Dominus misit in terram, cuius habitatio est in Syon & caminus in Iherusalem, id est, in speculativis mentibus, quarum desideria velut scintillæ ad alta, & in carne degentes supra modum vitæ carnalis ambulantes. O quam sæpe in eodem loco vir sanctus lacrimarum imbre infusus roreque cœlesti irrigatus ita, ut ignea eius oratio quasi fumus aromatum, & sicut vapor thuris cum suavi thymiamate redolens ascenderet penetrans cœlos, thurificans altare Dei, ut ipse psallere posset? *dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, & cum Abacuc: *& super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem*, ibi agmina Angelorum ineffabili iubilo collaudant Deum maiestatis trinum & unum. Accidit autem, ut quadam die huic occupationi ita instaret, ut spiritum non relaxaret à continua contemplatione, in tantum, ut ad nonæ sinaxim non veniret, neque eam per se caneret. In illo namque loco cum post completorium clara adhuc die precibus insisteret, videt super se in laquearis interrupti trabibus Diabolum consedisse, & stilo in tabula scribere. Eruperat enim tabulam de laqueari, in qua scribebat, quem cum, quid scelus scriberet, interrogasset: nonam (inquit) quam tu scelus hodie supersederas, scribo. At ille dicto citius *Deus in adiutorium meum intende* prosecutus & cætera, videt iterum Diabolum manu celerrima, quod scripserat, planasse. Cumque ad preces sinaxis se vir Domini prosterneret, tabulam laquearis disrupti, in qua Diabolus scribebat, super eum deiecit. At vir sanctus videns ut ictum declinaret, citius à loco resiliit. Cachinnans ergo Sathanas; hoc tantum, inquit, ut mihi assurgeres, effeci. Enim vero, ait & Notkerus, si tu, ut nuper caninus, vel porcinus fueris, iterum tecum habeo operari. Statim cum evanuisset fugiens, fratres aliqui in extremis templi orantes sonum tabulæ vocesque audientes mirati quid esset citi aderant. Videntes igitur eum, ut solebat, prostratum, nolebant illum, eo etiam, quod incompetens hora erat, impedire: tamen Tuotilo unus ex ipsis signo dato amice illum evocans foras silenter in aurem: magnas, inquit, inquietudines tu & Dæmones tui fratribus facere soletis. Cui ille: audierant ne, anime mi, fratres omnia? non omnia, inquit, sed mihi velim, quæ hæc turba fuerit, per singulas pendas. Itaque cum id vir Domini abnueret, & ab eo concitus tabulam, quæ ibi cecidit, subtraheret, alii qui viderant, in latebris orantes totum, ut factum fuerat non celabant. Vere locus iste venerabilior cæteris & sanctior angulis universis, in quo tantus contemplator in tantis se cœlestib. virtutum gymnasiis exercuit, quam occulte autem & subtiliter hoc egerit, breve indicium subiunctum declarabit.

CAPUT XXIX.

KAROLUS Magnus Imperator in tantum dilexit locum Sanct. Galli, & ita familiaris erat fratribus, ut eum non aliter nominarent nisi *noster Karolus*: plus tamen & ampliori dilectionis privilegio nepotem suam amabat, quia sanctientia intelligentiaque & spiritalium disciplinarum virtutumque cœlestium religiositas habundantius inventæ sunt in eo, hoc est, in S. viro Notkero. Nam & auxit locum prædiis vehementer, & firmavit eum regalibus, testamentis & honorib. Erat enim ei vir Domini in spiritalibus semper consiliarius, & ubicumq; eum apprehendere quibat, aut ipsemet accessit ad eum, aut si non, per internuntium de consiliis, eum conveniebat. Contigit vero eum aliquando beato viro litteras dirigere per aliquem, forte ab eo exigens de virtutibus & vitiis aliquas quæstiones enodare, & solutiones earum enucleatius exprimere. Cumque nuntius ad locum venisset, & Dei viro Regis litteras exhibuisset, mansit in loco aliquot diebus. Quadam die tædio victus ibi morandi adiit virum sanctum, invenitque eum in horto eradicantem, evellentem & ejicientem herbas inutiles: radicantem autem, transponentem, plantantem & irrigantem herbas utiles. Intulit nuntius dicens: Sancte pater, quid mandas Domino meo? ad quę ille: ea quæ me vides facere, hæc dic ei & nihil aliud. Reversus ergo nuntius ad Dominū suū nuntiavit ei, quæ vir beatus dixerat: deinde subinfert,

quia

quia invenerit eum in horto eradicantem & eicientem herbas inutiles, & radicantem ac statuentem & irrigantem herbas utiles. Ad quem Imperator respondit: satis mihi dixisti, prudenti viro sufficeret, quia immensa sunt, quæ sanctus Dei mandavit. Puto, quod felix Rex senserit, quia vir Domini ammonuerit eum, ut vitia spiritalia sive carnalia de horto cordis sui eradicaret & eiceret, ut per incrementa gratiarum spiritus virtutes succrescerent: aut forte de Ecclesia Dei, super quam imperium susceperat, erroneos & impios evelleret & extirparet, ut iustorum lucis semita cresceret & dilataretur usque ad perfectum diem. Nec mirum, si vir beatus horti officium libenter agebat irrigando, plantando, eradicando & eiciendo, imitans Dominum per Prophetam dicentem; *Rigabo hortum meum.* Et Osee: *ero quasi ros, Israhel germinabit sicut lilium*, proinde facta est anima iusti quasi hortus irriguus. Et sponsus in Canticis: *Descendit in hortum ad areolas aromatum, ut pascatur in hortis & lilia colligat.* Itaque & à Maria in horto visus idem sponsus æstimatur esse hortulanus. Sic vir sanctus tendens ad fastigium speculativæ vitæ, sicut Aquila intuens & renitens contra claritatem solis, ita oculis interni hominis speculator spiritalis humilitate eximia semetipsum transcendens supra modum excellens divinæ gloriæ pondus contemplans archanum cœleste, tali enim lucta laborabat in Dei horto, ut merito cum Iacob *Israhel*, id est, vir videns Deum possit appellari, huiusmodi vero eruditus vir exercitiis discernebat virtutes à vitiis.

CAPUT XXX.

ORBATUS igitur sociis clarissimus vir Domini Notkerus, quoniam illum Spiritus Sancti vas electissimum nequaquam dubitamus, superstes ipse remansit sanctissimus uterinis in eodem spiritu viduus & orbus. Iam enim processerat in dies plurimos, nec tamen relaxabat spiritum ab optimo incepto propter annorum nimiam gravedinem, sed magis ac magis adhortationibus se ipsum roborans spiritu extendens se in anteriora cogitans illud, quod scriptum est: *quid est homo aut quæ gratia illius? numerus dierum eius ut multum centum anni: quasi gutta maris, & sicut calculus harenæ sic exigui in die ævi deputati sunt.* Sedebat namque in loco suo solus quietus velut sapiens in omnibus metuebat, & ideo media nocte præanticipans vigilias semper præparabat se ad orationem, dicens cum Propheta: *Anima mea desideravit te in nocte sed in spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Quamvis nemo sciat, utrum amore an odio dignus sit, tamen super custodiam suam vir sanctus stans jugiter confidenter præsumens de spiritu, qui eum ab infantia suis charismatibus illibaverat. Etsi vinum & musica lætificant cor, & tibia & psalterium suavem faciunt melodiam, quanto magis amor sapientiæ, cuius eloquia, id est Christi, quem dilexit homo sanctus & iustus, & dulciora faucibus suis super mel & favum, & custodivit ea ab utero matris suæ. Non enim privabit eum Dominus virtutum, qui sic in innocentia ambulat sperando in eum. Contulit vero illi Dominus gratiam ad merita, ut mereretur in sua conversatione adipisci gloriam & consortium sanctorum, quorum ampliavit laudem in sancta Ecclesia in conspectu filiorum hominum, ut omnis populus Christianus properaret & caderet in faciem suam adorare Dominum Christum. Propterea vir spiritalis sine intermissione fudit preces excelso Deo omnipotenti, & iteravit orationem suam, ut Dominus multiplicaret psallentes vocibus suis, ut in cœlum resonaret sonus Spiritus Sancti gratia auctus, omni dulcedinis suavitate plenus. Ideoque digne memoria eius in compositione odoris sanctæ ecclesiæ facti opus pigmentarii id est ut nō fraudetur virtutum eius meritis & precibus, sed more omnium laudetur nomen Notkeri in eo qui fecit eum & quasi mel indulcetur eius recordatio, & ut musica in convivio vini quod germinat virgines, id est ut eius castitatis exemplo arduæque continentis vitæ plures erudiantur. Nunc de transitu eius, quia modica scimus, scita citius explicabimus.

CAPUT XXXI.

*In Marg. MS. Dicunt hoc fecisse Abbatem Augiensem nomine Ruthmannū ob invidiam sicut in libro Casuū monasterii plenius scriptum habetur.

ZElo nimio zelatus est Magnus Imperator Otto primus propter disciplinam monasteriorum sui imperii: maxime autem cœnobium S. Galli, quod præ omnibus diligebat. Venerāt aliqui spiritu nequam inflati æmulantes non bene fratribus S. Galli detrahentes * accusabant eos apud Imperatorem, qui valde turbatus & commotus misit sedecim principes visitare locū, octo Episcopos & octo Abbates. Accedentes vero ad locum nihil tale reperunt, qualis fuit accusatio. Tot ergo magni consilii Angeli cū nil emendabile ibi invenissent, orationib. fratrū se cōmendātes reversi sunt ad Regē dicentes, quoniam si iustus ipse sibi est lex, magis regulares in vestro regno Monachos non habetis. Nā ipsorum aliqui educati ibi erant & nutriti in scientia & disciplina. Quibus adhuc incredulus Cæsar misit alium quendam hypocritam Monachū de Colonia nomine Sandratum, qui crapulosus, bibulus ac lubricus se ipsum confundēs furtive fugiens à loco abscessit. Tunc Abbas militem suū mittit ad Curiam cū litteris sic scriptis: *Moveat Maiestatis vestræ pietatem tam indiscreta varietas molestiarum ac diversorum hominum inepta molimina, quæ perpessus sum cum fratrib. per aliquod tempus.* Audiens ergo Imperat. pœnitentia ductus accitoq; Reginæ consilio Ekhardo, qui semper in curia erat, Monacho S. Galli; scribe Notkero Abbati tuo, ait, & suis non meā tantū illis sed & illorū mihi quia cōmoti sunt gratiā.

Et

Etsi eos contristavi inscius, propter invictam illorum mei causa patientiam eos si vixero sciens lætificabo, adventumque nostrum in Maio Deo donante ad eos futurum, & vulnera quibus à perversis seductus eos læsi sanaturum. Disposuerant enim ire Romam ambo pater & filius. Miles vero Abbatis hilariter dimissus boni nuntij gerulus omnes S. Galli viros lætificans adventum Regum denuntians eorumque verbis eis edixerat, ut quoniam ipsi jam experti sunt quod bene quidem vellent, posthac viverent quocumque modo mallent. Neq; enim jam ultra ullum eis detrahentem audituros aut hypocritam spondet immissuros. Parantur in adventum illorum multimodæ laudum dictatarum melodiæ: cæterarum rerũ copiosa inpendia. Veniunt autem ad locum in vigilia Ascensionis & suscipiuntur honore quo decuit. Otto itaque Magnus à fratre Brunone Coloniæ Archiepiscopo sinistra ductus, dextera baculo fultus: filio autem matrem ducente, longe ipse præ aliis quasi Leo præ bestiis. Fratre manu osculata decedente solus in medio stans, fratribus hinc inde ad laudes in lateribus ecclesiæ directim statutis, quasi statua constitit, oculisque grandibus in fratres hinc inde circumversatis, quam antea noverat, si adhuc maneat, disciplinam probans baculum sibi decidere sivit. Cuonone vero Duce Meranio genero ejus accurrente baculum ei timorate restituente stare illum jubens ait; Ecce ego disciplinam horum, quam & tu forsitan auditu nosti, temptans baculum mihi decidere sivi, meminisq; illorum caput aut oculos adhoc motos vidi. Dic ergo Adilheidæ meæ & filio versutiam quam feci. Filius namque, qui sæpe facete loqui solitus erat, Cuononi referenti; Miramur, ait, cũ tam firmiter imperium teneat, quod baculus ei deciderit, enim vero quasi leo regna, quæ adhuc cœpit, firmissime tenuit, neque mihi quamvis filio partem vel unam dedit. Deinde post laudes finitas Otto Rex Magnus neminem, nisi quem Notkerus Abbas velit, secum claustrum ingredi edixit, sciens disciplinæ loci constitutum. Postea Decano & aliis primoribus ad oscula vocatis ille dulcis nepos suus Notkerus Balbulus ubi esset, an adhuc viveret interrogat. Nam ille jam tunc ætate grandævus & caligabant oculi ejus, & videre non poterat. Loco autem suo in sedili sedens solitarius & tacens monstratus est Regi. Iubet ergo filio ut ipse sibi adduceret illũ qui mox jussa hilariter complens osculatum eum ad patrem manu duxerat benignum. At pater apprehensum virum sanctum & ipse gaudens osculatus est eum, & sub clamide astrictum multum cõsolatus est illum, dansque ei manum secum duxit in claustrum, ô me, ait Notkerus, felicissimum orbum, qui tantos, quantos nullus unquam cæcus meruit, hodie habeo ductores. In claustro autem residens Imperator juxta se locaverat virum beatum, ibi eum etiam Episcopi & Abbates laici quique & alij majores, quibus sæpe profuit, salutabant, cum multa ædificationum verba haberent ad invicem, benedixit vir sanctus Imperatorem jussitque eum deduci Rex in locum suum. Die autem crastina Otto magnus & filius & Regina habentes colloquium de disciplina & utilitate domus cum Abbate & fratribus commendantes se orationibus eorum abierunt Romam viam multam valde. Romæ igitur relicto consecrato filio Otto magnus à Roma rediens in civitatem suam Magdburgensem, quam ipse ædificaverat, ibique defunctus regio more ut decuit honorifice est sepultus.

Caput XXXII.

Vir itaque sanctus ac spiritalis nimia ætate ingravescente visu luminis carens in loco suo id est in angulo sedens templi egestatem rerum & pauperiem, spiritus sui reputabat habundatiam. Poterat iste sanctus dicere ac si attenuatus corpore, omni desiderio aspirans oculis interioris hominis semper suspiciendo in excelsum gemens intra se; *O quando ingrediar viam universæ carnis, aut quomodo introibo in locũ t. adnu. u. add. Dei! putas si ascendam ad populum accinctum ut requiescam & sim in mansionibus Angelorum, & inter plenitudines sanctorum detentio mea? ô quam beati qui habitant in domo tua Domine, ambulabunt enim in lumine vultus tui & in lumine tuo videbunt illud ineffabile paternum lumen, replebuntur & inebriabuntur ab ubertate dulcedinis tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos, ideoque sitivit anima mea te fontem vitæ, & de mane consurgens fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte.* Siquidem homo Dei, postquam gratiam Spiritus sancti percepit, ab infantia usque ad hanc ætatem ita viriliter pugnabat contra militantem carnem, contra superbiam mundi, ac intrepidus contra Dæmonum terrores, ut numquam mundanæ contagionis aliquid mundum cor suum involaret ad inquinandum, juxta illud evangelicum; *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Contemptum sui & parsimoniam, ut prædiximus, sic amabat ut apte sibi conveniat; *Beati pauperes spiritu quia vestrum est regnum cœlorum.* Ergo merito fiducialiter securus subinfert; *certus sum enim quia neque tribulatio vel angustia neque mors nec vita neque aliqua creatura poterit me separare à caritate Christi,* qui promisit decertanti per os Iohannis in Apocal. dicens; *Vincenti dabo edere de ligno vitæ & manna absconditum, indueturque vestibus albis, & erit colũna in tẽplo meo, & sedere eũ in throno meo faciam, sicut & ego in throno patris mei sedi.*

His & talibus incitamentis aliisque quam pluribus adhortationibus exercitabat & scobebat in meditatione sua spiritum suum à juventute usque ad senium, tandem cum tæderet animam suam vitæ in hoc mundo vano, oravit Deum ut faceret secum signum in bono dicens. *Quoniam magnus es Domine & faciens mirabilia, tu es Deus solus, suavis & mitis & copiosus in misericordia patiens & multæ misericordiæ, ac verax omnibus invocantibus. Auribus*

percipe orationem meam & intende voci deprecationis meæ. Denique misit Deus misericordiam suam,& eripuit eum de seculo nequam,& in medio fratrum suorum sustulit eum tanquam ovem de grege Domini & in intellectibus manuum suarum deduxit eum. Nam febre utique correptus aliquot dies erat languens. Cumq; sentiret diem vocationis suæ adesse & crescente dolore infirmior existeret,convocatis fratribus corā eis munitus est viatico sacrosanctis mysteriis corporis & sanguinis Christi,atq; unctione divini liquaminis illinitus valedicens omnibus benedixit eis & cōmendans eos Deo & sanctis patronis Gallo & Othmaro, seque orationibus eorum cōmendans multis clarus meritis virtutumq; odoribus redimitus in senecta bona plenus dierum beato fine deficiens sanctum tradidit spiritum. Non æstimo aliquem dubitare de tam beati viri anima tot pigmentis laborū suorū insignita,toties flamine sancto ignita,qui Angelorum jubilos docuit ecclesiam Dei,quin in Angelicis carminibus sit evecta ad cælica regna inter psallentium choros & inter catervas electorū monachorum siderea sede considens coronatus affulgeat,& majestatem omnipotentis Dei à facie ad faciē contempletur. Obiit,S. Dei Notkerus vas signatum VI. Idus Aprilis,& appositus est ad patres suos in capite basilicæ S. Iohannis Baptistæ & B. Petri Principis apostolorum, sepultusque est in plaga orientali.

CAPUT XXXIII.

YMNO dicto in obsequio viri Dei super sepulchrum ejus advoluentes lapidem signantes monimentū regressi sunt fratres gemebundi & tristes in oratorium lacrimarum imbribus irrorati,dolentes quod viri sancti corporalem præsentiam amplius habere non oportebat. Heu me proh dolor & proh nefas,ô negligentia,ô ignavia,ô torpor,quod tam plurium annorum circuli revoluti sunt,quod tanta ac talis tam elegans tam lucida tam præelecta ac præclara margarita latuit in retro,& non in ante in diademate reginæ id est in fronte S. Ecclesiæ locata,ut omnibus luceret,qui in ea sunt. Et forsitan aliquis dicet; quare tantæ sanctitatis vir & tam sciolus aliqua non fecit opera doctrinæ suæ,unde sancta ecclesia uberius illuminaretur scientia? aut cur homo eximiæ gratiæ non plura fecerit miracula ? cui ordinate respondendū est. Verū est quia pater sanctus pauca scripsit præter sequentias & alia modica, cantumq; etiam correxit secundum usum juxta exemplaria B. Gregorij,in scholis docuit atque instituit sicut præfati sumus. Sciebat.n. homo Dei quod plures opera plura fecerāt,quos doctiores & sanctiores humiliter sibi prætulit,& quia scientia inflat,sapientia ædificat, caritas illuminat,ideoq; se nullo implicabat negotio ut largius Deo & sibi vacaret,& arrogantiā sive jactantiam liberius declinaret Erat namq; tantæ humilitatis vir ac sibi despectus, ut solummodo laudem non quærens ab nominib. verum etiam quantum in ipso esset nomē suū vellet nesciri in terris propter gloriam quam adeptus est , pro qua multo fervoris desiderio inardescens sæpius flagrabat. Alio modo de signis. Sciendum itaq; est quod multi sunt qui signa faciunt & virtutem signorum non habent:& sunt alij qui virtutem signorum habent , signa tamen non faciunt,sicut legitur in quadam homelia B. Gregorij.& sunt alij plures sanctorum qui signa valenter & habunde faciunt,quibus tamen majores sunt hi qui signa nō faciunt. Fere nulla signa fecerunt Patriarchæ, Prophetæ,exceptis Moyse Helia Iosue & Heliseo. Aut quæ signa fecit sanctiss. ac præcelsa Dei genitrix Virgo æterna? vel ille cui inter natos mulierum nemo major? nulla leguntur signa fecisse quamdiu in hac erant vita Nec ipse Dominus dignoscitur signa fecisse in his triginta annis. Nulla igitur signa leguntur agmina Angelica fecisse,vel dicatur hoc signum fecit ille chorus vel ille,aut Cherubin quoque ac Seraphin,nec aliquis Angelus de ordine alicujus agminis in propria persona, nisi forte Michael vel Raphahel soli aliquod fecerūt,sed tamē eorū in mysterio credimus pene omnia miracula patrari. Sunt etiam nonnulli sanctorum,quorum festa sancta ecclesia valde sollemniter solet celebrare & commemorationem eorum agere,quibus tamen aliqui majores sunt , quorum nulla fit mentio. Vnus vero illorum erat iste S. ac B. Notkerus, quia Christo confixus cruci carnem suam crucifigebat cum vitiis & concupiscentiis,propterea idem Dominus Ihesus Christus summus Pontifex factus cum baculo,id est cruce introiit semel in sancta, ut per sanguinem suum sanctificaret templum ac dedicaret ecclesiæ tripudianti in cœlis,in quo canonicavit festa sanctorum prædictorum celebranda ab Angelicis spiritibus B. Notkeri & aliorum similium,ibi videlicet in sui præsentia in quo templo sedens natheora sede splendet fulgida,& cum eo sanctorum millia. in dextera ejus ignea lex. Et quoniam dilexit eos,in æternum conservabuntur & delectabuntur in multitudine pacis:& quia in pace factus locus eorum,ideo fulgebunt sole splendidius in terra viventium,& regnabunt cum eo in ævum & ultra.

In Marg. MS *Nā ut in Apostolis ipsis plus erat mirabilis virtus operum quam signorum: ita nunc etiam in ecclesia plus est bene vivere quā signa facere.*

CAPUT. XXXIV.

SI quisquam forté invidiæ vel odij face accensus arguet nos de peccato & de justitia, suo judicio derogans nobis verbo Domini dicentis de Heliu ad B. Iob; *quis est iste involuens sententias sermonibus imperitis?* eo quod tantas ac tales auctoritates operi inseruerim. Quicumque ergo ille est,scire debet quod rationis est,quia mystica sanctorum merita, vita & gesta mysticis auctoritatibus sunt exemplanda. Id circo magis me reprehendo & ago pœniten-

tentiam,quod minus dixerim quam exegerint merita & gesta hominis justi. Si quis autem imposuerit nobis falsa finxisse,Deum contestor(credat qui velit)nulla me scripsisse nisi quæ audivi,vidi & legi:alioquin mallem tacuisse.Vnum tamen dico & ideo parcendum est mihi, licet sim illiteratus & indoctus,quoniam non cognovi litteraturam, eo tamen spiritu quo vir Domini habundabat donante introiens in potentias Dei de dextera sedentis in throno & de plenitudine ejusdem spiritus accepi quæ scripsi.Et cum non sim rethor, rethoricæ artis tamen regulam imitatus verarum rerum aut verisimilium adtestatione causam probabilem reddidi,quia auctoritates quas posui,qui oculo rationis discernit & considerat, perooptime agnoscet quam apte textui conveniant & Dei viro congruant.

Caput. XXXV.

DE miraculis B.viri Notkeri quæ post transitum suum ad tumbam ejus meritis ipsius suffragantibus contigerunt,longum esset enarrare quanta vel qualia. Nam à die dispositionis suæ,quo gleba sancta latuit & thesaurus pretiosus est absconditus in terra,plura signa ejus intercessione patrata sunt per ducentorum circiter & eo amplius annorum , ante quos pater sanctus migravit ad Dominum.Sed sicut audivimus ita & vidimus utriusque sexus homines,senes cum junioribus & infantulis,diversarum ægritudinum infortunio laborantes circa sepulchrum sancti viri degentes,orationi instantes,oblationes super sepulchrū offerentes,lumina accendentes,gratiam curationum præstolantes,divinum auxilium flagitantes,denique mox meritis servi sui misit Deus verbum suum & sanavit eos de interitu eorum.Multi etenim eorum tandem sospitate potiti liberati à malis omnibus pristinam sanitatem adepti cum gaudio remearunt ad sua glorificantes & laudantes Deum & servum ejus S.Notkerum.Qui vero omnia ejus miracula vellet scribere,majus volumen fieret quam vita.Etenim plura ab hominibus loci sunt neglecta ac processu temporis oblivioni tradita. Cū ergo signa non sint fidelium sed propter infideles fiant,& aliis odor vitæ in vitam,aliis sint odor mortis in mortem, maxime incredulis & derisoribus, ne arguamur celare gloriam Dei & viri sancti & dicatur nobis hoc Apostolicum:*canes muti non valentes latrare* laudes Domini & virtutes sanctorum ejus , & ne silentio redarguti postea unusquisque nostrorum mœrens & dolens cum Propheta dicat;*Væ mihi quia tacui,quia vir pollutus labiis ego sum*, quanta audivimus & cognovimus miracula facta & patres nostri narraverunt nobis & adhuc aliqui narrabunt in scripto posteris demandamus,quia occultata adhuc sunt à nobis.

EPITAPHIVM AD EIVS TVMVLVM.

Ecce decus patriæ Notkerus dogma sophiæ
Vt mortalis homo conditur hoc tumulo.
Idibus octonis hic carne solutus Aprilis
Cœlis invehitur,carmine suscipitur.

S. FRIDOLINI CONFESSORIS

HISTORIA

ANONYMO SCRIPTORE.



SANCTUS Fridolinus ex Hibernia inferioris Scotiæ oriundus parentum generositate adeo imminebat præclarus,ut quique potentiores ejusdem regni gratularentur in talis cognati affinitate numerari , opum etiam divitiarumque secularium potentia fere præ cunctis in eodem regno degentibus famosus affluebat.Tam etiam nimiæ largitatis exhibitione se hilarem atque lætum omnibus ostendebat , ut non solum ditiores suis pretiosis muneribus semper arriderent,sed pauper quoque gratulabunda fronte suis cottidie elemosynis applauderet. nam utrumque quod conveniebat, largus congruenter erogabat:illorum nimiam cupiditatem mitigando , horum inopiam misericorditer sustentando.Demum Spiritus sancti gratia cœlitus afflatus Deo fidelem famulum exhibere,qui sub hujusmodi seculi negotiis constitutus Diabolo per laicale jus inserviret, aciem mentis de terrenis ad cœlestia suspendit,& aggrediens omnia fere suæ patriæ, & multa circumquaque loca,sanctam ecclesiam in his partibus à gentilitatis ritu segregatam officio firmiter stabilivit Deo.S.Fridolinus cum construeret claustrum sanctimonialium in *Setonis erant duo germani fratres,scilicet Vrso & Landolfus,qui nobilitate & divitiis præpollebat.

*Setonis Seckingen.

Ex quibus Vaso videns sancti Fridolini sanctitatem, partem illarum possessionum, quæ sui erant juris cum consensu fratris sui dicto claustto Sedonis donavit. Et demum Vrso diem suum clausit extremum. Post obitum ejus alter frater hujusmodi possessiones contra justitiam sibi usurpavit. Cum autem S. Fridolinus intelligeret, quod si finem suæ litis habere cuperet, donatorem illarum possessionem in judicio præsentandum esse, ut sic veritas testis illius donationem legitime factam esse comprobaret, hujusmodi sententiam acceptavit. Veniens in Claronam & stans supra sepulchrum Vrsonis aperto sepulchro ipsum ex nomine vocans suscitavit, & apprehendens ipsum per manum suam duxit cum statuto die inde ad sex miliaria in villam, quæ dicitur Ranckvvile ad judicium, ubi Landtgravium præsidentem & suum adversarium invenit. Tunc Vrso suscitatus dixit coram omnibus fratri suo; Frater cur animam meam spoliasti parte possessionis, quæ ad me pertinebat? Respondit: optime frater tibi tuam partem restituam, & meam partem ad idem monasterium in testimonium rei gestæ contradam.

Prædia pro domino dant fratres hæc Fridolino,
Tempore post multo negat alter fratre sepulto.
Suscitat hunc dignus testem ducitque benignus.
Turba timore tremit, Sanctus sua jura redemit.

FINIS.

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI GLOSSÆ

RERVM ET VERBORVM DIFFICILIORVM IN VVALAFRIDVM DE VITA S. GALLI LIB. I. PRÆFAT.



ERRAM, quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, Altimaniam sæpius nominari) De nomine *Alamanniæ* controvertunt Scriptores: & fuere quibus hic ipse locus materiem calumniandi suggereret, quum non sit VValafridi opinio, *Alamanniam ab alto situ* dictam sed eorum, qui *Altimaniam* scribendum contenderent, quos tacite videtur ipse suggillare. VVettinus lib. 1. pro eo dixit *altam Germaniã: Tunc viam, inquit, seu defensionem per altam Germaniam ad Italiam petit.* quo nomine Scribæ Germani hodieque insigniunt nuncupantes eam Ober Teutschlandt. Verum de Alamannia; ne plura hic velis exspectare, singularem libellum instituimus, cujus propediem, εἰ Θεὸς βουλήσει te faciemus participem.

Iuxta Græcam etymologiam Potamicus] Nimirum ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, id est, fluvio. Inepte. Nos veram ejus originem ad Ekkehardum Iuniorem tradidimus.

Francos partes Germaniæ vel Galliæ] *Franciæ* nomen cum Rhætis & Germanis communicatum fuisse, eleganter observavit Ioach. Vidianus lib. 2. Antiquitatum.

Aliquibus metrorum condimentis infundam] Quod etiam præstitit, exstatque liber *S.* Galli in monasterio.

IN CAPUT I.

Columbani, qui & Columba) Cui appellationis diversitati argumenta diximus ad Columbani hujus opuscula quæ vide, si tanti.

Parentes B. Galli secundum sæculum nobiles) In vet. quodam cod. hæc legitur S. Galli Genealogia; *Ista ergo sunt nomina venerabilium virorum, quos aliqui venerabiles Scotti nobis legendo comprobaverunt atque firmaverunt. Fuit ergo in Scotia vir venerabilis nomine Unuchũ, Rex, qui filium generans nomen illi indidit Kethernach. Qui Kethernach regnum patris accipiẽs multa bonitate fulcitus est. Erat namque pauperib. in amminiculum, orphanis in adjutorium, viduis in subsidium. His ergo principalibus virtutibus fulgens in regno, procurante sua optima bonitate genuit filium nimia bonitate pollentem, qui Callech nuncupatus fuerat in eorum lingua, & Latinos Gallus vocitatus Qui Callech patris divitias regnumque refugiens peregrinationem suscipiens in patria Galliarum multas virtutes faciens, ad ultimum in Germaniam veniens nimia sanctitate defunctus est. Si autem alias virtutes ejus scire vis, lege gesta eius, & omnia recognosces.* Hæc ibi de Galli genealogia paterna. Cui hæc subiiciuntur DE BRIGITÆ GENERATIONE; *Fuit namque in ipsa eadem gente Rex nomine Temeri, qui multo tempore obtinens regnum in senectute defunctus est. Cujus filius nomine Tubthac ei succedens in regno accepit uxorem nomine Brocsach, generantesque filiam nomine Brigitam magna sanctitate degentem, quæ licet parva fuerit, tamen valde erat pretiosa. Ipsa namque & S. Gallus de una genealogia Regum fuerant.* Sequitur

quitur Galli genealogia materna; *Fertur, prout à quodam Hybernico ore accepi, quod mater S. Galli Regina fuerit ex Ungaria, & genuit cum viro XXI. filios, & tres filias. Requiescit ejus sacrum corpus in oppido Formalin, in monasterio, S. Benedicti sito in quodam monte, habente ad latera montis torrentes duos: unus vocatur Dun, alius Lin appellatur Super eodem monte situm est oppidum præfatum in Hybernia.*

IN CAP. II.

Consilio suo egit cum fratribus] VVettinus lib. I. de Vita S. Galli; *Igitur cum de remotis partibus mundi arbiter orbis lumen nostratibus refulgere disposuisset, prædictus vir terrena despiciens ac cœlestia quærens cum præfatis fratribus, qui electio quædam Scoticæ gentis erant, relictis habitis cunctis Christum secutus est, patrisque ac matris seu parentillæ cum possessionibus diversis inmemor, ut mereretur in æthris præmio centuplici potiri. Æstimatione etenim cœpta portum Hybernicum linquebant, prosperisque succedentibus auris sinus Britannicos tangebant. Quibus peragratis tandem optata arua Galliæ introierunt, ubi gubernacula regni Sigiberti diversas gentes tunc domuerunt, statimque confidentes in Christi amore Aulam regiminis ejus adierant. Quos benigne suscepit, aptaque omnia cum diligentia illis præparari jussit*, &c.

Heremum, quæ Vosegus dicitur) Idē VVettinus dicto loco; *Quo diffinito ingressi sunt heremum, quem vulgaris opinio nuncupat Vosagum, scrutando servorum Dei habitationibus aptum locum. Tandem ergo repperierunt antiquitus habitationem dirutam, aquarum calore adventantium animos delectantem, quem murorum ædificia antiqua circumdabant, incolæque regionis illius Luxovium eum vocabant.*

Non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum) Idem eodem libro; *Igitur cum per aliquod tempus illic habitassent, aptaque Cœnobialibus præparassent, multi Burgundiorum gentis necnon & Francorum, veniebant ad eos propter desiderium æterni regni, ibique mirum in modum crescebat Regularis vitæ origo, cum fluctivagum mundum linquebat Nobilium multitudo. Christo laus, creverat passim opinio eorum in finibus Galliæ vel Germaniæ. Nam & maturitas vitæ eorum Theodorichum Regem non latuit*, &c.

CAPUT III.

Cur Concubinarum pollueretur amplexibus) Causam etiam hanc affert VVettinus, ne regnum destitueretur legitimo hærede. *Nec non & pro concubinis*, inquit, *quibus indiscrete adherebat, vehementer arguebat: hortando cum potius legitimo conjugio uti, quatenus spes regni in cautela ejus non distitueretur, sed voluntati populi in posterum servaretur. Multa ergo ammonitionibus ejus agebat; sed instigante inimico humani generis mentem Brunnihildæ aviæ suæ, in prostitutionis amissione viri Dei consilium utile renuebat. Nam sicut Iezabel regnum Ahab perdidit, ita & hæc istum decepit, avertendo eum à legitimo conjugio, ac vitam eius lupanaribus damnando, tantum timore honoris ac dignitatis suæ in Palatio Regali, si legitima coniunx versaretur sub sceptro nobili.* &c.

Misit legatorios suos cum epistola) *Legatorius* pro legato, nuncio. Conradus Fabariens. Casuum capit. 8. de Vdalrico Abbate Imperatoris Legato ad Pontificem; *Ac si non legatorie sed possessionaliter locum soli teneret Imperialis.*

Ad Lotharium Regem) VVettino *Clotarium*. Diximus Animadversionibus nostris ad Tyrolem Scotorum Regem.

Ad Agilolfum Regem Langobardorum) VVettinus de Columbano; *Tunc viam seu* * *defensionem per altam Germaniam ad Italiam* * *petit, in qua eodem tempore Egilolfus regnavit.* Theodoro quoque *Egilolfus* dicitur non *Agilolfus*, cap. 5. *Gleit. * a Rege Dagoberto sc.*

IN CAPUT IV.

Venerunt infra partes Alamanniæ ad fluvium qui Lindimacus vocatur) VVettinus; *In qua inquisitione venerunt ad fluvium Lindimacum, quem sequendo adierunt castellum Turegum vocatum, Inde etenim adierunt, villam vulgo vocatam Tuccinia, quæ in capite ipsius laci Tureginensis est sita* Lege, *Tucconia* hodie Tugium, Zug. Nam veteres Alamanni τὸ T. mutare amabant in Z. *Turicinum*, Zürich; *Tabernæ*, Zabern; *Duræ aquæ*, Zurzach / & id genus similia. *Lindimacus*, quem nonnulli *Limagum* dixere, vulgus Limmat. Osvvaldus Myconius epist ad Vadianum; *Scripsit Petrus Falco Eques Auratus & Consul Friburgensis ad me superioribus diebus: & quod audivit me commentarium parare in libellum Glareani nostri, monuit me ex nescio quo authore loci cujusdam, quem, si bene intelligo, Glereanus Toggiam, ipse Tuconiā appellat. Deinde fluminis meminit, cui nomen Ludimaco, an Limagum dicat, mihi incertum. Scribit hæc in vita Divi Galli inveniri: quæ quod mihi deest, indagare nequeo. Rogo in hac re tantum temporis suffureris tibi, an queas aliquid de iis locis reperire, mihique perscribas. Vale. Tiguri, III. KAL. Novemb. Ao. M D. XVIII.* Et vitioso codice usus est Falco, & errat Myconius, qui *Tuconiam* putat eam esse, quam Glareanus *Toggiam* nominat. Cum illa sit ad lacum Tigurinum, hæc ad Alpes Sarunetum, vulgo *Comitatus Toggenburgensis*, die Graffschafft Tockenburg biß ans Sarganser gebirg. Vnde oriundus Huldricus Zuinglius Glareanum imitatus *Toggium* sese scribere quam *Toggenburgensem* maluit.

Nati eorum facile pereant) VVettinus; *Cum ad mediam ætatem perveniunt, stupor ac demen-*

tia eos adprehendant, ita ut alieno aere oppressi ignominiam suam agnoscant conversi: &c. An hæc est Apostolica imprecatio? Certe ea neque Moyses leguntur neque Christus Dei filius usi.

IN CAPUT V.

IN *hac solitudine locus quidam est*) VVettinus; *Quibus peractis didicerunt ab eodem Presbytero civitatem quandam esse dirutam, vicinam illis locis, Pergentiam : cujus terræ pinguedo marisque vicinitas potuissent fieri servi Dei oportunitas.* Quo in loco pro *Pergentiam* legendum est *Pregentiam*, Pregens/ Auctori nostro *Brigantium*.

IN CAP. VI.

O*Ratorium in honore S. Aureliæ constructum*) Belethus De Divin. offic cap. 2. *Sed ignorandum non est, quin oratorium pro ipsa ecclesia interdum accipiatur, atque etiam quivis locus alius adorandum constitutus, vocetur oratorium: cujusmodi in suis Cœnobiis sibi statuerunt Monachi.* Vgutio Gloss. *Oratorium, locus orandi, tantum orationi consecratus.* Videndus auctor Speculi Clericorum, quod Augustini nomine vulgo circumfertur.

Tantam piscium copiam &c.) VVettinus; *Inter quos electus Dei Gallus squammigero gregi insidias componens fratres sæpe Christo largiente lætificabat, cum illis apta diligenter præbebat.*

IN CAPUT. XI.

I*NTEREA descendens ursus*) Conformis est huic ursus S. Eutichij Abbatis, pecoris custos & arbiter, apud Gregorium M. in Dialog. Nec abit leo ille, qui de manu Anachoretæ palmulas comedisse à Sulpitio Severo memoratur Dialogo de Patribus Orientis. Sed & lupa ab eodem propemodum religiosa refertur &c. & cum Heremita quodam Ægyptio sæpicule comitasse. Similiter leæna, quæ catulos recens editos Anachoretæ pedibus, ut visum ejus virtute caperent, apposuit. In Vitis quoque Patrum legitur D. Hieronymum leo accessisse, cujus pedi vulnerato spinam extraxerit, quem in picturis passim videmus in rei gestæ memoriam ei affingi. S. Corbiniano quidem ursus paruit, sed in eo divertit à nostro, quod hic beneficus, ille homicida; hic precium pro beneficio, ille pœnas pro scelere abstulit, ut tradunt Otho Frisingens. lib. 5. cap 24. & Aribo Frisingens. in Corbiniani Vita. Dubium quibusdam, vere ne illa, an æmulatione potius profanæ historiæ prodita sint : quando constat mediæ ætatis scriptores palam affingere suis pluscula solitos fuisse, neque hoc studium turpe sed honestum duxisse, si parum compertis atque etiam excogitatis religionem commendarent ac facerent admirabilem. Ego vero ut neque omnibus miraculis tribuo, ita tam sanctorum virorum fidem forcillare aut insuper habere præter religionem existimo.

IN CAPUT XII.

D*E quodam monte, qui Himilinberg dicitur*) *Mons Cœlius* nonnumquam à Monachis, interdum *Mons Cœli*, olim Mongelen nunc Mengelen dictus, à quo sortita cognomen familia illa S. Galli von Hummelberg/ olim equestris ordinis, nunc ut pleræque omnes Helvetiorum familiæ nobiles ad plebeios concessit, quæ paucillis abhinc annis cristas rursum erigere conantur.

IN CAPUT XV.

G*Vntzonis Ducis*) sc. Alamanniæ seu Sueviæ; auctoris illorum nummorum qui hodieque à Suevis vocantur Güntzenpfenning/ de quibus in libro De nummis Germanorum vetustis.

Ad Iburningas villam) In dextro litore lacus Pontamici, tum Alamanniæ ac Sueviæ Ducum sedes, nunc libera Imperij Romani urbs, Vberlingen.

Ad Regem Sigibertum Theodorici filium) Supra dixit *Theodebertum*. Vide Glossas in Ratpertum.

IN CAPUT XVII.

D*Vcis missum*) Legatum, nuntium, quem supra cap. 3. vocavit *legatorium*. Dictus & *Missatitus*, Balbus Catholico; *Missaticus, nuntius qui frequenter mittitur. Missaticum, nuncium quod per missum mandamus.* Ekkehardus Iunior in Casibus Monasterij cap. 11. de legatis Imperatoris; *Vnus ex vobis non est missus vel Episcopus vel Abbas* &c. Vbi *missus* dicitur, qui hodie *Commissarius*. *Missi Cæsarei*, qui ab Imperatore legantur; *Regij*, à Rege; *Ducales*, à Duce; & omnes generaliter alicubi *Potestates*: de quibus omnibus videri potest Ansegisus lib. 2. tit. 28.

IN CAPUT XIX.

P*Ost celeuma celebratum*) Illa verba interposita, *id est carmen navale*, ex margine intextum irrepserunt, illuc releganda unde malum pedem attulerunt. Papias Gloss. *Celeumia, clamor nautarum, sive carmen super mortuos, vel supra lacum.* Poeta Grammaticus :

Editus à nautis clamor celeuma vocatur.

IN CAP. XXV.

A*SSVMPTO Iohanne Episcopo gradum ascendit, eo videlicet pacto, ut ipse quidem ædificationis instrumenta colligeret, Episcopus vero ad utilitatem Barbarorum bene prolata interpretando transfunderet*] ἁμάρτημα μνημονικόν. Nam supra S. Gallum Columbani facit inter-

metepr

pretem. Et cap. 6. scribit; *Columbanus B. Gallo id injunxit officij, ut populum ab errore idolatriæ ad cultum Dei exhortatione salutari revocaret, quia ipse hanc à Domino gratiam meruit, ut non solum Latinæ sed etiam Barbaricæ locutionis cognitionem non parvam haberet.* Cui concinit VVettinus his verbis; *Vir Dei Columbanus jussit Gallo ad populum recitare sermonem, quia ille inter alios eminebat lepore Latinitatis, nec non & idioma illius gentis.*

Qui ergo factum, ut post tot annorum intervalla demum interprete egeret, qui aliorum initio interpres fuerat? Sic est. Scripsit Gallus orationem illam verbis Latinis, commisitque Iohanni Diaconi, ut Alamannice conversam memorieque mandatam electus Episcopus recitaret ad populum. Ea nuper eruta, ab Henr. Canisio IC. in lucem est protracta.

In Caput XXVIII.

DVOSQVE *illum insequi lutros*] *Luter* VValafrido, quæ Plinio *lutra*, Varroni *lytra*, canicula fluviatilis, quam Alamanni ablata litera *l.* & *u.* mutata in *o.* vocant oter.

In Lib. II. Caput I.

VENIT *Otvvinus partium earundem potestate præditus*] Stumpfius id factum existimat Anno Dom. 658. quum Grimoaldus Maior domus Dagobertum Sigiberti filiolum in Scotiam trusit, quo ejus in loco natum suum Childebertum Austraiis daret Regem. Quam rem ægre ferens Clodovæus Sigiberti frater adversus eum cum exercitu misit Eichenbaldum suæ Majorem domus, qui Childebertum prælio victum interemit; Grimoaldum captum Parisios in perpetuos carceres legavit. Secundum quam victoriam ille, quem dixi, Stumpfius autumat Alamanniæ pagos Tygurinum & Turgovium ab Erchanbaldo devastatos, & Sancti Galli Cellam prædæ militum expositam Nec longe disconveniunt tempora. Nam si B. Columbani obitum in A. D. 643. cum Guillimanno nostro sagacissimi ingenij viro collucemus, invitis licet & negantibus Sigeberto, Mariano & Herimanno Chronographis, *decimo vero anno* post *defunctus est B. Gallus*, ut Theodorus ejus discipulus memoriæ prodidit lib. 1. capit. ultim. & triennio abinde invasum monasterium, ut idem Theodorus scribit capit. 7. probe constaret numerus, si pro *triennio* apud Theodorum legeretur *quinquennio*. Verum circumstantias dum egomet mecum perpendo, parum ab ejus opinione facere comperio. Quia si Bosoni successit Ernfridus anno, ut Herimannus scribit & ipse cõfirmat, 736. qui fieri potuit, ut impressio illa Bosone Episcopo contingeret, cujus inter obitum & vastationem illam ipsi LXXVIII. anni effluxere? Etenim ut tamdiu Boso supervixerit, haut mihi videtur vero consentaneum. Tum deinde Erchanaldus ille, qui & Erbovaldus, Major domus Regiæ, quæ tum dignitas ab Rege secunda, fuisse perhibetur: noster vero iste Erchonaldus Ottvvini Alamanniæ Præsidis vicarius, hoc est, uti ego interpretor, Turgoviæ Comes, quomodo verbis disertis hoc loco scribitur. Et illud nihilo magis possum cõcoquere, quod Ermenricus narrat, Theodorum Campidona pulsum in bello duorum Alamanniæ Ducum Gotefridi & Hueblini ad Cellam S. Galli contendentem offendisse illic S. Othmarum Abbatem jam senem & profectæ ætatis. Nam & Gotefridus longe ante Othmarum Abbatem Alamanniæ præfuit, & Theodorus, ut VValafridus & Ratpertus auctores sunt, cum Columbano & Gallo in Alamanniã pervenit, quod factum Herimannus narrat A. D. 612. Othmarus autem anno demum 720. ad Abbatiam pervenit, quo temporis intervallo anni computantur CXVII. ut ponam ad compendium, quod Herimannus scribit, Othmarum XL. annos Cœnobium rexisse. Vadianus existimat, irruptionem illam in Cellam S. factam fuisse tempore Caroli Martelli, qui Alamannos rebellantes coercuit. Cui repugnat series narrationis à VValafrido institutæ. Et profecto in temporum & Regum discriminibus magis turbidi sunt isti scriptores, quam cœnum quando pluit. Nec super hoc Otvvino quidquam ab aliis traditum, quam quod narrat Felix Fabri Hist. Suevor. lib. 1. cap. 19. *In antiquis Sanctorum historiis sepe legimus de Ducibus quibusdam Sueviæ, quorum quidem nomina propria ponuntur, sed non cujus generationis & nobilitatis fuerint, ut in Legenda S. Galli ponitur Otvvinus pessimus fuisse Suevorum Dux.*

Species, quas inibi reperit) *Species*, pro bonis, fortunis & omnib. quarumque rerum substantiis. Burckhardus Casuum cap. 1. *Gypsi atque auri speciebus convenienter auctam auro & coloribus ornaverat.*

Pollinctores infesti cœperunt fodere) *Pollinctor* ait Vgutio, *sepultor mortuorum, quasi pollutorum unctor, id est cadaverum cremator* νεκροθάπτ..ς. videndus Fulgentius Placiades ad Chalcidium. Vetus Interpres Ezechiel. 39. *Donec sepeliant eum pollinctores.* Hoc loco *Pollinctores* sunt τυμβωρύχοι, λωποδύται νεκρῶν, qui & *Bustifragi* Papias Gloss. *Bustifragus, qui frangit bustum, id est sepulchrum ut spoliet mortuũ.* Dicuntur & *Vespiliones* qui & ipsi proprie funerum elatores. Vtrumq; vocabulum à nequitia id genus hominum, qui nec à sepulchris effringendis temperant, & ubi occasio offertur, more militis illius Plautini harpax faciunt. Lexic. Græco Lat. Τυμβωρύχος, *sepulchri violator, vispiliator* Brito Synonym.

Vispilio quasi vispolians de jure vocatur.

Balbus Catholico; *Vispilio vel vespilio, raptor, latro, prædo*; *& componitur à violentia & pilo, quia pilum gerat id est telum, ut sic aliis violentiam ingerat, vel vispilio dicitur quasi vispolians* &c. Ibidem; *Latro dicitur vispilio, qui in silvis latet ut expoliet transeuntes*

IN CAPUT III.

POST multum temporis misit Pipinus Majordomus) Vter, Brevis an Crassus. Hunc ait Vadianus, illum autem videtur innuere ipse VValafridus ex ordine narrationis, quem habes capit. 7. 8. & 9. Qui interfecto Bercario Alamannos temporum licentia in solentiores bello attrivisse & suæ subjecisse legitur potestati, circiter An. D. 991. Hujus filius Carolus Martellus, qui & ipse Alamannos rebellantes perdomuit, ut supra memoravimus. *Pro quo mortuo filij ejus, diviso inter se regno Francorum, Majores domus præfuerunt: Carolomannus annis 6. Pipinus annis* 10. ut scribit Herimannus in Chron. & ipse VValafrid. infra c. 11. Hinc uterq; *Maior domus*, uterque *Rex* appellatur, velut ex illis, quæ in testimonium citavimus, capitib. patet. Verum tamen & ipsi *Alamannos rursum rebellare conantes compresserunt*, ut idem Herimannus auctor est A.D. 746. & Carlomanno Ducatus Alamanniæ sortito obvenit, quo in monasterium Cassinum profecto A.D. 747. anno Regni sui sexto, Pipinus regnum solus obtinuit. Et ipso ad plures abeunte A.D. 768. filij ejus Carolus cognomento Magnus & Carolomannus regnum inter se partiuntur, Carolus Franciam, Carlomannus Alamanniam, &c. recturus. Qui quarto regni sui anno defunctus, Carolo solo XLVII. annorum regnum reliquit. Hæc confusius & καθ᾽ ὕστερον πρότερον more sollemni Monachorum narrat VValafridus.

IN CAPUT VII.

Formellam cerei) Wachsförmle/ *formaggio dicera*, circulus cereus. Sic 1. Reg 17 v. 18. *Decem formellas casei*. Septuaginta habent τρυφαλίδες. Gaza apud Aristotelem τρυφαλίδα *formaginem* reddidit, qua voce Franci etiamnum caseum & Itali nominant.

IN CAPUT VIII.

Binchtilone Domino suo] Comite Hegoviensi sub Carolomanno Majoredomus & Duce alamannorum. In Charta LXI. vocatur *Pirahtilo*: in Ephemerd. III. Kal. Mart. *Birhtilo*. Ejus uxor *Liutuiga*, in iisdem Ephemer. VII Kal April. Videtur Birichtilo ejus familiæ fuisse, ex qua Hildegardis Caroli M. conjunx, & Geroldus Baioariæ Dux. Cæterum Comitatus Hegoviensis latius se longiusque tunc extendebat, quam hodie, quippe qui & quatuor illos adjacentes Lantgraviatus sub se compræhenderit, Sulcensis, Nellenburgium Archiducum Austriæ, Kletgovium pariter Sulcensis & Tulingium Marescalci à Pappenheim. Parentem Comitis.

IN CAP. XI.

Vsque ad Carolum) Martellum scilicet.

IN CAPUT XII.

Assumpto retiaculo perrexit ad fluvium) Alibi Monachi nostri Gallum faciunt *hamiotam*, qui & hamis & seta seu (ut Græci vocant) ὁρμῇ pisces captaverit. *Hamiota* verbo usus est Varro, laudante Nonio.

IN CAP. XXV.

Et scrofa facta per eandem viam nesciens remeavit) Leg. *strofa*, στροφῇ reflexu, reversione

IN CAP. XXXV.

Parum, quæ ante altare S. Galli pendebat) φάρον, lampadem, figurate.

IN VVALAFRIDUM DE VITA S. OTHMARI.

PROLOG.

ERGO DIOCTEN) ἐργοδιώκτην, exactorem operis, monitorem. Exod. cap. 3 ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν. Imperite quisquis fuit, qui cooperatorem hic interpretatus est. Simili conformationis ratione *Dioconitas* Latine inflexerunt Ammianus Marcellinus & Capitolinus historici.

IN CAP. IX.

Inflascone paruo servabatur) Flaschen/ ampulla scortea, Isidorus Glos. *Philasca, vas vinarium ex corio*. Balbus Catholico: *Pilasca, vas vinarium corio piloso opertum, & derivatur à pilus*. Latinis veteribus *uter*, Græcis ὄλπη. Scholiastes Theocriti Pharm. ὄλπη κυρίως ἡ δερματίνη λήκυθος. Vulgo vocatur, S. Othmars Lägeln/ aut Krüeglein/ quod in proverbium abiit de rerum affluenti copia atque abundantia.

IN ISONEM DE MIRACULIS S. OTHMARI

LIB. I. CAP. IV.

AMBONEM conscendere) ἄμβωνα. Balbus Catholico: *Ambo, pulpitum, ubi ex ambabus partibus sunt gradus, & idem dicitur Amo, amonis*. Ἄμβων in Concilij Laodicensis can. 15. *Cancelli* Ekkehardo juniori Casuum c. 5. & Durando in Rationali, *Chancel*, Cangel.

IN CAPUT XI.

Inter ascellas) Achsel. Papias Gloss. *Ascella, locus sub brachio dicto, quia ab eis ascellis brachia cillentur, id est moventur.* Itali retinent, & Franci dicunt *aiselle.* Hepidannus lib. 1. c. 25.

IN THEODORVM EREMITAM DE VITA S. MAGNI

LIB. I. CAP. I.

CAPTVRAM *piscium à pastoribus consertam*) *Captura*, naffa vischen. Aliter apud Lucam cap. 5. *in captura piscium quam ceperant*, id est, præhensione.

Vas, quod tiprum vocant) Eadem Ionas Abbas in vita S. Columbani verbis recenset iisdem, ut alter ab altero mutuatus videatur. Vterque autem, & Ionas & Theodorus, Columbani fuere discipuli. Est autem *tiprum* Alamannis brenten / alveus, qui vasis supponitur vinariis, & guttas, quæ stillatim cadunt, excipiat.

Serraculum, quod duciolum vocant) Ionas, *seraculum quod duciculum vocant*, & rectius. id est, σίφωνα, fistulam dolio immissam ad promendum vinum, Zapff. *Seraculam* ab observando vase; *duciculum* quia dicitur, hoc est, extrahitur, cum vinum est promendum.

De sicera) Hieronymus ad Neopotianum; *Sicera est genus potus, quod vinum imitabatur, vel ex frumento, vel pomis, vel ex palmulis, vel ex frugibus decoctum Ex frumento*, ait, id est Cerere, unde *cerevisia* dicta. In Vita S. Machutis: *Tunc puer quid ageret ambigens ad officinam, ubi sicera fiebat, petens à confectore sibi ignem præberi.*

IN LIB. II. CAP. IV.

T*V inimico senioris nostri*) Domini. *Senior*, Italis *signor*, Hispanis *sennor*, Francis *seigneur*, Salomo Constantiensis Episcopus & Abbas S. Galli in Lexico: *Veteres Principes, antiqui Principes, senes, seniores.* Iohan. Garsias Hispanus libr. de Expens. & meliorat. capit. 12. numer. 28. & seq. deducit hanc vocem à Germanis. *Nam ubique*, inquit, *qui Dominus appellatur, is signor à Germanis dictus reperitur.* Sed fallitur. *Iuniores* quidem Junckherrn dicimus, quasi Jungherren: *Seniores* non item Senckherrn. quæ vox ab Romanis ad alias gentes dimanavit. Qua de re alio loco dicetur. tantum exemplis quibusdam glossam nostram confirmabimus. In Appendice Eutropij: *Quadam die, cum quidam milites præfati Principis irent ad S. Paulum, & reverterentur, accidit eos occurrere talibus letaniis. Qui instinctu antiqui hostis in iram versi sunt, & pro fidelitate sui senioris vindictam exercuerunt contra illos* Liutprandus Ticinensis Vita Hadriani II. P. M. *Sancta Romana Ecclesia, cui per te, Petre, tuus senior B. Apostolo Principi Petro cum omni gentis sua regno se tradidit.* Verba sunt Legatorum Pontificis Romani ad Petrum Legatum Michahelis Principis Bulgarorũ Theotmarus Iuvavensis Episcopus epist. ad Ioannẽ P. M. *Quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper debitũ tributũ senioribus nostris Regibus & Principibus eorum solvere respuerunt.* Ibidem: *Progenitores serenissimi seniores nostri Ludovici, videlicet Imperatores & Reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt.* Hincmarus Laudunensis Episcopus libello Purificationis, quem Synodo obtulit: *Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis amodo & deinceps Domino seniori meo Carolo Regi sic fidelis & obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo seniori; & Episcopus per rectum suo Regi esse debet.* In Vita S Findani capit. 1. circa fin. *Tunc senior ejus in proprio monasterio*, &c. In Vita S. Vdalrici Episcopi Augustani à Monacho S Galli perscripta capit. 28. Obliti sumus nostri senioris, id est Domini Episcopi. In Legib Caroli M. cap. 5. articul. 3. *Vt nullus comparet caballum, bovem, & jumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat, qui eum vẽdidit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis est eius senior.* Sic capitur §. 1. De prohib. feud. alienat. & 23. q. 8. cap. 25 sæpe apud Aimoinum, Aldhelmum, Fredegarium in Chronic. & alios. Hinc *senioratus* pro dominio. Beda Presbyter in Vita S. Dunstani: *Iussit eum ablata dignitate etiam omni honore privari, & sibi senioratum, ubi vellet, sine se suisque conquirere.*

IN CAPUT X.

I*PSVM saltum cum marcha*) *Marcham* vocat, quem paulo prius *pagum* dixerat, scilicet *Keltinstein.* Sic in Chartis legimus, *Zuckuriederomarc, Gossouueromarc*, &c. pro marca Zuckuriederiana, marca Gossoviana In quibus nominibus *marca* nihil aliud est quam territorium, districtus, ut nunc appellant: vulgo Alamannorum Gegine. Interdum notat eum locum, quem Germani vocant Marckflecf. quam appellationem retinuit Marck. Bibarach in Franconia.

IN ERMENRICI SVPPLEMENTVM.

CAPUT. XIV.

Q*VÆ in marchis duorum regnorum consistebant*) *Marcha*, termini, limites, March. Regino libr. 5. Chronicor. *Carolus Ratisbonam venit, ibique marchas & fines Baioarium disposuit.* Ruodolphus von Ems in elegantissima paraphrasi veteris Testamenti, quam Bibliandro teste ante annos minimum quingentos conscripsit.

Des

Des Landmarche Bahit an.
Ze dem Gebirge an Caucasas:
Diu ander sunder Marche was
Das rote Meer/dar gat sein strich
Und scheidet in der Marcke sich.

Exstat bis ter in veteri Cantilena de Hildebrando, & apud VVolframum Eschilbachium Henricumque Oftertingium, auctores Heldenbochi pluries. Alamannis hodie Landweeren. Pro marca etiam *margus* reperitur. Sugerius Abbas in Vita Ludouuici Grossi Regis Francor. capit. 1. *Sicut ejusdem Normanniæ Ducatus se porrigit margus regni allimitans quibuscunque poterat modis famosum juvenem nitebatur impugnare.*

IN S. FINDANI VITAM,

CAPUT I. IN FIN.

INDE reversus quendam Nobilem virum in Alamannia adivit, cum quo in clericatu quatuor annis permansit, &c. Tunc senior ejus in proprio monasterio, quod Rinaugia vocatur, eum monachizari fecit anno Dominicæ incarnationis DCCC.) Quis iste nobilis in Alamannia vir, cui pro clerico Findanus? Ego puto VVolfehardum Comitem Kyburgensem fuisse, quem Rhinaugiani Monachi fundatorem Cœnobij sui frequentant. Vt ita de origine hujus Monasterij nihil porro sit, quod multum laboremus. Exsertim namque ait, Dominum ipsum in suo proprio monasterio, hoc est, in suo territorio abs se constructo Monachum eum constituisse. Eadem opera evanescit Hieronymi Gebvvyleri somnium, qui in Epitoma sua scribere non est veritus, Kyburgenses Comites Brisaugia oriundos sedibus suis à Ducibus Zeringanis pulsos in has Helvetiæ oras appulisse, & sub Henrico Imperatore demum castrum illud instaurasse. Indigna Gebvvylero fabula. quum certum sit constetque inter Historicos, castrum illud jam sub Carolo M. munitum & à viris nobilibus cultum atque habitum fuisse. Et sit in ipsis istis Historiis, quas nunc primo vulgamus, mentio VVolonis Comitis Kyburgensis B. Notkeri Balbuli ex sorore nepotis, tempore Caroli Crassi & Arnulphi Impp. apud Ekkehardum Iuniorem capit. 3. & Ekkehardum Minimum in Vita Notkeri capit. 27. Sed id aliorsum pertinet, atque alio loco dicetur.

IN HEPIDANNVM DE VITA S. VVIBORADAE

LIB. I. CAP. V.

TERISTRVM cum omni vittatoria compositione detrahens) Vgutio Gloss. *Teristrum quoddam genus mulieribus vestis subtilis & tritæ, à terendo dictum, vel à tegendo, quia in æstu corpora tegat fœminarum.* Papias Gloss. *Teristra dicta, quod in æstate corpora tegant fœminarum, subtilissima cortina.* Nicolaus Lyranus in illud Genes. capit. 38. *Quæ depositis viduitatis vestibus accepit teristrum, &c.* ait: *Teristrum erat velamen, quo utebantur Palæstinæ mulieres. Alij dicunt, quod teristrum vestis erat tenuis, sicut sunt vela, quæ delicatæ mulieres portant in capitibus suis.* Apud Salom. Proverb 27. ex Septuaginta Vetus Interpres: *Sustulerunt à me theristrum meum custodes murorum.* Vbi Philo Carpathius Græcus Interpres; *Theristrium, quod & theristrum & maphorium appellant, muliebre capitis & faciei est velamentum & operculum colore tinctum, quo fœminæ, æstate præcipue, utuntur* Hieronymus in Esaiam: *θέριστρα nos possumus appellare palliola, quibus obvoluta est Rebecca, & hodie quoque Arabiæ & Mesopotamiæ operiuntur fæminæ: ab eo, quod ἐν θέρει, id est, in æstate & caumate corpora protegant fœminarum.* Videndus Suidas Lexico, Eucherius Lugdunens. Instruction. libr. 2. capit. 10. Isidor. Etymolog. libr. 19. capit. 25.

IN CAPUT XIV.

CVM nesciam de tot talentis hemissèclas vel obolos observare) weder Haller noch Pfanning. *Hemisecla*, dimidium secel sive sicel, quod est quarta pars unciæ apud Græcos & Latinos. *Obolus*, ὀβολός, Alamannis Holler quasi Hoboler/dictum existimat Gelenius. Sed fallit. Namque Haller nobis, ut & Sclavis Halirz/dicitur quasi Halber/id est, semis, ἡμιωβόλιον, qui Hepidanno *hemisecla*, ut fortasse minus conveniat, quod Freherus noster existimavit, Haller dici, quia Hallæ primo signatus fuerit, tamquam *Hallensis*. Nec Pfundthaller notat libram Hallensem, at hallerorum, id est hemisèclarum. Cui enim civitati tribuit Pfundtpfanning? quæ libra Alamannis hodie, præsertim in mulctis, quæ à Magistratu irrogantur, sola in usu: continetque libra hallerorum decem bernas: libra pantingorum, viginti. Pantingus, quem nos Pfanning/pura puta vox est Germanica, decimasexta bernæ pars, apud Constantienses & Scaphusianos. duodecima, apud Palatinos & Rhenanos decimaquarta, dictus à behanden / quod contracte veteribus Pfandten / velut behandting/ quasi tu dicas manualis, ob ejus commoditatem & necessarium atque quotidianum usum. In vet. Glossar. Latino Germ. quod habet noster Freherus. *Nummi percussi*, Silihha durruchslagen/ das ist Pfanting. Eodem pacto, haut scio eadem ratione, Pfandt veteres Germanorum prudentes dici voluerunt quasi behand/sicut *pignus* Latini ICti. dictum prætendunt à pugno, L. 238. §. 1. D. de verbor. significat. Hepidannus pro pantingo dixit *obulum*.

etiam

etiam Burkardus Casuum capit.7. *Neque de vino neque de frumento, neque de aliquibus fructibus ipsis fratribus nostris ad servitium ad pretium unius oboli devenire permisit.* Sed de hemiseclis & obolis plura in libro de nummis Germanorum vetustis.

IN CAP. XX.

BALNEUM *in tyna paratum*) *Tina*, vas grande ligneum tam lavationibus quam condendis vinis paratum, Alamannis Tenne/Germanis Badstande/Weinstande. Usurpata vox Varroni apud Nonium. *Tyna* sive *tyna* (nam utroque modo reperiri auctor est Balbus) Hebræis ligna sunt 3. Reg. 10. Unde sine dubio vas illud apud Latinos suo invenit nomini originem. Et Alamanni quoque ligneum horrei solum Tenn appellant ab eadem radice eruto vocabulo.

IN CAPUT XXVII.

FRIGORETICO *morbo*) Febri, Kaltwee. Balbus Catholico: *Frigores, febres, quæ faciunt homines frigere.* An legend *pyretico morbo? Pyretus*, febris. Evagrius Ponticus Vita Ioannis Monachi, interprete Ruffino: *Unus ex fratribus nostris tertiano pyreto, id est febri, gravissime vexabatur.* Vetustissima historia S. Eugeniæ, interprete eodem, ni fallor, Ruffino: *Quia quartano typo gravissime, & jam per annum & eo amplius vexabatur*, &c. Leg. *quartano pyreto.*

IN LIB. II. CAP. IV.

TRICESIMUM *possidens gradum*) habens annum. Illico: *In gradu sexagesimo à morte inventa est*, id est anno.

IN CAP. VII.

SCHOLARI *sudabat Pierio*) studebat. Balbus Catholico: *Pierius: Musaticus.* Matthæus Vindonicensis in Thobia:

Pierius tadet inservisse stilum

Pierium; Musarum palæstra, schola, ubi Musis opera datur, dictum qua forma *Lycæum*, *Gymnasium*, &c.

IN CAP. IX.

PARTEMQUE *janctina pellis*) Leg. *janthina*, ἰανθίνε. *Ianthina vestis* Plinio libro 21. cap. 6. In Protevangelio Iacobi; τίς νήσεται χρυσὸν ἀμίαντον, τὸν ἴανθον, καὶ τὸ κόκκινον, καὶ βύσσον, καὶ τὴν ἀληθινὴν πορφύραν. Locum adscripsi, ut alibi à me & suppletus pariter & correctus est.

IN EKKEHARDUM DE VITA S. NOTKERI.

CAP. II.

DE *Carolorum genere & sanguine & Saxonum antiquorum*) In Lectionario MS. qui in oppidana Bibliotheca S. Galli asseruatur: *Nam de Karolorum genere & sanguine & antiquorum Saxonum, de quo illo in tempore Ottones Imperatores orti sunt, erat prosapia.* Quod Monachorum commentum alibi à me fusissimis verbis est confutatum, ostensumque Heligoviæ illius Dominos è Comitum à Saxo, qui ex Thuscia, ut Tschudus vult, in Rhætiam profecti sedes in Alpibus fixere, dominiumque suum longe lateque propagavere, familia fuisse. Quæ isthic singula repetere non operæ esse arbitror.

IN CAPUT VVII.

MISIT *eam pro xenio Magno Imperatori Karolo*) Crasso, qui se pariter, ut primus ille, *Magnum* vocitavit, nec non & Calvus ante eum. Observavit id Vadianus lib II. Antiquitat. & nos docemus ad Enhardum.

IN CAPUT XXXI.

CUONONE *Duce Meranio*) Ego, qui hic Ducatus sit, æque cum ignarissimis scio, nisi si *Moravia* sit, quæ adhuc Alamannis Meran. interim Merenland. subsisto.

IN CAPUT XXXIII.

NATHEORA *sede splendet fulgida*) Leg. *Meteora*, Μετεώρῳ, sublimi; cœlesti. Lexic. Græco-Lat. Μετέωρος, ὑψηλος, *sublimis, excelsus.*

FINIS.

INDEX
OBSCURORUM VERBORUM, QUÆ IN LEGE ALAMANNICA ET CHARTIS VETUSTIS OCCURRUNT.

FINIS.

ALAMANNICARUM RERUM

SCRIPTORES ALIQVOT VETERES,

A quibus


ALAMANNIÆ, QVÆ NVNC SVPERIOR GERMANIA AB SVEVIS ET HELVETIIS COLITVR, ANTIQVITATES PLERÆQVE OMNES SVNT TRADITÆ.

Tomus Secundus

CVM ANNOTATIONIBVS ET INDICE.

Ex Bibliothecâ

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI.



FRANCOFVRTI,

Impensis Iohannis Martini Porssii,

M DC LXI.



SYLLABUS

SCRIPTORUM HOC TOMO CONTENTORUM.

ANTI-



ANTIQVITATUM ALAMANNICARUM
PARS I.

Complectens res Seculares sive Politicas, quas Monachi appellant Exteriores.

DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS.

LEX ALAMANNORVM.



Anc legem partim ex consuetudinibus, partim scriptis Alamannorũ legibus Princeps composuit THEODORICVS eo nomine I. FRANCORVM REX, abrogatis iis capitulis, quæ à gentili superstitione & ritu idololatrico contra Christianam religionem ac fidem stare videbantur. Nec contentus hunc agrum occasse, Francorum etiam quoque id est Salicam, & Baioiariorum eodem jussit modo runcari. Quæ postibi à patris nomine *Theodoriciana* dictæ, (quo pacto legum Romanarum Collectanea ab auctore suo *Iustiniana*) ut non minus vere quam eleganter ad Sidonium Apollinarem notavit Ioh. Savaro. Verum quando optimus ille Princeps radices vitiorum gentilium averruncare non potuit, quin repullulascerent in sentes ac spinas, quæ bonum animum iterarunt pungere, malum etiam lædere: ideo HILDEBERTVS II. vestigia Theodorici insistens & ipse nonnullis gentilium errorum adhuc vebreto vestitis obrogare cœpit, non publicavit tamen, haud scio qua de causa. LOTHARIVS demum II. Chilperici filius, postquam non nequa tollere & abrogare ipse quoque instituisset, in Comitiis Regni publicis proposuit & unanimi Procerum consensu promulgavit. Hic est Lotharius, qui nostro MS. *Hlodharius*, in Isidori vetustis codicibus *Chlodharius*, Tandem DAGOBERTVS MAGNVS, Lotharii Filius, Iustinianum Imperatorem æmulatus, studio atque opera Consiliariorum suorum, CLAVDII, CHADOINDI, MAGNI, & AGILOLFI, virorum illustrium ac prudentium, leges illas omnes recognovit, atque superfluis, desuetis, inutilibus, resectis, demptis, mutatis, paternam editionem quibusdam additis accuratius interpolavit. Quæ mihi videtur illa esse, quam Basilius Iohannes Herold basilica cum laude Basileæ bono publico dedit in officina Henricpetrina. In qua & duo illa capitula visuntur, quæ posterior manus membranæ nostræ assuit. Incertum ex Dagoberti ne Repetita lectione, an Caroli Magni Additionibus. Nobis autem placuit Lotharianam, ut vetustiorem, ita integriorem antiquitatis ac puriorem, in hisce Antiquitatibus jam nunc præferre, contendendi operam in aliud tempus prolatantes, quo commentarios in hanc legem, Deo favente, meditati paramus. Interim hæc in præsentiarum ex Isidoro Hispalensi Episcopo obiter, pro instituto nostro, dicta sunto. Ipsa Isidori verba habes in calce legis, è libris Etymologiarum ab studioso uno ex prudentibus asscripta: quæ post in omnes inde veteres membranas sese derivaverunt. Nostræ membranæ, qua usi sumus, lib. 2. meminit Vadianus, præclaro hoc cum elogio: *Exstat Sangalli vetustissimus codex, stylo inculto & barbaro scriptus, qui & Salicam & Ripuariam & Alamannicam continet.* Sed de huius & aliarum legum auctoribus plura in tractatu nostro de Origine Iuris omnium gentium.

CHARTARVM SCRIPTORES.

Ut hos Auctores clarius ac manifestius contemplari possis Lector, visum est operæ pretium, allucere faculam, quæ tibi præeat ad ordinem singulorum ac ornatum conspiciun-

dum. Ea est series Regum, qui Alamanniam tenuere, & Imperatorum, sub queis Chartæ sunt perscriptæ, per annos ætatis & regni distincti in contexta. Et ne sis nescius, à cuius filo ducamur, secuti sumus pleraq; ex parte accuratissimum Historicum, Guillermum de Nangis, Monachum S. Dionysi apud Parisios, qui Francorum Regum res gestas ante hos annos CCC. summa fide atque industria Francice & eleganter instituit. Id apud nos MS. exstat, de Francicæ linguæ antiquitate auro contra carius. Interim tamen negare non possumus, nec ab ipso semper rem acu tangi. Ea de nonnumquam ab eo discessimus, sed parce. Est quippe perdifficile, certi quid in tanta omnium Chronographorum, quot usq; oculis usurpavimus, constituere. Quam quidem rem aut à nemine, aut Chartarum ope auxilio impetrari posse confido. Nobis accurare in subitata hac scriptione non licuit, nec, si otium libuit. Contenti nunc hoc marte. Quid futurum sit, id est, ut Diogenes dicere solebat, ἐν γόνυσι τῶ θεῶ. Porro in ipsa serie observandum est, notas illas CH. & AN. significare chartæ & anni regnorum numeros. Et quia Legem Alamannicam, cuius ipsæ chartæ sunt interpretes, præfigendam censuimus, quid ni pariter præmittamus eius conditores? quorum primus, cuius memoria ad posteros sit delata.

Theodoricus I. Clodionis an potius Clodovæi I. (qui contra Alamannos, invocato salutari IESU CHRISTI nomine, pugnans, primus Regum Francorum in Christianos nomen dedit) filius, Franciæ & Alamanniæ Rex, promulgator Legis Alamannicæ, qui defuncto patre regnum sortitus A. N. C. CCCLXXXXVIIII.

Childebertus II. Sigeberti filius, Franciæ & Alamanniæ, quæ tum ad Burgundiam spectabat, Rex, Alamannicæ Legis Repetitor primus, regnum accessit A. N. C.

Chlotharius II. Chilperici I. filius, Franciæ & Alamanniæ Rex, Alamannicæ Legis Repetitor secundus, regnum accepit A. N. C. DLXXXVIII.

Dagobertus Magnus, superioris Chlotharii filius, Franciæ, Alamanniæ, & Sclavoniæ Rex, cognomento IUSTUS, Alamannicæ Legis Repetitor tertius, successit in regno paterno A. N. C. DCXXXII. tenuit annos 14.

Chlodovæus II. Franciæ & Burgundiæ A. N. C. DCXLVI. regnavit annos 17. etiam in Austrasia post obitum fratris Sigeberti, interfecto Grimoaldo usurpatore regni.

Chlotharius III. A. N. C. DCLXIII. regnavit annos 3.

Theodoricus III. A. N. C. DCLXVI. annum I. Quo deposito & in monasterium detruso eligitur

Childericus II. A. N. C. DCLXVIII. annos XII. Quo interfecto ex monasterio repetitur

Theodoricus III. A. N. C. DCLXXX. annos 14.

Chlodovæus III. A. N. C. DCLXXXXIIII. annos 4.

Childebertus III. pater Dagoberti II. A. N. C. DCLXXXXVIII. annos 18.

Dagobertus II. sive junior, qui in carta *Dacopirtus*, Theodorici. IIII. pater Childeberti superioris filius, A. N. C. DCCXVI.

Plerique omnes Chronographi 4. tantum annos eius Regno tribuunt. Atqui hæc carta anno Regni eius 30. perscripta est? Quid dicemus? An computabimus annos paternos, quibus ille consors regni fuerit, & continuabimus regnum eius usq; ad successionem Theodorici filii? Sed neque ita constabit numerus, etiamsi excludamus Chlotarium & Chilpericum veluti intrusos, quod Monachos illos fecisse putandum foret, si calculus conveniret Etenim ab anno primo Childeberti usq; ad annum primũ Theodorici non reperiuntur quam 29. an, non liquet.

CHLotharius IIII. A. N. C. DCCXX. annos 2.

CHilpericus, qui in charta *Elpericus*, A. N. C. DCCXXII. annos 5. CH 14. sine anno.

Theodoricus IIII. Dagoberti junioris filius, sub tutela Caroli Martelli, A. N. C. DCCXVII annos 15. CH. 56 AN. 15. quo & obiit.

CHildericus III. qui chartis *Ildiricus* & *Hiltrihhus*, cognomento simplex, quum prius David vocaretur, ex monasterio à Carolo Martello Maioredomus ad regnum accersitur A. N. C. DCCXLII. regnavitq; annos 10. ut ex chartis patet, non 9. tantum, ut tradunt vulgus Chronographorum CH. 58. AN. 3. CH 40. AN. 10.

Carlomannus, Martelli filius, Maiordomus & Alamanniæ Dux, regnavit sub CHilderico Rege annos 4 qui monachus factus in Castro Cassino Alamanniæ amministrationẽ fratri Pipino resignavit. CH. 61. AN. 2. CH. 57 sine an. CH. 38. sine an. CH. 39. sine an. CH 58. sine an.

Pipinus Magnus qui & Grossus Martelli filius, Maiordomus & Alamanniæ Dux deturbato & in cœnobium truso CHilderico Rege, regnum Francorum usurpat A. N. C. DCCLI. si Childerico 10. annos inclusive tribuamus. Rexit annos 18. CH. 42. AN. 3 CH 59. AN 8. CH. 69. AN. 10. CH. 43. AN. 10. CH. 77. AN 15. CH. 44 sine anno CH. 60. sine anno.

Carlomannus, Pipini filius, Alamanniæ Rex A. N. C. DCCLXIX, annos 3. CH. 45. AN. 1. CH. 3 AN. 1 Carolus Magnus, Pipini filius, Rex Francorum A. N. C. DCCLXIX. Alamannorum post obitum Carlomanni fratris, DCCLXXII. Romanorum Imperator Augustus, DCCC. Legis Alamannicæ Repetitor quartus & ultimus, rexit & imperavit annos 46. CH. 62. AN. 2. CH. 46. AN. 4. CH. 29. AN. 4. CH. 87. AN. 4 CH. 12. AN. 12. CH. 69. AN. 12. CH. 48. AN. 26.

CH.

CH.49. AN. regni 33 & imperii 2. CH.68. AN.34. CH.47. AN. regni 36. imperii 5. CH 99. AN. regni 38. & imperii 7. CH.15. AN.40. Ex quibus chartis notandus est insignis Chronographorum error, qui Caroli M. inaugurationem Romanam reiiciunt in annum Regni XXXIII. Nati vero Christi DCCCII. quum hæ chartæ, quæ illo ipso tempore scriptæ sunt, expressim XXXI. annum exprimant. Quos ubi ad Regni annos contuleris, reperies à Nato Christo, quos apposuimus, ipsissimos annos.

Pipinus Caroli M. filius, Rex Langobardorũ, & Rhætiæ Curiensis Dux, A.N.C. DCCCVI. CH.15. AN.2.

HLudovicus Pius Caroli M. filius, Imperator Augustus, A.N.C. DCCCXIII. imperavit annos 27 partim cum patre, partim solus, partim cum filiis. CH 81 AN 6. CH.50. AN.12. CH. 51. AN 15. CH.65 AN 16. CH.64 AN. 24 CH 30, sine anno. Sub eodem scriptæ sunt CH.90. & 95. sine anno & Imperatore.

HLotharius, Hludovici Pii F. Augustus, à patre consors imperii factus A. N. C. DCCCXXII. ut clarissime patet ex CH.65. Nam si pater ad imperium (ut paulo ante memoravimus chartarum auctoritate ac fide freti) anno DCCCXIII. pervenit: HLotharius autem anno imperii eius 9. ad societatem accitus, belle constabit noster numerus. Imperavit annos 15.

HLudovicus junior Germaniæ seu Franciæ Orientalis Rex, Pii filius, cum patre communes regni habenas capessit A.N.C. DCCCXXXII. Id uti esse credam, movet me Theothartus in charta 64. Gubernavit annos 44. CH 56 AN.3. CH.87. AN 4. CH 64. AN 5. CH.83. AN 5. CH.70. AN 10. CH 71. AN.12. CH.31. AN.14. CH 1 AN.15. CH.26. AN 15. CH.63 AN 15. CH.8. AN.17. CH.22. AN.18. CH.52. AN.19. CH.72. AN.19. CH 5. AN.22. CH 54. AN.24. CH.18. AN.28. CH 55. AN.29. CH 23. AN.31. CH.32 AN.31. CH.57. AN.33. CH.74 AN.35. CH.93. AN.35. CH.7 sine anno. Sub eodem scriptæ sunt CH.78. & 91. sine an. & Imperatore. Moritur An. DCCCLXXVI. verissime computavit Hepidannus in Annalibus, à quo Pius etiam ab Albrico Presbytero chart. 74. similiter ut pater, cognominatur.

Carolus II. cognomento Crassus, HLudovici superioris filius, Pii nepos, Caroli M. pronepos, Imperator Augustus, Germaniæ gubernacula suscepit A.N.C. DCCCXXVII. tenuit annos 12. Ab Alamannis sive Germanis Secundus recensetur, quia Calvus, etiamsi nomen Imperii affectavit, impetrata jam à Pontifice Romano benedictione, nihil juris tamen in Alamannia obtinuit, à Carlomanno Crassi fratre victus ac fugatus, quemadmodum præter alios Otto III. Imperator audacter Pontifici Romano obiicit in Diplomate Silvestro II. Papæ Rom. dato, An. DCCCCXCVIII. quo illi Comitatus quosdam Italiæ concedit exploso Constantinianæ Donationis (ut illius verbo utar) commento, cuius Iohannem Diaconum cognomento Digitorum ostendit esse fictorem. Asservatur id Lutetiæ Parisiorum in Archivis Regiis. Hac ergo de caussa Carolus Calvus à Germanis non reponitur in Imperatoribus. Sub eo scriptæ sunt CH.74 & 93. ante adeptum Imperium. CH.19. AN.2. CH 73. AN.2. CH.79. AN 3. CH.24. AN.5. CH.28. sine anno.

Arnolfus Crassi ex fratre Carlomanno nepos, abrogata Patruo corona, fit Imperator Augustus A.N.C. DCCCLXXXIX. Imperavit annos 11. CH 85. sine anno.

Hludovicus IIII. Arnolfi filius puerulus etiam regno præficitur & imperio A. N. C. DCCCC. Id liquet ex Hepidanni Annalibus, quibus cum faciunt CH 20. AN 3. CH.6. AN.7. CH.75. AN.10. CH 84. AN.13. CH.76. est sine anno. Præfuit annos tot, quot pater illius.

Chuonradus I. Imperator Augustus, A. N.C. DCCCCXI. Imperavit annos 7. CH. 21. AN.3. CH 2. sine anno.

Heinricus I. Auceps qui MS. nostro *Einricus*, Imperator Augustus, A.N.C. DCCCCXVIII. Imperavit annos 18. CH 33. AN 14. CH.13. AN.15.

Otto I Aucupis filius, Imperator Augustus, A. N. C. DCCCCXXXVI. Regnavit annos 42. CH.111. AN.12. Sub eodem scriptæ sunt CH 27. & CH.60. & CH.89 sine anno & Imperatore.

Otto II. superioris filius post obitum patris solus cepit regni habenas, A. N. C. DCCCCLXXVIII. tenuitq; annos 11. chartæ sub eo exaratæ nonnullæ exstant in Bartholomæi Schobingeri p. m. relicta bibliotheca, quarum nullam satis idoneam nancisci potuimus, quæ hic adjiceretur.

Otto III. superioris filius Imperio proponitur, A. N. C. DCCCCLXXXIX. ætatis suæ quarto. Regnat cum matre Theophanu annos 8. solus 11. Hujus nullam chartam vidimus.

Heinricus II. Dux Bavariæ, Imperator Augustus, A. N. C. MVIII. annos 22.

Chuonradus II. Imperator Augustus A. N. C. MXXX. annos 15.

Heinricus III. Chuonradi II. filius, Imperator Augustus, A. N C MXLV. annos 17.

Heinricus IV. superioris filius, Imperator Augustus, A. N. C. MLXII. Vt quidem habent Hepidanni (quos in his posterioribus secuti sumus) Annales: sed aut vehementer fallor, aut falsi sunt numeri. Nam Nortpertus Abbas in CH. 86. Hainrici hujus annum IIII. refert ad annum Dominicæ incarnationis MLXI. Regnum igitur acceperit oportet A. N. C. MLVII. Ex quo restitui porro velim veros annorum numeros cum apud Hepidannum, tum cæteros Chronographos plerosque omnes. Nos digito monstravimus: & jam ad ipsos Auctores properamus.

MADALFREDUS.

Quin Monachus fuerit S. Galli, quamvis professionis suæ nomen (more alioquin solemni) non apposuerit, nihil addubito. Facit ipsemet, quum se ab Rotoco (*Hrotoch* habet exemplar) Præposito Monasterii rogatum testatur chartam conscripsisse. Composuit CH. 1. Anno Dom. 847.

SINTPERTUS MONACHUS S. GALLI.

Scripsit CH. 2. circiter annum Domini 912. sub Cunrado Imperatore.

ALBUINUS CLERICUS.

S. Galli ne an alibi, non habeo exploratum. Scripsit CH. 3. An. Dom. 770.

WILLEHELMUS ABBAS S. GALLI.

Non est ipsus CH. 4. scriptor, sed alius sub eius disciplina ac imperio Monachus. Vixit, Charta teste, A.D. 1288. Videndus Ioachimus Vadianus in Catalogo Abbatum, & Iohann. Stumpfius Chronic. lib. 5.

NANDCRIM MONACHUS.

Ubi? An S. Galli? Atqui hæc acta sunt trans Rhenum Rotwilæ in Hegovia. An Cellæ ad lacum inferiorem? Ita videtur. Nam monasterium illud à Ratpoto Episcopo exstructum suberat Abbati S. Galli, ut disertis verbis hic scribitur. Nisi illud me movet, quod in superscriptione huius chartæ Wolaliuba notitiam istam fecisse dicatur de Nibalgowa. Qui Comitatus est in Rhætia prima inferiore in confinio Veltkirchensis ditionis & Sulcensium Vadutzii Comitum, cui quondam Comites Montfortii, illi qui Lantgraviatum Rancwilanum nomine Imperatoris an Ducis Sueviæ gubernabant, præsedere. Scripsit CH. 5. An. Dom. 857. RICHPERTUS, cuius vicem gessit, videtur fuisse Præpositus Monasterii.

ERNUSTUS CANCELLARIUS LUDOVICI IIII. Imperatoris.

Annus in CH. exprimitur. THEOTMARUS qui fuerit, Abbas an Episcopus, pariter cum ignarissimis scio. *Archicapellanus* tunc temporis dicebatur, qui nunc *Archicancellarius*. Quod officium Archiepiscopi Moguntini sibi suisq; successoribus proprium impetraverunt, auctoritate Caroli IV. in Bulla aurea. Sic Ekkehardus junior de Casibus Monast. in Salomone: *Grimaldo Abbate nostro Archicappellano eius iuvante Capellanus fit Ludovici Regis*, sc. III. qui fuit avus huius nostri Ludovici. Pro *Archicappellano* Notkerus Balbulus scribens Luitwardo Vercellensi Episcopo maluit alterum illud usurpare, ad hunc modum; *Necnon & Archicancellario gloriosissimi Imperatoris Caroli*, sc. Crassi. Ut ita *Cancellarius* & *Capellanus*, *Archicancellarius* & *Archicapellaus* solo nomine videantur differre, quemadmodum ad Ekkehardum juniorem cap. 11. docuimus. *Rotwila* non est Erythropolis, ut imperite reddidit Henr. Glareanus, sed vero Buleuopolis, Raathstatt/quasi βουλευτήριον τῆς βασιλείας. *Rota*, Raath/quæ hodie *Camera*: *Villa*, Statt. Hinc *decisiones Rotæ*, Italis frequentatæ. Et *Rotuli*, Rodel/ ex quibus sententiæ judicum recitabantur, Ciceroni in Verrem lib. 3. *tabulæ publicæ, periculaq; magistratuum*. Legitur etiam pro libello supplice, qui judicibus offeretur: & pro omni cuius cuius generis schedula vel codicillo. Quod quia nemo dum, quod sciam, animadvertit, juvit obiter admonere: simul ut observes antiquitatem Cameræ Rotwilanæ, quæ Spirensem ipsis DCC. annis & amplius superare vel sola hac ex charta depræhenditur.

WATTO DIACONUS S. GALLI.

Sub Grimaldo Abbate & Cunrado Duce Suevorum scripsit CH. 7. & CH. 70. A.D. 842.

THEOTHARDUS PRAEPOSITUS S. GALLI.

Hic per omnes honoris gradus in Monasterio sub Abbate Hartmoto conscendit. Nam adhuc Monachus privatus Notarii officio functus scripsit CH. 8. Ann. Dom 849. ubi nomen *Thiothart* satis arguit doctrinæ etiamnum infantiam: itemq; CH. 64. An. Dom 856. vice COZOLTI DIACONI. Triennio post, id est an. Dom. 859 Præpositus factus scripsit CH. 17. vice REMMINGI PRESBYTERI cuius aliquot chartæ apud Schobingeros exstant. Dein Decanus subscripsit chartæ 74. An. Dom 867 & simul Præpositus An. Dom. 869. subscripsit CH. 18. Et Portarius deniq; An. Dom 879. CH. 73.

ISO MAGISTER ET MONACHUS S. GALLI.

De hoc vide quæ annotavimus Tomi superioris part. 2. An Dom 909 functus est officio Cellarii in Monasterio, quo tempore simul etiam scholis præerat. Scripsit *Formulas scribendi chartas* pro discipulis suis, quas in primo codice Epigrammatum Walafridi Strabi Abbatis Augiensis ipsius Isonis manu scriptas habemus. Sunt vero CH 9. CH. 16. CH. 25. CH. 34. CH. 66. Anno Domini 913. scripsit CH 84.

BERNHARDUS SUBDIACONUS S. GALLI.

Scripsit CH. 11. An. Dom 948. vice Waldonis, quo de infra, sub Cralone Abbate.

ALBOINUS.

Monachus, ut mihi videtur, S. Galli, ſub Iohanne Epiſcopo Conſtantienſi & Abbate S. Galli, Carolo M. Imperatore. Scripſit CH. 12. Anno Dom. 771

VMBERTVS CANONICVS.

Vbi ? Chartas ſcriptas eſſe in Rhætia Curienſi vel ipſa nomina fidem faciunt. An ergo Pugi Collegium Canonicorum? Fere eſt ut autumem. Nam & in vicis antiquitus Collegia extitiſſe, qui poſtea in oppida & civitates excreverint, notius eſt quam ut exemplis demonſtrari debeat. Scripſit CH 33. An. Dom. 932. & CH. 13. An Dom. 933.

MANO DIACONVS.

Quo locorum, non habeo compertum. Videtur in Rhætia prima inferiori, cuius fuit Comes, qui Curiæ domicilium habebat, Richuinus ſub Pipino Rege Italiæ. Scripſit CH. 15. Anno Dom. 808.

RIFINE SVBDIACONVS S. GALLI.

Scripſit A. D. 869. CH. 18. vice FOLCHARDI PRÆPOSITI, ſub Abbate Hartmoto.

B. NOTKERVS BALBVLVS MONACHVS S. GALLI.

De hoc vide Ekkehardum juniorem in Caſibus Monaſterii cap 1. 2. 3. & ſeq. & Ekkehardum Minimum in eius vita. Compoſuit libros complures, quos in Tomo Francico commemoramus. Scripſit CH 52. An. Dom. 851 CH. 72. eodem anno, CH. 57. An Dom. 865. vice WINIDHARDI MONACHI, non illius, cuius ope conſilio baſilica B. Othmari à Gozperto Abbate inſtituta, ut refert Hepidannus A. D. DCCCXXVIIII. Etenim tempora diſcordant. CH. 19. ſcripſit anno Dom. 879. obiit an. Dom 912 ut Hepidannus in Annalib. & Herimannus Contractus in Chron. ſcribunt: homo ſumma ſenectute, & jam ætate pariter ac multis vigiliis cæcus, ut auctor eſt Ekkehardus junior. Scripſit & Notkerus Piperiſgranum Phyſicus aliquantas chartas, quæ apud Schobingeros ſuperant: Balbuli quidem coætaneus, ſed diſcipulus peritia ſcribendi clarus.

RATPERTVS MONACHVS S. GALLI.

Diximus initio Tomi I. Levita etiamnum ſcripſit CH. 24. An. Domini 882. Magiſter Scholæ CH. 20. An. Dom. 902. Nec diu poſt ſenectute confectus obiit.

SIGIBERTVS PRESBYTER S. GALLI.

Scripſit CH. 21. An. Domini 914. vice NORDPERTI, qui & ipſe S. Galli Monachus non incelebris fuit.

HERIMOTVS MONACHVS S. GALLI.

Scripſit CH. 22 Anno Domini 850. Ex literis apparet, notarium fuiſſe non è multis, & ſcribendi peritiſſimum.

RVADGANGVS.

Fuerit ne Monachus, non liquet ex carta. Attamen quando Laici non admittebantur ad hæc officia, veriſimilius eſt fuiſſe. Scripſit CH 23. Anno Domini 863.

VVOLFCOZVS.

Et hic profeſſionis nomen nuſquam expreſſit. Quia vero HARTMOTI, qui DECANUS, & tandem Abbas Monaſterii, vicem geſſit, cauſa non eſt cur ambigamus Monachum & ipſum fuiſſe. Scripſit CH. 83. An Dom. 837. & CH. 26. An. Dom. 847.

ETCHO ARCHIPRESBYTER ET CANONICVS CONſtantienſis.

Ex Illuſtri Turgovienſium quorumdam Comitum familia, auctor atque ſuaſor pacis inter Sanctgallenſes Monachos & Canonicos Conſtantienſes conſtituendæ. Scripſit CH. 28. Anno Domini 879.

VVARINGISVS CANCELLARIVS.

Primus Notarius Monaſterii S. Galli, ſcripſit CH 43 An. Dom. 761 CH 44 & item 67. eodem anno. Poſtea *Cancellarius*, id eſt (ut ſupra docuimus) princeps Scribarum ſeu notariorum factus, ſcripſit CH, 29. An Dom. 773. Et hic omnium primus fuit Monaſterii S. Galli Cancellarius, qui quidem eum ſibi titulum arrogaverit. Nec poſt eum quiſquam à me lectus, qui idem, ſive nolens ſive non auſus, uſurpaverit, uſque tempora Vdalrici Baronis à Saxo, Abbatis magnanimi, qui PRINCIPIS inſignia & appellationem primus à Philippo Imperatore Baſileæ impetravit, cunctaq; inſtituit officia, quæ Principis dignitatem ſequuntur ac decent.

ANDREAS PRESBYTER.

Locus non exprimitur. An Vinnonenſis, qui vicus eſt in Rhætia Curienſi, ubi contractus

iste confirmatus? Certe videtur. Nam & sermonis horrida Barbaries, quæ Romanismum Rhætiæ primæ ad unguem refert, & nomina quoque propria, hominem Rhætum produnt. Sed & Folchuinus emptor Rangvvila ortus in Chartæ dicitur superscriptione. Quæ villa fuit & est in Rhætia prima inferiore, è regione Montisfortis, non procul à Rheno in eius dextero latere, sedes quondam Lantgravii, id est Comitis Provincialis, cuius Comitatus adhuc reliquiæ superant, Iudicium Provinciale, quod illic quotannis celebratur, ut in Gloss. ad Tom.1. diximus. Scripsit CH.30. An.Dom.813.

LAVESO PRESBYTER.

In vico Quaradives Rhætiæ Curiensis. Prout hæ Chartæ scriptæ sunt, video Laicos & homines imperitos, inter se contracturos, fere ad Parochos suos instrumenti conficiendi causa convenisse. Destituebantur enim notariis: cuius artis imperiti tum erant Laici: quippi ex qua soli Sacerdotes & Monachi quæstum aucuparentur. Scripsit CH.31 An.Dom.846.

VVILIMANNVS CLERICVS.

In vico Vinnona Rhætiæ Curiensis, Andreæ Presbyteri successor. Scripsit CH.32. An. Dom.863.

AVDO CLERICVS.

Natione Rhætus, suppresso loci nomine. Scripsit CH.35. De anno nihil certi liquet, nisi quod circiter DCCXX. vixerit.

SILVESTER DIACONVS S. GALLI.

Scripsit CH.36. An.Dom.742. CH.37. An.Dom.744. CH.38. sine anno & Rege.

HIRINGVS MONACHVS ET LECTOR Babinchovensis.

Scripsit CH.39. An.Dom.774. & notabilem CH.58. An.Dom.745.

LANDARIVS PRESBYTER RAVDINLEImensis.

In Rhætia Curiensi inferiore, ut ex principio chartæ colligitur. Scripsit CH.40. Anno Dom.752.

LIVTFREDVS PRESBYTER.

S. Galline an in vico aliquo, non exprimitur. Scripsit CH.42. An Dom.754.

MOATHELMVS CLERICVS.

Scripsit CH.45. Anno Domini 770. Locus Parochialis non exprimitur.

VSALTO DIACONVS S. GALLI.

Natione Thuregiensis, scripsit CH.46 Anno Domini 773.

E M I C H O.

Quis iste fuerit, aut quinam *pagus* (quæ vox districtum seu territorium notat) *Purihinga*, seu (ut in charta 87. scribitur) *Burichincas*, æque cum ignarissimis scio: nisi si in Rhætia Curiensi aliquis sit, quod animus auguratur. Scripsit CH. 47. An. Dom. 805.

ADALHARDVS LECTOR S. GALLI.

Scripsit CH.48. An.Dom.795. *Arguna* (quæ nostrati vulgo Langenargen/) trans lacum Potamicum.

PERNEGARIVS PRESBYTER.

Neq; huius sive monasterium sive Parochia exprimitur. Scripsit CH.49. An.Dom.802.

ATTO CLERICVS AVGVSTANENSIS.

Scripsit CH.50 Anno Domini 825. *Munciacum* an est München/ quod imperiti vocant *Monachium?* Divinet, qui favente utitur Apolline, an Monachium in pago Augustoviano situm fuerit.

RATPERTVS CONZL.

Non queo nec possum divinare, quid sibi velit vocabulum posterius. Ipse Ratbertus Brisgoviensis fuit. Scripsit CH.81. Anno Dom.819. & CH.51. An.Dom.828. in quibus chartis constanter scriptum est *Hratbertus*, sicut in aliis vetustis codicibus *Heabanus*, *Hradulphus*, *Hratherius*, *Hrichardus*, & id genus similia.

B E B O.

Quia testem se vocat in re, quæ Monasterium non obligat, non videtur Monachus fuisse. Exscripsit tantum CH.52. quam Notkerus Balbulus composuit An.Dom.851.

DODO

DODO MONACHVS S. GALLI.

Scripsit CH.53. fine anno & Imperatore. Quæ negliggentia haut raro percepit nostros Monachos. Imperitia ne Legis an inscientia annorum, haut facile dixerim. Certe Lex Alamannorum expressis verbis cavet, *ut scriptura non valeat, in qua annus & dies non ostenditur*, cap. 42. Quod imitatione Iuris Civilis est introductum.

ALBRICVS PRESBYTER S. GALLI.

Primum Diaconus scripsit CH.54. An Dom 864. Deinde Presbyter CH.74. Ann. Dom. 867 sub Hartmoto Abbate. An. Dom. 861. subscripsit CH.55. officio functus Cellerarii, cum Hartmoto adhuc Decano.

ECCHO MONACHVS S. GALLI.

Scripsit CH.55 An. Dom. 861. Fuit & alius in Monasterio ECCHO, qui An. Dom. 909. Æditui, teste CH.75. & An. Dom. 913. Decani officio functus, teste CH 21.

VVARIMBERTVS LEVITA S. GALLI.

Scripsit CH.56. An. Dom. 835. cuius etiam aliæ apud nos exstant chartæ.

AVTVVINGVS LECTOR S. GALLI.

Scripsit CH.59. Anno Dom. 759. sub Iohanne *Pontifice* (id est Episcopo) Constantiensi & Abbate Monasterii S. Galli.

VVALDO DECANVS S. GALLI.

Sub eodem Iohanne Episcopo & Abbate, regnante Pipino Grasso, Martelli filio, Rege Francorum, scripsit CH 60. An. Dom 760. Fuit & alius WALDO, itidem ut ille, DECANVS, sub Ottone I. Imperatore, cuius fit mentio in CH.11. cuiusque vitam perstringit Ekkehardus Iunior in Casibus Monasterii cap. 15.

ATTO DIACONVS S. GALLI.

Ato & *Atto*, sicut *VVato* & *VVatto*, *Hato* & *Hatto*, indiscriminatim reperitur in chartis & vetustis codicibus. Scripsit CH.61. Anno Domini 771.

HADVPERTVS CLERICVS ARGVNENSIS.

Scripsit 62. chartam suæ ipsius traditionis, quam de rebus fecit Haddinvillanis & Argunensibus in Algovia ad lacum Brigantinum, ubi videtur Parochum egisse, An. Dom. 771.

MARCELLVS MONACHVS S. GALLI.

Natione Scotus, *Moengal* initio dictus, ab avunculo Marco Episcopo, qui Roma rediens ad S. Galli conterranei sui Monasterium, illustri eius fama perductus, intervisere voluit, in Monasterio relictus, & ab eius nomine *Marcellus* nuncupatus, ut scribit Ekkehardus Iunior in Casibus cap. 1. & seq. In Schola Claustrali collega fuit Notkeri Balbuli, quum Iso Magister Canonicæ præesset. Scripsit CH.63. An. Dom. 847 exstat penes nos eiusdem Homilia scholastica in Lectionem Evangelicam, quam videtur discipulis suis in schola recitasse.

COZPERTVS DIACONVS S. GALLI.

Scripsit CH.65 (ubi ἀγραμμάτως & ex vulgi Alamannico usu legitur *Cozprebt*) Ann. Dom. 829. Fuit & alius COZPERTUS MONACHUS, qui sub Grimaldo Abbate Camerarius subscripsit CH.78 sine anno, & sub eodem Præpositus Monasterii chart. 72. An. Dom. 851. itemq; CH.73. An. Dom 879. in qua, similiter in superiori 78 scribitur *Cotabertus*. Deniq; sub Salomone Abbate Portarius subscripsit chartæ 75. An. Dom. 909.

VV E N I L O.

Scripsit CH.68. An. Dom. 805. sub Aeginone Episcopo Constantiensi & Werdone Abbate S. Galli. Professionis suæ nomen non expressit, neq; locum contractus. Fuit Bertholdus iste Comes Barensis, qui Comitatus hodie Sulcensium Comitum est possessio.

RVOCO LAICVS LECTOR S. GALLI.

IN Monasterio duûm generum *Presbyteros, Diaconos, Lectores*, &c. fuisse, jam olim observavit Vadianus, quem vide lib. 1. Eorum alios vacabant *Laicos*, alios *Professos*. Illi extra Monasterium in domo separata, sed tamen contigua, habitabant, ab Alamannis appellati Leyenpriester: hi Monachi erant. Ex illo genere fuit Ruodo iste, & quem primo Tomo dedimus, Cunradus Presbyter S. Othmari. Scripsit CH.69. An Dom. 784. sub Iohanne Episcopo & Abbate. Qui signavit *Ægino* sive *Agino* (ut in aliis chartis) *Presbyter*, postea evectus est in Pontificatum Constantiensem, simul invasor atq; incubator Abbatiæ S. Galli eam per vim tenuit, ut scribit Ratpertus de casib. cap. 4.

O T I N E.

Non quidem nomen expressit professionis; fuisse tamen Monachum S. Galli nihil magis ambigo, quam Grimaldum, qui signavit, Abbatem. Numquam enim permisissent Monachi, ut alius messem meteret in suo agro. Scripsit CH.71. Anno Domini 851.

PVRGOLFVS MONACHVS ET SVBDIAconus S. Galli.

Scripsit CH.73. Anno Dom.979 & CH.79. Anno Dom.980. Cunzo & Erphricus, qui has chartas conscribi mandaverunt, ex illustri familia Comitum Montisfortis fuere, sub quorum dominio etiamnum Comitatus Tetinangensis, in proprietate Iohannis Comitis & S. Cæsareæ Majest. Consiliarii, hereditas trium eius filiorum, Hugonis, Hermanni & Iohannis. Vnde stemmatis huius antiquitas debet intelligi, quod ipsos septingentos annos feudatarium fuit Monasterii S. Galli.

RIPERTVS PRESBYTER S. GALLI.

Sive *Richpertus*, scripsit CH.75. Anno Dom.909. Fuit ante eum & alius Richpertus in Monasterio, qui Præpositus subscripsit CH.71. Annno Dom.851. & Sacramentarius CH.18. Anno Dom. 869 *Tuotilinus*, qui nostram hanc chartam signavit, Hospitarius, est Tuotilo ille clarissimæ famæ Monachus, cuius res gestas describit Ekkehardus Iunior, in de Casibus cap. 3. & Ekkehardus Minimus in vita Notkeri.

ABO PRESBYTER ET MONACHVS S. Iohannis.

Apud Sarunetes in Alpium Toggiarum Monasterio, cuius Abbas fuit Emezo istic Scripsit CH.76. Anno Dom.900. *Iohannesvvilare*, vulgo Jonschwil/ in Turgovia superiori situm est, cuius incolæ à nobis Abbatiscellani nominantur. Ex hac autem Charta discimus, Monasterium S. Ioannis inde ab initio sub potestate Abbatis S. Galli exstitisse, cui hodieque manet subjectum, & Abbatis vicem Monachus S. Galli gerit, quem Præpositum nonnulli, quidam Vicarium appellant.

HAMEDEVS CLERICVS NIBALGAVENSIS.

Scripsit CH.77. Anno Dom.766. *ante Gotzpertum Præsidem*, hoc est, Lantgravium, uti supra commemoravimus, qui Ranckwilæ *mallis*, id est judiciis, nomine Imperatoris præsidebat.

RIMIDINGVS PRESBYTER S. GALLI.

Scripsit CH.78. Anno Dom.850. In charta 17. quæ ipsius vicem scripta est à Theothardo Præposito, Anno Dom 859. corrupte (opinor) scribitur *Remmingus*; melius in charta 28. quam anno Dom. 879. signavit, *Rimedingus*.

NOTPERTVS ABBAS S. GALLI.

Scripsit CH.86. Anno Dom 161. super fundatione Ecclesiæ suæ Abbacellanæ. Huius vitam perscripsit Ekkehardus Iunior in Casibus, & Iohannes Stumpfius Chronicor. lib. 5. Videndi Cunradus Fabariensis & Ioach. Vadianus in Catalogis Abbatum.

HVPERTVS PRESBYTER S. GALLI.

Scripsit CH.87. Anno Dom. 773. sub Carolo Magno Imperatore, cuius tamen nomen ab oscitante librario fuit omissum.

VAVCO RHAETVS, CANCELLARIVS.

Vmfredi Comitis Rhætiarum, scripsit CH.99. Anno Dom 807. *in curte ad Campos*, id est, Maienfeldii (quod est oppidum in Rhætia Curiensi) ubi quondam singulis annis in mense Majo sub tiliis in campis apertis missi (placet docendi causa vocem illius ætatis usurpare) Regum Francorum & Imperatorum Romanorum mallos publicos celebrabant. Vnde & nomen invenit oppidum illud. Nam Maienfeld/ Latinis (quorū lingua populus ille tunc utebatur) est, si interpreteris, *Maiicamqus*. Quo nomine ipse quoque conventus annuus *Scabinorum*, sive Iudicium, nonnunquam intelligitur, nisi quod eo in significatu, fere *Magicampus* scribatur. Renmingus Præpositus monstrosius adhuc in Excerptis Chronicis pro conventu Imperiali seu Comitiis usurpat, tralatione à more illo petita. Qua de re in Francicarum rerum Scriptoribus.

Hucusque Scriptores Chartarum & instrumentorum exsecuti sumus: Nunc, qui restant, reliquos Auctores eadem tela pertexamus.

IOACHIMVS VADIANVS, COS. SANCgallensis.

Eius laudes pleno ore decantarunt, Arbogastus Strubius Glaronensis, Conradus Grebelius Tigurinus, Theodorus Beza Vezelius in Epigrammat. Nicolaus Reusnerus in Iconibus: Stumpfius, Keslerus, Bullingerus, in Chronicis: Huldrichus Zuinglius non semel in suis operibus: & passim viri doctissimi quique. Vitam ipsius actam libro primo de Viris illustribus Helvetiorum exsecuti sumus, quos propediem, si vita & otium contigerit, affectos jam dabimus effectos. Interim vide quæ supra Tom. 1. & infra Tom. 3. annotavimus.

RABANUS MAURUS ABBAS FULDENSIS, ET Archiepiscopus Moguntinus.

Vetus & illustris fama de sanctitate, virtute ac eruditione huius Episcopi fines Imperii Romani paragravit, adeo ut vita sanctissime honestissimeque acta eum in Concilio cœlestium collocarit, in astra sublaturi. Res eius divinis laudibus ornarunt, studium præsertim artium & doctrinam, Auctor Annalium Fuldensium locupletius nuper à Frehero nostro editus, A.D. 844. (quem secuti sunt Sigebertus Gemblacensis, Marianus Scotus, Lambertus Schafnaburgensis in Chronicis & Vincentius Belvacensis libr. 25. Speculi cap. 28.) Odilo Abbas Cluniacensi sermone de laude S. Crucis, Trithemius Abbas Spanhaimensis libro de Illustribus viris Germaniæ, & libr. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Iacob. Wimpfelingius in editione librorum de cruce, Ioann. Aventinus lib. 4. Conradus Gesnerus in Bibliotheca, Ioann Balæus de Scriptoribus Angliæ, Arnoldus Wion libr. 5. Cæsar Baronius Tom. 10. Annalium. Historiam eius ex Rudolpho Presbytero, vetusto Scriptore, diligenter & accurate conscripsit idem Trithemius lib. 2. (3. habet Serarius) qui MS. alicubi asservantur; è variis autem & dispersis auctoribus Gaspar Bruschius Catalogis Episcoporum Germaniæ, Petrus Mersæus lib. de Episcopis & Archiepiscopis Germaniæ, Iohannes Latomus Decanus Francofurtensis, Catalogo Episcoporum Moguntinensium, qui apud nos exstat MS. & deniq; Nicolaus Serarius Societatis Moguntinæ Theologus, in Moguntiacar. rer. lib. 6. ubi & opera eius omnia singulatim commemorat, quibus nunc & hos duos per me licebit addas. Vitam humanam reliquit A.D. 756. 6. Cal. Novembr.

WALAFRIDUS STRABUS, ABBAS AUGIENSIS.

RAbani Mauri in monasterio Fuldensi discipulus & auditor, hos duos libellos ex magistri & Doctoris partim ore excepit, partim schedis exscripsit Anno ætatis suæ 18. carmine reddidit *Visionem Wettini Monachi* ab Haltone Episcopo Basiliensi & Consiliario Caroli M. perscriptam, quam, Deo favente, inter Scriptores rerum Francicarum videbimus. Abbas fama ingenii & doctrinæ electus, quum provinciam commendatam pie admodum gubernaret, & ad studia intentum animum tamquam arcum (ut de Appio loquitur Cicero) haberet veluti inutilis, & qui res Monasterii dilabi pateretur, à fratribus pulsus est in exilium, ut non obscure ipsemet scribit in carmine qrodam ad Imperatorem, quod apud nos cum aliis eius epigrammatis exstat MS. Eadem invidia apud Fuldenses laborabat magister eius Rabanus, cui & ipsi Abbatia à fratribus fuit abrogata. Eiectus ita Walafridus (cui ab oculorum vitio Strabi vel Strabonis nomen inditum) Fuldense repetiit Monasterium, ubi sub Rabano tutiorem viveret vitam. Quo in exsilio aut vehementer animi fallor aut Glossam ordinariam, quæ nescio cui *Straboni Anglico* adscribitur, & Annales Fuldenses, quos Utopico *Strabo Fuldensi* tribuit Trithemius, instituit simul & perfecit. Trithemii verba in lib. de Illustribus viris Germaniæ, hæc sunt: *Strabus Monachus Fuldensis, Rabani supra dicti Abbatis quondam discipulus & notarius, vir certe ipse doctissimus, & tam in divinis scripturis quam in secularibus literis ad plenum instructus, Theologus, Philosophus, & Poeta celeberrimus, ingenio promptus & clarus eloquio. Scripsit nonnulla in sacris voluminibus opuscula, quibus memoriam sui posteritati commendavit. Sed pauca eorum ad notitiam meam pervenerunt. Feruntur autem præcipue commentariorum in Genes. lib. 1, in Exodum quoq; lib. 1. in Leviticum lib. 1. & alia multa. Iste Strabus vir studiosissimus, Glossam, quam Magistralem sive Ordinariam vocant, super totam Bibliam primus comportavit ex dictis Sanctorum Patrum: quam alii postmodum adjunctis quibusdam ampliarunt. Claruit sub Ludovico & Lothario Imperatoribus, anno Domini DCCCLX.* Idem de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Strabus Monachus Fuldensis, natione Theutonicus, Rabani Abbatis quondã auditor & scriba, vir in divinis Scripturis eruditus, & in studiis secularium literarum nobiliter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio. Scripsit in sacris voluminibus expositis non pauca opuscula, in quibus se virum doctum exhibens, nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. Imitatus itaq; magistrum suum Rabanum Abbatem scripsit in Genes. l. 1. in Exodum lib. 1. in Leviticum lib. 1. Libri Levitici brevis. & alia multa. Hic denique Strabus Glossam, quæ Ordinaria nunc dicitur, super totam Bibliam ex dictis Sanctorum Patrum primus comportasse memoratur, quam alii multis postmodum adjunctis sententiis Patrum ampliarunt. Claruit sub Ludovico Imperatore, anno Domini* 840. Idem in Chronico Hirsaugiensi, sub anno DCCCXLVII. *Strabus Monachus Fuldensis, Rabani auditor & scriba, iisdem claruit temporibus. Qui multa & varia scripsit, sicut in aliis libris de Scriptoribus editis declaravimus. Hic Fuldensis Monasterii Chronicam inchoavit, quæ per alios succedentes continuata, non parvum nobis in editione hujus operis juvamen præstitit.* Hæc ille. Iohannes Latomus Catalogo Episcoporum Moguntinensium in Regeberto: *Walafridus Strabo Abbas S. Galli hac ætate, id est circa annum* 700. *scripsit ad Regenbertum Patrem, quem hunc Episcopum fuisse puto. Exstat opus Tomo* 4. *Bibliotheca Patrum, de Exordiis & incrementis Rei Ecclesiasticæ*, &c. Nicol. Serarius Moguntiacar. rer. lib. 20. cap. 19. *Sed reclamat annorum ratio: Walafridum enim illum Trithemius, aliique omnes fuisse ajunt Rabani discipulum. At Rabanus multo post hæc Richberti, imo & S. Bonifacii tempora extitit. Quomodo igitur discipulus ante magistrum annis tot fuisset, librosque tam eruditos scripsisset?* In eodem errore, præter illos quos Tomo primo memoravimus, versantur Gesnerus in Bibliotheca, Surius de Probatis Sanctorum vitis Tom. 5. Marginus de la Bigne in Bibliotheca Patrum, Ioh. Iacobus Frisius part. 2. Biblio-

bliothecæ, Ioannes Lælandus Trithemianis verbis hæc subjicit: *Scripsit præterea in Numeros, in libros Regum 4. in Iudith, Hester, Sapientiam, Ecclesiasticum, Hieremiam, Machabæos, Acta Apostolorum, Apocalypsim. Ad Ludovicum Cæsarem lib. 1. De officiis Ecclesiæ lib. 1. Chronicon etiam scripsit lib. 1. in Deuteronomium lib. 1. & alia. Claruit anno Dom.* 840. Hæc ille. Chronicon hoc persuasus aliquando existimavi esse Annales illos Fuldenses sub Rabano Mauro scriptos, quos P. Pithæus primùm, nuper locupletiores Marq. Freherus edidere. Videamus. Nam Trithemii verba ad eam me opinionem perduxerunt. Illud quidem apud me certum exploratumque est, amoenissimum illum *Hortulum*, Grimaldo Abbati nostro inscriptum, qui anno Domini 841. à Hludovico juniore Monasterio præfectus, hujus nostri esse Walafridi, vulgo nescio cujus *Strabi Galli* nomine proscriptus, qui nequicquam in Gallia ab Ioh. Atrociano ejus interprete quæritur. Princeps edidit Ioach. Vadianus cum præfatione, in qua & ipse, quemadmodum communi fama atque sermone accepit, S. Galli Abbatem & civitatis suæ Principem fuisse existimavit. Quem errorem postea certior ex Annalibus factus in Antiquitatum libris emendavit. De qua vulgi fama ita ad me in suis literis Iodocus Metzlerus monasterii Supprior: *Strabo Augiensis idem est cum VValafrido Abbate. VValafridus enim proprium, Strabo autem ab oculorum vitio cognomen est. Eum Trithemius lib. 2. cap. 35. Abbatem S. Galli facit: sed passim ei reclamatur, & merito. Nam illud manifestissime falsum esse, evincitur ex vita S. Galli. Audivi tamen ex eruditioribus aliquibus nostris Patribus, quod ex Decano S Galli Augiæ sit creatus Abbas. Quidquid sit, quia id satis certum non est, temere nihil astruo.* Hæc de Walafrido Strabo eo fusius exsequenda duximus, quo plures hactenus in errorem pellexerunt. Et quæ quatuor usq; ficticiis Strabis tributa, ea unius Walafridi esse tum argumentis & annorum rationibus, tum auctoritate virorum doctorum luculenter (opinor.)

Vt contra si quis sentit, nihil sentiat,

ait in re gemina Volcatius Sedigitus.

RVODEPERTVS MAGISTER ET MONACHVS S. GALLI.

DE hoc præter nomen nihil ad nos pervenit. Nec adeo mihi videbatur scriptor idoneus, qui vel numerum faceret in his Antiquitatibus. Vicit tamen Freheri nostri auctoritas, qui vel sola Alamannicorum verborum expositione delectatus minime respuendum auctorem censuit, Sunt autem formulæ conscribendi epistolas, quas discipulis suis in schola dictavit.

KERO MONACHVS S. GALLI.

INterpretatio hæc non quidem eo ordine perscripta est in vetustissima illa membrana, quæ S. Galli in Bibliotheca D. Magni asservatur, in quem nos eam commodioris usus causa redegimus, sed ἀναλφαβήτως & confusum, ut quæq; vox prima occurrit in Regula, ita explicatur. Scripsit præterea *Confessionem fidei* eodem Alamannico sermone, & brevem *Expositionem in Orationem Dominicam.* Vterq; libellus exstat in Bibliotheca Schobingerorum S. Galli, commendabiliores antiquitate verborum, quam intellectus facilitate. Floruit sub Pipino Caroli M. patre & S. Othmaro Abbate, quando nimirum ex cella S. Galli instituta Abbatia, & oblata D. Benedicti Regula, quam iste videtur barbaris nec linguæ Latinæ admodum peritis Monachis interpretandam suscepisse.

CATALOGVS NOMINVM Alamannicorum.

HVjus Catalogi auctor & collector ignoratur. Quisquis fuit, scribendi simul & pingendi peritissimus fuit. Ea est membranæ elegantia, ea literarum conformis ductio, ea denique picturarum, quibus, ceu sæpimentis areolæ, nominum ordine includuntur, delectabilis varietas. Hic quondam fuit in Monasterii peculio, nunc Schobingerorum est hereditas, haut scio an ab Vadiano relicta. Nam codicem vidisse, ex libro eius secundo potest evinci, ubi de nominibus veterum Alamannorum de industria disserit. Vidit eumdem quoque, integrumque exinde caput confecit Iohan. Stumpfius Chronicor. lib. 4. Quærat autem quispiam, cui bono esse possit, aut quid tandem nomina ita calluisse referat? Multum, mi homo: vel id in primis, ut qui hactenus viri an fœminæ essent, ignorabantur, eos tu nunc queas internoscere. Qua in re sæpe ab Historicis & Antiquariis peccatum. Præterea quum multa non raro nomina ex diversis inflexionibus diversarum quoq; appellationum & originum putarentur, ea nunc paria eademque esse hic te Catalogus docebit. Et hæc de istis.

***

LEX ALAMANNORUM

QVAE TEMPORIBVS HLODHARII REGIS CVM PRINCIPIBVS SVIS, ID SVNT XXX. TRIBVS Episcopis, & XXXIIII. Ducibus, & LXX. Duobus Comitibus vel cætero Populo constituta est.

Capitulum I.

De liberis qui res suas ad Ecclesiam Dei tradunt.



SI quis liber res suas vel semetipsum ad ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei, non Dux, non Comes, nec ulla persona, sed spontanea voluntate liceat Christiano homini Deo servire, & de propriis rebus suis semetipsum redimere. Et qui voluerit, hoc facere, per certam de rebus suis ad ecclesiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & testes VI. vel VII. adhibeat, & nomina eorum ipsa carta contineat, & coram sacerdote, qui ad ecclesiam deservit, super altare ponat, & proprietas de ipsis rebus ad ipsam ecclesiam in perpetuum permaneat. Et si aliqua persona, aut ipse qui dedit, vel aliquis de heredibus eius ipsas res de illa ecclesia abstrahere voluerit, vel aliquis homo qualiscumque persona hoc præsumpserit facere, & effectum quem inchoavit non obtineat, & Dei judicium incurrat & excommunicationem sanctæ Ecclesiæ, & multam quam carta continet persolvat, & res illas ex integro reddat, & fredun in publico solvat, sicut Lex habet.

Capit. II.

De liberis qui res suas ad Ecclesiam Dei tradunt, & in beneficium sub usufructuario accipiunt.

SI quis liber res suas ad ecclesiam dederit, & per cartam firmitatem fecerit, sicut superius dictum est, & posthæc à pastore ecclesiæ per beneficium susceperit ad victualem necessitatem conquerendam diebus vitæ suæ, & quod spondit persolvat ad ecclesiam censum de illa terra, & hoc per epistolam firmitatis fiat, ut post eius discessum ullus de heredibus non contradicat. Et si contigerit, ut post mortem eius, qui dedit illas res, filium relinquat, forsitan ipse filius vult dicere, quod hereditas paterna sibi sit legitima ad possedendum, & pater eius non dedisset nec firmitatem fecisset, non liceat ei jurare, sed ipsa carta quam pater eius fecit præsens veniat, & illi testes qui manus suas in cartam miserunt, una cum Presbitero ecclesiæ, sicut Lex habet, ita testificentur, quod ipsi ad præsens fuissent, & oculis suis vidissent, & auribus audissent, quod pater eius illas res ad ecclesiam dedisset & cartam fecisset, & illos ad testes advocasset, hoc pèr sacramentum dicant; quod nos veri testes sumus. Posthæc pastor ecclesiæ res suas possedeat, & ille præsumptor, qui contradixerat, illam multam quam carta continet ad ecclesiam persolvat. Si autem illa carta aut arserit aut perdita fuerit, quam ille homo fecit, tunc liceat illi heredi cum testibus nominatis quinque ipse sit sextus, in ipsa ecclesia jurare, quod pater eius nec cartam fecisset, nec ad illa loca sancta dedisset, & si hoc præsumpserit facere, illas res possedeat.

Capit. III.

De liberis & servis qui ad Ecclesiam confugiunt.

Si quis homo aliquem persequens fugitivum aut liberum aut servum, & ipse inter januas ecclesiæ confugerit, nullus habeat potestatem per vim abstrahendi de ecclesia, nec eum infra januas ecclesiæ occidendi, sed ex timore Dei honorem ecclesiæ impendat, & sacerdotem ecclesiæ interpellet, pro servo suo roget sibi eum reddere, & donet legitimum vuadium, ut illam culpam illi servo concessam habeat. Tunc ille Presbiter reddat in pace servum domino suo. Si autem Presbiter neglexerit reddere aut contradixerit illum servum apud se illum conteneat & curam de illo habeat, ut ex inde fugitivus non evadat. Et si evaserit, ille Presbiter sine ulla dilatione perquirat & domino restituat: & si ipsum invenire non potueit, similem ipsius, aut pretium pro eo solvat. Si autem vi abstraxerit, & injuriam ecclesiæ fecerit, componat decem & octo solidos ad ecclesiam, & fredum solvat in fiscum sexaginta solidos, quia contra legem fecit & ecclesiis honorem non inpendit, & Dei reverentiam non habuit, & ut alii cognoscant quod sit timor Dei in Christianis & honorem ecclesiis impendant.

CAPIT. IIII.

De liberis qui infra januas Ecclesiæ interfecti fuerint.

Si quis liber liberum infra januas ecclesiæ occiderit, cognoscat se contra Deum injuste fecisse & ecclesiam Dei polluisse, ipse ecclesiæ quam polluit LX. solidos conponat, & fiscus fredum adquirat: parentibus autem legitimum Werigeldum solvat.

CAPIT. V.

De raptoribus qui de Ecclesiis aliquid vi abstraxerint.

Si quis autem raptor ecclesiæ commendatas res alicuius infra januas ecclesiæ vi abstraxerit & tulerit, homini cuius fuerant, sicut Lex habet, ita solvat. injuriam autem ecclesiæ, quam per raptum fecit, decem & octo solid. conponat.

CAPIT. VI.

De liberis qui de Ecclesia aliquid furaverint.

Si qui res ecclesiæ furaverit & convictus fuerit, ut solvatur, unicuique rei quam furavit tres novigeldos solvat, aut servum, aut ancillam, aut bovem, aut caballum, aut qualecumque animal vel ceteras res, quæ ad ecclesiam Dei pertinent. Si post furtum inventus fuerit, ita solvat ut superius scriptum est: si autem negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ ita juret cum suis sacramentalibus in ipso altare, cui res furtivas abstulit, coram sacerdote vel ministro eius quem pastor ecclesiæ jusserit audire sacramentum.

CAPIT. VII.

De liberis qui servum Ecclesiæ occiderunt.

Si quis servum ecclesiæ occiderit, in triplum conponat, sicut solet servus Regis ita solvatur, id est LXV. solid. Et si eum rapuerit contra legem & vendiderit extra provinciam, tripliciter eum conponat. Et si eum furaverit aliquis, in capite semper consimilem restituat, si ipsum invenire potuerit. Alius autem medietatem in auro valente medietatem cum quale pecunia habet solvat.

CAPIT. VIII.

De colonis Ecclesiæ occisis.

Quicumq; liberum ecclesiæ, quem colonum vocant, occiderit, sicut alii Alamanni ita conponatur.

CAPIT. IX.

De eo qui in curte Episcopi armatus ingreditur.

Si quis in curtem Episcopi armatus contra legem intraverit, quod Alamanni haisterahandi dicunt, X. & VIII. solid. conponat: si infra domum intraverit, XXX. & VI. solid. conponat.

CAPIT. X.

De eo qui in Presbiteri curtem armatus ingreditur.

Si autem in Presbiteri curtem, qui in parrochia positus est ab Episcopo, contra legem armatus intraverit, sicut superius diximus, sicut solet aliis Alamannis conponere, ita Presbitero tripliciter conponat.

CAPIT. XI.

De his qui Episcopo aliquam injuriam fecerint.

Si quis Episcopo aliquam injuriam fecerit vel plagaverit vel fustaverit vel mancaverit, omnia tripliciter conponantur, sicut ceteri parentes eius conpositionem habebunt: ac si melius dicamus, sicut & Ducem ita in omnibus eum conponat. Et si occisus fuerit, sicut & illum Ducem ita eum solvat aut Regi aut Duci aut ad Ecclesiam ubi pastor fuit.

CAPIT. XII.

De his qui Presbitero parrochiano injuriam intulerint.

Si quis Presbiterum parrochianum injuriaverit aut fustaverit aut mancaverit, vel qualemcumque ei injuriam tulerit, in triplum conponatur, & si eum occiderit, DC. solid. eum solvat aut ad Ecclesiam ubi servivit, aut ad Episcopum, de cuius parrochia fuit.

CAPIT. XIII.

De his qui Diacono aliquam injuriam fecerint.

Si quis Diacono, qui evangelium coram Episcopo legit & revestitus ante altare officio fungitur, si quis autem ei aliquam injuriam fecerit, vel eum fustaverit, vel plagaverit, vel mancaverit, tripliciter conponatur: & si eum occiderit, CCC. solid. conponat.

CAPIT. XIV.

De his qui Monacho aliquam injuriam intulerint.

Monachus autem, qui ſub regula in monaſterio converſatus fuerit, & ab aliquo aliquas injurias, ſicut ſuperius diximus, paſſus fuerit ita ut Diaconus ſimiliter conponatur.

CAPIT. XV.

De his qui Clerico aliquam injuriam fecerint.

Clerici autem, ſicut ceteri parentes eorum, ita conponanantur. Si autem clericus, qui in gradu in eccleſia publicam lectionem recitat, vel gradale vel alleluja coram Epiſcopo in publico cantaverit, aliquam injuriam paſſus fuerit, ſicut ſuperius diximus conponatur, quomodo parentes eius conponuntur, & teria pars ſuper hæc addatur in conpoſitione.

CAPIT. XVI.

De liberis, qui ad Eccleſiam dimiſſi ſunt, ſi occidantur.

Liberi, qui ad eccleſiam dimiſſi ſunt liberi vel per cartam libertatem acciperunt, ſi occidantur, LXXX. ſolid. ſolvantur eccleſiæ vel filiis eius.

CAPIT. XVII.

De ancilla libera dimiſſa ſi poſtea ſervo ſe conjunxerit, & de Alamanna quæ ſervo nupſerit.

Si ancilla libera dimiſſa fuerit per cartam aut in eccleſia, & poſthæc ſervo nupſerit eccleſiæ, ancilla permaneat. Si autem libera Alamanna ſervo eccleſiæ nupſerit, & ſervile opus ancillæ contradixerit, abſcedat. Si autem ibi filios vel filias generaverit, ipſi ſervi & ancillæ permaneant, poteſtatem ad exeundum non habeant. Illa autem mater eorum, quando exire voluerit, ante tres annos liberam poteſtatem habeat. Si autem tres annos induraverit opus ancillæ, & parentes eius non exadoniaverint eam ut libera fuiſſet nec ante Ducem, nec ante Comitem, nec in publico mallo tranſactis tribus KAL. Marcias, poſthæc ancilla permaneat in perpetuum, & quiqui ex ea nati fuerint ſervi & ancillæ ſint.

CAPIT. XVIII.

Ut nullus laicus rem Eccleſiæ abſque carta præſumat poſſidere.

Res eccleſiæ de laicis abſq; carta nullus præſumat poſſedere, & ſi cartam non oſtenderit quod conparaſſet à paſtore eccleſiæ, poſſeſſio ſemper ad eccleſiam perteneat.

CAPIT. XIX.

Ut presbiter res vel mancipia Eccleſiæ poteſtatem vendendi non habeat.

Nullus Presbiter nec aliquis paſtor Eccleſiæ poteſtatem habeat vendendi eccleſiaſticam terram, niſi contra aliam terram; nec mancipium, niſi alium mancipium reciperit. Et ſi concambium fecerit, aut de mancipio aut de terra, ſemper epiſtulam firmitatis faciat, ut contentio non fiat, nec eccleſia perdat quod legitime poſſedere debeat.

CAPIT. XX.

De his qui Eccleſiæ ſervum aut ancillam ſuſciperint fugitivos.

Si quis mancipium eccleſiæ, aut ſervum aut ancillam, fugitivum ſuſciperit, & poſt requiſitionem aut ipſe Presbiter requirat, aut miſſus eius legitimus, & ille neglexerit reddere & contra legem anteſteterit, ſicut ſolet aliis Alamannis conponere ita & tripliciter conponat, & quicquid eccleſiæ contra legem fecerit omnia tripliciter conponat, ſicut lex habet.

CAPIT. XXI.

Qualiter ſervi Eccleſiæ tributa ſolvere debeant.

Servi enim eccleſiæ tributa ſua legitime reddant quindecim ſiclas de cerviſa, porcum valentem tremiſſe uno, panem modia duo, pullos quinq; ova viginti. [A]ncillæ autem opera inpoſita ſine neglecto faciant, ſervi dimidium ſibi & dimidium in dominico arativum reddant, & ſi ſuper hæc eſt ſicut ſervi eccleſiaſtici ita faciant, tres dies ſibi & tres in dominico.

CAPIT. XXII.

De ſervis Eccleſiaſticis ſi ad Epiſcopum aut ad judicem ſuum venire diſpexerint.

Liberi autem Eccleſiaſtici, quos colonos vocant, omnes ſicut & coloni Regis ita reddant ad eccleſiam. Si quis legitime tributum anteſteterit, per juſſionem judicis ſui ſex ſolidis ſit culpabilis. Et opera quæq; inpoſita ei fuerint, ſecundum mandatum aut quomodo Lex habet ſi non adimpleverit, ſex ſolidis ſit culpabilis. Et ſi ſigillum aut ſignum qualecumq; judex per juſſionem domini ſui tranſmiſerit, & eum venire juſſerit aut ambulare in aliquam utilitatem, & ille neglexerit, ſex ſolidis ſit culpabilis. Si autem ſigillum Epiſcopi neglexerit aut ad veniendum aut ad ambulandum ubi juſſerit, duodecim ſolidis ſit culpabilis.

CAPIT. XXIII.

De eo qui mortem Ducis consiliatus fuerit.

Si aliquis homo mortem Ducis consiliatus fuerit, & inde convictus fuerit, aut vitam perdat aut se redimat, sicut Dux aut Principes populi judicaverint. Et si jurare voluerit, cum duodecim nominatis juret in Ecclesia coram Duce aut quem ille miserit.

CAPIT. XXIV.

De homine qui gentem extraneam infra provinciam invitaverit.

Si homo aliquis gentem extraneam infra provinciam invitaverit, ut ibi prædam vastent hostiliter vel domos incendant, & de hoc convictus fuerit, aut vitam perdat aut in exilium eat ubi Dux miserit, & res eius infiscentur in publico.

CAPIT. XXV.

De his qui in exercitu litem commiserint.

Si quis in exercitu litem commiserit, ita ut cum clamore populus concurrat cum armis, & ibi pugna orta fuerit inter proprium exercitum, & aliqui ibi occisi fuerint, ipse homo qui hæc commisit aut vitam perdat aut in exilium eat, & res eius infiscentur in publico: & illi alii, qui ibi aliquid commiserunt aut fecerunt, omnia sicut Lex habet tripliciter solvant.

CAPIT. XXVI.

De his qui in exercitu aliquod furtum fecerint.

Si quis in exercitu, ubi Rex ordinaverit, aliquod furtum fecerit, novem vicibus novigeldos solvat quicquid involatus fuerit. Si autem Dux exercitum ordinaverit, & in illo fisco aliquid furaverit, tres novigeldos solvat. & si jurare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ juret.

CAPIT. XXVII.

De eo qui Sigillum aut mandatum Ducis neglexerit.

Si quis sigillum Ducis neglexerit aut mandatum vel signum qualecumque quod mandaverit, duodecim solidis sit culpabilis, & si negare voluerit quod ad illum nuntius non pervenisset, cum quinq; nominatis juret, si eum sacramentum Dominus præbere voluerit. Si autem sigillum Comitis neglexerit vel mandatum, cum sex solidis conponat. Si autem centurionis sigillum aut mandatum neglexerit, tribus solidis sit culpabilis: aut si negare voluerit, quod ad illum nuntius non pervenisset, secundum quod debuit solvere ita juret.

CAPIT. XXVIII.

De eo qui in curte ducis hominem occiderit.

Si quis in curte Ducis hominem occiderit aut illic ambulantem aut inde revertentem, triplici vveregeldo eum solvat propter hoc, quod præceptum Ducis transgressus est, ut unusquisque homo pacem habeat ad dominum suum veniendo & de illo revertendo, & nullus præsumat hominem de Duce venientem aut ad illum ambulantem in itinere inquietate, quamvis culpabilis sit. & si præsumpserit, quicquid ei fecerit aut occiderit aut ille vivens evaserit aut placatus fuerit, semper tripliciter conponat. & si ad Comitem perrexerit, & ibi vel occisus vel placatus fuerit, ille qui hoc fecit omnia tripliciter conponat.

CAPIT. XXIX.

De eo qui missum Ducis infra provinciam occiderit.

Si quis missum Ducis iufra provinciam occiderit, tripliciter eum solvat sicut Lex habet. si negare voluerit, quod non fecisset, sicut Lex habet ita juret cum XII. nominatis & aliis XII. electis.

CAPIT. XXX.

De eo qui in curte Regis furtum commiserit.

Si quis in curte Regis furtum alicui fecerit, dupliciter conponat cui furtum fecit, & LX. solid. pro fredo in publico solvat. Si servus alienus hoc in curte Ducis fecerit, dominus eius aut redimat eum quantum valet, aut ipsum reddat.

CAPIT. XXXI

De eo qui res Ducis furaverit.

Si quis de rebus, quæ ad Ducem pertinent, aliquid furatus fuerit, ter novigeldos conponat, & ibi fredum non reddat, quia res dominicæ sunt, & tripliciter conponuntur.

CAPIT. XXXII.

De fœminis quæ in ministerio Ducis sunt.

Si fœminis: quæ in ministerio Ducis sunt, aliquid contra legem factum fuerit, qui hoc

hoc fecerit omnia tripliciter eis conponat, quod aliis Alamannorum fœminis simpliciter conponere debeat.

Capit. XXXIII.

De eo qui præsumpserit infra provinciam res Ducis hostiliter invadere.

Si quis præsumpserit infra provinciam hostiliter res Ducis invadere, & ipsas talare, & posthæc convictus fuerit, quicquid ibi tullutum fuit, mancipia, pecunia, omnia tripliciter restituat, & insuper vveregeldum suum Duci conponat, quia contra legem fecit. Et quanti liberi sunt illum secuti & ibi raptores fuerunt, & inde convicti fuerint, unusquisque LX. solid. Duci conponat, & quicquid ibidem tulit, semper tripliciter restituat.

Capit. XXXIV.

De filio Ducis qui contra patrem suum surrexit.

Si quis Dux habet filium contumacem & malum, qui rebellare conetur contra ipsum patrem suum per stultitiam suam, vel per consilium malorum hominum, qui volunt dissipare provinciam, & hostiliter surrexerit contra Patrem suum dum adhuc Pater eius potens est & utilitatem Regis potest facere, id est exercitum gubernare, equum ascendere, utilitatem Regis implere, & Filius eius eum vult dishonorare aut per raptum regnum eius possedere, non obteneat quod inchovit: & si Pater eius eum vicerit & adpræhendere potuerit, in sua sit potestate, aut exiliet eum de provincia aut ubicumque transmittat eum aut Regi Domino suo, & de hereditate paterna amplius ad eum nihil pertineat, quia inlicitam rem contra patrem suum fecit. Et si fratres habuerit, ipsi fratres inter se per voluntatem Regis dividant hæreditatem Patris eorum: Illi autem, qui rebellavit contra patrem suum, non dent portionem inter ipsos, & si amplius non fuerit nisi ille unus, qui rebellavit, tunc illa hereditas, quam ille Dux habuit, post mortem eius in potestatem Regis sit, cui vult donet, aut illi filio Ducis qui rebellavit, si potuerit per servitium hoc ad pedes Regis conquirere, aut si alii vult dare in sua sit potestate.

Capit. XXXV.

De conventu ut secundum antiquam consuetudinem fiat.

Conventus autem secundum consuetudinem antiquam fiat in omni centena coram Comite aut suo misso & coram Centenario. Ipsum placitum fiat de Sabbato in sabbatum, aut quali die Comis aut Centenarius voluerit, à septem in septem noctes quando pax parva est in provincia. Quando autem melior, post XIIII. noctes fiat conventus in omni centena, sicut superius diximus Et si quis alium mallare vult de qualecumque causa in ipso mallo publico debet mallare ante judicem suum, ut ille judex eum distringat secundum legem, & cum justitia respondeat vicino suo, aut qualiscumque persona eum mallare voluerit. In uno enim placito mallet causam suam: in secundo, si vult jurare, juret secundum constitutam legem. Et in primo mallo spondeat sacramentales & fidejussores prebeat, sicut Lex habet, & vvadium suum donet misso Comitis vel illo Centenario qui præest, ut in constituto die aut legitime juret, aut si culpabilis est conponat, ut per neglectum non evadat & si evaserit LX. solid. de fredo sit semper culpabilis. Ille autem distringat, ut neglectum non fiat, nec pauperes patiantur injuriam, nec sint sine lege, nec maledicant Ducem nec populum terræ, sed in omnibus sit disciplina, ut qui rebelles sunt de malis se abstineant, & qui boni sunt pacem possedeant. Si quis autem liber ad ipsum placitum neglexerit venire, vel semetipsum non præsentavit aut Comiti aut Centenario aut misso Comitis in placito, XII. solid. sit culpabilis, qualiscumque persona sit, aut vassus Ducis aut Comitis, aut qualis persona nemo neglegat ad ipsum placitum venire, ut in ipso placito pauperes conclament causas suas, & quod in uno placito finiri non potuerit, in alio finiatur, ut sine ira Dei sit defensa patria, & illi rebelles qui usque modo raptum fecerunt, amplius potestatem faciendi non habeant. Et si est talis persona, quam Comis in placito vel Centenarius vel missus Comitis distringere non potest, tunc eum Dux legitime distringat, plusque quærat Deo placere quam homini, ut nullum neglectum in animam Ducis requiratur.

Capit. XXXVI.

De mancipiis ne foris provincia vendantur.

Mancipia foris provincia nemo vendat nec in paganos nec in Christianos, nisi jussio Ducis fuerit. Infra provinciam ubi necessitas est unusquisque de mancipio suo potestatem habeat secundum Legem judicandi. Foris terminum autem captivum faciendi potestatem non habeat. Si autem fecerit, & inde convictus fuerit, post conventum nostrum quod conplacuit cunctis Alamannis, & aliquis hoc præceptum transgredere voluerit, illud pretium quod obtulit de proprio suo mancipio perdat, & insuper fredum quem Lex habet conponat.

CAPIT. XXXVII.

De eo qui die Dominico opera servilia fecerit.

Die Dominico nemo opera servilia præsumat facere, quia hoc lex prohibuit & sacra scriptura in omnibus contradicit. Si quis servus in hoc vitio inventus fuerit, vapuletur fustibus: liber autem corripiatur usque ad tertiam vicem. Si autem post tertiam correptionem in hoc vitio inventus fuerit & Deo vacare die Dominico neglexerit & opera servilia fecerit, tunc tertiam partem de hereditate sua perdat. Si autem super hec inventus fuerit, ut diei Dominico honorem non inpendat, & opera servilia fecerit, tunc coactus & convictus coram Comite, ubi tunc Dux ordinaverit, in servitium tradatur, & quia noluit Deo vacare, in sempiternum servus permaneat.

CAPIT. XXXVIII.

De inlicitis Nuptiis.

Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum inter se nulla præsumptione jungantur. Si quis contra hoc fecerit, à loci judicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus adquirat. Si minores personæ sunt, quæ se inlicita conjunctione polluerunt, careant libertate, servis fiscalibus adgregandæ sunt.

CAPIT. XXXIX.

De patricidiis & fratricidiis.

Si quis homo volens occidere patrem suum, aut patruum suum, aut fratrem suum, aut avunculum suum, aut filium fratris sui, aut filium avunculi sui, aut matrem suam, aut sororem suam, cognoscat se contra Deum egisse, & secundum jussionem Dei fraternitatem non custodisse, & in Deum graviter deliquisse, & coram omnibus parentibus eius res eius infiscentur, & nihil ad heredes eius pertineat amplius: pœnitentiam autem secundum Canones agat.

CAPIT. XL.

Vt nullus causam audire præsumat nisi qui à duce constitutus est.

Nullus causas audire præsumat, nisi qui à Duce per conventionem populi judex constitutus est, ut causas judicet, qui nec mentiosus nec periurator, nec munerum acceptor sit, sed causas secundum legem veraciter judicet sine acceptione personarum, & timens Deum sit, & si justum judicaverit, credat se apud Deum mercedem recipere & laudem apud homines bonam possedere.

Si autem per cupiditatem aut per invidiam alicuius aut per timorem contra legem judicaverit, cognoscat se deliquisse, & XII. solid. sit culpabilis cui injuste judicavit: & quod per illum damnum passus est injuste, ille judex restituat. Si autem ille, qui judicium audire debet, illius qui ad judicandum constitutus est judicium contempnit dum ille juste judicaverit, & dedignet eum audire, & spernit eum & arguit coram aliis & dicit; non recte judicas, dum ille recte judicat: & si hoc ab aliis judicibus inquisitum fuerit, quod ille juste judicavit, ille contemptor, qui judici injuriam fecit, solvat XII. solid judici illi, & posthæc non contempnat audire justum judicium, quia sic convenit Duci & omni populo in publico concilio.

CAPIT. XLI.

De eo qui sæpe interpellatus ante Ducem de qualicumque evidenti causa, & convictus fuerit, ne ad juramentum permittatur.

Si quis interpellatus ante Ducem de qualicumque causa quod jam manifestum est tribus vel quattuor testibus aut de homicidio aut de furtu aut de aliquo neglectu, quod illi testantur, qui boni testimonii sunt in plebe, non perjuratores, nec fallaces nec pecuniarum acceptors, sed veritatem volunt dicere, cognoscat hoc judex, quod tunc licentiam ille homo qui mallatur ante eum de causa illa potestatem jurandi non habeat, sed sicut Lex habet in hoc judicio, persolvat, ut propter suam nequitiam alii qui volunt Dei esse non se perjurent, nec propter culpam alienam semetipsos perdant. Testis enim, qui convictus fuit quod mendacium semel aut bis aut ter testificatus sit, amplius ad testimonium non accipiatur.

CAPIT. XLII.

Vt scriptura non valeat, in qua annus & dies non ostenditur.

Scriptura non valeat, nisi in qua annus & dies evidenter ostenditur.

CAPIT. XLIII.

De libero qui alteri libero crimen mortale inposuerit.

Si quis liber libero crimen aliquod mortale inposuerit, & ad Regem aut ad Ducem eum accusaverit, & inde probatá res non est nisi quod ipse dicit, liceat illi alio cui crimen inposuit cum tracta spata se idoniare contra illum alium. De minoribus autem culpis sicut Duci placet ita fiet inter eos.

CAPIT. XLIV.

De Rixis quæ sæpe fieri solent in populo.

Si qua rixa orta fuerit inter duos homines aut in placito aut in campo, & unus alium occiderit, & postea fugit ille qui occidit, & illi pares secuntur eum usque in domum suam cum armis, & infra domum percussorem occiderint, cum uno vvirgeldo solvant eum. Si autem in campo ubi prius pugna orta fuit ibi restant super mortuum suum, & non sunt secuti in domum, & postea mittunt in vicinio & congregant pares & pausant arma sua losum, & postea hostiliter sequuntur eum in domo, & si eum occiderint, novem vvergeldos conponant.

CAPIT. XLV.

De libero qui liberum extra terminos vendiderit.

Si quis liber liberum extra terminos vendiderit, revocet eum infra provinciam & restiruat eum libertati, & XL. solid. conponat. Si autem revocare eum non poterit, cum vveregeldo eum parentibus solvat, id est LXXX. solid. si heredem dereliquit: si autem heredem non reliquit, cum CC. solid. conponat.

CAPIT. XLVI.

De eo qui fœminam ingenuam extra Marcam vendiderit.

Si quis fœminam liberam extra Marcam vendiderit, revocet eam ad pristinam libertatem, & LXXX. solid. conponat. Si autem revocare non potest, cum CCCC. solid. conponat.

CAPIT. XLVII.

De libero qui liberum hominem vel fœminam liberam infra provinciam vendiderit.

Si quis liberum infra provinciam vendiderit, revocet eum in pristinam libertatem, & cum XII. solid. conponat. Si autem fœminam liberam infra provinciam vendiderit revocet eam ad pristinam libertatem, & cum XXIIII. solid. conponat.

CAPIT. XLVIII.

De eo qui hominem occiderit & eum morttodum fecerit.

Si quis liberum occiderit, quod Alamanni morttodo dicunt, VIIII. Wergeldos solvat, & quicquid super eum arma vel rauba tulit omnia sicut furtiva conponat. De fæminis autem si ita contigerit, dupliciter conponat, id est XVIII. vveregeldos. vestimenta aut quod super eam tulit velut furtiva conponat.

CAPIT. XLIX.

De eo qui Liberum de terra effodierit.

Si quis liberum de terra effodierit, quicquid ibi tulerit, novem geldos restituat, & XL. solid. conponat. Fœminam autem cum LXXX. solid. conponat, si eam effodierit. Res autem quas tulerit sicut furtiva conponat. Si servum effodierit de terra, cum XII. solid. conponat, & ancillam similiter.

CAPIT. L.

De libero qui alterius uxorem tulerit.

Si quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam & cum LXXX. solid. conponat. Si autem reddere noluerit, cum CCCC. conponat eam: & hoc si maritus prior voluerit, & si antea mortua fuerit, quam maritus eam quæsierit, cum CCCC. solid. conponat. Si autem ille raptor, qui eam accepit sibi uxorem, ex ea filios aut filias antequam solvat habuerit, & ille filius mortuus fuerit aut illa filia, illi pristino marito illum filium cum vveregeldo solvat: si autem vivi sunt, non sunt illius qui eos genuit, sed ad illum priorem maritum mundio perteneat.

CAPIT. LI.

De eo qui sponsam alterius acciperit.

Si quis sponsam alterius contra legem acciperit, reddat eam & cum CC. solid. conponat: si autem reddere noluerit, solvat eam & cum CCCC. solid. etiamsi mortua fuerit sub eo.

CAPIT. LII.

De eo qui sponsam suam dimiserit & aliam duxerit.

Si quis filiam alienam disponsatam dimiserit & aliam duxerit, conponat eam quod disponsavit & dimisit cum XL. solid. & cum XII. sacramentalis juret cum V. nominatis & VII. advocatis, ut pro nullo vitio nec temptatam eam habuisset, nec vitium in illa invenisset, sed amor de alia eum adduxit ut illam dimisisset & aliam habuisset uxorem.

CAPIT. LIII.

De eo qui filiam alienam non disponsatam acceperit.

Si quis filiam alterius non desponsatam acceperit sibi uxorem, si pater eius eam requirit, reddat eam & cum XL. solid. eam conponat. Si autem ipsa fœmina sub illo viro mortua fuerit antequam illi mundium apud patrem adquirat, solvat eam patri eius CCCC. solid. Et si filios aut filias genuit ante mundium & omnes mortui fuerint, unumquemque cum vveregeldo suo conponat patri fœminæ.

CAPIT. LIV.

De uxore marito sine filiis relicta.

Si quis liber mortuus fuerit, & relinquit uxorem sine filiis aut filiabus, & de illa hereditate exire voluerit nubere sibi alio coæquali, sequatur eam dotis legitima, & quicquid parentes eius legitime placitavit, & quicquid de sede paterna secum adtulit, omnia in potestate habeat auferendi quod non manducavit aut non vendidit. Dotis enim legitima XL. solid. constat aut in auro aut in argento aut in mancipiis aut in qualicumque re quam habet ad dandum.

CAPIT. LV.

De eo qui proximi sui defuncti uxori sine filiis relictæ dotem contradixerit.

Si autem proximus mariti defuncti contradicere ipsam dotem illi mulieri voluerit, quod lex non est, illa sequatur cum sacramento cum nominatis V. aut cum spata tracta, pugna duorum. Si potest adquirere aut per sacramentũ aut per pugnam, illa pecunia post mortem mulieris retro numquam revertatur, sed ille sequens maritus aut filii eius usque in sempiternum possedeant. Si autem ipsa fœmina dixerit, maritus meus dedit mihi morgangheba, conputat quantum valet, aut in auro aut in argento aut in mancipiis, aut in equo pecuniam XII. solid. valentem: tunc liceat illi mulieri jurare per pectus suum, & dicat quod maritus meus mihi dedit in potestate, & ego possedere debeo. hoc dicunt nasthait.

CAPIT. LVI.

De hereditate duarum sororum, quæ absque fratribus post mortem patris relictæ sunt.

Si autem duæ sorores absque fratre relictæ post mortem patris fuerint, & ad ipsas hereditas paterna pertingat, & una nupserit sibi coæquali libero, alia autem nupserit aut colono Regis aut colono Ecclesiæ; illa, quæ illo libero nupsit sibi coæquali, teneat terram patris eorum: res enim alias æqualiter dividant. illa enim, quæ illo colono nupsit, non intret in portionem terræ, quia sibi coæquali non nupsit.

CAPIT. LVII.

De eo qui mulierem in itinere vadentem denudaverit, aut cum ea mœchaverit.

Si qua libera fœmina vadit in itinere suo inter duas villas, & obviavit eam aliquis, per raptum denudat caput eius, cum VI. solid conponat. & si illam denudaverit, ut genitalia eius appareant vel posteriora, cum XII. solid. conponat. Si autem cum ea fornicaverit contra voluntatem eius, conponat solid. XL. Si autem mulieri hæc fecerit, omnia dupliciter conponat, sicut ante diximus de virgine.

CAPIT. LVIII.

De eo qui alium percusserit aut vulneraverit.

Si quis alium per iram percusserit, quod Alamanni pulislach dicunt, cum uno solido conponat. Si autem sanguinem fuderit sic ut terram tangat, conponat solido uno & semisse. Si enim percusserit eum ut testa appareat & radatur, cum tribus solidis conponat. Si autem de capite os fractum tulerit de plaga, ita ut super publica via lata XX & IIII. pedes in scuto sonaverit, illud os cum VI. solid. conponat. Si autem ipsum os medicus perdit, & non potest eum præsentare, tunc duos testes adhibeat, qui hoc vidissent, quod de illa plaga os tulisset, aut ille medicus hoc conprobet quod verum fuisset quod de ipsa plaga os tulisset. Si autem testa transcapulata fuerit, ita ut ceruella appareant ut medicus cum pinna aut cum

cum fanone ceruella tetigit, cum XII. solid. conponat. Si autem ex ipsa plaga ceruella exierint, sicut solet contingere ut medicus cum medicamento aut firico stuppavit & postea sanavit & hoc probatum fuerit quod verum est, cum XL. solid conponat.

Capit. LIX.

De eo qui alteri aurem absciderit.

Si quis alteri aurem absciderit & non exsurdaverit, XII. solid. conponat. Si autem sic absciderit profundo & eum exsurdaverit, XL. solid. conponat. Si enim medietatem auris absciderit, quod orscardi Alamanni dicunt, cum VI. solid. conponat.

Capit. LX.

De eo qui palpebras alterius maculaverit.

Si enim superior palpebra maculata fuerit ut claudi non possit, cum VI. solid. conponat. Si enim subterior maculata fuerit, ut lacrimas contenere non possit, cum XII solid conponat. Si enim visus tactus fuerit in oculo, ita ut quasi vitrum remaneat, XX. solid. conponat. Si autem ipse visus foris exit & milus, XL. solid. conponat.

Capit. LXI.

De nare transpuncta.

Si enim nasus transpunctus fuerit, cum VI. solid. conponat. Si enim summitas nasi ut mucus contenere non possit, abscisus fuerit, cum XII. solid. conponat. Si autem totus à presso abscisus fuerit, cum XL. solid. conponat.

Capit. LXII.

De labiis maculatis.

Si enim labium superius alicuius maculaverit, ita ut dentes appareant, cum VI. solid. conponat. Si subterius ut salibum contenere non possit, cum XII. solid. conponat. Si enim aliquis alio uno ictu duos dentes superiores excusserit primos cum VI. solid. conponat. Et si bis unum de ipsis duobus excusserit, cum XI. solid. conponat. Si autē dentem absciderit quem marchzan dicunt Alamanni, cum III. solid. conponat. De aliis vero qualemcumque excusserit, unumquemque cum uno solido conponat. De subterioribus vero duobus primis si alicui excusserit, cum XII. solid. conponat, si uno ictu fecerit: si autem unum ex ipsis excusserit duobus ictibus, cum XII. solid conponat.

Capit. LXIII.

De lingua abscisa & de vulneribus in facie factis.

Si autem lingua tota abscisa fuerit, XL. solid. conponat. si autem media, ut aliquid intellegatur quod loquitur, cum XX. solid. conponat. Si autem aliqua plaga in facie alicuius facta fuerit quam capilli vel barba non cooperiant, VI. solid. conponat. Si autem collus transpunctus fuerit, cum VI. solid. conponat.

Capit. LXIV.

De eo qui alium contra legem tunderit, & diversis vulneribus.

Si quis alii contra legem tutunderit caput liberum non volentis, cum XII. solid. conponat. Si enim barbam alicuius tunderit nolentis, cum VI. solid. conponat. Si quis alio brachium super cubitum transpunxerit, cum VI. solid. conponat. Si autem cubitum transpunxerit, cum tribus solid. conponat. Si manum transpunxerit, ita ut focus non intret ad coquendum venas vel sanguinem stagnandum, solid. unum & semissem conponat. Si autem ferrum calidum intraverit ad stagnandum sanguinem, cum tribus solid. conponat. Si enim brachium fregerit, ita ut pellem non rumpat, quod Alamanni palhcpruft dicunt, ante cubitum, cum tribus solid. conponat. Si autem supra cubitum hoc contigerit, cum VI. solid. conponat. Si enim in cubito percussus fuerit, ita ut portare non possit, nec ad os manum mittere, cum XII. solid. conponat. Si enim totum brachium mancum fuerit, ut nihil cum eo facere possit, conponat eum cum XX. solid. Si autem à cubitu absciderit, XL. solid. conponat. Si autem ab scapula abscisus fuerit, cum LXXX. solid conponat. Si enim summitatem pollicis absciderit, cum VI. solid. conponat. Si autem totum, cum XII. conponat. Si autem proximum pollici primo nodo absciderit, duos solid. & semissem: Si enim in secundo nodo absciderit, V. solid. Si totum absciderit à palma, cum X. solid. conponat. Si longissimus digitus abscisus fuerit à primo nodo, solid. unum & semissem conponat. Si enim secundo nodo, cum tribus solid. conponat. Si totus à palma abscisus fuerit, cum VI. solid. conponat. Si enim digitus anellaris à primo nodo abscisus fuerit, duos solid. si in secundo nodo, quatuor: si totus, VIII. Ille minimus digitus ita solvatur, ut pollex. Si quis autem longissimum digitum sic plagaverit, ut inde mancus sit, ita ut conplicare non possit, aut scutum prendere aut arma in terra per illum recipere,

XII. ſolid conponat. Si autem in latus punctus fuerit, ita ut interiora membra non contingat, cum VI. ſolid. conponat. Si autem interiora membra vulneratus fuerit, quod Sresfuunt dicunt, cum XII. ſolid. conponat. Si autem tranſpunctus fuerit, cum XXIIII. ſolid conponat. Si autem inteſtinis maculatus fuerit ut ſtercora exeant, X. ſolid. conponat. Si aliquis alio genitalia tota abſciderit, XL. ſolid. conponat. Si autem caſtraverit, ita ut virilia non tollat, cum XX. ſolid. conponat. Si quis alio ambas coxas uno ictu tranſpunxerit, cum XII. ſolid. conponat. Si autem duabis vicibus, ſimiliter. Si quis in geniculo transpunctus fuerit aut plagatur, ita ut claudus permaneat, ut pes eius ros tangat, quod Alamanni taudragil dicunt, cum XII. ſolid. conponat. Si tibia ſubtus geniculo tranſpuncta fuerit, cum tribus ſolid. conponat. Si autem articulus prior abſciſſus fuerit, cum VI. ſolid. conponat. Illi autem alii articuli ſi abſciſi fuerint toti, unuſquiſque cum III. ſolid. conponatur. Si totum pedem abſciderit, cum XL. ſolid. ſi à genuculo abſciſus fuerit, L. ſolid. conponat. Si autem à coxa ſurſum abſciſa fuerit, & inde vixerit, LXXX. ſolid conponat. Si autem aliquis alio herniam expreſſerit, cum III. ſolid. conponat.

CAPIT. LXV.

De eo qui alteri viam contradixerit.

Si quis liber libero in via manus injecerit, & contra legem ei viam contradixerit, aut aliquid ei tollere voluerit, cum VI. ſolid. conponat.

CAPIT. LXVI.

De eo qui alterum de caballo jactaverit.

Si quis liber liberum in via de caballo jactaverit, & ei tulerit, & ſtatim eum reddit in ipſo loco, addat ei conſimilem & XII ſolid. Hæc omnis compoſitio, quam viris judicavimus, fœminis eorum omnia dupliciter conponantur.

CAPIT. LXVII.

De libero qui liberum occiderit.

Si quis autem liber liberum occiderit, conponat eum bis LXXX. ſolid. filiis ſuis. Si autem filios non reliquit, nec hæredes habuit, ſolvat CC. ſolid. fœminas autem eorum ſemper in duplum conponat. Medius vero Alamannis ſi occiſus fuerit, CC. ſolid. ſolvat eum parentibus, qui eum occiderit.

CAPIT. LXVIII.

De eo qui alterius ammiſſarium furaverit.

Si quis alicuius ammiſſarium involaverit, ille cuius eſt debet probare quantum valet. Si enim dicit, quod XII. ſolid. valeat, cum duobus juret quod ſic valeat. Poſtea ſolvat ille fur talem qualem ille juraverit in caput, & illos alios VIIII. geldos ſolvat medietatem in auro valente pecunia; medietatem autem qualem invenire potuerit pecuniam. Et ſi ille talem equum involaverit, quem Alamanni marach dicunt, ſic eum ſolvat ſicut & illum ammiſſarium.

CAPIT. LXIX.

Si quis alicujus caballum involaverit, & pretiet eum dominus eius cum ſacramento uſq; ad VI. ſolid. ſi tantum valet, aut plus aut minus: quantum ille cum ſacramento adpretiaverit in caput tantum reſtituat fur. VIIII. enim geldus in qualibet pecunia habet. Iumentum tribus ſolid. adpretiet, ſi tantum valet aut minus. Si equo, quem marach dicunt, oculum excuſſerit aut eum excurtaverit, cum tribus ſolid. conponat. In alio caballo mediano ſi oculum excuſſerit, ſolid. unum & ſemiſſem conponat. & ſi eum excurtaverit, ſimiliter conponat. Si enim jumento oculum excuſſerit, medium ſolid. & ſi eum excurtaverit, ita faciet.

CAPIT. LXX.

De eo qui equum plagaverit dum hominem plagare voluerit.

Si quis homo in equo ſuo caballicaverit, & aliquis eum ſuper ipſum plagare voluerit, & dum illum plagare voluerit, caballum eius plagaverit, ita plagam caballi conponet, quemadmodum conponere debuit ſi dominum eius plagaſſet.

CAPIT. LXXI.

De eo qui in troppo de jumentis ductricem involaverit.

Si enim in troppo de jumentis illam ductricem aliquis involaverit, licet eam domino ejus adpretiare XII. ſolid. & quicquid ille adpretiaverit, ille fur furtivum reddat VIIII. geldos. Alia autem jumenta de grege, quæ lactantes ſunt, cum VI. ſolid. conponat. alia autem, quæ adhuc pregna non ſunt, III. ſolid. ſint adpretiata.

CAPIT. LXXII.

De eo qui pregnum jumentum ferierit & abortivum fecerit.

Si autem aliquis homo ictu ferierit pregnum jumentum, & abortivum fecerit, ita ut jectat ipsum poledrum mortuum, I. solid. conponat.

CAPIT. LXXIII.

Qualiter jumenta quæ messem læserint includantur.

Si quis gregem jumentorum ad pignus tulerit & incluserit contra legem, cum XII. solid. conponet, & demittat, & usque ad annum integrum habeat eas in cura qui illos pignoravit. & si aliquid de ipsa grege in ipso anno perdiderit ille qui pignus tulit, similem restituat. Si autem ipse grex jumentorum damnum fecerit aut in prato aut in messe, foris minatur & dicatur domino eius ut veniat videre quale damnum fecit, & quantum æstimaverit arbitrio aut adfirmare ausus fuerit quod tantum damnum fecisset, tantum dominus jumentorum restituat. si vero pastorem illorum jumentorum aliquis occiderit, conponat eum solid. XL.

CAPIT. LXXIV.

De eo qui taurum gregem regentem involaverit aut occiderit.

Si quis in vaccaritia legitima, ubi sunt XII. vaccæ vel amplius, taurum ex ea involaverit vel occiderit, tribus solid. eum solvat: aut qualecumque armentum de ipsa vaccaritia involatus fuerit, secundum qualitatem eum solvat, illam optimam vaccam IIII. tremissis licet adpretiare: illa alia sequenteriana Solid. I. illa alia minuta animalia secundum arbitrium adpretientur, & ita solvantur secundum quod Lex habet.

CAPIT. LXXV.

De eo cui mortaudus inputatur.

Si cui mortaudum barum aut fœminam, qui qualis fuerit secundum legitimum vveregeldum solvatur, aut cum XXIIII. tot electos aut cum LXXX. quales invenire potuerit juret.

CAPIT. LXXVI.

De eo qui gravidæ mulieri natum interficerit.

Si qua mulier gravida fuerit, & per factum alterius infans natus mortuus fuerit, aut si vivus natus fuerit, & VIII. dies non vivit, cui inputatum fuerit, XL. solid. solvat, aut cum XII. medios electos juret.

CAPIT. LXXVII.

De pretio bovis.

Optimus bos V. tremissos valet: medianus, IIII. tremissos valet: minor, sicut & pretiatus fuerit qui de ipsis aliquem involaverit, sicut Lex habet ita conponat.

CAPIT. LXXVIII.

De eo qui pastores vel artifices occiderit.

Si pastor porcorum, qui habet in grege XL. porcos, & habet canem doctum & cornu & juniorem, occisus fuerit, XL. solid conponatur. Legitimus pastor ovium, si LXXX. capita in grege habet domini sui, & occisus fuerit, cum XL. solid. conponatur. Si alicuius siniscalcus, qui servus est & dominus eius XII. vassus infra domum habet, occisus fuerit, XL. solid. conponatur Si mariscalcus, qui super XII. caballos est, occiditur, XL. solid. conponatur. Si pistor, similiter. Faber aurifex aut spatarius, qui publicè probati sunt, si occidantur, XL. solid conponatur.

CAPIT. LXXIX.

De eo qui cum ancilla vestiaria & genetiaria concubuerit.

Si quis cum alicuius ancilla vestiaria concubuerit contra voluntatem eius, cum VI. solid. conponat & si cum puella de genetio concubuerit aliquis contra voluntatem eius, cum VI. solid. conponat. Si quis cum aliqua ex illis aliis de genetio contra voluntatem concubuerit, cum tribus solid. conponatur.

CAPIT. LXXX.

De eo qui incendium super alium in nocte miserit.

Si quis aliquem super focum in nocte miserit, ut domum eius incendat seu & salam suam, & inventus & probatus fuerit, omne quod ibidem arsit simile restituat, & super hæc XL. solid. conponat. si enim domum infra curtem incenderit aut scuriam aut graneam vel cellaria omnia similia restituat, & cum XII. solid. conponat. Si quis stubam, ovile, por-

porcaritiam domum aliquis concremaverit, unamquamque cum III. solid. conponat. & similem restituat ei scutiam vel graneam. Servi si incenderit, cum VI. solid conponat, & similem restituat. Si enim spicarium servi incenderit, cum III. solid. conponat. & si domino, cum VI. & similem restituat.

CAPIT. LXXXI.

De canibus seusibus vel aliis furatis aut occisis.

Si quis canem seusium primum cursalem, qui primus currit, involaverit, solid. VI. conponat. qui secundum, cum solid III. conponat. qui illum ductorem, qui hominem sequentem ducit, quod laithunt dicunt, furaverit, XII solid conponat. Bonum canem porcarium, ursaricium, vel qui vaccam & taurum prendit si occiderit aliquis, cum tribus solid. conponat. si veltrum leporalem probatum aliquis occiderit, cum III. solid. conponat. Si quis canem pastoralem, qui lupum mordit & pecus ex eius ore tollit & ad clamorem ad aliam vel ad tertiam villam currit, occiderit, cum III. solid. conponat Si canem qui curtem defendit aliquis occiderit, cum solido conponat. Et si ipse canis eum per vestimentum adpræhendit, & eum quasi nolens percusserit, & mortuus fuerit, juret ut per invidiam non fecisset, nisi se ad defendendum, & donet alium catellum, qui jugum transpassare possit.

CAPIT. LXXXII.

De eo qui aliquam clausuram in aqua fecerit & ibi aliquid negaverit.

Si quis mulinum aut qualemcumq; clausuram in aquam facere voluerit, sic faciat ut nemini noceat, si ambæ ripæ suæ sunt, licentiam habeat: si autem una alterius, aut roget aut conparet. Si quis aliquam clausuram in aquam fecerit, & ipsa aqua inflaverit, & ibi alicuius pecus negaverit vel famulus vel infans quicquid negaverit, simile restituat, unumquodque secundum legem conponat.

CAPIT. LXXXIII.

De his qui de terra sua inter se contendunt.

Si qua contentio orta fuerit inter duas genealogias de termino terræ eorum, & unus dicit; hic est terminus: alius revadit in alium locum, & dicit; hic est noster terminus : : ibi præsens sit Comis de plebe illa, & ponat signum ubi iste voluerit, & ubi ille alius voluerit terminum, & girent ipsam contentionem. Postquam girata fuerit, veniant in medium, & præsente Comite tollant de ipsa terra, quod Alamanni curffodi dicunt, & ramos de ipsis arboribus infigant in ipsam teram, quam tollunt, & illæ genealogiæ quæ contendunt levant illam terram præsente Comite & commendent in sua manu Ille involvat in fanone & ponet sigillum, commendet fideli manu usque ad statutum placitum. Tunc spondeant inter se pugnam duorum quando parati sunt ad pugnam, tunc ponant ipsam terram in medio, & tangant ipsam cum spatis suis, cum quibus pugnare debent, & testificentur Deum creatorem, ut cuius sit justitia ipsius sit & victoria, & pugnent, qualis de ipsis vicerit, ipse possedeat illam contentionem, & illi alii præsumptiosi, quia proprietatem contradixerunt, conponant cum XII. solid.

CAPIT. LXXXIV.

De eo qui servum alterius fugientem acciperit, & sequenti domino contradixerit.

Si quis fugitivum alterius servum susciperit, & sequenti Domino aut in illa die aut quando poterit, contradixerit eum & reddere noluerit, tunc vadat ad Principem quem ille habet, ut ei justitiam faciat, & cum XL. solid. conponat eum, quia contra legem eum recipit.

CAPIT. LXXXV.

De eo qui servum in pignus susciperit, & si ipse servus aliquod damnum fecerit.

Si quis pignus tulerit contra legem aut servum aut equum, postquam illum in domum suam duxerit, & ille servus ibi hominem occiderit, aut ille equus aliquod damnum fecerit, illud damnum ad illum pertineat, qui illud pignus tulit, non ad illum dominum cuius illud pignus fuit. Si autem dominus voluntarie pignus dederit pro aliqua re alicui, & illud pignus quod datum est ibi aliquid damnum fecerit, dominus eius qui dedit damnum quod factum est simile restituat.

CAPIT. LXXXVI.

De eo qui alteri res suas apud se inventas contradixerit.

Si quis res suas apud alium hominem invenerit, quicquid sit aut mancipia aut pecus aut

aut aurum aut argentum aut alia ſpolia, & illa reddere noluerit & contradixerit, & poſthæc convictus eſt ante judicem, aut ſimile aut ipſum reddat & cum XLII. ſolid. conponat, quia proprietatem eius contradixit.

CAPIT. LXXXVII.

Vt fratres poſt mortem patris eorum hereditatem non diſſipent antequam dividant eam.

Si qui fratres poſt mortem patris eorum aliquanti fuerint, dividant portionem patris eorum, dum hæc non fuerit facta, nullus rem ſuam diſſipare faciat uſq; dum æquali parciant.

CAPIT. LXXXVIII.

De eo qui hominem occiderit & negaverit.

Si quis hominem occiderit & negare voluerit, cum XII. nominatis juret, & alios tantos advocatos in arma ſua ſacramenta pro quattuor tremiſſis cum uno ſacramentale juret: tres ſolid. & tremiſſe cum duos ſacramentales juret: De VI. ſolid & tremiſſe cum V. nominatis juret aut cum tracta ſpata defendat.

CAPIT. LXXXIX.

De coxa vel brachio inciſis.

Si coxa abſciſa fuerit libero homini, LXXX. ſolid. conponat: Si brachium abſciſum fuerit ſimiliter.

CAPIT. XC.

De eo qui mulieri pregnanti abortivum fecerit.

Si quis mulieri pregnanti abortivum fecerit, ita ut jam cognoſcere poſſit utrum vir an fœmina fuit: Si vir debuit eſſe, cum XII. ſolid. conponat: Si autem fœmina, cum XXIIII. Si nec utrum cognoſcere etiam non formatur in liniamenta corporis, cum XV. ſolid. conponat. Si amplius requirit, cum ſacramentalibus ſuis ſe ei idoneet.

CAPIT. XCI.

De hereditate quam mulier poſt partum ſtatim mortua derelinquit.

Si qua mulier, quæ hereditatem paternam habeat, poſt nuptum pregnans pepetit puerum, & in ipſa hora mortua fuerit, & infans vivus remanſerit aliquanto ſpatio vel unius horæ, ut poſſit aperire oculos & videre culmen domus & quatuor parietes, & poſtea defunctus fuerit, hereditas materna ad patrem eius perteneat & tamen ſi teſtes habet pater eius, qui vidiſſent illum infantem oculos aperire & potuiſſet culmen domus videre, & quattuor parietes, tunc pater eius habet licentiam cum lege defendere. Si autem aliter, cuius eſt proprietas, ipſe conquærat.

CAPIT. XCII.

De eo qui in pugna parem ſuum dereliquit & aufugit.

Si qua in exercitu pugna commiſſa fuerit, & demittit quis parem ſuum pugnare, & fugit, & ille alius defendit ſe poſt reverſionem, ille qui fugit conponat bis ſolid. illi alio, quia inde fugivit.

CAPIT. XCIII.

De eo qui poſt finitam & emendatam cauſam mallare præſumpſerit.

Si quis aliquem poſt finitam cauſam & emendatam mallare voluerit, poſt teſtes tractos & emendationem datam ſi hoc præſumpſerit temptare, & iſte non poteſt per ſacramenta vel per teſtes defenſare, tunc per pugnam duorum ſe defendat, & poſthæc ille teſtator cum XL. ſolid. conponat.

CAPIT. XCIV.

De eo qui ingenuam fœminam colopo percuſſerit.

Si quis fœminam ingenuam colopo percuſſerit, ſic ut ſanguis non exeat, ſolvat ſolid. duos: Si lida fuerit, ſolid. I. tremiſſe: ſi ancilla fuerit, ſolvat ſolid. I. Si barus fuerit, ſimiliter: ſi ſervus fuerit, medium ſolid.

CAPIT. XCV.

De eo qui medelam aut carrucam alterius involaverit.

Si quis medelam rumpit aut involat, ſolvat ſolid. III. Si carrucam involat aut rumpit rotas in priori parte, ut die illa operatricet, ſolid. III. conponat: Si de poſt involat aut rumpit, VI. ſolid. conponat. Si herpices fuerit, III. ſolid. conponat.

CAPIT.

CAPIT. XCVI.

De eo qui buricas in silva pecorum incenderit.

SI quis buricas in silva tam porcorum quam pecorum incenderit, XXII. solid. conponat: & si intus per furorem intrat, & de suo nihil invenit, VI. solid. conponat: & si in curte aliena ingressus fuerit, simili modo, si intus in scuria, XII. solid. conponat, nisi homicida suus ei in curte aut in casa fuerit, & pro ipso nullus offerrit justitiam, si sequenter ipsum currit, hoc non est ad requirendum.

CAPIT. XCVII.

De eo qui gregem animalium in pignus tulerit & porcorum vel cæteros pastores flagellaverit.

SI quis gregem de porcis aut de jumentis aut de vaccis vel de berbicibus in pignus tulerit, XL. solid. sit culpabilis. Si porcarius ligatus de via hostatus vel battutus fuerit sic ut duo teneant & tertius percutiat, VIII. solid. conponat, & de reliquo quod ei fecit sicut reliquis servis conponi solet ei in triplum conponat. & quod de berbigario, stotario & Vaccario fit, quod reliquis servis conponi solet, conponatur eis in duplo.

CAPIT. XCVIII.

De eo qui bissontem vel cætera animalia aut furaverit aut occiderit.

SI quis bissontem bubalum vel ceruum qui prugit furaverit aut occiderit, XII. solid conponat, & si cervus ille treudis non habet, medium solid. conponat: si treudis habet, & cum ipso nihil sagittatum est, solvat solid. I. Si rubeus seramus cum ipso sagittatus est, tres solid. solvat. Si niger est, solid. VI. conponat. Si involatus fuerit, VIIII geldos conponat si cervia indomita fuerit occisa, tremisso solvat: Si treudem habuit, medium solid. Si cum ipsa rubia fera sagittata fuerit, III solid. solvat: Si nigra, VI solid. conponat: Si involata fuerit, VIIII. geldos conponat. Si versus alienus occisus aut involatus fuerit, solvat eum solid. VI. aprum similiter. Si quis pecum manualem, qui dicitur alatus, aut verrem aut ducariam occiderit, VI. solid. conponat. Si furatus fuerit, III. solid solvat, & quantum juret quod valuit VIIII geldos conponat. Si quis capriolum occiderit, saiga, si involatus fuerit, VIIII. geldos conponat. Si quis fuerit furata vel occisa, III. solid. conponat: Si auca fuerit involata, VIIII. geldos conponat. Aneta, gariola, cicunia, corvus, cornicla, columba & cauha, ut alia similia requirantur. Si acceptor qui aucam mordet, III. solid. solvat, Si gruem mordit, VI. solid. conponat: Si verris occiderit, ipsum pro ea reddat & III. solid solvat. Si canis alienus hominem occiderit, medium Weregeldum solvat: & si totum vueregeldum quærat, omnia ostia sua claudentur, & per unum ostium semper intret & exeat, & de illo limitare VIIII pedes suspendatur usque tum totus putriscet, & ibi putritus cadat & ossa ipsius ibi jaceant, per alium ostium nec intret nec exeat. & si canem ipsum inde jactaverit, aut per alium ostium intraverit in casa, ipsum vueregeldum medium reddat. Si caballus, porcus, aut bos hominem occiderit, totum vueregeldum solvat: Si servus fuerit, medium pretium solvat. Si alicuius caballus sepem alienam sallierit, & de palo transpunctus fuerit cuius sepis fuerit ipsum solvat medium pretium. Si quis ferrum mulinarium involaverit, alium cum ipso reddat, & solvat solidis VI. in texaga cuius fuerit. Si quis sepem alienam capulaverit, III. solid. solvat Si quis mortuum suum in terra aliena posuerit, XII. solid. solvat aut cum XII juret ut hoc pro malo non fecisset. Si quis ingenuum aut ingenuam extraneam sine permisso cuius fuerit in terra miserit, XL. solid. sit culpabilis. Si servus fuerit, XII. solid. solvat.

DE LEGIBVS.

ex Isidoro. MOyses gentis Hebreæ primum omnium divinas leges sacris literis explicavit. Foroneus Rex Græcis primus leges, judiciaque constituit. Mercurius Trimegistus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Atheniensibus dedit. Ligurgus primus Lacedæmoniis jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romolo successit in regnum, primus leges Romanis ededit: deinde cum populus seditiosus magistratus ferre non posset, X. viros legibus scribendis procreavit, qui leges ex libris Salomonis in Latinum sermonem translatas XII. tabulis exposuerunt. Fuerunt autem hi, Appius Claudius, Genutius, Veterius, Iulius, Manilius, Sulpitius, Sectius, Curatius, Romelius, Postumius. hi decem viri legum conscribendarum electi sunt. Leges autem redigere in libris primus Consul Pompeius instituere voluit, sed non perseveravit obtrectatorum metu. Deinde Cæsar cœpit id facere, sed ante interfectus est. Paulatim antiquæ leges vetustate atque incuria exsolverunt, quarum etsi nullus jam usus est, notitia tamen necessaria videtur. Leges novæ à Constantino cœperunt Cæsare & reliquis succedentibus, erantque permixtæ & inordinatæ, postea Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani & Ermogeniani codicem factum constitutionum à Constantini temporibus sub proprio cuiusque Imperatoris titulo disposuit, quem à suo nomine Theodosianum vocant. Deinde unaquæque gens propriam sibi ex consuetudine

dine elegit legem. Longa enim consuetudo pro lege habetur. Lex est constitutio scripta. Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scribta. Nam lex à legendo vocata, quia scripta est: Mos est autem consuetudo longa de moribus tracta tantundem: Consuetudo autem est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur. Lex erit omne quod jam ratione constiterit, quod disciplinæ conveniet, quod saluti proficiat. Vocata autem consuetudo, quia in communi est usu. Theodericus Rex Francorum cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere legem Francorum & Alamannorum & Bajoariorum unicuique genti, quæ in eius potestate erat, secundum consuetudinem suam addidit quæ addenda erant & improvisa & inconposita relecavit, & quæ erant secundum consuetudinem paganorum mutavit secundum legem Christianorum, & quicquid Theodericus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthæc Hildebertus Rex inchoavit, sed Chlodharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per viros inlustres Claudium, Chadoindum, Magnum & Agilolfum renovavit, & omnia vetera legum in melius transtulit, & unicuique genti scribtam tradidit. Factæ sunt autem leges ut earum in metu humana cohercerentur judicia tutaque sit inter probos innocentia, & in ipsis inprobis formido supplicii, & refrenandi nocentiam facultas est.

HOC DECRETVM EST APVD REGEM ET PRINCIPES eius, & apud cunctum populum Christianum qui infra regnum Mervvungorum consistunt.

HÆc ille veneranda codex vetustatis in ipsa Alamannia scriptus & in judicio publico propositus sub Comite Turgoviensi. Quæ sequuntur duo capitula in eodem codice adjecta habentur, sed alia à supercori & manu pennaq́; & atramento picta ea sunt.

VI. De juratoribus quales vel quantos secundum euua homo habere debet.

DE minoribus causis usque ad solidum valentem licet unicuique, qualem sacramentalem unum secum habere vult in suo sacramento continere. Nam si duas saigas valentes supra solidum res valuerint, de qua causa orta fuerit, tunc debet homo qui causam requirit, tres electos denominare, & ex denominatis tribus licentiam habet excusator reicere duos. tertium vero reicere non licet, sed ipsum secum in sacramento habere debet. Saiga autem est quarta pars tremissæ, hoc est denarius unus. Duæ saigæ duo denarii dicuntur. Tremissa autem est tertia pars solidi, & sunt denarii quatuor. Ita observandum est usque ad tres solidos. Et si supra tres solidos iterum duas saigas valentes aliquis interpellatus fuerit, tunc qui causam prosecutus fuerit, electionem faciat de conjuratoribus. Vnde excusator quales duos reicere voluerit, potestatem habeat, & cum duobus juratoribus juret. Iste ordo observandus est usque ad VI. solidos. Nam si duæ saigæ supra sunt, tunc cum quinque sua manu sexta jurare debet similiter cum electis sicut supra dictum est: & duos in omnibus istis ordinibus reicere licet. ita sacramenta sic debent esse jurata, ut illi conjuratores manus suas super capsam ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illum Deus adjuvet vel illæ reliquiæ, & ad illas manus quas comprehensas habet, ut de illa causa unde interpellatus est, culpabilis non sit.

VIII. Qualiter servi componendi sunt.

SI quis servum alienum occiderit, solidos XII. in capitale restituat, aut cum alio servo, qui habeat XIIII. palmas cum pollice replicato & duos digitos in longitudinem, & tres solidos in alio pretio superponat, quod fiunt simul solidi XV. Si quis Ecclesiasticum servum vel Regium occiderit, tripliciter componat, hoc est XLV. solidis.

FINIS.

CHARTARUM ET INSTRUMENTORUM VETERUM ALAMANNICORUM

CENTURIA UNA, IN CERTOS TITULOS DIGESTA.

DE INGENVITATE.

I.

Madalfredus.

Serva geniti, dum libera habita fuit, ingenui existunt.



Go quidem Haycho filius Vodalberti, devenit mihi ut in conjunctionem quandam fœminam mihi usurpassem nomine Otpirgam, quæ tunc temporis libera fuit, postea vero ab Emichone advocato ad ipsum monasterium S. Galli in servitium adquisita, & ex ea mihi liberi II procreati fuerant, quorum nomina erant Voluini & Voto. Ideoque propter conpassionem genitorum ne in conditionem servilem cogerentur, talis mihi decrevit voluntas, ut aliquid de rebus meis traderem ad monasterium locis illis aptum: quod & ita feci. Tradidi videlicet ad Hasumvvanc ipsa marca adherentem runcalem I. hobam etiam & amplius continentem, ea conditione, ut ipsi illic resideant & ibi laborent tempus vitæ suæ, & annis singulis censum inde persolvant qualicumque pretio potuerint solidum I. insuper & IIII. dies in messe aut ad fœnum colligendum perficiant. Si autem potestas monasterii istam traditionē inrumpere & eos alienigenare conaverit, tunc ego Haycho ipsas res licentiam habeam absque ullius contradictione in meam redigere potestatem. Si autem ipsi denominati per incuriam se inde abstraxerint seu ab alienarum conjunctione fœminarum seu aliqua causa casu accidente, tunc ipsæ præfatæ res ad monasterium revertantur ad perpetim possidendum. sign. ipsius Haychonis, & advocati monasterii Emichonis. sign. Actum ad Hasumvvanc præsentibus istis. sign. Engilhelm & Engilpoldi, sig. Hiltipoldi & Scalconis, sign. Cuntardi & Gisalolfi, sign. Cunzoni Presbyteri, & Regimberti, & Hucpoldi. Ego Madalfretus rogatus à Hrotoch Præposito scripsi. Notavi diem Martis V. KAL. Martias, regnante domno Hludovvico Rege anno XV. sub Gozberto Comite.

Si liber servum acceperit, quæ sit conditio prolium. Partitio liberorū inter Dominū & servā lege Alamannica sic fiebat, ut natu maximū filiū Dominus, sequentē liber pater, & sic deinceps, acciperet, idem in filiabus. Hæc Lex nō reperitur in superioribus capitulis: concordat tamen cū Novel. Iustiniani Imperat. 151. de prole partienda inter rusticos, & Novel. 162. c. 2. & seq & l. ultima C. de agricol. Servorum conditio, qui quod acquirunt Domino acquirunt etiam sub servos.

II.

Sintpertus Monachus.

IN Dei nomine, ego Vuarsind evenit mihi ut honesto amore accepissem quandam servam monasterii S. Galluni nomine Richildim, eamque in matrimonium sumpsissem, quæ mihi progenuerat IIII. filios his nominibus. Sintuuart, Fridpert, Vuanvvic & Halo, & unam filiam cognominem. Convenit autem Hartmanno venerabili Abbati & mihi Vuarsindo ut sub manu advocati sui Percichonis liberos meos juxta legem Alamannorum partiri haberemus. quod & feci, tradidique ad servitium monasterii duos filios, scilicet Sintuuart & Halo, sicut lex jubet. Filiam autem ne forte in servitutem amitterem, placuit redimere, quod & feci dedique alium mancipium legitimæ ætatis monasterio totaliter & ex integro possidendam & in pretio solidos II Actum in Constantia, in præsentia testium qui signaverunt sign. Vuarsind qui hanc conventionem scribere voluit, sign. Perichonis advocati monasterii, sign. Ruodgaud, sign. Ratpert, sign. Vuolco, sign. Mangold. Ego Sintpert humilis monachus rogatus à Vuarhind scripsi & subscripsi. Notavi diem Mercurii VIII KAL. Augusti, regnante Domino nostio Chuonrado Rege.

DE SERVITUTE.

III.

Albuinus Clericus.

IN Dei nomine, Ego Cotavvina ancillā Dei dono atque trado ad monasterium S. Galloni, ubi eius sacrus requiescit corpus & hoc est quod trado, quod ego in Lutinach visura sum habere, & in alio loco qui dicitur Beffindorf, & in locis, campis, silvis, & omnia quæ inibi visura sum habere, & casatos tres his nominibus, Ragingerius cum infantes suos his nominibus Rihgero, Vuantilone, Vualtricho, & uxore sua fastrata, & filio eorum Vuolfrido, & servo eius Isamberto, & alio servo nomine Vuoto, & Haccone qui est in concambio cum Vuichardo redemere se vult, det alium mancipium XI. manuum longum. Hi sunt testes qui præsentes fuerunt & signaverunt. sign. Cotavvinæ qui hanc traditionem fieri rogavit, sign. Vuichardi, sign Tuto, sign. Vuotahar, sign. Amalger, sign. Theotbald, sign Mairolt, sign. Tuilo, sign. Vuolfberti, sign. Asthari. Ego itaque Albuinus Clericus rogitus ab Cotavvina hanc cartum scripsi sub die VII. KL. Octob. in anno I. regnante Carolomanno Rege.

IIII.

IV.

Anonimus.

Anno Domini MCCLXXXXVIII. Wilhelmus Abbas monasterii S. Galli hæc conscribi fecit. Noverint universi quod Burchardus dictus Lou residens in Thurego, Adilheidis, Mechthildis, Adilheidis, & Gertrudis, filiastræ ipsius Burchardi, pertinent jure proprietatis ad monasterium nostrum prædictum, & quamdiu vixerint, tenentur dare annis singulis I. libram ceræ in recognitionem proprietatis. Post mortem vero eorum Abbas, qui pro tempore fuerit, de singulis mortuarium accipiet.

Donari, tradi, permutari, vendi apud Alamannos potuisse servos sub suis titulis exempla evincent.

DE MANVMISSIONE.

V.

Nandcrimus Monachus.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam superventuris, quod ego Vuolaliub cum manu advocati mei Engilboldi duo mancipia mea, id est Thiotonem & Vuadindam, in Dei amore libertate donavi, ea ramen ratione, ut annis singulis ad Cellam Ratpoti, quæ ad monasterium S. Galli pertinet, in censu IIII. denarios solvant. Actum in loco qui dicitur Rota publice præsentibus his quorum hic signa continentur. sign. Vuolaliub & advocati eius Engilboldi, qui hanc noticiam fieri voluerant, & aliorum testium, sig Engilhelm ✠ Cundhart ✠ Ruadker ✠ Vuano ✠ Oadalvvart ✠ Vuolfleip ✠ Reginker ✠ Tagapert ✠ Folcholt ✠ Sinderat ✠ Vto ✠ Vuato. Ego itaque Nandcrim indignus monachus ad vicem Richperti rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Iovis, VIII. KL. Majas, anno XXII. regni Hludovvici, sub Gozperto Comite. *Manumissio privata. de Nibalgovva.*

Aliud exemplum habes infra sub titulo De traditione rerum, in charta Hiringi monachi. Et aliud sub tibulo de precariis in charta Purgolfi subdiaconi.

VI.

Ernustus Cancellarius.

In nomine sanctæ & individuæ trinitatis, Hludovvicus divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis nostri quendam proprium servum nostrum Iohan nominatum, in præsentia fidelium nostrorum, per excussionem denarii de manu illius, juxta legem Salicam in elomosynam nostram liberum dimisimus, & ab omni jugo servitutis absoluimus, ejus quoque absolutionem hoc scripto firmavimus, quam in omni tempore firmam inviolabilemque mansuram esse volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut sicuti reliqui manumissi, qui per hujusmodi titulum absolutionis à Regibus vel Imperatoribus noscuntur esse relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Iohan bene ingenuus atque securus existat. & ut ista ingenuitatis pagina firma stabilisque consistat, annulo nostro eam consignari jussimus. *Manumissio coram Rege.*

Ernustus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovi. Data II. Kal. Iun. anno incarnationis Domini DCCCCVI. indict. VIIII. anno regni Domini Hludovici VII. Actum in Rottvvila feliciter. Amen.

VII.

Vuato Diaconus.

AVctoritas Ecclesiastica patenter ammonet, insuper & potestas Regia canonicæ religioni adsensum præbet, ut quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promovere Ecclesia quæque elegerit, in præsentia Sacerdotum canonicorum simul & Nobilium laicorum, & ejus cui subjectus est manumissione sub libertatis testamento sollemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Engildruda quondam meum famulum nomine Sigimarum, sacris ordinibus dignum, in præsentia nobilium virorum liberum ab omni vinculo servitutis dimitto. Cui Romanæ per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque securus permaneat, tanquam si ab origine fuisset parentibus liberis procreatus vel natus: eandem pergat partem quamcunque volens canonice elegerit, habensque portas apertas ita ut deinceps nec mihi nec successoribus meis ullum debeat noxiæ conditionis servitium, neq; aliquod libertatis obsequium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manumissionis aut ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat, suumque peculiare, quod habet aut quod adhuc adquiri poterit, faciat inde secundum canonicam libertatem quicquid voluerit. Et ut hæc testamenti ac ingenuitatis auctoritas inviolatam inconvulsamq; optineat firmitatem, ego Engildruda & Richolf advocatus meus amborum manibus subterfirmavimus, sacerdotes quoque ita nominati manus suas in præsentem ingenuitatis cartulam miserunt, Pero, Adalman, Hiltiger, Rodpot, Baldolt, Rantolf. Actum in villa Hoftrahum nuncupata, in præsentia Salomonis & Reginolfi missis Domni Hludovvici Regis sig. Hiltibaldi missi Honorati Comitis † Otkit † Liutpreht † Hadpert &c. Ego itaq; Vuato Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Iovis, in VIII. ID. Octobr. regnante Domno Hludovvico Rege Alamannorum & Peioariorum, sub Chonrato Duce nobilissimo, feliciter. Amen. *Manumissio in Ecclesia.* *Cuiacius Observat. lib. 14. c. 27.*

VIII.

Thiothartus.

Manumissio coempta proprio peculio.

IGitur dum pluribus cognitum esse constat, qualiter nos Grimaldus Abba & Advocatus noster Posso partibus monasterii S. Galli quendam hominem Vnderust nomine ad servitutis jugum attrahere voluimus. & ideo in mallo publico, coram Comite Vodalrico, scilic. Ego Grimaldus Abba & & prædictus Advocatus noster Posso illum pleniter ad servitium præfato monasterio nostro quæsivimus, nobisque & successoribus nostris illum subjugare conati sumus. Ille autem in eo consilio, prædictus videlicet Vnduruſt, studuit se reconciliare, quam servituti succumbere sagacibusque flagitationibus à nobis & Advocato nostro, ut se nobiscum pacificare voluisset. At nos propter amorem Domini illius rogitationibus sensum adcõmodentes consentiebamus, reconciliationẽ non renuentes. Atq; ob id jam dictus homo Vnduruſt de medio quod habuit territorio inter Hagenbah & Eligauge ac Snetta, juchos quattuor ad reconciliationẽ nobis dedit, scil. ut à die præsenti ita ingenuus consistat, quasi si ab ingenuis parentibus sit genitus: nosque ea ratione illud accipientes, quatenus ipse nostra ex parte ab omni servitutis vinculo sit exutus in perpetuum, totaque ejus agnatio, posteritas & procreatio similiter sit absoluta, sub ea conditione, quæ modo ab illo genita est & deinceps progenita fuerit, tamquam si ex liberis fuissent parentibus procreati, hocque conscriptionis vinculo firmari jussimus. Actum in Vuitarduro coram Vodalrico Comite & cætero populo. sig. Grimaldi Abbatis & Advocati sui Possonis, signa aliorum testium. Vodalricus Comes, Adalhol, Vuanzo, Adalhelm, Nidger, Landfrid, Altheri, Vto, Fridun, Lantolt, Heitar, Vuuinrat, Strello, Adalram, Other, Alpheri, Thiotpert, Cunzo, Hadabert, Huppert, Auto junior. Ego itaque Thiothart recognovi & subscripsi. Notavi diem Mercurii, II. Idus Febr. an XVII. Hludovvici Regis in Orientali Francia, sub Vodalrico Comite.

DE DOTE.

IX.

Formula Isonis.

** ita vocat ἀντίφερνα seu donationem propter nuptias.*

DVlcissima conjux mea atque amantissima nomine illo, Ego in Dei nomine N. sumpsit mihi consilium atque conplacuit, ut ego te mihi in conjugium accepissem: quod ita & feci. Propterea dono tibi * dotem, sicut nostris utriusque conplacuit amicis tibi donare, in pago illo in illo loco in villa nuncupata, id est rectam curtem cum sepe circumcinctam &c.

X.

Anonymus.

NOs Comites de Habisburg, videlicet Ruodolfus Lantgravius Alsatiæ, Ruodolfus Canonicus Ecclesiæ Basiliensis, Gothefridus & Eberhardus fratres, ejusdem Lantgravii patrueles, universis &c. Noverint igitur, quos nosse fuerit oportunum, quod cum nos curtes & prædia nostra in Dietigkon & Slieron sita jure proprietatis ad nos & nostros genitores pertinentia, à prædilecta domina & matre mea, videlicet prædicti Lantgravii, Heilvviga Comitissa, cui ipsæ curtes & prædia in recompensationem donationis propter nuptias titulo pignoris fuerant obligata, &c. Quicquid juris habemus in sæpe dictis universis & singulis bonis & hominibus, tam nos quam bonæ recordationis progenitores nostri Comites, videlicet Albertus mihi Lantgravio pater, nobis tribus fratribus patruus, Ruodolfus avus, Albertus proavus, ratione proprietatis vel infeodationis ab imperio usq; in præsentiarum divisum vel conjunctum & communiter habuisse & possedisse dignoscuntur, &c. Data an. Dom. MCCLIX. XVI. Kal. Novembr. indict. III.

DE DONATIONIBVS.

XI.

Pernhardus Subdiaconus.

Donatio facta liberis naturalibus.

SVperventuras igitur contentiones, quæ sæpius etiam causis ex minimis oriri solent, ad devitandas placuit mihi Amalperto traditionem, quam filiis meis feci, conscriptione firmari, & ad memoriam posteris tradere. Dedi itaque tribus filiis meis, Annoni, Amalperto & Reginfredo, qui mihi nati sunt ex ancilla S. Galli, omnem proprietatem meam, quam hodierna die in Vuolerammesvvilare visus sum possidere: ea videlicet ratione, ut eadem possessio sine ullius contradictione ab illis perpetualiter possideatur, censusque II. denariorum ab eisdem singulis annis persolvatur. Actum in Zuocevvilare in publico mallo Notkeri advocati coram monasterii S. Galli Abbate Cralone, aliisque testibus quorum hic nomina continentur. sig. Amalperti qui hanc traditionẽ fecit. signa & aliorum testium, qui ibidem præsentes affuerũt, Reiccho, Ruodpert, Vuito, Reginger, Vualthere, Ruodpert, Otachar, Kerbert, Reginbert, Vuineram, Heriman, Vualto. Ego itaq; Pernhardus Subdiaconus scripsi & subscripsi in vicem Vualdonis. Notavi diem feriam III. anno XII. Rege Ottone regnante sub Peringario Comite.

XII.

XII.

Alboinus.

Venerabilibus in Christo fratribus seu pro Christo peregrinantibus Iohanni Episcopo & Abbati una cum monachis suis sub norma sanctæ regulæ B. Benedicti constitutione degentibus in monasterio S. Galli confessoris seu S. Mariæ Semper-virginis, quæ est in pago Arbonense, Gebalinga filia Maginberti. Canonica sctiptura & antiqua legum auctoritas vel Principum decreta sanxerunt, ut unusquisque dum manet in corpore de propria quam possidet facultate voluntatem suam litteris inserat, ut perennis temporibus inviolata permaneat, quia nihil valet cuiquam lux fugitiva nisi quantum poterit de præsentia mercari æterna. Ideo ego jam dicta Gebalinda cogitavi æternam retributionem, dono à die præsenti quod in perpetuum donatum volo ad ipsa casa Dei jam dicta, id est loca nominata Lolinga omnia quicquid in eodem loco vel ubicumque visa sum habere de meis propriis facultatibus, omnia hæc trado in dominationem S. Galloni Confessoris seu & Rectoribus, ut post hunc diem potestatem habeatis omnia quicquid exinde pro utilitate monasterii ipsius facere volueritis, liberam ac firmissimam habeatis potestatem faciendi: in ea vero ratione ut ipsa res sub usu fructuario mihi habere liceat, & annis singulis censum exsolvam, id est, XII. maldras de prace, & duas maltras de frumento, & duas friskingas tremissas valentes, & post discessum filius meus vult similiter proservire, licentiam habeat usq; discessum ejus. Hæc quoque epistula traditionis omni tempore firma & inviolata permaneat cum stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. sign. Gebalindæ qui fieri rogavit, sign. Maginberti genitoris sui, sign. Vuidberti, sign. Balduini, sign. Gaozberti. Hæc omnia, quæ supra scribere rogavimus, sine ulla contradictione habeatis in ea ratione, ut numquam mutetis alium dare, nec minuere, nec vindere, sed sit stabilis ad ipsa loca sancta & si hæc neglegitis, revertat ad heredem proximum. Ego Alboinus rogitus scripsi & subscripsi. Data quod feci mense Iulio, anno XII. regente Karolo.

Mortis causa donatio.

DE TESTAMENTIS.

XIII.

Vmbertus Canonicus.

✠ In Christi nomine. Quicquid inter conjugatos de propria facultate, manente caritate, pro amore dilectionis unus ad alterum invicem condonare debemus: propterea ego Magnus facio tibi uxori meai Quintillanai, si me supervixeris, potestatem de omnibus, quantum mihi pertinet tibi legibus facere aut dare, antepono Falsiciam & antepono quod pro anima dare cupio, hoc sunt XXX. solidi nominativi inter Presbyteros & inter meos filiolos & inter proprium & inter mobile & qualis de meis parentibus aut tuis aut noster filiolus tibi melius servierit potestatem habeas illum ameliorare. Et simul facio ego Quintella tibi viro meo Magno omnia, quantum mihi pertinet tibi facere, si me supervixeris, omnia facio tibi in potestatem, antepono Falsiciam & antepono quod pro anima dare cupio, & qui tibi melius servierit, potestatem habeas illum ameliorare, qualem potestatem tu mihi fecisti de tua causa talem habeas de mea. Et si quis de heredibus nostris aut quilibet supposita persona, qui contra hanc umquam recausare voluerit, solvat duplum quod in carta ista continetur, & judici auri libras II. Facta carta in vico Pugo, mense Aprili, anno XV. regnante Domno nostro Einrico, & sub præsentia testium, signaverunt testes, Austus, Vigilius, Valentianus, Vuikeramnus, Valerius, Præstantius, Ovilio, Aimo, Aurilianus, Victor, item Victor. Et ego Vmbertus Canonicus rogitus ab Austo, qui fuit vicarius, hanc cartam scripsi.

Testamentum inter conjuges.

XIV.

Anonymus.

ISti sunt homines qui fuerunt in præsentia, quando Patarich heredem tradidit pro anima sua suum fratrem Ratolte in elemosyna sua. Isti sunt testes, sign. Huopreth, sign. Vuelant, sig. Ruadachar, sign. Cundram, sign. Kadalac, sign. Richpreth, sign. Tiffo, sign. Eborolt, sign. Buoso, sign. Chehart, sign. Ebores, sign. Vuacpreth, sign. Ruadarant, sign. Sikaheri, sign. Cundram, sign. Lanpreth, sign. Alaman. sign. Loacham, sign. Hiltapalt.

Testamentum Nuncupativū.

DE CODICILLIS.

XV.

Mano Diaconus.

EGo in Dei nomine Adalhram trado ad monasterium S. Galli quicquid in die exitus mei de hac luce in pecuniali causa non datum & non visitatum reliquerim, id est caballis domalibus cum cætero troppo, caballis cunctis, auro argentoque, scuta cum lanceis, vestibus, vel omnibus utensilibus, quas in die obitus mei non datas alicui & non usitatas reliquerim, trado ad jam dictum monasterium pro animæ meæ salute filiique mei Deotonis, ut nullo contradicente quicquid, ut jam diximus, in die obitus mei reliquerim, ad eundem cœnobium permaneat stabili-

Traditio Adalremmi de sua pecunia.

ſtabilitate perpetua ad habendum. Et ſi ullus ſit qui hoc contradicere voluerit, ut prædictæ res ad jam dictum monaſterium ſtare non debeant, de ſuis rebus talia quæ carta continet ad eundem cœnobium reſtituat, & fiſco proximo auri vncias V. & argenti pondera VII perſolvat, & nihilominus carta firma in æternum permaneat, quocumque modo rite manere & valere poteſt. Actum in villa quæ vocatur Sulaga, præſentibus qui hic ſubnotantur. ſign. Adalramni, Deotperti, Ruadperti Vuerinberti, Vuallodi, Puaſonis, Vualonrs, Richnandi, Perahtfridi, Tagaberti, Sicheri, Neriprehti, Liutprethi, Vuerinbrehti, Hagioni, Vuollonis, Meginoprehti, Ottachari, Vuoffonis, Adalprehti. Ego Mano Diaconus rogatus ſcripſi. Notavi die Veneris, pridia Kal. Auguſt. anno XL. regnante Domno Karolo, & II. Domni Regis Pippini, ſub Rihvvino Comite.

DE PERMVTATIONIBVS ET CONCAMBIIS.]

XVI.

Formula Iſonis.

OMne namque quod inter partes diverſas bonis moribus ſaniſque conſiliis diffinitum, neceſſe eſt propter jurgia futura ſubicienda ſuccedentibus temporibus conſcriptionis vinculo conligare. Sic itaque complacuit atque convenit inter illum Abbatem cum ad cœnobii illius vocato ſuo ſeu inter alios ſeculares inter illum & illum, ut ſimillas firmitates parique tenore conſcriptas cambii ſui emitterent, quas & emiſerunt. Ipſum autem cambium in eaſdem firmitatis emiſſiones nominatim viſum eſt nobis inſerendum. Deinde namque memoratus Abbas ſeu alius cum manu advocati ſui jam dicto homini illo in villa nuncupata juchos & de pratis ad carradas ad jus pertinens Sancti illius. & accepit ab illo in villa nuncupata juchos & de pratis ad carradas, ea duntaxat ratione, ut pars utraque acceptæ jus cambitionis deinceps inconvulſum & inviolabile perennibus temporibus abſque ullius inquietudine vel repetitione poſſideat, ſicque pari diffinitione ſanxerunt, ut ſi pars quælibet exin calumniam ingerere, hoc eſt, ſi aut memoratus Abbas ſeu ſucceſſores ipſius ſive jam dictus ille vel illius heredes aliquam repetitionem moliri temptaverint, ſit tunc pars parti tantum culpabilis quantum repetere præſumpſerit & in ærarium Regis auri uncias III. cogatur impendere: ſed nihilo minus præſens emiſſio cambii hujus perpetim ſui vigoris obtineat firmitatem, ita dumtaxat ſi Imperatoris clementiæ complacuerit. Actum in illo loco præſentibus iſtis. ſign. illius Abbatis & advocati ſui illius, ſign. illius Decani, ſign. præpoſiti, ſign. cellarii, ſign. cuſtoris, ſign. portarii, ſign camerarii, ſign. hoſpitarii, ſign aliorum teſtium. Ego itaque immerens Diaconus anno illo Imperatoris ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem illum, illam datam, ſub illo Comite. Amen.

XVII.

Theotardus Præpoſitus.

Permutatio prædiorum.

OMne quod inter diverſas partes bonis moribus ſaniſque conſiliis fuerit definitum, neceſſe eſt ob utilitatem ſervandæ pacis atque futura jurgia devitanda ſpacio temporis ſuccedente conſcriptionis vinculo colligare. Quapropter convenit inter quendam virum nomine Totonem; & inter Grimaldum monaſterii S. Galli Abbatem & advocatum ſuum Libonem una cum conſenſu fratrum quoddam concambium facere in Priſignovve, in loco qui dicitur Vuitinovva, quod & ita fecerunt. Ego igitur Toto ad monaſterium S. Galli dedi in præfato loco quattuor in juchos, & unam vineam in avia unius hominis labore procurandam: ea videlicet ratione, ut econtra Rectores ipſius monaſterii in concambium mihi donarent, quicquid in ſaltu Svarzvvald juxta fluvium Melia hodierna die extirpatum & cultum haberent. Quod illi quoque meæ poteſtati conceſſerunt, ita dumtaxat, ut ſicut jam ſupra dixi, quicquid in ipſa cella extirpatum poſſiderent, in concambium mihimetipſi ſine ulla contradictione poſſiderem: cætera vero, id eſt inculta quæque ipſamque ſilvam & poteſtatem cædendorum lignorum, nec non adjacentia cuncta, paſcuas, marchas, aquarumque decurſiones, ipſam quoque viam ſibi reſervaverunt in perpetuum. Præterea quippe ego Toto ipſos obnixè rogavi, ut mihi unum pratum juxta eundum fluviolum concederent, promittens me partem proprietatis meæ poſtea illis donaturum. Idipſum vero, ut promiſſa factis implerem, ſimiliter egerant, & conſcriptione ſtabilitatis firmaverunt. Hæc quoq; condictio concambii tali ratione firmata eſt, ut hæc præſens concambii carta ex utraque parte firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum in Chiricheim in cubiculo Regis publice, præſentibus iſtis quorum hic ſigna continentur. ſign. Totoni qui hoc concambium cum Grimaldo Abbate & advocato ſuo Libone perpetravit. ſign. Vuitperti † Pero † Vuoluini † Hagano † Libo iunior † Vto † Iſanhart † Erchanfrid † Ridhard † Meginbert, item † Vto, item † Vuitpert. Ego itaque Theodhardus Præpoſitus vice Remmingi Presbyteri rogatus ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Martis, II. Non. April. an. XXVII. regni Hludovvici in Orientali Francia, ſub Karolo principe ejuſdem Hludovvici Regis filio.

XVIII.

XVIII.

Risine Subdiaconus.

OMne namque, quod inter partes diversas sanis diffinitum fuerit consiliis, propter jurgia devitanda subsequentia conscriptionis vinculo firmare necessarium est. convenit igitur Hartmotum Abbatem cœnobii S. Galli suumque advocatum Heitar cum Vuitperto Domni Regis vasallo, cum licentia Domni Regis Hludovvici, ut firmitates pari ratione conscriptas sui perpetrarent concambii, sicut & fecerunt. Dedit namque memoratus Abba sex parte monasterii S. Galli in pago qui dicitur Zurrichgauge, & in loco Richanbach nominato V. hobas de terra arabili, & casas cum curtis cæterisque ædificiis, atque cum silvaticis marchis ad easdem pertinentibus, & in alio loco qui dicitur Vaginesvvilare I. hobam plenam de terra culta: & accepit de supradicto Vuitperto vassallo Domni Regis ex parte sui beneficii in eodem pago & in loco Velebach nuncupato II. hobas. & casas cum curtis, cæterisque ædificiis, atq; unam silvulam ad eundem locum pertinentem, nec non & piscationis usum illius laci, qui supradicto loco contiguus fore videtur; ea videlicet ratione, ut utraque pars accepti jus concambii perpetuis deinceps temporibus inconvulsum & inviolabile absq; ullius inquietudine vel repetitione possideat. Præsens ergo concambii carta ex utraque parte omni tempore firma stabilisque permaneat cum stipulatione subnexa. Actum in cute regia Zurich, præsentibus istis quorum hic signacula continentur. sign. Harmoti Abbatis & advocati sui Heitar., qui hoc concambium fieri voluerunt. sign. Tiotharti Decani, sig. Folchardi Præpositi., sig Richperti sacratarii, sig. Erchangeri cellararii, sign. Ortuvini Camerarii, sig. Palderici Portarii, sig. Engilrammi hospitarii, sig. & aliorum testium † Vuitpert. † Vuillichere † Reginbert † Ooazo † Adalbert † Erchanbert † Vuolfhart † Plidker † Paldine † Paldolt † Anno † Azzo † Cozram. Ego itaque Rifine indignus monachus atque subdiaconus ad vicem Folchardi præpositi rogatus scripsi & subscripsi. Notaui diem Iovis, III. Nonn. Decemb. anno XXXVII. Hludovici Regis, sub Humfrido Comite.

Permutatio vasalli cum licētia Domini.

XIX.

Notkerus.

EGo Hugpreht prouidens paupertati & opportunitati meæ trado ad monasterium S. Galli in Zurichgouue, in loco qui dicitur Eskinghoua ad curtem Lintouua pertinente, VIII. iuchos de terra statim in ius monasterii redigendos: & accepi inde alios VIII. iuchos in Durgouue, in loco qui dicitur Eilickeuue: ea ratione ut dies vitæ meæ terram sub censu unius denarii possideam, similiter & uxor mea post me, & post nostrum obitum in ius monasterii revocetur. Actum in cella, Id. Febr. anno imperii Karoli secundi secundo Adalberto Comite in Durgouue. & hi sunt testes, Othere, Buozo, Zuozo, Maganloh, Cozolt, Erchanolt, Eburhart, Rathere, Vodalhart. Hildibold, Adalung. Ricgouuo. Ego Notker iussus descripsi.

Permutatio cū traditione precaria.

XX.

Ratpertus Monachus.

NOuerit igitur multorum industria, quia ego Vualdthram rogavi Salomonem venerabilem Episcopum & Abbatem monasterii S. Galli, ut mihi cum consensu fratrum quandam terram concederet facere commutationem, quod ita & fecit. Dedi etiam ad monasterium S. Galli iurnales tres in pago Turgeuue in villa Stamheim de optima terra: & accepi econtra de rebus ipsius monasterii jugerum unum in duobus locis situm, & ut hoc concambium perpetualiter inconuulsum permaneat, manu propria eum firmaui. sign. Vualdthrami, qui hunc libellum fieri & firmari rogauit. sign. Eskerici advocati, Folchart, Reginger, Horskolf, Vualdhere, Kisalhere, Lantpold, &c. Ego itaque Ratpertus monachus rogatus anno DCCCCII. Dominicæ incarnationis, anno III. Regis Hludouuici, Idus Februarias, die Mercurii scripsi & subscripsi.

Permutatio fundorum.

XXI.

Sigibertus Presbyter.

IN Christi nomine. Ego itaque Salomon Constantiensis Ecclesiæ Episcopus & Abba monasterii S. Galli, qualiter ego una cum consensu fratrum & advocati nostri Amalungi quoddam concambium facere cum Engilrammo quodam religioso viro decrevi, quod ita & feci. Tradidit enim nobis præfatus homo Engilram silvulam unam bonam in Eilikovvaromarcho & agrum unum ad eam pertingentem. alium in Rammelinchouan, tertium in Pipineshouestetin cum prato, quartum in Aadoruaromarcho: & ipse econtra à nobis accepit hobam unam in Tanninchouaromarcho, in loco qui dicitur Meistereshusa. ea videlicet ratione, ut ea quæ nobis dederat, inconuulsa perpetualiter habeamus, & illa quæ nos illi dedimus, similiter habeat & legitima eius procreatio absque ullius contradictione perpetualiter possidenda. Actum in Eilikovve præsentibus quorum hic signa continentur. Signum Salomonis, qui hoc concambium fieri voluit, signum Ecchonis Decani † Ruodkeri æditui † Peronis Portarii, † Witonis hospitarii † Engilberti præpositi. Signum & aliorum ibidem præsentium,

 † Ama-

† Amalunch † Arolf † Perihker † Ruodhoo † Liutine † Adalho † Heitar † Hadamar † Ratire † Hugimar † Vuihart † Petrus † Kerrat † Edilloz, &c Ego itaque Sigibert indignus presbyter ad vicem Nordperti ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Lunis, X. Kal. Iun. annum III. Chuanradi Regis, Vdalricum Comitem.

XXII.

Herimotus Monachus.

Permutatio ſervorum. de Argungovve.

INter duales igitur partes quicquid ſanis aptiſque conſiliis diffinitur, ob futura devitanda jurgia conſciptionis titulo neceſſe eſt ut confirmetur. Quapropter complacuit mihi Grimaldo Abbati, Podalolto advocato noſtro, omnibusque fratribus cœobii S. Galli conſentientibus, uti concambii communi ſenſu cum Vualdrammo* perpetrati conſcriptiones pari ratione depictæ perpetrarentur. Dedit namque nobis idem Vualdrammus duo mancipia, quorum nomina ſunt Suablind & Cozrud, accepitque è contrario à nobis tria mancipia, quorum unum vocatur Adalſind, aliud Hiltiſind, tertium Cuata. eo videlicet pacto ut utraque pars eorundem mancipiorum concambii ratione utrimque contraditorum liberam in omnibus habeat poteſtatem, nullamque ulterius ob illa moleſtiam pars parti audeat inferre. Actum in Liubilaha publicè, præſentibus iſtis, quorum nomina hic ſcripta tenentur. Sig. Grimaldi Abbatis, & advocati ſui Podalolti † Folcharati, Ruadinc † Machelm † Thiothere Chunibreth † Selbo &c. Ego itaque Herimpt indignus Monachus ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Martis, anno XVIII. regni Hludovvici, ſub Vuelfone Comite.

XXIII.

Ruadgangus.

de Aragangevve.

NOtum eſſe plurimis deſideramus, qualiter ego* Sigibertus concambium feci cum Grimalto venerabili Abbate & ipſius advocato Hiltibranto. Dedi ergo eis in dominium domus S. Galli Chriſti Confeſſoris ſervos, nominibus his Gaudentium & Herigerum. Ipſe verò conſilio cum fratribus ejuſdem monaſterii S. Galli inito, unà cum manu advocati ſui prædicti Hildibrantiècontra dedit mihi alios ſervos nominibus Rato & Selihger, ſimili recompenſatione probatos. Si quis ſit qui libellum hujus concambii inrumpere temptet, inchoatum ſuum nullo peragat ingenio, ſed firma permaneat. Actum in villa Ruadgozzesvvilare coram iſtis teſtibus. Sig. Sigiberti qui hoc concambium fecit. Sig. ceterorum teſtium, Thiethere, Erline, Eskerihc, Madalpret, Sigzro, Vuerimpret, Iſinpret, Vuitpot, Altine, Folcholt, Edilleoz, Vuenito. Anno, regnante Hludovvico ſereniſſimo Rege, XXXI. Ego itaque Ruadganc ſcripſi & ſubſcripſi. notavi diem Veneris, XVIII. Kalend. Mai, ſub Vodalrico Comite.

XXIV.

Radpertus Levita.

NOtum ſit omnibus præſentibus atque futuris, quod ego Bernhardus Abba monaſterii S. Galli rogatus ſum pro concambio cujuſdam ancillæ mnaſterii noſtri, cui nomen eſt Paldſind, à quodam homine cui nomen eſt Tiſi. Convenit ergo atque conplacuit ex utraque parte, ut nos illi traderemus prædictam Paldſindam, & nos econtra in concambium reciperemus ancillam proprii juris ipſius nomine Adalhiltam, quod cum conſenſu fratrum noſtrorum, & cum manu Advocati noſtri Vuitonis firmavimus atque peregimus. Actum in Vuintatura publicè, in præſentia legatorum Imperatoris, Salomonis Epiſcopi, Kotzperti Comitis, Ruadhari Abbatis, Hilleboldi Comitis, in præſentia Adalberti Comitis. Sig Bernhardi Abbatis & Advocati ejus Vuitonis, qui hoc patraverunt. Sig. Landfrid, Rochfrid, Andreas, Ichere, Reginger, Pato, Kunderoch, item Landfrid. Ego itaque Ratpert indignus Levita ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem VI. feriam III. Idus Novembr annum Karoli Imperatoris V.

DE TRANSACTIONIBVS ET PACTIONIBVS.

XXV.

Formulæ Iſonis.

DVm conſtet plurimis, quod à quodam homine nomine illo advocatus cœnobii Sancti illius, pro rebus quas ille in illo loco ſitas ad partem jam dicti monaſterii contradidit, frequenter pro illis rebus interpellatus eſt. Qua ex re utrimque complacuit atque convenit, ut devitandæ deinceps cauſa contentionis præfatæ res, pro quibus nos & advocatum noſtrum interpellat, ad nos pleniter, id eſt ad poteſtatem monaſterii redeant perpetim poſſidendæ: accipiatque à parte ejuſdem monaſterii aliquo territorium in confinio villæ illius nomine nuncupata, hoc eſt totidem juchos ſub tali conventione ut etiam deinceps neutra ullam inquietudinem ſeu repetitionem moliatur. Quod ſi inchoatum fuerit, ſit tunc pars alteri tantum culpabilis quantum expetit, & quod malo ingenio repetit evindicare non valeat, ſed præſens conventionis cartula perennem obtineat vigorem ſtipulatione ſubnexa. Actum in illo loco publicè. Sig. illius Abbatis & advocati ſui illius, qui hanc conventionis cartulam perpetraverunt. ſ. Decani, Cuſtoris, Præpoſiti, Cellerarii, Portarii, Camerarii, Hoſpitarii. ſ. aliorum teſtium. Ego itaque ille rogatus ſcripſi. notavi diem illum, in illa data, anno illo illius Imperatoris, ſub illo Comite.

XXVI.

XXVI.

Vuolfcozus.

OB amorem itaque omnipotentis Domini unicuique est summopere pensandum qualiter ubique pax & concordia construatur ac solidetur, & jurgia atque discordia quomodo devitentur & destruantur omnimodis est satagendum. Pluribus scilicet notum esse non dubitamus, qualis contentio facta est inter Grimaldum Abbatem ex rebus monasterii S. Galli & quendam hominem nomine Notgerum, in loco qui propter fontium ubertatem vocatur Prunnon. Nos itaq; id est Grimaldus Abba & advocatus ejus Posso prædictum locum cum omnibus adjacentiis ejus, sicut situm est inter duos rivulos, id est Cunzenpahc & Muasilenpach, dominationi S. Galli jure pertinere cum totius populi testificatione dicebant: Ipse verò Notger nequaquam consentire voluit, sed præfatas res suæ proprietati vindicabat. Sed postquam seipsum recognovit, quandam pacificationem accipere non rennuimus, sed accipere decrevimus. Dedit itaque nobis ipse præfatus homo Notger juchos XCII. inter Masinang & Adalgozzeshuson, & in loco qui vocatur Loupmeisso: nos ex nostra parte debuimus illi jugera VIII. illa etiam ad supradictum numerum complendum nobis dimisit, ea tamen conditione ut in præfato saltu, qui adjacet jam dicto loco id est Prunnon, inter illos rivulos qui nominantur Cunzenpach & Muasilenpach, omnem utilitatem id est in pascuis, in ædificationibus, in lignis cædendis, & in omnibus quibus homo in communi saltu uti potest utendi potestatem habeamus: & si quid in eodem saltu adhuc minime sit comprehensium, absque ullius infestatione comprehendi potestatem habeamus. Insuper eo condictu, ut & illa anterior pax & concordia firma ac stabilis permaneat. Hanc itaque concordiam præfatus Notger ea ratione solidavit, ut si quid in ipso die, quando hæc concordia est condicta, ex parte monasterii malli vel conquestus ad ipsum haberet, funditus ex nostra parte omitteretur. Post istius verò concordiæ condictionem placuit utrimque ob stabilitatem pacis & firmitatem conventionis coram Comite & cuncto populo cartas concordiæ emittere, ut ultrà neutra pars partem inquietare præsumat; sed hæc concordiæ carta per temporum curricula permaneat inconvulsa. Actum in Loupmeisso publicè, præsentibus istis. Sig. Grimaldi Abbatis & advocati sui Possonis, qui hanc concordiæ cartam fieri concesserunt. Sig. Oaldrici Comitis. Adalpert, Rihini, Vuanzzo, Nidger, Blidger, Lantfrid, Ruadger, Hartpert, Hagano, Ascheri, Rohfrid, Lantolt, Mahtarat, Adalho, Tagabert, Alpheri, Hadabert, Erimbert, Itheri, Vuolfger, Vualtfrid, Muning, Hungoz, Isanheri, Puato, Huato, Strello, Ekho, &c Ego itaque Vuolfcoz anno XV. Hludovvici Regis regno in Orientali Francia scripsi & subscripsi die veneris, XIIII. Kal. MART. sub Oadalricho Comite.

XXVII.

Anonymus.

QVoniam igitur more fluminum humana tempora defluunt, & præsentium modò vita modò memoria intercidit, necesse est gesta seu dicta priorum scriptis transmittere notitiæ futurorum. Ideo complacuit nobis, Abbati videlicet monasterii S Galli Craloni cum fratribus cœnobii nostri & Notgero advocato nostro, ut conventionem quæ inter nos & illum facta est adnotatione præsentis cartulæ roboremus. Cujus negotium pactionis ita se habet. Ex traditione Otharii quondam tribuni, ejusque neptis Kerchildæ quoddam prædium, quod Iohannisvilla dicitur, investitura monasterii erat, quod præfatus Notgerus omni genere studii quasi hæres Otharii repetere, publicaque mallatione monasterio abstrahere conabatur. Adversus quem cum diu multumque ex parte cœnobii fuisset decertatum, nec certum contentio finem invenisset, convenientibus crebro pro hac re utriusque partis plurimis, novissimè consilium incidit, ut quia idem Notgerus vassus noster & advocatus monasterii erat, III hobas in Vzzinvvilare, & alpem pascuam, quam ab Vodalrico Chadalohi filio acquisierat, ad monasterium contraderet, & quod repetebat prædium à nobis ad tempus vitæ suæ reciperet. quod & factum est. Restituimus enim ei sub eadem conditione locum quem diu flagitaverat, ut deleta altercationis discordia fideliorē eum deinceps ac devotiorem habere possemus. Quam ille proprietatem cum potestative possedisset, ad monasterium multis testibus adhibitis reddidit atque revestivit, insuperque prænotatas hobas in Vzzinvvilare cum alpe jam dicta S. Gallo nobisque contradidit. Ea dumtaxat ratione, ut ipse hæc omnia ad tempus vitæ suæ possideat, redemptione omninò denegata: post mortem verò ejus ipsa loca cum XV. mancipiis & omnibus mobilibus, quæ illo tempore ibi fuerint inventa, ad monasterium ex integro revertantur, excepta uxoris pecunia, & domesticorum illius servitorum supellectilibus, & ut eædem possessiones nulli ulterius secularium in beneficium dentur, sed ad usus fratrum in monasterio Deo famulantium annuatim proficiant. . . . .

XXVIII.

Etcho Archipresbyter.

NOtum sit omnibus, videlicet præsentibus & futuris, quod ego Salomon Iunior Constantiensis sedis Episcopus, & Hartmotus cœnobii S. Galli Abba, unà cum convenientia & con-

& consilio utroque loco fratrum, ceterorumque fidelium nostrorum, omnem malitiosæ artis litem atque dissensionis contentionem de subscripta re ipsis in locis in futurum præcavendum, statuimus inter nos, ut venerabili Abbati & fratribus prædicti monasterii decimam in subnotatis locis, sicut illius temporis in illorum erat vestitura, concederemus, hoc est in Mechingen simul cum Salica terra & hobis, quæ Canonicis pertinebant; & in Heminhofun cum Salica terra & hobis: & in Goldahun cum Salica terra, simul cum illa hoba, quæ illi adiacet, cujus decima tunc in mea vestitura erat: quod & ita feci, ea scilicet ratione, ut mihi contra donarent, quicquid in Lienzevvilare habuissent, & in villa Buoch hobam unam & in Syrnaha curtilem unam simul cum adiacente prato, & quicquid habuissent in silvicola; quæ dicitur Tegeramos inter Syrnaha & Gloten: quod & ita fecere. Et ut firmior & credibilior omnibus in futurum maneret, placuit inter nos chartam pacationis ex utraque parte allevari, quod Tuitisce Suonbuoch nominamus, cum manibus Advocatorum nostrorum Isamberti & Lantolfi, successores nostros ammonendo ut absque ullius inquietudinis scrupulo inconvulsa & stabilis omni tempore in ævum permaneat. Sig Salomonis Episcopi & Hartmoti Abbatis, qui hanc cartam pacationis fieri decreverunt. Sig. Fratrum monachorum, Perenhard, Rimeding, Iob, Erfolt. Signa fratrum Canonicorum, Henno, Etcho, Tageman, Hartpreht. Signa ceterorum testium, Hartpert, Engilbold, Gano, Vritto, Vuetti, Starcafrid, Ruohbert, Thietbold, Ruohtpert, Vuerdo, Herebrant, Otto, Vuolfram, Miloh, Hugoz Actum in villa Romanishorn, anno regnante, Imperatore Karolo II. sub Comite Adalberto, mense Iunio, die Veneris, indicione XV. Ego itaque Etcho indignus Archipresbyter jussus scripsi.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

XXIX.

Vuaringilus Cancellarius.

DOminis in Christo fratribus congregationis S. Galli, ubi Iohannes Episcopus vel Abbas præesse videtur, cum Hartrico Degano & Bilifrido Præposito, & aliis quamvis plurimis. Ego itaque Rihbertus filius Cozberti vinditor: constat me vobis vindidisse, hoc est in pago Durgauinse in villa, quæ dicitur Bettinovva, quicquid ego ab Adalsuinda cum eo pretio adquesivi, hoc est jurnales XXV. cum omnia quicquid ad ipsam terram conspicit vel continet, hoc est campis, silvis, pratis, pascuis, viis, aquis, aquarumque decursibus cum omni adjacentia vel appendicia à die præsenti de meo jure in vestram trado dominationem, habendi, commutandi, vindendi, vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmissimam habeatis potestatem faciendi. Et accipio à vobis servum nomine Rhadoinum ad taxatum pretium coram testibus, quorum hic nomina continentur. Sig Rihbertus vinditor. Sig. Vuanzo Sig. Iso test. Sig. Erchanbert test. Sig Theotbaldo test. Sign. Haribaldo test. Sign. Rehinbert test. Sign. Vuolfram notarius. Ego enim Varingisus Cancellarius rogitus & petitus à Rihberto scripsi & subscripsi anno IIII. regnante Carolo gloriosissimo Rege. Notavi sub die quod feci, mense Iunio die octavo, sub Vuarino Comite.

XXX.

Andreas Presbyter.

IN Christo nomine. Dulcissime mihi atque amatissime & unica adflictione colende. Ego itaque Andreas Presbyter escripsi rogitus à Baldilane, Folheriguer & Honilenda hanc cartulam. Constat eos vindere & vindiderunt tibi * Folhuino agrum adpostes modiorum III. Confinit da una parte Majonem & da alia parte terram de Constanti Nigri. Precium placitum adque finitum valiente in ferro liberas XX. quod precium vinditor ab emtore de præsente accepit, & ipsum agrum tradidit emtori ad possidendum, ut ab hac die habeas, teneas, possedeas, tuo iure vindicis adque defendas, & quicquid exinde facere volueris habeas potestatem. Et si quis quod fieri non credimus, si aliquis aliquando contra hanc vinditionem ire, temtare vel inrumpere voluerit, solvat judici publico dublam terram, & cartula ista firma permaneat legis stipulatione subnixa, qui omnium cartarum adcommodat firmitatem. Facta cartula vinditionis in vico Vinnona, XII. Kalen. Ianuarias, sub regnum Imperatoris Lodugi, sub præsentia plurimorum testium, qui ab eos rogiti venerunt vel signa fecerunt. Notavi diem & regnum. Sign. Baldilanes, & Folherici, & Honilendas vintores, qui hanc cartulam fieri voluerunt. Sign. Flavini, Honorati, Sulvanus, Sejanus, Estarculfus, Aerarius, Vuihramnus, &c.

* Rangvvil.

XXXI.

Laveso Presbyter.

IN Christo nomine. Annu XIIII. regn. Lodovicu Rege de Bajovaria filiu Lodovici Imperatoris scripsi ego Laveso Presbyter rogitus & peditus à filios Pociani, Vigelium, & Orficinum, & Valerium, & Autropiane, & Veneranda, & filios Fotejas, ipsos præsentes mihi adq; dictantes & manus suas proprias subterfirmantes. Constat eos vindere & vindidere sub legitimu jure strumentorum Alderamno, qui commanet in forasta numcupante Salectum, hoc

hoc est solum cum casas de comparatione in fundo Quaradeves, confinit duas partes in Passivi & de una in via publica. & precium placitum adq; finitum valientem solid. XV. & ipsum venditores ad emptorem, & de præsente receperunt, & ipsum solum vel casas tradiderunt emtori ad possedendum, ut ab hac die habeat, teneat, possedeat, suo jure vindicet adque defendat, & quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Et si quis, quod fieri non credimus, si aliquis aliquando contra hunc strumentum ire, temtare, aut inrumpere voluerit, persolvat duplum solum cum casas, & judici culpabilis auri uncias VI. & quod repetit, nihil valeat vindicare, Aquiliæ & Archadiæ legis stibulatione subnixa, qui omnium cartarum adcommodat firmitatem. Factum strumentum in vico Quaradiues, IIII. NON. Ianuar. sub præsentia bonorum virorum qui ab eos rogiti venerunt vel signa fecerunt. Notavi diem, & regnum superscripsi. Sig. Vigilii & Orficini & Valerii & Autropianes & Venerandas & filios Fonteias, venditores qui hunc strumentum fieri rogaverunt. testes. sign. Folcarini, Ebutionis, Vrsi, alii Folcarini, Vuidonis, Basili, Magni, Aginonis, Adalciani, Dominici, Constantini, Latini, Ieroncius, alius Ieroncius. Ego Laveso Presbyter rogitus scripsi.

XXXII.

Vuilimannus Clericus.

IN Christi nomine. Annu XXXI. regnante Donmu nostru Luduvvicu Rege scripsi ego Vuilimannus Clericus rogitus ad Valeriu, qui dedit ad vicem Magnanes. Constat eum vendere, & vendidit tibi sanctoque Gallone agrum in Gisimu Modiorum III. Da una parte confinit infantes Magnanes, & ex alia parte ipsos emptores, & in contra recepit pretium venditor ab emptore cum vocato suo Honorato & cum maiore suo Abraam, dederunt illi IIII. tremenses in ferro valientes, & tradidit ipsa terra emtores suos in perpetuum ad possidendum, ut abeant, possedeant, & faciendi exinde quicquid voluerint potestatem. Si quis verò, quod fieri non credimus, si aliquis aliquando de nos vel de heredibus nostris aut quidlibet persona, qui contra hanc cartulam vindicionis ire, temptare, vel inrumpere voluerit, solvat dubla carta cui comutare voluerit, & judici auri liberas II. Facta carta vindicionis in vico Vinnona, Idus Madii sub præsentia bonorum testium, qui ab eum rogiti venerunt vel signa fecerunt. Notavi diem & regnum. Sig. Valerii qui fuit ad vicem Magnanes, qui hanc cartam fieri rogavit. Testes. Honoratus, Abraam, Balfredus, Vrsus, Petto, item Vrsus, Rapertus, Albuinus.

XXXIII.

Vmbertus Canonicus.

✠ In Christi nominè. Anno XIIII regnante Domino nostro Einrico scripsi ego Vmbertus Canonicus rogitus à Mannone, qui fuit à vice Iohannentes & uxoris suæ Dominiganes. Constat eos vendere & vendiderunt tibi Magno & uxori tuæ Quintellanai cortinum aroncale, quem habuerunt de sui patris & quem adquesivit de Lovanes, cum pomifera ex integro quantum ibidem habuit. Confinit in via ex alia parte in coltura & II. mediorum de terra ibi sec. confinit ipso cortino de capite de latus in Magnanes, de alium in via & II. melarios, in ipso loco in ipso agro & I. sestairale in roncale confinit in Leones ex alia parte ipso Magno. Et Falsicia exinde in alia nostra terra in roncale, & Falsicia de illum Cortinum aut de illa pomifera in alio nostro cortino qui non aforella. Et tradiderunt venditores emptori sine emptore, sine omne censu, & ab omne homine per mundum; precium in contra solidi X. Et si quis ire, temptare, vel inrumpere voluerit, solvat duplum, quod in carta ista continet, & judici aurum libr. II. Facta carta in vico Pugo, mense Aprili, & sub præsentia testium. Sig. test. Manno, Austus, Magnus, Præstantius, Victor, Solvanus, Valentianus, Valerius.

DE RERVM TRADITIONE.

XXXIV.

Formula Isonis.

EGo in Dei nomine illa cum manu Advocati mei nomine illo trado ad monasterium sancti illius mancipia totidem, quorum hæc sunt nomina. Sed extra hos unum servum emptitium nomine illo. In ea videlicet ratione, ut ea habeam tempus vitæ meæ censumq; annis singulis solvam, id est tantum: & si redimere voluero, cum tanto redimam. Illum verò supra nominatum servum nomine illo in eundem censum habeam tempus vitæ meæ; & si redimere voluero, cum tanto precio redimam. Post obitum vero meum, si ante non redimero, omnia ad jam dictum monasterium redeant perpetim possidenda. Si quis verò contra hanc cartulam traditionis venire atque inrumpere temtaverit, illa multa componat, sicut in lege Alamannorum continetur. Actum in illo loco publicè, &c.

XXXV.

Audo Clericus.

IN Christi nomine. Nos verò Cauzoinus costa me dare adque donare Audemaro Appati de parvola terrola mia pro mircede anime mee, vil pro sirvitium sum, vil pro nodricamintum que intir vivo servia Audemaro; & ille me notricet & avead podistade quantu ad me adperte, nit, casa, sola, orta, agra, prada, in pomifferis, in silvis fructefferis, in pascuis, & aquis, & accesso suis, omnia ex ònibus ex entegru quantum ad ipsum adpertenit. Et si quis, cot non credimus, aliquis aliquando de heredis meus contra hunc factuque eo pro mercede vil pro nodrimintu que me Audemaros notricat, ire, temtare, à inronpere voluerit, ad escomunicados da sancta ecclesia, & salva judici ari liveras II. & cartula donationis sua optenia firmitatem. Aquilianis Arcatianis leges estibulationis, qui à omnium cartarum adcommoda firmitacem. Facta cartola donationis anno XXX post regnu Domini nostri Dacopirti Reies, die tertiu Calandas settenbris, sup presentia tistium ab eo roiedi sunt suscripturi vil segna facturi. Nodavi die, & regnum, & testis qui suscrivere conrogaverunt. Signum Cauzoini, qui hunc cartola fieri rocavit. signum Baldoaldi testis. signum Ascari testis signum Quolpoaldi testis. signum Lantcotti testis signum Landonis testis. signum Trudolfii testis. signum Frittonis testis. Ego Quolfuinus fui intir, ubi hunc cartola facta est. Ego Audo Clericus roietus ad Cauzoinu hunc cartola escripsi & in testimonio suscripsi cartola donationis Audemari Apatis fruniscat con cratia Dei & sancti Petri.

XXXVI.

Silvester Diaconus.

IN Christi nomine. Ego Rinulfus cogitavi Dei intuitum, vel divinam retributionem, vel peccatorum meorum veniam promerere. Propterea vernaculam juris mei terram eam in loco nuncopanti quod dicitur *Petinvillare, quantum mihi Deus donavit, & parentis mei in hereditate dimiserunt, trado, servum Allidulfum cum omnia mea, cum agris, cum pradis, cum canpis, cum aquis, cum silvis, cum pumiferis, trado de meo jure S Galloni ad possedendum, & postea quidquid exinde facere volueris vendendi, donandi, possedendi, liberam in omibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel ulla opposita persona, qui contra hanc donationem venire aut agere temptaverit, in primis Dei iram incorrat: & à communione corporis vel sacerdotum extranius sit, & in fisco solvat auri libras duas & argenti pondera quinque: & quod petit, vendicare non valeat, sed præsens hæc carta omni tempore firma permaneat, cum extipulatione subnixa. Actum præsentibus, quorum signacula continentur. sign. Rinolfi qui hanc donationem fieri rogavit, sign. Ruodolfi, sign. Ascari, sign. Audonis, sign Fredualdi, sign. Ariberti, sign Suabonis, sign. Ludualdi, sign. Suzcini, sign Odpadi, sign. Eftegi, sign. Acconis, sign. Zilonis, sign. Ruodcoz. Notavi quod feci in mense Iunio, V. id Iulias, in anno XV. regnante Domno nostro Teoderico Rege supra Carulum Majorem Domus. Ego quanquam peccator Silvester escripsi in Dei nomine, Amen.

* Pettinuuisou.

XXXVII.

Idem.

IN Dei nomine ego Lantbertus filius Laudoaldi condam; talis mihi sumpsit consilius pro animæ meæ salutem, ut res meas ad aliqua loca sanctorum condonare deberem quod & ita feci. dono adque trado ad monasterium S. Gallonis qui est constructus in pago Arbonense, ubi eius sacrus requiescit corpus; & hoc est quod dono in pago Durgauginse, set in sito Zurihgavvia, in his locis quorum hic nomina denuntiantur, hoc est in villa quæ dicitur Illenavvia, & in Erpfratinchova, & in Makisinchova, & in Vzinaha, & in Hunichinvvilare, & in Tunriude, & in Madalaltesvvilare, & in Perolfesvvilare, omnia quicquid pater meus Landoaldus & mater mea Pieta in his locis denominatis supra habuerunt: hæc omnia & ex integro manu potestativa ad ipsum supra nominatum monasterium trado adque transfundo, ibidem à die præsenti perpetualiter possedendum. Et si ego ipse aut ullus heredum vel postheredum meorum, aut quislibet ulla opposita persona cartulam istam irritam facere conaverit, aut eum infrangere voluerid, tantum, quantum cartola ista contenit adscriptum, ad ipsum monasterium restituat, sed & sociante fisco multa conponat, id est auri uncias III. & argenti ponduos V coactus exsolvat, & quod reppetit non prævaleat evindicare, & nihilominus præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat, stibulatione subnixa. Acta in Craolfestale in mallo publice, sub Carlomanno Majoredomus. Et hii sont testes, qui in præsenti fuerunt & firmaverunt † signum Lantberti, qui hanc cartulam traditionis fieri rogavit † Herigaer patruus eius † sign. Amalrich. † Signum Aotcuni † Hroadgaer † Albrich. &c. Ego itaque Silvester Diaconus rogitus ab Lantberto scripsi & subscripsi. Notavi diem, hoc est IIII. Id. Septembris, sub Chancorone Comite.

XXXVIII.

Idem.

✠ In Christi nomine. Ego quidam Petto cogitavi Dei intuitum, vel diuinam retributionem, vel peccatis meis veniam promerere, & ut mihi in futuro merces boni operis adcrescat. Propterea vernacula terræ juris mei in loco noncupante quod dicitur Data, cum servis & ancellis, hæc nomina eorum, Gondaharancum, & omnia quæ possidet cum uxorem suam & filios & filias, & Rihfredum, sic similiter Vuinifredum, sic similiter Liuddulfum, sic similiter Causulfum, sic similiter Vuitonem cum sociis suis vic nomina eorum escripta sunt. quod ego Petto donavi ad sacrum S. Gallonis pro remedio animæ meæ & à sociis ipsius, cum agris, cum pradis, cum siluis, cum aquis, cum omnia accessibus, cum omne mobile aut immobile, cum filiis & filias, cum oves & bovis, cum iis quæ ad opus vivendum pertinerent. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel ulla supposita persona, qui contra hanc donationem venere aut agere temtaverit, solvat in fisco aurum libras duas & argentum pondera V. & quod petit vendicare non valeat, sed præsens hæc epistola omni tempore firma & inlisa permaneat cum extipulatione subnixa. Actum in signe quod dicitur Glata villa publicè. Notavi quod feci diem Iovis, X. Kalen. Decembris. eorum insignacula continuntur. Sign. Petonis qui hanc donationem fieri præcepit. Sign. Airici Comitis Germani ejus, sign. Berterici Comitis germani ejus, sign. Peponis testis germani ejus, sign. Lantfreti testis, sign. Vultperti testis, sign. Vngari testis. Ego Syluester Diaconus scripsi & in testimonio subscripsi.

XXXIX.

Hiringus Monachus.

Sacrosancta Ecclesia S. Mariæ, S. Petri, S. Martini, S. Leudagarii, S. Petronellæ, cæterorumque Sanctorum, qui est constructa in insola minore quæ juxta Hupinavia est, ubi Hata & Beata cum reliquas ancillas Dei degere videntur. Ego Beata namque filia Rachiberti cogitans pro remedio animæ meæ, vel pro æterna retributione, volo omnes res meas vel omnia peculia mea, quicquid habeo, ad locum illum condonare, hoc est in villa quæ dicitur Altorf & Cella cũ omnibus adjacentiis vel adpendiciis eorũ in arcas vel siluas. Et in Reutinchova terras & silvas, suetqua, vel alias * æcentias, quicquid ibi habere videor. Et in villa quæ dicitur Huzinaa homines VIII. & terras & siluas, vel alias æcencias sive in Vzinaa siue in Smarinchoua siue in Nãcinchoua siue in Tattinchoua quicquid genitor meus Racinbertus de quolibet adtracto in loca illa habuit, siue ego ipse & Landoldus postea cõquisiuimus siue cõparauimᵒ totũ ad integrũ duas partes de omnia damus. Et in villa quæ dicitur Cẽtoprato casatos duos cũ omnibus adjacentiis vel adpendiciis eorum; sed vnum infantem inde ingenuum taxauimus, reliqui verò sicut superius diximus ita sint. Et in Berofouilare mancipium vnum nomine Contleuba. Et in insola ipsa mancipios tres, & parones quattuor. Ista omnia ad ipsum monasterium superius nominatum tradimus adque transfundimus. quicquid exinde facere voluerint liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis verò, quod fieri non credo, si aut ego ipsa, aut ullus de hæredibus meis vel quælibet vlla opposita persona, qui contra hanc donationem meam venire, aut agere, vel quia vlla calomnia generare voluerit, in primis si se emendare noluerit, iram Dei & pœnas inferni experire pertimiscat, & duplum tantum quantum ipsa res meliorata valuerit eis coactus exsoluat, & in fisco auri libram I. argenti libras II. & hæc præsens donatio mea firma permaneat stipulatione subnexa. Actum in monasterio quod dicitur Babinchoua, quod fecit mensis November dies XXIX. regnante Carlomanno Duce, & Pebone Comite. Signum † Beatanæ quæ hanc donationem fieri & firmari rogauit. sign. † Bebonis Comitis. sign. † Muninc. † Arnefridus Abba subscripsi † Erchamberti † Rihberti † Num † Butanc † Hesindo † Roberto.

* f. attẽtias, vel potius ajacentias i. e. adjacentias, ut in Chartâ 50.

Breue de illos homines quod Beata fecit hoc est, Vuintrolf, Radbega, Gc[illegible]ind, Anna, Ingaberta, Goderamnus, Herolf, Iohannis, Rachintrudis, Hiciga, Villof, Froatilin, Volfarda, Baltimida, Tetaclinda, Verdicho, Sigitrudis Odalchus, Radleuba, Teutgerus, Hugileuba, Vitilinus, Randuinus, Arnoluara, Richuinus, Leudisca, Bacila, Trudmundus, Teudhara, Anno, Volfildis, Sigurmarus, Concila, Volfidrus. Sic quomodo mihi seruierunt, sic inantea seruiant, Folritus, Cunthild, Otolf, Tallo, Tacalind, Hagustolt, Aldini, Teudila, Fraido, Richbertus, Matuas, Vertleuba, Butta, Reatila, Haladara, Muatdanc, Munifrid, Volfila, Valisan, Farileus, Varinfrid, Higilind. Pro anima Atanæ seruiant ibi Altolf, Hettila. Sic quomodo mihi seruierunt, sic inantea seruiant Tetta, Totta. Pro anima Otunlis & Zon seruiant ad illam casam Dei Vinidisca, Rathari, Voluinc. Ego Hirinchus Monacus hanc donationem rogitus scripsi & subscripsi.

XL.

Landarius Presbyter.

Partem ecclesiæ nostræ quæ dicitur Raudinleim, ubi Landarius Presbyter esse præsens videtur, Ebo & conjugis mea Odalsinda & Alodoes aliqua de rebus suis adfirmaverunt &

tam tradiderunt ad S. Gallum, terris, casis, casalis, mancipiis. cum casatis, campis, pratis, viniis, siluis, pascuis, aquis vel decursibus, mobilis & immobilis, quidquid in Vahcinchoua, & in Laidoluinchoua, Bodinchoua icagimus omnibus & ex omnibus ad ipsum S. Gallum tradimus, à die præsente habeat, teniat, qui exinde faciri voluerit ad possidendum habiat potestatem. Si quis vero ego aut nos ipsi aut heredes nostri aut ulla opposita persona, qui contra hanc firmitatem ita veniri timtaverit, infera cuntra ipso sancto auri libram unam, argenti pondos duos, & nihilominus donatio ista omni tempore firma & stabilis permaniat stipulatione subnexa. Actum in Vahcinchoua villa publici. Sign. Ebonis & Coiouis meæ Odalsindæ qui fieri rogavit. sign. Volffaro † Bertario † Aimoni † Vuaninco † Teutmaro † Berno Comitis † Cunleusotes † Auttini † Dodoni. Ego Landarius Presbyter roitus scripsi. Data VII. Idus Sept. anno X. rigni Domni nostri Ildirici Riis.

XLI.

Anonymus.

IN Christi nomine. Ego Erfoinus, & filii mei Teotarius, atque Rotarius, cogitavimus Dei intuitum, vel divinam retributionem vel peccatis nostris veniam promereri: propterea vernacula terra juris mei in loco qui dicitur Openvvilare tradimus S Galloni viginti juchos, & in Eberingen unum juchum de vinea, & de colonis meis Erfoinum cum uxore sua & cum omni appertinentia sua, cum casa & cum terra, & cum omnibus suis: & alium servum nomine Vualdolfum cum casa, cum terra, & cum omnibus ad eum pertinentibus, ut dum adhuc vivimus ego & filii mei, in nostra permaneant potestate, & in anno reddamus carram de vino, & carram de siligine, & carram de fœno, & friskingam. Et si filiis meis infantes nati fuerint, sicut superius dixi, ita solvant censum, & habeant potestatem. si noluerint censum inde reddere, omnia, sicut superius diximus, sint concessa ad ecclesiam S. Gallonis. Et si quis, quod non credimus, aliquis de heredibus nostris contra hunc factum nostrum ire vel inrumpere voluerit, in primis incurrat iudicium Dei, & solvat auri libras II. & hunc factum nostrum inlæsum permaneat stipulatione subnixa. Facta hæc carta est in loco qui dicitur Anninchoua, XVII. Kalen. FEBR., sub regno Domni nostri Elperici Regis. sign. Teotarii & Rotarii, qui hanc cartam fieri rogaverunt † siguini testis, sign. Regandozi testis, sig. Vulperti testis. sig. . . . .

XLII.

Liutfretus Presbyter.

DOMINO sancto in CHRISTO venerabili viro patri Otmaro Abbati Durgauginsi seu de monasterio S. Galloni. Ego Rothpaldus donamus ad monasterium vestrum pro mercede animæ meæ facultaticulam meam, recipere deberetis post discessum meum. Dono vobis donatumque in perpetuum ut permaneat esse volo, hoc est in pago Duregauginsi in villa qui dicitur Richinbach, & in Vuilla, & in Zibrunesvvanga, & in Vuangas, & in Tuzzinvvang, & in Sclatte, & iu Puzzinberch, & in Vuanzincouo, quicquid in istas villas visus sum habere, pecuniis, mancipiis, casis, casalis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, ad integrum à die præsente trado vobis, & servum meum nomine Nhideng & uxorem ejus Bruna, & cum oba sua, & cum omnia quc vestiti sunt: & alium servum meum nomine Vuolfharium cum uxore sua Arane, cum oba sua & cum omnia quo vestitus est. Et pro istas res proservire volo annis singulis, hoc est XXX. seglas cervelæ, XL. panis, frischeugam tremessem valientem, & XXX Mannas, & arare duos jochos in anno, & recollegere, & intus ducere, & angaria ubi opus est. Et si infans meus simul proservire voluerit, faciat sicut superius: & si proservire noluerit, nullam habeat potestatem, ipsam facultatulam meam trado vobis ad monasterium vestrum post discessum meum atque transfundo dominationi, ut quidquid exinde pars monasterii facere voluerit, liberam ac firmissimam in Dei nomine in omnibus habeat potestatem. Si quis, ego aut heredes mei, aut ulla opposita persona, qui contra hanc donationem istam venire temptaverit, tunc inferat parti custodienti dublam repetitionem, & fisco auri liberas II. & argenti pondera III. & nihilominus præsens donatio istæc omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnexa. Actum in villa Aninavva publice. sign. Rothaldi qui hanc donationem istam fieri rogavit. sign. Sicharii testis. † Bertcauzi test. † Puopo test. † Vuodolgarii test. † Aribaldi test. † Rathcauzi testis. Ego Liutfretus presbyter scripsi & subscripsi. Notavi diem Martis, VIII. Id. Augustas, anno III. regnante Domno nostro Pippino Rege, sub Vuarino Comite.

XLIII.

Vuaringisus.

SAcrosancta ecclesia S. Galluni, qui est constructa in pago Durgauia, ubi ipsus in corpore requiescit, & Iohannes Abbas ad præsens Rector ecclesiæ esse videtur. Ego in Dei nomine Vuinibertus cogitans Dei ut aliquid rei meæ ad ipsum sacrum locum pro remedio animi mei condonare deberem: quod & ita feci. hoc est in pago Durgavia, in loco qui dicitur Parmacu-

macunauia, quicquid ibidem visus sum habere, mancipiis, pecuniis, casas, casalis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, omnia ex integro de meo jure ad ipsum monasteriũ S. Galluni post obitum meum trado atque transfundo, ut quicquid exinde Rector monasterii vel monachi ibidem deservientes facere voluerint, liberam ac firmissimam habeant in Dei nomine in omnibus potestatem. Si quis ego aut heredes mei aut ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem istam venire temptaverit aut agere præsumpserit, inferat parti custodienti dublam repetitionem, & fisco auri uncias V. & argenti pondoras II. & nihilo minus præsens traditio istæc firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in villa Vuila publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. Sign. † Vuiniberti auctoris qui hanc traditionem istam fieri rogavit. † Sig. Vuanzo test. † Sig Ascharii. † Sig Sickeri. † sig. Teutbold test. † sig. Rihger test. † sig. Rihperat test. &c. Ego Vuarinkis rogitus scripsi & subscripsi. Notavi die Dominico, VI. Id Octupris, anno X. regnante Domno Pippino Rege Francorum, sub Vuarino Comite.

XLIV.

Vuaringisus.

SAcrosancta ecclesia in honore S. Galli Confessoris constructa, ubi ipse in corpore requiescit, & præsenti tempore Iohannes Episcopus esse videtur Rector Monachorum. Ego in Dei nomine Theoda, sumpsi mihi consilium ut aliquid de re mea ad ipsum monasterium condonare deberem, quod & ita feci. Hoc est in pago Durgavia, in vico qui dicitur Ailihccaudge, quicquid ibidem visa sum habere, & mihi in hereditate contingit, mancipiis, pecuniis, casas, casales, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus ad integrum post decessum meum ad ipsum monasterium trado atque transfundo dominationi, ut quicquid exinde fratres ipsius monasterii facere voluerint, liberam ac firmissimam habeant in Dei nomine in omnibus potestatem. Et si quis ego aut heredes mei aut ulla opposita persona, qui contra traditionem istam venire temptaverit aut cogitare præsumpserit, tunc inferat parti custodienti duplam redibitionem, & fisco auri unzias II & argenti pondera V. & nihilominus præsens traditio ista omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in villa Ailihccaugia publice. sig. * Teodanæ auctricis quæ traditionem istam fieri rogavit. sig Vuanzonis † Friduini † Puasonis † Erimberti Presbyteri. Ego itaque Vuaringis scribsi & subscripsi. Notavi diem Dominicum, V. NON. Majas, regnante Domno nostro Pippino Rege Francorum, sub Vuarino Comite. Theotanæ

XLV.

Moathelmus Clericus.

PErpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens; *Date & dabitur vobis.* Ego in Dei nomine Scalcomannus cogitans de animæ meæ remedio vel de æterna retributione, talis mihi decrevit voluntas, ut res meas ad aliqua venerabilia loca sanctorum dare deberem: quod ita & feci. Dono atque trado omnes res meas, quas ex paternico mihi de alode legitima contingit, ad monasterium S. Gallonis ubi ejus sacrus requiescit corpus, qui est constructus in pago Arbonense, hoc est quod dono in loca denominata, id est in Laimavvia & in Apfalaga, & in Entinesbutugo, & in Operindoraf, & in Oborostindoraphe prata, & in Piparrori prata, & in Liutratesvvilare, in his locis super nominatis trado atque transfundo ad ipsum superius nominatum monasterium, donatumque in perpetuum esse volo, & me ipsum ad ipsum monasterium ad monachum trado, & rogo, & testifico coram Deo & sanctis ejus, ut nec me nec post obitum meum nullus ex succedentibus Abbatibus vel Episcopis ad nullum unquam hominem nullum concambium aut commutationem faciant, sed ipsas res ipse monasterius & rectores ipsius monasterii perennis temporibus in sua dominatione possedeant. Et si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel proheredibus meis, aut quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cartulam traditionis, quam ego spontanea voluntate fieri rogavi, veniret aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat, sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit ad ipsum superius nominatum monasterium restituat, & in discutiente fisco multa conponat, id est auri uncias duas & argenti pondus quattuor coactus exsolvat, & qui repetit nihil evindicet, & præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum omni stipulatione subnexa. Actum Laimaugavvilare, in quo cartula ista scripta est, quod fecit mensis Martius dies XV. in anno primo regni Carlomanni Regis, sub Roadharto Comite. Sign. Scalcomanni qui hanc cartulam traditionis fieri rogavit. sign. Taltoni patris ejus. sign. Vuelimanni fratris ejus. sig Fateri fratris ejus. sign. Selparati fratris ejus. sign. Takarichi. sign. Huodelrich. sign Lantulfi. sign. Villoni. sign. Bossonis. sign. Gramanni. Ego Moathelmus Clericus scripsi & subscripsi.

XLVI.

Vsalto Diaconus.

IN Christi nomine. Ego Vnforahtus filius Otgari condam, talis mihi decrevit voluntas pro animæ meæ remedio seu pro æterna retributione, ut omnes res meas, quas mihi genitor meus moriens dereliquit, vel ego ipse mihi adquisivi, ad monasterium S Galli, ubi ejus sacrus in CHRISTO requiescit corpus, condonare deberem : quod ita & feci. Et hoc est quod dono, in pago Durgauginse in sito Zurihgauuia in villa quæ dicitur Tunriude, quæ & Hadaleihinchova vocatur, id est casam, curtem clausam cum domibus, ædificiis, mancipiis, pecuniis, terris, campis, silvis, pratis, pascuis, viis, aquarumque decursibus, omnia ex integro nihil prætermittendo ad ipsum monasterium trado atque transfundo, ut quicquid rectores ipsius monasterii facere exinde voluerint, liberam ac firmissimam habeant potestatem faciendi. Si quis verò, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, aut ulla opposita persona, qui hanc cartam irritam facere conaverit, partibus fisci multa conponat, id est auri uncias IV. argenti ponduos VI. coactus exsolvat, & ad ipsum monasterium duplam repetitionem restituat, & quod repetit non prævaleat evindicare, sed hæc præsens epistola omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Vstra villa publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. †. Vnforathi qui hanc cartam fieri rogavit †Raginbaldi test. † Salucho test. † Gaerhohi test. † Friduberti test, &c. Ego itaque Vsalto Diaconus rogitus ab Vnforahto anno IV. regnante Carolo Rege Francorum scripsi & subscripsi. Notavi die Veneris, VI. Kal. Febr.

XLVII.

Emicho.

IN Dei nomine. Ego Harioldus recordatus innumerabilia peccatorum meorum, propterea trado atque transfundo ad monasterium S. Galloni, donumque post discessum meum in perpetuum esse donatum volo, pro remedio animæ meæ vel pro æterna retributione: hoc est, quicquid in villa Vndinga vel in villa Genchinga habeo sine illa ecclesia in illum censum solidum unum in cera aut in quicquid esse potuerit annis singulis solvam. hoc quod diximus à die præsenti de meo jure ad monasterium S. Galloni vel ejus rectoribus trado dominationi, habeant, teneant, atque possedeant, quicquid exinde facere voluerint, liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi cum stipulatione subnixa, in ea vero ratione ut ibi semper stabilis sit: & si hoc non est, tunc heredes meus legitimus potestatem habeat ad requirendum. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus heredum vel proheredum meorum, qui contra hanc donationem à me factam venire præsumpserit, sociante fisco multa repetitionem conponat, id est auri libras II. argenti pondera V. coactus exsolvat, & duplum ad ipsum monasterium restituat, & quod repeti pernullisq; ingeniis evindicare non valeat. Actum in pago Purihinga, in villa quæ vocatur Vntinga publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. sig. Harioldi qui hanc cartam fieri atque firmari rogavit. sign. Ercanperti Comitis. sign. Trudpert. sign. Pertfrid. sign. Cadaloh. sign. Thruant. sign. Hiltirih. sign Puabo. sign. Alpker. &c. Facta traditio hæc in IV. Kal. Iun. VI. feria, anno V. regnante Domno nostro Carolo Magno Imperatore. Ego Emicho rogitus scripsi & subscripsi.

XLVIII.

Adalhardus Lector.

IN Dei nomine. Perpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens, *Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Item ego Vualfridus cogitans Dei intuitum vel animæ meæ remedium vel etiam pro æterna retributione, talis mihi decrevit voluntas, ut omnes res meas ad aliqua venerabilia loca sanctorum dare deberem : quod ita feci. Dono atque trado * ad ecclesiam S. Georgii, quæ est constructa in pago Argunensium in insola vel loco qui dicitur Vuazzarburc, & hoc est quod dono in pago ipso qui dicitur Mittinbah, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursoribus, cultum & incultum, hortiferis, pomiferis, mobilibus atque immobilibus, omnia ex integro de meo jure S. Georgius vel Rectores ejus ibidem manentes habeant, teneant atque possedeant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberā in omnib ac firmissimā habeant potestatem faciendi absq; ulla contradictione Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse quodabsit, aut ullus de heredibus meis vel proheredibus aut ulla opposita persona, qui contra hanc cartam traditionis, quam ego spontanea voluntate fieri rogavi, venire aut eam infrangere voluerit, iram Trinitatis incurrat, & non solum quod ei non liceat sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit de rebus suis ad ipsam ecclesiam restituat, & sociante fisco multa conponat, id est auri uncias III. argenti pondera V. coactus exsolvat, & quod repetit nihil evindicet, sed hæc præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in villa Arguna publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. sign. manu Vualtfridi qui hanc cartam fieri atq; firmari rogavit. sign. Fater. sign. Vuisirih. sign. Vuolfregin. sign. Alto. sig. Hunolt.

* Mss. superponit sed alia manu: incenso ex maldro grani, aut talem friskingam ipso grano valentem.

nolt. &c. Ego itaque Adalhardus Lector anno XXVI. regnante Domno Karolo Rege Francorum, notavi sub die V. Id. Iun. & in præsente Ruodperto Comite.

XLIX.

Bernegarius Presbyter.

SAcrosancto monasterio in honore S. Mariæ & S. Gallonis constructo, ubi vir venerabilis Vuerdo Abbas cum congregatione monachorum serviens esse videtur. Ego in Dei nomine Vuillahelmus cedo ad ipsum monasterium cessumque quod in perpetumm esse volo, hoc est in pago Turgovve in loco qui vocatur Eskinbach medietatem de ipsa hoba Fruachanolui, hoc est casis, casalis, pumariis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, ex omnibus & in omnibus totum & ad integrum, ad ipsum monasterium trado atque transfundo. In ea vero ratione dum ego vixero ut liceat mihi ipsam terram & aliam hobam vestram, id est in Bauconfivilare in censum habere, hoc est annis singulis de cervisa siglas XV. & unam maldram de pane, & friskingam trimissem valentem, usq; dum ego ipsum censum solvam, nullus habeat potestatem ipsam terram de me vel de filio meo abstrahere. Et si de illo censo negligens fuero per III. annos, tunc id quod hic superius dictum est, partes ipsius monasterii vel agentes ejus ipsam terram melioratam in suam dominationem revocare faciant perpetualiter ad possedendum, vel quicquid exinde facere voluerint liberam habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, ego ipse aut aliquis de heredibus meis, seu quislibet ulla opposita persona, vel qui contra hanc traditionem venire temptaverit, aut eam infrangere voluerit, tunc sit culpabilis ad ipsum monasterium duplum quantum traditio ista contentit, & in fisco auri uncias III. & argenti libras V. coactus exsolvat, & quod repetit nihil vindicare non valeat, sed præsens traditio ista omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in Eskinbah. sign. † Vuilahelmi qui hanc traditionem fieri rogavit sign. † Markeri. sign. † Vuino. sign. † Ruatto. sign. † Zollin. sign. † Albchis. sign. † Sallo. sign. † Sicco, testium. Ego in Dei nomine Bernegarius peccator vocatus Presbyter rogitus scripsi & subscripsi. Notavi die XVII. Kal. Iul. anno secundo Domno nostro Carolo Imperatore, & XXXIII. Rege Francorum & Langobardorum, & gubernator Romanorum, & inluminatio Saxanorum.

L.

Atto Clericus.

IDcirco ego quidem in Dei nomine Vppertus cogitavi pro animæ meæ remedio seu & pro æterna retributione, ut veniam pro peccatis meis in futurum adepisci merear, & in die tremendi judicii ante tribunal Christi securus adsistam. Per hanc paginam quam ad vicem traditionis scribendam rogavi, dono à præsente die peculiaris mei ad ecclesiam S. Galloni quæ est constructa in pago Durgauginse, ubi domnus & in Christo Gauzpertus Abba præesse videtur, donatumque in perpetuum esse volo, & prutissima voluntate confirmo, hoc est omnem tertiam partem proprietatis meæ in pago Augufcauginse, & in villis denominatis in Firinisvilla & in Munciaco, & in Firinisvilla manso I. campis, pratis, silvis, ajacentiis, & appendiciis, quultis & inquultis, aquis aquarumue decursibus, quantumq; mihi in jam dicto pago * Augufcauginse advenit tam de paternico quam de maternico, seu de comparato, vel de qualicunque adtractu noscitur ad me pervenisse, & ego modierno tempore visus sum tenuisse omnem tertiam partem sicut superius dixi ad ipsam sacram ecclesiam S. Galloni dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possedendum. In ea vero ratione, ut dum ego advixero, ipsas res habere debeam & censui me pro hoc annis singulis de festivitate S. Galloni in alia soccum I aut IV. denarios. Et si infans ex me procreatus fuerit, simili modo habeat absq; in eum discessum in ipso censo. Et post nostrorum discessum quandoquidem Deus voluerit, ipsi custores Ecclesiæ ipsius ipsas res ad eorum opus habeant, & nunquam hoc in beneficium alio præstent. Si quis vero, quod futurum esse non credo, quod si ego ipse, quod absit, aut aliqui de heredibus vel proheredibus vel adheredibus meis seu qualibet extranea vel omissa persona, qui contra traditionem venire temptaverit, aut eam infrangere voluerit, non solum ei non liceat, sed inferat partibus ipsius ecclesiæ duplum tantum quantum traditio ista contenit, & in fisco auri uncias duas & in argento pondera V. coactus exsolvat, & quod repetit evindicare non valeat, sed præsens traditio ista omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum in Augusta civitate publice. sign. † Vpperti auctoris qui hanc traditionem istam fieri ac firmari rogavit. sign. Aimeric. sig † Deutcher. sig † Helidulfi, &c. Ego Atto clericus rogitus & petitus hanc traditionem istam scripsi & subscripsi. Notavi quod fecit V. Id. Maii, anno XII. imperii Hludovvici, feliciter.

* Augustianensi.

LI.

Hratbertus Conzl.

IN Dei nomine. Perpetrandum est unicuiq;, quod sapientia Dei per Salomonem dixit, ***Redemptio animæ propria divitia ejus.*** Redemptoris quoq; verba dicentis, ***Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*** Ideoque Pertcardis his ammonitionibus conpuncta simul & confisa,

dono, donatumq; pro animæ meæ remedio quod in perpetuum ut permaneat esse volo ad monasterium situm in pago Thurcauhinse constructum in honore S. Gallonis, ubi ipse domnus preciosus in corpore requiescit, ubi Cozbertus Abba præesse videtur, hoc est quod dono, in pago Prisicauhinse in villa Lollinga quicquid ibi visa sum habere tam terris, domibus desuper positis, campis, pratis, vineis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, mobilis & immobilis, quicquid dici aut nominari potest totum & ad integrum una cum manu Ratpotoni ad jam dictum locum sanctum trado, transfero atque transfundo, ut hodierna die Rectores ejusdem monasterii vel successores eorum quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus in Dei nomine habeant potestatem faciendi, jure perpetualiter possidendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipsa aut ullus de heredibus ac proheredibus vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cartolā voluntate mea factā invenire aut inrumpere conaverit, duplum vobis vel successoribus vestris restituat, quantum præsens carta contenit, & insuper hoc coagente fisci multa conponat, id est auri uncias III, argenti pondus V. coactus exsolvat, & quod repetit nihil evindicet, sed præsens carta cum omnibus in ea continentibus omniq; tempore firma permaneat cum stipulatione subnexa. Actum Huninga villa publice. sign. † Pertcart quæ hanc cartam una cum manu Ratpotoni pariter fieri vel adfirmare rogaverunt. † sign. Brunihoni. sig. † Liboni. sig. † Vuitoldi. sig † Sigkaurici, &c.

Ego in Dei nomine Hratbertus Conzl. scripsi & subscripsi. Notavi IV. Kal. Madii, anno XV. regnante.

LVDOV DOM. I L I IM PR. Et sub Erchangario Comite.

LII.

Notger & Bebo.

BErefrid tradidit quidquid in Bihclinchovun habuit, excepto uno prato juxta casam Adalfridi, & uno agro juxta casam Selbonis ubi ejus piscatio est, & alio prato inter Paracstetim & Heremintinchovum: reliqua omnia tradidit cum omni integritate. Census denarii II. suæ matri & sibi si redimere voluerit, cum VI. denariis facerent: si non redimerit, post amborum decessum ad monasterium redeat. testes, Selbo, Adalfrid, Adalene, Vuitolt, Suidker, Houto, Vuiniman, Mekinhere. Notger scripsit, IV. Kal. Sept. anno XIX. Regis Hludovvici: & ego Bebo testis jussu Grimaldi Abbatis ad precariam exnotavi.

LIII.

Dodo.

SAcrosancto à sci. Galloni. Ego Roadulfus dono in villa quæ dicitur Hohunstati quicquid in ipsa curte visus sum habere tam in terris quam in pratis, silvis, aquis, aquarum, campis, mancipiis, omnia quicquid ipsa curte habemus, & fratres qui serviunt ad ipsa loca sancta teneant atq; possedeant omni tempore, perfirmata sit ista donatio à sc. Galloni Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredis meis aut ulla opposita persona, quiconq; contra hanc donationem istam agerit aut infrangere voluerit, in primis iram Dei incurrat & tublum conponat. & hæc donatio omni tempore firma permaneat. sig. Helmricus. sig Theotbertus. † sig. Odone. sig. Sichirico. † sig. Huadoni. † sign. Theodo. sig. Roadberto. Ego Dodo qui scripsi & subscripsi.

LIV.

Albricus Diaconus.

EGo in Dei nomine Vuolfhart divino admonitus instinctu ut terrennis facultatibus mercarer æternas, & bonis transitoriis mansura conquirerem. Memor itaque illius salutaris præcepti, *Date & dabitur Vobis, &, Non est qui relinquat domum aut agros propter me, qui non recipiat centies tantum*, trado ad monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba Grimaldus præesse dinoscitur, pro remedio animæ meæ conjugisque meæ, quicquid in Centipratis marcha conquisitionis vel concambii regia fultus auctoritate & firmitate litterisque ab eo acceptis præsenti die visus sum habere, id est aquis, silvis, agris, pratis, cultis & incultis, omnia ex integro, accepto uno curtili, quod conjunx mea legitimis ab heredibus conquisivit: ea tamen conditione ut ego ipse præfatas res dies vitæ meæ possideam, annisq; singulis censum inde duos denarios solvam, & post obitum meum statim ad monasterium præfatum in omnibus melioratæ redeant in ævum possidendæ, addito ut nulli unquam in beneficium dentur, quod si datæ fuerint,

fuerint, ad succedentes proximos meos revertantur. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut cognatorum meorum vel heredum aliquis hanc cartulam à me potestativa manu factam corrumpere voluerit, & voluntatis corruptæ machinationem publicaverit, auri uncias III argenti pondera V. ad ærarium Regis coactus persolvat, hæcque epistula firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in ipso loco, id est Centiprata nuncupato, præsentibus quorum hic signacula continentur. sign. ipsius Vuolfharti qui hanc traditionem fecit. sign. Kerolti Comitis. † Vuolfheri † Perhtger † Oazo † Vnnid. † Perhthart † Andreas † Vto &c. Ego itaque Albrih indignus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi tertiam feriam, XV. Kal. Iun anno XXIV. regni Hludovici Regis, sub Kerolto Comite.

L V.

Eccho Monachus.

Litteræ Mandatoriæ. Gewaltsbrieff.

NOtum sit omnibus præsentibus atq; futuris, quod quidam homo Chadolt nomine de pago Albekevve pro remedio animæ suæ parentumque suorum hæreditatis suæ jura ad monasterium S. Galli contradere disposuit, sed cum interveniente molestia corporis voti sui compos existere non potuisset, necessitate ductus rogavit Reginhelmum Presbyterum, integra illi potestate concessa ut ipsas hereditatis suæ res ad præfatum monasterium potestativa manu contraderet.

Ego itaque Reginhelmus licet indignus Presbyter ejus precibus adquiescens cum manu advocati mei Erfinrichi trado ad monasterium S. Galli, cui modo Crimaldus Abba præest, quicquid præfatus Chadolt de parte hereditatis ac adquisitionis suæ & duorum filiorum suorum, qui defuncti sunt, habere ac possidere visus est in loco qui dicitur Stoufun id est unam curtem sæpe circumdatam cum ædificiis, mancipiis, jumentis, pecudibus, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, nec non cuncta suo juri pertinentia, ut statim sine ullius contradictione ad præfatum monasterium firmiter perpetualiterque pertineant possidendæ. Si quis vero, quod fieri non credo, hanc traditionis cartulam infringere temptaverit, ad ærarium Regis auri uncias III. & argenti pondera V. coactus persolvat, & nihilo minus hæc traditio firma stabilisque permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in monasterio S. Galli publice, præsentibus istis quorum hic signacula subnotantur. sign. Reginhelmi Presbyteri & Advocati Erfinrichi. sign. Hartmoti Decani. † Cotaberti Præpositi † Vualtherii sacratarii † Albrici Cellarii † Paldrici Portarii † Irfinki hospitarii † Hartmanni Camerarii, & aliorum testium, &c. Ego itaque indignus monachus Eccho rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Lunæ, XIII. Kal. Ian. anno XXIX. regni Hludovvici Imperatoris, & sub Hudolricho Comite.

L V I.

Vuarimbertus Levita.

VNicuique enim convenit opere adimplere, quantum ei vires suppetunt, quod domini jussione constat esse traditum, *Date & dabitur vobis.* Quapropter ego Cozolt hac voce Dominica corde compunctus trado ad monasterium S. Galli quinque mancipia, quorum illa sunt nomina, Theotmunt, Otmunt, Vuillimunt, Vuolafrid, Vuannida. eadem videlicet ratione, ut eadem mancipia ad me recipiam tempus vitæ meæ. Post obitum vero meum absq; ulla marricione ad jam dictum monasterium firmiter permaneant perpetualiter possidenda. Si quis vero contra hanc traditionis cartulam venire temptavit, aut frater meus Adalbertus, aut aliquis nepotum meorum aut qualiscunque persona, in ærarium Regis multa conponat, & conatus sui privetur effectu, firmaq; & stabilis cartula hujus traditionis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in Oninvvanc publice præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. Signum Cozolti qui hanc cartulam fieri rogavit. sign. Vuarinheri, Heitari, Alpheri, Adalpreht, Stritgrim, item Alpheri, Othindt Vuolfpreht, Naudkor, Strello. Ego itaq; Vuarimbertus indignus Levita scripsi rogatus & subscripsi. Notavi diem Lunis, prid. Kal. April. annum III. Hludovvici Regis Alamannorum.

L VII.

Notkerus.

EGo Vuildebold senio meo providens, & ei quæ illud comitari solet penuriæ, trado ad monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba Hartmutus præest, terrulam meam quã habeo in Vzonvvilare, hoc est XX. jugera: eo pacto ut ipsa terrula ad domum peregrinorum serviat, & ego ibi in domo hospitum suscipiar, & usq; ad finem vitæ meæ ibi victum & vestitũ habeam, sicut primus illorum juniorum, hoc est omnibus annis vestimentum lineum & aliud laneum, & tertio anno pallium, si vetus ita attritum est, & calciamenta & alias impensas accipiã, sicut cæteri in ipso ministerio. Et hoc volo ut ipsa possessiuncula nulli umquam in beneficium præstetur: quod si factũ fuerit, ut ille ager ab hospitali tollatur, & ego ibi victualia mea habeã, meaq; mihi absq; ullius contradictione vindicem. Actum in ipso monasterio, præsentibus quorum hic signa continentur. sig. Engillarmi hospitarii, sig. Hertarii, centurionis, & aliorum testium, sig. Vuilheri, sig. Vualdpert, sig. Hartman, sig. Richpert, sig. Thancpert. sig. Ruodpert. Ego itaque Notker ad vicem Vuinidharti monachi scripsi & subscripsi. Notavi diem Dominicum XVI. Kal. Iun. aneum XXXIII. regni Hludovvici Iunioris.

DE TRADITIONE PRECARIA.

LVIII.

Hiringus Lector.

SAcrasancta ecclesia S. Galloni confessoris quod in Arbonense pago constructa videtur, ubi corpus ejus in Christo requiescit, & Otmarus Abba cum monachis S. Gallonis ibidem deservire videntur. Ego in Dei nomine Pieta filia Rekinberti condam & Atanai uxoris sui, talis mihi decrevit voluntas conpuncto corde Dei timoris & animæ meæ remedium vel patris adq; genitricis meai ad ecclesiam S. Galloni Confessoris condonare debuerem: quod & ita feci, in locellas prætestinatas in pago Durgauginse sito qui dicitur Zurihgauuia. Hæc sunt nomina locorum, Cella Nuzperech, & in loco Luzilunovva qui est juxta Vbirrauuia, & in loco qui dicitur Centoprata, & in loco qui dicitur Vtanaha, & in villa qui dicitur Altdorf, & in loco qui dicitur Hreotinchova, & in loco qui dicitur Smarinchova, & in loco qui dicitur Nancinchova, & in loco qui dicitur Perolvinchova, quicquid ego vel pater meus ibidem habere videntur, hæc omnia & ex integro tam de paternico meo quam de maternico vel mea adquesitione & viro meo Landoaldo in his locis supernominatis, per cujus consensum hoc facio, omnia & ex integro à die præsenti de juris mei in dominatione S. Galloni confessoris vel Otmaro Abbate & monachis ibidem deservientes, in vestram trado dominationem habendi, vindendi, commutandi, cum domibus, ædificiis, casis, casalibus, mancipiis, servis, ancillis, acolabis, campis, pratis, pascuis, silvis, pecoribus, ortiferis, puniferis, aquis, aquarumque decursibus, mobilib adq; immolibus cum omnia adjacentia earum hæc supernomina Ecclesia & rectores ejus habeant ad possidendum: & accipimus ab hac Ecclesia & Abbate Otmaro vel ejus monachis precium adtaxatum, hoc est auro & argento solidos LXX & cavallos V. cum saumas & rufias & filtros, cum stradura sua ad nostrum iter ad Romam ambulandum. Et si Dominus voluerit, quod ad propriam revertissem, hoc quod dedi supernominata loca per eorum beneficia, qui ad illum monasterium deserviant ut mihi in præstitum illas res concedant. Post meum vero discessum ipsas res ad monasterium S. Galloni ad melioratas revertant absq; ulla contradictione, vel minuatione, manu vestita partibus meis vel heredum meorum cum Dei gratia & nostrã successionem possedeant. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipsa aut ullus heredũ meorum vel postheredum vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cartam à me factam temptare præsumpserit, sociante fisco multa conponat, id est auri libras V. & argenti pondura V. coactus exsolvat, & ad ipsam casam Dei repetitionem duplam restituat, & quod repetit pernullisq; ingeniis evindicare non valeat, sed hæc præsens epistola firma & stabilis debeat perdurare omni tempore cum stipulatione subnixa. Actum Bainchova monasterio, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. † sign. Bietanai filiæ Rekinberti condam, qui hanc traditionem fieri atq; firmare rogavit. † sign. Bebonis Comitis. † sign. Buta test † sign. Arnefridi Abbatis. sign. Muningi test. † sign. Erchanberti test. sign. Ottonis test. sig. Rihberti test. † sig. Buta test. sig. Rohberti test. sig. Blidgaeri test. sig. Vualoni test. sign. Amarici test. Ego in Dei nomine Hiringus Lector rogitus à Biatane, anno III. regnante Hiltrihho Rege sub Carlomanno Majoredomo, & Bebone Comite, scripsi & subscripsi. Notavi sub die quod fecit Novẽ. dies 9.

LIX.

Autuuingus Lector.

VNicuique perpetrandum est quod Evangelica vox adq; Apostolica doctrina nobis cotidie docet, ut unusquisq; suis propriis viribus æternam præmiam consequere: sic & ego in Dei nomine Hruothardus filius Bainoni condam, talis mihi decrevit voluntas, ut omnes facultates meas quas mihi bene memoratus genitor meus dereliquit, vel quidquic ego ipse postea adquesivi, omnia & ex integro in dominationem S. Galliani Confessoris, cujus ecclesia Arboninsi pago fulgit in optima ejusq; rectore Iohanne Pontifice, trado in dominationem domibus, ædificiis, viniis, mancipiis, hortiferis, pumiferis, pratis, campis, silvis, aquis, aquarumq; decursibus, mobilibus atq; immolibus, cultis & incultis, quod superius diximus, à die præsente in vestram trado dominationem, in meam vero rationem, ut per precariam de vobis hoc recipiam, & annis singulis per conventum vestrum censum solvam & filius meus post obitum meum, hoc est cervisa siglas XXX. panes XL. frisginga trimissem valente unius hominis anni vertente operas tres. Et si ego ipse aut filius meus de ipsum censum per festivitates S. Martini annis tribus negligentes fuerimus ecclesiæ, S. Galliani Confessoris, & ejus Monachi ibidem deservientes sine ullam contradictionem quidquid vobis dedimus recipiatis. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis vel postheredis aut quislibet ulla opposita persona qui contra hanc cartulam à me factam venire temptaverit, partibus fisci multa conponat, id est est auri liberas tres, argenti pondera quinq; coactus exsolvat, & quod reppedit pernullisq; ingeniis evindicare non valeat, sed hæc præsens epistola firma & stabilis omni tempore debeat perdurare. Actum Constantiæ Civitate publice, præsentibus quorũ hic signacula contenuntur. sig. Hrothardi qui hanc cartulam fieri rogavit. sig. † Hacunit. sign. Thassuni test. sig. Betuni test. sig. † Vualafridi &c. Ego enim Autuuing Lector, anno VIII. Pippino Rege scripsi & subscripsi. Data sub diem quod fecit mensis Ianuarius dies XV. in Constantia, feliciter.

LX.

LX.

Vualdo Decanus.

SAcrasancta Ecclesia S. Galli Confessoris, qui est constructa in situ Durgoie vel in pago Arbonensis castri, ubi speciosus corpus ejus in Christo requiescit, ubi nunc præest Iohannes Abba. Ego itaque Christo opitulante Vualhar nomine filius Teotgeri condam, talis mihi sumpsit consilius ut res mea in villa qui dicitur Boasinheim, in pago qui dicitur Bertoltisbara, & in sito Vildira, quicquid ibidem visus sum habere, vel mihi genitor meus dereliquit, aut quid ego ipse postea adquesivi vel laboravi, excepte tudem uxoris meai Vualdradanei quid ego illi dedi, & unum jornalem de campo arativo, aliud quidquid ibi habeo in ipsum supradictum locum omnia ex integro in dominationem S. Galli & eius monachis ibidem Deo serviẽtis trado in dominationem, hoc est casa cum casalibus, curte clausa cum omnis officinis ejus, cũ servis & ancillis vernaculis mancipiis his nominibus, Vuilloffus cum uxore sua Otilane & infãtes suos tres & ancilla mea Tiurlinda cũ filio suo Liudrato, & alio servo Mercado, & servo meo Dugilino, & alio servo meo Teotberto, & ancilla mea nomine Berelinda, & alia ancilla Cuatlinda, & tertia ancilla Madala, & alia ancilla Truthlinda cum infantes duos. Hæc omnia & ex integro cum campis & pratis, silvis, ortiferis, pumiferis, pascuis, pecuniis, mobilibus, atque immobilib. viis, ingressis & regressis. quid plura? ut superius diximus pro animæ meæ salutẽ ad illam sanctam Ecclesiam trado in dominationem: in ea vero ratione, ut iterum per precariam post me accipiam, & exinde annis singulis censum solvam, hoc est de annona spelda modias X. & de avina XX. & frisginga seigit valenti. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus heredum meorum vel postheredum ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem à me factam venire temptaverit, partibus fisci multa conponat, id est auri uncias VI. argenti pondora XII. coactus exsolvat, & quod reppedit per nullisque ingeniis evindicare non valeat, sed hæc præsens epistola omni tempore firma & stabilis debeat perdurare. Actum in villa Heidinhova publice, præsentibus corum hic signacula contenuntur. sign. Vuachar qui hanc traditionem fieri atque formare rogavit sig Ernusti test. sig. Deoto. sig. Ghato. sig. Gliuto. sig. Timo. sig. Hagino. sig. Fruachanolf. sig. Trusinc. sig. Abbo. sig. Frihcho sig. Romanc. &c. Ego in Dei nomine Vualdo Decanus adq; Monachus, Dei servus, scripsi & subscripsi.

LXI.

Ato Diaconus.

IN Dei nomine. Ego itaque Gundachar dono atque trado ad monasterium S. Gallonis quicquid in villa qui dicitur Agineshaim ab hac die præsenti visus sum habere, exceptis duo mancipia, reliqua vero omnia ex integro ad ipsum superius nominatum monasterium trado atque transfundo, in ea ratione ut ipsas res per beneficium ipsorum monachorum ad me recipiam tempus vitæ meæ & censum eis exinde persolvam, id est per singulos annos XXX. siclas de cervisa, & XXX. panes, & frisginga tremisso valente, & quando opus fuerit aut ad messẽ vel pratum colligendum vel ad reliqua in passiato faciam: & si filius meus aut frater meus id ipsud facere voluerint, faciant: sin autem, ipsas res sine ulla marritione ad ipsum monasterium revertantur. Et si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis vel proheredibus, qui contra hanc cartulam venire aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat, sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit ad ipsum monasterium ferat & in discutiente fisco multa conponat, id est auri uncias duas & argenti ponduos quattuor coactus exsolvat, & si reppetit nihil evindicet, sed præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum omni stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio. cartula ista scripta est in anno secundo regni Carlomanno Rege, III. Kal. Iul. & Pirahtilone Comite. Ego itaque Ato Diaconus rogitus ab Gundachro scripsi & subscripsi. sign. Gundachri qui hanc cartulam fieri rogavit. sign. Verei † Votmar. † Rucimire † Eholt † Poto † Tuhuto † Cirico † Vciolf † Filomar † Frehholt † Thuato † Linco † Pito † Ackiolt. &c.

LXII.

Hadupertus Clericus.

✠ In Dei nomine. Ego Hadupertus & genitrix mea Teotrada, talis nobis communis decrevit voluntas, ut res nostras ad aliqua loca venerabilia Sanctorum dare deberemus: quod ita fecimus. Donamus ad monasterium S. Gallonis, qui est constructus in pago Arboninse, ubi ejus sacrus requiescit corpus, & hoc est quod donamus in pago Argoninse in vilari quod dicitur Haddinvvilare & in villa qui dicitur Argona, quicquid in his locibus visuri sumus habere in hac die præsente, id est casas, curtiles, cum omnibus ædificiis quæ ibidem esse videntur, & servos & ancillas & omnia pecuniana, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, viis, aquarumque decursibus. hæc omnia ex integro tradimus ad ipsum superius nominatum monasterium: in ea ratione, ut ipsas res per beneficium ipsorum monachorum tempus vitæ nostræ per cartulã precariã post nos recipiamus, & censũ eis exinde solvamus, & hoc est cẽsus quod nobis cũ illis cõvenit, per singulos an. II. carradas de grano bono nõ scusso, I. de spelda & alterũ de avina

avina, & quando esca est porcum solido valentem I. & quando esca non est arietem bonum. Et post nostram vero discessionem ipsas res pro animis nostras ad ipsum monasterium sine ulla marritione reuertantur, ibique in perpetuum donatas permaneant. Et si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi aut aliquis de heredibus nostris vel proheredibus, qui contra hanc cartulam traditionis venire aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit ad ipsum monasterium restituat, & in discutiente fisco multa conponat, id est auri uncias II argenti ponduos IV. coactus exsolvat, & si repetit nihil evindicet, sed præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum omni stipulatione subnixa. Actum Arguna villa publice. Hii sunt testes qui in præsenti fuerunt & firmaverunt. sign. Haduperti qui tradidit & scripsit. sign. Teotradæ genetricis ejus qui cum ipso fieri rogavit & tradidit. sign. Moathelmo test. sig. Osia test. sign. Buosot test. sig. Haimo. test. sig. Diothario. test. sign. Bodololdo test. sig. Erloino test. sign. Diholfo. test. Ego Hadupertus Clericus tradidi & scripsi in anno secundo regnante Carolo Rege Francorum, sub die Non. Septemb. feliciter.

LXIII.

Marcellus Monachus.

IN Dei igitur nomine. Ego Gerhart sacris prædicationibus frequenter ammonitus pro animæ meæ remedio trado atque transfundo ad monasterium S. Galli, cui Grimaldus Abba præesse dinoscitur, quicquid in villa nuncupata Lutaraha adquisitum habeo tam domibus quam ædificiis, silvis, pratis, viis, aquis, aquarumq; decursibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilib⁹, omnia ex integro ad jam dictum cœnobium trado. in ea videlicet ratione, ut cultores præfati monasterii supra dictas res ad se statim recipiant in perpetuum possidendas: & unam hobam, quam in villa nominata Altsteti habere videntur, diebus vitæ meæ mihi præstent, & censum inde annis singulis in die Natali S. Galli solvam, id est solidum I. Post obitum vero meum sine ullius contradictione ad jam dictum monasterium redeat in ævum possidenda. Si quis vero, quod fieri non æstimo, si ego ipse quod absit, vel ulla alia persona hanc traditionis cartulam inrumpere temptaverit, auri uncias III. argenti pondera V. coactus ad ærarium Regis persolvat, & conatus sui privetur effectu, & nihilo minus hæc traditio firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus istis quorum hic signa continentur. sig. Gerharti qui hanc traditionem fieri rogavit. † Isgeri † Hato † Buozzo † Nandger † Otger † Zeizzo † Haddo † Arthelm † Edileoz † Meginhart † Theginhart † Sigihart † Ekcolf. Ego itaque Marcellus monachus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Dominicũ, VIII Kal. Octob. anno XV. Hludovvici Regis Alamannorũ, sub Cuanrato Comite.

LXIV.

Theothartus.

SI aliquid de rebus nostris in substantias pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna retributione retribuere confidimus. Ideoq; ego in Dei nomine Vuitram Presbyter trado cum manu advocati mei Cundberti ad monasterium S. Galli, ubi Bernvvigus Abbas, præesse videtur, quicquid à Starcholfo filio fratris mei eodem appellato nomine in Rimoltesvvilare vel in eadem marcha cum mea pecunia, id est pretio attaxato, proprietatis adquirere visus sum, seu ubicumque aliquo ingenio in eadem marcha aliquid adquisitum habere dinoscor cum præfata adquisitione, id est partem ecclesiæ quæ illum adtingebat mihique ad redimitionem concessit, curte clausa, aliisq; ædificiis, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, aquis, aquarumq; decursibus, mobilibus atq; immobilibus, cultis & incultis, quicquid dici aut nominari potest, volo esse traditum ad jam dictum locum: sub ea ratione ut easdem res ad me recipiam, annisq; singulis exinde vobis censum persolvam, id est IV. denarios, hocq; faciam tempus vitæ meæ. Ità tamen volo habere apud vos plagitatum, sicut & in priori mea traditione sonat, ut nulli umquam in beneficium concedantur. Quod si actum fuerit tunc proximus meus licentiam habeat easdem res ad se vindicare: nullusq; hanc cartam violare audeat quod si quis fecerit, multa conponat, id est auri uncias III. & argenti pondera V. coactus persolvat, & hæc carta nihilominus firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum in præfata villa intra ecclesiam publice. sign. Vuitramni Presbyteri atq; advocati sui Cundberti qui hanc traditionem fieri rogaverunt. † Certili. † Vualtilin † Nanzo † Ruadi &c. Ego itaq; Theothart ad vicem Cozzolti Diaconi scripsi & subscripsi. Notavi diem Veneris, IX. Kal. Decemb. anno XXIV. Hludovvici Imperatoris, & Hludovvici Iunioris Regis Alamannorũ V. sub Geroldo Comite.

LXV.

Cozpertus Diaconus.

EGo in Dei nomine Altirih trado ad cœnobium S. Galli pro animæ meæ remedio & æterna retributione, quicquid in pago Turgavve in locis nuncupatis, videlicet Seheim & Turbatun, vel in eadem marca in quibuslibet rebus videor habere, quod in perpetuum traditum ac delegatum esse volo, sub ea condictione, ut ipsæ res in Turbatun cum omni integritate ad jus monasterii possideantur, & illud quod in Seheim tradidi ad me recipiam, necnon & vuilare à par-

re à partibus monasterii Scottinchova nuncupatum, sed & illud in Rumaninchouun, atq; exinde annis singulis censum solvam, id est V. solidos tempus vitæ meæ. Si autem de legitima conjuge filias mihi Deus donaverit, ipse qui longius vixerit, in eundem censum habeat. Post illius quoque obitum hoc quod tradidi & quod à parte monasterii accepi cum omni integritate ad jus cœnobii redeat perpetim possidendum. Si quis vero hanc traditionis cartam quolibet ingenio inrumpere conatus fuerit, inchoatus sui privetur affectu, & in ærarium Regis auri uncias III & argenti pondera V. coactus persolvat, sed nihilo minus hæc traditio suum obtineat vigorem, stipulatione subnexa. Actum Vuormatiæ palatio Regio, præsentibus istis sig. Altirichi auctoris. sig. Vualdberti. Svvidgeri. Ruuadberti, Othart, Landpreht, Reginhart, Reginboto, Adalbold. Ego itaque Cozpreht. inmerens Diaconus, anno XVI. Hludovvici Imperatoris, & Hlotharii Augusti VII. rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Mercurii, XV, Kal. Septembris, sub Erchanbaldo Comite feliciter.

DE PRECARIIS.

in q. Mss. Præstaria vocantur.

LXVI.

Formula Isonis.

CHristi enim favente clementia ille Abbas monasterii illius sancti. Convenit una cum consensu fratrum nostrorum, ut illa mancipia, quæ nobis ille de illo loco tradidit, ei iterum per præstarium repræstaremus, quorum hæc sunt nomina, illum & ejus sobolem his nominibus. Sed extra hos unum servum empticium. in ea videlicet ratione, ut ea habeat tempus vitæ suæ, censumque annis singulis inde solvat. & si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Illum vero supranominatum servum N. in eundem censum habeat tempus vitæ suæ, & si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Post obitum vero ejus omnia ad supra dictum monasterium redeant perpetim possidenda, si ante non redemerit. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. sign. Decani, Præpositi, Cellarii, sacratarii, portarii, hospitarii, Camerarii, sign. aliorum testium. Ego itaque ille scripsi & subscripsi. Notavi diem illum, illa data, anno illo illius Imperatoris, sub illo Comite.

LXVII.

Vuaringisus.

IN Christo fratri Erinperto & Amalperto nos fratres vel Monachi S. Galluni Confessoris, qui ad cellam suam sub usu seculari deservimus, Marcus & Stephanus & Vuolframnus Præpositus. Cognitum est villam S. Galluni noncupantem Zozinuilare sitam in pago Durgavia, quicquid ibidem tu ipsic & frater tuus per cartam traditionis ad monasterium S. Galluni fecistis ipsas res sub usufructuario tibi præstavimus. Præterea sic nobis conplacuit ut annis singolis de festivitate in festivitatem natalis Domini, quod est in mense Decembri, censum ad ipsam ecclesiam S. Galloni vel Rectores ejus exsolvere debeas, id est triginta siclas cervisa & quaranta panis, friscincam tremissalem, & pullos duos in quisqualitione saigatam unam ares & hoc metas & intus ducas & jurno secare facias & alic colias & intus ducas, sicut superius diximus absque ulla contradictione ad eccleham S. Galloni vel Rectores ejus annis singolis dare facias, quamdiu ipsas res habere voles, & quamdiu hoc feceris, & nostra fuerit voluntas, absque præjudicio S. Galluni ipsam villam tenere & usare facias, & nullum Pontificium habeas de ipsa villa nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuare, sed in quo possumus semper meliorare faciamus. Et si de ipso censo negligentes fuerit, tunc potestatem habeamus & succestoresque nostri de ipsa villa ejiciendi & partibus S. Galloni revocandi. Facta precaria sub die Lunis, V. Id. Majas, anno X. regnante Domno nostro Pipino Rege Francorum, sub Vuarino Comite. Hii sunt monachi quod præsentes fuerunt. sig. Vualderamni Monchi. sig. Vuacolfi monachi. sig. Ratonis monachi: sig. Tassilonis monachi. sig. Cunderamni monachi. Ego Vuaringisus scripsi.

LXVIII.

Vuenilo.

VEnerabile in Christo Aginone Episcopo sive Vuerdone Abbate de monasterio S. Galloni de pago Arbonense precator connuscatis dū & omnib. Non habetur incognitum qualiter Bertoldus Comis & mater mea nomine Raginsind trado & donamus pro animabis nostris & requiem genitori patri meo donamus vobis à die præsente in pago nuncupanti Bertoltibata & in villa denominata Asolvvingas, hoc est casa dominicata, casticiis, terris, campis, pratis, pasculis, silvis, mancipiis, pumiferis, pecuniis, ædificiis, aquis, aquarumque decursibus, quicquid in ipsa marca vel in ipsa villa nobis obtingit totum & ad integrum, quicquid dici aut nominari potest. Et in alio loco donamus vobis in villa denominata Munoluingas, quicquid mater mea ibi habuit, similiter tradidit. Postea mea fuit petitio & nostra vel fratrorum decrevit volūtas, ut ipsam rē valeas excolere vel usare & nihil exinde minuare non debeas, nisi quicquid ibidē addere aut inmeliorare vel attrahere potuim⁹. Post quoq; tuū discesū sive matris tuæ nomine Raginsind ipsa res inmelioratas cum omni superposito adq; atitāmento pro animas nostras ad ipsom locom Dei S. Gallonis in pago Arbonense omnimodis revertatur, & in censum

annis

annis singulis ipsam rem habeat Bertoldus Comis & mater sua ad festivitatem S. Martini cum solidis VIII. in unum censum habeat ipsam rem. Et precamur vobis in Dei amore post nostrum obitum ut nullus secularius homo non habeat in beneficio, nisi ipsas res debet servire pro animas nostras ubi nos concessimus ad soli Deo ad habendum, tenendi, dominandi, vel quicquid exinde vos successoresq; vestri facere volueritis liberam in omnib. atq; firmissimam habeatis potestatem. sign. Aginone Episcopo sive Vuerdone Abbate qui hanc præstariam fieri & firmare rogaverunt. A gentes monasterio per semetipsum in Dei nomen recipere & revocare debeant. Facta præstaria per quinquennio renovata fuisset. sign. Hacconi. sign Habberti. sign Rihhart. sign. Zazil. sign. Theodolt. Heimo. sign. Hagustolt. sign. Fridurat. Notavi die Subbato, VI. Kal. Novemb. anno XXXIV. regnante Domno nostro Carolo Rege Franchorum ac Patricio Romanorum & Alamannorum, & sub Rothario Comite. Ego Vuenilo qui hanc præstariam scripsi & subscripsi.

LXIX.

Ruodo Lector.

IN Dei nomine Iohannes Episcopus gratia Dei Abbas vocatus una cum fratribus, qui in monasterio S. Galli degunt, ubi & sacrum requiescit corpus. Igitur quod non est incognitum quod Managoldus pro remedio animæ fratris sui Hugiberti casatum unum cum hoba sua ad supra dictam ecclesiam tradidisset in villa quæ dicitur Sutiningas, his nominibus Dheotinc, Hiltimunt, Adalhilt, petivit ut per precariam ei præstare deberemus, quod una cum consensu fratrum nostrorum ita fecimus: in ea vero ratione, ut per annis singulis censum exinde solvat, hoc est XV. siclas de cervisa & maldram de chernone & friskingam trimisse valentem, & in omni Zelga jornale unum arare, & III. dies asecare & III. amadere. Et si ei aliquando voluntas evenerit, aut necessitas exegerit, ut ipsas res ad usum proprium recipere voluerit, solvat eas cum XXX solidis, & quicquid inde voluerit postea agere nostris partibus liberam habeat potestatem. Et hoc ei concedimus, ut si ipsos solidos infra unius anni spatium exsolvere non valuerit, vel infra trium annorum curricula eos nobis exsolvat. Interea autem census quod nos cum illo convenit, sicut supra memoravimus, nobis exinde currat. A die autem quando supra dictum pretium nobis habuerit expensum, & nos nostris partibus eum visi fuerimus possedere, sic cesset ab ipso censo, & si filio ejus conventio ista placuerit, & id ipsud facere voluerit, ipsas res possedeat. Facta precaria in monasterio S. Galloni Confessoris. sign Iohannis Episcopi. sign. Iohannis Diaconi. sign. Æginonis Presbyteri. sign. Stephani Presbyteri. sign. Adalrih Presbyteri sign. Hugiberti, &c. Ego Ruodo laicus Lector scripsi anno XII. regnante Domno nostro Carolo gloriosissimo Rege Franchorum.

LXX.

Vuatto Diaconus.

DIvina largiente clementia Crimaldus cœnobii S. Galli Abba. Convenit nos una cum consensu fratrum & monachorum nostrorum, ut illas res quas nobis Lantprehte Presbyter suæ adquisitionis tam in terris quam in ædificiis vel cultis aut incultis, manu potestativa una cum manu advocati sui nomine Engilbold tradidit pro animæ suæ remedio in pago Nibalgauge, quicquid ibidem ad Chanchonem & ad vuitricum & ad Vuolaliuba conparavit justo conquisitu cum propria pecunia Deo & S. Gallo & ibidem Deo famulantibus tradidit atq; condonavit, nosque iterum illas res prædictas represtare per præsentem precariam deberemus: quod ita & fecimus, atque inde nobis annis singulis in censum persolvat unum denarium: & ut nos quattuor electa mancipia, mares duos & fœminas totidem ex nostra potestate donare debeamus, quod omnino non omittimus. Post ejus vero obitum tunc Diotpirt nepta illius eandem traditionem sub usufructuario possideat tempus vitæ suæ, & annis singulis abinde nobis unum solidum in censum prosolvat. Et si illa Diotpirt illam traditionem sibi placitatam dimittere voluerit, tunc ad cellam Ratpoti locum & præbendam quasi unus monachus juxta facultates loci illius habeat tempus vitæ suæ, & traditionem præfatam sibique placitatam nobis & successoribus nostris dimittat perpetualiter possidendum. Et hoc animo firmissima mente adhuc vivens nos rogavit ut nullo laico post ejus obitum in beneficium præstitum fuisset: tamen si hoc factum fuerit nostra jussione tunc proximus heres ejus potestatem habeat auferendi ipsas res de præfato monasterio. sign. Crimaldi Abbatis & Emichonis Advocati, qui præsentem precariam scribere rogaverant sign Hartmoti Decani. sign. Engilramni Præpositi. sign. Birihtilonis Præpositi. sign. Diotharti hospitalarii. sign. Cozberti Portarii sign. Crimberti Portarii. Actum in ipso loco, quo idem Lantpertus Presbyter domum & capellum tunc tempore habere videbatur coram testibus, quorum hic signacula continen tur. signum Liutharii qui hoc consensit † Gisalolt † Folrat † Vuano † Cundhart † Ruadger † Huadalvvart † Engilhelm † Folchini. Ego itaque Vuatto Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi in X. Kal. Iun. diem Iovis in Ascensione Domini, regnante Domno Hludovvico Rege in Orientali Francia anno decimo, sub Pabone Comite, & sub Hunoldo Centenario, indictione quinta.

LXXI.

Otine.

CHristi disponente providentia Grimaldus Abba cœnobii S. Galli. Convenit nos una cum consensu fratrum nostrorum & advocati Emichonis ut in concaptione, quæ sita est in marcho Vuangon prope Argunam Aquiloniorem in utraque parte aquæ Reodolti filio, id est Purchardo, & omni posteritati ejus, hobas III. dari deberemus: quod ita & fecimus, ea videlicet ratione ut dominum non habeat nisi Abbatem, qui præest monasterio S. Galli, & ad illos fratres, annisque singulis censum inde persolvant, id est solidum I. in quocunque pretio potuerint. Et si iterum alibi Dominum elegerint, tunc præfata res ad præfatum monasterium redeat perpetualiter possidenda. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus quorum hic signacula continentur. sign. Grimaldi Abbatis, qui hanc confirmationis cartam fieri decrevit. sign Hartmoti Decani. sign. Richperti Præpositi. sign. Ruadhoi. signa & aliorum testium &c. Ego itaque Otine rogatus scripsi & subscripsi, die Dominica VII. April. regnante Hludovvico Rege nostro anno XII. sub Pabone Comite.

LXXII.

Notgerus.

CHristi igitur favente clementia, placuit mihi Grimaldo Abbati cæterisque fratribus, consentiente etiam Ruadberto Advocato nostro, ut res quas Pereurid ad S. Gallum tradidit per hanc precariam juxta traditionem legitime ab ipso peractam possidere. Idem namq; Pereurid tradidit quicquid proprietatis habuit in pago Zurichuaëse, villa nomine Pichilinchova, excepto uno prato inter Parachstetin & Heremuntinchovun: alia omnia tradidit cum omni integritate ad jam dictum monasterium, ea videlicet ratione, ut ille ipse easdem res possideret annisq; singulis censum inde persolveret, id est duos denarios, similiter & mater illius, si eum supervixisset, eas res sub eodem censu possideret. Ipse verò Pereurid si easdem res redimere voluisset, cum sex denariis id faceret. Si autem ipse non perfecta redemptione obiret, legitimi heredes illius ex legitimo procurati conjugio easdem res possiderent, & supra dicti rationem censùs annis singulis inde persolverent. Ipsi etiam heredes legitimi si eas res vellent redimere, cum VI. denariis id facerent. Actum in villa Pichilinchova publice, præsentibus istis quorum hic signacula continentur. † sig. Grimaldi Abbatis † sign. Hartmoti Decani. sign. Engilrammi Portarii. sign. Cozberti præpositi. sign. Selbonis, &c. Ego itaque Notger scripsi & subscripsi. Notavi diem II. Fer. IV. Kalen. Septemb. anno XIX. regni Hludovvici Regis, sub Karolto Comite.

LXXIII.

Purgolfus Monachus & Subdiaconus.

IN Christi nomine Hartmotus Abbas cœnobii S. Galli. Complacuit nobis una cum consensu fratrum & Advocati nostri Hildibrandi, ut res quas nobis tradidit Cunzo ei iterum per hanc precariam repræstaremus. Tradidit namq; nobis memoratus vir quicquid proprietatis in Arghangauge, videlicet in Tetinanc & in Hasalaha hodierna die visus est possidere tam in domibus quàm in ceteris ædificiis, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, aquis aquarumq; decursibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, omnia videlicet ex integro tradidit ad prædictum cœnobium S. Galli, exceptis duabus hobis in Tetinanc sitis quas ad Lintovam tradidit, & excepta una hoba quam Hildipert possidet. Sed & hoc memorato, quod curtile unum, & quandā partem territorii sui quibusdam feminis quondam sui juris modo ab illo libertate donatis concessit, quarum ista sunt nomina, Lantrud, Eita, Ruaddrud, ita tamen ut post obitum prædictarum feminarum ipsæ res in jus præfati cœnobii redeant in ævum possidendæ, ea scil. pactione ut ipse Cunzo easdem res ad se recipiat, & annis singulis censum inde persolvat, id est I. denariū. Et si redimere voluerit, cum uno solido redimat ad Vuazzarburc. Quod si ipse non redemerit & cōjunx sua Hildiburc illi superstes fuerit, tunc ipsa præfatas res in eodem censu possideat tempus vitæ suæ, redemptione illi earundem rerum penitus denegata. Post obitum verò prædictæ conjugis suæ, nepos ejus, videlicet filius filii sui, nomine Cunzo præfatas res teneat, in prædicto censu usq; dum ad virilem ætatem pervenerit. Et si ad virilem ætatem pervenerit, & ei Deo concedente legitimus heres procreatus fuerit, tunc demum easdem res licentiā habeat redimendi cum XXX. solidis ad Vuazzarburc. Non tamen ante easdem res redimat, quam ei legitimus heres provenerit. Similiter & legitimus heres ejus prædictas res in prædicto censu & in prædicta redemptione possideat, si ante redemptæ non fuerint. Si autem supra nominatus Cunzo sine legitimo herede obierit, & aut ipse aut legitimus heres ejus præfatas res non redemerint, tunc absq; ullius contradictione ipsę res in jus prædicti cœnobii redeant in ævum possidendæ. Actum in Vuazzarburc publice, præsentibus quorum hic nomina supponuntur. Signum Hartmoti Abbatis & Advocati sui Hildibrandi, qui hanc precariam perpetraverunt. Sig. Folchardi Decani. s. Cotaberti præpositi. s. Vuerimberti æditui. sig. Thiotharti portarii. s. Ruodini hospitarii. sig Kerberti cellararii. sig. Octuuini Camerarii, sig. & aliorum testium † Vuolfpert, Hiltine, Asprant, Vuichere, Keboroh. Ego itaque Purgolf monachus & subdiaconus cum jussione Domini mei Abbatis scripsi & subscripsi. Notavi mensem Iunium, annum II. Domni Karoli Imperatoris Augusti, Vodalricum Comitem.

Precariũ Erlebaldi.

LXXIV.

Albricus Presbyter.

CHRISTI favente gratia Hartmotus Abba monasterii S. Galli. Dum plurimis cognitum sit qualiter Erlebaldus de Prisicauge omnes res proprietatis suæ, quas habebat in Vfhusun, & in Merishusa Marcha, & in Vuitrachomarcha, & in Vuitunovva marcha, tam marchis quàm ædificiis, (excepta domo Salica) curtilibus, terris, pratis, vineis, silvis, aquis, aquarumq; decursibus, cultis & incultis, omnia ex integro pro remedio animæ suæ nobis tradidit, in ea ratione ut nos easdem res statim habeamus, & ex illis faciamus quicquid voluerimus: & ille à nobis accipiat in beneficium tempus vitæ suæ quod habemus in Maingas, excepta Salica terra nisi IV. jugera ex ipsa. Post illius verò obitum easdem res cum omni laboratu, qui in illis tunc apparet, redeant ad nos in ævum possidendæ. Actum in villa Vuoluinvvilare nuncupata publice, præsentibus multis. Sign. Hartmoti Abbatis & Advocati sui Totonis qui hanc precariam fieri jussit. Sign. Theotharti Decani. Sign. Albrici Præpositi Sign. Paldrici portarii. Sign. Richperti sacratarii. sign. Hartmanni Cellerarii. sign. aliorum testium, &c. Ego itaque Albrih indignus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Lunæ, XVI. Kalen. Decemb. anno XXXV. Hludovvici piissimi Regis, sub Karolo Principe.

LXXV.

Ripertus Presbyter.

CHRISTI igitur favente clementia Salomon Abba monasterii S. Galli. Conplacuit nobis atque convenit una cum consensu fratrum nostrorum, ut res quas nobis tradidit Engilboldus per hanc precariam ei præstaremus: quod & ita fecimus. Tradidit nobis præfatus homo in pago Prisigaugense in marcha seu in villa nuncupata Vuiteresvvilare duas hobas cum toto ædificio & opportunitatibus ad hoc pertinentibus: ea videlicet ratione, ut ipse & conjux sua habeant usque dum vivant, & censum in missa S Galli, hoc est 1. denarium, persolvant, & post obitum illorum Theganhart Præpositus habeat quousq; vivat, atque discessum ipsius ad præfatum monasteriũ revertatur. Has itaq; præfatas res, sicut ibidem canitur, illi concessimus, cartam precarii scribere postulavimus. Si quis verò contra hanc cartam precarii aliquam fraudem temptaverit agere, iram Dei sentiat, & ad ærarium Regis multa persolvat, id est auri uncias III. argenti pondera V. & hæc carta precarii firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Sublevata in villa Vuitiresvvilare sig. Domini Salomonis Abbatis. sign. Theganharti Præpositi. sig. Egilperti Decani. sig. Alberici Præpositi. sig. Cozperti portarii. sig Tuotilini hospitarii. sig. Ecchonis æditui. sig. Isonis Cellararii. S. Ruodperti Præpositi † Thietoni Præpositi † Albker † Hartrih † Ekehart † Eto † Chonzo † Hunfrid † Libo † Alaker † Puriching † Ruman. Ego itaque Ripertus indignus Presbyter scripsi die Lunis, Id Octob. luna XXVI. anno incarnationis Domini CMIX. regnante Ludovvico Rege anno X. sub Comite Adalberone.

LXXVI.

Abo Presbyter.

SIc itaque complacuit nobis unà cum consensu fratrum, & cum manu Advocati nostri Arolfi, ut res, quas nobis Othere in Betenovvomarcho tradidit, ei iterum repræstaremus: quod & ita fecimus. Tradidit enim nobis dictus Othere quicquid proprietatis vel adquisitionis in Betenovvomarcho hodierno die visus est habere, id est in ædificiis, agris, pratis, pascuis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cæsuris lignorum, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, & quicquid dici vel nominari potest, mancipia quorum hic sunt nomina scripta, Heio & uxor ejus, Vuolfram & uxor ejus & filii ejus: ea videlicet ratione, ut ille ipse easdem res ad se recipiens tempus vitæ suæ possideat, & inde singulis annis fratribus nostræ congregationis convenientibus ad ecclesiam S. Martini in Iohannesvvilare statutam temporis autumni, id est mense Octobri, tribus diebus victum de pane & de cervisa, & alia necessaria ad usum nostrum pertinentia impendat. Similiter & cognata ejus Kerhilt, si illum supervixerit, sub eadem constitutione tempus vitæ suæ res ipsas habeat: & quisquis post obitum amborum illorum ejusdem Ecclesiæ dominaverit, similiter faciat. Et si contigerit, ut ille, qui ejusdem loci potens est, hoc servitium facere noluerit, tunc ipsa res ad nostram redeat potestatem, & nos ipsi nostris ministris eundem locum commendare licentiam habeamus, qui nostrum servitium studeant adimplere. Et si evenerit ut aliquis de cognatis vel de coheredibus suis aut ulla opposita persona hanc potestatem nobis violenter tollere aut ipsas res invadere præsumpserit, & nostra congregatio ob hanc causam ab eodem loco dispersa fuerit, & ad alium locum subtracta erit, tunc ipsa traditio ad monasterium S. Galli revertatur, & nos ipsi talem potestatem habeamus, sicut ille ipse habuit, qui nobis eandem rem tradidit pro commemoratione animæ suæ ad hospitium præfati monasterii dare peregrinis & pauperibus pro CHRISTI nomine proxima hebdomada die sancto Paschæ ad serviendũ. Actum in loco qui dicitur Iohannesvvilare publice, præsentibus istis quorum hic signacula scripta adesse videntur. Sign. Emezo Abbatis & Arolf Advocati nostri qui hanc precariam firmaverunt. Sign. Perethro Decani, Abo Custodis, Hiltepold portarii, Starcolf camerarii, Perethram cellerarii, Iunchram sacratarii, Hilterich

rich hoſpitarii, & alii copii Presbyteri. Signa laicorum &c. Ego itaque indignus presbyter Abo ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Martis, IV. NON. OCTOB. ſub poteſtativa manu Hludovvici Regis & pueri, & ſub Adalberto Comite.

DE BENEFICIIS ET FEVDIS.

LXXVII.

Harmedeus Clericus.

PErpetrandum eſt unicuique quod Evangelica vox admonet dicens; *Date & dabitur vobis.* In Dei nomine Liutulfus & Merolfus & Zaozzo & Piſcolfus filii Marulfi confeſſi ſumus ante Cozpertum Præſidem & ante pagenſis noſtros, quod genitor noſter Marulfus omnem hereditatem & ſubſtantiam ſuam tradidit ad monaſterium S. Gallonis, qui conſtructus eſt in pago Arbonenſe, ubi ejus ſacrus requieſcit corpus, & nos poſthac exuti de omni re paterna noſtra reveſtivimus Vuolframmum monachum & miſſum ipſorum monachorum per tribus diebus & per tribus noctibus, & per beneficium ipſorum monachorum reintravimus. Et poſthæc conventione facta nos fratres filii Marulfi, conſentiente Cozperto Comite ante pagenſis noſtros omnem rem noſtram & hereditatem paternam communis manibus tradidimus ad ipſum ſuperius nominatum monaſterium in manus Vuinidharii Decani & monachi, & in ea ratione tradimus ut ſicut debuemus Regi & Comiti ſervire, ita ipſam terram ad ipſum monaſterium proſerviamus, & per beneficium ipſorum monachorum per cartulam precariam poſt nos reciperemus. Et ſi filii noſtri & agnitio eorum hoc facere voluerint, ipſas res proſerviant atque poſſedeant in beneficio ipſorum monachorum: Sin autem, reddant. Et hoc eſt quod genitor Marulfus tradidit, & nos quattuor filii ejus ſuperius nominati, quicquid in pago Nibalgavvenſi in ea die habuimus, id eſt campis, ſilvis, curtis, curtilibus, caſis, ſalibus, pratis, paſcuis, viis, aquis aquarumque decurſibus, & omnia quicquid in ipſa marcha Nibalgauge omnia & ex integro tradimus adque transfundimus, in ea ratione quod ſuperius ſcriptum eſt, & ipſum cenſum in ſilvaticas feras, quantum poſſumus conſequi, ſolvamus: & quantum non poſſimus, quod cæteri pagenſes noſtri faciunt Regi aut Comiti, ita & nos ad ipſum monaſterium faciamus. Et ſi quis vero, quod futurum eſſe non credimus, ſi nos ipſi aut aliquis de heredibus noſtris aut ulla oppoſita perſona, qui contra hanc cartulam traditionis veniret aut eam infrangere voluerit, non ſolum quod ei non liceat, ſed tantum & alium tantum quantum cartula iſta continet ad ipſum monaſterium reſtituat, & in diſcutienti fiſco multa conponat, id eſt auri uncias duas & argenti pondos IV. coactus exſolvat, & ſi repetit nihil evindicet, ſed præſens cartula iſta omni tempore firma & ſtabilis permaneat cum omni ſtipulatione ſubnexa. Actum Nibalgavia villa publica ubi cartula iſta ſcripta eſt coram multis teſtibus, in anno XV. regni Domini noſtri Pippini Regis Francorum. Datum fecit menſis Iunius dies VII. Ego Hamedus Clericus & Lector rogitus à fratribus ſcripſi & ſubſcripſi. † Liutulfi qui hanc traditionem fieri rogavit † Merulfi fratris ejus qui hanc traditionem fieri rogavit † Zeizzonis fratris eorum qui hanc traditionem fieri rogavit † Piſcolfi fratris eorum &c. Scrutolfi † Truogoni † Ratboti Presbyteri, Ratbaldi † Herimanni † Heio † Ricbaldi † Strocgoni † Patarih † Vuanincki † Baldmuoti. Ritus inveſtiendi.

LXXVIII.

Rimidingus Presbyter.

PLuribus cognitum eſſe ſperamus, qualiter duo germani fratres Arnolt & Altini filii Herimoti ex Vttenvvilare proprietatem ſuam quicquid ex paternica hereditate vel ex conquiſitione eorum habuerunt totum & integrum nobis Grimaldo Abbati & Hartmoto vel Advocato noſtro Tagaberto in manus noſtras condonaverunt, nihil econtra poſtulantes niſi tantum ut eaſdem res illis & legitimæ poſteritati eorum in beneficium concederemus vel in cenſum. Quapropter ego Grimaldus petitionibus præfatorum hominum & ceterorum populorum precationibus aurem pietatis accommodans, cum manu Advocati mei Tagaberti poſt veſtituram & conſeſſum eaſdem res illis in beneficium & in cenſum conceſſimus ipſis & cunctæ legitimæ procreationi eorum, id eſt ut annis ſingulis inde cenſum perſolvant, id eſt aut ſex denarios vel tres maldras de grano, ipſi & univerſa legitima poſteritas eorum ſuo eodem monaſterii dominio deinceps firmiter conſiſtant, & equitent ubicumque eis præceptum fuerit. Si autem contigerit ut legitimi heredes defecerint, tunc præfatæ res ad nos revertantur abſq; ullius contradictione in ævum poſſidendæ. Actum in monaſterio S. Galli coram nobis, videlicet Grimaldo venerabili Abbate & Hartmoto Decano, necnon & Tagabert. Advocato, Vuolfcozzo Præpoſito, ... thario Sacratario, Managoldo Cellerario, Erlebaldo portario, Cotaberto Camerario, Yrfingo hoſpitario, Vtone Bibliothecario, Cauzario, & ceteris multis. Ego Romidingus Presbyter ſcripſi. . . . .

LXXIX.

Purgolfus Monachus.

NOtum ſit tam præſentibus quam futuris, quod quidam homo nempe Erphrich quandam hereditatem in Eiganteſvvilare de traditione Ratmundi, Thingmundi, Gemmundi ad

S. Gallum pertinentem injuste invasam quasi hereditario jure sibi vindicavit, donec Advocatus S. Galli nomine Hildibrant temporibus Hartmoti Abbatis in publico mallo easdem res ab eo justicia dictante coacto recepit, & in jus S. Galli redegit. Sed cum idem Erphorich clementiam Domni Hartmoti adiisset, impetravit ab eo ut eandem possessionem sub censu unius hircinæ pellis solidum valentis diebus vitæ suæ possideret, redemptione sibi earundem rerum penitus sibi denegata. Progenies autem ejus supra dictas res sub censu duarum pellium hircinarum, quarum singulæ unum solidum valeant, à sæculo in sæculum possideant, nulla sibi earundem rerum redemptione concessa. Actum in Liubilinanc publicè præsentibus quorum hic signa continentur. sign. Erpherichi qui hanc conscriptionem fieri postulavit † Vinino † Froolf † Vodal † Petto † Ellinvvart &c. Ego Purgolf monachus indignus scripsi & subscripsi. Notavi mensem Octobrem, annum III. Karoli Regis post mortem patri sui Hludovvici, Vodalricum Comitem.

LXXX.

Anonymus.

OMnibus CHRISTI fidelibus præsentium inspectoribus Heinricus natus quondam nobilis viri Domini Heinrici de Tengen fidem adhibere subscriptis Vt quævis tollatur litis materia cautum est quæ geruntur scripturarum indiciis memoriæ commendari. Noverint ergo universi tam præsentes quam futuri, quos nosse fuerit oportunum, quod ego sana & diuturna deliberatione præhabita sponte & voluntariè prædium meum in Kussenach situm prope lacum Turicinum cum jure patronatus Ecclesiæ parrochialis ibidem & præbendarum dictæ ecclesiæ & prædio annexarum, hominibus, feodis, quæ vulgariter dicuntur anslehin vel erbelehin, agris, pratis, pascuis, piscinis, molendinis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, virgultis, viis, & inviis, cultis & incultis, & generaliter omnibus pertinentiis suis dono monasterio S. Galli per manus venerabilis domini mei * B. Abbatis ejusdem monasterii jure proprietatis eidem perpetualiter attinendum: receptis ab ipso Domino Abbate in gratificationem dictæ donationis meæ sexaginta marcis argenti, de quibus confiteor sufficienter præsentibus me pagatum. Verum quoniam idem Dominus Abbas de affectu sincero, quem sibi & monasterio suo in donatione hujusmodi ostendi, non ingratus me de prædio ante dicto infeudavit. . . . .

* Bertholdi, ex familia Valkenstenia qui præfuit A. C. 1244.

LXXXI.

Hratbertus Conzl.

IN Dei nomine. Perpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens; *Date elemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.* Ego Sigifridus cogitavi vitam futuram & æternam retributionem, ut aliquid de mancipiis meis, his nominibus Pechildis & Liubvvar & Zeizaloh ad ecclesiam, quæ est constructa in villa Fishingas in honore S. Petri ceterorumque sanctorum, ubi vir venerabilis Vuolfphoto Presbyter esse cognoscitur, tradere volo: quod ita & feci, in ea videlicet ratione, quamdiu ego vixero, eadem mancipia habeam, censum prosolvam denarios VI. in quisque anno XI. Kalen. Octobris, id est ad dedicationem præfatæ ecclesiæ. & filius noster Hratpoto similiter faciat, ejusque posteritas legitima. Post discessum legitimæ posteritatis ad jam dictam ecclesiam revertant perpetualiter possidendæ. Si quis verò, quod fieri minimè credo, si ego ipse aut ullus de heredibus ac proheredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem venire aut inrumpere conaverit, coagente fisci multa conponat auri uncias III. argenti pondus V. coactus exsolvat: & quod repetit nihil evindicet, sed præsens traditio omniq; tempore firma permaneat cum stipulatione subnexa. Actum Chirihaim villa publice. sig. † Sighifridi qui hanc traditionem fieri vel adfirmare rogavit. sig † Palduino sign. † Crissoni. sig. † Gheirberti. sig. Gheirleih. &c. Ego in Dei nomine Hratbertus Conzl. scripsi & subscripsi. Notavi VIII. Idus April. anno VI. regnante Domno Hludvico Imperatore, & sub Erchangario Comite.

LXXXII.

Anonymus.

NOtificamus omnibus tam præsentibus quam futuris, quod * Rudolfus Præpositus ac Decanus, annuente Domino venerabili Abbate Vdalrico, totoque conventu hujus ecclesiæ data manu confirmante constituit, ut conversio S. Pauli, quæ prius tribus tantum celebrabatur lectionibus, festivè celebretur, & ipsis de beneficiis quibusdam Decano censualibus ad Hacon & ad Bruccon & Chrazarun ipso die ministretur in pane minore & vino, in piscibus & caseo, de censu XXX. solidorum, qui exinde persolvuntur annuatim à Camerario Chuon suisq; heredibus, sicut jam dictus instituit Præpositus atq; Decanus: quoniam prius X. tantum solidi de ipsis persolvebantur beneficiis. Ista vero census augmentatio exinde provenit, ut filiæ ipsius Chuon, quibus * abjudicata fuit hereditas, istorum beneficiorum hereditate sibi succederent, censumq; XXX. solidorum persolverent. Ordinavit etiam dictus Præpositus ut in festo

* de Montfort, postibi Abbas.

* Quoniam filiæ non succedunt in beneficio patris.

S. Spiritus

S. Spiritus die secundo stoupum Decanus daret, & chorus festivaret ut in die Dominico S. Spiritus. Actum in monasterio anno incarnationis Domini MCCXIX.

LXXXIII.

Vuolfcozus.

IN nomine Domini nostri. Vnicuique perpetrandum est, quod divina vox ammonet dicens: *Date & dabitur vobis.* Et: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Hac igitur & ammonitione conpunctus ego Vuolvarat pro remedio animæ meæ & parentum meorum Altilini Puasini trado atque transfundo ad monasterium S. Galli quicquid proprietatis in Vuilihdorf præsenti die visus sum habere, domibus, ædificiis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, quicquid dici aut nominari potest, exceptis tribus juchis & una curticula, & de pratis ad unam carradam, cætera vero omnia, sicut supra dictum est, trado. in ea videlicet ratione, ut easdem res ad me recipiam tempus vitæ meæ perfruenda, censumque annis singulis inde persolvam, id est, ut ad proximam curtem S. Galli unum juchum arem, & cum semine meo seminem annis singulis in unaquaque celga. Et si redimere illud velim, cum duobus solidis id agam. Si autem uxor mea me supervixerit, easdem res habeat censumque annis singulis persolvat, id est VI. maldras de avena, & I. maldram de kernone. Si autem ex legitima uxore heres mihi procreatus fuerit, tunc ipse easdem res in eundem censum, sicut & uxor mea habeat. Similiter & tota recta procreatio ejus in eundem censum, sicut & filius. Et si redimere voluerint, cum una libra redimant. Post obitum vero meum sive uxoris, si mihi heres deest, tunc ad jus Præpositi & Advocati seu Populorum pertineat, quem ipsi elegerint, mihi proximum fuisse, qui easdem res in eundem censum habeat, sicut & uxor & filii. Si autem neglectum fuerit censum, tunc præfatæ res integriter revertantur ad jus monasterii perpetualiter possidendæ. Si autem ego aut ulla opposita persona hanc traditionem inrumpere voluerit, socianti fisco multa conponat, id est, auri uncias III. argenti pondera V. Actum in Pazmuntingun præsentibus istis. sign. auctoris hujus cartulæ Vuolvarati. sig. Svvidgarii. † Vuinidheri. † Heimolt † Vuolfho † Chaldalo † Vuenilo †Otger † Meginbert † Liutpold † Vuolfram, &c. Ego itaque Vuolfcoz in vice Hartmoti scripsi & subscripsi. Notavi diem Iovis VIII. Kalend. April. anno quinto Ludovvici super Austriam, sub Oadalricho Comite.

Beneficiū precariū, cujus pariles species supra quā plures vidimus.

LXXXIV.

Iso Monachus.

HVMANO genere peccatorum maculis sauciato atque ob culpam inobedientiæ à Paradysi gaudiis dejecto, inter cætera curationum medicamenta etiam & hoc Deus mundo remediū contulit, ut propriis divitiis homines suas animas ab inferni Tartaris redimere potuissent, sicut per Salomonem dicitur: *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus.* Hinc & per semetipsam divina clementia in Evangelio hortatur dicens: *Date & dabitur vobis.* Et iterum: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* His igitur atque aliis scripturarum ammonitionibus ego Vuolfhugi conpunctus trado atque transfundo ad cœnobium S. Galli, ubi Grimaldus Abbas præesse dinoscitur, quicquid in Pago Turgavvensi in loco Rammisperage nominato proprio sudore Staricholfus adquisivit, & cum manu advocati sui Richmari ad prædictum cœnobium contradidit, mihique & legitimæ meæ procreationi sub ea ratione possidendum dereliquit, ut censum exinde annis singulis persolvamus, id est II. denarios vel II. maldros de grano. Si autem ego illas redimere velim, cum I. solido id agam. Si vero ego illas non redimam, legitimi heredes mei sub prædicto censu eas possideant. Si autem hoc evenerit, ut legitimi heredes mei deficiant, atque in sua ingenuitate non permaneant integerrime, statim ad prædictum redeant cœnobium perpetualiter possidendum, nullusque eas ulterius licentiam abstrahendi habeat, sed pro remedio animæ meæ, necnon & Staricholfi, semper illuc sint deligatæ cum pratis, pascuis, silvis, marchis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, quicquid dici vel nominari potest. Hanc autem traditionem ideo ego facere volui, quia illa prior traditio, quam Staricholfus fecit, non perfecta nec litteris fuit mandata. Quod si ego ipse vel ulla opposita persona contra hanc traditionis cartulam venire temptaverit, auri uncias III. argenti pondera V. ad ærarium Regis coactus persolvat, & effectum, quem inchoavit, non perficiat, sed hæc carta stabilis & firma permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in ipso cœnobio S. Galli, præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. Sig. Vuolfhugi, qui hanc traditionem fecit. sig. Heitar. † Amalunc † Vuitigovvo † Tagibreht † Richman † Enno, &c. Ego igitur Yso inmerens Monachus rogatus scripsi & subscripsi Notavi diem Dominicum, IV. Kal. Iun. anno XIII. regni Lodoici, sub Odalrico Comite,

DE ECCLESIIS ET IVRE PATRONATVS.

LXXXV.

Anonymus.

NOTVM sit tam præsentibus quam futuris, quod anno secundo Domni Arnolfi Regis factum est placitum in pago, qui dicitur Para, in villa nuncupata Durroheim coram Burg- Notitia de Ecclesia.

hardo Comite, filio Adalberti illustris, de ecclesia in Leffingon, qui essent à progenitoribus suis in rebus ejusdem ecclesiæ possidendis aut ordinandis potentissimi. Et sacramento in sanctorum reliquiis præmisso, sicut & nuper factum est in diebus Karoli Imperatoris secundi, testificati sunt primores populi Ruodpert, Richkis, Vualthere, Engelbert, Cundbert, Reginhart, Ruodhoh, Kerbert, Richpert, Vualdhere, Vodalhart, Liuppo, Roholf, Theoterich, Pollo, Ruodhart, Adalrich, Engelbreht, Vualthere, Irimbreht. Testimonium ergo hi omnes juxta sacramentum suum perhibuerunt, quod solummodo parentes subtus scriptorum hominum, & hi ipsi potestatem haberent ordinandi ecclesiam in Leffingon absque ullius inferioris aut suppositæ personæ contradictione, Erchanbert, Emrit, Hunolt, Liutpert, Cozbert. Et his ita patratis, cum adhuc quidam de illis, qui se in illa ecclesia heredes ac dispositores haberi voluerunt, alii garriendo, alii musitando contradicerent, optimates ejusdem concilii apprehensis spatis suis devotaverunt, se hæc ita affirmaturos esse coram Regibus & cunctis Principibus usque ad sanguinis effusionem.

LXXXVI.

Notpertus Abbas.

QVONIAM ex varietate rerum mortalium & temporum continuata prolixitate, & humani generis debilitate, memoria rerum gestarum oblivionis irreptione extruditur: ideo prudens industria hominum id, quod posteritati volunt esse certum, sæpissime reliquit successorib. suis, testamentis confirmatum. In nomine ergo sanctæ & individuæ Trinitatis notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod ego Notpertus Monachorum S. Galli ecclesiæ Abbas in novali loco, qui Abbacella nuncupatur, in convalle circumpositorum montium sito, basilicam ad servitutem Dei condidi, quam & ædificatam à Thietmaro Curiensi Episcopo cum licentia & rogatu Rumaldi Constantiensis Ecclesiæ Præsulis per legitimam consecrationem loci illius incolis ad oratorium stabilivi. Denique hanc eandem ecclesiam præbenda pueri unius de claustro nostro, & una vvatspenda, & beneficio unius mansus & omni post subscriptæ decimationis determinatione dotavi: à monte Hersberch, ab alpe SOLMI, à Meggelis alpa, à Barental, à Portaris alpa, à Chranberch, à rivulo BUCHENBACH, ab ostio fluvioli Rota usque dum fluit in Sitterum, usque ad originem, ita ut proclivitas circumpositorum montium ad eandem cellam secundum liquentiam nivis imminet, apertissime determinavi. Hanc etiam dotationem sacerdoti ibidem Deo servienti, banno Rumaldi Constantiensis Episcopi consensu fratrum nostrorum perpetuo jure stabilivi. Facta sunt hæc anno ab incarnatione Domini MLXI. indicione IX. regnante Rege nostro Hainrico Romanorum Imperatore anno IV. Signa testium, Vuittone Advocato, Opreht, Atzo, Tietpreht, Vodalrich, Liebo, Regenolt, Eppo, Heilman, Vuolfpreht, & cæteri complures.

LXXXVII.

Hupertus Presbyter.

IN Dei nomine Ego Ruothaus complacuit mihi, ut aliquam basilicam ædificarem in honorem Dei & S Galloni, quod est constructa in pago Burichincas in villa Vuillimundincas, quod ita & feci, & dotavi eam casatibus VIII. & similiter hobas XII. & mancipia denominata Arichiso & uxore sua Adtane: Teuttulfo & uxore sua Ratbergane & filio suo Ruodulfo, Aricarno & Ruodnig: Leutnig, Blitilde, Trudulfo, & Moterane, Amulfrede, Ricario, Teutrude, Vuolmaro, Teutcario, Vttono, & Ahicono, Trudlinde, Volflinde, Autmanno, Leupagde, Vraldo, Lollane, Altmanno, Volcamanno, Vuolfagde, Routmanno, Leubo, Hinolobe, Agde, Ahalagde: hoc sunt XXXI. & ipsis teneatis & possedeatis hac die præsente, & quia supra diximus superius nomina ad ipsum monasterium firmiter omnia hæc tradita sint. Et si me vivente ipsi Monachi S. Galloni possedeant pro animæ meæ, firmiter hæc omnia tradita sint. † sign. Ruotahi, qui hunc testamentum fieri rogavit † Bleon † Issinberti † Vuelandi † Vuarilandi, &c. Ego enim Hupertus Presbyter scripsi & subscripsi, anno IV. regnante Domno nostro Rege. Data sub die, quod fecit Mensis Iulius dies X.

DE COLONIS CENSITIS.

LXXXVIII.

Anonymus.

CENSORES. De Vanindtale Ruadinc vomeres II. Kerloh. denar. IV. Vuillihere de Sickingun denar. XVI. Othere de Dassarum denar. IV. Hato de eodem loco denar. IV. Adalsind de suo capite denar. II. aut dua libra de cera. Ruadger & Engilbold de Tellinchovun inter utrosque den. * Hiuto de Dassaha denar. IV. Filii Vuielanti de Afaltraha solid V. Crifo de Vuiningun den IV. Engilger de Otenvilare solid. I. & Altman in simul Vuinirat de Husinbah servus S. Galli solid. I. Sigibert habet servum S. Galli, pro illo censum dat solid. I. Scerum servum nostrum idem Sigibert habet ** Vto & fratres ejus pro uno agro vomerem I. aut IV. den. annis singulis.

DE

DE FVRTIS.

LXXXIX.

Ruodepertus Magister.

DOMINO & Abbati nostro * P. nos fratres vestri discipuli debitas orationes. De his, quæ erga vos sunt, lætificasti nos scripto, quia gratia Dei recte aguntur. Contigit etiam vestris orationibus aput nos, quod ad communem lætitiam pertinet, de ecclesiastico censu, qui furto raptus est, partem nos non minimam recepisse, & ipsum furem captum in vinculis nos tenere. Est enim servus Kerolti de Pettenhusen filii Alberici, & nomen ejus Gunzo, & nomen patris ejus Richolf, qui nunc in comitatu militantis sui Domini est. Reddidit ergo coronam, & auream capsulam absque operculo, & aureæ crucis quasi tertiam partem. Majoris quoque capsæ quædam fragmenta, quamvis de gemmis paucæ admodum redditæ sunt. Spes autem de residuis manet, quia venundata sunt in manum cujusdam mercatoris de Buchovva, qui Pero dicitur, & quondam ibi monetarius erat, multa quoque in manus Constantiensium mercatorum, quorum nomina sunt Eccho, Chomuli, Vuoveli, Albeli, Engezo, Tegenhart. Deus vero quendam extraneum hominem ad nos mittere dignatus est, qui occulte sibi pactum fieri petiit de pretio duarum librarum pro delatura, ut hæc patefaceret. Ipse vero accepto pacto sine mora fratrem Annonem ad Constantiam duxit, ubi particulas auri fabrefactas, quas cognovit, à Tegenhardo fecit præsentari sibi. Sed ille à Perone de Puochovva se emisse eos testatus est. Inde frater idem ad Peronem veniens per Hugonem vestrum militem furem sibi in domo sua latitantem monstrari fecit, qui statim captus sub terra occultatum thesaurum, quantum sibi remansit, reddidit. Nunc vobis agendum est cum Rege, ut Advocati utriusque ecclesiæ tantæ rei ex-actores fiant, & in suum locum restituant. Nec illud minus intimandum est vobis, quia longe minora & pauciora sunt, quam putastis, quæ à vestris ministralibus in usum nostrum exhiberi jussistis, & quanta grassatur in nostra terra boum omniumque pecodum mortalitas, ut Rex per nos reditum ceperit decernere ipsi habeatis de hac quasi Ægypti plaga suggerere. Qui est autem altissimus vobis Domino nostro prospera cuncta concedat.

* Purkhardo.

DE NOTICIIS TESTIVM.

XC.

Anonymus.

HÆc est inquisitio de curtis, qui fuerunt traditi ad monasterium S. GALLI in Fine Clusina à Berchanboldo Alamanno, qualiterque nuper misso nostro præsenti requisierunt Nordpertus Episcopus & Folhroh Comes missi Domini Regis, & qualiter isti qui hic subterscripti testificaverunt. ROTFRIDUS prædictæ civitatis Archipresbyter & Petrus Langobardus dixerunt, quod vidissent ERCHANBALDUM cartulam perpetrantem partibus S. GALLI de curte Granario & de Pontiano, & manus suas in ipsam cartulam posuissent, & residere vidissent MAVONEM & PETTONEM Monachos S. GALLI, & nullus eis contradicebat. Barbentius & Domnosus, & Andreas, & Nordpertus dixerunt, quod vidissent Monachos S. GALLI ibidem residere & clandaticum tollere. Lantoloh similiter dixit, & hoc dixit, quod frater suus Reginhartus super ipsas res ad partibus S. Galli fuisset Advocatus. Adalolfus & Ansheri dixerunt, quod vidissent ibi Pettonem Monachum residere pro parte S. GALLI. Saxo dixit, quod pavisset illum ibidem Petto Monachus, & dixit ei, quod tunc ibidem fuissent reliquiæ S. GALLI. Cundpertus dixit, quod sciret Monachos S. GALLI ipsas res tenere & dominare & laborare. FOLCHARTUS dixit, quod vidissent Pettonem Monachum mansionaticum facere Vuolfleozo Episcopo, quando Romam pergebat, & deinceps ipsis rebus imperabat. Agilinus dixit, quod audisset Adalolfum, qui erat gustaldius ipsius civitatis, ante HELMIRICHO Episcopo atque misso Odalhartum, qui nunc ipsas res tenet negare, quod nihil ibi habuisset proprietatis, pro quo heribann ureddere debuisset, nisi res S. Galli, quas pater suus illuc ad prædictum monasterium tradiderat. Ansprandus & Egilolfus & Andreas & Pruno & Barbentius & Theothardus & Cundpertus & Catervius Presbyter dixerunt, quod vidissent ipsas res illos Monachos S. Galli vivente Erchanboldo jure proprietatis possidere: adhuc etiam ipsum Odalhartum ante Helmirico misso audissent enarrantem, quod proprium non habuisset, & ideo haribannum dare non debuisset. Post hoc testimonium dedit Odalhartus vvadium Folcroho misso, ut esset paratus in præsentia Domini Imperatoris in placito generali justiciam faciendi: & Folchartus & Adalolfus ejus fidejussores sunt in mancosos mille.

XCI.

Anonymus.

NOTITIA testium, qui cum juramento & fide data coram regalibus missis, videlicet Crimaldo Abb. & AtoneComite aliisq; comitib. Vuillihelmo & Alboino testificati sunt, quod ex traditione Peratholdi Comitis medietas omnis marchæ, quæ ad villam Filisininga

nuncupatam aſpicit, tam in ſilvis quam in aquis, ſive paſcuis vel aliis quibuslibet rebus ad monaſterium S. Galli juſte & legaliter pertinere debeat, excepto uno monticulo, qui dicitur Feſtilinperc, qui ad hereditarios Pettonis & Caromanni aſpiciat: itemque ſilva quadam, quæ dicitur Sieginholz: quæ excepta, altera ſilva ſpecialiter ad jam dictum monaſterium pertinere debeat: reliqua omnia in quibuslibet rebus media, ut jam dictum eſt, absque ullius contradictione ad præfatum cœnobium pertinere debeant. Iſti ſunt teſtes, Alavvic, Amalbert, Ermingolt, Vuitigovvo, Ernipert, Gerhart, Anno, Valtat, Vuospot, Nuti, Vuicheri, Vuolauridi, Ruadger, Thietpert, Ruodpert, Engilpert, idem Vuitigovvo, Vuolfger, Vualto, Ebruni, item Anno, Thiotini, Hizo, Hadabert, Icho, Gericho, Hildi. Actum in villa Pettinvvilari nuncupata publice, coram præfatis m. iſſis & frequentia populari.

XCII.

Anonymus.

COMMEMORATIO teſtium, qui in placito coram miſſis potentibus, videlicet Erchangario & Liuthario, in loco & in villa, quæ dicitur Stamheim, cum juramento teſtificaverunt, quod quidam homo nomine Roadhartus proprias res ſuas ad monaſterium S. Galli tradidiſſet, ac per hoc jure & legibus ſine ullius contradictione illuc pertinere debuiſſent. Iſti ſunt illi teſtes nominati, videlicet Liutpreht, Vuerimpreht, Adalpreht Sicger, Volo, Vuolfo, item Liutpreht, Gerhoh, Hacco, Nidpreht, Vuillipreht, Vualaihho, Vuolfpreht, Hugibert, Focheri, Vuanine, Reginolt, idem Hacco, Iſanpreht, Hiltipold, Amalpreht, Adalhoh.

Iſti ſunt Iudices, qui hoc judicaverunt, videlicet Vuitpreht, Vuilliheri, Rihhart, Elih, Vuerimpreht, Cundicho, Cozpreht, Rihger, Arolf, Hiltini, Noti, Svvidger, Heitar, Vuolfram.

Iſti autem ſunt, qui illud iterum judicaverunt ad Zurih, videlicet Rihchoinus Comes, Theodolt, Vuitpreht, Rihpold, Vuinidheri, Moatheri, item Rihpold, Gervvic, Horſcuni. Talibus vero hominibus teſtificantibus, quod legibus ipſa traditio ad præfatum monaſterium pertinere debuiſſet.

XCIII.

Anonymus.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod Kebahartus venerabilis Epiſcopus rogatus ab heredibus Eccleſiæ, quæ eſt in Pirithorf in pago Alpicauge miſit Archipresbyterum ſuum Rihfridum, ut diligenter inveſtigaret, de quibus locis vel villis decima ad ipſam eccleſiam perſolvi deberet. At ipſe placito habito in præfata villa Pirithorf, populoque circumquaque congregato, cum ſacramento & fide data vicinos quosque interrogans rei veritatem invenit ab iſtis villis, id eſt ab ipſa Pirihtorf & Pirihchinga & Chuchilipach, nec non & Puach, Ezilivvilare & Haivvilare ad ipſam eccleſiā decimā pertinere debere. Et hæc nominate ſtiū, Adalo, Zuppo, Vualdger, Antger, Podal, Lantpert, Managolt, Tuato, Cudhart, Ruadpert, Vno, Hartarat, Hugihart, Vuicheri, Kerini, Snato, Adalpert, Vuito, Theotoloh, Starafrid, item Engilger, qui omnes cum juramento & fide data teſtificati ſunt, quod temporibus Karoli Imperatoris & Eginonis Epiſcopi à præfatis villis ad ipſam eccleſiam decima ſingulis annis reddita ſit usque in annum præſentem, qui eſt XXXV. Hludovvici piiſſimi Regis, patris Karlomanni, Hludovvici, & Karoli Principis noſtri.

XCIV.

Anonymus.

BREVE com. de illis hominibus, qui in miniſterio Liuderici cum ſacramento teſtificati ſunt tribus vicibus de cauſa S. Gallonis ante miſſos Domini Regis, inprimis ante Sigebertum & Friuntonem, poſtea ante Hilteratum & Gerhardum, & tertia vice ante Liudericum, id eſt de Vzinacha, quod Lantolt & Pieta habuerunt, & Luzilunavia tota, & Perolvesvvilare. id ſunt Vuitpreht, Amalrih, Cundhad, Reginbold, Nandolf, Marhheri, Perahtolt, Liubolf, Matheri, Fridubreht, Pabo, Peratfrid, Vurmheri, Eckihart, Ortheri, &c. Et hoc iſti cum ſacramento teſtificati ſunt, quod ſupradictas res ad S. Gallonem legibus pertinere deberent.

XCV.

Anonymus.

NOTITIA teſtium de rebus in Sconjunbirih ſitis, quas Albaricus ad S. Gallum tradidit, quasque Rachilt ſoror ejuſdem Albarici & filius ejus Heripreht de veſtitura S. Galli per vim abſtulerunt. Nam cum pro eiſdem Cozpertus Abba ad Domnum Hludovvicum Regem reclamaſſet, juſſum eſt Vuaningo Comiti & Ruaddperto vaſallo Regis inquiſitionem de hac re fieri. At illi generali contribulium circumquaque conventu facto, inquiſitionem fecerunt, qualiter eædem res ad partem S. Galli pertinere debuiſſent. Tunc ipſi teſtes cum juramento & fide data teſtificati ſunt, quod verum eſſe ſcirent Albaricum easdem res ad S. Gallum tradidiſſe, eosdemque Monachos legaliter conſediſſe, & in eadem veſtitura per XX. annos temporibus Caroli Regis ſub cenſu ad partes ejusdem monaſterii aſpicere: ſicque poſt mortem Albarici iterum legaliter Monachos conſediſſe uſque dum ejus ſoror nomine Rachilt & filius

lius ejus Heripreht, eorumque poteſtas de veſtitura S. Galli per vim rapuiſſent. Iſti ſunt teſtes, Theotolt, Scrutolt, Gerheim, Vuolahmunt, Anthad, Ebarachar, Suabilo, Selbger, Hisger, Vualtirih, Vuihpold, Engilhelm, Vuolfchiger, Folcharat, Hiltirat, Helfolt, &c. Quod enim idem teſtes legaliter adducti fuiſſent, eadem Rachilt & Heripreht filius ejus eidem teſtificationi conſentire nolentes de placito evaſerunt. Qua ex cauſa dijudicatum eſt, ut eædem res in interdictu banni juſſæ fierent, usque dum de hoc regalis ſententia decerneret. Et iſti ſunt, qui hoc dijudicaverunt. Kirafrid, Salacho Theoman, Tagapreht, Vuolfram, Tuoni, Erhart, Alto.

XCVI.

Anonymus.

TEſtes auditi ſuper controverſia, an monaſterium S. Galli ſub ditione Epiſcopi Conſtantienſis eſſe deberet, an verò ſui magis juris eſſet. Pars Epiſcopi Hattonis dixit, quod noſtrum monaſteriũ temporibus Pipini & Karoli Epiſcopis Conſtantienſib. fuiſſet ſubjectũ. Noſtri vero jurati dixerunt, quod noſtrum monaſterium in loco libero, non in fiſco, non in terra eccleſiaſtica eſſet, non per ullius hominis traditionem, ſed in ſolo Imperatorum arbitrio ſtare; quem eii loco præficiat &c. Auditi ſunt amplius viris ducentis.

XCVII.

Anonymus.

ISti ſunt qui de illa veſtitura de cauſa Iſanhardi ad S. Gallonem teſtimonia ferunt in primis Buazzo, Lantolt, Vuerinbret, Milo, Vuolfuni, Hiſanhard, Vuicram, Baldo Vuolfgær, Hadeger, Lantpreht, Vuolfhad.

XCVIII.

Anonymus.

. . . . Requiſitus, utrum domino G. de Durrehain Clerico ante ſuam electionẽ veſtes dederit, & eum in familiam receperit? reſpondit, quod ſic, quia hoc viderit. Requiſitus, . . . eligant in Abbatem & quod ipſe E eos ad hoc inducere attemptavit. Requiſ utrum creditoribus ipſius E. aliquam pecuniam pro ipſo ſolverit? ℞. . . . Clerico fratri prædictorum veſtes dederit, ut jam dictos fratres ſuos Hainricum & Hugonem induceret, ut eum eligerent in Abbatem, & utrum propter hoc idem . . . t ad hoc inducere attemptaverit? ℞ quod ſic Requiſ. utrum Ru qui dicitur Decanus, vocem habuerit in electione Abbatis S. Galli? ℞ quod ignorat. Requiſ. utrum in monaſterio Augienſi habitum Monachalem aſſumpſerit, & ibidem in eodem habitu per aliquos annos permanſerit? ℞ quod ſic. Requiſ. utrum in dicto monaſterio profeſſionem fecerit, & in monaſterium S. Galli tranſierit ad tempus, donec ſtatus ſui monaſterii eſſet emendatus? ℞ quod tranſivit: ſed utrum ad tempus vel non ignorat. Dixit etiam quod monaſterium Augienſe in antiquo ſollempnius fuit, & quod utrum poſtquam tranſivit aliquos redditus receperit à monaſterio Augienſi ignorat. Requiſ. utrum F. de Gundolvingen injecerit manus in * ad ſanguinis effuſionem, ac etiam in Bertholdum Subdiaconem, notarium quondam Abbatis Bertholdi, & utrum poſt hujuſmodi injectionem in divinis officiis miniſtraverit? ℞. . . præfati electi in Volricum de Sneggenburg Monachum & ſacerdotem ad effuſionem ſanguinis, & in Gervvicum de Scolis tunc Subdiaconem & Clericum . . . in ſubdiaconatus ordine miniſtraverit? ℞ ſe ignorare. Requiſit. utrum idem H. junior ſit bonæ vel malæ famæ? ℞ quod malæ famæ, & quod aliquando fuit in furto deprehenſus, quondam Dominus Bertholdus Abbas propter furtum & alios exceſſus ipſum per plures annos tenuit incarceratum & incorrigibilis fuit & errabundus fuit in ſæculo per plures annos Monachali habitu derelicto, & quod famæ ſuæ prodigus vixit luxurioſe cum quadam Iudæa, & quod de . . . F. de Vuildenſtain Iohanni Clerico Magiſtro Scolarum manus injecerit temere violentas? ℞ quod ita percepit ab ipſo electo: utrum autem dominus F. de Gundelvingen juraverit & alia fecerit quæ ſecuntur, dixit quod ignorat . . . Sacerdos Capellæ S. Iohannis apud S. Gallum, juratus requiſitus de P°. II°. III°. IIII°. articulis concordat cum ſuperiori teſte Comite . . . de ſuis electorib. ſollicitaſſe precib. Requiſ. utrum dominum Ruod. qui dicitur Decanus Volricus de Sneggenburg ſollicitaverit precibus? ℞ quod ſic, ... conſpiravit ad Regimen Abbatiæ. unde credit quod rogatus ipſi electo adheſerit. Requiſ. utrum R. de Rætershouen, F. de Gundolvingen & F. de . . ℞ quod ita intellexit per famam. Requiſ. utrum Domino Abbate Bertholdo ad Hiſpaniam proficiſcente aliquos de conventu ſollicitaverit, ut eum in Abbatem . . . de Gundolvingen ſollicitaverit? ℞ quod ignorat. Dixit tamen quod ſicut intellexit ex fama publica idem electus Hainr. & Hugon. de Durrehain ſollicitavit. Requiſ. utrum is in minoribus officiis ſibi commiſſis bene vel male adminiſtraverit? ℞ quod ſicut ſibi videbatur male adminiſtravit & negligenter . . . m̃ Abbatiæ prædictæ, & utrum Regulam B. Benedicti intelligat, & eam exponere ſciat? ℞. quod ſicut credit inſufficientis ſit ſcientiæ, & quod vix ſciat litteraliter loqui. Requiſ. utrũ ante electionem fuerit bonæ vel malæ vitæ, & levis opinionis, & utrũ vitam duxerit diſſolutam, & regulã B. Benedicti non obſervaverit? in eo concordat cũ Comite ſupradicto, adiciẽs quod de his eſt publica vox & fama. Requiſ. utrũ idẽ electus ipſo electionis fuerit perjur⁹ & ſuper aliis ab . . . arũ ante electionẽ & ſãguinis effuſionẽ man⁹ injecerit

De electione Hainrici de Vuartenberg. poſt obitũ Bertholdi de Falkenſtain, anno 1272.

rit violentas, & utrum post talem injectionem in divinis officiis ministraverit ... pecuniam de consensu & voluntate ipsius illis, qui vocem habent in electione, videlicet Hainrico & Hugoni fratribus de Durrehain, ut eum in Abbatem eligerent... úz frater ipsius electi aliquid dederit vel promiserit pro sua electione? ℞ quod ignorat. Requis. si dictus electus ante suam electionem suis electoribus aliquid dederit vel promiserit? ℞ quod dominum B. & F. de Vuildenstain in familiam recepit ante suam electionem, & intellexit eum pecuniam & alia promisisse pro sua electione. Requis. utrum... Concubinæ ipsius R. datum fuerit pallium ante electionem pro sua electione. De articulo vero immediate sequenti dixit se nihil scire. Requis. utrum... crediderit, & utrum eum in familiam receperit, & utrum creditoribus ipsius solverit pro ipso XL. ℔. monetæ Brisaugensis, & utrum hoc fecerit... & utrum hoc promiserit, & ad hoc faciendum fratres suos inducere attemptaverit: item utrum Vualther. de Durrehain laico vestes dederit, ut... sollicitaret, & propter hoc ad monasterium S. Galli venerit, & ipsos fratres ad eligendum præfatum H. inducere attemptaverit? ℞... similes vestibus fratruelis electi, & quod hoc non solum ab ipso E. verum etiam à dominis Hainrico & Hugone fratribus ipsius E. & aliis fide dignis... de his est publica vox & fama. Requis. utrum R. qui dicitur Decanus vocem electionis habuerit, & de aliis articulis dependentibus ab eodem concordat cum supradicto Comite. .... qui est sacerdos & clericus secularis, ad sanguinis effusionem manus injecerit temere violentas? ℞ quod sic, & hoc scit quod injuriam... de hoc est publica vox & fama. Dixit etiam quod ignorat, utrum in Bertholdum notarium subdiaconem manus injecerit violentas. Requis. utrum H. de Vuartenberg junior frater... ad effusionem sanguinis manus injecerit violentas, & utrum post talem injectionem &c. & utrum de iis sit publica vox & fama? ℞ se nescire. Requis. utrum... sacerdotem & clericum secularem ad effusionem sanguinis manus injecerit temere violentas, & utrum post talem injectionem in subdiaconatus ordine ministraverit... utrum idem H. junior fuerit infamis, & sacrilegium commiserit, & an malæ vitæ & levis opinionis extiterit, & furtum fecerit, & utrum per plures annos detentus fuerit in carcere tanquam incorrigibilis; & postquã liberatus fuerit à carcere iterũ furtum commiserit, & utrum ante electionem... & famæ suæ prodigus vixerit luxuriose cum quadam Iudæa? ℞ quod sic, & quod de hiis est publica vox & fama. Requis. utrum F. de Vuildenstain ante electionem... inicientes, & post talem injectionem in subdiaconatus ordine ministraverit? Dixit quod hoc percepit ex auditu. De sequentibus autem articulis dixit... ante electionem, sicut ipse intellexit, conspiraverant. C. Dominus Bertholdus de Druhpurg Canonicus Augustensis, testis... à pluribus ita esse intellexit.

Aliam insignem notitiam testium apposuimus supra in titulo de Ecclesiis.

DE SENTENTIIS IVDICVM.

XCIX.

Vancio.

Forma processus in judicio.

IN Dei nomine. Cum resederet Vnfredus vir inluster Retiarum Comes in curte ad Campos in mallo publico ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda: ibique veniens homo aliquis nomine Hrothelmus. proclamavit, eo quod in contradrutum suum mansum ei tollutum fuisset, quod ei advenit à parte uxoris suæ simul & Flavino, & * proprie suum fuisset, & legibus suum esse deberet, quia jam de tradavio uxoris suæ fuisset, idcirco suũ esse deberet. Tunc prædictus Comes convocatis illa testimonia, qui de ipso pago erant, interrogavit eos per ipsam fidem, & sacramentum, quam nostro Domno datam haberent, quicquid exinde scirent, veritatem dicerent. At illi dixerunt; per ipsum sacramentum, quod Domno nostro datum habemus, scimus quia fuit homo quidam nomine Mado, qui ibi habuit suum solum proprium, cujus confinium nos scimus, qui adjacet & confinat ad ipsom mansom, unde iste proclamat, in quo illi arbore durem & de uno lature aqua cingit: & inter eos terminum est in petris & in arboris. ipse est DOMINUS. Nam sicut illa ædificia desursum conjungunt, istorum hominum proprium est & illorum legibus esse debet de parte avii illorum Quinti. Tunc prædictus Comes jussit ut ipsa testimonia supra irent, & ipsos terminos ostenderent quod dicebant. quod ita & fecerunt, & ipsos terminos firmaverunt, qui inter illa dua mansa cernebant. Sed & plurimi ibidem adfuerunt nobiles, quos ipse Comes cum eis direxerat. quod & omnia pleniter factum fuit. Vt autem hæc finita sunt, interrogavit ipse Comes illos scabinios, quid illi de hac causa judicare voluissent. At illi dixerunt, secundum istorum hominum testimonium & secundum vestram inquisitionem judicamus, ut sicut divisum & finitum est & terminis positis inter ipsos mansos, ut isti homines illorum proprium habeant absque ullius contradictione in perpetuum: & quod in Dominico dictum & terminis divisum coram testibus fuit, receptum sit ad partem Domini nostri. Propterea oportunum fuit Hrothelmo & Flavino cum heredib. eorum, ut exinde ab ipso Comite vel scabinis tale scriptum acciperent, qualiter in postmodum ipsom mansom absq; ullius contrarietate omni tempore valeant possedere. Actum curte ad campos mallo publico, anno VII. imperii Caroli Augusti, & XXXVII. regni ejus in Francia, & XXXIV. in Italia. Datum. VII. ID. Febr. sub Vnfredo Comite, feliciter Amen.

* mss. propresum.

Hæc

Hæc nomina testium; Valeriano, Burgolfo, Vrsone, Stefano, Majorino, Valerio, Leontio, Victore, Maurestone, Fonteiano, Florentio, Sipfone, Valentiano, Quintello, Stradario.

Et hæc nomina Scabiniorum; Flavino, Orsicino, Odmaro, Alexandro, Eusebio, Maurentio, quam etiam & aliis plurimis.

Ego itaque Vauco rogitus scripsi & subscripsi.

C.

Anonymus.

HÆc est Carta judicii, quod dedit B. de Andusia & E. Vicecomitissa, assidentibus B. & G. inter G. & R. de querimoniis quas inter se faciebant. Et quia per sacramentum V. testium probavit amicabile pactum vel judicium vel transactionem esse factam, rata maneat transactio vel judicium, in his videlicet de quibus transactum vel judicatum esse intelligitur: hoc est de omnibus maleficiis propter gerram commissis, salva querela si aliquid exceptū fuerit, & illud quod juretur se vidisse & audisse testes in tali loco, ubi auditis querimoniis utrimq; præsente R. & G. judicatum fuit hoc aut illud. Et hoc pacifice audito, & recepto ab utraque parte, convenit R. & G. præsentibus prædictis testibus, se facturos sicut judicatum fuerat: & finem fecerunt in hoc & in aliis controversiis, de quibus judicatum fuerat, & osculum ad invicem fecerunt. Item judicatum est, ne aliquis injustas exactiones contra veterum consuetudinem R. in honorem illum faciat, & alia plura capitula judicata fuere.

FINIS.

IOACHIMI VADIANI

DE OBSCVRIS ALEMANNICORVM VERBORVM SIGNIFICATIONIBVS

EPISTOLA

AD HEINRICVM BVLLINGERVM.

S.



REMITTO tuæ humanitati Frācicas illas antiquitates, quas sane magna cum voluptate, sed & fructu non modico, legi. Et morem tibi gessi in litteris aliquot transferendis, in quibus tamen ob sensus claritatem assequendam paraphrasten agere coactus sum, cum verbum verbo reddere non daretur, nisi una & barbariem prodere libuerit. Sæcula ista longe incultissima tale genus scribas habuerunt vel in Aulis & Curiis Principum, ut assequi Latinam linguā non valuerint, quo rem ullam vel clare, vel inoffensa verborum simplicitate posteris relinquerēt. Quum interim nemo vernacula lingua quicquam scriberet, adeo dura illo tempore, ut ne exprimi quidem ore sine magnis sibilis hiatibusque & rictibus potuerit, nedum in literas commodum referri. Mutavi alicubi & personam, ut in Ludevvici Iunioris donatione in Principio, ubi mihi visum est, communem sententiam, qua præfationis loco scriba est usus, rectius ad omnes liberales Principes quam solum ad Ludevvicum referri. Plus enim gravitatis habet sensus hoc modo redditus, dum omnium liberalitati merces cœlestium rerum constituta intelligitur, quam si uni solum tribuatur. Sed tuum erit isthæc vel sinere, vel mutare pro animi sententia. De vocabulis nonnullis illorum temporum, quibus Franci & Alemanni usi sunt, equidem facile non responderim, nisi & conjecturis agere liceat. Is enim tutius utimur, etiamsi plusculaperspecta & probe cognita teneamus. *Pradii* voce nec inepte mihi usi videntur nec barbare, quum ea ceu generali agros, hortos, pascua, vineta, ædificia, & id genus alia significarunt, quæ in nostra possessione sunt, ut & Salica terra, & Allodium, & Mansa in prædiis censeri potuerint. Quanquam enim *Alodia* Nobilium erant, seu gentilitia quædam bona, quæ non ullius beneficio sed jure proprio tenebantur: tamen ex lege *De alode*, quæ inter Alamannicas (ni fallor) extat, apparet & aliorum alodia fuisse. Recipio autem Rhenani conjecturam arbitrantis vocem inde natam, quod ea bona familiis velut coagmentata & conjuncta essent, *anlodt*. *Mansum* Alamanni fundum dixere cum villula: Scribæ barbari *mansam* etiam vocarunt, sed Chartæ veteres puriores *mansum* masculino & inflexione quarta, licet & *mansos* legerim in multis. Tanta scribarum imperitia fuit, *Clostarium* etiam pro claustro ponere ausa. Enimvero agri in illa gente varii juris erant: *Fiscalini* scilicet, quorum reditus fiscis Principis deserviebant. Qui donati venditive Monasteriis, Parochiisve, *Ecclesiastici* voca-

vocabantur, qui hodieque multis in locis, licet venditi & abalienati, & privatæ possessionis facti sint, tamen ea servitute laborant, ut quoties venduntur & novum colonum possessoremve recipiunt, toties certa æris summa Ecclesiæ seu Monasterio pendenda sit, in cujus primæva possessione fuerant: vulgo Erschätzige Hofgüter vocamus. *Agri Salici* seu *terra Salica* illa servitute vacabat: hanc vulgo Frye lehengut vocamus. Agros Salicos elocabant nonnunquam certa conditione redditum & culturæ in perpetuam possessionem: nec mutare licebat colonum aut posteros, nisi pactum aut conditionem violassent, vel non solutis reditibus, vel fundo neglectui habito, vel parte fundi inscio Domino distracta aut usuriis recentibus gravata. Proinde apochas dabant coloni, quibus quo pacto quave conditione locatio facta esset continebatur. Eas tabulas vulgo *Reversas*, & Germanice Reversbrief / locationem autem ipsam Erblehn vocamus. Ager hoc pacto locatus antiquis *Vectigalis* dicebatur, quem eleganter describit Paulus, cujus verba in tit. *Si Ager Vectigalis* &c. libro Pandectarum Iustiniani sexto, legimus. Non vectigalis erat, qui ad certum tempus locabatur, & eo pacto ut auferri colono, Domino volente, potuerit: nos vulgo Schupflehen dicimus. Iustiniani ætas voce, ut puto, nova & Græca quidem ἐμφύτευσιν, sive, ut vulgaris Codex habet Iustiniani, *Emphitheosin*, perpetuam illam locationem vocavit, à verbo ἐμφυτεύειν, quod inserere seu plantare significat, quoniam hoc genus locatione ager in familiæ alicujus possessionem velut inseratur & implantetur, ut avellere jure non liceat, nisi pacto locationis violato. Vnde *jus emphyteuticum* (sic enim Alciatus emendat) dicitur, quod corrupte *emphiteoticum*, Erblehen recht: & *ager emphiteoticarius*, quem & ipsum Alamanni & Franci mansus vocabulo complexi sunt. Porro Ecclesiis instituendis & donandis illa sæcula *mansus* fere attribuerunt, in alimoniam videlicet Presbyteri, qui Ecclesiæ impositus esset. Ea causa id genus *mansus* Ecclesiis fundatis attributos Kälnhof veteres dixere, à stomacho scilicet aut gulæ parte, quam Germanice kälen appellamus. Durat adhuc vox illa. *Mansus* ergo dixere Franci & Alamanni ainen Hof / es wäre ain erschätziger Hof / oder erblehen hof / oder fry und schupflehen Hof: Salica terra erat, ain fry aigen gut. Hujus possessionem ex hereditate soli adibant, nulla prorsus parte ad fœmellas attinente, quemadmodum lege Salica erat cautum. Est autem frequens mentio *terræ Salicæ* in Chartis, quæ sub Pipino, Carolo, Ludevvicis, Crasso, & Arnulpho Francorum Regibus & Imperatoribus scriptæ sunt. *Curtis* vocabulum corruptum id significabat quod *Cors*. Qua voce quanquam domesticarum pastionum locus & numerus denotetur, tamen Latinis & hominum uno aliquo in loco conjunctorum ac velut cohabitantium cœtus ea voce intelligitur, licet *Cohors* quam *Cors* usitatius existat. In ea significatione vel à Cicerone accipitur, actione in Verrem V. pro cœtu hominum turpi aliqua de caussa sociatorum, in malam partem: à Cæsare in bonam. Inde *Curtim* Francici & Alemannici Scribæ, nunc Palatium Regis (ut in Lege; *Si quis in curte Regis furtum fecerit*) nunc pagum aliquem aut vicum villamve pluscculis ædificiis constantem vocarunt.

Curtilem quoque (nam & hanc vocem Chartæ veteres crebro usurpant) villulam aliquam paucis ædificiis constructam. Nisi vero fallor, legisse memini *Cohortis* vocem non absimili significatu in tribus posterioribus libris Iustiniani: verum quo titulo aut in qua lege, vel quærenti mihi, dum hæc scribebam, non occurrebat. Illud obiter notandum, *Curtis* nomine non simpliciter aut locum ubi multi congregati degerent, aut homines ipsos junctius habitantes, sed imperium etiam & jurisdictionem, præterea & proprietatem mancipiorum, & omnino eam possessionem, quam Iure Consulti *integri status* vocant, pleno cum jure conjunctam, significatam esse. *Imperium* autem, sicut lib. Digestor. I. in tit. de jurisdict. omnium judic. discimus, duplex est: *merum*, quo in facinorosos animadvertitur, nostra lingua die Hochgericht oder die Hochoberkait: quale multis in locis Alemanniæ Comites olim Regū nomine administrabant. *Mixtum* fit, cum huic jurisdictio accesserit, vulgo hoch und nider gericht: quale apud Thuregum habuit in sua curte sine dubio Hludevvicus. Diversa est pars illa justitiæ administrandæ, quæ nulli imperio conjungitur: & hæc *Iurisdictio* vocatur vulgo, die ainigen nidern gericht / da man dhaines malefizes gewalt hat. Talis jurisdictio & Cathedris & monasteriis haud raro est à Regibus illis primis & Imperatoribus Francorum & Germanorum donata. Vetus enim & mediæ etiam ætatis religio longe maxime ab imperio & sanguinis judicio abhorruit. Quod & oppida pleraque Germaniæ multis sæculis fecerunt. Postea ambitio licentiaque & regnandi studium in causa fuerunt, ut & Monachi & Episcopi alicubi imperia mixta & mera mercari & sua facere vel reclamante professione veriti non fuerint. Arbitror autem nullam curtim sine jurisdictione fuisse, & hoc nomine id esse significatum, quod jam vulgo ain Vogtey / oder gerichtszwang nominamus, mit aigenschafft der leuten und ußgetrückten renden und gülten / mit angemaßtem gebott und verbott / &c. Imo & *Curtilem* puto sæpe, jurisdictionem cum proprietate mancipiorum & certa redituum parte intellectam à Francis fuisse. Verum *Regiæ curtes* longe maximæ fuerunt, & imperia etiam habuerunt cum mancipiis, agris, pascuis, censibus, venatione, piscatione, & omnimoda illa integri status possessione &c. Aliæ curtes tenuiores, pleræque solius jurisdictionis cum agris mancipiisque. Proinde dum legimus in veteribus (quarum plurimas vidimus) Francorum Alamannorumque Tabulis legari Ecclesiis vel Monasteriis *curtim cum agris, pascuis, mancipiis, silvis, aquis aquarumque decursibus*, fundum ipsum in homines una cum jurisdictione intelligimus: Wir verschaffend unser gericht da und dort gelegen mit gebüw / mit aignen lüten / mit holtz / mit veld &c. Plena enim fuit servis & servitu-

vitutibus quondam Alamannia nostra, cujus magna pars hodie Helvetia est: nec est, quod sciam montanus pagus aliquis Helveticus, qui rebus Francorum florentibus durissimam illam servitutem non servierit. Extant enim Tabulæ veteres, quæ hanc rem clarissime testantur. Et verbum illud Nobilium; Küttlen und faat im bauch ist unser / laudatissimo Helvetiorum fœderi primam dedit originem, Helvetiosque in hanc rerum summam evexit. Curtes autem, & qui longe ampliores erant, *Pagi*, certis limitibus distinguebantur apud Francos & Alamannos, quos ipsi *Marcas* vocabant, id quod clarissime ex omnibus Tabulis discitur. Sunt autem & alia quædam vocabula, quæ in veteribus illis *Chartis* (sicut ipsi vocabant) obvia sunt, nempe *vestitura*, *Advocatus*, *bannus*, *fredum*, *distringere*, &c. qualia in vestratibus illis donationibus leguntur, quæ facilius quam priora illa explicantur. *Vestitura* enim hoc ipsum est quod *investitura*, hoc est in possessionem missio aut possessionis securitas & confirmatio, quam & *Beneficium* illa sæcula & *Feudum*, quod fere à Francis natum & inductum est, vocarunt: hodie lingua nostra Lehen oder Lehnsbestätung vocamus: etiamsi *investituræ* nomen vulgatissimum est, & locum habet cum in profanis tum ecclesiasticis bonis conferendis. *Distringere* vocabant, in jus trahere vel citare: quod ex Salica lege notissimum est. Extant autem & Salicæ & Ripuariæ & Alamannicæ Leges, mirabili & prope inexplicabili rerum vocumque barbarie confertæ, in quibus *distringendi* verbum frequens est. *Fredum* hoc ipsum est, quod nos hodie Friden vocamus. Populi enim illi ferocissimi, & ad arma prope sola nati, perpetuo fredo, hoc est pace, obligabantur, ne quid vi & armis gereretur, quod publicæ tranquillitati obesset. Quem morem & Germani multis annis post Friderichum Primum, quem Itali Barbarossam cognominarunt, in omni Germania Principes custodierunt, ut hodie quoq; ainen Fridstand oder Landsfriden nominant. Et pacis turbatoribus solet acclamari frid/frid: quin & ipsi ad magistratum delati dicuntur den friden anloben / data manu ex fide præstiti juramenti nihil amplius turbaturos esse pollicentur. Hinc non pacem solum hac voce scribæ significabant, sed mulctam etiam, quæ pacem violanti irrogabatur. Vnde in Legibus Francicis & Alemannicis sæpe legimus hæc verba; *Et fredum insuper solvat*, id est mulctam fredi violati. Nec levis hodie pœna est pacis vel privatim mandatæ & jussæ, si quis eam violet. Wann ainer den angelegten oder gebottenen friden mit wordt oder that bricht. In * Vrbe tua & multis locis Helveticæ pœna capitis irrogatur fredum vulnere violanti. *Bannus* duplex erat, minor & major, qui & *Dominicus* (ni fallor) dictus est, hoc est Regius vel Imperatorius, si eum vel Rex vel Imperator edixisset: uterq; certa summa auri argentive solvebatur, de qua in Legibus illis clare discitur, quæ à Francis & Alemannis constitutæ sunt. Alius generis est *Proscriptio*, quam hodie *bannum* vocant quidam, vulgo die Acht oder deß Reichs Acht. Proprie enim Proscriptio est, vitæ, famæ, & rerum omnium illius, qui huic duræ pœnæ subjicitur. Hæc de vocabulis, quæ sane multa exposuimus in libris, quos de Veteribus Germaniæ Collegiis & Monasteriis conscripsimus: quorum si qua edendorum mihi occasio olim dabitur, & hæc & alia haud omnino vulgo nota diligentius explicata leges.

* Tiguri.

Cæterum de Berchtoldo illo Duce Zeringensi illud, quod vulgo tamen satis notum est, admonuisse libebit: Burgundiæ ipsum, non magnæ illius, quæ olim regnum illustre fuit, sed ejus quæ cis Iuram montem est, Ducem & Rectorem fuisse, & curiam suam in arce illa plane Regia habuisse, quæ hodie ditionis est clarissimæ urbis Bernensis, & Germanice Burgdorf appellatur. Cis juranæ autem Burgundiæ tractum hodie Bernenses & Solodorenses, partim etiam Friburgenses tenent. Et extant Tabulæ etiam Germanicæ, quæ hanc Burgundiam, Bürgünden nominant. Verba hæc sunt; Vnd ist alle landtschafft hie disset dem Lebern / (sic hodieq; *Iuras* mons vocatur) vm Bern und Soloturn by der Aren und dem Nüwenburger see vf biß an Wallis und Genfersee &c. in Bürgünden gelegen.

De Præfectura autem illa Thuregica Berchtoldi multa scripsit Otto Frisingensis in opere suo Chronico, quod vulgo est notum. Est autem in Donatione Ludovvici, qua Monasterio Sanctimonialium Thuregi providit, vocabulum *Redibitionis*: quod quanquam è re non videbatur, tamen libebat obiter indicare. *Redibitionem* constat, Vlpiano definiente, emptionis solutionem esse. Wann ain kouff aufgehebt oder abkendt wird/und der verkouffer ghaissen oder mit recht gewisen wird/das ienig/ so er verkoufft/ wider zunemmen. Ea in re miris fraudibus agebatur ab emptoribus, præsertim in mancipiis reddendis ceu vitiosis. Sæpe enim empta vel in pignus data erant, vel sciente Domino furtum fecerant: quarum rerum actiones postea in servum ipsum redundabant, & ex consequenti in Domini & proprietatis detrimentum. Extat titulus lib. Digestor. XXI. *de ædilitio edicto & redhibitoria*, ex quo de fraude illa (à qua suos liberos esse Hludevvicus cupit) plene cognosces, præsertim ex l. *redhibere*, eod. tit. Idem dolus & in *tollendis fidejussionibus* accidebat, cujus eadem illa Tabula meminit. Tollebantur autem, ut judicio, fidejussores, quum legitima fidejussio ceu iniqua & contra legem postulata dissolvebatur, sicut in *redhibitoria* justa interdum & legitima emptio tanquam fraudulenta dissolvebatur.

Et quoniam Berchtoldi confirmatio *Capellarum* meminit, quarum reditus Parocho debebantur, de capellis in agro Thuregiensi passim extructis intelligere videtur: quæ postea auctæ & amplius extructæ Parochiæ factæ fuerint. Hiltgardæ Abbatissæ meminere Monachi veteres Cœnobii urbis nostræ. Epitaphion enim reperi Hiltgardæ Ludevvici filiæ in Bibliotheca Mo-

nasterii nostri in hæc verba ; *X. KAL. IANV. Hildigarda virgo Christi & Domni Hludovvici Regis filia de hoc sæculo migravit ad Christum, & humata est in Ecclesia S. Regulæ & Felicis Martyrum Christi in castello Turego, cui* * *Ratpertus hoc epitaphium posuit:*

* alii Hartmuoto tribuunt.

Hoc jacet in tumulo Christi dignissima virgo
Hildigarda nitens moribus egregiis.
Hæc fuit eximii Hludovvici filia Regis,
Mentem sponte suam voverat illa Deo.
Bis denos octo vitæ compleverat annos
Migrans ad sponsum virgo beata suum.

Sed & elogium iisdem numeris scriptum super eo ipso templo, cui donatio illa facta est, quod in hæc verba habebat:

Condidit hoc sanctum stabili fundamine templum
Cum genitore pio Hludovvico Principe terræ
Hildigarda potens Christi clarissima virgo,
Cui Deus æternæ concedat gaudia vitæ.

Si quidem Monachi nostri numeris & carmine ludebant, litteris & Musis dediti, & dura quidem in religione: cum hodiernis summo in ocio saginatis hæc una sit cura, ut & Musas & literas quanta possunt invidia, in ætate literarum tam felici, persequantur, & fastuoso etiam supercilio damnent. Sed de his satis. Nihil enim dubito, quin perspectiora tibi sint mediæ illius ætatis sæcula Francica & Alemannica, quam mihi hactenus esse potuerint. Quare peto ut boni consulas quæ in tuam gratiam, te maxime flagitante, obiter congessi. Peto autem, ut exemplum Carolinæ fundationis de Augiæ monasterio Latinum ad me mittas. Contracti Chronicon si alicunde non possum assequi, de tua Bibliotheca petam. Novarum rerum in præsentia non habemus, quod relatu dignum sit. Tuas literas accepimus cum Grynæi nostri elegantissimo hecatostycho. Patientia longa in libertatem erumpet, libertas ad arma, quæ sane, ut hodie res habent, juste sument Magistratus vel innocentissimi, duntaxat ut æquis legibus locus esse & arceri libidinosissima quorundam & per omnia probra perfricta Tyrannis queat. Cæsarem Carolum ferunt Norinbergam advolare magno comitatu, & in hoc esse Papistas omnes ne pax nostris detur. Sed optima quæque nobis de Principe illo nobilissimo utcunque aculeatis consiliorum œstris agitato pollicemur. Quod si pax sæculi nostris obtingere nequit, sufficiat pax Christi, puppis & prora salutis nostræ. Vale cum uxore & liberis, cumque collegio fratrum mihi in Domino colendissimorum, & me barbare de sæculis barbarissimis locutum æquo animo ferto. S. Galli.

FINIS.

RVODE-

RUODEPERTI MAGISTRI S. GALLI

EPISTULAE.

I.

PARENTIBUS suis A. agnus ablactatus pium balatum. Nuperrime à vobis sanus abiens adhuc me valere profiteor. Peto ergo ut promissio vestra de remunerandis sudoribus magistrorum meorum ad effectum veniat. Mihi etiam veluti peregre constituto omnium indiguo necessaria, quæ locuti estis, impendite.

II.

R cœlesti rore imbuto T. quicquid boni potest. Ex quo sub ditionis vestræ jugum adductus sum, educastis me absque omni remuneratione amicorum meorum, non minori dilectione quam si ex vestro progenitus essem corpore. Quia enim in Evangelio scriptum est, *operarium dignum esse mercede sua*, proposui ire ad sorores meas in insulam quæ vocatur Lindovva. Ibi arbitror me accepturum esse aliquod munusculum, quo possim vestram venerari faciem.

III.

R Spiritali cibo saturato certitudinem famulaminis. Pietati vestræ dolores nuditatis meæ erubescerem dicere, si miseriam quam patior nesciret. Ea ratione coactus imploro miserationem vestram, mihi præstari licentiam exire ad matrem meam, quæ ut spero non dedignabitur mihi subvenire in necessariis rebus.

IV.

PArentibus suis H. coronatus habitu clericatus fidelem in Christo orationem.. Optimum invenisti consilium me transmittendo in monasterium S. Galli ad disciplinæ & doctrinæ ædificationem. Ibi me illa duo invenisse abundanter confiteor. Hæc est autem postulatio mea, mihi velocius ex vestra largitate transmitti tertium miserationis vestræ munusculum, id est duas camisias, & lineam tunicam, quibus incedere possim cum consodalibus meis honorifice, non cum dedecore nuditatis.

V.

DOmno R. T. ultimus vester amicus, fidelia orationis & famulatus. Dum occurrit animo quanta à vobis dilectione & beneficiis dignor, magnus pudor est, nihil congrui forsan posse rependere. Sed rogo ne ideo vos pigeat ceptorum, quia nobis deest copia redibitionum, nam perpetem restituet vicem, qui neminem præmii patietur extorrem. Quod autem de docendo puero per nostrum Vodalricum demandastis, licet ipsa vox & memoria jam senescentem fugiat Moerim, libentissime gratia vestri nostram impendimus operam. Valete. Ne oblivis cantur me sacratissimæ orationes vestræ.

VI.

H karissimæ nepti Ruodep. plurimam salutem, servitutem & orationem. Mitto tibi, Dilectissima, duos homines, & rogo ut tu his tertium de tuis addas, ut eo ducente & te auxiliante saltum circueant, ut aliquod vasculum inveniant & meis usibus deferant. Memento igitur fidei & servitutis, & hanc mecum fac misericordiam, ut eos ibi adjuves, & ad me redeuntibus tuum adjutorium impendas. Vale karissima.

VII.

P dilecto suo salutem & profectum in doctrina. Verba, quæ ad me misisti, ut tibi exponam, in Theodiscam linguam transtuli. sic enim sonare debent.

Quia virtus constillationis in ictu pungentis est) vuánda des kestírnis chraft fergât únde vir loûfit in sô l ángero virîste sô man eînin stûpf ketûon mag.

Informis materia (tàz chît, skâffelôsa zimber

Intemperies) Intrérteda.

Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentum) táz chît, kúisheít tere nòh ùrôugôn.

Quem Deus diligit, hunc exaudit. Cui Deus placabilis, huic exorabilis) Temo die héiligen hólt sint, dér mág hórsko gebétôn.

In humilitate judicium ejus sublatum est) Táz ín nióman ze réhte ne liêz, táz vvárt ze léibe úmbe sina deúmûoti.

In Pasca annotino) id est Paschali festo prioris anni, id est tér férnerigo ôstertág.

Y papanti) id est conventus omnium ætatum.

Nomen) námo. Pronomen) fúre dáz nomén. Verbum) vuôrt. Adverbium) zûoze démo verbo. Participium) téilnémunga. Conjunctio) geuûgeda. Præpositio) fúresézeda. Interjectio) undérvverf.

Nomini quot accidunt?) vui mánegiu vólgent témo nomini? VI. Quæ? qualitas) te vvílichi. quæ? subauditur, ubíz êigin sî, álde gemeîne ter substantiæ, álde dés accidentis. Comparatio) de vvídermezúnga. Cujus? tis comparativi, álde dis superlativi zûo demo positivo. Genus) tíz chûnne. Cuius? sîn alde..........

VIII.

QVæris à me, quid sit *pascha annotinum*? Est conventus compatrinorum ad missas ejusmodi per omnes octavas Sabbati, sancti id est baptismi per annum; & per ordinem cujuscumque cum cæteris convivium. Quod vidimus, hoc testamur. Presbyter symbolum super infantem dicit, & mensæ participat aquam sapientiæ..........

IX.

Hanc epistolam habes supra inter Chartas sub titulo de Furtis, num. LXXXIX.

FINIS.

HRABANI MAVRI ABBATIS FVLDENSIS
GLOSSAE LATINO-BARBARICAE
DE PARTIBUS HUMANI CORPORIS.

WALAFRIDUS STRABUS MAURI DISCIPULUS.

Sic homo consistit, sic corporis illius artus
Expositos Mauro Strabus monstrante tenebo.



OMO ab humo dictus est.
Anima à ventis nomen traxit. unde & Græcè ἄνεμος, ventus dicitur, quod ore trahit aerem homo
Corpus à corruptione dicitur
Caput à capiendo, eo quod omnes sensus corporis capiat, & quod prima pars corporis sit
Vertex, Scheitila, nuilla
Occipitium, Hailancha
Capilli, loccha fahs
Cæsaries, gischoranfahs
Coma, ungischoranfahs
Crines proprie mulierum dicuntur eo quod vittis discriminantur
Tempora, thunvvengiu
Facies dicta ab effigie: ibi est enim tota figura hominis & uniuscujusque personæ agnitio
Vultus vero dictus eo quod per eum voluntas animi ostenditur
Frons, endi. à foraminibus oculorum dicitur *frontispicium*
Oculi, dicti quasi ocior lux, quod citolucem capiant
Pupilla, seha, medius punctus oculi
Circulus vero quo à pupilla albę partes oculi separantur. discreta nigredine *Corona* dicitur
Palpebræ sunt sinus oculorum à palpatione dictæ augbrauua
Cilia id est tegmina, quibus operiuntur oculi, & dicta quod celent oculos
Supercilia id est vvindbrauua
Genæ, inferiores partes oculorum, hiufilon
Malæ id est bracchon: sic & *maxillæ* inde diminutive dicuntur
Aures ab hauriendo dictæ sunt, quia vocem hauriunt
Pinnula, summa pars auris
Nares, nasa. Narium recta pars *Columna* vocatur: extremitas ejus *Pirula* vocatur à forma pomi piri. quæ vero dextra lævaq; sunt *Pinnulæ* dicuntur. medium autem *Interfinium* dicitur.
Os id est mund quasi ostium dicitur, quia ibi ingrediuntur cibi, egrediuntur sermones
Labra virorum dicuntur: *Labia* mulierum
Lingua à lingendo, sicut labia à lambendo dicuntur
Dentes, ceni: quorum primi *Præcisores* dicuntur, quia præcidunt cibos: sequentes *Canini* vocantur, quia sicut canes cum eis ossa confringunt: ita & homo quæ non possunt priores præcidere illis tradit ut confringant: ultimi sunt *Molares*, chinni ceni. Dentium numerum discernit qualitas sexus. nam in viris plures, in fœminis sunt pauciores
Gingivæ, id est bilorna
Palatus, giumo sive huruuua
Fauces, à fundendis vocibus nominatæ
Arteriæ, id est vveisunt
Gurgulio, querca, chela, à gutture nomen traxit, cujus meatus ad os & nares contenditur
**Pumen*, proximum gurgulioni, quo cibus & potio devoratur; *sublinguium* est, id est hracho
*F. Rumen.
Mentum, chinni
Collum, hals, cujus anterior pars *chela* dicitur, posterior *cervix*
Humeri, scultyrra
Cubitum, helina
Vlnæ secundum quosdam utriusque manus extensio est: secundum alios cubitum
Brachium, arm

La-

Lacerti, musi
Ascilla, oahchasa
Palma, manus extensa
Ir, medietas palmæ spissior
Primus digitus *pollex* est, secundus *index* sive *demonstratorius*, tertius *pudicus* sive *medius*, quartus anularis sive medicus, quintus *auricularis*.
Vngula, nagal
Mamillæ, prusti
Papillæ, capita mammarum
Pectus, sub quo firmitas est hominis
Cutis, pars exterior corporis, sicut & *pellis*
Aruina, est pinguedo cuti adhærens
Pulpa, caro est sine pinguedine dicta
Membra, sunt partes corporis
Artus, quibus colligantur
Vertibulæ, sunt summæ ossium partes
Cartilagines, mollia & sine medulla. quod genus auriculæ & narium discrimen & costarum extremitates habent
Costæ, tibbi
Latus, sita
Scapula, ahsala
Dorsum, vel *Terga*, posterior pars corporis à cervice usque renes
Spina, est junctura dorsi, dicta eo quod habeat radiculos acutos & juncturas costarum in se: ferturque per eam pars cerebri longo tractu. hæc & *sacra spina* dicitur: quoniam primum infante concepto nascitur, ideoque & hostia id primum agentibus Diis suis dabatur
Viscera, hinnuouili
Cor, à cura dictum
Pulmon, lungun
Venæ, dictæ quia viæ sunt natantis sanguinis
Iecor, lebera
Fibræ, jecoris sunt extremitates
Splen, id est miltzi
Fel, id est galla
Stomachus, id est mago
Intestina, id est tharma
Omentum, membranum quod continet
Omentum, membranum quod continet intestinorum majorum partem.
Venter, id est huuanba, & *alvus* & *uterus* inter se differunt. *Venter* est qui acceptos cibos digerit & apparet extrinsecus. *Alvus* est qui cibum recipit & purgari solet. *Vterum* solæ mulieres habent, in quibus concipiunt infantes.
Aqualicus, pinguedo ventris quod deforis est.
Matrix, est locus uteri quo fœtus gignitur.
Vesica, blatra
Renes, lendibraton
Lumbi, lendin
Vmbilicus, nabulo
Ilia, lancha
Clunes vel *coxæ*, husphi
Anus, arsloch
Nates, arsbelli
Extales, crozdarm
Genitalia, corporis partes quæ nomen gignendæ sobolis acceperunt. hæc & *pudenda* à verecundia sive à pube: unde & indumento operiuntur. dicuntur autem ista & *inhonesta*, qui non habent speciem decoris sicut cætera membra idem & *veretum*, quia viri est tantum vel quia ex eo virus emittitur
Testiculi, hodon, qui semen vecti infundunt.
Viscus, est pellis in quo testiculi sunt positi.
Fœmora, deoh, quorum interiores partes *fœminæ* vocantur
Genua, chniu
Crura, bein
Sura, vvadon
Medulla, marc
Tali, id est anali, de quibus caligæ nocturnales *subtalares* vocantur, quia sub talis sunt
Pes, phuoz
Plantæ, sunt anteriores pedis partes, quæ de multis ossibus constant
Calcis, prima pars plantæ inferior pede qua terram calcamus
Calcaneum, inferior pars pedis, dictum quia vestigia terræ imprimimus.

FINIT.

NOMINA MENSIVM SECVNDVM THODISCAM.

Ianuarius,	Vuintarmanoth	Iulius,	Heuuimonath
Februarius,	Hornung	Augustus,	Aranmanoth
Martius,	Lengizinmanoth	September,	Vuitumanoth
Aprilis,	Ostarmanoth	October,	Vuindunmanoth
Majus,	Vunnimanoth	November,	Heriuistmanoth
Iunius,	Bracmanoth	December,	Heilugmanoth.

NOMINA VENTORVM SECVNDVM THODISCAM.

Subsolanus,	Ostronivvint	Zephirus,	Vuestroni
Eurus,	Ostsundroni	Corus,	Vuestnordroni
Euroauster,	Suntostroni	Circius,	Nortvvestroni
Auster,	Sundroni	Septenrio,	Nordroni
Austerafricus,	Sundvvestroni	Aquilo,	Nortostroni
Africus,	Vuestsundroni	Vulturnus,	Ostnordroni.

FINIS.

HRABANI MAURI ABBATIS FULDENSIS.

DE INVENTIONE LINGUARUM AB Hebræa usq; ad Theodiscam, & notis antiquis.

PRIMO omnium litteræ Hebraicæ linguæ à Moyse inventæ sunt, & ab Esdra post illorum captivitatem & reversionem eorum renovatæ sunt, quarum elementa figurarum subtus, ut invenire quivimus, adnotata habemus, earumque summa XX. duarum constat litterarum.

thet eth zai vau he deleth gimel beth aleph

t ex z u e d g b a

phe ain samec nun mem lamech caph ioth

f ei s n m l ch i

thau sin res cof sade

the s r f is

Litteras vero Græcas in primis Gadmus Agenoris filius à Fenice veniens in Græciam nonnullas attulit. post quem aliquantas alii adjecerunt. quæq; ad numeros faciendos habiles habentur. earumque litterarum, cum quibus scribi potest, summa ad XXIV. pervenit. cæteræ caracteres tres adjunctæ sunt, ut ad millenarium numerum perveniri possit.

alfa beta gamma delta e nota num. episimon zeta etha longa theta

a A b B g Γ d Δ e E S z Z e H th Θ

I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII.

iota Kappa lauta moy noy xi o vel u brevis pi nota num. cofe ro

i I k K l Λ m M n N x Ξ o O p Π r P

X. XX. XXX. XL. L. LX. LXX. LXXX. XC. C.

simma tau oy phi chi psi o. longa nota ennacosc.

s C t T y Y f Φ chi X psi Ψ o

CC. CCC. CCCC. D. DC. DCC. DCCC. DCCCC. mille

Latinas namque litteras Carmentis nimpha Euandri mater, quæ alio nomine Nicostrata dicebatur, invenit, & in Italiam eas prima attulit, & postmodum Græcas litteras III. adjecerunt Latini propter necessitatem: quia nonnulla verba necesse habuerunt, sicut in Græcis habentur, loqui, ut est Xps. Ymnus, ac Zelus, & reliqua. & eas cum summa cautela decretavi vobis conscribere.

a be ce de e ef ge ha i ka el em n o pe qu er

ABCDEFGHIKLMNOPQR

es te u ix oy zeta.

STVXYZ.

Litteras etiam Æthici Philosophi Cosmographi natione Scythica, nobili prosapia, invenimus, quos venerabilis Hieronymus Presbyter ad nos usque cum suis dictis explanando perduxit, quia magnifice ipsius scientiam atque industriam duxit. ideo & ejus litteras maluit promulgare. in istis adhuc litteris fallimur, & in aliquibus vitium agemus. vos emendate.

alamon.

alamon becha. Chatu. delfoi effothu. fonethu. garfou. hetmu.

a b c d e f g h

iofitu kaitu. lchtfu. malathi. nabalech. ozechi. choizech. phititin. falathi.

i k l m n o p q r

intalech. theotimos. agathot. req. yrrhoim. zeta.

x t r u y z

Litteras quippe, quas utuntur Marcomanni, quos nos Nordmannos vocamus, infra ſcriptas habemus: à quibus originem, qui Theodiſcam loquuntur linguam, trahunt. Cum quibus carmina ſua incantationesque ac divinationes ſignificare procurant, qui adhuc paganis ritibus involvuntur.

aſc. birith. chen. thorn. ech. fech. gibu. hagale. his

a b c d e f g h i

gilc. lagu. man. not. othil. perc. chon. rehit. ſugil.

k l m n o p q r s

tac. hur. halach. huyri. ziu.

t u x y z

AVC. Auguſtus. BM. bonæ memoriæ. DM. domus mortui. EPM. epiſtolam miſit. FR. forum. GCS. Gaius Cæſar. IMP. Imperator. K. kalendas. IAN. Ianuarias. MCS Marcus Cæſar. NC. Nero Cæſar. OOP. Oppidum. PRS. præſes. QT. Quintinus. R. Rex. SN. Senatus. TIB. Tiberius. VAL Valerius. X. Xynodus. YMN Ymnus. ZEN. Zenovius. LR. locus religioſus. CM. Comes.

Iſtiusmodi genus deſcriptionis Notæ Cæſaris appellatur, quod cum litteris, quæ antiqua manus appellatur, perficitur: cum quis Romanorum in ædificiis, parietibus, vel in turribus, aut in monumentis ſaxeis ob memoriam ſui ſuorumque aliquid litteris commendare ſcalpendo curaverat, eas cum punctis & titulis obligat, ne ſtatim quis ignarus legere poſſit, ut ſupra in paucis oſtenſum eſt.

A E I O V.

·NC:P· TV: R:S:·:·:SB::NF:C··:R·CH·
SL:: R:·:S:E:·:: M:RT·R:S·

Genus vero hujus deſcriptionis tam quod ſupra cum punctis V. & vocalibus quam ſubtus cum aliis vocalibus, quam ſolitum eſt informatum continetur, fertur quod ſanctus Bonifacius Archiepiſcopus ac Martyr ab Angulſaxis veniens hoc anteceſſoribus noſtris demonſtraret. quod tamen non ab illo in primis cœptum eſt, ſed ab antiquis iſtiuſmodi uſus creviſſe comperimus.

B. F. K. P. X.

KBRXS. XPP. FPRTKS. TKRP. KNSBR. SBFFKRP. BRCHKTFNENS. SCFPTRP. RFGNK. XTDFCXS BXPF. FELICITER. A.

Litteræ enim monogrammæ ſcriptæ nonnullis in locis inveniuntur, ubi pictura cum muſeo in pariete imaginis aut in velis, vel alicubi aliter facta fuerit, ibi eorum nomina cum congerie litterarum, unum caracterem pictores facere ſoliti ſunt, quod monogramma dicitur, quorum ſignificatio ſubtus per pauca adnotata monſtratur,

Dominus. Sancta Maria. Sanctus.

Iohannes. Philippus. Thomas. Matheus.

Petrus. Paulus. Andreas. Iacobus.

Simon. Iudas. Iacobus. Mathias.

Bartholomeus. Salomon Rex pacificus.

FINIS.

KE-

KERONIS MONACHI S. GALLI
INTERPRETATIO VOCABVLORVM *BARBARICORVM IN REGVLAM S. BENEDICTI ABBATIS.

*id est Alamannicorum.

A.

A, Ab, fona
Abbas, fater
Abbatis, abbates
Abbate, fatere
Abba pater, fater lib fater
Ab aspectu, fona Kisihti
Abhominabiles, leidsame
Abjectio, auueraf
Ab iniquitate, fona unrehte
Ablactatum, intsprenitaz
Abnegare semetipsum, farsahhan sih selban
Abrenuntians, farsahhanti
Abscissionis, Abasnidannes
Abscondi, Kiparac
Absconse, Keporaganiu
Absentium, abvvartere
Absit, fer sii
Absolutus, inpuntaneer
Absorbeatur, pisausit si
Absq; murmorationibus, ano murmolodin
Absq; ullo labore, auo einikeru arbeiti
Absteneant, Kehabeem
Abstineatur, si farporan
Abstinentia, furipurt
Abstinentiæ, furiburti
Absurdum, ungalimflih
Absurdum, eingilih unreht ungiristlih
Accepit, entfianc
Accepistis, entfiangut
Acceptum, antfangigaz
Accepta, intfanganeru
Acceptio, antfangida, antfenkidu
Acceptabilis, antfanclih
Acediosus, slaffer
Ac, enti, joh
Acrior, vvassira
Acsi, intiso, sama so
Actus, Kitaat
Actuum, tatio
Actibus, tatim
Ad, ze, za
Ad confitendum, za heham
Addatur, zua si kikeban
Addita, keauhhoti
Adducit, zualeitit
Adfligantur, sin keneizzit
Ad gregem, za chortare
Ad habitandum, za puanne
Adhuc, denne, noh, nu noh
Adjicientur, sint Keauhhot
Adimplere, erfullen
Adimpleta, zua erfultin
Ad interrogationem, zan frahidu
Ad ipsum, zeinan
Aditum, zuakanc
Adjungentes, zuaauhchonie
Adjutus, kehafaneer
Adjutorium, helfa
Adjuvasti, hulfi
Adjuvante, zuahelfantemu
Ad Kalendas, in kangum
Adlidere, chnussan
Adlisit, zua Kechnusita
Admoneatur, Kemanot
Admonemus, zuamanomees
Admonentes, zuamanonte
Admonitione, zuamanungu
Admonitionem, zemanungu
Admonitus, zuakimanoter
Ad necessaria naturæ exeant, za notdurfi de cnuati uzkanken
Adnihilum, ze neouuiehti
Adnuatur, zuakipauhnit
Adplicet, zuapifalde
Adoptionis, zeuunske
Adortationem, Kispansteo
Adprobati, kechorote
Adquierit, zuakesuahhit
Adquæritur, ist kesuahhit
Ad quod, ziuuiu
Ad refectionem, za imbizze
Ad satietatem, ze setii
Ad satisfactionem, za ganuotsamerutati
Adsentiatur, zuakihenkit
Ad seram, ze naht
Adsignata, kazaichantiu
Adsum, azpim
Adsumis, zuanimis
Adsumebatis, ir zuanamut
Adsumptione, inthabanii
Ad supra dictas, za obana kaqhuetamen
Adtendat, zua vvartee
Adtendatur, zua si kivvartet
Adtingere, zuakereihhan
Adtonitis, zualuustrenteem
Adtributa, zuakitaniu
Advenientes, zuaqhunemente
Adversus, vvidar
Adversum me, vvidar mih
Advertitur, ist farstantan
Ad vesperam, ze abunde
Adulantur, sint keflehit
Adulescentes, chindiske
Adultetare, huaron
Ad ultimum, az iungist
Ædificent, zimberren

Ædificentur, ſin kizimbrit
Ædificavit, kezimbrota
Ædificatione, zimberre
Ædificationum, zimbirrono
Ægritudo, ſiuhchi
Ægrotos, ſiuchem
Æmulationes, ellinodes
Æqualis, eban
Æqualem, ebanlihho
Æqualiter, ebano
Æquo animo, ebanemu muate
Æquiſſimo, ebanoſtin
Æquitate, rehtes
Aërum temperiem, dero lufteo mezzlichi
Æruginem, roſomon
Æſtas, ſumar
Æſtatis, ſumeres
Æſtimet, vvanne
Æſtimant, vvannant
Ætas, altar
Ætatibus, altrum
Affectum, minna
Agere, tuan
Agendum, ze tuanne
Agenda, ze tuenne
Agitur, iſt ketaan
Agro, achre
Agrorum, achro
Agris, achrum
Agnoſcat, erchenne
Ait, qhuad
Aliquando, eddervvenne
Aliquis, eddesvveliher. Aliquis, einiger edesvvaz
Aliquid, eddesvvaz, eovveht vel eovviht
Alicujus rei, edezlicheraracha
Aliqua, eddeslihhiu, eddesvvelihha, einigiu
Aliquam, einikas
Aliquatenus, eddesmihhil
Aliquanto, edesmihil
Aliquantolum, edesmihil
Alius, andrer
Aliusſic, alius vero ſic, ſumer ſo ſumer kevvis- (ſo ſo
Alia, andriu
Alium, einlihhan
Alio loco, andrerun ſteti
Alii, andre
Alii duo, andre zuene
Alii ſex, andree ſex
Aliis, andreem
Alibi, andrero ſteti
Aliter, darvvis, andarvvis
Alimentis, libleitom
Alieno, fremideru
Alienis, fremideem
Altaris, altarres
Altiori, herorin
Aliunde, allas vvanan
Alumnis, chindum
A majore, fora meririn
Amare, minnoon
Ambæ, pedo
Ambulans, kanganti
Ambulantes, kangante
Ambulavi, keancih
Amen, ſoſi
Ametur, ſi keminnoot
Amice, friunt
Ammonet, zuamanoot
Amplecti, kihalſit vveſan
Amplius, meer
Amor, minna
Amori, minnu
Amputari, abasnidan
Amputet, abasnide
Amputetur, aba ſi farsnitan
An, edo, interrogativum
Anachoritarum, einchoranero
Analogium, lecture
Angarizati, kenoottanteru
Angelis, engilun
Angusta via, engervvec
Anguſtam viam, engan vvec
Anguſto, enkemu
Animam, ſela
Animæ, ſelu
Animarum, ſelono
Animas, ſelo
Animos, muatu
Annonam, lybleita
Annum, jar
Ante, fora
Ante oculos, fora augoom
Ante omnia, er allu, fora allu
Ante ſolis occaſum, er dera ſunnuum ſedalkãge
Ante unam horam refectionis, fora einera citi des inbizzes
Antequam, erdenne
Anteriores, fordroron
Anxius, anguſtonter
Aperire, intlohhan
Apertis, intlohhaneem
Apoſtolus, poto
Apoſtolo, potin
Apoſtolicum, potolihha
Apoſtolicam, potoliha
Apoſtatare facit vinum, tuat fredige
Appareat, kaauge
Apparuit, Keaugit vvard
Appellare, nemman
Appellatione, namahaftiu
Aptus, kimahcher
Apta, kimahhiu
Aptet, Kemahhoe
Apud, mit
A quoquam, fona einigeru
Arbitrio, ſelbſauna. Arbitrio, ſelbſuanu
Ardor ætatis, prunſt des ſumares
Arduam, vvidarpirkiga
Argentum, ſilbar
Argue, drevvi
Arguere, dravven
Arma, vvaffan
Arripiunt, Keeriiffant
Arripuerit, kechriffe
Ars, liſt
Artis, liſti
Artifices, liſtara
Artificum, liſtaro
Aſcendere, ufſtigan

Afcendentes, ufftigante
Afcendit, uffteic
Afcenditur, ift uferhaben
Afcenfus, ufftic
Afcenfis gradibus, ufkiftikanen ftiagilim
Afpiciat, Kefehe.
Afpectibus, Kafihtim
Afpera, arandiu
Afperum, farfes
Atq; indi ioh, indi, inti noh
Avaritiæ, nefkirii
Auctoris, ortfromon
Auctoritas, ortfroma
Auctoritatis, ortfrumu
Audit, hoorit
Audiamus, horramur
Audiamus, hoorremees
Audiat, hoorre
Audite, hoorrat
Audivit, hoorta
Audivimus, Kehortomees
Audire, hoorran
Audiendi, horendo
Audiens, hoorres
Audientis, hoorrentir
Avertere, erhvvarabi, imperativus
Avertat ab ipfo, erpihvvarbe fona imu
Auferatur, fi eruirrit
Auferenti, erfirtero
Augere, auchon
Augeamus, auchomes
Augmentatione, aubhungu
A vitiis & peccatis, fona hachuftim enti funtom
Auris, oora
Auris, oorin, genit
Aures, oorun
Auribus, oorum
Aurum, cold
Aufculta, hlofe
Aut, edo
Aut, certe, edo kevviffo
Autem, kevviffo
Auxiliante, helfantemu.

B.

Baiolamus, tragamer
Balnearum, pado
Bene, vvela
Benedicat, vviche
Benedicunt, vvelaqhuedant
Benedicente, vvihantenu
Benedicere, vvihan
Benedictus, kevvihter
Benedictio, vvihi
Biberis, trinchan
Bini, zvviske
Blandimenta, slehtiu
Blandimentis, slehtidoom
Bonus, cuater
Bonum, cuat. Bonum, cuates
Bona, cuateem, cuatin
Bonorum, cuatero
Bonis, cuatum
Bonos, cuate
Bonos & malos, cuatiu, cuatiu indi ubilia
Bonus fermo, cuataz vvort
Boni teftimonii, dera cuatum kiuuiszida
Bonis actibus, cuateem tatim
Brachio, arame
Bracile, pruahhac
Brevis, skammer
Brevis, fcammos
Breves, priafo
Brevitatem, skemmi
Breviter, skemlicho. Breviter, fcamlihcho
Breviandum, zeskemmane
Butyrum, ancka

C.

Caducis, ze rifenteem
Calammum, rorriun
Calciatis, kefcuahte
Calidis, vvaramem
Caliga, caliziun
Caligas, kaliziun, funt indumenta pedum
Canonicas horas, rehlihhiu citi
Cantat, finkit
Cantate, fingantemu
Canticum, fanc
Cantica, canticun
Cantor, fangari
Capacibus, farftantanteem
Capias, nemes
Capitale, polftar
Capite, haubite
Capita, haubit
Capitula, lezcun
Capitulæ, lecziun
Caput quadragefimæ, habit dr faftun
Carnis, fleiskes
Carnium, fleisko
Carnes, fleifcco
Carnibus, fleiskum
Caris verberibus, farfeem filloom
Carius, tiurorin
Caritas, minna
Caritatem, minnu
Caftum, hreinnan
Cafte, hreino
Caftiffima, hreinifto
Caftitatem, hreinii
Caftigare, hreinnan
Caftigatus, kerafter
Caftigatione, raffunga
Caftrare, haloon
Cavere, piporageen
Cavet, porakee
Caveat, piporgee
Caveatur, fi kiporket
Cavemus, piporakemes
Cavendum eft, zo piporgenne ift
Cavendum eft, ze porgeenne ift
Caufa, rahcca
Caufæ, rahchu
Caufam, rahhau
Caufetur, chlagoe
Caufentur, finkichlagot
Cecidit, fial
Celaverit, farhele

Cele-

Celebretur, ſi kituldit
Cella hoſpitum, dſelidun dero keſteo
Cellam hoſpitum, chamara diro keſteo
Cellas, cello
Cellararius, qui & cellarius
Certe, kevviſſo
Certis ex cauſis, er kivviſſem rachom
Certis temporibus, kaviſſem citim
Ceſſari, pilinnan
Ceteris, andrem
Chriſto, vuihemu
Chriſti, Chriſtes
Chriſte, Criſte
Chriſtiano, Chriſtianemu
Choro, corte. Chorum, carte
Cibi, muaſes
Ciborum, muaſo
Cincti, picurte
Cingulis, curtilon
Circa, umbi
Circumeam, umbicun
Cricuitum, umbicange
Circulum, umbicanc, umbincirh
Citius, ſniumor
Clamat, hareet
Clamamus, haremees
Clamans, qhuuedenti
Clamoſus, hlutreiſter
Clareſcentibus, skinentem
Claruerit, skinit
Clauſura, piloh
Clauſtra, pilohhir
Clericorum, chliricho
Coctus, kaſotaner
Cocta duo pulmentaria, kaſotania zueimuaz
Codice, puacho
Codices, puach
Cœlum, himile
Cœleſtem, himiliſcun
Cœna, abantcauma
Cœnæ, abandmuaſe
Cœnent, abandm uaſen
Cœnaturis, abandmuaſontem
Cœnobitarum, ſamanungono
Cœnobiis, ſamanungu
Cœperint, pikirneem
Coërceat, kedvvinge
Coërceantur, ſyn keduungan
Cogitet, denche
Cogitatio, kedancha
Cogitationes, kedancha
Cogitatus, kidanc
Cognitum, chund
Cohortantur, ſint keſpanam
Colla, halſa
Collocet, keſtatot
Colore, faravvy
Commendent, pifelahen
Commemoratio, kehucti
Comminationem, drovva
Committere, pifelahan
Committitur, iſt pifolahan
Commiſſi, pifolachanes
Commiſſo, pifalahanemu
Comiſſum, pifolahanaz
Commiſſa, ketaniu
Commiſſarum, pifolahanero
Communis, kamanſanum
Communia, camainſamon
Communionem, kemeinſamii, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti
Communiter, kimeinſamlihho
Commendent, ſint farlihan
Comple, erfulli
Complens, erfullenti
Concordet, kahirze
Concors, ebankeherzida.
Concedet, kelimfit
Concedatur, ſi farkeban, farkeban iſt.
Conceſſus farkebaniu
Concupiſcentia, kirida
Concupiſcentias, kiridoom
Concedet, keriſit
Conducunt, mietant
Conferat, ebanprinke
Confitebitur, gihit
Confitemini, gehat
Confiteri, gehan
Conformet, kepilide
Confortetur, keſtarachit
Confuſus, keſcanter
Congregationem, ſamanungu
Congruam, kalimflichan
Congruam, kelimflihera
Conjungatur, ſi kimahchor
Conlocetur, ſin kriſtatot
Conloquatur, abam ſi kiſprecham
Conloqui, kaſprohchan vveſan
Comparare, chauſan
Conpaſſus eſt, eban dolenti
Conpetire, kalimfam
Competentibus, kelimfanteem
Conpleamus, erfulemees
Conpletur, iſt duruh fullit
Conpleturium, folniſſi
Conpoſitor mercis, kenuhtſamera loon
Conprehendant, pifahe
Conprobatus, kechoroter
Conprobetur, ſi kechoroot
Conpunctione, ſtuncnisſi
Conputare, kezellan
Conſcientia, inhucti
Conſentiamus, kehenkames
Conſentientem, kehenkantan
Conſenſerit, kihenkit
Conſenſu, kihendida
Conſedere, ebankeſizzen
Conſideret, piſcauvvohe
Conſiderent, keſcavvota
Conſideranda eſt, zi piſcauvvone iſt
Conſideratus, skavvonter
Conſideratio, ſtavvunka
Conſiderationem, ſcavunku
Conſignet, kezeihhanne
Conſilium, kirati
Conſilio, kerate
Conſiſtat, keſtante
Conſiſtens, ebanſtantanti
Conſolari, ketroſtan
Conſolatus es me, ketroſtanter piſt mih

Conſo-

Conſolatione, helfa
Conſortes, ebanlozzon
Conſortio, kinozskaffi
Conſpectibus, keſihtim
Conſpergatur, ſi keſprengit
Conſpiciat, piſehe
Conſtituere, keſezzan
Conſtituit, keſazta
Conſtituitur, ſi keſezzit
Conſtituenda, ze keſezzenne
Conſtituturos, keſezzente
Conſuetudinem, kivvonaheite
Conſuetudine, vuonahaite, kavvonheiti
Conſuetudinariis, kivvonaheitim
Conſummentur, ſin keentot
Contagiet, piſmizze
Contempnentes, farmanente
Contemptor, farmano
Contendere, flizzan
Contentus, kehabenter
Contentionem flyz
Conterendum, farmulita
Contingit, kepurit
Contigerit, kiperit
Continuenda erit, zi emizzigonne iſt
Contra, vvidar
Contraria, vvidarvvartiu
Contrario, vvidarvvarti, , ablet
Contrariis, vvidarvvarteem
Contriſtari, keunfrevvit vveſan
Contriſtet, keunfravve
Contriſtetur, keunfrevvit
Contumax, einſtriter
Contumacia, einſtritii
Convenit, kelimfit, keriſit
Conventu, zumfti
Converſationis, libes
Converſatione, libe
Converſionis, kihvvorvanniſſa
Converti, kehvveraban, kivverbit vveſan
Convertuntur, ſin kehvverbit
Convertatur, kehvverave
Convertenti, kehvvarbantemu
Convocet, vviſſe
Coram eo, fora imu
Cor, herza
Cordis, herzin
Corda, herzun
Coronam, era
Corpus, lihhamum
Corporis, lihhamin
Corpora, lihchamon
Corporali, lihchamlihera
Corregitur, iſt kerihtit
Correctus, karihter
Correctio, kirihtida
Corripiat, kedvvinge
Corripiatur, ſi kiduungan, ſi kereffit
Correptus, karaffunt
Corrupti, zaprohhan
Cottidie, takalihhin
Cottidianum, tagalihchin
Crapula, ubarazalii
Craſſum, feiztas
Creatori, ſceffantin
Credimus, kilaubames
Creditis, piſolahaneem
Credamus, kelaubpam
Creditur, iſt kelaubit
Criſta, hanencamp
Cucullam, cucalun, id eſt, tunicam
Cui, huuemu
Cujus, des
Cujuscumq; ſigni, enti vveliches ſo zeichanes
Cujuslibet, ſo vvelihher
Culmen, obonoontikii
Culpa, ſunta
Cum, denne. Cum, mit
Cum bono animo, mit cuato muato
Cum conſilio, mit kiratida
Cum gravitate, mit fruati
Cum malo animo, mit ubilo muato
Cum murmurio, mit murmulode
Cum ſumma gravitate, mit dera furistun fruati
Cuncta, allia
Cupis, keros
Cupit, keroot
Cura, ruahcha
Curam, ruahhun
Curioſe, ruahlicho
Currite, hlauffat
Curritur, ſikehlaufan
Curratur, ſikehlaffan
Currendum, ze hlauffanne
Curta, ſcurciu
Cuſtodire, haltan
Cuſtodiat, kehalte
Cuſtodiam, kihaltida. Cuſtodiam, kehalte

D.

Da, kib
Dabatur, vvarun kikeban
Damnamus, nidarremees
Damnandum, kanidartan
Dare, keban
Datum, keba
Data, kakenaberu
Datorem, kebon
De, fona
De bonis & ſanctis, fona cuateem indivviheem
Debet, ſcal. Debet, ſculi
Debent, ſculum
Debere, ſcolan
Debiles, vvanaheilem
Debile erat, vvar heilaz
Debilibus, vvanaheileem
Decani, zehanninga
Decanis, zehaningarun
Decanos, zehaningarro
Decantandum, za ſinkanne
Decet, kiriſit
Deceptus, piſvvichaner
Decetero, frammert
Decimus, dehiſto
Decimum, zehantin
Declinetur, ſi kehneigit
Declinantes, kehneickente

De cœlis, fona himilum
Deditio, zurgift
Deduxit, keleitta
Deest, vuan ist
Deesse, vvan vvesan
Defendere, skirmeen
Defixis, kestactem
Degradaverit, intsezzit
Degunt, puant, id est, habitant
Degentes, lebente
De hac re, fona de seruurachu
Deiciatur, si farvvorfan
Deificum, corchundimu
Deinde, fona diu. Deinde, danaan
Delectetur, keluftidoot
Delectari, kiluftidot
Delectationis, luftida
Delicias, vuelun
Delicatis, smecharem
Delictum, missituat
Delinquam, missitue
Delinquitur, farlazzan ist
Deliquit, missiteta
Delinquentium, missituantero
Demonstrat, keaugit
Demonstrare, kehiucken, keaucken
Demum, aziungist
Deneget, farzihe
Denegari, farcikan vvisan
Dent, kebeen
Dentur, kekeban
Dentur quæ danda sunt, kebansin, dei zekebanne sint
Denuo, andreraftunt
Denuo, zvviror
De ordine, fona kisezzidu
Deposcas, pittes
Deprehensus, karaffter
Deputata, kesaztiu
Deputati sunt, kezelite sint
Deputatis, kezeliteem
De quibus, fona diem
Derelinquere, farlazzan
Descendere, nidarsteigan
Descendentes, nidarstigante
De sequentibus horis, fona folgentem citim
Deserentes, farlaazzante
Desiderant, keroont
Desiderare, keroon
Desideraverit, kerot
Desiderium, kirida
Desiderii, kiridu
Desideriorum, kiridono
Desideriis; kiridoom
Desidiam, slaffii
Desidiosus, unstiller
De spe retributionis, fona vvane des itloones
Desunt, vvansint
Desuper, fona obana
Detegere, intdecchan
Deteriores, vvirsirun
Deterrimum, vuirsista
Detractiones, pis prahho
Detractorem, pisprehhon
Detrimentum, unfroma
Devotionis, kernissa
Devotione, kernissu
Deus, Cot
Dei Cotes
Deum, Cotan
Diabolum, Diubil
Dicere, qhuuedan
Dicam, qhuidu
Dicit, qhuuidit
Dicat, qhuede
Dicatur, keqhuetun
Dicens, qhuedanti
Dicente, qhuedentemu. Dicente, qhuedenteru
Dici, kiqhueran
Dicitur, ist keqhuetan
Dictum est, keqhuetan ist
Dictis, kichuetanem
Dicto versu, kachuetamu verse
Dictante, dictetemu
Didicimus, lirnetomes
Didicerunt, lirneton
Dies, taga
Diem, tag
Diebus, tagum
Difficilem, unsemfta
Difficultatem, ursamfrido
Digessimus, kesaztomes
Digesti, kidevvite
Dignus, vuirdiger
Digne, vvirdige. Digniter, vvirdike
Dignabitur, kevverdonter
Dignatus est, kevverdonter ist
Dignaretur, kavverdonti
Dilatato, kepreittemu
Diligere, minnoon. Diligere, zeminone
Diligit, minoot
Diligunt, minoont
Dilexit, keminota
Dilectionis, minna
Diligentia, kernii
Diligenter, kernlihho
Diluere, vuaskan
Dimitte nobis, furlaz uns
Dimittunt & pallium, farlazeen auhlahhan
Dinosci, bichundit
Diocesim, farru
Diregere, karithan
Diregitus, ist kerihtit
Diregendi, ze sentenne
Directum, kirihti
Dirum, crimmiu
Discede, kalid
Discedit, kelidet
Discedat, kalide
Discensus, nidarstic
Discentes, lirnente
Discernere, keidan
Discernit, keskeidit
Discernimus, pirumes kiskeidan
Discernatur, si kiskeidan
Discipulus, disco
Discipuli, diskin, genit
Discipulorum, discono
Discipulum, discun
Discipulis, discoom
Disciplinæ, ekii

Disci-

Diſciplinam, egii
Diſciplinæ regulari, rehtlichun ekii
Diſcordante, ungaherzamu
Diſcretionem, urteilida
Diſcuſſio, keſuahidda
Disjungant, in mahchoen
Diſpenſationem, ſpentungu
Diſpenſatorem, ſpentari
Diſperare, farvvannan
Diſplicuerit, pilihchet
Diſponere, keſezzan
Diſponendum, keſezzamees
Diſpoſuimus, kaſezamez
Diſpoſitæ, kiſaztero
Diſpoſitionem, kaſezcidu
Diſſenſionis, unſtillida, ſiuntskeffi
Diſſimulet, altinoe
Diſſimulans, altinonti
Diſtributio, zateile
Diſtrictiori, kiduunganun
Dividatur, ſi ziteilt
Dividantur, id eſt partiantur, ſin ziteilit
Dividebatur, ſi ziteilit
Dividendi ſunt, zateilanne ſint
Diverſorum, miſſilichers
Diverſis, miſſilichem
Diverſas, misſilihho
Diverte, kihvverebi
Divinus, cotchundiu
Divina, cotchundida
Divinæ, cotchundun
Divinæ gratiæ, der cotchundiun enſti
Divinatum, cotchundera
Divinum, cotchundaz
Divinitatis, cotchundii
Divinitus, cotchundlihho
Divitum, otakeru
Diurnæ, tagalihchen
Diurnis, tagalihhin
Diuturna, lancſameru
Dixi, qhuad ih
Dixit, qhuad
Docere, leerran
Docemur, pirumes kelerit
Docebo, leru
Docuerit, lerit
Docti, kileerte
Doctorum, lerarum
Doctoribus, lerarum
Doctrina, leru. Doctrina, lera
Dolum, ſeer
Dolentum, ſerazzantan
Domum, hus
Domeſticis, geſvvaſan
Dominus, truhtin
Domini, truhtines
Domino, truhtine
Dominum, truhtinam
Dominicum, truhtinihhun
Dominicis, truhtinlihem
Dominico die, Truhtinlichemu ſage
Donatione, kivvaltidu
Donum, kaba
Dormiat, slaffit
Dorſo, hruki
Dubitatione, zuiualunga
Ducit, leitit
Ducat, leitet
Dulcis, ſuazzi
Dulcis, ſuazzan
Dulcius, ſuazzira
Dulcedine, ſuazzi
Duo, zvvo
Dum, denne
Duorum, zueio
Duobus diebus, zuin tagun
Duodecim, zuelifin
Duodecimus, zvvelifto
Duplici, zvviſalda
Dura, hertiu
Duros, herteem
Durius, hartor.

E.

EA, dei
Eam, den
Eadem, daz ſelba
Earundem, ſelbono
Eas, kangees
Ebrietas, ubartrunchanii
Ebdomada, vvehchun
Ebdomadarius, vvehchari
Ebdomadarii, vvehharre
Ebdomadariis, vvehcharum
Ecce, ſe, ſehe, inu
Eccleſia Romana, Rumiskiu ſamanunga
Eccleſiis, ſamanungu
Edax, ezzaleer
Edacem, ezzalam
Edere, ezzan
Edentium, ezzantero
E diverſo, vvidar diu
Eo, imu
Efficaciter, huuaslihhe
Efficiatur, iſt ketaan
Efficiatur, iſt kitan
Effugis, erfliuhis
Effugitur, erflohan
Ego, ih
Egit, teta
Egredi, uzkakangen vveſan
Egreſſurus, uzkikanganer
Ejus, ſineru, ſine, knaz, ſina
Ei, imu
Eis, im
Elati ſunt, keiliu ſint
Elatus, preiteer
Elatos, keile
Elationis, preitii
Elationem, preitida, keilii
Elatione, ubermuatii
Eligat, ervvelle
Elegatur, ſi ervvelit
Elegantur, urvvelit ſi
Electio, ervvelih
Elegerint, kivvellant
Elege, er euu

Eloquium, ſprahha
Eloquio, ſprahhu
Eloquiis, ſprahhom
Emendare, puazzan
Emendaverit, puazzit
Emendentur, puazen
Emendatus, kepuazteer
Emendationem, puazza
Eminulus, ſulzcer
Enarras, errahhos
Enim, ſo kcvviſſo
Eo quod, pidiu
Eradere, skerran
Erat, vvas
Ergo, kevviſſo
Erigatur, ſi errihtir
Erigenda eſt, ze kerihtenne iſt
Erimus, pirumes
Erit, iſt
Erogat, kebe
Erogavit, kap
Erudiantur, ſin kelekit
Eſt, iſt
Eſſe, vveſan
Eſus, ezzan
Et, indi, enti, joh
Etiam, auh, ſoſama, kevviſſo
Et ipſum, joh imu
Et ipſut, joh auh daz ſelba
Etſi, joh auh ibu
Evangelium, cuatchundidu
Evangelii, cuatchundin
Evangelicus, cuatchundento
Evellatur, ſi erlohchan
Euglogias, runſtaba
Evocatio, ladungu
Eum, inan
Eunt, kant
Ex, er
Exæſtimantes, vvannente
Exæſtimati ſunt, vvanente pirumees
Ex affectu, fona minna
Ex alio, er indremu
Exaltat, erheuit
Exalter, heffe
Exaltabitur, iſt erhaban
Exaltatus, erhapener
Exaltationem, exhabamii
Exaltat vocem ſuam, heuit ſina ſtim
Examine, urſuahhidu
Examinatur, iſt erſuahhit
Examinaſti, erſuahtos
Excepto, uzzan
Excellerit, uzkelidit
Exceſſiſſe, uzkelite
Exceſſu, uzlite
Excipe, intfah
Excitante, ervvechenteru
Excommunicantur, ſint armeinſamont
Excommunicatus, armeinſamoter
Excommunicationi, armeinſami
Ex conſuetudine, fona Kevvonaheit
Excuſare, entrahhon
Excuſet, intrahhoe
Excuſetur, ſi ent rahhoot
Excuſatio, antrahcha
Excutere, erſcutten
Excuſſum, keſcutitaz
Exegerit, ſuachit
Exempla, piladi
Exerceantur, ſin keſtumit
Exeſtimant, vvannant
Exheredet, erurerebe
Exhibeat, kecaruuue
Exhibita, zuakitan
Ex hoc, er diu
Exibetur, iſt ketuan
Exigitur, vvirdit, erſuahhit.
Ex illo, er einemu
Exinde, erdiu
Ex integro, alonges, er alongi
Exiſtat, ſi
Ex ordine, fona antreitidu
Expaviſcere, erforahtan
Expectat, peitoot
Expedit, piderbit
Expediat, piderbit, ·i. utile ſit
Expedire, piderban
Expellatur, ſi fartriban
Expenſo, kiſpentotemu
Experientia, pifindungu
Experimento, findungu
Ex perſona, fora heitio
Expetit, ſuahhit
Expletionem, folniſſu
Explicantur, ſiin kefaldan
Expoſcit, peitit
Expoſitiones, kirechida
Ex rebus, er rachom
Exſtirpator, urriutto
Exſurgamus, erſtantamer
Extendi, kadeni
Extemplo, ſario
Extollit, diſerheuit
Extollitur, iſt erhaban
Extollatur, ſi erhaban
Extra, uzzana
Extremitate, uzoroſti
Exuatur, ſi intvvatot
Exutus, intvvatoter

F.

FAbulis, ſprahhon, rahhom
Fac, tua
Facilis, ſamfter
Facile, ſampto
Facere, tuan
Facit, tuat
Facienda erit, ze tuenne iſt
Facti ſunt, vvortane ſint
Factus, vvortaneer
Facta, ketaniu
Factos, vvortane
Factum, tatim
Facta, kitanaz
Factis, tatim

Fa-

Factori, tuanthemu
Fallitur, liukanter
Falsum, lucki
Falsam, lukan
Falsos, luke
Familias, hivviskes
Fecit, tota
Feceritis, tueetir
Femoralia, pruah
Feria secunda, anders tages
Feria tertia, drittin tages
Feria quarta, feordin tages
Feria sexta, sextin tages
Fermentum, deismin
Ferro, isarne
Ferramentis, isarnazzasum
Fervor, vvalm
Fervore, vvalme
Festinanter, ilantlihho
Festinatione, ilungu, furistunilungu
Festivitatibus, tuldim
Festucam, halm
Fiat, si
Fidei, kilauba
Fide, kelauba
Fidelem, kelaubigan
Fieri, vvesan
Filium, chind
Filii, suni
Filiorum, chindo
Filios, chind, parn
Finis, enti
Finiantur, kientot sin
Finitis, keentoten
Firmare, festinon
Fixis, kistantem
Flamma, lauga
Flumina, aha
Flaverunt, platoon
Fletibus, vvafum
Fores, uzze, vel uzzana, vel uzzaan
Foras mittit, uz sentit
Foliis, pletirun
Fomenta, /. medicamenta
Foris, turim, /. fores
Formam, pilidi
Fomitem, zuntrun
Fornacis, ovanes
Fortes, starche
Fortiores, starchirun
Fortissima, starchistun
Fortissimum, starchistin
Forte, odhvvila, vel odovvila
Fortuitu casu, odvvila unkivvaru
Frangatur, si keprohhan
Fratres, priadra
Fratribus, pruadron
Fraterno, pruaderlihhera
Fragilitate, prodii
Fraudem, urchusti, notduruf
Fregerit, farprihchit
Frequenter, emezzico
Frigidis, chaltem
Fructum, vvachar
Fruges, vvacharum
Fuerit, ist
Fuerit, vvisit, vvirsit, vvirdit
Fugire, fleohan
Fugias, fleohes
Fugiat, fleohe
Fugientes, fliohente
Fundata, kestudit
Fungi, kepruhchit vvesan
Funibus, zaummum
Furtum, diufa
Futurum, zuavvarta

G.

GAudentes, mendente
Gaudio, mendii
Gehennam, Hella
Genera, chunni
Generibus, chunnun
Gemitu, vvaffe
Genibus, chneum
Gerat, tue
Gloriam, ruam, tiurida
Gloriam, tiuridu
Gloriatur, cuatliheet
Glorietur, cuatlihhee
Glorificetur, si kitiurit
Gradus, stiagil, stiagil sprozzo
Gradiendi, zefaranne
Gratia, anst
Gratiæ, ensti
Gravis, suucorriu
Grave, suuar
Gravi, suuarrun. Gravi, suuarrera
Gravia, suuarru
Gravissimæ, suuaristun
Gravitatem, fruatii
Gravitate, fruati
Graventur, sin kasvvarit
Gregen, chortar
Gregis, chortres
Grossitudine, grozzii
Gulæ, cheluun
Gyrovagum, svvihharro

H.

HAbere, haben
Habet, habit, eigit
Habetis, eigiter
Habent, eigum
Habuerint, eigin
Habitare, puarre, puan
Habitant, puant
Habitabit, puit
Habitandi, puentin
Habitatoris, puentin
Habundantiora, kanuotsamun
Hac, deseru
Hæc, desui, vel deisu
Hanc, derero, desan
Heminam, mez
Heredes, eribun
Heremi, vvaldes
Heremitarum, vvaldlihhero

Hic, hiar
Hic, diseer
His, dese
His, derem, desem, diem
Hiemis, vvintar
Hieme, vvintre
Hilarem, clata muatan
Hinc, danan
Hoc est, daz ist
Hocque, indi den
Hodie, hiutu
Hômo, man
Hominis, mannes
Hominum, manno
Hominibus, mannun
Honeste, erlihche
Honestiores, eervvirdigoron
Honestissime, erhaftost
Honorem, ero
Honore, heru
Honorare, eeren
Horum, derou, derero
Hora, vvilu, ciit
Hora vigiliarum, cit daz vvathono
Horis, vvilem
Hortans, spananti
Horto, cartin
Hospite, kastu
Hospites, kesti
Hospitum, kesteo
Hospitalitatis, castluamii
Hospitantur, sint kecastluamit
Hujus, deses
Hujuscemodi, suslihcheru
Hujusmodi, suslihchan
Humana natura, manaskiu chnuat
Humeris, ahsalom
Humiles, diomuate
Humilis confessio, deomuatlihha pigith
Humiliter, deolihho
Humiliter, theomuatliho
Humilitas, deoheit, theomuati
Humilitatis, deoheiti
Humiliat, kedeomuatit
Humilians, theononte
Humiliabitur, vvirdit bedeonoot
Humilietur, si kitheonot
Humiliatus, kedeonoter
Humiliatus sum, kedeomuatit pin

I.

Iaceat, licke
Iam, giu
Iubere, kepeotan
Iubetur, ist kepotan
Iubentur, kepotan sin
Iubentis, kepiotantes
Ideo, pidiu
Ideoque, enti pidiu
Id est, daz ist
Iejunium, fastun
Iejunii dies, dera fastun tages
Igitur, auur, inunu
Igne, fuire
Ignorantia, unvvizidu
Ilico, sar
Illi, imu
Illud, daz
Illam, daz
Illuc, dara
Imitatur, keleisanit
Imitantur, sin keleisinit
Imitans, leisanonti
Imitetur, keleisinit
Immo, nohmeer
Impegerunt, erlosotatun
Imperio, kepote
Imperiis, kipotum
Imperetur, si kepotan
Imperatum, kipotan
Imperata, kepotaniu
Impietatem, erlosida
Implere, eruullan
Implesse, erfullen
In, in
In adversis, in vvidarvvaleem
In æternum, in evvin
In arbitrio Prioris, in selbsuanu des herostin
Imbecillibus, unkreftigem
Imbecillitas, unmahti
Imbicillitas, unchreftigii
Imbecillitatem, unchreftigi
Inchoas, pikinnes
Inclina, kehneigi
Inclinato, kehneictemu
Inclusi, pilohhaneem
Incedunt, anakanc
Incertis, unchundem
Incessabiliter, imbilinnanlihhaz
Incipit, pikinnit
Incipiat, pekinne
Incipiatur, si pigunnan, sin kifangan
Incipiente, pikinnantemu
Incipienda, ze pekinnanne
Inconpetentibus, unchalimfantem
Increpa, ressi
Increpet, resse
Increpationibus, rassangoom
Incumbere, anahlineen
Incumbit, anahlineet
Incumbere, anahlinenti
Incurrit, analauffit
Incurvatus, keproganer
Indicat, kechundit
Indicet, chundit
Indiget, duruftigot
Indigeat, duruftigohe
Indigent, duruftigunt
Indigeant, duruftigoen
Indigeries, unfardevviti
Indignum, unvvirdigan
Indisciplinatos, unekihafteem
In Domo Dei, in huse Cotes
Induatur, si kikarvvit
Induxisti, analeittos
Inducias, antlazza
Indumenta, kavvati
Industria, horski
Industriam, horskii

Ine-

Inenarrabili, unerrahhotlihhera
Inerti, unhort
Infantes, chind
Infantum, chindo
Inferiorem, innarorun
Infidelis, ungilaubigen
Infirmum, unmahti
Infirmorum, unmahtigo
Infirmis, unmahtiken
Infirmitates, unmahtim
Inflatus, kaplater
Inflati, keplate
Infra, innana
In futuro, in zuavvarti
Ingenuus, friger
Ingreditur, inkaat
Ingreſſus, inganc
In hoc, in de.emu
Inimicis, fianta
Inimica, fiantin
Inimicos, fiant
Initium, anakin
Initio, anakinne
Injungat, kamahchoe
Injungitur, ana iſt kamahthot
Injunguntur, anakimahchot
Injunxerit, anakimahhoot
Injuncta, anahimahhot
Injuriam, vvidarmuati
Injuriis, vvidarmuatum
Injurioſus, vvidarmuater
Injuſte, unrehto
Injuſticias, unreht
Inlatas injurias, anaprunkano vvidarmuati
Inlecebris, unerlaubantlihheem
Immaculatus, unbivvamter
In magnis, in mihhili
In melius, in pezzira
In mirabilibus, in untrum
Immittere, anaſentan
In multitudine, in managii
Innoteſcit, kechundit
Inobœdiens, unhorſamer
Inoboedienti, unhorſamonti
Inoboedientibus, unhorſamen
Inoboedientiæ, unhorſamii
In omnibus locis, in allem ſtetim
In oratione, in kepete
In oratorio, in chirihhun
In pace, in fridiu
Imperfectum, unduruſtaan
In perpetuum, in evvin
Inponere, heffan, analeckan
Inponat, hefte
Inponant, inkinnen
Inpoſuiſti, anaſaztos
Inponendum, ze heffanne
In præſenti, in antvvartidu
In primis, in heriſt, iz eriſt, az eriſt
Inprobus, unkavvarer
Inprobos, unkivvarreem
Inputavit, ke zelita
In qua latera diverſos grados, in diem hleitar-paumum miſſilihhe ſtiagila
Inquieto, unſtillemu
Inquietos, unſtilleem
Inquietet, kiunſtille
Inquire, ſuahhi
Inrationabilia, unredihaftlihhiu
Inridet, piſmeret
In riſu, in lahtere
Inritatus, kecremiter
Inrogatis, anapranganeem
In ſecundo, in andremu
Inſeruit, anakeſezzit
Inſpirationis, anaplaſannes
Inſtantiſſima, anaſtantantlihoſtin
Inſtet, ſtante
Inſtitutione, keſezzidu
Inſtituerit, kiſezit
Inſtructi, kileerte
Inſuper, ubirih ioh
Inſtrumenta, leera
In tantum, ſo filu
Integra, anolkiu
Intellegitur, iſt farſtandan
Intellexiſti, farſtuanti
Intellegens, farſtantanti
Intelligentiam, farſtantida
Intelligibiles, farſtantantlihhe
Intellegibilem, ze furiſtantlihhaz
Intellectus, farnuſſt
Intendat, anavvartee
Intentus, anavvartenter
Inter, untar
Interdum, ofto
Interitum, faruurti
Interrogemus, farhemees
Interrogaſſemus, intfrahetomes
Interrogationem, antfrahidu
Intimo, invvartun
Intranti, ingangantemu
Intraturus, inkekanganer
Intro, inana
Inveniat, finde
Inveniuntur, ſint fundan
Inveniatur, ſi fundam
Inveniamur, pirumes funtan
Invenerit, finde
Inveniri, findan
Inventus, fundaner
In veſpera, in abantlobum
Invidentium, abanſtikeru
Invidiæ, abanti
Invidiam, abanſt
Invitantis, keladuntes
In ultimo, in jungaſtin
In ultimo gradu, in derujungiſtumſteti
Invocetis, kenemmeet
Inutilis, umbiderber
Inutiles, unbiderbi
Ipſe, erſelbo, er
Ipſa, ſelbo, deiſelbun. Ipſa diaſelbun, diuſelbun
Ipſius, deſſelbun, ſin ſelbes
Ipſo, demu ſelbun
Ipſi, ſie
Iuſte, rehto
Ipſarum, deroſelbono
Iracundiæ, abulkii

Iram, aabulkii
Iratus, erpolganer
Ita, deiſu, ſo
Itaque, inunu
Ita ſane, ſo kavviſſo
Item, ſo, ſoſi, ſo ſama
Iterum, anur
Itinere, ſinde
Itinera, ſinda
Itur, kigangan
Iudicet, ſuanne
Iudicetur, ſi kisvanit
Iudicaverunt, ſuuaton
Iudicaverit, ſuanit
Iudici, ſuanarre
Iudicii, ſuana
Iudicio, ſuanu
Iudicia, ſuanono
Iudiciis, ſuanoom
Iugo, Iohhe
Iumentum, noz
Iungere, kamachon
Iuniori, jungirin
Iuniores, iungiron
Iurare, ſvverran
Iurejurando, rehtteru eidſvverdiu
Iuſſio, kipot
Iuſſus, kapotaner
Iuſtitiæ, rehtes
Iuſticiam, reht
Iuvenibus, iungein
Iuxta, after

K.

KAriſſimi, tiuriſtun
Kyrieleiſon, Truhtin kinade uns

L.

LAbia, leſſa
Labor, arbaeit
Laborem, arabeit
Laborare, arabeitan
Laborent, vverchoen
Lacrimis, zaharim
Laqueum, ſeid
Laſiſcat, muadee
Latens, midanti
Latera, hleiterapaum
Lavare, vvazkan
Lavent, vvasken
Laus, lob
Legere, leſan
Legat, leſe
Legamus, leſamus
Legantur, keleran
Legantur, ſin kaleran
Legantur, ſint kaleſan
Lectis quattuor aut quinque foliis, kelera-nem feorim edo fimfim pletirun
Lecturus, leſanter
Lectio, lecza
Lectionis, lectiun
Lectiones, leczun
Lectionum, lecno
Lectiones, leczeom
Lectulis, petum
Lectiſternia, kcſtrevvitiu
Lex, evva
Lege, evv
Leguminum, ſinalaſat
Lena, zuzſa
Leni, demuslehtin
Leniter, slehto
Levare, heffan
Levibus, rinkirom
Levioribus, ringirom
Libenter, cernlihho
Liberam, frilihha
Liberorum, barono
Libera nos, loſi uns
Liberabis, erlooſis
Liberatione, frihalſe
Libet, luſtim
Libra, funt
Licet, doh
Licere, erlaubpan
Licet, arlaubit
Liceat, arlaube
Licuit, erlaupta
Licentia, urlaubii
Linguam, zungun
Linguoſus, zunkaler
Lintea, lahhan
Litteras, puah
Litteras, piahſtaba
Litteras commendatitias, piſolahanlicho puah
Locant, farmietant
Locum, ſtat
Loca, ſteti
Locorum, ſteteo
Longe, rumana
Longinquis, frumen
Loqui, ſprehham, kisprohhan vveſan
Loquitur, ſprihhit
Loquantur, ſprehhen
Loquendi, zeſprehhanne
Loquacitate, ſprahchu
Lota, kavvaskano
Lucis, leoth
Luce, leohte
Lucrandas, ze arvvinnanne
Luctus, vvaft
Lumbis, lanchom
Lumen, leoth
Lumen lucernæ, daz leoth des leohtes

M.

MAcula, pismiz
Magis, meer
Magis ac magis, mer enti mer
Magiſtri, meiſtres
Magiſtram, meiſtrun
Magiſterio, meiſtartuam
Magnificant, mihhilont
Magnopere, alleromeiſt
Major, mera
Majorum, merorono

Majo-

Majori, merorin
Majoribus, meriroom, meririn, meroom
Maladicentes, fluahhonte, ubiloſprehhante
Malignum, farfluahhanan
Maligno, farfluahhanin, ·i. Diabolo
Maligno ſpiritu, erfluahhanemu
Malo, ubile
Malum, ubil, hubilan
Malorum, ubilero
Malis, ubilem, ubilun
Mandavit, kepot
Mandata, pibot
Mandatorum, kepoto
Mane, morkane
Manet, vvonet
Maneat, pilibe
Manifeſtum, chund
Manu, henti
Manuum, henteo
Manibus, hantum
Manſuetudine, mitivvarii
Mappula, duuahila
Mater, muater
Materia, kezimbri, friſt kezimus
Matta, filzaliidigunt
Matutini, morganlob, ſc. cantus
Matutinos, morkanlob, ſc. pſalmos ſeu hymnos
Maturis, riiffer
Maturitas, riiffii
Maxilla, chinnibahhon
Maxima, alleromeiſt
Maximam, meiſtun
Maxime, alleromeiſt
Me, mih
Meam, minan
Medicamina, lahchida
Media nocte, mittilodi nacht
Mediante octava, mittilodontera ahtodun
Mediocri, metamunſceffi, ſc. loco
Mediocribus, unſcaftim
Meditari, lirnen
Meditetur, lirnee
Meditationi inſerviant, ze lirnene anadeonoen
Mei, miniu
Mella, honec
Meliorem, pezzirun
Melius, paz, pezzira
Meliorati, kepezzirote
Membra, lidi
Memor, kehucke, Memor kehuctit
Meminere debet, kehunkan ſal
Meminerit, kehucke
Memorentur, ſin kehukit
Memoria, kihucti
Memoriter, kihuctlihho
Menſa, mias
Menſa, miaſe
Menſis, meaſum
Menſas, muaſe
Menſura, mez
Menſurata, mezhaftiu
Menſurate, mezhaftiu
Mentem, muat
Mentibus, muatum
Mentiri, liugan
Merces, loon, looth
Mereatur, kearneet
Mereamur, kearneem
Meroit, piiuuffit
Meritum, arnunc
Merito, piuuruhti
Mrrita, keuurahti
Metuendus, forahtanter
Metum, forahtun
Mihi, mir
Miliarium, millu
Militare, chemfan
Militatur, iſt kichemfit
Militans, chamffanti
Militaturus, chamfanter
Militanda ſunt, ze chamfanne ſint
Militiam, chamfheit
Miniſter, ambath
Miniſterii, meiſtartuames
Miniſtraverit, ambahtit
Minor, minnira
Minore, minnirun
Minore ætate, demu minnirin alt ere
Minus, min
Minora, minirun
Minime, min, minſim
Miſcens, miskenti
Miſerrima, vvirſirin
Miſeria, vuenekii
Miſeriſordia, armiherzidu
Miſit, ſanta
Miſſas, ſanta, quia mittitur populus
Miſſarum, ſantom
Mites, mitivvareem
Mitra, huot
Mixtum, merod, ſc. poculum
Moderate, mezhaftiu
Modeſtia, mezhaftiu
Modico, luzic, vel luzilo
Modice melioris, luzilemu pezzirun
Modo, nu
Modus, mez, mezziu
Modulatis, zi ſinkanne
Modulatione, ſange
Molliti, kevvihhete
Momento, ſtunt hvvilu
Monachorum, municho
Monaſterii, muniſtres
Monaſterio, muniſtre
Monaſteriare, muniſtrilih
Monitis, manungun
Monitionibus, manungoon
Monſtrabantur, keaugi vvirtun
Monte, perege
Mora, tuuala
Moratione, mezhafti, ·i. modeſtia
Morbida, ſubdigaz
Morbidis, ſuhtigeem
More ſolito, ſitiu kevvonanemu
Morum, ſiteo
Moribus, ſitim
Moroſa, ſitulicha
Moroſe, ſitilihho

Moriun-

Morientur, ersterbant
Mors, tod
Mortis, todes
Mortem, tode
Mortuum, totan
Mox, sâer, vel sareo
Multum, filu
Multorum, manageru
Multomapis, michilu mer
Multo minus, mihhilu min
Munda, hreiniu
Mundum, hreinan
Munditias, hreinida
Munuscula, manaheit
Murmoraverit, murmoloot
Murmorantem, murmolontaz
Murmorantium, murmolonteru
Murmuratione, murmulodii
Murmuriosum, murmulontan

N.

Nam, kevvisso
Namque, kevvisso
Natura, chnuat
Naturâ, chnuati
Naturaliter, chuatlicho
Ne, min
Nec, noh, min
Necessitas, notduruft
Necessaria, notdurufti
Necquicquam, min eovveht
Nedum, mindenne
Neglegantur, sin kervahhalosoot
Neglegentes, ruahchalose
Neglegentibus, ruahhalosonteem
Neglegendum, farsuummando
Negligenter, ruahchaloso
Nemo, neoman
Ne quando, min huuenne
Neque, noh, indini, nohni, indi noh
Ne quid nimis, min huuazunmez
Nequissimos, vvirsiston
Nescis, ni vveist
Nesciant, ni vvizzen
Nihil, neovveht
Nihilum, neovvehti
Nihilominus, neovvihtmin
Nimietas, unmezzigii
Nimis, drato, unmez
Nimius, dratter
Nisi, uzzan
Nobilibus, adelem
Noctis, nah, naht
Noctium, nahto
Noctu, nahtes
Nocturnis, nahtlobum, sc. psalmis
Nocturnis horis, nahtlihhem ciit
Nolo, nivvillu
Nolite, ni churit
Nolit, nivvelle
Noluerint, nivvolton
Noluerint, nivvellant
Nolentis, nivvellentin
Nomen, namun
Nomini, nemin
Nominum, namano
Nominatur, ist kenemmin
Nominatis, kinantem
Non, ni, nalles
Nonagesimus, niunzegostin
Nonagesimo, niunzegosto
Non aliqstando, nalles eonaldre
Non est, nist
Non jam, nullus giu
Non potest, ni mac
Non sine formidine, nalles ano furahtum
Non solum, nalles einin
Non velit, ni vvili
Nonus, niunto
Nonum, niunta
Nos, uns, unsih
Noscuntur, sint kevvizzan
Nostro, unseremu
Nostra, unseriu
Nostris, unserem
Noto, chundamu
Notitiam, chundida
Novem, niun
Novit, vueiz
Noverit, vvizzi
Nova, niuuuiu
Noviter, nivvi
Novitius, nivvichuemaner
Novitiæ, niuvvii
Novitius, niuuchuemo
Novitiorum, nivviquuemaners
Noxa, sculdi
Nudum, nahhutan
Nullus, niheiner, joh auh, nohheiner
Nulla, noh, nohheinaz, noh heiniu
Nullum, neomannan
Nullam, nohheineru, neovviht
Nullatinus, noh heinumezzu
Numerus, ruava
Numerum, ruaba
Numero, roabu
Numquam, neonaldre
Nunc, nu
Nuntiari, kechundan
Nuntiantur, sint kecundit
Nutriri, zeohan
Nutriunt, zeohan

O.

OB, kagan
Obaudita, kaganhoridu
Obdurare, furihertan
Objurgetur, si kisachan
Obliviscatur, si erkezzan
Oblivionem, akezzalii
Obmutui, ertumbeta
Oboedire, horren
Obœdiant, hoorren
Obœdivit, kaganhoorta
Obœdiens, hoorsa monti
Oboedientes, horsamem

Obœ-

Obedientia, hoorſamii
Obprobrium, itvviz
Obprobria, itvvizze
Obſtineatus, einiſtritter
Obtimum, pezziſtuun
Occupari, keummuazon
Obſecra, piſvveri
Obſecrare, piſvverran
Obſervare, kihaltan
Obſervabat, pihecalt
Obſervantia, kihaltidu
Obſervantia, kihaltidom
Obſervatione, pihaltidu
Obviant, kagannant
Obviaverit, kakanganne
Occaſio, friſt
Occidere, ſlahon
Occiſionis, ſlahta
Occupantur, ſin piheſtim
Occupatus, pehafter
Occupatis, pihafteem
Occupationem, piſahit
Occurrunt, kakanlaufen
Occurrentibus, kakanhlauffantem
Octavus, ahtodo
Octava, ahtodun
Octogeſimus, ahtozogoſto
Oculus, auga
Oculo, augin
Oculi, augun
Oculorum, augono
Oculis, augom
Odire, fien. Odiſti, fietos
Offert, prinkit
Offerat, kebe, prinke
Offeratur, iſt prungan, ſi pruhgan
Offerre, pringan
Officina, ambahti
Officium, ambahti
Officio, ambahte
Officia, ambaht
O fili, vvelago chind
Omiſſis, farlazzanem
Omnis, eocouuelih, eocouuelihaz
Omnes, alle
Omnium, allero
Omnia, alliu
Omnium, alleru
Omnibus, alleem
Omnimodo, eocouuelichu mezz
Omnimodis, eocouuelichumezzu
Omnino, alles, allero
Omni congregationi, alleru, ſamanungu
Omni hora, eocohuelihhera citi
Omni loco, eocouueliheru ſteti
Omni tempore, eocouueliheru citi
Omni tempore tam æſtatis quam hiemis, eo, couuelicheru citi ſama des ſumares ſama des vuintares
Omni terræ, eocouuelihera erda
Onus, purdi
Opera, rahc
Operui, pidachta
Oportet, keriſit
Opus, duruſt
Opus, vverah
Operis, vverahches
Opera, vverach
Operibus, vverchun
Operatur, vurchit
Operemur, pirumes kiuurchit
Operentur, ſin kiuurchit
Operantem, vverchontan
Operarium, vverachman
Orare, petoon
Oratio, kabet
Orationis, petes
Oratione, kepete
Orationes, kapet
Oratorium, chirihh
Oratorio, chirichun
Ordo, antreitii
Ordinem, antreitida
Ordine, keſezzidu
Ordinare, antreitidom
Ordinant, ſezzant
Ordinatus, kiſazter
Ordinationis, kiſezzida
Ordinatione, keſezzidu
Ore, munde
Oriri, ufqhueman
Oriantur, ſint ufkekaugan
Orthodoxis, rehtculichontem
Os, mund
Oſtendunt, kaangont
Oſtendat, keaucke
Oſtendentem, augantan
Otio, upigi
Otioſi, ubige
Otioſa verba, uppigiu vvort
Otioſitas, uppigi
Oves, ſcaf
Ovibus, ſcaffum
Ovilibus, evviſtun

P.

Pacis, frido
Pacem, fridu
Palla, lachane
Pallium, lahhan
Panis, protes
Parati, carvve
Parcius, ſparalihhor
Parcendo, lippanti
Parentibus, catalingun
Parentes, katilinga
Paret ſe, karavveſih
Parendum eſt, karavvenne iſt
Parit, karavvit
Pari conſilio, ebanemu keratte
Pariter, ebano
Pars, teil
Parte, teile
Partiat, libbe
Partiendo, libanto
Participemus, teilnemen

Parti-

Participationem, teilnufti
Participatione, teilnumft
Parvus, luziler
Parvi, luzzil
Parvo intervallo, luzzileru untarstuntu
Parvulos, luzzileer
Parvissimo intervallo, de skemmiftun (untarstuntu
Pascha, ooftrun
Paschæ, oftrom
Passionibus, dolungono
Pastor, hirti
Pastoris, hirtes
Patefaciunt, offanfaciant
Patefacere, offantuan
Pater, fater
Paterna, faterlihhiu
Pati, kedoleet vvesan
Patiatur, si kedoleet
Patientes, dultigeem
Patientia, kidult
Patientiam, kedult
Patienter, kedultlihho
Paucu, foiu
Paucorum, foer
Paucis, fovvem
Paucis, foem
Pavemus, piporakemees
Paulolum, luzziles
Pavore, erflaucter
Pauperes, arame
Pauperum, armero
Pauperiores, armirun
Paupertas, armida
Pausent, resten
Pausetur, kirestit sin
Peccanti, suntontemu
Peccatum, sunta
Peccatis, suntoom
Peccator, suntigo
Peccatoris, suntigin
Pecten, canap
Peculiaris, suntriclihchii
Peculiare, suntriclichii
Peculiares, suntriclihchiu
Pede, fuazze
Pedum, fuazzio
Pedibus, fuazzum
Pedules, svvelf, sunt indumenta pedum
Pendere, hangen
Pendens, mezzinti
Pene, nah
Pentekosten, fimfchuftim
Per, duruh
Percelebratur, ist duruhtuldit
Percipiat, antfankida
Percute, slah
Percussi, kislagene
Perdicto, duruhchuetamu
Perdant, farleosant
Perdiderit, farliusit
Perditionem, florinii
Peregrinus, piligrim
Peregrinorum, gangararo
Peregrinis, kankararum
Perficere, duruhtuan
Perficiant, duruthuen
Perfici, duruthan
Perfecta, duruhtaniu, duruhtonohto
Perfectis discipulis, duruhnotheem discoom
Pergamus, scangames
Periculi, zaala
Periclitari, kefreisot vvesan
Perire, furvverdan
Periret, farvverde
Perlecta, duruhleraniu
Permittemus, farlazzamees
Permiserit, farleazzi
Permixti, durumiste
Perpetuam, evvikemu, evvic, eovvigan
Persequere, kefolge
Persequutionem, aahtunga
Perseveraverit, duruhvvisit
Perseverantes, duruhvvonente
Perseverantia, duruhvvesant
Persistere, duruhstantan
Persistens, duruhvvesanti
Persolvamus, duruhinpintames
Persona, heit
Personarum, heiteo
Perspexerit, forakisiit
Persteterit, duruhstat
Persuaderi duruhspanan vvesan
Perterritus, forahtun
Pertinet, kekat
Pertulerunt, fardolteton
Perturbat, kitruabat
Perturbet, ketruabpe
Perturbetur, duruhtruabit
Pervenietur, duruhqhueman
Perveniet, picheme
Pervenire, duruhqhuueman
Perversas, abahe
Petere, pittan
Petat, dicke
Petierit, pitit, dikit
Petantur quæ petenda sunt, kepetan sin dei ze pittane sint
Petenti, pittantemu
Petitionem, digi
Petitionis, dikii
Petram, steine
Picten, canpo
Pigrum, tragran
Pius, erhafter
Pium, erhaftii
Pia, erhaftiu
Pium, erhaftaz
Pius est Deus, erhafter ist Cot
Pii patris, erhaftin fateers
Pietate, gnada, de Deo
Plane, kivvisso
Plebis, deota
Plenam, folla
Plicare, faldan
Plumbi, plivves
Plus, mer
Pluribus, managen
Poena, vuizzi
Poenam, vuizze
Poenas, vuizzi

Poeni-

Poenitebis, hriuoes
Poeniteat, hriuuoe
Poenitentiam, hrivvun
Ponat, lecce
Popoſcerit, peitit
Populi, liuteo
Porrigatur, ſi kerehhit
Portare, tracan
Portione, teil
Poſſe, magan
Poſſibile, ſamftes
Poſſidet, habet
Poſt, after
Poſt factum, after tatim
Poſtea, afterdiu
Poſterioribus, afttrorum
Poſtulat, pitit
Poſui, ſazta
Poſuiſti, ſaztoos
Poſita eſt, keſazter iſt
Poſitionem, keſezzida
Potus, tranh
Poteſt, man, mac
Poterit, megi
Potentibus, vvaltantem
Poteſtate, kivvaltidu
Præbere, keban
Præbetur, iſt kekeban
Præbeatur, ſi kekeban
Præcipit, kepiutit
Præcepit, kipoot
Præceptum, kipot
Præcepta, pibot
Præceptorum, piboto
Præcipua, diu meiſtun
Præcipue, alleromeiſt
Præclara, foraperahtida
Prædicans, foraſaganti
Prædicatione, prædigii
Prædicta, forakeqhuuetaniu
Præeſſe, foravveſan
Præjudicet, foraſuanne
Præjudicavimus, forakiſuannemes
Prælatus eſt, fora kipreitter iſt
Præparavit, karata
Præparanda ſunt, ze karavvenne ſint
Præparata eſt, kekarater iſt
Præparatione, garavvidu, foraitniuvviu
Præponere, furiſezzen
Præponatur, furi ſi keſezzit
Præpoſitus, furikiſazter
Præpoſiti, forakiſaztim
Præpoſito, flegero
Præpoſitum, forakiſaztan
Præpoſitis, forakiſaztem
Præſens, antuurti
Præſentem, antuurtan, kekakanvvartan
Præſentiam, antvvarta
Præſentis vitæ, des antvvartan libes
Præſumere, erpalden
Præſumat, paldee
Præſumant, erpaldeen
Præſumptione, utrurſti, .i. permiſſione
Præterita mala, kelitaniu ubiliu
Prætulerit, furiprimgit
Prævalere, furimagan
Prævalet, ſo furiſt mege
Prævalens, furimakanti
Prævaricare taciturnitatis regulam, ubartuan dera ſvvikalii rehtungu
Præveniant, furichvveman
Prandium, cauma
Prandeant, caumoen
Pravo, abaheru
Pravorum, abahere
Preces, kepetum
Primas, eriſto
Prima, eriſtun
Prima, erirum
Prima hora, eriſta vvila
Primum, eriſta
Primum, az eriſt
Prior, heroro
Priore, heririn
Prius, er
Privetur, piteilit ſi
Privati, piteilte
Privatis, ſuntrigem
Pro, pi, fora
Probaſti, keſuahtoos
Probate, chorot
Probetur, ſi kichorot
Probatione, chorungu
Procaciter, vuelihho
Procedant, framkangen
Proceſſerit, frankange
Proceſſu, frankanc
Pro certo, ano zvvival
Pro cuius venerit neglegentia, duruh den chuimit ruachaloſi
Procurentur, fora ſi kekaumit
Prodiderit, meldet
Prodigus, ſpildanter
Pro eo, pi imo
Proferre, franpringan
Proferat, frampringe
Profeſſi ſunt, kegehane ſint
Proficiat, fradihe
Profundum, inferni, abcrunte dera hella
Prohibe, pivveri
Prohibeat pivverte
Prohibeant, pivvergem
Prohibemur, pirum & pivverit
Prohibuerit, pivverit
Pro hoc, pi daz, .i. ad hoc
Pro hoſpite, furi caſt
Proici, farvvorfan
Proieciſti, faruurfi
Proiciat, feravverfe
Proiciatur, forakivVorfan
Pro ipſis, fora diem
Pro juſtitia, pi reht
Prolixiores, lengirun
Promiſit, fora kihiaz
Promiſſione, pigihti
Promittat, kiheizze
Promittunt, kiheizant
Pro modo, fora meze
Promovere, fora ervvechan
Pronomine, pinemin

Pronuntiat, forakichundit
Pronuntiet, forakichunde
Pronuntiabo, forakechundu
Pronus, framhalde
Propagavit, framerhlot
Propheta, vvizzago, foraſakun
Prophetæ, vvizzagin, foraſegin
Propitiatur, foraſikeſephan
Proponere, furikiſezzan
Proponatur, furiſikeſezzit
Proprium, eikan
Propriam, eiganas
Propria, aikanemu
Proprii, heikinin
Propriis, eikaneem
Propria, eigono
Proprii, eikanes
Propter, duruh
Propter officium, ana ambahti
Pro qualibet, pi ſovvelichaſo
Pro qualicumque cauſa, pi ſovvelichaſo racha
Proſternatur, foraſikiſtrehchit
Proſtratus, forakiſtrahter
Pro tali facto, fora ſoliſhem tati
Protendatur, fora ſi kidenit
Proterve, frafallihho
Protrahendo, farzechanto
Proveniat, pichueme
Providus, forakiſehaner
Provide, forakeſehantlihho
Providentia, foraſcavvunga
Provincia, lantſceffi
Provinciis, lantſcaffim
Provincias, lantſcaffi
Pro vitæ merito, pi libes urhungu
Provocent, framkivviſen
Provolvat, fora ſi bifaldan ; fora pivvalde
Provolvantur, foraſi pifaldan
Prout, ſoſo
Proximo, nahiſtin
Prudenter, claulicho
Prumptus, funſer
Pſallit, ſinkit
Pſallantur, ſint kaſungan
Pſalmus, ſalmin
Pſalmi, ſalmon
Pſalmis, ſalmſangum
Pſalmi directanii, ſalmun in rihti
Pſalmodiæ, ſalmſanges
Pſalterii, ſalmſanges
Publice, offanlicho
Publicanus, achivvizfirinati
Publicare, offanon
Puer, chind
Puero, chinde
Pueris, chindum
Pugnam, fehtun
Pugnare, fehtan
Pulmentarium, muaz
Pulſat, clohhot
Pulſans, chlochonti
Pulſaverit, chlocchit
Puplica, offanlihhera
Pura, luttras
Puram tunicam, dunna
Puro nomine, hluteremu nemin
Puritas, lutri
Purgent, reinen
Puſillanimis, lutcil muate
Putaverint, vvannant
Putandum eſt, abazesnidanne iſt

Q.

QVa, deru
Qua, huuelihhiu
Quadraginſima, faſtun
Quadraginſimæ, faſtunge
Quadrupedium, feorfuazzeo
Quæ, daz, dea
Quæ, huulelihiu, plur
Quæ ſua ſunt, dei iro ſint
Quærere, ſuahchan
Quærite, ſuahhat
Quærens, ſuahhanti
Qualicumque, ſovvelichemuſo
Qualiter, huueo
Qualitatem, huuialihhy
Qualitatis, vvealihniſſim
Quàm, denne
Quàm, hvveo, cum poſitivo
Quamvis, doh doh
Quando, denne
Quando, hvvenne, interrog.
Quantum, ſo filu ſo
Quanto magis, hvveo meer
Quanto tempore, ſo manakera citi
Quantitas, vveamihili, mihhilii
Quantitate, vveomichili
Quare, hvvanta
Quartus, fiordo
Quartum, fiorda
Quartam & ſextam feriam, feordun indi ſehtun tag.
Quaſi, ſo ſama
Quaſſatum, keſcutita
Quater, feorſtunt
Quaternis, feoriskeem
Quattuor, fioreo
Que, indi, ioh
Queſtrantur, ſin kiſontrot
Qui, du, der, dia
Quia, denta, daz
Quibus, diem
Quibuslibet, hvvelihemu ſo
Quicquam, eovvit
Quicquid, ſo hvvaz ſo
Quid, hvvaz
Quidem, kevviſo
Quieſcat, kaſtillee
Quietus, ſtiller
Quinquageſimus, finfzugoſto
Quintus, funfto
Quippe, kavviſſo
Quique, inti dea
Quis, hvvelih, huuer
Quisquam, einic, eovvit
Quisquis, ſo hvver ſo
Quo, demu
Quod, daz
Quod abſit, daz fer ſi

Quo-

Quolibet modo, ſo vvelichu meza ſo
Quomodo, ſoſo
Quoniam, pidiu
Quoquinæ, chuchunun
Quorum, dero
Quotiens, ſo ofto ſo
Quovis, ſo vvelihcheru ſo

R.

RAdicitus, vurzhaftor
Ramentis, azzaſum
Rara, ſeltkaluaffa
Ratio, redina
Rationem, rediun
Ratiociniis redinoom
Rationabilis, redihaftiu
Rationabilia verba, redohaftiu vvort
Rationabiliter, redihaftucho
Rebellio, vvidarvvigo
Rebus, rahhohom
Receſſeras, keliti
Recipiat, ſi entfangan
Recitet, redinoe
Recitetur, ſi kileran
Recitanda eſt, za redinone iſt
Recitanda, ze erchennenne
Recolligenda, anur zikileſanne
Recolligendas, za ſamanonne
Reconpenſabitur, iſt vvidarmezzan
Reconſignata, auurkezeihhantiu
Recreare, erqhuichan
Recta, rehte
Recte, rehto
Recuſavit, vvidarota
Redactus ſum, kepranhoter pim
Reddere, keltan, keban
Reddunt, kebant
Reddendam, ze arkebanne
Redditurus eſt, erkebanter iſt
Redditurum, kebantan
Redditus, erkibit
Redire, huuabban
Redeas, huuarabes
Referamus, rahhomes
Reficiant, imbizzen
Reficiatur, ſi inbizzan
Reficientes, imbizzante
Refectio, imbiz
Regere, kerihtanne
Regendas, ze rihtenne
Regionibus, lantſcaffim
Regi, chuninge
Regnum, rihhe
Regni, rihhes
Regni cœlorum, himilrihhes
Regula, rehtungu, regulu
Regulæ, rihtungu
Regulari, rehtlihhun
Relaxantur, ſint kelengit
Relaxabitur, ſi farlazzan
Reliquo, frammert
Reliqua, andro, plur
Reliqui, andree, plural
Reliqua, frammert
Reliquiæ, vvihida, ſc. Sanctorum
Relinquentes, farlaazzante
Rem, rahcha
Remaledicere, vvidarfluahhan
Remaneant, piliben
Remiſiſti, farliazzi
Remiſſione, farlazzany
Remota, erchertiu
Renes, lenti
Rennuit, vvidarot
Rennuatur, ſi kevvidarot
Reperiatur, ſi keſuahhit
Repertus, fundaner
Repetantur, ſin kivangan, auurkifangan
Reponenda, zekeleokanne
Reportare, vuidar ertragan
Reprehendit, kereffit
Reprehendatur, auur ſi ki fangan
Reprehenſibilis, leſtarlihher
Repræſentari, auur kakamvvarti
Reprobus, farchoraneer
Reputet, kezelle,
Requies, reſti
Requieſcet, kereſtis
Requirens, ſuahhanti
Rerum, rachono
Res, racha
Reſedentibus, auurſizanſtem
Reſervetur, ſi keporkan
Reſervans, kehaltanti
Reſervato, keporkanemu
Reſiduæ, zaleibu
Reſpicere, ſehan
Reſpicit, ſihit, kiſiht
Reſpondere, antlengan
Reſpondeas, antuurti
Reſpondeant, antlenken
Reſpondeatur, ſikiantlenkit
Reſpondentem, antlengantan
Reſponſum, antuurti
Reſponſo, antuurtu
Reſpuens, farspienti
Reſtat, zalaibu iſt
Reſtrictius, keduunganot
Retribues, itloon
Retributionem, itlot
Revela, intrih
Revelat, intrihhit
Revera, forahtun, rachu vvareru
Reverentia, ervvirdy, piervvirdy
Reverentiam, ervvirdy
Reverti, kihuuorban vveſan
Revertentes, huverbente
Revertentibus, vvarbentom
Reum, ſcultikan
Rogatur, kapetataner
Rogemus, pittames
Riſus, hlahtar
Riſui, hlahtre
Riſum moventia, hlahtar vverkentiu
Rixæ, ſecho

S.

SAcerdos, evvart
Sacerdotis, evvartin.

Sacerdotum, evvarto
Sacerdotium, evvarttuam
Sacerdotii, evvartuames
Sacrum, vuiho
Sacrata, kevvihtuo
Sacratus, kivvihtiu
Sæculum, vuerolt
Sæculo, vueralti
Sæcularibus, vuerultlihehem
Sæpe, ofto
Sæpius, ofto
Sagacitate, huuaſſi
Sagum, recinum
Saltim, doh
Salubrius, heillihoor
Salutis, heily
Salutare, heilanty
Salutatis, chuuettan
Salvus, heiler, kehaltaneer
Salventur, kihaltan ſin
Sanctum, vuihaz
Sancto, vuihemu
Sancta, vuihiu
Sanctæ, vuihono
Sanctas, vuiho
Sanctis, vuiheem
Sanctæ Trinitatis, dr vuihun driniſſu
Sanctos patres, vuihe fatere
Sana, alliu
Sanas, alliu
Saniori, heilicorin
Sapiens, ſpaher
Sapienti, ſpahemu
Sapientis, ſpahe
Sapientiæ, ſpahii
Sarabaitarum, lihiſarro
Sarabaitis, lihhiſarum
Satietas, fullii, ſetii
Satisfaciat, kinuhtſamotue
Satisfactum eſſe, kanuhotſamkatan vveſan
Satisfactio, canuhtſameratat
Satisfactione, kenuhtſameru tati
Scala, hlaitar
Scamnis, ſcrannon
Scandala, zurvvarida
Scandalorum, zurvvaridono
Scire, vvizzen
Sciat, vvizzi
Sciant, vvizzun
Sciens, vvizzanti
Scientia artis, kivvizidu deru liſti
Scilicet, kivviſſo
Schola, ſcuala
Scriptum, kaſcriban
Scriptura, keſchrifti
Scripturam, keſcrip
Scrupuloſitate, friſteo
Scrutans, ſcavvonti
Scrutanti, zarſuahchanne
Scurrilitas, skerin, skerneſskern
Scurrilitate, ſcerne
Se, ſih
Sebum, unslit
Secundis, andar
Secundum, andras
Secunda, andrera.
Secundæ feriæ, andrem tagum
Secundum, after, id eſt juxta
Secundum merita, after keuurahti
Secundum juſſionem, after kipote
Securus, ſihchurer
Securi, ſihhure
Secus introitum, Pii inkange
Sed, uzzan
Sed &, joh auh, ſo ſama, uzan ioh auh
Sed etiam, uzzan ſo ſama
Sed nec, uzzan
Sedens, ſizanti
Sedeat, ſizzit
Sedilia, ſedalum
Seipſum, ſih ſelban
Semel & Secundo, einkin ioh andra ſtunt
Semper, ſimblum, vel ſimbulum
Senum, altero
Senior, heroſto
Seniori, heririn
Seniores, heroſton
Seniorum, herirono, heroſtono
Senioribus, herirom
Sententia, kaqhuit
Sententiam, keqhuuit
Seorſum, ſuntrigo
Sepelire, picraban
Septimus, ſibunto, ſibto
Septimana, vvehcha
Septemanæ, vvehchun
Septemanarii, vvuehharre
Septenarius, ſibunfalta
Septies in die laudem dixi tibi, id eſt ſibunſtunt
Septinoctium, ſibunnaht
Septuageſimus, ſibunzogoſto
Sequeſtrantur, ſint kiſuntut
Sequeſtratur, keſkeidaner
Sequi, folgen
Sequitur, iſt kefolgeet
Sequatur, ſi kefolget
Sequantur, ſin kefolgeet
Sermo, vvort
Serum, chaſevvazzar. hodie ſchotten
Servus, ſcalch
Servos, ſcalcha
Servire, deonoon
Servientes, deononte
Servitium, deonoſt
Servitii, deonoſti
Servitor, deonoſtman
Servitoribus, deonoſtun, deonoſtmannum
Servitutis, deonoſtes
Servare, haltan, kehaltan
Servetur, ſi kihaltan
Servatam, kihaltan
Seu, edo
Sex, ſex, ſehſim
Sextus, ſexto
Sexageſimus, ſehzugoſt
Si, ibu, ſo
Si diſcedit diſcedat, ibu kelidet kelide
Sib, ſo
Sicut, ſoſo
Sicut & nos, ſoſo auh vvir

Sibi,

Sibi, im
Sibi, imu, plur
Sibi invicem, im untar im
Signum, zeihhan
Signo, zaichane
Significatione, zaichanungu
Silentium, ſtilli, ſvvikily
Silere, ſvvigen
Silvi, ſvviketa
Similis, kalihchera
Similiter, ſo ſama
Similabo, kelihhiſon
Simplicioribus, einfaltlehero
Simpliciter, einfaltlihcho, einmuatlicho
Sinaxis, curs
Sine, ano vel ana
Sine aliquo tyfo vel mora, ana einikema lihhitode edo tuuala
Sine dubio, ano zuifal
Sine intermiſſione, ano untarlaz
Singuli, einluzze
Singuli per ſingula, einluzze duruh einluzium
Singulis, einluzlihchem
Singularem, einluzlihheru
Singillatim, einluzlihhe
Sinat, lazzit
Sinet, lazze
Sit, ſy, ſi
Sive, edo
Sobrius, chuskeer
Sobrium, chuscan
Sociari, kemahchot
Societur, ſi kemahchot
Sociandus, zekemahone
Sola, einera
Solatia, helfu
Solatio, helfu
Solemnitas, tult
Solemniter, tultlichiu
Solemnitatibus, tundim
Solent, kivvonent
Solito, kivvonin
Sollicitus, pihuctigeer
Sollicite, kihuctlihho
Sollicito, pihuctikemu
Sollicitudinem, pihuctida, ſoragun
Sollicitudine, pihucti
Solvamus, an pintames
Solum, einin
Solummodo, einumezzu
Somno, slaffe, traume
Somnolentum, slaaffagan
Somnolentorum, slafalenu
Sonitu, calme
Sordes, unchuschida
Sordide, unſubro
Sortiatur, ſi erlozzan
Speculantur, ſcavvont
Spem, vvan
Spera in eum, vvani in inan
Speramus, vvanannemes
Spernendo, farmanento
Spreverunt, farhocton
Spinas, dorno
Spiritus, keiſt
Spiritum, atum
Spiritali, atumlihhemu
Spiritale, atunlihhun
Spondeat, keheizze
Sponſione, pigihti
Sponte, ſelpvvillin
Stabiles, ſtadige
Stabilitas, ſtadigii
Stabilitatis, ſtadiki
Stabilire, ſtantan
Stans, ſtantanti
Stat, ſtat
Stare, ſtan
Statim, ſaar
Statuta, keſazta
Stet, ſtante
Storia, kishihtii
Stoupus, ciphus certæ menſuræ
Stratus, keſtrahter
Stramenta, kaſtrevvi
Strati lecti, kiſtrevvitiu,
Strenue, radalihcho
Studeat, zilee
Studire, cilen
Stultus, unfruater
Sua, iru
Suæ, ſinera
Suam, ſinaz
Suâ, ſineru
Suademus, ſpanames
Suadeatur, ſi keſpanan
Suadente, kenentemu, keſpanſt
Suaſione, keſpanſt
Suaſionibus, keſpenſtim
Sub, untar
Subdat, untarduat
Subdatur, ſi untarkeban
Subditum, untardeonotan
Subjaceat, untarlicke
Subjectione, vuntarvvorfanii
Subjungendus eſt, za vuntarmahonne iſt
Sublata, kenomanemu
Subminiſtrat, untarambahte
Submittere, vuntarleccan
Subripiat, untarslihche
Subrepta, vuntarlihhanera
Subrogetur, vuntar ſi ketan
Subſelliis, ſcamelum
Subſequitur, vuntar iſt kefolgeet
Subſecuntur, vuntiri ſin kefolget
Subſtantia, eht, id eſt, res familiaris
Subſtantiæ, ehtin
Subtrahat, vuntraat ſeh
Subtrahendo, vuntarzeohanto
Subvenire, helfan
Succedat, anagat
Succedunt, anakaant
Succinctus, picurte
Sufferre, ketragan
Sufferentium, fartraganteru
Sufficere, kenuackan
Sufficit, kenuakit
Sufficiunt, kenuht
Sufficiat, kanuage
Sufficiant, kenuht ſamoen

Sufficienter, kinuhtlihcho
Suffectam, vuntarvvorfanan
Suggere, ſpanan
Suggeritur, iſt keſpanan
Suggerat, ſakee
Suis, iro, ſineem
Sum, pim
Sumus, pirumes
Sumens, namant
Summa, furiſtun
Summum, furiſta
Suo, ſinemu
Suos, ſiniu
Super, oba, juber
Super filios hominum, ubar parn manno
Super ſe ſit, ſuntrigo
Superamus, ubervvinnamees
Superbum, ubermuatan
Superbos, ubermuate
Superbiam, ubermuatii
Superbiat, ubarmuateo
Superbiendi, ze ubarmuatonne
Superfluus, ubarfleozanter
Superfluum, ubarfleozzida
Superfluitate, ubarfluatida
Superiori, oparorun
Supervenerit, ubarqhuimit
Supplicandum eſt, za pitanne iſt
Supplicatio, deolihaskipete
Supplicatione, deolichas
Supra, obana
Supraſcripti, oba kaſcribanes
Surgere, ſtanne
Surgat, erſtante
Surgant, erſtanten
Surrexerint, erſtant
Surgendum eſt, ze erſtane iſt
Suſcipi, intfangan
Suſcepit, intfianc, intfahit
Suſcipiendus, intfankaner
Suſceptioni, antfankida
Suſcitantur, ſint ervvehchit
Suſpectus, ſorchafter
Suſpectam, ſorachaftan
Suſpenditur, ſi kiſpentot
Suſpitio, untrivida
Suſpicioſus, urtrivver
Suſtinere, doleen, fardoleen
Suſtine, inthabee
Suſtinent, fardoleent
Suſtineant, inthabeen
Suſtinens, fardolenti

T.

TAbernaculum, huſe
Tabernaculi, huſes
Tabernaculo, ſelidun
Tacere, ſvvigeen
Tacui, ih ſvvigeta
Tacita, ſvvigentun
Taciturnitatis, ſvvigilii
Taciturnitatem, ſvvigali
Talis opera, ſolihchaz rahe
Tales, ſolihhe
Taliter, ſolicha
Tam, ſama, ſoſama
Tam veteris teſtamenti quam novi, ſo dr altun euua ſoſama dr niuun
Tam diu, ſo lango
Tamen, dvvidaro
Tamquam, ſoſo
Tandem aliquando, eddervvenne
Tantum, mondoh, ſo
Tantum, ſo filu
Tardus, trager
Tarde, trago
Tardius, tragoor, ſpator
Te, dih
Tempus, cyt
Tempora, citi
Temporibus, citum
Temperius, citlihhor, citimo
Temperet, ketemproe, kemezlihhee
Temperemus, pirumes kitemprot
Temperetur, ſi katemprot
Tenebræ, finſtrii
Tenere, haben
Teneant, eigim
Teneatur, ſi kihaber
Tenuit, kihebita
Tepide, vvalo
Tergunt, ſvverben, ſcilicet manus ac pedes
Terminetur, ſi kitan
Terminentur, ſin kimarchot
Terni, driske
Ternis, driskeem
Ternos, dry
Terra, erda
Terrennis, erdlihheem
Terror, ekiſo
Terroribus, ekiſom
Terribilem, ekislihhun
Tertius, dritto
Tertium, drittiun
Tertia pars, dritta teil
Tertiam, dritun
Tertio, drittiun ſtun
Teſtamentum, evva
Teſtamenti veteris novique, dera altun evva, ioh dero niuun
Teſtibus, urchindom
Teſtimonium, urchundii
Teſtimonia, kevvizzida
Tibi, dir
Timere, furihtan
Timens, forahtani
Timentes, furahtante
Timentibus, furahtanteem
Timorem, forahtun
Tollerantiam, fartraganii
Totam, allan
Trabem, kepret
Tractat, trahtoot
Tractet, trahtohee
Tractaverit, trahtot
Tradat, ſelle
Tranſeat, furifare
Tranſigenda ſunt, ze foranne ſint
Tranſitoriis, ze farantlihheem

Tremendo, forahtlihhun
Tremendo judicio, dera forahtlihunſuano
Tremore, bibun
Trepide, ſtozzonto
Tres, drio
Tres lectiones, drim leczum
Tria, dry
Trium, trio
Tribuatur, ſi kikeban
Tribulatio, arabeiti
Trigeſimus, drizugoſto
Triticum, huueizzo
Tu, du
Tui, dines
Tuo, dineru, dinemu
Tuum, din
Tua, dina
Tuam, tineru
Tunc, denne
Tunicam, tunihhu
Tunſuram, ſcurt
Turbet, ketruabpe
Turbolentus, truabaler
Tyfo, lihhiſode
Tyrannidis, rihhidim, unreht richiſo
Tyrannidem, rihchida

V.

Vacat, caugrot, muazzot
Vacant, gaugront
Vacent, muazzoen
Vacare, caugrot
Vacandi, kecaugrot vveſan
Vadunt, kangant
Vagi, ſvvihhonte
Vana, italin
Vana gloria, ital ruam
Vapulent, ſin kapluan
Variis, miſſalihchem
Vaſa, faz
Vbi, dar
Vbicumque, ſo huuar ſo
Vbique, eocovveri
Vbi tantum, dar loh
Vbiubi, dar edo dar
Vel, edo, edeo
Vel etiam, edo ſoſama
Velloſam, ruha
Velociter, ſniumo
Velocitate, ſniumidu
Velut, ſamo ſo, ſo ſamo, ſo
Veluti, ſoſama
Venerare, ereen
Veniam, antlaz
Venire, qhuueman
Veniamus, qhuememees
Veni, qhuuam
Venerunt, qhuamun
Venite, qhuemat
Veniens, qhuemanemu
Venti, vvinti
Venundandum, ze farchaufanne
Verbi gratia, pilad qhuedan
Verba, vvortuno
Verbis, vvertum
Verbera, fillo
Verberum, filloom, fillonokertu
Verecundia, ſcamu
Vermis, vvurm
Vero, kevviſſo
Verum, vvar
Veram, vveran
Verius, vvarlihhor
Veritatem, vvarhafti
Verſum, vers
Veſpera, aband
Veſpertina, abahtlob, ſc. cantica
Veſpertinorum, abantlihcheru
Veſtiario, vvahthhuſe
Veſtigiis, ſporum
Veſtibus, kevvatim
Veſtimenta, kivvati
Veſtire, vvatten
Veſtitus, kevvatoter
Veſtiti, kivvattote
Veſtra, ivveriu
Veſtras, ivvereem
Vetera, altiu
Vetuſtam, alta
Via, vvec
Vias, vveka
Vicem, vvehſule
Vices, vvehſal
Viciſſim, vvehſalum, hertum
Viciſſimo, Zueinzicozſtin
Vicino, nahemu
Vicinis, kepurum
Victus, libleit
Videre, ſehan
Videbas, keſahi
Videte, ſehat
Videamus, kaſehames
Videatur, ſi keduht
Vidiſti, kiſahi
Vigiliæ, vvahtono
Vigilias, vvahtun, nahtvvahchon
Vigiliæ nocturnæ, vvahta denaht
Viliorem, ſmahlihorun
Vilius, ſmahlichor
Vilitate, ſmahlihhii
Villicationis, abahtes
Vindicta, rihti
Vindictæ, kerehti
Vindictam, Kirihche
Vinolentum, vvintrunchat
Vir, comman
Viro, commane
Virga, kertu
Virtus, chraft
Virtutes, chreſteon
Virtutum, chreſtio
Vis, vvili
Viſus, keduht
Viſum fuerit, keduht iſt
Viſitare, ganvviſon
Vita, lyb
Vitam, libe
Vitæ æternæ, des evvigen libes
Vitium, ahchuſt

Vitio, erachusti
Vitia, archusti
Vitiorum, archustio
Vitiis, archustim
Vitiosus, archustiger
Vitientur, sinkeachusteot
Vivat, lebee
Viventes, lebente
Vlterius, andres
Vltimus, jungisto
Vltima, iungista
Vltor, rehchan
Vnde, danaan, huuanan
Vndecimus, einilifto
Vnguenta, salbun
Vniformem, einespilades
Vniversa, alliu
Vnus, einer
Vna, einaz
Vnum, ein
Vno, einemu
Vnusquisque, einer eocovvelicher
Vnumquodque, einan ecovvelihhan
Vniuscuiusque, eocovvelihher, einera eoco-vvelihera
Vno die, einemu tage
Vno momento, eineru stunthvvilu
Vobis, ju
Vocare, kavvisan
Vocent, nemmen
Vocari, vvissan
Vocavit, ladoot
Vocatur, istkenemmit
Vocetur, sikinemmit
Voce, stimmu
Volt, vvili
Volvat, invalde
Volvant, pivvinte
Volumen, puah
Volumus, vvellemes
Voluntatis, vvillemo
Voluntatem, vvillin
Voluntatibus, vvilloom
Voluptas, vunnilust
Vos, evvih, ivvih
Vox, stimma
Vrat, prenne
Vsq;, unzin
Vsquequaque, eogovvéri
Vsus, piderbi
Vsu, nuzi
Vt, so, daz
Vtque, so dei
Vti, pruhchan
Vtatur, pruhhe, si pruhhanti
Vtens, pruhhanti
Vtentibus vestimenta, analeckentem
Vtilis, piderbeer
Vtile, pidarbun
Vtilius, piderborin
Vtilitatis, bidarbi
Vtilitatibus, biderbidoon, piderboom
Vtroque, pedero
Vtrarumque, pedero
Vulnera, tole
Vult, vvelle

Y.

Ymnum, lob

Z.

Zelus, antin
Zelum, anton
Zelo, minnu
Zelotypus, einsneller.

FINIS.

CATALOGVS

NOMINVM PROPRIORVM, QVIBVS *ALAMANNI *quondam appellati,*

Ex vetustissimo Codice Monasterii S. Galli ordine descriptus.

* Qui nūc alienis magis quam suis appropriis delectantur.

CAPUT I.

De nominibus propriis masculinis in Alamannia Theutonica.

A.

Alfrid.
Aaron, Aron.
Abo, Abbo, Abbi.
Adalbero, Adalpero.
Adalbern.
Adalbert, Adalpret, Adalpreht, Adalpert, Adelpret, Adilpert, Adelprech, Albreht, Alprecht.
Adalbold.
Adalcho.
Adalcoz, Adelgolz, Adalgoz.
Adalfrid.
Adalgan.
Adalger, Adalker.
Adalgis.
Adalgrim, Adalcrim
Adalhar.
Adalhart, Adalart.
Adalhelm, Adelhelm.
Adalho, Adalloh, Adolo.
Adallant.
Adalman.
Adalmar.

Adal-

Adalmuat.
Adalmunt.
Adalnant.
Adalne.
Adalnoat.
Adalno, Adalnot, Adalnolt.
Adalolt, Adallolt.
Adalpoto, Adelboto.
Adalrham, Adalram.
Adalrih.
Adalrat.
Adalſcalh.
Adalſeus.
Adalſvvab.
Adalug.
Adalunc.
Adalvvach.
Adalvval, Adalvvalach.
Adalvvin.
Adalvvolf.
Adam.
Adde.
Adrad, Adrart.
Affi.
Agnifred.
Agoz, Agozo.
Ahlſpret.
Alagart.
Alahicho.
Alarich.
Alavvic, Alavvig.
Alarihc.
Albarn.
Albene.
Alberat.
Albhart, Alphart.
Albhere, Alphere, Alpere.
Albi.
Albinc.
Albirich, Alberich, Albric, Alberih.
Albkoz.
Albini, Alboni, Albuni.
Albolt.
Alderat, Altrat.
Alefrid.
Alevvic.
Alfdac.
Alfram.
Alfrid.
Alker.
Allo.
Allvvih.
Alman.
Almo.
Alpger, Alpker.
Alpram.
Altabert, Altabreht, Altebert.
Altarat.
Altcrim.
Altger.
Altguid.
Althun.
Altini.
Altirich, Altrihc, Altirih, Altrich.
Altman.
Altmar.
Altmund.
Alto.
Altolf.
Altram,
Altuom.
Amal.
Amalbert. Amalbreht, Amalpret.
Amalfrit, Amilfrid.
Amalgær, Amalker.
Amalgoz.
Amalne, Amalni.
Amalrih, Amalrich.
Amanolt.
Ambricho.
Amhel.
Ameltren.
Amilin.
Anavalt, Anavvalt.
Andrea.
Anger.
Anhme.
Anno.
Ansfrit.
Anshelm.
Anspold.
Anſthilt.
Anſtrat.
Anto.
Antvvart.
Anulo.
Appo.
Aracoz.
Arbo.
Archram.
Arahelm.
Arnolt.
Arolf.
Artfreht, Artfret.
Arthelm.
Artolf.
Artpret.
Asbrant.
Aſcrih, Askirih.
Aſcheri.
Aslach.
Atalo.
Ato, Atto, Attu.
Atoman.
Autoin, Autuin.
Azelin.
Azichint.
Azzo.

B.

Babo.
Bave.
Baldabert.
Baldemar.
Baldfrid.
Baldarith.
Bardo.
Baugolf.
Bebo.
Beldot.
Bennih.
Berachgart.
Berahart.
Berahtolt.
Berecholt.
Berehlant.
Berehmar.
Berenkart.
Berethkart.
Bericker, Berihtger.
Beringer, Berinker.
Bern.
Bernheri.
Bernker.
Bernolt.
Berrich.
Berterich.
Bertgoz.
Berthger.
Berthiland.
Bertilo.
Betto.
Brun.
Brunhart.
Biccho.
Bilifrid.
Biricho.
Birichtilo.
Biſo.
Blidgaer, Blihcker.
Boppo.
Boran.
Bovo.
Branzolf.
Bruninc, Bruning.
Bubo, Buobo, Boabo.
Buoherich.
Burcuuart.
Burihchere.
Buxtan.

C.

Caganhart.
Caholt.
Camenolf.
Caraman, Caroman.
Caſtrat.
Cebehart,
Ceizo, Ceizzo.
Ceizzarn.
Ceizzolf.
Cerbret.
Cezman.
Chadaloh, Chadolo, Cadolah.
Chadolt.
Chaloh.
Chato.

Che-

Checeman.
Cheling.
Cherlo.
Chezelo.
Chilincho.
Chincho.
Chitell.
Chnettili.
Chonzo.
Choufman, Chouman.
Chuono.
Chresso.
Christan, Christanh.
Chuderat.
Chunerat, Chounrat
Chuneger.
Chunibert, Chunipreht, Chunipreht, Chuncprt.
Chunico.
Chuntilo.
Cunzo, Chonzo, Chuzo, Chunzu.
Comerat.
Comolt.
Conco.
Cotadeo.
Cotabret, Cotepreht, Cotebert, Cotapert, Cotabreht, Cotapret.
Codadanc.
Cotalind.
Cotefrid, Cotfrid, Cothefrith.
Cotehelm, Cozhelm.
Cotesman.
Cotescalh.
Coutilo.
Coutolf.
Cozbert, Cozpret, Cozpreht.
Cozhalm.
Cozhart.
Cozhere, Coszere.
Cozholt.
Cozmunt.
Cozoloh, Cozzolo.
Cozolt.
Cozpold.
Cozrih.
Craloh, Cralo.
Craman.
Criffo.
Crimbret, Crimpreht.
Crimeri.
Crimfrid.
Crimolt.
Crisololf.
Cruoro.
Cuatheri.
Cuatolf.
Cumpold.
Cund.
Cundho.
Cundachar, Cundhackar,
Cundalpret, Cundilpret.
Cundaroh, Cundroh.
Cundero, Cundro.
Cundfrid, Cuntfrid.
Cundhart, Cunchart.
Cundhere, Cuntere
Cundleib, Cundleiz.
Cundpreht, Cunipert, Cundpret.
Cundpold.
Cundhram, Cundram.
Cundrigi.
Cundurun.
Cunterich.
Cuotker.
Cuthmar.

D.

DAncholf, Dhancholf.
Daner.
Danho.
Danhrat.
David.
Deganpolt.
Denchilo.
Deotfrid.
Deopert, Diepret.
Deotini, Dietene, Dheotini.
Deotraht, Dhiotorat.
Deotrich.
Dessilo.
Dheotalah.
Dheotbold.
Dheothart.
Dhietheri, Dheothire.
Dhrudhere.
Dhrudpreht.
Diemar.
Dietinc.
Dietker.
Dincolf.
Dingolt.
Diothart.
Diolf.
Diotolt, Dheodolt.
Diotvvin.
Drasaleib.
Drasamunt.
Drudmunt.
Drupald.
Duringpert.

E.

EBarhart, Eberhart, Eberarht, Ebberhart, Eburhart, Eberhard.
Ebarachar, Eburachar.
Ebarhelm, Eburkelm.
Ebarheri.
Ebarloh.
Ebarnoat.
Ebbe.
Ebirmuot.
Ebervvic, Eburvvich.
Ebirolf.
Ebo.
Ebroin.
Eburvvart.
Egeolf.
Ecgirih.
Ecco, Eccho, Echo, Ecko
Eckikart, Ekkehart, Ekkihart, Ekihart, Egehart, Eckiart, Ecchihart, Eckiarht, Echihart, Eckihart.
Eckideoz.
Edilef.
Edilicho.
Edilleo, Edilleoz, Edilloz.
Edilvvar.
Edilvvic, Edilvvig.
Egehere.
Egelbreht, Egilpret, Egilbreht, Eghilbert.
Egelmunt.
Eggibald.
Eghino.
Egibert, Egibret, Egibreht, Egipreht, Egibret, Egibrhet.
Egideos, Ekkideoh.
Egilbald.
Egiholt.
Egilhart.
Egilolf.
Egilvvart.
Egiman.
Eginhart.
Egino.
Egishere.
Ehso.
Ehtolf.
Eienolf.
Eigil.
Eigelger.
Eigin.
Eingilscalh.
Einhart.
Einmoat, Einmuat.
Einrih, Einrich.
Einvvalt.
Einvviz.
Ekpreht, Ekkepret.
Ekkolf.
Electo.
Eliolf, Elolf
Elispret.
Ellanpret
Ellinbald.
Ellinbold.
Ellinhart, Ellenhart.
Ellinrat, Ellrat.
Ello.
Emezo.
Emhart.
Emilo.
Emrit.
Enchanger.

Ene-

Enesto.
Engelbert, Engilbret, Engilbrecht, Engilbert, Engilpret.
Engelman, Engilman.
Engezman.
Engilbald.
Engilhart, Enkilhart.
Engilmar
Engilolf.
Engilscalh.
Engiltheo.
Enginbert.
Enginhart, Enginrat.
Engispret.
Engizo.
Enkilpero.
Enno.
Ennolt.
Ensilo.
Eoman.
Eppo.
Erachar.
Erchanfrid.
Erchanger, Erchinger, Erchenker.
Erchanman.
Erchanmar.
Erchanot.
Erchanolf.
Erchanalt, Erchenolt.
Erchanpert, Erkenprt.
Erchanrat, Erckinrat.
Erchanvvela.
Erdanch.
Erferich.
Erfheri.
Erfman.
Erfolt.
Erhart.
Eribo.
Eribreht.
Erih, Erihc.
Erimbert, Erinbert.
Erinfrid.
Erinpreht, Erimpret, Erinbreht.
Erganbold.
Erkanpald.
Erlabald, Erlabold.
Erlabert.
Erlefrid, Erlefrit.
Erleprent.
Erlolf.
Erlolt.
Erlepreht, Erlepret.
Erlvvic.
Erlvvin, Erlevvin.
Ermannolt, Erminolt, Erminholt.
Ermenrih.
Erming.
Erminolf.
Ermpreht.
Ernand.
Ernesto, Ernost, Ernust, Ernnust, Ernnost.
Erolt.
Erph, Erpho.
Erribold.
Errympret.
Ertmar.
Ervertach.
Esbero.
Escrih, Esgrih, Eskerich, Eskirih, Eskrih.
Eskere
Eso, Esso.
Eto, Etti, Etto.
Evi, evin.

F.

FAchilo.
Fahentz.
Famicho.
Famoth.
Fariman, Fartman.
Fasolt.
Fastrih.
Fastulf.
Fastvvin.
Faterro.
Fato.
Feginmar.
Feginolt.
Fervvini.
Feter.
Findan.
Findican.
Filelob.
Flaithem.
Flesin.
Flozzolf.
Focho.
Folcho.
Folarat.
Folaschah.
Folccrim.
Folcger.
Folchart, Folohart.
Folchene, Folchini.
Folchoho, Folcholoh.
Folcholt.
Folclid.
Folcolft.
Folcoz.
Folcrid.
Folcvvar.
Folhcrit.
Folhheri.
Folhmar.
Folpret, Folpreht, Folhpret, Folhpreh.
Folhvvine.
Folmar.
Folmuat.
Folmot.
Folrat.
Folrit.
Folovvin.
Forti.
Franco, Francho, Franko.
Freccolf, Frecholf.
Freido.
Freiolt.
Freuhart.
Freupert, Frevvibert.
Frevvigis.
Friccho, Fricho, Frich, Frih.
Fridaloch, Fridaloh.
Fridanot.
Fridarat, Friderat.
Fridebald.
Fridebert, Fridepreht, Fridepret, Fridubert, Fridupreht.
Fridehelm.
Fridelach, Frideloch, Frideloh.
Fridemunt.
Fridibold, Fridubold.
Fridohart.
Fridolf.
Fridorich, Fridirich, Fridirihc, Fridurih.
Fridovvic.
Fridubald.
Friduger.
Fridugis.
Friduvvic.
Frieso.
Frihcho.
Frihchund.
Fritilo.
Friunthelm.
Frizen.
Frobreht.
Frebret.
Froholf, Frohofl.
Fruachanolf.
Frucnolf.
Frumiger.
Fruotini.
Fruoto.
Fucco.
Funtan.
Fussio.

G.

GAerbald.
Gaemmunt.
Gaermunt.
Gaganhart, Gagnart.
Gamenolf.
Ganto.
Garaman.
Gebi.
Gegorlt.
Geilo.
Geilvvich.
Geilvvird.
Geldirih.

Ger-

Gerbald.
Gerbert.
Gerbold.
Gerfrid.
Gerhart.
Gerhoh.
German.
Gero.
Gerpret.
Gerolt.
Gerrih.
Gerroh.
Gervvin.
Gimo.
Gisalbert, Gisalbret, Gisalbreht.
Gisalfrid.
Giso.
Gizo.
Gnammil.
Godilo.
Gorinlaith.
Gotabraht, Gotapreht,
Gotesman.
Gotescalc.
Gothelm.
Gozbert.
Gozhart.
Gozolt.
Gozzo.
Graman.
Graolf.
Grimbald.
Grimheri.
Gruonmuot.
Gundhart.
Gundhelm.
Gundolant.
Gundolt.
Gundpraht.
Guntbold.
Gunderihe.
Gudpert.
Guoting.

H.

HAbo.
Habraham.
Hacco.
Hadabrant, Hadebrant.
Hadabreht, Hadapreht, Hadaperht, Hadapret, Hadepreht, Hadabret, Hadpert, Hadubert.
Hadager, Hadaker.
Hadalaug, Hadaluc.
Hadalbern.
Hadalhart.
Hadalhelm.
Hadamar, Hademar.
Hadani.
Hadavvart.
Haddo, Hadtho.
Hadevvi, Hadevvic, Haduvvich.

Hadirih.
Haduini.
Hagabald.
Hago.
Hagano, Hagono.
Hagestolt.
Haholt.
Haicho, Haihcho.
Hailvvic.
Haimo.
Hainrich.
Haiso.
Halbinc.
Halbduring.
Halbker.
Halting.
Hamari.
Hammine.
Hapinolf.
Haribrant.
Hariker, Harker, Hartker.
Hartbert, Hartpreht.
Hartini.
Hartman.
Hartmuat, Hartmuot.
Hartnand.
Hartnod.
Hartpold.
Hartirihc, Hartrihc, Hartrih.
Hartvvic.
Hasig.
Hason.
Hatto, Hatho.
Hebarhart, Heberhard, Heburhart.
Hebenolt.
Hebino.
Hebinolf.
Hebni.
Hediling.
Hesso.
Hegilo.
Hegino.
Hego.
Hehtolf.
Heiderihc, Heidrih, Heidinrich.
Heidolf.
Heigilo.
Heilbret.
Heilfrid.
Heimerich.
Heinrihc, Heinrich.
Heimo.
Heimolf.
Heimolt.
Heilman.
Heilram.
Heio.
Heirolt.
Heistolf.
Heitar, Heiter.
Heito.

Heizol.
Heldini.
Helderich.
Heleel.
Helfini.
Helfolt.
Helfrat.
Helidmunt.
Helidolf.
Helingoz.
Helithpret.
Helmbald.
Helmbreht.
Helmcoz.
Helmene.
Helinger.
Helmrat, Helmerat.
Helmrihc, Helmerich.
Helphan.
Helphant.
Hem.
Hemhart.
Hemmo.
Henen.
Henno.
Herat.
Herborto.
Herchanger.
Heredeas.
Herenpret.
Herhart.
Heribert, Heribret, Heripret, Herebret, Heripreht.
Heribold.
Heribrant, Heriprant.
Hericoz.
Herifuns, Herefuns.
Heriger, Heriker.
Heriguns.
Herilant.
Herman, Hereman, Heriman.
Heremar, Herimar.
Herimund, Herimunt.
Herimuot.
Herinand.
Herihnodh.
Herih, Herich.
Heriolt.
Herirat.
Heririh, Herrich, Heririch.
Herivvart.
Herivvig, Herivvic.
Herivvin, Herivvini.
Heriuuns, Hereuuns.
Herlefrid.
Hernast, Hernist, Hernust.
Herolf.
Herolt, Herordt.
Hertine.
Hertrih.
Hessen.
Hettar.
Hetti.

Het-

Kerini.
Kerloh.
Kerman.
Kermunt.
Kernant.
Kerne.
Kero.
Kerolf.
Kerolt.
Kerpoto.
Kerpert,Kerpret.
Kerram.
Kerrat.
Kerunch.
Keruolch,*K*eruolohc.
*K*eruuius,*K*eruuic.
*K*euuerat.
*K*euuerih,*K*euuirih.
*K*euuiram.
*K*ezeman.
*K*ezo.
*K*iſalfrit.
*K*iſalheri.
*K*ozhelm.
*K*rimolt.
*K*riſſi.
*K*riſtan.
*K*uato.
*K*ummar.
*K*undholt,*K*undolt.
*K*yſalbert.

L.

LAllinc.
Lampret.
Lambart.
Lando,Lanto.
Landolin.
Landolt,Lantolt.
Landfred,Landfrid.
Lantger,Lanker.
Lanthere.
Lantibold.
Lantirat.
Lantolo,Lantoloh.
Lantpert, Lantpret, Lantpreth,Lantbret.
Lantrich.
Lantuuin.
Lanzo.
Lanzuuint.
Leidrat, Leidirat, Laidrat, Leidarat.
Leifes.
Lenger.
Lentine.
Leo.
Leoddram.
Leonacis.
Leuuolf.
Liberich.
Libo.
Libolf.
Lidiheri.
Lieolf.
Lieſtet.
Linco,Lingo.
Lingeeid.
Linutinc.
Linuuiz.
Liubinc.
Liubbold.
Liubolf.
Liucrim.
Liumunt.
Liupman,Liubman.
Liupmuot.
Liupold.
Liuppo.
Liupprant.
Liutarht.
Liutcoz.
Liutbraht.
Liuterich,Liutirihc.
Liutfrit.
*L*iurgis,*L*iutkis.
*L*iutkart.
*L*iuthart,
*L*iuthere.
*L*iutine.
*L*iutker.
*L*iutman.
*L*iuto,*L*iutto.
*L*iutoloh.
*L*iutolt.
*L*iutor.
*L*iutprant.
*L*iutpret, *L*iutpert, *L*iutperth.
*L*iutrih.
*L*iutrod.
*L*iutuuic,*L*iutuuig.
*L*iuzo.
*L*obegis.
*L*obini.
*L*odhari.
*L*ogonbert.
*L*ohan.
*L*oning.
*L*orentio,*L*orinzo.
*L*udauuic,*L*uduuihc.
*L*udebret.
*L*udemar.
*L*unicholt.
*L*uoz.
*L*upfrid.
*L*uſtrih.
*L*uto.
*L*uuuerat.

M.

MAcco.
Machelm, Machhelm, *M*aghelm.
*M*adalcoz.
*M*adalfrid.
*M*adalger.
*M*adalkos.
*M*adalolt.
*M*adalpret,*M*adalpreth.
*M*adelzoz.
*M*aelchomber.
*M*aeltuili.
*M*aganrat,*M*eginrat.
*M*aginho,*M*einho.
*M*aginhun.
*M*ahtfrid.
*M*ahtolf.
*M*atrih.
*M*anagolt, *M*anegolt, *M*aneglot
*M*ananrat.
*M*anneto.
*M*anno,*M*ano.
*M*arcuuard, *M*athcuuart, *M*archuuart, *M*aracuuart, *M*arcuuart.
*M*arcrat,*M*archerat.
*M*archire.
*M*archolf.
*M*aſſo.
*M*auuioh.
*M*auuo.
*M*azo.
*M*ecco.
*M*egeno.
*M*egilo.
*M*eginbold,*M*einbolt.
*M*egincoz,*M*egingoz,*M*eingoz.
*M*eginhart, *M*ekinhart, *M*ekanhart, *M*einart.
*M*eginhelm.
*M*egino.
*M*eginolt.
*M*eginolf.*M*einolf.
*M*eginpret,meginpreht.
meginuuarch
meriſon.
merolt.
mertin.
meſi.
miliz.
milo.
modoin.
morinch.
morinzan.
moro.
moruh,moruo.
muatheri, muotheri, mouthere.
muato.
muatolt.
muninc.
muotfrid.

*M*uot-

Muotgis.
Muothelm.
Muozo.
Musugavo.

N.

Nandarat.
Nandhari, Nandhere, Nandheri.
Nandger, Nanker.
Nanthart
Nando.
Nandolt.
Nato.
Nendinc, Nending,
Nidhard, Nidhart.
Nidker.
Nidpert.
Nippo.
Nirinpret.
Noppo.
Nordpert, Nordpreht, Nordpret.
Nordleip.
Nordmau.
Nordolo.
Notcari.
Notger.
Nothart.
Notkart.
Noting, Notinc.
Notmanc.
Nuno.
Nuorinc.

O.

Oadalpreht, Oadalperth, Odalbert.
Oadalger, Odalger.
Oadalgis.
Oadalhart.
Oadalheri.
Oadalman.
Oadalrih, Odalric, Oadalrihc, Odalrih.
Oager.
Oalo.
Oazo.
Obret, Opret, Operet.
Offinc.
Ofmar, Oftmar.
Ofteri.
Ohhari.
Ole.
Olleih.
Onger.
Opo.
Oreht.
Orfman.
Ortere.
Osirih.
Osmund.
Osui.
Otachar. Otacher, Othachar.
Otarih, Oterich.
Otcoz.
Oteram, Otram.
Otfrid.
Otger, Otker.
Otgis.
Othart.
Othelm.
Othere, Otheri.
Oti, Otih.
Otich, Oticho.
Oting.
Otini.
Otirih, Ottirih.
Olkoz.
Otleih.
Otmar, Ohtmar.
Otolf.
Otoloh.
Otolt.
Otpold.
Otpert, Otpreht, Otpret.
Oto, Oddo, Ootto, Otto.
Otuuar.
Otuuieh, Otuuih, Otuuich.
Otuuin.
Oudalkart.
Ouoto
Outbold.
Outo.
Ouuo, Ouuuo.
Ozo.

P.

Pabo.
Pald.
Paldarat.
Paldcoz.
Paldebert.
Paldeni.
Paldeuuart.
Paldeuuin.
Paldger.
Paldhun.
Paldmunt.
Paldolf.
Paldulf.
Palduuin.
Pallo.
Palthram.
Panzleip.
Panzo
Patacho.
Patarih, Paterich, Patirih.
Pathelm.
Pato.
Patocho, Patucho.
Pebo.
Peir.
Penno.
Penzo.
Peractolt, Perctolt, Perechtolt.
Peraholah.
Perahtarod.
Perahtfrid.
Perahtleih.
Perahtnad.
Perahtolf, Peratolf.
Perahtolt.
Perahtram, Peratram, Peretram, Perhtram.
Perahtro, Perahtroh.
Perahuuin.
Peranhart, Perenhart, Pernahrt, Pernhart.
Peratger.
Perchker.
Perehfrid, Perhfrid.
Perehgart.
Perehteni.
Perehtheri.
Perehterich.
Perehtolo.
Perelant.
Peremunt.
Perenbert.
Perenuuic, Pernuuic.
Perethart.
Perethelm.
Perethker, Pertger, Perithker.
Peretmar.
Peretolt.
Peretro.
Perichker, Pereker, Perihger.
Perihart.
Perniger, Pernrihc.
Perinrich.
Pernchram.
Pernelah.
Pernhelm.
Pernheri.
Pernolt.
Pernuuart.
Pero, Peroh.
Perolf.
Perrat.
Pertfred.
Pertolt.
Peruuart.
Petilo.
Petto.
Peugridi.
Pezzer.

*P*ezzo
*P*iccho.
*P*ico.
*P*iezi,*P*iezo.
*P*iligart.
*P*iligrim.
*P*illunc.
*P*ippin.
*P*iricho.
*P*irichtilo, *P*irhtilo, pirihcti-lo, Perihtilo.
piso.
plidger, plitker.
plidkoz.
plienunc, pleonunc.
podal.
podololf.
poldolf.
pollo.
pono.
poppo.
poran.
posso.
pougolf.
preicto
pronzo
prunnihelm.
pruninc, pruning.
prunnaht, prunnicht.
prun, pruno.
prunhart.
prunicho.
prunnihat.
prunram.
prunolf.
puabo, puobo.
pukilo
punico.
puocolo.
puolo.
purgo.
purghart, purcuuart.
purucuuart, puruchart.
purgolf.
purichinc.
pusto.
puto puoto.
puuo
puzzo.

Q.

Quillbret.

R.

RAchio.
Racholf.
Radini.
Raffolt.
Rafrid, Ragim.
Reginbald.
Reginolfo.
Ramfrid.
Rampert, Rambret, Rampret, Rambret.
Ramuolt.
Randolf.
Rannolf.
Rantuuic.
Rapholt.
Rasfolt.
Rasismi.
Ratamar.
Ratbald.
Ratbold.
Ratfrid.
Ratgaer.
Ratker.
Ratgis, Ratkis.
Ratgoz, Rathcoz.
Rathart.
Rathære, Rathere, Ratheri.
Rathelm.
Ratine
Ratinc, Ratinch.
Ratland.
Ratleich.
Ratmout.
Rato, Rathoh, Rado.
Ratolt, Rattolt.
Ratpert, Ratpret, Ratprath, Ratpreht.
Ratpoto.
Ratpure.
Razo.
Rechinolf.
Rechthart.
Recco, Reccho.
Reduuic.
Reginbern.
Reginbald.
Reginbold, Reinbold.
Reginbreht, *R*eginpret, *R*ekinpreht, *R*einbreht, *R*einbreth.
*R*eginfred, *R*eginfrid.
*R*eginger, *R*ekinker, *R*einger.
*R*eginhad.
*R*eginhart, *R*ekinhart, *R*eganhart, *R*einarnt, *R*ehinarht.
*R*eginhelm.
*R*eginhere, *R*eginheri, *R*einhere.
*R*eginmuat.
*R*eginmunt.
*R*eginho, *R*egino, *R*egilio.
*R*eginof.
*R*eginolt.
*R*eginleoz, *R*einloz.
*R*eginpoto, *R*eginboto.
*R*eginuuar, *R*eginuuart, *R*ekinuuart.
*R*eginuuih.
*R*eginuuiz.
*R*ehhart.
*R*eccho, *R*eicho.
*R*eifing.
*R*eizo.
*R*ekero.
*R*emminc.
*R*emint.
*R*enger.
*R*entio.
*R*etinc.
*R*ibolf.
*R*ibpolt.
*R*ichamar.
*R*ichart, *R*ichhart, *R*ichart, rihart, rihchart, rihhart.
richbeib.
rihchet.
rihchini, richini, richeni.
rihhere, richere.
richkis.
richkoz, richcoz, rihgoz.
richlich.
rihmund, richmunt.
richpert, rihbert, rihcpreth, rihpreht, rihpert.
richuuin.
rifine, rifuni.
riginuuar.
rihbern.
rihbold, rihcpold, ripold.
rihc.
rihcloz.
rihchlot.
rihfrid, ricfrid, rihfrit.
rihgaer, rihger, ricker, rihker.
rihinzo.
rihman, ricman.
rihnand.
rihoh.
riholf, rihcolf, ricohlf.
ripald.
rihram, ricram.
rihzog.
ringrim, rimgrim.
ringolt.
ripold.
riutinc.
rnene.
roh.
roadbert, rodbert.
roadgelt.
roadger.

Roadkis.
Roadmar.
Roadmunt.
Roadolf.
Roadolt, Rodolt.
Roaduuart.
Roaduuig.
Roadhoh.
Rodouuan.
Rodouuic.
Rofrid, Rohfrid.
Rohinc.
Roholf.
Rotram.
Ruachari, Ruochere.
Ruadachar.
Ruadaloh, Ruodolo.
Ruadarih, Ruadrih.
Ruadbo.
Ruadbrant.
Ruadcoz, Rudkoz.
Ruadeger, Ruadger, Raudker, Ruodeger, Ruodker, Ruodger.
Ruadhari, Ruadhere, Ruadheri, Ruodhere, Ruodhiri.
Ruadhart.
Ruadhelm.
Ruadho, Ruodho, Ruoho.
Ruadi, Ruodi.
Ruadinc, Ruadinch, Ruoding, Ruohinc.
Ruadingis.
Ruadini, Ruidini, Ruodini.
Ruadlant, Ruodelant, Ruodlant, Rudlant.
Ruadlouc, Ruodlouch, Ruoloug.
ruadman, ruodman.
ruadmar.
ruadmunt, ruotmunt.
ruadmuot.
ruadolf, ruodolf, rudolf.
ruadpald.
ruadpern.
ruadpert, ruadpret, ruodpert, ruodpret, ruopreht.
ruadpold, ruodpold, ruotpolt.
ruadpoto.
ruadram.
ruaduuig.
ruaduuin.
ruam, ruamo, ruom.
ruaftein.
ruatho.
rubo.
rumolt.
runzolf.
ruocilman.
ruodkanc.
ruotkid.
ruodleih.
ruodnand.
ruodoro, ruodoroh.

S.

Sadepreht.
Sahso, Sasso, Shasso, Sazo.
Salacho, Salocho, Salucho, Saluho.
Salefret.
Salaman.
Salomon, Salmon.
Saluuuo.
Samuhel.
Sandolf.
Sanuuel.
Sarailo.
Saraman.
Saro.
Saxo.
Scalchili.
Scalcho.
Scalcoman.
Sciri.
Sconolf.
Sconrat.
Scrot.
Scrutolf, Skrutolf.
Sefrit.
Selbo.
Selbolf.
Sello.
Seliger.
Selpert.
Seluuich.
Sentper
Sibraht.
Siccart.
Sicger, Sikger, Sikker.
Sigebert, Sigipret, Sigibert, Sikibreht, Sikipret.
Sigeboto, Sigebote.
Sigerat, Sigirath.
Sigibold, Sikibold.
Sigifreh, Sigiurid, Sigofrid.
Sigihalm, Sigihelm, Sichelm.
Sigihart, Sikihart.
Sigilant.
Sigileig, Sikeleihc
Sigilo.
Sigimar.
Sigimunt.
Sigiram, Sikiram, Sigoram.
Sigirih.
Sigiuuic, Sigiuuich, Sigiuuig.
Sigiuuin, Sigeuuin, Sigoin.
Simo.
Sindarat.
Sindini.
Sindolt.
Sindpert.
Sino.
Sitili.
Sito.
Siuui.
Sizo.
Skerfolt.
Slauganzo, Slouganzo, Slougenzo
Slougo.
Smido.
Smidirat.
Snagar.
Snelger.
Snelman.
Sneuuart.
Snuppo.
Soltan.
Sounkart.
Spiligern, Spilinger.
Spranco.
Staceo.
Staracho, Starcho.
Starachfrid.
Staraolf.
Starcheri, Starhere, Starheri.
Steigunt, Sejung.
Steinhart.
Stephan, Steuan, Steuen.
Stillolf.
Striterim.
Subar.
Sueidolf.
Suin.
Suno.
Sufelin.
Suuap, Suab.
Suuabinc.
Suuabizho.
Suuabolt, Suabolt.
Suuarzilah.
Suuendolf.
Suuidker, Suihtger, Suuuitker.
Suuidirih.
Suuindpret.
Suuolinzo.
Suzzo.

T.

Taca.
Tagabreht, Tagapreht, Tage-

Tagepret, Tagabrhet, Tagapret.
Tagafrid.
Tagamar.
Tagebold.
Tagirih.
Taranhart.
Taſſo, Tatto.
Teico.
Tello.
T.uolf.
Tezlof.
Thancho, Tanco.
Thancherih.
Thancholf.
Thancmar, Thangmar.
Thanhherre.
Thanhlind.
Thraſo.
Thraſamunt.
Thraſolt.
Thegan.
Theganhart, Thegenhart
Theganhere.
Theganmar.
Theganpold, Theginpold.
Thenohilo.
Thennant.
Theot, Theatho, Theoto, Thieto, Thioto.
Theotaroh.
Theotbert, Theotpreht, thietpert, Thiepret.
Theotchan, Thiotcanc.
Theorelant, Thodilant, Thiodalant.
Theofrid, thiatfrid, thietfrid, thofrid.
theotker, theoker.
theothad
theothael.
theotali.
theotheri, theithere, thiechere.
theotherih, theothirih, thiotirih, thiorihc, thiorich, tieterich, tieterihc, tehtrich.
theotgis, thiotkiſt.
theothart.
theothun.
theotinc, theoting, thiotinc, theotinch, thietingc, thietinch.
theotini, thiotine.
theotman, thiotman.
theotmar, tiethmar.
theotolf, thietolf.
theotholoh, thiotholohc, theitoloh, thieteloh.
Theodolt, thiodolt.
theotram, thiottram, theitram, thetram.
theotuuic.
thidolt.
thiedacger.
thienuuih.
thieotinginht.
thiepo.
thiepold, thietpold, thiotpold.
thiethelm, thithelm.
thingolt.
thiomar.
thiotcrim.
timo, thimo, thiemo.
Tiſo, thizo.
Tomnogo.
Toro.
Toſti.
Toto, Totto, Tuto, Tuato, Tuoto.
Totleib.
Totocho.
Tougolf, thougolof, Tuogolf,
Toutilo.
Touuuolf.
Tuguman.
Tunach.
Tuni.
Tutarn.
Trageboro.
Trucolf.
Truago, Truogo.
Truetolf, Truhtolf, thruotolf.
Truhudheri, Thrudheri.
Trudmunt.
thrudpert.
Truhtcoz.
Truoch.
Truotuuin.
Trutman.
Truto.
Truuko.
Thruunt.
Truutbold.

V.

VAclibod.
Vadal.
Vadalbert, Vadalbreht.
Vaddalfrid.
Vadalger, Vadalker.
Vadalheri.
Vadalrich.
Vadilhold.
Valderu.
Vaſtolf.
Vato.
Vdaleimb.
Veltnot.
Verinker.
Vgebold.
Vielm.
Vichart.
Vit.
Vnarg.
Vnceiz.
Vnco.
Vndabret.
Vndolf.
Vndolf.
Vnen.
Vntrid.
Vnolf.
Vnpert.
Vnroh.
Vnruach.
Vnſtrut.
Vnuoraht.
Vnuualz.
Vnuuan.
Vodal.
Vodalbert.
Vodalger.
Vodalrich, Vodilrich, Vodalrihc, Vuodalrich.
Vodilloz.
Vodolez.
Vogo.
Volchard.
Volcmar.
Voluil
Vothuuin.
Votilo, Vtilo,
Voto, Vto, Vtto.
Vozo, Vzzo.
Vrolf.
Vrſinat.
Vrſo.
Vſſo
Vtinheim.
Vulrat.
Vulrich.

Vu.

VVaceleiph.
Vuachar.
Vuacarolf.
Vuachere, vuachiri.
vuacho, vuahcho.
vuading.
vuadio.
vuago.
vuagulf.
vuaido.
vualah.
vualafrid.

vualai-

vualaicho, vualach, vualaiho, vualahicho.
vualarih.
vualdbert, vualdpret, vualtpreht
vualtfrid, vualtifrid.
vualdger, vualdgaer.
vualdhart.
vualdhere, vualtheri.
vualdman.
vualdo, vualto.
vualdrad.
vualdram, vualdhram.
vualdrih, vualtric.
vuallo.
vuallod.
vualrauin.
vualtan, vualtant.
vualteloh.
vualteri.
vualtolf.
vuanathere.
vuanbret.
vuandi.
vuanger.
vuanig.
vuanilo.
vuaninc.
vuano,
vuantalmar.
vuarger.
vuarinbert.
vuarnulf.
vuarmunt.
vuarmuot.
vuarto, vuaratto.
vuatleib.
vuatto, vuazo.
vuecel, vuecil.
vueglenzo.
vueidiman, vueideman.
vueitheri.
vuelant.
vuelf.
vuelfart.
vuentil
vuendilrich, vuentilrih, vuentilrihc.
vuendirih.
vuenilo.
vueolant.
vueololf.
vuerant, vueriant.
vuerdo.
vuerdolf.
vuerihart,
vuerilant.
vuerimunt.
vuerin, vuerni
vuerinbald.
vuerinbolt.
vuerinboul.
vuerinbreht, vuerinbraht, vuerimbert, vuerinpret, vuerinpreht.
vueringis.
vuerinhari, vuerinhere, vuernhere, vuerhere.
vuerinnolt.
vuetti.
vuialant, vuielant, vuiolant.
vuialber.
vuichart, vuichhart, vuigart, vuighart
vuichelin.
vuichelm.
vuicger, vuichger, vuigher.
vuichere, vuichiri, vuichere.
vuiching.
vuichpreht.
vuichram, vuicram.
vuicili.
vuicman, vuigman, vuihman.
vuico, vuicho, vuigo.
vuielrat.
vuihfrid.
vuigent.
vuignant.
vuigo.
vuigolf.
vuillibald.
vuillibert.
vuillibold, vuillipold.
vuilliboto.
vuillicanc.
vuillifrid.
vuilligis.
vuillihart, vuillehart, vuillohart.
vuillihelm, vuillehelm, vuilhelm.
vuilliheri.
vuillihoh.
vuillimunt.
vuillinant.
vvuilliram, vuilleram.
vuilliric, vuillerihc.
vuillold.
vuillof, vuillof.
vuilman.
vuilltilt.
vuilo.
vuimar.
vuini.
vuinid.
vuinibald.
vuinidolf.
vuinidolt.
vuiniger.
vuinikis.
vuinihart, vuinehart.
vuinihheri.
vuiniman, vuineman.
vuinemar.
vuinemunt.
vuinipreht.
vuiniram, vuineram.
vuinitheri, vuinithiri, vuinthiri.
vuinizo.
vuinterhere.
vuipald.
vuipraćt.
vuirant, vuirent, vuirint, vuiront.
vuirdin.
vuirdinc.
vuirnhart.
vuisegoz.
vuiserich, vuiserihc, vuisirihc
vuitaram.
vuitbert, vuitpret.
vuitfrid.
vuitheri.
vuitichint, vuidukind.
vuitigauuo, vuitigauo, vuitigouuo.
vuitili.
vuito, vuyto.
vuitold.
vuitolf.
vuitroh.
vuofceiz.
vuofcoz.
vuofdrg.
vuofhart.
vuofnand.
vuoffo.
vuofolt.
vuolafrid, vuolfrid.
vuolahmunt.
vuolaram.
vuoldpret.
vuoldrham.
vuoleman.
vuoleram.
vuolfcrim.
vuolfdregi, vuolfdrigi, vuolfdreki, vuolfdrige.
vuolffrid.
vuolfgan, Vuolfang, vuolfkanc, vuolfkang.
vuolfger, vuolfker, vuolfgær, vuolfkeri.
vuolfgis.
vuolfgoz.
vuolfhach.
vuolfhad,

vuolf-

Vuolfhelm.
Vuolfhart.
Vuolfheri, Vuolfhari.
Vuolfho, Vuolfhoh.
Vuolfhun.
Vuolfine.
Vuolffleoz, Vuolflioz.
Vuolfinan.
Vuolfmar.
Vuolfmunt.
Vuolfmuot.
Vuolfnand.
Vuolfolt.
Vuolfpald.
Vuolfpero.
Vuolfpold.
Vuolfprant.
Vuolfpuot.
Vuolfram, Vuolfrham Volfharam, Vuolfarran.
Vuolfrat.
Vuolger, Vuolker, Vuoleger.
Vuolharn.
Vuolkelohc.
Vuolmar.
Vuolpern, Vuolpero.
Vuolpret.
Vuoluarich.
Vuoluarn.
Vuolueni, Vuoluene.
Vuoluinch.
Vuoluo.
Vuoluolt, Vuoluuolt.
Vuoluurat, Vuoluarat, Vuoluuerat.
Vuoluuini, Vuoluini, Vuoluoin.
Vuoluuoro.
Vuuorat.
Vuldar.
Vulderich.
Vulfrihc, Vuluirih.
Vullemar.
Vulliperto.
Vulterat.
Vunemunt.
Vurmger, Vurumger.
Vurmhere, Vurmheri.

X.

XPictan, Xpiftan, Xriftan.

Y.

YDalpert.
Yge.
Ymmezo.
Ymmili.
Ymmo.
Yring.
Yfanhart.
Yfinrich.

Z.

ZEito, Zeizo.
Zeizman.
Zeitmuat.
Zeizpod.
Zeizpold.
Ziolo.
Zokeno.
Zolli.
Zollo.
Zotan.
Zuco.
Zuiual.
Zuppo.

CAPUT II.

DE NOMINIBUS PROPRIIS MASCULINIS IN ALAMANNIA CURIENSI ET BURGUNDIONENSI.

A.

AAron.
Abel.
Abfalon, Abfolon.
Abundus.
Acmarus.
Adalaldus.
Adalardus.
Adalbaldus.
Adalbertus, Adelpertus.
Adalchix.
Adalcrimus.
Adalgaudus, Adalgodus.
Adalgelmus.
Adalhartus.
Adalmandus.
Adalmarus.
Adalradus, Adalratus.
Adalramnus.
Adalfoab.
Adalulfus, Adalufus.
Adam.
adebertus.
adelmus.
adilleodus.
adjutor.
ado.
adoinus.
adrebaldus.
adrepertus.
adrianus.
adroaldus.
agambertus.
aganfredus.
agaxomo.
agemodus.
agenelmo.
agenus.
agibertus.
agilaldus.
agilbertus.
agimo.
agimundus.
aginaldus.
agio, ajo.
agioaldus.
agipertus.
agiprandus.
agletramnus.
agloaldus.
agnifredus.
aideramus.
ailbertus.
airaftus.
Airbertus
Alafius.
Alaricus.
Albericus.
Albinus, Alpinus, Alboinus.
Albolus.
Alcarius.
Aldo.
Aldolenus.
aledramnus.
alexander.
alfredus.
aloit.
alparius.
alpertus.
alpinus.
amabilis.
Amalbertus, Amalpertus.
amalerius.
amalgerius.
amalguinus.
amalricus, amalrius.
amator.
ambrofius.
amelius.
amelongus.

Ande-

Andemarius.
Andreas.
Andrepertus.
Anduſtrius.
Angelmarus.
Angelbertus, Angilpertus.
Angilramnus.
Amlo.
Anno.
Anoinus.
Ansbaldus.
Anſegarius.
Anſelmus
Anſeramus.
Anſericus.
Ansfredus.
Anshelmus.
Anſigiſus.
Anſoaldus, Anſaldus.
Anspertus.
Antenor.
Antianus.
Antonius
Apollinaris, Apollenaris.
Appo.
Archembertus.
Ardepertus.
Ardoicus.
Ardoinus.
Argenteus.
Arialdus.
Arideus.
Arifredus.
Arigiſus.
Arimo.
Arimodus.
Arimundus.
Ario.
Aripertus.
Armatus.
Arnaldus, Arnoaldus.
Artimius.
Aſculfus.
Aſedeus.
Aſo.
Ato.
Audace.
Audagarius.
Audatrus.
Auderatus.
Auderiſius, Auderiſſius.
Audibilis.
Audilus, Audilius.
Audini.
Audo.
Audoaldus
Audomarus.
Audradus
Audulfus.
Aufilus.
Aufredus.
Auſuſus.
Auguſtus.
Auguſtinus.
Aviramnus.
Aulerius.
Aulmo.
Aunart.
Aunoaldus.
Avo.
Aurelianus, Arilianus.
Auſtrepertus.
Autbertus.
Autelmus.
Autenus.
Auteramus.
Autpaldus.
Autringus.
Auzo.
Azo.

B.

Badicho.
Baldierius
Baldradus
Baldo, Baldus.
Barbatus.
Barontius.
Bartholomeus.
Barutto.
Bavo.
Beatus.
Beleſarius.
Benardus.
Benedictus.
Benignus.
Berarius.
Beremardus.
Berenardus.
Bernardus.
Bericho.
Berigianus.
Beringerius.
Bernegarius.
Berningus.
Bernualdus.
Bero.
Beroldus.
Berſianus.
Berthartus.
Bertelandus.
Bertemundus.
Berthelmus.
Berthfredus.
Berteſuſus.
Berto.
Bertoaldus.
Bertoinus.
Bethleem.
Betto.
Blanca.
Blatgildus.
Blatgiſus.
Blidaldus.
Bobolenus, Boblinus,
Bonanus.
Bonarius.
Bonebulus.
Bonellus.
Bonoaldus.
Bonoſus.
Bonus, Bonnus, Bonno.
Briccius, Brictius.
Bruningus
Bruno.
Bubo.
Burcuardus.
Buruualdus.

C.

Calippius.
Calvus.
Caramannus.
Caripertus.
Carus.
Caſſianus.
Catto, Gaddo, Gatto.
Chriſtianus.
Chriſtoforus, Griſoſtoforus.
Chuonradus.
Chuſtaffus.
Clemens.
Codobertus, Cotabertus, Godopertus, Gotpertus.
Columbus.
Conſtantius.
Conſtantinus, Cuſtantinus.
Corvulus.
Cozbertus, Cozpertus, Cauzbertus, Gauſpertus, Gozpertus.
Creſcentius.
Cunipertus.
Cunzo.
Cuſtolus.

D.

Dacilus.
Dadramnus.
Dagipertus.
Dagoaldus.
Daguinus.
Dairicus.
Damianus.
Danihel.
David, Danuid.
Dazolus.
Demetrius.
Deodatus.
Deodemarius.
Deſiderius.

Deus

Deus dedit.
Dignentius.
Dignus.
Dionisius.
Dodo.
Dodoaldus, Dodaldus.
Dodoinus.
Domigisus.
Dominator.
Dominicus, Domnicus.
Domninus.
Domnolus.
Donatus.
Dono.
Donusdei.
Dragutius.

E.

EBeruuinus, Heberuinus.
Ebo, Hebo.
Ebolus.
Ebregaudus.
Ebroaldus, Hebroaldus.
Ebroinus, Hebroinus.
Echo.
Effrem.
Egilholfus
Eginolfus.
Eigilo.
Eilardus.
Elenus.
Elisardus.
Eltramnus.
Eluuinus
Emmardus.
Enericus
Engilbaldus, Ingilbaldus.
Engilgarius.
Engo, Ingo.
Eodo.
Eotkarius.
Epelinus.
Epiphanius.
Erchanaldus, Erchanoldus.
Erchanbodus, Ercambodus.
Erlebertus, Herlebertus.
Erlicho.
Erloinus, Herloinus.
Ermaldus, Hermoaldus.
Ermenbertus.
Ermenfredus, Ermenfritus, Hermefredus.
Ermengaudus.
Ermenholfus.
Ermenmarus.
Ermennolfus.
Ermenradus.
Ermenricus.
Ermoinus.
Esau.
Evo.
Euraldus.
Eurardus.
Eusebius.
Exsuperatus.

F.

FArabertus.
Faroaldus.
Farulfus.
Faventius, Fahentius.
Faustus.
Faustinus.
Felix.
Filemarus, Filimarus.
Firmatus.
Flavinus.
Flenus.
Flodomarus.
Florentius.
Florinus, Floroinus.
Folcuuicus.
Folcuuinus.
Fontianus.
Formonsus.
Fortis.
Fortius.
Fragibertus.
Frambertus.
Framierius.
Framnaldus.
Fratellus.
Fredegaudus.
Fredepertus.
Fredericus
Fredegisus, Fridegysus, Fretgisus.
Fridubertus.
Frisius.
Frodaldus, Frodoaldus.
Frodinus, Frodoinus.
Frotbertus.
Frotgarius.
Fulcardus.
Fulcherius.
Fulchradus, Fulcradus.
Fuldoinus.
Funteianus.
Fuscarinus.
Fuscolus.

G.

GAbrichel.
Gaddo, Gatto, Catto.
Gaidaldus.
Gaido.
Gaidoriffius.
Gaipertus.
Gairisius.
Gairradus.
Gaisulfus.
Garaldus.
Gardulfus.
Garibernus.
Garifusus.
Garimundus.
Garipaldus,
Garipertus.
Garuinus.
Garus.
Gaudemundus.
Gaudentianus.
Gaudentinus.
Gaudiosus.
Gaudius.
Gaufredus.
Gaugenus.
Gausarius.
Gausoaldus.
Gautselmus, Gozhelmus.
Gautsinus, Gautsinius.
Gauzmarus.
Gauzuuinus, Gauzhuinus.
Gedeon.
Geminianus.
Geminus.
Georgius.
Geraldus, Giraldus.
Gerardus.
Gerbertus.
Gerhartus.
Geribaldus.
Germanus.
Gerradus.
Getramnus.
Gisbehardus.
Giselbrandus, Gisalbrandus.
Gisemarius.
Gisemundus.
Gisepertus.
Gislardus, Gisleardus.
Gislarius.
Gislebertus.
Gisledrammus, Gisledramnus.
Giso.
Gisulfus.
Giuardus.
Godofredus, Cotefridus.
Godemarius.
Godolbertus.
Godulfus.
Gomedeus.
Gotharius, Gottharius.
Gouulfus.
Gramandus.
Grasulfus.
Gregorius.
Grimaldus, Grimoaldus.

Grim-

Grimbaldus.
Grimuinus.
Grinepertus.
Grifelisfius, Grifellissius.
Gumbaldus, Gumpaldus
Gumoaldus.
Gundbernus.
Gundefredus.
Gundelasfius.
Gundepertus, Gundbertus.
Gundo.
Gundoldus.
Gunipertus, Gunpertus, Gumpertus.
Guntarius.
Guntelmus.
Gunteramus.

H.

HAdapertus, *H*adebertus.
*H*aimo, *H*eimo.
*H*alaquinus.
*H*ardoenus.
*H*ardonus.
*H*ardradus.
*H*aregarius.
*H*aribrantus.
*H*artbertus.
*H*artgarius.
*H*eistaldus.
Helferichus.
Helias.
Helidoldus.
Hello.
Helmoinus.
Helmoradus.
Hemnogius.
Herericus.
Herfo.
Heribertus.
Hericus.
Herlebertus.
Hermedeus.
Hermefredus.
Hermenpertus.
Hermoaldus.
Heroldus, Heroaldus.
Hieronimus.
Hildebertus, Hiltepertus, Ildepertus.
Hildebrandus.
Hildegaudus, Hiltegaudus.
Hildelaicus.
Hildolfus.
Hiltepaldus, Ildepaldus.
Himmo.
Hirminmarus.
Hisinbaldus.
Hitto.
Hodilardus.
Honoratus.
Honorius.
Hoto.
Hroadolfus.
Hrothardus.
Hrotholdus.
Hucbertus.
Hudo.
Humbertus.
Hunfanger.
Hunfridus, Humfridus.
Hunlaifus.
Hupertus.
Hupoldus.

I.

IAcobus.
Ianuarius.
Iesunave.
Ildegarius.
Ildendsius.
Ildoinus.
Imelpertus,
Imenaldus.
Immolatus.
Ingibertus.
Ingilbaldus, Engilbaldus
Ingilbertus.
Ingilo.
Ingilramnus.
Inginaldus.
Ingo, Engo,
Innocentius.
Infarius.
Iobius.
Iobutio.
Iohannes.
Iohannacis.
Ionathan, Ionathas.
Iosephus.
Iovianus, Iuuianus.
Irmegausus.
Isaac.
Isendeus.
Isingaudus.
Isnardus.
Iulius.
Iulianus,
Iuo.
Iustinus.
Iustinianus.
Iustolfus.
Iuventius, Ioventius.

K.

KErhardus,
Kislaus,

L.

LÆtus.
Lampertus, *L*anpertus, *L*antbertus.
*L*amisius.
*L*andamarus.
*L*andefredus, *L*andifritus.
*L*ando.
*L*andolinus.
*L*anduinus.
*L*aunepertus.
*L*aurentius.
*L*aurentinus.
*L*azarus.
*L*eo.
*L*eobarbus, *L*eobardus.
*L*eopertus.
*L*eontacis.
*L*eontinus.
*L*eotaldus.
*L*eutgarius.
*L*euthardus, *L*iuthardus, *L*iuthartus,
*L*isolfus.
*L*itorius.
*L*itramnus.
*L*iudepertus.
*L*iudoaldus.
*L*iudulfus.
*L*iutharius, *L*iutarius.
*L*iutefridus.
*L*iuto.
*L*iutoldus.
Liutpertus.
Lonicho.
Luce lus.
Lucerius,
Luituinus.
Lupedeo.
Lupentius.
Lupicinus.
Lupoaldus.
Lupus.

M.

MAcharius.
Machinarius.
Macus.
Madalgarius.
Madaluuinus.
Maganardus.
Maganharius, *M*agenarius.
Magemfredus.
Magirinus, Magerinus.
Magnipertus, Magipertus.
*M*agnus.
*M*ainus.

*M*ai-

Mainuuarcus.
Maiorinus.
Maismodus.
Manifritus.
Manipertus.
Marcellinus.
Marcfredus.
Marcradus.
Marcus.
Marcuuardus.
Marifredus.
Marinus.
Marquinus.
Martinus.
Maſtalus.
Mathfridus.
Matlebertus.
Maurellus.
Maurentius.
Mauricius, Maricius, Maurice.
Maurus.
Mazedus.
Maximus.
Meginarius, Meginharius.
Meleſus.
Mengolus.
Mercurius.
Meroltus.
Milianus.
Miniſterianus.
Milo.
Miro.
Mizo.
Morbertus.
Moyſen.
Munifredus.

N.

NAnzo.
Natalis.
Nauto.
Nazarius.
Nectarius.
Nennus.
Nicodemus.
Nihardus.
Nivo.
Nonnoſus.
Nordbertus, Nortepertus.
Notingus.

O.

ODacrus.
Odalricus, Odulricus.
Odilulfus.
Oſtmarus.
Olifius.
Opilio.
Optatus.
Oſmundus.
Otbaldus.
Otelmarus.
Otgarius.
Otlehardus.
Otramnus.
Otto, Odo, Hoto.

P.

PAcificus.
Parchualis.
Paſchalis.
Paſſivus.
Patilo.
Paulicius.
Paulinus.
Paulus.
Peredeo.
Perialdus.
Perinharius.
Pernoldus.
Peroaldus.
Perhtharius.
Perhtrihus.
Perſus.
Perſianus.
Petrus.
Petronacis.
Piccius.
Placidus.
Plenus.
Popus.
Poſſulfus.
Poto.
Potilo.
Poſſo Pozo.
Præjectus.
Præſtantius, Preſtanzo.
Primorius.
Probus.
Provinus.
Projectus.
Pruningus.
Purchardus.
Puricio.
Puzennus.

Q.

QVintus.
Quintianus.
Quintillius.
Quintilianus.

R.

RAceo, Recho.
Radaldus.
Rado, Rato.
Radoinus, Raduinus.
Raganardus, Ragenardus, Raginardus.
Raganbaldus.
Raganbertus.
Ragembodus.
Ragemfredus.
Ragenarius.
Ragenholdus.
Raginaldus.
Raginpaldus, Ragibaldus.
Ragibertus, Ragipertus.
Raidulfus.
Raino.
Rambertus.
Raſpertus.
Ratbaldus.
Ratelmus.
Ratgildus.
Ratgiſus, Rotgiſus.
Ratpertus, Radepertus, Ratbertus, Rotpertus.
Rato, Rado.
Ravengarius.
Recco, Recho, Racco.
Rectugus.
Reginbaldus.
Reginbertus.
Reginfredus.
Reginhardus.
Remedius.
Remegiſus.
Revogatus.
Richardus, Ricardus.
Richelmus, Rihelmus.
Richinzo.
Ricpertus, Rihpertus.
Rimpertus.
Rinharius.
Riquinus.
Rodaldus, Rodoaldus.
Rodemarius.
Rodemundus.
Roderadus.
Rodericus.
Rodingus.
Rodoraucus.
Rodouuinus, Roduinus.
Rodulfus.
Romanus.
Romolus.
Rorgus.
Rotbarnus.
Rotchildus.
Rotgarius, Rothgarius, Rotcarius, Rotgerius.
Rotgiſus, Ratgiſus.
Rotgrimo.
Rotpertus, Rothbertus, Ratpertus, Ruadpertus.
Rotprandus.
Rubinus.
Rugo.
Rumoldus, Rumoaldus.
Ruodelandus.
Ruothmanus.

Ruſti-

Rusticus.
Rusticianus.
Ruumbertus.

S.

Sabbatius.
Sadragarius.
Saifardus.
Saifedenus.
Salomon.
Samuhel.
Sanarius.
Sanctolus.
Saramannus.
Saruinus.
Sauaricus.
Saxunus.
Scalcho.
Scolasticus.
Secundus.
Secundinus.
Sedulius.
Senator.
Senoaldus.
Seraphim.
Seuerus.
Sichelmus.
Sidrac.
Sigifredus.
Sigilaus, Sigilauus.
Sigimarius, Sigemarus.
Sigipertus.
Sigiprandus.
Sigleramnus.
Sigoaldus, Sigualdus.
Sigoinus, Siguinus.
Silvanus.
Silvester.
Simeon.
Simpertus.
Simplicius.
Sindenandus.
Sindulfus.
Sieloinus.
Sistemarius.
Solvanus.
Stabilis.
Stadaldus
Stadalpertus, Stadelpertus, Stadepertus.
Stargolfus.
Statolus.
Stephanus, Stefanus.
Stratarius, Stradarius.
Strato.
Stauegisus.
Suaipertus.
Suavius.
Sundo.
Superantius.
Susannus.

T.

Talasius.
Tanca.
Tato.
teodaldus.
teodelabius.
teodemarius, thietmarus.
teodemundus.
teodepertus.
teoderadus.
teodericus, thiotericus.
teoderisius.
theodignus.
teodo, theoto, thieto, todo, toto.
teodolfus, teotulffus.
teodoinus.
teodomus.
teodorus.
teopertus.
teotardus.
teoterius.
theotgaudus, theutgaudus,
teotgrimus, theotcrimus, teutcrimus.
theotinus.
theutarius.
thomas, tomas.
tertiolus.
teufredus.
teuspaldus.
teutilo, tiberius, thiperius.
toto, todo, teuto.
totila.
thruso, thriuso.
trutgaudus, trutguudus.
turingus.
turpengus.

V.

Valentius.
Valentinus.
Valerius.
Valerianus.
Venerandus.
Venerius.
Venutianus.
Victor.
Victorinus.
Vigilius.
Vigilantius.
Vincentius.
Vindemialis.
Vindepertus.
Vitus.
Vitulus.
Vitalis.
Vitabilis.
vitalianus.
viventius.
vndolfus.
vnierius.
vnrocus.
vodalherius.
vrsus.
vrsacius, vrsarcius.
vrsemarius.
vrsicinus.
vrsingus.
vsingus.
vtto.

Vu.

Vagulfus.
Vualafredus, vualahfredus.
vualahus.
vualcarius.
vualcaudus.
vualdiricus, vualdricus.
vualdo.
vualmarius.
vualtarius, vualtharius.
vualthelmus.
vualtpertus, vualpertus.
vualthramus, vualdramnus.
vualloth.
vuanbaldus.
vuandaricus.
vuandrierius.
vuaningus.
vuanilo.
vuansto
vuaratto.
vuarinbertus.
vuarinus.
vuarnegausus.
vuarnepertus.
vuarno.
vuerimbertus.
vuerinharius, vuernarius.
vuerulfus.
vuichardus.
vuicpaldus.
vuigo.
vuigradus.
vuilia
vuillibertus, vuilipertus.
vuillihartus, vuilehardus.
vuillihelmus, vuillelmus.
vuillimannus.
vuillimarus, vuilmatus.
vuincausus.
vuinidolfus.
vuinifredus.
vuinigisus.
vuinipaldus.

Vuinitherius.
Vuipaldus.
Vuitcarius.
Vuiteratus, Vuitradus.
Vuitlaicus.
Vuito.
Vuitramnus.
Vuolfaldus.
Vulfingus.
Vulfinus.
Vulfhardus.
Vulforacus, Vulforaus.
Vulmarus.
Vultegisus.
Vultpertus.
Vuolfhelmus.
Vuolframmus, Vulframnus.
Vuolpertus, Vulpertus.
Vuoluoinus.
Vuordannus.

Y.

YMmo.
Ymnus.

Z.

ZAcharias.
Zacheus.
Zino.
Zogono, id est Christianus.
Zoppo, Zuppo.

CAPUT III.

DE NOMINIBUS PROPRIIS FEMININIS IN ALAMANNIA TEUTONICA.

A.

ABa.
Abarhilt, Aberhilt, Abirhilt.
Abezuuib.
Ada.
Adal, Adala.
Adalben.
Adalbrinc, Adalbrin, Adalpirin.
Adalbrun.
Adalbuch
Adalcart, Adalgart, Adalkart.
Adalchon.
Adaldech, Adaldek.
Adaldiu, Adaldiuu, Adaldhiu.
Adaldmot.
Adalfrit.
Adalgik.
Adalgis.
Adalheid.
Adalheim.
Adalheint.
Adalhilt, Adalcilt.
Adalinta
Adallind.
Adalleiz.
Adalliub.
Adalog, Adaillog.
Adalni, Adalniu.
Adalpuruc Adalpurug, Adalburg, Adalburuc.
Adalrat.
Adalruod.
Adalsada.
Adalsind.
Adaluuit.
Adaluuar.
Adaluui.
Adaluuib.
Adaluuic, Adaluuich, Adaluuig, Adaluuih, Adaluuihi.
Adaluuif.
Adalsuuith.
Adaluuiz.
Adelene.
Adelthrud.
Adepurc.
Adtha.
Agana.
Agnesa
Alachilt.
Alagund, Alahcund.
Alahilt.
Alahsind.
Alaliub.
Alaruna.
Alassind.
Alba.
Albacunt, Albagund, Albegund.
Albe.
Albine.
Albolt.
Albund.
Albheid.
Albrich.
Albsind, Alpsind.
Alburg.
Alderit.
Alekeruuich.
Alfsuind.
Alle.
Alluc.
Alphilt.
Alpdrud.
Altegund.
Altgart, Altchart.
Altcart.
Altebrig, Altepric.
Altilind.
Altsind.
Amaldrud.
Amallind.
Amalrat, Amulrat.
Amalsin.
Amalthruth.
amulberg.
amulburg.
anaualt.
anna.
anshilt.
anspirc, anspric.
ansteig.
anstrat.
anthuge, ansthugi.
apa.
arbirn.
arbun.
asa.
aslind.
aspirin.
asquid.
athalburug.
arha, atta.
athala.
atilifil.
atudachuond.
aua, auu.
averhilt.
azela.

B.

BAba, Baua.
Balsind.
Berahtheth.
Berehtrat, Berhtrat.
Berahtrud, Berthdrud.
Berhath, Berhta, Berata, Berchta.
Berinsuith.
Bernlind, Berehlind, Berilind.
Bernsuith, Bernsuuith.
Berolog.

Ber-

Bertani,
Beıratgund.
Berhtgart.
Berthild.
Bertſuuith.
Bia,Biia,
Bieta.
Bılegart,Bilikart, Blidkart, Blidcart.
Bilidrud.Blidrud.
Biriı.
Brigid.
Brunfrid.
Brunhilt.
Burichinc.

C.

CArtud.
Caſtrat.
Ceizila.
Cello.Ceizlind.
Cerburcch.
Cheba.
Chotenza.
Chunca,Chunza.
Chunibric.
Chunibruch.
Chunidrud.
Chunıgund,Chunicund.
Chunıpret.
Chunzin.
Cilia.Cilina.
Clifimuot, Clifmot, Clifmuot.
Coldbirig,Coldpric.
Coldine.
Coma.
Comedrud,Comitrud.
Comela.
Comifind.
Cooſſind,Coozſind.
Cootlind, Cotilind, Cotalind.
Cotafind.
Coteni, Cotini.
Cotesdiu, Coteſthiu, Coteſtiu.
Coteuuar.
Cotta.
Couuerih.
Cozdrud.
Cozniu.
Cozolt.
Cozpric.
Cozuuib.
Crimhere.
Crimhilt,Criemhilt.
Chriſtin.
Cululant.
Cumpold.

Cundarat,Cunderat.
Cundfrit.
Cundheri.
cundhilt.
cundine,cundene.
cunding.
cundleib.
cundlind.
cundpiric.
cunduni.
cundſint,cuntſind.
cunduuar.
cunſnit.
cunza,cunca.
cuota,cuata.
cuotarat,cuoterat.
cuotchind.
cuotila.
cuotpret.
cuotuuina.
cyſala.
cyſilſind.

D.

DEganhilt.
Deitila.
Deoſind.
Detula.
Diata.
Dietgund.
Dietprich.
Dihotrud.
Diothilt.
Dimuot.
Dingunda.
Diurra.
Driuuua.
Drudhilt.
Drudhoh.
Drudmunt.
Drudpreht,Drudpret.
Druſun.
Duirra.
Duoda.

E.

EBerlind.
Ecebrut.
Echanburc,
Ekkeburg,Ecceburg, Eckeburuc, Ecgiburc, Egkeburg, Egiburc, Ekkeburch, Ekkeburc, Eckipurc,Egiburc.
Edilla.
Edillied.
Eggufta

Egilind.
Egina,Eginun,Ekina.
Eiga.
Eila.
Eillid.
Eilſuind.
Eiluui.
Eilſuith.
Einrih.
Einſuuid.
Ekkidruda.
Ekthrud.
Ekkileih.
Ekſuith.
Elehilt,Ellenhild.
Ellenheid.
Ellenſind.
Eliſind.
Elia.
Elidpirch.
Elina.
Ellenbold.
Ellinbric.
Ellinburc,Ellenburc, Ellinpurc, Ellanpurc, Elanpuruc.
Ellingart,Ellinuuart.
elinis.
ellinſuind.
eliſabeth.
eliſint.
eliſmo.
elındrud.
emdrud.
emheid.
emhilt,emmilt.
emia.
emma.
emiſa.
enburc.
encheelub.
enda.
endrud.
endhrud.
engila.
engilbold,enkilbold.
engılbirg, engilbric, engilbrich, engilpiric, engilbirit,engilberc.
engilburc, engilbruc, engilpurg
engildiu,engildio.
engildrud, engildrut, engildurd.
engilfrit,engelurit.
engilgart,engilcart.
engilger,engilker.
engilheid.
engilhere.
engilhilt,engihilt.
engilmuat,engelmuot, engilmot.
engilmund.

Engilome.
Engilprhet.
engilrat,enkilrat.
engilrih.
engilſind,enkilſind.
engiluuib.
engiluuic.
engiſnuot.
engiza.
enzela.
eramburg.
erchana.
erchanhilt,erchinhilt.
erchanmot,erchanmuat.
erchanpric.
erchanrat.
erchanſind.
erchena.
erchendrud.
ercheneid.
ereſnit.
erferat.
erflind.
erlene,erlini,erleni.
erlhild.
erich.
erliud,erlieb.
ermenlind,ermellint.
ermingart.
erminburg.
erminſind,erminſindi.
errige.
eta.
etich.
ettila.
eva.
euarhild.

F.

FAslind.
Faſta
Faſtarat.
Faſtburc, Faſpurc,
Feginhilt.
Felhin.
Filhid.
Filla.
Flois.
Floraſind.
Folehili.
Folehlind.
Foleſind,Folchſind.
Foleſuith, Foleſuuith, Folkſuith,Folſuith.
Folcuuic.
Folmuot.
Folrat.
Folchuuar.
Frecholt.
Frenkin.
Freumot.
Freuuihilt.
Freuuimunt.
Freuuirat,Freuuerat.
Fricundo.
Frida,Frita.
Fridaburg
Fridagart, Fridikart , Fridecart,Fridigart
Fridelind,Fridilind.
Frideburg, Fridebure , Fridiburc,Fridaburuc,Frithaburg.
Fridehelm.
Fridehere.
Friderat.
Friderun, Fridorun, Fritharun,Fridurun.
Fridilind.
Fridiliuba.
Fridine,Fridini,Frideni,Fridiniu,Friduni.
Fridthiri.
Frihgunt.
Frila.
Frituuif.
Frouuilt.
Frumolt.
Fruniu.
Fuarhild.

G.

GAganuuart.
Gaſtart.
Gebilind.
Geila.
Geilſind.
Geiluuich.
Geiluuird.
Gelduni.
Gelmod.
Gelunda.
Genia.
Gepa.
Gerberg,Gerbirc.
Gerbruo.
Gerenta.
Gerine,Gerene.
Gerhilt,Gerhild
Gerlind.
Gerleip
Germunt.
Gerniu.
Gerſind.
Gerſuuith,Gerſuith.
Gerthruth,Gerdrud.
Geruuentila.
Geſa,Geza.
Geſtlind
Geua.
Gezuuib.
Giſa.
Giſabric.
Giſala,Gisla.
Giſalmuot.
Giſelburc.
Giſelhere,Giſalheri.
Giſilſind.
Gliſima.
Gliſmot.
Gomadrud, Gomedrud, Gomodrud.
Gotadrud.
Gotalind, Gottelind , Gotlint.
Gotaſilt.
Gotaſind.
Grimhilt,Grimhilte.
Guadalſada.
Gunderaht, Gundarat, Gunderada, Gunderat, Gundrada.
Gundine.
Gundpiric,Guntbric.
Gunza.
Guota,Guoto.
Guterun.

H.

HAba.
Hacecha.
Hadaloug.
Hadaburc, Hadeburg.
Hadelburc.
Hademuot.
Haia.
Haiburch.
Haldilſin.
Hamedhec.
Hamithioh.
Harterat,Hartarat.
Hashilt.
Haslind.
Hatha.
Hathamod,Hadamuot.
Hatuuig,Hathuui, Hathuuui, Haduui.
Hazechint.
Hedepurg.
Hegana.
Heidini.
Heilburc, Heilpurc, Heilburh.
Heildrud.
Heilgart,Heilkart.
Heilmunt.
Heilrat.
Heilſint,Heilſind.
Heiluuic.
Heima
Heimila.
Hekeburc.
Helemlog.
Helen.
Heleſint.
Helidine.

Heli-

Helidlind.
Helidniu.
Helidor.
Helinger.
Heliuuih.
Helchart, Helkart.
Helli.
Hellibrug.
Helmſuuith, Helemſuuith.
Heluuic.
Hemhilt.
Hemma.
Hendrud.
Hengilrat.
Henhart.
Hercha.
Hereloup.
Heribert.
Heribold.
Heriburg, Heriburc.
Heribirch, Heribiric.
Herigund.
Herilind.
Heriſind, Heriſint.
Heriſuuith.
Hermenrat.
Herminburch.
Heroſta.
Hertinc.
Hildigart, Hildilgart, Hildilguart, Hildiuuart.
Hildilind.
Hildimod.
Hildiſuuid, Hildiſuuith.
Hiltrud, Hiltrut, Hildruth.
Hilt, Hilta.
Hiltebolt.
Hiltelind.
Hilterat, Hiltirat, Hiltrat.
*H*ildirat.
*H*iltheid.
*H*ilteuuih.
*H*iltiburch, *H*iltiburg, *H*iltipurt, *H*iltipurc, *H*iltebruch, *H*ildiburc, *H*iltiburch, *H*iltiburuc, *H*ilteburc, *H*ildipuruc.
*H*iltibrich, *H*iltibirc, *H*iltibric, *H*iltibirig, *H*ildibirg.
*H*iltidiu, *H*iltithiu, *H*iltethiu, hiltidhiu.
hiltikart.
hiltigunt, hildigunda.
hiltila.
hiltiſid, hiltilind.
hiltimunt.
hiltinee.
hiltipret.
hiltipric.
hiltilind.
hiltiuuart, hildiuuara.
himildrud, hilmildrud.

hirburc.
hirminuuic.
hirminſind.
hisburg.
hislind.
hitila.
hitta.
hizela.
hoburg.
holcuuiſind.
holog.
horindil.
hoſuuith.
hotnihu.
hottrudh.
hruadigart.
hruodſuuid.
hugeſin, hugeſind, hugiſind, huguſind.
hugila.
hugirat.
humburg.
hunaca, huneka, hunuca.
hunhilt.
hunkis.
huoching.
huodilſind.
hufeburg.

I.

IBo.
Iburc, Iburuc.
Ida.
Idaburch.
Iema.
Ihltibrith.
Iltikart, Ilhegart.
Imiza.
Imma
Imuuich.
Iob.
Irimbrig, Irinbric.
Irmburg, Irnburg, Irburg.
Irimbruc, Irimburg, Irimburuc.
Irmina.
Irminbiric, Irminburg, Irminburuc.
Irmindiu.
Irmingart, Irminkart.
Irmingund.
Irminhilt, Irminkelt.
Irminrat.
Irminſind.
Irminuuiar.
Iſanburg, Iſanburug.
Iſanbirg, Iſanbirc, Iſanpirihc.
Iſangart, Iſenkart.
Iſanbere.
Iſanhilt.

Ita.
Itaros.
Itaroht.
Itis.
Itisburg, Itisburc.
Iudit, Iuditta, Iuthitta, Iudenta, Iudinta.
Iunzela.
Iuto, Ioto.
Iuzuuih.

K.

KEbedrud.
Kebehilt.
Kebero.
Kebeilt.
Kebene, Kebini, Kebine.
Keila.
Keilſind.
Keiluuih.
Kepa.
Kerbirn.
Kerbold.
Kerbirg, Kerbirih, Kerpric, Kerbrig, Kerbrich, Kerbric, Kerpirihc.
Kerburch, Kerburg, Kerbrug.
Kerhart.
Kerhilt.
Kerhuge.
Kerlind.
Kermunt.
Kerni, Kerniu, Kerniua.
*K*errat.
*K*erſind.
*K*eruui, *K*eruuic.
*K*eſtin.
*K*eylrat.
*K*eza.
Kilint.
*K*iſa, *K*yſa, Kiſala.
Kiſalbiric, *K*italbric.
*K*iſaldrud, *K*iſuldrud, *K*iſildruth.
*K*iſalhilt, *K*iſilhilt.
*K*iſilmot, *K*iſilmuot.
*K*iſitta.
Kliſima.
Kliſmuot, *K*iliſmuot.
*K*rimhilt.
*K*riſa.
*K*uatila.
kunderat.
kundlind.
kunigart.

L.

LAntſcild.
Lantſind.

Lantſuith,Lantſuuith.
Lantine.
Lantolt.
Leota.
Liefbrun,
Lia.
Liba.
Liezeburch.
Lina.
Linuuiz.
Lipdrud.
Liubetaga.
Liutheru.
Lubine,Lubinei.
Liubirat.
Leubita.
Liublind
Liubniu.
Liubrich,Liubirih.
Liublind, Lipſind, Liupſind.
Liuduui.
Liuphilt.
Liupmot,Liupmuot
Liuta,Liota.
Liutberga,Liutpirga,Liutpiric,Liutpric,
Liutburg,Liutpurc.
Liuterat.
Liutgart, Liudgert, Liutkart.
Liuthad.
Liutheid.
Liuthere.
Liuthilt,Litthilt.
Liutine,Liutini.
Liutmod.
Liutſind,Liuhtſind.
Lupeh.
Luiſind.
Luzela.

M.

MAalbric.
Madabiric.
Madalhilt,Madalhilt.
Madalbirg.
Maganes.
Maganza.
Magin.
Magrih.
Mahaldrud.
Margund,Mathgund.
Maracholt.
Marahlind.
Math.
Mathilt.Mahthilt.
Magina.
Meginpurch,Meinburg.
Megindrud,Meinthrud.
Meginfrid.
Megingund.
Meginhilt,Meinhilt.
Meginrat.
Merabind.
Meridrud,Merithrud.
Merigart.
Merihilt,Merehilt.
Meriſind.
Meriſuuith.
Mezhilr.
*M*ilburch.
*M*ia.
*M*ima.
*M*ina.
*M*unigund.
*M*uniſind.
*M*uota,*M*uata,*M*oata.
*M*uotine,*M*ouune.
*M*uothup.
*M*yoza.

N.

NAmetele.
Nana.
Nendine.
Niurat.
Note.
Notiliub.
Nuata,Nuota.

O.

OAdallind.
Odae.
Odalhilt.
Odelib.
Oduui.
Olismod.
Onhild.
Oni.
Onnere.
Ortem.
Ortleob,Ortleip.
Osburg,Ospurc.
Osbirin, Ospirn, Ospirin.
Oſta.
Otgild.
Otarat,Oterat.
Otcund.
Otgilt.
Othelen.
Othere.
Otila.
Otine.
Otiric.
Otkilt,Otkelt.
Otkis.
Otlind.
Otmunt.
Otpirc,Otprig.
Otpurg,Otpurug.
Otſind.
Otrud,Othrud.
Otſuuith.
Otta,Ottcha.
Ottuuic.
Oudalurit.

P.

PAba.
Pachilt.
Paldarat.
Paldarich.
Paldhere.
Paldhilt.
Paldolt.
Paldſipd.
Palma.
Palthruth,Paldrud.
Pantarat.
Patild,Patehilt,Patihilt, Pathilt.
Pazmuot.
Pazuuil.
Pecchilt,Pechilt,Pechit.
Pegirin,Pegiri.
Pehralind.
Penza.
Peradcund, Peratcund, perahatcund, *P*eratgund, *P*erahtgund, *P*etechcunt, *P*erethcund.
*P*eradlind, *P*eratlind, *P*erelind, *P*eridlind, *P*erlint.
*P*erahni.
*P*erahtarat, *P*eratrat, *P*eritrat, *P*erehterat, *P*erchterat, *P*ercterat, *P*erehtrat.
*P*erahtuuiz.
*P*erahtkart, *P*eratcart, *P*erhtkart, *P*ercart, *P*erehkart.
*P*erana.
*P*etangart.
*P*eratfrit.
*P*erathculind.
*P*eratſind, *P*eraſſind, *P*erafind, *P*erechſint, *P*erenſind, *P*eriſind.
*P*ercliup.
*P*erehſuind.
*P*erechhuot.
*P*ercliup.
*P*erehteni.
*P*erehchilt,*P*erihthilt.
*P*erehtheid,*P*eretheid, perhtheid.
*P*ertha,*P*erchta,*P*eretha, *P*erecta,*P*erechta, *P*erhtta, *P*erahta.
*P*erthdrud,*P*erihtrud.
*P*ernſuid,*P*erenſuuith.

Peza,

pezá,pezela.
piccho
pildo.
pirin,pirina,pirinna.
piliza.
pliddrud, plithrud, pilidrud, piledrud.
plidhilt , plidhil , pilihilt. pilihilt.
plidkart, plidgart, pilegart piligart.
plidmoot,plidmuot.
pliderat,pilerat.
pluoma.
polla.
porinlind
pornin.
pruna,Brunin.
prunihild,prunnild.
purgarat,purgerat.
purhlind,purglinda.
purigund.
purihniu.
purucca.

R.

Rachel Racheil, Rachilt.
Raganuuih.
Ramdrud,Randrud.
Rantuuig. Rantuuic.
Ratprich,Ratpric, Ratpiric, Rathirg.
Ratburg,Ratpurc,Ratpurch, Ratpuruc.
Ratthrud,Ratdrud.
Rakilind.
Ratgozza.
Ratheid.
Rathilt.
Ratila.
Ratinza.
Ratker.
Ratlind.
Ratſuuind,Ratſuuint.
Recchö,Recchio.
Rechilt,Rehhilt
Redburg,Redpurch.
Regil.
Regimbert.
Regimbold.
Regin.
Reginburc,Regimburc, Reginpurc , Reginburg , Reginpruc,Reginburch.
Regindrud,Reginhrud.
Regintrit.
Regingart,Rekinuuart,Rein gart.
Reginhere.
Reginhilt.
Reginleib.
Reginlind,Reginlint.
Reinginlia.
Rekinlind.
Reginlohc.
Reginolt.
Reginſino.
Reginuui.
Reierin.
Reimod.
Reinbolt.
Reindrud.
Reinſuid.
Reginuuiz
Regingund.
Reodolf.
Rettua
Richart,Richcart , Ricgart, Rickart.
Richilt, Rihchilt, Rihilt, Rihhilt.
Rihcund.
Rihcheid, Rihheid, Richeth.
Richere.
Rihfrit,
Richila.
Rihini, Richine.
Richenza, Richinza.
Richlind, Richlint , Rihlind.
Richmuot.
Richolua.
Richbirg , Ricpric , Rihprich.
Richpurg, Ricburg , Richpurc.
Richuuar, Richuuart.
Riederhilt.
Rienhilt.
Rihdrud, Riddrud , Ritrud, Rihcdrud.
Rihſind.
Ricpold.
Rimihilt.
Rimiſind.
Riumhilt.
Roiſint.
Roslind.
Roſmoth, Roſmuot , Rooſmuot, Roſmuat.
Rotſuuith.
Ruadachoma.
Ruadcart, Ruadgart , Ruadkart.
Ruadcund, Ruadeund, Ruadgunt.
Ruadine, Ruodine.
Ruadlind, Ruoadlind, Ruodlind.
Ruadmunt.
Ruadolt.
Ruadſind,Ruaſſind.
Ruadſuuid, Ruadſuind, Ruaſuuind.
Ruadrut , Ruaddrut , Ruadthrud , Ruodtrod.
ruaduuit,ruaduuart.
ruaduuig.
ruallind,ruollint, ruollind, rullind.
ruiſint.
ruoda.
ruoderat.
ruodheit,ruodheid.
ruodhilt , ruodhil , ruothilt.
ruodmuot.
ruodun.
ruomhilt,rumhilt.
ruoniu.
ruora.
ruotluc.
ruozza.
ruzela.

S

Sahſarih.
Sahlin.
Salme
Saraburc.
Sazza.
Sconburg, Sconburc, Skonburch.
Seburg,Seburch.
Segard.
Selba.
Selbuuilt.
Selidiu.
Seligund.
Sella.
Sicca,Sikka.
Sigefrid.
Sigeuuich.
Sigibold.
Sigibret.
Sigibric,Sikibirich.
Sigibruch,Sigiprug,Sigeburg Sigiburg , Sikiburg, Siginurc.
Sigidrud.
Sigiheid.
Sigihilt.
Sigilind.
Sigini,Siginihu,Siciniu,Sigeni Siginu.
Sindeni.
Sleta.
Staracha.
Starhilta,Starahilt.
Stillimuot.
Stillina.
Sunhilt.

Suona

Suona.
Suuabin
Suuabholt.
Suuaburc,Suauaburc,
Suuanabold.
Suuanahilt.
Suanburc,Suanabruc, Suuanaburc,Suuanburc.
Suuidburc,Suuidpurc,Suuidburch,Suitpurg.
Suuih.
Suuiza.

T.

Tagahilt.
Tannecha.
Teta,Tetta,Theta.
Tancharat,Tancherat.
Tanchilt.
Thancho.
Theleic.
Thelint.
Theodiſo.
Theota , Theotha, Thiota.
Theotbirg , Theotbirich, Theotbirc , Theotpric , Thietprigh , Thiotbrig, Thiotpric,Thiotpiric.
Theotila , Theatila, Thiotila.
Theothilda,Thiethilt.
Theotkid, Tiechit , Thiotkid.
Theotpret,Thiotpret.
Theotrat , Thoadrat, Thietrat,Thieterat,Thiotarat , Thioterat,Thiotrat, Theterat.
theotſind, theetſind , theitſind , thiatſind,thietſint , thiotſind.
thetniu,thietnuu.
thiaburg , thiadburg , thiatburg , thietpurch, thietburc, thiotpurc ,thiotpurug , thiotpurch , thietpurch.
thiaduuif.
thietcund.
thiedin.
thietfrid , thiotfrid , theotfrid.
thiotlind , thietelind , thiolind.
thiotuuar, thetuuart.
theituuar.
thothart.
thietuuib.
thieza.
thiezud.
thingund.
thiodinc.
thiotdrud,thiottrud.
thiotheid.
thiotine.
thiotuuic.
thrutburg.
thuomſind.
thuonlind.
tiemuot.
tietene.
tiezela.
tiſa.
tita.
tota,, totia , tuata , tuota, tuda,tuta.
triuuerat.
triutili.
troſtila.
trutlind,trhudlind , trudlint, trudlind.
truandrud.
trudcart.
truduuib.
trunſind.
truſun.
truta,thruda.
tumila.
tuna.
tunitach.
tuone.
tunza.

V.

Vadaldrud.
vadalhilt.
Vadalſind.
Vadilburc.
Vapur.
Vaſtpurg.
Vata.
Vatila.
Veinpurg.
Vfolrarth.
Vgeſind,Vgiſind.
Virdruth
Viſmuot.
Vmmila.
Vnceiza.
Vnda.
Vnforath.
Voda,Vota.
Vodalbric,Vodelbric.
Vodaldrud.
Vodalſind,volſind,
Vodalrat , Vodalraht , Volarat.
Vodalgart,vadalgart,
Vodaurid.
Votecha.
vromuot.
vna.

Vu.

Vuaduuart.
Vuala.
Vualafrid,vualtfrid.
vualdburg.
vualerat.
vualtila.
vuanpurg, vuampurc, vuanpurc vuanburg.
vuangart.
vualttrud.
vualdrad, vualtrat, vualterat, vualtarat.
vualſuuith,vualtſuuith.
vualtarat
vuaraburch.
vuaſipurug.
vuaſſind.
vualtuizo.
vuangart.
vuanrat.
vuarburc.
vuarrat.
vueala.
vuealdrud.
vueita.
vueldrud,vueltrud.
vuelilburc.
vuelbib
vuendilburg,vuentilpurc.
vuendilgart.
vuendillith.
vuendilmod , vuendilmuot.
vuendilſid.
vuendilſuith.
vuentila,vuendil
vueraht.
vuerhilt.
vuerekkio.
vuerinbret.
vuerinburg , vuerinburug.
vuerinhart.
vuerinſuith.
vuerolt.
vuetta.
vuia.
vuiba.
vuiberat.
vuichart.
vuikart.
vuichbirg.
vuichegunda.
vuichere.
vuihmuot,vuichmuot.
vuiclind.

vui-

Vuidrud.
Vuidpurc.
Vuialdrud, Vuieldrud.
Vuiela.
Vuielburg.
Vuigburg,
Vuigirat, Vuigerat.
Vuigiſud
Vuikſuuith.
Vuila, Vuilla.
Vuilburc, Vuilpurg, Vuilliburg, Vuilleburg, Vuilbruch, Vuilliburch, Vuilhbruch. Vuilliburc, Vuillipurg
Vuillibirch, Vuillebirch Vuillipiric, Vuillibirc, Vuillebrich.
Vuildrud.
Vuileca.
Vuilhara.
Vuilhere, Vuillere.
Vuillechoma, Vuillichoma.
Vuilligart.
Vuilligund.
Vuillihilt, Vuillehilt.
Vuillidrud, Vuillindrud Vuillendrud.
Vuillimot.
Vuillira.
Vuiliſind, Vuilliſind, Vuillaſind.
Vuilliſuuind.
Vuillita.
Vuilliza.
Vuilloges.
Vuinelind.
Vuinertha.
Vuingidiu.
Vuini.
Vuinidin.
Vuingarta.
Vuinilind.
Vuinirat.
Vuinitheri.
Vuinlich.
Vuiolgart.
Vuirat.
Vuirtun, Vuirtinna, Vuirtin.
Vuirund.
Vuiſſirihc.
Vuiterbñ, Vuiterat, Vuitrat.
Vuitila.
Vuitilt.
Vuitirh.
Vuito.
Vuitolt.
Vuitpurc.
Vuitſind.
Vuituuar.
Vuodilhilt.
Vuofeza.
Vuofker.
Vuola.
Vuolcilt.
Vuolchangart.
Vuoldrud, Vuoltſud.
Vuolemoot, Vuolomuot.
Vuoleſin, Vuoleſind.
Vuolfart.
Vuolfcart, Vuolfkart.
Vuolboto.
Vuolfdrud, Vuolfthrut.
Vuolfkelt.
Vuolfkund, Vuolfcund.
Vuolfliub.
vuolfperim, vuolfpirin, vuolfpruc, vuolfpurg, vuolbruch.
Vuolfrada.
Vuolfrid, Vuolafrid.
Vuolfſind.
Vuolfsuuid.
Vuolfine.
Vuolprin.
Vuolsleic.
Vuolverat.
Vuoluolt.
Vuona.
Vuuluila.

Y.

Yta.
Yminſind.
Ymma.
Ymmica.
Ymmina.
Yrimbrug.
Yrminhart.
Yſanbirc.
Yſangart.

Z.

Zeiza.
Zenza.
Zeta.
Zilia.
Zuozo.

CAPVT

CAPVT IV.

DE NOMINIBVS PROPRIIS FEMININIS IN ALAMANNIA CVRIENSI & Burgundionensi.

A.

Abba.
Adala.
Adalonia.
Agatia.
Agilenda.
Agina.
Agoneja.
Amata.
Amita.
Anduftria.
Anna.
Appa.
Aurelia.
Aurevera.

B.

Baltrudis.
Banha.
Beata.
Benedicta.
Bona.

C.

Cæcilia.
Calumniofa.
Chrifta
Chriftina.
Columba.

D.

Deodera.
Didyma.
Domnina.
Drufa.

E.

Echila.
Egiburga.
Egina.
Elena.
Elifabetha.
Emifa.
Engila.
Eugenia.
Exuperia.

F.

Faftarata.
Felia.
Flavia.
Florafinda.
Fonteja, Fontegia.

G.

Galla.
Genovefa.
Gentefima.
Gerenta.
Gifila.
Gotelinda.
Gregoria.
Guadalfada.

H.

Hata.
Honoria.

I.

Ianuaria.
Induftria.
Iuliana.

K.

Kifa
Kunigundis.

L.

Leonza.
Liba.

M.

Maria.
Materna.
Maxantia.

N.

Nonna.
Nota.

O.

Onerina.
Oportuna.
Ofanna.
Otarda.
Otilia.

P.

Paffiva.
Paulina.
Peregrina.
Pernanda.
Pia.

R.

Rachel
Reginelda.
Rofinda.

S.

Salua, Saluua.
Salvia.
Senatrix.
Sophia.
Silvana.
Sufanna.

T.

Teuperga.
Theodora.
Tota.

V.

Valentia.
Valentiana.
Vigilia.
Vincentia.
Vrficina, Vrfifina.
Vnda.

Vu.

Vualdrada.
Vuingunda.
Vuona.

FINIS.

ANTIQVITATVM ALAMANNICARVM

PARS II.

Complectens res Ecclesiasticas, quas Monachi appellant Interiores.

DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS.

REMEDIVS CVRIENSIS EPISCOPVS.

QVi & Remigius, unde vigesimus Curiæ Rhætorum Episcopus à Stumpfio numeratur Chronicor lib. 10. cap. 17. Ejus temporibus, anno videlicet DCCCXIII à nato Christo, venit in Rhætiam Curiensem, VVolfharius Episcopus Remensis à Carolo M. Imperatore missus ad constituendum judiciũ & appellationes, quæ intercessissent, Provincialium audiendas, ut auctor est Ratpertus cap. 5. Quo in conventu, aut vehementer fallor, aut injunctum fuit Remedio, ut Canones istos pro Ecclesiis Alamannicis, quarum sacerdotes versabantur in summa rerum divinarum ignoratione, colligeret, ut secundum eos in judiciis proporro decerneretur Vadianus existimat ab ipso VVolfhario præsentatos Imperatori, ab eoque vim Legis auctoritatemque accepisse. Non tamen ideo dicendus est optimus Imperator errores induxisse in Ecclesiam, si quos offendit vel pacis publicæ causa dissimulavit, vel scandali vitandi ratificavit, quum meliora edoctus non pauca alia immutaverit, ut rerum gestarum monumentis proditum est.

B. NOTINGVS CONSTANTIENSIS EPISCOPVS.

EPiscopus à Clero & populo appellatus est A D. DCCCCXIX. vitæ sanctimonia & probitate morum conspicuus Ideoque solus idoneus habitus, qui Conradi Altorffensis Comitis (qui Notingo postea in Episcopatu successit miraculorum fama in cœlos sublatus) vitam ac mores conformaret. Mortuus est A.D. DCCCCXXXIV. Prid. Idus Augusti. Ad ejus exsequias cohonestandas venit Vdalricus Episcopus Augustanus, summæ tum apud Alamannos existimationis & auctoritatis. Is justis funeri solutis, congregato populo imperavit triduanum jejunium, ut pro bono Episcopo, cujusmodi abstulisset, Deo Opt. Max. supplicarent, sicuti refert Stumpfius Chron li. 5 ca. 11. Ejus meminere Hepidannus in Annalib. Herimannus Contractus in Chron Tiufburgius in Ephimeridib. Additiones ejus una pariter cum bona Remedij parte excisæ mihi & furto abreptæ sunt.

SYMBOLVM ALAMANNICÆ ECCLESIÆ.

EIus Auctor ignoratur. Meminit Vadianus lib 2. ab eoque accepit & edidit Iohan. Stumpfius Chron li. 4. Sed valde mutilum & exspreta antiquitate. Nos ex ipsa membrana restituimus, sententia ejus quantum pote verbis Latinis expressa Est autem illud memorabile, quod in eo nulla fiat mentio *Descensus ad inferos*. Qua in re Alamannica Ecclesia consensit cum Græcis Latinisque vetustis, à quarum Symbolis non agnosci notant Doctores ad l. 2. C de Summa *Trinit.* & fide Cathol.

CONFESSIO ALAMANNICÆ ECCLESIÆ.

PRimus edidit cum Otfrydi VVissenburgensis Evangeliorum expositione Achilles Gassarus, cum interlienari explanatione Germanica Sed profecto doctus cætera vir, quid sibi vellent priscæ illæ voces, non quitus est intelligere. Nos & emendavimus pariter & Latinis verbis illustravimus.

LITANIA ALAMANNICÆ ECCLESIÆ.

HÆc est vera & germana Litania, in Ecclesiis Alamanniæ Curiensi, Sanct-gallensi, Constantiensi, Augiensi, &c. usitata, tempore Ludovici Iunioris, Regis Germaniæ, A.D. DCCCL.

DCCCL. Excerpſimus ex libro membraneo, qui illo ipſo ſæculo in Monaſterio S. Galli ſcriptus. Quod certò poteſt eſſe argumento, multis ſæculis poſteriorem illam eſſe, quæ Francofurti ad Mœnum in æde D. Bartholomæi oſtentatur. Et injuratæ vetuſtiſſimæ membranæ noſtræ plus credo, quàm centum juratis Latomis. Auctor in mundo eſt res ipſa. Quũ enim noſtra membrana ex Sanctis advocet tantum 34. Francofurtenſis autem amplius 540. prorſus mihi perſuadeo, quot Sanctorum numeris, totidem diſtare annorum ſæculis & Hludovici atque Emmæ nomina ab imperito liberario recenta fuiſſe.

BENEDICTIONES ALAMANNICÆ ECCLESIÆ.

DVplex erat apud Alamannos *Benedictio* Eccleſiaſtica, *Canonica* una, altera *Vulgaris*. *Canonica* dicebatur, quæ legitime & ex Canonum fieret permiſſione. Cujus generis erant benedictiones *Cerei, Cineris Martialis, Ignis Paſchalis*, & conſimiles. Vt jam nihil de Benedictionibus, quæ inſecutis temporibus inventæ, *Agni Paſchalis, Ignis Johannici*, *Vini Iohannici*, (ille Baptiſtæ, Evangeliſtæ memoriam iſthoc ajunt repræſentare) commemorem: ſuper quibus, ſi cui animus prurit, conſuli poteſt M. Ant Delrio Ieſuita Diſquiſition Magicar. libris. *Ferri, Ignis*, & *Aquæ* benedictiones primum introduxit innata Gentilium conſuetudo, confirmavit anilis ſuperſtitio, retinuit peſtilens ſimonia; quæ quid non & ſemper potuerunt & hodie poſſunt? Quas benedictiones ipſa Eccleſia partim tanquam frivolas & ſtultividas, partim ut impias & blaſphemas, jam pridem olim condemnavit. Vetuit etiam exſertis verbis Stephanus Papa c. 11 q. 5. c. *conſuluiſti*, & Innocentius III. cap *ſententiam*, 9. Ext. *Ne Cleri. vel Monach*. & cauſam reddit Honorius II., in cap. *Dilecti*, 3. Ext. de *Purgat. vulg*. quod in hoc judicio *Deus teſtari videtur*. Et benedictæ quidem aquæ probationem civilibus quoque legibus inhibitam ſcribit non contemnendæ auctoritatis IC. Bernardus Bononienſis in c. ult. Ext. de Probat vulg. In Francicarum, Alamannicarum, Langobardicarum Legum quibuſdam exemplaribus vetuſtis etiamnum probationes illæ reperiuntur, recte in nonnullis omiſſæ. Formulas benedicendi jam olim aliquas produxit Io. Aventinus in Annalib. Bior. lib. 4. & Iacob. Pamelius Ieſuita Lithurg lib. 2. in fine libri Sacramentorum Albini. Exſtant quidem non pauca apud Hiſtoricos exempla, quibus vel reatus fuit manifeſtatus, vel innocentia comprobata. Quæ vero qua ratione, quove pacto acciderint, non eſt noſtri inſtituti diſputare. Ea, cui lubido & volupe, petere poteſt à Franc. Hotomanno Diſputat. Feudal. 11. Iacob. Cujacio de Feudis li. 1. tit. 1. Durantio Caſellio variar lib. 2. cap. 1. Phil. Camerario Meditationum hiſt. Centur. 2. ca 18. Adolpho Scribonio Reſponſione ad examen ignoti patroni veritatis de purgatione Sagarum per aquam frigidam, Ioanne Euuich de Sagarum natura, arte, viribus & factis, & de notis indiciiſque quibus agnoſcantur, Ioan. Georgio Gœdelmanno de Magis, veneficis & lamiis, deque his recte cognoſcendis, & quem primo loco nominare debui, Antonio Delrio illis, quos dixi, libris.

FRATERNITATES ALAMANNICÆ ECCLESIÆ.

AVctor ſive conſcriptor potius non exprimitur. Olim in more inſtitutoque Monachorum fuit, ut minora Monaſteria confraternitates (ut loquuntur) cum celebriori aliquo Collegio inirent. Vſus earum erat, ut quotiens defunctus quiſpiam de conjuncto & ſociato Monaſterio, Collegio illi fuiſſet annuntiatus, pro eo mox fierent orationes, vigiliæ, miſſæ, diſciplinæ, & eleemoſynæ. Quas pari ratione ab aliis quoque pro ſe poſt obitum fore ſinguli expectabant. Erat inſuper hoc ſocietatis jus & conditio, ut advenientes ultro citroque non haberentur alieni, ſed tanquam domeſtici omnibus Charitatis (illorum verbo) officiis exciperentur. Nec ſolum Monachos, ſed & Laicos hujus fraternæ confœderationis, quam argento illis venumdare ſolebant, participes fuiſſe in his exemplis legimus.

ANNIVERSARII ALAMANNICÆ ECCLESIÆ.

NEque horum auctor atque collector eſt adſcriptus. Nortpertum Abbatem Anniverſariorum inſtitutorem etiam Tiuſburgius facit, aut quiſquis eſt Ephemeridum conſcriptor.

Atque ita dedimus rerum Alamannicarum corpus, tenue illud quidem, at integrum tamen & ſuis partibus (ut ſperamus) abſolutum. Quod vero non parva acceſſione craſſius & opimius reddere (ſi ex uſu videbitur) cibi melioris ſcriptorum. Interim hoc Marte contenti ſimus.


ALAMANNICÆ ECCLESIÆ VETERIS CANONES

EX PONTIFICUM EPISTOLIS EXCERPTI A REMEDIO CURIENSI EPISCOPO, IUSSU KAROLI MAGNI REGIS FRANCORUM ET ALAMANNORUM.

I.

DE LICENTIA CORPORIS DOMINI.

Ex epiſtola Clementis ad Iacobum Hieroſolimorum Epiſcopum.



ERTE tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore & tremore clericorum diligentia conſummentur. Qui autem reſidua corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant, nec putent ſanctæ portioni commiſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum funditur. Si igitur mane Dominica porrigitur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam conſumpſerint: & ſi tertia vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperam. Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt ſacramenta.

II.

DE VASIS SACRIS.

Ex eadem epiſtola.

DE vaſis ſane ſacris ita gerendum eſt: altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: quoniam non licet ea, quæ in ſacrario fuerint, male tractari, ſed incendio univerſa tradantur. Cineres quoque eorum in baptiſterium inferantur, ubi nullus tranſitus habeatur, aut in pariete aut in foſſis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Pallas vero & vela, quæ in ſanctuarij ſordidata fuerint miniſterio, Diaconi cum homilibus miniſtris intra ſacrarium lavent, non eiicientes foras à ſacrario velamina Dominicæ menſæ, ne forte pulvis Dominici corporis male decidat ſyndone foris delata, & erit hoc operanti peccatum: idcirco in ſacrario miniſtris præcipimus cum diligentia cuſtodire. pallæ in alia pelve laventur, & in alia vela.

III.

QVO LOCO CELEBRANDA SIT MISSA.

Ex epiſtola Clementis omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus miſſa.

HIc ergo, hoc eſt, in præſenti vita poſitos oportet vos agnoſcere voluntatem Domini, ubi & agendi & ſacrificandi eſt locus: quoniam in aliis locis ſacrificare & miſſas celebrare non licet, niſi in his, in quibus Epiſcopus proprius juſſerit, aut ab Epiſcopo regulariter ordinato tenente videlicet civitatem conſecratus fuerit. Aliter enim non ſunt hæc agenda, nec rite celebranda.

IV.

DE OBEDIENTIA EXHIBENDA EPISCOPIS.

Ex eadem epistola B. Clementis Papæ.

VOBIS, qui sacerdotio Domini fungimini & in speculo estis positi, plus scire oportet, ut subditos vobis populos pleniter docere possitis, eisque ad regna cœlorum ducatum præbere Domino annuente valeatis: vnde & ipsa per se veritas ait: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis*, & reliqua. Vestrum enim, qui legatione Domini fungimini, est docere populos: eorum vero est vobis obœdire ut Deo. Si autem nobis Episcopis non obœdierint omnes Presbyteri, Diaconi ac Subdiaconi, & reliqui clerici, omnesque Principes tam majoris ordinis quam & inferioris, atque reliqui populi tribus & linguæ non obtemperaverint, non solum infames, sed & extorres à regno Dei & consortio fidelium, à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Nam vestrum est eos instruere, eorum vero est vobis obœdire ut Deo, cujus legatione fungimini, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.*

V.

NIHIL ABSQVE LICENTIA EPISCOPI AGENDVM.

Ex eadem epistola inter cætera.

QVAPROPTER cunctis fidelibus & summopere omnibus Presbyteris & Diaconibus ac reliquis clericis attendendum est, ut nihil absque Episcopi proprij licentia agant. Non utique missas sine ejus jussu quisquam Presbyterorum in sua parrochia agat, non baptizet, nec quicquam absque ejus permisso agat. Similiter & reliqui populi majores scilicet & minores per ejus licentiam quicquid agendum est agant, nec sine ejus permisso à sua parrochia abscedant, nec in ea adventantes morari præsumant. Animæ vero eorum ei creditæ sunt: ideo omnia ejus consilio agere debent, &, eo inconsulto, nihil.

VI.

QVOD OMNIBVS BAPTISMVM PERCIPERE necessarium sit.

Ex epistola B. Clementis Papæ scripta Iulio ac Iuliano & reliquis consodalibus.

SIVE enim justus sit sive injustus, baptismum per omnia necessarium est. Iusto quidem, ut adimpleatur in eo perfectio & regeneretur Deo: injusto autem, ut peccatorum, quæ gessit, remissio concedatur.

VII.

BAPTIZATOS AB EPISCOPO CONSIGNARI debere.

Item ex eadem epistola.

OMNIBUS ergo festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est septiformem gratiam sancti Spiritus percipere, quia incertus est uniuscujusque exitus vitæ. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis spiritus gratia ab Episcopo, ut memoratum est, confirmatus, quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos sine necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit, ut habeat, quod à Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli percipiẽte Domino docuerunt: & demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem ejus, qui eum genuit, patris. Post hæc vero agnoscat Deum honorare. Honor autem ejus est, ut ita vivat, sicut ille vult: vult autem unumquemque ita vivere, ut homicidium & adulterium nesciat: odium & avaritiam fugiat: iram, superbiam, jactantiam respuat & execretur, invidiam quoque & cætera his similia penitus à se ducat aliena.

VIII.

VIII.

QVID CONFERAT AQVÆ BAPTISMVS AD DEI CVLTVM.

Item ex eadem epistola.

PRimo quidem quia quod Deo placuit impletur: secundo, quia regenerata ex aquis & *Deo* renovata fragilitas prioris nativitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum pervenire poteritis ad salutem; aliter impossibile est. Sic enim vobis cum sacramento verus Propheta testatus est dicens: *Amen amen dico vobis, nisi quis denuo renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.*

IX.

QVOD NON VBIQVE ET A SOLO SACRIFICANDVM SIT.

Ex epistola Anacleti Papæ scripta omnibus Episcopis cæterisque cunctis fidelibus.

DEo enim perfecte sacrificantes non debent vexari sed portari, consolari atque ab omnibus venerari. Ipsi autem quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Deo perfecte in sacratis Domino locis sacrificare probentur. Ait namque auctoritas legis divinæ: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco, quem elegit Dominus Deus tuus.* Episcopus *Deo* sacrificans testes, ut præfixum est, secum habeat, & plures quam alius sacerdos. Sicut majoribus honoris gradibus fungitur, sic majoris testimonij incrementatione indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut septem, aut V. aut III. *Diaconos*, qui ejus oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte & à tergo, & Presbyteri è regione dextra lævaque contrito corde & humiliato ac prono stent vultu, custodientes eum à malivolis hominibus & consensum ejus præbeant sacrificio.

X.

NON TOLLENDAS RES ECCLESIÆ.

Ex eadem epistola Anacleti Papæ.

ERgo qui Christi pecunias & ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum judicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.

XI.

DE ORDINATIONE EPISCOPORUM.

Ex epistola Anacleti Papæ scripta omnibus Episcopis Italiæ.

ORdinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia, sunt celebrandæ: qui simul convenientes scrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus precibus celebrent, & manus cum sanctis evangeliis quæ prædicaturi sunt imponentes *Dominica* die hora tertia orantes sacraque unctione exemplo Prophetarum & *Regum* capita eorum more Apostolorum & *Moysi* unguentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cujus virtus invisibilis sancto est chrysmate permulgata, & hoc ritu solemnem celebrent ordinationem. Quod si omnes simul convenire minime potuerint, assensum tamen suis precibus præbeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint. Porro & Hierosolimitarum primus Archiepiscopus B. Iacobus, qui Iustus dicebatur, & secundum carnem *Domini* nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo & Iohanne, Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantes formam eorum, ut minus quam à tribus Episcopis reliquisque omnibus assensum præbentibus nullatenus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.

XII.

DE ACCVSATIONE SACERDOTUM.

Ex eadem epistola.

ACcusatio quoque eorum, super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet: quia *Do*-

minus sacri sui corporis tractatores à vilibus & reprobis ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit: sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes à templo ejecit: unde liquet, quod summi sacerdotes, id est Episcopi, à Deo sunt judicandi, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi.

XIII.

DE QUERIMONIA CONTRA SACERDOTES.

Ex eadem epistola.

SI quis adversus Sacerdotes vel ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos recurrat caritatis studio, ut familiari colloquio commoniti ea sanent, quæ sananda sunt, & caritate emendent, quæ juste emendanda agnoverint. Si autem aliqui eos, priusquam hæc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minime absolvantur, antequam per satisfactionem condignam egerint pœnitentiam, quoniam injuria eorum ad Christum pertinet, cujus legatione funguntur.

XIV.

DE BIPERTITO ORDINE SACERDOTVM.

Ex epistola Anacleti scripta omnibus Episcopis & reliquis Christi Sacerdotibus.

SACERDOTUM fratris ordo bipertitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à Domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpit crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi vero Apostolorum, Presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui, sed Presbyteri per castella & modicas civitates atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni: Singuli tamen per singulos titulos suos. Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum nec nobis collati sunt, nec Apostoli docuerunt.

XV.

DE HIS, QVI PRÆLATOS CONTEMNVNT.

Ex eadem epistola.

NECESSE enim est, ut rectores à subditis timeantur, ab ipsisque corrigantur, ut humana formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Deteriores quippe sunt, qui doctorum vitam moresque corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Ipsi autem ea, quæ extra nos, licet nostra sint, auferunt: nostri quoque detractores & morum corruptores nostrorum sive qui adversum nos armantur, proprie nos ipsi decipiunt, & ideo juste infames sunt, & merito ab ecclesia extorres fiunt.

XVI.

DE HIS, QVI DOCTORVM CVLPAS PRODVNT.

Ex eadem epistola.

MVLTUM vero distant damna morum à damnis rerum temporalium: cum ista extra nos sint, illa vero in nobis. Sententia quoque Cham filij Noe damnantur, qui suorum doctorum vel præpositorum culpas produnt, sicut Chem, qui patris pudenda non operuit, sed ridenda monstravit.

XVII.

DE REPROBIS MORIBVS PASTORIS TOLERANDIS.

Ex eadem epistola.

DOCTOR autem vel pastor ecclesiæ si à fide exorbitaverit, erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quam distringendus, quia rectores ecclesiæ à Domino sunt judicandi, sicut ait Propheta: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Unde oportet unumquemque fidelem, si viderit aut cognoverit plebes suas adversus pastorem suum tumescere, aut clerum detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus

viribus extirpare, prudenterque corrigere satagat, nec eis in quibuscumque negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint, antequam suo reconcilientur doctori, præsumat: quoniam tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separentur.

XVIII.

QUOD EPISCOPUS SINE REGULARI MUTATIONE Ecclesiam suam non dimittat, nec ipse ab ea dimittatur

Ex epistola Evaristi Papæ scripta omnibus per Ægyptum Domino conglutinatis Fratribus.

SAcerdotes vero vice Christi legatione funguntur in ecclesia, & sicut ei sua est conjuncta sponsa, id est ecclesia, sic Episcopis junguntur ecclesiæ, unicuique pro portione sua. Et sicut vir non debet negligere uxorem suam, sed diligere & caste custodire & amare atque prudenter regere, ita & Episcopus debet ecclesiam suam. Et velut uxor, quæ sub manu est viri, obœdire debet viro suo, eumque amare & diligere, potius etiam ecclesia Episcopo suo in omnibus obœdire eumque amare & diligere ut animam suam debet: quia illud fit carnaliter, istud spiritaliter. Et sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est absque inevitabili necessitate aut Apostolica vel regulari mutatione, & alteri se, conjungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente eo matrimonio societ, ut eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed juxta Apostolum aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta, ita ecclesiæ non licet dimittere aut ab ea segregare Episcopum suum ut alterum, eo vivente, accipiat, sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est, ne alterum Episcopum, suo vivente, accipiat, ut fornicationis aut adulterij crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est si se alteri Episcopo junxerit, aut super se alterum Episcopum adduxerit, aut esse fecerit vel desideraverit, per acerrimam pœnitentiam aut suo reconcilietur Episcopo, aut innupta permaneat.

XIX.

NON INFAMANDUM VEL EIICIENDUM EPIscopum, aut alterum in loco ejus constituendum.

Ex eadem epistola.

AUdivimus enim, quosdam à vobis infamatos & dilaceratos Episcopos à civitatibus propulsos (quia alibi Episcopi constitui non possunt nisi in civitatibus non minimis) & alios in eis, ipsis viventibus, constitutos: ideo vobis scribimus, ut sciatis hoc fieri non licere, sed proprios revocari & integerrimè restitui debere. Illos vero, qui adulterina fœditate suas sponsas, quas & uxores eorum præfixo tenore esse intelligimus, tenent, ejici ut adulteros, atque infames fieri, eosque ab ecclesiasticis honoribus arceri jubemus. Si autem adversus eos aliquam querelam habuerint, his peractis inquirendum erit & auctoritate hujus sanctæ sedis terminandum.

XX.

NON TEMERE IUDICANDUM.

Ex eadem epistola.

DEus omnipotens ut nos à præcipitantis sententiæ prolatione compesceret, & cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifeste agnosceret, quæ dicebantur. Vnde ipse ait: *Descendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me, compleverint.* an non est ita ut sciam? Deus omnipotens, cui nihil absconditum est, sed omnia ei manifesta sunt etiam antequam fiant, non ob aliud hæc & alia multa, quæ hic prolixitatem vitantes non inseruimus, per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in discutiendis & judicandis negotiis essemus, & ne malum quorumquam prius præsumamus credere quam probare. Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam sententiam umquam præcipites simus, aut temere indiligenterque indiscussa quæque quoquo modo judicemus, dicente veritatis voce: *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*, & reliqua. Nam mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione quisquam umquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, ne præcipitando quiddam aliquis agat.

XXI.

DE SCRIPTIS VI EXTORTIS.

Ex epistola Alexandri Papæ omnibus orthodoxis scripta per diversas regiones.

AIT enim sic inter cætera : similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum aut fraudem aut per vim extortæ fuerint, velut se liberare possint quocumque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus, neque ullam eis infamiam vel calumniam aut à suis sequestrationem bonis umquam auctore domino & sanctis Apostolis eorumque successoribus sustinere permittimus: confessio vero in talibus non compulsa sed spontanea fieri debet.

XXII.

DE QUERELA CONTRA EPISCOPUM, VEL ACTOrem Ecclesiæ.

Ex eadem epistola.

SI quis erga Episcopum vel auctores ecclesiæ quamlibet querelam habere justam crediderit, non prius primates aut alios adeat judices quàm ipsos à quibus se læsum æstimat, conveniat familiariter non semel sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam accipiat aut excusationem. Si autem secus egerit, ab ipsis & ab aliis communione privetur tanquam Apostolorum aliorumque Patrum contemptor.

XXIII.

NIHIL PRÆTER PANEM ET VINUM AQUA MIxtum ad altare offerendum.

Ex eadem epistola Alexandri successoris Evaristi Papæ.

NON debet enim, ut à patribus accepimus & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in sua passione profluxisse dicitur. Ipsa vero veritas nos instruit calicem & panem in sacramento offerre, quando ait; *Accepit Iesus panem & benedixit deditque discipulis suis dicens : Accipite & manducate hoc est corpus meum. Similiter postquam cœnavit accepit calicem, dedit discipulis suis dicens, Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum,* Crimina enim atque peccata oblatis his Domino sacrificiis delentur: idcirco & passio ejus in his commemoranda est, qua redemti sumus, & sæpius recitanda atque hæc Domino offerenda. Talibus hostiis delectabit & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificiis majus esse potest quam corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est & pura mente consummanda atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est ceteris, ita potius excoli & venerari debet.

XXIV.

DE AQUA SANCTA SPARGENDA.

Ex eadem epistola.

AQuam enim sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua quæ sale aspersa divinisque precibus sacrata est populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacrata sterilitatem aqua sancta rerum & aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias Diaboli avertit, & à fantasmatis versutiis hominem defendit?

XXV.

XXV.

NON EIS COMMVNICANDVM QVI PERTVRBANT Sacerdotes.

Ex epistola supra scripta omnibus Episcopis constitutis per diversas regiones.

SI quis autem legationem vestram impedit, non unius sed multorum provectum avertit, & sicut multis nocet, ita à multis arguendus est & bonorum societate carendus: & quia Dei causam impedit & statum conturbat ecclesiæ, ideo à liminibus ejus arceatur, ab omnibus talis est cavendus, & non in communione fidelium usque ad satisfactionem recipiendus. Est enim statutum olim; *Is qui statum conturbat ecclesiæ ab ejus luminibus arceatur, nec cum fidelibus communicet qui eorum bona avertit.*

XXVI.

QUOD SCISMATICI APPELLENTUR QUI CUM Sacerdotibus non auxiliantur.

Ex epistola cuius supra.

QVi autem ex vestro collegio fuerit & ab auxilio vestro se subtraxerit, magis scismaticus quam sacerdos esse probabitur. *Ecce*, inquit Propheta, *quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Illi vero non in unum habitant, qui à fratrum se solatio subtrahunt, & quod deterius est, fratribus insidias præparant aut laqueos ponunt. Item post pauca: Nos ergo, qui discipuli Domini & dici & esse cupimus, portare crucem Christi & compati fratribus debemus, & non quascumque eis insidias aut foveas præparare: quia talionem meretur qui fratribus foveam parat. Nolite errare, fratres, quia Deus non irridetur. Hujus rei gratia vobis Dominus commisit ecclesiam suam, ut pro omnibus laboretis & cunctis oppressis opem ferre non negligatis. Vnde & Dominus per Prophetam loquitur dicens; *Iudicate mane judicium & eruite vi oppressos de manu calumniantis, ne forte egrediatur quasi ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.* Vos ergo qui in summo speculo à Domino constituti estis, attendere eos & opprimere oportet, qui in fratres seditiones & scandala excitant, ne simul cum eis pereatis.

XXVII.

QUOD SACRA VASA NON AB ALIIS QUAM A Domino Sacratis hominibus debeant contrectari.

Ex epistola Xixti successoris Alexandri Papæ scripta omnibus Episcopis.

COgnoscat sapientia vestra, carissimi fratres, quia in hac sancta Apostolica sede à nobis & reliquis Episcopis cæterisque Domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis quàm à sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est ut sacra Domini vasa quæcunque sunt humanis usibus serviant, aut ab aliis quam à DOMINO famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumtionibus iratus DOMINUS plagam imponat populo suo, & hi qui etiam non peccaverunt mala patiantur aut pereant, quia perit justus sæpissime pro impio. Attendite, fratres, ne talia vestris in ecclesiis permittatis deinceps fieri, ne grex precioso sanguine Christi redemptus in præcipitium, quod absit, ruat.

XXXVIII.

DE IEIVNIO VII. EBDOMADARVM ANTE PAcha à clericis observando.

Ex epistola Telesphori Papæ scripta omnibus Episcopis.

CRedimus sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam hanc tenere & hanc universis populis exponere, qui videlicet à constitutis Apostolorum eorumque successorum nulla ratione dissentiunt, per quos justum est ceteros erudiri. Quapropter cognoscite à nobis & cunctis Episcopis in hanc Apostolicam sedem congregatis statutum est, ut septem ebdomadas plenas ante sanctum pascha omnes clerici in sorte Domini vocati à carne jejunent. Quia sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conversatione, ita

ne, ita & in jejunio debet fieri discretio, & sicut laici & seculares homines nolunt eos recipere in inpulsationibus suis, quoniam in omnibus discreta debet semper esse & segregata vita & conversatio clericorum à secularium laicorum: & sicut hi amplius sunt applicati divinis cultibus & familiares dicuntur Domini Salvatoris, ita moribus & conversatione atque sanctitate debent esse distincti. Has ergo septem hebdomabas omnes Clerici à carne & delitiis jejunent, & hymnis & vigiliis atque orationibus Domino inhærere die noctuque studeant.

XXIX.

DE TEMPORE MISSÆ ET QUOD ANGELICUS Hymnus dicendus est solummodo tempore congruo.

Ex eadem epistola.

NOCTE vero sancta nativitatis Domini Salvatoris missas celebrent & hymnum Angelicum in eis solemniter decantent, quoniam eadem nocte ab Angelo pastoribus est nunciatus, sicut ipsa veritas testatur dicens; *Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis supra gregem suum, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos & timuerunt timore magno & dixit illis Angelus, nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus in civitate David, & hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio, & subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium; Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Reliquis autem temporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia eadem hora & Dominus crucifixus & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur. Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore & in loco in missarum solemniis recitandus est.

XXX.

NE ABSENS ACCVSETVR, ET QVI ACcusare non possint.

Ex eadem epistola.

ACcusatores vero & accusationes, quas leges seculi non admittunt, & nos submovemus. Accusatori omnino non credi decernimus, qui absente adversario causam suggesserit ante utriusque partis justam discussionem: nec hi qui non sunt idonei suscipiantur ad accusationem, & omnes qui adversus patres armantur infames esse censemus. Patres enim omnes venerandi sunt non respuendi ac insidiandi. Hi vero, qui cum inimicis morantur aut qui suspecti habentur, minime recipiantur: quia eorum æmulatio lacerat etiam innocentes. Hunc murum firmissimum statuerunt patres nostri & nos cum eis contra persecutores vestros, hoc remedio eorum pellantur machinamenta, & vos sanctiores & securiores famulari mereamini vestro Salvatori.

XXXI.

DE METROPOLITANIS UT NVLLUS ABSQVE COMPROVINCIALIVM EPISCOPORVM INSTANTIA Aliquorum audiat causas.

Ex epistola Ygini Papæ cunctis Apostolica fide & doctrina vigentibus scripta.

CEterum, fratres, salvo in omnibus Romanæ ecclesiæ privilegio, nullus metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas; quia irritæ erunt aliter actæ quam in conspectu eorum omnium ventilatæ, & ipse si fecerit coerceatur à fratribus.

XXXII.

QVO DIE PASCHA CELEBRETVR.

Ex epistola Pii Papæ scripta omnibus in fide & doctrina Apostolica manentibus.

CEterum nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominico annuis temporibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes Doctor fidei & scripturarũ fulsit inter nos. Et licet nos idẽ Pascha prædicta die celebraremus & quidã inde dubitarẽt, ad corroborãdas

das tamen animas eorum eidem Hermeti Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit & præcepit ei, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur tempore suo. unde & vos Apostolica auctoritate instruimus omnes eadem servare debere, quia & nos eadem servamus, nec debetis à capite quoquo modo dissidere.

XXXIII.

NE PRÆDIA ECCLESIASTICA ALIQUIS TOLLAT & suis usibus applicet.

Ex epistola cujus supra Italicis fratribus scripta.

AD sedem autem Apostolicam perlatum est, quod sint inter vos contentiones & æmulationes, & prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicent usibus, & Domino Deo cui tradita sunt ea subtrahant ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sibi secretorum cœlestium judicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt Clericos & Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addentes deteriores fiant, non intelligentes quod ecclesia Dei in sacerdotibus consistat & crescat in templum Dei. Et sicut qui ecclesiam Dei vastat ejusque prædia & donaria expoliat & invadit fit sacrilegus, sic & ille qui ejus sacerdotes insequitur sacrilegij reus existit & sacrilegus judicatur.

XXXIV.

QUOD NON SIT GRAVIUS PECCATUM FORNIcatio quam sacrilegium

Ex eadem epistola.

NOn ergo gravius peccatum est fornicatio quam sacrilegium. Et sicut majus est peccatum quod in Deum committitur quam quod in hominem: sic gravius est sacrilegium agere quam fornicari.

XXXV.

QVOD NVLLI ARCHIEPICOPI PRIMATES VOcentur nisi illi qui primas tenent civitates.

Ex epistola Annitij Papæ universis ecclesiis per Galliæ provincias constitutis scripta.

NVlli Archiepiscopi primates vocentur nisi illi qui primas tenent civitates, quarum Episcopos Apostoli & successores eorum regulariter Patriarchas vel primates esse constituerunt: nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem Episcoporum primates constitui. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates sed metropolitani nominantur.

XXXVI.

DE ORDINATIONIBVS EPISCOPORVM.

Ex eadem epistola cujus supra.

DE ordinationibus Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in spiritu præcessoris nostri Anacleti quædam jam decreta repperimus. Scimus enim B. Iacobum qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo & Iohanne Apostolis Hierosolimis Episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quàm à tribus Apostolus tantus vir fuit ordinatus, patet profecto eos formam instituente Domino tradidisse non minus quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere. Sed crescente numero Episcoporum, nisi necessitas intervenerit, debent etiam plures augeri, id est Archiepiscopus si obierit & alter ordinandus Episcopus fuerit, omnes ejusdem provinciæ Episcopi ad sedem Metropolitani conveniant, ut ab omnibus ipse eligatur & ordinetur. Oportet autem ut ipse, qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur & ordinetur. Reliqui vero comprovinciales Episcopi, si necesse fuerit, ceteris consentientibus à tribus jussu Archiepiscopi consecrari possunt Episcopis Sed melius est si ipse cum omnibus eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter consecraverint Pontificem Et licet istud necessitate cogente concessum sit, illud autem quod de Archiepiscopi consecratione præceptum atq; prædi-

prædictum est, id est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet: quia qui illis præest, ab omnibus Episcopis, quibus præest, debet constitui: sin aliter præsumtum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit ejus secus acta ordinatio.

XXXVII.

QVOD SACRATÆ DEO FOEMINÆ VEL MONAchæ sacra vasa vel sacratas pallas contingere & incensum circum altaria deferre non debeant.

Ex epistola Sotheris Papæ scripta Episcopis per Italiæ provincias constitutis.

SAcratas Deo fœminas vel monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere & incensum circa Altaria deferre perlatum est ad Apostolicam sedem: quæ omnia reprehensione & vituperatione plæna esse nulli recta sapientium dubium est. Quapropter hujus sanctæ sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditùs quanto citius poteritis censemus; & ne pestis hæc latius divulgetur per omnes provincias, abstergi diutissime mandamus.

XXXVIII.

QUOD BAPTISMUS TEMPORE PASCHÆ CELEbrandus sit Catholicis.

Ex epistola Victoris Papæ scripta Theophilo Episcopo.

CElebritatem sancti Paschæ die Dominica agi debere & prædecessores nostri jam statuerunt, & vobis illud eadem die celebrare solemniter mandamus: quia non decet ut membra à capite discrepent nec contraria gerant. A. XV. Mai vero luna primi mensis usque ad XXI. ejusdem mensis diem eadem celebretur festivitas. Eodem vero tempore baptismus celebrandus est Catholicis. Sed tamen si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocumque loco vel momento ubicumque evenient sive in flumine sive in mari sive in fontibus, tantum christianæ confessione credulitatis clarificata, baptizentur. Ipsis quoque quod in baptismo polliciti sunt summopere est adtendendum, ne infideles sed fideles inveniantur.

XXXIX.

QUOD INCONSULTO ROMANO PONTIFICE causæ Episcoporum non debeant diffiniri.

Ex eadem epistola.

EA vos judicare ad Apostolicam delatum est sedem, quæ propter nostram vobis diffinire non licet auctoritatem, id est Episcoporum causas. Vnde ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit ut accusatus vel judicatus à comprovincialibus in aliqua causa Episcopus licenter apellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se aut vicarios suos ejus retractari negotium procuret; & dum iterato judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur Episcopus: quoniam quãquam comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Pontifice permissum est.

XL.

EPISCOPORUM TESTES QUOT ESSE DEBEANT. & ne absens quisquam judicetur.

Ex epistola Zepherini Papæ scripta omnibus per Siciliam constitutis.

PAtriarchæ vel Primates accusatum discutientes Episcopum non ante sententiam proferant finitivam quam Apostolica fulti auctoritate aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur testes, qui minores non sint numero quã illi discipuli quos Dominus adjumentum Apostolorum eligere præcepit; id est LXXII. Detractores quoque, qui divina auctoritate eradicandi sunt, & auctores inimicorum ab Episcopali submovemus accusatione, vel testimonio. Nec summorum quispiam nec minorum accusationibus impetatur aut dispereat; neque in re dubia certa judicetur sententia, nec ullum judicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Absens vero nemo judicetur, quia & divinæ & humanæ hoc prohibet leges. Accusator autẽ eorũ omni careat suspicione, quia colu-

columnas suas Dominus firmiter stare voluerit non à quibuslibet agitari. Nullum namque eorum sententia non à suo judice dicta constringat, quia & leges seculi idipsum fieri præcipiunt. Duodecim enim judices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa juste judicetur: nec prius audiatur aut excommunicetur quam ipsi per se eligantur, & regulariter vocatus ad suorum primo conventum Episcoporum per eos ejus causa juste audiatur & rationabiliter discernatur. Finis vero ejus causæ ad sedem Apostolicam deferatur, ut ibi determinetur nec antea finiatur, sicut ab Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est, quam ejus auctoritate fulciatur.

XLI.

QUOD NULLUS EPISCOPUS PROPRIIS REBUS Spoliatus antequam suis revestiatur debeat ad judicia vocari.

Ex epistola cujus supra scripta fratribus per Ægyptum domino militantibus.

NUnciatum est enim sedi Apostolicæ per apocrisiarios nostros, quosdam fratrum nostrorum, Episcoporum scilicet, ab ecclesiis & sedibus propriis pelli, suaque eis auferri suppellectilia, & sic nudos & expoliatos ad judicia vocari: quod omni ratione caret, cum statuta Apostolorum eorumque successorum & præcepta Imperatorum ac constitutiones legum idipsum provideant, & Apostolicæ sedis auctoritas idipsum fieri vetet. Præceptum est ergo in antiquis statutis Episcopos ejectos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias accipere, & primo sua omnia eis reddi, & ita demum si quis eos juste accusare voluerit, æquo periculo facere judices esse decernentes, Episcopos recte sapientes & in ecclesia convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur, nec prius eos respondere debere quam omnia sua eis & ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.

XLII.

DE ORDINATIONIBUS.

Ex eadem epistola.

ORdinationes vero Presbyterorum & Levitarum tempore congruo & multis coram astantibus sollemniter agite, & probabiles ac doctos viros ad hoc opus constituite, unde horum societate & adjumento plurimum gaudeatis.

XLIII.

DE CONSPIRATIONE CONTRA EPISCOPOS.

Ex epistola Calisti Papæ scripta ad omnes Galliarum urbium Episcopos.

COnspirationum vero crimina vestris in partibus vigere audivimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare nobis mandatum est: cujus criminis astutia non solum inter Christianos abhominabilis est, sed etiam inter ethnicos & ab exteris lege prohibita. Et idcirco hujus criminis reos non solum ecclesiasticæ sed etiam seculi damnant leges, & non solum conspirantes sed & consentientes eis. Antecessores vero nostri quam plurima turba Episcoporum, quicunque eorum in sacerdotali ordine sunt constituti aut existunt clerici honore, quo utuntur, cadere præceperunt: cæteros vero communione privari, & ab ecclesia extorres fieri jusserunt, & non solum facientes sed eis consentientes.

XLIV.

EXCOMMUNICATIS NON COMMUNICANDUM.

Ex eadem epistola.

EXcommunicatos quoque à sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis in oratione aut cibo vel potu aut osculo communicet, nec ave eis dicat: quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicatione subjaceat. Ab his ergo & Clerici & Laici se abstineant, qui eadem pati noluerint.

XLV.

TERMINOS NON TRANSGREDIENDOS.

Ex eadem epistola.

NEmo quoque alterius terminos usurpet, nec alterius parrochianum judicare aut excommunicare præsumat: quia talis dijudicatio aut excommunicatio nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius judicis nisi sui sententia tenebitur aut damnabitur: Vnde & Dominus loquitur dicens; *Ne transgrediaris terminos antiquos.* Nullus autem Primas vel Metropolitanus diœcesani ecclesiam vel parrochiam aut aliquem de ejus parrochia præsumat excommunicare vel judicare, aliquidve agere absque ejus consilio vel judicio. Sed hoc observet quod ab Apostolis ac patribus & prædecessoribus nostris est statutum & à nobis confirmatum, id est, si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extra aliquid agere temptaverit, gradus sui periculo subjacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de provincialium Episcoporum causis eorumque ecclesiarum & clericorum atque secularium necessarium agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu provincialium agatur Pontificum, non aliquo Dominationis fastu sed humillima & concordi administratione.

XLVI.

DE LAPSU SACERDOTIS.

Ex eadem epistola.

SEd si aliquis lapsus quoquo modo fuerit, portemus eum & fraterno corripiamus affectu, sicut ait B. Apostolus; *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tempteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Porro S. David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit. B. quoque Petrus amarissimas lacrimas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit. Et Dominus per Prophetam peccantibus pollicetur dicens; *Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, omnium iniquitatum illius amplius non recordabor.* Errant enim qui putant sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint & suum sacerdotium condigne custodierint, & ipsi qui hoc putant non solum errant, sed etiam traditas ecclesiæ claves dissipare & abigere videntur, de quibus dictum est; *Quæcumque solveritis in terra erunt soluta in cœlo.* Alioquin hæc sententia aut Domini non est, aut non vera. Nos vero indubitanter tam DOMINI sacerdotes, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse revocari ad honores credimus, testante Domino per Prophetam; *Numquid qui dormit non adiciat ut resurgat? & qui aversus est non revertetur?* Et alibi; *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et Propheta David pœnitentiam agens dixit; *Redde mihi lætitiam Salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Ipse namque post pœnitentiam & alios docuit & sacrificium Deo obtulit, dans exemplum Doctoribus sanctæ ecclesiæ si lapsi fuerint, cum dignam pœnitentiam Deo gesserint, utrumque facere posse. Docuit enim quando dixit; *Doceam iniquos vias tuas & impii ad te convertentur.* Et sacrificium Deo obtulit dum dicebat; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernis.* Videns etiam Propheta scelera sua mundata per pœnitentiam non dubitabat prædicando & Domino libando curare aliena.

Item post pauca: David enim dicit; *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Mundatur ergo homo à peccato, & resurgit gratia Dei à lapsu, & in pristino manet officio juxta prædictas auctoritates. Videat ne amplius peccet & sententia Evangelica maneat in eo, quæ ait; *Vade & amplius noli peccare.* Vnde ait Apostolus; *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos tanquam ex mortuis viventes & membra vestra arma justitiæ Deo.*

XLVII.

XLVII.

DE POSSESSIONIBVS ECCLESIARVM.

Ex epistola Vrbani Papæ scripta de Communi vita & oblationibus fidelium.

MVltitudinis autem credentium erat cor & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia & virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant ante pedes Apostolorum. Dividebantur autem singulis prout cuique opus erat. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum filius consolationis, Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum & attulit precium, & posuit ante pedes Apostolorum, & reliqua. Videntes autem Sacerdotes summi & alij atque Levitæ & reliqui fideles plus utilitatis posse afferri, si hereditates & agros quos vendebant ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus quam futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrari fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex precio ipsorum; cœperunt prædia & agros quos vendere solebant matricibus ecclesiis tradere & sumptibus eorum vivere. Ipsæ vero res in ditione singularum parrochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant & sunt usque adhuc & futuris semper debent esse temporibus, quibus Episcopi & fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam agere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis agens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Nec ergo debent in aliis usibus quam ecclesiasticis & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium atque ad prædictum opus explendum Domino tradita. Si quis autem, quod absit, secus egerit, damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, ut reus sacrilegij efficiatur, sicut illi fuerunt qui precia rerum fraudabant prædictarum.

XLVIII.

PRÆDIA DICATA NE INVADANTVR.

Ex eadem epistola.

ADtendendum est omnibus & fideliter custodiendum & illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata à quibusquam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia & infernali carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis utatur, quoniam juxta Apostolum tradere oportet hujusmodi hominem *satanæ, ut spiritus salvus fiat in die Domini.*

XLIX.

DE SEDE EPISCOPI.

Ex eadem epistola.

QVod autem sedes in Episcoporum ecclesiis excelsæ constitutæ & præparatæ inveniuntur in throno, speculationem & potestatem judicandi & solvendi atque ligandi à Domino sibi datam materie docet. Vnde Salvator in Evangelio ait; *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo.*

Cætera desiderantur, ut & NOTINGI EPISCOPI Capitula, quæ REMEDIO adjecit.

CHRY

DIR ALTEN KILCHIN.

ICH vvider saig diem Tiuvel vnt allen sinen vverchen, vnt allen sinen gezierdin. Ich geloub an ain Got Vatter almachtigen, ain schepfer himelo vnt erde, vnt aller geschepfde. Ich geloub an sinen ainbornun Sun vnsurn Herren Iehsum Christum. Ich geloub an den Hailigun Gaist. Ich geloub das die drie benemde ain guuaire Got ist, der ie vvas an angenge, vnt immatar ist an ende. Ich geloub das der selbe Gottis Su geandot vvart von dem hailigen Engil Sant Gabrihel, Ich geloub das er emphangen vvart von dem Hailigen Gaist, vnt er geborn vvart von Sant Mariun der rainum maigede. Ich geloub das er an dirre vverlte vvas als ain ander mensche vvan das er nie gesundot. Ich geloub das er an dem drisgosten iar getofet vvart in dem Iordan von Sant Iohans. Ich geloub das er ferratun vvart von sinen iunger Iudas. Ich geloub das er gefangun vvart von den Iuden, vnt gebundun vvart, vnt sin gespotet vvart, vnt angespuvvit vvart. Ich geloub das er gemartiret vvart, vnt an das cruxze erhangeni vvart, vnt daran er starb an der menschait vnt niut an der gothait. Ich geloub das er ab dem cruxze genomen vvart, vnt zer erde begraben vvart, vnt darinne lag dri tag vnt dri nacht, Ich geloub das er an dem driten tag erst uond, gevvare Got vnt gevvare mensche. Ich geloub das er entschain nach siner vrstendi sinen iungern vnt sinen guoten friundin. Ich geloub das er an dem vierzgosten tag nach siner vrstendi ze himelo fuer ze der angesicht siner iunger vnt aller mangei die sin vvirding vvarent. Ich geloub das er da sizit zu der zesuin sines vvatter im ebũ gevvaltig vnt ebun evvig. Ich geloub in dannan kiuntftig an dem iungesten tag ertailen viber lebend vnt viber tot nach ir vverchẽ. Ich gelob an die kristanhait gotlich vnt allich. Ich gelob gemansami der hailigen. Ich gelob ablas miner siunte nach gevvarer riuue. Ich gelob vrstendt mines libes. Ich gelob nach disem lib dem evvigen lib. Ich gelob das mir gelonet sol vverden nach minen vverchen den lon den fiurht ich ser, vvan ich diche gesundot han mit gedanchen, &c.

SYMBOLVM

VETERIS ALAMANNORVM ECCLESIÆ.

RENuntio Diabolo & omnibus ejus operibus, & omnibus ejus deliciis. Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & omnium creaturarum. Credo in filium ejus unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum. Credo in Spiritum sanctum. Credo hos tres nominatos unum verum Deum esse principio carentem & fine. Credo eundem Dei filium annuntiatum esse à sancto Angelo Gabriele, Credo conceptum esse à Spiritu sancto, natum ex Maria virgine. Credo in hoc mundo fuisse non alium atque ceteros homines, peccato excepto. Credo trigesimo ætatis anno baptizatum esse in Iordano à Sancto Iohanne. Credo traditum esse à discipulo suo Iuda. Credo captum esse ab Iudæis, vinctum, illusum, & inspuratum. Credo martyrisatum esse, cruci affixum, in eaque mortuum, secundum humanitatem non secundum divinitatem. Credo ab cruce depositum esse, & terræ mandatum, in eaque jacuisse tres dies & tres noctes. Credo tertia die resurrexisse verum Deum & verum hominem. Credo apparuisse post resurrectionem discipulis suis, & omnibus suis amicis fidelibus. Credo quadragesimo post resurrectionem die ascendisse ad cœlos in conspectu discipulorum, & omnium eorum, qui eo digni erant. Credo illic sedere ad dexteram sui Patris, æquali potestate & æternitate præditum. Credo inde venturum in novissimo die judicare vivos ac mortuos secundum opera singulorum. Credo in Christianitatem divinam & universalem. Credo communionem Sanctorum. Credo remissionem peccatorum meorum, habita vera pœnitentia. Credo resurrectionem meæ carnis. Credo ab hac vita æternam vitam. Credo me accepturum mercedem secundum merita mea. Hanc mercedem pertimesco: quoniam sæpe peccavi cogitando, &c.

BIGIHT THERO ALTEN KIRICHVN.

Ih vvirdu Gote almahtigen bigihtig, inti allen Gotes heilagon, allero minero ſunteno, vnrehthero githanco, vnrehthero vvorto, thes ih vnrehtes giſahti, vnrehtes gihorti, vnrehtes gethancti, odo andran giſpuoni ſo vvaz ſo ih vvidar Gotes vvillen gitati, meinero eido, vbilero fluocho, liogannes, ſtelannes, huores, manslahti, vnrehtes girates, odo mir iz thuruh min kinthisgi giburiti, odo thuruh vbartruncani, odo thuruh min ſelbes giſpenſti, odo thuruh anderes mannes giſpenſti girida, abunſtes, nides biſprachido, vbi lero geluſto: taz ih ci chirichun ni quam, ſo ih mit rehtu ſcolta: mina faſtun ni biheilt, ſo ih mit rehtu ſcolta; zunene ni giſuōta, ſuntani verleiz themo ih mit rehtu ſcolta: heilaga ſunnunt aga, inti heilaga miſſa, inti tehn heilagon vvizzod ni erita; ſo ih mit rehtu ſcolta: vna vrlaubgap, vna vrloub intpheing vncitin ezzenti, vncitin trinchanti, vncitin slafenti, vncitin vvachanti: thes alles inti anderes manages, thes ih vvidar Got almahtigen shuldig ſi, thes ih Gote almahtigen in mineru Kriſtanheiti *gehiezi, inti bi minan vvizzin forliezi, ſo ih iz gihuge, ſo ni gihuge, ſo ih iz githahti, ſo ih iz giſprachi, ſo ih iz githati, ſo mir iz slaffenti giburiti; ſo vvahenti, ſo gangenti, ſo ſtantenti, ſo ſizzenti, ſo liganti, ſo bin ih iz Gote almahtigen bigihtig, inti allen Gotes heilagon, inti dir Gotes manne:* inti gerno buoz ziu frammort ſo fram, ſo mir Got allmahtigo mahti inti giuuizzi forgibig Almahtig Thrutin, forgib vns mahti inti giuuizi thinam vvillon zi giuuircanne, inti zi gifremenne, ſo iz thin vvilloſi. Amen.*

CONFESSIO VETERIS ALEMANNORUM ECCLESIÆ.

EGo Deo omnipotenti confiteor, & omnibus Dei Sanctis, omnia mea peccata, illicitas cogitationes, illicitos ſermones, quicquid ego illicitum dixi, illicitum audivi, illicitum cogitavi, aut alio pacto quicquid ego contra Dei voluntatem egi, mea juramenta, exſecrationes & maledicta, mendacia, furta, ſcortationes, homicidia, prava conſilia; aut à me quid per meam puerilitatem patratum, aut per ebrietatem, ſive mea ipſius ſuaſione ſive aliorum hominum ſuaſione, concupiſcentias, invidias, detractiones, pravas cupiditates: quod ego ad eccleſiam non veni cum jure debeam, jejunium meum non ſervavi, ſicuti jure debebam; duos non conciliavi, offenſas non dimiſi cui jure debebam: ſanctum diem Dominicum, & ſanctam miſſam, & ſanctam legem non obſervavi, ſicuti jure debebam: ſine venia donavi, ſine venia accepi, intempeſtive comedens, intempeſtive bibens, intempeſtive dormiens, intempeſtive vigilans: hæc omnia aliaque plura quæ Deo omnipotenti debeo, quæ Deo omnipotenti in meo baptiſmo promiſi, & pro mea conſcientia deliqui, quæ recordor, quæ non recordor, quæ cogitavi, quæ dixi, quæ à me dormiente patrata, quæ vigilante, quæ ambulante, quæ ſtante, quæ ſedente, quæ cubante, Deo omnipotenti confiteor, & omnibus Dei Sanctis, & tibi vir Dei, & cupio emendare in poſterum pro ea quam mihi Deus omnipotens poteſtatem & intelligentiam dederit. Omnipotens Domine, da mihi poteſtatem & intelligentiam faciendi voluntatem tuam, & cognoſcendi quæ ſit voluntas tua, Amen.

**lege inti gerro buozzin frămert ſo fram ſo mir &c. optimo ſenſu quem expreſſi.*

ALAMANNICÆ ECCLESIÆ VETERIS

LITANIA.

FINITA oratione post *Gloria in excelsis Deo* dicit sacerdos:
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, tribus vicibus, similiter & clerus.

Exaudi Christe. RP. Nicolao summo Pontifici & universali Papæ vita.
Salvator mundi. RP. Tu illum adiuua.
Scē Petre. RP. Tu illum adiuua
Scē Paule. RP. Tu illum adiuua.
Scē Andrea. RP. Tu illum adiuua.
Scē Clemens. RP. Tu illum adiuua.
Scē Xixte. RP. Tu illum adiuua.
Scē Cyriace. RP. Tu illum adiuua.

Exaudi Christe. RP. Hludouuico à Deo coronato magno & pacifico Regi vita & victoria.
Redemptor mūdi. RP. Tu illum adiuua.
Scē Michael. RP. Tu illum adiuua.
Scē Gabriel. RP. Tu illum adiuua
Scē Raphael. RP. Tu illum adiuua.
Scē Iohannes. RP. Tu illum adiuua.
Scē Stephane RP. Tu illum adiuua.
Scē Theodole. RP. Tu illum adiuua.

Exaudi Christe. RP. Hemmæ Reginæ nostræ vita.
Scā Felicitas. RP. Tu illam adiuua.
Scā Perpetua. RP. Tu illam adiuua.
Scā Petronella. RP. Tu illam adiuua.
Scā Lucia. RP. Tu illam adiuua.
Scā Agnes. RP. Tu illam adiuua.
Scā Cæcilia. RP. Tu illam adiuua.

Exaudi Christe RP. Nobilissimæ proli regali vita.
Scē Silvester. RP. Tu illam adiuua.
Scē Laurenti. RP. Tu illam adiuua.
Scē Nazari. RP. Tu illam adiuua.
Scē Pancrati. RP. Tu illam adiuua.
Scā Anastasia. RP. Tu illam adiuua.
Scā Genovefa. RP. Tu illam adiuua.
Scā Columba. RP. Tu illam adiuua.

Exaudi Christe. RP. Omnibus judicibus vel cuncto exercitui Francorum & Alamannorum vita & victoria.
Scē Hylari. RP. Tu illos adiuua.
Scē Martine. RP. Tu illos adiuua.
Scē Maurici. RP. Tu illos adiuua.
Scē Dionysi. RP. Tu illos adiuua.
Scē Albane. RP. Tu illos adiuua.
Scē Crispine. RP. Tu illos adiuua.
Scē Crispiniane. RP. Tu illos adiuua.
Scē Gereon. RP. Tu illos adiuua.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex Regum Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex noster Christus vincit.
Spes nostra Christus vincit.
Gloria nostra Christus vincit.
Misericordia nostra Christus vincit.
Auxilium nostrum Christus vincit.
Fortitudo nostra Christus vincit.
Liberatio & redemptio nostra Christus vincit.

Victo-

Victoria nostra — Christus vincit.
Arma nostra invictissima — Christus vincit.
Murus noster inexpugnabilis. — Christus vincit.
Defensio & exaltatio nostra — Christus vincit.
Lux, via, & vita nostra — Christus vincit.
Ipsi soli gloria & potestas per immortalia sæcula sæculorum, Amen.
Ipsi soli honor, laus & jubilatio per infinita sæcula sæculorum, Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo & victoria per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Christe, audi nos, ter. Kyrie eleison, ter. Feliciter, ter. Tempora bona habeas, ter. Multos annos, ter.

Post missam dicat Pontifex.

Conservet Dominus Ecclesiam suam sanctam, amen.
Fidem nostram inlæsam custodiat Dominus, amen.
Remissionem peccatorum omnium & vitam æternam largiat Dominus, amen.
Memor sit Dominus Domini nostri Hludeuuici, & omnes fideles Dei ecclesiæ salvet, protegat, & benedicat, amen.
Nos protegat atque defendat ab omnibus malis, & perducat nos in regnum gloriæ suæ, amen.
Conservet Deus omnes fratres nostros, amen.
Protegat, salvet & custodiat nos Dominus, amen.
Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum.

Hunc diem.	R.	Multos annos.
Domnum Hludouuicum Regem.	R	Deus conservet.
Salvator mundi.	R.	Tu illum adiuua.
Scē. Petre.	R.	Tu illum adiuua.
Scē. Paule.	R	Tu illum adiuua.
Scē. Andrea.	R.	Tu illum adiuua.
Scē. Gereon.	R.	Tu illum adiuua.

Feliciter, Feliciter, Feliciter. Tempora bona habeat, Tempora bona habeat, Tempora bona habeat. Multos annos, amen.

ORATIO.

TV summe retributor atque miserator omnium Deus, eorum regna custodi, quos tibi placita castitate junxisti, gentes rebelles opprime, populos eorum in tua pace dispone, isti tuæ pareant jussioni, & tu eorum esto custos imperij.

Dona eis profutura consilia, quibus prædicandam sapientiam contulisti: de tua, non de mundi potestate sint. Reges habentes diademata, divina cogitent ubique mandata. Te timeant, ut mortalia non pavescant: in tua fortitudine quàm in sua potestate confidant. Istos peculiariter præsta te quærere, & te specialiter eis velle præstare.

Perpendite venerabiles Domini, quo amore regnetis. Non auderemus ista publice Divinitati dicere, nisi quia & secretius eadem nos cognoscit optare.

Scā Divinitas usque in extremos fines imperium tende Romanum: termini ejus Oceano lambiente cingantur. Sed Principes nostri mundo sic imperent, ut eis mundus imperare non valeat. Te timeant, ut nihil metuant: ad diadema tuum veniant ex hac corona mundana. Concede illis nuptialem stolam, qui fecisti in eis humilem purpuram. Dona illis regnum, ubi nec vita concluditur, nec lætitia terminatur, Amen.

FINIS.

ALAMANNICÆ ECCLESIÆ VETERIS

BENEDICTIONES.

BENEDICTIO CÆREI.


XULTET jam Angelica turba cœlorum, exultent divina mysteria, & pro tanti Regis victoria tuba intonet salutaris, gaudeat tellus tantis inradiata fulgoribus, & æterni Regis splendore lustrata totius orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur & mater ecclesia tanti luminis inradiata fulgore, & magnis populorum vocibus hæc aula resultet. Quapropter astantibus vobis, fratres carissimi, ad tam miram sancti hujus luminis claritatem una mecum quæso Dei omnipotentis misericordiam invocate, ut qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus est aggregare, luminis sui gratiam infundens cæteri hujus laudem implere præcipiat Iesus Christus Dominus noster; qui vivit & regnat cum parte in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum.

DOMINVS VOBISCVM. RP. ET CVM SPIRITV TVO.
SVRSVM CORDA RP. HABEMVS AD DOMINVM.
GRATIAS AGAMVS DOMINO DEO NOSTRO. RP. DIGNVM ET IVSTVM EST

Vere quia dignum & justum est invisibilem Deum patrem omnipotentem filiumque unigenitum Dominum nostrum Ihesum Christum toto cordis ac mentis affectu & vocis ministerio personare, qui pro nobis æterno patri Adæ debitum solvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit. Hæc sunt enim festa paschalia, in quibus vere ille Agnus occiditur, ejusque sanguine postes consecrantur. Hæc est nox, in qua primum patres nostros filios Israel eduxit de Ægypto, quos postea rubrum mare sicco vestigio transire fecisti. Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnæ inluminatione purgavit: hæc nox est, quæ hodie per universum mundum in Christo credentes à vitiis seculi segregatos & caligine peccatorum detersa reddit gratiæ, sociatque sanctitati; hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis Christus ab inferis victor ascendit. Nihil enim nasci profuit, nisi redimi profuisset. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio caritatis ut servum redimeres, filium tradidisti. O beata nox, quæ sola meruit scire tempus & horam, in qua Christus ab inferis resurrexit. Hæc nox est, de qua scriptum est: *Et nox ut dies inluminabitur, & nox inluminatio mea in deliciis meis.* Hujus igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapsis, mœstis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia. In hujus igitur noctis gratia suscipe sancte pater ✠ incensi hujus sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cærei oblatione solemni per ministror. manus de operibus apum sacrosancta reddit ecclesia. Sed jam columnæ hujus præconia novimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit: qui licet divisus in partes mutuati luminis detrimenta non novit, alitur liquentibus cæris, quam in substantiam preciosæ hujus lampadis apes mater eduxit. O verè beata nox, quæ expoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos. Nox in qua terrenis cœlestia junguntur. Oramus te Domine ✠ ut cæreus ✠ iste in honore nominis tui consecratus ad noctis hujus caliginem destruendam indeficiens perseveret, in odorem suavitatis acceptus supernis luminaribus misceatur: flammas ejus lucifer matutinus inveniat: ille (inquam) lucifer, qui nescit occasum: ille qui regressus ab inferis humano generi serenus inluxit. Precamur ergo te Domine, ut nos famulos tuos omnem clerum & devotissimum populum una cum Papa nostro & gloriosissimo Rege nostro Hludouuico ejusque nobilissima prole, quiete temporum concessa, in his festis Paschalibus conservare digneris, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum, amen.

BENE-

BENEDICTIO IGNIS IN PASCHA.

Domine Deus pater omnipotens exaudi nos, lumen indeficiens tu es. Sancte conditor omnium luminum benedic Domine ✠ hoc lumen, quod à te sanctificatum atque benedictum est: tu inluminasti omnem mundum, ut ab eo lumine accendamur & inluminemur igne claritatis tuæ, sicut inluminasti Moysen, ita inlumina cordibus nostris & sensibus, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per eundem, &c.

ALIA.

Deus qui per filium tuum, angularem scilicet lapidem, caritatis ignem tuis fidelibus contulisti productum è silice nostris profuturum usibus, novum hunc ignem sanctifica, & concede nobis, ita per hæc festa Paschalia cœlestibus desideriis inflammari, ut ad perpetua festa purgatis mentibus pertingere valeamus. Per eundem, &c.

ITEM VNDE SVPRA.

Domine sancte pater omnipotens, æterne Deus, quod in nomine tuo & filij tui Domini nostri Ihesu Christi & Spiritus sancti benedicimus & sanctificamus ✠ ignem hunc, adiuua nos, qui vivis & regnas cum patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum.

SVPER INCENSVM CÆREVM.

Veniat, omnipotens Deus, super hunc incensum larga tuæ benedictionis infusio, & hunc nocturnum splendorem invisibilis regnator incende, ut non solum sacrificium, quod in hac nocte litatum est archana luminis tui admixtione refulgeat, sed quocumque loco ex hujus aliquid sanctificationis fuerit mysterio deportatum, expulsa Diabolicæ fraudis nequitia virtus tuæ majestatis assistat Ihesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat in secula seculorum, amen.

BENEDICTIO FERRI AD IVDICIVM. faciendum.

Benedic Domine per invocationem sanctissimi nominis tui ad manifestandum verum judicium tuum hoc genus metalli, ut omni Dæmonum falsitate procul remota veritas veri judicij tui fidelibus tuis manifesta fiat, per Dominum nostrum Ihesum Christum filium tuum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem, amen.

BENEDICTIO AQUÆ AD IVDICIVM. faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus, Iudex justus & fortis, qui es auctor pacis, judicans æquitatem & rectum judicium tuum: tu hanc aquam igne ferventem sanctifica, qui tres pueros de accenso fornace salvasti. Præsta quæso, piissime, si quis innocens de hoc furto vel stupro seu nostræ inquisitionis causa immunis atque indebitor in aquam manum miserit, sicut Susannam de falso crimine liberasti, ita & ipse salvam & inlæsam manum educat. Ita Deus omnipotens, si quis culpabilis ingravante Diabolo, corde indurato, per aliqua maleficia aut per herbas contegere peccata sua voluerit, tua justissima hoc veritas in ejus corpore declaret & manifestet, ut anima per pœnitentiam sanetur, per tuum unigenitum filium Deum & Dominum nostrum Ihesum Christum, qui tecum vivit & regnat per omnia secula seculorum, amen.

FINIS.

ALAMANNICÆ ECCLESIÆ VETERIS

FRATERNITATES.

HÆC SUNT MONASTERIA FRATRUM ET SOrorum per Alamanniam.

PATRIBUS ad Basileam civitatem.
Patribus in Curia Rhetensi.
Patribus in Augusta civitate.
Patribus in Monasterio sancti Hemmerammi.
Patribus in Constantia.
Fratribus in Augensi cœnobio.
Fratribus in Scinensi cœnobio.
Fratribus in Rinouua.
Fratribus in Campidona.
Fratribus Favariensis cœnobij.
Fratribus in Tubrensi cœnobio.
Fratribus in Cistertinensi cœnobio.
Fratribus in Bobiensi cœnobio.
Fratribus in Kenginbach degentibus.
Fratribus in Scuturensi cœnobio.
Fratribus in Eluuangen degentibus.
Fratribus in Murbach degentibus.
Fratribus ad Loresham sancti Nazarij.
Fratribus in monasterio sancti Trudperti.
Fratribus in monasterio sancti Georgij.
Fratribus in cella sancti Meginradi.
Fratribus in Echenheim.
Patribus in Argentina civitate.
Patribus in Magontia.
Fratribus in Nebidona, id est Spira.
Fratribus in Vuinzenburch.
Patribus in Vuormatia.
Sororibus in Lindaugia manentibus.
Sororibus in Turego manentibus.
Sororibus in Buochouua.M.
Sororibus in Sechingen.M.
Sororibus in Monasteriolo.M.
Sororibus in Chaces manentibus.
Sororibus in Erinstein.M.
Sororibus in Skenninis.M.
Sororibus in Vualdchilka.M.
Sororibus in Argentina ad Hæberesheim.
Sororibus in Asnida.
Sororibus ad Impidines.M.
Fratribus in Christo dilectis nos fratres de monasterio sancti Galli salutem. Intimamus caritati vestræ obitum fratris nostri N. defuncti, pro cujus anima solitas preces agere dignamini.

SEQVVNTVR HISTORIÆ DE FRATRIBVS CONSCRIPTIS.

ANNO ab incarnatione Domini DCCC. regnante Domno Karolo, serenissimo Cæsare Augusto, facta est conventio & unanimitas precum hujus scilicet sancti Galli & Augiẽsis cœnobij, sub Abbatibus videlicet Domno Vuerdone atq; Vualtone, qui primitus cum fratrib. ex utroq; loco in hac cõmunione consentientibus instituerunt, ut quandocumque frater aliquis obierit, & loco vel senioribus ibidem cõmorantib. adnuntiatum fuerit, eo die Presbyteri tres missas, & cæteri fratres pro eo psalterium ac celebrationem vigiliæ decantent, communisque oblatio ab omnibus fiat. Item in die septimo XXX. psalmos: tricesimo au-

mo autem Presbyteri omnes pro eo unam missam,& cæteri L. psalmos impleant. Cæterum vigilias pro defunctis in capite singulorum mensium ex more jugiter celebremus, in quibus vigiliis omnium simul defunctorum fratrum,qui in nostro consortio coadunati sunt, commemoratio fiat:eoque die commemoretur & nomen nuper defuncti,fiatque oblatio omniũ fratrum simul tam pro illo quam & generaliter pro omnibus Et post hæc unusquisq; Presbyter cantet unam missam,& cæteri fratres L. psalmos Præter hæc quoq; semel in anno sub die XVI I. Kal. Decemb. commemoratio omnium simul fiat pro annuali singulorum videlicet defunctorum memoria,ipsoq; die Presbyteri ternas missas, & cæteri fratres psalterium decantent,ac celebratio vigiliæ communisque oblatio ab omnibus fratribus fiat.

Transactis posthæc CXLIV. annis,mensibus tribus,& duabus ebdomadibus, hoc est, anno incarnationis *Dominicæ* DCCCCXLV. anno autem Domini Ottonis serenissimi Regis VIIII. *Domnus* Craloh hujus loci strenuissimus Abba cum Alauuigo Augensis cœnobij venerabili Abbate,fratribus utrimque ex utroque monasterio pari voto unoque assensu inidipsum conspirantibus, prænotatum renovando decretum hoc saluberrimum subsequens pactum inivit,scilicet ut si quando frater aliquis in utrovis monasterio obierit, corpusque defuncti in ecclesiam ut moris est translatum fuerit,antea inde non tollatur, donec omnes horæ canonicæ tempore statuto decantentur, & omnis celebratio missarum sive vigiliarum seu etiam psalmodiæ pro defuncto persolvatur, & tunc demum sepulturæ commendetur. Ad eandem autem missam,quæ primum pro eo à fratribus in cõmune recitatur, dicto ter *Sanctus* Angelico carmine omnes pavimento prostrati tamdiu jaceant, usque dum à Presbytero *pax Domini* dicatur,gemitibus & suspiriis & lacrimarum inundatione animã fratris attentius Deo commendantes. Annona vero illi quondam viventi statuta ad anniversarium ejus diem & inde usque in XXXVII dies pro eo in eleemosynam pauperibus ad plene tribuatur. Et quando obitus alicujus de utrovis monasterio ad alterum fuit indicatus,ipso die,si ita tempus dictaverit, in agendis vigiliis,& missarum psalmodiæque celebrationibus unanimiter absque dilatione insistant. Similiter,ut ante notatum est, ad eandem missam hora prædicta fratres se solo prosternant humiliter pro anima defuncti Deo supplicantes. Ab illo etiam die annona sicut uni è fratribus datur, pro illo quoque ex integro per totos XXX. dies pauperibus tribuatur: decreverunt etiam ut omnis congregatio fratrum utriusque cœnobij in sex turmas partita, cottidie privatis diebus unaquæque pars eorum die sibi definito vigilias & missam cum oblationibus generaliter pro omnibus fidelibus defunctis peragat,& ad unamquamque synaxim in fine orationis ab omnibus eorum commemoratio fiat. Et ut hæc saluberrima pactio nullo modo à posteris nostris ignorantia aut negligentia ulterius omittatur,placuit nobis ut in libello regulæ nostræ litteris commendetur,& frequentius in conventu congregationis recenseatur.

Anno incarnationis Domini DCCCLXXXV. indictione II. venit Ratholt nobilissimus Alamannorum Veronensis ecclesiæ Pontifex ad monasterium S. Galli, & depositionis ejus festivitatem cum ipsa congregatione jocundissime celebravit, quem venerabilis tunc Abba Bernhardus cum fratribus sibi subjectis in orationis suæ communionem suscepit,ut sive in hoc seculo vivens, sive ad Christum vadens eadem cura Dei misericordiæ ab illis sicut unus commendetur ex ipsis.

VIII. KAL. Iulij obitus Liuthuuardi Cumani Episcopi, cui *Dominus* Salomon Episcopus & cuncta congregatio S. Galli tales orationes concesserunt, quales pro semetipsis agere consueverunt.

Anno ab incarnatione *Dominica* DCCCLXXXV. indictione IV, regnante serenissimo Imperatore Karolo,facta est conventio salubris inter nos & fratres de monasterio Morbachcensi,venientibus de ipso monasterio fratribus & id ipsum rogantibus. Convenit itaque utraque congregatio ut quandocumque aliquis prædictorum fratrum defunctus nuntiaretur,sicut pro Augensibus fratribus ita etiam pro illis plenissimam memoriam ageremus in vigiliarum,psalmorum,missarumque sollemniis; simili quoque modo ipsi pro nobis se facturos firmissime devoverunt, apud nos eodem tempore Bernhardo Sereneo Abbate regiminis jura tenente,apud illos vero Friderico Abbate manente.

Anno etiam ab incarnatione Dominica DCCCLXXXV. indictione III. imperante serenissimo *Domno* Karolo Imperatore Augusto facta est conventio salubris inter monasteriũ S. Galli,cui tunc venerabilis Abba Bernhardus præesse videbatur, & aliud monasterium, quod Rinouua nominatur,ubi Vuichrammus Abba præfuit ipso tempore, videlicet, ut quandocumque de uno istorum monasterio ad alium monasterium nomina defunctorum pervenerint fratrum,plena missarum & vigiliarum,psalmorum & oblationum commemoratio peragatur,sicuti solent in utraque parte pro suo proprio agere fratre.

Anno ab incarnatione Christi *Domini* DCCCCVIII. regnante Hluodouuico Arnolfi Imperatoris filio XI. regni ipsius anno,indictione XI. ID. oct. die sabbati, in vigiliis S. Galli cõfessoris,venit beatæ memoriæ nobilissimus Augustę Vindelicę Põtifex Adalbero, juncto sibi mitissimo Sebonẽsis ecclesiæ antistite Meginberto,in monasteriũ S. Galli,ejus cupiẽs interesse

esse festivitati. Cũque ipsam venerandæ solenitatis in cœnobio nocte duxisset, mane basilicã ingressus ad sancti Confessoris tumbam accessit. Deinde fratribus ad se, dextro altaris lateri ipse conjunctus, accersitis crucem auream gemmis interpositam calicemque onychinum auro & gemmis eleganter paratum cum patena aurea nihilominus gemmata altario imposuit. Palliolum etiam casulamque pretiosi generis, necnon & albam cum cingulo stolaque ac mappula, cunctis his auro perfectis, eidem applicuit aræ. Sed & magnam ceræ copiam sanctæ contulit ædi. Campanam quoque miræ magnitudinis & eximiæ sonoritatis loco cõtradidit. Et hinc S. Othmari loculo accedens ipsius aræ palliolum satis pretiosum superexpandit. Posthæc S. Petri ecclesiam ingreditur, magnæque inibi æstimationis palliolum condonat. Sequenti vero die, in qua sancti dedicatio templi colebatur, plerosque monachorum præcipuis honoravit eulogiis, quibusdam purpuras Tyriacas, quibusdam autem palliola viridia cum camisilibus seu glizis donavit: tertia itidem die unicuique fratrum pellicium cum pelle curtamisia dari præcepit: quarta item die cuncti per ordinem iterata ab eo munera perceperunt, scilicet aut sagum laneum album, aut camisile subtile ac grande, seu cozzonem sive lenam opere plumario contextam, eademque die refectorium omne miro apparatu ornavit, tapetibus videlicet plumatis sessiones fratrum undique sternens, quæ simul numero XIII. fuerunt: pulpitum etiam facitergula cocco imaginata circumdari jussit, gradusque ejus tapetio velari, nec non & palliolum grandis pretij à tergo fecit Abbatis suspendi, mensasque omnes operimentis mandavit glizinis vestri. Sed & foris ad ostiũ refectorij ejusdem texturæ manutergiæ sunt hinc & inde suspensæ. Convivium quoque de suo eadem die cum omni sufficientia ciborum & potuum universæ fratrum generalitati instrui præcepit. Calices etiam argenteos & ipsos pergrandes secum attulit, monachorumque eos usibus deinceps deputari mandavit. His exactis idem liberalissimus Præsul Pyrale congregationis intravit, pectinesque eburneos magnitudine & artificio insignes catenis fecit aeneis ibidem suspendi, ac manutergias per singulos singulas adjungi. Præter hæc benignissimus Antistes tota illa ebdomada in monasterio consistens cottidianæ fratres refectionis abundantia & jocunditate lætificavit uberrima. Sed & omni pæne in monasterio familiæ munificentiæ suæ largitus est munera. Pro cujus inæstimabilis beneficij gratia uno assensu tota simul sancti militia propositi sancivit, ut tam ipsi quam successores eorum felicis recordationis viro, Domino videlicet Adalberoni Episcopo, eandem quam cuilibet cœnobij hujus Abbati sive in seculo viventi seu vocante Deo de mundo recedenti orationis exhibeant summam. Megimberto quoque Pontifici decretum est unius proprij fratris orationem polliceri, ut sicut pro quovis nostrum commemoratio agitur, ita & pro illo in omnimoda oratione compleatur. Et ut hanc nulla constitutionem deleat oblivio, regulæ complacuit nostræ inseri libello, quatinus dum codex iste frequentius videtur & legitur, beati Præsulis memoria strictius teneatur.

Anno ab incarnatione Domini DCCCCXXV. indictione XIV II. Idus Novembr. Purchardus fortissimus Dux Alamannorũ in Italia dolose occiditur, cujus commemorationem, sicut pro unoquoque nostro in vigiliis & psalmodiis & missarum oblationibus agi solet, ita etiam pro illo & posteros nostros deinceps ex integro acturos fore omnis generositas fratrum uno sensu decrevimus, hocque in nostra regula placuit nobis conscribi ut nulla umquam vel oblivio vel negligentia valeat prætermitti.

Anno ab incarnatione Domini DCCCCXXVIII, indictione II. Keonuuald venerabilis Episcopus profectus ab Anglis, omnibus monasteriis per totam Germaniam cum oblatione de argento non modica & in idipsum Rege Anglorum eadem sibi tradita visitatis, in Idibus Octob. venit ad monasteriũ S Galli, quiq; gratissime à fratribus susceptus & ejusdẽ Patroni nostri festivitatẽ cum illis celebrando quatuor ibidem dies demoratus est Secundo autem postquam monasterium ingressus est, hoc est in ipso depositionis S. Galli die basilicam intravit, & pecuniã secum copiosam attulit, de qua partem altario imposuit, partem etiam utilitati fratrum donavit. Post hæc eo in conventum nostrum inducto omnis congregatio cõcessit ei annonam unius fratris, & tandem orationem quam pro quolibet de nostris sive vivente sive vita decedente facere solemus pro illo facturam perpetualiter promisit Hæc sunt autem nomina quæ conscribi jussit vel rogavit: Rex Anglorum Adalstean, Kenouuald Episcopus, Vuigharth, Kenuun, Conrat, Keonolaf, Vuundych, Keondrud

Anno incarnationis Domini DCCCCL. Comes Saxonicus, Marchio contra Sclavos, vir religiosus Kero nomine à liminibus principum Apostolorum reversus monasteriũ S. Galli orationis causa visitavit. Qui cũ à fratribus benigne & hospitaliter fuisset susceptus, spiritali ut creditur admonitus instinctu studiũ sanctæ conversationis sibi corde tenus placere professus est: cœpitq; humiliter ac luctuose à patre monasterij flagitare, ut in consortiũ fraternitatis mereretur admitti. Libras quoq; argenti VIII loco sancto devote ac fideliter obtulit, & si quo pacto vel apud Regẽ vel apud quelibet procerum proprietatẽ sive possessionem quãlibet infra terminos Alamanniæ consequi potuisset, monasterio se sine dubio collaturũ esse promisit, & in omnibus cœnobij necessitatibus sive negotiis juxta scientiam facultatemque suam tam in palatio quam in privato infatigabiliter astiturum. Cujus precibus Abbas cũ cõgrega-

gregatione annuens omnem consuetudinariam fratrum constitutionem sive in orationibus seu vestitu & victualibus tam viventi quam defuncto ex integro condonavit. Et ut hoc nulla possit oblivione deleri vel negligentia intermitti, per annos singulos x. Kal. April. quando hæc & expetiit & obtinuit, commemorationem ejus inter sacras missarum hostias sancitum est fieri, eandemque pactionem in regula monasterij conscriptione firmari.

Anno post incarnationem verbi divini DCCCCLXVIII. indictione XII. imperante serenissimo Cæsare Ottone anno IV. exspectabilis excellentiæ vir Dominus Chunradus Pontifex Constantiensis ecclesiæ venerandus venit ad monasterium S. Galli, cui tunc Abbas probatæ sanctitatis Purchardus præfuit, causa orationis & pro redintegranda conditione divinæ ac fraternitate dilectionis, quam pridem cum Abbate ejusdem cœnobij Thietone & postmodum cum religioso successore ejus Cralone fecit, fratribus uniformi conspiratione concordantibus, ut ob amorem ejus ac multimoda munificentiæ suæ beneficia tum privatis specialiter tum in commune bonum universaliter collata tam singulari quam generali oratione semper ejus memoria ab omnibus frequentetur; annonam quoque fratribus constitutam pro salute corporis atque animæ ejus pauperibus cottide erogandam quousque vitæ hujus consummaverit cursum. Et postquam Deo vocante exutus terrâ cœlo spiritus reddatur, ad anniversarium & insuper trigesimum depositionis ejusdem firma ratione devoverunt: quod usque hodie Deo gratias expletum & indefugabili devotione observandum tenetur. Tempore vero prænotato, id est Sabbato ante Dominicam indulgentiæ, idem eximius Præsul eundem sanctum locum ingrediens honorifice susceptus, ut dignum erat, crastinum diem crucem cum ramis palmarum tollendo, Dominum sequendo, missas spiritaliter celebrando, quam plures de monachis & de clero diversis gradibus salubriter ordinando, via mandatorum Dei cunctis generaliter mira ac paterna doctrina prædicatione ostendendo, innumeros etiam utriusque sexus unctione crismatis sanctæ fidei aggregando in divinis laudibus lætus exegit. Die autem tertia congregatis ad collationem fratribus ipse invitatus eo stetit in medio fratrum memorans, licet bene recolentibus, qualia & antea pollicita sunt, & ut denuo fraternitatis communio renovetur petiit ut in oratione, quæ omni die fit in basilica S. Petri ab omnibus pro Imperatore & præ cæteris benefactoribus & tutoribus nostris ei specialiter pro vinculo caritatis Psal. CXLII. canatur, & in eadem missa quæ ibi fit pro defunctis III. missales orationes illo tam vivo quasi esset defunctus agantur.

Anno ab incarnatione Domini MCXLV. contigit Frideloum Augensem Abbatem pro renovanda fraternitate & pro cogitanda utriusque loci utilitate ad monasterium S. Galli venisse. Cum autem in præsentia ipsius & Abbatis ejusdem loci Vuerinharrj & utriusque monasterij fratrum conventio & unanimitas precum pro defunctis ab Vualtone Augensi & Vuerdone S. Galli Abbate incepta & constituta legeretur, & hæc ipsis placeret, ordine quo prius renovata & confirmata est. Placuit etiam ipsis non solum defunctorum consolationi sed etiam viventium utilitati aliqua per se ordinate disponere. Communi itaque consilio constitutum est, ut quotienscunque utriusque monasterij fratres ad utrumvis monasterium venirent, annona consueta fratrum ipsis tribuatur. Sancitum est etiam, ut si quis prædictorũ monasteriorum frater inordinatus in gratia Abbatis sui & fratrum offenderit, & ad alterum locum devenerit & si de lapsu quo correptus fuerat emendationem promiserit & fecerit, per ipsius loci Abbatem aut seniores pro eo intercedentes loco suo & ordini restituatur.

Cuonradus Dei gratia Sabinensis Episc. Maguntinæ Sedis Archiepiscopus & Apostolicæ sedis legatus cum universo ejusdem loci conventu dilectis suis fratribus Vodalrico divina ordinante clementia cœnobij S. Galli venerando Abbati sanctissimoque sibi subjecto conventui salutem cum fraternæ dilectionis affectu. Relatione antiquissimorum fratrum nostrorum percepimus, hanc consuetudinem inter fratres sanctæ Maguntinæ ecclesiæ ac inter cœnobitas S. Galli hactenus extitisse, quatenus perpetuæ fraternitatis vinculo conjuncti orationibus, quæ tam pro vivis quam pro mortuis utrobique celebrantur, communicarent. Et si forte aliquem ex fratribus nostris pro aliqua honesta causa in prædicto loco adesse contingeret, plenariè unius fratris præbendam reciperet, & eodem jure quilibet ex fratribus vestris ecclesiam nostram adiens similem caritatem inveniret. Anno igitur ab incarnatione Domini MCLXXXVIII. præsidente Domino Vrbano summo & universali Pontifice, regnante gloriosissimo Imperatore Friderico ego Cuonradus Sabinensis Episcopus Maguntinæ sedis Archiepiscopus & Apostolicæ sedis legatus veniens ad cœnobium B. Galli confessoris orationis causa ad petitionem tam fratrum nostrorum quam fratrum S. Galli, præsente amico & fratre nostro Heinrico nostri conventus venerabili Decano, nec non Vodalrico Constantiensi Præposito ac ejusdem loci Vodalrico Thesaurario, plurimisque clericis nostris ac militibus præsentiam suam adhibentibus prædictam consuetudinem, Vodalrico Abbate consensum præbente, communi petitione fratrum renovavi & confirmavi, sollemnique fraternitate à toto capitulo recepta & econtra Maguntino conventui per fratres nostros transmissa literis hanc confirmationem inscripsi, ac sigillo nostro quatinus deinceps firmitatem teneat insigniri decrevi.

NOMI-

NOMINA FRATRVM CONSCRIPTORVM.

Nomina Fratrum Canonicorum de monaſterio Vueride:

Huadalricus Præſul.	Vuillibold.	Dominicus.
Reccho.	Plidger.	Cundhart,&c.

Nomina Fratrum quorumdam obitaneorum,& Sororum:

Tiethmar Epiſcopus de Curia.	Chadolt.	Peranhart Presbyter.
Agana.	Kiſuldrud.	Iudinta.
Notinc Epiſcopus.	Ebo Epiſcopus.	Pero Presbyter.
Karolus Imp. Magnus.	Hludouuicus Imper.	Hlotharius Imperat.
Hludouuicus Rex.	Karolus Imp. Occid.	Pippinus Rex.
Karlomannus Rex.	Hludouuicus Rex.	Karolus Imp. noviſs.
Hemma Regina.	Hiltigart.	Irmingart.
Giſla.	Perhta.	Vuampurc.
Diothilt.	Aua.	Guoto.
Apollonius.	Gaganuuart.	Vuillliboto.
Otger.	Gerolt.	Iohannes,&c.

Nomina Fratrum de Turonis:

Fridegiſus Abba.	Flodomarus Mon.	Gisledrammus Mon.
Anſegarius Mon.	Adilleodus Mon.	Helmoinus,&c.

Nomina Fratrum Canonicorum Monachorumque urbis Lingouicæ:

Albericus Epiſcopus.	Erlebertus Corepiſcopus.	Iacobus Corepiſcopus.
Sigoaldus Presbyter.	Ionathan Presbyter.	Amelius Diaconus,&c.

Nomina Fratrum de cœnobio S Petri Melondis:

Epelinus Abbas,	Abel Monachus.	Ratbaldus Monachus,&c.

Nomina Fratrum de Cœnobio S.Petri Fontis Beſue:

Seraphim Abbas.	Aaron Monachus.	Iſaac Monachus,&c

Hæc ſunt nomina Presbyterorum Hegauuenſium:

Vuerinpret.	Patocho.	Egiman.	Cotalind.
Hadager.	Vuerant.	Criffo.	Salvianus,&c.

Nomina Fratrum de monaſterio Clingone:

Otger Archiepiſcopus.	Engilbertus Præpoſitus.	Vuolſpold Presbyter.
Tagafrid Diaconus.	Ramuolt Monachus.	Bubo Monachus,&c.

Nomina Fratrum de Ghanginpach:

Richinzo.	Reuogatus.	Egilholf.	Merolt,&c.

Nomina Fratrum Tobrenſium:

Rihpertus Abbas.	Theutarius Monachus.	Iouentius Monachus,&c.

Nomina Fratrum de Favariis:

Silvanus Abbas.	Ioſeph Monachus.	Viuentius Monachus,&c.

Nomina Epiſcoporum Conſcriptorum:

Hiltiboldus Epiſcopus.	Vuolfleoz Epiſcopus.	Heiſtolf Epiſcopus.
Remedius Epiſcopus.	Heito Epiſcopus.	Bernheri Epiſcopus.
Adalhelm Epiſcopus.	Oadalrich Epiſcopus.	Theotbert Epiſcopus.
Milo Epiſcopus	Vuoluoltus Epiſcopus.	Adalbertus Epiſcopus.
Adalloh Epiſcopus.	Ratoltus Epiſcopus.	Notingus Epiſcopus.
Adalrih Epiſcopus.	Fridebertus Epiſcopus.	Eſſo Epiſcopus,&c.

Nomina Fratrum de Skina:

Ambricho Abba.	Adalram.	Leidarat. Leo.
Hetti Abba.	Vuillibert.	Hebinolf Presbyter, &c.

Nomina Fratrum de Campitona

Tatto Abba.	Iſanhart.	Vuichram.	Kaganhart,&c.

Nomina Fratrum de monaſterio Hornbah, ſive Gamundias:

Vuirundus Abba.	Herimundus.	Alpker.	Erfolt,&c.

Nomina Sororum de monaſterio S. Stephani & Skenninis, inprimis Clericorum nomina:

Vuolfheri Presbyter, Gerbertus Presbyter. Hoccho Presbyter. Liſolfus Dia.

Hæc ſunt nomina Monialium:

Adalheid Abbatiſſa.	Onhild.	Pilerat.	Vualtila,&c.

Nomina Fratrum de Elehenuuangia:

Sindoltus Abba.	Erfman Abba.	Hutto Presbyter.
Vuigger Presb.	Ioſeph cognomine Biligis,&c.	

Nomi-

Nomina Fratrum Basilensium.

Adaluuin Episcopus. Irinc Episcopus. Sigihart, &c.

Nomina Fratrum de monasterio Vuizanburg.

Iustolfus Episcopus. Perinharius Episcopus. Folcuuicus Episcopus.
Ato Episcopus. Otger Episcopus. Grimaldus Abba.
Benedictus Episcopus. Baugolf Monachus. Ruadolf Monachus.

Vnde supra nomina Fratrum de Kenginbach:

Emilo Abba. Alfram Abba. Sigifrid Monachus, &c.

Nomina Fratrum Canonicorum de monasterio Vueri:

Oadalricus Præsul. Vuillipold. Pruninc Muozo, &c.

Nomina Fratrum de monasterio Prumio.

Ansbaldus Abba. Eigil Monachus, Gatto Monachus, &c.

Nomina Fratrum de monasterio Rinauua:

Vuichram Abba. Vuoluine Abba. Antuuart Abba.
Adalhart Presbyter. Tunach Monachus. Notker Monachus, &c.

Nomina Fratrum cœnobij S. Petri, Sororumque Confessorum Otmari atque Bertini:

Brun. Mon. Alfdac Mon. Ailbertus Mon. Hrotholdus Mon.
Formosus presb. Forti Diaconus. Leo Subdiaconus.
Reginbertus, & omnibus qui se in meis orationibus commendaverunt.
Hunfridus Episcopus. Hrothardus. Nihdker, &c.
Endhrud. Siginihu. Eita. Liba. Imma, &c

Nomina Sororum de Gaczes:

Vualdrada Abbatissa. Calumniosa Abbatissa. Oportuna Abbatissa.
Columba Mon. Passiva Monial. Maxantia Mon. &c.

Nomina Feminarum laicarum:

Friderat. Perchtheid. Himiltrud. Huoching. &c.

Congregatio Fratrum in nomine *Domini*:

Pernhart de Augustgaugense. Cunipertus Archipresbyter de Basala civitate,
Heilman. Herimar. Richeni. Fruoto. Halbinc. &c.

Nomina Fratrum de Vuipruhc:

Vuaceleiph. Pero. Tieterihc. Roudolf. Eppo, &c.

Nomina Fratrum de Friburch:

Paldof. Adilbert. Liutprant. &c.

Nomina Fratrum de Ruotuuilo:

Trutman. Heinrihc. Vuelliburc. Purchart, &c.

Hic Regis Pippini & suorum nomina denotata sunt:

Pippinus Rex. Carlomannus. Carolus Imper. Item Carolus.
Pippinus. Hludouuicus Imp. Item Pippinus Rex. Lodharius Rex.
Iudith Imperat. Ludauuic. Carolus iuuenis. Truago.
Adalger. Huc. Dedericus. Bernhart filius Pip.
Item Pippinus. Bernheri. Meginheri.

Hic Regis Angliæ & Comitum suorum nomina denotata sunt:

Adalsten Rex. Vuolfhelmus Archiepisc. Eluuinus Episc. Eotkarus Episc.
Vunisge Episc. Sigihelm Episcopus. Oda Episcopus. Fridosten Episc.
Kenod Abba. Albrich Abba. Cudret. Erdulf.
Fridolef. Vuulfun. Ortgar. Osfred. Elfsie.
Adaluuerd. Eluuin. Adaluuin. Berectuuin. Vulfilt.
Vuighart. Conrat. Keniuin. Vundrud. Kenouuad. Episc.
Kenolaf. Keondrud. cum ceteris.

Hic Regis Heinrici fideliumque ejus nomina denotata sunt:

Heinricus Rex.	Mathilt Regina	Otto.	Heinricus.
Haduuuich.	Herminburch	Sigofrid Comes.	Cuotchind.
Rekero.	Vuolfhere.	Thiethere.	Pernsuid.
Iudith.	Reginhart Episc.	Adaldek.	Adalburch.
Adalbert.	Kerburch.	Liutker F.	Suanehilt F.
Meginburch.	Vnen.	Hildisuuid.	Maht.
Rienhilt.	Hildisuuid.	Adaldech.	Pernsuid,
Eburhelm.	Kerburch.	Vnen.	Heinrich.
Pilihilt.	Fridorich Abbi.	Meginuuarch.	Otuuar.
Folchmar presb.	Heinrich.	Chunigund C.	Christan. Poppo.
Helderich P.	Martinus P.	Marcus P.	Ekkehart L.
Liuthart.	Folcmar.	Vuitpurch.	Kerbirch.

Vuendilgart.	Xpina.	Hemme.	Auu.	Perhthilt.
Simad.	Milburch.	Thietpurch.	Attu.	Ipo.
Redpurch.	Osui.	Siuui.	Heinric.	Vuigman.
Egino.	Heriman.	Punico.	Piso.	Sigofrid.B.
Sigofrid.	Hiltibert.			

In nomine Domini factus est noster frater Hugo Rex, & Hluthere & Yta & Friderun,&c.

Nomina Fratrum S. Martini in Trajecto:

Pernoldus Episcopus. Focho. Liuthart. Vualthere,&c.

Nomina Fratrum S. Bonifacij in Trajecto:

Pernoldus Episcopus. Penzo. Prun. Kezo,&c.

Nomina eorum qui nobis commissi sunt de Strazburg:

Vuinidolf Vuihmhheri: Alahric. Theotsind,&c.

Nomina Fratrum de Marle:

Rentio. Truto. Cothfrid. Rheceman. Conco,&c.

Nomina Fratrum de Mulehusen in Elsatia:

Cuonrat. Adalhait. Adelburg. Tietmar,&c.

Et aliorum numerosorum, quos recensere nimisquam longum foret, & nulli bono. Continet enim liber iste multo plurima nominum millia utriusque sexus, laicorum adæque quam Monachorum. Quorum omnium defunctorum commemoratio fiebat a.d. XVIII. *Kal. Decembris, id est propridie diefesti S. Othmari, ex institutione Udalrici Abbatis eius nominis Quarti. Recitabantur autem singula singulorum nomina tam defunctorum quam etiam vivorum, ut pro iis apud Deum intercederetur. Forma orandi eodem in libro istiusmodi continetur.*

MISSA PRO HIS QVI ELIMOSINAM FACIVNT.

Deus, qui post baptismi Sacramentum secundam abolitionem peccatorum elimosinis indidisti, respice propitius super famulos vel famulas tuas, quorum commemorationem agimus, quorum operis tibi gratiæ referuntur: fac eos præmio beatos, quos fecisti pietate esse devotos, per &c.

SEC.

Deus qui tuorum corda fidelium per elymosinam dixisti posse mundari, præsta quæsumus hujus consortiis sacramenti, ut ad conscientiæ suæ fructum non gravare studeant miseros, sed juvare, per Dominum, &c.

Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum famularumque, qui de elemosinis suis memoraverunt venerabilem locum istum, quam tibi offerimus ob justis elimosinis suis quod in pauperes tuos operantur, placatus suscipias deprecamur, pro quibus Majestati tuæ supplices fundimus preces, ut adicias eis tempora vitæ, ut per multa curricula annorum læti tibi in pauperes tuos hæc operentur, atque annua tibi vota persolvant, per Christum, &c.

PRECATIO.

Omnipotens sempiterne Deus respice propitius super famulos & famulas tuas, quorum commemorationem agimus, qui in pauperes tuos operantur, in virtute custodi, potestate tuearis, ut per multa curricula annorum læti tibi in pauperes tuos hæc operentur, per &c.

ALIA.

Da, quæsumus, Domine famulis vel famulabus tuis, qui de elymosinis suis memoraverunt venerabilem locum istum, sperata suffragia obtinere, ut qui tuos pauperes vel tuas ecclesias memoraverunt, sanctorum omnium simul & beati martyris tui Laurentij mereantur consortia, cujus nunc sunt exempla secuti, per &c.

LECTIO ISAIÆ PROPHETÆ.

Hæc dicit Dominus Deus; In die illa defertur munus Domino exercituum, & Rex fortis dominabitur eorum: in die illa erit altare Domino in medio terræ, & cognoscetur Dominus, & colent eum in hostiis & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos. In die illa erit israhel benedictio in me-

in medio terræ,cui benedixit Dominus exercituum dicens, Benedictus populus meus & opus manuum mearum,hereditas mea Israhel dicit Dominus Omnipotens.

SEQ. SCI. EV. SEC. MARCUM.

In illo tempore sedens Dominus Ihesus contra gazofilatium, aspiciebat quomodo turba jactabat æs in gazofilatium, & multi divites jactabant multas. Cum venisset autem una vidua paupercula, misit duo minuta, quod est quadrans, & convocans discipulos suos ait illis; Amen dico vobis, quia vidua hæc paupera plus omnibus misit qui miserunt in gazofilatium. Omnes enim ex eo quod habundabat illis miserunt, hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

MISSA IN CIMITERIO.

Deus cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis tuis quorum nomina hic & in libello isto continentur adscripta, vel omnibus hic in circuitu ecclesiæ in Christo quiescentibus,da propitius veniam peccatorum,ut à cunctis reatibus absoluti sine fine lætentur,per Dominum nostrum,&c.

ALIA.

Omnipotens sempiterne Deus annue precibus nostris ea quæ poscimus, & dona omnibus,quorum corpora hic in circuitu ecclesiæ istius in Christo requiescunt, refrigerij sedem,quietis beatitudinem,luminis claritatem, ut qui peccatorum suorum pondere gravantur eos supplicatio commendet ecclesiæ,per,&c.

SEC.

Pro animabus famulorum tuorum, quorum nomina hic & in libello isto continentur adscripta, & hic omnium Catholicorum in circuitu dormientium hostiam Domine suscipe benignus oblatam & hoc sacrificio singulare,ut vinculis horrendæ mortis exutæ vitam mereantur æternam,per &c.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus Domine pro tuorum requie famulorum,quorum nomina hic & in libello isto continentur adscripta, & omnium fidelium Catholicorum orthodoxorum,qui hic in circuitu ecclesiæ requiescunt, quæsumus Domine placatus accipias,ut per hæc salutis humanæ subsidia in tuorum numero redemptorum sorte perpetua censeantur,per Christum,&c.

PRECATIO.

Deus fidelium lumen animarum adesto supplicationibus nostris,& da omnibus fidelibus in Christo quorum corpora hic in circuitu requiescunt refrigerij sedem, quietis beatitudinem,luminis claritatem,per &c.

LECTIO LIBRI MACHABEORUM

In diebus illis vir fortissimus Iuda conlatione facta duodecim milia dragmas argenti misit Hierusolimam offerre ea ibi pro peccatis mortuorum, juste & religiose de resurrectione cogitans: nisi enim eos qui ceciderunt resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis: sed quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant,optimam haberent repositam gratiam.Sancta ergo & salubris cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis solverentur.

SEQ. SCI. EV. SEC. IOHANNEM.

In illo tempore dixit Martha ad Ihesum: Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Ihesus; resurget frater tuus. Dicit ei Martha, scio,quia resurget in resurrectione in novissima die.Dixit ei Ihesus.Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me,etiam si mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me,non morietur in æternum: credis hoc? ait illi utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.

FINIS.

ALAMANNICÆ ECCLESIÆ

ANNIVERSARII.



Ortpertus Abbas piissimus primus inter Abbates anniversarium suum observari ordinavit, largitis aliquib. bonis in usum fratribus in sancto die Paschæ ministrandis. Is etiam de suo instituit anniversarium S. Vuiboradæ Martyris & Virginis Christi. Postea autem à diebus demum Abbatis * Manegoldi anniversarij cœpti sunt in Alamannia ab omnibus utriusque sexus celebrari, circa annum Domini MCCLXII.

* Nō fuit Abbas, sed tantū Decanus & Præpositus.

Iste enim cum consensu fratrum conventualium decrevit, ut omnium eorum, qui monasterio aliquid contraderet, anniversarij diligenter & ordinaliter celebrarentur, & res eorum, quas dedissent, sive carnales sive piscales, quocumque tempore anniversarius caderet, nihilominus fratribus sine dilatione darentur, & memoria donatorum defunctorum tam in ecclesia quam in refectorio à fratribus cum gratiarum actione pro tantis donis ad Deum & patronos nostros B. Gallum & B. Othmarum condigna haberetur. Cujus institutionis hic est tenor.

MANEGOLDUS DECANUS.

In nomine Domini, amen. Scire debent universi tam præsentes quam posteri, quod nos Manegoldus Decanus totusque Conventus monasterij S. Galli deliberatione præhabita diligenti de communi omnium nostrum assensu & voluntate accedente, nihilominus pleno & expresso consensu & permisso Domini Bertholdi Dei gratia Abbatis S Galli nostri, statuimus ut de omnibus prælaturis, officiis, beneficiis seu administrationibus quibuslibet monasterij nostri præbenda carnium, sicut instituta est vel adhuc instituetur, de festis duntaxat aut anniversariis contingens, sive nova dicantur servitia seu vetera, plenarie ministretur, nec alicujus incidentis jejunij, vigiliæ, aut sextæ feriæ occasione obmittatur aliquatenus vel mutetur, sicut hactenus fieri consuevit. Ad cujus utique statuti observantiam & ratihabitionem perpetuam nos, qui præsentes sumus, fide manuali præstita, nostrosque posteros obligamus & astringimus universos, cartam super hoc de mandato nostro confectam memorati Domini Abbatis & nostro sigillo facientes roborari ad majorem evidentiam & cautelam, renunciantes omnibus actionibus, per quas præscriptum statutum nostrum posset à nobis vel ab aliis in posterum irritari vel aliquatenus impediri. Actum in capella B. Virginis ante Capitulum nostrum anno Domini MCCLXII. in festo S. Columbani, Pontificatus Domini Urbani Papæ Quarti anno II.

Possunt autem tam dari quam accipi res omnis generis tam in pecunia quam in solo, mobiles & immobiles, personales & impersonales, corporales & incorporales, allodiales & beneficiales seu feudales, denarij, omnes in omnibus quæcunque nominari aut dici possunt. Quarum administratio pertinet ad officiales monasterij. Quasdam enim præbendas * Cellerarius ex officio suo fratribus ministrat, quasdam Præpositus seu Decanus, quasdam Custos, quasdam Camerarius, quasdam * Portarius, quasdam * Hospitarius, quasdam Refectorarius: quorum omnium præbendæ subnotatæ habentur, &c.

*Cellarius. *Portenarius. *Hospitalarius, qui & Peregrinarius.

EXEMPLA ANNIVERSARIORUM.

VODALRICUS ABBAS IV.

Honestis petentium desideriis pium est accedere, & ad eorum preces aures faciles inclinare. Ego igitur Udalricus divina miseratione Abbas S. Galli, utilitatem ecclesiæ, cui Deo auctore præsideo, considerans, ad preces Heinrici Decani villicationis officium in Tiuffenbach præbendæ fratrum meorum conferens Cellelario suisque successoribus tenendum constituo, ut ex perceptione redituum ipsius officij decem solidorum adminiculo per prædictæ homines curiæ exhibito, per eum fratres in festo Thomæ Pontificis & Martyris circulariter annorum facta revolutione pleni servitij recipiant consolationem. Actum publice anno incarnationis Dominicæ MCCVII. indict. X. VII. Idus Octobris, Innocentij tertij Pontificatus anno IX. toto anno gloriosissimi Romanorum Regis Philippi, universitate capituli præsente.

VODALRICUS DAPIFER DE SINGINBERG.

Noverit tam præsentium quam futurorum industria, quod ego Udalricus Dapifer in præsentia Domini mei reverendissimi Udalrici Abbatis hujus loci prædium, quod habui ad Nider-

Niderauilen, de quo persolvuntur annuatim in festo Thomæ Apostoli XII. solidi & tres modij tritici, & ad Frimannehus in angulo x. solid. & duo modij, & in eodem vico item x. sol. & duo modij & item in eadem villa x & tres modij tritici, liberaliter tradidi Deo ac B. Othmaro, ea conditione, ut exinde in circumcisione Domini pro remedio animarum matris meæ Adelheidis & fratris mei Operthi missa celebretur pro defunctis, deturque stoupus & major leibunculus fratribus; panes etiam XII. fratribus in hospitali dentur. Et item fiat in feria secunda stoupus post festum S. Spiritus quousque vixero. Et post obitum meum in anniversario meo detur, missaque celebretur pro defunctis. Et XVII. kal. Iulij in anniversario patris Oprechti idem fiat, & tam in pane quam in vino, tam fratribus in monasterio quam in hospitali, leprosis & inclusis, & ut lumen singulis noctibus in capella S. Michahelis administretur de ipso censu, & de quolibet beneficio XL. ova in Pasca dentur à singulis. Et quicumque plebanus est in ecclesia S. Othmari beneficium hoc recipiat, & ipsi ab ipso beneficium hoc recipiant.

Idem.

Anno *M.* CCXIX. Vdalricus Dapifer in præsentia Domini venerabilis Abbatis Vdalrici totiusque conventus liberaliter donavit prædium in Frimanhus, quod adjacet prædio dato à patre suo, quod persolvit II. modios tritici & x. sol. eo pacto ut anniversarius dies Adilheidæ conjugis suæ annuatim celebretur. Donavit & advocatiam ejusdem prædij cum advocatia huic adjacentis prædij, quod dederat pater suus totaliter, eo pacto ut anniversarius ipsius tempore suo celebretur, & ipse recipiat medietatem census prædij quod dedit, v. videlicet solidos & I. modium tritici quoad vixerit, unde persolvit censum annuatim ad S. Othmarum VI. denarios.

GERUNGUS GOLDAST DE HEIMEVELT.

Noverit tam præsentium quam futurorum industria, quod Gerungus Goldasto prænominatus de Haimevelt domum cum domate, sicut à conjuge sua jure proprietatis acceperat Heluuiga nomine, junctoque domate quod ab Odalrico coemerat, in præsentia Domini venerabilis Odalrici hujus nominis Quarti fratrumque suorum, B. Gallo jure legitimo contradidit, eo pacto ut frater suus, si supervixerit, stoupū fratribus in anniversario suo ministret, fratresque missam pro fidelibus in ara publica celebrent. Itemque de beneficio ad Stadelhovin annuente Domino *M*anegoldo cunctisque fratrib. assentientibus præter censum, qui prius exinde persolvebatur, stoupus fratribus in anniversario Heluuigæ eodem pacto ministretur, & Egilolfus fratruelis suus idē beneficium recipiat. Actū an. Domini *M* CCXX.

RUODOLFUS DE RORSHACH.

Anno incarnationis Domini *M* CCXXV. Ruodolfus miles de Rorshach pro remedio animæ fratris sui Egilolfi de Rosinberh resignavit molendinum, quod fratris sui fuerat apud Hasela persolvens IV. tritici modios & XII solidos, & dedit prædium apud Sundern, quod persolvit XXII. solid. Beato Gallo in præsentia Domini venerandi Abbatis Ruodolfi & fratrū suorum, statuens ut exinde anniversarius dies ipsius agatur in pane, vino, piscibus, & caseo, & ad S. Laurentium, S. *M*agnum, S. Fidem, S. *M*ariam, S. Sepulchrum, S. Petrum, S. Othmarum præter præbendam statutam singulis eo die præbendas statuit, & præbendariis apud S. Leonardum XVIII. denarios, & totidem ad S. *M*agnum, tribus item prebendariis ad S. Iacobum XII. den similiter ad S. Iohannem, & ad S. Osuualdum, & vicario apud S. Laurentium VI denarios, ut ipsi deberet missæ officio interesse. Ipse vero Ruodolfus de advocatia porrigit præter modium tritici de molendino & II. solid. de Sundern.

Postea ipse Ruodolfus anniversarium suum instituit simili administratione, sicut fratris sui, eundem anniversarium per omnia celebrandum de bono in Gerrhaltun. Instituit etiam matris suæ Berthæ & uxoris suæ Gertrudis anniversarium de prædicti boni reditibus celebranda, in utroque videlicet anniversario duos stoupos majores & minores.

VVALTHERUS DE RORBACH.

Notum sit universis, quod ego VValtherus miles de Rorbach in Burgundia bona voluntate Domini nostri *M*anegoldi Præpositi cum manso, quem in Glasebach prope Rorbach pleno jure feudali possedi, anniversarium meum, uxoris meæ, patris & matris meæ, taliter institui, ut in circumcisione Domini, patris mei Algozi, & nostri trium simul memoria in missa fiatur, & post obitum meum deinceps in die decessus mei prædicta anniversaria agantur: & de eodem bono, quodum vixero, solidus Turicensium in censu in festo S. Andreæ Apostoli Præposito expediatur. Statui etiam super idem anniversarium advocatum Burchardum * Bonen cognatum meum, ut tam pullos quam oves monetæ annuatim jure advocatiæ accipiat, & hoc juramento firmiter servandum constrinximus. ***** solid VI. scap. V. q spelta.

* vel Bomon.

RUODOLFUS DE MONFORT PRÆPOSITUS.

Dominus Ruodolfus Præpositus ex concessione Domini venerabilis Vdalrici *A*b-

batis anniversarium suum constituit ex bona voluntate fratrum de prædio quodam in Richinbach, quod persolvit annuatim IX modios tritici, & quicumque habet curtem in Ionsuuilla recipit censum & exinde dat servitium fratribus in anniversario patris sui R. qui est in vigilia S. Magni quoadusque ipse vixerit, postmodum vero in ipsius anniversario.

VODALRICVS ABBAS.

Dominus venerabilis Vdalricus Abbas hujus nominis Quintus anniversarium suum instituit de quodam prædio in Ranvvilla, quod persolvit IV. libras, quod conquisivit de Heinrico milite in Eineuuilla, qui illud habuit jure fundi, unde fratribus ministratur in anniversario patris sui A. in piscibus, in majore leibunculo, & stoupo, & caseo, quoadusque ipse vixerit. Postmodum vero in suo datur etiam conversis in hospitali panis I.

RVOMO DE RAMSTEIN PRÆPOSITVS.

Vt quod honeste & pie statuitur, ratum permaneat, scripturæ debet adminiculo perennari. Cum igitur Ruomo Custos decimam in VViere, quæ solvit V modios tritici, cōpar asset à Domina de Tunretun eam de permisso Domini Bertholdi Abbatis officio Custodis attinendam perpetuo deputavit, instituens de ipsa dari stoupum in anniversario Ruodolfi de Ramstein fratris sui: & ut custos expediat luminaria in secunda vespera dedicationis B. Galli, quam Dominus Lutoldus de Glatteburg Canonicus Constantiensis in albis & cum processione ad S Othmarum agi obtinuit, quod antea non fiebat: utque in missis commemorationis B. Mariæ, quæ per annum cum *Gloria in excelsis* & sequentia celebrari solent incensum ministretur: accedente ad præmissa præfati *D*omini Bertholdi Abbatis & totius cōventus consensu & unanimi voluntate Actum an. *Do.* MCCLXVIII.

Idem.

Virtutis & honestatis opera ideo scriptis annotantur, ut & quod agitur ratificetur, & alij ad virtutis opera similiter provocentur Igitur Ruomo custos Reginæ Virginum suffragiis adjuvari desiderans octavam nativitatis ejus, quæ nullam hic habebat celebritatis memoriā, obtinuit deinceps festive celebrari, stoupum ipso die dari instituens de bonis in Brisaugia, quæ à possessoribus ipsorum juste & rationabiliter erant ad præposituram ejusdem pagi in perpetuum pertinenda: tem alium stoupum de bonis eisdem in anniversario *D*omini Marquardi Plebani de Vlma fratris sui: & item tertium stoupum in anniversario magistri Iohannis Scolzstete dari constituit, *D*omino Bertholdo Abbate & toto conventu voluntarie cōsentientibus in præmissa. *D*icuntur autem ipsa bona in VVevelli cum suis pertinentiis, & solvuntur annuatim II. lib. XVI. solid. & VI. den. Brisaugiensis monetæ Actum anno *Dom.* MCCLXIX.

Idem.

Omnibus innotescat, quod cum obeunte quondam Ottone Villico de Rorbach curia inferior de Kollikon vacaret monasterio S. Galli, *D*ominus Bertholdus *A*bbas eam concessit Volrico militi de Hertinstein feudaliter possidendam. Cui cum Ruomo *D*ecanus & Præpositus per *A*rgoviam quæstionem moveret super jure ipsius curiæ, tandem amicabiliter conventum extitit inter ipsos, quod videlicet dictus Volricus miles receptis à Præposito memorato * marcis cessit omni juri, quod sibi in prænominata villa competere aliquatenus potuisset, & ipsa curia cum suis pertinentiis deberet præposituræ prænotatæ de cetero attinere, antedicto Præposito de redditibus ejusdem cunctis ordinandi quod sibi placuerit habente liberam facultatem. Qui utique Præpositus non privatum commodum, sed fratrum potius affectans utilitatem, & religiosam honestatem amplectens duo festa apud nos festive celebrari instituit, Vincula scilicet B. Petri & festum S. *M*argaretæ, Priori festo duos stoupos, reliquo unum, quod etiam cum cantu novæ historiæ fieri debet, plenum vitium deputando de censibus curiæ prænotatæ aliquid retinere. Item stoupum in suo anniversario, qui interim dum advivit in anniversario H. Presbyteri, quod est IV. Kal. *M*ai, dabitur. itemque duos ciatos & unum leibunculum minorem dandos in anniversario, in quibus in ordine kalenda.....

HEINRICVS DE APPIVVILLA.

Heinricus de *A*ppivvilla resignavit decimam quandam in villa Ranvvilla in manu *D*omini venerabilis Vdalrici Abbatis hujus nominis Quinti, persolventem VII. maltra frumenti Cellensis mensuræ, & VI. Clobones lini. vnde fit commemoratio anniversarij ejus suæque conjugis VVillibirgæ in duobus stoupis, & in hospitale datur panis per singulos. de eadem etiam decima annuatim persolvuntur ad S. Othmarum VI. den. quoadusque ipsi vixerint.

CVON-

CVONRADVS GIELO DE GLATTEBVRC.

Notum sit omnibus, quod Cuonradus Gielo senior de Glatteburc volens ultra mare proficisci pio & salubri ductus affectu pro semetipso & Domna Iunta uxore sua filiisq; suis Volrico, Cuonrado, & Ruodolfo, talem fecit ordinationem, ut videlicet singulis eorum decedentibus de curia in Vfhouin prope Gebirhartsvviler xx. solid. annuatim assignentur custodi monasterij S. Galli, de quibus in anniversario cujuslibet eorum duo stoupi, major scilicet & minor, fratribus ministrentur. Actum apud S. Gallum anno Domini MCCXXVI. in præsentia venerabilis Domini Cuonradi Dei gratia Abbatis, regiminis sui anno I. & heredes ipsorum recipient pro jure advocaticio tantum I. sol.

CVONRADVS VVIDER.

Conradus laicus dictus VVider decimam quam habuit in Mulinon am dim VVege assignavit officio portariæ ad quam pertinebat, ut de ipsa ministrentur II. leibunculi minores in suo & uxoris suæ Elisabet anniversario, & interim dum vivit, dantur ambo leibunculi in anniversario uxoris suæ prædictæ.

HEINRICVS DE IBERC.

Dominus Heinricus de Iberc miles dedit S. Gallo Heitirsvvil & Dischilbach, ut inde anniversarius suus celebretur, & litem quam habuit pro silva Tetilnberc omnino refutavit.

BERTHA BEIGIRA.

Bertha conversa dicta Beigira dedit domum suam B. Gallo, ut anniversarius ejus celebretur cum minori leibunculo. Instituit etiam dari de ipsa domo duo talenta sepi in festo Thomæ Apostoli ad faciendum luminaria super coronam quæ pendet in medio chori per nativitatem Domini. Ipsa domus pertinet ad officiũ Custodis. Actũ an. Domini MCCLXIII.

LVOTOLDVS DE CREIGEN DECANVS.

Notum sit omnibus quod Lutoldus Decanus ad remedium animabus Diethelini Constantiensis Episcopi & omnium parentum suorum in festo S. Blasii quousque vixerit plenum servitium instituit, ea conditione ut ipso mortuo ad anniversarium suum redeat idem servitium de vinea in Tufinbach, cujus ipse fundator à primis fuit radicibus.

BERTHOLDVS DE VALKENSTEIN ABBAS.

Anno Domini MCCLXXII. feria VI. III. Non. Iun. Domnus Bertholdus Dei gratia Abbas instituit dari v. stoupos de curia an dir Egge, quam acquisivit à Bertoldo milite de Annevviler, in anniversariis scilicet fratrum suorum Conradi, Eigilvvardi, Alberti & Heinrici, & Dominæ Sophiæ sororis suæ de Valkenstein. Etiam instituit dari plenum servitium & singulis ecclesiis & capellis VI. den. utrique hospitali VI & leprosis VI. den. in suimet anniversario de villicatu in Marpach, quem etiam acquisivit ab Heinrico milite de Hartegge, & tam curia prædicta quam etiam villicatus debent perpetuò ad officium cellarij pertinere.

GERBIRGIS OCELLA.

Noverit tam præsentium quam futurorum industria, quod Gerbirgis mater Egelolfi Ocelli in præsentia Domini Odalrici Abbatis & fratrum dedit octo libras probatæ monetæ, ea conditione, ut anniversarius ipsius publice celebretur. Et interim dum vivit in festo S. Martini sciatus detur de prædio quodam in Ionsvvilere, quod Dominus Ruodolfus Præpositus acquisivit, qui & ipsos nummos recepit: post mortem vero ipsius stoupus in anniversario ipsius de eodem prædio detur.

RVODOLFVS BLASER.

Notum sit omnibus, quod Ruodolfus dictus Blaser ministerialis S. Galli dedit prædium suum, quod dicitur Edelasovve, B. Gallo in altari suo, quod solvere debet annuatim x sol. ad officium portarij, ut in anniversario suo stoupus ministretur. An. Dom. MCCLXXVII. Kalend. Mai.

VOLRICVS BVELER.

Notum sit omnibus, quod Volricus dictus Bueler pro se & Gerdrude uxore sua designavit decimam suam in Honegg sitam in monte, qui dicitur Ruggeba in officio Cellerarij, qui solvere annuatim debet IX. floren. & ordinavit de prædictis bonis quando unus ipsorum decesserit, tantum detur media pars: & decedente altero, pars integra ministretur. Et ad memoriam hujus sancti singulis annis tenentur dare unum fertonem ceræ in festo B. Galli.

ELIZABET RELCAN.

Anno Domini MCCLXXXVII. Elizabet Relcan quondam de Riuti instituit annuatim I. lj. pro remedio animæ suæ, & instituit I. lj. pro remedio patris sui, in vigilia Galli de curia sua juxta capellam B. Valentini, quæ dicitur Furtnua prope Riuti.

FINIS.

CATALOGVS

SCRIPTORVM, QVI DVOBVS HISCE IN Tomis desiderantur, cum Glossis prætermissis.

INNOMINATVS MONACHVS AVGIENSIS.

SCripsit de vita S. Pirminij, primi Augiensium Abbatis, librum unum, qui in ejus Monasterio adhuc exstare perhibetur.

GOZBERTVS ABBAS S. GALLI.

Scripsit de Miraculis S. Galli librum unum, cujus mentionem facit VValafridus lib. 1. cap. vlt. & lib. 2. c. 10. Vixit A. D. 815. Hepidanno teste.

VVALAFRIDVS STRABVS ABBAS AVGIENSIS.

Quum superiores Tomos jam Typographo commisissem, & res cœpisset ad effectum spectare, forte fortuna apud amicum incidimus in Francisci Guillimanni nostri Habsburgiacum multum diuque à nobis desideratum. In ejus lib. 3 cap. 1. ita de VValefrido scribit, Menlij Latziique opiniones refutans: *Neque tamen propterea veritatem Latzius assecutus est, qui Luitgardim nominat Gunzonis Sueviæ Ducis filiam D. Galli precibus ab Dæmonis obsidione liberatam, quæ Comitatum Numagensem, & cætera ad Herciniam, tulerit dotem Satis enim ex Vualafrido, antiquo & probo scriptore constat, Fridbergam fuisse eam Gunzonis filiam ab impuro Spiritu occupatam, & saluti & sanitati ab D. Gallo restitutam: neque eam Ottoberto nuptum datam, sed Sigiberto Regi.* Eatenus quidem probe Guillimannus. Illa vero, quæ paginis narrat præcedentibus, Dagobertum, Sigeberti Regis ex Fridberga Gunzonis Alamanniæ Ducis filia, Luitfridi etiam Ducis sorore, genitum, ætate tenera adolescentem à Grimoaldo perfidiosè & crudeliter internectum esse, VValafrido conciliabimus? Quippe qui exsertim lib. 1. cap. 22. & prolixis verbis asserat, Fridbergam religioso voto adstrictam ab sponso Sigeberto, ut illibata castitate Christo Sponso inter Sanctimoniales jungeretur, impetrasse. Quare videndum est, an peracto divortio, aliam in matrimonium ducere potuerit, ex qua lectus ille Dagobertus, ut Aimoinus sive (ut placere video Guillimanno) Aimo auctor est.

B. NOTKERVS BALBVLVS, MONACHVS S. GALLI.

Scripsit Historiam S. Galli & subsequentium temporum usque ad suam ætatem, in morem Ciceronianum, id est per *D*ialogos. Eos audio alicubi exstare in Palatinatu apud viduam VVolfgangi VVetteri Sanctgallensis, Ecclesiastæ quondam Palatini. Scripsit super ejusdem Galli vita lib. 3. hexametris versibus, duris quidem illis & incomptis, sed raris tamen illo ævo. Præterea ex relatione Adelberti Comitis Turgoviensis, & VVernberti Comitis atque Capellani, cognatorum suorum, de vita Caroli M. Imp. libros 2. quos sub Anonymi titulo in primo Antiquitatum Tom. produxit Henr. Canisius. Marq. Freherus, mendarum (qua scatebant) chiliade externata, auctori & patri suo redonabit in Francicarum rerum Scriptoribus. Mortuus est, ut supra retulimus, A. *D*. 912.

BALTHARIVS MONACHVS.

*D*escripsit Historiam S. Fridolini libro uno, quem Notkero Balbulo inscripsit, ut habet codex vetus in Monasterio *S*. *I*ohannis apud Toggios, & Breviarium Glaronense, in cujus calce impressa continetur. Errarunt ergo Aeg. Schudus, *S*eb. *M*unsterus, Ioh. Stumpfius, Christian. Vrstisius, quia ad Notkerum auctorem historiam illam retulerunt.

HARTMANNVS ABBAS. S. GALLI.

Composuit Historiam sui temporis, quæ damno rerum nostrarum intercidit. Ejus meminit Ekkehardus Iunior cap. 4. & Burckardus principio Casuum.

HART-

HARTMANNVS IVNIOR, MONACHVS S. GALLI.

Contexit vitam S. VViboradæ Martyris, teste Cunrado Fabariensi cap. 3. Casuum.

VVETTINVS MONACHVS S. GALLI.

Scripsit de vita & miraculis S. Galli libros 2. qui in Monasterio S. Galli etiamnum supersunt.

EKKEHARDVS PALATINVS.

Omisimus testimonium Hepidanni in Annalibus, quod est A. D. DCCCC.XCVI. *Vodalricus Abbas vita discessit, & Gerhardus ei subrogatur, atque Ekkehardus Monachus defungitur.*

S. VDALRICVS EPISCOPVS AVGVSTANVS.

Fertur scripsisse epistolam de vita Notingi Episcopi, quæ exstet Constantiæ in Bibliotheca Cathedrali.

S. GEBEHARDVS EPISCOPVS CONSTANTIENSIS.

Composuisse perhibetur vitam & historiam S. Cunradi ex Comite Altorffensi Constantiensis Episcopi. An exstet, ignoratur.

EKKEHARDVS IVNIOR.

Adiiciam pauca quædam ad pag. 39. explicationem: eaque verbis non meis, sed vero Guillimani nostri, summo judicio viri & harum antiquitatum peritissimi. Habsburg. lib. . cap. 3. scribit: *Eckgerardus continuator Raperti, Monachus* S. *Galli, qui sub Lothario II. Imperatore ante annos supra quingentos vixit & scripsit, multo ante, Carolo Crasso scilicet imperante, Landolum Comitem celebrat (alia exemplaria Landalohum, alia Landolinum, postremo etiam Lancelinum nominant)* Cujus, *inquit*, Vindonissa cum multis aliis hereditas erat. *Is apud* S *Gallum eductus, & insigniter doctus, mox Trevirens. Archiepiscopus (alia exemplaria Tarviensem* Archiepiscopum *vocant, & nonnumquam Episcopum) per virtutem & eruditionem factus, cum sæpius Vindonissa &* Altenburgo *Romam, superatis Peninis* Alpibus, *proficisceretur, inde rediens per* Septimum *montem, Juliarum* Alpium *partem, transire semper & apud Comitem Hartmuotum* S. Galli Abbatem, *propinquum suum & amicum, divertere solebat, eodem auctore teste. Postremo ita vitam instituit, ut Beatorum numerum auxisse credatur.* Et lib. 3. cap. 5. verbis fusioribus: *Tertij* (filii sc. Guotrami Comitis Altenburgi & Lantgravij Elsatiæ Brisiacæque) *meminit Lazius, quem Vetzelinum aut Lancelinum dictum ex aliorum sententia adfirmat. Eum ego esse Lancelinum aut Landolinum credo, quem Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopum priori volumine ex Eckgerardo memoravimus. Multas ex suo is patrimonio Monasterio* S. *Galli possessiones dedit, & in iis Lollingam. Sed cum id fratres Comites* Altenburgienses *ferre nollent, & nonnulla in* Argovia *ex suis prædia Vrico Comiti Kiburgensi consignavit, & ab eo contra* Ahadorf *in* Turgovia *accepit, ipsumque & in eo Ecclesiam* S. Alexandri, *quam ea tempestate insignem curabant duodecim Canonici, Hartmuoto donum fecit. Idem Lancelinus ex Italia, quo frequenter proficiscebatur, regressus, cum, ut solitabat, Hartmuotum vellet, Rosaic apud lacum* Acronium *in febrem incidit, qua eodem in vico brevi exstinxit. Hartmuotus Abbas, tamquam amicum & sanguine sibi conjunctum, multaque sanctitate insignem & venerandum, propter tanta in suum* Monasterium *beneficia, inde ad* S. *Gallum transtulit, & magno cum honore sepelivit, circiter* A. *D. N.* IↃCCCLXXVII. *Eggerardi de hac re verba infra posita sunt, ubi de* Salomone *III.* Abbate *meminit,* &c. Ex quibus verbis illic positis trium admonemur. Primum in eis codicibus, quos Guillimannus inspexit, *Ekkerardum* sive *Eggerardum* scribi hunc auctorem, qui quattuor nostris exemplaribus constantissime *Ekkehardus* Tum pro *Treverensi, Darviensi*, quod itidem nullus nostrorum codicum agnoscit, sed Ekkehardus minimus in vita Notkeri c. 12. Denique pro *Rorstanchin, Rorschanchin*, & hoc quidem rectius. Est n. Rorschach (quod nomen inflexisset eleganter Guillimannus, si pro *Rosaco* scripsisset *Rorsacum*, nisi non semel à Typographo corruptum est) ad lacum Brigantinum, altero à Monasterio S Galli lapide, quæ vox Alamannica est, significatque *paludem arundinosam.*

Pag. seq. 40. scribit Ekkehardus. *Astutia hominis* (Hattonis) *in falsam Regis gratiam suasi* (Franci) *qualiter ad Alpes fraude ejus de urbe Pabinberk detractus* (VVerinherius eorum Comes) *capite sit plexus (aliter enim morbo obierat) quoniam vulgo concinnatur & canitur, scribere supersedeo.* Peccat ἀνιστορησίᾳ Ekkehardus. Non n. VVerinherius fuit, sed ejus filius Albertus sive *Adelbertus, nobilissimus Francorũ Comes, Ottonis Saxonũ Ducis ex filia nepos,* ut

scribit

ſcribit Ottho Friginſenſis lib. 6. cap. 15. Ipſam hiſtoriam & Hattonis fraudem præter dictum Ottonem referunt plerique omnes, VVitichindus, Luitprandus Ticinenſis, Marianus Scotus lib. 3. Lambertus Schafnaburgenſis Anno 907. Conradus Vrſpergenſis, Sigebertus Gemblacenſis, Iohan. Nauclerus, Ioh. Trithemius in Chron. Hirſaugienſi, & alij recentiores. Quorum fidem primus elevare conatus eſt Iohan. Latomus in Catalogo Epiſcopor. Moguntinenſ. auctoritate Rheginonis Prumienſis & Iohan. Aventini fretus. Verum neque ex illorum verbis quomodo negativam evicerit video, & Hattonem ex fallaciis ac dolis compoſitum fuiſſe non uno loco Ekkehardus noſter atteſtatur. Vt mirum minime ſit, Serarium à Latomi ſententia in alia omnia diſceſſiſſe. Et facile adducor ut credam, illa verba, *aliter enim morbo obierat*, quoniam & ipſius auctoris narrationi adverſantur, & omnium bonorum Scriptorum, qui Adelbertum capite plexum unanimi voce clamant, detrahunt fidei, à ſciolo quodam interjecta eſſe, inadverſa Ekkehardi ἀνιστορησία. Nam VVerinherius quidem morbo (ut ille loquitur) obiit, non Adelbertus. Quod autem ait, eam fraudem vulgo cani, adſtipulatores habet VVittichindum, Luitprandum, & Ottonem, *qui non ſolum in Regum geſtis, verum etiam in vulgari traditione, in compitis & curiis notam eſſe ſcribunt*, ut vel ipſe habet Latomus: Quæ cantilenæ Germanicæ, quod utinam cum aliis ſimilibus hodie exſtarent, clariores nobis redderent majorum noſtrorum vitam & res geſtas.

ANONYMVS CONSTANTIENSIS.

De vita S. Gebehardi ex Comite Brigantino Epiſcopus Conſtantienſis. Exſtat in Monaſterio S. Galli, ut & Anonymi cujuſdam liber de Vita S. Cunradi Epiſcopi Conſtantienſis.

CHRONICA S. GALLI.

In teſtimonium citatur à Vadiano, Ioh. Stumpfio in Chron. & eodem Guillimanno Habsburg pag. 73.

CHRONICA CONSTANTIENSIS.

Allegatur multotiens ab Iohan. Stumpfio in Chronic. & Seb. Munſtero Coſmograph.

CHRONICA RICHENAVGIÆ.

Citatur ab iiſdem, & ſæpius laudato noſtro Guillimanno dicta pag. 73.

ACTA CONCILII CONSTANTIENSIS.

Propediem exſpectamus ex Archivis Reipub. Conſtantienſis. Vtinam ea ſermonis gratia, qua ab Auctore excepta illo tempore & perſcripta ſunt, ne dum nævum illius ætatis medicari ſtudent, deforment potius pulchritudinem faciei quam ornent. In illis Actis compræhenſa ſuiſque coloribus depicta videntur omnia inſignia, à Sigiſmundo Imperatore variis variarum nationum familiis, durante Concilio, conceſſa.

VLRICHVS A RICHENTAL, CONSTANTIENSIS.

Scripſit acta Concilij Conſtantienſis, impreſſa Auguſtæ Vindelicorum Germanice & Latine, Conrado Geſnero in Biblioth. teſte, & laudante Guilimanno in fine Habsburgiaci.

GREGORIVS MANGOLT, TIGVRINVS.

Scripſit Annales Vrbis Conſtantienſis quam diligentiſſime, ut auctor eſt idem Geſnerus in Bibliotheca.

ACHILLES P. GASPARVS LINDAVIENSIS.

Medicus & Mathematicus Reipub. Auguſtanæ. Ejus exſtat *Deſcriptio* Lindoienſis Vrbis, quam Seb. Munſterus Coſmographico ſuo operi inſeruit. Vixit, A. *D.* 1530.

ÆGIDIVS TSCHVDVS NOBILIS GLARONENSIS.

Scripſit librum Germanice de Priſca ac vera Alpina Rhætia cũ cætero Alpinarũ gentiũ tractu, mira antiquitatis obſervatione, locis illis peragratis, & optimis quibuſq; in hoc genere auctoribus, & ve-

& vetustis ubiq; literarum ac instrumentorum, ut vocant, monumentis perlectis, cōpositum. Hunc Sebastianus Munsterus Latinum fecit. Impressus est Basileæ, A. D. 1538. Hæc Gesnerus in Bibliotheca.

HVLDERICVS CAMPELLVS RHÆTVS.

Fecit *de Rætia antiqua & Alpina libros 2. quorum priore regio ipsa, & oppidorum, arcium, pagorum, montium, fluminum, &c. loca & situs, veteres familiæ, Respublica, & gentis mores: posteriore vero res gestæ memoratu dignæ describuntur.* Idem Gesnerus dicto loco.

ALBERTVS BELFORTIS RHÆTICVS.

Medicus excellens, scripsit Rhætiæ Epiphasin de gestis, antiquitate, nobilitate, & potentia Rhætorum, ubi omnis ejus gentis & regionis historia ad unguem ita demonstratur, ut nihil apud Græcos aut Latinos extet, quod in medium non afferatur. Idem dicto loco.

ANONYMVS MONACHVS S. GALLI.

Scripsit de vita & gestis Notkeri Piperisgrani Physici, Medici & Pictoris celeberrimi. Quod scriptum Ekkehardus Iunior Casuum cap. 13. vocat *grande volumen.*

SCRIPTORES HISTORIÆ S. VDALRICI COMITIS *Kyburgensis & Episcopi Augustani.*

Horum tres circumferebantur jam Ekkehardi tempestate, ut ipse auctor est in Casibus pag. 65. Qui vero aut cujus conditionis fuerint, non exprimit. Videntur autem fuisse Vdalscalcus, Gebehardus, & Berno, qui omnes ante Ekkehardum illum floruerunt.

GEBEHARDVS EPISCOPVS AVGVSTANVS.

Contexere cœpit vitam S. Vdalrici Episcopi, sed morte præventus non absolvit. Editus est liber à Marco Velsero. Vixit A.D. 99.

BERNO AVGIENSIS ABBAS.

Scripsit vitam S. Vdalrici stilo pro illa ætate satis composito. Edita est jam olim ab Laurentio Surio Tom. 4. & repetita à Marco Velsero. Nos bina ejus possidemus scripta exemplaria, multis partibus vulgato illo emendatiora. Sane non potuit mihi semper non displicere Suriana illa in mutandis veterum historiis sive religio, ut nonnemo appellat, seu potius audacia, quomodo antiquarij dicunt, quâ aures studiosorum veritatis priscæ non parum offenduntur, fidemque rerum gestarum in dubium vocant. Ea re operæ pretium me facturum existimavi, si eadem opera & hunc ex MSS. nostris restitueremus, quam VValafrido, Theodoro, & Hepidanno redintegrandis ac persanandis impendimus. Quo in opere quum is, qui mihi à manu esset, & jam res ad exodium spectaret, commodum ad me perfertur editio illius, quem dixi, Velseri opera Freheri nostri & per eum. Qua visa, mutata sententia cedit loco: quamvis præter characterum & chartæ venustatem alia re nulla sit commendatior. Fuit enim mihi religio multo maxima, ejus viri provinciam ingredi, in quo summa est auctoritas & amplitudo, quæ apud me & solet & debet valere plurimum. Porro scripsisse quoque perhibetur Berno iste Chronicon, quod an adhuc extet, nondum constat. Obiit A.D. 1048.

VDALSCALBVS ABCAS.

Perscripsit vitam S. Vdalrici oratione copiosa. An est ea, quam ἀνώνυμον dedit Velserus? Sunt qui arbitrantur: quibus repugnat annorum numerus. Vixit enim Vdalscalcus iste circiter A.D. 1150 septuaginta & amplius annis ab Vdalrici obitu. Videtur autem is esse, de quo innominatus Auctor de Inventione & translatione S. Vdalrici apud eundem Velserum scribit; *Quidam Vdalscalcus* (ita enim legend.) *famulus Præpositi majoris Ecclesiæ, qui postmodum Episcopus factus est, à quo & hoc ipsum, quod narramus, audivimus, vidit B. Vdalricum in visu,* &c. Hanc gratiam Dominus posteà famulo suo in Episcopatu fecit, ut industriæ ac pietatis nomine ad Abbatiam promoveret.

BERTHOLDVS ZVIFALTENSIS ABBAS.

Scripsit librum de Origine Monasterii Zvvifaltensis, quem in testimonium citat perssæpe Mart. Crusius in Annalib. Suevorum.

EKKE-

EKKEHARDUS MINIMUS.

In vita B. Notkeri Balbuli cap. 27. legitur: *Comitis de Kyburc filius nomine VVolo*) Videtur filius fuisse Hartmanni Comitis ex Comite Elickovia, sorore B. Notkeri Balbuli, non vero Nothberti, quod à corrupto forteam codice persuasus in Genealogia Kyburgensium Comitum annotavit Velserus. Accidit autem casus iste A.D 876. ut auctor est Hepidannus. Et mirum cuipiam videri debeat, quum valde adolescens perierit VVolo, quo pacto circa annum 854. nutriri ad S. Gallum potuerit, qui nondum erat natus. Ut hac quoque in re à pravato codice deceptus fuerit Velserus. Tum quod addit, Notkeri aviam sororem fuisse Karoli Magni, vellem ei rei argumenta & auctoritatem dari. Ipsa denique Genealogia Comitum potius Dilingensium est, quam Kyburgi possessorum, quod observasse & alios vellem.

Pag. 396. ad cap. 31. quæ annotavi, sunt delenda. Nam nudius tertius quum animum oblectandi gratia mitterem ad Ioh. Manlij Locos communes, in eorum calce pervolventi Calendarium Historicum, commodum se oggerit S. Elisabethæ dies natalis, qui est XIX Novembris, ubi hæc verba leguntur ex ore Philippi Melanchthonis excepta: Nata fuit patre Andrea Rege Ungarico, matre vero Germanica Gertrude. Dicunt alij fuisse Bavaricam, filiam Ducis Bavarici: quod non est. In aliquibus libris est, quod fuerit Moravica: utrumque affine est. Sed fuerunt Duces de Mœran, qui tenuerant Voitlandiam, cujus hæ fuerunt civitates, Culmbach/Blauen/Hoff/&c Hunc ipsi Ducatum vocarunt das Herzogthumb zu Möran tempore Friderici Barbarossæ, quia post illum Ducatus de Mœran facta est divisio in diversos Præfectos Inde vocari cœpit Voitlandia, & tractus est vetus Variscorum, extrema pars Bohemicorum montium versus Misniam & Franconiam.

NOTKERUS LABEO ABBAS S. GALLI.

Transtulit in linguam Alamannicam Psalmos Davidis, & librum Iob: quorum illi apud nos extant, iste periit. Meminit Ekkehardus Iunior in libro Benedictionum.

THOMAS LYRER RANCKVVILENSIS.

Numerum scriptorum Alamannicorum facere posset, absque fabulis esset, quibus totam historiam suam inquinavit. Tradit plerorumque omnium superioris Alamanniæ Comitum & Baronum origines. Vixit circa A.D. 1200. ut ex narratione ejus colligitur.

Et hos quidem Alamannicarum rerum scriptores potuimus indagare. Multo plures latere in Monasteriis S. Galli, Augiensi, Campidunensi, VVeingartensi, & Bibliotheca Cathedtali Constantiensi, indices fidem faciunt. Quos & ipsos est ut aliquando speremus DEI OPT MAX. beneficio atque munere eruendos.

FINIS.



GENEALOGIA KYBURGENSIUM COMITUM IN ALAMANNIA;

EX CODICE MS. VETERE BIBLIOTHECÆ S. Vdalrici, Auguſtæ Vindelicorum.

Hartmannus I. Comes de Kyburg. — Burchardus I. Sueviæ Dux obiit 911. Uxor Regis Burgundiæ filia.

Hupaldus I. natus circa an. 865. obiit 908. — Ditperga nata circa ann. 870.

Diopoldus. — Manegoldus. — S. Udalricus, nat. an. 890. ob. 973. — Albertus I. — Luitgarda I. uxor Burchardi III. Sueviæ Ducis, qui ob. 973.

Omittitur Monialis Buchovienſis ab Hugone Comite vitiata, cujus meminit Ekkehardus pag. 67.

Richuvinus, Hildigardis uxor. — Hupaldus II.

Adelbero Canonicus Auguſtanus, S. Udalrico deſtinatus ſucceſſor. — Reginbaldus obiit 955. — Hupaldus. — Manegoldus. — Kunigunda Monialis.

Hupaldus III. — Irmentrudis Abbatiſſa VVerdeæ. — Manegoldus II. Gutta uxor.

Albertus II. Hartmannus. — Manegoldus III. Metildis de Schuvabek uxor. — Gunderada Abbatiſſa VVerdeæ.

Hupaldus IV.

Hartmannus III. ann. 1078. Adelheidis uxor. — Benedicta Comitis de VVitelſpach uxor. — Manegoldus IV. VVurza uxor.

Hartmannus IV. Monachus ante obitum obiit 1141. — Udalricus II. Epiſcopus Conſtantienſis, obiit circa an. 1139. — Manegoldus V.

Albertus III. Monachus ante obitum.

Albertus IV.

Hartmannus V.

Albertus V. obiit circa annum 1229.

Hartmannus VI.

Udalricus III. — Albertus VI.

Hartmannus VII.

Ludovicus, obiit circa an. 1263. — Hartmannus VIII. Epiſcopus Auguſtanus, obiit anno 1286. — Albertus VII. — *Uxor Comitis de Zolleren. — *Uxor Comitis de Helfenſtein. — *Uxor Baronis de Hellenſtein.

FINIS.

INDEX SCRIPTORUM VETERUM.

Genea-

FINIS.



INDEX SCRIPTORUM RECENTIUM.

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

de

Retia-

Theo-

de-

FINIS.

ALAMANNICARUM RERUM SCRIPTORES ALIQUOT RECENTIORES

Cumprimis

IOACHIMI VADIANI ANTIQUITATES

Tomus tertius & ultimus.

EX BIBLIOTHECA MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI.

CUM INDICE ABSOLUTISSIMO.



FRANCOFORDIÆ

Impensis IOHANNIS MARTINI PORSII

Typis MATTHÆI KEMPFFERI.

M. DC. LXI.

SYLLABUS SCRIPTORUM HOC TOMO CONTENTORUM.

DE



DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS,

IOACHIMVS VADIANVS, PATRICIVS ET CONSVL SANCTGALLENSIS.



X nobili & pervetusta Vadianorum Turgoviæ superioris familia, cujus etiam Dodechindus Abbas in Appendice ad Marianum Scotum meminit, & à nostrate vulgo, von Watt/ *indigetatur. Prima studiorum suorum fundamenta jecit S. Galli in Monasterii schola exteriori. Inde Vienam Austriæ missus, ubi pater ejus per Hungariam & Poloniam negotia exercebat, tantos in studiis progressus fecit, ut brevi ac valde etiam adolescens summos Philosophiæ honores consequeretur. Relicta Vienna Cracoviam petiit in Polonia; verum Doctores minus ex sententia quum reperisset, Budam ad Regem Hungariæ contendit, famâ regiæ Bibliothecæ allectus. Hæsit illic aliquandiu Regi & Doctoribus ob ingenii acumen & eruditionem gratus. Hinc reversus Viennam, Collegio Professorum Philosophico adscribitur, jussu ac mandato Friderici III. Cæsaris, à cujus manu propria lauream accepit Poeticam. Tandem summo in medicina gradu conscenso à civibus suis vocatur in patriam, ubi suæ, cui præfuit Reipubl. strenuissimam, fidissimam atq; utilissimam navavit operam. Ex præceptoribus præcipue coluit Georgium Collimitium Mathematicum, Ioannem Cuspinianum Historicum, & Conradum Celtem Protucium Poëtam, quibus usus est quam familiarissimè. Ex condiscipulis familiares sibi inde ab initio fecit Huldrichum Zuinglium, qui tum se Cogelium scribebat, Henricum Loritum Glareanum, Arbogastum Strubium, Ioannem Eckium, Rudolphum Agricolam Iuniorem, & Ioannem Fabrum. Erasmi, Lutheri, Melanchtonis, & omnium eius ævi doctissimorum hominum amicitiam ac benevolentiam summa ejus doctrina, singularis humanitas, & qua apud Helvetios plurimum poterat, auctoritas maxima suopte post ingenio conciliaverunt. Mortuus est S. Galli Anno Domini* CIϽIϽLI. *sepultus in coemiterio D. Magni, sed pro more eius ecclesiæ nulla adjecta monumenti memoria. Eius scripta quædam commemorat Conradus Gesnerus in Bibliotheca, cuius verba non pigrabor adjicere.*

Ioachimus Vadianus (inquit) natione Helvetius, Medicinæ Doctor, Poeta & Orator in lucem edidit carmen de laudibus Cæsarum Friderici III. patris & filii Maximiliani, Epitaphium Rudolphi Episcopi Herbipolensis &c. liber excusus Argentinæ apud Ioan. Prusz anno CIϽIϽXIV. Æglogam, cui titulus FAUSTUS contra invidos quosdam, Elegiam de Vadianorum familiæ insignibus, à Sigismundo primo Romanorum Rege donatis, ad Melchiorem fratrem anno CIϽIϽXVII. Elegiam, quæ certamen cum morte describit, & oden in laudem Dominicæ resurrectionis, Viennæ publicè dictatam anno CIϽIϽX. ibidem impressam, cum Arbogasti Strubii Glaronensis Helvetii orationibus & versibus quibusdam, sylvas de laudibus patriæ, ni fallor, inscriptas. De poetica & carminis ratione librum ad Melchiorem Vadianum fratrem excusum Viennæ Austriæ, anno CIϽIϽXVIII. Commentaria in libros tres Pomponii Melæ de orbis situ, impressa primum Viennæ Austriæ anno CIϽIϽXXII. deinde Parisiis CIϽIϽXXX. Adjectis præterea locis aliquot ex Commentariis summatim repetitis & obiter explicatis, in quibus

Ioannes Camers in Enarrationibus suis in Solinum ab eo dissenserat. Item Epistola ad Rudolphum Agricolam Rhetum Iuniorem scripta, ubi explicatur locus apud Plinium de Dodrante & Pigmæis, de longitudine Gabaris, & quid sit uncia apud eundem. Locus Persii ex Satyr. 1. Si costam longo &c. De Antipodibus multa, de lacu Acronio & Veneto. Locus Lucani ex lib. 6. de Dorio. Locus Virgilii ex 1. Georgicor. de vertice Austrino. Hæc deinceps Basileæ etiam excusa sunt apud Cratandrum. Scholia in 2. C. Plinii librum Naturalis historiæ, impressa Basileæ apud Henricum Petri, cum Iac. Ziegleri Commentariis in eundem librum. Epitome trium terræ partium, Asiæ, Africæ, & Europæ, compendiariam locorum descriptionem continens, præcipue quidem, quorum in Actis Lucas, passim autem Evangelistæ & Apostoli meminere. Opus impressum Tiguri CIↃIↃXXXIV. Idem opus ab auctore recognitum ibidē excusum est in 8. additis quibusdam tabellis Geographicis anno Domini CIↃIↃXLVIII. Aphorismorum libros 6. de Consideratione Eucharistiæ, de sententiis videlicet super hac re controversis, de sacramentis antiquis & novis, deq; verbo, symbolis & rebus. Item de vero veri corporis Domini Esu, de transsubstantiationis dogmate & veritate corporis Christi humani, præterea qualis fuerit ritus cœnæ veterib⁹: rursus per quos, quomodo & quibus temporibus is ceremoniarum accessione auctus atque immutatus sit, opus impressum Tiguri apud Froschoverum anno CIↃIↃ XXXVI. Orthodoxam & eruditam epistolam, qua explicat quæstionem, an corpus Christi propter conjunctionem cum verbo inseparabilem, alienas à corpore conditiones sibi sumat, impressum Tiguri anno CIↃIↃXXXIX. Ad D. Ioannem Zuickium Constantiensis ecclesiæ pastorem epistolam, in qua post explicatas in Christo naturas diversas, & personam ex diversis naturis unam, Iesum Servatorem nostrum, vel in gloria veram esse creaturam, tum oraculis scripturarum sacrosanctis, tum interpretum Orthodoxorum anthoritate docetur & demonstratur. Præterea Antilogiam ad D. Casparis Schuenckfeldii argumenta in libellum, qui ab eo summarium inscriptus est, collectam, quibus Christum Dominum in gloria receptum amplius creaturam nullo modo esse contendit, opusculum anno CIↃIↃXL. Tiguri excusum. Pro veritate carnis triumphantis Christi, quod ea ipsa quia facta est, & manet in gloria, creatura, hoc est nostra caro esse non desierit. Anacephalæosim sive recapitulationem ubi quædam amplius explicantur; & quæ multis antea exposita fuerant, brevissime repetuntur: Tiguri excusam. Contra tredecim insignes Casparis Schuenckfeldii errores, de Confessione & gloria Christi, quos partim primus introducit, partim veteres renovare conatur, libellus Tiguri editus Germanico sermone. Item aliud opusculum Germanice scriptum, contra eundem Schuenckfeldium, Christum in gloria creaturam amplius negantem per eruditos quosdam fratres ex superioribus Latinis Ioachimi Vadiani libris congestum &c. Consilium contra pestem editum Basileæ. Claruit apud S. Gangallenses anno CIↃIↃLI. quo etiam obiit. *Hæc ille. Scripsit præterea Latino sermone quæ nondum edita, Notationes in Novum testamentum, Explicationes in Acta Apostolorum, Quæstiones diversas & earundem resolutiones, Tabulas Cosmographicas, Notas in Persii satyras, Commentaria in Columelli hortulum, Commentaria in Solinum, Notas in Alberti Magni descriptionē orbis terrarum, Notas in Thomæ Aquinatis tractatum de corpore Christi, librum Epistolarum, libros Carminum, orationes & alia, quæ memoria exciderunt. Germanicè itidem Scripta supersunt, de Collegiorum & Monasteriorum vera restauratione ad Senatum Bernensem, Descriptio Lacus Acronii & confinium locorum, Descriptio Turgoviæ; ex quibus duobus libris valde & tacito auctoris nomine locupletavit Chronica sua Iohannes Stumphius Tigurinus. Disceptatio & Arbitrium in causa Bernensium & septem Pagorum de Administratione Lantgraviatus Turgoviensis & alia, quæ S. Galli adhuc extant partim apud Schobingeros & Zollikoveros, ejus nepotes, partim in Bibliotheca D. Magni quæ est Reipublicæ. Omnia duobus tomis comprehensa, edere studebat noster Schobingerus; sed morte præventus non absolvit.*

BAR-

BARTHOLOMÆVS SCHOBINGERVS PATRICIVS ET IC. SANCT-GALLENSIS.

Ex antiqua Schobingerorum gente quæ apud Villanos aliquot centum annos clara. Nomen habent à castello, cujus adhuc rudera superſunt Schowingen/ *haud S. Gallo procul ſub Abbatis dominio, cujus nominis & aliud fuit in Turgovia, Glatburgum inter & Oberburam, nunc Pincernarum à Caſtello, qui Glatburgum inhabitant, peculium. Vir fuit multarum linguarum gnarus, Italicæ inprimis, Gallicæ & Hiſpanicæ, quarum terrarum Academias non otioſe, & dicis gratia (ut multi ſolent) perluſtraverat. Patrem habuit Davidem, virum adæque doctum, ac cordatum, cui Theodor. Zuingerus magnam Theatri ſui partem inſcripſit. Avum Bartholomæum, cognomine Divitem Philoſophum, qui ſuper naturæ arcanis auſus eſt cum Theophraſto Paracelſo & Alexandro à Suchten, quibus familiariſſimus erat, in certamẽ deſcendere. Scripta extant apud Schobingeros, ſi cum aliis comparentur, auro contra cara. Proavum Ioannem, Præfectum Baronatui Oberbergenſi à Principe ac Abbate S. Galli. Abavum Ioannem Sculterum Villanum, virum ſtrenuum ac bellicoſum, cujus non ſemel meminit Ioannes Ticklinger in Chronico Bernenſi. Moritur noſter iſte Schobinger, noſter (inquam) qui me ut alterum ſuum, dum vita fuit, amabat, anno* CIↃIↃCIV. *ſummis vigiliis fatigatus, quas edendis his ipſis libris, tum Vadiani operibus integris & tandem exſcribendis ac illuſtrandis Principum, Comitum, Baronum, Nobilium quorundam vetuſtis carminibus lucubratus fuit, hydropia inſuper tactus. Sepultus St. Galli in Cœmiterio B. Magni ſine epitaphio.*

IOHANNES COMANDER, ECCLESIASTES CVRIENSIS.

An quid ediderit, & quid illud ſit, quod ediderit, pariter habeo compertum. Profeſſione fuit Presbyter & Parochus Cathedralis Eccleſiæ Curienſis poſt mutationem religionis, cujus ille primus in Rhetia Curienſi author ac perſuaſor, Eccleſiaſtes reformatæ Curienſis Eccleſiæ. Devixit multis annis ante Vadianum.

IOHANNES ZVICKIVS PATRICIVS ET IC. CONSTANTIENSIS.

Ex nobiliſſima Zuickiorum apud Conſtantienſes familia. Summum in jure utroq; gradum Friburgi Briſgojorum eſt adeptus, Vdalrici Zaſii inde ab incunabilis Studiorum Condiſcipulus, & ſodalis. Catholicæ veritatis primus apud Conſtantienſes contra veteratores, ſocio Ambroſio Blarero Conſobrino ſuo reſtaurator. Vir ſine dolo, ac fuco verè pius, ſyncerus & orthodoxus. Poſt occupatam à Carolo Quinto Conſtantiam, ſeceſſit Epiſcopizellam Turgoviæ, ubi & mortuus ac ſepultus eſt, & quò patrem meum Heinricum Goldactum ab Haiminsfeldt, amitæ ſuæ nepotem, abductum reliquit. De hoc Conradus Geſnerus in Bibliotheca hæc tantum ſcribit: Ioannes Zuiccius Doctor, Conſtantienſis Eccleſiæ miniſter, ſcripſit libellum Germanicum de conjugio Conſtantiæ editum in 4. Item ad Reutlingenſis Epiſtolam *ſcripſit præterea hymnos quoſdam Eccleſiaſticos, qui etiamnum in Eccleſiis reformatis cantantur.*

LEO IVDÆ PROFESSOR TIGVRINVS.

Conradus Geſnerus in Bibliotheca. *Leo Iudæ, Eccleſiæ Tigurinæ miniſter, ex ore Hulderici Zuinglii annotationes in Geneſim & Exodum, item in quatuor Evangeliſtas, Paſſionis Dominicæ hiſtoriã, ac in Epiſtolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, & in Iacobi Epiſt. Annotationes excepit Præterea opus Articulorum ſive concluſionum* Hulderici *Zuinglii è Germanico Latinum reddidit; quod cum reliquis Zuinglii operibus habetur, & ſeorſim Tiguri excuſum eſt* CIↃIↃXXXV. *Catechiſmum majorem & minorẽ Germanice ſcripſit, diſtributũ in vices interrogandi ac reſpondendi. Impreſſos ibidem veteris teſtamenti libros* Hebr. *ſimplici & pura dictione è Sacra* Hebræorum *lingua, conſultis ſimul orthodoxis interpretibus, in Latinam tranſtulit, fide & religione ſumma: paſſim autem per tota*

Biblia adnotationes & variæ lectiones marginibus adjiciuntur, Froschoverus excudit Tiguri anno CIƆIƆXLIII. Historiam Passionis Domini nostri, ex quatuor Evangelistis conjunctam, clara & simplici expositione Germanicè scripsit, impressam Tiguri. Desiderii Erasmi Paraphrases in novum Testamentum in Germanicum sermonem vertit, adjecta declaratione in Apocalypsim Ioannis per D. Conradum Pellicanum, ibidem excusas. Antea quoque tota Biblia Germanicè reddiderat, ad Hebraicum veritatem cum Iudæo quodam diligenter collata, quæ item Tiguri edita sunt. Claruit apud Tigurinos anno CIƆIƆXL. Scripsit etiam Germanice de sepultura, resurrectione, & ascensione Christi & missione Spiritus Sancti. Zuinglii Antibolon contra Emserum de vera & falsa religione, de providentia ad Christianum Regem, in Germanicam linguam convertit, Bullingeri librum contra Anabaptistas Latinitate donavit.

IOHANNES KESSLERUS SANCT-GALLENSIS.

HIc ante reformationem religionis, sacerdos fuit in æde D. Laurentii apud S. Gallenses: sed admodum juvenis. Quæ ætas hominem impulit, ut post mutationem animum ad artificium sellariorum adjiceret, quod etiam plurimos annos exercuit. Tandem à senatu ob eruditionem ad functionem Scholasticam vocatus, in ea strenuè ac diligenter, usq; ad obitum perstitit. Scripsit Chronicorum opus ingens lingua Germanica, quod apud ejus filium S. Galli extat. Præterea vitam Ioachimi Vadiani Consulis, Commentarium in ejusdem Vadiani Gallum, & alia, quæ in manus nostras non venere.



IOACHI-

IOACHIMI VADIANI CONS. SANCTGALLENSIS,
IN FARRAGINEM ANTIQVITATVM
DE COLLEGIIS ET MONASTERIIS GERMANIÆ VETERIBVS
PRÆFATIO.

DE Collegiis, Monasteriisq; Germaniæ antiquis scripturo, minime a-
lienum ab instituto visum est, si quas terras eo nomine intelligeremus,
Candido lectori ante omnia proponeremus. Germaniam igitur à Se-
ptentione venientem, veteres amnibus Rheno & Danubio terminabant:
ab occasu quidem Rheno, à meridie Danubio: pauci ad alpes usq; extende-
runt. Sed horum tamen authoritate prætenta, veterum sententiā posterior
traditio confirmavit. Migratione autem gentium Germanicarum trans
Rhenum & Danubium factum est, ut et provinciæ limitaneæ & contermi-
næ in nomen Germaniæ transierint, & illa, quam supra memorati amnes
includunt, vetus postea dicta sit. Quæ quidem quia postrema Romanorum
armis patuit, neq; unquam aut tota devicta est, postrema etiam Christianam
religionem accepit. Nos Germaniæ nomine tam veterem illam, quam pro-
vincialem cisrhenanam, Danubianamq; intelligimus. Et Germaniæ quidem
provinciales has præcipue terras ingrediemur, quas Franci & Alemanni
Rhenum & Danubium transgressi occuparunt. Primi autem omnium Ger-
manorum Franci, & Francorum pars Alemanni ad fidem Christi conversi,
Collegiorum & Monasteriorum Germaniæ Authores fuere, extructis vide-
licet, & amplis redditibus donatis, basilicis cœnobiisq; Presbyterorū & Mo-
nachorum, quibus Episcopi & Abbates præficerentur. Constat autem lon-
ge ante Francorum & Alemannorum migrationem, & si colligimus, non ita
multis annis à passo Domino, Christi usq; adeo nomē & doctrinam per pro-
vincias illas increbuisse, ut & in Rheni & Danubii ripa Ecclesiæ Christianæ 1
frequentes emerserint, & essent viri sancti, sacra illa & vere Apostolica fun-
ctione ornati, qui harum curam gererent. Verum & hæ utcunq; institutæ &
auctæ, Germanicarum gentium frequēti eruptione, deinde vero migratio-
ne, non afflictæ modo, sed oppressæ etiam & magna parte extinctæ fuerunt.
Quare factum est, ut statu rerum mutato in novis illis & feris provinciarum
colonis erudiendis, & instauranda iterum in Christum fide, denuo sudatum
& laboratum fuerit. Neq; est à vero alienum, plus operæ datum fuisse ei ne-
gotio in barbaris illis edomandis convertendisq; ad Dominum, quam in La-
tinis adeoq; Provincialibus veteribus initiandis antea unquā impensū fuis-
set. D. Hieronymus in Epist. quam ad Geruntiam de Monogamia scripsit,
calamitatem illam, quam Germani provinciis Rheno vicinis intulerant, nō
hac modo causa deplorat, quod videret barbarorū eruptiones Imperii Ro-
mani dignitati & quieti incommodare, sed illa etiam quod Ecclesiæ provin-
ciales indignis modis affligerentur. Longe amplius ploraturus arbitror, si
provinciis demum devictis & occupatis Ecclesias disjectas excisasq; tot mil-
lium Christianorum casu & interitu vidisset. Quod ipsum paucis annis à 2
Hieronymi morte sub Valentiniano ejus nominis Tertio accidisse proditum
est, annis post natum Christum paulo minus quadringentis. Germanorū au-
tem, qui rupto limite amnes transiverunt, potissima pars Franci fuerunt, &
in Rhetiam primā à prima Germania longe lateq; diffusi Alemanni, tanto tū
corporum robore, tum animorum ardore præditi, ut nihil mirum sit, vel po- 3
tentissimis populis ipsos terrori fuisse. Horum priores Franci, longius à ripis
Galliam ingressi, quum devictarum gentium consuetudine cultiores paulo
civilioresq; facti essent, demum Remigio authore ad fidem Christi conversi
sunt. Clodoveo illo Hilderichi filio clarissimo Principe baptisato, [cujus vir-
tute Regnum illud à Francis Germanis in Gallia constitutum, quod annis
ante se plus minus 60. duraverat, longe maxime inclaruit] tanta quidem a-
nimorum mutatione & cultu, ut religionem Christianam, quam ignari pri-
mis illis in motibus tantoperè affecerant, mox summa ope instaurare cir-
cumquaq;, & incredibili quadam animorum pronitate excolere perrexe-
rint, neq; non & authores fuerint religionis suscipiendæ non modo Aleman-

nis, quos devicerant, postea sui & juris & nominis facti, sed etiam Bajoariis,
Saxonibus & Toringis, aliisque Germaniæ populis, qui partim provincias
occuparunt, partim suas sese intra sedes continuerunt. De qua re omni de-
que Gentium Germanicarum migrationibus vir doctissimus Beatus Rhe-
nanus Selestadiensis, in libris illis, quos de rebus Germanicis ad Ferdinan-
dum Cæsarem scripsit, magna fide & diligentia prodidit, ad quem nos le-
ctorem plura desiderantem remittimus. Ad Francos interim & Alemannos
conversi, quos satis constat inter elogia sua & acclamationes, quibus sunt
gavisi, nullas plausibiliores habuisse, quam quæ conversos se ad fidem Ca-
tholicam testarentur. Extant enim hodieque in vetustissimis codicibus,
quædam de Vernacula, ni fallor, Francorum lingua à Scribis utcunq; trans-
lata, quæ in hunc modum habent;

GENS FRANCORUM INCLYTA
AUCTORE DEO CONDITA,
FORTIS IN ARMA,
FIDELIBUS ATQUE AMICIS FIRMA,
PROFUNDA CONSILIO,
NOBILITATE INCOLUMA,
FORMA EGREGIA,
AUDAX, VELOX, VEL ASPERA,
AD CATHOLICAM FIDEM FIMITER CONVERSA.

Et item illud pervetustum;

VIVAT SI FRANCOS DILIGAT,
CHRISTUS EORUM REGNUM USQUE IN ÆTERNUM CUSTODIAT,
RECTORES EORUNDEM LUMINE GRATIÆ SUÆ REPLEAT,
EXERCITUMQUE EORUM PROTEGAT ATQUE DEFENDAT,
FIDEM MUNIAT,
PACEM, FELICITATEM, SANITATEM, PER OMNIA SÆCULA TRIBUAT.

Sub Regibus autem Ludevico, Childeberto & Lothario, hoc sibi laudes
vendicabant Franci, quod jugum Romanorum excussserint, quod sanctorũ
corpora igne, ferro, bestiis confecta, auro & ebore incluserint, quod regnum
Christianorum fundarint, à cujus primordiis usque adeo infesti Romanis e-
rant, ut ne nomen quidem Imperii æquis auribus ferrent, ne dum Imperium
ipsum admitterent. Quæ res postea Romanis Pontificibus, & ipsis imperium
6 Orientis detrectantibus, occasionem præbuit non parvam voti potiundi,
nomine imperii ad Francos, atq; inde etiam ad Germanos reliquos transla-
to, simulq; Italiæ rebus eo modo dispositis & paratis, ut certa ratione inita,
& paucis sæculis elapsis, non Urbis modo dignitas potestasq;, quæ in Regũ
& Imperatorum manu erat, sed magna etiam Italiæ pars, quæ ditionis antea
imperialis fuisset, in jus & manum Antistitum Romanorũ pervenerit. Quod
quidem à Francis facile erat impetrare, nimirum Religioni utcumq; tum af-
fectæ, sed persuasæ tamen & receptæ, addictis, & ultro vel iniqua deferen-
tibus, quo minus antiqui Imperii robur quod sæpe nocuisset, restaurari, se-
desvè illa vetus ab Orientis imperatoribus, obtineri ullo studio posset. Erant
quidem & hi Christiani, & toto in Oriente celebrati, sed religionis interesse
visum est Francis, si horum fortunas & dignitatem adversum Orientis Prin-
cipes tuerentur, quorum studiis & favore translatum in se imperium susce-
pissent. Ad hæc neq; clades perpessæ exciderant, quas maximas Principes
Urbis vel Christiani clarissimis Germaniæ populis intulerant. Et ob oculos
versabatur amplum & potens Italiæ regnum, quod annis minus 200. Ger-
mani Langobardi possidebant, cujus potiundi spem minime inanem jam du-
dum Præsules Romani Francis ingesserant, non tam hoc agentes, ut Italiâ
carerent Imperatores Byzantini, quàm ut Longobardi Francorum opera
semel ab universa Italia summoverentur. Veterum quidem Romanorum
gloriam hac una invidia premebant Franci, quod toto orbe & multis sæcu-
lis Ecclesias Christi, nullo aut sexus aut ætatis discrimine, trucidasset. Pro-
inde & leges suas, quæ à Theoderico primi Ludevici filio æditæ, atque hinc
7 à Childeperto & Lothario, quem Clotharium scribæ Gallici vocant, poten-
tissimis Regibus auctæ, postremo autem à Dagoberto in optimam formam
8 redactæ sunt, hac de re inprimis commendarunt, quod nihil in se haberent,
quod aliqua ex parte paganismum resiperet. Ita licet nulla unquam gens
fuerit, quæ suis legibus non plurimum tribuerit, tamen Franci hac una in re
gloriam statuebant, quod non justis modo, sed piis etiam legibus uteren-
tur. Et profecto extra controversiam est, vix alias gentes in illa duritie bar-
barieque sæculorum, Ecclesiis ornandis fovendisque amplius impendisse,
quam Franci & Alemanni impenderunt. Veterum enim Ecclesiarum pro-
vin-

vincialium circa Rhenum & Danubium quasdam restaurarunt amplis censibus additis, quasdam autem novas è fundamentis exædificarunt, nihil minus donatas, & ornatas, quam illas priores. Ex restauratis autem præcipuè 9
censentur Augustana Vindelicorum, Magonciacensis, Treverensis, Coloniensis, quas satis constat, antequam Franci & Alemanni è Germania migrârint, minime incelebres & infrequentes fuisse. Germanicarum enim Ecclesiarum cis Rhenum Irenæus vetus author meminit, & est notum D. Hiero- 10
nymum multo tempore Treveris egisse, antequam Franci & Alemanni suis è sedibus migrarint. Neque absimile vero est, & Nemetum ecclesiam, quæ hodie Spirensis, & Vangionum, quæ Wormatiensis, sed & Rhætorum, quæ 11
apud Curiam est vetusta, nec in totum ignota colonis provincialibus initia habuisse: siquidem Dagoberto regnante claram fuisse Spirensium Ecclesiam constat. Et illam quæ est Aquisgrani, postea Caroli M. liberalitate fundatam ornatamq; esse notius est, quam ut multis sit referendum. Nec præterit nos Germaniæ Principes, qui fractis demum & collapsis Francorum rebus imperarunt, non modo cœnobia plurima, sed collegia etiam & Cathedras in Germania condidisse. Basiliensem enim Heinricus I. Bambergensem Heinricus II. Magdeburgensem Ottho I. Saxo, Princeps clarissimus, cui decem minimum Episcopales sedes in Germania fundatæ tribuuntur. Et ne omnes numeremus, aliæ item atq; aliæ Ecclesiæ diversis locis, & tēporibus illorum beneficentia & liberalitate fundatæ sunt. Quorum quidem Exemplum nuperrimi Principes secuti, non cœnobia solum, sed etiam Episcopatus recenti admodum memoriâ restituerunt. Viennensis enim Episcopatus in Pannonia Maximiliano Cæsare procurante, à Patavienfi subdivisus & paucos ante annos institutus est, cum antea Basilica illa ornatissima S. Stephani nonnisi Præpositum habuerit, exigua diœcesi contentum. In primam enim Pannoniam sese diœcesis Pataviensis effundit, quæ tamen non paulo angustior est Salisburgensi, quæ omnium in Norico positarum Ecclesiarum amplissima est. Illud constat etiam, antiquas juxta Rhenum & Danubium sitas Ecclesias, Otthonum & Heinrichorum liberalitati plurimum debere, imprimis autē Spirensem, quæ singularem Henrici III. beneficentiam experta est. Porro ut omnium commune visum est pietatis studium donare & largiri Ecclesiis, neq; quisquam ullius ordinis Germanorum, post doctrinam illam operum & meritorum imbibitam, suæ suorumve salutis curam negligendam esse hac via putavit: usque adeo contendis donandisque sacris ædibus prope omnes admirabili quodam consensu & voto incubuerunt. Quare & Duces constat & Comites hac à parte religioni propagādæ innumeris cœnobiis extructis affuisse. Tanta enim fuit Germanicarum gentium quondam in monasteria liberalitas, tanta [ut vere dicam] profusio & largitas, ut prope in confesso sit, non Galliæ solū Comatæ, sed Narbonensis etiam & Italiæ ipsi⁹ ditissima cœnobia vetera, bona sua ferme omnia Langobardis & Francis & Burgundionibus debere. Siquidem Langobardi ante Francos in Italia annis minimū 200. regnarunt. Burgundiones autē sub Iuniore Theodosio, Galliam ingressi, regnū & ipsi constituerunt adeo amplum, ut magna pars ejus Galliæ, quæ Provincia cognominatur ad ejus ditionē pertinuerit. Spectata quidem est & fœminarum sedulitas cœnobiis maxime puellaribus fundandis adhibita, inter quas nō modo Nobiles aut Regiæ, sed etiam Augustæ numerantur. Præcipue harum extitere, Bathildis Ludevici II. Francorum Regis uxor, & Bertrada Pipini Regis conjunx, mater Caroli M. & Mathaldis Henrici I. Adelheidis Otthonis I. Kunigūdis Henrici II. Agnes Henrici III. conjuges, insuper & Hedvviga illa laudatissima fœmina Henrici I. filia, quæ nobilem virum Burghardum Suevorum Ducem maritum habuit: porro & Berthæ, filiæ ejus, memoria celebris est, quæ Rudolphi Burgundionis conjunx fuit: & Himmelgardis Ducissæ Suevorū eximia liberalitate non paucis Ecclesiis subventum esse, Chronographi nostrates prodiderunt. Sane plusculа cœnobia Pontifices Germani & etiam Abbates in ipsa Germania à fundamentis extruxerūt, nonnulla paucorum ac privatorū quidem hominū concursu inchoata, adeo viciniarum liberalitate invaluerunt, ut haud lōge postea & Abbates sustinuerint, & Regum curæ fuerint oblatæ. Quale & nostrum quod Sangalli est, Gallo primum authore à paucis habitatū, deinde aucti⁹ donationū accessione factū, demū à Waldramo, nobili quodā [ut cōjicio] Durg. Comite locupletatum & reconcinnatū est. Et Ottomaro quodā Alem.ı. quidē Presbyt. deinde Monac. cōstituto, jus omne cœnobii admini-

ſtrandi ab eodem Waldramo Regum manibus oblatum eſt. Id quod Pipino Martelli filio regnante accidit. Exilia tum, ac prope indignæ fuere hominum memoria domus illæ Heremiticæ & cœnobia Monaſtica, non alia magis re quàm paupertate commendata. Verùm ubi orbi Chriſtiano religionis nomine fucus factus eſt, Principes primum, dein & populares, monachiſmi admiratione illecti, in dies magis ac magis fovere monachos & trahere in lucem veluti è tenebris horum ſeveritatem, præterea & opibus juvare, durum vitæ genus cœperunt. Longum autem foret omnium elenchum texere, vel Ducum, vel Comitum, vel Nobilium cæterorum (ut liberos interim & privatos habitiores ſinamus) quorum beneficentia condita aut donata Presbyterorum & Monachorum cœnobia fuerunt; ſatis eſt noviſſe, nihil olim non donatum monaſteriis fuiſſe, primosque & poſtremos Germanorum hominum ordines, nuperis videlicet admodum temporibus ad religionem converſos, in hoc uno ſummam religionis & ſalutis conſtituiſſe, ſi vitæ monaſticæ vacuitati pro virili adeſſent, illiq; ceu officinæ juſtitiæ quidlibet largirentur, certa quidem & indubitata ſpe remiſſionis peccatorum, quam hac via ceu compendiaria impetrare & conſequi ſe confidebant. Longè alii tum Presbyterorum, & Monachorum mores, alia vita, diſciplina, temperantia, ſeveritas, perſeverantia erat, utcunq; vel ſimulato religionis inſtituto, quàm à tribus aut quatuor proximis ſæculis Presbyteri aut Monachi præſtiterint. Cauſæ enim ut eſſent neceſſe fuit, quæ variorum hominum animos accenſos impellerent, ut nec ſumptuum eos nec expenſarum pœniteret. Virtuti enim & religioni datum eſt, quidquid horum liberalitati ad manum fuit: otio, inertiæ, luxui, voluptati, ne hilum quidem datum eſt. Commune votum erat omnium, ut religio vera & diſciplina Chriſto digna inſtitueretur, ut dubitari inde nequeat, quin donatis & partis rebus in ſaginam & dominatum verſis, antiqua cœnobia palàm hodiè abutantur: quod quidem è ſerie temporum, quam ordine referemus, planè conſtabit.

Ad origines igitur ut revertamur, animadvertendum eſt, antiqua illa Monaſteria non hoc modo cauſa, quam diximus, inſtituta & condita fuiſſe, ſed illa etiam, ut quoniam gentium Germanicarum eruptionibus, cultus omnis ſtudiorum & litterarum elanguiſſet, ſcholarum vice cœnobia eſſent,
12 in quibus edocti & inſtituti Monachi & Clerici, non ſacris modo privatis, ſed publicis quoq; functionibus, adhiberi, inprimis autem illis prodeſſe eccleſiis poſſent, quarum curæ & adminiſtrationi eſſent adhibiti. Videbant enim iſthæc vel barbariſſima tempora, hoc rectius habere eccleſias Chriſti, quo doctiores peritioresq; forent, qui harum præſides eſſent futuri. Et conſtat hoc ſuo conſilio Reges veteres adeò profeciſſe, ut in illa literarum & ſtudiorum inopia etiam fœminæ extiterint, atq; hæ quidem, quod miramur, Germanicæ, quæ & Græcè & Latine fuerint edoctæ. Certò autem nobis argumento ſunt Bibliothecæ monaſteriorũ vetuſtæ, videlicet hoc ipſum tum illis ſæculis Monaſteria & Cœnobia fuiſſe, quod noſtris Gymnaſia ſunt & Academiæ Principũ liberalitate fundatæ, in quibus licet multi ſint, qui ingenuis artibus & diſciplinis navant operam, tamen rari ſunt interim & pauci, qui doctrinæ & eruditionis palmam ferunt, quod quidem & ipſum mediæ illi antiquitati, tot incommodis obrutæ & deſtitutæ, accidiſſe quis miretur? ſed ea de re ſuo loco dicemus.

Nunc & illud admonendum, ſedes Epiſcopales omnium eccleſiarum orbis non ſolum dignitate & honore, ſed etiam tempore priores eſſe Cœnobiis monaſticis. Serò n. Europæ monachiſmus invectus eſt. Antea quidem in Ægypto & Syria Authoribus præcipuis Anthonio, Paulo & Hilarione, deinde & in Aſia Baſilio authore monaſtica quædam diſciplina inſtituta, quam tamen usque ad initium regni Francorum & Italia & Gallia & Germania, ni fallor, ignoravit. Prima autem quod quidem ſciam eccleſiarum
13 Latinarum Europæ, Provincia Gallica cœnobia vidit, quum Theodoſio Iu-
14 niore imperante, Caſſianus quidam, ut autor eſt Gennadius, genere Scytha duo monaſteria Maſſiliæ condidiſſet. Peragraverat hic Ægyptiorum ſolitudines, chorosque pſallentium monachorum inſpexerat: inde Hieroſolymam verſus, cum invidia Hæreticorum, ut quidam prodidere, laboraret, nec tuto admodum aut commodo in loco verſaretur, Maſſiliam navigavit,

& illa, quorum ante meminimus, monaſteria condidit, annis minimum quadringentis poſt paſſum Dominum. Ex quo tempore & alia enata ſunt, ſed rariore tamen uſu & exemplo: donec BENEDICTUS ille NURSINUS, tædio vitæ licentioris, quod in urbe gliſcebat, commotus in Sublaquenſem tractum, qui haud procul ab urbe in agro Latino eſt, ſeceſſit, imperante tum Iuſtiniano illo, qui jura vetera populi Romani enucleavit, & in libros Pandectarum, ut hodie extant, digeſſit. Ejus viri fama increbreſcente, monachiſmus non Italiæ modo ſed Galliæ etiam amplius & extimæ Britanniæ eſt commendatus. Atq; inde primum formulæ quædam ſeu regulæ præſcribi cœptæ monachis, quas jam ante ipſe Caſſianus prodiderat, cujus extant *De habitu & inſtitutis Monachorum libri*, præterea *Collationes variorum Ægypti Patrum*, de quibus eam regulam, quæ Benedicto tribuitur, magna parte deſcriptam eſſe nemo puto negabit, qui Caſſiani libros legit. Floruit quidem & in Græcia monachiſmus minime impu- 15
rus, ut ante diximus, cujus Baſilium fecere authorem, doctiſſimum illum & amantiſſimum ſolitudinis virum, nec alia de cauſa monachiſmo faventē, quàm quod ſacrarum literarum ſtudium dignum judicavit, quod in otio ſilentioque & ſeceſſu excoleretur. Verùm & hunc ſequaces, mirifice conturbata religione ſeu verius diſciplina, deſeruerunt, cujus inſtitutum tamen nec inane prorſus nec vacuum pietate aut abſurdum fuit. Atq; utinam tam cupidi eſſent Monachi noſtri, otii & quietis, quam ſacris ſcripturis impenderent, quàm ſunt luxus & voluptatis & ceſſationis, qua ſe totos ſaginant & farciunt, amantes, profecto meliùs multis ſæculis habuiſſet pietatis Studium quam hodie habeat, & eſſent Monachi plurimi, quibus vel doctrinæ nomine favere noſtri homines poſſent, quum perditam interim hypocriſin nemo non rejiciat & deteſtetur. Ex temporum autem ſupputatione colligitur, Caſſianum Benedicto 97. annis priorem fuiſſe. Benedictum autem Gregorio I. annis plus minus 40. Sane Gregorius jam Monachus anno Domini DXCI. Romæ Pontifex electus eſt, qui probato ſemel Benedictinæ factionis inſtituto, quidquid opis augendis paſſim monaſteriis adferre potuit, attulit. A cujus Pontificatu perpetuis 500. annis aliam regulam monachi noſtrates non habuerunt, quàm Benedicti: tanto intervallo à Gregorii ætate, Carthuſiani & Ciſtertienſes Sodales, qui inter veteres tamen cenſentur, enati ſunt, longe interim poſterioribus fratrum Mendicantium ſodalitiis, quæ (ut verè eſt ab Urſpergenſi dictum) *mundo jam ſeneſcente, in Eccleſias irrepſerunt*. Ducentis igitur illis annis qui à Gregorii Pontificatu ad Caroli M. imperium ſupputantur, monaſteria & Collegia plurima à Langobardis, Burgundionibus, & Francis in Italia, Galliis & Germaniis, ut ſupra monuimus, extructa ſunt, quum anni à Chriſti nativitate 600. & amplius effluxiſſent. An- 16
glis enim & Hybernis, Mauri in Gallia agentis fama, illectis, Gregorium affuisſe tradunt, miſſis videlicet fratribus aliquot, qui Benedicti inſtitutum illis concrederent & enueclarent, iisdemq; arcanis vel leviter imbutos initiarentur. Quorum Studiis adeo ſucceſſit, ut brevi poſtea tempore Hyberni Monachi & Scoti natura etiam ad peregrinandum inclinati, prope omnes Rheni & Danubii provincias opplerint, & veteri etiā in Germania pluſculi conſederint. Illud 17
conſtat, vel in Pannonia Scotorum fratrum durare memoriam, & in circumpadana Italiæ regione, Cœnobia quædam extare, quæ in gratiam Scotorum, qui ſingularem quandam monachiſmi ſeveritatem profeſſi ſunt, extructa fuerunt. Notum eſt Bobienſe monaſterium ad ripam Ticini conditum, quod Colomanno, ſive (ut poſteri vocarunt) Columbano Scoto, Longobardorum liberalitate habitandū obtigisſe cōſtare video. In Ægypto a. quæ prima omniū terrarū, Cōſtantino imperāte monachos exhibuit, tria Genera monachorū fuiſſe Caſſianus tradit, primū quidē *Cœnobitarum*, qui congregati communi victu degebant, mutuoq; manuum labore ſe alebant, gravis alicuius & ſancti viri imperio ſubjecti, quorum domus Græcis nominibus *Monaſteria cœnobiaq;* dicta ſunt, quod communis illis victus eſſet & ſegregata à vulgo & frequentia mortalium habitatione uterentur. Secundum *Anachoretarum*, qui longe ſemoti loca ple- 18
rumq; deſerta & invia incolebant, quales in Ægypto Paulus & Antonius, in Syria vagus quidem, ſed non diſſimilis profeſſionis Hilarion erat. Nonnunquam & cœtibus immixti & ad Eccleſias reverſi, ut ſors aut ratio obtuliſſent. Neq; n. 19
adeo vel addicti erant certo loco, vel *incluſi* (ut poſtea vocarunt) miſeri; ut non 20
magna ex parte Eccleſiis Chriſti intereſſe, & ſacramentorum myſteriis communi-

municare cum Christi membris possent, quod ex posteris tamen multi non viri modo, sed etiam fœminæ voti reę, ita præstiterunt obstinato proposito, ut qui-
21 busdam perfectionis statum affectantibus, certo fixoq; in loco hærere, durareq; ceu immobilib. & ad petram affixis spongiis libuerit. Tertium genus mo-
22 nachorum fuere, ut ait Cassianus, *Sarabeitæ*, inde dicti, quòd inflati vagarentur,
23 & sæculi magis quam vitæ Christo dignæ curam gererent, reipsa nihil minus quam monachi, qui nomine tantum & habitu Antonios & Paulos simulabant, avari, Immorigeri, gloriosi, quorum & in Benedicti regula fit mētio, præsagientis tale quiddam ceu futuros olim in suo grege putaret, qui Sarabeitas quàm veros monachos exprimerent, quum regula tamen *Benedicti* (ut à quodam est dictum) *non personam monachi, sed verum* hoc est Germanum *monachum requirat.* D. Hieronymus in Epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis tradit, tertium illud genus ab Ægyptiis gentili lingua *Remoboth* vocari, & esse deterrimum atq; neglectum. Laborabant quidem & ipsi, parvo numero congregati & jejunia ostentabant, nec vero alibi, quam in castellis & urbibus habitabant, quo majore pretio suas operas vendere possent. De eo autem quod laboraverant, nonnisi partes in medium conferebant, quo communia forent alimenta, in reliquum suo arbitratu & ditione vivebant. *Apud hos* (ut idem Hieron. ait) *affectata erant omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Clericorum, & si quando dies festus venisset, saturabantur ad vomitum,* ut minus mirum videri debeat, in postremis sæculis monachismi professionem tantopere degenerasse, quæ ne primis quidem illis adeo sibi constitit, quin pro more rerum humanarum vitiata nævisq; non parum turpibus continenter asperfa fuerit.

Primi Monachi, qui & probatissimi, nō alio fine aut proposito in monaste-
24 ria congregati, humanæ sese obediētiæ manciparūt, quā ut à turbæ strepitu &
25 seculi curis semoti carnem frænare, mores componere, ABSTINENTIAQVE, quæ omnium longè pulcherrima virtus est, sese exercere, atq; hac via ceu adminiculo quodam & pædagogio, ad ampliorem fructum mysteriorum fidei capessendum, eluctari contra mundum, & Satanem possent, ut re ipsa non aliud cœnobia (si cogitemus) quam quod supra de Francis diximus, animorum reb⁹ divinis vacantium & corporum victum labore quærentium gymnasia quædā
26 ac veluti scholæ fuerint. *Ingenium* enim in illis, juxta Sallustii dictum, *nemo sine corpore exercebat.* Porro nemo tantum suo consilio tribuebat, ut negaret, rescindi posse, quod semel decrevisset; quod hodie tamen votis suis Monachi adeo superstitiosè tribuunt, ut nisi sit aut Episcopus aut Pontifex, qui dispenset, nodumq; illum Gordium eximia aliqua potestate dissecet, quieta esse conscientia vel stultissimis votis implicita nequeat. Veteres illi libere & sine votis ad eum modum factis, indefinito aliquo tempore regulare (ut sic dicam) vitæ genus profitebantur, neq; ægre gravis alicujus & sancti viri, ut dixi, imperium ceu Regis aut Monarchæ ferebant, minime ignari ad nulla se, quæ media indifferentiaq; vocantur, sic severe astringi, ut si ita ratio postularet, diversum eligere & sequi non liceret. Certæ horæ somno, certæ operis, plusculæ psalmis & cantibus, plurimæ sacræ lectioni & scripturarum cognitioni, dabantur: primaq; omnium studiorum & actionum regula ipsa FIDES erat, paucissimæ victui concedebantur, nimirùm modico nec ad saginam, sed naturæ necessitatem accommodato. Mutare autem licebat institutum ut jam diximus, quoties
27 honesta ratio impulisset. Quin & evocati sunt sæpe è monasteriis, & Ecclesiis regendis Episcopi facti, qui multis annis Monachi fuissent. Nec inermes enim nec neophiti veniebant, sed exerciti, ac velut in ludo ad certamē instituti, militiam Christi ingrediebantur. Et Ecclesiæ Episcoporum arbitratu de cœno-
28 biis evocatos non jam tyrones, sed re ipsa veteranos accipiebāt. Siquidem observatum est, hoc solo nomine quosdam monachos pejus audisse : quod immodicam quandam austeritatem de monasteriis attulisse & obtrusisse Ecclesiis suis essent visi. Cæterum hæc omnia jam olim ita elanguerunt, veterno quodam fatali per monasteria grassante, pessumque eunte doctrinarum & artium studio, ut rari postea in Germania vel Episcopi, sed parochi visi sint, qui Monachi fuissent, nisi si quos vel redditum cogendorum functio vel vitæ leviter actæ
29 molestia, parochiis imposuisset. Cœnobia verò labore illo manuum veteri & laudato intermisso, ad nundinationem quādam spiritualem, nempe ceremo-

nias & sacrificia, meritumq; & opus illud, quod recentes Magistri *operatum* vocarunt, magna quæstus accessione declinavere. Et ætate quidem Gregorii, primum in operum fiduciam, nisi fallor, immodicè inclinatum est, quam Apostolus tamen ubiq; ut certam pestem pietatis est insecutus. Pepererat eā cœnobiis persuasio quædam religionis, quam prope solis sibi vendicabant Monachi, vulgo quidem & popularibus adeò commendata, ut suis meritis, ceu prophanis & inefficacibus diffisi, certatim monachorum sese justitię & satisfactioni committerent, nec locatum rectè quicquam aut piè judicarent, nisi quod horum suffragio & intercessioni fuisset oblatum. Primum autem inter se cœnobia velut pacto & conventione mutuæ intercessionis, *Fraternitates* (sic enim factitia illa communio vocata est) instituerunt, certo numero precum sacrificiorūq; condicto, qui in monasteriis ad eum modum confæderatis, præscripto tempore vel vivis vel mortuis persolveretur; nec à paucis id factum est, cum 30. & amplius cœnobia fratrum & sororum interdum ita conspirarint, quod ex Annalib. eorū & factis libris palam convincitur. Inde ad Reges, & Nobiles, atq; etiam plebejos manante opinione, quibus condidisse, instituisse, adjuvisse satis nō erat, nisi amplius etiam fratrum in numero haberentur, aut fraternæ saltem communionis participes fierent. Quæ societas etiam Episcopos attraxit, ut & numerarēt interdum aut eximia dona inferrent monasteriis, neq; aliud magis quam fratrum in numero conscribi se peterent. Vota autē quæ *monastica* dixere, tametsi 30
ad privatam cujusq; justitiam pertinere videbantur, tamen quia rarum quoddam & singulare vitæ genus, tum sobrietatis, tum etiam abstinentiæ prætextu commendabant, haud parum momenti receptæ jam de merendo opinioni attulerunt. Præcipuæ erant voti partes, *castitas, obedientia, & abstinentia*, quam recentiores *paupertatis* Vocabulo exprimere maluerunt, quam abstinentiæ: tamē rectè omni immodicæ cupiditati opponatur non rerum modo ad victū attinentium [ut vulgus putat] sed & voluptatum, & divitiarum, & luxus vinolentiæq; omnis, nisi quis continentiam & temperantiam dicere malit. Æstimari quidē castitas Hieronymi & Augustini ætate cœpit, ut quæ non parum ad excolendam religionē attineret, sed Gregorii tempore ita immodicè obtinuit, ut perpetuam etiam vovere, velut in nostra in manu sitam, multis libuerit; *obedientiam & abstinentiam*, cito ambitio & avaritia subverterunt, nec luxu caruêre cœnobia ceremoniarum & sacrificiorum impietate gravata, dum ornamentis in templa congestis, sed & auro & argento inclusis & ostentatis reliquiis, mentes hominum à veritate aversas, ad superstitiosas quasdam fabulas converterunt. Negat enim Bernhardus unquam licuisse monachis, id genus ornamenta suis templis imponere, & animā prodere divitiarum amantem, dum caducarum rerum admiratione teneri se significant. Et profectò nostra secula testantur, quantū damni cœnobiis dederunt parum prudentes quidam Antistites, qui summa religionis simulatione obtrusa nullum modum in congregandis divitiis & aucupādis donationib. tenuerunt, nihil magis hoc suo studio consecuti, quam ruinam vitæ sanctioris, & monasticæ disciplinæ interitum. Hic enim unicus est thesaurus (ut dicitur) malorum, quem opes illæ immodicæ condiderunt, infoderūtq; cœnobiis. Atq; illa quidem pestis, quanquā Caroli M. sæculo grassari per Collegia & monasteria palam cœpit; tamen ita prope omnium mentes, maxime a. Principum specie illa religionis addictas tenebat, ut hoc magis indulgerent saturis jam & probe donatis cœnobiis, quo magis monachis obesse & nocere divitiæ cœpissent. Perbeati enim illi sibi videbantur, si quorum meritis & intercessione commendarētur, eorū ipsorum pietati eximia sua liberalitate sine intermissione cōsulerent. Quæ persuasio sanè & nobilium opes haud levi jactura affixit & plebeiorum bonis incredibili detrimēto fuit, ut interim non dicam[9], de jure in servos aliisq; oneribus prophanis in illos nullo discrimine translatis, quib. jam olim per magnam tyrannidem abusi, neq; hodie mitiore in pauperes animo multis in locis abutuntur. Ac mihi quidem sæpe cogitanti veteris Ecclesiæ statutum, quæ Hieronymi, Ambrosii & Augustini ætate per omnes orientis & occidentis ecclesias constitit, cujusq; sancta & Apostolicis scripturis confirmata communio non paucorum donantium, aut eorum qui paucis ac ne egentib. quidem obtulissent, sed omnium credentium, in primis autem pauperum, qui vitæ simplicitate & innocentia probati essent, gratuita benignitate subveniebat, minime mihi à vero aberrasse videri potuerunt ætatis nostræ homines,

qui ſeceſſionem illam monachorum cum tanta religionis & meriti jactatione & oſtentatione
factam non factioſam modò,& neſcio,quos exitus molientem,ſed etiam Schismaticam fuiſſe,
nec parum publicæ pietati incommodaſſe (utcunq; per errorem & religionis quidem zelo id
contigit)in nuper editis libris ſuis prodiderunt.Nam & Auguſt.orthodoxus Eccleſiæ ſcriptor,
commentariis ſuis quos in Joannis Canonicam ſcripſit, claris verbis, *Vide* (inquit) *facta ſunt
ſchiſmatica.* Et reſpondens ait: *Cum dicunt homines, nos juſti ſumus; cum dicunt homines, nos ſancti-
ficamus immundos, nos juſtificamus impios, nos petimus, nos impetramus,* hactenus Auguſt. At quorũ
in ore frequentius verſantur voces illæ,*nos juſtificamus,nos impetramus,nos abſolvimus,nos remitti-
mus*, quam monachorum & hypocritarum? quare non eſt,ut ab ullo negari poſſit,quin ab illis
communiter erratum ſit,quib.opera ſua nec juſſa eo ritu, quo fiunt,nec mandata,ſed hominũ
præſcripto inſtituta,&juſta parte cũ lege Chriſti pugnantia,ita arriſerũt,ut meriti virtutẽ in illis
locarent, & digna ducerent,quæ omniũ ordinum eleemoſynis & donationibus rependerētur.
31 Ditiores etiam catalogo inſcripti,fratrum in numero haberentur,qui eum ad modum cœno-
32 biis numeraſſent & donaſſent. Quod quidem ſcripturis indicare & comprobare præter inſti-
tutum foret,cum ſit ab aliis abundè præſtitum. Nec attinet docere quum nemo ignoret quam
iniquo animo Chriſtus,operum etiam legis,nedum hominis oſtentationem tulerit,palam in-
terim admonens,ne quidẽ quærendam in ipſis eſſe juſtitiam,longe minus in his,quæ humana
conſilia præſcripſiſſent,quemadmodum poſtea ſunt ad vitam&ſalutem à monachis applicata,
qui fermento phariſaico,hoc eſt juſtitia ſua pollutiſſima,Chriſtũ Dominum non modo negli-
gunt,ſed tentant etiam,dum perfectiſſima conſummatiſſimaq; Chriſti ſupreſſa, ſuã qua nihil
eſt feculentius,tantopere oſtentare & venditare popello non deſinunt.Neq; eſt,ut quiſquam
horum terg verſetur aut diſſimulet,cum hujus unius dogmatis perſuaſione omnes omniũ mo-
naſteriorum opes & fortunæ nitantur & ſubſiſtant. Aufer n.meritum monaſticum illis ſodali-
tiis,aufer(inquam)cœnobiis fiduciam operum vulgo receptam,quæ diu noctuq; certa ſpe ſa-
lutis impetrandę tã vivis quã mortuis proſtat & operatur,quid oro amplius habebunt aut præ-
ſtabunt hodierna monaſteria & cœnobia, cur digna eſſe ſuis opibus & rebus hoc fuco partis
recte uti,videri poſſint.Nemo donavit ſine operum reſpectu,nemo obtulit ſine meriti fiducia.
Quod ſi hæc illis permittas,nihil agunt aliud,quam quod eleemoſynis indignum & ſcriptura-
rum traditioni adverſum eſt. Dudum n. iſtam vanitatem operum,neſcio quid ſibi arrogantiũ,
33 cum patres alii ſancti qui Gregorii ætatem anteceſſerunt , tum ipſe ante omnes Auguſtin.
34 ſingulari diligentia adhibita prodidit & rejecit. Bernardus a. monachus fere ſanctus,recepto
35 illi ſuorum temporum errori adeo non conſenſit,ut ſcripto etiam ſit teſtatus : *neminem poſſe
vel ſibi vel aliis vitam&ſalutem ullis operibus promereri,ſed æternam illam gratis dari credentibus in Chri-
ſtum.* Nec dubium eſt, quin ſancti viri plurimi monaſticam vitam profeſſi, idẽ ſenſerint,quod
Bernardus docuit. Sed vicere poſtea Doctores Scholaſtici, & omnium ſuffragiis error jam
inveteratus tãto plauſu eſt exceptus ut contra ſentientes,h.e. Apoſtolicæ Doctrinæ ſubſcribē-
tes Romani Pontif.ceu Hæreticos damnarint.Vtinã autem ſolis monaſteriis illud quidquid eſt
veneni nocuiſſet: ſerpſit malum amplius inſtarq; contagionis cancer doctrinæ paucos initio
invaſit,mox reliquum Eccleſiæ corpus tanta morbi atrocitate corripuit, ut diſciplina propẽ
omnis, qua veteres Eccleſiæ ſpectatæ ſunt,ex aliena illa,& ut verè dicam,vicariæ interceſſionis
fiducia mirabili caſu elanguerit. Sicut n. Epiſcopi opulẽtiores facti,ſui obliti,in ſuffraganeos
& vicarios magnam partem curæ ſuæ poſtea tranſtulerunt,ita Reges,Nobiles,Populares,non
jam ſuis ſed monachorum meritis animati,ſua ipſorũ bene facta, quæ vel Baptiſmo admonẽte
ante oculos verſare debebant,magna parte intermiſerint. Vnde mox licentiæ & ceſſationi lo-
cus conceſſus, qui Francis & Alemannis jam ante plus ſatis amplus erat.Et illa vera atq; unicẽ
Chriſtiana cõmunio bonorum omniũ Catholicæ Eccl.quæ à Chriſto capite noſtro per FIDEI
& vitæ ſpiritum in omnia ſeſe unius corporis membra ſpargit & effundit,vel ignorata prorſus,
vel data opera conculcata fuerit. Porrò ſi ſanam magis doctrinam Principes noviſſent; ſi No-
biles & Populares hanc fidem,quæ ſecundum ſcripturas eſt, edocti fuiſſent: videlicet quod
36 gratia & remiſſio peccatorum nec auro nec argento , nec ullorum hominum venalibus ope-
ribus obtineretur, ſed gratis daretur ſitientibus aquam illam vivam , profecto non hoc tri-
buiſſent juſtitiæ monaſticæ,quod tribuerunt,nec fonte vivo prætcrito ad lacus illos diſſipatos
& ciſternas humanarum conſtitutionum ligonibus effoſſas declinaviſſent. Negari enim non poteſt, quin ve-
teres illi Principes, quum ſummo in religionem ſtudio fuerint, etiamſi plerarumq; rerum ſcientia fuerint de-
ſtituti, quod quidem non hominum culpæ fuiſſe arbitror ſed temporum, quæ ſui quadam veneratione addu-
ctis & illectis ſæpe imponunt, neq; non commendant religionis ſpecie , quæcunq; vel uſus receptior, vel diu-
tina conſuetudo vel ratio aliqua veriſimilis invexit aut parum circumſpecta Concilia probarunt, longe aliter
de rebus Eccleſiæ conſtituiſſent. Siquidem & Carolus ille M. leges ſuas æditurus ita, Anſegiſo teſte, præfatus
37 eſt; *Hoc ſe ante omnia in regno ſuo quærere, ut defenſio & exaltatio & honor ſanctæ matris Eccleſiæ retineretur, de-
inde ut pax, & juſtitia in populo ſervaretur.* Neq; enim hic alio animo in pietatem fuit,quam ante eum Con-
ſtantinus M. ſed alia tamen in tempora incidit,nec dedit errores, aut intulit Eccleſiæ, ſed recepit: ut antiqua
laude ſua minime carere debeant Francorum Principes, quaſi fœdis errorib. quadantenus fuerint patrocinati,
quum nec volentes nec prudentes faverint errori,nimirum ſuorum temporum receptis dogmatibus ceremo-
niisq; obnoxii : præterea Pontificum & ſynodorum authoritate obſtricti , ut quorum jam olim cognitioni &
ſanctioni de fidei rebus nihil non tributum fuit. Supra autem dictum , etiam hac de cauſa condita ab illis col-
legia & monaſteria fuiſſe, ut in eis doctrinarum & artium ceu præſidia quædam locarentur, quæ mitigandæ
barbariei & pietatis confirmandæ gratia adeſſe ipſis in procinctu poſſent, quoties negotia religionis poſtulaſ-
ſent. Neq; alia tum ad manum ratio erat , quâ ſeculis illis gentibusq, tam duris,inertibus & barbaris conſuli
poſſe videretur, quum longe maxime religioni hoc modo conſultum eſſe putaretur. Hæc præfari ceu pro ar-
gumento libuit,ne imparatum lectoris animum ulla parte ex improviſo offenderemus. Nunc igitur ad diſcipli-
nam veniendum. Et primum quidem in operis tranſcurſu de Collegiis Germanicis : inde de
cœnobiis ceu monaſteriis, poſtremo de utriſq; deq; ipſo diſci-
plinæ caſu referemus.

IOA-



IOACHIMI VADIANI CONS. SANCT-GALLENSIS,

DE COLLEGIIS MONASTERIISQUE Germaniæ veteribus,

Liber I.



S V B Francis & Germanis cæteris poſt Carolum Imperij honore po-
titis uſque in Hainrichum Quartum & amplius, tantam verbi Do-
minici annunciandi curam adhibuerunt *Epiſcopi* Germaniæ, ut pro-
pe nullum miniſterium majore cum gravitate & diligentia fuerint
executi. Et jubebat canon ſynodi Magonciacenſis, ne facile Epi- 1
ſcoporum cauſationes admitterentur, quo minus diebus feſtis, ma-
xime autem dominicis, eccleſias docerent, niſi ipſos vel adverſa va-
letudo, vel juſta aliqua abſentiæ cauſa excuſaſſet. Tantum autem
aberat, ut illos à ſacra illa functione vel nobilitas vel potentia cohi-
beret, ut vel his nominibus populo tunc rudi & barbaro hoc gratior eſſet doctrina Chriſti,
quo ſublimiores erant, qui ejus docendæ provinciam obiviſſent. Magno enim Franci & A-
lemanni nobilitatem, magno potentiam æſtimabant. Nec ſine cauſa factum eſt, ut illis ha- 2
benis moderandis docta olim & erudita *Nobilitas* adhibita fuerit, & authoritatem prope-
modum immodicam eccleſiis Germaniæ Reges & Imperatores promiſerint, quæ omnia
poſtea immenſo abuſui patuerunt. Nulli tum erant *Epiſcopi ſuffraganei*, ſed miniſtri 3
Presbyteri & item *Diaconi*, qui quidem abſentis paſtoris vicem certo ordine gerebant, præ-
ſentis functionem magna obſervantia juvabant, præcipue in ſacris peragendis & erogandis
ſacramentis. *Canonici* autem dicti, ut videtur, collegiorum Presbyteri, quoniam in col- 4
legium recepti certum diſciplinæ genus legibus canonibuſque præſcriptum profiterentur.
Quare & *fratres* dicti, vetuſtiſſimis monimentis teſtantibus, & ſimul communi victu aliti
ſunt. Nam & ædes Epiſcoporum, quæ una cum collegiis contiguæ baſilicis erant, *mona-* 5
ſteria dicta ſunt, non minus quam cœnobia, nomine etiam nunc vulgo durante. Horum
veſtibula pauperum & infirmorum catervæ tenebant, primæque illis curæ erant pauperes,
ne non qui vere pauperes adjuvarentur. Viduis etiam & pupillis Præſulum atria & aulæ
patebant, in hoc unum conditæ, ut locus eſſe idoneus poſſet illis admittendis, qui vel do-
ctrinæ, vel conſolationis gratia paſtorem ſuum adiiſſent. Comitatus primis illis mediocris 6
erat, certe à luxu & oſtentatione alienus, nec fere niſi Presbyterorum & Diaconorum præ-
ſentia honeſtatus. Norant enim ſeſe illi, & ſuæ ſortis erant conſcii, non ignari, nec luxum 1
decere, nec ornatum Epiſcopos: quando inter probra veteribus quibuſdam objectum eſ-
ſet, quod immodico comitatu fuiſſent uſi. Ante omnia illud agebant Epiſcopi magna cu- 2
ra, ne vel ſuis, hoc eſt publicis baſilicis, vel privatis urbium agrorumve ſuæ adminiſtrationi
commiſſis eccleſiis, quas *parochias* vulgo vocabant, deeſſet, quod ad diſciplinæ modò in-
crementum attinere videretur. In Præſule duæ res potiſſimum ſpectabantur, Pietas & E-
ruditio. Pietatem à vitæ innocentia & divini cultus amore metiebantur: Eruditionem au-
tem à judicio & doctrinæ præſtantia, quam quia paulò rariorem habebant illa ſæcula, per-
ſæpe accidit, ut & monachi doctrinæ fama commendati, & quod omnis ſtudiorum facul-
tas eo tempore præcipue in monaſteriis regnabat, in Epiſcopos electi, & ſummis ſedib.
præfecti fuerint. VVunefridus enim monachus Anglus, qui & Bonifacius primus dictus
eſt, tempore Pipini; & Rabanus monachus Fuldenſis ſub Ludovico Iuniore: Præterea &
Hiltbertus Otthonis primi tempore, ſedi Mogunciacenſi Antiſtites impoſiti ſunt. Cæte- 5
rùm & hunc ſanctiſſimum morem, ut præclara omnia, poſtrema illa ſæcula ſtudiis factioni-

busque contaminata, ita nobis pene funditus abstulerunt, ut brevi postea tempore monachis quantumvis indoctis & inertibus, modo generis claritate præstarent, aditus ad tam sublimem provinciam patuerit. Divitiarum enim accessione factum est, ut onus illud pascendi gregem Christi, quod antea sancti viri non nisi inviti & renuentes suscipiebant, postea in honoris & dignitatis statum & fastum conversum, certatim homines impuri & avari oppeterent, non solum clerici, sed etiam monachi. Adalbertus enim monachus, cujus in chronico suo Lambertus meminit, homo claudus & edax, proceritatis autem & corpulentiæ tantæ, ut monstrum magis quam hominem referret, oculosque & ora stupentium in se converteret, ecclesiæ VVormaciensi Heinrico quarto favente impositus est, non quod doctus, quod sobrius, quod abstinens, & ad animarum curam gerendam appositus, sed quod Rudolphi Suevorum Ducis frater esset. Prima autem collegia
4 multam operam, cum artium aliarum, tum sacrarum inprimis literarum studiis impenderunt. Erant *Scholastici* & *Lectores*, quorum nomina adhuc durant: nec publice solum & plebi, sed privatim etiam clero, Episcopi scripturas interpretabantur. Perinde enim atque apud antiquas ecclesias, tum Græcas, tum Latinas, erant qui liberales disciplinas & scripturam, vere sacram, magno cum fructu auditorum profiterentur. Ita Regum Franciæ sumptibus vel collegia eo fine instituta diximus, quo scholarum vice essent, & certo numero alerent, qui sacris rite peractis ad consueta studia reverterentur. Turpissimum enim
5 vel illis sæculis visum est, docere velle, quod non didicisses, aut nomen jactare religionis, quod non doctrinæ nec vitæ specimen ullum ostenderet. Carebat tum Academiis Germania, quodque erat reliquum artium & studiorum, suum collegia & monasteria fecerant. Atque horum quidem docendi ratio licet permultum à veteri illa puritate & elegantia degenerarit, adeo tamen non defecerat, quin longe optimum fuerit retineri eam qualemcunque & coli, in gente præsertim tam rudi & barbara, quam committere, ut ejus casu simul reliqua fidei disciplina consideret. Quamlibet enim remissa licet fuerint studia horum sæculorum, tamen illud interim assecuta est Principum liberalitas, ut & ingenia passim effloruerint minime ignobilia, & viri extiterint, non pietate solum & doctrina, sed peritia etiam linguarum celebrati. Magna temporis pars illi operæ dabatur, ut caperentur sacræ literæ: nec erat tantum ceremoniarum quantum est hodie, monachis quibusdam, qui stando & psallendo, hernia sese & phrenesi etiam conficiunt, nihil minus cupientes quam cognitionem legis Dei. Adeo hodie distenti sumus & farti atque etiam securi: canere malumus & ludere in templis, quam discere & docere, aut quod reliquum est horarum, manuum labori, (quod regula tamen Benedictina jubet) impendere. In templis & basilicis nihil ad ornatum aut cultum accommodabatur, neque hoc quærebat pietas, ut otium spectantium demirantiumque pasceret (quale quid suis in templis Ethnici ostentarunt) sed hoc magis, ut corda pietatis amore flagrarent, quod ut assequi apud ecclesias suas Antistites possent, id in primis cavebant, ne caducarum rerum specie & splendore distractis sensibus animus suo munere fungi, & cœlestium rerum contemplationi insistere nequiret. Proinde aut
1 nulla aut rara in sacris ædibus simulacra erant: & si quæ essent, nihil inerat, quod posses ad-
2 mirari, nisi si quæ neglectu & simplicitate placuissent. Pictura enim, etiam sicubi frequentior erat, tamen sine artificio erat, & quæ pluscula adumbrabat magis quam exprimebat. Re-
3 liquiis quidem sanctorum postea honos amplior in basilicis est habitus, Francis nimirum ita curantibus, ut & auro & ebore, gemmisque & argento vestitæ ostentarentur, ferculis etiam Circensis pompæ in morem adparatis, quæ festis maxime diebus spectabantur. Quem morem, & rem & monachi postea usurparunt, sed reclamante Bernardo, qui negat hoc licere monachis seipsos prodentibus, dum quod admirantur, ingerunt templis, nec advertunt in templis vetari & damnare scripturam, quod ipsi usurpant. Nec argento enim neque auro, DEUS, sed fide & cordis puritate colitur. Qua de causa oratoria Germaniæ vetustissima quo minus cultus habuere & ornamentorum, hoc magis ad religionem exercendam apposita judicarunt, qui eis sunt usi. Et satis testantur ex omni structuræ habitu basilicæ antiquæ, nihil horum habuisse sese, quæ posterior ætas tanta cum jactura expensarum ad luxum & ornatum templis ingessit, non à nostris modo, sed ab Ethnicis etiam cordatioribus damnatum quon-
4 dam. Recte enim Persius;

O curvæ (inquit) *in terras animæ, & cœlestium inanes,*
Quid juvat hoc, templis nostros immitere mores,
Et bona Diis ex hac scelerata ducere pulpa?

Carolus quidem Magnus fere primus Francorum veterum, immodica quadam indulgentia sua, proposito tamen juvandæ pietatis sanctæ, sacras ædes non implevit solum pretiosissimis ornamentis, de præda & manubiis victoriarum ingentium, sed &
5 cæremoniis insuetis antea & insolitis auxit, quum Franci jam annis amplius trecentis Christiani fuissent. Neque dubium est, (adeo infelicia in sacris instituendis humana consilia sunt)
6 quin eum luxum disciplinæ corruptela majori casu fuerit insecuta, & morum integri-

tas

tas hoc pronius fatiscere & collabi cœperit. Notum est enim tritumque sed dignum
tametsi relatu, VVunefredi Episcopi responsum, qui sub Carolo Rege interrogatus, num
sacrum peragere ligneis calicibus liceret? Licere innuit, insuper testatus, aureos quondam
Presbyteros ligneis vasculis in sacro usos fuisse; suo vero tempore ligneos sacerdotes aureis
in calicibus sacrificare. 7

Initio quidem, ut dixi, non privatæ, sed publicæ erant Canonicorum ædes, in qui-
bus & cibum & somnum communem capiebant, qui illi sese sodalitio addixissent. Dabatur 8
id quidem morum & disciplinæ observationi; nec sine causa communio & frequentia pla-
cuit, quum sint pauci, quibus solis agere sine grandi tentatione in periculo concessum fu-
erit. Vnde & monachorum communiter viventium *cellas* fenestratas & patulas esse libuit,
ut quoniam seorsim dormirent, habere vel somni vel cubiculi inspectores & arbitros pos-
sent. Inde hodieque veterum cubiculorum, quæ vulgo *dormitoria* vocant, cellulas per-
spicuas esse videmus; sed quas raro tamen Abbates inspiciant, hoc unum puto optantes, ne
suæ inspiciantur. In tantum autem aliena erant à luxu & avaritia prima illa monasteria
& collegia, ut Presbytero & monacho voluptuario, sicut & avaro, nihil turpius habere- 1
tur: & legum præscripto tanquam criminosi notarentur, qui divitiarum amore corre-
pti sæcularibus sese curis mancipassent: veteri quidem illa ecclesiarum, & de Domini do-
ctrina instituta disciplina durante; quam Affricæ Episcopi tanta severitate & observan- 2
tia custodierunt; ut ne testamentarium quidem constituere liceret Presbyterum, si quis 3
Presbyter aut Episcopus posteris suis testamento cavisset: quum nostri hodie monachi
talem & tam prophanam curam piis etiam causis ascribant, inter aucupia felicissima nu-
meratam. Ita sæpe in speciem nobis temporum præscriptiones, ceu honesta & licita
obtrudere & commendare solent, quæ re ipsa nec licita unquam nec honesta fuerunt. Igi-
tur in regno Francorum Episcopis hac præcipue de caussa *Advocati* dabantur, ut essent 4
qui sæcularium & ad victum etiam attinentium rerum curam & sollicitudinem gererent:
redituumque & prædiorum & servitiorum & decimarum, & si quæ alia juris collegiorum
essent, rationem redderent, minime interim neglecta Episcoporum voluntate, quibus qui
dem invitis aut insciis nihil agebatur. Et jubebat canon Synodi Magonciacensis Anno
DCCCXXXIII. habitæ; *ut Episcopi & Abbates curam omnem administrationemque quæ ad vi-* 5
ctum & alimonium attineret, Advocatorum solertiæ relinquerent, quo minus à professionis in-
stituto, cui jurati essent, avocarentur. Veri Episcopi nec dominia ulla, nec imperia vel mera
vel mixta affectabant, memores videlicet doctrinæ Christi quæ regnum eius, vel hac à par- 6
te, longe maxime à regno & gladio sæculi disiunxit & separavit: sed & minime ignari sortis
suæ, hoc ipsum esse satagebant, quod dicebantur. Proximis primum sæculis, Principum 7
suorum simplicitate temporumque inertia abusi, præpingues quidam & opulenti Præsules
deserta, ne dicam abnegata, religione, ad dominatum & imperium defecerunt, in satrapas,
ut vere dicam, & monachas conversi, nihil autem minus quam monachi aut Episcopi. Ob-
fuit enim ecclesiis væsanus ille & satanæ instinctu subornatus ardor dominandi; ad cu-
ius insolentiam non modo pietas offensa vitiataque deterius habuit, sed ipsi etiam præ-
sides religionis, dum libidine & supinitate nihil non gerunt & committunt, multis in
locis & regno illo impio & dominatu sunt exuti; hodieque passim privantur & exuun-
tur. Veteres sese intra modestiam & abstinentiam, velut intra metas, quasdam professio- 8
nis suæ, continebant, victu etiam & vestitu contenti, nisi si quid ecclesiæ ornandæ ju-
vandæque causa donatum aut oblatum fuisset. Quod ipsum tamen multis in locis Grego-
rio instituente ita dividebatur, ut pars una Episcopo, alia clericis, tertia pauperibus & pe- 9
regrinis, quarta publicæ structuræ cederet. Nam & ex Ludovici Pij Augusti decreto,
Episcopi ludimagistros ut alerent, admonebantur: nec modo ingenuorum, sed servo- 10
rum etiam liberi erudiebantur, quorum qui infimo ordine erant, psalmos canere, & sa-
cros libros legere discebant: quæ eadem & Abbatum cura erat, delectis videlicet mona-
chis magistrisve, qui ei munere præessent. Nobiles maxime in collegiis & monasteriis
instituebantur, ex quibus, qui magis profecissent, sæpe sodales facti & promoti ordine,
magno honori & collegiis & monasterijs fuere, disciplinæ formula non retenta modo,
sed etiam aucta; quam illa demum sæcula mutarunt, quæ in sacras illas sedes, Nobi-
les non judicio, ut antea, sed favore & muneribus admissos receperunt; nec tam quid
publice pietatis interesset, quam quid privati homines quærerent & ambirent, animadver-
terunt: Siquidem & Nobiles ad otium & luxum conversi, majorum suorum liberalitate
multis jam sæculis palam sunt abusi. Quod quidem non refero, ceu liberalitate illa & ali-
monia indignos putem quosdam, quorum majores eximie de multis ecclesiis meruêre;
sed ut admoneam auctores plurimos canonicæ & monasticæ disciplinæ, ne suspicatos
quidem fuisse de isthoc vitæ & alimoniæ genere, quorum multi tamen opes suas No-
bilitati nominatim dicaverunt. Ita enim multis in ecclesiis hodie vivitur, ut earum Pres-
byteri clericique non alia magis causa Canonici dicti videri queant, quam quia de
reditibus ecclesiasticis, perinde atque de Canone quodam publico victitent & saginentur, 1

parum interim officio respondentes, Majores donis illis & oblationibus suis pietati & religioni consultum esse cupiebant, non privatæ cujusquam dignitati & cessationi. Neque alius his animus erat tanta pronitate largientibus, quam ut virtuti & pietati, & pauperum ante omnia curæ, opes suæ adhiberentur. Nemo gloriæ & dominationi, nemo luxui & voluptati, nemo otio & inertiæ, nemo fastui & supercilio quidquam tribuendum esse
4 existimavit, quum omnes religionis amore exciti, hoc largius darent, quo magis disciplinæ vere Christianæ favebant. Vt profecto non habeant amplius, quod causentur Pharisæi quidam inflati, qui tanta conscientiæ securitate lascivientes, nihil agunt minus, quam quod illi cupierunt, quorum nescio, quam bene locatis opibus perfruuntur. Et cuperem eos alia indutos mente tam male non audire multis nominibus, quam hodie audiunt, sed simillimos esse illis qui primi hanc disciplinam excoluerunt. Minus enim causæ fuisset consilij sui, ætatis nostræ summis viris, qui satius esse ducunt divitias illas publicæ pietati consecratas, publicis etiam atque his quidem honestis usibus deservire, quam permittere, ut paucorum hominum regno, ut sic dicam, & libidini pareant.

Ad institutum autem ut revertamur, constat antiquos Germaniæ episcopos summa semper dignitate præcelluisse, partim quidem ob indulgentem Principum omnia illis honorifice deferentium voluntatem, partim etiam propter existimationem, quam doctrinæ & pietatis nomine sibi conciliassent. Qua de re vulgo non solum *Episcopi* & *Ar-*
3 *chiepiscopi*, sed etiam *Pontifices* ac *summi* quidem vocati sunt, cum hodie Romano Episcopo prope soli id nomen ceu κατ' ἐξοχὴν tribuatur, vulgatissimum ante Præsulibus omnibus, præcipue autem Magonciacensi, (de nostris enim loquor) cui summus semper inter Germaniæ Episcopos honos habitus est, ac post eum Treverensi & Coloniensi, veterum ecclesiarum Antistibus, qui postea honoris prærogativa inter Septemviros illos numerati sunt, quibus legendi Cæsaris atque adeo Imperatoris designandi potestas concessa est. Neque id solum, sed Regum etiam ungendorum facultas publico quodam consensu delata est. Pipinum Caroli patrem Stephanus Romanæ urbis Pontifex unxerat, cujus exemplo adlubente, mox & à nostris Reges uncti sunt: sed ea lege, ut Imperij illis culmen non nisi Romæ consecratis permitteretur. Morem ungendi scriptura vetus, nostris haud satis intellecta, probavit, quando unctos Israelis Reges legerent, atque inde cæremoniam veluti salutarem transferrent. Animavit autem Romanos Episcopos exemplum Patriarcharum ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui & ipsi primi, ceu translato de lege & Judaismo more, circiter Justiniani tempora, quo plausibiliorem Imperatorum Orientis potestatem populo facerent, in æde eos publica ungebant, & coronabant. Quod ipsum Stephanus, nullo majorum suorum exemplo, dum ad Francos imperium transferre statuit, æquali cum Patriarchis potestate usus, sibi arrogavit. A Constantino enim, nisi fallor, qui primus Christianorum Principum repudiatis erroribus (ut ait Lactantius) majestatem Dei singularis agnovit & honoravit, ad usque Carolum Magnum, nemo Imperatorum in urbe, aut ab urbis Episcopis delibutus unquam aut unctus est. Nemo enim Imperatoria dignitate præditus, hoc honoris ante Carolum M. Episcoporum authoritati tribuit, ut qui jam pro vetere Imperij jure & dignitate factus esset, quodque aliorum suffragiis fuisset assecutus, hoc illis referret acceptum, qui juri & potestati Impp. erant subjecti. Nam & urbis Episcopos rite etiam electos, sedi suæ præfici sine Impp. comprobatione & investitura (ut cum vulgo loquar) non licebat. Nec mirum est esse hodie, qui laudi tribuerint, Heinricho ejus nominis I. clarissimo Principi, qui unctionem ab Episcopis de Iudaismo mutuatam singulari quadam magnanimitate respuerit, hederamque illam majoribus se & dignioribus faverit. Verum istam vel novam cæremoniam facile erit concedere Episcopis, modo ipsi contra ecclesiis reddant, quod jam olim ipsarum fuit ab Apostolico more & instituto deductum, videlicet ut Episcopi,
1 non cleri tantum, sed populi etiam manu & suffragio eligantur: quod diutissime in Germaniis observatum ex chronicis nostratibus constat. Et aderant electionibus fere
2 aut Principes ipsi, aut Duces aut Comites, neque ulla rata erat electio, nisi quæ demum consensu Principis confirmata fuisset. Quæ quidem tum electionis, tum confirmationis aut ratificationis facultas à Christo passo, mille & amplius annis continenter in ipsa etiam urbe, sede scil. Apostolorum, ROMA ita custodita est, ut populus & clerus Pon-
2 tificem legerent; Imperator autem electionem haberet ratam. Idem enim, ceu diximus, à Constantino ad Carolum M. usque, Romani Principes egerant, ad deinde imperij jure ad Francos translato, Franci omnes, ac post eos Germaniæ Imperatores omnes, usque in Heinrichum V. veteri jure & potestate exercuerunt. Enimvero electio Gregorij VII. sub Heinricho IIII. à Clero & populo facta in literas relata est, his quidem verbis, ut apud Platinam leguntur: *Nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, clerici, acoluthi, Subdiaconi, Presbyteri, præsentibus Episcopis, Abbatibus, multisque tum ecclesiastici, tum laici ordinis eligimus hodie, &c.* Quæ tamen electio facta est circiter annum Dom. MLXXVII. ea rerum primum in Presbyteros & Clericos Cardinales Vrbis inclinante, & detrectante Impe-

Imperatoris consensum Pontifice: Gregorius enim ita sese veteri Imperatorū juri & autho- 4
ritati opposuit, ut æqua justaque postulantem Heinricum, & ob contemptam dignita-
tem suam, insolentius tumultuantem, anathemate percusserit, ac deinceps suarum
partium studiis summo periculo involverit: quoque animi sui libidinem expleret, satis
duxerit universam Italiam bellorum clade & strage concutere, quam eo loco & ho-
nore Imperatorem habere, quo prædecessores sui tot sæculis habuissent. Nec mirum, 5
si sint qui quærant quibusnam causis acciderit, ut posteris aliquot Gregoriis adeo displi-
cere potuerit, quod primus ille Gregorius, omnium optimus & doctissimus, tan-
topere agnorit & probarit? Hic enim Pontifex creatus, quum tantum onus invitus
obiret, & trahi tamen se omnium voluntate publicum ad munus videret, nuntio cum
literis Byzantium misso, Mauricium Imperatorem obsecravit, ne sui electionem, quam
Clerus & populus fecissent, ratam esse sineret, &c. Quod utique minime fecisset vir
tantus, nisi pro more & jure veteri Imperatorum authoritati deferendum esse existimas-
set. Scribit autem Liutprandus Ticinensis, Romanos quorundam subinde Pontifica-
tum ementium vendentiumque studiis, factionibus commotos, Otthoni primo,
clarissimo Imperatori sancte jurasse, nunquam se in posterum episcopum sine Impera-
toris consensu lecturos. Et à Lamberto est proditum, circa annum Domini MXLVII. le-
gatus ex urbe ad Heinrichum Tertium venisse oratum, quo Episcopum urbi, atque eum
quidem designare dignaretur, quem ipse Apostolica sede dignum judicasset. Quod
& Quarto sub Heinricho accidisse tradit, Legatis iterum testatis, nolle se cum Clero
quemquam eligere, sine Principis sententia super ea re prius exspectata. Cæterum & 6
hac Principum dignitate paulo post violata, adeo studiis factionibusque Pontificum suc-
cessit, ut & populus, cujus summa jam olim in urbe authoritas fuerat, jure electionis
fuerit spoliatus, quod quidem largitionum coercendarum gratia factum poterat videri, nisi
eas ipsas populo repudiato, amplius incruduisse constaret. Atque ita mirabili, & ut
equidem conjicio, fatali quadam rerum mutatione factum est, ut quod antea Pon-
tifices ab Imperatoribus expectassent, idem hodie re inversa ab Pontificibus expectent
Imperatores. Enimvero Carolo Pipini filio Hadrianus Papa, non urbis solum, sed 1
ecclesiæ etiam urbanæ dispensationem ita large contulerat; ut ne de sacris quidem,
& ecclesiasticis rebus constituendis, Principe inconsulto, deliberaretur. Et satis
constat, post Gregorium exstitisse Papas, qui vel juramento fidem facere Germaniæ 2
Principibus non dubitarint, hoc ipsum Imperatorio nomini deferentes, quod ma-
jores, sancti viri, ultro ipsis scriptura admonente detulissent. Sextus primum (ni
fallor) Gregorius, & qui eum secuti sunt Episcopi non pauci, parum in optime
meritos grati, summis viribus hanc in rem incubuerunt, ut nostri, hoc est Germaniæ 3
Principes, quibus tamen illi, quidquid sunt & possunt, debent, antiquissimo illo
& æquissimo jure destituerentur, Romæque non Imperatores, sed Pontifices impe-
rarent, illa sibi postremum, dubium quo jure, quave injuria, potestate arrogata, ut
parum hactenus rata fuerit Imperatorum electio, nisi ei Pontificum consensus accesse- 4
rit: nec *Augusti* nomen ulli permissum, nisi quem Pontifex potestate illa sua nuper
vindicata inauctorasset. Veteres Germaniarum Episcopi, tametsi sæpe ab ipsis Im- 5
peratoribus designati sunt: tamen vel rite electi ea veneratione Principes suos sunt
prosecuti, ut nihil illis, salva modo religione, non tribuerint. Sero enim celeber-
rimo illo electionis jure Germanicæ ecclesiæ spoliatæ sunt: nec ante, quod sciam,
receptum est, ut à paucis & solis, (ut hodie) canonicis Episcopus legeretur, quam
in urbe mos novus & insuetus receptus esset, nempe ut Acoluthi, Subdiaconi, Dia-
coni, & Presbyteri urbis, qui ob sedis honorem *Cardinales*, hoc est, præcipui co-
gnominabantur, Episcopum summoto populo legerent, quod annis pluſculis post Gre-
gorii Septimi Pontificatum accidisse certum est: ritu tamen longe diverso & magis libe-
rali lectis Episcopis, quam hodie à Cardinalibus urbis & orbis, in conclave tanquam
in caveam inclusis, eligantur: Sed de his rebus satis abunde ab aliis proditum est. Nunc 6
de illo admonendum duxi, *Simoniæ* crimen adeo fœdum à majoribus nostris judicatum
& habitum fuisse, ut recentia etiam Germanica concilia, ipsum non nisi hæreseos crimi-
ne traduxerint & notarint: privarintque rerum ecclesiasticarum dispensatione, qui mu-
neribus & largitionibus suffragia sibi coëmisset, & in quæstum vertisset pietatis nego-
tium. Cito eam pestem Galliæ senserunt, jam olim adeo grassantem, ut & Gre-
gorius Theodoricum Hiltperti filium Francorum Regem literis admonendum duxe-
rit, ne non severe de simoniæ crimine cognosceret. Pepererat illam partim ambitio,
partim (quæ comes ambitionis est) avaritia: neque aliud unquam fuit æque præsens
venenum in Satanæ manu, quo Episcopi quidam semel incensi, ac velut in rabiem, ut 7
sic dicam, acti, hoc unum multis sæculis egerunt, ut fucum pietatis omnium oculis insper-
gerent, pietatem ipsam omnium animis eximerent, ea demum libertate sibi vindicata,
quæ nec ab honoribus, nec ab opibus, nec à dominiis quidem & regnis abhorreret.

Supra autem dictum à nobis, Germanos parum æquos simoniæ fuisse, eaque de re mo-
8 rem publicæ electionis multis seculis tenuisse. Sane Alemanni *Parochiam* vocabant, quam
nostri Græca voce, sed Latinis tamen usitata *Diœcesin* appellant, & *Presbyteros Parochia-*
nos, quos vulgo hodie *parochos* nominant; quos quidem plurimis in locis populus elige-
bat, dein Episcopi ratum faciebant, quod illi placuisset. Et jubebat Canon, ut ad curam ani-
1 marum gerendam Episcopi seu parochi designarentur, seu ut illi vocant, nominarentur,
qui vita & verbo suis usquequaque prodesse valerent. Electi, honesto comitatu ad Episco-
pos deducebantur, nec licebat quemquam sic electum designatumve rejicere, nisi notabili
criminis intentione probata, usque adeo etiamdum in duris & nesciis multarum rerum sæ-
culis valebat plebis de suo pastore judicium. Quod ipsum tamen tam sanctum & Apostolica
traditione probatum, itidem & avaritia nobis & ambitio sustulerunt: jure ipso electionis
2 magna ex parte ad Episcopos & Abbates translato, & miris technis vitiato. Quod certè
è *juramentis*, quæ Canonistæ *fidelitatis* appellavere, abunde cognoscitur, testantibus scili-
cet, quantum nostrorum animi suis rebus addicti ab illorum pietate & religione absint, qui
non sibi aut suo commodo, sed Christo & gregi ejus pastores legerunt, quique primum
locum Apostolicæ doctrinæ & libertati concesserunt, hoc unum curantes, ne ullus locus
quæstui, hoc est simoniæ & pharisaicæ negotiationi relinqueretur. Quod ad me attinet,
fateor pro mea imperitia, nunquam me vel audisse vel legisse ulla juramenta tam servilia,
tam adversa libertati doctrinæ Christi, quam illa sunt, quæ hactenus Episcopi & Abbates
quidam à parochianis privatisque sacrificis, quos *Capellanos* vocant, extorserunt. Neque
enim alio ullo certiore testimonio ungues suos, hoc est impios conatus, & misere affe-
ctam conscientiam prodidere lupi quidam rapaces, quam illis tam duris & inauditis obli-
gationibus, quibus opus nullo modo fuisset, si tam agere & observare libuisset, quod
scriptura dictante præcipitur, quam vel novam religionem vel noxiam hypocrisin scri-
ptura reclamante tueri. De disciplina enim & pietate *curaque*, ut ipsi vocant, *Pastorali*,
nullum Jota in illis legas: hoc solum cautum est, ne vel agant vel sentiant aliud, quam
quod his placet, à quibus non jam onere & labore, sed munere & honore ad quæstum vide-
licet & farinam faciente, sunt donati. Et quam iniqua ab illis exigunt, tam impia illi polli-
centur, nec detrectant qualemcunque obligationem administrandæ ecclesiæ, modo ne de-
sit quod ad quæstum faciat. Ita enim ecclesiis passim occupandis possidendisque intenti sunt
hodie plerique omnes sacrificuli, ut re ipsa nihil magis quærere, quam seipsos videantur.
Nihil enim in præsentia de immunitate dicemus, qua & ipsa tamen sese prope omnium ju-
diciis & censuris subtraxerunt, unicis Episcopis subjecti, qui sic tamen plectunt nocentes,
ut propemodum irritare pœnis, & hoc nocentiores facere videantur, quæ sæpius puni-
unt, usque adeo (quod dicitur) mutuo scabunt muli, nec tolluntur crimina, ut alibi à nobis
3 dictum est, sed aluntur. In Regno Francorum licebat laicis pastores, quos delegissent,
observare & notare & deferre Episcopis, quorum muneris erat, omne genus vitia in illis,
utpote disciplinæ suæ submissis, emendare & adigere etiam cessantes, ut verbo ædifi-
carent, & prodessent exemplo. Paucæ erant ecclesiarum cæremoniæ, neque alia ma-
4 gis usitata sacramenta, quam Baptismi & Eucharistiæ. Horum enim prope solorum memi-
nere Concilia, quæ sub Carolo Calvo & Ludovico Juniore Magonciæ & VVormatiæ
5 celebrata sunt. Paschate autem & Pentecoste baptizabantur, non quod alias non liceret,
(ut enim ætas omnis, ita & omne tempus ad baptismum idoneum est) sed quod ita tum ec-
clesiis libuisset: nec licebat, nisi in publicis villis baptizari & coram ecclesia (ita enim ju-
6 bebat Canon) nisi aliud ægritudo postulasset. Lege autem adigebantur susceptores, quos
7 ea ætas *Compatres* & *Patrimos* vocabat, ut infantes, quos sacro de fonte levassent, Catho-
8 lica fide imbuerent. Cœna Dominica sæpe numero dabatur credentibus, quæ quidem
(quod sciam) nec recepta est à quoquam privatim, nec divisim partimve erogata est, sed
1 plene distributa in populum. Legimus tamen privatim & inprimis ægrotis extra cœ-
2 tum, & quidem domesticatim Eucharistiam exhibitam fuisse. *Missam* autem vocabant
illa secula cœnam illam publicam & dominicam, unde fortassis *Missa Martini*, *Missa*
Andreæ, aliæque id genus Missæ festæ apud mediæ antiquitatis scriptores memorantur: no-
men forte inde adeptæ, quod festis maxime diebus peragerentur. Et sæpe quidem dubi-
tavi, num *Missæ* nomen, quo nundinas hodie celebriores mercatorum vulgus intelli-
git, inde natum videri possit, quod multis in locis statas illas & annuas nundinas festis
3 fere diebus annectimus, idque ob populi frequentiam ad missas celebriores confluentis.
Franci & Alemanni infantes suos altari admovebant Eucharistiæ gratia: qui mos in multis
Helvetiæ nostræ locis ante paucos annos desiit, neque adeo exolevit, quin adhuc sacrifican-
tibus alicubi adhibiti pueruli, labellis suis vinum calicis excipiant. quod sane & Sangalli,
4 dum missæ privatæ legerentur, religiose observatum est, licet pauci veterum morem agno-
scerent. Iam ad disciplinam quod attinebat, jubebat Canon, ut Presbyteri quotannis
5 quadragesimæ tempore de ministerij functione & fidei prædicatæ doctrina rationem E-
piscopis redderent, nec facile admittebantur vel Presbyteri vel Episcopi ad ullum mi-

niste-

nisterium,nisi prius synodo excussi & probati. *Synodi* vero minimum annuæ per diœceses 6
celebrabantur.Episcopis interim lege adactis ne hac in re cessarent, aut cunctarentur. Re- 7
quirebatur autem *in pastore,*(ut author est Rabanus)*scientia scripturarum, pura veritas hi-* 8
storiarum, modi tropicarum locutionum, significatio rerum mysticarum, utilitas omnium disci-
plinarum, honestas vitæ, & probitas morum: ad hæc elegantia in pronuntiatione, judicij acumen
in dogmatibus, differentia medicaminum in varietate ægritudinum: quæ qui nescit, inquit Ra-
banus, *non dico alienam, sed ne suam quidem potest disponere utilitatem.* Mirum autem, vel
hæc ipsa sæcula requirere potuisse, quod nostra ætate tot modis fœliciore negligitur, exa-
minatoribus illis haud aliud exigentibus, quam frigidulas aliquot grammatices regulas,&
usum magis quam peritiam canendi, cum adjectis quibusdam diffinitiunculis, quas edi-
scere & memoriæ mandare pueri etiam valeant. Refrixit enim Synodorum celebratio, 9
quæ tamen quamdiu est observata, doctrinæ & disciplinæ custodiendæ haud mediocrem 10
medelam afferebat. Durant quidem reliquiæ quædam, & extant Decani certis eccle-
siis præpositi, qui quibuslibet de causis suos convocant, sed eo tamen ritu,ut convivium
non concilium agere videantur: pares scilicet cum paribus (ut in proverbio est) consocia-
ti. Sed veteres ad Episcopos redeamus, qui per Alemanniam Principis edicto mone- 11
bantur, ne alia populum doceri permitterent, quam quæ de scripturis essent deprompta. 12
Symboli articulos magna cura ecclesiis, qui plebi regundæ præpositi fuissent, expone-
bant: sed & crimina recitabantur ex Apostolo, ut qui talium rei forent, de ecclesia sum-
moverentur. In numero autem criminosorum vinolenti censebantur, quos Caroli æ- 13
tas magno consensu mysticarum rerum communione interdixit: ad hæc & auguriorum & 14
incantamentorum haud unius generis deliria, crebro notabantur, quæ Francis & Aleman-
nis,utpote non ita pridem à paganismo conversis, tanto labore dissuasa sint, ut diutule fer-
re, & horum donare vehementiæ nonnulla Episcopi coacti fuerint, quæ sane multis
annis parum pie sunt retenta. Præcipue autem, purgationum species quædam plusquam
superstitiosæ, quibus ad innocentiam explorandum usi sunt, velut judicio aquæ frigi-
dæ, aquæ ferventis, novem vomerum candentium, & sanctæ crucis judicio, quæ 15
demum ut superstitiosa sublata sunt. Sublata est & monomachia jam olim Germanis, ad
arma & vindictam pronis, usitata; quæ ipsa tamen, nec virium quidem aut roboris,
nedum æquitatis aut innocentiæ ullam indicaturam præstare potuit. Scribæ Alemanni
postea *Campi certamen*, μονομαχίαν, id est, singularem & condictam illam pugnam
vocaverunt, quam vulgus voce ceu detorta *Campf* dixit, cujus ut nomen, ita etiam
scelus adeo inhæsit nostrorum animis, ut sint passim, qui atrocem illum & gladiato- 1
rium congressum suis, ceu gloriæ aliquid aut justitiæ afferentem, etiamnum permit-
tant. Sed fuit tamen tempus, quo probandæ innocentiæ monomachia concessa fuit,
atque id quidem Francis & Alemannis frequenter & passim. Desiit & purgatio per Eu- 2
charistiam facta, quam & Pontifices quidam (inter quos Gregorius Septimus) usur- 3
pare non dubitarunt, innocentiam videlicet de objecto crimine testaturi, si Domini
corpus intrepidi sumpsissent. Caroli sæculum turpem etiam quæstum notabat, & in
turpi lucro notabatur, si quis vinum aut annonam emisset parvo, quo pluris postea ven-
deret. Festi dies, Dominicis exceptis, perpauci erant Francis & Alemannis etiam sub 4
Carolo: nec alios memorat Ansegisus, quam *Natalem Domini, Stephani, Ioannis Evan-* 5
gelistæ, Innocentum, octavam Domini, Epiphaniam, octavam Epiphaniæ, Purificationis S.
Mariæ, Pascha ~~per dies octo~~, Lithaniam majorem, quam nostri rogationem vocant, *As-*
censam(sic vocabant Domini in cœlos ascensionem) *Pentecosten, S. Joannis Baptistæ, S.* 6
Petri, S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ, de Assumptione Mariæ, Carolus interrogandum reliquit. 7
Ludovicus filius persuasus, festivam esse jussit. Receptum autem & illo tempore fuit, ne
quas precationes aliter facerent Episcopi vel Presbyteri, quam *ad Deum Patrem per Chri-*
stum Iesum filium ejus, nec alias hodie in vetustis libris legimus. Caroli quidem ætate palam
est precibus inserta Sanctorum memoria, ut qui intercedere pro nobis, ac veluti patroci- 8
nari multis etiam veterum crediti sunt. Licebat autem Principi in regno suo quoties visum
esset, Ecclesiasticis ordinibus simulque sæcularibus convocatis, de rebus ad religionem 9
attinentibus conferre in medium: Neque hoc solum, sed privatas etiam causas, quæ vel
offensionem parituræ vel obfuturæ pietati viderentur, audire & discutere: sæpe & Episco-
pis & Presbyteris & Abbatibus accusatis, & ad audientiam citatis, maxime ubi vel temu-
lentiæ vel fornicationis, vel simoniæ aut errorum doctrinæ, aliisque id genus scandalis 10
insimulati fuissent Quod si ad synodum vocati restitissent tergiversando, confestim à Co-
mite compellebantur, quo dictorum factorumque rationem celebri in conventu redde- 11
rent, & objecta si negassent, justis causis diluerent & confutarent. Hoc modo & Otoma-
rum primum monasterij nostri Abbatem, ad Synodum evocatum compulsumque à Co- 12
mitibus quo se purgaret, legimus. Quin & laicos contumaces (ea erat disciplinæ constantia)
Princeps ad eam pœnitentiam, quam Episcopi imposuissent, obeundam & ferendam adige-
bat. Unde facile cognoscitur *Canonicam satisfactionem*, Regum maxime authoritate (ne cri-

minosi exemplo nocerent) receptam & institutam fuisse, quam indulgentiæ nobis Pontificiæ in totum sustulerunt. Franci autem magnis de rebus consulturi peregrè vocatos Du-
13 ces & Comites consilio adhibebant; nec minus interim domesticorum, hoc est aulico-
14 rum hominum opera utebantur. Haud raro & comitia celebrabant omnium ordinum conventu, in quibus de causis sacris, prophanis, publicis privatisque decernebatur.
15 tur. Et erat moris, Germaniæ Imperatoribus, ut raro ullum diem eximie festum, puta Natalem Christi, Pascha, Ascensionem, Pentecosten, sine celebri procerum regni concursu, nec nisi præclara aliqua in ecclesia peragerent. In religionis negotio primas gerebant Episcopi; & pone quidem ipsos Abbates, qui vel eruditione vel prudentia commendabantur. Reliquum locum Nobilitas, & optumates, inde officiariorum, quorum tunc *majores domus* erant, & domestici Regis, & Comites, Grafiones, Cancellarij (hoc enim ordine censentur in antiquis libris Francorum, qui Regiis muneribus fun-
1 gebantur) ex urbibus aut villis evocati, vindicabant, summa semper Principis, sed æquabili tamen & omnium consiliis attemperante sese potestate. Dabantur autem & legibus vel sanciendis vel reformandis publici conventus, in quibus amplum & honorificum locum optimates tenebant. Vnde illud, quod vetustissimis in libris tabulisque ætatis mediæ, sæpe Nobilium & Episcoporum, Abbatumque certus aliquis numerus refertur, quorum præsentia leges rogatæ aut reformatæ fuerunt. Adeo vero alienus erat in Fran-
2 cia & Alemannia Caroli imperio, & multis postea sæculis Episcoporum urbis dominatus, ut de conciliis indicendis non nisi Imperator cum suæ ditionis Episcopis & Abbatibus consultaret, ac demum Pontificem de voluntate sua certiorem faceret. Et Fridericus Secundus Gregorium Nonum, concilium Magonciæ celebrandum indicentem inhibuit, quod gravandæ Germaniæ gratia illud institutum resciviſſet. Caroli autem ætas hoc honoris, & merito quidem tunc, Romanæ Sedis Episcopis tribuebat, ut indicto concilio aut ipsosmet Episcopos, aut, si his non vacasset, doctissimos quosque ex urbe Legatos postularet, qui concilio interessent, ne arbitris remotis, agi quicque & decerni à pientissimis Principibus, illi vel suspicari possent. Minus tum factionum & studiorum erat Primatibus Ecclesiarum, etiamsi subinde vitia & abusus ingruerent, quibus postea ob candorem & simplicitatem hominum Germanorum, immodice (ut diximus) indultum est, & in ipso disciplinæ excolendæ studio magna pars disciplinæ amissa est. Fuit enim tempus, quum Romani Pontifices nec *Universales*
3 nec *Catholici* vocarentur, sed Romanæ tantum ecclesiæ Episcopi, usque adeo suspectis & contemptis honorum titulis, ut & Beatus Gregorius palam affirmarit, Antichristi præcursorem esse, qui universalem sacerdotem vocari se contenderet: quamquam autem statim à Gregorio pestis illa ambiendi primatus Apostolicam ecclesiam invasit &
4 infecit, tamen illis quidem sæculis non modo pietatis negotium non rejecerunt Episcopi illi urbis, ad sæculum videlicet opesve & dominatum (ut nostri hodie) conversi, quin palam vel simularent, vel certe testarentur, nulli se rei magis consultum esse cupere quam pietati. Quare & in Gallias nonnunquam & alias in regiones sub Francis & Alemannis egressi sunt. Pipino quidem & Carolo nihil officij denegantes, quin quemcunque locum indixissent, in eum sese proni & parati reciperent. Vltro etiam LEO Pontifex, ac veluti salutandi gratia, Italia relicta, Carolum Imper. apud Germanos agentem adiit. Neque adeo Stephanum Quartum officij puduit, quin sede sua relicta Ludovicum Caroli filium in Gallijs tunc agentem adierit, unctumque extra urbem & Italiam Augustali corona donarit. Quod ipsum illos & Otthonibus & Hainrichis, vel ad concilia, vel alios ad conventus, evocantibus non gravatim præstitisse constat. Certe nulla à re tum minus abhorruerunt, quam à synodorum frequentia. Qua
5 in re præcipua quædam Zachariæ Papæ dexteritas observata & in literas relata est, qui licet nonnulla commiserit vel parum piis probata, tamen ita se in promovenda religione sedulum paratumque exhibuit, ut bonorum in Pontificum numero censeri merito debeat. VVunefridi enim Episcopi opera usus, & Francorum auspiciis fretus, plurimum commodi atque ornamenti Galliarum & Germaniarum ecclesiis attulit. Illud memorandum, uno Carolo jubente, quinque ordine concilia per Gallias, super statu ecclesiarum corrigendo celebrata fuisse: quorum primum Magontiæ, secundum Rothomagi, tertium Remis, quartum Cabillone, quintum Arelate habitum est. Nec minus deinceps à filiis nepotibusque conventus habiti, in quibus summa cura adhibita est, religioni ut consuleretur. Observatum autem primum omnium post res Francorum collapsas, quum dignitas Imperatorum Germaniæ contemptui esse Romanis Episcopis cœpisset, pertinacia quadam, nec parum suspecto studio, haud alibi fere multis sæculis, quam in urbe celebrata esse concilia: & inauspicata quidem illa magna ex parte fuisse, quæ suo suorumque arbitrio Pontif. Romani, præterita Imperatorum authoritate, convocassent, quod quidem è mediæ ætatis Chronicis notius esse arbitror, quam ut exemplis sit opus.

Enim-

Enimvero Franci regnum suum in Ducatus & Comitatus divisum vigilantissime ad-
ministrabant , primum non alienis , sed suis legibus usi, parte tamen (ut fit) ex alienis
desumpta , quibus multis sæculis usi sunt Germani , hodieque vel nescii pluribus utun-
tur. Potissimæ erant *Salica* , *Ripuaria* , *Alemannica*, & illa quam *Gombotam* dixêre, sin-
gulis quidem veteri more in multa capita distinctis , quas hodie in vetustis bibliothecis
videmus. Et exstat Sangalli vetustissimus codex stylo inculto & barbaro scriptus , qui & 1
Salicam & Ripuariam & Alemannicam continet. Exstant ibidem Ansegisi libri de le-
gibus Caroli & Ludovici , ex quibus plurima descripsimus. Legibus igitur Princi- 2
pum præcipuis , non laici modo ordines , sed monasteria etiam & collegia parebant: 3
neque usquam ratum habebatur , quod lege reclamante pactum fuisset. Norunt au-
tem Franci & Alemanni Romanas leges veteres , quod ex antiquis ipsorum tabulis pa-
lam convincitur. Carolum autem inter civiles leges constat plusculas habuisse ex Moy-
se transsumptas , quæ quod divinæ essent , eo nomine commodiores Christiano regno
administrando visæ. Cleri disciplinam ad scripturæ præscriptum & synodorum ac Princi-
pum decreta Episcopi exigebant , interim & Pontificum rescriptis usi, quum aliis atque
aliis de rebus consulti fuissent. Atque horum pluscula tunc extabant in literas relata, pri- 4
mum ab Isidoro Hispalensi Episcopo , ac post eum ab Ivone Præsule Carnotensi , quæ
modico tamen numero continebantur, & eo quidem in loco habita, ut consilia magis quam
oracula judicarentur.

Abbates Benedicti regulam , quam solam ea sæcula norant , suis inculcabant. Sero
enim receptum est jus illud Pontificum, quod quia humanum est, à quibusdam (Ethni-
corum licet more) *Pontificium* dictum est , quod *Canonicum* nostri vocant. Gratiano 5
primum immensum illud opus consarciente , quod sub Friderico Ænobarbo factum esse
existimatur. Ad cujus deinde exemplum *Decretales* Gregorio Nono curante conscriptæ
sunt: dein *Sextus Liber* à Bonifacio octavo, & *Clementinæ* à Clemente Quinto, inde ad fæces 6
usque discendum *Extravagantium* , regnante jam & nihil non audente Ioanne Vicesimo
secundo, Anno Domini MCCCXVII Ex quo tempore mandata hominum primo in loco &
oraculorum quidem vice habita , scripturarumque decreta postrema in subsellia reje-
cta sunt. Generalis autem constitutio erat Synodorum de Presbyteris : *Ne arma fer-* 7
rent, Ne in hostem irent non evocati , ne venarentur accipitresve aut falcones (hæc decreti 8
verba sunt *alerent*: severe autem in illos animadversum , qui avaritiæ studio correpti turpia
lucra sectabantur. 9

Causas matrimoniorum multis in locis judices ordinarij civilium negotiorum co-
gnoscebant , quorum erat & divortia peragere. Venus incesta etiam in Laico magna 10
pœna vindicabatur. Rarum illis supplicium capitis, & in totum maleficiorum omnium
pœna levior , maximis criminibus ærariis factis , quæ hodie ferme sanguine & morte
vindicantur. Alemanni incestas nuptias judicabant , si quis socrum , nurum, privignam,
novercam , filiam fratris , filiam sororis, fratris uxorem , uxoris sororem matrimonio
sibi copulasset: præterea si filii fratrum sororumve juncti matrimonio fuissent. In quibus
omnibus casibus locum habebat divortium, bonis eorum, qui contra legem coissent, fisco
adjudicatis. Franci Ripuarij divortio & bonorum confiscationi exilij pœnam adjicie-
bant incestis. Liberi minorennes incesta libidine polluti libertatem amittebant , &
numero servorum fiscalinorum censebantur. Sed de servis infra dicemus. Levibus autem
de causis ab Alemannis sponsalia solvebantur, & licebat priorem intactam repudiare , si
quis jurasset amore adductum, ut eâ relictâ aliâ magis deamatam duceret: neque major erat
repudij mulcta, quam 40. solidorum. Durabat tamen ea ætate lex illa divina, quæ filiam sine 1
parentum tutorumve consensu nubere non sinebat Franci Salingi pœna duorum millium
quingentorum mulctabant, qui alij desponsatam abstulisset, & conjugio sibi copulasset , sed
ratum interim conjugium manebat. Sic enim habet lex Salica : *Si quis sponsam a-*
lienam tulerit , & sibi in conjugium copulaverit II DCTS Din. *qui faciunt soli-*
dos LX I. Culpts. Jud. *sponso autem ejus* DCtis Din. *qui faciunt* Sol. xv. Culpts. jud.
Servum fugitivum ab ignorante Episcopo in Presbyterum ordinatum , si dominus 2
requisivisset, non asserebat adeo sacerdotium, quin probata servitute in pristinam conditio-
nem remigraret. Nec dum enim notus erat character ille indelebilis, quem scholæ postea
inventum sacrificis suis insusserunt. Nec Francorum modo legibus , sed etiam Cæsareis Iu-
stiniani cautum legimus. Contra autem sæpe manumissi sunt servi , qui doctrinæ commen- 3
dationem ad ministerium vocati aut electi essent. Extant enim veteres chartæ manumissio-
num, quarum unam à me visam libro secundo inter exempla veterum chartarum pone-
mus. *Decimæ* propriæ ecclesiarum erant, certis limitibus, quas tunc *Marcas* vocabant, dis- 4
cretæ. Crebro mentio fit marcarum in Regum diplomatis antiquis , præterea in dona-
tionum, concambiorum & præcariarum, ut vocabant, chartulis , quæ in collegiis passim
& monasteriis vetustis extant. Nec decimas solum, sed *nonas* etiam partes solvebant coloni.

Et

Et extat apud Ansegisum caput *de nonis & decimis*. Alicubi & *tertias* dabant, qui eo pa-
5 cto agrum conduxissent. Carolomanno majori domus, Pipini fratri, frequenti in con-
sessu procerum & eruditorum placuit, ut ædes parochiales quam liberalissime donaren-
6 tur, resque ecclesiarum quocumque fuco abalienatæ non sine mulcta restituerentur. Jam
tum enim erant, non Abbates modo, quorum avaritia dudum ecclesiis nocuit, sed
Nobiles etiam laici, qui Principum indulgentia abusi, decimas sibi frequenter vendi-
cabant. Ex lege autem Alemannorum non licebat agros ecclesiarum locare laico sine
charta, hoc est, tabulis, quæ pretium censumve & rei locatæ conditionem conti-
nerent. *Precariæ* autem chartæ illis sæculis dictæ sunt, quod fundus donatus, cujus
in charta fiebat mentio, cum expressa aliqua conditione relictus vel locatus, precario
possideretur, certo aliquo tempore ad ecclesiam rediturus, ni redemptibilis fuisset.
Porro tritum est *precarii* vocabulum apud jureconsultos. Alemanni qui precariam
chartam postulati non ostendebant, ipsa possessione privabantur. In totum autem
neque agros vendere, nec distrahere mancipia, Pastori ecclesiæ licebat. Habebat
tamen locum permutatio, quum ager pro agro, mancipium pro mancipio, charta in-
terveniente, recipiebatur. Chartarum exempla inferius libro secundo apponemus,
quæ veterem morem & ritum clare docebunt. Legem vero Alemannorum adscribere vi-
sum est, quæ sic habet: *Nullus Presbyter nec aliquis Pastor Ecclesiæ potestatem habeat venden-
di ecclesiasticam terram, nisi contra aliam terram, nec mancipium, nisi alium mancipium
receperit, & si Concambium fecerit, aut de mancipio, aut de terra, semper epistolam firmita-
7 tis faciat, ut contentio non fiat, nec ecclesia perdat, quod legitime possidere debeat.* Primariæ e-
8 rant ecclesiæ, quas hodie *Cathedrales* vocant: secundo loco, sed eximio tamen, illæ, quæ
Parochianæ seu *Parochiæ* dicebantur: quibus ornandis tuendisque veteres illi Principes &
Episcopi incredibili benignitate affuerunt, non pastoribus modo, sed & plebi gratificantes,
quoniam in plebem præcipua pastorum liberalitas demanaret. Nec deerat illis, unde libe-
1 ralibus esse liceret, & magna opum pars, quæ in ecclesias collata fuisset, pauperum & ho-
rum qui mediocri fortuna essent usui & necessitati cedebat. Hodie rebus aliter habentibus,
2 ecclesias parochianas reditibus spoliatas cernimus, non paucis furto illo *Incorporationis*,
Fucum dicere volebam, ita nuper expilatis & direptis, ut ne de victu quidem satis esse
provisum sacrificis queat, nisi plebis beneficentia adjuti male natis ritibus, ipsoque sacra-
rum rerum abusu, quæstum faciant. Hoc enim supra modum noxio malo nostra etiam æ-
tas misere infestata est. Nec mirum, etiamsi dolendum est, omnes urbes, pagos, vicos,
villasque Germaniæ pauperum hinc inde discursantium mendicitate tot annis fatigari, cum
ecclesiæ plurimæ a Pontificibus, Episcopis & Abbatibus direptæ, ne Pastores quidem
suos, ut iam est dictum, satis alant, nedum pauperes, quorum tamen usui proprie
deserviebant, quæ illorum immoderata cupiditate sublata sunt, ut interim de rapaci-
tate illa taceamus, quam summi Pontifices, bullarum suarum licentia otiosis homini-
3 bus hactenus indulserunt. Alemanni, quum pars essent regni Francorum, pauperes
suos adeo vagari non sinebant, quin domi eos veluti ex Canone alerent: bonis etiam
quæ ecclesiis donabant, ita alicubi partitis, ut in ditioribus ecclesiis pauperum subven-
tui partes duæ, in tenuioribus æquales partes & clero & pauperibus dividerentur. E-
4 nimvero, ut supra quoque dictum, Episcopi ipsi & Abbates Collegia & Parochias
interdum instituerunt non parvis reditibus donatas & auctas, quas & ipsas demum suc-
cessores sui multis in locis, quibuslibet de causis adducti, præterea & damnoso illo
Incorporationis aucupio animati, ecclesiis ademptas, suos rursus in usus converterunt.
Ante autem diximus nec Ecclesias nec Collegia fundari solita fuisse, nisi Principis con-
sensu: Nec tum erat Papæ jus illud comprobationis, quam *Investituram* vocant, sed
Regis aut Imperatoris. Et extant diplomata, quæ, quod dixi, palam testantur. Sed
alio in loco de jure illo commodius referemus. Illud non tacendum, Caroli legem
5 extare, quæ cavebat, ne Parochiæ sine mansis instituerentur. Mansos autem illa sæ-
6 cula vocabant Villulas cum prædiis, quæ singulæ singulis Ecclesiis fuissent attributæ,
omni quidem onere exemptæ, nisi si quid Ecclesiæ deberetur. Durat adhuc Germani-
nomen Kelnhoff/ quo Mansam gens illa, ni fallor, significavit. Quanquam au-
tem Synodi Franciæ Principum authoritate ratificatæ non Monachis modo & Nonnis,
sed etiam Clericis usum conjugii negarent, & nihil tamen minus omnem fornicatio-
7 nem severe coercerent & vindicarent: tamen haud ita multis post Carolum annis pu-
blico quodam consensu, & quod diversum scripturæ in vetustissimo concilio Nicæno
8 ad eum sensum receptæ & probatæ docerent, factum est, ut Presbyteri per Germaniam
legitima connubia celebrarent: Laici autem scortationem & concubinatum non fe-
rentes, Pastoribus suis, ut coniugati essent, libenter permitterent. Quem morem
9 plusculis sæculis receptum, quum Hildebrandus monachus Papa factus, qui Grego-
10 rius Septimus transnominatus est, Concilio quodam cum suis in Italia habito, ceu impium
& Patrum decretis adversum condemnasset, confestim litteras Episcopis Germaniæ
plenas

plenas minarum misit, & honore sacerdotij privari jussit, qui decreto concilii sui præteri-
to conjugati esse pergerent. Antistes igitur Magonciacensis , Synodo Heresfordiæ con-
gregata , cum litteras Papæ vel invitus prælegisset , orassetque Papæ edicto audientes es-
se , quæque concilio placuissent recipere vellent, repente tanta seditio in eo consensu ex- 11
orta est, ut parum abfuerit, quin Præsul ipse de cathedra deturbatus, celerique in tumultu
trucidatus esset, clamitantibus multis satius esse Episcopum Papæ fautorem occidi, quam
dogma tam væsanum & hæreticum cum tanta sacerdotij contumelia promulgari. Ne-
que exemptus periculo est Præsul , antequam promitteret , primo quoque tempo-
re curaturum se , quo Pontificem ab hujus sententiæ austeritate deduceret. Quod
quidem se vivo , hoc est , Heinricho Quarto imperante , accidisse circiter annum 1
Domini MLXXX. Lambertus monachus Hirsfeldensis prodidit. Mirum autem ad-
versum conjugia sacerdotum statuere Caroli ætatem potuisse , cum Concilia tamen
illo tempore habita , ac illud imprimis , quod sub Carolomanno Prætorii Præfecto 2
VVunefridus Legatus cum aliquot Franciæ Episcopis celebravit , in hæc ferme verba
ingenue confessa sint ; *Non licere Episcopis , aut Imperatori , aut cuiquam pietatem cu-
stodienti , quicquam contra divina mandata præsumere , &c.* Et Sole interim clarius sit, 3
nihil tam adversum Apostolicæ doctrinæ, quam lege lata ad castitatem servandam cogere, 4
quam nec voluntas , nec conatus hominis , sed unica divina gratia largiatur. Sed sæpe
accidit , ut quæ palam impia sunt , fucatissima illa specie pietatis Ecclesiis obtrusa sint.
Atque hæc quidem de Collegiorum statu hactenus dicta sint : Nunc quæ reliqua sunt
de Monachis & Monialibus subjungemus , interim & alia quædam , quæ obiter no-
bis, (ut in farragine) ad summam argumenti adumbrari magis quam expressi pertinere vi-
sa sunt, inserturi.

Monachorum disciplinam privatim Abbates , generatim etiam Episcopi exigebant :
Abbatissis autem (ut illorum temporum vocem usurpem) ministri seu Lectores da- 5
bantur , qui sacris peragendis & moderandæ disciplinæ præessent. Primum quidem 6
rariora erant Virginum cœnobia , quæ paulo post fœminæ Augustæ & nobiles aliæ ,
non tam pietate , ut videtur , quam sexus amore illectæ summopere auxere. Vnde
laude virginitatis & commendatione quibusdam permotis placuit etiam fœminas , seu 7
malumus puellas velare , tondere , vestire, congregare , certamque ad normam vitæ 8
instituere & exercere. Quod utinam tanto cum fructu pietatis esset factum , quantis 9
sumptibus constitit Et laudari fortasse institutum posset, si & hæc puellaria cœno-
bia , ceu prima illa Monachorum scholarum instar habita fuissent , in quibus teneram
& imbecillam , & affectibus obnoxiam ætatem viri graves & sancti , ac si ita libuisset ,
matronæ etiam moratæ & castæ certo aliquo , sed conducibili tamen ad pietatem,disci-
plinæ genere ad tempus formassent & erudissent , quo majore pudicitia & continentia
peritæ jam & litteras etiam edoctæ , reliquum vitæ , quod sibi vel nuptis vel innuptis
concessum fuisset , multiplici cum fructu transigere potuissent. Nunc cum longe a-
liud , nisi fallor , spectatum videam ab illis , qui eo modo virgines incluserunt , profe-
cto non habeo quod cœtibus illis vel probatissimis tribuam præter otium plusquam deli-
catum & superstitionem immodicam. Primum enim humanis doctrinis persuasæ , vir-
ginitatem velut de suo vovent & offerunt Deo , jactata deinde pudicitia , quam nemo
tamen , ceu diximus , veram assequitur , nisi donante Domino. Deinde scripturis san- 10
ctis , quæ liberam faciunt optionem castitatis , vel ignoratis vel contemptis , votum
suum , hoc est , decretam temperariæ voluntatis sententiam , tanti æstimant , ut ho-
nestis etiam & piis causis urgentibus , probatæ semel & receptæ opinioni renuntiare
scelus esse ducant : cum D. tamen Paulus causas habeat , cur in casu aliquo nubere vir- 11
gines malit cuicunque conditioni mancipatas , quam innuptas manere : Cumque idem 12
non audeat perpetuam virginitatem ullis præcipere,nimirum dono Dei & quidem raro ob-
venientem; illa contra pessime imbutæ, vel hac de causa perpetuam esse volunt, quia semel
in corriphæorum suorum verba juratæ illam promiserunt & voverunt, duplici, ni fallor ,
contumelia culpabiles coram Domino : Vna quidem , quod rem alienam & concreditam
sibi, etiamsi vere virgines esse constaret, magna fraude & ingratitudine pro sua usurpant &
venditant : altera autem quod munere & dono Dei adversus Deum , velut debitorem
& nexu aliis obligatum, elatæ sanctitate illa carnis vanissime jactata , sibi referunt acce-
ptum, & velut de suo profectum offerunt & consecrant Deo, quod soli misericordiæ Domi-
no erat referendum.

De operibus enim & ceremoniis quibusdam propemodum ridiculis ut nihil dica-
mus , non video quibusnam rebus aut commodis usui esse possit genus illud vitæ tanto-
pere laudatum multis , nisi aut Paulas, aut Marcellas, aut Hedilias illa latibula nobis e-
derent , quæ dignæ essent doctrina & pietate , quibus libri inscriberentur. Nec enim
vocari possunt monachæ nostræ ad ullum Ecclesiæ famulatum, nec ullo cœtui rite præ-
esse, denique quod ad pietatis captum attinet , ne sibi quidem ipsis adesse aut con-
sulere,

fulcire, longe minus prodesse proximo, videlicet inclusæ & ferarum in morem parietibus septæ adeoque religione obstrictæ, ut ne cum parentibus quidem & cognatis, nedum cum proximis aliis vel tantillum commercij, & familiaritatis habeant. Et revera dici possit, quod à doctissimo quodam viro dictum est: *Cœnobia aliquot non monialium solum, sed monachorum etiam, non aliud esse, quam conditoria quædam in quæ vivi homines otio scilicet & inertia consopiti sepeliantur*, & sic (si Diis placet) mundo sint mortui. Contrà alia quædam, quæ sic jactant religionem, ut domus non hominum nec orationis, sed Dei ipsius dicantur, sic aliena sint à cultu divino, ut qui in illas recepti & initiati mundo renuntiarunt, re ipsa nihil magis, quam quæ mundi sunt, profiteantur & colant. Cantus enim illi & preces, quibus fidunt, quasque aliis negotiando impertiunt, quid aliud (oro) sunt, quam elementa, hoc est mandata hominum & ceremoniæ de doctrinis hominum, solida refragante pietate, institutæ, indignæ profecto, quæ ulla ex parte cum eximiis illis charitatis fructibus & officijs conferantur, nedum ex seipsis ullo modo possint aut debeant in bonorum operum numero censeri & æstimari. Sic autem aliena sunt ab operibus charitatis illarum somnia, quæ in ecclesia tamen habent locum, ut jactata illarum virginitas cum operosa virginum verè Christianarum castitate conferri nullo modo possit, ut interim conjugatorum & cœlibum castitatem non attingamus, quæ non minus laudis apud Apostolum, quàm illorum, qui thorum ignorant, aut harum, quæ illæso dum & inviolato corpore existunt. Laboriosior imo illarum continentia est, quæ vel habent conjuges, vel habuere, quàm harum sit, quæ conjugalium deliciarum ignaræ sunt. Nec sine causa factum novimus, ut juniores viduas Apostolus nubere, & liberos gignere jusserit, nihil minus probans, quam subitum & præceps castimoniæ servandæ consilium.

Virgines Ecclesiæ, nec religione elatæ nec inflatæ professione, quod Dominus donavit, in Domini gloriam convertunt, hoc unum potissimum curantes, ut in eo cœtu fidelium, in quo ipsas Deus constituit, nihil officij intermittant, quod modò decore susceptum ad proximi utilitatem pertinere queat: suis manibus victum quærunt, vel ita de suo victitant, ut supersit, quod egentibus impertiant: adhæc & parentibus, & ægrotis, puerperisque, & senio confectis benignè ancillentur: subinde divitum beneficentiam exstimulantes, ne deesse miserorum inopiæ velint: totum autem nihil non ferentes laborum & vigiliarum, quo conformes esse vitæ Christi, hoc est omnibus prodesse, & ex æquo de omnibus mereri quam optime possint. Quod si quæ sunt, quæ vel valetudine vel conditione retrahantur, quo minus in cœtu famulentur, tamen aliis interim donis & fructibus præesse multitudini non desistant. Tales fuere primæ illæ Ecclesiarum ministræ virgines & viduæ, quarum Paulus & Lucas meminerunt: tales & hodie ex opulentis & magni nominis virginibus nonnullæ, quæ domum pauperculas invitant, nec carnis modo, sed animi etiam cibo satiant & inebriant, scribere juniores & legere docent, ad pudicitiam interim & parsimoniam & patientiam magno studio inhortantes: quippe hoc uno fine innuptas probat Apostolus, quia liberiore conditione donatæ, hoc magis quæ Dei sunt curent, quo minus colendis maritis liberisque educandis, & reliqua conjugatis operæ molestia, impediunt. Nec minus interim probat conjugij statum, ut qui malit virgines cœlibesque nubere quam uri, & confessus sit, honorabile esse inter omnes conjugium, cubile impollutum. Verum regno Dei promovendo intentus, potiorem esse existimat, eum statum, qui ad pietatem colendam & supplenda charitatis officia quam minimum remoræ habet, qui proprie quidem illorum est, qui in hanc libertatem dono castitatis asseruntur. Porro illa virginitas, quæ votis auctorata, & septa parietibus, otio præterea & inerti vacuitate flaccessit & diffluit, adeo nihil habet cum Apostoli laudibus commune, ut & rejectam eam & damnatam ab eodem constet: rejectam quidem, quia cum otio & inertia (ut nihil de superstitione dicamus) conjuncta est: damnatam autem, quia nec liberam nec gratuitam, sed
1 humanarum sanctionum tyrannide institutam, invitæ etiam & coactæ puellæ profitentur, quibus tamen succumbentibus & palam lascivientibus Præsulum indulgentia, (quemad-
2 modum & Clero omni) ut scortentur permittit, ut nubant non permittit. Constat autem Paulum in viduis vel maxime arguisse otium ceu fomentum impietatis, nec alia magis causa virginitatem & cœlibatum extulisse, quam quod instrumentum forent & adminiculum præcinctæ jam & operosæ beneficentiæ: in epistola autem ad Corinthios, ubi de cœlibatu & virginitate disserit, præcipue damnasse quidquid adversum scripturæ, hoc est fidei libertatem, de humanarum sanctionum præscripto cum conscientia recipitur. Diserte enim inquit; *pretio redempti estis, nolite servi fieri hominum.* Adhæc palam testatur, nemini se laqueum propriæ sanctionis injecturum, sed liberum relicturum, quod liberum nobis reliquit Dominus. Neque equidem ignoro, quid magistri quidam Scholastici, contemplationi & orationi, & pluscularū inter se puellarum privatæ scilicet & captivatæ sedulitati & beneficentiæ tribuant: sed hoc majori fiducia horum opinionem reiicio, quo certior sum, nullum usquam instituti ejusmodi in universa scriptura extare exemplum. Nec mirum quidem plerosque tantopere laudasse, quod ipsi sunt professi. Suum enim (ut in prover-

proverbio) cuique pulchrum est: At non statim pium, quod quibusdam pulchrum, & in speciem religiosum etiam visum est. Vetat enim scriptura id agere, quod rectum est in oculis nostris, nisi Dominum idipsum jubere constiterit. Et ut aurum non est, quidquid auro tegitur, aut aurum splendore imitatur, ita non est repente virgineum, quod nomine virginitatis cum jactata & inutili corporis integritate jactatur: siquidem virginitas, quam de carnis integritate metimur, adeo non est pietas, ut & piis & impiis communis existat. Prudentum enim & stultarum virginum Christus meminit, neque eas probat, quæ lampades gerunt exterius nitentes, sed eas quæ internæ puritatis oleum gestant. Proinde nec seris, nec obicibus, nec repagulis opus habent, quæ veræ sunt virgines; neque sane parietibus seu vivariis includi necesse est, ne quis corpus violet. Violatur enim non tam corporis actu, quam animi consensu virginitas, neque *loca mentem* (ut ait Gregorius) *muniunt, quod si desit Spiritus, non adjuvat locus.* Tota ecclesia, quocunque loco est, corpus Christi est, quæ Apostolo teste id curat in primis, ne quam speciem mali in omni credentium cœtu ferat. Nemo facile castus est, qui vel solus, vel cum paucis conjunctus est, nec virium est propriarum, sed eximiæ gratiæ, cum illo carnis incentivo luctari, ut victoriam triumpho dignam reportes. Proinde hoc sanctior erit virginitas, præsertim fœminea, quo pluribus fidelium sese commiserit. Atque ita fecisse vetustarum ecclesiarum virgines constat. Satis enim tutæ sunt vel castissimæ virgines sub magistratu, qui vim, fraudem & injuriam vindicat, nec invitæ continebunt, quæ vulgo præstant, quod donavit Dominus. Utinam autem carere hominum doctrina potuissemus, quam certum est adeo infelicem esse in religione promovenda, ut quamlibet fortibus adminiculis adjuta, nihil tamen proficiat, sed hoc fere solum perpetuo conatu suo assequatur, ut dum à Domini doctrina ad sua placita deficit, postrema juxta D. Petri dictum pejora primis efficiat. Quæ vero non sunt virgines, utcunque inclusæ & obseratæ, adeo corollam non merentur, ut meliore conditione fuerit Afra illa in lupanar tracta, quæ animi interim puritate inter Angelos versata est, quàm illæ sint, quæ virginum in cœtu positæ de lupanari cogitant: in quibus juxta illud poetæ Satyrici;

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore &c.

Ut profecto constet optime sensisse illos, qui Gynecia pluseulis in locis ad disciplinam modo capiendam fundarunt, libera interim optione relicta ingressis, ut vel nuberent suo tempore egressæ, si justæ causæ invitarent, vel cœnobio delecto virgines manerent, modo in eo statu nec cessare, nec ocium alere, sed adesse & prodesse Ecclesiæ studerent. Verum & has ædes ocio & superstitione contaminatas videmus. Nam & ipsæ certæ normæ addictæ, cantu, vestitu, preculis, votis, sese jactant & vendidant ita delire, ut canere & in sacris legere pium judicent, etiamsi nihil horum, quæ vel mussant vel modulantur, penitus capiant aut intelligant. Adpingunt & hostiis suis Franciscos & Benedictos, ut vel inde constare possit, intus esse Nonnas quæ rejecta Christianismi puritate ad hominum doctrinas defecerint. Ita nihil superstitione confidentius, nihil supinius, nihil arrogantius esse solet. Dicunt enim & has optione longè posthabita, malle fornicari per cœnobia, quam maritos quærere, & conjugali molestiæ prurientem libidinem subjicere; Quin satis esse putantes, si pingui illo in luxu atque ocio saginatæ, nomine & habitu castimoniam profiteantur. Id quod in totum illis usuvenit, quæ vel parentum imperio, vel cognatorum persuasione, vel præcipiti aliquo consilio, cœnobium ingressæ votum suscipiunt servandæ Castitatis, quam nisi Dominus donarit, simulare quidem possunt, ut alia pleraque, præstare non possunt. Perinde enim atque animalia quædam non mansuescunt, quantumvis blande tractata, sed dimissa ad ingenium redeunt: ita caro nostra, quantumvis attentis hominum consiliis demulsa persuasaque subsidat, tamen non mansuescit, nec ponit libidinem, sed ad naturam recurrit, nisi Dominus ipse dono eam castitatis cicurarit. Viderunt, nisi fallor, proxima secula, quam probe quorundam consiliis successerit, qui in hominum gratiam, & privati commodi magis quam pietatis aspectu, invitas filias cœnobiis intruserunt, violentissimo illo castitatis jugo imposito: quod quidem post disciplinam nuperrime per otium & opes luxatam, ita repente excussum est, ut monasteria non pauca propemodum in lupanaria degenerarint. De Germanicis autem loquor, neque his omnibus, (satis enim caste, etiamsi impie, vel etiam caute, si non caste, multis in cœnobiis vivitur) de his modo sentio, quorum ita prostituta est castitas, ut memorare libidinem citra pudorem nequeamus. Et monere quidem hactenus de castitate hominum decretis instituta libuit, ne quis hoc ipso probare me hodiernum monachismum putaret, quia veterem ejus disciplinam veluti dignam memoratu recenseo. Non enim probatur aliquid, quod judicatur, & memorandum proponitur. Quanquam cuperem (quod antea quoque sum testatus) talia hodie esse, & tribus proximis seculis fuisse vetera monasteria, qualia tunc fuerunt, cum instituerentur. Profecto minus nobis turbarum vitiata quorundam licentia dedisset, neque

auctus in tantum fuisset numerus cœnobiorum, quæ vix æstimandis sumptibus hactenus
ecclesiæ Latinæ sustinuerunt. Adhæc, arma nobis fortasse in promptu essent, quibus
horum conatus reprimeremus, qui justissimis de causis moti totum illud hominum com-
mentum, scandalis nimirum & erroribus refertum, nec uno nomine perniciosum, non
dānant modo, sed abrogant etiam & tollunt, satius esse arbitrati, desperati carcinomatis con-
tagionem rescindere de reliquo ecclesiæ corpore, quam committere, ut medelæ prætextu ma-
lum serpat, & amplius noceat.
Ad cœnobia autem Monachorum ut revertamur: constat Abbatum electionem per
initia magna parte ad Principem pertinuisse, cujus ea cura erat, ut non nisi idonei eligeren-
tur. Qua in re nec opibus, nec generi admodum, sed ætati & virtuti deferebatur, & ju-
bebat Regula, ut in Abbates illi maxime eligerentur, qui sacræ scripturæ periti, præterea
casti & misericordes essent, nec nisi è Domini præcepto suos erudirent & instituerent.
Vnde clare apparet, quod ante diximus, primos monachos præscripto illo vitæ arctio-
ris, non aliter quam adminiculo quodam & ornamento usos fuisse. Clamat enim vel
Benedicti Regula, se aliud non esse, aut profiteri, quam legem quandam pro his ini-
tiandis & instituendis, qui Christo olim essent militaturi: imo addit, aliud se non urge-
re, quam talem obedientiam, quæ Christi fidem professos, nec elatos faciat in opere, nec
quicquam sibi tribuat de his, quæ dedit Dominus, sed operantem Dominum magnificet.
Simul tamen magno errore, & salutem docet ex observatione doctrinæ hominum, & ope-
rum fiduciam fortiter inculcat multis in locis, ut vel hac una causa negari non possit,
Regulam illam, quam hodie Benedicto adscribunt, nec uno aliquo tempore, nec ab uno
scriptum, sed dogmatum & ceremoniarum accessione subinde ab aliis atque aliis mu-
1 tatam & auctam fuisse. Porro Carolus Imperator cognomento Magnus, communi e-
dicto permisit monachis, ut Abbates ipsi legerent, quod ante se & Pipinus pater mul-
tis cœnobiis indulserat, adjecta tamen conditione, ut & Regum authoritatem pro more
agnoscerent, jussisque illorum parerent & acquiescerent: quod insecuti tamen Princi-
pes neglexerunt, sæpius ordinatis selectisque etiam externis, qui monasteriorum ha-
benis adhiberentur. Sed nec electione ambitio sublata, aut avaritia repressa est.
Nam & à monachis lecti his vitiis obnoxij erant, & raros dedere Principes, qui per
luxum & intemperantiam cœnobiis abusi non fuerint. Vsque adeo enim Carolo mor-
tuo, ad quæstum & desidiam per domos illas declinatum est, ut Ludovicus filius,
Concilio Aquis habito, coactus fuerit, abusibus quibusdam correctis, veterem di-
2 sciplinam monasticam revocare, Eutichij cujusdam doctrina fretus, quem magno in
pretio apud Ludovicum fuisse Vincentius scribit. Ceterum ne sic quidem utcunque
redintegrata disciplina duravit, quin mortuo Ludovico Abbatiæ non clericis modo, sed
etiam laicis hominibus, in beneficium (sic vocabant) concederentur. Legimus autem &
sub Dagoberto, quo regnante Columbanus Rhetiam ingressus est, eodem morbo labo-
ratum fuisse, quod ipsum palam indicat diploma Regium, quo cavetur, ne vel Episcopi,
vel laici quicquam juris sibi in reditus monasteriorum aut potestatis usurpent. Alienos
autem & exortes, qui regundis monasterijs impositi sunt, partim eximia fide fuisse
invenimus, partim rapacitatis tantæ, ut monachi multis in locis exemplo territi vi-
vis dum Abbatibus alios surrogarent, ne priore moriente lupus aliquis Principis con-
1 niventia immissus grassari, & nocere cœnobio posset. Illud constat, immodicam
quandam licentiam etiam Episcopos, Regum favore fretos, in monasteria sibi usur-
passe, haud raro nequissimè tractatis monachis, plerumque autem ita vexatis, ut vel
invitis Abbates darent, qui suo nomine rerum potirentur, nec aliud illis permitte-
rent, quam quod ipsi jussissent. Celebri autem more est observatum, ut qui à mona-
chis electi fuissent, honesto aliquo comitatu ad Principem mitterentur, qui ratam ele-
ctionem haberet: contra autem electi fidem dabant Regi, idque juramento interceden-
te, ne aliud præsumere vellent, quam Principes de religione & publica æquitate con-
stituissent, neve aliud suis permittere, quam monasticæ disciplinæ norma expostulas-
set. Quem quidem confirmationis morem durasse satis constat usque in Rudolphum
Avindspurgensem Romanorum Regem, qui circiter annum Domini MCCC. ex huma-
nis excessit. Adeo recens & nupera est investitura illa Abbatum Germaniæ, quam proxi-
mis annis Pontifices suam fecerunt, tot antea sæculis non nisi in Regum manu positam.
Nec indignum enim, nec alienum ab æquitate videbatur illis, quorum majores, quique ipsi
collegia passim & monasteria fundassent, privatamque electionem monachis permisis-
sent, quique ante non nisi Principe designante Abbates accepissent, non minus juris in in-
stituendo confirmandoque habere, quam antea in eligendo habuissent. Suas quippe
opes illis impenderant, suo in regno posuerant ædificia, suis legibus institutisque erant
tutati, denique sua cura & diligentia intra metas veteris disciplinæ continuerunt. Legi-
2 mus autem veteres Francorum, ac post eos, primos illos Germanorum Reges & Impe-
ratores, sic large eam potestatem exercuisse, ut & Episcopos darent ecclesiis, & defunctis
alios

alios surrogarent, Præsulum quidem aliorum, sed non nisi domesticorum consilio freti. Sed & idem jus alijs principibus ita contulerunt, ut & legere & surrogare Præsules apud ecclesias suæ ditionis licuerit. Verum ut omni in negotio pietatis & religionis est factum, videlicet ut cottidie deteriora fierent, & subinde degenerarent, quæ minime improbe instituta videbantur, ita hoc quoque more sensim luxato detritoque hodie non nisi REGALIUM, ut vocant, nomine fidem Abbates Regibus præstent. Quod nomen ante annos, ni fallor, trecentos monasteria nostratia longe tum à dominatu aliena, in totum ignorarunt: nulla magis causa præsentatis Abbatibus, quam ut fideles esse suæ functionis ministri pergerent. *Regiarum* enim *donationum* nomine (quod veteres chartæ præferunt) non regalia illa nuper usurpata, sed agri & prædia & servitia etiam Regum benevolentia monasterijs donata, intelligenda sunt: *Regalium* nomen recentius non legimus in Chronicis veteribus. Nec fuit quicquam illis patribus regulæ, qui pulla veste induti, ultra & supra baptismi votum, suo etiam, hoc est proprio, mundum & gloriam ejus adjurarunt. Illud constat, longe minus nocituram fuisse multis cœnobiis Principum electionem, quam privata & domestica nocuit. Impuros quidem sæpe dedit Regum authoritas, qui certe magno & rerum & disciplinæ damno admissi sunt. Monachorum electio multo sæpius, studijs & factionibus efferata, nihil non commovit, turbavit & perdidit, atque id quidem proximis maxime sæculis, quæ palam suppressa religione non nisi dominatum & tyrannidem quæsivere. Perinde enim atque in urbe quondam, ita in collegijs & monasterijs quibusdam Germaniæ nostræ est actum, corruptis & contaminatis suffragijs sæpe diversi lecti sunt, qui repente ambitione exstimulati, ac velut furiis acti, nec credere invicem, nec monitorem ferre norant, sed odiis alternis, (quæ ambitionis est rabies) intestinas & exitiales discordias ita exercuere, & opes illas religioni dicatas bello absumere, & cede etiam partium victoriam reportare libuerit, gloriantibus scilicet & exultantibus quibusdam, si vi & armis obtinuissent, quod Majores sui Regum curæ & tutelæ summiserant, ne nocere ulla violentia posset. Ita mira quadam rerum conversione factum est; ut mucronem etiam in seipsam strinxerit monastica avaritia & ambitio, ex quo tempore in honorem & dominatum abiit, quod antea non nisi operis & laboris fuisset. Sed sero tamen illa pestis, nec nisi opulentiora monasteria tentavit. Prima enim, utcunque vitiata, nec sanguine suorum unquam, quod sciam, fœdata sunt, nec bello infamiam contraxerunt. Sed & Abbates veteres quum dissidium immineret, non armis carnalibus, sed jejuniis & orationibus pugnabant, nec tanta illis aut rerum aut titulorum cura, ut horum gratia Christianæ modestiæ, & sponte receptæ disciplinæ liberet oblivisci. Quadam tenus quidem & illos tentavit cupiditas, quæ mehercule vel primis illis monasterijs adhæsit, sed pluris tamen innocentia æstimabatur, quàm ut permittendum sibi illi duxerint, quod postremi illi monachi, nihil minus quàm monachi, sibi licentissima procacitate permiserunt. Nec jam nobis sermo est de sectis & sodalitiis fratrum, qui *Mendicantes* cognominantur, sed de his tantum cœnobijs, quæ longe ante natos mendicantium ordines fundata & reconcinnata fuerunt. Quorum quidem religioni & vacuitati ut consuleretur, Regum edicto constitutum erat, ut quemadmodum collegijs ita & monasterijs *Advocati* adhiberentur, quos *Vicedominos* alicubi vocabant monachi, nec parvo honore dignabantur: Principum nomine, à quibus impositi monasterijs fuissent. Horum munus erat redituum, servitiorum, prædiorum, rerumque aliarum, quæ juris monasteriorum erant, curam gerere: frequenter quidem & Abbate ipso & fratribus in consilium adhibitis, si quid incidisset horum cognitione dignum, quanquam minima hæc & omnium postrema monachis cura erat, longe magis religioni quàm sæculi negotijs addictis: præcipuam, ut dixi, gerebant Advocati, qui ea causa fere de vicina Nobilitate legebantur, quo major foret authoritas, ne damni quicquam cœnobia vel errore vel ignoratione susciperent. Raræ tamen in monasterijs *emptionum tabulæ* visebantur, frequentissime erant *Donationum*, ut quæ tum fere non nisi donatis rebus alerentur. Vnde mox paulò opes illæ enatæ sunt, quibus longe lateque omnia patuerunt, tanto spatio agrorum prædiorumque contracto, quantum (ut ait Persius) *milvus oberret*. Tabulæ omnes *Abbatis* nomine inscribebatur, cujus quidem absentis vicem *Decanus*, nonnunquam & *Præpositus* gerebat. Addebatur autem in chartis, & fratrum & Advocati consensus, ut exempli gratia: *Ego Bernardus Augiæ Abbas cum consensu fratrum meorum & Advocati mei VVichardi &c.* Ad quem modum, absente Abbate, Decani & Præpositi sese sæpiuscule præscribebant. Mirum autem vel simplicitate barbaræ gentis, vel studio brevitatis factum, ut neque in tabulis neque in chartis Francicis aut Alemannicis, quas quidem videre mihi contigit nusquam cognomina vel Abbatum, vel Advocatorum, vel testium aut Comitum adscripta cernantur, cum hodie prope omnibus in tabulis & Syngraphis ita requirantur, ut si desint, omni prorsus fide & æstimatione careant. Nec dubium tamen esse queat, quin illis sæculis etiam serviles & infimo in loco habitæ familiæ suis cognominibus non caruerint. Porro soli Abbates morem antiquum retinent, nomine scilicet edito, nec adjecto cognomine: quod

& ab Episcopis humilius natis custoditur: Nobiles enim fere genus edunt cognomine pro-
dito, quod veteres Episcopi in totum neglexerunt. Nam & Romanis Episcopis ea con-
suetudo est, ut nomen solum edant, sed numero tamen adjecto, ut quoti ejus nomi-
nis existant, intelligi queat. Quin & à Regibus & Imperatoribus veteribus Francorum
ea moderatio custodita est, solis nominibus æditis, ut antiquis in diplomatibus & tabu-
lis non facile inter Carolos, Pipinos, Carolomannos, & Ludovicos, (potissima Re-
gum nomina) nisi temporum ratione aliunde observata, discernere queamus. Crimi-
1 nalium causarum cognitio ad Comites pertinebat, à monasteriorum administratione a-
deo aliena, ut facinoris loco fuisset habitum, si quis affectasset. Posteriores quidam Ab-
bates, & proximis quidem annis, dominandi libidine inflammati, Regumque abusi
indulgentia, ne hoc quidem gladij & sæculi jure, utcumque prophano, & cum mona-
chismo pugnante, carendum esse duxerunt: satis interim religioni factum arbitrati, si
non ipsi, sed laici ministri suo nomine cognoscant, quum ipsi tamen & suo, & fratrum
suorum nomine jus illud horrendum hauriendi sanguinis à Regibus & Imperatoribus
suscipiant, eoque nomine fidem illis, à quibus accipiunt, jurent, quod ne Episcopi qui-
2 dem longe minus quam monachi addicti & jurati, jure ullo in sese (modo Christi sint mi-
nistri) transferre possunt. Dabantur autem & Abbatissis curatores, ut supra dictum est, quos
& illa ætas Advocatos & Vicedominos vocabat: quibus nesciis, non licebat ullum con-
tractuum pactorumve genus, quod modo in tabulas referretur, perficere. Vetuerat &
Ludovicus, ne Episcopus aut Abbas, aut Abbatissa centenarium Comitis Advocatum ha-
beret, atque id quidem quo minus suspecta judicia essent, in quibus de monachorum
monialiumque causis sæpe cognoscebatur. Erant autem *centenarii* judices ferme Nobi-
3 les, à Comite constituti, & à numero, ut videtur, appellati, qui certis de generibus
4 causarum cognoscebant, quemadmodum ex Caroli & Ludovici legibus patet. Ad Co-
5 mitem autem referebant Advocati, si quid dignum ejus cognitione judicassent. Iudicia
celebriora Legati Principis tempore constituto, post hos autem & Comites & Centena-
6 rij, aut horum vicarij peragebant; quæ quidem Francis & Alemannis, barbara voce,
placita dicebantur, & *placitare* pro eo usurpabant, quod est placitum celebrare, quam
vocem in Caroli etiam diplomatibus legimus. Moris erat primum, ut Advocati cœ-
nobiorum nomine placita, si quid negotij incidisset, adirent; inde inolevit, ut & Abbates
7 irent. Nec absimilia sunt judiciis illis veteribus & conventibus, hodierni conventus & ju-
dicia, quæ hodie vulgo Reichstag/Cammergericht/ Hoffgericht / Landtag nominamus.
Quippe placiti vocabulo etiam comitia imparialia intelligebantur. Ludovicus enim Pii
filius, post pugnam ad Fontanetum cum fratribus habitam, & obtentum Germaniæ re-
gnum, placitum apud Vlmam celeberrimum legitur habuisse. Et extat præclara Ludovici
8 Pii sanctio, qua jubebat, *ut in Mallis & placitis primum omnium, viduæ, pupilli & pauperes*
audirentur: & si ad causam agendam inhabiles essent, datis patronis juvarentur. Mallum
vocabant conventum judiciarium, Landtgericht / in quo præter alia etiam de libertate &
servitute, & assertionibus agebatur. Extat etiam Lex Cardina, quæ *rem judicatam in Mallo*
9 *repeti* non sinebat. Refero hæc, non ut probem, aut imitandas existimem voces barbaras,
sed ut de statu temporum admoneam, nec sileam vel barbare usurpata, quo queant, quæ
illis sæculis scripta sunt, intelligi. *Placiti* enim & *Malli* lex Salica & Alemannica crebram
faciunt mentionem, nec tacent voces illas Chronica nostratia, quæ ante annos trecentos
scripta sunt. Arbitror autem diversa fuisse ex parte ab judiciis supra nominatis, illa quæ
Latine *publica judicia* vocamus, vulgo Hochgericht. In his enim de facinorosis plectendis
statuebatur, quorum cognitionem Comites fere absentibus Principis Legatis agebant,
quæ & *meri imperij* significatione intelliguntur. In aliis autem de appellationibus, aliisque
id genus civilibus caussis, quæ Legatorum Regiorum aut Comitum præsentiam requi-
rebant, juris ditione magis, quam potestate, cognoscebantur. Qualem hodie annuum
conventum illustres Helvetiorum pagi, sub festum Ioannis baptistæ in castello Ther-
marum agunt, non modo de appellationibus communium Præfecturarum, sed de rela-
tis etiam & obiter enatis caussis, quarum cognitio ad summum magistratum pertinet, de-
cernentes.

Loca ipsa condendis monasteriis delecta, principio non nisi Principum favore conce-
1 debantur. Quæ si liberorum hominum fuissent, & donata non essent, permutatione com-
pensabantur; si fiscalia, religionis caussa dabantur Abbatibus. Vnde verisimile est, quod
2 in Chronicis cœnobij ad S. Gallum legimus, Sigibertum Francorum Regem, non illum
Austrasiorum, qui Brunehildam uxorem habuit, sed juniorem Dagoberti & Ruague-
drundæ filium, Beato Gallo partem sylvæ, quæ fiscalis erat, quam Abtzellanam hodie voca-
mus, pro monasterio ordiendo donasse, quod annis minimum centum ante imperium
Caroli factum esse colligitur. Vt vel hac de causa constare possit, vix aliud monasterium
per Alemanniam, quæ tum regni Francici pars erat, vetustius extare. Siquidem Da-
goberto illo regnante, qui sedem Constantiensem primus instituit, Rhetiam nostram Gallus
ingres-

ingressus est, nec multo postea nemus illud Submontanum ad rivum Stainaham situm, incoluit, cujus proxima loca ei demum Sigibertus donavit. *Eremum* quidem atque etiam *solitudinem* Monachi Chronographi nominant, verum paulo frequentior hic secessus fuit, quam aut Eremi aut deserti nomen gereret. Desertior quidem erat ager Abtzellanus, & incultior multo, quam hodie existat, illo maxime in tractu, qui à monasterio recta ad Alpes protenditur, sed colonos tamen habuit non paucos, servos videlicet fiscalinos, per sylvas illas & dumeta dispersos, quos dono Gallus à Sigisberto accepit. Nec prorsus solitudo fuit, ubi hodie monasterium est: quippe sua ipsorum historia in literas relata constat, proxime monasterium agros fuisse nobilium & liberorum hominum, qui Gallo donati postea fuerint. *I*ndiciis certissimis constat, illo in loco, quem urbis nostræ mœnia cludunt, ante Galli adventum, non frequentem modo, sed veterem etiam & Romanam vetustatem præferentem habitationem fuisse. Et sunt nuperrime intra pomeria oppidi nostri reperti in hortis haud procul æde parrochiali D. Magni, argentei & ærei nummi Romani cum Imperatorum veterum inscriptione, qui vel remotam antiquitatem, aliis quoque de conjecturis apparentem indicant, de quibus nunc dicere omittimus. Ad institutum interim reversi, sciendum est, monasteria vetera libenter illis Episcopis patuisse, in quorum diœcesi essent exstructa: nec multo erant Presbyteris parochianis celebriores Abbates, nisi amplius illos religio commendasset, nec major erat ex lege pœna illi constituta, qui monachum pulsasset, quàm qui Diaconum. Abbates enim paucorum, Presbyteri multorum curam gerebant, utrique salutaribus Episcoporum monitis obsequebantur. Carolo Magno placuit, ut Episcopi veteri more competentem monasteriorum curam gererent: contra autem monachi, horum dicto audientes essent, quod & Ludovici filij lege cautum est, nec licebat Abbatibus, ut externis sese negotiis miscerent, nisi eos Episcopi vel sua authoritate, vel Principis jussu, ad necessariam aliquam functionem evocassent. Iisdem enim etiam concilia omnium secularium officiorum usum adimebant. Primum omnium avaritiæ accessione factum est, ut Episcopi suis ecclesiis non contenti, de occupandis expilandisque monasteriis consilia captarent, non jam ad disciplinam retinendam, sed ad quæstum & lucrum faciendum intenti. Vnde mox Abbates calumniis contumeliisque petiti & exagitati de jugo excutiendo, & declinanda Episcoporum tyrannide deliberarunt: quandoquidem & ipsis non hominum modo privatorum, sed Regum etiam & Imperatorum favor & indulgentia nihil non pollicebatur: nec paulo optabilius videbatur, proprio dominio præstare, quam alienis parere imperiis. Adeo verum est, quod quondam à Fabiano Philosopho dictum Seneca in controversiis retulit; *Divitias* scilicet *frugalitatem & pietatem impugnare*, præterea *malos patres & malos filios facere*. Tum primũ enim labascere religio cœpit, quum qui illi præfuere, divitias sentire, admirari, & consectari cœperunt. Quare Francis etiamnum regnantibus contigit, ut Abbates opulentiores veteri more & instituto violato, rescissisque obedientiæ vinculis, totos sese rejectis Episcopis tutelæ Regum commiserint, & diplomata impetrarint, quibus adeo asserebantur, ut nemo quicquam juris, excepto Principe, in eos sibi vendicare posset, qui hoc honoris & authoritatis Episcopis habebat, ut disciplinæ monasticæ retinendæ gratia eo jure potirentur, quo in monasteriis administrandis & exigenda religionis puritate, veterum Principum authoritate & constitutione donati essent. Prima igitur exemtionis species, qua vel bonorum & piorum Antistitum jugo sese monachi subtraxerunt, illa fuit, quam Episcoporum insolentiæ & avaritiæ acceptam retulimus. Secunda, quæ pessima fuit, ipsis monachis debemus, qui Principum patrocinio elati, & suam illam ad opulentiam admissi & conversi, demum ne ipsos quidem tam bene meritos Principes adeo reveriti sunt, quin sæculis insecutis & proximis quidem, quum Romanorum Pontificum potestas non modo ingens, sed formidabilis etiam facta esset, & contemptim jam ab illis Germaniæ Imperatores tractarentur, sensim est ad urbis Antistites discessum, & Romanæ sedi *immediate* (ut vocant) subjecti sunt, qui Francis & Transrhenanis Germaniæ Principibus opes omnes & fortunas suas debebant. Tanta enim indulgentia habiti, ut illos merito parentum loco vereri & amare, neque alios quærere patronos debuissent, quorum fidei & protectioni sese committerent, quando ita ab illis jam inde à jactis fundamentis protecti & defensi fuissent, ut præter omnium rerum securitatem, ad opes illas & satietatem plus quam modicam, non nisi Principum favore pervenerint. Primum quidem nostri regnum illud novum urbis, quod rejecta Imperatorum authoritate sibi ipsis nullo jure Pontifices arrogassent, admirati, de suis etiam, hoc est de privatis Dominis, cogitare cœperunt. Quid enim aliud erat, sedi Romani subjici, quàm Imperatorum & Episcoporum veteri juri & authoritati nuncium remittere? quando jam orbis sibi persuasisset, ita omnem ecclesiasticæ administrationis potestatem illuc pendere, ut quidquid semel sedis illius nutu & voluntate decretum esset, illud ipsum ne Imperatoribus quidem, nedum Episcopis, rescindere liceret. Pontifices igitur qui alienis opibus inhiabant, hoc uno per initia erant con-

tenti, quod isto tutelæ patrocinijque prætextu ditissima Germaniæ monasteria suarum partium fecissent, donis etiam & privilegiis honoratis Abbatibus. (Mitra enim & pedum & annulus & sandalium, & manicæ gemmatæ, Paparum illorum maxime, qui & ipsi monachi fuerant, munera sunt, quibus Episcoporum dignitati Abbates jam suos æquarunt.) Iam enim ditissimos quosque Præsules nostrates eandem in nassam illexerant, ac velut muro sepserant suæ sedis potentiam, ne quid in illam impune præsumere Imperatores nostri possent. Cui conatui ubi successit, facile alia secuta sunt, Pallij videlicet redemtio, annatæ, investituræ, indulgentiæ, quæ nostri, Pontificum potentia & amplitudine commoti, sed & elati tutela, quæ vel Regum manus coerceret, ultro etiam illis concesserunt. Verum juri illi & mori exemptionis nuper nato cum vere sanctus Abbas Bernardus resisteret, negaretque id licere Abbatibus, ut hoc modo otio & libertati consulerent: (quippe jam videbat, quem in nervum isthæc consilia demum essent eruptura) tamen solus fatalem illam calamitatem adeo arcere non potuit, quin brevi postea tempore, quum confecta jam & bona ex parte oppressa per Italiam Regum dignitas jaceret, cœnobia fortunatiora Papæ sese tutelæ committere magno numero perrexerint, moremque nec probum admodum nec honestum, literis aut tabulis etiam suo nomine æditis, palam ostentarunt, quod à nonnullis tamen primum ducentis annis proximis factum esse constat. Vsque enim ad Rudolphum Avindspurgensem Germanorum Regem, Alemanniæ monasteria vel prima & ditissima electorum Abbatum comprobationem, quam vulgo *investituram* vocant, non à Papa, sed à Principe, vel Rege, vel Imperatore petiere; nec ad Pontifices, sed ad Principem juramenti præstandi gratia missi sunt (quod alio in loco admonuimus) qui privatim & domestico fratrum consensu in Abbates electi fuissent. Vetus enim illud & sanctum jus, tum dignitati, tum etiam authoritati Romanorum Principum à Constantino usque Maximo, cum fructu ecclesiarum omnium tributum est, quod ipsum postea ingenti dispendio & horribili cum perturbatione religionis, nec sine armis & sanguine, iisdem Pontificum ambitione est adeptũ. Francis quidem illud per Carolum, ut diximus, Hadrianus Papa donaverat: quod quidem minime necesse fuisset, nisi iisdem etiam Imperij nomen & curam donasset. Perpetua tum fuit Imperatorum urbis facultas, electos ut Episcopos comprobarent, aut si justæ causæ fuissent, reijcerent. Primus omnium Gregorius ille, ut Vincentius tradit, qui VI. eo nomine Papa fuit, Heinricho III. imperante, circiter Ann. Dom. ML. Hadriani constitutione violata, investituram sedium Italicarum vendicare sibi est ausus, post quem Gregorius VII. Heinrichi IV. dignitate supra modum contempta & vexata, idem molitus est, nitenti licet ex animi sententia non successerit. Demum Calixtus II. idem saxum volvit, Heinricho V. ea maxime causa in urbem admisso, quod Legatis ejus apud Sutriam obviam factis promisisset, jure sese investiendi cessurum, quum minime tamen cesserit. Vnde diris devotus & anathemate percussus, plurimis annis ingentem persecutionem magna & prope incredibili constantia sustinuit, donec etiam à suis minas Pontificias declinantibus desereretur, speque omni atque ope demum destitutus, vetustissimo illi & æquissimo juri imperatorio renunciare coactus fuit, exhibito etiam diplomate, cujus hæc verba sunt: *Ego Heinrichus Dei gratia Rom. Imp. Aug. pro amore Dei, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo sanctæ Catholicæ ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem*, &c. Contra Calixtus, jam potitus voto, in hæc verba condixit Imperatori: *Ego Calixtus servus servorum Dei, dilecto filio suo Heinricho Dei gratia Rom. Imp. Aug. concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque simonia, & aliena violentia, ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & provincialium consilio vel judicio saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Rom. ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat*, &c. Extant enim diplomata apud Vrspergensem data Anno Dom. MCXXII. 9. Kal. Octobris. Ex quo tempore nomen Regalium usurpatum Abbatibus, jusque investituræ sedium Germanicarum in Pontificum manum delatum, quod mox paulo simonia ingenti contaminatum est. Conjicio autem eodẽ fere tempore, & Principes & Ecclesias nostrates investituræ & electionis potestate veteri spoliatos fuisse. Sane & sub Heinricho IV. aliquousque comprobandorum Episcoporum Italiæ facultatem suam fecerant Pontifices, verum jure adeo arcto, ut citra Imperatorum consensum irrita fuerit illorum ratificatio, quam Quinto primum Heinricho succumbente in totam nostri amiserunt, repetitam quidem sæpius, sed clade innumera, quum non contenti investitura Vrbani Præsules jura etiam imperij, & multarum urbium Italiæ, quæ antea imperialis fuisset, sui juris ac potestatis facerent. Sæpe autem hac ipsa de re cogitanti mihi visum est, insignem illam contumeliam Heinricho V. non sine evidenti ultione irrogatam fuisse, non solum quod charissimum parentem abiici a regno, seque Pontificum studiis eligi, regnique honore exaltari passus fuisset, verum etiam quod à Papa persuasus iisdem de causis patrẽ ut hostem fuit persecutus, quibus postea & ipse telo illo trisculo percussus, suisque prope omni-

omnibus ab Episcopis desertis ignominiosam ad palinodiam compulsus est. Nec me fugit, esse quosdam, qui jus illud Pontificium defendentes, nescio quid originis in Paschalem primum rejiciunt, ajuntque ex urbe in Gallias ad Ludovicum Pium profectum, id primum orasse Imperatorem, ne iniquo animo ferret, quod Pontifex se nescio creatus esset, quod ille ceu condonans, non modo æquo animo tulerit, sed indulserit etiam ut liberam in urbe, Principum comprobatione non exspectata, electionem peragerent. Quod quidem ita contigisse à quodam bibliothecario proditum ferunt, autore haud satis idoneo, ne dicam suspecto. Verum si ita res se habet, mirum est, posteriores Pontifices in tam longa discordia nihil, quod sciam, de concesso illo sibi jure refricare aut allegare voluisse, sed in conciliis horum temporum, Heinricianam & Vuigbertinam hæresin, videlicet, ut catholicæ traditioni & Spiritu sancto adversam, sententia sua damnatam & explosam fuisse. Mirum etiam, quod Hadrianus *III.* Carolo Crasso regnante in Pontificem lectus, ad Senatum urbis referendum duxit, ne in eligendo Pōtifice Principis authoritas exspectaretur, sed libera foret electio. Latuit ne Senatum Ludovici permissio? aut est verisimile, nepotis tempore fuisse ignoratum, quod avus constituerat? Vt sileam, quod insecuti Imperatores eodem jure quiete sunt usque in Heinrichum *III.* usi, quinimo certo constet, Francos qui Ludovicum secuti sunt, usque in Ludovicū Arnolphi filium, non Italiæ modo regnum amplissimum, quod ante Longobardi tenuere, sed etiam ipsam urbem Imperij sedem ita obsequentem habuisse, ut illis vel tributa penderet, quoties esset flagitata, nec facile quicquam Episcopi denegarent, longe aliter tunc temporis animati, quam recentes illi fuerint, qui rerum suarum immodice studiosi negandum optime merentibus existimarunt, quod optimi quique & pientissimi Pontifices ante se tot seculis, Regibus & Imperatoribus suis detulissent, nimirum ut canonice electus Episcopus aut Abbas à nemine consecraretur, nisi prius à Principe comprobatus & investitus esset. Quod ad me attinet, fateri habeo, ejus rei vendicatione Romanæ sedi plurimum & dignitatis & potentiæ accessisse. Verum enimvero conducibilius fuisset; tum publicæ tranquillitatis, tum etiam religionis & charitatis Christianæ gratia, pede premere consilium, tam noxium & violentum, quo Præsules Romani desponsis animis illud enitendum esse censuerunt, ut omnium ordinum, gentium, ecclesiarum, obedientiam exposcerent, suam interim ipsi nec profiterentur nec præstarent, ne suos quidem, hoc est, Romanos Imperatores ita agnoscentes, quin universæ urbis jus & imperium solis sibi vindicarint. Hoc enim uno velut fonte quodam pestis illa dissidiorum & simultatum scaturivit, quæ tutoribus illis & patronis ecclesiarum Christianarum tot bella nocentissima peperit, tot tumultus excitavit, tot millium hominum casu & internecione ecclesias afflixit, denique tot intestinis odijs Clerum distraxit à Laico, non sine lachrymabili disciplinæ subversione. Quæ mala omnia vel levi & innoxia importunorum etiam & insolentum Principum permissa tolerataque jurisdictione declinare, & summum in bonum ecclesiarum convertere potuissemus. Quando enim Apostolus Paulus jussit, ut *anima omnis* vel Ethnico & sævienti Magistratui subdita sit, cur non idem longe magis Christiano & optime merenti magistratui largiendum esse agnoscimus? Quando & Petrus Romanæ urbis Antistes; *subditi*, inquit, *estote cuivis humanæ creaturæ propter Dominum, sive Regi tanquam præcellenti, sive præsidibus*, &c. Et eodem in loco; *Deum*, inquit, *timete, Regem honorate* Nec dubium sit ipsos Apostolos Petrum & Paulum tam detulisse Principibus, in quorum urbe & populo victitabant, quam alios, ut deferrent & omni honore prosequerentur, inhortati sunt. Summus autem Magistratus Romæ quum Romanus Imperator existat, quis consequi non videat, & his ipsis Apostolorum exemplo parere urbis Præsules necesse esse, nec frigidos agere vicarios, sed horum vestigijs insistere, quorum nomine functionem suam tuentur. Quod si adeo ab Episcopis Romanis simulatum non est, quin Francos & Germanos alios, quibus & nomen & insignia obtulerunt, pro suis Imperatoribus & agnoverint & venerati sint, consequitur certo, non minus his parendum fuisse, quam illis, quibus & jus vetus & insignis illa authoritas comprobandorum Episcoporum semper in manu fuit. Si non agnovere & fucato officio sunt prosecuti, ne dicam persecuti, haud aliud profecto illa sua periculosa discordia quæsivisse & ambiisse videntur, quam ut ablegato proculque summoto nominis honore, semel & Imperatore vacare, & urbem suam facere, suumque in ea firmare regnum possent. Sed paulo lōgius investituræ tractatione ab instituto digressum me video, quanquam multa forent digna memoratu, de quibus fortasse alio in loco commodius referemus. Nunc de Monachorum obedientia, ut dicamus, satis constat D Hieronymum non uno in loco prodidisse, Ægypti monachos & Syriæ, sua ætate Episcopis parere, statisque diebus frequentibus ecclesiis sese conjungere, & sacris etiam mysteriis interesse solitos fuisse. Hoc ipsum enim & sacræ literæ jubent, ut Domini ministris, quibus dispensatio mysteriorum Dei concredita est, reliquus cœtus obsequatur & pareat. Neque hæc refero, ceu meam opinionem inculcans, sed ut commendans Bernhardi conatus, cujus admonitioni si Romani Episcopi paruissent, in hunc usque diem Episcopis suis monachi parerent. Nullā enim justā causam habet,

qua tueri se queant, quo malorum metu bonos etiam Antistites agnoscere & revereri desierunt. Certis enim remediis malorum Præsulum avaritia cohiberi & sine labore ambitioni quorundam & insolentiæ frænum imponi potuisset. Ex eo enim tempore, quo
1 sordidi quidam Episcopi hac una, quam diximus, causa in aulas Regum se conferre, Ducesque & Comites salutare, orare, tentare muneribus cœpissent, Abbates & ipsi necessitate quadam adacti, nec minus exemplo allecti, pari de causa in media sese Principum palatia contulere, partim quidem ut inter Palatinos censi, sua tuerentur, partim etiam ut aliena occuparent, quæ (ut erant cupiditatum servi) pactarum rerum cumulo adjicerentur. Quanquam me non lateat, Francos veteres, ex quo tempore ad fidem Christi conversi sunt, libenter & Episcoporum & Abbatum consuetudine usos fuisse, sed & hos
2 frequentius in consilium adhibuisse, quo ardentius publicæ pietati consultum esse cupiebāt. Quod quidē & Germanici postea Imperatores & plerarumq; gentiū Reges quæ in postremis fide imbutæ sunt, more velut translatitio custodierunt. Tamen graves viri & sancti erant primi illi Antistites & patres, ornamenta videlicet Palatinorum & lumina, quorum hoc potissimum studium fuit, ut Regum felicitatem & potentiam mitigarent, & Christo Domino lucrarentur, pronosque deinde animos religionis amore inflammarent, quod ipsum sane non doctrina modo, quam sacra lectio suppeditabat, sed vitæ etiam innocentia, qua erant spectati, assequebantur. Quum ē diverso nuper illi Præsules & Abbates, ambitione & avaritia distenti, non jam Christum in aulis, sed Antichristum quærerent, non divitiis modo publicis collegiorum & cœnobiorum, sed suis etiam & privatis dediti. Quæ quidem quum satis jam pollerent, adeoque ad summum auctæ viderentur, tamen hoc major erat divitiarum sitis, quo magis opes illæ crevissent. Quæ res postremo intemperantius exercita materiē illis malorū omniū subministravit. Satis enim & plus satis experta sunt proxima sæcula, duobus illis dominis, Christo & Mammonæ, neminem fidelem servire posse. Defecere siquidem à Christo, qui Mammonam sunt secuti. Et est indubitatum, cum aliis honestis actionibus institutisque, quibus hominum societates consistunt, tum inprimis religioni obesse solere studium illud opum & potentiæ, quod proximis aliquot seculis religionem simulantes homines non avertit modo à veritate, sed omnino etiam (ut libere dicam) subvertit & perdidit. Quod ipsum si nullæ usquam scripturæ docuissent, certum tamen cogitanti facerent Ethnicorum querelæ veteres, quæ bene institutas religiones suas dolent luxu & avaritia corruptas & contaminatas fuisse. Quod si in tenebris suis nihil æquabile aut moderatum ferre potuit, pater ille mendaciorum Satanas, quid eum in luce tantopere sibi adversa & invisa intermisisse putamus, quo minus omnia religionis nostræ decoramenta sursum deorsumque jactata contaminaret. Summa malorum etiam hoc errore crevit, quod Episcopi & Abbates haud raro minime bonis consiliis instructi, fucatis persuasionibus tanquam præstigiis quibusdam usque adeo illuserunt Principum animis, ut devicti demum non modo conniverent licentissime agentibus, sed comprobarent etiam diplomatis signatis, quæ illi nulla justa causa flagitassent. Ad quam quidem intemperantiam hoc proniores erant, in duris illis & barbaris sæculis horum animi, quo plus dignitatis & authoritatis monachis & presbyteris omnium ordinum persuasione deferebatur. Vt enim olim Tribunorum in urbe, sic illorum in orbe Christiano utcunque degenerante, sacrosancta erat authoritas, licet nec mores sancti, nec vita amplius pura, nec syncera admodum studia essent. Abbates enim quidam, dum opum curam gerunt, morum & disciplinæ jacturam ingentem faciunt, & rejecta religione nihil amplius quam sublime & Regium cogitare, aulæque delicias suis cœnobiis inferre, ac pestes quasdam tanquam dotes illis relinquere, imo obtrudere perrexerunt, quorum habitus & professio jam inde à Paparum exemplo & instituto deducta, nihil minus ferebat, quam quod illis divitiarum accessione tot modis excœcatis placere semel & arridere cœpisset. Quare factum est, ut Abbatum documento perculsa monasteria quædam ditiora, usque adeo majorum relictis institutis degenerarint, ut Deo, non mundo mortui viderentur, qui sacris tamen illis monasticis initiati, Deo se, non mundo victuros tam sancte promisissent.

Caroli quippe sæculo, vigente etiamnum disciplina, hanc unam gloriam ferebant Episcopi & Abbates, si doctrinæ & pietatis nomine laudati fuissent. Pullulabant quidem jam tum seminaria quædam ambitionis & avaritiæ in multis monasteriis, sed interim deprehensa in annuis illis Synodis Episcoporum vel emendabantur, vel certe coercebantur. Ad hæc & Regum cura morbis illis quadamtenus medebatur, missis nimirum gravibus viris, qui de disciplina monastica singillatim perquirerent. Quare & operis addicti monachi, constitutis horis laborabant, & certas psalmis dabant, & sacra biblia versabant, non diurna modo, ut ab illo est dictum, sed in bruma & frigore nocturna etiam manu, additis insuper & collatis expositionibus, quæ à præclaris doctoribus orthodoxisque & catholicis interpretibus æditæ fuissent. Curam enim aliquam studiorum illis sæculis fuisse illæ bibliothecæ, quarum supra meminimus, testantur, præcipue Fuldensis illa & Lauresheimensis & Hirsaugiensis & Cæsariensis prope Nordlingam, aliæq; in Germania nō paucæ,

cæ, quas inter & ea, quæ Sangalli est, merito censetur, optimis quondam libris & selectis,
exque ipsa Italia allatis referta, sed multo sæpius expilata. Primus eam Gozbertus Ab-
bas Ludovico Pio imperante instruxit, neglectam antea ac prope nullo librorum usu ha-
bitam. Multæ enim conjecturæ sunt, quæ docent, primos illos monachos, qui à
morte Galli monasterium incoluerunt, non tantum laicos, verum etiam literarum
ignaros, aut certe semilatinos fuisse, quod & chartæ vetustæ, quas libro secundo re-
feremus, palam innuunt. Auctiorem postea Grimaldus reddit Ludovici junioris *Ar-
chicapellanus*, (sic eum vocabant, qui à sacris Imperatoris erat) quem Bernuico Abbati,
quia Lotharij factionem secutus esset, depulso, idem Ludovicus monasterio S. Galli
præfecerat. Hic tametsi nec ipse monachus, nec alijs à monachis lectus, sed Principe
jubente Abbatia donatus esset (jam tum enim in beneficium cœnobia concedebantur) tan-
ta tamen in monachos jam suos humanitate, liberalitate & beneficentia fuit, quanta ullus
ante Abbatum. Primus enim omnium haud aliud majori sollicitudine nixus est quàm
ut vetus illa studiorum ratio, aut certe proxima veteri, in suo quoque monasterio ex-
coleretur. Eandem curam HARTMUTUS, quem ille vivus sibi successorem destinarat,
susceperat, insuper & hunc honorem sacris libris largitus, ut codices duos scripturæ sa-
cræ, auro & gemmis appararit. Extat etiam nunc in bibliotheca monasterij psalterium
in membrana aureis literis iisque elegantissimis exaratum: præterea duo illi codices scriptu-
ræ Apostolicæ, auro, ebore, gemmis vestiti, qui sacris in celebrioribus inferuntur. Tale
quid & sua ætate factum Hieronymus scribit, parum tamen probans fucatam quorundam
hypocrisin, qui pauperum cura neglecta in membranis Dominum colerent, in corde & ani-
mo non gererent. In epistola enim ad Eustochium, *Inficiuntur*, inquit, *membranæ colore
purpureo, aurum liquescit in literas, gemmis codices vestiuntur, & nudus ante fores eorum
Christus emoritur*, &c. Quod quidem & nostra ætate assolent, qui ceremoniis, nescio quibus
addicti & consecrati, Christum ipsum, hoc est pauperes suos, non modo non juvant, vel
morbo afflictos, vel egestate laborantes, sed insuper spoliant & expilant, gratam rem
se Deo facere arbitrantes, si jure in illos suo per summam injuriam & contumeliam ab-
utantur. Veteres monachi sæculum aversati, non animum solum studiis honestarum ar- 1
tium, sed corpus etiam præscripto aliquo laboris genere exercebant. Et erant operæ o- 2
mnes in Abbatis arbitrio, qui & laborem & tempus pro cujusque vel ætate, vel conditio-
ne moderabatur, ad victum etiam & alimoniam intenti, quo publicam eam multorum in-
dustria sustentarent, quam solertiam postea & à nostris imitatione quadam receptam do-
nationes fregerunt, simulque opere illo manuum collapso lucri studium omne ad sacra est
translatum. Regula Benedicti veros esse monachos testatur, qui manuum labore victum 3
quærunt, & negavit Gregorius, *eum esse monachum, qui in terra possessionem quærat*. An igitur
veri sunt monachi, qui sacra & sacrificia licitantur, ipse viderit. Nos institutum prose-
quemur. Ac de victu quidem ut dicamus, Communis antiquis victus erat, & extabat lex
Carolomanni, Majoris domus Franciæ, *ne monasteriorum & ecclesiarum bona dividerentur,* 4
neve ex divisione jacturam ullam paterentur. Quem vere utilem morem, nobilitas postea
collegiorum cœnobiorumque bonis potita violavit, partitis scilicet & privatum in usum
divisis reditibus, quibus privatim divisimque seorsum etiam exstructis ædibus, fruerentur.
Hunc abusum pluscula postea monasteria emendarunt, contractis iterum unumque in cor-
pus redactis reditibus, pluscula non sine insigni rerum omnium licentia retinuerunt: Ne-
que enim vigilant alicubi Abbates, sed merum (ut vulgo dicitur) & talos ponunt, quo parem
ad ludum fratres invitent. Cibus omnibus modicus, & paucis ferculis distinctus. Consta-
bat autem fere pulmentis & leguminibus, interim & carne apposita, si vel locus vel tempus
postulassent. Negligebatur enim institutum, quod ab esu carnium arcebat monachos:
& ipse sane Rabanus, Benedictini sodalitij monachus, in libro de institutione Cleri, ciba-
riorum discrimen damnat, superstitiosum esse affirmans judicium, *quod hoc esse licere, illud non* 1
licere asserit; præterea mundum hoc, aliud immundum cogitat. Certe quo cordatiora fuere cœ-
nobia, hoc liberius cibo sunt usi, longe dissimiles illorum dementiæ, quos hodie *Observã-
tes* vocant, libertate Christi rejecta, vinculis sese mandatorum captivant, & probe consul-
tum abstinentiæ putant, si carne non vescantur, interim vino optimo & esculentis exquisi-
tissimis distenti & farti. Vini usus rarus & temperatus erat, veteribus plerisque nullus. Ce-
revisiam bibebant multis cœnobiis nostratibus fratres, qui usum ejus hodie in totum igno- 2
rant. Iejunia ipsa non ut hodie prandio distenta differtaque, sed more veteri, cujus me-
minit Augustinus, diei inedia constabat, monachis interim nonnullis biduo etiam sese af- 3
fligentibus. Qui die jejunassent, cœnulam multa vespera capiebant, quæ *Collatio* dicebatur,
haud quidem à ferculis, ut arbitror, velut Symbolum significarent, sed à dogmatis, quæ qui-
dem vel vescentes conferebant. Silebatur enim initio cœnæ, & erat qui vescentibus vel ex
scripturis, vel sacra ex historia depromptum quiddam prælegeret, quem finientem collatio
excipiebat. Durant hodieque lectiones tam diurnæ, tam etiam nocturnæ, sed ita translatæ in
cantum & fistulas, imo vero in opus & meritũ, ut aliud re ipsa non sint, quã ceremonia quædã,

quæ

quæ veteris inſtituti nec fructum quidem ullum nec modum habeat, nedum ullam vere pie-
4 tatis ſpeciem. Canuntur enim fere à noſtris, quæ veteres voce paululum intenta recitabant, neque id agebant, quo meriti quicquam ex eo labore foret, ſed ut inſtructi imbutique ſacrarum literarum miniſteriis, audientium mentes hoc ardentiori obſequio religioni ſeſe accommodarent. Et evocati qui in cœnobiis agebant, publiciſque functionibus adhibiti, prodeſſe hoc amplius aliis poſſent. In totum autem antiquis tantus (ut ſic dicam) rigor abſtinentiæ, tantus tenor diſciplinæ fuit, ut monachi poſteriores luxati jam & fracti Abbatum quorundam liberalitatem non alia magis cauſa extulerint & commendarint, quam quod menſas ſibi numero ferculorum aucto, lautiores & pinguiores fecerint. Incredibili enim eſt dictu, quantum poſtea vitiata religio non modo in frigidas quaſdam ceremonias, quæ præcipuo tamen in loco habebantur, ſed etiam ad ſagenam & paſtum quendam dejecta fuerit, nominatim etiam expreſſis ferculis eduliiſque & vini menſura in dies menſaſque certa, velut è ſcripto & canone recitata, quæ monachis & Presbyteris deberetur. Extantque hodie id genus indices paſſim aſſcripti, qui dierum anni prope omnium prandia, cœnas, fercula, & ut ſummatim dicam, eſculentum & potulentum omne, in ſingulos dies deſcriptum, continent. Vnde colligi poſſit, poſtremos ceu ad carnem & otium, & (ut Satyricus inquit) ad bacchanalia converſos, inter præcipua habuiſſe & coluiſſe, quæ primi monachi ſola naturæ neceſſitate contenti, admiſere potius quam excoluere. Nam & veſtitu quondam adeo neglecto fuere, ut exituri monaſterio melioribus è veſtiario allatis induerentur. Inte-
1 rulæ fiebant de panno fuſco, de nigro autem tunicæ, oblongæ quidem ſed arctæ, cuculla ſuperinducta, quod antiquæ picturæ ſatis clare indicant. Conſtat autem aliquoties mutatum fuiſſe Benedictini ſodalitij habitum. Et authores habeo, qui negant Benedictum alio unquam veſtitu fuiſſe uſum, quam illo ipſo, quo homines honeſti ætate ſua uterentur. Veſtes enim illæ tam laxæ & ſinuoſæ poſteriori ætate, fatiſcente jam diſciplina monaſtica, & hypocriſi gliſcente, receptæ ſunt. Et nuper uſurpatum, ut Abbates quidam opu-
2 lentiores ſericis atque etiam byſſinis uterentur induſiis. Sed & barbam alere Caroli ſæculo decorum erat monachis, qui in vertice tamen raſi ſpectabantur. Raræ autem ſunt ex vetuſtis imaginibus monachorum, quæ barbam non præferant. Arbitror autem vel diſciplinæ ſeveritate, vel profeſſionis conditione factum eſſe, ut & criminoſorum latibula haud ra-
3 ro ipſa monaſteria fuerint, Regibus etiam & Epiſcopis raſis & intruſis, qui vel metis inopia, vel animi libidine facinus aliquod deſignaſſent, aut indigni eſſent judicati, qui publicæ rerum adminiſtrationi præeſſent. Sic enim intruſi perinde atque in exilium relegati, aut in inſulam deportati habebantur. Pipinus Caroli Magni filius ante Carolomannus di-
4 ctus, quum adverſus patrem conſpirationem iniiſſet, demum ſcelere detecto per judicem attonſus & in monaſterium detruſus eſt. Ad quem modum & Taſſilo Bajoariorum Princeps, regnante Carolo, in publico judicio læſæ Majeſtatis accuſatus & convictus, quum capitali ſententia damnatus eſſet, Carolo demum miſerante, (frater enim conſobrinus erat) una cum filio Theodone detonſus in monaſterium truſus eſt Contra multum exiſtimationis attulit cœnobiis antiquis, quod horum ſeſe diſciplinæ vel Reges ipſi, ſæculi cura ultro abjecta ſummiſerunt: quod à Carolomanno Pipini fratre & Lothario Ludovici filio, factum eſſe legimus. Iam quibus de cauſſis acciderit, ut mediæ ætatis monachi Benedictum, pueros etiam vixdum infantiam egreſſos raſerint, & veſtierint, haud admodum conſtat, niſi putandum eſt tantum ceremoniæ illi monaſticæ tributum fuiſſe, quantum hodie quidam votis ſuis tribuunt, dum conſecraneis ſuis religione initiatis, nomina etiam imponunt diverſa ab his, quæ in baptiſmo Chriſti ſuſceperant. Veriſimile tamen ita raſos & veſtitos fuiſſe, quo libentius propoſitum illud vitæ inſtitutum ſuſciperent, nec diſſimiles eſſent inceſſu, quorum curæ & diſciplinæ erant commiſſi.
5 Obiter memorandum mihi Chunradi Imperatoris hoc nomine primi, humaniſſimi
2 Principis dictum, qui tempore quodam Italia relicta, per Rheticos Alpes ad monaſterium S. Galli cum deflexiſſet, ſiſti ſibi quodam die pueros iſtos juſſit, manuque inſerta in loculum ac velut bellaria expromens, labris ſingulorum aureos nummos immiſit, quos cæteri quum digitis excerperent, unus haud ſatis fidens Imperatori, addubitanſque quid dediſſet, & ſcabricie monetæ offenſus, repente expuit nummum, quod ille videns; *Hic*, inquit, *ſi vixerit, bonus monachus erit*: ſatis innuens, bonorum in numero non habere ſe, qui auri amore allicerentur. Per monaſteria autem juvenes, quemadmodum & ſenes, paulo indulgentius habebantur. Siquidem & illis laxiore victu opus erat, quo vires adoleſcerent; his lautiore, ne ſuccumberent, qui provectiore ætate erant officia tum pu-
6 blica, tum privata, tum etiam ſacra viciſſim obibant, tanta quidem ſedulitate, ut vilia etiam & abjecta ordine quodam gererentur, & eſſent, qui culinariam veſtiariamque præſcripto numero dierum adminiſtrarent. Diſtincta autem erant officiorum nomina. Ac primum quidem *Cancellarij*, *Scribæ*, & *chartularii* dicti monachi, qui omne genus contractuum, aut donationum tabulas & chartas conficiebant, haud raro ſurrogatis ſubſtitutiſque qui horum vicem gererent. Vnde illud eſt; quod in antiquis diplomatis ſæpe

hæc

hæc & similia verba leguntur : *Ego Inquirinus ad vicem Luituuardi Cancellarij scripsi &*
subscripsi. Item : *Ego itaque Notker ad vicem VVinidharti monachi scripsi & subscripsi.* Item: *Ego*
Purgolfus indignus monachus ad vicem Ruodini scripsi & subscripsi, &c. Non licebat enim
passim & promiscue scribere chartas, sed certi & delegati muneris ea facultas erat, quam
Abbates & Advocati Regij ea ætate non nisi monachis conferebant. *Camerarius* dicebatur
frater Oeconomus, qui penum curabat, condus scilicet & promus, ut ille ait, & procura-
tor peni: posteri etiam illum hoc nomine vocavere, qui Abbatis cubiculum procurat. *Sa-*
cratarium ajebant, qui sacrarium: *Cellarium*, qui cellam vinariam. *Hospitarium*, qui pere-
grinorum hospitium curabat: qui bibliothecæ præfectus esset, *Bibliothecarius* vocabatur.
Lector autem, qui fratribus vel discumbentibus quiddam ex sacris prælegebat, ut antea di-
ximus. Erant eo tempore & *Ecclesiastici Lectores*, qui officio suo non nisi in sacris per-
agendis veteri more fungebantur. *Portarius* erat ex monachis, qui ad portam assidebat
monasterij. Nec enim omnibus nec obiter patebant cœnobia, & arcebantur ingressu mulie-
res, nisi si quas benemerentes religionis causa venisse constitisset. Erant & qui vigilias ageret
contra noctis incommoda, usque adeo non tædebat operæ ullius aut oneris privatim ob-
eundi fratres illos, qui & illud inprimis, ne qua frequentia alienorum hominum, quan-
tumvis industriorum, professionis quietem interturbaret, summopere curabant. Abbatum
autem quanquam in re omni suprema & dignitas & potestas esset: tamen adeo sibi non tribu- 1
ebant, quin & Advocatis suis, quos multo in honore habebant, & monachis, qui ordinariis 2
functionibus præerant, non gravatim non consilia modo omnia communicarent, sed vicem
etiam administrationis committerent, si quibuslibet de causis abesse monasterio fuissent
coacti. Erant ex monachis *Præpositi* dicti & *Decani*, qui & ipsi rei monasticæ curam gere-
bant. Perinde enim atque in veteri militia, præfecti erant & Centuriones & Tribuni, & De-
cani, præsides scilicet exactissimæ disciplinæ, ita & illis genus illud vitæ monasticum, quia
specimen quoddam militiæ Christianæ de se exhiberet, ceu translatis diligentiæ vigilantiæ-
que nominibus insignire libuit. Quæ res sane vel primis & recenter natis monachis arrisit. 4
D. enim Hieronymus de monachis Ægypti ad Eustoch. scribens, *Divisi*, inquit, *sunt per decu-*
rias atque centurias, ita ut novem hominibus Decimus præsit, & rursus decem præpositos sub se
centesimus habeat, &c. Vnde intelligimus non decimos modo seu Decanos, sed centesimos
etiam sive centuriones, ab illis præpositos dictos fuisse. Durant adhuc in cœnobiis (ut etiam
in castris quibusdam) nomina, nec sine fœnore: (nova enim multa & ignota veteribus acces-
sere) quum interim disciplinæ non parum multa sint detracta, nec habent hodie plures De-
canos vel frequentissima sodalitia, præter unum: & multa sunt monasteria, quæ præpositis
suis carent, quos olim tamen celebres habuere: translato interim in illos nomine, qui vel vil- 6
lis vel humilioribus ecclesiis impositi, solis prope reditibus & proventibus, rejecta anima-
rum cura, rationem habent, alicubi & *Vicarij* & *Locumtenentes* dicti, qui & in oppidis resi- 7
dent, & danistas quosdam, sive malumus publicanos, reditibus censibusque cogendis re- 8
ferunt. Tantum enim hodiernis monachis duntaxat veterum cœnobiorum in divitiis suis
negotij & laboris est, ut operæ quantumvis prophanæ aptissimos quosque præficiant, jura-
tæ interim professionis autoramento intermisso, nec nisi inertioribus ad cultum illum mo-
nasticum adhibitis, cujus tamen prætextu omnia sua, ceu jure debita, tuentur & propug-
nant. Habent enim diplomata Imperatorum, habent brevia Pontificum, quibus sane
velut exultantes, hoc plus tribuunt, in terram videlicet proni, quo minus scripturæ præ-
ceptis, patrumque jactatis constitutionibus obsequuntur. Ad operas autem ut revertamur,
prope notius est, quam ut relatu opus sit, multis in monasteriis, præter opifices vulgares, &
librarios & pictores, sculptoresque, quos Græci *Anaglyptas* vocant, extitisse. Fuere autem
qui medicinam & herbariam profiterentur, tanta facilitate, ut externos etiam & peregre
profectos ad curationem admitterent. Adeo nihil illis vacuum aut neglectum transmitteba-
tur ad operam quamcunque honestam, modo & sua professione dignam, paratis. Nec caru-
erunt autem & laicis Presbyteris monasteria, præsertim frequentiora, qui Præpositum agno- 1
scebant, ad certam & ipsi normam vitæ, sed monachismo tamen laxiorem, adstricti, 2
nec nisi contigui monasteriis, Præposito ipso fere seorsim habitante. Horum munus erat,
plebis curam gerere, infirmos invisere, solari, pascere, sacramenta poscentibus administrare,
sacræ lectioni incumbere, sacris cum privatis tum publicis interesse, cui prope unicæ & so-
li functioni ab initio fuerunt consecrati. Parebant & Episcopo paulo amplius quam mona-
chi, nimirum Dominicæ functionis ministri. Verum eam molestiam cœnobitæ postea deli-
catiores facti, & ad sæculum à Christo conversi, abjecerunt, plebe demum adhortata im-
petrataque, ut seorsim & magnis quidem expensis ecclesiæ exstruerentur, in quas (quod
pluribus in locis factum est) jus illud Evangelicum, quod *Parrochiale* vocant, translatum est.
Monasterium Sangallense insignem quondam Præposituram habuit, verũ reditibus postea,
incertum quibus de causis, in cœnobium contractis abrogata est, quod & in externis aliquot
præposituris accidit, nempe illa, quæ ad ædem S. Alexandri fuit in Abadorff Durgaviorum,
& via, quæ proxima suburbio nostro in æde D. Leonardi eximiis reditibus fuerat instituta, qui

ferme

ferme omnes collegio subverso in monasterium sunt translati, quod ipsum & sacerdotiis
nonnullis privatim institutis accidit. Extant quidem & hodie in monasterio pauci civium
nostrorum liberalitate magna ex parte donati & instituti, qui instar Canonicorum suparis
pelliceis hæteromallis perque intervalla caudatis induuntur, haud aliis fere quam privatis
supplicationibus, sacrificiisque intenti, sed & ad famulitium obsequiumque Abbatum sa-
3 cra peragentium astricti. Illud quoque non omittendum, & laica collegia multis olim
monasteriis conjuncta fuisse, nec sine regula, quæ nihil tamen præter obsequium & fa-
mulatum cum certo quodam precularum numero exigebat. Mirum autem mihi sæpe vi-
sum est cogitanti, quomodo acciderit, ut vel ipsa Caroli ætate, votorum supersti-
tioni usque adeo tributum fuerit, ut semel ingressis egredi iterum & deserere institu-
4 tum non liceret. Summovebantur quidem ex cœnobiis etiam inviti, qui nec admoniti,
nec correcti resipuissent: nuperque ingressi vestes recipiebant. At si quis voto solemniter
constabilito renuntiasset, ut apostata & desertor habebatur. Tondere & velare minoren-
5 nes parentibus invitis non licebat. Si quis totondisset, pœna erat banni Dominici, qui se-
xaginta solidorum summa æstimabatur. *Solidus* vulgaris duodecim denarios valebat: major
6 erat pœnalis ille, quem Francicæ leges quadraginta denariis supputatum æstimarunt, ut si
quis (exempli gratia) fœminam gravidam occidisset, pœna duorum millium & octin-
gentorum solidorum mulctabatur, lege Salica talem summam in septingentos solidos sup-
putante, quod dum fiebat, denarij quadraginta singulis solidis tribuebantur. Sic enim
habet lex Salica: *Si quis fœminam gravidam occiderit, duorum millium octingentorum de-
nariorum, qui faciunt solidos septingentos, culpabilis judicetur.* Item: *Si quis puellam inge-
nuam, infra annos, antequam infantes possit habere, occiderit, octingentorum denariorum, qui
faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur.* Etenim plurima capita videre est in lege Salica,
quæ solidum ista ratione supputant.

Pauperibus autem & peregrinis vetusta cœnobia, tanta liberalitate providebant, ut
1 re ipsa non tam monasteria quam xenodochia viderentur: siquidem proxima cœnobiis, &
iisdem sæpe conceptis inclusa pauperum erant hospitia, quæ *Hospitalia* appellabant, quale
2 & Sangalli quondam Hospitale S. Othmari proxime ædem sacram, cujus nomen etiam-
num durat, cum nihil tamen duret veteris moris, sed illud teneant fratereuli aliquot lai-
ci ceremoniarij, ad famulatum monachorum astricti, quorum reditus longe sunt tenuio-
res, quam illorum antea fuerant, qui pauperibus alendis consultum provisumque
esse cupiebant. Erant enim monachi, qui ad pedes ægrotorum ultro sese dimittebant,
Christum recipere se hospitio arbitrati, quum egenum suscepissent. Hærebat animis
illud Christi: *Pauperes semper habebitis, me autem non habebitis.* Quod igitur Domino
non poterant carne ipsa in cœlum recepto, hoc afflictis infirmisque officij impende-
bant, qui quidem non ex agro modo vicino, sed longinquis etiam à locis, religio-
nis ergo venissent. Et tanta animi propensione eam curam susceptam à multis legimus, ut
ne à leprosis quidem adeo abhorruerint, quin benignissime & exceperint & tractarint.
Utinam autem eo amore in pauperes essent monachi hodierni tam opulenti, quo majores
ipsorum fuerint. Durat quidem multis in cœnobiis pinguioribus minime vulgaris hospi-
talitas, sed quæ parum egentibus, ac non raro vel indignis impertitur, quum eorum in-
terea, qui vere sunt pauperes, postrema ratio habeatur, exutis alicubi & spoliatis egenis,
qui indiu tamen in Christi nomine & eleemosyna donari debuissent. Olim ad Abbatis men-
sam peregrini vocabantur honestiores, qui vel casu aliquo, vel causa religionis adventas-
sent: hodie largis epulis excipiuntur, qui bene meruisse, vel bene merituri judicantur, &
favore non judicio res agitur. Religionis enim severitatem, non assentatione modo levi,
sed etiam dissimulatione & palpatione, ab illis qui eam profitentur, contaminatam esse vi-
demus, omnium animis eum ad modum affectis, ut rebus præsentibus, quo jure quave in-
juria partis conquisitisque longe magis quam aut religioni aut pietati consultum esse cu-
piant.

FRANCI veteres tanti disciplinam majorum exemplis confirmatam æstimarunt, ut
quoties visum esset, ad monasteria & collegia graves aliquot & pios viros perquisitum
mitterent, recte ne an secus clerici & monachi præstarent quod Episcopi illis & Abbates
3 injunxissent. Ea de re *missi Dominici* illis sæculis, præterea Regum & Imperatorum legati
dicti sunt, quibus hoc muneris delegatum fuisset. Atque horum quidem sententia velut
4 censura notabantur, qui licentius vel à Canonum vel Regulæ præscripto exorbitassent. Li-
cebat autem & aliorum ordinum dicta factaque cognoscere, & ad Principem referre, si
5 quid in leges & instituta vel à Duce vel Comite, vel Episcopo vel Abbate commissum fuis-
set. Regia diplomata ea tum dignitate & honore habebantur, ut qui contrairet, aut con-
temptim haberet, si publico officio præditus esset, eo privaretur; si homo privatus, ex-
pensis legationis damnaretur, si servus ad palam (Ludovico Pio decernente) nudus vapula-
ret & tonderetur. Mittebantur autem fere Comites, Episcopi, Abbates, qui doctrina, pru-
dentiaque & integritate, ut tunc habebant tempora, præcellebant. Verum & hic mos vel
pro-

probatissimus brevi post tempore ita refrixit & elanguit, ut quum antea nulli pro-
pe parti pietatis retinendæ majori cura invigilatum esset, ter quaterve missis in anno,
qui de collegiorum disciplina cognoscerent, demum Principes cessatione, an disci-
plinæ tam umbratilis ac prope desperatæ fastidio gravati vix singulos ac sordidos qui-
dem illos & ignobiles mitterent. Auditum est quidem postea *Inquisitorum* nomen,
sed Hæreticæ tantum pravitati objectum, nec nisi monachis, atque his quidem Men-
dicantibus delegatum qui necdum ullum offenderunt suis in cœnobiis, qui criminis
illius reus exstiterit. Illud constat post Carolum & Ludovicum F. raro unquam æ-
quis animis admissos à monachis fuisse, qui cœnobia eorum ingressi de disciplina ra-
tionem exigerent, & corrumpi se pecunia passi sunt legati primum Regij, postea
Pontificij, ne in monachos suo more victitantes inquirerent. Ad hæc in literas rela-
tum est, tempore Otthonis primi, monasticæ disciplinæ reformatæ adeo impatien- 1
tes fuisse monachos quosdam Germaniæ, ut non solum jugum illud vetus & mona-
chis dignum ferre recusarint, sed mutatis etiam vestibus è monasterijs aufugerint. At-
que hic rursum de Francorum diligentia referendum, quanquam id supra ex parte fe-
cimus, qui amplissimum Regnum suum Ducum maxime & Comitum opera mode-
rabantur, qui in illa quidem ætate non suam ceu propriam, sed publicam regni di-
tionem administrabant. Perinde enim ut apud Romanos, Proconsules, Præsides, 2
Quæstores, Procuratores, ita in Francorum regno Duces, Comites, & qui Ca-
meræ nuncij dicebantur, alienæ potestatis functionem gerebant. *Duces* rei maxime
militari intenti erant, quod è Germanico ipsorum nomine hodie quoque durante disci-
mus. Hertzog enim exercitus Ducem significat. *Comites* autem & eis inferiores *Cente-* 4
narij & ipsi vicarij Principis justitiæ administrandæ vindicandisque criminibus & publi-
cæ tranquillitati retinendæ, tanquam præsides agebant. *Cameræ nuncij* per Franciam
& Alemanniam redituum Regiorum & fiscalis pecuniæ rationem exigebant. Missi
ipsi quater in anno caussis cognoscendis præsidebant. Hyeme quidem in mense Ia- 5
nuario, vere in Aprili, æstate in Iunio, autumno in Octobri. Quorum omnium
hodie certa vestigia exstant in judicio illo publico apud Rottvvilam, cui fere Comes
præsidet, sed finibus tamen jurisdictionis latius, quam veteri pro more, prorogatis.
Pauciorem enim in numerum contractis veteribus cognitionibus, limites conventuum
proferri fuit necesse, quum paucis jam in locis ageretur, quod pluribus antea fuis-
set actum. Sed & imperiale illud, quod *Cameræ* vocant, inde retentum est, quod &
ipsum Præsidem habet Comitem aliquem insigniorem, qui vel Cæsaris vel Imperatoris
vicem administrat. Quin & publico hodie sumptu, ut olim ea jurisdictio peragitur,
appellationibus ordinum imperij præterea decretis, mandatisque Imperatoriis exequen-
dis præcipue institutum. Quorum haud admodum dissimilia judicia sunt hodiernæ
Franciæ, quæ diversis in partibus regni constituta *Parlamenta* vocant. Ad Missos au-
tem provocare adversum Comitum vel negligentiam vel illatam injuriam, etiam plebi 6
licebat, actione hinc data concessaque, qui se neglectum fraudatumve, aut iniquius à
Comite tractatum quereretur. Quin & munere suo & ipsa officij dignitate sæpe pri-
vabantur Comites, quemadmodum & Episcopi & Abbates haud raro & capite plexi,
si quid atrocius superbiusve commissum fuisset. Fuit enim tempus regnantibus Francis,
quo nec Duces, nec Comites Germaniæ sui juris essent, quod quidem Pipini & Caroli
frequentes victoriæ effecerant, Germanicis gentibus passim ad usque Sarmatiam & se-
cundam Pannoniam devictis & subjugatis. Verum ut diu non durant coacta & volenta
obsequia, ita veteri libertati, simul atque res Francicæ collapsæ sunt, Germani sunt
restituti. Quanquam autem Francorum vel animositate vel liberalitate est factum, ut
quæ vi aut injuria privati homines admisissent, levi fere pœna vindicata sint, tamen se-
cus cum Clericis & monachis actum fuisse, ex horum temporum synodis palam intelli-
gitur. Hæc enim ordinem illum hoc majori disciplina coercebant, quo magis noxia
esse exempla videbantur, quæ inde in populum demanassent: quum hodie rebus omnibus
tantopere mutatis ac prope deploratis, multis in locis Magistratus non ferat, quod E-
piscopi & Abbates in suis impune ferunt & indulgent. Contra autem ut impia & hæreti-
ca damnent, quæ non possunt citra jacturam Apostolicæ doctrinæ damnari & rejici. In-
tollerabiles erant Francis Presbyteri adulteri aut fornicarij, Lexque illa Pipino regnante
lata in omnium ore erat: *Nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicarius, ad sacrum* 1
ministerium admittitor. Quare & concilia scortatorem Presbyterum flagellatum carceri 2
adjudicabant: Clericum autem aut monachum ter verberatum coniiciebant in vincula:
Nonnas impudicas pœna eadem reposcebat, sed rasas tamen toto capite. Erat enim &
tonsio infamiæ nota non in Nonnis modo, sed in servis etiam & liberis sceleratis & væ-
cordibus, qui tonsi in monasterium detrudebantur. Fœdissimum autem habebatur, si 3
Præsides commisissent, quod in subditis dignum pœna judicassent. Nullum enim un- 4

quam labefactatæ pietatis Christianæ præsentius venenum, nullam pestem magis noxiam experta est Ecclesia Christi, quam horum vita & mores attulerunt, qui aliis quum præessent, Pharisaica justitia inflati docuere, & non fecere, jussere, & non præstitere, denique impune commiserunt, quod ut turpe & probrosum in aliis damnassent. Quo malo hodie usque adeo infectum videmus Ecclesiæ statum, ut neque Præsides amplius errorum pudeat, & populus assuetudine quadam induratus, ipso propemodum sensu malorum careat: Principes autem sic in quorundam studia & conatus inclinent, ut videri profecto possint, nihil magis tueri & asserere velle, quam vitam Christi nomine fucatam, quæ longe maxime tamen à Christi doctrina, & veterum Ecclesiarum moribus ceu in Lærnam quandam (ut dicitur) malorum degeneravit, & verbis hodie quidam religionem tuentur, reipsa oppugnant & subvertunt, ac in plurimis eximiam quandam religionem professis verba audimus, & cernimus fucum, facta ipsa, opera & studia certissima animorum indicia non videmus.

Caroli ætate sanctimonialem sollicitasse, abduxisse, stuprasse, capitale erat. Neque id mirum, quum Ethnici Romani Vestales suas stuprum passas supplicio afficerent. Nunc impune monachæ à monachis vitiantur, & in partem gloriæ trahitur de clarissimis familiis prognatas stuprasse. Tantum hodie licentiæ videlicet voto castitatis permittitur, sed in totum mihi rei videntur miseriæ omnis Pontifices illi, nescio quam Felices, qui rerum suarum successu elati, tantum judicij sibi arrogare veriti non sint, quin divino consilio non dico rejecto, sed reipsa damnato, legibusque à se inventis tam impiis quam impossibilibus, infirmam illam naturæ & longe omnium delicatissimam partem ita gravandam esse duxerint, ut VOTO semel concepto & nuncupato, castitatem ceu suam in manum positam longe maximo animorum casu, imperandam esse sanxerint, & legis humanæ tyrannide gravarint tot modis afflictas conscientias, quas solari tamen & in lege Domini edoceri confirmarique oportebat. Supra enim dictum CONTINENTIAM non hominis esse, ut quam libertati voluntatis suæ tribuere queat acceptam, sed solius Dei nostri donum esse. Hujus enim solius est à communi illa lege gignendi & crescendi eximere, quam artubus nostris prima illa mundi constitutione inseruit. Proinde & Christus æternum verbum, in quo & per quod omnia facta sunt, de cœlibatu custodiendo Apostolis respondens: *Non omnes*, inquit, *capaces sunt hujus dicti, sed hi, quibus est datum*, &c. Potest enim vel morbo vel arte constare castitas, ne ut non possis etiamsi uraris, sed violentia hæc est. Sanis enim & integris corporibus non obtingit, quin ex primæva illa lege, *Crescite & multiplicamini*, &c. ardeant & concupiscant, nisi Domini gratia naturæ ardorem consopiat. Nemo potest naturam mutare sua voluntate, imo ne pilum quidem unum aliter tingere, quàm à natura tinctus est. *Naturam mutat solus ille, qui naturam creavit*, sicut in epistola quadam ad Irenæum scripsit Ambrosius. Quod ipsum & Gregorium cuperem vidisse & ipsum (si modo regulam illam conscripsit) Benedictum. Nam ut non flagret aliquo tempore sexus humani fragilitas, seu (ut Apostolus loquitur) non uratur, non utique natura fit sed privilegio. Frivolum enim est, quod quidem obganniunt, in hoc videlicet sitam esse contentionis gloriam, quod omnibus campus ille luctandi & pugnandi cum carne & concupiscentia late pateat. Ita enim docent, qui suis velis navigant, suisque viribus ceu panoplia quadam armati, solis sibi per tot æstuantis pelagi fluctus & procellas integro dum corpore eluctantibus, lauream nescio quam castitatis virginitatisque attribuunt, velut longe melius situri, titillari, tabescere, deperire, & dissolvi libidine, quàm carnis incentivo illo naturali laborantis fragilitatem, pronitatem & miseriam non agnoscere, nec mederi & curare pergere; quæ væsania multis sæculis nocuit, adeo obstinatis hominum mentibus (quod humanæ persuasioni acceptum fecimus) ut enatis inde erroribus non ferendis nemo judicium admoverit, omnes communem miseriam tot vitiis, probris, criminibus pollutam & interspersam susque deque tulerint & transmiserint, cum ex adverso tamen Apostolus clamet & doceat, satius esse sic vexatos & afflictos contrahere matrimonium, quàm uri & agitari, non nescius quàm inquieta sint mente & conscientia, qui vinculis humanarum sanctionum detenti, æstu illo tam vehementi percelluntur. Neque vero pugnam eam fugimus, quam contra carnem & Satanam in baptismo sumus professi, sed negamus castitatem humani consilij aut arbitrij esse, & asserimus matrimonij remedio succurrendum esse carni, quæ dono illo destituitur. Carnis interim nomine non illam intelligentes quæ spiritui adversatur, & cum lege Domini bellum gerit, sed illam etiam, qua primi parentes induti sunt, cuique nondum prævaricatæ vim gignendi cum evidenti sexus discrimine indidit, quando inter cætera in Paradyso locatis dixit: *Crescite & multiplicamini*, &c. *At vero virginitas* (inquit Hieronymus) *prior fuit matrimonio & Paradyso fruita est.* Fateor: sed in Paradyso tamen conjugium non institutum modo, sed & laudatum est, cum laudatam virginitatem non legamus, nec ullo loco scriptura doceat, virginitatem matrimonio prærogativa seu

merito

merito, quod illi fingunt, ullo modo præferri, sicut nec viduitati, nec cœlibatui quicquam tribui, quod matrimonio non tribuatur, unica illa vacatione excepta, qua qui virgines aut viduæ, aut cœlibes sunt, hoc liberius quæ Domini sunt, curare possunt, quo minus uxoriæ rei molestia detinentur. Videat autem Hieronymus ipse, quàm probe senserit, dum castitati sic tribuit, & secundas nuptias adeo elevat: cum Apostolus contra dicat, & doceat, satius esse copulari, quàm uri, nec admittat viduas in Ecclesiæ ministerium nisi sexagenarias. Iuniores autem non continere, sed nubere jubeat. Solis Ethnicis secundæ nuptiæ displicuere, & est author Servius, antiquos à sacris coercuisse bis nuptos, & Valerius Antoniam laudat, quæ Bruto mortuo vidua permanserit. Dido quoque apud Maronem secundas nuptias culpam vocat, & pudorem violari illis putat, quod & soror ejus fatetur, dum ad nuptias illam adhortans, inquit, *Tu modo posce Deos veniam*, &c. sed nihil tale in scripturis legimus, quinimo non esse bonum, ut homo sit solus, quod ipsum si ab artifice illo universæ creaturæ dictum non fuisset: tamen ex ipso corporis habitu & forma, marisque & fœminæ natura & conditione intelligi posset ad conjugium & fecunditatem factos eos & creatos fuisse. Iam cum Theologi affirment, & ipsa scriptura satis testetur, non conjugio, quod sanctum & immaculatum est, sed prævaricatione amissas esse Paradysi delicias: adhæc gignendæ prolis vim & benedictionem vel ipso in Paradyso duraturam fuisse, videre profecto Hieronymus potuisset non tam virginitatis tantopere à se laudatæ quàm matrimonij à Deo instituti capacem fuisse Paradysum, modo in fide & obedientia duratum fuisset. Benedictio enim est Domini, quod ad gignendum proni sumus, quamvis non sim nescius, ut alia multa ita & hanc à Deo nobis inditam affectionem non parum prævaricatione viciatam esse. Accessit enim huic iniquissima rerum æstimatrix CONCUPISCENTIA, quæ quoniam cum lege Domini pugnat, proculdubio mala est. Verum quicquid in hoc vitij & infirmitatis existit, in credentibus per spiritum reconciliationis & fidei emendatur. In illo enim & proles in peccato conceptæ sanctificantur, & eluitur baptismo culpa originalis, quam primo de parente contraximus, *non quidem ut non sit* (ut ille ait) *sed ne noceat*. Quando igitur Christus & Apostolus Christi Paulus diserte admonent, non nisi matrimonio ardori & inquietudini illorum subveniri posse, qui donum castitatis non habent, patere arbitror non uno nomine errare & peccare, qui legibus suis miseras conscientias captivas retinent, viamque intercludunt libertati Christi, non paulo æquius ferentes si scortentur Nonnæ, Monachi, Presbyteri, & urgentem Venerem per nephas satient, quam ut nubant, & matrimonio immaculato sese Domino dedicent. Quum constet tamen solius matrimonij honestum esse cubile, reliquam Venerem omnem ut execrabilem damnatam. Facessant igitur pugnæ & luctæ illorum, qui ad conjugij molestiam arcendam armis tam fœdis & spurcis velitantur: facessant remedia pollutionum tot libris prodita, indignis quos vel pudici legant, vel verecundi audiant: facessat Francisca illa Romana, quam miror laudari à Volaterrano potuisse, quæ Veneris incentivam ardenti larido verendis admoto represserit. Quasi vero uri maluerit quàm nubere. Hæc autem omnia non diximus, veluti parvo castitatem æstimemus, quàm & nos summe extollimus, & etiam omnibus commendamus ejus præstantiam, modo vera castitas à Domino donata sit. Hanc solam damnamus, quæ coacta cum sit, castitas esse nequit, quæve summa in spurcitie sese ostentat & venditat. 1

Sed ad monasteria revertendum nobis: & ipsa Franci quemadmodum & collegia quædam asyla esse voluerunt, hoc est sacra & inviolata, ut nec rapi inde quisquam nec extrahi aut vi ulla peti sine gravi pœna posset. Mulctabantur enim fere sexcentis solidis, qui *immunitatem* (sic tum asylum vocabant) violasset, hoc est pœna banni Dominici seu Regij. Et in lege Alemannorum de liberis servisve ad Ecclesiam fugientibus hæc verba leguntur: *Si autem vi abstraxerit, & injuriam Ecclesiæ fecerit, decem & octo solidos ad Ecclesiam componat, & fredum solvat in fiscum sexaginta solidos, quia contra legem fecit, & Ecclesiis honorem non impendit, & Dei reverentiam non habuit, & ut alij cognoscant, quod sit timor in Christianis, & honorem Ecclesiis impendant.* Hactenus legis verba retulimus illo haud dubie scripta tempore, quo plurimi Alemannorum fidem Christianam nondum receperant. *Fredum* autem (ut obiter notemus) vocabant Franci pœnam fisco, id est Magistratui, debitam ob vim injuriamve illatam & violatam legem, quam majores nostri mutata voce *Fredel* dicebant, nunc corruptius vulgo Frevel nominant. Es muß den Frevel / das ist die Buß / oder die Straff / oder den Frieden zalen. *Fredum* ergo pacem legibus sanctam & constabilitatam vocarunt, quæ & *publica Pax* dicebatur, non privatis & paucis, ut hodie fere, sed publice, ut in gente bellicosa & fera, indicta: hodieque per Germaniam sit, vulgo ein gemein Fried / Landsfried / Friedstand / pacem contra vim & injuriam inductam vocamus. In asylo autem Episcopum, Presbyterum, Abbatem, aut Monachum trucidasse multis in locis capitale erat: cum de id genus tamen homicidiis alibi

perpetratis, pœna pecuniaria transigeretur. Ludovicus Pius in illos, qui Presbyterum
sacra in æde cum fuste sanguinolentum fecisset, gravem pœnam statuit, cujus una pars
Ecclesiæ, duæ Presbytero, qui pulsatus esset, dabantur. Erat autem & de Diaco-
nis & Subdiaconis, adhæc & Abbatibus & Monachis cautum, neque adeo legis ut-
cunque vindicata severitas proficiebat, quin in gente illa (ut verum fatear) animosa &
ultoria subinde Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Abbates & Monachi
2 trucidarentur. Qui Episcopum occidisset, nongentis solidis: qui Presbyterum, sex-
centis: qui Diaconum, quadringentis: qui Subdiaconum, trecentis: qui Mona-
chum, quadringentis transigebant. Vetustissimis sane & ab Ethnicis etiam exstructis
templis hoc honoris habitum est, ut extrahi inde quemquam aut vi rapi, nisi grandi a-
liqua causa, non liceret. Quod postea & Franci in Deo dicatis locis magna cura obser-
varunt: tametsi homines palam criminosi & scelerati asyliæ jure non gauderent, ac eo-
rum quidem numero habebantur, qui jurejurando adversum Principem aut Magistra-
3 tum conspirassent. Licebat autem Comiti in vincula reposcere criminosos, qui ad colle-
gia monasteriave confugissent, triginta solidorum pœna in eos decreta, qui postulatos
confestim non reddidissent. Quod si elapsi fuissent, juramento se Præsides purgabant,
quod nihil esset dolo malo commissum. Si collecta manu Comiti perquirenti repugna-
tum fuisset, pœna erat sexcentorum solidorum. Merum enim imperium penes Comi-
4 tes erat. Hodie *immunitatem* vocant libertatem illam asyliæ veterum Regum diploma-
tis confirmatam. Vnde illa postmodum Pontificum suggestione immunitas enata est,
quæ magno quidem horum ordinum commodo, sed pessimo tamen exemplo, sacrifi-
cos & monachos non asylos modo & tutos reddidit, sed omni prorsus onere tribu-
5 torum exemit, ut ne in urbibus quidem positi quicquam ferant civilium exactionum,
nec populi cura aut studio ulla in parte tangantur. Numerant quidem Regibus sæpe, nō-
nunquam & Papæ, sed inviti fere, nec nisi majoris damni metu: tanta illis suarum re-
rum cura est: cum interim de publica multorum salute & commoditate ne somniare qui-
dem, nedum soliciti esse videantur. Neque vero nos præterit antiquorum Regūm be-
neficentia, quæ etiam hac in parte Collegiorum & Monasteriorum quieti & tranquilli-
6 tati consuluit: sed monendos tamen duximus Principes & Magistratus ætatis nostræ,
meminisse velint, immunitatem & libertatem, quam illi fundatoribus suis acceptam
ferunt, non nisi doctrinæ, virtuti, moribus, disciplinæque & religioni concessam fu-
isse. Has enim dotes animorum dignas duxere publica immunitate Imperatores antiqui.
Nihil avaritiæ, nihil ambitioni, longe minus quicquam otio, luxui, superstitioni aut
tyrannidi concessum est: nisi verisimile judicamus adeo væcordes fuisse primos illos
Collegiorum & Monasteriorum authores, ut in illo tam sumptuoso promovendæ pie-
tatis negotio pestem ipsam, puta opes, luxum, otium, dominationem, adeo vel ad-
mittendas vel retinendas esse putarint, ut immunitate etiam & asyliæ jure munierint.
Quis unquam tam insanus aut furiosus fuit, qui horum insaniæ & furori conferre possit,
qui his modis pietatem professi bellum simul exitiale contra pietatem instituissent, & pestes
illas religionis pro defendenda demum religione muniissent? Involutæ quidem jam tum
erroribus non paucis fuerunt res monasticæ, sed pauci eos sensere, aut certe nemo erat,
qui magnopere impugnare fuerit ausus. Proinde videndum, num vitæ sanctimonia &
abstinentia tales hodie sint quidam, qui avitam illam libertatem & asyliam tantopere ja-
ctant & prætexunt, quales fuerunt, quorum otio negotioso, haud omnino abs re, cum
eximia quadam benignitate Regum consultum est: videndum, inquam, si virtutem avi-
tam, an vero magis pestem avitæ virtuti & religioni adversam retineant & amplexentur:
videndum, si reipsa profiteantur, quod nomine habituque & ceremoniis fucant & simu-
lant. Vt enim merito ridentur Nobiles quidam male feriati, qui majorum stemmata &
præclare res gestas subinde extollunt & prædicant, ne micam quidem interim virtutis suo-
rum referentes, ita sane indigni mihi favore nedum authoritate aut dignitate videntur, qui
religionem professi, majorum suorum disciplinam, abstinentiam, & pietatem jactant &
commendant, & festa etiam celebrant, nec præstant tamen ulla parte vel disciplinam
vel abstinentiam, vel pietatem, qualem majores sui sunt professi: & interim tamen (si
Diis placet) ea gaudent immunitate, qua gavisi sunt, à quorum institutis & disciplina re-
cesserunt. Quasi vero pari militiæ jure gaudeat miles legitimus, desertorque & transfu-
ga, hisque ut illi jure militari uti liceat, quos tamen usque adeo leges militares non agno-
scunt, ut supplicium etiam & capitis quidem in eos statuant. Quanto magis non gaude-
bunt veteri immunitate, qui veterum morum nihil habent, quod reipsa justis arbitris ex-
hibeant. Sed recentia diplomata obiiciunt? Agnosco quidem illa, sed de jure (ut nostri
ajunt) non de facto sentio. Quare non immunitas modo illa, quam Græci ἀσυλίαν voca-
runt, sed alia quoque dona, & munera, quæ unquam Collegiis & Monasteriis Principum,
Nobilium, populi plebisve liberalitate & beneficentia obtigerunt, soli atque uni pietati &
reli-

religioni donata & dicata sunt. Nemo hoc animo quicquam donavit, ut vitia cum errore conjuncta foveret, omnes virtuti, omnes pietati, omnes disciplinæ consultum esse cupierunt. Est quidem & animarum salus his mediis (publica illa meritorum persuasione obtinente) credita & quæsita: verum & hoc religioni nostræ tribuebatur, ut qui ea gratia donassent sua & obtulissent Cœnobiis & Ecclesiis, de summa meritorum in se transferenda nihil dubitarint. Usui igitur non abusui donatum expensumque fuit ad hunc usque diem, quicquid unquam sacris peragendis & exercendæ religioni est impensum. Quis igitur horum sententiam ut sanam aut favore dignam recipiat, qui errorem cognitum & deprehensum tueri malunt, quàm abolere, & rerum commutatione diluere? Ut obiter horum refutemus inscitiam, qui opinione & simplicitate patrum nostrorum commoti parum æquo animo ferunt, si ad usum hodie non pietate modo, sed charitate nitentem, hoc est legitimum & Christianum transferamus, quæ ab illis errore certo, sed innoxio tamen id genus ritibus & sacris peragendis sunt legata, quæ non manifestè modo, sed infrugifero etiam abusu peraguntur.

Iam & hoc Collegiorum & Monasteriorum Germanicorum dignitati est datum, quod argenti signandi facultas illis quondam concessa est, non alia magis causa, quæ quidem explorata existat, quàm quod earum rerum, singularem fidem & synceritatem requirunt, cura tuto illis delegari videbatur, quibus summa ipsa pietatis & integritatis omnium consensu & opinione concredita fuisset. Lex jubebat monetam excudi licere vel incuria Principis vel illis in locis, quibus id muneris à Principe concessum esset. Unde hodieque maxime per Helvetiam, quæ magna quondam Alemanniæ pars erat, antiqui nummi cernuntur Præsulum & Abbatum atque etiam Abbatissarum imaginem præferentes, quos *Augustos* vocavere majores, quia Augustorum nomine, indepta inde facultate, signarentur, & nomina etiam veteri more altrinsecus exstantibus literis multi nummi indicant. *Augusti* vocati postea à nostris, u, litera in, n, conversa, vulgo Angster / qui rectius Augster / id est Augusti dicerentur. Et vidimus nummos argenteos facie muliebri non ita pridem proxime Salodurum repertos, duabusque literis altrinsecus & ex adverso quidem notatis B. & A. quæ *Bertradam Augustam*, nisi fallor, innuebant. Fuit enim Bertrada, ut est notum, Caroli Magni mater, quæ quanquam ante indeptum à Carolo imperium, ex humanis excessit, tamen hoc honoris ei amantissimus filius etiam mortuæ tribuisse videtur, ut memoriam ejus Augusto nomine consecrarit, ut taceam quod ab aliis est proditum, Salodurensem Ecclesiam Bertradæ liberalitate eximiè donatam fuisse. Nec ignorant, qui temporum illorum historiam tenent, *Augustorum* cognomentum, solemne vel primis Imperatoribus, eo tempore ad Francos translatum fuisse, quo iisdem imperij nomine, rejectis Orientis Monarchis, oblatum est, ac deinde à nostris in hunc usque diem retentum, sed illo quidem abusu, quod cum veteres, quorum electionem Senatus probasset, imperium ingressi Augusti salutarentur, nostris nonnisi ab Urbis Pontifice delibutis, quidam *Augusti* cognomentum permittant. Ergo & Franci Augustorum nomine non in nummis solum, sed etiam in sigillis suis ostentarunt. Ac nummi quidem per Alemanniam excusi, altera tantum parte monetam præferebant, altera vacui, id quod hodie in illis fit, quod vulgo denarios, Helvetij alicubi *Augustos* littera inversa, ut dixi, cognominant. Qui in curia signabantur, effigiem Principis gerebant, nonnullis ita excusis, ut & imago olivæ ramusculis altrinsecus surgentibus ornarentur: quod in sigillo Caroli Iunioris, qui & Crassus cognominatus est, observavimus. Sed & aquila insigniti apud nos passim reperiuntur. Et magno quidem numero illi, qui à Collegiis & Monasteriis sunt excusi. Id genus officinas monetales habuere in Alemannia primum Monasterium S. Leodegarij, quod apud Lucernam vetustissimum exstitit, postea Monachismo abrogato in Collegium Canonicorum commutatum est: item Monasterium Virginum, quod Thuregi fuit (sic tum Tigurum vocabant.) Præterea Monasterium S. Galli, cujus nummi agnum vexilliferum, hoc est, Paschalem, præferebat. Quam monetam majores nostri postea prope pari effigie signarunt: quod abunde docent ferramenta excusoria, quæ in archivo Senatus etiamnum cum aliis formis antiquis visuntur. Sed agno postea successit ursus, sævum quidem & militaribus signis dignum animal, à Monachis tamen receptum & adamatum, quia creditum sit, Gallo recens heremum ingresso ursum quendam ligna attulisse, quæ foco illius sufficerent. Est enim apud Gregorium in libro Dialogor 3. ursus ille Cherbonij Episcopi pedibus advolutus, ad cujus effigiem facile fuit illum nostrum depingi, qui obsequio naturam frangeret, nec viso ante hospiti sarmenta eremi converreret: sicuti & Othomari vasculum ad exemplum illius, quod Bonifacius Episcopus Fecentinas apud eundem Gregorium habet, effictum videtur. Quod ipsum tamen non hoc animo

ſentio , veluti parum tribuam miraculis , ſed quod conſtet illorum temporum Monachos pleroſque in illis referendis levi ac prope nulla fide fuiſſe. Et experta eſt noſtra ætas , quid æmulatio religioſorum poſſit , ut morbum illum ſinamus ſectis religionum cognatum , quo in ſuis laudandis efferendiſque nullum modum tenuerunt. illud certum eſt , clariſſimas urbes in inſignibus urſum habere : quo quidem & ipſo majores noſtri ante à me relato commento , ut arbitror adducti plurimis annis non ſignis modo militaribus & imaginibus paſſim adjectis , ſed argento etiam ſignando ſunt uſi , hodieque veteri more utuntur. Sed ut finem huic libro imponamus , id poſtremo nemini mirum videri debet , quod in antiquis illis Francicis & Alemannicis nummis puris putis (eum moribus enim poſtea numiſma vitiatum eſt) Epiſcopos cernimus mitra bicorni & pedo inſignes : Abbates autem infernè barbatos , ſupernè raſos (nullæ tum Abbatum mitræ erant :) Abbatiſſas velatas Regum munere. Majora enim his dediſſent religioni Principes illi non pietate modo , ſed nobilitate etiam & liberalitate commendati , ſi conſtantem eam & certam Canonici & Monachi profeſſi fuiſſent : verum ita declinare & labaſcere ſenſim vetus illa diſciplinæ cuſtodiendæ ſollicitudo tum in monaſteriis , tum ipſis etiam in Collegiis cœpit , ut nullo prorſus loco certa ejus aut ſolida ratio conſtiterit , ſubinde aliis atque aliis vitiis graſſantibus adeoque inſtabiles animos agitantibus , ut luxu & libidine & intemperantia ſuperantibus omnia ad extremum abuſum manifeſtè conciderint , quæ initio tamen haud improbè recepta & obſervata videbantur.



IOA-



IOACHIMI VADIANI CONS. SANCT-GALLENSIS,

DE COLLEGIIS MONASTERIISQUE *Germaniæ veteribus,*

Liber II.



UPRA dictum est à nobis, Donationes illas tam frequentes, quæ non aurum modo & argentum, sed agros etiam & fundos, & mancipia Cœnobiis addixerunt, haud alio fonte, quàm fiducia demerendi & operum dignitate prognatas fuisse. Aliæ enim causæ fuere, (ne quis nobis id obiter obiiciat) cur prima in monasteria tum publici, tum etiam privati homines tam liberales extiterint. Siquidem nec merces ullo pro opere dabatur, nisi quod manus Monachorum absolvissent, quodque ex officina væniisset, nec sic vænalis pietas erat, ut prætextu ejus negotiari liberet, longè minus ita inflati erant Monachi, ut quod dicerent facerentve dignum mercede ulla judicarent, & sic liberum illud vitæ & disciplinæ genus hominibus ceu meritorium conductitiumque prostituerent, quod ipsi lege non nisi humana formatum & institutū profitebantur. Gregorij primum ætas operibus rituū sacrorum, in primis autem monasticis favere cœpit, quæ nostri demum exitiali errore circumventi & imbuti primum admirari ut religiosa, mox transferre in sese pro mercede, postremò & augere donationibus profusionibusque perrexerunt. Immodicas autem eas, ne dicam noxias, ipsi Principes fecere, qui cum Cœnobiis ornandis donandisque prodigi magis quàm liberales fuissent, reliqui ordines exemplo commoti, ne non & ipsi certam sibi viam ad salutem præpararent, adeoque operum monasticorum participes fierent, donaria multo sæpius majora, quam pro conditione aut fortunis, templis sacrisque intulerunt. Francis quidem, tametsi liberum non esset monasterium ingredi nisi Principe consulto, quod jam tum essent, qui conditione delectati otium magis quàm pietatem sectarentur: tamen hoc amplius monachismo Alemanni favebant, ut instar voti Mosaici lege etiam caverent, ne quis eum qui liber esset, remoraretur, quin res suas adeoque seipsum ad Ecclesiam tradere & legare posset nullo contradicente. Sic enim habet primum caput Legis Alemannorum de hominibus liberis res suas ad Ecclesiam tradentibus; *Si quis liber res suas vel semetipsum ad Ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei, non Dux, non Comes, non ulla persona, sed spontanea voluntate liceat Christiano homini Deo servire, & de propriis suis semetipsum redimere Et qui voluerit hoc facere, per chartam de rebus suis ad Ecclesiam, cui dare voluerit, firmitatem faciat, & testes sex vel septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & coram sacerdote, qui ad Ecclesiam servit, super altari ponat, & proprietas de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiam in perpetuum permaneat. Et si aliqua persona, aut ipse qui dedit, vel aliquis de heredibus ejus, postea ipsas res de Ecclesia abstrahere voluerit, vel aliquis qualiscunque persona hac præsumpserit facere, & effectum quem inchoavit, non obtineat, & Dei judicium incurrat, & excommunicationem sanctæ Ecclesiæ, & multam, quam charta continet, persolvat, & res illas ex integro reddat, & fredum in publico solvat, sicut Lex habet.* Hactenus legem retulimus. Non licebat autem agros fiscales, aut prædia, quæ censum Principi solverent, ad ullam Ecclesiam contradere, sed Comitis consensus requirebatur, cujus erat donationem rescindere, quæ Principalium redituum detrimento esset facta. Unde videmus in chartis donationum Comitis nomen, imò fere semper loco adscriptum, interdum autem & Ducis, sed rarius. Præ-

cipua enim hac in re Comitum authoritas erat. In vetustissimis chartis Regum interdum nomina, præteritis Comitibus, leguntur. Iubebat autem & Ludovici Pij lex, ut qui vel pro suæ animæ vel propinquorum salute donare vellet, sub suo Comite id ageret, testibusque fide dignis donationem faceret ratam. Chartæ legitimæ omnium contractuum & donationum primùm nomina illorum continebant, qui pacti essent aut donassent: inde testes reliquos: tertio loco Notarij nomen addebatur, cum die & mense & anno regni imperiive Principis, qui tum rerum potitus esset. Et notandum est, veteres chartas privatorum hominum non appensis signis sigillisve, sed tantum ad nomina testium inscriptis confirmatas fuisse. Principes autem quanquam & ipsi non minus quàm scribæ & Cancellarij peculiaribus notis ac signis, quæ diplomatis inscribebantur, quarum quasdam ascribere libuit: tamen nihil minus sigilla etiam appenderunt.

NOTA [monogram: L A K R V S] CAROLI REGIS. [monogram: R A N L S V F] Signum ARNOLFI IMPERATORIS.

Pontificum autem prorsus nulla tum fiebat mentio, ut quorum parva per Germaniam ratio haberetur. Annum autem à nato Christo haud scio an ulla charta veteri viderim, qui plures tamen vidi. In diplomatis quidem Regiis subnotatum legimus, ut in illo Dagoberti, quod Nauclerus operi suo Chronico inseruit, & item alio Caroli Crassi nuper à me viso, cujus partem infra citabimus. Vidi & Berengarij Primi diplomatis cujusdam exemplum, quod annum Domini habebat, & inseruit quædam libris suis rerum Germanicarum Beatus Rhenanus, in quibus idem videre est, ut jam propemodum constet, hac maximè nota mediæ ætatis diplomata Christianorum Principum à chartis differre. Fuerunt autem *Chartæ* Episcoporum, Abbatum, privatorum hominum. *Diplomata*, (quæ vulgo *Privilegia*) Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, qui vel fundassent collegia monasteriave, vel fundata ampliori proventu ditassent, aut immunitate aliqua decoravissent. Breviter, *Tabulæ* erant publicarum aut eximiarum sanctionum, quas quidem ab urbis Episcopis profectas propriè hodie *Bullas* vocant. Tum primum enim prodiisse existimant id genus diplomata Pontificum Romanorum, quum dominatum illum non urbis modò sed vicinarum etiam civitatum & agrorum Italiæ Episcopi Rom. civili jurisdictione suppressa sibi vindicarunt, veteremque amplissimi imperij sedem suam fecerunt, non jam Apostolorum, qui Principem vel Ethnicum vel tyrannidem exercentem agnoverunt, sed Regum ac Imperatorum munere functi: quippe qui hoc ipsum agant in Vrbe, quod antea Imperatores & Reges egerunt, ut ea de causa bullæ esse videri debeant litteræ tabulæque omnes, quæ hujus potestatis prætextu & fuco mittuntur. Sic enim sentiunt & judicant hodie doctissimi quique viri, qui ministerium Christi à potestate & administratione gladij ita separant jure divino, ut utriusque administrationem nemini uni permittant. Palam enim Apostolicæ functioni gladij potestatem scripturæ adimunt, quæ tamen eandem Magistratui vindictam exercenti sic tribuunt, ut omnem etiam animam illi subiiciant. Concludunt ergo ejus solius esse jus dominatus, cujus est vindictæ potestas. Potestatem autem vindictæ ministrorum Evangelij non esse, proinde ne gladij quidem & dominatus jus esse. Et sic bullas esse meras, quæ vel dominatum asserunt Episcopis illis, vel tam districtè, ut vocant, præcipientes vindictam & ultionem intentant. Et quidem ut non laboro, diplomata sint nec ne, Pontificiæ bullæ, cum sciam hoc nomine codicillos prope omnes censeri; ita sane maxime cuperem talia esse summorum Pontificum diplomata, qualia summorum Apostolorum fuere, quorum functionem in se translatam gloriantur. Extat autem diploma Apostolicum Actor. 15 cap. à fastu, minis, ostentatione, ultione, & vindicta tam alienum, quam pure & syncere Ecclesiasticum. Non enim dominatus in ipso, sed ministerium indicatur. Sed ad chartas revertamur: quæ Francorum tempore donationibus fere privatis deserviebant. Donantibus autem seu Principes seu Nobiles sive plebei fuissent, meritum MISSÆ applicabatur, inscriptis memoriæ gratia horum nominibus, qui donassent, quique obtulissent: nec missæ solum, sed orationum etiam & vigiliarum operumque monasticorum omnium communicatio tanta confidentia & vivis & mortuis addicebatur, ut & vestitus & cibariorum modus veluti meritorius donaretur, & sordes etiam (ut vere dicam) monasticæ in pretio essent. Chartas autem rescin-

rescindere aut violare negareve religio erat: neque in ullius manu erat, rem semel donatam repetere, aut fidem chartæ præstitæ rescindere. Quod ab his demum maxime est neglectum, qui religionis sibi nomen præcipue vendicarunt. Episcopi enim, summorum Pontificum consensu admissi, multorum monasteriorum reditus in totum suos fecerunt, non alia magis causa, quam ut ad manum esset quod luxui & splendori arrogatæ potentiæ sufficere posset. Monachi quoque quidlibet causati non ea modo auferre Ecclesiis fuere ausi, quæ majores sui donassent, sed aliena etiam in rem suam convertere specioso illo Incorporationis fuco, cujus superiori libro meminimus. Ex lege vero Alemannorum adeo non licebat semel factæ donationi contraire, ut mulctam etiam fiscalem chartæ in illos decernerent, qui diversum tentare fuissent ausi. Si quis patrem aut avum donasse negasset, testibusque jure requisitis convictus esset, magnæ pœnæ subjacebat. Quod si exusta aut perdita charta esset, nec produci testes possent, juramenti interpositione obligatio solvebatur. Ille autem, qui fundum, aut agrum, aut prædium Ecclesiæ donatum precariò recepisset, censum in charta expressum solvebat. Quo defuncto hæres bonis cedebat, nisi ampliorem possessionis condictionem chartula determinasset, aut ipsa in charta donationis posteris cautum præscriptumve fuisset.

Chartæ ipsæ Latinè scribebantur, aut certe semilatino sermone scriptas dicere malim. Non potest enim negari barbaries, atque ea quidem crassissima, quam redolent. Quæ quidem imperitiane sæculorum, an studio magis ac veluti data opera, accidisse putandum sit, non facile dixerim. Rudia fuere sæcula, rudes nostratium ac prope elegantiæ omnis expertes animi. Sed videri potest propius ea sæcula intuentibus, aliquid tributum vulgo & plebi fuisse Latinas literas utcunque noscenti, nec nisi consultò ineptitum à scribis, ut tot modis barbari & asperi videri voluerint. Quanquam negari non potest in illa ætate, ut in nostra quoque, longe maximam partem Monachornm cum suo, tum etiam temporum vitio rudis & asperæ Latino sermone usos, qui Latine tamen loqui se & scribere putarint. Necessitate autem factum videtur, ut in gente illa Francorum & Alemannorum armis & bello assueta, quæ nec scribere sua nec legere assoleret, Latinæ, hoc est Provincialis linguæ usus qualiscunque retineretur. Sero enim scriptus est Germanicus sermo, & videtur Caroli Magni primùm studio factum, ut idem in literas paulo fusius referretur: quippe & mensibus ab illo (ut Eginhardus scribit) nomina imposita sunt & alia quædam ad vulgaris linguæ usum ampliorem excogitata, quæ priorum se Principum curam præteri erant. Franci igitur limitem transgressi primo non tam suam, quæ nec arte nec lege continebatur, quàm aliena in provincia repertam linguam addidicere, ingenua quadam verecundia talem linguæ suæ barbariem confessi, quæ civilitati & humanitati provinciali merito submitteretur. Quare demum ad fidem Christi conversi tabulas vulgares conventionum, chartasque & leges etiam ipsas & diplomata Latino sermone scribi curarunt. Prior hic erat sine dubio, quum Romani provincias tuto dum limite tenerent: impurus postea tarditate & inertia nostratium factus, quum rupto limite non modo provincias Europæ maximas, sed etiam Italiam & ipsam Vrbem linguarum altricem invaserunt. Illam enim post Herulos & Rugos Gotthi etiam, Longobardi & Franci successione quadam regni multis sæculis tenuerunt. Arbitror autem & religionem stimulos addidisse nostratibus, quo eam linguam addiscerent, sine cujus peritia religio constatura non videretur. Sacri libri, veteres interpretes, Conciliorum decreta non nisi Latinè scripta extabant. Durabat quidem & Græcæ linguæ usus, sed paucis nec nisi gustu aliquo frequentis lectionis notus. Mysteria sacrificiorum & ceremoniarum Latini libri continebant. Posteri certe hoc honoris huic linguæ tribuerunt, ut & in sacris uti ea continenter, licet paucis nota, libuerit. Quod utinam tanto cum fructu factum esset, quanta est simplicitate factum. Deferre quidem & merito linguis debemus, sed negat Apostolus ea lingua rectè uti Ecclesiam, quam nulli aut pauci intelligant. Sane Rabanus author est, ætate sua (vixit autem sub Ludovico Iuniore) lectionem sacram & cantum omnem in missæ, id est cœnæ Dominicæ celebratione ad plebis fructum & institutionem valuisse. Vnde certe colligemus istis sæculis tritiorem fuisse Latinæ linguæ usum, quàm sit hodie, aut certe cantata & lecta esse Germanicè per Ecclesias, quæ pauciores Latine orassent aut cantassent. Quod quidem sub Otthonibus, Conradis, & Heinrichis factum esse certum est. Caroli sæculo lege admonebatur populus, ut in sacris peragendis & ipse SANCTUS SANCTUS, &c. caneret, Græcorum nimirum τρισάγιον imitati, qui illo in publicis supplicationibus utebantur, ἅγιος ὁ θεὸς ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ὑμᾶς, &c. Quod adhuc multæ Ecclesiæ in parascevæ tempore etiam decantant. Porro Principes & Magistratus in sigillis inscribendis Latina quàm Germanica etjamnum uti malunt, licet certissimam hodie Germanicam linguam habeamus. Sed & hoc fortasse linguæ celebritati est datum, quæ nusquam non habet sui peritos, cum linguam Germanicam paucissimi homines externi intelligant. In totum autem cōstat tabularum Germanicè scriptarum recentē esse usum, & sunt anni pauci, ex quo hæc lingua vulgo scribi cœpta est. Scripsere quidē & veteres, sed

pauci

1 pauci & rari , & velut periculi faciundi gratia. Extat apud nos Sangalli Pſalterion à Not-
kero monacho, quem ob linguæ tarditatem Balbulum cognominarunt, in noſtram linguam
tranſlatum Arnolpho imperante , tanta verborum difficultate , ut non niſi ab attento &
immorante lectore accipi & intelligi queat : tam dura olim & anhelans vetus illa Fran-
corum & Alemannorum lingua fuit. Sed præſtat fortaſſe (ut in farragine) orationem
Dominicam cum Symbolo eodem in codice, adſcriptam referre, quæ ad verbum ſic ha-
2 bent :

*Fáter unſer, du in hímele biſt. Dîn námo vuérde gehéiligot. Dîn rîche chome. Dîn vuil-
le geſkéhe in erdo álſo in himele. Unſer tágolicha brôt kib vns hiúto. Vnde únſere ſcúlde beláz
úns, álſo óuch vvir belázend vnſern ſcúldigen. Vnd in chórunga nit leiteſt du únſich. Nú beiôſe
únſih fóme úbele.*

Non reperiebam autem Angelicam ſalutationem tranſlatam , ut quam ætas illa inter
preces non habuerit. Primùm enim, ut conjicio, à Fratribus Mendicantibus in preculas
illas numeratas & meritorias relata eſt. Germani *Choren* dicebant , quod Latinè dicimus
tentare vel prehendere : atque inde *Chorung*, captatio, prehenſio. Symbolum autem, quod
Apoſtolicum vocatur, Germani *G vverf* à conjiciendo nominabant, quod illi articuli con-
jecti & conſcripti ab Apoſtolis crederenrur , ſicut ex verbis Notkeri Symbolo præpoſitis
deprehenditur , hoc modo; *Daz Græci Ché dent ſymbolum , Latini collationem , daz ché
den vvir gevverf, vvanda iz Apoſtoli geſá menoton, unde zeſammine gevvúrfen, dáz iz zli-
chen sĩ Chriſtianæ fidei. Alſo ouh in prælio ſymbolum heîczet daz zeichen, dá zan ſkilten alde
an gemóten VVorten iſt, tannan iógliche iro ſocios irché nnent.* Alluſum igitur eſt ad Græcæ
vocis originem, quæ ἀπὸ τοῦ συμβαλλειν deducta eſſe videtur. Tranſlatum autem eodem in li-
bro reperiebam in hæc verba :

*Ih kelouho an Gót àlmáchtigen fatere, ſkeffen himeles unde erdo. Unde an sĩnen Sún den
gevvíchten halt áre einigen únſeren hérren : der fóne dé mo héiligen gé iſte infá ngen vvard fóne
Maria dero má gede gebórn vvard : kenóthá fftat vvard pi Pontio Pilato : vnde bi ĩmo an crucem
geſtá hter ĩ. ſtarb : vnde begraben vvard : ze héllo fûor : an demo dritten tá ge fóne iõ de irſtuõnt :
ze, him' ele fuõr, dãr sízzet ze Gótis zeſeſuuun dé s almá chtigen Vá ter : dá nnãn chimftiger ze-
irté illene die er dá allelichun geſá menunga : kelóubo zehá benne dé ro heiligen gemeĩnſame : ablaſi
dé ro ſúnden : gelóubo des fleĩskes úrſtendede : gelôubo ẽ vvigen lĩb, Amon. Daz tuõn ih keunãro.*

In ſacello pervetuſto Leproſorum urbis noſtræ, quod haud procul ſuburbio Orienta-
3 li ſitum eſt, proximis annis libellum reperi Omelias aliquot Germanice ſcriptas continen-
tem, quem ante annos plus minus trecentos ſcriptum eſſe colligebam, terſiore jam & mitio-
re ſermone. Prima enim Omelia de Domini nativitate ad hunc modum habebat;

*Vns iſt erſchinen der guote vville, vndo die mennisheit vnſeres haltares , des almachtigen
Gottes ſhunen, nih von deheinen rehten vverchten, die vvir ſelbe han gethan, vvan nach ſiner
michelun erbarmede hat er vnſih gehalten* , &c. In eodem Oratio Dominica his verbis red-
dita legitur;

*Gott Vater vnſer der biſt in den himelen : Geheiliget vverde dein name : Zuchome din
riche : VVerde dein vville hie in erden alſo da ze himle : Vnſer tagolich brot gip vns huito : Vnd
vergib vns vnſer ſchulde, als vvir tuon vnſern ſchuldigen : Vnd leite vns in dheine bechorunge :
Vnd erloſe vns von allem vbele.*

Retuli hæc eò libentius, ut conſtaret dialectum, quam hodie retinemus , aliam eſſe
quàm illa fuit, qua majores noſtri intra ſpatium trium ſæculorum ſunt uſi. Sed jam ad
exempla donationum & chartarum mediæ antiquitatis veniendum. Quæ tametſi parum
lectori probatum iri præſertim delicato viderem, non ſtylo modò incultiſſimo, ſed vili et-
iam materia conſcripta, tamen digna duxi quæ adponerem , quod in illis ceu in ſpeculo
quodam illorum temporum tum ſimplicitatem, tum etiam barbariem & ignorantiam in-
tueri liceret. Neque enim alia æquè certa eſſe exiſtimo animorum indicia, quàm quæ id
genus litteris & monumentis exprimuntur. Libuit autem illis fere ſolis uti, quæ hodie
extant Sangalli in monaſterio, quo haud ſcio, an aliud ullum apud Alemannos antiquius
1 duret : dignius quidem ſemper & celebrius habitum eſt Augiæ monaſterium, ſed minus ta-
men longævum noſtro. Tœdij autem levandi gratia paucula, ceu commentaria quædam,
de noſtro adjecimus, quæ vel temporum hiſtoriam , vel rerum ſeriem , vel Regum noti-
tiam propius indicarent, arbitrati hac à parte vel parum eruditis conſulendum eſſe , ne
& illis barbaries officeret, ſi ſine fructu parum perſpecta aut cogni-
ta vulgò tempora proponerentur.

EXEMPLUM DONATIONIS VETUS PLUSCULIS ANNIS ANTE OTOmarum scriptum.

IN *Dei nomine bona pacis. Placuit atque convenit atque adcrevit mihi voluntas, ut terram juris mei facerem donationem ad honorem sancti Gallionis & sancti Desiterij, in loco nuncupato, qui dicitur nomine villa Athorinsvvanic hobas tres, & in Gundlihesspuria hobas IIII. Quod & feci, quod ita & feci terram donationis ego Aloinus, & per hanc chartulam donationis, qua ad diem præsentem firma permaneat. Si quis verò, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis contra hanc donationem venire aut agere conaverit, in primis Dei iram incurrat, & à communi corpore vel sacerdotio extraneus sit, & cum fisco auri libras II. argenti III. componat, & quod petit vendicare non valeat, sed præsens hac donatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnexa. Actum in monasterio sancti Gallonis. Signum Aloini, qui hanc donationem fieri rogavit. sig. Stephani. sig. Iactati. sig Petri. sig. Unalaonis. sig. Landelhelmi. sig. Valoti. Notavi quod feci in mense Iulio* XIIII. *Calend. Augustas.*

Ego Petrus scribsi & subscribsi sub Theodorico Rege

FUit hic Theodoricus Tertius hujus nominis Francorum Rex. Quatuor autem fuere Theodorici. Primus Ludevici primùm Christiani, quem vulgo Clodoveum nominant, filius, clarissimus Princeps. Secundus Hilteperti, quam alij Childpertum vocant, filius, nepos autem Sigeberti illius, quem Columbanus Gallias ingressus adiit. Tertius, cujus hæc charta meminit, Ludevici Secundi filius varia regni fortuna, haud ita multis annis post excessum B. Galli, necdum ullo Abbate in cella ejus constituto, agitatus. Quartus Dagoberti Secundi filius à Carolo Martello Majore domus, patre amisso, liberaliter educatus, ac deinde brevi Rex constitutus, cujus vetus quædam charta his verbis mentionem facit; *Notavi quod feci mense Iunio, 5. Calend. Iulias in anno* XV *regnante Domino nostro Theodorico Rege supra Carolum Majorem domus,* &c. Post quem Lotharius, ac non multo post Chilpericus ille regnavit, qui à Stephano Papa per speciem socordiæ submotus Pipinum Martelli filium (qui stirpis erat non Regiæ, sed Majorum domus) in Regem unctum successorem habuit. Fuerunt & Sigiberti tres, duo Francorum Reges, quorum ita men- 1
tionem faciunt monachi quidam Chronographi, ut confundere ipsos videantur. Senior Sigebertus Lotharij filius, qui conjugem habuit Brunehildin illam Tanagildis Visigotthorum Regis filiam, ex qua Hiltepertum suscepit, illo regnante Columbanus relicta Hybernia primùm Galliam, dein Rhetiam primam, postremo & Gallia & Rhetia pulsus, Italiam ingressus est. Junior Sigebertus, cujus supra quoque meminimus, ejus Dagoberti filius fuit, qui Episcopatum Constantiensem & Argentoratensem instituit: ad quem ipsum Columbanus dimissus à Lothario pervenit. Fuit enim Dagobertus Francorum Austrasiorum Rex, qui palatium suum apud Troniam, qui locus hodie Kirchein dicitur, non longe ab Argentorato, habuit, Lothario interim patre interiorem Franciam gubernante. Sæpe id fa-
ctum est in Francorum regno, ut & filiis habenas regni parentes ex parte committerent, sæ- 2
pe & unà fratres regnarent, plerumque autem diversis in partibus pater & filius regno præessent. Amplissimum enim erat Francorum regnum, & in ipsa Francia non solum Sangalli & Augiæ, sed etiam Campidonense monasterium, quod in extima tamen prima Rhetia est, censebatur. Alamannia enim jamdiu in jus & nomen Francorum transierat. Puto autem non indignum notatu, veteres chartas Alamannorum, testium nomina vel provincialia habere, hoc est *Latina* & Græca, vel barbara saltem *Latinè* declinata, ut in hac Charta, *Petrum, Iactatum, Stephanum, Latina* & Græca: dein *Aloinum, Vualaonem, Landolhelmum, Valotum*, barbara sive Germanica, sed *Latinè* deflexa. Quod minus videre est in Chartis, quæ post Pipinum & Carolum M. filium ejus scriptæ sunt, certissimo argumento linguæ Provincialis sensim mutatæ Germanorum migrationibus, succrescente scilicet Germanica lingua, & *Latina* qualicunque retenta, quæ scriberetur. Equidem veteribus & ante Martellum scriptis chartis evolvendis, quasdam in Rhetia, quam Curiensem Chronographi quidam cognominant, scriptas observavi, quæ testium nomina non nisi *Latina* aut Provincialia continebant. Submontana enim Rhetia, ac illa maxime, quæ secundum Rheni decursum fontibus ejus imminet, sero admodum Germanicam linguam recepit. Nec de hoc dubitandum, quum hodieque duret linguæ veteris vestigium corruptum quidem, sed quod Romanum tamen sermonem palam referat. Vidi autem venditionis chartam Carolo regnante scriptam, cujus initium in hæc verba habebat; *In Christi nomine, &c. Domino nostro Carolo Rege anno* XV. *ego Lubicio Subdiaconus rogatus à Calmone, qui est à vice populi Romani*, cum his quæ sequun-

quuntur. Et in fine chartæ testes erant adscripti, *Aurelianus, Volcarius, Guarinus, Andreas,* &c. In regno enim Caroli (quod notandum duxi) passim & Romani suos magistratus habebant, finitimos Francorum ditioni, aut certe immixtos alicubi, quod multis argumentis deprehenditur. Proinde & Salica Lex *Romanos* vocat, hoc est *Provinciales*, qui Romana Provinciali lingua utebantur. Sic enim habet Lex; *Si Romanus homo Francum exspoliaverit, duobus millibus quingentis dinariis, culpabilis judicetur: Si vero Francus Romanum, mille ducentis dinariis, qui faciunt solidos* XXX. *culpabilis judicetur.* In alia perveteri charta mixtim erant testium nomina inserta Germanica Provincialibus, hoc modo; *Arnulphus, Landulphus, Lovaldus, Iustinus, Joannes, Valerius, Seianus, Campanus,* &c. Item alia in chartula testes citabantur, *Valerianus, Estradamus, Escalco, Crescentius, Potzentius, Florentinus, Rustegus, Exuperantius, Hostarius,* &c. Habebat & alia vetustissima charta Francica hæc nomina testium; *Berengarius, Iordannes, Victor, Drusus, Cajus, Tanco, Otomarus, Augustus, Fonteanus, Lubitio, Præstantius, Valentinus, Vigilius, Adalramus:* mixta videlicet Latina Barbaris, sed Latinis tamen seu Provincialibus prævalentibus. Et gaudent adhuc Rheti Montani, & obvij sunt apud illos *Lucij, Gaudentij, Valentini, Donati, Dominici, Vrsicini, Victores, Sylvestri,* & *Beati,* & ad Latinorum nomina deflexi *Chunradini.* Illud etiam sciendum *Hobam* barbaram vocem etiamnum nostris in usu esse, & fundi partem significare, maxime pascuam, vulgus nostrum *huob* vocat. Verbum autem, *Componat cum fisco*, huic sæculo usitatum fuit, & in Cod. Theodosiano haud absimili significatu legitur. Ab initio autem regni Theodorici III. sub quo hæc charta scripta est, usque ad ætatem nostram anni DCCCLXXXIIII. numerantur.

ALIVD EXEMPLVM DONATIONIS.

Sacrosanctæ Ecclesiæ sancti Gallonis Confessoris, & aliorum plurimorum Martyrum & Confessorum, quæ est constructa in situ Durgavensi, in pago Arbonensis castri, ubi nunc præest Autmarus Abbas, qui secundum religionem Deo servire videtur, & sub norma regulari confirmati. Ego itaque in Dei nomine Lautpertus filius Landoaldi quondum & Beatæ conjugalis ipsius: talis mihi decrevit voluntas vel devotio pro Dei intuitu & animæ meæ remedio, vel pro æterna retributione, & adhuc propter meam substantiam, quam ad ipsam Ecclesiam me vivente habere cupio, ubi me plenius commendo, & pro anima genitoris mei Landoaldi, & matris meæ Beatæ, omnia quicquid mihi supernominatus genitor meus Landoaldus, vel mater mea Beata de compaternito vel seu conquisito aut comparato mihi dereliquerunt, vel quicquid ego postea acquisivi, omnia ex integro à die præsente de meo jure in donationem Ecclesiæ S. Galli vel Autmaro ejus Rectori, & ejus Monachis, qui ibidem Deo servire videntur, trado atque transfundo pro animæ meæ salute, & patris mei, & matris meæ salute, & sicut superius diximus, dum vivo pro mea substantia, quæ mihi necessitas est: hoc est in locis nominatis in villa quæ dicitur Illinauuia, & in alio qui dicitur Erbphratinchova, & in tertio qui vocatur Magistinchova, & in quarto loco qui cognominatur Brunnica, & in quinto loco qui dicitur Madoltesuuilare, & in loco qui dicitur Hunisinuuang & Tekilinuuanc, & in loco Hunichinuuilari, & in alio loco Tunriude, & in villa quæ dicitur Vzzinacha, & in alio loco Berolfesuuilari, & in alio loco Lucikinse, Lucikunauuia. Hæc & loca supranominata cum servis, ancillis, peculiaribus, tum domibus, ædificiis & mancipiis domesticis, tum curtis clausis cum hortiferis, pomiferis, vel officinis, quæ ibidem esse videntur, cum pratis, silvis, aquis, aquarum decursibus, mobilibusque atque immobilibus, cultis & incultis viis discedentis & regredientis, cum omnibus adiacentibus & appendiciis, quæ ad ista loca supranominata aspiciunt, sicut superius diximus, omnia & ex integro in donationem Ecclesiæ sancti Galli vel Automaro Abbati trado atque transfundo cum stipulatione subnexa: habeant, teneāt, atque possideant, in omnibus, liberam & firmissimam habeant potestatem faciendi. Si vero, quod fieri non credo, ego ipse, aut ullus hæredum vel posthæredum meorum, aut quislibet ulla opposita persona, quæ contra hanc donationem vel traditionem meam temptare præsumpserit, aut ullam calūniam generare voluerit partibus fisci de multa componat, id est, auri libras V. & argenti pondo X. coactus exsolvat, & ad ipsam Ecclesiam duplam repetitionem restituat, & quod repetit per nullius ingenium evindicare valeat, sed hæc præsens charta firma & stabilis & incontaminata debeat perdurare. Actum in villa, quæ dicitur Illinauue, publice, præsentibus quorum hic signacula continentur. Sig. Landoaldi qui hanc traditionem fieri atque firmari rogavit. sig. Hariger ejus patrimonio consobr. sig. Almarich consobr. sig. Albrich test. sig. Hegibrecht test. Vuillibrecht test. sig. Ratprecht test. sig. Vuerimbrecht test.

Ego itaque Sylvester Lector rogatus & petitus à Landoaldo scripsi & subscripsi.
Data sub IIII. Id. Septemb. anno III. Carolomanni Majoredomus,
sub Chancharone Comite.

Sæpe

SÆpe legitur *Chanchano* in chartis sub Pipino scriptis, ut tritum tum nomen fuisse intelligatur: diversos tamen & diversis in locis præfectos Comites fuisse ipsæ chartæ docent. Arbitror autē illum Kyburgensem fuisse, cuius pagū Alamanni Thuricensem cognominarunt. *Castrum* porro *Arbonense* oppidum illud est milliario Germanico à nostro disiunctum, quod vulgus *Arbonam*, veteres *Arborem Felicem* dixerunt, vetustissimum sane atq; illis etiam annis clarum, quibus Romani provinciam Rhetiam primā administrarunt. Adnumeratur autē & hodie Durgauensi pago. Sæculo illo *Castrum* dicebatur oppidum, in quo Episcopus non erat: contra vero *Oppidum*, cuius erat Episcopus. Proinde *castrum Arbonense, castrum Campidonense: oppidum* autem *Constantiense*, *oppidum Augustense* legimus. *Carolomannus* autem *Majordomus*, cuius hæc charta meminit, filius fuit Caroli Martelli, qui & ipse Maiordomus fuit Franciæ ex Pipino cognomento Brevi genitus. Alii erant à Regibus *Maioresdomus*, hoc est Præfecti prætorio, pari plerumq; potestate usi, licet regiis titulis non uterentur Qualem Magistratum & hodierni Franci habent, quem vulgo *le grand maistre*, hoc est *magnum magistrum* vocant, cuius potestatē aiunt secundum Regem maximā esse. Illud constat, Maioresdomus sæpe non virtute modo & rerum gerendarum prudentia, sed victoriis etiam spoliisq, ex hoste relatis, Regum gloriam superasse: quod & de Martello proditum est. Cur autem Maioresdomus dicti sint, & unde ortum nomen videatur, à Beato Rhenano in libro Rerum Germanicarum explicatum est. Hic est Carolus Martellus, cui sexto anno initæ præfecturæ Otomarus Presbyter è Rhetia Curiensi accitus, & procurante Waldramo quodam Nobili cœnobiolo à Gallo instituto præpositus, ac omnium primùm Abbas dictus, annos circiter octuaginta post Galli obitum. Gallus enim admodum senex sub Dagoberto Sigisberti II. filio, quem juvenem Grimaldus Maiordomus interfecit, apud Arborem decessit, circiter annum Dom. DCXL. cum anno Dom. DC. XIIII. heremum ingressus esset, sedecimo demum anno ab ingressu condendi cœnobii consilio inito: quod satis clare ex Abbate Vrspergensi colligitur. Nullum autem certum disciplinæ genus ab his retentum fuit, qui Gallo mortuo confluxerunt: paucas domunculas & ædem arctissimam, nulla parte ab eremi specie abhorrentem tum ædificatam, homines quidam Scoti & Alemanni colebant: quam, ne Otomarus quidem pauper Abbas aliis ædificiis præter adiectum xenodochium ampliavit, loci humilitate vsque in Grimoaldum & Gotzbertum Abbates durante, qui monasteriolum ædificiis paulo amplioríb. ornavere. Primus aūt. Otomarus Benedicti institutum ex libro Regulæ eius, quem dono à Martello acceperat, monasterio S. Galli invexit. Ad Francos aūt. quod attinet, Martello mortuo, tres filii reliqui fuere, Carolomannus, Pipinus, & Grifo: quorum hic, qui maior natu erat, suasu vxoris Suuanehildæ fratribus bellum indixit, occupata urbe Laudano, in qua mox obsessus captusque & custodiæ traditus est. Franciæ regno inter Pipinum & Carolomannum ita diuiso, ut illi Burgundia & Westria, huic Austria sive Austrasia, hoc est Orientalis Francia vnà cum Alamannia & Thuringia obtigerit: sed breui post tempore regnum omne Pipinus obtinuit. Carolomannus n. tœdio curarum Prætorialium, & quod natura ad otium magis quàm res gerendas natus esset, monachus factus, primo in monasterio S. Sylvestri apud montem Soracten haud procul vrbe Roma degit: deinde frequentia suorum obrutus apud Cassinense monasterium S. Benedicti, quod reliquum erat vitę transegit. Abdicauit aūt sese magistratu anno Dom. DCCXLV. unde chartæ illius vetustas intelligitur. Solus postea Pipinus rem gessit annis septem. Cui sane viro non paternæ modo virtutes, sed propriæ etiam plurimum famę & dignationis apud exteros pepererunt. Quare Romani Pontifices prior quidem Zacharias subornato Wunefrido Episcopo Magonciacensi, qui & Bonifacius dictus est: dein & Stephanus II. de exturbandis Italia Longobardis consilia versantes, quidquid potuerunt honorum in illum coniecere. Zacharias quidem internuncio Bonifacio illo Regem eum antea destinarat, mox Stephanus aliena potentia pro more in suum commodum abusurus, Childerico Francorum Rege detonso & in monasterium ablegato, Pipinum Carolingum an. Dom. DCCLII. sive, ut Otto Frisingens. tradit, DCCLIV. in Regem Francorum unxit, & à iuramento, quod Regi suo Childerico præstiterat, absoluit: cuius opera postea fretus Longobardos adortus est, quos non longe postea Carolus M. Pipini F. Desiderio Longobardorum Rege capto & Chorbeiense in monasterium intruso oppressit, & ad Francos Italiæ regnum transtulit. Primus aūt omnium quod sciam, Regum Germanicorum Pipinus à prætorio ad regnum accitus, eo more vnctus, quo Greci Patriarchæ Byzantini Principes suos vnxerant, consuetudine postea vngendi inducta, cuius supra meminimus. Huius igitur Pipini anno 7. Otomarus Abbas, cuius hæc charta meminit pulsus monasterio & stupri ab aduersariis suis, Lamberto quodam delatore, insimulatus longoq; carceris squalore confectus, dein & liberatus, sed durante tamen exilii miseria, demum iuxta emersum Rheni, ubi lacum Venetum egreditur, ex humanis excessit anno Dom. DCCLVII. quo anno Ioannes Episcopus Constantiensis monasterii Sangallensis administrationem suscepit. Videre est aūt in hac charta, quam ægrè scribæ illi semilatini Germanica locorum nomina reddiderint, melius nimirum reddituri, si tum (ut hodie) vulgo ea lingua scriptum fuisset. Causam aūt. donationum chartę

prope omnes produnt. Vulgo erat perſuaſum proximam ad ſalutem viam eſſe, ſi his daretur & offerretur, qui religionem profeſſi & hominis præſcriptum, & humano quidem inſtituto, vivebant. Admirationem autem ſimplicium animis, tum raritas, tum etiam novitas profeſſionis ingeſſerat. Et monachos vel probiores ita tum aviditas quædam poſſidendi corripuerat, ut & profeſſionis & inſtituti majorum obliti non modo non detractarint ullum donationis genus, ſed ambierint etiam pleraq; quæ cum monaſtica vita δὶς διὰ πασῶν (quod dicitur) pugnant & diſſentiunt. Satis erat primis illis Patribus favor Principum, qui cœptam ſemel & inſtitutam religionem diplomatis, quas *immunitates* vocabant, tuebantur. Erant enim jam tum omnium ordinum homines, quibus partim incognita & odioſa religio, partim pietatis profeſſio tot indiciis avaritiæ contaminata, ſuſpecta eſſet. Qua una re Otomaro conflatam, invidiamne, an verius odium dixerim, conjicio: qui quidem immodico quodam ſtudio donationibus ubilibet aucupandis incubuerit: zelo forſan religionis, ut quidem credo, ſed zelum illum, quod in confeſſo eſt, alii avaritiam interpretati ſunt. Et negari non poteſt vel à ſanctiſſimis Epiſcopis nedum monachis pietatis prætextu exacta tum vulgò & eblandita fuiſſe multa, quæ ſi ad vivum (quod ajunt) reſeces & explores, haud aliud habent in ſe quàm fraudem & impoſturam, quod & proximis ſæculis in merce illa & negotiatione indulgentiarum ſumus experti. Nec mirum vel optimos viros falli & ſeduci in his, quæ longa nobis conſuetudo & frigidis majorum præjudiciis confirmata opinio obtrudit. Ut autem fateamur, quod & antea teſtati ſumus, Principum quorundam benevolentia pluſculum acceſſiſſe pleriſque monaſteriis antiquis, tum, cũ condita horum juſſu, aut reconcinata eſſent: tamen certum eſt, hoc noſtrum Otomari cœnobion initio privatis donationibus præcipue auctum fuiſſe. Donarunt quidem & Reges Franci, ſed perparce, nec expreſſa ullo diplomate, aut ullis in chartis indicata, ante Ludevici Pii tempora: cum de profuſis interim privatorum donationibus & eleemoſynis præter Chronica noſtratia vitæ etiam ipſæ Otomari & Galli in literas relatæ abunde teſtentur. Et fuit tempus, quãdo chartarum veterum, non niſi donationes præferentium mille ducentę amplius in hoc noſtro cœnobio aſſervatæ: paucis autem ob barbarum characterem lectæ aut intellectæ ſunt, poſtea perditæ & diſtractæ partim conflagrationibus, quas ſane diras perpeſſum eſt, partim bellicis turbationibus, quæ reliquere tamen nonnullas, quas mihi caſu quodam videre contigit.

ALIUD EXEMPLUM PLANE BARBARUM IN IPSO MONASTERIO ſcriptum

SAcroſanctæ Eccleſiæ ſ ancti Gallonis monaſterio in pago Durgavinſi, ubi Autma us Abbas eſſe videtur. Strachfrid in amore Dei noſtri & remedio animæ noſtræ condonavimus ad ipſo loco ſancto, hoc eſt in pago Briſigavinſi in villa, quæ dicitur Aguringas, quicquid ibidem viſus ſum habere, & in alia villa, quæ dicitur Oninchovia, ſimiliter & in tertia villa Mulinhaimo, hoc ſunt caſſi, caſalis, mancipiis, peculiis, campis, pratis, vineis, aquis, aquarumque decurſib., mobilibus atque immobilib., quæcunq; habuit apud ſe ipſo ad ipſos fratres tradidit. Si quis ego ipſe aut de hæredibus meis, aut ulla oppoſita perſona, qui contra hanc traditionem iſta venire tentaverit, quod nec fieri credo, ſit culpabilis contra ipſos ſanctos duplo repetitione ſociente fiſco auri libras III. *argenti* V. *& quæ repetit, vindicare non prævaleat, ſtipulatione ſubnexa. Actum in ipſo monaſterio, datum* VI. *Kalend. Novemb. Ego Strachfrid donationem à me factam religi. ſig. Gotzberto ſig. Anno. ſig. Putigo. ſig. Otberto. ſig. Liuttramo ſig. Frochonolfo, ſig. Gundini.*

Ego Thiotbaldus monachus hanc traditionem ſcripſi & ſubſcripſi, anno IIII. *regnnnte Pipino Rege Francorum.*

Sub Chancharone Comite.

VIllæ Briſgauicæ & Sungauicæ atque Alſatiæ in chartis ſub Otomaro ſcriptis frequenter obviæ ſunt, manifeſto argumento & in illis locis utpote fertilibus & ad vecturam accommodis Galli nomine & fama perſuaſos fuiſſe opulentiores, qui ſuas res ad monaſterium tanto intervallo diſſitum contribuerint. *Vallis* enim *Rheni*. quæ proxime urbem noſtram Brigantium & Confluentes verſus longo tractu vinetis hodie cultiſſima cernitur, tum fere nullas habuit vineas, ſed ſolo tantum paſcuo & magna ex parte ſylveſtri & inculto fuit. Id quod exempla veterum tabularum, quæ hodieque veteribus codicibus inſcripta cernuntur, indicant. Quare alibi laboratum eſt, ut vino etiam fratrum neceſſitati conſuleretur, qui cerevіſia tamen illa ætate frequentius quàm vino ſunt uſi. Celebre autem Galli & Otomari nomen illis in locis fuiſſe ſacella teſtantur vetera horum nomine exſtructa, &

cta, & vicus quidam ab Otomaro cognominatus. Si quidem rara erant illo tempore (ut dixi) monasteria, ad quæ mortales fama sanctorum increbelcente & stimulos addente specie illa religionis nova, sed & miraculis immodicè prædicatis, cum votis donisq; concurrerent Porro qui currebant, ita erant edocti, ne vacua manu comparerent. Unde & hospitiis & ædificiis paulatim constructis primum vici, deinde oppida muris cincta extiterunt. Sicut oppidum ad S.Leodgarium, ad S.Gallum, præterea in Augia Rheni postea exstructo monasterio, quod *Rhinaugtam* vocant, & Schaffhusij altero itidē Benedictione, quòd Burgkardus Comes à Nellunburg instituit, & illud apud Stanium (ut vocant) quod Hedviga Purghardi Sueviæ Ducis uxor Heinricho primo imperante condidit. Quibus omnibus vel recentioribus primùm vici, seu, ut vulgo ajunt, villæ additæ, mox & oppida ex vicis facta conjuncta sunt. Et rectè monuit Beatus Rhenanus, sedes Episcopales, quas Franci aut novas instituerunt aut instaurarunt veteres, causam fuisse urbium restauratarum, quas Rhenum & Danubium primo impetu transgressi Franci & Alemanni afflixerant. Nec temere factum videtur, ut iidem veteribus præsidiorum locis manachos è Scotia præfectos ceu ad lustrandum expiandumque immiserint & inaugurarint, veluti in Augia lacus Veneti prope Constantiam Cœlio, quem locum Gallus lustravit, heremum nostrum ingressus, quod alias abunde docebitur. Adhæc Campodunum, Fabaria & Fortibus, quas hodie nisi fallor, Fauces vocant, ad Lycium amnem exstructo monasterio, quod B. Magni nomine colitur, cum oppido eleganti ad amnē Lyciū, ditionis autem Episcopi Augustensis. Innuit autem charta illa, quàm rudes sub Otomaro scribæ, quamque imperiti Monachi Latinæ linguæ fuerint, qui tum quidem in pretio habiti sunt. Credibile enim est non nisi aptioribus scribendi provinciam delegatam fuisse, qui tamen ita barbaro & incompto charactere sunt usi, ut chartas illius sæculi non nisi semel iterumq; revisas legere expedite nemo queat. Fuere autem, ut verum fateamur, rudiores Alemanni, serò nimirum, nec nisi Francorum victoriis ad fidem Christi conversi: quos multo sæpius rebellantes tandem Pipinus cognomento Brevis Majordomus & Martellus filius ejus ingenti cum exercitu vastata Alemannia, perdomuerunt, paucis annis quàm Otomarus ille noster è Rhetia accitus esset. Notum autem Carolum M. filium & posteros Francorum frequenter ad Rhenum in illa parte Burgundiæ atque Alamanniæ, quæ hodie Helvetiæ tribuitur, mansitasse. Regiam enim habuerunt apud Thuregum Carolus Pater & Ludovicus Filius nepósque Hludovicus, qui monasterium Felicis & Regulæ instituit, quemadmodum & in Treveris, aliisque Franciæ Orientalis locis. *Curtim* autem Franci & Alemanni Regiam seu Palatium veluti *Corten* vocabant, comitatum, hoc est turbam palatinam significantes barbaro vocabulo. Sed & vicum & domum etiam quamlibet seu mansionem *Curtim* appellabant. Extabat autem lex de illis statuens *qui in Curte Regis furtum fecissent*, & sunt veteres chartæ, quæ *Curtilem* quoque villulam seu domum rusticanam prædiolo conjunctam vocant. Observandum porro putamus, quod ante diximus, etiam Alamanniam illis sæculis *Franciam* dictam fuisse, partem videlicet eximiam regni Francorum, quod licet multis annis ignorarint monachi nostrates, nescio quo loco Franciam statentes & in illam Otomarum suum mittentes remittentesq;, tamen non ignoravit Walafridus Augiæ Abbas, qui Gatzberto regnante Galli & Otomari vitas trium librorum volumine eleganter complexus est.

ALIUD EXEMPLUM DONATIONIS CUM CONDICTIONE PLANE INCOMPTUM & BARBARUM.

IN Christi nomine, Domino sancto & in Christo venerabili patri Audomaro Abbati Durgaugensi isto de monasterio sancti Gallonis, ubi corpus ipsius requiescit, pro mercede animæ meæ facultatula mea sed ipse redebitis post discessum meum. Dono vobis donatumque in perpetuum ut permaneat esse volo, hoc est in pago Brisigavensi in villa, qui dicitur Warbinbach, & in Arciovima, & in Minsilido, & ad Folchmisuuilari, quicquid in istas villas visus sum habere, id est Curtis, casas, casalis, mancipiis, agra, prada, silvis, pascuis, aquis, aquarumq; decursibus, tam movele quam immovele, omnia & omnibus parte mea ex integra, quæ mihi inter fratres meos convenit à die præsente trado ad Ecclesiam S. Gallonis & monachis ibidem servientibus, & pro istas res proservire volo annis singulis, hoc est solidum unum. Et si mihi infans natus fuerit in ipso seruitio permaneat: & si fœmina mihi nata fuerit, ipsas res medias possideat & proseruiat in ipsum seruitium quod superscriptum est, & illa media pars de ipsas resstet ad ipsum monasteria, & quæ ita proseruire voluerit, nulla exinde habeat potestate, & ipsa facultatula mea permaneat ad supradictum monasterium, vt quicquid exinde pars monasterij facere voluerit, libera & firmissima in Dei nomine in omnibus habeat potestate. Si ego aut heredes mei aut vllo opposita persona quæ contra hanc donationem ista venire temptaverit, inferat parti custodienti doplam repetititionem, & à fisco auri libras duas & argenti pondera tres: & nihil-

ominus præsens donatio ista omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum ad monasterium Sancti Gallonis publice sig. Gautzperti qui hanc donationem fieri rogavit. sig. Thietones testes. sig. Annoms testis sig. Fruochouolfi testis. sig. Hutheranni testes sig. Vulfperti testis. sig. Strachfreti testes. sig. Patichones testes.

Ego Luitfridus Presbyter scripsi VI. *Calendas Novemb. anno tertio regnante Dominum nostrum Pipinum Regem.*

QVanto labore & conatu illud assequitur scriba iste semilatinus, ut significet Gautzbertum ea conditione donasse, ut res donatas quoad vixerit, possideat sub censu annuo solidi vnius: se vero mortuo, si careat prole, bona monasterio cedant; si filium reliquerit, ex integra possessione censum solvat donatum Ecclesiæ; si femellam, dimidium bonorum possideat cum censu jam dicto, dimidium monasterio cedat: censum dare renuentes jure possessionis priventur, donataq; monachi recipiant. Mirum aũt. in hoc genus chartis nec nomina exprimi prædiorum agrorumve, nec limites indicari, sed generatim modo omnia ita enumerari, ut ope chartarũ nec discerni donata nec probari ostendive possessio potuerit. Nisi verosimile est, lite exorta in bonis discernendis dividundisq; testibus magis quàm chartis illa ætate actum fuisse, cum hodiernis tamen tabulis omnia tam diserte prolixeq; ad fastidium usq; exprimantur. Equidem vidi schedas veteres certa testimonia continentes cum adscriptis testium nominibus, qui de his testati essent, quæ vel ipsi vidissent vel parentum seniorumve relatione didicissent. Alamanni, utpote bellicosi, gladii quem Spatam vocabant prehenso capulo testificabantur, parati manu etiam tueri se veritatem, quam semel affirmassent. Jusjurãdum etiam in judicio præstabatur manu dextra super scriniolo, in quo quicquam reliquiarum esset, imposita, non autem levata, ut nos hodie solemus: & satis constat, morem eum non solum apud Francos, Meruvingos & Carlingos, sed per Otthonum etiam & Heinrichorum imperia durasse. Arbitror autem in illa gentis simplicitate minus tum doli & calumniarum in pactis & contractibus fuisse quam est hodie. Majores nostri paucis verbis multam fidem testati sunt, quum nos hodie plurimis tenuem adhibeamus. Fortasse & illud annotandum, in chartis vivo Otomaro scriptis jam *Automarum*, jam *Audomarum*, interim & *Autmarum* appellari, quod dubium est, scribarum ne oscitantiæ debeatur, an potius idiomati Alamannico, quod pro populorum varietate (ut hodie quoq;) varium esse potuit. Legi enim & alios hoc nomine in vetustis & ante Otomarum scriptis chartis, sed non aliter quàm *Othomaros*. *Othmari* enim ut hodie utimur & scribimus, non memini me in ulla charta veteri legisse. Iam quod *sanctum & in Christo venerabilem patrem* vocant, illius ætatis more est factum. Siquidem Episcopos & Abbates vulgo *sanctos & venerabiles* dicebant, imo etiam *summos* (ut Bernhardus) & *sanctissimos*, ἁγιωτάτους, ut leges Justiniani sæpius. At hodie *Reverendos* & *Reverendissimos*. Plerunque non sanctos, sed venerabiles tantum, ut in vetusta charta legi, quæ sic habebat: *Domino venerabili in Christo patri Automaro Abbati, & fratribus de monasterio S. Gallonis. Ego Lutzerus*, &c. Apud Hieronymum & Augustinum, & priores ætate Cyprianum & Hilarium, *sanctitatis* nomine honorantur Episcopi, monachi, virgines, viduæ, qui vita & religione præ cæteris commendabantur: nec nisi vivi *Sancti* vocati sunt, cum hodie non nisi mortuos eo nomine dignemur, adeo etiam hac in parte à scripturæ more digressi. *Sanctissimus* hodie Episcopus Romanus dicitur solus, ut solum eum *Papam* vocant, qui Gregorii tamen tempore non simpliciter Papa, sed cum loci adjectione dicebatur. Sic enim habet vetus inscriptio; *B. Gregorij Papæ Romani*, &c. Et Germani quondam Presbyteros suos in totum *Papas* cognominarunt, id est Patres, unde & hodie corruptæ vocis usus durat. *Papen* enim Sacerdotes Germania inferior, superior Pfaffen nominat. Hieronymus quoque & Augustinus celebrium Ecclesiarum Antistites non *sanctos* modo & *beatos*, sed *Papas* etiam appellarunt quod quidem apud Hieronymum frequenter obvium est. Scriptura *sanctos* vocat omnes, qui recte ambulant coram Deo. Quare & Paulus baptismo Christi regneratos sine discrimine *sanctos* vocat, quod ipsum & Petrus & alii Apostoli, quorum epistolæ extant, in vsu habuere. Vt vel hinc pateat error & abusus Pontificum Romanorum, qui hanc facultatem sibi permiserunt, vt hodie illi à morte tantum *sancti* vocarentur, quos ipsi sanctos & beatos judicarunt, vel iussu eorum in Divos relati sunt, quum beatus Thomas ingenue fateatur, *non adstringi sibi videri quenquam ad eam fidem, ut salvum esse & beatum credat, quem Pontifex in beatorum numerum conscripsit.* Et recte Augustinus *multorum corpora in terris venerari* nos dixit, *quorum animæ in inferno sunt sepultæ*, &c. Id præterea notandũ, videri posse donationes istas tam liberales etiam ab his factas esse, qui monastica vita & religione delectati non bona modo sua, sed etiam se ipsos vitæ, ut vocant, regulari submiserunt. Satis enim constat, Nobiles quosdam cœnobia ingressos multum profuisse illorum farinæ, quorum sodales & consecranei facti essent. Loquor autem de primis religione initiatis. Postremi enim partis jam & auctis rebus abusi magno sæpe damno collegiis & cœnobiis fuere, ceu alio in loco diximus.

ALIUD

ALIUD EXEMPLUM CAMBETE SCRIPTVM HAVD PROCVL BASILEA, vivente tum & ſatagente Otomaro.

*SI aliquid de rebus noſtris ad locis ſanctorum vel in ſubſtantia pauperum conferimus, hoc nobis
proculdubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Igitur ego in Dei nomine Podalus in
amore Domini noſtri Jeſu Chriſti & remiſſione peccatorum meorum, ut veniam delictis meis cō-
ſequi merear in futuro: Dono atque trado de jure meo in jure & dominatione ad ſancta eccleſia,
quæ eſt conſtructa in honore ſancti Gallonis, ubi ipſe requieſcit corpore, ſuper fluviolum Stainaha* 1.
*in ſolitudine in pago Durgavenſi, ubi in Dei nomine Audomarus Abbas praeſſe videtur. Dono ad
ipsū locū ſanctum donatumq; in perpetuum ut permaneat volo, hoc eſt in pago Alſazas ſitas villas
denominatas Habuhinashaim, Campiduna ſuper fluvium Rhino ſive Chambeti, Rudolfuuilare,
id eſt cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, ſilvis, caſis, caſalis, campo, pratis, terris, aquis
aquarumve decurſibus ſexus utriuſque majori & minori, mobilibus & immobilibus, quantum-
cunque in ipſas villas genitor meus mihi moriens dereliquit, & Vaſſi mei nomine Amalghiſus
& Wunefridus in beneficio noſtro ibi detinuerunt, cum adiacentia ad ipſam rem pertinentem, to-
tum & ad integrum à die præſente ad ipſum locum ſanctum trado atque transfundo, ut ab hac
die ipſa Caſa Dei vel congregatio, quæ ibidem adeſt, vel deſerviunt, ipſam rem ſuperius nomina-
tam habeant, teneant & poſſideant, & ſucceſſoribus ſuis Chriſto propitio derelinquant. Si quis
Ego aut hæredes mei, vel quilibet oppoſita perſona, qui contra hanc donationem à me factam
venire temptaverit aut irrumpere voluerit, tunc inferat partibus noſtris vel ſucceſſoribus veſtris
duplam repetitionem, & ſociante fiſco auri libras III. & quod repetit evindicare non prævaleat,
ſed præſens charta firma permaneat ſtipulatione ſubnexa. Actum in villa Chambetz publice. Ego
Podalus donationem hanc à me factam ſcribere rogavi Sig. Ghiſalmundo teſt. ſig. Werinulfo teſt.
ſig. Libulfo teſtis. ſig Strachuifo teſt. ſig Harimberto teſtis.*

*Ego Arnulphus rogitus anno ſexto Pipini Regis
die Mercurij* XII. *cal. Jan. ſcripſi & ſubſcripſi.*

TEſtatur & hæc charta Otomari tempore *Gallonem* dictum, quem hodie Gallum voca- 1.
mus: quanquam parum refert iſthæc expēdiſſe, cum homines barbari & rudes quidlibet
etiam alieni in lingua audeant, quod & teſtium nomina huic & ſuperiori inſerta docent, O
litera gignendi caſum terminantia, ut *Hamberto* pro Hamberti, &c. Obſervanda potiꝰ ſæculi
illius opinio quæ id tribuit ſanctis quod ſcripturæ non niſi Deo Patri per Jeſum Chriſtum
tribuunt, imo (quod eſt inſignius) donandum eſſe docuit illis, qui ſanctos ita colunt, ut &
adorent, & ſpem in ipſis ponant ſalutis & juſtitiæ, amorem interim JESU prætexentes & ad
doni doctrinam referentes quæ cum Evangelio Chriſti ex diametro pugnant. Nihil enim
uſquam petendum, orandum, poſtulandum à Deo Patre, docuit Chriſtus, niſi ſuo in nomine,
certò pollicitus impetraturos nos quicquid eum ad modum petierimus. Voluit autem ut &
egentibus largiremur non religionis, ſed egeſtatis nomine, nihil minus ferens quàm otium
luxu & crapula contaminatum. Quare perinde atq; in ſe collatum accepturum ſeſe teſtatus
eſt, quicquid in pauperes ſuus collatum per nos fuerit; Damnans interim & explodens
illorum avaritiam, qui religionis nomine quæſtum faciunt. Verum errori fatali non habuere
ſæcula illa quod opponerent. Receptum jam erat, ut pium & ſaluti accommodum, quod
reipſa impium & noxium fuit. Serpſit antē malum uſq; ad noſtram ætatem ita ſpecie pietatis
fucatum, ut antea à pauciſſimiꝰ deprehenſum & ſerò quidem, nec ſine hæreſeos nota inva-
ſum & oppugnatum fuerit. Ex omnibus autem rebus monaſterio S. Galli illis in locis dona-
tis, neſcio an ullæ ſint hodie quæ adhuc poſſideantur. Reperio enim ante annos minimum
trecentos oppignorata & divendita fuiſſe prope omnia à prodiga illa & bellicoſa nobilitate
monaſtica; quæ profectò nihil inauſum reliquit. Non modo enim ſanguine & genere, ſed
etiam religione elata nihil ſibi non licere putavit: neque non ſuſpenſum eſt
cæca admiratione vulgus partim religione, quæ dubia erat, obſtricta, partim
eorum potentia & authoritate deterrita, qui magno ſuo emolumento horum ſtudiis
conatibusque ſuffragabantur, admiſſo, & temporum præſcriptione confirmato errore per-
tinaciter addicti. Nec aliud enim tum Principes orbis Chriſtiani ſentiebant, & piaculum
erat privatum quemquam vel ſuſpicari de his vera piaque eſſent, nec ne, tanto con-
ſenſu recepta inoleviſſent. Unde & militiam ingredi & ſtipendia merere mediæ antiqui- 2.
tatis Abbatibus libuit & licuit. Noſtros enim Abbates armatis ſervitiis & in militiam e-
ductis Epiſcopo Baſilienſi adverſum clariſſimam urbem Baſileam ſuppetias tuliſſe olim, nec
parum in alea illa Martis monaſtici de ſorte deceſſiſſe monaſterio, quod alias plus ſatis
inteſtinæ & mira factionum turba excitatæ diſcordiæ afflixerant. Adhæc & Regibus affuiſſe,
ſed ſervitia armaſſe, miſiſſeque auxiliatum vel in Chronicis noſtratibus legimus.

Ad chartam autem ut revertamur, non omittendum *Solitudinis* nomine non aliud illo tempore, quàm secessum, hoc est heremum, significatum fuisse. Juxta enim cellam Galli recens positam cultum & fertilem agrum fuisse ipse, qui Gallonis vitam scripsit, VValafridus testis est, & nos supra attigimus. Potest autem vel in sylva parum ampla etiam densa *solitudo* esse, nec aliud *solitudo*, quam à frequentia semotum significat. *Chambetz* autem locus vetustus, sed notus tamen nostris, & à B. Rhenano ostensus est, haud longe infra urbem Basileam proxime Rhenum *Cambetis* ab Antonino Aug. in Itinerario suo vocatus. *Vassos* dixit illa ætas quas hodie non minus barbaro vocabulo *Vassalles* vocant, illos qui feudi obligatione, quod *beneficium* tunc dicebatur, adstricti sunt. CASA *Dei*, barbara vox, sed illis sæculis Latina & protrita, quam nostri vulgo translatam Gottshauß dixere, hodieq; durante vocabulo non ambitioso modo, sed etiam affectato, quod æquis judicibus expendendum relinquimus. *Domus* enim *Dei domus orationis est*, in qua nihil offertur ceu ex nobis (ut quæstum oblationum prætereamus) sed oratur & inuocatur Dei misericordia, quæ peccata nostra diluat, & resarciat justitia sua per filium Christum, quæ fragilitas humana non potest assequi. Qualem domum Christus memorabili exemplo semotæ de sacris avaritiæ instituit Matthæi 21. Vt non sit opus excutere, tales sint casæ illæ monasteriorum hodiernę, quę illis sæculis *casæ Dei* vocatę sunt nec ne? Res ipsa docet, orationumne an negotiationum domus existant. Sed hac de re supra dictum. Id nota dignum est, quod fere omiseramus. *In Dei nomine Audomarus Abbas præesse* dicitur, cum posteri *Dei gratia* dixerint: quibus titulis Episcopi conscii nihil haberent qnod sibi tribuerent præter vnicam humilitatem, Dei gratia nitentem. Nunc ea locutio ad factum & supinitatem adeoque apicem ipsum honorum omnem humilitatem abjiciente adhibetur. Denique vel illa ætate legum præscripto factum esse supra diximus, ut rerum donatarū & legatarum violatoribus & fraudatoribus mulctę modus irrogaretur, & duplo damnarentur, prȩter pœnam fiscalem, qui res donatas repetere aut legata rescindere fuissent ausi. Hodie in diplomatis Cæsareis simile quiddam subscribitur certa pœna auri puri puti expressa, cujus pars dimidia parti læsæ, pars altera Cameræ Imperiali cedat. Quod sane in privilegiis vulgaribus perquam usitatum est, licet alia pœnæ cautione.

ALIUD EXEMPLUM DONATIONIS PAVLO COMPTIVS SVB CAROLO Pipini filio scriptum.

IN Dei nomine perpetrandum est unicuique, quod Evangelica vox admonet dicens: Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Et item: Date, & dabitur vobis. Ideoque ego Othram hujus promissionis veridica sententia fisus trado ad monasterium S. Galli, atque transfundo quicquid in pago Argunense in villa nuncupata Crimolteshova nisus sum possidere tam domibus & ædificiis quam campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque ductibus, cultis & incultis, mobilibus atque immobilibus, omne scilicet quod dici aut nominari potest, ex integro ad jam privatum cœnobium trado perpetualiter possidendum: in eam videlicet rationem ut hoc ipsum ad me recipiam sub usufructuario tempore vitæ meæ perfruendi, censumque inde solvam annis singulis unam seigam in quocunque pretio potuerim, similiterque filius meus VVolaram faciat post meum obitum, totaque ejus ventura cognatio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse (quod absit) aut aliquis de heredibus meis vel qualibet ulla opposita persona contra hanc chartam venire, aut eam irritam facere conauerit, affectum quem inchoauit, obtinere non valeat, & insuper etiam damnum incurrat, sociantique fisco multam componat: id sunt auri vncias II. & argenti pondera V. coactus exolvat: sed nihilominus præsens chartula hac omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnexa: Actum in VVazzarburc publice præsentibus, quorum hic signacula continentur. Signum Othram, qui hanc chartam fieri rogavit. sig. VVilhelmi test. sig. Ruadini, Ruadpoldi, Reginhelmi sig. Altrami, Richpoldt, Herigeri, Adalgeri. sig. Sigirochi, Hiltibaldi sig. Reginonis, VVolfheri.

Ego itaque Hadapertus Presbyter rogitus scripsi & subscripsi XLI. *anno imperij Karoli Cæsaris, notavi diem Dominicum* III. *Idus Februarias.*
Sub Odalrico Comite.

Comes

COmes Argunensis hodie familiæ est Comitum, qui à Monteforti cognominantur: cujus ditioni vicus ille *VVasserburgensis* non ita dudum paruit. Extant, autem veterum donationum chartæ plusculæ, quæ palam innuunt opulentam fuisse Ecclesiam VVasserpurgensem, neque alia causa postea præda avarorum hominum facta est. Decimæ omnes illius sæculi Ecclesiarum erant, quæ Principum (horum erant investituræ) favore partim nobilibus concessæ in beneficium & præscriptione occupatæ, ac dein cœnobiis vel venditæ sunt vel legatæ, partim ab ipsis Abbatibus *jure collationis* (ut vocant) obtento paulatim ademptæ parochiis & in monasteria translatæ sunt, quod & illi Ecclesiæ accedit. Anno enim circiter MCCLXXXVIII. Chuono monasterii Sagallensis Abbas jure, ut dixi, collationis animatus jam dictam Ecclesiam VVasserburgensem mensæ cœnobii incorporavit. (Sic enim loquuntur) cui rei ut parum dignæ piæque cum Comites ejus loci sese opposuissent, demum à Purghardo Episcopo Constantiensi transigente ea conditione transactum est, ut aureos nummos Rhenenses mille quingentos ab Abbate acciperent, Ecclesiæ reditibus interim pro sorte ipsi & annua usura oppignoratis, donec prædicta summa numeraretur, quàm Huldericus postea ejus nominis Abbas postremus solvit & numeravit Constantiæ anno Dom. MCCCCLXI. pertenues initio erant decimæ nostrates, præsertim ex vinetis: nec tantum erat vinearum plurimis Alemanniæ locis, quantum hodie colitur. Rarus hoc & perpaucus vini usus faciebat. Inde cum luxu & crapula pretium crevit, & cum pretio cultura: quæ tamen adeo non profecit vinetis vel latissime propagatis, quin à proximo sæculo vini æstimatio multis in locis tripli & amplius accessione sit aucta, neque finis hodie incrementi, cum & mulieres commessari & perpotare cœperint. Non meminit autem hæc charta vinearum sicut superiores Sungavicæ & Brisgavicæ, ut conjectura sit minime levis Caroli tempore nulla dum illo loco vineta, aut certe paucissima fuisse. Porro ne quem morotur aut suspensum teneat annus quadragesimus primus imperii Caroli quem hæc charta ponit, quum annis ipsum non pluribus quatuordecim imperasse constet: Sciendum est, scriptores rerum & temporum Caroli nonnunquam & Regni & imperii annos confundere solere, & jam regni jam imperii nomine complecti. Quod & vivente Carolo factum esse præsens charta, quæ sexto anno ante excessum ejus scripta est, confirmat. Mortuo enim Pipino Rege Carolus filius ejus anno ætatis XXV. cum fratre Carolomanno regni habenas suscepit, cum fratre autem annis tribus solus, postea triginta annis regnavit, Inde Imperator factus quartodecimo anno imperii, ætatis autem LXXII. ut in vita ejus Eginhartus scribit, Aquis mortuus est. Colliguntur igitur anni Caroli cum regni tum imperii ejus quadraginta septem. Qui numerus in inscriptione tumuli ejus, quod Aquis etiamnum exstat, palam legitur. Unde factum, ut & hic chartularius annum quadragesimum imperio Caroli tribuerit, regni scilicet annis ad imperii annos adjectis. Et *Cæsarem* etiam appellarit eum qui non Cæsar (ut veteri more loquamur) sed *Augustus* erat. Fuere enim in imperio urbis Cæsares interdum non Augusti, sed ab Augustis viventibus cooptati, aut aliunde ad imperium acciti aut designati: qui demum Senatus authoritate Augustorum nomine consecrabantur. Vidimus autem chartas veteres, in quibus anni regni & imperii Caroli divisim erant subscripti ad hunc modum: *Anno imperii eius* II. *Regni vero* XXXV. Item hoc modo: *Ego in Dei nomine Pernicher peccator vocatus Presbyter rogitus scripsi & subscripsi, notavi diem* XIII. *Kalend. Octob. An.* XLIV. *regnante Domino nostro Carolo Rege Francorum & Longobardorum, & anno* XI. *Imperatore & Gubenatore Romanorum.* Seigam autem & item Saigam aliis itidem in chartis legimus; qua tamẽ voce quid illa ætas significarit, non omnium una est opinio. Audivi quidẽ qui scrofam significare conjicerent, illo moti, quod plusculis in chartis *friscinga Seiga* legitur, interim seorsim etiam *friscinga* quæ in censum data sit. *Friscingam* autem dici putant scrofam adultam, quæ ad pariendum lactandumq; idonea esse queat: à lactando enim *Saigam* quasi Seugam dictam: *Friscingam* autem ab ætate adulta. Nam & nostri venatores porcum sylvestrum anniculum aut adultum Frischling vocant. Sunt alii qui mensuræ frumentariæ genus esse putant. Nos in codice nostro pervetusto legis Ripuariæ invenimus *Saigam vel Seigam quartam partem tremissis* fuisse: *Tremissem* autem *tertiam partem assis*, hoc est solidi habuisse. *Solidus* autem ut primo libro est dictum, duodecim denarios habebat. Verum *solidus* dicebatur apud Gallos numus aureus tempore etiam Francorum. In quodam enim rescripto Leonis Imp. Orientis & Majorani, qui post Valentinianum Juniorem & Anisum Ravennæ purpuram induit, in hæc verba legitur de exactoribus: *Nullus solidum integri ponderis calumniosæ improbationis obtentis recuset exactor, excepto eo gallico, cujus aurum minore æstimatione taxatur.* Ut inde coniici possit vel aurei solidi duodecimam partem Seigæ nomine significari potuisse. In codice etiam Theodosiano *solidorum adulteratorũ* fit mentio. Capite autem plectebantur, Constantino jubente, si quis de margine solidi quicquam decidisset. Illud quoque in hac charta observandum, rerum donatarum possessionem non videri concessam sub censu, nisi hæredibus recta linea descendentibus, frequenter autem masculis, quibus deficientibus res donatæ monasterio tandem concesserint.

Donarunt autem & Matronæ monasteriis non parum, atque id quidem sine tutoris indicato nomine: quod jure tamen nostri exigunt, si vel donatum vel legatum ratum esse debeat. Libuit autem exemplum chartæ sub Carolo scriptum adducere, quod in hæc verba habebat:

IN Dei nomine. Ego Cotauuina ancilla Dei, dono atque trado ad monasterium sancti Galloni, ubi ejus sacrus requiescit corpus: & hoc est quod trado, quod ego in Lutinach visura sum habere, & in alio loco, qui dicitur Beffindorff/ *& in locis, campis, silvis, & omnia quæ ibidem visura sum habere, & casatos tres his nominibus Ragingarius cum infantes suos his nominibus Ribgero, Wantilo, Waltricho, & uxore sua Fastrata, & filio eorum Wolfride, & servo ejus Isamberto, & alio servo nomine Woto, & Haccone qui est in concambio cum Wichardo. Redemere se vult, det alium mancipium* XI. *manuum longum. Hi sunt testes qui præsentes fuerunt & signaverunt. sig. Cotauuina quæ hanc traditionem fieri rogavit sig. Wichardi. sig. Tuto. sig. VVolthahar sig. Amalger sig. Theotbald sig. Macrolt. sig. Tuilo. sig. VVolfberti, sig. Asthari.*

Ego itaque Albuinus Clericus rogitus ab Cotauuina hanc chartulam scripsi sub die VII. *calend. Octobr. in anno* I. *regnante Carolomanno Rege.*

NEque hæc quidem charta Comitis nomen habet inscriptum solito more, quod nulli causæ magis adscribendum puto, quam scribarum, non inertiæ modo, sed negligentiæ etiam incircumspectæ, tolleratæ tamen ætate tam simplici & indocta, cum lege Alemannorum aliud postularetur. Barbariem prodit *Galloni* vocabulum & *sacrus corpus*. *Carlomannus* autem, cujus hoc loco mentio fit, frater fuit Caroli M. ex Bertha Heraclii Imperatoris filia, quem tribus annis cum fratre regnasse ante dictum est. Supra quidem Carolomanni meminimus fratris Pipini, qui non Rex, sed Majordomus fuit. Regnavit autem Carolomannus apud Francos Austrasios, quorum pars erant Alemanni: mortuus autem non monachus, ut quidam somniant, sed Rex, pridie Non. Decemb. anno Dom. DCCLXXI. ex quo tempore Carolus M. solus Franciæ præfuit. *Casatorum* & *casalium* sæpe meminere chartæ: qua voce, ni fallor, libertini generis homines & coloni intelliguntur, qui conductum inhabitabant. Locantur enim hodieque villæ & casæ certa redituum aut censuum conditione, nec una locationis specie. Diversi erant ab illis servi, quos hodie vulgo Leibeigene Leut vocant, de quibus infra dicemus. Frequens vero fuit servorum comcambium, quali Haco in hac charta pro VVicharolo receptus optione relicta redimendi sese sed alio mancipio, quod undecim manuum, id est palmorum longum existat; quæ mensura adulti mancipii est. Mirum autem servum ceu truncum mensura magis quam ætate æstimari solitum ex lege Ripuaria, quæ de alieno servo occiso sic habet: *Si quis servum alienum occiderit solidos* XII. *in capitale restituat, aut cum alio servo, qui habebat* XIIII. *palmas cum police replicato & duos digitos in longitudinem, & tres solidos in alio pretio superponat, quod fiunt simul solidi* XV. O dura & aspera sæcula! *Manus* mensura quatuor digitorum est, quæ & *palmus* dicitur. Atqui hic iterum sese offerunt Germanica testium nomina aspera quidem & ipso sono horrorem quendam præferentia, sed quæ ipsa tamen Germanis non minus apte significarint quam Græca Græcis, & Latina Latinis. Non temere enim, sed ratione & de natura moribusque enata causa imposita sunt, quanquam originem & etymologiam in multis hodie per difficilis sit deprehendere propter vitiata longo abusu nomina, & mutatam a posteris scribendi rationem. De qua re libro rerum Germanicarum tertio scite ab Rhenano est proditum. Sæpe autem in antiquis chartis & omnibus fere quas supra posuimus, quum monasterii S. Galli mentio fit, additur quod in eo ipso *corpore suo requiescat*, tanto asseverationis studio, ut videri queat, dubitatum de ea re fuisse. Nam Fuldæ dormire Gallum Vicentius affirmat, Volaterranus autem in Gallia Boruigij corpus ipsius quiescere scribit: apud VValafridum in vita Galli legimus, fuisse qui corpus ejus auferre fuerint conati, sed frustra, Bosone Episcopo Constantiense postea violatum sepulchrum redintegrante, a quo Gallus inter Divos relatus, & (ut ipsorum verbo utar) canonizatus est, sicuti & Othomarum Salomon primus ejus nominis Episcopus Constantiensis, CXL. demum annis ab obitu ejus, tempore Arnulphi Imp. sanctorum catalogo inscripsit. Nulla enim tum in his Papæ authoritas in Germania erat, sed Episcopis jus illud indigetandi, & in canonem sanctorum referendi pro more veteri Francorum in Ecclesiis sibi subjectis competebat, quod Pontifex Romanus soli sibi hodie usurpavit, ut alia pleraque.

ALIUD

ALIUD EXEMPLUM DONATIONIS CVM CONDITIONE SVB LVDEWICO Caroli F. ſcriptum.

IN Dei nomine. Ego Eburnuin & frater meus Eburhart tradimus ad monaſterium S. Galli pro animarum noſtrarum remedio & æterna retributione, quicquid in villa Morunſuuilare vel in eadem marca uſiſumus, habere, id eſt, campis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, quicquid dici aut nominari poteſt ſub ea ratione, ut ipſas res ad nos recipiamus, cenſumque annis ſingulis inde perſolvamus, id eſt medium ſolidum in argento, aut in alio pretio. Et poſt noſtrum amborum diſceſſum, prædicti fratris mei Eburhart legitimi procreati filij cum ſua poſteritate cum eodem cenſu proſerviant, & ſi ipſi legitima poſteritas defuerit, poſt obitum noſtrum præfatæ res ad ipſum monaſterium redeant perpetim poſſidendæ. Si quis vero iſtam chartulam irrumpere voluerit, conatus ſui privetur effectu, & in ærarium Regis auri uncias tres, argenti pondera quinque coactus perſolvat, & nihilominus hæc chartula ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnexa. Actum in ipſo monaſterio publice præſentibus iſtis. Signum authorum Eburuuini & Eburharti, qui hanc traditionem fieri voluerunt. ſig. Meginberti. ſig. Hilti. ſig. Tagoberti. ſig. Adalperti. ſig. Keppo ſig. Kraganhart. ſig. Puazo. ſig. Wolfgeri ſig. Waldperti. ſig. Wolfolt. ſig. Magonolt. ſig. Fridubert. Ego itaque Richpert rogatus ſcripſi & ſubſcripſi, notavi diem Dominicum XV. *Kalend. Octob.* XVIIII. *anno Ludouuici Imperatoris.*

HIc eſt *Ludeuuicus*, quem Carolus M. ex Hildegarde Suevorum Duciſſa genitum prius Regem Aquitaniæ conſtituit, deinde omnium conſenſu & favore diademate redimitum Cæſarem eum & Imperii conſortem fecit. Patre mortuo à Stephano IIII. in Galliam proficiſcente ſalutatus & unctus eſt: Pius poſtea ob morum lenitatem, & quod adeſſe religioni videretur, appellatus, cujus imperii anni viginti ſex numerantur, ut conſtet ſeptem annis ante obitum ejus ſcriptam eſſe hanc chartam, quæ paulo eſt cultior, quàm illæ ſunt, quas hactenus retulimus. Villæ, cui in ea fit mentio, dimidio miliaris Germanici ab oppido noſtro diſtat, vulgo Mörſchweilen / in qua cum proximis annis duobus in loculis humi repertis duo cadavera extarent ita compoſitis & concinnatis oſſibus, ut hominem prope integrum referrent, repente tanquam ad ſanctos accurſum eſt, nec ſine miraculis, demum & æde ſacra in eo loco extructa, quam nunc cernimus. Arbitror autem ingenuam aliquam gentem illic habitaſſe, cujus familiæ Ebruinus ille & frater Eberhardus fuerint. Jam quod *alius pretij* quàm argenti meminit, quo *ſolidus medius* ſolveretur, ſatis innuit Francos & Alemannos haud uno numiſmatis genere fuiſſe uſos, puriore tamen, haud dubie integrioreque quàm hodie utimur. Ex nummis tamen, qui proximis in agris magna copia effodiuntur, nuper etiam in ipſa urbe effoſſis, non memini me ullos vidiſſe alius monetæ, quàm Alemannicæ. Reperiuntur quidem & Romani vetuſti, ſed rari & paucis in locis. Trita autem Francis & Alemannis nomina, *Libra, Marca, uncia, pondo*, quorum tamen corrupte ſcribæ illi *Pondus* vocant, quum aliud ſignificet *pondus* quàm *pondo*. Durant autem vulgo *Marca* & *Pondo* nomina, Marckh vnd Pfund. Idem porro ſignificant *libra* & *pondo* Latinis ſcriptoribus. Habet *libra* marcas duas, uncias vero ſedecim. Eſt enim *uncia* octava pars marcæ, ſexta decima libræ; qua ponderis diviſione hodieque utuntur fabri monetarii, æſtimatione quidem argenti non mutata modo, ſed paſſim etiam immodica æris admixtione vitiata: Siquidem & publicum orbis bonum, ſumma quondam ſinceritate tractatum, hodie in quæſtum & impoſturam degeneravit. Sunt enim quorum inexplebilem cupiditatem non pudet ullius lucri, & cuperem eſſe quàm plurimos, qui factum tam improbum criminis loco haberent, nec multum transmitterent. *Ærarium* autem vocat chartularius ille, quod alii *fiſcum*, noſtri vulgo *Cameram Principis*. *Fiſci* enim nomine publica pecunia Principis ſignificatur: unde & *Advocati fiſci* dicti publicæ Pecuniæ Procuratores & Rationales, vulgo etiam *fiſcales* & *Cameræ advocati*, qui eam functionem Imperatoris nomine gerunt. *Stipulationis* autem prope omnibus in chartis fit mentio, qua qui donaſſet, palam interrogatus ratam haberet donationem nec ne?ratam ſe habere promittebat. Quo more apud nos manu etiam conſerta in contrahendo tràſigendoque frequenter utimur, noſtra lingua dicunt, Mit der Hand verheiſſen / verſprechen / oder in die Hande ſchlagen / darſchlagen / trew geben. *Stipulatio* enim eſt (ut definiunt Juriſconſulti) *conceptio verborum, quibus qui interrogatur daturum facturumve id, quod interrogatus eſt, reſpondet.*

Inter donationes Prædiorum, quæ ſub annuo reditu recipiebantur, quædam fiebant conditione redemptionis, quædam redemptionem prorſus auferebant. Hujus exemplum adſcribere libuit.

E*Go in Dei nomine Wolfger una cum manu filij mei Engilgari* (ecce hic *manū* pro ſtipulatione) *conſentientis tradimꝰ ad monaſteriū N. pro remedio animæ noſtræ, parentumq; noſtrorū, quicquid in Vzzinruida & in Bubinuuilare vel in eadem marca viſi ſumus habere, cum domibꝰ, ædificiis, pratis, campis, paſcuis, ſilvis, viis, aquis, aquarū decurſibꝰ, quicquid dici aut nominari poteſt, nihil extra dimittens, ſed omnia tradens ad præfatū cœnobium, ſub ea convenientia, ut eaſdē res*

ad nos

ad nos recipiamus, & annis singulis censum inde persolvamus, id est unum denarium: similiter & tota procreatio nostra legitima, si easdem res habere voluerit, faciat. Quod si legitimi hæredes defecerint, à nobis utrisq; geniti, tunc Altagund filia mea & soror Engilgarij filij mei præfatas res ad se recipiat, & prædictum censum persolvat, redimendiq; licentiam nec ego, nec Wolfger, nec legitima nostra procreatio defecerit, tunc ad sæpe dictum monasterium N. prædictæ res redeant in ævum possidendæ. Nullus hanc chartulam à nobis factam irrumpere audeat, quod si quis hoc præsumpserit, illa componat quæ in Lege Alemannorum continentur. Actum in Vzzinrieda, præsentibus istis, quorum hæc signacula continentur. Signa authorum Wolfgeri & Engilgeri filij consentientis. sig. Hettari, Ruadpert, Perachtolf, Helidolf, Kermunt, Reginolt, Hebinolf, Ruadpolt, Kebehart, Walto, Rising.

Ego itaque Edilleoz indignus Diaconus scripsi & subscripsi. Notavi diem Mercurii VIII. *Kalend. August. An.* XIII. *Hluuuuici Regis in Orientali Francia.*

Sub Gerolte Comite.

APparet scribas vel illis sæculis generalem quandam formulam secutos, quemadmodum & nostri hodie emptionis, venditionis & aliorum contractuum tabulis conficiendis exemplari utuntur. Varie autem de redimendo cavebatur, expressa semper pecuniæ summa, qua bona donata quirent redimi. Alicubi solis illis, qui donassent, facultate redemptionis concessa, interdum & hæredibus, frequenter autem in mares computata posteritate, ut si amplius filij legitime procreati non essent, res donatæ cœnobio monasteriove cederent. Plane Mosaicum quiddam sequi & vulgo persuadere horum temporum religiosis libuit. Multum enim tribuit lex nimirum mystica non templo modo, sed templi etiam sacerdotibus. Vnde illi justitiæ suæ legem Moysi, quàm Christi Evangelium, accommodare ac velut instaurare abrogatam illam maluerunt. Inde enim orandi & offerendi pro peccatis, inde in otio agendi & ab aliarum rerum cura vacandi morem, inde habitum prope omnem cerę monialem deprompsere, votum etiam suum & radendi morem ad ostentationem sanctimoniæ inde translatum esse certum est; hoc insuper addito fœnore ut quod in lege temporarium fuerat, ipsi sibi perpetuum imponerent, quodque ad tempus nec nisi in figura lex jusserat, illi abrogatum reducerent, & justitiæ Evangelij longe maxime præferrent. Proinde non admissi modo Iudæorum more ultro donantes, sed invitati etiam & illecti sunt spe sanctificationis & remissionis peccatorum: eumque ad modum actum cum rebus donatis, quomodo lex Levitici ultimo capite cum iis, quæ voto donata oblatave fuissent, agendum decreverat. Siquidem & lex de rerum donatarum redemptione statuerat, & licebat quædam redimi, quædam non licebat. De censu autem ita cautum in multis chartis legimus, ut qui negligenter solverent, jure possessionis privarentur. Charta una Caroli Regis quadragesimo & secundo anno Regni Italici Pipini filii ejus scripta de censu in hæc verba cavebat: *Si vero uno anno illum censum neglexerint, aut non quiverint reddere, & illum pro me solidum dare non potuerint, in altero dupliciter solvant: sin autem tertio, tripliciter: si vero deinceps negligentes apparuerint, supradictæ res ad jam præfatum* cœnobium (*Clostareum* vocabat) *redeant perpetualiter ad possidendum*, &c. Sæpe autem minimum censum, videlicet denarii unius, datum & acceptum legimus, haud quidem utilitatis causa, sed contestationis de re donata, quo hæredes admoniti semel factam donationem agnoscerent, & eo modo ratam sinerent. Res donatæ, quæ vel morte donantis, vel hæredum defectione in jus & potestatem cœnobiorum venissent, subinde alijs atq; aliis gravaminibus locabantur, nec nisi precario, interdum, sed rarius tamen concambio mutatæ varia conditione. Vnde & locationis genus illud exortum conjicio, quod hodie favore Principum nonnulli Abbates exercent, vulgò feudum appellatum, quod origine ipsa nec canonici, nec monastici, sed civilis juris est, cœnobiis tamen occasione donationum permissum. Tenuibus autem initiis (ut est ingeniosa ambitio) major postea facultas accessit, neque non & addidit fratrum avaritia, fraude & calumniis refertum: hodieq; non locata precariove possessa bona, sed propria multis in locis feudi obligatione teneantur. Porro quod in charta scriptum est (*illa componat quæ in lege Alemannorum*) illius temporis usu & more est factum. Nam *componere*, hoc est ponere, seu solvere transactione interveniente pœnam vel mulctam fisco vel ærario, vel ad fiscum ærariumve dixere pro eo quod est ærario inferre, quibus pœnis plusculæ chartæ excommunicationem jam tum abusui patentem adiiciebant. Ex lege autem his, qui fidem fregissent, mulcta irrogabatur non ærario modo, sed fidem etiam servanti parti solvenda: quod ipsum hodieque principum diplomata referunt, ut supra diximus.

Ludovicus autem, cujus hæc charta meminit, filius fuit Ludovici Pii ex Irmingarda priore conjuge (duas enim uxores habuit) *Iunior* deinde cognominatus, quamvis *Seniorem* eum Otho Frisingensis cognominarit, ad filium scilicet ex ipso genitum respiciens. Hic ingenti expeditione Pannoniam perculit, & Boiohemiam vastavit anno Dom. DCCCXLVI. Duce ipsorum Rasto capto & exoculato. In ea pugna grave vulnus

capite

capite excepit. Multis postea annis regno Francorum potitus, postremo in urbe Alamanniæ Francofordia decessit, & Laureacensi in cœnobio sepultus est. Alii inde vectum Campodunum nobilem Rhetiæ primæ urbem & juxta matrem Irmingardam sepultum tradunt, cujus postea ossa exhumata in summa veneratione monachis illis habita sint, quod quidem beneficentiæ & liberalitati ejus Campodunenses debere se existimarunt. Multis enim in locis hoc tributũ est fundatoribus auctoribusq; monasteriorum, ut inter Divos referrentur, adeoque verum est, quod à C. Plinio dictum est. *Hominem homini esse Deum*, atque hanc unam esse ad immortalitatem viam. Hoc enim honore etiam Welfonem IIII. veneratur cœnobiũ Altorfense, quod hodie Weingartense vocant proximè Ravenspurgum, in liberalitatis & beneficentiæ memoriã. Fuere enim *Welfi* seu *Welfones* (ut & hoc obiter notemus) Comites ejus loci nobilissimi etiam Caroli M. ætate, postea Duces alicubi creati. Et est in literas relatum, Ludouvicum Caroli filium post mortuam Irmingardin, cujus jam meminimus, Iuditham Welfam uxorem duxisse, ex qua Carolum cognomento Caluum genuit. Guelforum sanguinis fuit etiam Chunradus Comes, qui postea Episcopus Constantiensis inter sanctos relatus est, quum anno Dom. DCCCCLXXVI. ex humanis excessisset. Comites autem dicti sunt Welfi per excellentiam, lingua nostra, Die Graffen: tanta horum auctoritas & Dignitas erat. Unde certa conjectura adducor ut existimem, *Gravenspurgum* vocatum præclarum illud Rhetiæ primæ oppidum, quod hodie prima littera elisa Ravenspurgum vocitant. Testantur enim veteres Chronographi arcem istam in colle sitam, *Ravenspurgum* dictam, planiciem autem sub arce *Ravenounum*, ubi quondam vicus erat, nunc oppidum à colle in planiciem declive cernitur. Habet autem etiam noster sermo vulgaris hunc morem, ut litteras pronuntiatu difficiliores frequenter elidat aut intermittat. Hodie nulla illic arx cernitur, sed humile tantum ædificium in colle ejus præfecturæ, quam Suevicam cognominant, nuper in pignus datæ Baronibus à Waldpurg, qui vulgo Dapiferi vocantur. Ante autem dictum, & hic rursum monendum, *Franciam orientalem* non illam modo significatam videri, quæ hodie ad Mœnum amnem celebris est, sed tractum etiam Helvetiæ & Rhetiæ primæ ferme totum, quem illa ætas & ipsum Franciæ nomine complectebatur. Hujus partem Rheno imminentem *Austrasiam* vocabant scribæ Gallici, veluti Ostrasiam, hoc est in Orientem versam incolentes. Nam & *Ostrofrancos* dictos veteribus in Chronicis legimus *Francos Orientales* & *Theutonicos*, quoniam Germanica maxime lingua uterentur, interiore *Francia* interim *Romana*, quod in ea provinciali lingua uti non desiissent, quali hodie *Gallofranci* cognominati utuntur. Et Otho Frising. Franciæ Orientali, quam & *Theutonicum regnum* vocat, Baioariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Frysiam & Lotharingiam tribuit. Nec inani conjectura ducitur Rhenanus, *VVestriam* aliquando dictam Franciæ partem occiduam, quæ hodie corruptè *Neustria* dicitur. Quondam enim & Gotthi, Germania licet longo intervallo dissiti, hisce veluti notis discernebantur, ut qui orientem versus habitarent, *Ostrogotthi*, qui in occidente *VVestgotti*, ac deinde *VVisogotthi* dicti fuerint. Ost enim Germanice Eurum, West Favonium significat.

Sæpe autem factum est, ut homines liberi se ipsos cum rebus suis omnibus victus & alimoniæ gratia monasteriis pacto aliquo interveniente addicerent. Et antea dictum est, monasteria & collegia vetusta non tam cœnobia fuisse quam xenodochia. Quare & alimentarios habuere, ut hodie quoq; cœnobia antiqua: unde etiamnum alimoniæ coemptæ chartæ exstant, quarum unam perveterem & semilatinam vidimus, quæ hunc in modum habebat:

IN Christo nomine. Nos vero Cauzoinus constat me dare atque donare Audomaro Abbati de parvula terrula mea pro mercida anima mea, vel pro servitium, vel pro nudrigamentum, quod inter vivo servio Audomaro, & ille me nutriet tua potestate quantum ad me pertinet casa, sola, orta, agra, prada, in pomiferis, in silvis fructiferis, in pascuis, agris & accessos suis, omnia ex omnibꝰ ex integro quantum in mea villa ad ipsum locum pertinet. Et si quis quod non credimus aliquis aliquando hæredis meus contra hunc factum, quod ego pro mercida mea vel per nudrimentum qua me Audomorus nutriet, irretemptare aut inrumpere voluerit, sit excommunicandus à sancta Ecclesia & solvat judiciali liveras duas, & cartula donationis sua obtineat firmitate, Aquilianis Acatianis leges & stipulationis qui ad omnium chartarum accommodat firmitatem. Facta chartula donationis anno XXX. post regnum Domini nostri Tagoberti Regis die III. Kalend. Septemb. sub præsentia ista qui ab ipso rogedi sunt, subscriptum vel signo factum. Notavi diem & regnum & testis qui ab eo subscriuuere conrogaverunt. Signum Cauzzoini, qui hanc chartulam fieri rogavit sig. Paldoaldi test. sig. Askeri test. sig. VVolfroaldi. test. sig. Lantcodi test. Lantonis test. sig. Trudolfi testis. Ego Audo Clericus rogitus ad Cauzoini hanc chartulam scripsi & in testimonio sum. Ego VVolfuuinus fui inter ubi hunc chartula facta est in testimonio subscripsi chartula donationis Audomaro Abbatis fruniscat cum gratia Dei & sancti Petri.

Quid

QVid vero indoctius insulsiusve charta ista esse poterit, quæ plus satis immodicam horum temporum barbariem indicat? Nec mirum in populo tam rudi nuperq; ad fidem Christi conuerso. Paucis enim annis ante Otomarum Abbatem Germani plurimi, Francorum victoriis adducti, Christianę sese religioni submiserunt. Illud constat, contemptibili in loco habitos fuisse Abbates quosdam tum apud Nobiles qui studium illud opum in monachis parum æquo animo ferebant, tum etiam apud Episcopos, quibus Abbates erant suspecti. Quare & Otomaro accidit, ut auctis sua opera cumulatisq; quadamtenus cœnobii rebus subinde non ab exteris modo, sed à suis etiam vexatus, deinde & Abbatia deiectus alieno in solo mortuus fuerit, cœnobii iure in Episcopos aliquot Constantienses translato, qui & ipsi (ut erant tempora) ad quæstum & commodum intenti cœnobiis Regum fauore occupandis regendisq; inhiabant. Sidonius quidem Constantiensis Episcopus insolentius viuo dum Otomaro, deinde Ioannes & ipse parum sedati animi, post quem Egino tranquillior paulo, & proxime Eginonem Wolfleozus Antistes, Sangalli monasterium perpetua successione administrarunt, lecto quidem interim Abbate, sed sine fructu. Nec tutum n. quidquam nec quietum monachis nostris fuit vsq; in Grimoaldum, qui Ludouici Iunioris à sacris, quamuis monachus non esset, tamen monasterium (ut supra est dictum) annuente Principe in beneficium accepit. Vsq; adeo vel illis sæculis inauspicatum fuit monachis diuitiarum studium iam olim damnatum proscissumq; in his, qui sæculo nuntium remisissent, quod Magnus ille monachorum parens Gregorius, & ante eum Benedictus Basilium imitati non tam doctrina, quàm vitæ exemplo tantopere sunt detestati. Porro quod *Aquilianarum & Arcadianarum legum* chartularius ille meminit, satis innuit Francos & Alemannos Romanas leges vel ante obtentum Italię regnum non ignorasse. Harum n. præscripto Romani occupatas ab illis prouincias administrarant, Christianorum aũt principum leges primus omnium D. Theodosius Iunior Imp. Christianissimus à Constantino I. Christiano Imp. orsus codice vno complexus est, qui & *Theodosianus* est dictus. Post quem annis minimum centum Iustinianus Imp. quæstoris sui Triboniani inprimis opera vsus, eum codicem, qui hodie in vsu est, edidit plurimis legibus è Theodosii voluminibus in sua translatis; Ethnicorum etiam Principum, qui Constantinum præcesserant, legibus insertis. Quod ipsum studio ne ordinis aut æquitatis iuuandę, an magis in contemptum Christianismi factum sit, incertum est, etiamsi constet Tribonianum non sordidum modo hominem, sed impium etiam fuisse. Potuit igitur Ludouico Hilderici filio, qui primus Francorum ad fidem Christi conuersus est, filiisq; eius & nepotibus Theodosii codex notus esse nondum edito Iustiniani codice. Hic n. imperare cœpit, quum in Francia regnarent Ludouici filii. Verum posteris Francis & Alemannis hoc maxime tempore, quo hæc charta scripta est, notus esse & Justinianus potuit. Et extant leges Arcadii Imp. quæ instrumenta omnia legitime confecta rata esse iubat, ut videre est in codice tum Theodosii, tum etiam Justiniani, ubi de testamentis agitur. Lege autẽ Aquilia tenebatur etiam ille, qui chyrographum aut testamentũ deleuisset: longe magis igitur qui violasset. Inde est, quod legum illarum insulsissimus ille scriba obiter meminit. Fuit autẽ *Tagouuertus* ille, cuius hoc loco fit mentio, secundus eius nominis Francorum Rex, Theodorici IIII. pater, quem constare video Anno Dom. DCCXV. de hac luce migrasse, filiolo Theodorico relicto, quem Carolo Martello Maiori domus Franciæ ipse moriens commendarat. Ante vero dictum à nobis hoc barbariores videri chartas Alemannicas, quo sunt vetustiores. Nec facile dixerim quid à scriba illo sit vocabulo *frunifcat* significatum, nisi verosimile est veterem vocem & (ut Festus Pompeius autor est) Catonianam *frunifcor* exprimere eum voluisse. Cato enim *frunifcor* vsurpauit pro fruor aut fruiscor, & *frunitum* dixit prudentem quod eo frui liceret. Et sic Wolfuuinum dicere voluisse, frunifcatur Otomarus donatione illa, cuius chartam ego subscripsi cum gratia Dei & sancti Petri: nisi *frunifco* à voce monosyllaba *fron* enatum videri queat, qua Germani veteres commune publicum & populare dicebant: Hinc composita Fronfast / Fronfreus / Frongart / Fronzehend & fronen multis in locis de seruis dicitur, quando communes & debitas dominis suis operas præstant. Sed ô duram & ineluibilem barbariem maiorum nostrorum, quibus longo tempore nec Germanice scribere concessum fuit!

Vidimus & aliam coemptæ alimoniæ chartam, sed non tam barbaram, quam etiam adscribere libuit.

EGo Wildeboldsenio meo prouidens & ei quæ illud comitari solet penuria, trado ad monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba Hartmutus præest, terrulam meam, quam habeo in Vzonurilare, hoc est xx. *iugera, eo pacto, ut ipsa terrula ad domum peregrinorum seruiat, & ego ibi in domo* Hospitum *suscipiar, & usque ad finem vitæ meæ ibi victum & vestitum habeam sicut primus illorum iuniorum, hoc est omnibus annis vestimentum lineum, & aliud laneum, & tertio anno pallium, si vetus ita attritum est, & calciamenta & alias impensas accipiam sicut cæteri in ipso ministerio. Et hoc volo ut ipsa possessiuncula nulli unquam in beneficium præstetur: quod si factum fuerit, ut ille ager ab Hospitali tollatur, & ego ibi victualia mea habeam, meaque*

mihi

mihi absque ullius contradictione vindicem. Actum in ipso monasterio præsentibus, quorum hic signa tenentur. sig. Engilrammi Hospitarij. sig. Hertarij. centurionis & aliorum testium. sig. VVilheri. sig. VValdpert. sig. Hartman. sig. Richpert. sig. Tancpert. sig. Ruodpert.

Ego itaque Notker ad vicem VVinidharti monachi scripsi & subscripsi, notavi diem Dominicum XVI. *Kalend. Iun. Annum* XXX *tertium regni Hludovici Iunioris.*

Sub Adalberto Comite Durgavensi.

SEdulam illam & vigilantem curam pauperum peregrinorum, cujus priori libro meminimus, hæc charta confirmat. *Peregrini* autem à Germanis Belgerin corruptè dicti ex Latina voce, qui hodie vulgo Bilgern id est peregrini appellantur. Durat adhuc *domus peregrinorum* seu *Hospitale pauperum* cognominatum proxime ædem Otomaro dicatam, quod nunc *Hospitale fratrum* dicitur. Sancti etiam Otomari antiquis in monumentis nuncupatum & magnis quondam reditibus instructum. *Iuniores* autem delecti videntur Notkeri tẽpore ad pauperum & peregrinorum famulatum fratres laici, ut eo ministerio exerciti & assuefacti hoc aptiores ad reliquam disciplinam monasticam ferendam fierent, quo promptiores pauperum sese curæ submisissent. Hodie in eadem domo palliati incedunt laici fraterculi & quidem barbati, sed unico tamen monachorum famulatu districti & occupati. Pauperum enim cura in totum exolevit. Fuit autem *Notkerus* monachus ille Sangellensis, qui & ipse demum inter Divos relatus est, præstanti quidem ingenio, sed parum felici fuit ob barbariem in quam inciderat. Poeticen & Musicen præcipuo studio coluit. Extat enim vita B. Galli se authore hexametris versibus descripta, duris quidem illis & incomptis, sed raris tamen illo sæculo. Liutuuardo autem Vercellensi Episcopo & sancti Columbani Abbati, Cancellario autem Caroli Grossi, senex librum canticorum, quas *Sequentias* vocant, Germanis fratribus & aulicis quidem Othario & Salamone flagitantibus inscripsit; utroque in opere Isone quodam & Marcello, qui Sangalli docebant, magistris & præceptoribus usus. Sub Hludovico autem Pij filio vixisse eum subscriptio hujus chartæ indicat, qui regno suo ad annum sextum & tricesimum pervenit. Tot enim annos regni ejus numerat Vrspergensis, ut errare constet quosdam qui annis eum duobus tantum & viginti regnasse putant. Convincitur enim veterum tabularum fide longe amplius eum regnasse, cum præsens charta annum regni ejus XXXV. indicet. Successit enim patri Anno Domini DCCCXLI. quo anno miserabili pugna prope Fontanetum Ludovici Pii filij sese afflixerunt. Excessit autem ex humanis anno Domini DCCCLXXVI. Sæpe quidem, ut etiam supra diximus, divisum Franciæ regnum. Atque inde factum, ut interdum multi & Reges & Imperatores Franci uno aliquo tempore fuerint, nec fratres modo fratribus, sed & parentibus filij, alijs atque alijs in partibus regni divisione ad eum modum propagata, successerint, nec parum variarint Chronographi, jam hos jam illos referentes, qui sibi ordine successerint. Proinde paucis hoc loco admonere visum est, ne quem confusius ab aliis relata implicarent. Imperatorum & Regum Francicorum, qui Alemanniæ præfuerunt, successionem hoc fere ordine Chronographi nostrates ponunt, ut Carolo M. primo illius regni Imperatori Romano filius Ludovicus Pius, Pio autem Lotharius F. huic Ludovicus F. huic Calvus, postea Ludovicus Galvi filius Iunior dictus, atque huic proxime Carolus Grossus filius, Grosso vero Arnulphus, qui Grossi ex Carolomanno fratre nepos fuit, *Arnoldus* à monachis dictus, successerit. Reliquit autem & Arnulphus filium Ludovicum, qui & ipse in imperio patri successit Carolingorum (ut creditur) postremus. Inde enim rebus Francicis collabefactatis inclinare imperium in Germanos Transrhenanos cœpit circiter annum Domini DCCCCX. amplissimum sine cõtroversia futurum, nisi Franci sese ipsos odiis præliisque intestinis profligassent. Integrum enim & solus quidem imperium à Carolo patre *Ludovicus* acceperat, sed hoc humanis rebus exempto filij immodica regnandi cupiditate accensi ita sunt funestissimo prælio commissi & attriti, ut non tam inter se regni vires visi sint divisisse, quam perdidisse. Id quod multis regnis & ipsi inprimis Romano Imperio exitiale fuit. Porro *Ludovici* filij ex Irmingarda priori conjuge nati fuere *Lotharius* & *Ludovicus* & Pipinus; ex Iuditha autem Guelfa posteriore Carolus cognomento Calvus; quorum *Lotharius* patre etiamdum vivo, quum Italiæ præesset, à Paschali Pontifice unctus & coronatus ac mox à patre in imperij consortium ascitus est, cum illo postea in pugna ad Fontanetum victo (solus enim regnum paternum sibi vendicarat) Carolus & *Ludovicus* regnum diviserunt, eo pacto inito, ut Romanam Franciam Carolus, Theutonicam *Ludovicus*, internam & meridianam partem cum *Italiæ* regno *Lotharius* retento *Imperatoris* nomine gubernaret. Horum frater Pipinus, cujus etiam supra mentio facta est, Aquitaniæ Rex vivo dum patre constitutus est. Neque quisquam horum sine prole & hærede decessit, tantumque venerationis apud urbis Pontifices Francicum nomen illo tempore habebat, ob Caroli videlicet & *Ludovici* memoriam, ut quosvis par-

tium illarum Reges Romam profectos proni & volentes Cæsares crearent & ungerent, Lotharius Lotharium genuit Juniorem, à quo *Lotharingiæ* quidam datum nomen autumant, quamvis Otto Frinsingensis à Seniore vocatam scribat. Præterea Carolum provinciæ Gallicæ Principem (hanc enim à patre administrandam susceperat, ut Otto tradit & Vrspergens. etiam meminit) & Ludovicum, qui patri imperio defungenti successit, & Italiæ regnum tenuit. Pater enim imperio, quod annis plus minus quindecim gesserat, abdicato, monastico habitu apud Promiam cœnobium consenuit. Lotharius Junior ab Ha-
2 driano Pontifice excommunicatus, quod Thiebirgam uxorem suam iniquè repudiaverat, Placentiæ mortuus est. Pipinus autem & ipse Ludovici Pij filius filium genuit Pipinum Aquitanici regni hæredem, quem Calvus postea Episcoporum quorundam consilio tonderi & apud Suessiones in monasterio S. Medardi vitam agere jussit. Idem Carolus Calvus quanquam minimus natu inter Pij filios, tamen à patre vivo Rhetiam Alamsnniamque & Burgundiæ partem vixdum pueritiam egressus suscepit. Inde patre mortuo Galliam interiorem eo divisionis pacto, cujus supra meminimus, sortitus est, quam sane multis annis administravit. Demum morte Ludovici, qui Lothario patri successerat, audita, fortissimo cum exercitu Italiam ingressus Romæ ab Joanne VIII. Imperiali corona redimitus & unctus est anno Dom DCCCLXXV. Tertio deinde anno ex Italia proficiscens in ipsis Alpium jugis veneno ab Ludovici Junioris filiis per Judæum quendam Zedechiam subornato extinctus est anno Dom. DCCCLXXVIII. Nocuisse ei immodicam arrogantiam creditur, quæ multo sæpius invidiam vel potentissimis monarchis conflavit. Dolendum autem ita Francos Francis invisos fuisse, ut eo modo regni sui Majestatem premere & affligere libuerit. Caluus igitur filium reliquit Ludovicum, qui Balbus cognominatus, qui & ipse patri successit duobus itidem filiis relictis, Ludovico scilicet, qui haud multis annis vixit, & Carolo; qui puer admodum patrem amisit, plerisque postea Simplex dictus. Hic fratre mortuo paternum regnum factionibus plenum ægrè indeptus, demum & insidiis interceptus, & quinquennali custodia detentus ex humanis excessit, infante Ludovico relicto, cui ex Hainrichi primi ejus nominis Imp. filia Lotharius filius genitus est, quem patri in regno successisse Abbas Vrsperg. tradit. Atque hactenus quidem de Calvi linea, nunc de Ludovici (quem alij Juniorem, quod Ludovici Pij filius, alij seniorem, quia Ludovici III. pater, vel propter Ludouuicum Lotharij filium, qui nepos ejus fuit, nominarunt) item Lotharij & Calui fratris prole, quæ nostrate, hoc est, in orientali Francia regnavit, dicemus. Ludovico enim tricesimo sexto regni sui anno defuncto liberi superstites fuere Ludouuicus, Carolus & Carolomannus, quorum Ludouuicus Francorum orientalium Rex, Carolomanno brevi mortuo, Bajoariam recepit, vulgo *Bajoariorum* & *Alemannorum Rex* dictus. Carolus autem & ipse in Alemannia regnans post patruum suum Carolum Calvum Imp. veneno sublatum ingenti cum exercitu superatis alpibus Romam uxore comite contendit, & à Joanne Octavo, qui & Calvum unxerat, unà cum Richgarda conjuge unctus & Imperator appellatus est anno Dom. DCCCLXXXI. florenti deinde & amplo imperio evectus partium cum orientalium tum occiduarum regni Francici, qui post mortem tamen patris diviso inter fratres regno solam Alemanniam cum aliquot Lotharingiæ urbibus, quas ob vini copiam sibi delegerat, recepit: *Grossus* autem ceu *Crassus* à corporis habitu (ut creditur) cognominatus est. Regnavit autem cum fratribus plusculis annis. Vnde factum arbitror, ut Chronagraphi quidam, inter quos & Lambertus est, tertium Ludouuicum secundo Ludovico patri substituerint. Regnavit enim & Tertius Ludovicus solus per orientem, sed cum Carolo tamen Carolomannum aliquandiu. Sexto autem imperij florentissimi anno Crassus subito morbo correptus nec tam corpore quam animo deficiens, à regno dejectus, & ejus in locum Crassi ex fratre nepos licet illegitimus
1 in Regem electus; nec multo postea Imperator appellatus est. Carolus autem eodem anno, quo regno est privatus, Kalend. Januarij mortuus, & apud Augiam majorem sepultus est anno Dom. DCCCLXXXVIII. Princeps optimus, sed prodigus magis quam liberalis, præterea & luxui & inerti otio deditus: Litteratorum tamen amantissimus, & qui religioni addictis nihil non concesserit. Donavit enim quædam & monasterio Sangalli, patrem videlicet imitatus, qui prior nonnulla donaverat. Horum enim Principum prope solorum liberalitatem Monachi Sanctgallenses sensere, cum priores perparca in ipsos manu fuissent. Ottho Frisingens. scribit eum tantam ad egestatem venisse, ut vel panis egens & Arnolphi stipendiis fuerit alitus. Non prætereundum hoc loco, Carolum Crassum, postremum imperatorem Franciæ, Italiæ regnum nullo dum Rege alio quietè administrasse, sub cujus mortem Romani Caroli Calvi fastu & arrogantia territi Berengarium Longobardum, laudatissimum in re militari virum, Regem Italiæ, ac mox Imperatorem constituerunt: qui moriens Berengarium Secundum atque item Tertium ejus nominis successorem habuit. Verum hunc Ottho primus à Paschali Pontifice, cui suspecta esse Berengariorum potentia ceperat, primum devicit, deinde rebellionem meditantem oppressit & una cum conjuge in exilium relegavit. Arnulphus Caroli Cassi, ut dixi, nepos. sexto

sexto anno post regnum acceptum Imperator factus eo honore reliquo sexennio functus est. Filios duos habuit Zuentebaldum, quem à Rege Moravorum Zuentebaldum, quod sacro de fonte ipsum levaverat, nominari voluit, cui in comitiis VVormatiæ habitis Principum consensu Lotharij regnum tradidit: quamvis non desint qui Zuentebaldum illegitimũ Arnolphi filium esse dicant: filios autem legitimos ex Agnete priore conjuge Græca Arnolphum cognomento Malum, Bajoariorum Regem, cujus vvitichindus libro primo mentionem facit, & vvernherum Sucensium comitem: ex posteriore autem conjuge Dieta Ludovicum hunc nostrum & Chunradum, cui post mortem Zuentebaldi, qui eum fratri Ludovico legitimè electo sese opponeret, publico bello oppressus & necatus est, Lotharij regnum obtigit. Plurimum negocij Arnolpho cum Berengario primo cumque Hunnis fuit qui tum primum finitima Vngariæ loca & ipsam etiam Germaniam hostilibus incursionibus infestare ceperant. Arnolpho ex elephantiasi mortuo & Ratisbonæ ad S. Emerammum sepulto, Ludovicus filius successit. Is antequam Imperatorio nomine insigniretur, 12. regni anno sine hærede moritur anno Domini 912. Ratisbonæ ad patrem sepultus. Hũc falsò quidam à Berengario captum & orbatum luminibus tradidere, quod ipsum tamen Ludovico Bosonis Regis Longobardorum filio accidisse Luitprandus Ticinensis testatur. Postremus autem Carolingorum Germanici regni fuit Ludovicus Arnolphi filius: statim enim Chunradi & Hainrichi ex Transrhenanis Danubianisque regionibus electi insecuti sunt. Atque hactenus quidem de Ludovici Pij filiis ejusque posteris dictum sit: qui amplissimum Francorum regnum eo modo, quo dictum est, divisim ita administrarunt, ut ad usque ejus casum & interitum nemo postea solus tale tenuerit, quale ipsum Ludovicus Pius à Carolo parente acceperat, ipsaque functio Imperatoria nullo certo ordine, sed velut desultoria jam his jam illis obtigerit. Certò autem constat regnum illud nobile Francorum nunquam aut potentius fuisse aut illustrius magis extitisse quàm quando ipsum Ludovicus administravit. Ad *Notkerum* autem quod attinet, habeo authores qui tradunt Leodiensem eum Episcopum factum esse. Quod si est, mirandum est ne verbo quidem ejus rei nostros meminisse, qui plurium tamen meminère. Constat tamen plures fuisse Notkeros: quorum primus, qui hanc chartam scripsit, Poeticos & Musices, ut diximus, imprimis studiosus & aliarum artium cognitione clarus, ob linguæ tarditatem *Balbulus* cognominatus. Is primo anno Chunradi Imperat. ejus nominis primi mortuus in canonem sanctorum postea relatus est. Alter fuit qui *Piperis granum* ab ingenij acumine nominatus est. Tertius Medicus fuit & Pictor, quem Otho primus Imper. cum Roma rediens Sangallum diverteret, cæcum & senio confectum invisit. Hujus nepos ex sorore *Notkerus* cognomine *Labeo* juvenis admodum Otthone II. Imp. approbante Abbas monasterij factus est. De quibus omnibus in pervetusto quodam codice hos versiculos legi:

Balbus erat Notker, Piperis granum fuit alter,
Tertius hic Labeo datus est agnomine lato
Pectore mandatum gestans Labeo quoque latum.
Latior hic Labeo puto nemo videbitur illo,
Ecce favos labio quales stillat tibi lato.

CHARTÆ PRECARIÆ EXEMPLVM
SVB EODEM LVDOVICO SCRIPTVM.

CHristi adjuvante clementia complacuit mihi Grimaldo Abbati una cum consensu fratrum, nec non & Advocato nostro Podololto; ut res quas Hasuo Presbyter ad nostrum tradidit monasterium ei per hanc precariam repræstaremus, quod & facimus. Tradidit enim nobis prædictus Presbyter unam hobam cũ manu Chumberti in pago Argengauue in loco qui dicitur Arguna eo videlicet pacto, ut ipse præfatam suam hobam omne tempus vitæ suæ possideat censumque inde annuum persolvat, id est unum denarium. Et si prædictam hobam redimere voluerit, cum sex denariis redimat. Si autem ipse non redemerit, & ejus obitus de hac vita contigerit redemptione non peracta, tunc prænominata hoba sine ulla contradictione redeat ad monasterium S. Galli perpetualiter possidenda. Actum in VVasserburc publice præsentibus istis, quorum hic nomina notantur, Sig. Grimaldi Abbatis & Advocati Podololti, sig. VValtharij sacratarij, sig. Ruadhai Hospitarij sig. Engilrami portarij, sig. Paldariti cellerarij, signa aliorum testium, Selbo, Engilgold, vvisirich. Folcarath, Ruadinc, Liutpold. Rathelm, Theothold, VVilhelm, Sigiheri, Feitir.

Ego itaque Otine ad vicem VVotonis scripsi & subscripsi. notavi diem Veneris V. *Non. Octob. An.* XXIII. *Hludovici Regis.*
Sub VVodalricho Comite.

QVid *precarium* sit, & quid *precario* possidere, libro primo est dictum: similiter & quid *hoba*. *Repræstare* dixit rem donatam donanti certa conditione locare, quod ætas illa *rem donatam usufructu in beneficium accipere* dicebat. Notandum vero & his qui donassent sæpe copiam factam minimo pretio redimendi, quod donatum fuisset, ut hac de charta discitur. Quod ea causa conjicio à monachis factum, quo libentius Comites donandi morem ferrent & probarent. Odiosum enim videbatur duriora flagitare illos, qui sponte obtulissent, & raros habebant illa sæcula, qui semel donata redimerent, præsertim precario recepta: tantum religioni illi monasticæ & Canonicæ tribuebatur. Est autem *Arguna* vicus celebris juxta lacum Brigantinum ab amne, quem vulgo *Argum* vocant, dictus, atque inde etiam
1 *Argangauv* Germani enim tractum aliquem rurestrem *Gouv* vocitant, qualem & *pagi* vocabulo significasse Cæsar videtur de bello Gallico scribens non uno in loco. Mirum autem sic confertim sese longinqua in loca conferre consuevisse monachos officiarios donationū gratia. Sæpe enim ita factum veteres chartæ indicant: & arbitror non alia magis causa ab
2 illis sic ad publicos conventus, quos mallos & placita vocabant (de quibus supra) concursum fuisse, quàm ut rebus augendis cumulandisque inhiarent. Profecto magna cura, ne dicam cupiditate ab illis semper & acceptæ sunt religionis obtentu donationes, & multorum testium fide ne dilaberentur, ratificatæ.

Iam quo constaret, quod libro primo docuimus, servitia non modo liberalitate Principum; sed privatorum etiam hominum, monasteriis donata & tradita fuisse, veteris chartæ exemplum adjungemus, quæ ad hunc modum habet:

VNicuique enim convenit opere adimplere quantum ei vires suppetunt, quod Domini jussione constat esse traditum: Date, & dabitur vobis. Quapropter ego Cozolt hac voce Dominica corde compunctus trado ad monasterium N. quinque mancipia, quorum ista sunt nomina. Notmunt, Otmunt, VVillimunt, VVolafrid, VVannida: eadem videlicet ratione, ut eadem mancipia ad me recipiam tempus vitæ meæ: post obitum vero meum absque ulla marricione ad jam dictum monasterium firmiter permaneant perpetualiter possidenda. Si quis vero contra hanc traditionis chartulam venire temptaverit, aut frater meus Adelbert, aut aliquis nepotum meorum, aut qualiscunque persona, in ærarium Regis multam componat, & conatus sui privetur effectu, firmaque & stabilis chartula hujus traditionis permaneat stipulatione subnexa. Actum in Oninnuanc publice præsentibus istis, quorum hic singula continentur Signum Cozolti, qui hanc chartulam fieri rogavit. sig. VVarimheri, Heitari, Alpheri, Adalprecht, Stritgrim, Item Alpheri, Othind, VVolfprecht, Naudkor, Strello

Ego itaque VVarimbertus indignus Levita scripsi rogatus & subscripsi. notavi diem Lunis prid. Kalend. April. Anno II. *Ludovici Regis Alemannorum.*

SAtis indicat chartula hæc qualem sensum scripturis tribuerint monachi plus satis avari, dum in aucupando emulgendoque lucello sic torquent iocos aliquot, qui ad dandum Christi fideles adhortantur, ut palam constet non habuisse flagitandi modum, Dare jussit Dominus, sed egenis & ægrotis adeoque alimoniæ quærendæ occasione destitutis, non illis, quibus victus & amictus suppetit, quique ultro suscepto otio & cessatione malunt aliis oneri esse sine fructu ullo, quam operam dare, ut negotio honeste partis rebus uti liceat. Mirū autem tanta ipsum confidentia factum esse, ut mox paulò mendicitatis titulo religionem jactare non puduerit, aliis interim insignes sibi opes clavium potestate vendicantibus, qui vafro suo artificio vel à mortuis (ut in proverbio est) tributum exegerunt. Porro hodieque ditissimis in monasteriis id genus scripturæ Corlonis præfiguntur: *Date & dabitur vobis: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis* Adduntur & encomia: *Sapienter collocat beneficium suum, qui pro transitorio promeretur æternum.* Et item: *Qui parce seminat, parce metit.* Proinde & mancipia etiam donata sunt pro animarum remedio, quæ & ipsa sunt recepta, hoc est ea conditione donata, ut non nisi ab obitu donantis redderentur, non ipsa modo nominatim recensa, sed filij etiam filiæque: Parentum enim nomine & proles continetur: alioquin plusquam levis donantis fuisset conditio. *Marricione* pro tergiversatione & calumnia accepisse videtur. *Marrire* enim verbum in Alemannia puto natum, altercari & calumniari significat. Nam vulgo etiamnum Marrassen dicunt levibus de rebus altercari Scripta est hæc charta sub Ludovico Seniore: nec difficile fuerit annum Domini colligere ex anno regni. Hic Ludovicus, ut est dictum, tres filios habuit, Carolum cognomento Crassum, & Carolomannum Arnulphi patrem, præterea & Ludovicum Regem, qui fratri Carolomanno in Ducatu Bajoariorum successit: de quo alio loco admonebimus.

Licebat autem, Lege Alamannorum permittente, servos servasque mutare concambio, ut vocabant, non minus quàm prædia. Et concambij quidem servitiorum hoc exemplum legimus.

Notum

NOtum sit omnibus præsentibus atque futuris, quod ego Bernhardus Abbas monasterij sancti Galli rogatus sum pro concambio cujusdam ancillæ monasterij nostri, cui nomen est Paldsind, à quodam homine, cui nomen est Tisi. Convenit igitur atque complacuit ex utraque parte, ut nos illi traderemus prædictam Paldsindam, & nos è contra in concambium reciperemus ancillam proprij juris ipsius nomine Adalhiltam. Quod cum consensu fratrum nostrorum, & cum manu Advocati nostri VVitonis firmavimus atque peregimus. Actum in VVintatura publice in præsentia Legatorum Imperatoris Salomonis Episcopi, Kotzperti Comitis, Ruadhai Abbatis, Hilteboldi Comitis, in præsentia Adalberti Comitis. Sig. Bernhardi Abbatis & Advocati ejus VVittonis, qui hoc patraverunt, sig. Landtfrid, Rochfrid, Andreas, Ichere, Reginger, Pato, Kunderoch, item Landfrid.

Ego itaque Ratpert indignus Levita scripsi & subscripsi. Notavi diem VI. *feriam* III. *Idus Novemb. Annum Caroli Imperatoris* V.

Adalbertum Comitem.

PActa & contractus tum fratrum consensu, tum Advocati etiam stipulatione firmabantur. Dabantur autem à Principe *Advocati*, ut supra est dictum: quibus postea *Ammanni* 1 (vulgo dicti) successere: deinde & *Curiæ magistri* illis in cœnobiis, quæ conversa ad sæcu- 2 lum majorum institutis & disciplinæ nuntium remiserant. Innuit autem charta & hoc genus contractuum pactorumque coram legatis Regiis peractum non minus interim & aliis de causis cognitum fuisse. Non legimus autem in horum temporum chartis, nisi vel Abbatis vel Advocati vel Præpositi signum, ut sit verosimile nullo dum communi signo fratrum consensum fuisse expressum. Privatim enim signarunt chartas plurimas monachi officiarij, Decanus puta & Camerarius, Sacratarius, Cellarius, Portarius, Hospitarius, &c. Sed postea factum Abbatum insolentia & libidine, ut hæc à parte cœnobiorum proventibus fratres unanimi consensu consulendum duxerint, obtento videlicet signandi jure. Quod quidem à tribus proximis sæculis ita inolevit ut parum hactenus ratum fuerit quicquam Abbatis consensu, nisi hujus signo & fratrum sigillum accesserit. Scripta est autem hæc charta sub Carolo Imperatore non M. illo Pipini filio, sed Crasso, seu (ut alij cognominarunt) Grosso, qui etiam *Malefertatus* dictus est, Caroli M. pronepote. Sub hoc enim Bernhardus Abbas, cujus hæc charta meminit, vixit. Tres autem fuere Caroli Imperatores (ut Carolum Simplicem intermittamus.) Primus Pipini filius, in quem primum omnium Francorum, neglectis Orientis Principibus, imperij Romani honos à Pontifice Romano translatus est. Secundus Calvus cognominatus, Ludovici Pij filius. Tertius Grossus Senioris Ludovici filius. Observatumque tam Calvum quàm Crassum *Magni* sibi cognomen usurpasse: ut plane errent qui non satis expensa temporum supputatione repente ad Carolum Pipini filium animum adiiciunt, ubi publicis in tabulis diplomatisve *Magni* cognomen legunt. De Calvo quidem non video dubitari, quin se *Magnum* cognominarit. Crassi autem diploma extat Sangalli nuper à me visum, in cujus sigillo plumbeo ipse Imp. laureatus cernitur cum hac inscriptione: CAROLUS M. AUGUSTUS. & in altera sigilli parte hæc verba itidem laureo sertulo inclusa leguntur, RENOVATIO REGNI FRAN. In fine autem diplomatis hæc verba scripta sunt: *Data Non. Octob Anno incarnationis Domini* DCCCLXXXIII. *Indictione secunda Anno vero imperij Domini Caroli in Italia* III. *in Francia* II. *Actum Papiæ in Dei nomine feliciter.* Ex supputatione ergo annorũ colligitur hoc diploma sexaginta novem annis post Caroli primi Imperatoris mortem scriptum fuisse, nimirum Crasso imperante, qui, ut diximus, mortuo jam Calvo Anno Domini DCCCLXXXI. Romæ est à Ioanne Pontifice coronatus. Vt finamus interim quod non constat, vel Pipinum Martelli filium, vel Carolum, vel Ludovicum Pium quicquam donasse, tribuisseve cœnobio Sangalli, præter diplomata quædam immunitatum adversum Nobilium & Episcoporum supinitatem impetrata, præterea & jus illud privatim eligendi quem ex suis vellent, quod subinde tamen ipsi Principes neglexere. Primus omnium Senior Ludovicus quædam donavit, quem proxime secutus Crassus filius inter alia pluscula donaria Abbatiolam illam Massinensium, quæ in agro est Cispadano, cujusque illo diplomate mentio fit, Sangallensi monasterio, Luituuardo Cancellario satagente, attribuit (jam tum enim avaritia invalescente monasteria à monasteriis absorbebantur.) Verum hac de re Ratpertus quidam monachus Sangallens. qui sub Crasso vixit, abunde retulit in eo libello, quo Abbatum aliquot vitas usque ad sua tempora, hoc est ad Caroli Crassi obitum, complexus est.

Exemplum MANUMISSIONIS vetus hoc loco apponere libuit. Habebat enim & MANUMISSIO locum, in Alemannia præsertim servis plena.

AVthoritas Ecclesiastica patenter ammonet, insuper & potestas regia Canonica religioni adsensum præbet, ut quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promovere Ecclesia quæque elegerit, in præsentia sacerdotum Canonicorum simul & Nobilium laicorum, & ejus cui subjectus est, manumissione sub libertatis testamento solemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Engildruda quondam ancilla Dei cum manu Advocati mei Richolfi, quendam meum famulum nomine Sigimarum sacris ordinibus dignum in præsentia nobilium virorum liberum ab omni vinculo servitutis dimitto. Cui Romanæ per hoc authoritatis testamentum statuo ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque securus permaneat, tanquam si ab origine fuisset parentibus procreatus vel natus: eandem pergat partem quamcunque volens Canonice elegerit, habensque portas apertas, ita ut deinceps nec mihi nec successoribus meis ullam debeat noxiæ conditionis servitium neque aliquod libertatis obsequium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa ingenuitate sicut alij cives Romani per hunc manumissionis aut ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat, suumque peculiare quod habet, aut quod adhuc adquiri poterit faciat inde secundum canonicam libertatem quicquid voluerit. Et ut hæc testamenti ac ingenuitatis authoritas inviolabilem obtineat firmitatem, Ego Engiltruda & Richolf Advocatus meus amborum manibus subterfirmavimus. Sacerdotes quoque ita nominati manus suas in præsentem ingenuitatis chartulam miserunt, Pero, Adalman, Hiltiger, Rodpot, Baldolt, Rantolf. Actum in villa Hoftrahun nuncupata in præsentia Salomonis & Reginolfi missis domini Ludovici Regis. Sig. Hiltibaldi Missi Honorati Comitis sig. Otkis. sig. Liutprecht. sig. Hadpert sig. Luitram sig. Oro. sig. Adelcoz. sig. Ruadmunt. sig. VVilihelmi sig. Dioterih. sig. Regnolt sig. Rathelm, sig. Pitto. sig. Hemmo sig. Liutpold. sig. Adalhelm. sig. VValfart sig. Ellinbold sig. Egibrecht. sig. Fromant sig. Henno sig. Nordeloh. sig. Sigmar sig. VVarmunt. sig. Eferih. sig. Danker sig. Ruodhart. sig. Subo. sig. VVolfhart. sig. Ratpert sig. Altebrot.

Ego itaque VVato Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Iovis in VIII. Id. Octob regnante Domino Hludouuico Regi Alemannorum & Peioariorum.

Sub Chunrato Duce nobilissimo feliciter, Amen.

FRanci & ipsi devincendis hostibus jure gentium usi plurimos ex captivis in servitutem redegerunt: inprimis autem Alemannos, quos non victos modo frequenti servitute gravarunt, sed rebelles etiam semel iterumque gravissime afflixerunt. In regnis enim ambiendis & figendis sedibus dubitare me fateor, an ullæ unquam gentes perinde in seipsas sævierint, atque Germani sævierunt in Germanos. De Herulis enim hoc & Gotthis & Longobardis, præterea & Burgundionibus & VVandalis & Francis & Alemannis & Nortmannis Anglisque & Saxonibus clarissima historia testatur. Non solum autem Alemannos Franci Rhenum transgressi, sed alias itidem gentes eodem servitutis jugo gravarunt. Vnde factum est, ut & reliqua Francia servis abundarit. Servum autem vulgo nostri ein eignen Mann / oder Leibeignen Mann / vocant, sicut servam ancillamve ein Leibeigen Weib. Et satis constat nostratium servorum longe meliorem conditionem fuisse, quam veterum Romanorum: Nostris enim propria bona possidere, propriis in domibus agere licet. Nec enim in domini familia censentur; & alicubi judicandi munere fungi & testimonium ferre, adhæc & hæredes ab intestato relinquere, & in judicio stare & rem propriam negotiari, sed & cum dominis suis contrahere possunt: quorum nullum priscis illis jure Romano servis permittebatur. Vitæ autem necisque potestate, quam veteres domini in servos habebant, sic exempti sunt, ut hodie non liceat in servorum delicta & maleficia, nisi publico jure & judicio expostulare. Multis enim in locis non servi modo, sed ipsi etiam domini alienæ potestati meri imperij subjecti sunt. Tamen hisce interim oneribus gravantur, quod impune illis non nisi cum ancillis propriæ familiæ contrahere matrimonium licet, nisi ex pacto (de quo infra monebimus) aliud fuisset permissum, quod liberi matrem sequuntur, qui alioqui in liberis aut civitate donatis patris potestatem sequuntur: quod certas operas dominis suis præstare coguntur: quod fugere, latitare, statum dissimulare infamiæ nota & amplioris pœnæ irrogatione vetantur: quod civitatem Romanam ambire, aut sacros ordines obire, nisi manumissis non licet: quod vivi certis & statis quidem exactionibus deteruntur, utpote pullis, gallinis, nummis, certis operis, quas alicubi vulgo Tagwerck, alicubi Fronwerck / interim etiam Eertagwen appellant, quibus oneribus etiam liberti, quorum alibi mentionem faciemus, patronis suis obligantur. Neque enim olim par libertas omnibus, neque nostris hodie libertis libertinisve par manumissionis beneficium obtigit. Servis mortuis ætate nostra non filij modo filiæve, sed ipsi etiam domini succedunt, alicubi dimidia bonorum parte, multis in locis tertia, plerisque & quarta: interim & vestes exiguntur selectæ, & pecora stabulis extrahuntur,

huntur, nec sine ordine, quo vel pater vel filiusfamilias major minorve natu ex humanis excesserit. Qua de re supra aliorum diligentiam Vlrichus Zasius Iureconsultus doctissimus in libro Singularium intellectuum pluscula adnotavit. Apud veteres una prope omnium servorum conditio erat, nisi quod illis quemadmodum & Francis & Alemannis quidam publici erant, quidam privati. Ex publicis autem servis *Regij* seu *Fiscalini*, dicti nostris, quorum vectigal & usufructus ad fiscum pertinebat. Erant & *Ecclesiastici*, qui operas suas Ecclesiis pendebant. Cæterum & Regiorum & Ecclesiasticorum longe melior erat conditio, usque adeo civiles domini Episcopos & monachos benignitate vicerunt: cum contra hos vel uno religionis nomine admonitos ne oblatam quidem sibi hanc ipsam servitutis miseriam tam dure tractare decuisset, si modo veram magis quàm simulatam religionem profiteri voluissent. Erant & Nobilium & privatorum hominum servi, quorum longe æquissimæ erant status sui conditiones. Apud Francos enim, sicut & apud Romanos, *Manumissio*, id est libertatis datio, eximium locum habuit: & est natura comparatum, ut ad libertatem, quæ generi humano præ omnibus animantibus donata est, omnes aspiremus. Vere enim Vlpianus IC. *Manumissiones*, inquit, *juris gentium sunt. Est autem manumissio datio libertatis, nam quamdiu quis in servitute est, manui & potestate suppositus est: & manumissus liberatur à potestate. Qua res à jure gentium originem sumpsit: utpote cum jure naturali homines liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita. Sed posteaquam jure gentium servitus invasit, secutum est beneficium manumissionis, & cum uno naturali nomine omnes homines appellarentur, jure gentium tria esse cœperunt hominum genera, liberi, & his contrarium servi, & tertium genus liberti, id est, qui desierunt esse servi.* Hucusque Vlpianus. *Libertas* autem, ut eam Florentinus Iureconsultus definit, *naturalis facultas est ejus quod cuique facere licet, nisi quod vi aut jure prohibetur. Servitus* autem *conditio est juris gentium, quâ quis domino alieno contra naturam subjicitur. Servi autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere* jubent, *& per hoc servare nec occidere solent. Mancipia vero dicta, quod ab hostibus manu capiantur.* Ergo libertatis in servo restituendæ unica medela manumissio est, hoc amplius Christianis cum servis tum dominis digna, quod scriptura etiam servos ad libertatem (modo ipsam commode assequi possint) adhortata est, & in domino eximium & dignũ laude charitatis specimen est, si Christianæ libertatis memores hoc ipsum donent fratribus vere liberis, quod ipsis ita dominus donavit, ut fidei quoque libertatem adjecerit, qua cum servis in unum Christi corpus coaluerunt. Pie ergo sententia mea beatus Gregorius Montanum & Thomam Ecclesiæ suæ, nempe Romanæ, servos manumissuros in hæc verba præfatur: *Cum Redemptor noster totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam carnem voluit assumere, ut divinitatis suæ gratia dirupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis pristinæ, nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, & jus gentium jugo substituit servitutis, in ea natura, qua nati fuerunt, manumittentis beneficio libertati reddantur*, cum his quæ sequuntur. Nec sine naturæ instinctu factum esse credimus, ut Ethnici etiam libertati donandæ adeo faverint, ut falsam etiam causam manumissionis semel probatam non retractarint: præterea bona testamentorum, ex quibus nemo hæres existeret, ea una causa addici alienis paterentur, si in ipsis manumissio vel directa vel fideicommissaria adscripta fuisset libertatum conservandarum causa, veluti veteri jure proditum est: sed & perpetuam esse libertatem voluerint, nisi culpa ejus, qui ipsa semel esset donatus, diversum commerita fuisset. Manumittebantur autem veteres servi jure Romano ex dominorum consensu ac voluntate vel apud Consulem vel Prætorem vindicta, hoc est lictoris virga, quæ capiti servi solemnibus verbis additis imponebatur, plerumque & sine vindicta & lictore absente peragebatur manumissio, quæ & apud Proconsulem & Cæsaris Legatum locum habebat. Imperator autem fere sola voluntate & sine vindicta manumittebat, sæpe in frequenti suorum conventu seu concilio, ut in Codice vocatur. Licebat & testamento manumittere, sæpe & sinu manumissione ad libertatem provenire. Vnde tituli illi frequentes libro Pandectarum quadragesimo, *De manumissionibus*, *De manumissis vindicta*, *De manumissione fideicommissaria*, *De his qui sine manumissione ad libertatem perveniunt*, ad quos Lectorem remittimus. Habebat & in æde sacra locum manumissio. *Libertorum* autem, hoc est eorum, qui à servitute manumittebantur, tria genera fecerunt Iureconsulti veteres: primum *Romanorum*, qui more, quo diximus, manumissi civitatem una cum libertate assequebantur, nimirum antea civium Romanorum servi: secundum *Latinorum Iunianorum*, qui ex lege Iunia Norbana per epistolam aut inter amicos, aut in convivio manumissi essent, quorum libertas permissa magis, quàm solemni ritu præstita civitatem non capiebat, & morientes ultimo spiritu simul & vitam & libertatem amittebant, ipsorum bona peculij nomine dominis vendicantibus. Tertium *Dedititiorum* ex lege Ælia Sentia, qui licet infamia aliqua notati: tamen à dominis suis quacunque causa permovente manumissi essent, quorũ sane postrema conditio erat, quia infamiã semel

irrogatam libertas non tolleret, ideoque & nomine infamiam trahente *Dedititij* vocabantur, quemadmodum ex Græcis institutionum Iustiniani libris ab Angelo Politiano in Miscellaneis suis traditum est. Extat & liber Institutionum Caij IC. & liber Sententiarum Pauli; in quibus de his, quæ diximus, libertorum generibus proditum est. Et eorundem fit mentio libro septimo Codicis Iustiniani, & in ejusdem institutionibus, ubi de libertinis & libertorum successione tractatur. Hic enim Imp. quo uniformem & civitatis capacem libertatem constitueret, latinam illam & dedititiam libertatem abrogavit, sola Romana relicta, quæ manumissis simul & libertatem & civitatem conferret. Vnde in eodem libro tituli extant, *De dedititia libertate tollenda*, item *De libertate Latina tollenda*, quibus confusa antea & turbata libertatis ratio discussa uno libertatis genere determinatur. Franci igitur morem manumissionis in provinciis repertum imitati, simile quiddam observarunt. In lege enim Ripuaria duplex manumissio ponitur, altera secundum legem Ripuariam, quæ Domini vel ejus vicarij consensu coram Rege fiebat: altera secundum Romanam, quæ locum habebat in Ecclesia, atque ideo præsente Episcopo vel Presbyteris & diaconis in populi conspectu, quo celebrior esset facti memoria, peragebatur. Iubebat autem Archidiaconus tabulas manumissionis scribi, quæ de statu liberti cavebant. Manumittebant autem Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Nobiles, ingenui, ut quem servum, quamque ancillam vellent, solemni more ad libertatem perducerent. Optima quidem erat conditio illorum, qui coram Rege manumissi essent, tametsi & Regiis libertis plerumque serviles operæ imponerentur, sicut & Ecclesiasticis, sed meliore tamen conditione. Horum pars erant, qui *Coloni* dicebantur. Erant enim & Regij Coloni & Ecclesiastici ad certas operas & pensitationes obligati. In Codice Iustiniani titulus extat: *De his qui in Ecclesiis manumittuntur*, ubi Imperator placere sibi ait, *ut in Ecclesia catholica libertatem Domini famulis suis præstare possint, sub aspectu plebis assistentibus Christianorum Antistitibus idfaciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur scriptura qualicunque, in qua ipsi vice testium signent.* Raræ erant Episcoporum & Abbatum tam liberales manumissiones, ut omni prorsus onere eximerent. Qualis illa Abbatissæ fuit, cujus exemplum adscripsimus. In Ecclesia autem manumissi *Chartularij* & *Tabellarij* vocati sunt, quia non nisi tabulis aut charta interveniente manumittebantur. His enim ostensis status sui conditionem coram Patronis profitebantur, quoties essent requisiti. Ætate autem nostra manumittendi facultas ita privatim admissa, & ad Dominos relata est, ut neque in Ecclesia, quod sciam, neque coram Principe, sed literis tantum ac non raro cuique etiam absenti missis, peragitur, ut libuerit, vel gratuito conferre, vel certa pecunia pacisci libertatem. Soli ferme Monachi, qui servos tamen vel professionis nomine diligere, & summa indulgentia tractare debebant, literas manumissionis conditione illa satis dura commaculant, qua cavent, ut qui manumissus est, tamdiu libertate fruatur, quamdiu extra solum & patriam servituti obnoxiam agit: quod si redierit pristino servitutis jugo subjiciatur & vere servus existat. Quod ipsum licet haud injusta causa fieri videatur, ne videlicet paucorum libertas multis detrectandæ servitutis, aut conturbandi dominij occasionem præbeat, tamen si proprius consideretur, videre est, nihil aliud ipsos quærere quàm ut dominatum & tyrannidem, quam in omne hominum genus jam olim usurpare cœperant, tanto magis stabilem & securam reddere possint. Morem autem hodiernum manumittendi ut facilis & pronus non probandus modo, sed etiam laudandus, præsertim in Germania, quæ, ut Tacitus author est, veros servos nunquam habuit. Liberi quondam erant Alemanni non minus quàm Franci. Verum Francis libidine regnandi accensis, visum est gentem Alemannorum finitimam quidem, sed hoc mage suspectam servitutis jugo premere & exatmare tot modis memoratam libertatem, ne nocere vires alienæ possent, ut merito nostros pudere ejus oneris debeat, quod à Francis tam violenter patrum nostrorum humeris impositum in posteritatem gravissima non solum ignominia, verum etiam captivitate deductum est. Et Alemanniæ (cujus magna pars fuit, quæ hodie Helvetia vocatur) quondam non alia causa, quàm potentiæ metu tam fœdam servitutis maculam inusserunt Franci, ac deinde ceu beneficij loco in Episcopos, Abbates & Abbatissas transfuderunt, qui confidentiores facti miseram plebem haud uno tyrannidis genere, nec paucis quidem sæculis, excruciarunt. Et pauci sunt Helvetiorum pagi, qui vel vetustissimarum chartarum testimonio eam servitutem non servierint, illi præsertim, in quos vel Episcopis, vel Abbatibus aliquid juris fuit, quod in se religionis prætextu veteres illi Franci transtulissent. Qua servitute cum multa se virtute postea extricarint, par est illos & suorum similia sufferentium meminisse, nec probare aut aliorum cervicibus imponere, quod ipsi longe maximo labore, imo vero & sanguine de suis abalienarunt & rejecerunt. Est enim ea propria libertatis virtus, ut quod ipsa depellendum à sese decrevit, aliis suam in societatem receptis non imponat. Nec est diutina libertas, quæ inique se gerit, & servos esse ex suis cupit, qui eodem, quo ipsi usi sunt, jure liberi pronuntiantur. Romani ex servis & adventitiis

liberi

liberi facti tyrannos etiam expulere: mox non in vicinas solum gentes, sed suos etiam tyrannide instituta sic immodice progressi sunt, ut imperium amiserint, non aliena virtute, sed propriis vitiis & intestina discordia. Qua de re alibi fusius. Ad institutum autem ut revertamur operæ libertorum variæ erant, non agrestes modo, quas patronis præstabant, sed etiam artificiales. Erant & obsequia patronis debita ad honorem quidem & observantiam pertinentia. Non licebat enim liberto adversus patronum actionem famosam instituere, nisi uno aut altero crimine atroci accepto: imo nec in jus sine venia patronum vocare licebat. Et adigebantur liberti ad alendum patronum, qui ad inopiam devenisset. Non omittendum & pœnas alicubi libertis statutas, qui vel ingrati in patronos vel inofficiosi fuissent, revocatis interim ad servitutem qui protervius deliquissent. Porro sicut relative se habent servus & dominus, ita patronus & libertus. Et Patroni quidem nomine etiam Patrona intelligitur. Fit autem manumissionis interventu, ut qui dominus erat, patronus fiat, quique servus fuerat, libertus existat. Vnde & tituli illi in Pandectis & Codice *De operis libertorum*, *Deque obsequiis & operis quas patronis suis liberti debent*, *De jure Patronatus*, &c. Succedebant autem libertis Patroni. Hinc tituli *De servili cognatione & libertorum successione* in Codice & Institutionibus. Hodieque servis nostratibus atque etiam libertis domini & patroni succedunt. Quam facultatem vulgo Erbrecht/ vel Erbschafft/ præterea Fall vnd Klag nominant. His enim oneribus plane servilibus in multis Alemanniæ locis non servi modo, sed etiam liberti, maxime Ecclesiastici distringuntur: Nam, ut diximus, & vestes auferuntur ex humanis excedentibus, quod Gwandfall/ & pecus abigitur, quod Hauptfall vocatur: nisi sint, qui aliis modis dominum patronumve devinciant. Sæpiuscule enim pecunia transigitur. Ad obsequium autem magis quam ad operas attinere videntur gallinæ illæ, quas Alemanni Faßnachthüner vocant, quanquam alicubi & à servis penduntur, tamen in libertis honoris argumentum magis, quam oneris videntur. Porro sicut libertis libertabusque pluscula onera non adimuntur manumissione, sed ad posteros etiam pertinent, nisi ingenui fiant, ita & prædiis olim propriis, postea vero alienatis, servitutes quædam impositæ sunt: quarum hæc præcipua apud Alemannos durat, ut quoties ager fundusque venditur, toties usuræ aliquid ad illum redeat, qui primus alienavit, quive jus illud servitutis justis causis suum fecit. Quales multæ sunt servitutes veterum Monasteriorum, atque etiam Nobilium, aut eorum, in quos quacunque causa mos ille vetus translatus est, jure exercitæ in ea prædia, quæ Germanice Ehrschätzige Güter vocamus: usuram autem, quæ venditione penditur, der Ehrschatz nominamus. Id vero obiter notandum, prædia quibus servitus ea imposita est antiquitus BONA FISCALIA vocata fuisse, quasi ad fiscum sive ærarium Principis pertinentia, quæ illorum postea liberalitate, hac tamen servitutis conditione, recognitionis ergo, si alienari ea contigisset, imposita monasteriis donata fuerunt, quæ etiamnum vulgo Ehrschätzige Hoffgüter nominantur, & vel hac maxime nota à Bonis, quæ *Salica* appellata sunt freye Lehengüter/ discernuntur. Potest autem hæc servitus, sicut reliqua omnia servitutis incommoda, vel pactione vel transactione redimi. Siquidem & liberti, sive ut proprius dicam, libertini (conditionem enim hæc vox exprimit) *ingenui* fiebant Francis & Alemannis, coram Rege videlicet jactato denario, sicuti & veteri jure Romanorum coram Principe, cum juri & potestati Patroni ita eximebantur, ut nec operas petere, nec obsequium desiderare, nec ad successionem bonorum venire posset. Quanquam enim *ingenui* dicantur, authore Martiano jureconsulto, *qui ex matre libera nati sunt*, tamen nihil minus ingenui fiunt liberti, qui juri Patronorum in totum eximuntur. Quod videre licet libro Pandectarum quadragesimo, in titulis, *De jure aureorum annulorum*, & *De natalibus restituendis*. His enim modis etiam libertis beneficium ingenuitatis Princeps conferebat. Habebat autem locum ingenuitas, si patrono consentiente collata fuisset: Imperator enim Commodus jus aureorum annulorum illis adimebat, qui id Patrono invito impetrassent. Nec facile *Imperatores* veteres *quenquam natalibus restituerunt Patrono non consentiente*, id quod Martianus prodit supradicto titul. *De natalibus restituendis*, in l. 1. Francorum etiam leges, Romanas imitatæ, mulctam irrogabant libertis, qui patronos præteriissent, aut à non justis patronis fraude ad ingenuitatem pervenissent. Dabatur & pro pretio ingenuitas Francis, ut & libertas apud veteres servis. Simile quiddam ambiunt hodie, qui Equites creantur à Principe, auri scilicet gestandi copia facta, aut qui obscurius nati imaginibus donantur, simul & diplomate recepto, quo idem munus legitimæ posteritati asseritur. Suntque hodie imagines plusquam venales & pretio & fortunis magis quàm virtuti & meritis patent, ut verissimum esse videatur, quod ab Horatio est dictum:

Et genus & formam Regina pecunia donat.

Majores nostri, nisi fallor, antedictum genus ingenuorum voce semilatina semique germanica *Semperfrey* appellarunt, à quibus alij sunt liberi illi, quorum majores nullã servitutẽ

ser-

servierunt, quos vulgo *Nobiles* dicunt. Non omittendum hodiernos libertinos etiam migratione ad ingenuitatem pervenire, libertinitate semel omni sublata : quod quidem pactis transactionibusque obtentum est. Vt apud nos Sangalli ; si quis libertinus ex agro Abbatis in agrum nostrum aut urbem ipsam civitate impetrata commigrat ; ita omni juri libertinitatis eximitur , ut ne obsequium quidem Abbati ullum, nedum operas debeat, etiamsi invito Patrono migret. Quali jure & xenodochium urbis nostræ donatum est, ut in agro Abbatis (noster enim exemptus est) quodcunque prædium servitute illa, cujus paulo ante meminimus ; gravatum emerit, usura semel numerata ita liberetur servitute , ut perpetuo careat eo onere, etiamsi à xenodochio jure fuerit abalienatum. Ad servos autem ut redeamus; Non licebat servo aliam sibi matrimonio copulare , nisi coæqualem , hoc est servam, nec quamlibet, sed eam solam quæ ejusdem dominij esset, nisi aliud conventione paciscentium dominorum licuisset Quod idem & in libertis libertabusque observabatur. Neque unum erat mulctæ genus in illos decretum ; qui conjugio inæqualia peregissent. Pater Alemannus liber si duas filias superstite filio reliquisset, quarum altera libero, altera liberto, seu colono, sive regio, sive ecclesiastico nupsisset, agri paterni hereditas soli illi cedebat , quæ libero nupsisset, alteri mobilium rerum dimidium. Liberta tabellaria, quæ servo nubebat, in servitutem remigrabat. Fœmina Alemannica libera si servo nupsisset ; necdum serviles operas præstitisset, abscedere à marito licebat : quod si operas præstitisset, prolem non nisi servam gignebat, ita tamen ut toto triennio currente actio ipsi vindiciarum secundum libertatem competeret ; vel coram Duce vel Comite , vel publico aliquo conventu peragenda : si amplius triennio apud conjugem mansisset , perpetuæ servituti addicebatur. Salica lex ; hoc est Francica (præcipui enim Francorum *Salij* fuere) adulterium etiam damnabant certa mulcta irrogata, si quis ingenuus alienam ancillam stuprasset: *Qui cum ancilla regia mœchatus fuisset* (verba sunt legis) *mille ducentis denariis puniebatur, Francus Salingus qui servam publice uxorem duxisset, servituti perpetuæ addicebatur: qui alienam ancillam Domino nesciente duxisset, centum viginti denariis, hoc est, solidis tribus pœnalibus mulctabatur, aut tribus quadragenis vapulabat.* Francus liber Ripuarius, (*Ripuarij* erant provinciales Franci) qui libertam regiam vel Ecclesiasticam duxisset ; prolem non nisi servam gignebat libertate interim incolumi. Quod idem in Ripuaria libera, quæ liberto nupsisset , jure observabatur. Amittebatur autem libertas ; si liber servam duxisset; vel libera servo nupsisset, & in servitutem repetebantur liberti ; si servas sibi matrimonio copulassent : sed & libertatibus conditio interibat ; si servis sese conjunxissent. Observatum autem etiam apud Francos & Alemannos , ut in conjugiis inæqualibus proles maternam conditionem sequeretur Ex matre enim serva non nisi servi , ex libertina non nisi libertini , sicut è libera non nisi liberi seu ingenui nascebantur. Quod ipsum & in veteri jure (quod eximie tamen favit libertati) traditum est. Irrogabant autem & illis mulctam Franci & Alemanni ; qui servum alienum ancillamve , libertumque & libertam sollicitassent, abduxissent , furati essent, seu de *Mundeburde* ; hoc est ditione seu dominio aut clientela patrociniove abstulissent. Sic enim habet Lex Ripuaria : *Si quis hominem Regium tabularium tam baronem quam fœminam de Mundeburde Regis abstulerit,* LX. *solidis culpabilis judicetur.* Quæ pœna & illos manebat, qui de Ecclesiæ alicujus Mundeburde conservos solum, sed etiam libertos abstulissent. Nec excusabat matrimonium ; cujus tamen proles ad Mundeburdem , unde serva libertave ablata fuisset, pertinebat. Pueri autem & puellæ è suis domibus furto ablatæ lege Salica vindicabantur, pœna mille quadringentorum denariorum, hoc est solidorum triginta quinque , in illum decreta, qui auferre fuisset ausus. Servis autem furto ablatis ita cavebatur : *Si quis servum vel ancillam valentem* XV. *aut* XXV. *solidos furaverit, aut vendiderit, seu porcarium aut fabrum sive vinitorem aut molinarium aut carpentarium seu venatorem, aut quemcunque artificem* II. DCCC. (hoc est duobus millibus octingentorum den.) *qui faciunt solidos* LXX. *culp. jud. excepto capitali & delatura* Capitale vocabant pretium rei æstimatæ, quæ furto ablata est, sive homo sive animal aliud, seu res quæpiam fuisset. *Delaturæ* nomine pretium intelligebatur, quod delatori erat constitutum. Pretio enim (ut hodie quoque delationes & indicia invitabant Franci ; quo citius deprehendi furta & arceri possent. Servi de furto convicti haud raro certis ictibus vapulabant ; non raro castrabantur secundum legem Salicam. Magnæ pœnæ subdebatur ; qui servum alienum , ancillamve occidisset. Qua in re Aquilaniæ legis præscriptum quadamtenus imitabantur. Sed & in dominos jure Francorum redundabant servorum delicta & maleficia, si vel tutudissent , vel vulnerassent , vel occidissent , vel furati fuissent vel incendissent , vel simile quid designassent : dabaturque actio adversus dominum , cujus servus noxiam fecisset. Vnde & in veteri jure Romano tituli *De Noxalibus actionibus* leguntur, in quibus si damnati fuissent, deditione corporum , quæ deliquissent, evitare licebat litis extimationem. Vnde *noxæ dedere* servum dicebant veteres , quum illi addicebatur, cui nocuisset: sicut & in lege domino fur , qui compensare rem furto ablatam non potuisset ; venundabatur. Quippe noxiam damnum vocant

Iure-

Iureconſulti à ſervo illatum: *noxam* vero ipſum caput, quod ob noxiam deditur. Apud Alemannos hodiernos, quo liberiora ſunt ſervitia, hoc minus ipſorum nomine domini conveniuntur. Durat tamen æqualitas & inæqualitas, cujus ſupra meminimus, noſtra lingua Gnoſſame & Ungnoſſame appellata. Neque raro pacto aut conventione accidit, ut ex aliena familia ſervam ducere meæ familiæ ſervo: contra & ejus familiæ, cum quo pactus ſum, ſervo ſervam itidem de meo dominio in uxorem accipere impune licet. Eam conventionem vulgo den Roub nominant, quoniam ancillas alienæ familiæ hoc modo matrimonij interventu ſervi noſtri in dominij noſtri familiam ceu prædam quandam abducere videantur, uxore in mariti non modo familiam, ſed etiam dominium translata. Quaſi pacto haud multis ſæculis exactis pluſcula Alemanniæ cœnobia Benedictina ſervitiis ſuis mutuum connubiorum uſum impune permiſerunt. Haud raro & hac conditione permiſſa ſunt ex pacto mutua illa ſervitiorum connubia, ut ſoboles inde procreata utriuſque domini communis eſſet, nec niſi partitione propria fieret. Habet autem & partitio ſuum ritum, ut alter dominorum maximum natu filium primum, deinde alter natu maximam filiam legat: hinc vice verſa ſervulum recipiat, qui prius ancillam, contra autem ancillam recipiat, qui primum ſervum legerat, quem morem dividendi Germanicè den Wechſel vocant.

Nunc ad chartam veniendum, quæ & Eccleſiaſticæ & Regiæ authoritatis de manumittendo ſervo ſacris ordinibus deſtinato meminit. Vbi advertendum, non hoc modo de cauſa, ſed aliis quibuslibet, ut eſt dictum, manumiſſionem in Eccleſia locum habuiſſe. Sic enim habet lex Ripuaria: *Hoc etiam jubemus, ut qualiſcunque Francus Ripuarius ſeu Tabularius ſervum ſuum pro animæ ſuæ remedio, ſeu pro pretio ſecundum legem Romanam libertare voluerit in Eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto clero ac plebe in manus Epiſcopi cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas ſecundum legem Romanam, qua Eccleſia vivit, ſcribere faciat, & tam ipſe quam omnis creatio ejus liberi permaneant, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, & omnem reditum ſtatus & ſervitium tabulariorum Eccleſiæ reddant, & nullus tabellarius dinarium ante Regem præſumat jactare. Quod ſi fecerint, ducentis ſolidis culp. jud. & nihilominus Tabellarius ipſe & poſteri ejus tabellarij perſiſtant, & omnes reditus ſtatus eorum ad Eccleſiam reddant, & non aliubi, niſi ad Eccleſiam, ubi relaxati ſunt, mallum teneant.* Hactenus Lex. Sed & Canones extant Conciliorum mediæ ætatis, quæ libertis Eccleſiæ ingenuitatem, niſi ex patroni conſenſu non permittunt, ad ſervitium interim revocantes libertos ingratos, qui patronis inſultaſſent: quorum & Gratianus meminit 12. quæſt 2. ubi *de rebus Eccleſiarum non alienandis* agitur. Recte autem & Latinè ſcriba ille *familiam propriam* dixit. Ita enim in l. 195. ff. de verbor. ſig. definitur, quæ unius dominio paret. *Communis* autem *familia*, quæ duobus pluribusve dominis ſervit, ex Paulo Iureconſulto in l. ſi quis, ff. de Nox. act. Quemadmodũ enim in prædiis & agris ædificiiſque, ita & in ſervitiis proprietas locum habet, ut *proprius* dicatur, qui in mea ſolius poteſtate eſt, & *propria familia*, quæ in meo ſolius dominio eſt. Non ſolum autem relative ſe habet proprius ſervus ad communem, ſed etiam ad alienum: Sæpe enim fit, ut in alienis mancipiis uſufructum aliquem habeamus, qui nobis vel in pignus dati, vel commodati, vel precario conceſſi ſunt, quorum interim proprietatem non habemus. Adhæc proprium ſervum manumittere licet, alienum etiamſi in uſufructu meo eſt, non licet, quod illius ſit jus manumiſſionis, cujus eſt proprietas. Proprias autem & ancillas dicimus, quæ uni domino ſerviunt, communes, quæ duobus pluribuſve. *Teſtamentum* ſcriba ille haud recte pro inſtrumento poſuit, quanquam ſui ſæculi more eſt factum. Nam & in Ripuaria Francorum *Lege*, tit. *De venditionibus: Siquidem,* (inquit *Lex*) *aliquid vendiderit, & emptor teſtamentum venditionis accipere voluerit, in Mallo hoc facere debet. Portas* vero *apertas* ſolemni more chartis ingenuitatis inſerebant, utpote ex lege tranſlatas, quæ ſic habet: *Si quis ſervum ſuum liberum fecerit & civem Romanum, portaſque apertas conſcripſerit.* Supra autem diximus, cum libertate etiam civitatem conceſſam fuiſſe, non in urbe modo, ſed etiam in provinciis, idque Divi Antonini conſtitutione, qui voluit, ut in orbe Romano qui eſſent cives Romani efficerentur, ut Paulus IC. tradit in l 4 ff. de ſtat. hominum. Quod ipſum declinantibus imperij rebus multo largius conceſſum eſt, Provincialibus videlicet in fide retinendis, ut vel ſervi ad libertatem perducti civitate donarentur. Vnde & ad Francos idem mos deductus eſt, quum Franci confirmatis regni ſui viribus, & aucta etiam religione Romanorum prudentiam, quam ſummè ante oderant, amare jam atque etiam obſervare cœpiſſent. Citantur in Iuſtiniani Codice verba Conſtantini (ut conjicio) Iunioris ad Oſium Epiſcopum in tit. *De his qui in Eccleſia manumittuntur*, quæ ſic habent. *Qui religioſa mente in Eccleſiæ gremio ſervis ſuis meritam conceſſerint libertatem, eandem eo jure donaſſe videantur, quo civitas Romana ſolemnitatibus decurſis dari conſuevit. Sed hoc duntaxat his, qui ſub aſpectu Antiſtitum dederint, placuit relaxari,* &c. Ecce jus Romanum, quod B. Gregorius imitatus: *Nos*, inquit, *Montanum & Thomam famulos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cum Deo authore diſcernimus liberos*

ex hac die, civesque Romanos efficimus, omneque nostrum vobis relaxamus servitutis peculium. Hanc autem manumissionis paginam Paterio Notario scribendam dictavimus, & propria manu una cum tribus Presbyteris prioribus, & tribus Diaconibus pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradimus. Actum in urbe Roma, &c. Hactenus Gregorius, *Presbyteros priores* vocans, qui & *Cardinales* dicti sunt, longe alij hodie facti, quàm tum fuere, cum opes & fastum ignoravit Ecclesia. *Peculium* autem dixere Iureconsulti, quicquid servus domini permissu possidebat, quod à chartulario illo nostro *peculiare* recte & Latine est dictum. Quicquid enim ad peculium attinet, peculiare dici potest, authore Valla libro sexto.

Ludovicus autem, quo regnante Sigimarus manumissus est, Crassi Imp. & Carlomanni patris Arnulphi frater fuit. His enim filiis pater Ludovicus Senior, qui & Alamannorum Rex multis in chartis cognominatur, regnum suum se vivo destinavit, Crasso quidem Alemanniam, Carlomanno Bajoariam, quam dudum suæ ditioni adjecerat: Ludouuico vero reliquam Ostrofranciam, quæ & ipsa aliquid Alamanniæ continebat, attribuens. Extant tamen & antiquæ literæ, quæ Ludovicum Bavariam aliquamdiu tenuisse testantur. Sane jam Bajoariorum, jam Alamannorum seseReges inscripserunt Franci, qui tamen solis Bavaris aut Alemannis non præerant. Mortuo autem Carolomanno filius Arnulphus in Bajoariam successit, ille qui deinceps Crasso patruo defuncto imperium adeptus est. Alamanniæ enim Crassum filium à Ludovico patre præfectum fuisse vetus charta testatur, cujus subscriptio hæc verba habet: *Ego itaque Luito indignus monachus nec non & Diaconus in vicem Thiethardi Præpositi scripsi & subscripsi. notavi diem Veneris* VII. *Idus Septemb. ann* XXXIII. *Hludouuici Regis, & sub filio ejus Carolo Rectore ejusdem pagi, in quo præfatæ res sitæ sunt, hoc est Briscouue.* Scripta enim erat charta illa donationis in Bublinisuuilare. Neque ignorant vel mediæ ætatis temporum periti, pagum *Brisgouuicum* ad Alamaniam attinuisse. Nota omnibus *Bajoaria* est, sed ignoti plerisque omnibus veteres Bajoariæ limites. Latissime enim patuit gentis illius sedes, & ad alpes usque Tridentinas porrectas fuisse cõstat. Comitatus enim, qui hodie Tirolensis cognominatur, pars quondam Bajoariæ celeberrima fuit. Inde est, quod Ottho Frisingensis Brixiam civitatem minorem non procul valle Tridentina sitam in Bajoaria statuit: sicut & Norici tractus Orientalis, quem hodie *super Anysum* cognominant, Ducum Austriæ ditioni conjugiorum (ut creditur) interventu adjectus. Hoc denuo animadvertendum, chartam illam manumissionis non Comitem, sed Ducem habere subscriptum, quales multas vidimus, sed frequentiores tamen Comitum nomine: Illa autem ætate & Duces & Comites, ut supra quoque dictum, non sui juris, sed Regum & Imperatorum officiarij ac veluti ministri erant Neque obscurum est, Alemanniam pro gentis charitate & fortitudine præstantes Duces habuisse, qui posteaquam collapsæ Francorum res fuerant, sui juris facti potentissimum illum Sueviæ Ducatum sunt auspicati, qui multis sæculis nec magnitudine, nec opibus, nec virtute ullum superiorem habuit, hodie (ut regnorum instabiles sunt vices) ita extinctus & absorptus, ut ne nomen quidem admodum memorabile existat.

EXEMPLVM MANVMISSIONIS CORAM COMITE FACTÆ, QVOD ET TRANSACTIONIS speciem præfert.

IGitur dum pluribus cognitum esse constat, qualiter nos N. & Advocatus noster Posso partibus monasterij N. quemdam hominem Vndurust nomine ad servitutis jugum attrahere voluimus, & ideo in Mallo publico coram Comite vvodalrico, scilicet ego N. & prædictus Advocatus noster Posso, illum pleniter ad servitium præfato monasterio nostro quæsivimus, nobisque & successoribus nostris illum subjugare conati sumus. Ille autem in eo consilio, prædictus videlicet Vndurust, studuit se reconciliare quam servituti succumbere, sagacibusque fl agitationibus à nobis & Advocato nostro ut se nobiscum pacificare valuisset. At nos propter amorem Domini, illius rogitationibus sensum accommodantes consentiebamus, reconciliationem non renuentes. Atque ob id jam dictus homo Vndurust de medio quod habuit territorio inter Hagenbuah & Eligauge ac Snetta juchos quatuor ad reconciliationem nobis dedit, scilicet ut à die præsente ita ingenuus consistat, quasi si ab ingenuis parentibus sit genitus: Nosque ea ratione illud accipientes, quatenus ipse nostra ex parte ab omni servitutis vinculo sit exutus in perpetuum, totaque ejus agnatio, posteritas & procreatio similiter sit absoluta sub ea conditione quæ modo ab illo genita est & deinceps progenita fuerit, tanquam si ex liberis fuissent parentibus procreati, hocque conscriptionis vinculo firmari jussimus. Actum in vvintarduro coram Voldarico Comite & cætero populo. Sig. N Abbatis & Advocati sui Possonis. signa aliorum testium Voldaricus Comes, Adalhol,

dalbol, VVanzo, Adalhelm, Nidger, Lanfrid, Astheri, Vto, Fridun, Lantolds, Heitar, Vunniradt, Strello, Adalram, Other, Alpheri, Thiottert, Cuntzo, Hadabert, VVolfchrig, Huppert, Autho junior.

Ego itaque Thiothar recognovi & subscripsi, notavi diem Mercurij, II. Id. Februar. Ann. XVII. Hludovici Regis in orientali Francia.

Sub Vodalrico Comite.

VTcunque barbara & inculta charta ista visa est, tamen dignam duximus, quæ adscriberetur, quo constaret vel apud Alemannos veteri more servos errones aut fugitivos aut latitantes de statu suo interpellatos à dominis, & ad servitutem revocatos fuisse. Hoc enim jure Romano seclusa omni temporis præscriptione licebat: Elapsi autem servi & peregre profecti quique in fuga essent, plerique dolo malo libertatem simulabant, nec parum negotij faciebant liberis hominibus, qui eos veluti liberos excepissent. Sæpe etiam vel cogniti recipiebantur, quo tutius possent latitare, & abscondendi causa refugium præstabatur, quod impune tamen non fiebat. Deprehensi autem vel repetebantur pristinam in servitutem, vel cum dominis pacti non sine detrimento aliquo vel rerum vel pecuniæ oblatæ manumittebantur. Qua de re hodie urbes pleræque pagique liberi neminem utcunque meritum civitate donant, nisi tabulis ostensis, quæ de statu ejus palam testificentur, quas vulgo Mannrechte brieff vocant. Non potest enim communi jure liberorum hominum gaudere, qui ullius hominis proprius est. Cæterum *Hludovicus* ille Rex, cujus in charta fit mentio, *Junior*, fuit Crassi & Ludovici & Carolomanni pater, cujus paulo ante meminimus. *Comes* autem *Vodalricus* ejus familiæ fuit, quæ à Kyburg cognominata est, celebri quondam, sed prorsus extincta. Comitatus ipse Kyburgensis cum arce munitissima ditioni hodie clarissimæ urbis Tigurinæ subjectus est. In eo situm est oppidum *VVintardurum*, etiamnum ita vocatum, ab Antonino autem in Itineratio suo *Vitodurum* dictum, cultum quondam & populosum, sed ab Alamannis provinciam ingressis afflictum, restauratum tamen: nec situs modo amœnitate, sed copia etiam rerum quarumlibet, præterea civium singulari humanitate, celebratur.

EXEMPLUM CONCAMBII AGRORUM.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Hartmutus Abbas monasterij S. Galli una cum consensu fratrum & Advocati nostri Heitares, quas VValdker in Zillenslatte sub censu unius maldri habuit, hoc est LXII. juchos, ad nos recepimus, omnia videlicet ex integro tam domibus quam ædificiis, campis, pratis, agris, pascuis, silvis, viis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, & deinceps possessuri, ea videlicet ratione, ut in Kebiratesmarca ipse VValdker & legitima procreatio ejus æqualem partem illarum rerum totum tempus vitæ sub censu unius maldri sine ulla contradictione in concambium recipiant, redemptione ipsarum rerum ipsis omnino denegata. Actum in ipso monasterio præsentibus istis, quorum hic signacula continentur Sig. Hartmuti Abbatis & Advocati ejus Heitar, qui hanc chartulam concambij fieri decreverunt. sig. Thiothardi Decani. sig. Folchardi Præpositi. sig. Hartmanni cellarij. sig. Paldariti Portarij. sig. Engilrami hospitalarij sig. Richberti sacratarij sig. Ortuuini Camerarij. signa aliorum testium, qui ibidem præsentes adfuerunt. sig. VValdker. sig. VValdram. sig. Engilbold. sig. Herbrandi sig. Reginger. sig. Lantprecht. sig Cannolf sig. Hangoz. sig VVallod.

Ego itaque Purgolfus indignus monachus ad vicem Ruadini monachi scripsi & subscripsi notavi diem quartam feriam III. Kalend. Jul. An. XXXV. Hludovici Regis.

Sub Adalberto Comite.

QVod sæcula illa inconsultissima *Concambium* dixere, Latine *permutatio* dicitur, contractus longe vetustissimus, diversus ab emptionis & venditionis contractu, qui posterior tempore necessitate quadam adinventus est. Quicquid autem emi & vendi potest, hoc idem & permutari potest, pactis etiam & conditionibus intervenientibus. Extat autem in Pandectis titulus, *De rerum permutatione*, quo docetur, diversam esse ab emptione & venditione, ad quem Lectorem remittimus. *Maldri* vocabulum Alemanicum etiamnum durat malter/ quatuor modios nostrates comprehendens. Apparet autem & in hac charta quàm difficulter Germanicas voces reddiderint scribæ illi & chartularij semilatini: Quod enim

enim hic ſcripſit *Kebirates marca*, Majores noſtri Gebhargmarck nominatunt, interim etiam Gebhardswil. *Zillenslate* autem Zilſchlat. Et videri poſſet vel Gallicè vel Anglice peritiores fuiſſe monachos quoſdam (Scotos etiam & Gallos quondam cœnobium noſtrum aluit) quàm Germanicè, niſi conſtaret multis poſtea ſæculis linguam noſtram vulgo ſcribi cœptã, atque ideo ne noſtros quidem admodum tritum uſum linguæ ſcribendæ habuiſſe. *Adalbertus* autem, cujus hæc charta meminit, Comes fuit Durgavorum. Et extant adhuc villæ jam dictæ haud procul urbe noſtra, cujus agrum & limitem Comitatus quondam Durgavorum undiquaque attigit ad Alpes uſque Abtſzellanas & vallem à Rheno cognominatam protenſus: cujus & merum imperium omne inter ſæculi ſpatium fuit tam in Abtzellano quàm reliquo cœnobij agro exercitum. Scripta eſt autem hæc charta XXXV. anno Hludouuici, cujus ſupra mentionem fecimus, anno nimirum uno ante obitum Domini videlicet DCCCLXXVI.

EXEMPLVM PRECARIÆ CVM Concambo conjunctæ.

EGo N. cum manu Advocati mei Cozolti accepi à quodam homine nomine Augberto in Zurichgouue in loco qui dicitur Eskinhoua ad curtim Lintauua pertinente, VIII. *juchos de terra ſtatim in jus monaſterij redigendos; & dedi ei alios* VIII. *juchos in Durgouue in loco qui dicitur Elinkouue, ea ratione ut dies vitæ ſuæ eandem terram ſub cenſu unius denarij poſſideat; ſimiliter & uxor ejus poſt eum, & poſt eorum obitum in jus monaſterij revocetur. Actum in Cella, Idib. Februarij, Anno imperij Caroli ſecundo, Adalberto Comite in Durgouue. Et hi ſunt teſtes, Othere, item Othere, Buoza, Adalram, Zuozo, Mangaloh, Cozolt, Erchanolt, Richart, Eburhart, Rathere, Vadolhart, Gebehart, Hiltebolt, Adalung, Richgouuo.*

Ego Notker juſſus deſcripſi.

APparet & in hac & ſuperiore charta non permutaſſe monachos, niſi magno ſuo commodo, adeo ſemper avida rerum fuit monaſtica religio, quæ verecundius tamen primis iſtis ſæculis ſeſe geſſit, quàm poſtremis, quibus profecto licuit quicquid libuit, Regibus interim in utramque (quod dicitur) aurem inſigniter dormitãtibus. Sæpe verò chartæ antiquæ *pagum Turegi à pago Durgavorum* ſeparant, interim uno utrumque nomine complexi, quẽ *Tigurinum* olim fuiſſe minime vana conjectura eſt. *Curtis Lintouua* hodie celebre oppidum eſt, *Lindavium* dictum, in lacu Brigantino, Annales monaſtici *Lintaugiam* vocant, cum cœnobio veteri, quam totam incendio conflagraſſe legimus Anno Salutis DCCCCXLVIII. Biennio videlicet poſt Rachiltæ mortem, quæ nota eſt Lintaugienſibus. *Curtes* Alemanni vocabant loca celebria oppida ve, aut in ipſis oppidis domicilia celebrium hominum. Scripta autem eſt hæc charta Carolo Groſſo imperante, quem in Augia majore, quæ infra Brigantinum lacum eſt, ſepultum eſſe ſupra diximus.

LIBVIT ET VENDITIONIS CHARTVLAM ADDERE, BARBARAM QVIDEM ILLAM, SED VETEREM ANTE annos minimum DCCCCXX. ſcriptam.

DOminis in Chriſto fratribus congregationis S. Galli, ubi Ioannes Epiſcopus vel Abbas præeſſe videtur cum Hartrico Decano & Bilifrido Præpoſito & aliis quamvis plurimis, Ego itaque Rihbertus filius Cotzberti venditor, conſtat me vobis vendidiſſe, hoc eſt in pago Durgavenſe in villa quæ dicitur Bettinouua, quicquid ego ab Adalſuinda cum eo pretio adquaſivi, hoc eſt jurnales XXV. *cum omnia quidquid ad ipſam terram conſpicit vel continet, hoc eſt campis, ſilvis, pratis, paſcuis, viis, aquis, aquarumque decurſibus, cum omni adjacentia vel appendicia à die præſenti de meo jure in veſtram trado dominationem habendi, commutandi, vendendi, vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmiſſimam habeatis poteſtatem faciendi: & accipio à vobis ſervum nomine Rhadoinum adtaxatum precium coram teſtibus, quorum hic nomina continentur. Sig. Rihbertus venditor. ſig. VVanzo. ſig. Iſo teſt. ſig. Erchanbert teſt. ſig. Thiotbaldo teſt. ſig. Gramanno teſt. ſig. Eoto. teſt. ſig. Haribaldo teſt. ſig. Rehinbert. teſt. ſignum VVolfram notar.*

Ego enim VVaringiſus Cancellarius rogitus & petitus à Rhiberto ſcripſi & ſubſcripſi, Anno IIII. *regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Notavi ſub die quod feci menſe Iunios die octavo.*

Sub VVarino Comite.

ET hæc charta tam barbare scripta, & quidem (quod mirari liceat) à Cancellario, illorum temporum in Alemannia inscitiam arguit, paucis tum ac raro etiam repertis, qui Latine possent id genus tabulas conficere. Satis enim visum illis, si sensum semel qualicunque sermone, modo Latinum resiperet, exprimerent & significarent. Mitigata tamen est postea barbaries Pipini & Caroli victoriis, quum devictis Longobardis Italiæ regnũ Francico conjunxerunt, Inde enim & doctrina paulo amplior & linguæ quantulacunque puritas ad Francos & Alemannos est translata. Admonendus autem Lector hoc loco (quod supra quoque attigimus) vel in venditionis tabulis specialiter nec nomina bonorum nec fines marcásve, ut vocabant, ullas exprimi aut indicari: quod hodie tamen ita exigitur, ut cassæ sint tabulæ, quæ agri empti & venditi nec nomen nec situm aut fines continent. Quare indubium fuerit, illa ætate in lite mota plus testib. actum fuisse, quam tabulis. Vnde & illud est, quod Francicæ leges de testib. in emtionis contractu adhibendis ita cavent, ut si mediocris rei fuerit, septem nimirum testes, sin magnæ rei duodecim adhiberentur. Id quod & in transactionib. observatum est. Sæpe autem sine tabulis contracta est apud illos emtio & venditio, solis testib adhibitis puerisque accitis, qui solenni ritu admoniti memores esse rei semel peractæ, & sic memoriæ rei ad legitimum aliquod præscriptionis tempus durare possent. Sic enim habet lex Ripuaria de traditionibus & testib. adhibendis: *Si quis villam aut vineam vel quamlibet possessiunculam ab alio comparaverit, & testamentum accipere non potuerit, si mediocris est cum sex testibus, si parva cum tribus, si magna cum* XII. *ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat, & sic eis præsentibus pretium tradat, & possessionem accipiat, & unicuique de parvulis alapas donet & torqueat auriculas, ut & postmodum testimoniũ præbeant. Si autem testes non potuerit congregare, ut ei testimonium præbeant, tunc rem suam cum sex vel cum septem cum sacramenti interpositione sibi studeat evindicare.* Moris enim erat Francis & Alemannis, ut unus aliquis, cui controversia mota fuisset, cum plurib. pro fidei suæ testificatione ad jurandum admitteretur, singulorum dextra manu non levata, ut hodie fit, sed supra capsula, cui reliquiarum aliquid inesset imposita, ita tamen ut ejus, cujus causa vertebatur, suprema manus esset, & reliquas prehenderet, qui & solus concepta sacramenti verba proferebat, *Sic me Deus adjuvet, & illæ reliquiæ, ad quas manus illas comprehensas habeo.* Hinc Thassilonem Bajoariorum Ducem Pipino & filiis ejus obedientiam & fidem manu primum super Dionysij, deinde super Martini, tertio super S. Germani corpus cum primoribus suis imposita jurasse apud Vrspergensem legimus. Vtitur autem præfata lex verbo *evindicare*, pro eo quod *evincere* Romani dicunt, quod emphasin quandam habet. Plus enim est, quã vincere. Nec enim superare tantum est judicio vindicationis, sed etiam rem vel possessionem abducere, Hinc *vindiciæ* pro possessione in legibus antiquis Duodecim tabul. & apud T. Livium.

TRANSACTIONVM CONVENTIONVMQVE CHARTAS PACATIONVM VOCABANT, QVARVM

unam tempore Caroli Calvi æditam descripsimus, quæ sic habebat:

NOtum sit omnibus, videlicet præsentibus & futuris, quod ego Salomon Iunior, Costantiensis sedis Episcopus, & Hartmutus cœnobij S. Galli Abba, una cum convenientia & consilio utroque loco fratrum cæterorumque fidelium nostrorum omnem malitiosæ artis litem atque dissentionis contentionem de subscripta re ipsis in locis in futurum præcavendum statuimus inter nos, ut venerabili Abbati & fratribus prædicti monasterij decimam in subnotatis locis (sicut illius temporis in illorum erant vestitura) concederemus, hoc est in Mechingen simul cum Salica terra & hobis, quæ Canonicis pertinebant, & in Hemihofuncum Salica terra & hobis, & in Goldahun cum Salica terra simul cum illa hoba quæ illi adjacet, tcujus decima tunc in mea vestitura erat, quod & ita feci, ea scilicet ratione, ut mihi contra donarent quicquid in Lienzeuuilare habuissent, & in villa Buoch hobam unam, & in Syrnaha curtilem unam simul cum adjacente prato, & quicquid habuissent in sylvicula quæ dicitur Tegernmos inter Syrnaha & Gloten, quod & ita fecere, & ut firmior & credibilior omnibus in futurum maneret, placuit inter nos chartam pacationis ex utraque parte allevari, quod Tuitisce Suonbuoch nominamus, cum manibus Advocatorum nostrorum Isamberti & Lantolfi, successores nostros ammonendo ut absque ullius inquietudinis scrupulo inconvulsa & stabilis omni tempore in ævum permaneat. Sig. Salomonis Episcopi & Hartmuti Abbatis qui hanc chartam pacationis fieri decreverunt. sig. fratrum Monachorum, Perenhart, Rimeding, Iob, Erfolt, Signa fratrum canonicorum, Henno, Etcho, Tugeman, Hartprecht. signa cæterum testium, Hartpert. Engilbold. Sano, Vntto, VVetti, Starcafrid, Ruobbert, Thietbold, Ruohtpert, VVerdo, Herebrant, Otto, VVolfram, Miloh, Hugoz. Actum in villa Romanishorn Anno regnante Imp. Carolo II. sub Comite Adalberto, mens. Iun. die Veneris, indictione XV.

Ego Etcho indignus Archipresbyter jussus scripsi.

TRes *Salomones* Episcopos non magno temporis intervallo sedes Cõstantiensis habuit: primum sub Ludovico Pio honoratum virum, secundum Iuniorem cognominatum sub Ludovico Iuniore & fratre ejus Carolo Calvo, cujus hæc charta meminit, quo cum monachi Sangallenses gravissimam discordiam exercuere, non ea modo causa, quod exigere quædam præfractius à nostris videretur, sed illa quoque, quod vel illa ætate (uti diximus) cœnobiis opulentioribus invisum erat factum Episcoporum nomen, & odio, ut sic dicam Vatiniano dissentiebant Episcopi & Abbates: Tertium, qui simul & Episcopus Constant. & Abbas S. Galli & Augiæ Majoris fuit, minime malum Præsulem, à quo parochia altera oppidi nostri ad D. Magnum Arnulpho Imp. consentiente fundata est. Regum enim & Imp. ut alibi quoque diximus, non Pontificum consensu illis sæculis Francia & Alemannia Ecclesias instituebat, neque aliorum quàm Regum jus illud investituræ, quod vocant, erat. Vnde & in hac charta *vestitura* intelligitur jus possessionis concedendæ, quod Episcopi Abbatesve à Principe accepissent, nisi videri queat *vestituram* hic dici, quæ vulgo Lehen dicitur. *Salica* autem *terra* dicebatur, cujus hæreditatem soli mares adibant, nulla prorsus parte ejus ad fœmellas attinente, veluti lege Salica cautum erat. Et hodie extat lex sub titulo, *de Alode*, qua voce quid significatum videatur, à Rhenano est explicatum. *Tuitisce* dixit quod vulgo Theutonicè: nam & *Theodiscam linguam* illi dicebant, hoc est Germanicam, die Teutsche Sprach. Alemannis *Suuonen* erat pacificare, reconciliare, transigere. Vnde *Suuonbuoch*, charta id genus conventiones complexa. Extant adhuc villæ illæ Durgovicæ & vicus *Romanshorn* vulgo dictus non incelebris occiduo in littore lacus Brigantini medio in tractu inter Constantiam & S. Gallum.

SED ET ABBATISSÆ OMNE GENVS CHARTAS EDEBANT, QVARVM VNAM PRECARIAM VIDImus satis longam hoc initio.

CHristi igitur favente clementia, Ego Irmindrud & Berechtrud venerabiles Abbatissæ filiæ Vodalrici Comitis & Perechteidæ una cum consensu amicorum nostrorum & cum manu Advocati nostri Iuoni, complacuit nobis ut res quas nobis Engilbiric. tradidit ei iterum per hanc chartam precariam præstaremus. In fine autem sic. *Actum in loco qui dicitur Ahadorf in ipsa Ecclesia S. Alexandri Martyris publice præsentibus istis,* &c. in ima autem parte sic:

Ego itaque Notpertus indignus Presbyter scripsi & subscripsi. notavi diem Sabbathi III. *Kalend. August. luna* XXIIII. *Anno* V. *Caroli Imp.*

Comite vero Adalberto.

I VNde conjicimus, Durgavicas fuisse, fortassis ejus cœnobij, quod proxime Vitodurum ad Tosam amnem situm est. Alterum enim, quod supra vicum Ahadorf ad Akam amnem cernimus, non ita vetustum est, ut ejus Abbatissas intelligere queamus. Habet enim pagus Durgouuicus cœnobia puellaria multa tùm vetusta, tum etiam opulenta. Supra autem diximus, in *Ahadorf*, præposituram quondam extitisse, quæ postea in locum Durgavorum, quem *Vilam* nominant, translata videtur, suppresso quidem præposituræ nomine & instituto vicario, qui ab Abbate Sangallensi reditibus contrahendis aliisque id genus negotiis administrandis præficitur. *VVila* sanè villa fuit, dein vicus, demũ castrum Comitum Toggenburgiorum, qui & ipsi Francicæ originis fuere, postremo cœnobio S. Galli pietatis ergo magna ex parte donatum est sub Abbate Chunrado à Bussnang, anno Domini MCCXXVI.

Supra à nobis dictum est de fraternitate monastica & consortio illo operum, in quod non domestici modo & indigenæ, sed exteri etiam & peregrini homines recepti sunt tanta accessione capitum, ut fœminæ etiam sororum in numero censerentur, præterea & Reges & Nobiles fucata illa communione freti *fratres conscripti* vocarentur, quod Chronica nostratia palam testantur. Proinde exemplum unum & alterum ex monasterij Sangallensis Annalibus descriptum huc adposuimus, quo & hujus generis chartarum Lectori copiam faceremus. Dignæ enim sunt, quæ expendantur. Ac primum quidem peregrinam, mox domesticam referemus.

Anno ab incarnatione Domini DCCCCXXIX. *indictione* II. *Kenouuald venerabilis Episcopus profectus ab Anglis, omnibus monasteriis per totam Germaniam cum oblatione de argento non modica & in id ipsum à Rege Anglorum eadem sibi tradita visitans Eidibus Octobris venit ad monasterium S. Galli; qui gratissime à fratribus susceptus & ejusdem patroni nostri*

nostri festivitatem cum illis celebrando quatuor ibidem dies commoratus est. Secundo autem post quam monasterium ingressus est, hoc est in ipso depositionis S. Galli die basilicam intravit, & pecuniam secum copiosam attulit, de qua partem altario imposuit, partem etiam utilitati fratrum donavit. Posthac eo in conventum nostrum introducto omnis congregatio concessit ei annonam unius fratris, & eandem orationem, quam pro quolibet de nostris sive vivente sive vita decedente facere solemus, pro illo facturum perpetualiter promisit. Hæc sunt autem nomina, quæ conscribi jussit, vel oravit, Rex Anglorum Adalastran, Kenouuald Episcopus, VVighart, Kenun, Cuonrat, Kronolaf, Vundich, Keondrud.

Ex annorum supputatione clarum fit, Kenouualdum illum Hainricho Primo regnante Sangallum venisse, impetratum scilicet, *annonam*, quam vulgo hodie *præbendam* vocant, & precum communionem, quæ qualis fuerit hoc ipso docetur, quod non nisi paciscentibus, aut liberaliter offerentibus concessa est. Nemo vero miretur Germanicorum nominum apud Anglos usum, quem hæc Annalis commonstrat. Ipsi enim Angli Germani fuere, à littore Germanico in ipsam Britanniam translati circiter Valentiniani imperium: quo tempore & Saxones Britanniam insulam invasisse notius est, quàm ut indicari multis debeat.

ALIVD EXEMPLVM.

A*Nno incarnationis* DCCCCL. *Comes Saxonicus Marchio contra Sclavos vir religiosus, Kero nomine, à liminibus Principum Apostolorum reversus monasterium S. Galli orationis causa visitavit. Qui cum à fratribus benigne & hospitaliter fuisset susceptus, spirituali, ut creditur, admonitus instinctu, studium sanctæ conversationis sibi corde tenus placere professus est, cepitque humiliter & luctuosissime à patre monasterij flagitare, ut in consortium fraternitatis mereretur admitti. Libras quoque argenti octo loco sancto devote & fideliter obtulit: & si quo pacto vel apud Regem, vel apud quemlibet Procerum proprietatem sive possessionem quamlibet infrà terminos Alemanniæ consequi potuisset, monasterio sine dubio collaturum esse promisit, & in omnibus cœnobij necessitatibus sive negotiis juxta scientiam facultatemque suam tam in palatio, quam in privato infatigabiliter adstiturum. Cujus precibus Abbas cum congregatione annuens omnem consuetudinariam fratrum constitutionem sive in orationibus seu vestitu & vestualibus tam viventi quam defuncto ex integro condonavit, ut hoc nulla posset oblivione deleri vel negligentia intermitti per annos singulos* X. *Kalend. Apriles (quomodo hæc & expetiit & obtinuit) commemorationem ejus inter sacras missarum hostias sancitum est fieri, hanc denique pactionem in regula monasterij inscriptione firmari.*

EX anno incarnationis Christi, cujus hic mentio fit, colligimus Abbatem Cralonem ad hunc modum cum Kerone Marchione pactum fuisse, quo anno Ottho primus etiam dum Rex ingenti cum exercitu Italiam ingressus tractum illum circum Padanum, quem veteres togatæ Galliæ tribuerunt, subjugavit, quartodecimo demum anno Romæ à Ioanne Pontifice una cum filio Otthone coronatus. Potuit igitur Kero, soluto Otthonis exercitu, Romam proficisci, atque inde reversus Rheticis jugis superatis Sangallum divertere. Mirum autem in illis sæculis factitiam illam monasticorum operum communionem tanto in pretio habitam fuisse, ut haud temere ullis nisi eximie donantibus, aut alioquin grandia pollicentibus paciscentibusve concederetur, & nostros (Francos dico & Alemannos) sic involvi errore potuisse, ut labes & sordes, humanam puto justitiam, auro, argento, agris, mancipiis comparare & suam facere maluerint, quàm justitiam Christi, & illam vere Ecclesiasticam bonorum omnium κοινωνίαν, quam in Symbolo profitemur, vestigare & prehendere, quæ profecto nec auro nec pretio ullo venit, sed emptore rejecto gratis datur, nec ab ullo prehenditur, nisi gratis eam sibi offerri exhiberique sciat & intelligat, damnatis interim & anathemate percussis, qui suam justitiam tam operosam divinæ justitiæ, quæ fide est, si non præferunt saltem æquant, vel divina gratis accepta ad quæstum & nundinationem abutuntur, negotiantes in templo Domini, & oves Christi religionis prætextu deglubentes. Monachi enim horum sæculorum non solum sua in opera invitabant omne genus mortales, redemtilia videlicet ad vitam & satisfactionem, sed opus etiam eleemosynæ in se collatum ita extollebant, ut haud temere ulla in parte rectius locatum videri deberet. Solam enim & maximam eleemosynam jactabant, qua collegiis monasteriisque subventum fuisset. Quod ipsum veteres chartæ fusissime testantur, quarum unius exordium modo (ne fastidio Lectori essemus) adscribere libuit, quod sic habet:

Dum fragilitas humani generis pertimescit ultimum vitæ tempus subitanea transpositione venturum, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de sæculo, nisi dum in sua potestate consistit, præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam salutem valent pervenire. Igitur ego Reginsind tractans pro Dei timore, vel remedio animæ meæ, & animæ filij mei Perchtoldi, &c. Scripta vero fuit charta *Anno* II. *imperij Caroli*, *Regni* autem XXXV. *sub Erloino Comite.* Vnde satis constare puto, qualem opinionem Monachi animis hominum infuderint. Excusationem tamen mereri Principes Francos, supra est dictum, qui certo destinatoque animo religionem Christianam suis illis conatibus & expensis non aucturi solum, sed culturi etiam erant: aliam autem, quam excolerent, quamque auctiorem facerent, non habebant, quàm quæ ipsis ad fidem nuperrime conversis fatali illa temporum calamitate fuerat oblata. Adhæc non parvam utilitatem consecuti sunt in disciplina & doctrina monasteriorum veterum, quæ exilis & modica, licet multis in cœnobiis fuerit ac vix digna æstimatione, si veterum, hoc est earum, quæ ante Gregorium floruerunt, Ecclesiarum cum doctrinam & eruditionem, tum etiam fidem & pietatem contempleris: tanta tamen & talis fuit in gente illa inculta & barbara, nec ita pridem ad religionem adducta, ut hæc ipsa sine illa parum constatura videretur. Quare & Nobiles & privati homines ingenti illa errorum, ut sic dicam, inundatione velut torrente quodam abrepti, quàm optime locatas putabant opes suas, si eos in cœtus illos monasticos, fucatam videlicet operum & ceremoniarum observantiam, contulissent. Arbitrabantur enim homines Franci & Alemanni, candidi quidem, sed barbari, & nuper ad Christi fidem conversi, justitiam vitæ assequi se opere horum tam liberali, neque non ut minus pauperibus largiebantur, qui tamen nec egeni, nec ærumnosi aut miserabiles erant, sed ultro & sponte pauperes, quorumque majores homines minime mali divitias ut noxias, & adversas religioni jamdudum exploserant, non ignari, quantopere Dominus studium divitiarum in Pharisæis damnarit, & quem in finem erumpere soleat immodica rerum cupiditas de qua infra differemus. Nunc ad *Keronem* veniendum *Marchionem contra Sclavos*, qui haud dubie extimum limitem regni Francorum tenuit. Franci enim Romanos imitati extremis devictarum gentium finibus illustres, & rei militaris peritos viros imponebant, ad coercendas videlicet finitimorum incursiones, qui deinde à *Marca*, hoc est limite, *Marchiones* vocati, vulgo, quos & *Margrafios* vocamus. *Sclavi* autem ab ortu & meridie Saxones attingebant: ab ortu quidem *Poloni*, & conjunctim à quibusdam *Sclavo-Poloni* postea dicti: à meridie autem *Boihemi.* Vt constare inde possit Keronem familiæ Marchionum Brandenburgensium fuisse, qui ab ortu Solis Polonos, à meridie Boihemos finitimos habent, Scythicæ originis populos, quorum pars & illi fuere, qui Danubium transgressi justa Illyrici parte occupata, soli hodie nomen retinent Quanquam autem ad institutum non attineat: tamen non indignum est memoratu, Poloniam & Bohemiam hoc Christianismo debere, quod cum ante Ducibus paruissent, stipendiariæ scilicet Germaniæ Imperatoribus, postea Reges acceperint. Primum enim Regem Poloni accepere Hainricho Quinto imperante, circiter annum Salutis MLXXVII. Bohemi autem à Friderico Primo, qui Ænobarbus cognominatus est. Contra Regna fuisse constat, quæ hodie non nisi Duces habent, ut amplissimum quondam Burgundionum regnum, præterea & Italorum Togatæ Galliæ, quod Gotthi, Longobardi & Franci, & ex Italia oriundi Berengarij multis sæculis administrarunt hodie in Ducatus distractum est. Sed & Germaniæ regiones aliquot Duces habent & Margrafios, quæ quondam vetere historia testante Reges habuere, nisi iidem olim dicti sint *Reges*, qui hodie Principes aut Duces, quod sanè quàm & proximè ad veritatem alludere videtur.

SEQVITVR EXEMPLVM FVNDATIONIS PAROCHIÆ SVB HAINRICHO QVARTO: QVOD QVIdem apponere libuit, ne non & hujus generis formulam veterem Lectori exhiberemus.

QVoniam ex varietate rerum mortalium & temporum continuata prolixitate & humani generis debilitate memoria rerum gestarum oblivionis irreptione extruditur, ideo prudens industria hominum id quod posteritati voluit esse certum, sæpissime reliquit successoribus suis testamentis confirmatum. In nomine ergo sanctæ & individuæ Trinitatis notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod ego Notportus monachorum S. Galli Ecclesiæ Abbas in novali loco, qui Abbacella nuncupatur, in convalle circumpositorum montium sito basilicam ad servitutem Dei condidi, quam & ædificatam à Thietmaro Curiensi Episcopo cum licentia & rogatu Rumaldi Constantiensis Ecclesiæ Præsulis per legitimam consecrationem loci illius incolis ad oratorium

torium stabilivi, denique hanc eandem Ecclesiam præbenda pueri unius de claustro nostro & una VVatspenda & beneficio unius Mansus & omni post subscripta decimationis determinatione dotavi, à monte Hersberck, ab alpe Solim, à Maggelisalpa, à Berental, à Portarisapla, à Chranperch, à rivulo Buchenbach, ab ostio fluvioli Rota usque dum fluit in Sitterum usque ad originem, ita ut proclivitas circumpositorum montium ad eandem Cellam secundum liquentiam nivis imminet apertissime determinavi. Hanc etiam dotationem sacerdoti ibidem Deo servienti banno Rumaldi Constantiensis Episcopi consensu fratrum nostrorum perpetuo jure stabilivi. Facta sunt hæc anno ab incarnatione Domini MLXI. *inditione nona, regnante Rege nostro Hainrico Romanorum Imper. anno quarto. Signa testium, VVittone Advocato, Oprecht, Azzo, Tietprecht, Vodalrich, Liebo, Regonolt, Eppo, Heilman, VVolfracht, & cæteri complures.*

NOrpertus hic vicesimus quintus fuit inter Abbates monasterij Sangalli, qui primus omnium, quod quidem observare potuerim, Anniversarium suum ita instituit, ut privatim de suo legaret, quod illius peragendæ expensis sufficeret. Morem enim illum jam tum in orbem invexerant dogmata magistrorum quorundam, qui merito & intercessioni monasticæ nihil non tribuerunt. Porro *Novalem locum* vocat nuper excultum & habitare cœptum. Ager enim, qui hodie *Abtzellanæ* ditionis est, universus paucis retroactis sæculis monasterij S. Galli fuit, paulo incultior tum quàm est hodie, sed & servitute obstrictis colonis ejus, qui tum omnes monastici dicebantur. vulgo Bergleut / *Immontani* interim vocati. Verum servilia incommoda primum quidem armati detrectarunt, haud leviter afflictis monasterij rebus: deinde ab ijsdem pactionum transactionumque interventu magna ex parte liberati sunt circiter annum Domini CCCCIII. ex quo tempore primum unum in nomen Abtzellanorum coaluere populi aliquot finitimi, qui antea & foro & judicio erant discreti, coloni tamen monastici & Abbatis imperij omnes. Anno postea Domini MCCCCLII. Pagus Helveticus facti. Puto autem *basilicam* vocati in hac charta, quam nos vulgo *Ecclesiam*, veteres & *ædem sacram*, & *oratorium*, item *sacrarium* & *ædiculam* etiam nominarunt. Ambrosius *basilicas* vocat domus Christianorum publicis conventibus consecratas, in quibus sacræ lectiones & tractatus, præterea & orationes, & missa, hoc est, cœna Dominica, peragitur: id quod abunde ex libro Epistolarum ejus quinto colligitur. Veteres publicis usibus destinatas ædes *basilicas* dicebant, in quibus judicia exercebantur, quæ hodieque in plusculis Italiæ urbibus nomine licet mutato durant. Verosimile autem primos Christianos id genus palatijs Principum favore uti cœpisse, atque inde exstructis templis ad cultum Christianum consecratis nomen basilicarum relictum esse. Sed & illud observandum, in hac charta ne verbo quidem fieri Romanæ potestatis mentionem, sed Episcopos tantum memorari, ut quorum tunc temporis integra fuerit suarum diœceseon administratio, quæ primum quidem Hainricho Quinto oppresso, post vindicatum investituræ dominium Romanæ ditioni patuerunt. Anni igitur CCCCLXXVII. sunt, ex quo Abtzellana Ecclesia constituta est, quæ vetustate tamen omnes alias ejus pagi vincit, una Herisova excepta, quam satis constat sub Carolis & Ludouuichis Francorum Regibus celebrem fuisse, duobus sæculis antequam Abtzella conderetur. *Casa* autem, vulgo Uff Gass / etiam antiqua est ad vallem Rheni pertinens, à qua parte & provincialia & Gallica vetera quædam nomina etiamnum durant. Recentissimæ sunt Trogensis & Tufensis, & qua Gruoba cognominatur, intra sæculi spatium jure videlicet separationis (ut vocant) constitutæ, quum antea priores duæ ad Parochiam urbis nostræ, quæ ad D. Laurentium est, attinerent, tertia autem Rorschahensem, ut matrem agnosceret. Inveni autem & Hunduuilanam ad ædem S. Leonardi in nostro suburbio pertinuisse. Ante Abtzellanam nulla prorsus immontana in illis partibus Ecclesia extitit, sed ad eam, quæ Sangalli est, aliasque præterea quæ in valle Rheni, & juxta lacum Brigantinum jacent ab immontanis populis concursum est, statis quidem diebus, ut olim in Alemannia tota, nec nisi ad publicas missas, quæ festis diebus peragebantur. Privatas enim diu ignorarunt Parochiæ, neque tantum emolumenti ex anniversariis fuit, quantum est hodie, vel ipso Nortperto testante, qui profecto novam illam Ecclesiam tam liberaliter non donasset, si quæstus ille tantopere postea auctus eum, quem hodie cernimus per Ecclesias, locum habuisset. Verum hic de suo attulit Ecclesiæ ad Dei servitutem (ut ipse ait) conditæ, quod quidem licet testibus adductis & signato diplomate perpetuo jure in illius possessione & manu esse voluit, non banno modo Episcopi, sed fratrum etiam consensu confirmatum: tamen Nortperti posteri detrahere illud jam dictæ Ecclesiæ ausi, quod ille perpetui juris titulo donarat, hi rursum incorporatione interveniente sui juris fecerunt, rescissis semel, quæ ab illo tam sancte erant constituta. Vnde singulis postea annis multam pecuniam decimarum nomine à monachis est exactum, donec

Dethelmi Abbatis consensu factum est : ut quod majores sui Ecclesiæ illi abstraxerant , Abtzellani denuo redimerent , quod sane non mediocri pecunia est factum , *VVatspendæ* vox barbara vestium donationem significabat , quas hodieque certo tempore suis Abbates & Episcopi tribuunt. *VVatt* Germani vestitum vocant , & *VVatman* dictus vulgo , qui pannos vendit. *Spendæ* autem vox apud nos etiamnum durat , qua annonam certo die certoque dimensu pauperibus distribuendam significamus Quod autem *liquentiæ nivis* charta meminit , de vulgari itidem & veteri sermone Alamannico detractum est. Antiquæ enim tabulæ Germanicæ annis plus ducentis ante nos scriptæ hæc ferme verba habent , **von obnende der Bergen / als der Schnee schmilzet** / ut & Notpertus decimas ad ea usque montium juga extenderit , à quibus introrsum nives colliquatæ diffluerent. Certè Alpium & fluviorum & montium nomina , quorum hic mentio fit , in pago Abtzellano etiamnum illæsa perdurant. Illud obiter hic memorandum , legi passim donationum chartas , quæ sub Hainricis , Chunradis , Otthonibus usque in Hainrichum Quartum , & amplius æditæ sunt , testium nominibus fere Alemannicis & Francicis , quæ quidem primum sub excessum Hainrici Quinti nova illa temporum facies mutare cœpit , cum Pontifices exorto ab Imperatoribus investiendi jure sanctionibus suis jam in Germania ac mox paulo regnare cœperunt , illato simul & Hebræorum , & Græcorum , & Latinorum nominum usu & veterum chartharum formula rejecta , & Anniversariorum fundationibus (ut vocabant) novis chartis vitiata. Post Gregorium enim Septimum suspectissimæ vitæ Pontificem , Doctores emersere Scholastici , qui Gregorij umbras & visiones admirati, insuper & novas quasdam commenti Purgatorij opinionem orbi immodicè commendarunt. Vnde nostris anniversariorum , oblationum , satisfactionumque negotiatio commendata est , quam paulo post & indulgentiæ secutæ sunt : Primum quidem Episcoporum privatæ nec nisi præscripto modo & tempore, demum & Pontificum generales & vivis & mortuis attributæ , quæ multis sæculis Ecclesias Occidentis ingenti cum religionis ruina quæstuosissima nundinatione expilarunt. Atque hactenus quidem de Collegiorum & Monasteriorum statu diximus. Superest , ut de disciplinæ casu & temporum inclinatione,(quamvis id magna ex parte in operis transcursu à nobis factum sit) pauca quædam subjiciamus

Constanter autem produnt mediæ ætatis Chronica nostratia circiter excessum Imperatoris Hainrici Tertij , saturata jam quadamtenus avaritia , cleri ambitionem longè maxime incruduisse , nec defuisse hisce temporibus Episcopos & Abbates , qui opibus suis , præterea & Principum indulgentia animati jam dum de regnis dominijsque instituendis cogitare cœperunt , annis à morte Caroli plus minus ducentis quinquaginta. Post Arnulphum enim & filium ejus Ludovicum ita largæ factæ erant Principum donationes , ut oppida etiam & vici Episcopis concederentur , & Ducatus etiam permitterentur Episcopis. Nam & multis annis Francorum Ducatum , quos Orientales hodie vocant VVirtzburgenses Episcopi tenuerunt , unde & Ducem Franciæ se nominat Antistes ille , sicut Episcopus Alsatiæ Landtgrafium. Siquidem & in aulis Regum magno honore dignabantur , & plausibilem illum morem prædicandi Evangelij adeo non posuerunt , quin vel Archiepiscopis moris fuerit statis diebus suggestum conscendere , & Domini sermonem Ecclesiis annuntiare. Et tempore , ut tradit Lambertus, monachorum nomen vehementer infamatum est , ad quæstum videlicet & ambitionem conversis cœnobijs , quum monachi tamen vel hac maxime de causa orbi sese commendassent , quod nomine & habitu ,sed voto etiam & professione sæculi curis sese & juramento quidem intercedente subtraxissent. Proinde, ut idem author scribit, miratus est mundus, unde tantus pecuniarum scateret fluvius , unde Tantali & Crœsi opes in privatos homines congestæ fuissent, in eos(inquam)homines,qui crucis scandalum & paupertatis titulum ostentarent , neque aliud præter victum & vestitum quærere se & optare simulassent. Vt profectò ex Deo esse deprehendamus, quod ab Apostolo dictum est, *Avaritiam* scilicet,*radicem omniũ malorum esse*:& vere dici queat de disciplina Ecclesiastica opibus vitiata & corrupta,quod est à Satyrico Poeta de Romana parsimonia dictum:

Prima peregrinas obscena pecunia merces
Intulit,& turpi fregerunt & sæcula luxu
Divitiæ molles,&c. ———

Solis enim divitijs omnem morum & religionis vitiatæ corruptelam acceptam referimus. Proinde luxatæ jam & fatescenti veterum cœnobiorum disciplinæ novi (quos vocant) ordines succeßere. Eodem enim Hainricho imperante sub Victore Tertio *Carthusienses* Brunone quodam authore prodierunt , ærumnosum & inutile hominum

genus, & ut equidem ſentio, nigra bile gravatum. Mox & *Ciſtertienſes* ſub Vrbano ſecundo ab Ardingo quodam Anglo congregati, ac deinde *Præmonſtratenſes* Notperto Lotharingo authore, & *Chamaldulenſes*, quos Rominaldus Ravennas inſtituiſſe fertur, poſtremo *Vallis Vmbroſæ* fratres à Florentino quodam Guilberto, Gregorio VII. Pont. qui & ipſe monachus fuerat probante, informati, ita Regulam Benedicti arctiore quodam & reconcinnato vitæ genere ſunt profeſſi, ut priſtinæ diſciplinæ normam licet aliis atque aliis ritibus diviſam fidenti quadam oſtentatione ſibi arrogarint, homines nimirum & ſuis & humanis decretis nixi, atque id quidem annis minimum centum quadraginta ante exortam *Mendicantium* religionem, quæ Friderico Ænobarbi nepote imperante primùm omnium ab Honorio Tertio Pontifice, ut alibi quoque diximus, probata & confirmata eſt, annis abhinc plus minus trecentis octuaginta. In tantum enim horum, quorum ante meminimus, mores magna parte refrixerunt, ut aliis prorſus opus eſſe videretur, qui vitam ſcilicet Chriſtianam de proximo inſtaurarent & exprimerent. Ita enim de monachiſmi juſtitia ſibi vulgus Chriſtianorum pollicebatur. Vnde factum, ut rarus eſſet titulus obſervantiæ monaſticæ, nec niſi paucis cœnobiis tribueretur, quæ ſpecimen quoddam veteris diſciplinæ exhibebant: quemadmodum hodie *Franciſcani de obſervantia* à Bernardino reformati cognominantur. Vnde intelligas, *Minores fratres* ſuam regulam non obſervare, atque inde *fratres Minimi* prognati videantur, qui non ita multis annis durant, adeo humiles, ut nec abjectius illis nec inferius quiddam eſſe amplius queat. Iactatam enim illam & humanis regulis ſuffultam in perfectionem nunquam diu præſtitere & hypocriſin prodiderunt ſtudia, quibus hoc unum ſemper quæſitum eſt, ut in otio, quiete, & ſaturitate viveretur. Adhæc & Principum favor tentatus & impetrata diplomata haud aliud ſpectantia, quàm ut extra telorum jactum eſſent, nulloque turbante pacto frui, & ad cumulum adjicere liceret. Opum enim parandarum viam jam & modum didicerant, qua vel una cauſa primum omnium vetuſtis monaſteriis ad opes & ſæculum converſis ordines illi; quorum meminimus, ſubinde alij ex aliis enati & probati fuerunt, nec id quidem ſine grandi melioris diſciplinæ pollicitatione & ſpe, quam & ipſam tamen utcunque non ſemel nec uno in loco reformatam eædem peſtes adortæ ſunt, quæ priora ſe & antiquiora cœnobia ſubverterunt. In tantum autem jam inde ab initiis cura omnis divitiarum in monachis ex profeſſo eſt damnata, ut qui poſtremi extiterunt ordines, tanquam in contumeliam priorum cœnobiorum pauperes ſe & medicantes cognominari voluerint: ut inde ſatis liquere poſſit, quibus è fontibus varietas illa monachiſmi tot ſpeciebus & formis diſtracta emanaverit. Quod ſi Regum & Præſulum curâ ea ſeveritas diſciplinæ retinendæ poſtremis in ſæculis duraſſet, quàm priora ſæcula cœnobiis Benedictinis ſuo in ordine conſervandis coercendiſque adhibuerunt, fortaſſe non niſi Benedictinos monachos, quorum plus ſatis juſtus numerus erat, hodie haberemus, nec condictitios mercenariósve, aut meritorios, immo ne Magnates quidem, ſed tales, quales primos illos fuiſſe ſupra à nobis memoratum eſt, ferremus. Quod ſi qui ſunt, qui examina illa cœnobiorum aliis cauſſis, unde enata ſint, adſcribant, nihil refragamur; ſiquidem minimè nos lateat, quid operum nobis & meriti perſuaſio in orbem intulerit: ſed monemus interim, meminiſſe velint, vel iis ipſis de cauſſis inſtituta cœnobia recentiora tantum à doctrinæ puritate defeciſſe, quantum vetuſtiora ſuis conſiliis relicta, jam olim à majorum ſuorum continentia & parſimonia defecêre. In totum autem cauſſam omnem corruptæ diſciplinæ video à Chronographis ſedi Romanæ tribui, quæ præterquam quod paucorum exiſtimationi nomen religionis conceſſit, & hominum doctrinas inæſtimabili ſumptuum onere Eccleſiis impoſito ratas habuit. Quanquam illa parte longè magis nocuit, qua ab annis Gregorij Sexti adeo ambitioni & avaritiæ ceſſit, ut nihil Romæ non venale factum ſit, & ſedes illa vetus tot virtutum præconiis laudata, à multis non Apoſtolica, ſed plane Apoſtatica & Simoniaca diceretur, & verum eſſe demum conſtaret, quod Hieronymus ſupra Oſeam ſcribens, obſervaſſe ſe ex temporum decurſu tradit, quod non niſi Sacerdotes Eccleſias ſcandalis ſuis ſciderint. Apex ipſe Pontificalis non jam virtuti & merito; ſed muneribus largitionibusque patebat, Clerusque & populus, penes quos vetus illud jus electionis manebat, ſtudiis artibuſque corruptus & diſtractus in partes, non judicio, ſed favore agebat à tanto nonnunquam furore exagitati, ut & cede & ſanguine multorum Pontifices legerentur, & Hainricus Tertius factionum ſtudiorumque immanitate commotus quinque ordine Epiſcopos natione Germanos illi ſedi præfecerit, hoc modo factionibus occurſurum arbitratus, qui tantum tamen non profecit, quin ſuo etiam favore electi miris modis fuerint vexati. Atque hæc quidem ambitionis erat materia, quum interim terris regniſque occupandis avaritia ſtuderet: quæ ipſa dum donationum, & patrimonij titulis nihil

non

non vindicare Romanæ Ecclesiæ nititur, neque æquo illud ipsum animo ferre Principes Romani possent, in harenam illam plusquàm gladiatoriam descensum est, quæ Episcopos illos adversum Imperatores & Reges longe gravissimo Ecclesiasticæ disciplinæ casu, præterea & ruina Ecclesiarum Orientis mutuis odiis dissidiisque enatis miserrimo spectaculo commisit. Certum est enim ex eo tempore, quo Romani Episcopi ambitione superati, ministerij humilitate rejecta, ad regna dominiaque aspirare cœperunt, nunquam postea quicquam pacis aut quietis habuisse cum Imperatoribus vel Orientis, propter monarchiæ studium, cum subijci sibi Græcas Ecclesias flagitabant, vel Occidentis propter Italiæ urbes & jura ab illis petita invasaque, quæ paulo ante ditionis Cæsarum & Imperatorum fuissent: Accessit malis bellum istud, quod Vrbano Secundo suasore pro Syriæ & Palestinæ defensione tempore Hainrici Quarti adversum Saracenos à totius Occidentis Principibus susceptum est. Quod quidem quale fuert, non est meum decernere, quum exitus ipse docuerit, nec piè admodum cœptum, nec prudenter gestum fuisse, etiamsi summis per initia atque etiam sanctis viris, inter quos & Bernhardus fuit, plus satis arriserit, nulla arbitror magis causa, quàm quod dignus videretur locus ille, in quo redemptionis nostræ mysteria consummata fuissent. Illud constat, publica Christiani nominis ignominia desiisse, cum jam ab Vrbano Secundo usque ad excessum Nicolai Quarti & regnum Rudolphi Avindspurgensis, hoc est, annis ferme ducentis, gestum esset, centenis amplius millibus nostratium desideratis, ut interim innumeram Nobilitatem tum regnorum aliorum Europæ, cum præcipue Germaniæ, quæ peste, fame, ferroque non ab hostibus modo, sed à nostris etiam, hoc est, Christianis hominibus, per Italiam, Pannoniam, & Græciam extincta & confecta est, non censeamus. Post bellum enim inceptum, cum adversis rebus nostri premerentur, nec satis Ducum consiliis succederet, & exercitus partim cædibus, partim morbo attereretur, id juris & authoritatis sibi Pontifices tribuebant, ut & crucis prædicatione cum indulgentiis eo tempore natis, omnia peccata condonantibus populum & anathematis etiam intentione Principes ipsos & Imperatores urgerent, quò sese ad terræ sanctæ & patrimonij Christi defensionem accingerent. Observatumque in eo negotio, hoc infensius quosdam illorum invidia velut ad lanienam petitos, quo vehementius suspecti illis & exosi fuissent. Ea causa factum putant, ut & Fridericum Primum, clarissimum Principem, secundò jam in Syriam euntem amiserimus: Chunradum autem Imperatorem ejus nominis Tertium, & Fridericum Secundum ægrè receperimus: ut domestica interim damna, quæ absentibus Imperatoribus illata sunt, taceamus. Notata vero est à fide dignis scriptoribus Gregorij Noni perfidia, qui Friderico Secundo magnanimo Imperatori cruce signato, & in Syriam profecto, Apuliæ regnum magno exercitu conscripto, suam in potestatem redigere est conatus. Quod ut facilius assequeretur, rumorem per Apuliam de Friderici morte finxisse & sparsisse dicitur. Vnde Apuli commoti adeo consternati sunt, ut urbes multæ, quæ antea summa in fide Imperatorum manserant, repente ad Pontificem defecerint. Germanosque è Syria remeantes vario mortis genere trucidarent, ut merito exclamarit Abbas Vrspergensis in Chronico suo: *Quis talia facta rectè considerans non deploret & detestetur, quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium ruentis Ecclesiæ*; Et ut constaret, eo bello rem suam agere Pontifices quosdam, & ipso tanquam exilio quodam in eos, quos odissent, abuti, Gregorius ille Nonus (ut idem Abbas scribit) literis de decennali pace inter Christianos Syriæ & Saracenos per Fridericum Secundum pacta & confirmata acceptis & perlectis, adeo indignatus est, ut diploma ipsum imperatorium miro cum supercilio abjecerit, & respuerit. Porro quum Orbis prope totus anathematum Pontificiorum religione teneretur, juramenta quæcunque excommunicatis Principibus facta remitterentur, cum interdicto, ne quis tueri aut recipere adesseve ulla consuetudine aut familiaritate illi velit, qui anathemate percussus esset: postremo excitatis laudatisque qui sic excommunicatis aut devotis potius damno esse pergerent, ita plerumque clarissimi Imperatores dubium quàm justa causa maximis periculis involuti sunt, ut re ipsa non excommunicati, sed proscripti potius, & Episcopi illi Romani in tanta feriendi licentia non Episcopos, hoc est Christi vicarios, sed Syllas magis & Marios agere viderentur. Paschalis secundus nuncio de Hainrici Quarti morte & sepultura accepto, Episcopum Iuliacensem in communionem recipere noluit, nisi cadaver Imperatoris, quod in monasterio quodam condiderat, exhumatum summota omni funebri pompa in terram inconsecratam defoderet, unde postea filij commiseratione rursum exhumatus & in Ecclesia Spirensi sepultus est. Antea quidem idem & Hildebrandus fecerat, palam minitando vel moriturum sese vel Hainricho & regnum & animam ablaturum esse. Innocentius quoque Tertius vehementis & ultorij animi Pontifex mansuetissimum Imperatorem Philippum Friderici Primi fi-

mi filium, incertum, quibus de caussis tanto odio insectatus est, ut Episcopum Sutrinum legatione apud Philippum functum episcopatu privarit, & in insulam relegarit, non alia de causa, quàm quod sacris interdictum, & ab Ecclesiastica communione exclusum humiliter orantem restituisset: Adulphum autem Archiepiscopum Coloniensem ob coronatum Aquis Philippum Episcopatu dejecerit, Brunone Bunnensi Præposito in ejus locum surrogato. Constituerat enim, neque clam habebat, hoc se brevi acturum, ut aut Philippo diadema eriperet, aut ipse contra Pontifex suo careret quod audivisse se Romæ sub ipso Innocentio Abbas Vrspergensis in litteras retulit. Quin etiam militum cruce signatorum opera & auxilio adversum Philippi fautores in Italia usum esse constat, qui crucem tamen non contra Imperatorem, sed Saracenos vestibus suis assuissent. Ad illum igitur modum agitatis vexatisque Principibus, quum omnium ordinum studiis factionibus omnia arderent, sæpe accidit, ut illi contra rei indignitate commoti, non Italiam modo malorum fontem, sed ipsam etiam Germaniam igne, ferro, cæde vastarent. Postremo autem transmarinis expeditionibus domesticisque bellis & detrimentis exhausti sumptuum partem à Collegiis & Monasteriis exigerent, plerumque in beneficium (ut vocant) elocatis Ecclesiarum reditibus decimisque impignoratis, non raro & illis severius habitis, qui Pontificum sese studiis factionibusque immiscuissent. Vnde demum ratio inita videtur, ut desertis Imperatoribus & Regibus ditissimi Episcoporum & Abbatum Germaniæ in Pontificum & sedis Romanæ dignitatem & potentiam inclinare, ac deinde totos subjicere se spe libertatis assequendæ acceperint. Cui rei magnam occasionem dedit interregnum illud, quod à Friderico Secundo usque in Rudulphum Avindspurgensem viginti tribus annis duravit. Post oppressos enim in Italia Friderici filios, Chunradum & Chunradinum, rebusque imperatoriis tantopere afflictis & conculcatis, nemo repertus est vel maximorum Principum Germaniæ, qui confligere cum Pontificibus, rerumque & famæ adeoque vitæ periculo præesse imperij habenis voluerit. Interim admissa per Germanias Pontificum authoritas in dies magis ac magis irrepsit, donec adeo vires crevêre, ut contra molientes aut sentientes, quàm illa sanxisset, anathemate ferirentur. Admissi & Canones illi nuper nati, quorum præscripto universæ rerum Ecclesiasticarum dispensationes administratæ. Tum primum immunitate Ecclesiarum liberius obtenta, rebusque in totum ita firmatis & constabilitis, ut (quod diximus) ne hiscere quidem contrà, nedum facere cuiquam liceret, amplissimus locus avaritiæ, ambitioni, & ipsi ante alia simoniæ concessus est, usque adeo ad opes & quæstum omnium animis conversis, ut parum esse religiosi viderentur, qui iidem divites non essent. Quare & Mendicantium postea fratrum professio laudata est vulgo, quia contemptrix opum videretur. Tunc primum Romana sedes post multos variosque conatus ceu triumphans suo voto potita est. Sola Græcia obstitit, quo minus de Monarchia illa laboriosissimè quæsita triumpharet. Igitur Philippo Friderici Primi filio, & Friderico Secundo nepote ejus imperantibus, quum venalia omnia facta essent, neque amplius simoniæ Antistites puderet, urbe ipsa Romana judice jam & æstimatrice litigiorum omnium constituta, repente ita crevere opes, ut quidam minime malus Propheta encomium illi urbi recinerit, quod apud Vrspergensem in hæc verba legitur:

GAVDE MATER NOSTRA ROMA QVONIAM APERIVNTVR CATARACTÆ THESAVRORVM IN TERRA, VT AD TE CONFLVANT RIVI ET AGGERES NVMORVM IN MAGNA COPIA.
LÆTARE SVPER INIQVITATE FILIORVM HOMINVM, QVONIAM IN RECOMPENSATIONEM TANTORVM MALORVM DATVR TIBI PRECIVM.
IOCVNDARE SVPER ADIVTRICE TVA DISCORDIA, QVIA ERVPIT DE PVTEO INFERNALIS ABYSSI VT ACCVMVLENTVR TIBI MVLTA PECVNIARVM PRÆMIA.
HABES QVOD SEMPER SITISTI, DECANTA CANTICVM, QVIA PER MALICIAM HOMINVM NON PER TVAM RELIGIONEM ORBEM VICISTI.
AD TE TRAHIT HOMINES NON IPSORVM DEVOTIO, AVT PVRA CONSCIENTIA, SED SCELERVM MVLTIPLICIVM PERPETRATIO ET LITIVM DECISIO PRECIO COMPARATA.

Extra enim controversiam est, nullam unquam Ecclesiam Apostolicam, quas plures tamen & inclytas & Asia & Europa habuit, vel suo, vel Apostolorum nomine urbium terrarumve dominatum affectasse, aut ulla parte ejus opes possedisse, quas omnium postremo Romana Ecclesia possedit. Non tulissent enim primi illi Christiani Principes religionis nomen hisce rebus gravari, quas postremi Imperatores religionis maximè nomine invitati Ecclesiæ indulserunt. Hinc illud manavit, quod ætate nostra habitum ornatumque Pontificibus, ut inusitatum veteribus, nec ab Apostolis, sed gentilibus potius translumptum, opprobrarunt, quod ante alios dudum & Pomponius Lætus fecit, sed adeo obliquè, ut pauci animadverterint. In vita enim Diocletiani, quam Romæ scripsit, Diocletianum

num *divinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepisse, quumque priores ut Consules salutarentur, ipse primus adorari se Persarum more voluerit, velut in eo esset cœlestis Majestas. Illi enim Principes suos Reges Regum appellant & adorant. Adhæc cum Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præberent, post autem suis manibus levarent ad oris osculum (vulgus genua exosculabatur) Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur: quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calciamenta auro gemmisque & margaritis, quod fecisse antea & C. Caligulam memorant*, & Heliogabalum gemmas nobilissimorum artificum calciamentis applicuisse Lampridius in vita ejus prodidit. Sed & Gallienum gemmatis caligis usum esse constat. *Eundem ornatum Diocletianus immiscuit vestibus, ut Augustior esset, & cum contentus esse debuisset* (inquit Lætus) *quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Etruscis indixit; reperit ex ipso habitu uti Deus haberetur, majorique sumptu vanam Arsacis gloriam superaret.* Et eodem loco: *Reges* (inquit) *Persarum thiaram, qua utebantur, tribus coronis exornabant*: subindicans (nisi fallor) habitum illum & ornatum Pontificum non ita pridem inductum, præterea & morem osculandorum pedum & thiaram coronæ triplicis, nec à priscis Ecclesiæ Romanæ Antistitibus, longè minus ab Apostolis & Christo, sed impiis ab Imperatoribus translatum, atque his maximè, qui Ecclesiæ Christi hostes immanes fuissent. Culcitra autem sublimem vehi patritiæ dignitatis quondam insigne erat, mox Reipublicæ rebus collapsis Regibus & Imperatoribus Francorum honor ille concessus est. Vnde & Pipinum & Carolum Magnum à Stephano consensu P. R. Patricium dictum legimus, ut postremo & hunc honorem in se Pontifices rerum Romanarum potiti transtulisse videantur, qui ex toto tamen nihil habere creditur, quod veteri Christianæ & Apostolicæ disciplinæ respondeat. Petrus enim in Actis Apostolorum Centurionis nuncium levavit dictitans, peccatorem se esse, tantum abest, ut sibi quicquam honoris arrogarit. Sed Pontifices, qui quod sunt, dissimulare nequeunt, & fere agunt quod Epicurus, qui (ut est apud Ciceronem) virtutis nomen commendabat, cum interim non nisi voluptatem & delitias profiteretur, & C. Gracchus, qui cum largitionibus effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium, minime dissimiles illis, qui *Curios simulant, & bacchanalia vivunt.* Quæ quidem non hac de causa dixerim, velut opes noxias Ecclesiis existimem, qui tantopere prædam illam damno, quam avari homines incorporationis titulo maxima cum jactura ministrorum & pauperum per Ecclesias Christi proximis primum annis crudelissime exercuere: sed hac magis causa, quod in divitiarum Ecclesiasticarum administratione nulla majoribus nostris antiquior cura fuit, quàm ut opes possiderent, & egentibus largirentur, non autem ab opibus obsessi captivi tenerentur, nihilque non permitterent avaritiæ, quæ, ut verissime est à Paulo dictum: *Omnium malorum radix est.* Illud admiratione dignum, in illo tempore solas indulgentias, quæ proximis seculis longe omnium Pontificalium mercium quæstuosissimæ fuerunt, primum gratuitas fuisse, & sine pretio oblatas, verum solis illis, qui cruce assuta voto se tuendæ terræ sanctæ obstrinxissent. Sunt qui tradant, adeo largas tum fuisse & faciles, ut inde pravi & scelerati homines post cruces assutas audaciores facti nullo non injuriæ genere grassari & nocere perrexerint, hac una fiducia proposita, impune videlicet quicquid liberet, si crucem assuerent. Et erant concionatores, qui dogmatis inauditis inescabant homines, quo libentius domo, uxore, liberis, relictis, atque ipsa etiam vita semel desponsa in Syriam navigarent. Qua de re qui velit Vrspergensem legat in Friderico Secundo. Mihi sanè satis magno indulgentias redimisse videntur, qui vita & sanguine illas redemerunt. Ad institutum autem ut revertamur, post Rudolphum Primum omnium ex Comite Regem in Synodo Lugdunensi, Gregorio Decimo favente electum, quum jam Syriacæ expeditiones interquiescerent, multum publicis motibus insultibusque detractum est: quanquam ne sic quidem sedatis partium animis, quin admisso jam & recepto more crebro, ad arma recurreretur, neque ullus finis esset studiorum & factionum non modo in Italia parente dissidiorum, sed ipsis etiam in Germaniis, quarum Episcopos & Abbates tanta colendarum Pontificum religio cœperat, ut piaculi loco habitum fuerit, ab illorum decretis placitisve vel latum digitum discedere. Quæ res Regibus nostris Imperatoribusque magno sæpe damno fuit, non metu tantum excommunicationis, quam quibuslibet de causis inflictam à Pontificibus illi magno studio ratam habebant, sed furore etiam dissensionum & odiorum intestinorum, quæ nostros paulo amplius imperij dignitatem adversus Pontificum insolentiam vindicaturos supra modum gravabat. Nihil minus & Galliæ tum æstuabant, quarum Regem Philippum Bonifacius ille Octavus sacris interdictum regni simul jure dejecerat. Verum Bonifacio interfecto, & restituto Philippo, quum mutatis jam rebus quinque ordine lecti Pontifices Italia atque ipsa Apostolorum sede Roma neglecta, perpetuis sexaginta annis in Galliis agerent, Vrbemque & Italiam non nisi per Legatos & vicarios administrarent, subinde inter nostros & Pontificios fomenta illa vetera bellorum exarsere. Imperij enim dignitas jam olim ad Germanos translata, tametsi interregno illo supra à nobis memorato non parum per Italiam affecta di minutaque esset: tamen adeo non succubuit,

buit, quin nuperrimi Imperatores Rudolphus Avindspurgensis & Hainricus Septimus Lutzilburgensis in Hetruria atque Italiæ agris & urbibus vicarios suos, quos tum *Augustales* cognominabant, haberent, quorum opera & tributum veteri more exigebant, & urbes imperiales in fide retinebant, quanquam nonnullæ potentiorum urbium dubium rerumne novitate, an veteri magis Germanici nominis odio, an (quod verosimilius judico) æmulatione & contentione factiosorum rebelles factæ non pecuniam modo imperatam recusarunt, sed ipsum etiam imperij jugum detrectavere: cum quibus antea quidem Rudolphus per Legatos, deinde & Hainricus ipse cum exercitu Italiam ingressus vario eventu belligerarunt, demum Hainrico clarissimo *P*rincipe per venenatum Eucharistiæ panem de medio sublato Ludeuuicus Bavariæ *P*rinceps, vir non prudentia modo, sed fide etiam & magnanimitate insignis imperij dignitatem adeptus, quum videret res Italicas tot artibus studiisque & factionibus collapsas, misertus rerum imperialium, longe instructissimo exercitu haud alio consilio Italiam ingressus est, quàm ut urbes terrasque quæ in fide mansissent adversum *P*ontifices tueretur & confirmaret, rebelles autem & ingratos ad obedientiam imperio præstandam reduceret. Verum hæc quidem agentem & molientem vicarij *P*ontificij apud Ioannem XXII. tum in Galliis agentem, velut suspectum rerum novarum, & in *P*etri patrimonium inhiantem detulerunt. Vnde homo hic natura vehemens & impatiens, plenusque irarum & inexplebilis avaritiæ, summum virum ut hostem Ecclesiæ sacris interdicit, simulque (quod majores sui sæpe fecerunt) à sacramentis absolvit, quicunque ei fidem ullam jurasset, præterea eodem banno damnat, qui cum damnato jam & diris devoto communicare fuissent ausi. Inde rursum incendium ingens eodem de cinere & favillis ijsdem erupit, unde priora *P*ontificum & Imperatorum bella nata fuerant, & finitum videbatur malum Ioannis morte, nisi oleum camino secuti *P*ontifices infudissent. Benedictus enim XII. Ioannis sententia probata tanto fastu imperij dispensandi jus & potestatem sibi vindicavit, ut oppidis etiam imperialibus per Italiam vicarios imposuerit. Clemens autem Sextus, qui Benedicto brevi mortuo successit, non contentus priorum injuriis contumelijsque, Carolum Boemiæ Regem Imperatorem declaravit, negotio confestim dato, ut Ludovicum nullo non loco quantis posset viribus insequeretur & premeret: cujus postea successibus & ille oppressus, haud multo post ex humanis excessit, postremus omnium Imperatorum Germaniæ, qui fulminis illius Pontificij, videlicet banni telum & fulmen sensit. Postremus enim omnium fuit, qui jura imperij per Italiam vindicare, adeoque instaurare conatus est. Carolus enim Quartus Ioannis Luzelburgij filius, qui Ludovico Bavaro successit, dubium rerumne desperatione, an indulgentia immodica, quam beneficentiæ tamen fuco leniebat, an quod vero proximum videtur, avaritia adductus, vetera jura imperij cum urbium multarum largissime numerantium libertate commutavit. Quod ipsum & Rudolpho vitio versum est, cujus benignitas & Hainrico & Ludovico clarissimis Imperatoribus non parum nocuit, multis urbibus ad rebellandum hac maxime spe animatis, quod aliis pecuniam offerentibus hoc modo libertatem obtigisse animadvertissent. Ita brevi tempore indulgentia Imperatorum factum est, ut ne micam quidem, quod equidem sciam, Italia hodie imperij nomine Germaniæ pensitet, quæ intra annos tamen trecentos magna parte Germanis Imperatoribus tributaria fuit: contra vero Germania hucusque opes immensas Imperatoribus & Pontificibus numerarit, quæ tribus tamen, aut ad summum quatuor retro sæculis omnium Pontificiarum exactionum immunis fuit. Quorum quidem omnium potissima causa fuisse existimatur persuasio illa publica de functione, potestate, & authoritate Pontificis, de dogmatibus quibusdam scholasticis prognata, quæ mox & ipsi in suis decretis decretalibusque, ut vocant, confirmarunt, & postremo glossatores & interpretes securissima quadam fiducia defenderunt. Vnde & Petri patrimonium ita auctum est, ut hodie summa duodecies centenum millium aureorum Italicorum æstimetur, præter fortuitam illam usuram, quam litigia & collationes dispensationesque *P*ontificiis officiariis numerant & pendunt. Sub Hainrico Tertio, hoc est, Anno Domini ML. ea etiamnum & dignitas & potentia Imperatorum Germaniæ per Italiam erat, ut de illis anathemate feriendis ne cogitatum quidem à *P*ontificibus videri queat. Mox *P*ontificum rebus Imperatorum benignitate paulo amplius firmatis, quum conceptam jam animo dominandi libidinem res modicæ nullo modo satiarent. *P*rimus omnium Imperatorum Occidentis Hainricus ab Hildebrando longè procacissimo viro, qui Gregorius Septimus dictus est, sacris est interdictus: cujus sententiam secuti aliquot *P*ontifices, ratam habuere, nullis magis caussis, quàm quod investituræ jus jam olim Carolo, & aliis Regibus Imperatoribusque tributum retineret, neque obsequium præstaret sanctæ Matri Ecclesiæ, præterea expeditionem contra Saracenos pro

tuenda Syria summopere dissuaderet, quam Vrbanus Secundus eo vivente in concilio Lugdunensi summo conatu reliquis ordinibus persuaserat. Ante quidem & Lotharium Juniorem excommunicatum ab Adriano supra libro primo diximus, sed justa caussa, quod divino jure reclamante legitimæ uxori aliam superinduxisset. Post Hainricum autem Quartum filius ejus Hainricus Quintus, qui parentem tamen in gratiam Pontificum pro hoste habuerat, ejusdem rei caussa Ecclesiastica communione privatus nec absolutus, antequam oppressus, & ad cedendum coactus. De qua re supra à nobis dictum est. Erant tum quidem Episcopi Romani nomine quidem *Servi servorum Christi*, re autem & potestate *Reges Regum*, quippe qui & Reges & Imperatores soli aut ferrent aut probarent, si libuisset, aut fulmine ferirent, si ita eis visum fuisset. Illud in transcursu non tacendum, primum etiam Hainricum Quartum à Gregorio Romam litteris evocatum, quo de criminibus objectis coram Episcopo causam diceret, cum antea de Pontificum criminibus, quæ aut cives Romani, aut Clerici, aut Episcopi alij illis objecissent, non fere nisi Imperatoris authoritate interveniente cognitum fuisset, quod de vulgatissima historia temporum notius est, quàm ut multis sit inculcandum. Proximo à Principibus loco telum anathematis in eos versum, qui victrici jam Ecclesiæ aut tributum negassent, quod illa imposuisset, aut sanctionibus decretisve non obtemperassent: quin & Episcopis permissa licentia, ut Ecclesiarum, atque etiam singulorum sacerdotiorum reditus censura anathematis extorquerent. Quod ad investituram attinet, fateor equidem satis avarè eam à multis Imperatoribus exercitam fuisse, atque inde Pontificibus occasionem de illis vindicandis relictam. Quæ quidem minus iniqua videri potuisset, si tam parcè & benignè nullo quæstus respectu Pontifices Episcopatus & Abbatias elocassent, quàm avarè & cupidè Principes aliquot illas vendiderant. Modò cum orbis clamet, nusquam & nunquam avarius exercitas investituras fuisse, quàm nostro sæculo, neque pluris unquam constitisse mytras & pallia, tanto studio pecuniæ ut Cardinalis Volaterranus scribere non sit veritus, *Omnia Romæ venditari, nihilque negari pecunia:* Quis oro Principes illos accuset, quod bellis maximè transmarinis exhausti extenuativè, de bonis Ecclesiasticis partem sibi expensarum sumptuumque resarciverint, quum idem æquales illorum Pontifices fecerint, & hodie Christianissimi Francogallorum Reges veterum more faciant, quoties è re visum fuerit, ab omni ordine cleri tributum nullo refragante exigentes? quis, inquam, divino juri, quo illi nituntur, contravenire audeat? quis negare, aut ejus præscripto recalcitrare, quod omnes animas illorum potestati generali edicto subjecit? Illud constat, minus decessisse Ecclesiis & monasteriis, cum in Principum Germanicorum manu jus illud vetus confirmationis existeret, utcunque tum grassantibus venantibusque Præsulibus, neque tantum fuisse Ecclesiasticarum pensitationum, quàm hodie cernimus. Non tulissent enim Imperatores, ut otij saginandi gratia tantum opum ex alienis Ecclesiis sibi corraderent pileati Antistites, quantum postea Papæ indulgentia interveniente sui juris fecerunt. Ad Rudolphum revertor, quo regnante munia prope omnia Ecclesiastica quæstui deservierunt. Episcopi enim suis sedibus non contenti, alias occuparunt administrationis prætextu, mox vicariis submissis & locum tenentibus, qui potissimam redituum summam illorum rationem inferrent, quod superesset Canonicis velut merce conductis relinquerent, qui & ipsi Præsulum exemplo à frugalitate & parsimonia ad opes & rapinam conversi, census suos annuos parochiarum expilationibus ditavere, reperto tum & admisso incorporationis fuco, longe omnium nocentissimo, quo sane universa rurestris alimonia tum Choriepiscoporum, tum etiam pauperum Diœcesanorum in collegia & monasteria, posthabita parochiarum dignitate, concessit. Porro & monasteriis Episcoporum avaritia sæpe molesta fuit, coemptis videlicet, aut in præmium concessis Advocatiis, quæ post Arnulphi mortem miro & ipsæ quæstui patuêre. Constat & Abbates ambitiosiores sæpè mutasse cœnobia, nec sine largitione impetrasse, ut Abbatiis pinguioribus præficerentur. Ante enim diximus, nunquam ita sui juris monasteria fuisse, quin Advocatos vel Regum vel Imperatorum nomine missos ferre cogerentur, præcipua illis cura injuncta, ne quid detrimenti cœnobia vel sua ipsorum, vel aliorum culpa acciperent. Horum igitur cum certa quædam & liberalia quidem; salaria Regum jussu constituta essent, factum est, ut & hac à parte grassante cupiditate repente ad lucrum & farinam detorta fuerint, quæ antea non nisi diligentiæ vigilantiæque patuissent. Emptas autem constat à Principe, vel ab eodem in beneficium (ut vocabant) acceptas, quæ paulo sagacius exercitæ plurimum emolumenti afferebant. Non modo enim ab Episcopis, sed à Nobilibus & Abbatibus etiam, qui alienas Advocatias interdum coëmerunt, magno quæstu sæpius administratæ sunt. Quare Abbates plærique & ipsi parandis divitiis intenti, sed & indignum

rati

ratiHorum insolentiam ferre, qui viam sibi opum augendarum, adeoque regni instituendi occasionem præcluderent, Advocationes Principum decreto constitutas, quas vulgo *Advocatias* vocabant, grandi pecunia redimere, atque hoc se jugo in totum eximere perrexerunt. Tritæ tum illis Regum erant aulæ, & patulis horum auribus abusi, tantum his licebat, quantum dudum nostratium Principum clementia & bonitate Episcopi abusi fuissent. Proinde & Abbatibus illorum indulgentia permissum, ut onere Advocatiarum liberati vel *Ammannos* constituere, vel *Curiæ* (quos vocant) *Magistros*, qui Abbatum dicto audientes essent, surrogare nullo impediente liceret. *Advocati*, hodie vulgo *Tutores* appellantur, quibus etiamnum monasteria non pauca varios quidem, sed graves tamen & magnos reditus pendunt, alicubi & equis certo numero missis, qui monastico pabulo saginentur. Nostra ætas Abbates vidit, qui post redemptam, ut vocant, Advocatiam, & omnimodam libertatem indeptam, tanta opum tuendarum & servandæ ditionis sollicitudine commoti, ac velut perculsi fuere, ut patronis non modica pensitatione allectis, perpetuæ sese rursum clientelæ fideique volentes submiserint & manciparint, satius arbitrati hoc modo partis rebus consulere, quàm aleam illam ludere, quæ ditissima cœnobia non raro ad extremam inopiam redegit. Iam & Parochiarum præbendarumque (ut vocant) possessiones, collationes, investituras vendere, mutare, præterea servata redituum parte locare, Romanæ sedis exemplo, Clero omni licebat, usque adeo licitatis sacerdotiis universis, ut parum interim tuta essent, quæ jure patronatus defendebantur. Quæ res tamen trans Alpes adeo licenter exercita est, occupatis videlicet alioque translatis collegiorum cœnobiorumque reditibus, ut alicubi vix superesset, quod horum alimoniæ, qui sacris peragendis perfecti essent, sufficeret. Male tum, ut semper, audiebat simoniæ nomen, quum simoniam interim omnes nulla fronte & profiterentur, & exercerent, ut mirum videri cuipiam posset, qua de caussa pestis illa nocentissima tantum sibi licentiæ vindicarit, cum apud Luitprandum legamus, Ioannem Pontificem tempore Otthonis Primi à Presbyteris suis Cardinalibus in concilio præsente Imperatore veluti criminis accusatum fuisse, quod pretio accepto Episcopos faceret, quum nemo ignoret, multo levius esse pretio accepto Episcopum facere, quàm lucri respectu vendere Episcopatum & Ecclesiarum reditus in quæstum illis concedere, qui longè essent à cura omni animarum alienissimi. Et si vel maximè essent quales esse debebant: tamen simoniaca pravitate polluti in luxum & voluptatem Ecclesiarum bona converterent. Exierant enim non ita pridem bullæ ex urbe, quæ ad otium & luxum natis hominibus copiam faciebant, occupandarum Ecclesiarum, quæ mensæ Pontificis, ut vocant, vacassent, quoad summam redituum annuorum trecentis quadringentisve aureis nummis æstimare possent, amplam videlicet prædam paucis in saltibus facturi, quam nemo tamen sine magna Ecclesiarum calamitate assequi possit. Proinde non ita pridem Helvetia nostra frequentibus in Comitiis sanxit, decrevitque, ut proximo in amne mergerentur, qui id genus pestiferis bullis grassari intra suam ditionem ausi fuissent. Verum hæc omnia utcunque indecora, fuco quodam beneficentiæ præstandæ tegebantur, nec alienum esse à religione videbatur illis gratificari, qui vel de Regibus (nam & Reges idem error tenuit) vel de Pontificibus bene meriti, vel maximè merituri viderentur: quæ sanè simulatio in hunc usque diem ita simoniæ patrocinata est, ut ab illis etiam non advertentibus probata admissaque sit, qui nullis non libris & litteris nomen ipsum simoniæ traduxere. Nam & generi, & virtuti, & dignitati, eruditionique hactenus indulgendum quorundam opinioni visum est, ut illorum in gratiam palam fuerit ab æquo & justo discessum, concessumque, ut unus aliquis multis in locis Episcopus aut Abbas, multis in Ecclesiis Præpositus, Canonicus, Plebanus, addo & Sacellanus factus, rebus suis privatis manifesta simonia consuleret, nisi ille simoniam non exercet, qui rebus sacris ad lucrum & quæstum abutitur, & simoniaci habendi sunt, qui pro pecunia accepta res sacras largiuntur & vendunt, quum contrà Petrus Apostolus Simonem Magum hac maximè caussa rejecerit & damnarit, quod lucri studio rem sacram in se transferri cupiisset: quanquam tàm reus criminis fuisset Apostolus, si petenti ipsi & pecuniam offerenti, rem sacram ullam tribuisset, quàm reus erat Simon, qui levis rei jactura quæstum ingentem ambiebat. Perinde enim reus est, qui rem sacram abusui concedit, atque ille, qui ea concessa ad suam farinam abutitur. Supra autem à nobis dictum est, hanc pestem Satanæ consiliis cito in Ecclesia nocere cœpisse, cæterum hoc nocentiorem factam esse proximis sæculis, quo indulgentius admissa est. Armorum studium, inauditamque veteribus belligerandi væsaniam Episcopi sero sibi arrogarunt, ac primum quidem arma (quod quidem sciam) nostri, hoc est Germaniæ, Episcopi, deinde & Italiæ Pontifices Germanorū hominū exemplo adducti, licentissimè exercuere, observatumq; tam diu à cede & sanguine alienos fuisse Vrbis Episcopos, quādiu Imp.

cum Occidentis, tum Orientis dignitati & authoritati delatum fuit. Mox jugo abjecto, quum aliud in Vrbe regnum quærerent, nec jam amplius parendum Orientis Principibus decrevissent, de bellis armisque cogitatum est, sed talibus, quæ non propriis, sed alienis & sumptibus & auspiciis unius religionis obtentu impetratis gererentur: Pipino enim & Carolo Martello patre ejus apud Francos dominantibus ea ratio ultionis quæsita est ab urbis Episcopis Gregorio Secundo & item Tertio, ut adversis rebus agitati Regum operam adjutricem implorarent, & sic ad arma excitarent Principes, quorum benevolentiæ sese concredidissent. Ad quem modum Gregorius Secundus Antipharium Longobardorum Regem adversum Leonis Imperatoris Exarchos: Nec multo post Stephanus Secundus in Galliam profectus Pipinum Martelli filium, patrem autem Caroli Magni adversum Aistulphum Longobardorum Regem evocavit, à quo Aistulphi exercitus victus & oppressus est: & defuncto Pipino Carolus Magnus ab Hadriano Pontifice adversum Desiderium Longobardorum Regem ob erepta quædam Romanis oppida excitatus est. Quo bello Desiderius unà cum filio suo Adalgiso oppressus regnoque tot sæculis celebri privatus est. Ottho quoque Primus à Paschali Pontifice adversus Berengarium in Italiam vocatus eum repressit, & denuo unà cum conjuge in exilium relegavit. Posterioribus autem Pontificibus cum agris jam & oppidis patrimonij prætextu per Italiam potiti essent, hoc amplius audaciæ accessit, ut & de suo armarent militem, nec jam alienis, sed propriis auspiciis bella gererent. Primusque omnium Pontificum Romanorum LEO Nonus antea Bruno vocatus, adversum Nortmannos, qui se authore in agro Apulo consederant, cum exercitu egressus, victus prœlio & in fugam versus est, plus mille annis post passum Dominum. Tanto tempore etiam morum corruptela Romanis Antistibus incruentæ manus fuêre. Erat autem LEO natione Germanus, familiæ Comitum Dagispurgensium, primum Tollensis Episcopus, deinde Romanis petentibus ab Hainrico Tertio in Pontificem designatus, vir per omnia spectatæ probitatis & simplicitatis innocuæ, illoque quem ex suo & Ecclesiæ nomine contraxit nævo indignus. Prima enim omnium Ecclesiarum Apostolicarum & sola Romana Ecclesia hoc probro aspersa & infamata est, quod & Christi lege, & Apostolorum doctrina veterumque omnium Ecclesiarum disciplina neglecta, exercitus parare, militiam ingredi, suisque auspiciis & signis cum hoste confligere ausa fuerit. Constat autem primos ex Germanis Episcopis haud aliter belligerasse, quàm quod cum Regibus suis & Imperatoribus adversum infideles, utpote Saracenos vel Hunnos, nec armati ipsi, nec armatis copiis comitati, profecti sunt, sed memores etiamdum professionis suæ religionis magis, quàm armorum studium tueri, piisque quam ultoriis consiliis adesse Principibus magis satagebant. Verum brevi honestæ rei specimen manifesto abusu est contaminatum, & ad clerum etiam progressum ultionis studium, proclive quidem in omnem perniciem in gente præsertim ad armorum gloriam nata. Sed tum primum maxime obtinuit, quum doctrinæ & religionis cura languente, sæculi curæ sese commisere, qui mundum & sæculum abjurarant. Atque utinam quibusdam ex nostris error ille ita innotuisset, ut se Philosophorum non Apostolorum imitatores factos intelligere potuissent. De Philosophis enim quibusdam legimus, quod simul & sapientiæ studium, & rei militaris scientiam professi fuerint. Præcipuus Architas ille Tarentinus fuisse memoratur, quum contra Apostolus Paulus Christianæ militiæ antesignanus, haud alia arma norit, quàm spiritualia, nec aliam ullam functionem profiteatur, quàm dispensationem mysteriorum Dei. Similem ad modum Monachi recentiores illorum nomina mutant, quos suæ factionis mysteriis imbuunt & sacrant, Romanos imitati, qui & adaptando & manumittendo sæpe mutarunt nomina. Nam quod Petro mutatum est à Christo nomen, ea causa factum est, ut functionis ejus conditio & præcellentia indicaretur, non ut exemplum daretur aliis mutandi nomina, qui militiam Christi essent ingressi, longe minus his qui à Christi instituto ad humana inventa & laqueos defecissent: etsi digni mihi videantur, quorum nomina baptismo suscepta mutentur, qui baptismi voto non contenti fidem Christo datam violant, ejusque jugo rejecto humano sese jugo subjiciunt, & armis spiritualibus exuti humana panoplia sese adversus carnem & Satanam muniunt. Ex Germanis autem Episcopis plus satis bellicosis Brunonem Hainrici Primi filium Coloniæ Aprippinæ Episcopum, pessimo exemplo & pastorem & bellatorem egisse legimus, excusabilem quidem quorundam judicio, quod paternis rebus tuendis operam navarit. Sed operam vel parentibus navatam scripturæ veritas damnavit, quando cum Episcopi partibus & officio pugnat. Otthoni primo Brisacum obsidenti multi Episcopi affuerunt. Sub Othone autem Secundo Abbates etiam militarunt Hainrico Secundo imperante VVernherus Episcopus Argentoratensis collecto Alemannorum exercitu adversus Burgundiones pugnavit & vicit. Sed ô miseram victoriam, quam Episcopi, hoc est Christi ministri, & Apostolorum successores, non sine ultione & sanguine reportant. Cito quidem sese & factionum & rebellionis socios

ſocios fecerunt Epiſcopi noſtri, Pontificum artibus ſæpenumero miris modis involuti, nonnunquam interfecti, & cum lævis pœna eſſet, ſuis ſedibus depulſi inque exilium relegati. Sed rariora tamen armorum & gerendi belli exempla erant, donec avaritia & ambitio opes Eccleſiarum & monaſteriorum Germaniæ ſuæ libidini tyrannidique ſubjecerunt, quod poſtremis illis ſæculis accidiſſe ſupra eſt dictum. Quemadmodum enim peſtes jam ante à nobis memoratæ in rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione prope omnia ſurſum deorſumque jactarunt, ita furor ille belligerandi iiſdem de peſtibus prognatus adeo ſeſe ſumma intemperie & Epiſcoporum & Abbatum animis ingeſſit, ut & Epiſcopi inter ſe commiſſi cladibus ſuis Cæſarum etiam & Regum fortunas involverint. Quod quidem in Italia frequentius & majori cum damno pietatis factum conſtat, quàm Germania unquam experta. Quæ & ipſa tamen intra annos trecentos Epiſcopos videre coacta eſt cum Abbatibus quibuslibet de cauſis tanto ultionis ſtudio commiſſos, ut & oppida exuſta & arces dirutæ dejectæque, ad hæc & villæ incenſæ agrique præda, igne, ferro vaſtati cernerentur. Pari modo & in ſubditos nonnunquam arma mota ſunt, nec urbibus parſum aut pagis, quorum mœnibus tamen & ſeptis collegia & monaſteria continebantur. Fidem fortaſſis apud ignaros temporum ſuperat: ſed de certa tamen Chronicorum fide convincitur nuperrimis ſæculis Epiſcopos & Abbates frequenti nobilitate, præterea & ſervorum & libertorum armata manu inſtructos, Regibus & Imperatoribus ſtipendia meruiſſe, reditibuſque & privilegiis donatos ſæpe rediiſſe è militia, ubi res proſpere geſtæ fuiſſent: contra verò ære alieno mirè gravaſſe Eccleſias, ſi aut morbo confecti, aut in pugna cæſi, aut turpi aliqua fuga elapſi fuiſſent. Cujus impudentiæ cauſas tum morum & temporum pravitati, partim etiam Nobilitati nimioque obſequendi ſtudio debemus. Temporum vitio factum eſt, ut quæ re ipſa nec decora, nec honeſta, neque pia eſſent: tamen uſu evincente, & quia ſummi viri eadem auſi fuiſſent, ab hominibus inconſideratis pro honeſtis decoriſque admiſſa & habita ſunt, maxime ubi religionis tuendæ retinendæque fuco aliquo commendata fuiſſent. Nobilitas autem collegiis & monaſteriis præfecta haud raro tum veteri ſua virtute, tum etiam diſciplina monaſtica neglecta, adhæc & generis claritudine potentiaque, & cognatorum affiniumque authoritate animata, hoc licere ſibi perſuaſit, quod haud raro parentum, quod cognatorum, quod affinium conſilia ingeſſiſſent. Nam ut animos ad arma & ultionem natura pronos ſileam, ſatis conſtat Nobiles quoſdam, qui amplæ cognationis eſſent, non minus ætate illa collegiis & monaſteriis nocuiſſe, quàm eiſdem Majores ſui profuerant. Sæpe enim ad arma & ultionem excitatos fuiſſe legimus non Epiſcopos modo, ſed etiam Abbates, ne illos, qui neceſſitudine aliqua ſibi eſſent conjuncti, deſeruiſſe viderentur. Nec attinet fortaſſe meminiſſe, quanto illa ſuorum damno miſera calamitate noxiam illam ambitionis aleam luſerint, quum inclinata jam diſciplina ad titulos & honores & opes animi prope omnium converſi viderentur, neque aliud eſſet relictum Eccleſiis præter habitum & anniverſarias quaſdam cæremonias, quarum uſum qualemcunque hodieque durare videmus. Cuperem autem ad manum eſſe nobis, quod illorum querelis obiiceremus, qui cœnobiorum præcipuorum Germaniæ religionem in dominatum; diſciplinam autem in luxum & otium, poſtremo & cœnobia ipſa in palatia converſa eſſe clamare non deſinunt, interim & Regibus & Imperatoribus magnam partem culpæ tribuentes, quod & in bellum evocarint merentibuſque ſtipendia numerarint, adhæc fidem operamque illorum domi militiæque experti præpoſteris quibuſdam obſequiis ſibi devincire conati fuerint. Vehementer enim & illi impegerunt, dum profeſſionis conditioniſque, aut (ut verius dicam) ſortis ſuarum partium obliti, Mammonæ ſervire & hominibus, quàm Deo magis obedire maluerint. Hi autem dum ad hunc modum merentibus & errantibus quidlibet ſine judicio & diſcrimine obtulerunt, titulis etiam & honoribus collatis, qui præterquam quod miniſtris Eccleſiarum offerri donarique nec debent nec poſſunt, in monachis primi illi monachiſmi authores, quos inter Divos & indigetes numerant, nulla in parte vel agnoviſſent, vel admiſiſſent: quippe qui hoc prope ſolo præconio orbi commendati ſunt, quod omnia dereliquiſſent, & Chriſtum eſſent ſecuti, quod ſi vera ſunt, quæ de patrum ſuorum vitæ integritate & morum ſanctitate, & in primis ſæculi rerumque ſæcularium cura tam contemptim habita retulerunt, & literis mandarunt, quæ nominatim recenſere longum foret. Nihil dubium eſt, quin vel ſuorum patrum & fundatorum, quorum tamen divinitatem feſtis diebus miro ſtudio ceremoniis ſelectis venerantur & celebrant, confeſſa (ſi reviviſcant) & dicta ſententia cauſſam omnem ſuam amiſſuri, & anathema omnium longe graviſſimum excepturi eſſent, qui tam longe ab his diſſentiunt: quorum tamen nomine & tutela quicquid tenent, gerunt, agunt & ſatagunt, tuentur & defendunt. Quin imo illud inſolenti turbæ objecturos nullus dubito, quod Ioannes objecit præfractis Iudæis: *Ne cogitate qui-*

dem hoc vobis utile futurum, quod patrem habetis Abraham, &c. Dignum ergo admiratione, quomodo factum sit, ut posterioribus omnia oblata recipere vendicareque libuerit, sine omni respectu sortis & conditionis, cum majores tamen sui levicula, & quæ inoffensa religione admittere potuissent, respuerint, majora autem cum incusatione recusarint. Sic Christus regnum, sic Apostoli honores indebitos pecuniam & munera refutarunt. Et memorabile sane est dictum Columbani Scoti, cui prope primas à Benedicto monachi tribuunt, qui Sigisberto seniori Austrasiorum Regi nihil non offerenti ita respondit: *Quia nostra reliquimus, ut secundum Evangelicam jussionem Dominum sequeremur, non debemus alienas amplecti divitias, nisi forte prævaricatores simus Domini mandati.* An autem ullum Abbatem veterem ullius cœnobij adducere possint, qui ante annos trecentos Principis nomen audire, nedum admittere aut arrogare voluerit, ipsi viderint. Constat equidem meri imperij usurpationem recentem admodum esse, & nuper publico mortalium errore illis admissum. Vetustior est divitiarum cupiditas, studiumque opum monachis propemodum cognatum, sed & ipsum non solum rejectum à patribus, sed etiam adeo vetitum, ut B. Gregorius monachum esse neget, *qui possessionem in terra quærit.* Nostri sane negare nequeunt, ita majores suos annis trecentis proximis à primorum patrum instituto & disciplina defecisse, ita opibus, titulis, emptionibus, dominatu professionem suam gravasse, ut reipsa Christo renuntiasse, & sæculi curam amplexi esse videantur. Nisi forte verosimile est, Episcopos esse non eos modo, qui verbo pascunt, & Christi mysteria Ecclesiis dispensant, sed etiam illos, qui honore sublimes mytram gerunt & pallium: Monachos autem Abbates non illos modo esse, qui subjecti Episcopis sæculi curis nuntium remisere, sed illos etiam, qui mero imperio præditi vestem & nomen cum pedo & mythra retinent. Fuit enim tempus quum id genus errata & abusus in Ecclesiam subingressos legitime congregata Concilia reprimerent & coercerent, nulli rei magis intenta, quàm ut vetustæ, & à sanctorum patrum vestigiis deductæ disciplinæ consuleretur: id quod è veterum conciliorum innumeris decretis & Canonibus notius est, quàm ut referre sit opus. Nec enim doctrinæ solum, sed & morum & vitæ ratio habita est in Synodis antiquis, curatumque ante omnia, ne quid Antistites committerent, quod in exemplum trahi, aut aliqua ex parte offendere Ecclesias posset. Habuere quidem concilia Pontifices posteriores, sed rara, & in urbe fere, nec more veteri celebrata, quum jam tum decretis mandatisque hominum omnia tribuerentur. Confluebant enim Episcopi & Abbates haud aliud publice statuentes, quàm privatim sensissent & probassent, priorumque Pontificum vel impia præjudicia pro scripturarum oraculis habebant. In ore quidem illis erant scripturæ & Patres, sed reipsa nihil non decretis Pontificum, quæ uno jam & altero sæculo mire invaluerant, discutiebatur. Extat apud Vrspergensem testificatio fidei, quam Paschalis Secundus Hainrico Quinto imperante in Synodo Lateranensi facere coactus est, insimulatus scilicet, quod Imperatori Hainrico jus investituræ contra majorum, Gregorij scilicet Septimi, & Vrbani Tertij, decreta corroborasset. Quæ digna mihi visa, quæ hoc loco referretur: Ad hunc autem modum habet: *Amplector omnem divinam scripturam veteris & novi testamenti, legem à Moyse scriptam, & sanctis Prophetis: amplector quatuor Evangelia, septem Canonicas epistolas gloriosi Doctoris B. Pauli Apostoli, sanctos Canones Apostolorum, quatuor Concilia universalia sicut quatuor Evangelia, Nicenum, Ephephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense & Antiochenum concilium, & decreta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipue decreta Domini mei Papæ Gregorij Septimi, & beatæ memoriæ Papæ Vrbani, quæ ipsi laudaverunt, laudo, quæ ipsi tenuerunt, teneo, quæ confirmaverunt, confirmo, quæ damnaverunt, damno; quæ repulerunt, repello; quæ interdixerunt, interdico; quæ prohibuerunt, prohibeo, in omnibus, & per omnia, & in his semper perseverabo.* Hactenus Paschalis à scripturis quidem orsus, sed præjudiciis obrutus, in gratiam Concilij confessus est Romæ circiter annum Domini MCXII. satis innuens, quo in loco tunc temporis placita Pontificum habita sint, quæ sequentibus tamen sæculis longe majore religione recepta & observata fuere. Cæterum de disciplinæ emendatione ne verbum quidem postremis in synodis reperias, etiamsi sint, qui horum temporum Papis, nescio quid censuræ in mores & vitam quorundam tribuant: verum quæ, aut qualis illa fuerit, ne verbo quidem exponunt. Illud constat, ejus vindicandæ & reformandæ multam fidem nostris fecisse Pontifices, quoties necessitas aliqua ita urgebat, ut ad opem Principum & popularium auxilia foret refugiendum, neque alia magis arte publicam orbis querelam consopitam, quàm concilij pollicitatione, in quo de disciplina Ecclesiarum cognosceretur. Innocentius enim ille, qui potestatis plenitudinem sibi de jure & supra jus dispensandi arrogavit, cum rebus transmarinis urgentibus sub Otthone Quarto bullis quaquaversum missis Christi fideles ad recuperationem terræ sanctæ inhortatus esset, dubium, studione pietatis, an potius in causæ suæ commen-

mendationem, quo majore favore dudum fessis exhaustisque Ecclesiis insinuaret, ingenuè confessus est, suorum temporum statum generali Ecclesiæ reformatione indigere, & in hoc certo se futurum, ut universæ Ecclesiæ reformationem assequeretur. Promisit autem illius bulla (ut ejus verbis utar) Concilium generale, juxta priscam consuetudinem sanctorum Patrum, in quo *vitia extirparentur, virtutes plantarentur, excessus corrigerentur, mores reformarentur, hæreses eliminarentur, fides roboraretur, discordiæ sopirentur, pax stabiliretur, oppressi juvarentur*, aliaque id genus, quorum Vrspergensis meminit, quæ nec ab ipso unquam, nec ab aliis, quod sciam, Pontificibus postea servata aut præstita fuere; Exspectata quidem in Constantiensi & Basiliensi Synodo. Verum & hos cœtus ita nobis Pontificum ambitio involvit, & suspensos tenuit, ut præstiterit fortasse nunquam coactos, quàm tantis sumptibus factos parvo eum fructu dimissos, ne dicam contemptos fuisse. Quod si tantum solertiæ vigilantiæque publicæ pietati Episcopi illi adhibuissent, quantum privatis rebus augendis stabiliendisque adhibuerunt, profecto minus hodie laboraretur, minusque tumultuum & periculorum illi sentirent, quibus cum vitiis corrigendis & moribus vindicandis perpetuum certamen est, quique hoc unum urgent, ut Ecclesia Christi ad normam veteris veræque & indubitatæ religionis reformetur, quo deinceps avita virtute, & ornamentis verè Christianis specimen illud Apostolicæ synceritatis referre, suoque se modo & ordine continere possit. Ægrè enim relinquimus, quæ longa nobis consuetudine commendantur. Perdifficile est illorum errori occurrere, qui & opum, & potentiæ æstimatione dignitatem, adeoque religionem Ecclesiæ metiuntur. Capitum enim, hoc est, summorum Pontificum urbis, non exemplis modo, sed etiam documentis hactenus confirmati sunt, qui sua tam obstinatè defendunt, nec ignorant Paschalis Secundi sententiam, qui in Synodo quadam Romana (sicut Vrspergensis scribit) Episcopis nonnullis ob contemptam Hainrici Quinti Imperatoris authoritatem tumultuantibus in hæc verba respondit: *Ecclesia primitiva Martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines: dein ad fidem conversi sunt Reges, Imperatores Romani, Principes, qui matrem suam Ecclesiam, sicut boni filij, honestaverunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia & allodia, sæculares honores & dignitates, regalia quoque jura & insignia, quemadmodum Constantinus, cæterique fideles, & cœpit Ecclesia florere tam apud homines, quam apud Deum.* Hactenus Paschalis, cujus sententia ita postea obtinuit, ut ætas nostra etiam Iulios Cataphractos & Alexandros nihil non audentes inspexerit. Atque utinam cordi esse illis Pontificibus potuisset, quod tam fideliter Christus monuit de hujus mundi divitiis, quod nemo duobus Dominis servire possit, nemo Deo servire & Mammonæ, & facile gloriam ab hominibus quæsitam abjecissent, nec ad illa semel jurati Christo respexissent, quæ ipse Dominus non doctrina modo frequenter repetita & inculcata damnavit, sed fuga etiam detestatus est. Et decuisset Paschalem, utpote summum Pontificem, memorem esse verborum Christi ad hunc modum Pharisæos exstimulantis: Vos Estis, *qui justificatis vos ipsos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo.* Nunquam ergo ex æquo coram Deo & hominibus Ecclesia florebit, cum quæ apud homines florent, apud Deum Christo teste florere nequeant. Homo videt in facie, Deus judicat in corde. Floridam vero Ecclesiam fateor, quæ ad hunc modum cum sæculi Regibus non gladium modo, sed honores etiam & dignitates communes habet, simulque & sæcularem & spiritualem functionem non modo confuso, sed etiam converso dispensationis munere vindicat. Cæterum Catholica sit & Apostolica nec ne, id in medio quærendum relinquimus, dummodo certum habeamus, hoc puriorem & sinceriorem semper fuisse Ecclesiæ statum, quo vetustior fuit, honoresque & opes contemptim habuit. Deteriora autem omnia Pontificum placita & instituta habita, quo recentiora esse dignoscuntur. Verum de opibus quæsitis & ambitis honoribus plus satis dictum est. Quod ad doctrinam attinet, ita proximis sæculis prope omnia Collegia & Monasteria Germaniæ defecerant, ut nisi cessationem illam publicam & inertiam nostris hominibus indignam optimi aliquot Principes recenter institutis Academiis emendassent, hodie non artibus modo honestis omnibus, sed literis etiam & linguis, quas veteres Ecclesiæ tantopere excoluerunt, in totum careremus, usque adeo fatali quodam veterno circumventi, & ad luxum & otium sua omnia converterunt, qui religionis doctrinæque excolendæ nomine jam olim fundati donatique fuerunt. Iam ut tandem finiamus, negari non potest, quin in densa illa temporum caligine & plus quàm duris ac barbaris sæculis Ecclesiæ Germaniæ non paucæ summos viros Antistites habuerunt, nec Abbates cœnobiis defuerint tam pietate, quàm doctrina & eruditione præstantes. Sicut enim in aspero aliquo senticeto rarò videas ita omnia spinis & vepribus obducta & impedita esse quin & flores passim & odores emineant, ita tenebræ illæ profundæ ignoran-

tiæ quantumvis atræ & crassæ adeo Ecclesias nostras non oppressere, quin viros suis omni virtutum genere probatos ostenderit. Quod ipsum & de illis sentimus, qui hodie rerum potiuntur. Sunt enim multi, qui non privato modo in cœtu, sed aula etiam & palatio adeo vel opum affluentia, vel rerum domesticarum splendore, vel in totum ulla aut nominis, aut functionis gloria non tanguntur, aut insolescunt, quin votis omnibus cupiant causam veritatis, quæ tempore tam longo sepulta jacuit, tueri, vitamque & disciplinam eorum, qui se Christianos profitentur ita componi, emendari, reformari, ut à primæva illa puritate verè sanctæ Ecclesiæ Catholicæ quàm minimum distaremus. Quo sensu & Abbates quosdam duci & abundare haud dubitamus, qui oblatos cum annis mores exceperunt ulla sua culpa, quando jam constet palam multa esse à veteribus quibusdam patribus religionis prætextu recepta & admissa, quæ ne probari quidem justa ulla causa queant, nedum defendi aut retineri. Quod ad Monachos attinet, tot sectis variegatos, idem pios viros sentire video, quod sensit doctissimus Erasmus quando dixit: *Bonos monachos Ecclesiæ esse ornamenta, Malos carcinomata*: conquestus interim perquàm paucos esse ætate nostra, qui veri esse Monachi, aut boni videri queant. Nobis denique, qui nostris affectibus locum damus, & humanis consiliis omnia gerimus, nec ad divina respicimus, quo & certis & indubitatis, & æternis nitamur & hæreamus, usu venit, quod omnibus regnis suo robore nixis accidit, quod à gentili Poeta (ceu Prophetam dicere malumus) dictum est:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

FINIS.



BAR-



BARTHOLOMÆI SCHOBINGERI IC. ADDITIONES,

AD IOACHIMI VADIANI CONSVLIS *FARRAGINEM ANTIQVITATVM.*

Præfationis Numerus I.



N Rheni & Danubij Ripa Ecclesiæ Christianæ.] Quæ ut plurimum erant ligneæ, sine omni superflui ornatus cura sineque magna structuræ elegantia. Cujusmodi fuit illa ad Ripam Danubij in Norico, cujus Eugippius Abbas in vita S. Severini meminit. Nec alia templa Diis suis exstructa à Germanis. Nam Vallejus in Gallica historia de Dea Cisa, quæ Augustæ Vindelicûm culta scribit; *Cujus templum ex lignis barbarico ritu constructum,* &c. barbarico, id est Germanico. Nam Germani κατ᾽ ἐξοχὴν *Barbari* dicti, ut ad Sidonium notavit Ioannes Savaro & ad Einhardum Melchior Haiminsfeldius Glodastus, juvenis & vera nobilitate, id est, virtute, ac morum probitate, & omnium optimarum artium ac disciplinarum studiis ornatissimus, qui & superiorum locorum, cum hos libros unà otiosi perlegeremus, me admonuit, & alia plurima in his additionibus nostris, qua est promptitudine, suggessit. Vt est illud circa annum Dom. cccc. cœpisse lapidea templa à Christianis exædificari. Quale fuit illud Brigantij ad lacum Podamicum à SS. Columbano & Gallo repurgatum, ut legitur apud VValefridum & VVettinum in vita Galli, apud Rapertum quoque cap. 1 & Theodorum in vita S. Magni. Quale & illud Kirchbergense, cujus Thomas Lyrer & Felix Fabri originem tradidere.

Sub Valentiano nominis Tertio.] Sub hoc enim Germanos Rhenum transgressos in Romanas provincias irruisse authorum omnium consensu constat circiter ann Salut cccc l. vel ut Sigebertus author est an. cccc lxxiv. *Ibid. 2.*

Franci longius à ripis Galliam ingressi.] Ottho Frisingensis lib 4. cap. penultimo. *Ibid. 3.*

Remigio authore.] S. Remigius Episcopus Remensis Ann. Dom ccccxc. *Ibid. 4.*

In vetustissimis Codicibus.] Legis Salicæ, quam posteaquam hæc Vadianus scripserat, edidit Ioannes Heroldt, cum aliis veterum Legum libris. *Ibid. 5.*

Nomine Imperij ad Francos, atque inde etiam ad Germanos translato.] De imperij translatione ad Francos & Germanos vide libellum Marsilij de Padua *de Translatione imperij*, & quædam apud Engelbertum Abbatem Admontensem *de fine Romani imperij.* *Ibid 6.*

Lothario, quem Clotharium scribæ Gallici vocant.] Fallit enim Franc. Guillimannus, qui in libris Antiquitatum scribit litteram C. in ejusmodi nominibus idem notari quod Kunig. Hac enim ratione omnes & sacerdotes, & monachos, & nobiles & plebejos Reges fuisse concedat, necesse est, quorum nomina in veteribus instrumentis & legibus Francorum manuscriptis ita scripta & picta observantur. Natus autem error ex barbara illa, & imis de faucibus ducta pronuntiatione, qua Helvetij nostri hodieque laborant. Hinc sine discrimine in illis libris legitur *Ludouuicus, Hludovicus, Chlodouuicus, Clodoveus, Lotharius, Hlotharius,* *Ibid 7.*

tharius, Chlotharius, Clotharius, &c. Rationem ejus rei tradit Bodinus in Method. histor. Hæc Goldastus.

Ibid. 8. *A Dagoberto in optimam formam redactæ.*] Leges Francorum à Dagoberto in formam redactæ, *nihil habent quod paganismum resapiat*, in epilogo legis Francorum, quem Heroldus fecit præfationem legis Salicæ, Iustinianum (opinor) imitatus. Goldastus.

Ibid. 9. *Nihil minus donatas & ornatas, quàm illas priores.*] Quas transportarunt & locis mutarunt. Hinc Rauracensis vetus in Basiliensem, Vindonissensis in Constantiensem, Aventicensis in Lausanensem, &c migrarunt ac transportatæ sunt.

Ibid. 10. *Irenæus vetus author meminit.*] Adversus hæreses lib 1. c. 3. ubi & Ecclesiarum in Celtis mentio. Nam & ipse Lugdunensis Celtarum Episcopus fuit.

Ibid. 11. *Quæ apud Curiam est vetusta.* De ejus vetustate Guillimannus lib. 4. c. 2.

Ibid. 12. *Scholarum vice cœnobia essent.*] Talia fere hodie esse novimus Collegia Iesuitarum, suo more modoque: Vnde & ab aliis *Seminaria*, etiam *Gymnasia* vocantur, in quibus scilicet ad Ecclesiæ suæ & Reipub. regimen semina jactentur & exerceantur, præsertim in America, ut ex Epistolis Iaponicis, si vera sunt, quæ ibidem memorantur, cognoscimus.

Ibid. 13. *Provincia Gallica cœnobia vidit.*] Sub Arcadio, Vero & Honorio Principibus. Auxit postea institutum Martinus Episcopus Turonensis, qui collectis discipulis severiorem quandam monasticæ disciplinæ regulam circiter annum Salut. CCCLXXXIIII. Gratiano imperante professus est: cujus vitam Severus Sulpitius Rhetor, & ipse postea monachus, cum multa ac prope ambitiosa laude monasticæ vitæ in literas retulit anno CCCC plus minus. Hunc postea secutus Ioannes Monachus cognomento Cassianus, qui & ipse de Monachis Ægypti, & monachismi laudibus in literas retulit, & monasteria duo Massiliæ condidit annum circa CCCCXL. ut quidam volunt. Cessatum dein nonnihil, quum magno omnium terrore Gotthi in Italiam, in Gallias autem Franci irruissent. Verum illis ad fidem conversis, augeri amplius, sed intra modum tamen, cœpere monasteria. Clodoveus enim à Remigio baptizatus non defuit monachismo, qui & in Alemannia à se devicta & magna parte in servitutem redacta, propagandæ gratia religionis, monasteria instituit, domos scilicet, in quibus regiis donationibus fovebantur, qui verbo Domini rudes illas & feras gentes ad fidem Christi cohortabantur. Sub hoc enim Principe duo monasteria, unum apud Turegum, alterum apud Lucernam à VVichardo & Ruperto fratribus Ducibus Alemanniæ seu Sueviæ, fundata sunt, omnium, quod sciam, Alemannicorum monasteriorum vetustissima, circa ann. Dom. DIII. regnante in Italia Theodorico Gotthorum Principe. Postea annis plus minus XXX sub Iustiniano Imp emersit S. Benedictus ille ἀρχιστράτηγος monachorum, anno Domini DXX.

Quum Theodosio Iuniore imperante.] Videndum an tempore Valentiniani ejus nominis Vltimi.

Ibid 14. *Cujus Basilium fecere authorem*] Cujus epistolam vide ad Greg de *vita solitaria.*

Anglis & Hybernis.] Hic nota, monachismum non quidem sub Gregorio in Anglia & Hybernia, sed antea incepisse Columbanus enim & Gallus XXV. annis ante Gregorij

Ibid 15. pontificatum ex Hybernia in Galliam trajecerunt. Gregorius igitur monachismo jam rece-

Ibid. 16. pto favens, Anglis & Hybernis affuit, missis, qui institutum monachismum juvarent & foverent: ita enim Lambertus tradit; *Gregor. Papa Augustin. Archiepiscopum cum monachis in Britanniam misit, ut genti Anglorum verbum Dei evangelizarent Dominicæ incarnationis ann.* DXCVI. Idem quoque tradit Sigebertus monachus.

Et veteri etiam in Germania plusculi consederint.] Quale est Scotorum monasterium

Ibid. 17. Herbipoli ad Mœnum, quod ab hinc aliquot annis cultoribus privatum, Monachis per Iulium Episcopum ex Italia evocatis recoli non ita pridem occœpit.

Anachoretarum] Anachoretæ tempore priores fuerunt Cœnobitis. Cœperunt enim

Ibid. 18. tempore persecutionum Decij & Valeriani annis plus minus CCL à Christi nativitate, ut Hieron author in vita Pauli Herem. to. 1. Hinc est quod Isidorus Epis. lib. 7. Etym. inquit; *Anachoretæ Heliam & Ioannem, Cœnobitæ Apostolos imitantur.*

Neque enim adeo vel addicti erant certo loco.] Tales quoque monachi fuere D. Hiero-

Ibid 19. nymus, Simplicianus, Augustinus, &c.

Vt non magna ex parte Ecclesiis interesse, &c.] Vide Hieronymum in vita Hilarionis, & in

Ibid. 20. Institut Monachi ad Rufinum, item ad Paulinum, & de Custodia virginit. ad Eustochium, &

Ibid. 21. Vitas patrum passim.

Certo fixoque in loco hærere.] Adeo ut Anshelmus lib. 1. de similitudinibus non veritus sit scribere; *In somnis* (nempe ergo, in somnis, inquit ille Plautinus senex) *se vidisse Angelum Dei describentem sibi quis esset verus monachus: nempe qui locum suæ habitationis perpetuum eli-*

Ibid. 22. *gat, in quo perpetuo habitare disponat.*

Sarabaitæ.] Vide 6. quæst. 1. c. *quidam monachi*, &c. *qui vero.*

Quod inflati vagarentur.] Inde *Gyrovagi* dicti, Ansegis. lib. 4. c. 45. Sed de his & aliis Monachis plura legere potes apud Anton. histor. part. 3. tit. 16. §. 4. *Ibid. 23.*

Quam ut à turba strepitu & sæculi curis semoti carnem frænare, &c.] Sic Plato in Timæo scribit, Sacerdotes apud Athenienses à populo separatim convixisse, ne aliqua profana contagione eorum castitas seu vita pollueretur. Et Hier. contra Iovinianum; *Stoicus vir eloquentissimus de vita antiquorum sacerdotum loquens ait, quod omnibus postpositis negotiis semper in templo fuerunt, & rerum naturas atque causas siderumque motus studiosissime contemplabantur, & nunquam se mulierib. miscuerunt, nunquam cognatos, propinquos, vel liberos viderunt ab eo tempore, quo divino cultui servire cœperunt: à carne & vino semper abstinuerunt propter tenuitatem sensus & vertiginem capitis & libidinis refrænationem: pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum: cubile de foliis palmarum habebant, & ocio nunquam torpebant*, &c. quæ vide apud eundem, & Iacobum Magni Sopholog. lib. 7. c 1. & adde epist. Basilij ad Gregorium Nazianzen. de vita solitaria. *Ibid 24.*

Mores componere, abstinentiaque sese exercere.] *Sancto Monasteriorum usu patientia coaluit, & durioris observationis consuetudo laborum tolerantiam hausit*, sicut de Eusebio Episcopo scripsit Ambrosius lib epist. 10. *Ibid 25.*

Nemo tantum suo consilio tribuebat, ut negaret rescindi posse, &c.] Vide Erasmum in vita Hieron. Huc faciunt quæ scribit Epiphan Cypri Episcopus contra Montanistas, hæres. 48. li. 2 tom. 1. *Nos vero non necessitatem imponimus, verum cum bono consilio admonemus exhortantes eum qui potest: non autem necessitatem imponimus non potenti, neque reiicimus ipsum à vita. Sanctum enim omnibus prædicavit, ut debilium infirmitatem portemus, velut etiam ipse S. Apostolus dicere comperitur, & tales redarguere, qui non sunt ejusdem doni; Iuniores, inquit, viduas reiice.* *Ibid. 26.*

Quin & evocati sunt sæpe è monasteriis, &c.] Possidonius in vita Augustini c. 11. *Proficiente vero doctrina divina sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentia & paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere. Episcopos & clericos pax Ecclesiæ atque unitas & cepit primo, & postea consecuta est. Non ferme decem, quos ipse novi sanctos & venerabiles viros, continentes ac doctissimos, B. Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes Domini Ecclesiis propagatis & monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt.* Hæc ille. Iustinianus Imperator prohibuit Episcopum ordinari, qui non xv. annos in monasterio monastica conversatione implesset, Novell. 123. c. 1. Et Iacobus Magni Sopholog. lib. 7 c. 3. scribit, *concludere Hugonem, quod canones rationabiliter diffiniant, nullum esse in Episcopum eligendum, nisi prius in sacris ordinibus fuerit religiose conversatus.* Augustinum fuisse monachum testatur ipse epist. 89. ad Hilar. in fin. 4. quæst. & contra litter. Petilian. lib. 3. c. 4 & Ambrosius part. 3. serm. 94. & Possidon. in vita Augustini c. 5 Ex monacho Presbyterum, ex Presbytero Episcopum se factum esse, & qua ratione scribit ipse ubertim *De communi vita & moribus Clericorum*, tract. 1. *Ibid. 27.*

Ac velut in ludo ad certamen instituti] Hieronymus *ludum* vocat *monasteriorum*: quia ex illis tanquam ludo prodibant viri exerciti & pietate & disciplina, qui magno cum fructu Ecclesiis adhibebantur Hinc à Basilio monachos ἀσκητὰς, hoc est exercitatores dictos fuisse Gregor. Nazianz. in orat. funebri in laudes Basilij habita docet. Vnde & ἀσκητικὸν, id est exercitatorium, Basilium scripsisse Hieronymus tradit, cujus fragmenta quædam Vollaterranus transtulit, certæ vitæ modum proponens, ad quam se monachi componerent & exercerent *Ibid 28.*

Labore illo manuum.] Alimonia monachis ex labore manuum, vide Augustinum in expositione psalmi 199. *Ibid. 29.*

Vota autem quæ monastica dixere.] Causa adjuvans fiduciæ operum vota monastica. *Ibid. 30.*

Nec mandata sed hominum præscripto instituta.] *Frustra me colunt docentes doctrinas hominum* Matth. 15. *Ibid. 31.*

Ditiores catalogo inscripti fratrum in numero haberentur.] Veteres Christianos mutuò se Fratres appellasse vel ex scriptura constat. Sed postremis temporibus ij tantum Fratres appellati à monachis, qui aliquid victui & amictui eorum suppeditarunt. Aliter quàm ab Augustino in Psal. 99. ubi de monachis ait; *Laborant manibus suis, inde se transigunt, non avare aliquid petunt Quicquid eis infertur à piis Fratribus, cum sufficientia, & cum caritate utuntur.* Fratres vocat homines Christianos quosvis, non eos tantum, qui præbendis monasteriorum suo sibi peculio coemptis gaudeant, ut hodie. *Ibid 32.*

Gregorij] Vide Gregorium in homilia 5. in Ezech. in fine. *Ibid 33.*

Augustinus.] Lib. 10. cap. 2, de civitate Dei. *Ibid. 34.*

Ber-

Ibid 35. *Bernardus.*] In sermone de Annuntiatione.

Ibid 36. *Sed gratis daretur sitientibus aquam illam vivam*] Esa 55. Ioan. 4. Hieron in Esai. d c. 55. quem vide.

Ibid. 37. *Nec dedit errores.*] NB. Carolus Magnus non dedit errores Ecclesiæ, sed temporum vitio recepit.

AD LIBRVM PRIMVM.

PAG I. NVM. I.

SYnodi Magonciacensis.] Synodus Magonciacensis celebrata est anno Domini DCCCIII. sub Carolo Magno.

Ibid. 2. *Magno Franci & Alemanni nobilitatem, &c.*] Tacitus in libello de Moribus Germanorum, Adamus Bremensis hist Eccles. lib 1. c. 5 Vvitichindus Monach. l. 1. Leges Francorum, Alemannorum, Francorum, & alij scriptores

Ibid. 3. *Nulli tum erant Episcopi suffraganei*] De Episcoporum autem derivatione & origine ut aliquid dicamus, sciendum est, quod *Episcopus* dicitur quasi inspector & speculator. Hoc enim sensu Cicero scripsit se episcopum designatum à Pompejo, ut oram Campaniæ maritimam specularetur. Ab Arcadio autem Iureconsulto, qui pani cæterisque rebus venalibus inspiciendis præsunt, Episcopi vocantur, l. ult. ff. *de munerib. & honorib.* Inde vocabulum illud ab Ecclesiæ Doctoribus propter singularem emphasim pastoribus etiam Christiani gregis attributum est, quod ovium curæ suæ commissarum doctrinæ, vitæ & morum inspectores essent constituti. Ab inspectione igitur, vigilantia, cura, labore, fide docendi, quam Ecclesiis debent, dicuntur Episcopi. Vnde postea & Latinæ Ecclesiæ, sicut & Presbyteri & Parochi, Diaconi, & alia nomina communi loquendi usu retinuerunt. Iidem autem fuerunt Episcopi, Presbyteri, & Parochi, iisdemque nominibus promiscuè vocantur tam in literis sacris, ut ad Philip. ad Timoth. 1 4. 2 ad Tim. 1 Act. 20. quàm à Patrib antiquis, ut Hieron. in epist. ad Oceanum, & in epist. ad Tit. c *legimus*, dist. 93. sed & à Chronographr. Francicis & veteribus fundationum chartis, sæpe Episcopus pro Parocho, & è contrà: & Parochia pro diœcesi ponitur. Quod ideo factum videtur, quod omnes olim paris gradus & æqualis authoritatis essent, & *uno* (ut Ambrosius inquit ad Ephes. 4.) *recedente sequens ei in ordine succederet.* Verum quia communis illa Presbyterorum administratio per vices visa est incommoda, & *sequentes Presbyteri cœperunt inveniri indigni ad tenendos per vices primatus*, ait idem Ambros. ideo ne indigni temerè usurparent, & esset multis scandalum, tum etiam ut dissensionum materia & schismatum semina tollerentur, & ut Hieronymus inquit, *Ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet*, factum est, ut unus ex Presbyterorum ordine in singulis civitatibns ordine cæteris præficeretur, ita ut cum eorum consilio omnia gereret & administraret. Hinc nomen Episcopi, quod ante omnibus erat commune, attributum est uni, quo facilius insigni aliqua propriaque appellatione à cæteris discerni posset. Proinde ex eo tempore reliqui Presbyteri nunquam Episcopi sunt appellati; quamvis Episcopi Presbyterorum nomen non respuerint, ut legendum est apud Euseb lib. 5. c. 3. hist Eccles. & Tripart. lib. 4. c. 24. Multiplicatis autem per omnes provincias Ecclesiis, cum neque ad communia capienda consilia, quibus semper opus fuit, convenire, neque communi per omnia consensu regi posse viderentur, confusionis vitandæ causa certa quædam ratio & forma cogendorum cœtuum, quas *Synodos* vocabant, instituta est, &, ut coniicio, sub Constantino Magno, divisis per spatia certa regionibus, ita ut unusquisque Episcopus sua regione contentus, ab alterius administratione & cura abstinere. Qui enim facilius vel utilius convenirent, quàm quos ipsa vicinitas, eadem lingua, ijdem maxima ex parte mores, & mutua in rebus civilibus commercia, copulant? Hinc dubio procul post ordinem inter ejusdem oppidi & vicini territorij Presbyteros positum, illa episcopatuum in diœceses & metropoles distributio cœpit à Constantino Magno reddita Ecclesiis pace. Quæ tamen, ut voces ipsæ arguunt, à Græcis Ecclesiis originem habuisse videtur, non quidem, quod sciam, ab aliquo coeuntium Patrum Concilio aut decreto profecta sit, sed quod natura suadente & necessitate flagitante ad exempla Reipubl Romanæ efformata est. Hoc enim vult illud Hieronymi epistola ad Titum; *Noverint Episcopi consuetudine se magis quàm Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse majores*, &c Stante enim Republica Romana, erant provinciæ in diœceses, quasi gubernationes dicas, id est certa spacia, distributæ, in quarum præcipuis urbibus Præsides conventus suos agebant, cujus novem Plinius in Asia numerat hist. natur. lib 5. c. 29. & seq quarum septem in Apocalypsi recensentur. Metropoles autem dictæ sunt civitates, ex quibus deductæ fuissent aliquando Ecclesiæ: quæ appellatio postea penes celeberrimas & frequentissimas civitates mansit, quasi materna quadam authoritate eminentes. In oppido igitur cujusque diœceseos præcipuè primus

l. 2. l. 21. l. 34. l. ult. C. de sacros. Eccl. l. 5 auth. sed neque, eod Novell. 54.

Euseb. lib. 5. c. 24 c. 13. q. 1. dist. 80. c. episcopi

primus Presbyter, qui & περὶ κατάχρησιν. Episcopus vocabatur, in communi quotidiana jurisdictione, cæteris tum urbanis, tum aliis ejus regionis Compresbyteris, id est toti diœcesi præerat: non quidem gradu aut imperio vel dominationis authoritate, sicut Bernardus ad Eugenium inquit lib. 2 *Nomen Episcopi non sonat dominium, sed servitutem*: verum ordine & primi in sacro consessu loci dignitate, scribente Augustino epist. 19 *Secundum honoris vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus major est presbyterio*: in singulos quidẽ inspectionem hactenus habens, ut eos & officij admoneret, & de rebus ad diœcesin vel morum censuram spectantibus ad Compresbyteros suos (quorum cœtum, *Senatum Ecclesiæ* Hieronymus vocavit, c. Ecclesia, 16 q. 1.) referret, sententias rogaret, & quod visum decretũque esset, pronuntiaret, à quo judicio ad synodum provincialem provocare licebat, c. 6. q. 3. & 4. Quoniam autem regio interdum latius patebat, quàm ut commode in urbem quavis occasione venire possent, Episcopi, ut verisimile est, otio & quieti consulentes, vicis & pagis, qui non minus quàm urbes, communi inspectione egebant, vicarios quosdam Episcopos ordinare soliti sunt, qui *Chorepiscopi* nominabantur, quasi χωρικοὶ, id est rustici, regionarij, sive vicarij Episcopi: quia non in civitate, sed ruri per vicos & pagos munus gerebant. Horum primam mentionem factam iuvenio in Concilio Ancyrano can 12 item Neocœsariensi can. 13. & Antiocheno can. 8. & 10. Et quia insolenter sese cum Episcopis gererent, nec ulla satis bona ratio eorum institutionis appareret, eorum munus sublatum & antiquatum est: in quorum tamen locum successisse vel surrogatos fuisse mihi videntur *Archipresbyteri vicani*, de quibus in c. ult. de officio Archipresbyt. *Metropoleos* autem *Episcopus* inspectionem & ἐπισκοπὴν in ejusdem provinciæ Coepiscopos habuit, ad quos eodem, quo diœceseos Episcopus in suos Compresbyteros, ordine, bis aut minimum semel in anno congregatos de omnibus totius provinciæ negotiis, & eorum qui ad synodum provincialem provocarunt controversiis referebat, & sententias rogabat, ut quod majori parti visum esset, decerneret. Quod si pares fuerunt Episcoporum sententiæ, tum alios aliquot ex propinqua provincia evocabat, qui ambiguitatem cum provinciæ Episcopis tollentes, quod alteri parti visum esset, confirmarent. In qua synodo Episcopus, qui alicui ejus provinciæ loco præesset, & ipse ut Metropolitanus creabatur, nec ab ea sententia cuiquam ab omnibus provinciæ Episcopis damnato provocare licebat, cavente id Concilij Antiocheni canone xv. Et hæc quidem fuit Ecclesiarum Christianarum per diœceses & provincias distributio, non temere profecto, sed prudenter & commodè à nonnullis inchoata, & deinceps multorum conventuum sacrorum decretis in universo terrarum orbe confirmata, ut Concil. Nicen. can. 6. anno Dom. CCCXXV. & Conc. Constantinopol. can. 2. anno Dom. CCCLXXXI juncta l. 3. C. Theod. de fide Catholic. Nulla autem alia Patrum mens fuit, cum hanc προστασίαν in diœceses, & has rursus in Provincias sub uno quopiam cæteris præeunte distribuerent, quam ut Ecclesiæ non cujusquam arbitrio, sed communi gubernatorum divinitus constitutorum, & in nomine Domini ritè & ordine congregatorum sententia & consensu, sicut inter pares regerentur, Diœcesano videlicet primo Presbytero in trimestribus illis conventibus, quorum vestigia quædam adhuc extant, sic suis Compresbyteris præeunte, & primo Provinciali Episcopo in semestribus provincialibus synodis ita omnia inter Episcopos moderante, ut quemadmodum veteribus canonibus disertè præcipitur, nec à primo Presbytero absque suorum Compresbyterorum, nec à primo Episcopo absque suorum Coepiscoporum sententia & consensu, nec vicissim quidquam ab istis absque suo duce & moderatore gereretur: quin ordinem & in generalioribus atque adeo œcumenicis synodis observatum esse ex earum historiis liquet, Rufino lib. 10. histor. & Socrate Ecclesiast. hist. lib. 3. Usque adeo autem humano hoc instituto quamvis pio & nunquam satis laudato, neque Sathanæ ad irrependum in ipsa Ecclesiæ viscera aditus satis fuit occlusus, neque coerceri ambitio & avaritia, pestes illæ religionis deterrimæ, potuerunt, quin hominum vitio, non patrum culpa, successu temporis pulcherrimus hic ordo in oligarchiam quandam & demum in horrendam illam Antichristianam tyrannidem Oecumenicam transformatus sit. Cum enim προστασία illa, quæ ordinis & muneris ab initio fuit, postea sublata electionis libertate, quæ loco successionis per vices constituta fuerat, & certæ civitatis sedi addicta & perpetua constituta, gradus superioritatis & Imperij, dominationis & potestatis præeminentia facta est, spiritus ambitionis & avaritiæ facile irrupit, & quod unum synodorum remedium habebat ab Apostolis adversus omnes hæreses & ἀταξίαν Ecclesia, malum omnium pessimum evasit, & primò quidem in gradum superiorem, mox ab hoc gradu in horribilem illam tyrannidem conscendit. Episcopi enim Diœcesani hac προστασίας innovatione & obtentu omnia sensim ad se pertrahere studebant, nec solum Presbyteros κυβερνήτας, quos Laicos appellare cœperunt, quasi ad Ecclesiasticam εὐταξίαν nihil pertinentes, expulerunt, sed etiam aliis Compresbyteris suis jam non præeuntes in communibus deliberationibus, sed arbitrio suo dominantes, alios quidem ad suas parochias relegatos ab episcopali consilio excluserunt, alios vero quot & quoties libuit, assumere cœperunt, non quibuscum propriè de rebus Ecclesiæ deliberarent, sed quorum

Vide epistol. Damasi & Leonis I. 86. & dist 68. c. quamvis, & seq.

Can. Apost. 33. Concil. Antioch. can 9. c. annis, 18. dist. cap. sicut olim, de accus. & c. habebatur, & c. seq. & c. propter 18. dist. Novell. 123 de sanctiss. Episcop.

Ex cano. 9. Concil. Anthiocheni.

opera vicaria uterentur. Vnde tandem prò Christiano illo presbyterio Officiales, nescio quos & Curiam à mundanorum Principum foris nihil differentem habere occæpit. Provinciales autem illi Episcopi, abjectis modestissimis titulis Apostolicis, quibus etiam nec aliis in vetustis illis & purioribus canonibus *primi Presbyteri*, *primi Episcopi*, item πρόεστωτες, πρωτοκαθέδραι, appellati sunt, & assumptis magnificis illis & fastuosis *Patriarcharum. Episcoporum, Metropolitanorum*, non minus ambitiose se gesserunt, aliis aliorum fines quamvis variarum synodorum canonibus descriptos invadentibus. Notum est enim ex illorum temporum historia, adeo inter se tumultuatos esse, quum synodus Nicæna cogeretur de gubernationis suæ finibus, ut nullum finem concertationes illæ habituræ fuissent, nisi libellos accusatorios ab Episcopis sibi propositos, congestos in ignem Constantinus Imp. abjecisset, Euseb. de vita Constant. lib. 3. c. 13. Ruffin. hist. Eccles. lib. 1. c. 16. Sozomen. hist. Eccles. lib. 1. c. 16. c. ult. dist 22. Quamvis nec tum quidem desierint. Cõstantinopolitanus enim, cujus sedes nullum nomen acceperat, teste Gelasio Primo, nedum ut inter Metropolitanos censeretur, non destitit, donec in Concilio Constantinopolitano primo secundum ab Episcopo Romano locum & honorem primatus inter Metropolitanos obtineret. Qua de re est canon 3 ejus Concilij & in synodo II. Constantinop. can 36. & Novel. 131. & l. 16. C. de sacros. Eccles. ubi ab Imperatore Zenone idem confirmatur, & in l. 24. C. eod. ab Iustiniano Imperatore vocatur *caput reliquarum Ecclesiarum.* Videtur autem eadem nisus ratione, qua Romanus Episcopus dominari jam cœperat, nempe, quod Constantinopolis Regia esset civitas, & Nova Roma. Quod cum Gelasius ille in epist. Dardaniæ Episcopis inscripta merito irrideret; *Alia*, inquiens, *est regni secularis potestas, alia dignitatum Ecclesiasticarum distributio*: tamen adeo non profecit, quin nihilominus in Chalcedonensi illa Oecumenica Synodo, alioqui quod ad doctrinam venerabili & orthodoxa Constantinopolitano non tantum primatus ille secundus, licet repugnantibus Episcopi Romani Legatis confirmatus, verum etiam contra Constantinopolitanæ synodi canonem 2. ditio longè lateque ampliata fuerit. Verùm ne tum quidem, quæ ambitionis rabies est, modum ullum tenuere: sed aliquanto post tempore, in sexta Constantinopolitana Synodo in Trullo habita, Quartumviratus ille, quo Romanus Occidentem, Constantinopolitanus cum vicina regione Orientem, Alexandrinus Africam, Hierosolymitanus autem dicis caussa quartum locum nactus est, Antiocheno, cujus anteanobilissimæ Ecclesiæ sedes tertia inter Metropolitanos numerabatur, cæterisque deinceps Metropolitanis sub Quartumvirorum illorum jugum redactis, ad instar Triumviratus Romani invectus est: quæ non magis Rempublicam Romanam, quàm hic ille Ecclesiam Christianam pessumdedit, & perdidit. Quemadmodum enim Triumviratus aditum Augusto ad imperij monarchiam patefecit, pari ratione Quartumviratus ille dominationi monarchicæ in Ecclesia januam aperuit. Cum enim Alexandrinus & Hierosolymitanus, qui non tanta, quanta reliqui duo ob sedem imperij & honorem, dignitate præeminerent, sed intra suæ se sedis limites continerent: Romanus nec parem magis, quàm Pompejus, nec Constantinopolitanus majorem magis, quàm Cæsar, ferre potuit, & quasi (ut Alexander Dario respondit) *sicut mundus à duobus Solibus, sic Ecclesia duobus Patriarchis regi nequiret*, inter Duumviros illos, spectantibus reliquis duobus, infinita de primatu orta sunt certamina. Et Gregorius quidem Romanus adversus Ioannem Constantinopolitanum, qui se Oecumenicum, id est, universalem vocari volebat, recte & probè scripsit; *Antichristi præcursori hanc appellationem convenire*: sed imprudenter, & nihil tale cogitans contra suam ipsius sedem Propheta exstitit. Bonifacius enim ejus nominis Tertius, secundus à Gregorio, tantum abfuit, ut prædecessoris sui sententiam probaret, ut è contrario à patricida illo Phoca *Capitis Ecclesiæ Christianæ*, ut scribit Paulus Diaconus, verè Antichristianum nomen postularit & impetrarit. Quod haud alio fonte, quàm à πρωτεῖα illa certæ sedi, electionis libertate sublata, perpetuò addicta, ceu diximus, emanavit. Cum enim dominatio hinc quædam Episcopalis Diœcesana supra Compresbyteros, Metropolitana supra Provinciales Episcopos, Patriarchalis quadruplex supra Metropolitanos Coarchiepiscopos, invecta atque constituta erat: eadem certè parique ratione Monarchicum demum supra Compatriarchas imperium, sive Catholicum supra Catholicam Ecclesiam universam dominium erectum fuit, nec ante quievit ambitio, quàm gradatim ad fastigium summum horribilem suam tyrannidem perduxerit. Inde factum, ut Sathana interim dum his de rebus isti rixantur, doctrinam ipsam miris modis depravante, in ipsam quoque fidem dominationem usurparit. Id quod jam Bernardus etiam quæstus fuit, cum manifestò scripsit ad Pontificem epistola 230. *Et olim quidem eratis contra, Apostolum Petrum dominantes in Clerum, imo & contra Coapostolum ejus Paulum dominabimini fidei totius orbis. At nunc novum aliquid addidistis usurpantes amplius & in ipsam religionem: quid restat, nisi ut adiiciatis & ipsis Angelis sanctis dominari?* Quin immo nec ista in miseras conscientias tyrannide contentus, ipsa denique Cæsarum & Regum sceptra sibi, honorandi sacri ministerij obtentu subjecerit. Quam cala-

Can. ult. synodi Ephes. anno Dom. CCCCXXXI

Can 28. An. Dom DLV.

c antiqua de privileg vide dist. 22. per totã. De Antiochena vide Chrysost. homil 3. & 16.

Grego. li 6. epist. 188. & 194 li. 7. epistol. 7479. & 8. & ad Eulog. Alex Episc in epistol. part. 7. ep. 30. & ecce. distin. 99. & c. legimus. dist. 93.

An. Dõ. DXLIV.

An. Dõ. DCIV.

Lib. 3 de gest. Rõ. ca. 18.

calamitatem à Ioanne in Apocalypsi, & Sancto Paulo epistol 2. ad Thessal. apertissimè prædictam maturè etiam prævidit Gregorius Nazianzen. optimo jure omnem illam προεδρίαν penitus sublatam esse exoptans, qui de ea in oratione post suum in Vrbem reditum in hæc verba disserit; *Propter hanc*, inquit, *res omnes nostræ jactantur & concutiuntur: propter hanc fines orbis terræ versantur in suspicione, & bello, eoque surdo, & ne nomen quidem habente: propter hanc periculum est, ne ab hominibus esse censeamur, quia Deo sumus, & ne magnum illud & novum (nempe Episcopi) nomen amittamus. Quod utinam neque esset præsidentia, neque loci prælatio, neque violenta praeminentia, ut ex sola virtute agnosceremur. Nunc enim dextrum hoc latus, & sinistrum, & medium, & sublimior & inferior sedes, & illa praeeundi, vel eodem gradu incedendi consuetudo, multas nobis clades nequicquam intulerunt, & multos in foveam impulerunt, atque ad hircorum locum abduxerunt, non ex inferioribus: sed jam etiam ex pastoribus, qui quum essent magistri Israelis hæc ignorarunt.* Hactenus Gregorius, cui non solum fastuosa illa nomina, sed res quoque ipsæ, non minus quàm aliis quoque Patribus, adeo displicuerunt, ut ne *Exarchi* quidem appellationem, longè tamen modestissimam & sacrarum communionum deliberationum inceptori convenientissimam, ferre potuerint, sed in celeberrima illa Carthaginensi Synodo expressis verbis expunxerunt, & generaliter ejusmodi voces omnes damnarunt, atque adeo certam Metropolitanis illis appellationem, ne *primi* quidem *Episcopi*, sed duntaxat *primæ sedis Episcopi* assignarint, caventes ne famosus ille fastus mundi in Ecclesiam introduceretur, quæ lucem simplicitatis & dimissionis animi iis præfert, à quibus conspectus ille diei Domini expetitur, sicut ipsi Patres in epistola ad Cœlestinum Vrbis Romæ Episcopum missa scripsere. Nec prætereundum, quod ante Concilium Chalcedonense, quod incidit in annum Christi circiter CCCCLV. nulla, quod ego deprehenderim, subscriptio Synodica comperiatur, in qua Archiepiscopus inscribatur. Sed concedamus Patribus nihil malè suspicantibus pro primis Episcopis Archiepiscopos & Patriarchas jam olim vocatos fuisse, (fuerunt enim initio iidem Metropolitani, Archiepiscopi, & Patriarchæ dicti) tamen certum est, primitivæ Ecclesiæ ignota hæc nomina fuisse: nec dubitamus, cum postea usurpari cœperunt, quin jam tum sit molitus Sathan jacere tyrannidis illius fundamenta. Apud Francos quidem & Germanos, ut est apud Ansegisum libro 1. cap 8. neque Metropolitanus sine Coepiscoporum suorum consilio, neque Episcopi rursus sine Metropolitani scientia in parochiis quidquam innovare poterant. Vnde Episcopi, qui ad Metropolitanum respiciebant, *Suffraganei* etiam dicebantur, quasi Metropolitanorum auxiliarij, quod auxilio & suffragio Metropolitanis assisterent, vel absentium vices gererent. Qua significatione usurpatur etiam à Radevico libro 2. de gestis Frider cap. 74 Parique ratione Chorepiscopi Episcoporum suorum suffraganei quodammodo erant. Longè tamen alij utrique à μυσταγωγοῖς sive *Initiatoribus* illis & *Cæremoniariis*, quos multo post tempore institutos Suffraganeos etiam & Vicarios vocarunt. Operæpretium autem, nec minus Lectori rem gratam facturum nos putavimus, si Metropolitanorum Francorum, & Germanorum, quales & quot quisque sub se Episcopos, vel Metropoleon, quales sub se illo tempore civitates habuere, distributionem ex vetustissimo quodam Codice, qui anno Regni Caroli Magni XLII. Imperij autem IX. scriptus est, desumptam hîc subijceremus, quæ ad hunc modum habet.

Concil. Chartag. III. can. 26 c. 42. unde c. primæ sedis, dist. 99. & seqq c. multi, c. quicunque, distin. 4. ex Chrysost.

BREVIS ANNOTATIO DE CIVITATIBUS ET METROPOLEIS, VEL QVALES sub se habent civitates.

Prima Provincia Lugdunensis habet civitates numero V
Metropolis civitas Lugdunum.
Civitas Eduorum.
Civitas Lingonum.
Civitas Capillonensis.
Castrum Matisconense.
Secunda Provincia Lugdunensis habet civitates numero VII.
Metropolis civitas Rotomagus.
Civitas Bajocassiani.
Civitas Abrincatum.
Civitas Ebroicorum.
Civitas Sajorum.
Civitas Lixoviorum.

Civitas Constantia.
Tertia Provincia Lugdunensis habet civitates numero XIX.
Metropolis civitas Turones.
Civitas Cennomania.
Civitas Redonis.
Civitas Andegavis.
Civitas Namnetis.
Civitas Corisopitus.
Civitas Venetus.
Civitas Osismus.
Civitas Dioblentus.
Quarta Provincia Lugdunensis habet civitates numoro VIII.
Metropolis civitas Sennones.
Civitas Carnotum.
Civitas Otissiodoro.
Civitas Autricus.
Civitas Tricasium.
Civitas Aurelianis.
Civitas Parisius.
Civitas Melnis.
Prima Provincia Belgica habet civitates numero IV.
Metropolis civitas Treveris.
Civitas Medomartis, id est Metis:
Civitas Lecorum, id est Tullo.
Civitas Viriduno.
Secunda Provincia Belgica habet civitates numero XII.
Metropolis civitas Remis.
Civitas Sessionis.
Civitas Catalonis.
Civitas Veremundis, id est Noviomacus,
Civitas Atravitum.
Civitas Camaracus.
Civitas Turnacus.
Civitas Silvanetis.
Civitas Belviaco.
Civitas Ambianis.
Civitas Morinus, id est Ternacus.
Civitas Bononia.
Prima Provincia Germanica habet civitates numero II. *Metropolis civitas Agrippina, id est* Colonia.
Civitas Tungris.
Secunda Provincia habet civitates numero VIII.
Metropolis civitas Moguntiacus.
Civitas Argentoratensis, id est Stratburg.
Civitas Nemnetis, id est Spira.
Civitas VVangionum, id est, VVormatia.
Civitas VVirtzburgensis.
Civitas Constantia.
Castrum Rubilocus, quod Eichsteti dicitur.
Civitas Augusta Vindelicûm, id est Auverpurch.
Provincia Bajoariorum, id est Noricus Ripensis super Danubium, sive Noricus Mediterraneus habet civitates numero VI.
Metropolis civitas Iuvavo, id est Salzburg.
Civitas Regino.
Civitas Pataviæ.
Civitas Frigisiensis.
Civitas Nova.
Civitas Sabionensis.
Provincia Sequanorum habet civitates numero VII.
Metropolis civitas Vesontio.
Civitas Equestris, id est Aventicus.
Civitas Basiliensis.
Civitas Vindonensis.

Civitas

Civitas Argentariensis.
Civitas Ebritunensis.
Civitas Rauracensis.
Provincia Alpium Penninitarum habet civitates numero I.
Metropolis civitas Centronium, id est Darantasia.
Civitas Valensis.
Provincia Meninsis habet civitates numero X.
Metropolis civitas Vienna.
Civitas Gennavensis.
Civitas Gratianopolis.
Civitas Albensis, nunc Vivario dicitur.
Civitas Detensis.
Civitas Valentina,
Civitas Trecastina.
Civitas Vasensis.
Civitas Aurausicus
Civitas Carpentoratensis, quæ nunc Vitasca dicitur.
Item Provincia Meninsis habet civitates numero IV.
Metropolis civitas Aralas.
Civitas Massilia
Civitas Avennicus.
Civitas Cabellicus.
Prima Provincia Aquitanica habet civitates numero VIII.
Metropolis civitas Bituricas.
Civitas Arvernus.
Civitas Rotensis.
Civitas Albiensis.
Civitas Catusca.
Civitas Limodium.
Civitas Cabalum.
Civitas Vellaborum.
Secunda Provincia Aquitanica habet civitaies numero. VI.
Metropolis civitas Burdegala.
Civitas Agemnensis.
Civitas Aequolinsis.
Civitas Santonis.
Civitas Pictavis.
Civitas Petrocorio.
Provincia Nova Popularia habet civitates numero XII.
Metropolis civitas Elosacis, id est Austius.
Civitas Aquinsis.
Civitas Latcoruntis.
Civitas Consorumnis.
Civitas Boatius.
Civitas Berunensis.
Civitas Aturinsis.
Civitas Vasatecas.
Civitas Turbaudis.
Ci itus Elorona.
Civitas Eloratis.
Prima Provincia Narbonensis habet civitates numero VIII.
Metropolis civitas Narbonas.
Civitas Tolosatis.
Civitas Agatensis.
Civitas Megalonensis.
Civitas Biterensis.
Civitas Nemonensis.
Civitas Lutunensis.
Civitas Vtiense.
Secunda Provincia Narbonensis habet civitates numero VII.
Metropolis civitas Aquensis.
Civitas Aptensis.
Civitas Regensis.

Civitas Foriuli.
Civitas Vapcensis.
Civitas Segestino.
Civitas Antipolitana.
Provincia Alpium maritimarum habet civitates numero VIII.
Metropolis civitas Ebrodunum.
Civitas Viennensis.
Civitas Rigomunensis.
Civitas Solinensis.
Civitas Sunitinensis.
Civitas Clunatecas.
Civitas Celmenensis.
Civitas Vinsintensis.

Hanc Diœceseon & Metropoleon distributionem, quæ sub Carolo Magno fuit, à posterioribus Imperatoribus Episcopatuum translatione & novorum institutione sæpe immutatam esse minime dubium est.

Ibid. 4. *Canonici autem dicti.*] *Canonici* à regula dicti: hinc *canonice vivere*, cap. quoniam, 12. quæst. 1. Ansegis. lib. 1. cap. 69. in fine. Quidam à lectione librorum Canonicorum *Canonicos* dictos putant, sicut & *Canonicas horas*, Bullingerus homil. 54. Quod jure atque merito irrisit Goldastus ille noster, cum anno Domini MDXCIX. à me quæsitus ita super hac voce litteris responderet; *Ego video veteres in omni vita & scientiarum genere tradendo certas regulas & compendiosas institutiones plurimum adfectasse. Inde Vegetius lib. 3. cap. 26. recenset regulas aliquas generales bellorum. Idem Medicis præstitit in Aphorismis Hippocrates. Eodem fine Anianus ex Pauli sententiis quasdam Gotthis suis selegit, quæ hodie Receptæ Pauli sententiæ dicuntur. Ita veteres Episcopos Fratribus suis (ita vocabant eos, qui cum ipsis in communi vita constituti vivebant) certos vitæ disciplinæque atque adeo omnium dictorum factorumque canones, id est regulas præscripsisse indubium esse arbitror. Observavi ex Augustino Clericos non separatim (ut hodie) sed in eisdem cum Episcopo ædibus habitasse: Sic enim ille De communi vita Cleric. serm. 1. Nostis omnes, inquit, aut pæne omnes, sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum; Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Horum Fratrum officium atque institutum quid & quale fuerit, persequitur idem Augustinus in expositione Psal. 99. Quibus idem Augustinus certam vivendi regulam præscripsit, quæ hodieque exstat. Nec moror heic Erasmi censuram, quam Richardus Cenomannus jam olim refutavit. Regulas autem Græci κάνονας nominitant. Unde tit. Pandect. De diversis regulis juris, lib. 2. Eclog. 3. Basilic. & apud Harmenopul. lib. 6. cap. 2. inscribitur περὶ κανόνων διαφόρων νομίμων. Inde ergo dicti Canonici fratres illi in consortio Episcoporum, à Germanis Tumherrn/ à domo, quia in eadem cum Episcopo domo versabantur.* Hæc ille.

Ibid. 5. *Ædes Episcoporum &c. Monasteria dicta sunt.*] Collegia etiam *Monasteria* dicta, hodie Münster/ antiquitus *Dominica* appellata, non à domo (quod pace Goldasti nostri dictum volo) sed à Domino, quod in ijs propter Dominum coibant. Hinc Germani Episcopalia & Cathedralia templa adhuc Tomkirch/ & Canonicos Tomherren/ appellant. Vide Eusebium lib. 9. cap. 10. Caspar Hedion, in edicto Galerij Maximini, & B. Rhenanum. *Claustra* quoque dicebantur *à cludendo, quoniam* (ut inquit B. VVolkuinus Abbas in Seidichenbach in homil. sua, quam in Evangelio Matth. de zizania & semine contra cleri vitia scripsit) *non solum corpore, sed & corde intus manentes omnes sensus suos ab appetitu seculari, ab omni concupiscentia temporali strenue clauserunt. Hodie à claudicando rectius dicuntur, quia uiri claustrales rebus temporalibus inhiant, quasi in utramque partē claudicantes, dum servire Deo volunt & Mammonæ, religioni & ambitioni, polo simul & foro.* Ideo autem Collegia, Monasteria & Claustra quoque promiscuè dicta fuisse puto, quod vitæ ratio à Monachorum instituto non multum discrepabat. Hinc *Canonicus ordo & monasterialis* competentia in diplomate quodam Regio apud Albertum Krantz pro eodem ponitur libro 2. histor. cap. 15. Sed posteaquam Canonicorum sodalitia nonnulla iis vinculis soluta liberataque sunt, factum est, ut cæteri ab imperitis, qui vim verbi Græci parum assequebantur, non simpliciter Canonici, sed *Canonici regulares* dicerentur: quasi diversa esset utriusque vocis significatio, quæ tamen una eademque est, & sicut in doctrina, ita vita & moribus quoque plane similes sunt.

Ibid 6. *Comitatus primis illis.*] *Acoluthi* dicebantur, quod Episcopum comitabantur.

PAG. 2. NUM. I.

Nec luxum decere, nec ornatum Episcopos.] Vide cap. jubemus, de consecrat. distinct. 1.

Ante

Ante omnia illud agebant Episcopi.] *Quatuor sunt*, inquit Abbas VVolkuuinus, *in quibus Episcopus tenetur subditis: exemplum bonæ conversationis, pabulum sanctæ prædicationis & temporalis sustentationis, & diligens executio officij, & suffragium divotæ orationis* Hieronymus epistola 100. *alloquēs* Episcopū; *Domus tua cōversatio constituta est in gratia publicæ disciplinæ: quicquid feceris, omnes faciendum esse putant: Cave igitur, ne malum committas : quoniam qui reprehendere volunt, repudiantur, si delinquentes fore videantur.* Et mox; *Subvenire pauperibus, visitare languentes , gaudere cum gaudentibus debes.* Videndus Iacobus Magni Sopholog. lib.7.c 3. *Ibid.2.*

Cæterum & hunc sanctissimum morem]Idem Magnus d.loco ; *Plures tamen insipientes sunt viri, qui vita maculati ad præsidium sublimantur: & quod detestandum nimis est, ad præsidentiam tanquam ad patrimonium curritur, veterumque exempla negliguntur.* *Ibid.3.*

Cum artium aliarum tum sacrarum litterarum.] In antiquis Christianorum Ecclesiis certi quidam deputati erant, qui non tam sacras literas, quàm reliquas totius Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, necessarias artes, studiosis hominibus profiterentur. Loca, in quibus docebant, σχολαὶ Græci, unde *Scholastici*, quod dignitatis tantum nomen hodieque in Ecclesiis permansit: & διδασκαλεία, unde *Didascali*, quales fuerunt Panætus apud Euseb l.5 cap 10. & Didymus apud Ruffinum l.2.c 7.&c qui Alexandriæ claruerunt. Hæc Goldast. *Lectores* apud Græcos ἀναγνωςαὶ dicebantur, quo munere aliquando functum esse Iulianum Imper. testis est Theodoretus. vide Tripart. libro 9. cap. 38. *Ibid.4.*

Turpissimum, docere velle quod non didicisset.] Novella 23. cap. . §. damus, & facit c. officium tui, extr. de elect. ubi Gloss. &c. quamvis, cum gloss fin. de ætat. & qualit. *Ibid 5.*

PAG. 3. NUM. I.

Aut nulla aut rara in sacris ædibus simulacra.] Euseb. lib.7 c.14. Eccl. histor inquit; *Nonnullos ex gentilibus ad Christum conversos gentilem servasse morem, ut icones apud se servarent, non tamen ad cultum, sed in amoris signum*: vide Bullingerum in libello de orig. erroris in Divorum & simul. cultu. Rara tum in templis nostris simulacra fuisse, vel illud arguit , quod à Carolo Magno in Synod. Francofurti ann. Domini DCCXCIV. convocatâ, decreta septimæ Synodi Constantinopolitanæ, ceu iconolatrica, damnata & rescissa fuere. Quin etiam ipse Imperator Carolus contra Imagines elegantissimum librum conscripsit, ubi inter cætera ; *Domus Dei decorem non in imaginibus materialibus* , inquit ; *sed in virtutibus refulgentem licet videre* vide Aventinum

Picturas.]Paulinus Nolanus picturarum in templis author tempore Theodosij II. & Martiani. *Ibid.2.*

Reliquiæ Sanctorum] Reliquiarum honos & cultus tempore Hieronymi cœpit. Adversus quem Vigilantius scripsit, & ante eum Tertullianus in libro , quem Scorpiacôn vocavit, & in lib. de Resurrect carnis, vide Ruffinum lib.11. Eccl. hist. c.33. & Augustin. lib. 22 c 10. de civit. Dei. Constantini Magni tempore cum Ecclesiis pax data esset, cœperunt mirari Martyrum ossa magis, quam vitæ institutum & testimonium. Hieronymus autem primus superstitionem hanc adserere conatus est. Bullinger. in lib. de orig. cult. simulach. *Ibid.3.*

Ab Ethnicis etiam cordatioribus]Præter Persium Cicero lib.2. de Legibus , quantum opes à sacris abesse debeant in illis verbis docet; *Opes amovento.* Vbi & Platonis adducit verba hæc , *Aurum & argentum in urbibus & privatim & in fanis invidiosa res est*, &c. *Ibid.4.*

Insuetis antea & insolitis auxit.] Quas à Romanæ sedis Episcopis, Gregorio Magno cæremoniarum magistro, eas primum instituente, accepit. *Ibid.5.*

Eum luxum disciplinæ corruptela.] Vide Bullinger. in lib de origin. err. Missæ. *Ibid. 6.*

Aureos quondam Presbyteros, &c.] *Sacram cœnam non aurea vasa , sed aureas mentes requirere*, Chrysostomus dixit. Et D. Hieronymus Exuperium Episcopum Tolosanum laudat, quod in sacra cœna calatho & calice vitreo usus est. *Ibid.7.*

Et cibum & somnum communem, &c.]In Concil. Magonc. can. de vita clericorum, 12. q.1.c. necessaria, & dist. 32. c. præter. *Ibid.8.*

PAG. 4. NUM. I.

Et legum præscripto &c.] Ansegisus lib 2 c.26. Cod. Theodos. lib.16. in tit. de Episcop. Eccles. & clericis, Hieronym ad Eustoch. de servanda virginitat. tomo 1.

Quam Africæ Episcopi.]De hoc vide Cyprianum. *Ibid.2.*

Vt ne testamentarium quidem constituere.] Ambros. lib.2. Offic. cap.26. Concil. Chalcedonens. & Ansegis. lib.1 c. 22 Monachis & Clericis erat lege prohibitum ne hæreditates captarent. Et docet ipse Hieronymus, quod monachorum & clericorum avaritia locum fecit legi, & lege coerceri oportuisse. vide eum ad Nepotianum. *Ibid 3.*

Ibid. 4. *Advocati.*] Advocati, sæcularium rerum causa Episcopis dati: hi *Oeconomi* dicebantur. Bernardus lib. 4. ad Eugenium; *Memento Salvatorem Iudam œconomum habuisse. Quid Episcopo turpius, quam incumbere suppellectili, & substantiolæ suæ omnia scisscitari, de singulis monere, de suspicionibus moveri ad quæque deperdita,* &c. Miratur ibidem, cur Prælati tot inveniant, quibus curam, animam committant, & tamen invenire nolint, quibus suas facultates in curam exhibeant. Vide Iacobum Magni Sophiolog. l. 7. c. 7. Dixi œconomos fuisse. Quales olim & Collegia habuerunt Principum nomine adhibitos, qui censuum & redituum, hoc est annonæ, gerebant curam, quos Magistros curiæ hodie vocant, quia cura, id est jurisdictio, opulentioribus Cœnobiis & Collegiis accesserit: quâ vetera in totum caruerunt, sicut & imperio. Nam ne nomen quidem vel meri vel mixti imperij notum erat Episcopis, longe minus monachis, quippe alienum est à functione Ecclesiastica.

Ibid. 5. *Advocatorum solertiæ relinquerent,* &c.] De bonis Ecclesiarum & administratione eorundem, quantum quidem ad res temporales attinet, Impp. suis legibus caverunt, quibus Episcopi obtemperarunt; interim tamen illis de rebus docuerunt, non quod adeo jus sibi vindicarint civilis administrationis, quæ sane ad civilem politiam attinet, sed quod functionis suæ officio postulante ostenderent, quid ea in re sacris eloquiis traderetur, & jure divino præscriberetur.

Ibid. 6. *Memores doctrinæ Christi*] Lucæ 22. Matth. 20. Bernardus lib. 2. de considerat. inquit; Si dominari appetis, præesse contendis, Creatori tuo te præferre conaris, qui gloriam dominandi fugit, & erat subditus Principibus suis: Ideo sancti quidam viri adeo ab imperio alieni erant, ut ipsum etiam episcopatum, speciem tantum imperij habentem, detrectarint. Nam Ambrosius (memorabo exempla, quæ apud illos authentica sunt), mulieres publicas (id est meretrices) in domum suam ingredi fecit, ut illis visis electio revocaretur. Fugam postea accepit, sed proditus à Leontio reverti est coactus, ut in ejus vita legitur. S. Marcus pollicem sibi abscidit, ut indignus sacerdotio haberetur, ut scribit Heraclides lib. 2. Paradisi. S. Ammonius electus in Episcopum aurem sinistram ferro resecavit, linguam etiam abscissurus, nisi dimisissent. Quidam monachus in Episcopum electus, oratione sua impetravit, ut pridie confirmationis moreretur. Tripart hist. lib. 3. S. Gregorius in Pontificem electus columna fulgida super ipsum descendente, ubi latitabat, cognitus est. S. Martinus fugiens electionem, anserum strepitu proditur. Quidam vero Episcopatum non quidem renuerunt, verum adeo dominium nullum adfectabant, ut vitam, quam prius asperam duxerant, asperiorem longè produxerint, ut de Abbate Vatila legitur in Vitis Patrum lib. 3. p. 10. & Abbate Opi lib. 2. part. 1. Et sane non est fugiendus oblatus Episcopatus, ut inquit Isidorus, sed humiliter gerendus. Et Gregor. in Pastoral. l. 2. c. 7 *Nullus se extollat ex electione, sed magis se humiliet* Bernhardus in epist. ad Episcop. Senonens. *Noli alium sapere: quia alium sapere difficile est, & omnimodo inusitatum: & quanto inusitatius, tanto periculosius.* Augustinus epist. 66. Pet. *Vt cogites nihil esse hominibus in hac vita, & hoc tempore lætius, felicius, & acceptabilius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si tamen non præsumptuose, aut adolatorie res agitur: sed nihil apud Deum miserius, tristius & damnabilius, si male fiant.*

Ibid. 7. *Principum suorum simplicitate.*] Episcopi Principum indulgentia & simplicitate abusi insolescunt.

Præpingues quidam & opulenti Præsules.] Hos Abbas VVolkuuinus *Sacerdotes Baal* vocat, quod ad majores tendant honores per ambitionem; & simul graviter in dominandi libidinem invehitur. Vide Othonem Frisingens. lib. 2. de gestis Frid. c. 20. ubi de Arnoldo Brixiensi scribit, & Guntherum lib. 3 Ligurini, ibique Spiegelium & Rittershusium interpretes.

Ibid. 8. *Victu & vestitu contenti.*] distinct. 47. c. 3. ex Ambrosio, & vide 12. q. 1. per totum. Augustinus de communi vit. & morib. Clericor. part. 1 *Apprehensus & Presbyter factus per hunc gradum pervent ad Episcopatum. Non attuli aliquid, nec veni ad hanc Ecclesiam nisi cum his indumentis, quibus illo tempore vestiebar,* &c. Hieron. epist. 94. *Obsecro te iterum atque iterum, ne officium Clericatus, genus antiquæ militiæ, in vanum assumas, & ne lucra sæculi in Christi militia quæras, ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti.* Et illico; *Procuratores atque dispensatores domorum alienarum quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates,* &c.

Ibid 9. *Vt pars una Episcopo,* &c.] 12. quæst. 2. c. vobis, c. Vulturanæ, c. concesso, cap. quatuor & seqq Ansegis. lib. 1. c. 80. Synod. VVormatiens. anno Dom. DCCCXXXIII. celebrata.

Ibid. 10. *Ludimagistros ut alerent.*] Ansegis. lib. 1. c. 5. & lib. 1. c. 68. c. quibusdam, dist. 37. c. 1. ca. quia nonnullis de Magist.

PAG. 5. NUM. 1.

Non alia magis causa Canonici, &c. quam quia de reditibus ecclesiasticis, &c VVolkuuinus

nus Abbas inquit; *Rara avis in terris hodie Canonicus à canone vitæ. Vnde ergo? Audi unde. Est namque canon vitæ, ut dictum est; & est canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ. Vnde solet dici; Solve mihi canonem meum, id est pensionem meam, id est statutam pecuniam meam. Eja ergo, ô Canonice, invenimus canonem tuum, à quo derivaris, id est à canone pecuniæ, non à canone vitæ, id est à Canone regionis, non à canone religionis, &c.*

Omnes religionis amore exciti.] Religionis amore, & virtutis causa donationes factæ tanquam egenis, ne deessent alimenta his, qui rebus sacris deservirent, l. privilegia, C. de sacros. eccles. *Ibid. 2.*

Sed etiam Pontifices.] Episcopi Germaniæ etiam *Pontifices summi* appellati: Ita VVolfhartus Presbyter quidam Ecclesiæ Eychstetensis Episcopo suo Erchenboldo VValdeburgis vitam inscribens in hæc verba orditur; *Domino Beatissimo Deoque vere dignissimo Erchenboldo Pontifici* &c. Et in Vsuardi Martyrologio, quod dedicavit Carolo Magno, id nomen sæpius reperitur. Extat & Curiæ in æde S. Lucij tale epitaphium Valentiano Episcopo à nepote positum; *Ibid. 3.*

SCE. M. EPCS.

HOC IACET IN TOMOLO QVEM FLEVIT RETICA TELLVS
MAXIMA SVMMORVM GLORIA PONTIFICVM.
ABIECTIS QVI FVDIT OPES, NVDATAQVE TEXIT
AGMINA, CAPTIVIS PRÆMIA LARGA FERENS.
EST PIETAS VICINA POLO, NEC FVNERIS ICTVM
SENTIT OVANS FACTIS QVI FECIT ASTRA BONIS.
HIS POLLENS TITVLIS VALENTIANE SACERDVS
CREDERIS A CVNCTIS NON POTVISSE MORI.
QVI VIXIT IN HOC SAEC. ANN. PLs MN. LXX. DPs
SVB D$^{c}_{V}$. IDIAN. SEPs. PC. BASIV CCCs. IND.
XI. PAVLINVS NEPVS IPSIVS HÆC FIERI ORDINAVIT.

Nec defuere etiam superiori barbaro illo & iniquo sæculo qui hoc non adverterint. Nam Petrus Ravennas IC. qui aliquandiu in Germania vixit, & filium etiam habuit Bremensem Canonicum, ita scriptum reliquit in Dictis suis Notabilibus: *Semel reprehensus fui à quodam, qui se tenebat sapientem & doctum in jure, quod appellassem Episcopum summum Pontificem. Ira invasit me, & dixi: Et ego etiam sum jurista, habemus jura, in quibus Episcopi appellantur summi Pontifices, in c. si officia c. qui Ecclesiasticis, 59. dist. c. si Episcopus, 18. dist. Fuit necesse, quod deveniremus ad libros. Volebat tamen pertinaciter suum errorem defendere, nec potuit.* Hæc ille: quorum observatio, nec quid reticeam Goldasto nostro debetur.

Neque Episcopi tantum, sed quilibet sacerdos olim *Pontifex* dictus. Vide Ansegis. lib. 4. in præfat. Caroli in additionib. De utroque pluscula annotavit Savaro in Sidonium, quem consule.

PAG. 6. NVM. 1.

Vt Episcopi non cleri tantum, sed populi etiam manu. &c.] Electio Episcoporum quondam penes clerum simul atque populum. Ansegis. lib. 1. c. 78. Cyprianus lib. 1. epist. 4.

Aut Principes aut Duces.] Otto Frising. sive Rathuuicus lib. 4 de gest. Frideric. cap. 71. Platina in Damaso I. & Leone IX. *Ibid. 2.*

Imperator autem electionem haberet ratum.] Vide Ferrariens. practica in forma libelli ex substitutione, §. *ex suo corpore.* *Ibid. 3.*

Hainricum.] Hainricus IV. primus omnium Imperatorum à Gregorio VII. anathemate percussus. Ottho Frising. lib. 6. c. 35. *Ibid. 4.*

Nec mirum si sunt qui quærant.] Vide l. si quenquam, 30. C. de Episcop. & clericis. *Ibid. 5.*

Nolle se cum clero.] Morem eligendi Pontificem, vel Friderici I. tempore, quanquam jam bona parte in Cardinales inclinaret, tamen clero omni, populoque omni Romano præsente & de eligendo consultante, observatum est, constat ex Ottone lib. 4. de gest. Frider. cap. 70. & 7. *Ibid. 6.*

PAG. 7. NUM. 1.

Caroli Pipini filio.] Marsilius de Padua in lib de Translatione Imperij, cap. 8. Gratian. dist. 63. c. Hadrianus.

Post Gregorium extitisse.] Vrspergens. in vita Hainrici IV. & V. *Ibid. 2.*

Vt nostri, id est Germaniæ Principes.] De hoc vide Georgij Haymburgensis IC. Confutationem primatus Papæ ante annos CL. & plus sub Sigismundo Imp scriptam. *Ibid. 3.*

Vt parum hactenus rata fuerit Imperatorum electio.] Aventinus lib. 6 in epist. Adriani ad Septemviros Ecclesiasticos. *Ibid. 4.*

Veteres

Ibid.5. *Veteres Germanorum Episcopi.*] Cuspianus in Hainrico IV.

Ibid.6. *Simoniæ crimen.*]De hoc crimine videndum Aureum Speculum Papæ & ejus Curiæ, ſcriptum ante annos cc. Adi Gratianum cauſ.1.q.6.c.ſi quis,c.porro, & c.cum omnes, Anſegiſ.lib.1 c 21.

Ibid.7. *Partim ambitio,partim avaritia.*]Abbas VVolkuuinus in ſæpe dicta homil. de ſemine & zizania contra cleri vitia inquit; *Tribus generibus ſacerdotum Diabolus tres filias ſuas, quos habet,deſponſavit: Superbiam videlicet, Avaritiam, & Luxuriam. Superbiam ſacerdotibus Baal,id eſt,ambitioſis,& dominari volentibus: Avaritiam ſacerdotibus Dagon,id eſt,cupidis & curioſis: Luxuriam ſacerdotibus* Beelphegor,*id eſt,impudicis & libidinoſis,&c.* Anſelmus de Similitudinib cap.25.Prælatos ambitioſos comparat pueris venantibus papiliones, qui dum ſequuntur illos in foveam cadunt.

Ibid.8. *Alemanni parochiam vocabant*] Vide Budæum de parœcia, & Alciatum de parochia. in lib Prætermiſſor.

Pag. 8. Num. 1.

Et jubebat Canon.] Anſegiſ.lib. .c.83.& Concil. VVormatienſ.anno Dom. DCCCXXXIII. Ante XXX annos nullus ordinabatur Anſegiſ.d. l.1.c.49.

Ibid 2. *Quod certe juramentis.*]Formam juramenti lege apud Othonem Friſingenſ. lib. 3. de geſt Frider.I c.19.

Ibid.3. *Licebat laicis paſtores*] Anſegiſ lib 2 c 5.& lib.1 c.30 35.& 44.

Ibid.4. *Baptiſmi & Euchariſtiæ.*] Vide Rabanum de Inſtitut cler.

Ibid 5. *Magonciaci & VVormatiæ*] Anno Domini DCCCXXXIII.

Ibid.6. *Compatres & patrimos*] Anſegiſ.lib.2.c 35 c.44.

Ibid.7. *Infantes.*] Spiritales filiolos,quos vocant.

Ibid.8. *Cæna Dominica dabatur credentibus*] Ter minimum in anno,Vide Anſegiſ. lib. 2. cap. 43.& c 38.Calix tum aqua miſceri conſuevit,vide canon.Concilij VVormatienſis,quæ opinio quondam fuit Cypriani,quam tamen ipſe ceu retractavit lib.2.epiſt.3.

Pag. 9. Num. 1.

Privatim & inprimis ægrotis extra cœtum.] Anſegiſ.lib.1.cap.150.

Ibid.2. *Miſſam vocabant cœnam.*]Carolus Magnus vetuit Presbyteros Miſſas celebrare, niſi ipſi quoque communicarent. Unde deprehenditur, Miſſam aliud non fuiſſe quàm participationem Euchariſtiæ in populum,nec illo tempore privatæ Miſſæ uſum fuiſſe. Alioqui quomodo Miſſas celebrare potuerunt Presbyteri, qui ipſi non communicarint? Vide Anſegiſ.lib.1.c.6. Idem cavetur in Concil Moguntiacenſ. anno Dom. DCCC.XIII. *Miſſæ* autem nomen Græcis incognitum ab interpretibus loco τ λειτουργείας poſitum, id eſt officij & miniſterij, apud Ambroſium legitur, qui dicit *miſſam facere*, à poſtrema cœtus parte, qua oratur, & gratiæ aguntur: quibus finitis populus dimittitur: in epiſt. ad Marcellin. 33 lib.1. vide Bullinger in lib.de origin err.in miſſa. Inde *Miſſa* pro dimiſſione & fine. Ioannes Caſſianus lib.3.cap.7. *Præſtolatur congregationis miſſam*, id eſt ut cœtus & conventus abſolvatur & compleatur Et mox; *Contenti ſomno, qui à miſſa vigiliarum atque ad lucem conceditur.* Adi Beatum Rhenanum in Tertullian.

Ibid.3. *Infantes ſuos altari admovebant Euchariſtiæ gratia.*]Vide Anſeg l.1 c.155.

Ibid.4. *Jubebat canon,ut Presbyter.*] In Synodo Magonciacenſ.Præſide Bonifacio,tempore Carolomanni anno Domini DCCXLII.

Ibid 5. *Nec facile admittebantur vel Presbyteri vel Epiſcopi.*] Anſegiſ.lib.1.c 2.& c.66.& c.136.

Ibid.6. *Synodi annuæ,*] Idem Anſegiſ.lib 1.c.13.& diſtinct 18 cap 127 in Decreto Gratiani.

Ibid.7. *Ceſſarent aut cunctarentur.*]Nec poterant ante peractam ſynodum diſcedere ſine magna pœna.

Ibid 8. *Author eſt Rabanus*] Lib.3 cap.1.de Inſtit.cler.

Ibid.9. *Refrixit ſynodorum celebritas.*]De hoc conqueſtus eſt Petrus de Aliaco in libello de Reformat.Eccleſiæ,quem Patribus in Concilio Conſtantienſi obtulit.

Ibid 10. *Diſciplinæ cuſtodiendæ haud mediocrem medelam afferebat.*] Auth.de ſanctiſſ. Epiſcop. collat.ult.Ita canon.3.Concil.Toletani IV. *Nulla pene res diſciplinæ mores ab Eccleſia Chriſti magis expellit,quàm negligentia ſacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos mores, ſynodos facere negligunt.*

Ibid 11. *Per Alemanniam Principis edicto monebantur*] Anſegiſ.lib.1.c.20.32.58.76.103.&160. item in Conc.Maguntiac.anno DCCCXXXIII.

Ibid 12. *Symboli articulos,&c.exponebant.*] Et monebantur parentes ſub pœna,ut filios ſuos ſive ad monaſteria,ſive Presbyteris tradant,quo fide Catholica inſtruerentur.

Ibid.13. *Vinolenti.*]Prohibitum erat alium cogere ad bibendum Anſegiſ.lib.1.cap.138.154.168. lib.4 c.46.&73.& Conc Moguntc.DCCCXXXIII.

Ibid. 14. *Auguriorum,&c*] Idem Anſegiſ.lib.1.c.62.

Vt

Vt superstitiosa sublata sunt.] Idem lib.1.c.102.103.& lib.4.c. 46.47. *Ibid.15.*

PAG. 10. NUM. 1.

Adeo inhæsit nostrorum animis, ut sint passim,&c] Vt in Burggraviatu Nurembergensi in vico Fert,ditionis nunc Ansbacensis , etiamnum admittuntur tales monomachiæ , facultate nimirum facta à Rathinburgiis & Burggravione,qui nunc est Marchio ex familia Brandenburgensi in placito Ansbacij.

Quo probandæ innocentiæ monomachia concessa fuit.] Vide Alciatum in libello de monomachia sive duello. *Ibid.2.*

Purgatio per Eucharistiam.] Hæc etiam facta,ubi furtum in monasterio commissum. vide Synod. VVormatiens anno DCCCXVIII. *Ibid.3.*

Si quis vinum aut annonam.] Ansegis lib 1.cap.33.119.123.& seq.& c.75. *Ibid.4.*

Memorat Ansegisus.] Lib.1 c.158.lib.2 c.33. In Concilio Moguntino XIII. Anno Imperij Caroli in basilica S.Albani martyris habiti anno DCCCXIII. Hæ festivitates constitutæ sunt: *Pascha cum feria secunda, tertia, quarta à feria quinta ante Missam licentia fuit arandi & seminandi,& hortum & vineam excolendi,& sæpem circumcludendi,ab aliis vero operibus cessatum,& post missam ab omni opere vacatum : Ascensionis Domini pleniter : Pentecostes ut Pascha: Apostolorum Petri & Pauli per diem unum, S.Ioannis Baptistæ, Assumptionis S. Mariæ: S.Michaelis: S. Remigij, S.Martini, S.Andreæ: Natalis Domini per dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniæ, Purificationis Mariæ, Item festivitates martyrum, quorum in unaquaque parochia corpora quiescunt: Item dedicationis templi* *Ibid.5.*

Sub Ludovico vero Pio & Lothario, Ansegiso teste lib.20 c.33.hic dies festi celebrati sunt: *Dies Dom. Paschæ,cum omni honore & sobrietate cum tota hebdomada, Ascens. Dom. pleniter: in Pontecoste ut in Pascha S.Pet.& Paul.per diem unum: S.Ioan. Baptistæ, Assumpt. S. Mariæ: S.Michaelis, S.Remig. S.Martini, S.Andreæ, In natal. Dom. dies quatuor , Octavas Dom. Epiphan. Purificat. Mariæ,& festivitat. Martyrum, quorum in unaquaque parochia corpora quiescunt.* id obiter notandum solo die Dominico placita Mercatus fuisse interdicta : sicuti etiam omnia opera servilia,& reliqui actus civiles. vide Ansegis.lib.1.c.75.&lib.2.c.6. & c.139.item Concilium Moguntinum.

Litaniam majorem.] Sine tamen omni pompa,ut cavetur in Synodo Moguntiac. anno DCCCXXXI. *Ibid.6.*

Festivam esse jussit] Ansegis.lib.1.c.158.& lib.2.c.32. Festum quoque Trinitatis sub Carolo M. cœpisse testis est Iacob. de Voragine serm.1.in festo Trinitatis, ubi inquit; *Festum de Trinitate olim ab Ecclesia non fiebat, sed quia circa ipsam Trinitatem multæ hæreses succrescebant, ideo Carolus Christianissimus Imperator rogavit Alcuinum magistrum suum, ut historiam de Trinitate componeret, per quam errores eliminaret,& fidem Catholicam edoceret: quâ composita ordinatum est, ut festum illud solemniter celebraretur.* *Ibid.7.*

Multis etiam veterum crediti sint.] Epiphanio, Ruffino lib.11 hist.Eccl.c 33. Ambros. in epist. ad Hebr. August. de cognit. veræ vit.c.39.de vera relig.c.55.de civit. De lib 10.c 12. & l. 22.c.29 in exposit.Psalm.108 de cura pro mort.ger c.15.de Spir.& anim c.29.in expos. Psal. 85.sub fin. Quæst. super Exod.108.& aliis plurimis in locis: Bedæ presbytero in præfat. Martyrolog Petro Damiano Meditat c.40 & 23. *Ibid.8.*

Licebat autem Principi in regno.] Vide universam historiam Ecclesiasticam,& veterum Synodorum omnium acta. *Ibid 9.*

Vel temulentiæ vel fornicationis.] Ansegis.lib.2.c.23. *Ibid.10.*

Confestim à Comite compellebantur] Vide in Synodo Mogunc. sub Bonifacio præside anno DCCXLII. *Ibid.11.*

Hoc modo & Otomarum.] Ratpertus in lib.de casib Monast.S. Gall. VValafridus in vita S.Othmari. *Ibid.12.*

Nec minus interim domesticorum] Hotoman. vide in libel. de Francogall. c.10. *Ibid.13.*

Comitia] Quæ annuatim Kal. Maij plerumque habita, quod *generale placitum* & *Conventum generalem* & *curiam* appellarunt. *Ibid.14.*

Raro ullum diem eximie festum.] Eginhart. in vita Caroli M. Aimonius libro 4.c 13.30. 41.74.116 117 item lib 5.c.31.& 50. Sigibert. in Chron an. DCLXII. Greg. Turon lib.7. ca 14. Otto Frising. lib.1.de gest. Frider.c.40.& 43. *Ibid.15.*

PAG. 11. NUM. 1.

Dabantur autem & legibus.] De quibus rebus in publicis illis Conventibus ageretur, vide Hotoman. IC. in lib. de Francogall c.11.

De Conciliis indicendis non nisi Imperator.] Attestatur universa historia Ecclesiastica & omnium Synodorum acta. Nicephorus lib 8.c.14.& 49.lib.9.c 5.12.31.& seqq.lib.11. c. 3. & passim, Otto Frising lib.ult. de gest. Frid.c.68. *Ibid 2.*

Quam

Ibid. 3. *Quam Romani Pontifices nec universales nec* Catholici.] Græci Imperatores Episcop. urbis suæ Augustæ *sanctissimos & beatissimos & Catholicos* cognominarunt. vide auth. *ut determinatus sit num* Cler. collat. 1.

Ibid. 4. *Statim à Gregorio &c.*] Immo Pontificum Romanorum ambitio pluribus ante Gregorium annis pullulascere cœpit: tempore nimirum Concilij Carthaginensis, cui & B. Augustinus interfuit anno CCC. LXXXV. in quo jam tum de jure sedis suæ, ut nimirum ab omnibus Metropolitanis ad illum appellaretur, asserendo ambitiosè nimium per Legatos suos contendit, supposito etiam per crimen falsi canone Concilij Sardicensis, eoque mutilato, pro Canone Concilij Nicæni, cujus authoritate tributum sibi jus illud fuisse affirmabat. Sed cum fraude patefacta ab universali Synodo de falsò convictus & condemnatus esset, decretum est, ut sua deinceps diœcesi & præfectura contentus esset. Sed adeo non profecerunt Patres Carthaginenses, quin asserere sibi jus illud perrexerit, similique falsitate & impostura Gratianus postea in suis Decretis Synodorum Canones corrumpens contaminare non erubuerit, ut apparet ex cap. *renovantes*, dist. 22. & c. *placuit*, 2. q. 6. item 6. qu. 4. c. *Osius*. vide Nicephor. lib 9.

Ibid 5. *Et in litteras relata est.*] Ottó Frinsingens. lib. 6. cap 39.

PAG. 12. NUM. 1.

Exstat SanGalli vetustissimus codex.] Qui nunc penes me asservatur.

Ibid 2. *Legibus igitur Principum.*] Suas quoque Leges habuerunt Bajoarij, Saxones, Frisiones, Burgundiones, & reliqui Germaniæ populi, quæ ex Bibliotheca Fuldensi studio & opera Ioan. Heroldi in lucem editæ sint.

Ibid. 3. *Monasteria etiam & Collegia parebant.*] Eadem ratione, qua sub Romanis Imperatoribus, ut videre est in Cod. & Novell. constit. Iustiniani.

Ibid. 4. *Ab Isodoro Hispalensi*] Isodorus Hispalensis Episc. primus rescripta Pontificum collegit, tempore Lotharij Imperatoris.

Ibid. 5. *Gratiano.*] Ius Pontificium *à Gratiano* Doctore Bononiensi consarcinatum anno Domini MCLX.

Ibid 6. *Clementinæ.*] à Clemente V. Anno Domini 1308. in Concilio Viennensi Ecclesiæ obtrusæ.

Ibid. 7. *Hæc Decreti verba.*] Ansegis. lib. 2. c. 47.

Ibid. 8. *In illos animadversum.*] Idem lib. 1. cap. 36.

Ibid. 9. *Venus incesta.*] In Lege Alaman. tit. 20. c. 2 & Lege Bajoarior. tit. 8.

Ibid. 10. *Alemanni incestas nuptias*] Lege Alameman. tit. 40. & Lege Bajoar. c. 8.

PAG. 13. NUM. 1.

Ibid. 2. *Durabit Lex illa divina, &c.*] Eadem apud Bajoarios, ut in lege Bajoar. c. 11. tit. 14. & 5.

Ibid. 3. *Servum fugitivum.*] Ansegis. lib. 1. c. 33. 55. 82.

Cæsareis Iustiniani.] L. jubemus. §. 1. C. de Episcop. & Cler. item in auth. de Sanctissim. Epis. & auth. de Monach collat. 1.

Ibid. 4. *Crebra mentio fit Marcarum.*] Ansegis. lib. 1. c. 149.

Ibid. 5. *Carolomanno Majoredomus.*] Sub Bonifacio anno DCCXLII.

Ibid 6. *Resque Ecclesiarum.*] Ansegis. lib. 2. c. 29.

Ibid. 7. *Quod legitimè possidere debeat.*] Sacram rem in pignus dare, nisi pro captivis redimendis, non licebat. Ansegis. lib. 1. c. 88.

Ibid. 8. *Quas hodie Cathedrales.*] Ansegisus lib. 1. c 40.

PAG. 14. NUM. 1.

Pastorum liberalitas demanaret] Parochi enim ab hospitalitate dicti videntur. Antiqui sic vocabant eos, qui paulò largius hospitio excipiebant peregrinos. Vide Budæum, & Alciatum.

Ibid. 2. *Hodie rebus aliter habentibus.*] Bernardus super Cantic. homil. 75. *Quoniam pauci sunt, qui non quærant, quæ sua sunt ex omnibus causis suis, sc. Ecclesiæ. Diligunt n. munera, nec possunt pariter diligere Christum, qui manus dederunt mammonæ. Vnde enim æstimas talibus rerum affluentiam superare? ut puta vestium splendorem, mensarum plenitudinem, vasorum argenteorum & aureorum congeriem, nisi de bonis sponsæ? Et indè est quod Ecclesia inops & nuda relinquitur, nec student ornare sponsam sed spoliare: non custodire sed perdere: non instituere sed prostituere: non quærunt pascere gregem sed mactare & devorare, dicente Domino per Prophetam: Qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

Ali-

Alemanni quum pars essent regni Francorum.] Mendici apud Alemannos nulli vagantes. Ansegis. libr. 4. c 52. & seq. & lib. 1 c. 80. 112. 118. 126. *Ibid. 3.*

In tenuioribus æquales partes, &c.] L. privilegia, C. de sacrosan. Eccles. *Ibid. 4.*

Caroli legem exstare.] apud Ansegisum lib. 1. cap. 85. *Ibid. 5.*

Mansos.] Mansus, Schulhoff / Mansus dicitur quantum quis cum uno pari boum laborare potest in anno: ut not. in c. 1. Extr. *de cens.* & in usib. Feudor. *Si de invest. feud. fuer. controvers.* cap. 1. §. penultim. Bartol. ad L. *si ita, ff. de auro & arg. leg.* *Ibid. 6.*

Omnem fornicationem severe coercerent.] Ansegis. lib. 1. cap. 92. Vide in Conc. sub Bonifacio anno DCCXLII. *Ibid. 7.*

Et quod diversum scripturæ, &c.] Vide dist. 30. c. si quis nuptias, & dist. 28. c. si quis, & dist. 31. *Ibid 8.*

Quem morem plusculis sæculis receptum.] Vide dist. 32. cap de illo, & seq. Eum morem quum Nicolaus I. Romanus Pontifex superstitiose religiosus, durius quam prædecessores sui persequeretur, & diris execrationibus Clericos matrimonio junctos insectaretur, S. Vlricus Episcopus Augustanus (qui sub Heinrico I. & Ottone I. à quorum consiliis erat, vixit) elegantem epistolam ad Pontificem de presbyterorum conjugio scripsit, qua illum ab eo furore magna gravitate revocare conatus est, pie admonens ne nova tyrannide perditionis causa multarum animarum existeret. Cujus epistolæ Æneas Sylvius quoque meminit in sua Germania. Sed quid pia illa admonitione profecerit apud deploratæ cæcitatis homines, posteritas testatur. *Ibid. 9.*

Hildebrandus Monachus Papa.] Qui fuit A. D. 1074 ad quem usque morem illum durasse in Gallia atque Germania Iacobus quoque Faber Stapulensis auctor est in suis commentariis. Et Lambertus Schafenburgensis sua historia commemorat, Episcopum Trevirensem habuisse in matrimonio sororem Regis Ruzenorum. Eum primus, quod sciam, in Germania prorsus turbare tentavit Leo IX R. P. Concilio Maguntino sub Heinrico III. habito, cui centum & triginta Episcopi interfuerunt, ut narrat Albertus Krantz in sua Saxonia lib. 4. cap 43. Hunc insecutus postea Nicolaus ille II. *Ibid. 10.*

Sacerdotes quoque Anglorum, qui ex Germanis Saxonibus oriundi, suas uxores usque ad tempus Edgari Regis, hoc est ad Annum à Christo nato 960. retinuisse scribit Polydorus Virgilius in vita ejus libr. 6. Henricus etiam Huntingtonensis libr. 7. refert. Anno Domini 1101. sub Henrico Rege ejus nominis I. Anselmum Archiepiscopum Cantuariens. Londini habuisse Concilium, quo Clericis Anglis nuptias, quæ illis antea non erant prohibitæ, interdixit. Tum anno post 25. ejusque Henrici Ioannes Cremensis Cardinalis, Pontificis Roman. Legatus cum in Angliam venisset, Londini synodum Episcoporum coëgit, in qua cum de uxorib. Clericorum severissime tractaret, inter cætera dixit, summum esse scelus, sacerdotem à latere meretricis ad corpus Christi conficiendum surgere. Sed ipse cum die proximo corpus CHRISTI in sua missa confecisset, nocte quæ sequebatur in adulterio deprehensus est. Itaque justo Dei judicio gravi cum ignominia re infecta Romam redire habuit necesse. Verum cum Papa nullus vellet acquiescere, idem rex Henricus anno regni sui 29. re tota sibi ab Episcopis commissa, post gravem & diuturnam deliberationem, effecit ut clerus uxores à se pecunia, & ea non parva redimerent.

Repente tanta seditio, &c.] Otto Frisingens. lib. 6. cap. 34. Nauclerus generat. 36. *Ibid. 11.*

PAG. 15. NUM. I.

Heinricho IV. Imperante.] Qui, miris hac de re per Germaniam excitatis motibus, Synodo Magonciæ convocata, ab Episcopis Pontificis partes tuentibus persuasus, Clero omni matrimonio denuo interdixit.

VVunnefridus Legatus.] Anno Domini DCC. XLII. *Ibid. 2.*

Ad castitatem servandam cogere.) Vide Cyprianum ad Pompejum contra Epistolam Stephani, Ambros. li. 1. de Virginit. *Ibid. 3.*

Iam adversum Apostolicæ doctrinæ. Hunc ritum Apostolicum nuptiarum Græci retinuerunt, neque unquam adduci potuerunt ut mutarent, etiam quum Ecclesiæ aliæ ἀγαμίαν recepissent. Et Erasmus in 1. ad Corinth. 7. ait: *Ætate Pauli cum inter innumeros Ethnicos per pauci essent Christiani, fortasse commodius erat à matrimonio abstinere: nunc mutatis rebus haud scio an magis expediat sanctum connubium & immaculatum thorum sanctè pureque colere etiam sacerdotes, si qui non continent, quanto horum tam ingens ubique numerus est, &c.* *Ibid 4.*

Monachorum disciplinam.] Ansegis. libr. 1. cap. 69. libr. 2. cap. 8. libr. 4. cap. 45. *Ibid 5.*

Lectores.] Vide collat. ult. auth. de sanctissi. Episcop. *Ibid. 6.*

Velare.) Antiquus est velanti ritus quo de meminerint Concil. Carthaginens. III. ca. 4. Milevitan can. 26. Gelasius Papa can. 14. & 15. Innocentius I. Epist. 2. ca 12. Augustinus sæpe. Quorum locorum me commodum Goldastis ille noster monuit. *Ibid. 7.*

Tondere.) Augustini temporibus rasuram monialium necdum fuisse usurpatam liquet *Ibid. 8.*

ex ejus verbis in regula monialium, quæ est Epistol. 109. *Non sit notabilis habitus vester* (alloquitur moniales) *nec affectetis vestibus placere, sed moribus: nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria.* Ex quibus verbis etiam id liquet, monialium. Professioni eo tempore nullas certas vestes fuisse accommodatas. Id tamen paulò post ut fieret decrevit Concil. Carthaginense IV. cap. 11. *Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis.* Vide ibidem cap. 104. ubi religiosum habitum à laicali distinguit. Et Augustin. contra Faustum lib. 6. c. 9. *Inordinate vivere & diversi generis professiones velle miscere, ut vel sanctimonialis habeat ornamenta nuptiarum, vel ea, quæ se non continens nupsit, speciem virginis gerat, omnimodo peccatum est.* Vide ne virginalem communem habitum monialibus fuisse non certum aliquem & ab usitato discretum?

Ibid. 9. *Certamque ad normam vitæ.*] Ansegis. lib. 4. cap. 45. Cypriani tempore monialium votum continentiæ non perpetuum fuisse vel ejus verbis liquet in lib. epist. 1. cap. 11. *Si sese, inquit, ex fide Christo dicaverunt, pudicæ & castæ sine fabula perseverent, & ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent: Si autem perseverare nolunt vel non possunt, melius est ut nubāt quàm in ignem deliciis suis cadant.*

Ibid. 10. *Virginitatem velut de suo vovent.*] Ambros. li. 1. de Virginitat. Neque enim imperari potest virginitas, sed optari.

Ibid. 1. *Scelus esse ducant.*] Adeo quidem, ut qui virgini sacræ se sociaverit, incesta fœdera sacrilegaque miscere diceretur, & à sacra communione detruderetur Ansegis. lib. 1. c. 100.

Ibid. 2. *D. Paulus.*] Ad Hebræ. 13. 1 ad Cor. 7. ubi Ambros.

PAG. 16. NUM. 1.

Ad ullum Ecclesiæ famulatum.] Prohibitum Abbatissis vel benedictiones dare vel virgines velare Ansegis. lib. 1. cap. 71.

PAG. 17. NUM. 1.

Etiam coactæ puellæ profitentur.] Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Ubi necessitas imponitur castitati, austeritas libidini datur: nec casta est virgo, quæ metu cogitur.*

Ibid. 2. *Præsulum indulgentia.*] Quam indulgentiam cum reipsa defensare non possent, fabulis id conati sunt. Unde ficta impia illa de Beatrice somnia, quæ multos annos in omni scortationis genere libidinem dum explet suam, vices ejus in monasterio S. Maria semper Virgo gessisse non minus impudenter quàm impiè ab illis scribitur.

Ibid. 3. *Violatur non tam corporis actu quam animi consensu Virginitas.*] Prosper in libr. Epigrammat.

Virginitas carnis intacto corpore habetur,
Virginitas animæ est intemerata fides.
Quæ sine corporei nil prodest cura pudoris
Sed mentis pietas auget utrumque bonum.

PAG. 19. NUM. 1.

Communi edicto permisit.] Ansegis. lib. 1. cap. 81.

Ibid. 2. *Veterem disciplinam monasticam revocare.*] ut scribit Sigebertus.

PAG. 20. NUM. 1.

Ne priore moriente lupus aliquis Principis.] Vide Ratpertum & Ekkehardum de Casib. monast. S. Galli.

Ibid. 2. *Germanorum Regis Imperatores.*] Chunradus Rex majestatis reos judicavit, qui negarent Imperatorem de Ecclesiasticis causis legendisve Episcopis & surrogandis cognoscere posse. Vide Ottonem Frisingens.

PAG. 21. NUM. 1.

In collegiis & monasteriis quibusdam Germaniæ nostræ.] Vide Ratpertum, Ekkehardum, Conradum de Fabariis, Herman. Contractum, & VValafridum.

PAG. 22. NUM. 1.

Criminalium causarum cognitio.) Ansegis. libr. 1. cap. 6.

Quod

Quodne Episcopi quidem.] In legibus Caroli frequenter Episcopis injungitur, ut bene vivendo & recte prædicando, populis sibi commissis iter vitæ præbeant: Comitibus verò, ut justitiam diligant & faciant. Vt hinc facile deprehendi possit, nihil minus cogitasse tum Episcopos, quàm de jure gladij in se transferendo, quod ab ipsorum officio longè discrepat. Vide lib. 12. c. 4 & 12 & passim, & Ansegis. lib 4. c. 60. *Ibid. 2.*

Certis de generibus causarum.] Civilibus fere. *Ibid. 3.*

Caroli & Ludovici legibus] Ansegis. lib. 4. cap 79. *Ibid. 4.*

Ad Comitem ferebant Advocati.] Horum enim authoritas & Episcopis & Abbatibus patrocinabatur. *Ibid. 5.*

Placita dicebantur] *Placitum* etiam Latina consuetudine id propriè dicitur, quod de re in multorum consilio quæsita & deliberata tandem inter ipsos convenit. Vnde *placita Philosophorum* apud Ciceronem & alios antiquos dicta sunt. Hinc vulgatam formulam, qua Scribæ Regij etiamnum in legum & constitutionum clausulis utuntur. *Quoniam ita nobis placet*, ex illo vocabulo *placiti* derivatam esse rectè existimat Hotomannus IC. proque ea poni solere. *Quia tale est nostrum placitum.* lib. Francogal. cap. 11. & commentar. de verbis feudalib. *Ibid. 6.*

Vt & Abbates irent.] Monachis vero ad placita ire prohibitum erat. Vide Ansegis. lib. 1. c. 69. lib. 4. c 69. *Ibid. 7.*

Ludovici Pij sanctio.] apud Ansegis. lib. 4 c. 93. & 46. *Ibid 8.*

Repeti non sinebat.] Pœna 15. solid. statuta, si quis testibus convictus fuerit, vel 15. ictuum à scabinis accipiendorum qui causam prius judicaverunt. Vide Ansegis. lib. 3. c. 31. *Ibid. 9.*

PAG. 23. NUM. 1.

Quæ si liberorum hominum fuissent.] Idem Ansegis. lib. 4. ca. 27.

In Chronicis Cœnobij.] Apud Raspertum & VValafridum. *Ibid. 2.*

Secessu.] *Recessus* pro solitudine Ciceroni etiam dicitur lib. 12. ad Atticum: *Mihi recessus & solitudo provincia est.* *Ibid. 3.*

Nec multo erant presbyteris Parochianis celebriores Abbates] Abbatis & Parochi par æstimatio, sicuti Monachi etiam & Diaconi. Ansegis. lib 3 capit. 25. *Ibid 4.*

Vt Episcopi veteri more, &c.] Idem Ansegis. lib. 2. cap. 4 8. & passim, auth. de sanctiss. Epis. auth. de Monach. collat. 1. Adeo subjecta Episcoporum administrationi Monasteria fuere, ut ne condi quidem Principes antiqui monasterium permitterent Episcopo non consulto. *Ibid. 5.*

PAG. 24. NUM. 1.

Iisdem etiam Concilia, &c.] Vide Conc. Moguntin. Præside Bonifacio ann. 741. Gratian. caus. 16. q. 1. & 2.

Divitias frugalitatem & pietatem, &c] Immodicæ Ecclesiarum possessiones ad avaritiam & impietatem perducunt. auth. *Vt determinat. sit numer. cler.* collat. 1. *Ibid. 2.*

PAG. 26. NUM. 1.

Nec me fugit esse quosdam qui jus illud Pontificium defendentes, &c. ad Ludovicum Pium, &c.] Immo quidam Constantino IV. Constantis filio, qui Anno Domini DCLXX. imperavit, affingunt. Ita enim Sabellicus Ennead. 8. lib. 6. *Constantinus*, inquit, *multa bona animi in Benedicto II. cernens, statuit ut quem ante Clerus populusque Romanus cum exercitu creassent Episcopum, is vere vicem Christi in terris gerere crederetur, nulla Imperatoris aut Exarchi approbatione exspectata.*

PAG. 27. NUM. 1.

Ex eo enim tempore quo sordidi quidam Episcopi.] Chrysostomus in homil. de Ioanne Baptista: *Neque lascivia dans seipsum perdidit, quam habebat, excellentiam. Quod enim non serviebat lasciviæ, monstrat sola solitudo & carcer. Si enim vellet mollibus vestiri, non eremum inhabitasset sed Regum palatia.* Et Hieronymus in Matt. ca 11 ad illa verba, *Ecce qui mollibus induuntur in domibus Regum sunt, &c. Ex hoc ostenditur*, inquit, *rigidam vitam & austeram prædicationem vitare debere aulas Regum & mollium hominum palatia declinare.*

Quod quidem & Germanici postea Imperatores.] Exemplo Constantini Magni qui semper secum Sacerdotes tanquam animæ custodes habuit, ut testatur Euseb. lib. 2. c. 12 & seq. *Ibid. 2.*

PAG. 29. NUM. 1.

Veteres Monachi sæculum aversati.] Proinde ex Monasteriis veluti ex quodam Seminario legi & assumi consueverant ad munera Ecclesiastica, qui probatissimæ inter ipsos vitæ &

eruditionis habebantur, ut docemur ab Augustino ad Aureliam.& ex c. vos autem, c.legi, 10. q.1.&per totam illam quæst. In qua promotione Abbatis, de vita & moribus testimonium perhibentis, consensus requirebatur. Ad ministerium autem Ecclesiæ vocati monasticum institutum officiumque deserere cogebantur, ut majori & præstantiori munere fungerentur, quia utramque simul obire & exequi posse non videbatur. Ideo & Clericus vitam monacham amplexus militiam suam, ut Gregorius ait, amittebat. Monachus enim non Doctoris sed plangentis habet officium: Clerici a. est docere & pascere populum. Quam ob causam cum nulli in monasterijs essent presbyteri aut Clerici, monachi tanquam cæteri ex populo qui *Laici* Græcè dicuntur, ad communem omnium ædem sacram percipiendorum sacramentorum causa se conferebant: interdum presbyterum accersebant, qui sacra celebraret, ut est traditum in c. non est, de regula. & à Panor. in c. dilectus, de Capel. Monach Iustinian. novel. 133. & d cauf. 16. q. 1. c hinc etiam. Ac idcirco, ut dictum est, tam monachi quam eorum antistites Ecclesiæ presbyteri erant subjecti. Verum ut hac molestia liberarentur monachi, ne ad communem Ecclesiam accedere aut presbyterum accersere cogerentur, cœperunt postea ex his aliqui in suis monasteriis presbyteri ordinari, qui tamen, veluti quandam Ecclesiam inter se constituerent, in cœtu tantum suo sacramenta administrarent. Inde factum ut idem presbyteri, i. e. pastoris atque Doctoris, & monachi officio fungeretur, d. c. 16 q. 1. c. pervenit, c. interdicimus. Tripert. hist li. 8. Et jubebat lex Caroli M ut monachus si ad clericatum pervenisset, propositum monachicæ professionis non amitteret, apud Ansegis. libr. 1. c. 27. Antea quidem & Gregorius Episcopum in monasterio licurgiam celebrari prohibentem acriter increpavit: idemque Bonifacius fecisse legitur. Postremò cum ad lucrum & quæstum degeneraret religio, & avaritiæ furore vetus illa cum monastica tum Ecclesiastica disciplina & abstinentia quotidie deterius haberet, & ipsa etiam in urbe in Episcopos eligerentur qui monachi fuissent, concessum illis est, ut vel in monasteriis positi è laicis Clerici fierent, & reliquos simul ordines titulo tenus, hoc est sine cura pastorali, hac sola causa reciperent, ne quid eis ad meritoria illa pro vivis & mortuis sacrificia peragenda deesset. Post illa omnia & hoc indultum est eis, ut inter sese, Abbatis tamen arbitrio, presbyteros constituerent, qui Ecclesiarum duntaxat illarum Parochi dicerentur, quarum bonam redituum partem incorporationis prætextu sua in monasteria contraxissent, atque inde vicarios mitterent fere sæculares (ut ipsi vocant) sacrificos, qui curæ animarum præessent. Quare quantum farinæ monasteriis paulo antiquioribus sit allatum, res ipsa facilè indicat. Ad recentiora verò quod attinet, non desinunt queri & lugere omnium Ecclesiarum egeni, quod ociosorum quorundam & paupertatis titulo sese venditantium hominum mendicitate omnis eis alimoniæ præripiatur occasio, qui fortes tamen & validi nescio, quæ opera & sacrificia venum exponere & licitari malunt, quam manuum labore victum parare.

Ibid. 2. *Sed corpus etiam præscripto aliquo laboris genere.*] Labore manuum monachi victum quærebant, ut jam dictum. Qua de causa à Græcis χειρονάκτοι vocati sunt: Item ἀσκηταί. Et item monasteria *ascetria & asceticum opus*. Et exstat tit. in Novell. Iustinian. *De Ascete*, item in Codic. *ascetriorum* fit mentio. Vide Basilium in *quæst. compendio explicatis*, quæst. 284. & in *Moralib.* summa 48. capit. 7. Et Augustinus in Psal. 99. scribit: *Sic & in illa vita communi fratrum quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei: inde vivunt, cum lectione illis res est. Laborant manibus suis, inde se transigunt, non avarè aliquid petunt. Quicquid eis infertur à piis fratribus, cum sufficientia & cum charitate utuntur. Nemo sibi usurpat aliquid, quòd alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes invicem se sustinent, &c.*

Ibid. 3. *Qui manuum labore victum quærunt.*] Quod adeò verum est, ut celebretur in Ecclesiastica historia cujusdam monachi apophtegma: *Monachus qui non operatur, latroni par judicandus est*, Tripert. lib. 8. ca. 1. Quapropter & Iustinianus Imperator; *Duabus*, inquit, *potissimum in rebus operam & diligentiam reponere oportet Monachos, ut aut sacris vacent Scripturis, aut quas manuarias vocare solent artes decentes meditentur exerceantque. Siquidem mens inerti ocio dedita haudquaquam sane quicquam bonorum pepererit. Novell.* 133. *c. ult.* Et Pelagius Pontifex de monachorum officio differens hæc tria ipsis attribuit, *quietem, orationem, & laborem manuum*, 16. q. 1. c. si cupis, & c. de præsentium.

Ibid. 4. *Ne monasteriorum & Ecclesiarum bona dividerentur.*] Vide Concil. Mogunt. præside Bonifacio, anno 742 & adde Ansegis. lib. 1. c. 72.

PAG. 30. NUM. I.

Mundum hoc, illud immundum cogitat.] 1. ad Cor. 8. 10. ad Roman. c. 14 & 15. Matth. ca. 7. Col. 2. c. 17. 1. Tim. 4.

Ibid. 2. *Vini usus.*] Vini usum interdici voluit Ecclesiasticis hominibus Iacobus Magni in Sopholog. lib. 7. c. 2.

Memi-

Memini Augustinus.] Lib. 2. de Manich. morib. c. 13 & lib. 30. contra Faust. Tertullianus conflictationes animæ vocat jejunia, *feros & aridos æstus*, &c. quæ nostri *angarias*, Paulus ἀφειδίας ad Colos. 2. Kästigung/deß Leibs abbruch. *Ibid. 3.*

Quæ veteres voce pauxillum intenta recitabant.] Vide Augustinum lib. 10. confess. cap. 33. & lib. 9. c. 1. *Ibid 4.*

PAG. 31 NVM. 1.

De nigro autem tunicæ.] Ambrosius part. 3. serm. 94. de Augustino; *Novum Christianum novis vestimentis cuculla nigra induimus, cingulo ex corio nos ipsi præcinximus, quod Simplicianus noster ingenti lætitia donavit.* In Martyrolog. Rom. III. Non. Maij; *Mediolani conversio S. Augustini Episcopi à S. Ambrosio Mediolanensium Præsule baptizati & monastico nigroq; habitu induti.*

Sed & barbam alere] Anicetus Papa Primus constituisse dicitur, ne clericus comam & barbam nutriat, teste Martyrolog. Rom. & Maurolyco Messanensi Abbate, xv. Kal. Maij. Ideò autem clericos & monachos rasos fuisse censemus, quod cujuscunque apparatus & splendoris se conteptores profiterentur. Comam enim nutrire ij solebant, qui elegantiæ, ornatus & lauticiæ studiosiores essent. Hinc curiositatem & delicias veterum Romanorum in coma & capillis insectatus est Seneca his verbis; *Quid illos ociosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontē compellitur. Quomodo irascuntur si tonsor paulo negligentior fuit, tanquam virum tonderet? Quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est? si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Rempublicam suam turbari quā comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore quam de salute? qui non comptior esse malit quam honestior? hos tu ociosos vocas inter pectinem speculumque occupatos,* &c. de Brevit. vitæ cap. 12. Apud Lacedæmones sane, ut legitur apud Plutarchum, ingenui tantum comam alebant. Hinc illud Aristophanis in Avibus, cujus meminerunt parœmiographi δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις, id est, *servus cum sis comam habes.* Idem quoque apud Francos in usu fuisse ex lege Caroli Magni conjicio, quæ extat apud Ansegis. lib. 1. c. 137. in qua de conversione liberi hominis agitur, qui in monasterio comam deposuerit. Comam ergo deponere sanctioris cujusdam deditionis argumentum fuit, ut auctor est P. Æmilius in Carolo M. Et huic sententiæ suffragantur ea, quæ scripsit Augustinus in lib. de operib. Monach. cap. 31. in fine, & in lib. Retractat. & Polydorus Virgilius de inventio. rer. lib. 4. c. 8 Quidam exemplo Nazaræorum Mosaicæ legis inductam rasuram vel tonsuram monachorum & clericorum putant, de quorum instituto mentio fit in lib. Numer. cap. 6. & apud Ioseph. lib. 4. Antiquitat. Nazaræi autem dicebantur, ut quidam eruditi interpretantur, quos inter Origines in d. cap. 6. qui ut liberius vacarent legi, discendæ & expendendæ benignitati Dei, aliorum commercio se abdicabant ad tempus & Domino se totos dedebant: vel qui cum profusiùs vino & reliquis corporis deliciis usi fuissent, posteà severioris vitæ generi se mancipabant, ut corpus affligerent. Gregorius Nazianzen. monachos Nazaræos vocat quasi segregatos & coronatos, & Basilium Nazarenum, orat. funebr. in laudes Basilij. Alii à sacerdotibus Ægyptiis id ortum asserunt, quorum meminit Herodotus in Euterpe. Divus autem Paulus in epistol. 1. ad Corinth. 11 indecorum ait viros comatos esse, idque naturam ipsam nos docere scribit: unde sumptum est c. prohibere distin. 23. Quæ admonitio hujus Clericorum instituti forte causa fuit. D. verò Hieronymus, quod & in Decretis Canonicis scriptum legitur c. duo sunt, 12. q. 1. rasuram, quam *coronam capitis* vocant, ab institutione Ecclesiæ Romanæ esse, & rasum caput divitiarum omnium derelictionem & temporalium depositionem significare dicit: ad capillos, qui remanent, aliqua sacerdotibus esse retinenda ad sustentationem. Quæ Glossæ interpretatio est, quà, ut Polydorus Virgilius inquit, *bene multi sacerdotes gaudent, ritusque servandi causa late verticem radunt, sed ex magis opibus, quas habent, nihil impertire, nihil deponere, nihil relinquere volunt.* Hodie profectò nulla alia magis causa tonderi videntur clerici, quàm ut cognitioni sæcularis, quem vocant, judicis eximantur, vel ut Ecclesiasticum aliquod beneficium possint emere, quoniam habent bestiæ characterem. Tonsuræ autem olim, ut id quoque obiter notemus ex Rabano lib. 1. de instit. cler. in clericis admodum latæ erant, nec multo plus supererat crinium, quàm in monachis derasis superfit, cum hodie aliquot tantum capilli sphæræ instar in vertice tondeantur. Illud quoque hic admonendum duximus, apud Francos promissam barbam intonsumque capillum Regiæ nobilitatis insigne habitum fuisse, quod *capillitij regij jus* vocabant, ut qui Reges à populo creati aut Regio genere prognati essent, comam alerent, eamque à fronte discriminatam unguentisque delibutam decus atque insigne regium regiæque stirpis haberent, teste Amonio lib. 1. c. 4. & lib. 3. cap. 61. & Agath. de bello Gotthor. lib. 1. & Hotomanno in Francogall. cap 4. Quod iis quandoque abscindebatur, quibus vel regnum abrogaretur vel

adipiscendi regni spes adimeretur. Et extat memorabilis historia de Reginà matre Crotilde, quæ duobus filiis caput abscindi, quàm comam maluit, apud Gregor. Turonens. lib. 3. c.18. lib.6.c.24.& 44. Cui rei caussam dicit L. Salica in tit.38. de homicid. parvulor. Tonsuram quoque pœnæ genus, idque grave & ignominiosum fuisse hisce personis, ex constitutionibus Caroli Magni, & aliis quibusdam Principum Romanorum, quæ apud Harmenopulum exstant, facile deprehenditur. Detonsi enim per judicem in monasteria detrudebantur, qui vel mentis inopia vel animi libidine facinus aliquod designassent, aut indigni essent judicati qui publicæ rerum administrationi præessent. Sic enim intrusi perinde atque in exilium relegati, aut in insulam deportati habebantur, &c.

Ibid.3. *Criminosorum latibula haud rarò monasteria.*] Lege Iustiniani in monasteria intrudi jubebantur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores & Clerici, qui vel luderent ipsi vel ludentibus communicarent, vel publicis ludis spectaculisve interessent, authent. *de sanctissim. Episcop.* capit. decimo, & cap. *si episcopus*, distinctio. quinquagesima. Fuit ergo & his carcer monasterium.

Ibid.4. *Pipinus Caroli Magni filius.*] Eginhart. in vita Caroli Magni.

Ibid.5. *Chunradi Imperatoris hoc nomine primi.*] Quod refert Ekkehardus de casibus monasterij.

Ibid.6. *Vt vilia etiam & abjecta ordine quodam gererentur.*] Ansegis. lib.4.c.45.

PAG. 32. NUM. 1.

Abbatum suprema & dignitas & potestas esset.] Ideo vocabantur *Archimandritæ*, quasi ductores agminis. Iustinian auth. de monach. collat.1. Sidon. Apollinar. lib. epist. 8. Iuvenal. satyr 3. Martialis lib.5. ad Paulum.

Ibid.2. *Et monachis qui ordinariis functionibus præerant.*] Adeò ut ne librum quidem sine eorum consensu & auctoritate monasterio ausi fuerint exportare. Retulit mihi familiaris ille meus Goldastus, vidisse se in Bibliotheca monasterij Hailsbrunnensis, quod non longe abest Onolsbachio in Burggraviatu Norinbergensi, vetustissimum librum ex orthodoxorum Patrum sententiis collectum, in quo primus ejus monasterij Abbas monachis suis fidem pro libro his verbis dederit; *Hunc librum de licentia fratrum mecum sumpsi in iter Bavaricū*, &c.

Ibid.3. *Perinde atque in veteri militia.*] Exod.c.18.

Ibid.4. *Ceu translatis diligentia vigilantiaque nominibus.*] Qua de re Augustini verba sunt in lib. de moribus Eccles. cap.31. quæ adducit Bullingerus, de Errorib. fol.55.

Ibid.5. *Vt novem hominibus decimus præsit.*] *Decanus* caput contubernij. Vide Fl. Vegetium & Modestum.

Ibid.6. *Qui vel villis vel humilioribus Ecclesiis.*] Ansegis. lib.1.c 110, lib.4.c.45.

Ibid.7. *Vicarij & Locumtenentes.*] Zinßprobst vnd Statthalter.

Ibid.8. *Danistas.*] Vel *Arabarchas.*

PAG 33. NUM. 1.

Ad operam quamcunque honestam & sua professione dignam.] Neque enim abhorrebant ab hominum congressu, nec ita ocio dediti erant more pseudomachorum nostri temporis, ut nihil in commune referrent, & se homines esse, hoc est, ad societatem hominum juvandam natos, non recordarentur. Reperti quidem sunt, quorum superstitio nemini sano probari queat. Qualis ille monachus, quem Theodoretus refert sexaginta annis neque locutum cum ullo neque à quoquam conspectum fuisse. Hieronymus quoque in vita Pauli Simplicis Eremitæ, & alij de aliis. Sed rariora tamen fuisse hæc prodigia compertum est.

Ibid.2. *Laicis presbyteris.*] Leyenpriester. Hi *Parabolani* olim dicti, ideo fortassis quod rem periculo plenam tractarent. Vide in L. *placet*, & in L. *parabolani*, C. *de episcop. & cleric.*

Ibid.3. *Laica collegia multis olim monasteriis conjuncta fuisse.*] Quorum fratres *Lolharti* dicti, qui alij sunt à *Laicis*, ut docuit Bebelius in Triumpho Veneris.

Ibid.4. *Vt semel ingressis egredi iterum.*] Ansegis. lib.1.c.26.& c.69. lib.4.c.45.

Ibid.5. *Pœna erat banni.*] Apud eundem d.l.1.c.95.

Ibid.6. *Quadraginta denariis supputatum æstimarunt.*] Nec absimilis erat æstimatione aurei solidi, quem *Rhenensem* vulgo vocamus.

PAG. 34. NUM. 1.

Xenodochia viderentur.] Xenodochia fuisse appellata docet August. tract. 97. Ioan. ubi ait; *In Antiochia primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum, & monasteria & xenochia postea sunt appellata novis nominibus: res tamen ipsa & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur.*

Qua

Quæ hospitalia appellabant.] Ansegis. lib. 1. c. 70. & lib. 2. c. 29. *Ibid.* 2.

Missi Dominici.] Missi similes fuere illis, quos Græci εἰρηνάρχας dixere, qui pacis publicæ curam gessere, contentionibus passim discordiisque sedatis. *Ibid.* 3.

Vel a Canonum.] In libris Ansegisi passim, lib. 1. c. 106. lib. 2. c. 12. & 16. lib. 4 cap. 34. *Ibid.* 4.

Regia diplomata] apud eundem d. lib. 4. c. 28. *Ibid.* 5.

PAG. 35. NUM. 1.

Tempore Ottonis Primi.] Vide apud Hirsfeldensem :

Perinde ut apud Romanos Proconsules.] Vide Ciceronem, lib. 1. epist. ad Q. Fratrem, & ad Atticum, lib. 8. *Ibid.* 2.

Duces rei maxime militari.] De quibus in legibus Bajoar. *Ibid.* 3.

Comites autem & eis inferiores Centenarij.] Vide supra de Comitibus, & Ansegis. lib. 2. cap. 6. *Ibid.* 4.

Missi ipsi quater in anno.] Ansegis. lib. 2. c. 28. & lib. 4. c. 80. *Ibid.* 5.

Actione hinc data concessaque, &c.] Idem lib. 4. c. 21. & 44. *Ibid.* 6.

PAG. 36. NUM. 1.

Lexque illa Pipino regnante lata.] In concilio sub Carolomanno, præside Bonifacio, anno Domini DCCXLII.

Nullus homicida, nullus adulter.] Seneca in Declamat. scribit apud Romanos nullum obtinere potuisse sacerdotium, qui homicidium vel fornicationem commisisset. Vnde Iacobus Magni probus auctor, lib. 7. Sopholog cap. 1. exclamat; *Aut igitur apud gentiles sacerdotes digniores erant, aut tempore moderno sacerdotium pauci merentur.* *Ibid.* 2.

Fœdissimum autem habebatur si Præsides.] Vide Ansegis. lib. 2. c 4. *Ibid.* 3.

Nullum unquam labefactatæ pietatis] *Turpe est Doctori quum culpa redarguit ipsum,* ut est apud Dionysium Catonem, *Ibid.* 4.

Vestales suas stuprum passas.] Vide apud Servium, lib. 2 Æneid. *Ibid.* 5.

Apostolis respondens.] Matth. c. 7. *Ibid.* 6.

PAG. 37. NUM. 1.

Apostolus clamet] 1. ad Corinth. 1.

Secundas nuptias adeo elevat.] Tertullianus cum Catharis & Montanistis in quibusvis fidelibus secundas nuptias damnat. Hieronymus vero infensissimus quoties libuit nuptiarum hostis in clerico præcipuè damnavit. Vide Bezam in lib. de Polygamia. *Ibid.* 2.

PAG. 38. NUM. 1.

Facessant igitur & luctæ illorum, &c.] Lege libros Gersonis de Pollutionibus, & fugæ. *Ibid.* 2.

Mulctantur fere sexcentis sol. qui immunitatem, &c.] Ansegis. lib. 1. c. 134. & lib. 2. c. 26. *Ibid.* 3.

Et in lege Alemannorum]Et in lege Bajoariorum, c. 1. tit. 7.

PAG. 39. NUM. 1.

Multis in locis capitale erat.] Vide in capitulis Caroli Magni, quæ ad leges Longobardorum addita sunt

Qui Episcopum occidisset.] Apud Bajoarios si Episcopus interficeretur, fiebat tunica plumbea ad staturam occisi, & quod pensaret auro, tantum dare cogebatur qui occidisset. Si aurum non habebat, aliam pecuniam, vel res alias, donec totum debitum compensatum fuisset. Si vero non habebat quod daret, seipsum cum uxore & liberis Ecclesiæ in servitutem debebat, quousque se redimere posset. Vide legem Bajoar. in c. 1. tit. 10. *Ibid.* 2.

Licebat autem comiti in vincula reposcere.] Ansegis. lib. 3 cap. 26. 18. q. 4. c. 26. & sequentibus *Ibid.* 3.

Hodie immunitatem vocant libertatem illam asyliæ.] Iusta certè asylorum authoritas ea quondam fuit, ut injuria affectis & potentiorum formidine oppressis & insidias timentibus magis quàm sceleratis hominibus serviret, idque vel Plutarchus in Thesei vita testatur, & Thucydides libro secundo. Tacitus etiam libro 3. fatentur, quibus expressum convenit jus civile, in authent. de mandat. princip. & Cod. in titulo, de his qui ad Eccles. confug. Moyses quidem sacer ille Dux ex tribus, quas condiderat, urbibus asylum constituisse legitur, quod illis profugio foret, qui delicta non voluntariè commisissent: & extant hujus rei passim testimonia in libris sacris, ut Exod. 21. Numer. 35 Deuteron. 19. Iosuæ 20. 1. Regum 1. 2. 3. Romulus verò ad exemplum Cadmi Thebani, ut quam ocyssimè urbs civibus *Ibid.* 4.

repleretur, locum constituit, ad quem quisquis quamlibet sceleftus confugiens ab omni poena tutus esset, ut memoriæ prodiderunt Plutarchus in Romul. Livius libro primo. Dionysius Halicarnass. libro secundo. Inde factum puto ut ubique fere gentium templa tantâ dignatione habita fuerint, ut qui supplices in ea confugissent, cujusvis criminis impunitatem consequerentur, nec inde educi possent. Qua de Covarruvias libro secundo, Resolut. cap.22. Tacitus libro 3. Polyd. Vergil. libro 3. cap. 12. Corasius libro 5. Miscell. cap. 23. Quarum institutum Pontifices posteà Romani, increbrescente superstitione, secuti scceleratos quosvis quantumque gravia scelera commisissent, Ecclesiarum immunitate gaudere voluerunt, cap. inter alia, de immunitat. Eccles. Dicitur autem *asylum* à privativa particula α & verbo συλάω, sive συράω, quod est rapio, quia nefas sit quemquam ex asylo rapi Hinc *asylia* jus illud libertatis & veniæ, quod quis apud Ecclesiam vel aram consequitur: & *asyli*, homines sacrosancti, quos attingere sine piaculo vel prehendere non licet. Videndus Budæus in L. *quis sit fugitivus*, §. *apud Labeonem*, ff *de ædil. edict.*

Ibid.5. *Vt ne in urbibus quidem positi quicquam ferant civilium exactionum.*] 12 quæst. 2. cap. nulli liceat, cap. clericis, de immunit. Eccles. in VI. c. quanquam, de censib. cap. non minus, c. adversus, de immunit. eccles. Iure tamen divino & humano muneribus legitimis & ordinariis obnoxiæ sunt Ecclesiæ. Stata enim tributa & vectigalia, quæ *canonem* vocamus, cum Reipublicæ nervi sint, nemo detrectare potest. Ideoque Christus tributum Cæsari pendi non solùm præcepit, sed ipse etiam illud cum suis Apostolis exsolvit, ut legitur Matth. c. decimoseptimo. Ab iis verò, quæ extra ordinem Principum arbitrio indicuntur, immunes sunt, nisi grave aliquod periculum & necessitas immineat Reipublicæ. Quo casu ratio postulat, ut ejus etiam oneris partem homines Ecclesiastici ferant. Inter ordinarias autem præstationes illam quoque collationem, quæ belli causa indici solebat, relatam olim fuisse tam ex jure Civili (leg. placet. l. jubemus. l. neminem. Cod. de sacrosanct. Eccles. l. nullus. Cod. de Decurion. leg. 1. Cod. de Indict. 11. quæstio. 1. cap. magni, & 23. quæstio. 8. cap. tributum. Duaren. libro quinto, de Eccles. cap. decimo.) quam Caroli Magni capitularibus convincitur: eoque jure Reges Franciæ etiamnum utuntur. Optimo igitur jure monachis & clericis nostris tam præfractè & sine omni exceptione jus illud immunitatis prætendentibus obijci potest, quod Diocletianus Imperat. nescio cui Philosopho vocationem numerum poscenti respondit; *Professio & desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum Philosophum te esse proponas, vinceris avaritia & rapacitate*, L. profession. C. de muner. patrimon.

Ibid.6. *Antiquorum Regum beneficentia.*] Vide Duarenum, libro quinto, de Eccles. ca. 10.

PAG. 40. NVM. 1.

Antiqui nummi cernuntur.] Quorum ego aliquot habeo argenteos puros putos: sed quorum Regum aut Imperatorum fuerint nequeo discernere: quia nulla habent adjecta nomina propria. Ipsorum autem Episcoporum & Abbatum ne ex loco quidem licet cognoscere: quia omnes sunt uniformes, quorum apud Goldastum nostrum nonnullos admodum elegantes vidimus.

PAG. 41. NVM. 1.

Quos vulgo denarios] Alemannis, Pfenning vicinis Gallis adhuc Denier.

Ibid.2. *Apud eundem Gregorium*] Lib. 9, c. 1. Dialogor.

PAG. 42. NVM. 1.

Mitra bicorni & pedo insignes.] Cujusmodi nuper repertus in vinea quadam nostri Goldasti, ab altera tamen parte vacuus, formâ pari eâdemque cum angusto neque amplitudine major. Vt planè mihi persuadeam omnes ejus ponderis atque formæ nummos olim angustos vocatos.

AD LIBRVM SECVNDVM.

PAG. 46. NVM. 1.

Ad vulgaris linguæ usum ampliorem excogitata.] Adeò ut eam etiam idem Carolus certis regulis & canonibus conceptam Provincialibus (id est, Romanis) ut opinor, tradere tentaverit Nam Germanicæ linguæ Grammaticam conscripsisse, testis est Einhardus, & alij. Quid si etiam barbaris & inconcinnis concionatoribus, qui ad populum dicentes verba Latina ita torquebant in Germanicum usum, ut nihil minus quam Germaniam saperent, & à nemine

ferè

tus sermo nondum scribi cœptus, aut certè paucissimis consuetus erat, non potuisse peregrina verba ac phrases in linguam Latinam convertere, quum superiori sæculo nondum reperti essent, qui illud præstare scivissent; adeò ut in concionatores, quos *barbaros, inconcinnos, ineptos, insulsos depravatores Latinæ & Germanicæ linguæ* appellat, libellum ediderit Iacob. VVimphelingus abusuum sui temporis non ineptus æstimator, In quo inter alia; *Sic etenim dicunt illi illepidi concionatores, Dixit Iesus, ibat, ambulabat, sanabat, docebat, respondebat,* Der HERR was sprechen er was gohn/er was wandeln/er was gesundt machen/er was lehre/ was antworten/*sicque de innumerabilibus: ubi simplex verbum Germanicum sufficeret*, Der HERR sprach/er gieng/er wandelt/er macht gesundt/er lehret/er antwortet. *Ille enim modus est Germanicus, præsertim in Helvetia, id est, Alsatia, & in Germania Vitrarhenana, quarũ partes sunt Ortonavia & Brisgavia,* &c. Cujus loci & sententiæ simul me commonuit Goldastus. An & Othfrydus monachus VVissenburgensis Rabani Mauri discipulus ignaris linguæ sacerdotibus Grammaticam suam Germanicam præscriptam esse voluit? quoniam, ut Rabanus auctor est, suo tempore in sacris & cantu omnia ad plebis fructum & intellectum valuisse, hoc est (sicuti ego interpretor) Germanicâ linguâ celebrata fuisse.

PAG. 47. NUM. 1.

Extat apud nos Sangalli Psalterion à Notkero Monacho &c.] Est nunc penes me in mea Bibliotheca, quod vulgare & publicum in usum dare recepit noster Goldastus cum amplissima priscorum verborum expositione. Quod hîc meminisse volui, ut ab aliis etiam amicis & rerum patriarum studiosis auris ejus velleretur in datæ fidei memoriam.

Orationem Dominicam.] Retulit eam omnium primus à Vadiano acceptam Iohannes Stumpfius in Chronic. sicuti pleraque omnia ejus scriptoris, quæ de Turgovia & Podamico lacu leguntur, non sunt, sed nostri Vadiani, velut ex ejus commentariis à nobis aliquando cum Deo edendis Sole meridiano clarius fiet. A Stumpfio descripsit Gesnerus in Mythridate, ab hoc Nathan Chytræus in Notis ad Galateum Casæ. *Ibid. 2.*

Omelias aliquot Germanicè scriptas ante annos plus minus trecentos.] Exstat & apud Baronẽ de Hohensaxium in arce Forsteckia venerandum antiquitatis monumentum, & quod verè aureum rerum Germanicarum thesaurum continet, abhinc annos CCCCL. & amplius scriptũ ab Imperatore Henrico, Cuonrado rege Iuniore, aliisque Imperij Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, &c. in certamine, ut Goldastus arbitratur, Musico: qui mos ab Aulis nostris desuevit. Exstant & alia apud Goldastum nostrum, ut Henrici de Gravenberg Equitis Suevi, qui ante trecentos minimum annos vixisse mihi videtur. Nam librarius testatur se librum exscripsisse de veteri codice absolvisseque, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimoquinto, in die Palmarum. Habet & idem Goldastus Gavvani historiam, seu potius fabulam circa idem tempus ab incerto scriptam. Habet & Christophori ab Helmsdorff compendium Bibliorum non infra illa tempora scriptum. Habemus & nos Strikere cujusdam librum de gestis Caroli Magni, & Rolandi in Hispania, & item Anonymi cujusdam Paraphrasin Poëticam supra illud ævum scriptam. Vtinam essent complures viri docti, qui ejusmodi scripta diligentius, quàm hactenus factum, rimarentur. Non enim dubito fore, quin brevi res Germaniæ nostræ longe illustriores clarioresq; habituri essemus. *Ibid. 3.* *Imo Rudolphi ab Ems, teste Libliandro & Flaccio Illyrico.*

PAG. 48. NUM. 1.

Sed minus tamen longævum nostro.] Monasterium *Augiæ Majoris*, sive *Divitis*, quod appellant, fundatum est auspiciis Caroli Martelli, anno Domini septingentesimo vigesimoquarto, *sexto anno regni Caroli, Landtfrido duce Alemannorum, & Pertholdo comite Durgavensi*, quorum cura ea ipsa fundatio perfecta est. Fundavit autem in gratiam *Pirminij Episcopi*, qui monachis aliquot comitatus, Italia derelicta, zelo peregrinationis in Germaniam egressus est: à Carolo miro favore excepti, & in eam insulam, quæ tunc *Sindleosovva* vocabatur, destinati. Donavit monasteriũ ex bonis fiscalibus circumjacentium locorũ pagorumque, in primis autem regia villa *Erfmuotingen*. Fundatum autem est *in honorem Mariæ virginis, & Apostolorum Petri & Pauli*, juxta regulam sancti Benedicti. Loca illa jam tum vinetis culta fuerunt. Voluit enim Carolus ut vinum, quod Eucharistiæ consecrandæ & Ecclesiæ erogandæ requireretur, ex Erfrutingen daretur. Hæc ex diplomate fundationis, cujus testes fuerunt ipse *Carolus* Martellus, *Carolomannus filius, Pipinus filius, Hupert Majordomus*, *Kaldrammus Archicancellarius*. Signum Caroli.

R
A
IVS
L

PAG. 49 NVM. 1.

Post quem Lotharius.] Vel *Clotharius*, ut alij eum nominant. Rationem superius attuli Goldasti nostri opinione.

Ibid. 2. *Dagobertus Francorum Austrasiorum rex.*] *Dagobertum* hunc libri quidam Chronici falsò *Theodbertum* nominant, qui Hiltperti ex concubina filius quum patre mortuo regnum occupasset, repente est à Theodorico, secundo Hiltperti legitimo filio, avia Brunihilde instigante, apud Coloniam Agrippinam oppressus. Neque alius post eum Theodbertus, sed Dagobertus ille Lotharij filius, Austrasiis præfuit.

PAG. 51. NUM. 1.

Arborem Felicem.] Propter agri fertilitatem nimium pomiferi, & omnium rerum abundantia gaudentis: tum etiam ob loci ipsius amœnitatem lacusque cum præterfluente Rheno amœnitatem. Sic *Arabia Felix* cognominata, quod frugibus, fœtibus, palmite, odorumque suavitate prædives esset. Sic & *Augia Dives*, à quibusdam etiam *Felix* dicta.

Ibid. 2. *Paucas domunculas & ædem arctissimam*, &c.] Extant Chartæ nomine Gottefridi anno Ducatus ejus vigesimo scriptæ, annis plus minus XIII. ante Abbatem Othmarum: in quibus apparet, Gallum in ædicula seorsim extructa conditum fuisse, & prope ipsam Ecclesiam fuisse, cum jure Parochiæ, quæ forte illa est, quæ hodie sancti Petri dicitur. Nam pastorem tunc temporis fuisse, ea Charta testatur. Item monachum aliquem velut pro Abbate habitum, sicut eo tempore Scaftarium, cujus Charta meminit. Hæc Goldastus.

PAG. 53. NUM. 1.

Quas mihi casu quodam videre contigit.] Quod ita accidit. Quum anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo primo, civitas nostra locum Monasterij, qui muris ambitur & includitur, à Confœderatis suis Tigurinis & Glareanis certa pecuniæ summa comparavissent, tum cives primo ineuntis anni mense Palatium, quod vocant, irrumpere, illudque primò despoliare cœperunt, vix lectorum suppellectile salvata & alio transportata ab Hieronymo Schovvingero Gossovensi patruo meo magno, Monasterij tum à IV. Pagis Præfecto. Cumque omnium omnis ætatis hominum concursus fieret, omnesque anguli atque arcæ perscrutarentur, repertæ fuerunt in quadam cista Chartæ membraneæ amplius 600. breves illæ quidem sed pervetustæ, in quibus continebantur omnis generis donationes, legata, redditus, census, &c. à Nobilibus & plebeiis, temporibus Ludovici, Caroli, aliorumque Regum Franciæ, Monasterio datæ atque traditæ. Has Chartas quum pueri per urbem gestarent, præcepit Senatus, ut in Curiam perferrent, ibique custodirentur. Quas tandem Vadianus, Consul creatus, ad se recepit, & aliquot in hoc secundo libro inseruit. Pars earum ad me, aliquot etiam nescio quo casu ad Goldastum nostrum pervenit.

Ibid. 2. *Primum vici, deinde oppida muris cincta*, &c.] Præter commemorata est etiam uno à nobis miliario oppidum satis elegans atque amœnum Episcopi Cella, quod primò Monasterium fuit à Salomone Constantiensi Episcopo fundatum, postea abjecto habitu monachico Collegium factum, tandem succrescentibus ædificiis muro cinctum. Idem cum Lucerna accidit.

PAG. 54. NUM. 1.

Regiam habuerunt apud Thuregum Carolus, &c.] Tiguri locus fuit insignis cum arce & palatio, quo frequentissimè usi sunt Francorum reges. Habuit eadem arx sacellum nobile, quod una cum arce post mortem Friderici Secundi funditus eversum est. Locus arcis hodieque eminens est cum arbusto amœnissimo, & lingua Germanica auff dem Hoff vocatur. Duravit idem palatium anno Domini 1153. Exstant enim litteræ VVernheri comitis de Baden, quæ Friderico Secundo regnante in eodem palatio Imperiali datæ sunt.

PAG.

PAG. 55. NUM. I.

Iusiurandum etiam in judicio præstabatur. &c.]Plures etiam simul jurarunt,eo more qui traditur in fine legis Ripuariæ.Cùm aliqui illis, qui per juramentum coram Missis (i. legatis)dixissent,obgannirent,testes spatis suis apprehensis denotabant, se hoc quod dixissent, coram Regibus & Principibus dicturos & affirmaturos usque ad sanguinis effusionem.

PAG. 56. NUM. I.

Super fluviolum Stainaha.)Sic barbari monachi dixerunt, quam qui elegantiores haberi studebant,*Petrosam* nominarunt,ut Ratpertus & Ekkehardus.

PAG. 57. NUM. I.

Gallonem.)Hinc *Sanctigallunum* in vetustissimis tribus chartis legitur;sicut à Regi-none *Reginunum*,quod *Regium* hodie dicitur.

Vnde & militiam ingredi & stipendia merere.)Militarunt monachi etiam sub Francis,interdum nonnihil militia exempti,præter eam quam Imperator iniisset. Hinc veterum Abbatum militandi officium,quod more magis Gentis quàm jure ullo receptum & institutum est.Abbas Augiæ cogebatur militare,ut & S.Galli.Episcopus evocabat Abbates,si quando Cæsar expeditionem parans,illos adesse mandasset. *Ibid.2.*

PAG. 59. NUM. I.

Vicus ille VVasserburgensis.)VVasserburg,celebris vicus tempore Caroli Imperatoris, in quo Gozbertus Abbas curtes aliquas donatas monasterio habuit,sicut aliis in locis multis.Abbates habuerunt *Curtes*,id est, Kelnhöff / sive Kennthöff / in aliquot villis,ut Gossovv, Herisovv, Romanshorn, &c. ad quas multi census redditusque dabantur ad monasterium perferendi.

PAG. 60. NVM. I.

Frequenter autem masculis.)Hinc feuda masculina, Mannslehen.

PAG. 61. NVM. I.

Tanto asseverationis studio, ut videri queat dubitatum de ea re fuisse.) Nec injuria. Nam quam anno 1529. Senatus decreto, cui etiam ipse Vadianus interfuit, præsentibus confœderatorum legatis, nempe Tiguro Diethelmo Rœstio consule, & Iacobo VVertmullero Quæstore, & Glaronâ Cunrado Schindlero & Fridolino Klinio, loculus S. Galli adaperiretur, nihil in eo repertum fuit, præter imagunculas ligneas, linteamina vetustate putrida, calvariam, & ingentem quendam dentem. Nec alias reliquias in Othmari loculo repertas ipse Vadianus oculatus μάρτυς in schedis suis testatum reliquit. Vterque autem loculus erat admirandi pretio & artificio operis, ex auro, argento & cupro inaurato unionibus & margaritis pretiosissimis ornato, ex ebore anaglyphico, &c. Has Galli & Othomari reliquias majoribus nostris impudentissimi illi hypocritæ adorandas ostentarunt; his tot divitias atque innumeros fundos concumularunt. Erat præter hos loculos & ingens quædam crucifixi imago, quæ in Litaniis & orationum indictionibus olim circumferebatur. In ea itidem nihil repertum, præter veteres quosdam nummos Santgallenses: ipsa autem crux ex ligno tiliaco fabricata, simulacrum autem crucifixi pice & bitumine factum. Quam rem magnæ fuisse circumstantibus admirationi, memoriæ reliquit idem Vadianus: quoniam monachi superstitiosæ plebi nescio quas pretiosas reliquias in ea cruce asservari pro concione semper persuaserint. Erat consuetudo majoribus nostris tempore litaniarum & solemnium festivitatum panes & alia edulia cruci admovere, persuasi ex ejus tactu benedici atque sanctificari.Ita miseris modis majores nostri à seductorib.istis seducti fuerunt.

PAG. 62. NVM. I.

Vulgo Morschwillen.]Mörschwill/olim sub Salomone Episcopo vocabatur *Morinesuuilare*,ut & in hac charta,& *Isanbrechtsuuil.*

Libra & pondo Latinis scriptoribus) Vsurpasse etiam *Libræ* nomen Germanos, nota hæc tb, qua pondo hodieque significatur,demonstrare videtur. *Ibid.2.*

PAG. 64. NVM. I.

Alij inde vectum Campodunum.] Otho Frisingensis,lib. 6.

PAG.

Pag. 68. Num. 1.

Annum regni ejus XXXV. indicet.] Duas chartas vidi, quæ habent annum XLVII. regni, sub Grimaldo Abbate.

Pag. 69. *

Lotharius junior ab Hadriano Pontifice excommunicatus.] Otho Frisingensis, lib. 6. c. 3. & Vrspergensis.

Ibid. 1. *Crassi ex fratre nepos licet illegitimus.*] Alij legitimum Carolomanni filium fuisse contendunt.

Pag. 70. Num. 1.

Eo honore reliquo sexennio functus est.] Rerum gestarum gloria insignis. Vide Sigebertum.

Ibid. 2. *Cui Lotharij regnum tradidit.*] Et præterea Ludovicum, qui Patri in imperio successit.

Pag. 71. Num. 1.

Tractum aliquem terrestrem Gouu vocant.] *Marcas* autem vocarunt, quæ nunc territoria, vulgo Geginen appellant. Hinc Zukuriederomarc, Gollovveromarko, &c. In chartis tempore Pipini, Caroli & Ludovici, & posterorum scriptis, ut quidem exemplis docet noster Goldastus.

Ibid. 2. *Quos mallos & placida vocant.*] *Malli*, Landgericht / quorum nomina adhuc durant, Landtgericht im Turgow / By Ravenspurg / By Ranckwyl / comitum de Montfort, & aliis locis Alemanniæ plurib. Dixi s. ex sententia nostri Goldasti.

Pag. 73. Num. 1.

Ibid. 2. *Dabantur à Principe advocati.*] Sine quorum manu Abbates nihil ausi ratificare, tradere, vel cambire. Si Advocatus abesset, consentiebat Vicarius. Posteriores Principes vindicavere nonnunquam advocatias Monasteriorum & Collegiorum, quum Pontificum avaritia grassari in Germanorum Ecclesias cœpisset circiter annum millesimum ducentesimum. Sic Ruodolphus rex, qui comes erat ab Habspurg, Advocatum se monasterij Tigurini fecit.

Ibid. *Deinde & curiæ Magister.*] Nota, in monasteriis Hoffmeister Ampt / esse plane novum ac recens officium.

Pag. 75. Num. 1.

Vlrichus Zasius:) in L. *si non sortem*. ff. *de condict. indebit.*

Pag. 88. Num. 1.

Abadorf ad Aham amnem.) *Abadorf* tempore Caroli, celebris vicus & Ecclesia tituli S. Alexandri Martyris. Fuisse videtur juris monasterij Sanctimonialium, ut ex aliis vetustis litteris conijcimus.

Atque hæc αὐτοσχεδιάζοντες & quasi aliud agentes, quæ inter legendum memoria suggessit, annorate primùm in margine, & pòst, quia non indigna amicis videbantur, quæ à Christianis & æquis lectoribus cognoscerentur, tumultuaria colligere opera, & in hunc libellum conjicere placuit, quem tamen accurare per forenses non licuit occupationes. Finem faciemus, ubi prius ea apposuerimus quæ in aliis schedis quibusdam Vadiani manu exaratis deprehendimus. Noluimus enim te fraudare ullo tanti viri κειμηλίῳ, quod quidem ad institutum faciat operis præsentis. Sic autem habent schedæ.

Cantus. Francorum & Longobardorum temporibus, quoniam occupatis jam provinciis Romanis longe lateque præesse cœpissent, cantandi in sacris ritus admissus immodicè atque auctus est: idque Principum & Nobilium cura & studio. Semper enim cantandi sese studio Germani oblectarunt, & Monachi, qui in Principum gratiam emerendam semper studiosissimi fuere, nulla parte magis gratificari Principibus sunt conati. Inde cantus plusquam barbarus & clamosus admissus.

Census. *Denarium unum in argento probato aut ferramentis, aut vestibus novis*, &c. His modis censum præstabant sub Gozberto.

Sub VVerdone pœna violatæ donationis, &c. *A sacrosanctis altarib. excommunicetur*, anno Caroli XVI.

Tempore Salomonis *Romanishorn* ad monasterium S. Galli attinuit. Sub eodem Milo quidam censum de *Sumbri* ad monasterium ordinavit, pro animæ suæ salute. Salomonis Advocatus fuit *Puoto*.

Sub Grimaldo factæ donationes ad monasterium, quo nutrirentur juvenes quoad ad provectiorem ætatem pervenerint, Adalhart de Ingen cum suis advocatis, Eginonis & Marthrati.

Thiota Abbas, qui & *Thieto*, sed in antiquis Tabulis *Thioto*. Eo tempore Comites sub se *Tribunos* habuere, ut habet vetus Tabula, *Bernhardum Comitem VVittonem Tribunum*, &c. sub tempore Thietonis.

Gozber-

Gozberti advocatus fuit *Adalrammus*, anno XII. Ludovici Imperatoris.

Tempore Ludovici tres sorores in Altſteten, diviſerunt hæreditatem: quarum una Regi partem ſuam, altera monaſterio S Galli, tertia ſanguineis dedit, &c.

Bernhardus Abbas, *VVitto* advocatus anno primo Arnulphi Imperatoris.

Engilberti Abbatis advocatus fuit Hugebertus, anno regni Henrici XI. Item Hartmuoti Abbatis VVolfpertus advocatus, anno XI. Caroli Imp.

Sub Bervvigo Abbate, fuit Ludovicus Alemanniæ, in Teutſchlandt: & Ludovicus alter Imp. in Francia, ſub quibus Geroltus comes in Turgovia.

Sigmarisvvang olim dictum, quod hodie Zyberwang/ tempore Grimaldi Abbatis, & *Lutoldespurg*. quod nunc Lütisburg.

Egino Epiſcopus, etiam *Etegino* dicitur, tempore Caroli Rector Cœnobij S. Galli. Aliquæ litteræ teſtantur, Eginonem Epiſcopum præfuiſſe monaſterio ſub VVerdone vel cum VVerdone Abbate

Villa *Pappinheim*, teſtibus antiquiſſimis litteris, fuit in Pago Turgaugienſi, nempe tempore regis Caroli anno II

Ante Salomonem & ſub eo *Bibliothecarius* fuit in noſtro monaſterio, hoc eſt, præfectus Bibliothecæ, & qui libris ſcribendis & apparandis operam navaret. Qualis ſub Salomone fuit VValrammus monachus. Erant autem Bibliothecarij fere ſcribendi probe periti.

Lacus Bodamicus ante nativitatem Chriſti, & multo etiam poſt tempore dictus fuit *Cromius* lacus (Cromaſee) unde *Cromanshorn*, quod poſtea *Romanshorn*, nunc Romishorn. Latini eum *Acronium* appellarunt, ut Pompon.

Inter officiales perſonas monaſterij noſtri fuit *Æditu*us, non contemptus nec poſtremi ordinis: quippe qui etiam Tabulas Donationum ſignaret, & in teſtem citaretur.

Sub Beruvvigo Abbate ſcribitur in litteris Donationum, *Hludouuicus Imperator*, & *Hludouuicus junior rex Alamannorum*: tempore Geroldi comitis Durgaviæ: quo tempore Puato advocatus clauſtri fuit, Iſanbert Decanus.

Sub Vlrico (puto) Primo littera Donationis ſic habet in fine; *Notavi regis Ottonis adhuc pueruli annum V. Cuonrado duce, Handolto comite, &c.* Eo tempore Heriſovv ad monaſterium pertinuit.

Anno Domini DCCCCLXXI. fuit annus X. imperij domini Ottonis, duce Burkardo comite Eberhardo. Fuit ſub Abbate Burchardo

Tempore Ludouuici regis *Herinſevv* Parrochia fuit ſub Salomone Abbate, longe antiquior Eccleſia Abtzellana. In antiquis litteris Carolus Magnus, poſtea Imperator Auguſtus factus, inſcribitur ita; *Regnante domino Carolo rege Francorum & Longobardorum, ſeu Patricio Romanorum.*

Sub Abbate Grimaldo aliquæ litteræ ſic ſubſcriptæ ſunt; *Anno XXXVI. regni Hludouvici regis, ſub Ruadberto vicario Carolo filij regis.* Hic Carolus fuit Iudithæ filius ex Cæſare Ludevvico.

Tempore Othmari *Carolomannus Maiordomus* in litteris aliquibus Donationum ſubſcribitur. Fuit frater Pipini. Habuit & Carolus fratrem Carolomannum. Item ea ætas habuit in monaſterio *Lectorem*, qui ſe hoc titulo ſæpe ſubſcribit ſub multis Abbatibus.

Sub Gozberto Abbate ſubſcribitur in aliquibus litteris; *Regnante domino Hludouuico Imperatore noſtro, anno XVIII. Carolo verò anno III. ſub Erchanbaldo comite in Turgavia.* Carolus fuit filius Iudithæ, vocatuſque fuit Iunior, & habuit partem diviſi imperij.

Scalch veteribus Francis ſervus dicebatur. Inde in antiquis litteris *Scalcho*, invenitur etiam Latinis pro ſervo, & velut proprio nomine ſervi. Salomon attigit imperium Conradi, ſub quo ſervi Schalch dicti.

Grimaldus Abbas Hartmuotum ſubſtituiſſe videtur vivus & valens. Nam ita litteræ quædam ſub Grimaldo datæ ſonant: *Signum Grimaldi Abbatis & ſucceſſoris Hartmuoti Abbatis, qui hanc chartam prius neglectam cum manu Advocati ſui Helidberti eidem Thiotpoldo conſignavit.*

Servos diu habuerunt Monachi & Abbates, inter quos & concambia cum comitibus & liberis hominibus fecerunt: & *latentes* appellarunt bonis eorum ad monaſterium ordinatis.

Clauſtrum noſtrum in antiquis litteris etiam Caroli tempore, ſcribitur, *ſitum in Durgavve in pago Arbonenſi, & Ducatu Alamanniæ.*

Stamheim ſub Pipino celebris vicus. Et aliquæ litteræ ſubſcribuntur in hunc modum; *Regnante Ludouuico rege in Orientali Francia.*

Cadaloh comes Perchtoldi filius Monaſterio noſtro multa prædia villæ *VVanga* & partem ſuam baſilicæ ibidem conſtructæ, anno XXXIII. Caroli regis Francorum.

Agaunum vetus eſt, & fundatum à Sigiſmundo rege Burgundiæ, Sigrichi regis patre

anno Domini 510. præter propter. Vocatur hodie *S. Mauritij in Vallesia*, zu S. Moritzen im Wallis.

Vvighardus & Ruopertus fratres. Duces militum Alemanniæ, sive Sueviæ sub Ludovico Pio, divisâ hæreditate paterna, Principis consensu, duas Ecclesias fundarunt: alteram in *castro Turicino* juxta fluvium *Lindemacum* Ruopertus Dux; alteram ad *Lucernam* & fluvium *Rusam* Vvighardus, in honore sancti Mauritij, & sociorum ejus, & sancti Leodegarij Martyris, & omnium Sanctorum, instituto Monasterio, & se Abbate facto quot potuit Monachos eo convocavit, Alluvico quodam docto & scripturarum perito homine ordinato, qui Evangelij prædicatione multos illius Regionis homines religionis amore inflammavit. Eundem postea successorem suum constituit, & rectorem cœnobij fecit, anno Domini 693. Hic fuit *Ludovicus Pulcher* cognominatus, quem Galli Clodoveum vocant, qui & *Alemannos* subjugavit, quorum justa pars erat, qui hodie à veteri loci genere *Helvetij* dicuntur. Vide Contractum in suis Chronicis.

Caroli ætate *Lindemagus* amnis, qui Tigurum secat, dictus est, ut patet etiam in litteris Dotationis Caroli Magni, quæ Tiguri visuntur.

Carolus *Ecclesiam Tigurinam Canonicorum* non fundavit sed auxit redditibus, quos passim ceu stipem quandam nobilitas conjecerat, quo animas criminibus alligatas redimerent. Ea enim causa motos fuisse Carolus ipse suo diplomate testatur. Vocat autem *dotales donationes* reditus illos, quos de suo nobiles contulerunt ad victum & alimoniam canonicorum, qui a tum sub uno lecto & unis in ædibus, quas *Monasterium* vocabant. habitavere, uno pistore & promo communi condoque utentes. Ea re & *Fratres* vocabantur, quanquam nulla Monachismi regula tenerentur.

A Ruoperti fundatione usque ad dotationem Caroli anni interierunt. 307.

Canonici Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiorum Monasticorum *Parochias*, hoc est, agro suo qui *Diœcesis* vocatur, positos homines sua providentia curabant, & famulatu competenti populo seu Ecclesiæ deserviebant, pastorali vigilantia magno labore adhibita. Demum crescentibus divitiis, & ocio, ut fit, adlubescente, cessatum est, ad luxum videlicet & ambitionem conversis animis: & pauci delecti seorsim qui plebi præessent, *Plebanique* vocati sunt

Cantores sero multis in Ecclesiis instituti, & canendi morem minus quàm pronunciandi veteres illæ ædes tenuere.

Monasterium Tigurinum Sanctimonialium conditum & fundatum est à Lhudevvico seniore (nam Calvi filius vocatus est Iunior) Caroli Crassi patre, qui *Curtim* suam urbis Tigurinæ, ut ipse in litteris fundationis vocat, cum integro jure & omnibus ad se pertinentibus redditibus eo contribuit. Pagum etiam *Vronia*, qui hodie *Uri* dicitur, quem & *Pagellum* vocat, cum mancipiis & jure omni ad præfatum Monasterium contribuit. Ludovvicus ejus primam Abbatissam filiam Hildegardam constituit, & præfata omnia concessit, sicut litteris fundationis clare continetur: Pollicitus tuitionem & immunitatis defensionem, &c *Mundiburdium*. Datæ sunt litteræ, *Anno XX. Regni Orientalis Franciæ, in Regenspurg* Signum Lhudevvici,

Idem anno regni ejus XXVI. *Chanam* curtim, quæ in pago Thuregiensi est. Monialibus Tigurinis donavit.

Idem Ludovicus anno regni ejus XXXII. Orientalis Franciæ, eandem immunitatem confirmavit ad preces Hemmæ conjugis suæ, quæ filiam Bertham Hildegarda defuncta eidem Monasterio præfecit.

Post hunc & Carolus Crassus filius omnia à patre concessa confirmavit, donationibus & immunitate confirmatis, anno 883. in oppido Vlma. Pagum Zurichgaugensem vocat, ubi constructum sit Monasterium.

Idem Ludevicus Senior Caroli Crassi pater, Sacellum S. Petri in villa Zurich eximiis reditibus donatam in beneficium Beroldo presbytero, qui Hildegardæ filiæ fideli ministerio servierat, concessit. Huic sacello capellas duas Vallis Vroniæ conjunxit, in locis nominatis *Burgela & Sylina*, cum mancipiis, decimis, terris, cultis & incultis, donavit ea conditione, ut eo mortuo res prædictæ ad prius memorati Monasterij usum & possessionem reverterentur. Facta est hæc donatio Anno regni Ludeuuici XXV. in Orientali Francia.

Iurisdictio vel Caroli ætate concessa est Monasteriis. Quod satis ex Diplomate fundationis

tionis Augiæ deprenditur. De *Imperio* vel *mero* vel *mixto*, nulla prorſus in ullis antiquis litteris, quas quidem ego viderim, mentio.

Henricho IV. Imperante ita primum irrepſit ſimonia, emendis Abbatiis & Monaſteriis Epiſcopatibuſque ut in aula Principis omnia vænum proſtarent. Author mali fuit Rupertus Abbas Bambergenſis, qui mercatus erat Abbatiam Fuldenſem 100. Marcis auri ab Imperatore, à quo præterea quicquid voluit pecunia impetravit, teſtante Lamberto in Chron.

Francia Theutonica Lamberto dicitur, quæ antea *Orientalis* dicta eſt, quum Germanici adhæc Reges Franci in occaſu imperarent. Quibus extinctis Provinciales illi ſucceſſerunt, qui lingua utuntur Latina corrupta aut Provinciali.

Clodoveus, primus Chriſtianus Rex inter Francos, Alemannos vicit, Carolus Pipini filius rebellantes compeſcuit.

Ducatus Sueviæ valde antiquus eſt, & ut ex actis Francorum coniicitur, eo tempore cōſtitutus in *Alemannia*, quæ & *Suevia* dicta eſt, quum à Rege Ludovico devicti, & regno Franciæ additi, ac velut in Provinciæ formam redacti ſunt, quod circiter annum Domini 500. accidit. Hic Ludovicus ſocer fuit Theoderici Regis Gotthorum. Regnum autem invaſit vel recepit patre Childerico mortuo, anno Domini 483. Ex Volaterrano.

Tanta fuit authoritas Cæſarum in Epiſcopis numerandis & eligendis etiam ſub Hainrichis, qui poſt mille annos poſt natum Chriſtum imperarunt, ut Hermannus Contractus in collectaneis ſuis Chroni. Cunradum quendam Colonienſ. præpoſitum Treverenſem à Cæſare nominatum, ſed à Clero tamen & populo rejectum nihilominus tamen ſeſe intrudentem, ac propterea interfectum, martyrio coronatum eſſe ſcribat: cum jure tamen divino rite electus non ſit, niſi qui & cleri & populi conſenſu fuerit admiſſus. Et Francorum etiam ætate legendi Epiſcopi, authoritas penes Eccleſiam, inveſtiendi autem penes Cæſarem extiterit. Quod contractus ignoravit. Vide Platinam in Damaſo II. fol. 68. & in Leone IX.

Monaſteria primum ab exteris, deinde à ſeipſis ob inteſtinas diſſenſiones & rixas, quas ambitio & amor habendi excitarant, afflicta ſunt: Semper tamen ex donis & eleemoſinis recreata, demum & corporationibus ditata.

Tempore Henrici II, Gregorius V. inveſtituras Imperatoribus extorquere conatus eſt. Vide Vincentium lib. 26. ſpecul. hiſt. vide Vrſpergenſem.

Henricus II Primus omnium per electorum Principum ſuffragia Imperium ſuſcepit. Vide Palmerium pag. 131. & Platinam in Gregor. V.

Inveſtituræ jus non ſolum jure divino commune eſſe debet Principib. & Magiſtratibus Chriſtianis, hac cauſa quod & ipſis honor & ſubjectio debetur exemplo Chriſti & omnium Apoſtolorum, ſed etiam ea cauſa quod in majore parte omnium donationum Eccleſiaſticarum jus habet patronatus, quia ipſorum opibus omnes & ſubditorum donis fundatæ & in temporaria proviſione donatæ ſunt. Id quod à primo Conſtantino ad uſque Iuſtinianum, qui res Eccleſiarum totius Imperij Romani curavit, uſque ad noſtra tempora clarius notiuſque eſt, quàm ut multis neceſſe ſit exponere.

Galli adhuc retinent jus inveſtituræ Epiſcoporum & Abbatum ex Lege Pragmaticæ ſanctionis. Quam rem impiam eſſe Volaterranus in Carolo VI. ſcribit: Sed pia ut ſit Romanus Pontifex fecit, poſtquam ei omnia venalia facta ſunt.

Tributum Anglicum quidam Adulpho Regi tribuunt, qui Lothario Ludovici Pij filio imperante regnavit, ut Antoninus ex vetuſtioribus Chronicis tit. 16. libri hiſtorial. §. 1. annotavit.

Iuditha Ludevici Pij conjunx, Caroli Calvi mater, Turonis in Monaſterio S. Martini ſepulta eſt

Pugna juxta Altiſiodorum facta eſt *VII.* Calend. Iulij, feria *VII.* Hora diei quaſi ſecunda in villa Fontis, quæ diſtat ab Altiſiodoro 8. miliaribus Francicis.

Theodericus Oſtrogotthorum Rex mortuus eſt Ravennæ anno Chriſti CCCCLXIII. authore Blondo lib. 3. Decad. 1.

Gotthi ex Italia penitus pulſi, anno Domini DLXIV. authore eodem libr. 4. Decad. 4.

Albuinus Langbartorum Rex ſedem Regni Italici Veronam fecit. Nocuerunt templis & Sacris Langobardi, quia nondum Chriſtum imbiberant.

FINIS.



IOANNIS COMANDRI EPISTOLÆ

AD IOACHIMVM VADIANVM COS.

DE ANTIQVITATIBVS CVRIÆ IN RETIA PRIMA.



RATIAM & pacem à Domino Iesu Christo. Literas humanitatis tuæ accepi, vir eximie, ac in primo versu exhortaris me officij jamdudum impositi, ut ex annalibus, si qui forent, sciscitarer exordia & fundationes Cathedralis Ecclesiæ ac Monasterij Divo Lucio sacri. Ego quidem diligenter sciscitatus sum apud Divum Lucium per omnes fratres ejus conventus: at hucusque nihil reperi. Ante mensem miserant ad me ingentem Codicem membranis descriptum, antiquum, in quo præter historiam Divi Lucij, quomodo à Beato Timotheo quondam ad Christi fidem conversus dicitur, penitus nihil reperi. His verò diebus ego ipse Monasterium ingressus perlustrare cupiens annales eorum. At illi suarum rerum adeò ignari ut nihil supra, non norunt tempora primordiorum neque nomina fundatorum. Demum sic respondebant, Monasterium illud Præmonstratensis Ordinis nunc, quondam ordinis Divi Benedicti fuisse. Hoc quoque certum, esse Monasterium suum ante annos plurimos flamma penitus consumptum, & post quadraginta annos rursus pari clade: ob quam causam suarum antiquitatum nihil reliqui reperiri posse. De Cathedrali Ecclesia nihil quoque certi adhuc adeptus sum. Custos ejus Ecclesiæ promisit me in archivum introductum, ut ego ipse libros eorum verram ac à pulvere discutiam, si quid reperire possim. Hoc quidem, quantocius potuero, faciam. Ego quidem, Doctissime Vadiane, hoc suspicor, hominibus illis suarum fundationum bases & exordia adeo lubrica & fabulosa videri, ut potius celare libeat quàm prodere in lucem. Nihilominus operam dabo continuo & pro virili, ut aliquid nanciscar tuo operi dignum ut inseratur.

Quo Mussius diverterit, prius ad te scripsisse puto. Dicuntur varia de eo. Certum est quod ad palacium quoddam parum munitum admissus est paucis viris, ac perpaucis munitionibus, etiam tormenta sua in quodam loco dimittere coactus est, & quæ ad tormenta pertinent, ut puta pulverem & lapides, in aliis locis, ut quando videre libeat concedatur, sed conjungere non permittitur.

De monasterio Divi Lucij Iacobus Salandronius noster piæ memoriæ ita dicebat, virum quendam nobilem de Vndervvegen ex Scanfit valle quondam aquis Blasuræ suffocatum ac illic sepultum & pro Divo Lucio venerari, & à suis monasterium illud initia sumpsisse. An fabula sit nec ne, ignoro. Vale. Ex Retorum curia, 26. Iulij, 1532.

ALIA.

Gratiam & pacem à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo. Imperasti mihi jamdudum, vir spectatissime, ut diligenter inquirerem primordia & fundationes templorum Kathedralis & Divi Lucij. Ego quidem quam sanctè juro, quod diligentissimè inquirendo indagandoque nihil perscrutari possum. Monachi divi Lucij prorsus ignari sunt suarum rerum. Denique perlustravi ego ipse eorum Bibliothecam: at nihil reperi præterquam hæc Barbara verba in quodam magno Codice Homeliarum: *Anno Domini millesimo CCC. XXX. Anno combussum est ecclesia sancti Lucij Regis & Confessoris in die sancti Lucæ Evangelistæ.* Postea sequitur de Ecclesia quando consecrata sit, & de re-

de reliquiis altaribus inclusis. De Ecclesia Kathedrali exactè quæsivi apud Magistrum Lucium Iter, ejus Ecclesiæ Canonicum & custodem, etiam apud M. Gaudentium de la porta (aliàs Byæsch) Canonicum: qui pariter respondebant, scilicet sese monumenta non pauca habere suarum antiquitatum in deposito reclusa, sed eis non esse locum aut tempus perlegendi, nisi aliqua necessitas urgeret. Idem responsum dederunt etiam Ægidio Scudo, qui eadem rogavit quæ ego, ut suis Chronicis insereret. Nihil itaque aliud nunc respondere possum. Dabo tamen operam in posterum, si quid per me aut alium quempiam investigare queam.

Cæsarem ajunt Mantuam venisse ante aliquor dies, illic forsitan hybernaturum

Quidam sacrificus Parochus in ditione Clavenensi nuper speciem Deiparæ Virginis ementitus cuidam puellæ apparuit, ac multa nugamenta ædidit Qui tamen deprehensus capite truncatus vitam finivit. Hujus historiæ tota series descripta à Iudice ipso mihi dabitur: postea humanitati tuæ mittam. Nam nebulo ille conatus est Evangelio Christi obesse scelestissima hac fallacia. Vale vir egregie. Ex Curia Rhetica, 17. Novemb. Anno Christi 1532.

ALIA.

Gratiam & pacem à Domino Literas humanitatis tuæ per Leonardum fratrem nostrum accepi, atque ea, quæ continebant cupidissimè percepi. Nunc vero tabellarium nactus adeo commodum, abstinere à scribendo non potui, quamvis argumentum fortassis minus dignum sit tuis auribus. Duo habuimus Monachorum cœnobia Curiæ (quemadmodum novit & vidit reverentia tua) quæ nunc Monachis evacuata, & in usum studij novi conversa, initio quidem satis auspicato. Rector studij, quem Ludimagistrum vocamus, stipendio centum aureorum conductus est. Alius sub illo & cum illo laborans quinquaginta. Tertius quidam ex nostratibus Poëta admodum doctus, quinquaginta quoque. De his omnibus Tabellarius ille noster, qui cœnobiorum illorum redituum procurator est, differere melius & commodius potest quam ego scribere. Poëta ille Commentarios Cæsaris interpretari incepit, venitque jampridem ad hunc locum: *Bojosque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noreiamque oppugnarant, &c. Noreiam*, Noribergam interpretatus est. Putant quidam ex auditoribus eum hallucinatum esse, nec in eo tractu, quem Geographi *Noricum* appellant, *Norinbergam* sitam esse. Hujus itaque discretionem à te Geographo peritissimo flagito atque obsecro. Ex Italia fertur res ipsorum indies melius habituras. Vale, vir eximie. Ex Rhetiæ Curia 4. Nonas Majas, 1540.

FINIS.



V. NOB.

IOACHIMI VADIANI SANCTGALLENSIVM CONSVLIS

De

PRIMITIVÆ ECCLESIÆ STATV,

SEV

CHRISTIANISMI ÆTATIBVS

Liber imperfectus.





IOACHIMI VADIANI, COS. SANCTGALLENSIS, DE PRIMITIVÆ ECCLESIÆ STATU, QUI AUREA ATQUE ARGENTEA CHRISTIANISMI ÆTATE FLORUIT:

Liber imperfectus.



QUAMVIS libris superioribus de statu Collegiorum & Monasteriorum, ut Francorum & insecutorum aliquot Principum tempore habuerunt, deque disciplinæ casu & temporum inclinatione, satis dictum videbatur, tamen operæ precium, nec minus Lectori rem gratam facturos nos arbitrati sumus, si de primitivæ Ecclesiæ statu, quem aurea & argentea Christianismi ætate determinamus, quæ veterum ex fragmentis magno studio nec minore fide collegimus, subijceremus, ut collatione primævæ illius Ecclesiæ, cùm insecutorum atque adeò nostrorum temporum moribus & disciplina Ecclesiastica instituta, tanto magis elucesceret, quàm horribili casu disciplina omnis Ecclesiastica sensim vitiata labascere ceperit, donec tandem fœdè contaminata & plus quàm corrupta in nefandam & deplorandam malorum myriadem degenerarit. Atque hoc amplius ut privatim faceremus, adducti sumus, quod perversa ne dicam cæca nostrorum hominum judicia ita disciplinam omnem Ecclesiasticam metiuntur & discernunt, ut quam postremam norunt, hanc modò primam & absolutam statuant: cum contra vetus illa, quæ vel ab illis ignoratur vel negligitur, longè omnium optima & absolutissima extiterit: postrema usque adeo doctrinis hominum & sanctionibus (ut alia sinamus) vitiata adulterataque jaceat, ut ne nomine quidem Christianæ disciplinæ admodum digna esse videri queat. Verum illi suum, hoc est carnis judicium sequuntur, nec expendunt illud Christi: *Nolite judicare secundum aspectum, sed justo judicio judicate.* Longè minus illud Pauli: *Animalis homo non accipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere quod spiritualiter judicatur: Enimvero qui opes, qui luxum, splendorem, dignitatem, potentiam, qui hominum favorem & plausum admirantur, nihil non tribuent præsenti statui Ecclesiastico, rerum jam dictarum affluentia usque adeo referto & distento, adeoque in ocio & indulgentia beato & splendido, ut nulla unquam sæcula à nato Christo sagenam adsimilem fuerint experta. At qui fidei sanæ, qui fortitudini, qui tolerantiæ, sobrietati & innocentiæ, qui rerum temporalium & caducarum contemptui, doctrinæ præterea & cognitioni summam tribuit veræ & sinceræ religionis, in his hominibus præsertim, qui se Christi & Apostolorum vel successores vel imitatores profitentur, quique titulos gerunt mundi abjurati: Hi profectò ne hilum quidem invenient, quo postrema hæc tempora cum primis illis seculis longè maximè probis & spectatis, pietatis æstimatione conferri (quæ illorum opinio est) aut collaudari possit. Durat quidem perpetuò, nec dissentit unquam à capite suo verè credentium Ecclesia, quæ sanè à mundi exordio licet tentata per partes suas afflictaque fuerit, tamen nunquam vel latum digitum à certæ fidei amussi delirat: neque olim aliud unquam sentiet, quàm quod à Domini Spiritu præscriptum est. Cæterum illa

illa quæ sit & quorum numero constet, ne Prophetæ quidem & Apostoli cognoverunt. Solus enim Dominus novit qui sui sint, veluti à Paulo est traditum. Illam ergo quam nos de certa historiarum fide cognoscimus multis modis variatam, & ceu ætatibus quibusdam deductam mutatamque fuisse constat: quippe quæ primùm virili robore perstitit, demùm in senium quoddam & ætatem plusquam decrepitam defecit: quamque auream reliquit constans illa Christi & Apostolorũ doctrina: eam demùm postrema sæcula æneam & ferream effecerunt. Mihi enim sæpe cogitanti minimè inepte fieri visum est, si quas ætates Cumæam illam Sybillam priorum sæculorum decursui tribuisse ferunt, eas nos sæculis posterioribus, quæ à passo Domino ad nostram usque ætatem defluxere, tribueremus.

AVREA ÆTAS ECCLESIÆ.

AVREA enim fuit ætas Ecclesiæ à gloria resurgentis Christi & dono illo Spiritus sancti, hoc est à postremis Tiberij annis adusque Constantini imperium deducta, annos circiter CCLXVIII. Quo tempore licet omnia plena injurijs, calumniis & delationibus fuerint, tamen sic erant animati Christiani, ut illa ferrent magis quam facerent. Nam & ferro hoc toto tempore ita est sævitum in Ecclesiam, ut plane ferrea videri illa ætas posset his, qui nostram à divitiis & splendore auream esse judicant: cùm tamen vel hac de causa Aurea meritò fuisse creditur: quod auri summa & perpetua contemptrix fuit, neque auri solùm sed earum etiam rerum omnium, quarum admiratione impietas capitur, Domino nostro primùm omnium testante *non habere filium hominis quo caput suum reclinet*: dein & Apostolis confitentibus *nec aurum se nec argentum habere*, sed insignia dũtaxat Christi dona quæ petentibus impertirentur. Certe & Apostolus Paulus ad Gentes erudiendas vocatus *neque aurum se neque argentum abs quovis homine accepisse* testatus est. Nihil enim magis aureum, hoc est eximium magis & preciosius esse potest, quàm animum sublimibus rebus capescendis renatum, ita ut à cura, sollicitudine & cupiditate rerum fragilium & momentanearum abducere, ut non nisi cœlestibus & divinis æternisque bonis sese captivare & adducere authori bonorum omnium concupiscat. Mihi sane ex traditione Petri Apostoli hoc etiam magis aurea visa est, quo magis exploratione fidei, quæ longe auro, quod perit, preciosior est, tamen instar auri vehementissimo & prope intolerabili persecutionum igne ita est probata, ut & innocentia vitæ & doctrinæ puritate & morum sanctimonia omnibus posteà insecutis seculis exemplo esse potuerit, nec potuerit modò sed & debuerit. Sicut enim aurum ferro effoditur & igne probatur, ita & Ecclesia ferro & igne persecutionum tentata, sed & Hæreticorum insultibus vexata supra modum, haud alios fructus quàm aureos edidit.

Matth. 11. Act. 3. & 4. Act. 20. 1 Pet. 1. Augustin. lib. 10. de Civit. Dei c. 26.

Primùm enim certissimam scripturarum interpretationem accepit, & clave illa donata est, qua sola aperitur & nemo claudit, clauditurque & nemo aperit, doctrina videlicet, quam Christus Verbum Patris de cœlo deferens, non suam sed ejus esse à quo missus esset confirmavit. Quam deinde Apostoli ceu per manus traditam ab eodem magistro didicerunt, primùm quidem concionante & de regno cœlorum ipsos cum privatim tum publicè admonente: mox etiam à resurgente, quum mentibus ipsorum aperte seipsum in Mose & Prophetis & Psalmis indicavit; Postremò quum igne Spiritus sancti inflammati repente in omnem veritatem deducti sunt. Proinde primam illam & sanctissimam Ecclesiam in doctrina Apostolorum perseverasse legimus. Hæc enim Christum aperiebat orbi in lege & Prophetis promissum & illi ætati pretium. Quid enim aliud est doctrina Apostolica in literas posteà relata & omnibus in Ecclesiis Domini veteribus sanctissimè culta & observata, quàm ostensio & indicatura justitiæ, sanctificationis, & redemptionis nostræ per Iesum Christum filium Dei viventis? Quid aliud sermo ille cœlestis servorum Christi toto illo instrumento, quod Novum appellamus, comprehensus, quàm commentarius quidam explicatissimus à Spiritu sancto exaratus, quo quicquid in Lege & Prophetis anteà vel figuris involutum vel ænigmatibus perplexum vel umbra aliqua obscurum erat, de Christo, de doctrina Christi & rerum æternarum promissione, ita elucescat, ut vetera etiam illa magna ex parte nec perplexa amplius nec ullis difficultatibus involuta, aut ullis tenebris caliginosa, sed simplicia, sed aperta, sed obvia omnib. & salutaria possint judicari. Sapienter enim & pie ab illis traditum arbitror, qui Vetus (quod vocant) Testamentum Legis & Prophetarum negant rectè vel capi vel intelligi, nisi à luce illa doctrinæ Apostolicæ, seu quod idem est doctrinæ Christi, primum ordiamur, & post diligentem lectionem novæ legis vetus illud, quod novum etiam in se Prophetico spiritu complexum est, aggrediamur. Fieri enim nequit, ut tenebræ ulli nisi per fulgentem lucem discutiantur, juxta illud Apostoli: *Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Frustra etiam Christus scrutari scripturas jussisset, si lucem illam Spiritus, per quam omnia etiam profunda scrutari licet, suorum animis, quos universum in orbem missurus erat, non adhibuisset.

In pri-

In prima igitur illa aurea & vere aurea & sancta ætate ardentissimi regni Christi, ea erat dignatione & authoritate scriptura nova, mox ab excessu Apostolorum magna ex parte agnita & recepta, ut nihil sanum, nihil solidum, nihil denique pium aut fidei Christi accommodatum esse existimaretur, quod illa palam non doceret: nihil aureum, hoc est vere Christianum crederetur, quod illam ad coticulam adhibitum spectatæ pietatis notam non abstulisset: contra autem nihil non ut impium & absurdum anathemate feriebant, quod alienum ab illa vel contra illius traditionem excogitatum & receptum fuisset. Unica illa valebat regula, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo Patre acceptam tradidisset. Et erat recepta omnium consensu sententia, quæ & in sequente ætate defensa est, de sola scilicet scriptura nihil dubitandum, reliqua omnia vel doctissimorum hominum scripta cum adhibito judico legenda, ut quæ bene sentirent, in gratiam scripturarum reciperentur: quæ minus, ut illi adversa reiicerentur. In qua re tantum aberat, ut personæ ullius quantumvis meritæ aut excellentis, ratio haberetur, ut ne de cœlo quidem Angelum, qui aliud docere instituisset quàm Apostoli tradidissent, ullo modo admiserint.

Habuere quidem Ceremoniæ, hoc est institutiones externæ & indifferentes suum locum, quæ quidem ea duntaxat caussa admittebantur & adhibebantur, quo omnia meliore ordine rituque fierent in Ecclesiis, quæ à Domino præcepta illis & in Apostolorum monumentis relicta fuissent. Cæterùm ejus generis erant omnia, ut neque quicquam libertati Ecclesiis traditæ adimerent, & subinde justis caussis flagitantibus mutari & pro ædificatione aliter aliterque institui potuerint. In animis erat omnium Apostoli edictum: *Omnia decenter & secundum ordinem fiant*. In totum autem paucæ & modica etiam æstimatione habitæ ceremoniæ.

Sacramenta duo præcipua, Baptismus & Eucharistia. Nam oleum, cujus Iacobus meminit, ad corporis non animi ægritudinem attinebat, & multis posteà sæculis, variis in Ecclesiis, alio in usu non fuit.

Ecclesiæ tunc erant & dicebantur congregationes Christianorum paulò celebriores, Episcopis suis hoc est vigilibus & magistris disciplinæ subjectæ. Harum primæ erant Apostolicæ, ab ipsis scilicet Apostolis conditæ & fundatæ, velut Ephesina, Corinthia, Philippensis, Romana, &c. Præterea & Hierosolymitana & Antiochena Syriæ, & Alexandrina, inter præcipuas habitæ: quibus adnumeratæ sunt quotquot ab Apostolis passim sunt institutæ, nec doctrina priores posterioresve nec fide sed annis tantum, quorum supputatione Græcæ fere Romanam antecesserunt. Cæterum æquales omnes potestate & functione, nec reipsa plures Ecclesiæ locorum intervallis disterminatæ, sed ut unum corpus Christi capitis, ita etiam una Ecclesia communicatione bonorum omnium donorumque & insuper indivulsa charitate coagmentata. Prima & una sancta Catholica & Apostolica, ex qua reliquæ prognatæ sunt, & ipsæ hac potissimum de caussa Apostolicæ, quia cum illa una fide, uno spiritu, uno sensu doctrinæ disciplinæque conjunctæ. *Sic enim omnes primæ*, ut inquit Tertullianus, *& omnes Apostolicæ, dum omnes unam probant unitatem*. Proinde plures Ecclesiæ per Asiam, Europam, Africam, quæ partim ab ipsis Apostolis, partim ab Apostolicis (ut Africanæ omnes) transfusæ, quia in virtute Christi & fidei certitudine, ad hæc & regni Dei administratione & functione mysteriorum Christi uno in corpore uni capiti implexi erant, una videlicet charitate donatæ, plures quidem numero, ut plura unius corporis membra, fide tamen, quæ omnium Ecclesiarum robur & fundamentum est, una Ecclesia Apostolica fuere. Quas inter Romana Ecclesia nec prima erat, nec caput erat, nec summa, sed inter primas & summas celebris, & inconcusso fraternitatis studio præ omnibus famigerata. Nequit enim caput esse membrum in corpore, quod capiti est subjectum.

Episcopi sanè & ministri omnes hujus ætatis tales erant, qualis erat functio quam exigebat doctrina, & quales præfici Ecclesiis jusserat Apostolus. Quod si qui vel infirmitate (ut est humanum) vel errore quopiam victi offendissent, repente aderant qui admonerent & ad meliora cohortarentur. In legendis Episcopis nec favor nec pretium nec genus habebat locum, sed vitæ duntaxat meritum, tantaque ea res perquisitione, gravitate & diligentia agebatur, non ab ordinibus modo administerium vocatis, sed ipsa etiam abs tota Ecclesia, ut & Ethnici homines, quos inter Christiani tum agebant, eum morem Christianorum magis laudibus evexerint, & memoriæ posterorum monumẽtis litterarum commendarint. Summa tum & continentia & abstinentia Episcopi erant, nulli rei magis incumbentes quàm ut doctrinæ puritatem cum disciplinæ sanctitate conjunctã tuerentur. Et quia nullus ætatis Magistratus Christianus extabat, qui rerum Ecclesiis oblatarum curam ullam susciperent, sane & hac à parte Episcopi bonorum curam & cognitionẽ in se transferre sunt coacti: sed harum tantum quæ pauperum sublevandæ necessitati, curandisque ægrotis & senibus itemque mortuis funerandis, captivis præterea liberandis, aut certe iis qui vel in carcere vel in metallo vel exilio essent alendis, aliisque id genus officiis

dilectionis deserviebant. quorum omnium dispensatio secundum Episcopos ad diaconos pertinebat. Primæ quidem ecclesiæ Christi ea erat fides in Deum, ea in proximum charitas, ut cum rerum quisque suarum jure esse dominus potuisset, tamen ne quid publicis usibus deesset, & ut quam optime locarentur, quæ cujusque propria fuissent, in medium conferre omnia quam privatim quicquam possidere, maluerit. Quod quidem eximium factum divina justitia, velut exemplum quoddam posteritati relictura sic ratum habuit, ut subita morte exspirarint homines quidam fucati qui simulatione fallere malebant, quam sancta fide semel promissa præstare. Postea vero insecuti Christiani ita privatim res suas, minime malo more, possederunt & administrarunt, ut nec publicis sumptibus cotidiana collatione adauctis quicquam deesset, & amici etiam passim & inimici religionis Christi privatis erogationibus propter Christum adjuvarentur. Facile omnia persuadebant sanctæ plebi sanctiores Episcopi. Nec habere potest quicquam privatum, aut proprium Christiana charitas, cum naturalis illa, quæ omnium gentium est, quamque etiam brutis animalculis inseruit divina providentia, verum esse testetur, quod vetustissimo proverbio postea evulgatum, videlicet *Amicorum debere esse omnia communia*. Ita etiam liberalis est & prompta communio rerum apud Christianos (Christianos voco qui ex animo colunt Christum) ut non amicis modo juxta illum veterem adagionem, sed inimicis etiam egentibus spontaneam sese aperiat & impertiatur.

Nunc quantas persecutiones Ecclesia illa primitiva, quæ multas Martyrum myrriades nobis dedit, perpessa sit, referendum. Prima quidem omnium & sola, atrocissimis Ethnicorum persecutionib. non in urbe modo tyrannorum genetrice, sed omnib. etiam in provinciis, nec semel nec pari modo afflicta est: neque ulla usquam & unquam ad carnificinã suppliciorum genera excogitata sunt, quæ hauriendo sanguini Christiano adhibita non fuerint. Causa ejus mali Principes illorum temporum extiterunt, qui partim suopte ingenio sævi, partim delatorum calumniis exstimulati, & quod suam, veterem scilicet, superstitionem ab Ethnicis etiam Romanis, Poetis, Historicis, & Philosophis derisui habitam ab annorũ præscriptione & fortunis populi Romani, magni æstimatam, nihil non conati sunt, Satana instigante, quo & suam à Demoniis commendatam religionem retinerent, nostram autem inauditis donis prodigiisque & virtutibus admirabilem, nec ab ea quæ naturæ lege præscribitur æquitate abhorrentem, funditus opprimerent. Inde factum ut à Tiberio ad Constantinũ usque & amplius nihil tutum Christianis, nihil quod hujus modò sæculi est, integrum fuerit. Neque alia unquam ætate eo modo militatum est in hac vita pro Christi gloria quo in ista trecentorum fere annorum militia, sub Ducibus Apostolis & Apostolicis Episcopis Christo Iesu auspice & Imperatore, est militatum: nec alio unquam arbitror tempore toties de verbis Christi cogitatum, quibus admonuit, *venturum esse tempus, ut qui suos occiderent, rem gratam se Deo facere arbitrentur*: atque ideo cohortatus in se credentes dixerit: *Ne metuatis vobis ab illis qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: quin & beatos futuros qui persecutionem patiantur propter justitiam, quoniam ipsorum sit regnum cœlorum: *Beati estis* inquit Christus) *cum probra jecerint in vos homines, & insectati fuerint & dixerint omne malum verbum adversus vos mentientes propter me: gaudete & exultate quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Et illud Apostoli ex Psalmo, non solum Episcopis, sed omnibus Ecclesiis ob oculos versatum: *propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oves destinatæ mactationi*, &c. Fuerunt quidem ex istis Monarchis nonnulli, qui Christianos utcunque tulerunt, & vivere passi sunt, quamvis religioni essent infensi, ut ætate nostra & majorum, multi principes eximiè faverunt Iudæis, ipsi non Iudæi sed Christiani, & Iudæorum superstitioni infensi. Inter omnes certe, qui à Christo recepto in cœlos imperium tenuerunt, animis consiliisque vehementer est variatum, iisdem haud raro, modo blandis modo sævis. Spes quædam in Tiberio effulserat, Christum inter Deos relaturo, ni Senatus obstitisset: locus tamen in ejus imperio Christianis concessus, edictumque ne Christiani de religione accusarentur. Sic n. vetus author Tertullianus prodidit. Sævitum tamen post Tiberium in Christianos à Iudæis & Ethnicis: cujus rei Paulus locuples testis est. Prima fax rabiosissima persecutionis Nero fuit, Christianis qui Romæ erant, inter multa facinora etiam de incendio quod ipse conflaverat, insimilatis. Ejus scintillas postea excitavit Domitianus, portio Neronis de crudelitate, velut scripsit Septimius. Trajanus inter mitiores census Plinio Bythiniam tenenti rescripsit: *Non requiri oportere Christianos, oblatos tamen duci oportere.* Favisse & Hadrianus visus est lege lata, ne causa indicta Christiani damnarentur. Ælij Veri inconstans animus, & ad sæviendum promptus, nisi ipsum M. Aurelius Antoninus Philosophus, quocum imperium gessit, interdum coercuisset. Satis constat Aurelium, beneficentia Christianorum militum commotum, non favisse modo Christianis constante voluntate, sed etiam promisisse cum consorte suo Ælio Vero, ut honores adipiscerentur, & edixisse, ne molestus esse eis quisquam religionis nomine pergeret. Sed & Alexander Severus Christum in larario coluit & Christianos amavit. Et quidem haud scio, an alij Imperatores ulli, qui Constantinum præcesserunt, perpetua in Christianos benevolentia fuerint,

fuerint, solo illo Aurelio excepto, & Philippo illo, qui, Gordiano per insidias interfecto, Imperator ab exercitu dictus est, quem nonnulli, nescio quanta fide historiæ baptizatum una cum conjuge Severa à Fabiano urbis Episcopo, tradunt, *quorum testimonio* (velut ait Egnatius) *hominis perfidia fidem abrogat.* Cæteri quotquot à Tiberio ad Chlorum numerantur partim lubrica fide, partim summa perfidia in Christianos fuere. Sed atrocissimi omnium post Neronem & Domitianum, Decius, Diocletianus & consors imperij ejus Maximinianus, Galerius Maximinus Constantij consors, mox & Maximinianus junior Severi consors, dehinc Maxentius, qui Severo per factionem oppresso successit, & omnium postremus, & à Constantino nondum Augusto, ob animi libidinem & insolentiam oppressus, Licinius. Inconstantes autem & lubrici Gallus & Volusianus, Valerianus quoque per initia benignus, verùm mox dira rabie & ipse accensus, quæ perfidia & in Galieno & Iulio Maximino apparuit. Reliqui mitiores, sed nulla fide ut inde facile appareat vel veteris historiæ fide suffragante, quanto in periculo vitæ & fortunarum omnium illa Christi fidelium trisseclis fere ætas, versata sit: quamque brevia, angusta, & incerta fuerint respirationũ intervalla paucorum Principum benignitate concessa magis quam oblata Veterem n. legem apud Romanos tum obtinuisse D. Hieron tradit, *ut ne quis Christianus absque negatione dimitteretur, qui semel ad eorum judicium pertractus fuisset.* Delationum & calumniarum infinitæ erant species, & quo quisque mendacior in Christianos, hoc sibi præclarior videbatur. Primùm fœdus rumor & mendax vulgo ferebatur de Christianorum sacris, videlicet quod carne hominis vescerentur, quod cœna quadam peracta promiscuè concumberent, quod Asinina capita venerarentur, quod sese in scelus Sacramento astringerent, quod patriam ejurarent: parentes, liberos, fratres, inter vilia haberent: quod veterem sacrosanctam & indubitatæ veritatis religionem, qua cepisset crevissetque & summam ad felicitatem perductum esset imperium urbis Romæ, non contemnerent modo, sed etiam carperent & insectarentur: quod Cæsarum & Augustorum majestatem levi æstimarent, imaginibus ipsorum contemptis & rejectis, adhæc improspera precarentur Reip. & ludibrio haberent ritus tot sæculis confirmatos: quod ab omni civili humanitate & societate abhorrerent: quod ludos fugerent publicos, nec interessent spectaculis populo datis: quod Iudaicæ (Iudæos enim vocabant Christianos) & sceleratæ, novæ, maleficæ & immodicæ superstitionis veneno fecti, Deos veteres, imperij authores & Tutores, non venerarentur, & vota, sacrificia, incensa, iis debita respuerent: quodque omnium deterrimum esset, nephariarum conspirationum authores essent, quotidiana a seditiosæ superstitionis accessione innumeram plebem, ad novam suam & pestilentem dementiam cum jactura & detrimento Majestatis traherent, qui persuadere omnibus adversum ritus & ceremonias majorum non desisterent: quibus omnibus impudentissimè objectis colophonem adiiciebant, quoniam recentium oraculorum fide & evidentia constaret; res imperij Principumque salvas esse non posse, Diis videlicet iratis & implacabilibus, nisi exitialis illa & per flagitia omnibus invisa Christianorum superstitio de medio tolleretur, totos esse ajebant in hoc Principes oportere, ut ne quid hujus maleficij ergo Respublica damni pateretur, & ut eradicaretur, quæ veteribus, quæ certis & rerum omnium successione compertis, quæ sacrosanctis & suis & majorum suorum institutis, adversarentur. Hæc n. & illiusmodi innumera Ecclesiis Christi, ab Ethnicis gravissimis accusationibus objecta fuisse, non nostrorum modo, qui verissima tamen prodiderunt, sed Ethnicorum etiam (quorum libri etiamnum extant) historia testatur. Camino illi supremi furoris oleũ (ut ajunt) infundebant Pontifices Romani & gentilium Deorum sacerdotes, quorum Romæ opes magnæ erant, major ob religionem dignitas, maxima verò de sacris omnibus cognoscendi decernendique concessa facultas. Nec Romani modo sacerdotes, sed & provinciales sacrifici (quorum non minor erat apud suos, quàm illorum apud Romanos authoritas) nihil non contumeliarum & calumniarum in perdendos & funditus extirpandos Christianos effundebant. Fuere & quadruplatores, qui ad rem privatam intenti quæstum hinc faciebant, quum proscriptorum bona vel fisco cedebant, vel sub hasta veniebant. Augebant malum Iudæi, & ipsi Christianis infensi, ut qui post Christum, lucem salutis & redemptionis, perfidissimè proditum, & regno veteri atque omni dignitate exuti, perque omnes provincias sparsi, & quamvis longissime à Christianorum religione abessent, tamen ex usu scripturarum veterum, quæ ipsis cum Christianis communes erant, nihilo pluris quàm Christiani æstimarentur: invidiosè autem Iudæi vocarentur interim qui erant Christiani. His furiis accedebant, & calidam (quod ajunt) suffundebant artifices opificesque, quibus, quæ persuasa erat Ethnicorum religio, lucro & quæstui erat. Accedebat & privata omnium, qui veteri paganismo immerserant, contentio. Quorum omnium rabiosissimis delationibus incensi Princeps & Magistratus, exquisitissimis suppliciis Christianos affligebant, multis millibus credentium miserrimè trucidatis, non Romæ solum (sede scilicet antiqua Carnificum Christiani sanguinis) sed etiam in omnibus orbis provinciis quaqua versum intra limites Romani imperij constitutis, quorum celebrem memoriam Ecclesiæ omnes orthodoxæ in hunc usque diem summa cum lætitia, exultatione & gratiarum actione

prosequuntur. Porro tueri se & purgare à fœdis mendaciorum calumniis contumeliisque fideles CHRISTI apud æquos judices potuissent, vel sola mysteriorum explicatione & ratione fidei tot modis sanctæ & innocuæ, nisi animadvertissent, animos furore accensos sermone veritatis irritari magis, quàm persuaderi aut demulceri. *Animalis enim homo*, quemadmodum docet Apostolus, *non capit ea quæ sunt Spiritus Dei*, stultitia equidem sunt ei, nec potest cognoscere, quod spiritualiter dijudicatur. Quid enim suibus cum gemmis & margaritis? quid canibus cum rebus tam sanctis & divinis? Proinde fictilibus illis & morti obnoxiis vasculis exui, cumque Christo esse & à seculo tam malo summis votis liberari maluerunt vivacissima illa ecclesiæ Christi fulcimina, quàm impias Principum aures cœlestium rerum explicatione frustrà (frendente præsertim persecutione) fatigare. Simile quiddam Christus mortem obiturus apud Pilati tribunal egerat, qui & gratias egit patri suo, quod arcana salutis à sapientibus mundi abscondita, parvulis duntaxat & electis suis relevavit. Iam & hujus ætatis exempla nobis scriptura reliquit, quibus admonemur non facile ab instituto detrahi, quorum animi, nocendi libidine & ulciscendi furore sunt inflammati. Stephanus enim Diaconus adeo non profecit quantumvis longa oratione, quin Iudæos σκληροκαρδίους & rabiosa malignitate distentos ad se lapidandum etiam irritarit. Et Saulum illum Christiano madentem sanguine nemo cohibuisset, nisi Christus ipse cœlesti igne circumseptum à sceleratis consiliis suis deterruisset, Paulum ipsum faciens qui ante Saulus fuisset. Nec profecit adeo Senator ille Vrbis Apollonius, à servo suo Severo, quod Christianus esset proditus, quin lecto in senatu à se scripto volumine, & abundè reddita suæ religionis ratione, senatus sententia (veluti Hieronymus testatur) nihilominus pro Christo capite fuerit truncatus. Porro sublatis ad tempus & satiatis interdum Ethnicorum furoribus, quum Tyrannis malis & sævis boni Principes successissent, reperti sunt in Ecclesiis eloquentes & eruditi viri, qui ceu patroni, causa Christianorum suscepta, cum agere coram non daretur, & paucis res tanta explicari non posset, apologeticos, hoc est defensorios libros, cum accurata Christianismi commendatione Principibus porrigere & offerre ipsi non dubitarunt. Primus Christianorum Quadratus fuit Athenarum Episcopus, qui Hadriano Athenis hyemanti *librum utilem*, ut ait Hieronymus, *& plenum rationis & fidei, dignumque Apostolica gravitate porrexit.* Scripsit Iustinus postea Martyr, contra Ethnicorum vesaniam, ad Antoninum Pium: item Melito ad Antoninum Verum, ad quem & Modestus scripsisse traditur, quemadmodum & Apollinarius Asiæ Hieropolitanus Episcopus. Et ad M. Antoninum Commodum Imper. librum adversus gentes vir doctissimus Miltiades. Postremus autem Tertullianus sub Severo Pertinace & Antonino Caracalla, Romanos Magistratus eruditissimo libro nec sine ingenua quadam fidei libertate admonuit: & Arnobius ipso Diocletiano imperante libros adversus gentes edidit, sicut Hieronymus tradit. Observatum autem in hoc scribendi genere ita illos stylum temperasse, ut locos non nisi de communi philosophia & vetustis vaticiniis oraculisque petitos ad persuadendum accommodarent, & Ethnicorum magis quàm Prophetarum & Apostolorum testimoniis uterentur, mirè interim præteritis & de industria reconditis & occultatis nostræ fidei mysteriis, quorum explicatione tantum aberat, ut vel Principes Ethnicorum dignarentur, ut ne cathecumenis quidem nisi probe institutis & exploratis impertirentur. Hoc ita habere palam innuunt Iustinus Martyr, Tertullianus & Firmianus Lactantius. Commendabantur autem ab illis Christiani ab æditorum miraculorum magnitudine & novitate, à vitæ innocentia, à beneficentia erga omnes, ab obedientia erga Magistratus, à precibus indefessis, quas ad Deum suum unicum pro Principum salute, pro felici statu imperij, pro pace publica in omnibus Ecclesiis effundebant: quæ omnia remotione calumniarum aspergebantur, cum retaxatione rituum quorundam Paganismi, qui ne vulgo quidem Ethnico & profano satis probabantur. Sed & hoc epicheremate usi sunt patroni illi veteres; quod optimi & sapientissimi Imperatores Christianos amarint, scelerati & sanguinarij (quorum acta senatus non semel rescidisset) nullis justis causis oderint. Verum hic ingenuus & plenus charitatis labor non nisi Imperatoribus præscribebat: pravi interim & sævi illos insecuti, hoc magis ferociebant in innocuos, quo major sub bonis Christianorum accessio erat facta. Id quod in Diocletiano & Maximiano Augustis illa ætas experta est: Rebus enim undique pacatis, & quasi florentibus, repentè uterque in Christianos exarsit, tanta strage sanctorum omnibus in locis facta; ut non æquasse modo Neronem, sed superasse etiam crudelitate ambo viderentur. Leve autem & tolerabile fuisset edictum, quo propè uno die sacella Christianorum & oratoria omnia subverti & æquari solo jusserant, nisi brevi etiam tempore, & velut ad condictum diem infinita millia corporum trucidata laniare libuisset. At nec dum finis malorum in his imperij præsidibus alioqui tantis, si nostrorum à sanguine abstinuissent, furor ingens & in Galerio & Maximino consedit & juniore Maximiniano, quibus nihilo inferiores furore & immanitate Licinius & Maxentius fuere, infestissimi Christianis, quorum atrocitate factum est, ut vix decimo demum anno Imperij Constantini pax dari Christianis potuerit.

Tem-

Templa per hujus ætatis initia Christianis nulla fuere, congregatis enim & singulis, quisque locus commodus oblatus pro templo erat, id quod ex actis Apostolorum notius est, quam ut ambigi possit: sequenti sæculo domus passim exstructæ paulo capaciores, verum sine luxu & arte, & sumptibus quam minimis, quæ & ipsa templa vocata sunt, nulli alij usui dedicata credentium, quam ut statis diebus confluerent ipsi & de disciplina inquirere, scripturas Episcopo sequente & erudiente scrutari, & jussis mysteriorum functionibus uti frui possent. Falluntur igitur incircumspecti quidam Chronographi, qui quorundam ambitiosam magis quam sinceram curiositatem imitati, scripserunt Decio imperante, Romæ Petro & Paulo condita templa, in quæ mox corpora ipsorum translata fuissent, quasi verosimile esse possit, Romæ eo tempore hoc ipsum vel Principem Decium Christiano infensum, vel Pontifices impios, sua in religione florentes, vel ipsum senatum, hoc ipsum passuros fuisse, ut Petro & Paulo Christianismi authoribus, ædes tantæ molis, quantæ hodieque visuntur, extruerentur, & simul nomen Christianorum Decio tum in urbe, tum in provincijs sæviente, internecioni daretur. Lampridus equidem in Alexandro Severo scribit, Severum popinarijs cum Christianis de publico quodam loco occupato contendentibus rescripsisse: Melius esse, ut quomodocunque Deus colatur, quam ut popinarijs dedatur, &c. Sunt omnino delicati quidam homines, qui pijs mendaciis in hoc genere scribendi locum esse cedendum putent. Ego contra in historia pietatis, & rerum in ecclesiis Christi gestarum, hoc minus mendacij quicquam admittendum, nedum committendum arbitror, quo majori veritatis prærogativa Christi religio ab omnibus commendatur. Illud plane constat, nostris Romæ & alibi cryptas & hypogea templorum instar fuisse sanctis, in quæ se furore persecutionum æstuante reciperent, & (quoniam palam & metu Principum non daretur) clam & noctu, ad lectionem, precationem, & sacrum illud dominicum confluxerint, eidem usui cavernæ & speluncæ servierunt, quæ hodieque peregrinis Romæ monstrari solent. Neque hæc narro veluti usum templorum, quantumvis insignium, damnem aut elevem, ut qui sciam necesse esse Christianos subinde in cœtum colligi: sed quod aureæ huic ætati, & in totum religioni nostræ, suam libertatem vindicandam esse ducam, quæ profecto nec mensæ fidit nec templo, sed spiritu & veritate. Nam & carcer & metallicæ fodinæ captivis Christianis templa fuere, ut Afræ lupanar, ut Latroni calvaria. Sanctum enim templum est, ubicumque ara nostra Christus est, proinde & nobis domestica cubicula aram habent Christum, ad quam puratum precum offerre hostiam & abunde litare liceat. Dominus enim in manufactis non habitat, sed in lapidibus vivis à se creatis: qui spiritu fidei coagmentati templum efficiunt Dei. Sanctis quippe & puris sancta sunt & pura omnia. Dixi autem Christianis primis templa nulla fuisse, sed in loca quævis commodum oblata sese congregasse. Usi quidem sunt & Apostoli templo Hierosolymitano, verum aliter ipso non sunt usi, post scissum velum & ceremonias legis sublatas, quam diversorio illo Christus, in quo cœna parata novum illud suum & æternum testamentum redemptionis nostræ, amplissimi mysterij dedicatione consecravit. Hadriano imperante templa extitere Christianorum, sed humilia, sine ornatu, fastu, splendore, in quibus nulla prorsus simulachra, sed lapides duntaxat vivi, quoties in ea fideles essent congregati, id quod nullis vel Judæorum vel Ethnicorum templis quamvis sumptuosis & splendidis obtingebat. Humilia autem & postea secutis hujus ætatis sæculis templa omnia, & oratoria magis quam templa fuisse hoc ipso abunde convincitur, quod ætate mox insecuta, majora omnia ornatioraque facta fuisse vetus historia prodidit.

De Cathedris autem Episcoporum Urbis & aliarum Ecclesiarum Apostolicarum, quod quidam putarunt tam celebres hac ætate fuisse, dignitate, potestate, splendore, opibus, favore omnium, quam postea secutis ætatibus fuerunt, vulgatissimo errore illorum est factum, quibus ἀνιςορησία, veteris videlicet historiæ ignorantia imposuit, quique à præsenti rerum statu & qualitate vetera metiri & imaginari sunt soliti. Neque enim hoc vitium pictoribus modo, plastis, & statuarijs vulgare est; sed doctos etiam & pios implicat, qui peritia antiquitatis destituuntur, quæ incuria & Platinæ veterum Pontificum Urbis vitas tractanti vehementer imposuit. Porro si fidem, si præstantiam doctrinæ, si vitæ innocentiam, si diligentiam in subditos veterum Episcoporum hujus ætatis contemplemur, nihil profecto illarum cathedris altius, nihil præclarius, nihil excellentius fuerit: si opes & splendorem & dignitatem, quam genus & opes afferunt, cogitemus, nihil humilius, nihil abjectius, nihil nisi pauperes fuere, pauperem Christum secuti. Quod si opes manuum erant, non erant nisi pauperum, nec servabantur contributæ, sed erogabantur quotidianos in usus egentium. Et Romanam inprimis Ecclesiam charitate & beneficentia in egenos insignem fuisse, Eusebius testatur. Adhæc nemo illorum ita sibi placebat, quin hoc rectius & melius ministerium sibi commissum gerere videretur, quo propius ad nuditatem illam Apostolorum à Christo præceptam, humilitatemque accederet. Unde factum ut & odio à filiis sæculi, & Tyrannis invisi, vitam prope omnem cum periculo vitæ & famæ exigerent. Hominibus enim si placuissent, Christi servi nō fuissent. Proinde à primo Paulo Apo-

ſtolo adusque Sylveſtrum, nullus Epiſcopus Vrbis cathedram tenuit, de quo ſupplicium ſumptum non ſit: interim & Diaconis ad pœnam raptis, quod & illuſtri Martyri Laurentio accidit, qui cum Epiſcopo ſuo Sixto, perſecutione Gallieni perditiſſimi tyranni, filij Licinij Valeriani, martyrio coronatus eſt, annis plus minus XXV. ante imperium Diocletiani. Cauſa ſupplicij fuiſſe videtur theſaurus tyranno negatus, qui egenorum in ſubſidium erat collectus: cujus rei & Ambroſius, libro officiorum ſecundo meminit. Quid igitur hujus ætatis Epiſcopis ea affingimus, quæ ipſis illorum temporum hiſtoria non permittit? quid in ſede neſcio quas extollimus velut juſta libertate donatas, quibus in urbe tyrannicis perſecutionibus æſtuante & maxima ex parte paganiſmo dedita, omnes fortunæ ipſorum tractæ in periculum direptæque & fiſco haud raro adjudicatæ fuere? quid cenſus, agros, latifundia illis aſſignamus, qui ne ſtipem quidem conjectam, & inopiæ pauperum utcumque ſublevandæ deſervientem, tueri pro deſiderio & avariſſimorum Principum è faucibus eripere potuerunt? Quanto igitur candidiores probioreſque extiterunt, qui narratione minime fucata, minimeque ambitioſa, Chriſtianæ Eccleſiæ exordia deſcripſere, ut ipſa Apoſtolicæ litteræ magna ex parte deliniarunt. Tanto leviores & inertiores mihi ſemper viſi ſunt, qui putidula quædam, dominium videlicet & libertam quandam poteſtatem redolentia, de ſuis mutuati & antiquis intempeſtive aſſerere maluerunt, quam ſanctam illam, & à ſæculi ſapientia condemnatam, fidelium conditionem ſuis (qui in promptu tamen erant) coloribus depingere. Ad rabiem enim Tyrannorum Vrbis & implacabilem ſævitiam demonſtrandam, illud quoque non leve argumentum eſt, quod & Sylveſter Epiſcopus Conſtantino jam imperante, uſque adeo Maxentij inſidiis nonnunquam exercitus & vexatus eſt, ut & Vrbe excedere & latitare etiam præ hominis ferocia cogeretur. Nec finis injuriarum fuiſſet ullus, niſi demum ipſa Tiberis Tyranno abſorpto, reliquum quicquid erat incendij perſecutionis extinxiſſet.

Hacterus de fide, continentia, conſtantia & fortitudine Sanctorum: contra verò & de immani Principum Romanorum tyrannide diximus. Quæ quidem licet immitior & atrocior fuerit quàm quis calamo facile queat exprimere, tamen ut inde exitialibus illis furoribus plurimum damni illatum eſt, diſcreſcentibus indies & peſſum abeuntibus Imperij rebus, in illa miſerabili & horribili laniena omnis ætatis, ſexus, ordinis Chriſtianorum, plurimum lucri & fœnoris fuit, commutatione nimirum caducarum & morti debitarum rerum cum æternis & ineffabilibus impetrata. Alius turbo longe violentiſſimus, Diabolo ſuadente, exortus eſt, quod animæ fidelium (quas nullus Tyrannus occidebat) & ipſæ ſcripturæ ſacroſanctæ, ſpectatæ jam magna ex parte & ſuo honore & loco habitæ, tanta Hæreticorum perverſitate, audacia & impudentia petitæ & invaſæ ſunt, ut niſi mutare ſe in ſtationes armatura ſcientiæ fidei indutæ Eccleſiæ recepiſſent, longe maxima inde clades religioni fuiſſet illata. Minus autem mirum fuiſſet, ſi ſublatis jam de medio & extinctis Apoſtolis, hoc malum primum ſerpſiſſet, quandoquidem ut in legibus, ſic in ſcripturis, proclive eſt alienum ſenſum ſequi, nec facile tenere authoris mentem ni diligenter inſpexeris: ut vero cum & Apoſtolis CHRISTUM prædicando, neque non fundandis paſſim Eccleſiis fratres falſi de circumciſione (quos & ipſos Hæreticos Paulus vocat) doctrinis ſuis violentis & venenatis fecerunt, manifeſtum eſt, nihil unquam tam ſanctum tam ſincerum & ſpectatum fuiſſe, quo non abuti potuerit humani ingenij malignitas, ubi ſemel nocere perrexiſſet: neque ullam ætatem adeo felicem innocentiæ & doctrinæ puritate, quæ, ut agri vel optimi filicem alicubi & Zizaniam, ſic & ipſa prava affectos doctrina & moribus homines paſſim aluerit. Eſt hæc fraus Serpentis de cœlo detruſi, primævæ inobedientiæ author, & jam inde à primis hominibus conditis peſtiferi & mendacis, qui & Paulo negotium fecit, quum eſſent qui, illo inſtigante, legem conjungere Evangelio, & conſummatam Chriſti redemptionem & juſtitiam per opera legis obfuſcare, & ſua Dominum in gloria ſpoliare pergebant. Quibus reprimendis coercendiſque plus cæteris omnibus laboravit Apoſtolus. Iidem pari væſania Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, hoc eſt purum hominem fuiſſe nugabantur. Quorum pars Hebion erat & Cerinthus, adverſum quos Ioannem Apoſtolum, quo fuſius de æternitate ſcriberet, commotum fuiſſe Hieronymus tradit. Cæteri qui exceſſum Apoſtolorum ſunt ſecuti, arbitrio ſibi ſuperciliosiſſimo in ſcripturas vindicato, ut non modo reiicerent, quæ ſuis erant erroribus adverſa, ſed etiam ex receptis à ſe Apoſtolorum monimentis eraderent pluſcula, audacia pluſquam ſacrilega, quæ admiſſæ ſemel vertigini ſuæ adverſabantur. Quorum impiæ temeritati ſeſe doctiſſimi viri in illis etiam (quod mirari liceat) anguſtiarum turbis & calamitatibus, æditis libris oppoſuerunt, cum mirifica ſcripturarum commendatione & refutatione dogmatum, quæ humanæ philoſophiæ curioſitate contra Apoſtolorum traditionem ſunt introducta. Eam rem magna cnm laude tractarunt Græci quidem & Latini, præcipue tamen Irenæus & Tertullianus, vicini Apoſtolorum temporibus: quorum utriuſque inſignia opera contra Hæreticos exarata hodieque legit Eccleſia. Prodidit nonnulla & Cyprianus, quamquam eruditione & Irenæo & Tertulliano (ſi Hieronymo credimus) inferior.

Pluri-

Plurimum quidem interim ab omnium provinciarum Episcopis advigilatum est, saluberrimo illo & necessario more jam inde ab Apostolis recepto & conservato, ut quoties erroris aliquid, Diabolo satagente, vel hac vel illa in Ecclesia subortum esset, confestim Antistites per suas quisque provincias condictum ad locum confluerent, nec nisi scriptura judice & vindice condemnarent, quod contra fidem Christi & sanam doctrinam Spiritus sancti assertum sparsumve fuisset, authoribus interim dogmatum semel iterumque admonitis & exhortatis: qui si parebant, lucro accedebant Ecclesiis, ampliori duntaxat pœnitentia injuncta: si resistebant, anathemate feriebantur, synodalibus litteris continuò transmissis, ut quibus Ecclesiæ celebriores de gestis omnibus, quid, adversus quos, & quaque de caussa actum decretumque fuisset, certificarentur: rebellium & contumacium nominib. haud raro insertis, quo & ipsi suis prospicerent, & summa ope caverent, ne qua noxiorum dogmatum contagione parum attenti implicarentur.

Neque habuit tota hæc ætas alios ullos conventus aut synodos quam quas *Provinciales* vocamus. Nec dum enim Christianis tam libera erat, & tuta rerum agendarum facultas, ut coire undique & fidei de rebus sine metu tractare licuerit. More enim nostratium confluebant, qui Decano diem præscribente, certas ad synodos confluunt, quæ concilia hodie vocabulo degenere, degenerem scilicet morem exprimente, *Capitulum* nominant. De qua re supra libro primo dictum est.

Primum autem omnium concilium, quod Græci Οἰκουμενικὸν, nostri *Generale*, id est undique congressis Episcopis congregatum, vocant, sub Constantino Magno ad Nicæam Bythiniæ, post concessam Christianis pacem celebratum est: prior nulla fuit, nisi mutuarum litterarum, congressio. Neque aliæ prima illa & aurea fidei ætate magis controversæ materiæ, quàm de baptismo quem initiandi ab Hæreticis accepissent, præterea de lapsis, hoc est de iis qui æstuante persecutione spectaculo suppliciorũ fracti & dejecti Christum Iesum abnegassent, Diisque Gentilium vitæ gratia redimendæ sacrificassent, Cæsarum imagines adorassent, &c.

Et ne quid libertas Evangelij abrogatæ legis præscripto debere videri posset, de paschate quoque inter veteres hujus ætatis scriptores contentione permagna certatum est. Ac de baptismo quidem ab Hæreticis suscepto; diu regnavit plausibilis Cypriani sententia, Carthaginensi quadam à se habita synodo, frequenti Africæ Episcoporum consensu recepta, quæ baptismũ Hæreticorum, ut quorum cum Ecclesia Christi nec jus ullum, neque ulla communio foret, tamquam inutilem & infructuosum reiiciebat, nec nisi orthodoxum probabat. Sed ab ea postea variatum est, decretumque retingi opus non esse ullos, qui ab Hæreticis tincti fuissent. Quam sententiam postea D. Augustinus in libris contra Donatistas fusissimè est prosecutus.

Sola autem fuit & peculiaris hujus ætatis de Lapsis quæstio: quum essent Cypriani & Cornelij tempore homines inflati Novatus & Novatianus, alter Cypriani, ad Carthaginem alter Cornelij ad Vrbem Presbyter, qui sæverioris disciplinæ simulatione negabant, recipi in communionem credentium posse, qui persecutione urgente Christum metu mortis abnegassent, & impiis sacrificiis sese polluissent. Contra Ecclesia charitate commota, & miserta infirmitatis, minime arcendos esse à gremio fraterni consortij fidei censebant, qui fracti horrore & mortis metu perculsi defecissent. Indignum n. ducebant, Ecclesiæ fores illorum lachrimis præcludi, quorum certa & contestata de errore pœnitentia perspiceretur, quando omnes, qui onerati & gravati essent, ad se venire Christus jussisset. Summa autem cura & gravitate de Lapsis inquirebatur, nec facile admittebantur, qui levi & trepidante animo semel iterumque lapsi fuissent. D. Cyprianus negabat admitti ad Episcopatum debere, qui post acceptum baptismum Christi, quacunque necessitate adactus idolis sacrificare, quam vitam cum morte commutare maluisset.

Ad Pascha autem quod attinebat, quanquam liberum erat, vel primis illis Ecclesiis, quocunque die, & illo etiam qui à Iudæis lege præscribente observabatur, Pascha celebrare, quod constaret filium hominis Christum Dominum esse etiam Sabbati: sed & noxia magis quàm frugifera ea videretur contentio, quæ multas Ecclesias nec brevi tempore sollicitarat Tamen quia Paulus Apostolus fideles Christi à legis ceremoniis tantopere esset dehortatus, & quia veteres aliquot Episcopi, quorum præcipui Polycarpus & Polycrates fuerant, cum ipsis Iudæis pari tempore, sed non pari fide, juxta tempus lege præscriptum, hoc est, luna XIV. mensis primi, perinde celebrandum asserebant, quasi isthæc ceremonia abrogata inductaque non esset, & legis sub umbris figurisque agere Christiani cogerentur: ratio inita est, ne Pascha amplius XIV. cum Iudæis, sed insequenti mox dominico die, qui Christi resurrectioni est dicatus, perageretur. Qua ratione factum est, ut quoniam tempus Christi, Agni nostri mactati, in tempus legalis Agni non sine Sacramenti significatione incidisset, eaque de causa ob temporis & sacramenti memoriam longis ipsa intervallis separare non conveniret, Dies Iudæis suus relictis sit, nostris autem sequens Dominicus quovis anno paschalis esset: Quem ordinem post Nicenæ in synodo confirmatum, & longe antea

certis supputationũ regulis in singulis an. digestum esse, legimus. D. Hieronymus author est. Eusebium primum omnium ejus rei explicatam rationem ostendisse, circulo illo decem & novem annorum reperto, cui & alios adjecit posteritas, tanta quidem industria, ut illa quantumvis variante mutatione annua, nec conveniri cum Iudæis, nec errari in nostris ullo modo possit. Numerus autem lunæ paschalis solus quidem & constans manet ille, qui intra duodecimum Kalendas Aprilis & decimum quartum Kalend. Maij à novilunio supputanti, decimus quartus occurrerit. Qui si Dominicum aut proxime antecedentem diem inciderit, septimo post dominicum die, hoc est Dominico sequente, Pascha nostrum futurum designat. Vnde & illud observatum est, Pascha nostris celebrandum in Lunam vicesimam primam, nec amplius, hoc est septem non amplius dies, à decima quarta luna decedere & abesse posse, intermediis interim diebus singulis Paschæ festum vicissim recipientibus. Qua in re tam circumspecta & solerti, merito subierit admiratio cogitanti, quonam modo acciderit, ut in illa tam arduis difficultatibus impedita ætate, Præsidibus Ecclesiarum ocij aliquid ijs studiis, quæ magis decora quam necessaria, sed tamen ad disciplinam atque ordinem perquam accommodata erant, impertiri potuerit.

Iustior quidem & magis necessaria scribendi causa illis fuit, qui cum Hæreticis magna studiorum intentione felicissime pugnarunt, quique scripturas utriusque testamenti, locupletissimis libris æditis, sunt interpretati. Quorum & hac ætate plures extitere, sed omniũ tamen summus Origenes Leonidis Martyris filius, & Alexandrini Episcopi Clementis discipulus, quem D. Hieronymus ingenio immortali & labore infatigabili fuisse affirmat. Vnde & Mammeæ Alexandri Severi Imp. matri, faventi Christianismo charus fuisse traditur. Adeo felix & accuratus in enodandis scripturis Propheticis & Apostolicis, ut negent doctissimi viri vel hodie ullum esse secundum, qui primo illi pone locari, aut ullo modo conferri queat. Sextuplicem hic editionem Bibliorum sacrorum ingenti labore comportarat non abhorrens vel ab Hæreticorum translationibus, quo ex illis undique collatis, sanus & verus scripturæ sensus exquiri & teneri posset. Certe ejus nominis ea celebritas fuit, ut à Provinciis etiam, quæ ejus doctrina perornari cupiissent, invitaretur. Præterea & laico in statu, neque dum Presbyter ordinatus, ad munus docendi in Ecclesiis fuerit admissus. Hieronymus illum interpretem admiratus est, ut dogmatisten cum judicio legit. Nam & ipse tot dotibus & labore tam pervigili & improbo, ut sic dicam, ornatus, hominem adeo exuere in scribendo non potuit, quin alicubi deviarit, & lapsus fuerit. Verum Hieronymi sententia & Augustini, de scripturarum expositoribus cum judicio legendis, hac aurea ætate, quæ scripturas summa veneratione observavit, pridem obtinuit, ipso etiam Polycarpo veteri & Apostolico præside contendente, ne quid pro vero reciperetur, quod traditum ab Apostolis foret necne, non constaret, id quod & insecuta ætate, de qua jam dicturi sumus, magno omniũ doctorum piorumque consensu observatum est.

ARGENTEA ÆTAS ECCLESIÆ.

ARGENTEAM autem ætatem, quam observatione temporum & morum doctrinarumque discrimine à Constantini initiis ad usque Iustinianum, Iustini nepotem, extendimus, spacio annorum plus minus CCXXVIII. comprehendemus. Quam quidem & ipsam religionis nomine non possumus non optimam confiteri. Verum multis & justis quidem de causis inferioris notæ & æstimationis fuisse, quàm aurea illa omnibus ornamentis donata, fidem facient, quæ de veteri Ecclesiarum historia in litteras relata sunt. Proinde & Argenteam vocare libuit, ut dictum est, quod nemo non optimum & usui mortalium itidem expositum esse argentum & reliqua metalla omnia antecellere agnoscat, auro tamen nemo vel æquet, nedum anteponat. Verum enim illud Poetæ:

Vilius argentum est auro: virtutibus aurum.

Constantini igitur benignitate sublatæ cum essent persecutionum procellæ, ipso etiam Maxentio de medio sublato, ceu publica quadam fide & pace Christianæ Ecclesiæ emicuerunt, ac velut è naufragio tutum aliquem in portum delatæ liberius paulò agere, congredi, loqui, docere, denique nullos non debitis officiis colere & prosequi ceperunt. Princeps ipse cum innocentia vitæ & morum etiam sanctæ religionis admirabili constantia commotus ante omnia curam habuit, quo ædes sacræ Christianorum, in quas furor ille Diocletiani & Herculij consortis perpetuo fere decennio sævierat, non Romæ solum & in Italia, sed omnibus etiam in Provinciis florentissimi tum Imperij extruerentur. Quæ res tum primum accessione quadam operarum & sumptuum, nec sine splendore peracta est. Ante enim domus privatæ pro templis erant, nullo prorsus ornatu affectato, ac ne locorum quidem discrimine curiosius observato. Nam quæ postea publicis conventibus attributa, sunt ædificia, tanta simplicitate condita fuere, ut Christi gregem clauderent modo inculti parietes, & tectum rude cœli injuriam arceret cœlesti-

lestibus mysteriis privatim & publice vacaretur. Neque ædes sanè, sed ædiculæ potius, nec templa sed sacella & oratoria reipsa essent: quæ licet templa vocarint scriptores Ethnici, templis tamen, quæ Constantino imperante exstructa sunt, conferri nullo modo potuerint. Accesserunt autem novis & vetera non pauca Gentilium templa, quæ Constantino imperante, post ejecta simulachra & submotas impietatis aras, Christianis cœtibus dedicata fuerunt. Nec ædes modo sacræ, sed opes etiam sacerdotiorum paganismi, in usum Christianorum ex parte translatæ sunt, Ecclesiis passim pro re & caussa donatis, ne necessariis destituerentur. Sane modicas fuisse illas verosimile est, tum quod ea erant etiamnum abstinentia & parsimonia Episcopi, ut ultra id quod satis esset, gravari sese & rebus sæculis immergi passi non fuissent: (negat enim Hieronymus, qui hujus ætatis ferme finem attigit, verè clericum esse, qui aurum & argentum & variam supellectilem possideat) tum etiam quod stipem jactam veteri more accipere, statisque diebus collectam facere, in pauperum usum & alimoniam Episcopi consuevissent. Et est author Commentariis suis in Ezechielem D. Hieronymus, sua, hoc est hac ipsa ætate quam argenteam vocamus, morem fuisse ecclesiis Christi, ut publico loco Diaconus post collectam peractam, horum nomina recitaret, qui liberaliter obtulissent. Contributio enim illa, quæ hodieque durat (verum avaritiæ servit & quæstui) pauperibus & peregrinis debita, collecta fuit & oblatio. *Collecta* quidem, quod à Diaconis quicquid datum fuisset; dispensandum colligebatur: *Oblatio* autem, quod à ditioribus charitate & commiseratione commotis, fovendis egenis oblatum fuisset. Omnium autem rerum donatarum facultas & arbitrium penes Episcopos erat, nec nisi horum consilio & arbitratu Diaconi quicquam erogabant: tantaque moderatione & diligentia omnia dispensabantur: ut prima cura pauperibus, secunda Clero, reliqua vasorum Ecclesiæ sumptuumque, qui ejus nomine passim sese obtulissent, adhiberetur. Episcopi, ut qui paterno in omnes, promptissimo autem in egenos animo essent, nihil sibi cupide, nihil avare vendicabant. Et si quæ pro functionis merito fideliumque liberalitate, paulo uberius ad manum erant, haud gravatim aliis usibus largirentur, si quæ id necessitas Postulavisset. Ex vasis autem licet secunda illa ætate plurima Ecclesiis ex auro argentoque essent usui, quo sacramenta honorificentius administrarentur, neque hunc ornatum refutaret religio, tamen ne quid charitati negaretur, neve arctiore quisquam illa religione quàm deceret observaret, adeo exposita erant publicis usibus, laborantium præsertim & egenorum, ut captivis etiam redimendis conflarentur. Neque grave erat Episcopis, nec molestum Ecclesiis, id genus ornamenta deterere, & hostibus etiam pretium dare, quo viva illa & Spiritu Christi consecrata membra suis Ecclesiis redderentur. Egenorum certe necessitati omnia bona Ecclesiæ serviebant: neque alio magis fine primum collectæ, quarum meminimus, deinde etiam popularium donationes Principum hujus ætatis liberalitati accedebant, quam ut essent ceu thesauri quidam publici, qui senibus curandis, fovendis ægrotis, pupillis, orphanis, viduis alendis, peregrinis hilariter excipiendis, singulis Ecclesiis pro loci qualitate hominumque frequentia sufficere posse existimaretur.

Amplissimum imperium à patre Constantio Constantinus Maximus acceperat, neque ante unquam amplius numerosiusve Christi regnum in terris visum, nec in posterum unquã tot tantisque Ecclesiis ullà ætate tam celebre fuit. Erat quidem & paganismi nondum in totum extincta malignitas, cujus restaurandi retinendique studia & insidiosa consilia multis tum in urbe, tum etiam in provinciis, non deerant. Verum Principum concessis immunitatibus, rescriptisque dira minantibus, si qui Christianos offendissent, factum est, ut horum fracta & intercepta religione, nostra subinde numero hoc fieret auctior, quo proniores in Christianos Imperatorum animi extitissent. Extat Constantini rescriptum in Codice Iustiniani, quo Taurum præfectum Prætorio admonet, placere sibi, templa paganorum locis omnibus & urbibus claudi, & accessu vetari perditos, in totum autem sacrificiis illos consuetis abstinere oportere, pœna capitis & confiscatione bonorum in illos decreta, qui contra ire fuissent ausi. Atque hæc quidem hujus ætatis initia, hæc rerum incrementa fuere: florentissima plane & splendidissima, si ab ingratis animis & DEI nostri miserationem aversantibus non excepta, nec ad morum mutationem admissa fuissent. Pius Principis animus & veræ religionis amans, mortalibus non nisi Dei dono conceditur. Magnum igitur donum, Constantini imperio datum Ecclesiis, cujus liberali clementia factum est, ut non adjuti modo nostri, sed prohibiti etiam sacrisque tot sæculorum decursu custoditis interdicti fuerint, quum pace illa publica nihil præstantius augendis religionis ornamentis, nihil optabilius videretur, pacem prætereaį secuta libertas nullis non accepta, immunitas nullis non grata esset. Verum (ut fit in opum administratione) primum publica utilitas, charitate inhortante, omnibus curæ fuit: mox ad privata discensum est, paucorum quidem animis tentatione ita superatis & devictis, ut qui aliis regundis coercendisque præfecti essent, seipsos regere & coercere nequirent. Opum enim admiratione & commodi privati amore adducti quidam ex Præsulibus Ecclesiarum sua magis, quam quæ Ecclesiarum essent, curare, seipsos pascere, ac ceu pecu-

latu quodam res Ecclesiis & Christo dicatas alio transferre, suas facere, luxuique & libidini, sævis pietatis pestibus, indulgere perrexerint. Sed & ex ocio & quiete remissior quædam cura & parum spectata vigilantia, certissima videlicet securitatis comes, irrepsit: pone vero & æmulationes & contentiones enatæ sunt, quarum intemperijs Ecclesiæ multæ vehementer offensæ fuerunt. Quamquam id malum non hac ætate primum, sed superioris fine & illo decenni tempore radices jecit, quo Diocletiano & Maximiniano nondum imperantibus, ea quorundam Principum æquanimitas in Christianos apparebat, quæ & insperata retro & anteactis sæculis incognita, rerum omnium tranquillitatem polliceri videretur, quum aperte jam & intrepide, vel in aulis quorundam Monarcharum. Christum confiteri, & Christianum esse profiteri liceret. Quare ab insigni authore Eusebio Cæsariensi, qui Constantino imperante vixit, libro Ecclesiasticæ historiæ 8. cap. 12. proditum & in literas relatum est, Ecclesias Christi extremam illam & decennalem Diocletiani persecutionem, justo Dei judicio & necessaria quadam correptione divinæ manus, perpessas fuisse, cum priores omnes ferme inculpatis & innocentibus illatæ fuissent. Tradit autem ex multa libertate multaque indulgentia mores Ecclesiarum vitiatos & disciplinam corruptam, hoc sibi mali accersivisse, ut instar torrentis tyrannici furoris ardor omnes ubique Ecclesias nullo discrimine afflixerit, paucorumque peccata, promiscua multitudo fidelium innocuo sanguine suo diluere coacta fuerit. Quemadmodum enim sub Moyse nunquam defuerunt Israeli impij & scelerati maximarum scilicet afflictionum & plagarum authores, ita sub Christo nulla fuit ætas tam sancta & felix, quæ bonis & innocentibus plurimis malos & improbos immixtos non habuerit, quando & inter primos illos ad Evangelij functionem electos duodecim Christi discipulos, numero videlicet tantillo, repertus est, qui pecuniæ studio superatus Dominum suum tot modis meritum prodere & tradere in mortem fuerit ausus.

Cæterum ut esse ministræ solent vitiorum divitiæ, in iis præsertim, qui harum vel amore vel admiratione tenentur, ita satis constat, hoc magis licentia vitæ remissioris, hac ætate laborasse, quo magis annis insecutis Ecclesiarum opes creverint. Optimi quique & sanctissimi pastores possidebant, non suo sed pauperum & aliorum usuum nomine & jure, quorum caussa erant contributæ. Deteriores harum amore capti ab opibus possidebantur, studiis etiam adeo sordidis addicti, ut vir sanctissimus Hilarius hujus ætatis alumnus alicubi non tacuerit suæ ætatis Episcopos fuisse, qui ex oblatione quæstum facerent, & quod pauperum alimoniæ fuisset datum, idipsum avaritiæ calcaribus incitati suis usibus accommodaverint. Quod malum & Augustinus multis locis notavit, nec intactum præteriit Hieronymus Commentario suo in Oseam, palam testatus ex omni temporum decursu observatum à se, nullos unquam majoribus scandalis Ecclesias scidisse, quàm sacerdotes. Id quod hac quidem Christianismi ætate suppullulavit, sequentibus longè maximè ac prope omnium delicto usque adeò incruduit, ut hanc secundam si postremæ ferreæ conferamus, planè aurea & plusquam aurea videri possit: quam Hieronymus tamen cum prima ætate collatam in Malchi vita *fæcem* appellare non dubitavit. Neque alio me res movit magis, cur hanc ætatem primæ non æquarim, sed argenteam appellarim, quod qui antea subditos & suæ curæ commissos fideles CHRISTI non doctrinæ modo excellentia sed vitæ etiam puritate & abstinentia ad omne virtutum genus invitarant legibus, interim disciplinæ retinendæ perseveris adhibitis, mox paulo divitiarum, luxus, dignitatis & honoris studiis corrupti vita fuerunt paulò deteriore, & exemplo nocuerunt Ecclesiis suis, quæ ferè tales esse moribus & disciplina solent, quales sunt qui ipsis præficiuntur.

Invenio autem hac primùm ætate, agros vectigales servosque Ecclesiis donari ceptum esse: quamquam quidam nescio quàm probè id quoque (ut alia permulta sine ulla historiæ fide) primæ ætati, quo mores posteà receptos orbi commendabiliores facerent, affinxerunt. Humanissime autem tractati sunt servi, & quia scriptura Novi Testamenti servis libertatem precatur & commode impetratam probat, maluerunt Ecclesiæ libertis libertinisque quàm servis uti. Nota enim sunt Gregorij verba, duos Ecclesiæ suæ servos manumissuri, quæ à Gratiano etiam suis Collectaneis inserta supra lib. 2. retulimus. Sed & Principum hujus secundæ ætatis legibus cavebatur, ne quod mancipium Ecclesiasticum vel Iudæo vel Ethnico venderetur. Dignum enim erat, ut quoniam mansuetudo peculiaris Christianorum esset virtus, avaritia quorundam in hanc itidem partem peccatura coerceretur.

Sicut autem rerum oblatarum administratione & usu de vitæ sanctimonia nonnihil, velut diximus, detractum est, ita suo nihilominus loco & dignitate scriptura habita est, tantumque ei venerationis accessit, præsertim in Latinis seu (ut ab aliis vocantur) Occidentis Ecclesiis, ut hac maxime ætate sanctissimorum interpretum labore & diligentia eum ad modum fuerint illustratæ & explicatæ divinæ litteræ, ut nec ætas ulla tanto numero viros eruditione, doctrina, pietateque excellentes habuerit, & insecutis ætatibus qui scripserunt, magno intervallo abfuerint à primis, qui inter secundos sunt censi. Merito

rito autem ultimi ſunt habendi, qui inter poſtremæ ætatis ſcriptores omnium ſententiis primi ſunt judicati. Porro Orientis Eccleſiæ ut omnium doctrinarum & eruditionis genere excelluerunt, ita hujus quoque ætatis gloria non caruerunt, tanta quidem cum prærogativa laudis, ut noſtri, hoc eſt Latini ſcriptores illorum veſtigia ſecuti quantum imitatione profecerint, ingenuè ſint confeſſi, labore interim in Græcis ſcriptoribus transferendis adhibito, quò publicæ Eccleſiarum Latinarum utilitati conſuleretur. Horum nomina recenſere ac ceu catalogum texere ſupervacaneum eſſet quum liber exſtet Hieronymi de Viris illuſtribus idemque Gennadij rapſodia, quibus horum temporum ſcriptores abundè ſunt relati. Illud non tacendum, primos horum, & citra controverſiam ſummos, tanta animi moderatione & continentia fuiſſe, ut errare alicubi & labi & nihil humanum à ſe alienum eſſe non agnoverunt modo, ſed diſerte etiam lectorem admonuerint, ne non & cum judicio legere quod iſtorum vigiliis elucubratum eſſet, & eatenus recipere & probare vellent, ſi quod eſſet traditum & explicatum à ſcripturarum confeſſis traditionibus non diſſentiret. Hinc Auguſtinus contra Pelagianos Hilarium, Ambroſium & alios doctores, citantes: *Solis,* inquit, *Canonicis debeo ſine recuſatione conſenſum.* Sed & contra Petilianum ſcribens negat Epiſcopis vel Catholicis accedi oportere, ſicubi deceptos eſſe conſtiterit, & cum ſcripturis pugnantia docuerint. D. etiam Hieronymus in prologo ad Galathas Marcellæ judicium de ſcriptis ſuis licet muliebre adeò non reiicit, ut etiam commendet. In univerſum enim hæc pientiſſima ſententia, argentea illa ætate, ſicut & aurea prima, oraculi vice habita, & ipſo ab Apoſtolo omnibus Eccleſiis præſcripta eſt, ut ne quid pium, ſalutare, divinum, & indubitatum exiſtimetur à quantiſcunque authoribus proditum & traditum, quod à doctrina Spiritus ſancti, ſcripturis videlicet Propheticis & Apoſtolicis diligenter expenſis & magna veneratione collatis ulla parte diſſentiret. Quæ dubia autem & perobſcura erant, poſterorum judicio relinquebantur juxta donum Prophetiæ, tantum aberat ut quidquam temerè aſſereretur: id quod in libris, quos ſcripſit Auguſtinus ſuper Geneſin ad litteram, facile eſt cognoſcere. Accedebant iis & Imperatorum leges & reſcripta, quibus cavebatur, ne quid religionis nomine admitteretur quod à fide Chriſtianorum diſcrepare conſtaret. In hunc enim modum à Theodoſio & Honorio aliiſque hujus ætatis Auguſtis non ſemel reſcriptum eſt. Proinde vulgo etiam hac ætate noti & triti ſcripturarum libri erant, Græcis non Græci modò ſed Latini etiam, Latinis autem non Latini modò libri, ſed & Græci pleriſque ob linguarum uſum in illa imperij adhuc florentis amplitudine peculiarem. Id verò ut obſervaretur magna cura privatim & publice à ſanctiſſimis Epiſcopis curatum eſt, & adeo frugiferum eſſe D. Hieronymus exiſtimavit, ut barbaram etiam in linguam ſacra Biblia Dalmatis ſuis transferre non ſit dedignatus, & lucubrationes ſuas non paucas difficilium locorum tractationibus plenas matronis virginibuſque inſcribere, laudem præterea eis tum doctrinæ tum etiam ſcientiæ ſanctarum ſcripturarum vẽdicare non dubitaverit. Erat & uſus Latinæ linguæ adeo tritus & vulgaris in Occidentis provinciis, ut haud alia magis cum plebe egerint Epiſcopi. Et ſatis conſtat expoſitiones Auguſtini in Pſalmos omnes aliud non eſſe quam Conciones ad populum habitas. Neque quicquam periculi unquam doctrinæ & fidei de plebe manavit, ſimplicem & puram fidem animo minimè aut hæſitante aut curioſè profitente.

Maximi errores Eccleſiis ab his ſolis injecti, qui vel ingenij nihil ſibi non tribuentis fiducia vel odijs amarulentis excitati vel immodica philoſophiæ exercitatione inflati ſua magis ingerere ſcripturis quàm harum oracula vereri & merito loco habere perrexerunt. Quod genus hominum & hæc ætas habuit, adeò quidem præfractos & peſtilentes, ut inauditis antea diſſenſionibus perſecutionibuſque Eccleſiæ ſeſe ipſas mutuis contentionibus afflixerint: nec parum nocuerit Principum furor, qui partium factione & aſtutia circumventi & perſuaſi orthodoxa & frequentiſſimis conventibus recepta dogmata, perinde atque impia & hæretica non modo Epiſcoporum morte, carcere, & exiliis, ſed aliorum quoque fidelium non paucorum caſu & internecione perſequebatur: contra verò impia & fidei ſcripturarum undique adverſa nugamenta, quæ curioſe illi & immodice ſubtiles defendenda receperant, perinde atque orthodoxa & Apoſtolica tuebantur. Hereſiarcharum præcipui erant, Arrius Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, Manes quidam Perſa, Donatus Numidiæ Epiſcopus, & Pelagius Monachus natione Britannus. In Arrio quem Conſtantini imperium excepit, eruditio multifaria fuit, qua ſi abuſus non fuiſſet, locum inter excellentes Eccleſiæ Profeſſores aſſequi potuiſſet. Manes fœdi erroris author Diocletiano imperante emerſit, à ſuis poſteà nominis invidia declinata Mannes dictus, velut refert Auguſtinus, quo minus dogma ſuum furioſum elevari nominis præſagio poſſet. Donatus Conſtantini filiis imperantibus ea fere animi confidentia & ſupinitate fuit, qua fuerat ætate prima Novatus; quem inſecutus Pelagius Arcadio & Honorio imperantibus, longè omnes præſumptione & fiducia ſuperavit. Atque hoc etiam nocentior fuit error, quo hic carnis induſtriæ & jactati arbitrij humani libertati plauſibilior videbatur. Vt enim in fœminis comparatum videmus, ut nullæ magis formæ quam quæ minime ſunt formoſæ, ſic in

naturæ

naturæ infirmitate fieri cernimus, ut nullis præconiis illa magis oblectetur magisque aures arrigat quàm quæ sibi nihil non tribuunt & ascribunt. Carnem enim omnem sui amantissimam esse, sibique nihil non tribuere solere, Propheticæ & Apostolicæ scripturæ testantur. Coercendorum autem Hæreticorum cum hac ætate longe expeditior ratio esset ad manum sanctissimis Ecclesiarum rectoribus, quàm anteacta ætate fuisset, libertate videlicet Principum dono permissa, ut omnibus à partibus orbis unum aliquem & condictum ad locum conflui posset.

Niceæ Bythiniæ adversum Atrium synodus Constantino volente & exigente est celebrata. Prima quidem omnium à synodo illa Apostolorum, cujus in Actis meminit Lucas: neque alia unquam antea οἰκουμενική seu (ut vocant) *Universalis* habita. In qua cum aliis multis controversis dogmatibus certa ratio è sacris oraculis præscripta est, tum Arrij blasphemo errori magna rei deliberatione obviatum est, gradus quosdam in Trinitate ita statuenti, ut filium substantia alia à patre & quidem factum, hoc est creatum, diceret: Spiritum autem Sanctum Deum esse negaret. Cui errori cum scripturæ plusculæ perperam intellectæ blandirentur, mox paulo à sequacibus ejus ita maligne acceptæ & à sensu suo nativo & orthodoxo detortæ sunt, ut quicquid de Christi persona duabus naturis constante, juxta humanæ naturæ proprietatem diceretur, hoc ipsum omne nullo habito discrimine ad naturam alteram, puta verbi increati & æterni, referrent & perficaci contentione accommodarent. Qua in re factum est (quis crederet?) ut & Constantius Imperator patre Constantino jam humanis exempto, veneno Arianorum quorundam (ut est vaferrimum Sathanæ artificium) tectissimis versutiis imbibito ita mente motus fuerit, ut quas intulit nostris clades & strages, illarum persecutionum non admodum absimiles fuerint, quæ prima ætas ab Ethnicis magna Ecclesiarum clade perpessa est. Levis autem horum erat pœna, qui exilio essent multati. Quorum in numero ex Græcis erat Athanasius Alexandriæ Episcopus præsentissimis insidiis longo tempore agitatus: ex nostris autem Hilarius, quem suos de Trinitate libros exulem scripsisse proditum est. Porro longè postea eadem rabie concitatus Imp. Valens, nihil mitior Constantio, (si Orosio credimus) author fuisse existimatur & Gotthis & Vandalis (fortissimis Germanorum nationib. in provincias ingressis) quo fidem Arrij reciperent. Unde & major & diuturnior facta dissensio & afflictio, hoc magis postea nocuit quo plures illi provincias obtinuerunt, nec quieta manere potuit à Vandalis invasa Africa, quam D. tamen Augustinus paulo antea ingenti qua fuerat usus diligentia & contentione paraverat. Hilarius author est, Constantium, quo plures in suam hæresin traheret, ea versutia usum, ut Episcopis benedicentibus caput submitteret, plusculis censum capitum remitteret, multis vectigalia donaret, veræ videlicet religioni consulturus, quum veram interim & orthodoxam scripturarum fidem oppugnaret & affligeret. Constat sane nullam unquam vel hujus vel primæ ætatis hæresin extitisse, quæ majores vires eundo acceperit, vel motu majore Ecclesias minime alioquin fide & religione diversas colliserit. Quod quidem totum temeritati tributum est. Non potest enim non difficile & periculosum esse pietatis negocium, quem qui rerum potiuntur, maligne persuasi & artibus circumventi ceu pium & orthodoxij jubent & edicunt, quod ipsissima cum pietate dissentit.

Atque hoc minus Donatistæ quàm Arriani nocuerunt, quod ipsorum intellecto & prospecto dogmate nullo unquam Monarchæ favore sint excepti. Sola Africa pestem illam pertulit. Donatus enim dubium quibus furiis agitatus sermonem sparsit in vulgus, nec paucis Episcopis persuasit, Ecclesias Africæ priores Diocletiani persecutione scripturam sacram Ethnicis prodidisse & tradidisse: mox multis suam in sententiam tractis ita cerebrose tumultuatus est, ut & suam solam veram esse diceret Ecclesiam Christi, nec aliis justitiæ professionem quàm suis permitteret. Deinde Episcopis Macario & Cæciliano Carthaginens. gravissime accusatis, ita se suosque omni commercio orthodoxorum subduxit, ut & altare (ceu inquit Augustinus) contra altare erigeret, & usu sacramentorum nostris negato rebaptizari juberet, quicunque ad ipsum ab orthodoxis defecissent. Adhæc ita jactato sanctimoniæ & innocentiæ nomine, ut qui sectæ ejus essent, sine peccato esse sese & vivere profiterentur: neque ullo loco nostros vel commercio hilariore vel etiam consessu honorificentiore dignaretur. Cæperat malum sub Constantio, nec parum usque in Honorij imperium auctum fuit, doctissimis etiam viris, accurata quidem illa & sævera specie religionis seductis, ab illis in errorem tractis qui fines Ecclesiæ Catholicæ CHRISTI solius Africæ tractu circumscripserant. Nam & posteri Donati rejectis semel Ecclesiis orbis omnibus sibi solis & doctrinæ puritatem & usum sacramentorum legitimum vendicabant, ut solos etiam se catholicam Ecclesiam dicere non vererentur. Pars horum incertis sedibus vagi *Circumcelliones* vocabantur, censoria sibi functione quadam arrogata, jam has jam illas Ecclesias orthodoxorum adorti de plebe sæpe multos & ipsos interim Episcopos fustibus cæsos necabant. Nec alia magis caussa fuit Maximiano Vagiensi Ecclesiæ in Africa Episcopo, quod ad Theodosiũ Imp. provocavit, quã quodã Donatistis indignis modis esset

esset tractatus. Pati enim noluit, ut Ecclesia Christi suæ curæ concredita Hæreticorum incursionibus pateret, sed ultore Imperatore servaretur. Multis autem annis, qui de illa factione doctiores habebantur, nostros hoc est verè pios & orthodoxos Africæ Episcopos, rixis plusquam calumniosis tanta obstinatia & intemperie fatigarunt, ut ipsos etiam ad Principes provocatum, & ipsa de controversia publice cognitum, lites præterea tum primum finitæ fuerint, quæ accusatione suscepta ipso Constantio imperante radices jecerant, veluti in libris aliquot de habita Donatistarum & Catholicorum contentione scriptis testatus est Augustinus.

Manichæorum hæresis sane stulta, sed noxia tamen & veterum tum Philosophorum tum Hæreticorum è scholis deducta est: eo fuco tamen & specie ut & Augustinus vir tantus ante tempus baptismi Mediolani suscepti annis aliquot eo malo laborarit, mox errore Domini gratia perspecto juvenis etiam multis libris in væsana ipsorum dogmata fuerit invectus. Primum Deos duos faciebant, de Marcionis credo schola furorem mutuati, bonum videlicet novi testamenti & malum veteris authorem. Ea caussa vetus testamentum abijciebant, novo tamen & ipso calumniose tractato utebantur, Episcopis passim Presbyterisque institutis, qui quidem nuptiis damnatis, æquiores erant fornicationi quàm coitui qui prolem ullam edidisset: justitiam & perfectionem non minore quàm Donatistæ fiducia sibi arrogantes. Porro incautos & simplices admirabili quadam abstinentiæ & castitatis simulatione dementabant. Longis enim jejuniis dediti, vino & carne abstinebant: agros, pecuniam, domus possideri à verè Christianis posse negabant: animal necare aut arborem excidere nephas ducebant. Animam duplicem, aut certe ut Deos ita duas itidem animas faciebant, alteram bonam boni Dei partem, alteram malam, sed & ipsam tamen æternam. Ejus rei causa differebant DEUM etiam bonum in miseria esse, præterea & pœnitere, & pœnitentiam accipere, & id genus absurda multa. Quibus omnibus illud adiiciebant, quod satis constaret DEUM summè bonum mali authorem esse non posse, quia verò constaret & malum ipsum esse, consequens foret alium esse authorem unde malum in mundum ingrueri: quem quidem & ipsum DEUM esse, ut ante dictum, autumabant. Purum hominem CHRISTUM fuisse vel Hebion vel Photinus ingesserat. Qui autem in errore maxime profecissent, eos *Electos* vocabant, adeo sublimi virtutum culmine positos, ut non modo non peccarent, sed ne possent quidem si vellent. Absurdis autem id genus permultis licet impudica quædam atque etiam scelerata addiderint, veluti in libro de Hæresibus innuit Augustinus, tamen *Electos* vocabant qui doctrina & vita in speciem consumata videbantur: *Auditores* autem, qui perfectorum scholam frequentabant. Adeo autem serpsit malum non Græcis modo sed Latinis etiam in Ecclesiis, ut & ætati tertiæ à nobis referendæ, & etiam quartæ, plurimum negotij fecisse sit in litteras relatum.

De Pelagio nunc dicemus Hieronymi & Augustini contemporaneo: qui sui perquàm dissimilis (Monachum enim agebat) scripturis quibusdam humano arbitrio tribuentibus mordicus arreptis adeo sese contra crucem & gratiam Christi laude & defensione nostræ naturæ veluti integræ & sanæ erexit, ut hominem diceret peccatum omne non de natura sed de voluntate contrahere, nec nisi hujus consensu illum contaminari, & eam uni arbitrio hominis tribuebat, ut excitare sese ad opus *Deo* gratum adeoque emereri *Deum*, mandata servare, & vivere posset. Quod quidem homo facundus & eruditus quanta potuit (ut Augustinus inquit) argumentatione defendit. Cum è diverso scripturæ tum Propheticæ tum Apostolicæ naturam nostram lapsu vitiatam adeo infirmam & imbecillem esse confirment, ut ad emerendum *Deum* legemque præstandam prorsus sit inhabilis, sed & serva sit peccati & maneat, nisi gratia *Dei* impium justificante sublevetur. Negabat autem peccatum originis Pelagius, atque hoc magis errorem tuebatur quod parvulos sine peccato nasci, & majorum culpa vacare, mox autem adultos voluntate peccare ajebat: qui ipsi tamen, si vellent, itidem sine peccato esse & justitiam operari possent. Porro loci sunt scripturæ nonnulli, quibus *Deum* sæpe voluisse innuitur, hominem autem noluisse. Ita enim & Christus Matthæ 23. *Quoties* (inquit) *volui congregare, ò Hierusalem, filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti.* Qui locus sane ita & velle & nolle homini tribuere videtur, velut suapte natura homo aliquid possit. Nec absimile vero est his animatum Pelagium hoc audacius in errore perstitisse, quo plausibilius erat dogma scripturis manifestis quidem in speciem sed parum tamen considerate expensis & collatis, confirmatum. Idem enim Christus, qui noluisse Hierusalem dixit, in eodem Evangelio Matthæi cap. 13. negat illis datum ut velint usque adeo *ut* vel *videntes non videant & audientes non audiant nec intelligant.* Quæ si Pelagius observasset, arbitrij libertati non tam temere detulisset. Socios erroris habuit Iulianum quendam & Cœlestium doctos viros, qui libris sparsis tueri Pelagium, quodque affirmasset locis aliquot *D.* Cypriani, Hilarij, Ambrosii, adeoque Hieronymi ipsius & Augustini libris passim deceptis detortisque defendere & persuadere sunt conati. Verum hæresin illam tam blasphemam, tamquam arrogantem & supinam *DD.* patres Hieronymus & Augustinus longe doctissimis lucubratio-

brationibus ita sunt adorti, ut confecta prorsus hydra illa plusquam lernæa videretur, vindicatis & scripturis & Patrum locis quibus illi essent abusi. Nam & ab Hieronymo Cypriani locus defenditur ab illis calumniose citatus in libris dialogorum, qui hodieque contra Pelagianos scripti leguntur. Nec parum laudatus ab ipso Augustinus ob ingenij præstantiam, quam in illa sua cum Pelagianis pugna ostendebat. Augustinus etiam ipse sese tueri & à tortuosis illorum strophis defendere coactus est, à calumnia defensis interim & Hilarij & Ambrosii & Hieronymi locis quibusdam, quæ horum quidem verbis, sed longe alio sensu, adducebant, quam illi scripsissent. Tribuere autem videbantur orthodoxi illi Patres libero arbitrio, velut hoc ipso ad Christum converti, mandata persequi, & favorem emereri, adeoque sine peccato esse & vivere homo posset: verum non de illo arbitrio sentiebant, quod lapsu Adæ vulneratum tyrannide peccati servire coactum est, sed de isto solum quod initio & ante lapsum Adamo donatum fuit, & quod post lapsum gratia Christi illuminante & erigente sanatum est. Id quod in nobili illo suo de Natura & gratia contra Pelagianos scripto libro Augustinus fusissime explicavit. Quare & ipse Pelagius haud longe postea celebribus in synodis hujus secundæ ætatis damnatus est, & dogma diversum scripturis cogentibus omnium consensu receptum est. De Arbitrio scilicet hominis misero peccatoque & iræ obnoxio nec legi perficiendæ præstandæve neque ulli bono operi, quod placere modo Deo possit) idoneo, nisi Christi gratia sublevetur (sive quod idem est nisi fide in Christum illuminetur. Sunt igitur apud Hieronymum adversum Pelagianam illam seu potius Luciferianam confidentiam arbitrij loci plusculi & perpulchri, quorum ille præcipuus (omnes enim enumerare hujus instituti non est) qui lib.3. Dialog. ubi locum Pauli 2. Corinth. 3. cap. *Quod non idonei simus vel cogitare aliquid ex nobis*, &c. in hæc verba legitur: *Adhuc audemus per liberum arbitrium superbire & abuti beneficiis Dei in contumeliam largitoris, cum idem vas electionis apertissime scribat: habemus autem thesaurum illum in vasis fictilibus, ac abundantia fortitudinis nostræ sit ex* DEO *& non ex nobis: unde ex alio loco retundens hæreticorum impudentiam loquitur: qui gloriatur, in Domino glorietur*, &c Et eodem in libro paulo infra: *Omnis hominum fortitudo marcessit & deperit, si à Dei auxilio deferatur. Nemo* (inquit Christus) *venire potest ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum, Quando dicit: nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrij libertatem, quod etiamsi velit ad Christum pergere nisi fiat istud quod sequitur (nisi pater meus cœlestis traxerit eum) nequaquam cupiat & frustra nitatur.* Hactenus Hieronymus. Cujus sensum clarissime & ad fastidium usque Augustinus prosecutus st. Vnus enim ipse studio, labore, industria & vigilantia (quo veritas fidei scripturis & gloriæ CHRISTI vindicantur) omnes illos longo intervallo superavit, à quibus hac ætate adversum Pelagij perniciosissimum dogma pugnatum est. Sed & privatim illustres ejus sententiæ eliguntur, quarum illa una est, quæ legitur in expositione ejus in Psalmo trigesimo primo. *Opera ante fidem non sunt vel bona vel accepta Deo. Non enim sunt bona, quamdiu de radice bona non succedunt*, &c Psalm.21. *Nisi formaret te Deus ad bona opera, non nosceres nisi opera tua mala.* Item Psalm 65. *Gratia Dei operaris non viribus tuis*, &c Psalm 118. *Idem rogandum esse Deum ut quod à se præceptum est, largiatur.* Et ibidem Sermon.5. *Viam suam dirigere nemo potest nisi Deo regente & faciente*, &c. Et Psalm 134. *Nemo* (inquit) *incipit bene vivere nisi à fide*, &c. Ad hunc modum Augustinus quotidianis suis in concionibus Ecclesiam suam docuit, quod facere recte non potuisset nisi favore publici consensus orthodoxorum & doctrinæ ab omnibus piis vulgo recepta veritate nixus fuisset.

Porro non hanc modo insaniam liberi arbitrij contra gratiam extollendi patres illi hujus ætatis magna gravitate damnarunt, sed minime etiam ferendum esse, scriptura decernente, docuerunt, perfectionis nomen ampullosum & inflatum in ullis fidelibus Christianis, quantiscunque donis gratiæ & fidei insignibus. Trahit enim & hæc opinio persuasionem quandam virium nostrarum tamquam eximiarum post acceptam gratiam, velut & ipsis jam sanatis (ut sic dicam) postliminio reversis haud parum præmij debeatur meriti respectu. Quod venenum Pelagiano illi vicinum primùm ita incautas mentes stupore subvertit, ut & sibi tribuere velut ex se bonis, & frigide agnoscere gratiam donatam & Christi meritum, quo solo nitendum erat, pergant: Præterea istam fiduciam sui, quæ omnium pestilentissima φιλαυτία est, vanæ gloriæ & Pharisaicæ confidentiæ seminarium esse videre negligant. Sicut idem viribus suis & merito fisus Pelagius non dedit, quando ad viduam quandam, quæ sancti orare debeant, (si Hieronymo credimus) inter alia in hæc verba scripsit : *Ille merito ad Deum extollit manus, ille preces bona conscientia fundit, qui potest dicere; tu enim nosti Domine quam sanctæ, quam innocentes, quam pure sint ab omni fraude & injuria & rapina quas ad te expando manus, quam justa, quam immaculata labia & ab omni mendacio libera quibus tibi ut mei miserearis preces fundo*, &c. Sic ad viduam illam Pelagius, arrogatu nimirum innocentiæ plusquam pharisaico sibi primum justitiam tribuens, deinde & DEI opem veluti sibi debitam agnoscens. Cui non possunt non simillimi esse, qui post acceptam gratiam ita favent factis suis studiisque & operibus, fructibus scilicet fidei, ut quod boni inest suum ad meritum magis quàm ad meritum Christi & gratiam per ipsum acceptam ingenti errore adscribant.

Iustitia enim & perfectione supini,& in Christum servatorem ingrati non medico tot modis merenti,sed sibi ipsis,adscribunt quo sani sunt:sed nesciunt hoc se minus justos& perfectos, quo sibi magis horum nominum titulis blandiuntur.Quare optimè & pientissimè ab illustri hujus ætatis scriptore D.Hieronymo libro 3.Dial.iis verbis Pelagio responsum est:*Christiani est hæc an Pharisæi superbientis oratio,qui etiam in Evangelio loquebatur:*DEUS *gratias ago tibi quod non sim sicuti cæteri homines,raptores,injusti,adulteri?*&c.Et libro primo, *D*ialog.adversus eundem in hunc modum scripserat:*Tunc ergo justi sumus quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non ex proprio merito,sed ex Dei consistit misericordia, dicente sancta scriptura: Iustus accusator est sui imprimis sermonis.Et alio loco:Dic tu peccata tua ut justificeris. Conclusit enim Deus omnia sub peccato,ut omnibus misereatur.Et hæc hominis summa est justitia,quicquid potuerit habere virtutū non suum putare esse,sed Domini qui largitus est.*Hactenus Hieronymus: qui eodem libro locum Apostoli ad Phil. 3.exponens indicat Apostolum suo ipsius exemplo demonstrasse.*nihil adeo in hominis Christiani vita quantiscumq; conatibus contendente perfectū esse,quin ipso relicto ad potiora & excellentiora perveniri possit,ut quod hodie perfectū putamus dū ad meliora & priora extenditur,cras imperfectum fuisse convincat.* Atque ita per singulos gradus dum vel ipse Apostolus nunquam in statione sed semper in cursu est,imperfectum docet quod homines putabamus esse perfectum,solamq; perfectionem & veram justitiam Dei tātum virtutib.coaptandam.*Hæc est enim*,inquit Hieronymus,*vera sapientia imperfectum se esse nosse*,atque(ut ita loquar)cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est. Idē author in Epistola ad Ctesiphontem,argumentum à discipulo quodam Pelagij concinnatum his verbis recitat:*Si nihil ago absque Dei auxilio & per singula opera ejus est omne quod gessero.Ergo non ego qui laboro sed Dei in me coronabitur auxilium,frustraque dedit arbitrij potestatē quam implere non possum,nisi ipse me semper adjuverit.Destruitur.n.voluntas quæ alterius ope indiget. Sed liberū dedit arbitrium Deus,quod aliter liberum non erit nisi fecero quod voluero*,&c. Postremo sic colligebat ille discipulus:*Aut utor semel potestate quæ mihi data est,ut liberum servetur arbitrium:aut si alterius ope indigeo,libertas arbitrij in me destruitur*,&c. Atque verba his verbis reponit Hieronymus:*Qui hæc dicit,quam non excedit blasphemiam,quæ hæreticorum venena non superat.Asserunt se per arbitrij libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum, & ignorant scriptum: quid habes quod non accepisti?si autem accepisti,quid gloriaris quasi non acceperis? Magnas agit Deo gratias*(Pelagius)*qui per libertatē arbitrij rebellis in Deū est,quam nos libenter amplectimur,ita duntaxat ut agamus semper gratias largitori,sciamusque nos nihil esse, nisi quod donavit in nobis,ipse servaverit,dicente Apostolo: Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei.Velle & currere meū est,sed ipsum meū sine Dei semper auxilio non erit meū.Dicit enim idem Apostolus:Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.*Hucusque locum Hieronymi retulimus.Pari modo & Augustinus multis in libris gravissime admonet, cavendū nobis ne in ulla bonitate operum velut nostra efferamur,aut quidquā in illis tāquam nobis debitum fiduciæ collocemus,sed hanc solam illi esse tribuendam,cujus gratia in lucem è tenebris vocati & ex iræ filiis filij *D*ei facti sumus Primū in cōmentario in Canonicam Ioan.super illo:*Charitas ex Deo est*,&c.*Nec initiū*(inquit)*ex nobis & perfectio ejus ex Deo.Et si charitas ex Deo,tota nobis ex Deo est.Avertat enim Deus hanc amentiam , ut in donis ejus nos priores faciamus,posteriorem ipsum.* Deinde in libro *D*e gratia & lib.arb.c.6.*verissime* (inquit)*dicitur , quod dona sua coronat* DEUS,*non merita tua*,& sequenti cap.*Si Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam tua merita sed tanquam merita sua*,&c Idem in Psal 36. *Si*(inquit)*Dominus gressus hominis non dirigeret,adeo pravi essent ut semper per prona irent & semitas curvas sequendo redire non possent*,&c. Vnde & nobile ejusdem dictum in Psalm. 118. Sermo 5.*Viam suam per se nemo corrigere potest nisi Deo regente & faciente.*

Proinde ætas hæc secunda,quam Argenteam vocamus,summam curam adhibuit, ne scripturæ sanctæ,quæ homini meritum bonorum operum & præmium etiam juxta parabolā Christi de talentis commissis adscribunt,superba carnis præsumptione vitiarentur , & ipsa quæ soli DEO per filium Christū debetur gloria regnantis fidei,non DEO,sed homini velut ex se merenti tribueretur.Cum certum interim & indubitatum sit,ita merita nostra se habere , ut si vel maxime divina nobis ipsa clementia in verbo scripturæ communia faciat, interdum ceu propria sint; depingat,tamen summa boni & quicquid est meriti sufficientiæque *D*EO ipsi gratis nos vocanti & sananti adscribi debeat:contra,quicquid est mali & peccati, idipsū solis nobis acceptum ferre oportere. Quod ipsum dum cogitat animus scientia fidei imbutus,fit ut præsumptionem,superbiam calce premat:humilitatem autem peccata confitentē in corde locet,& cum Rege Prophetico dicat:*Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.Inveniemus* enim *nos peccatores,cum in scripturis sanctis contemplati fuerimus quantumcunque profecerimus*,sicut in Psalmo 140 scripsit Augustinus. Quod enim peccatur à nobis etiam gratia præditis,nostrum hoc est,nostræ infirmæ naturæ est:quod bene agitur, de beneficio est *D*EI.Quare nihil jactandum gloriose aut nobis confidenter tribuendum maximi hujus ætatis viri ex invincibilibus scripturis demonstrarunt. *Omnem enim sufficientiam nostram* ex Deo esse,ipse Paulus altera ad Corinth.capit.3.docuit,*Perfectos* alicubi vocans, qui hoc sano sensu sunt præditi,ut dum perfecti videntur lege carnis in ipsa perfectione imper-

fectionem, hoc est infirmitatem & peccatum, agnoscamus & confiteamur. Quando & Gregorius alius ætatis scriptor ingenue agnoscat, *Homines in opere omni etiam bono peccare, non quod id quod doni gratia juxta legem spiritus bonum est, ea ipsa ex parte sit malum* (quis enim sanus ita sentiat?) *sed quod natura nostra lege peccati gravata non præstet aut digne satisfaciat, eo modo quo deberet quod præstat & facit.* Vnde illud Christi est: *Cum omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus.* Quod enim debuimus, fecimus. Item illud Psalmistæ: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebitur?* Est enim natura nostra per se invita ad præstandum quod lege jubetur, & quod in ipsa est legi non consentit sed repugnat, quod abunde cap. 7. ad Roma. demonstravit Apostolus. Eximiæ igitur gratiæ est Christi, qua *qui gloriantur in Domino gloriantur*, juxta Apostolum. Pugnat enim gloriari in Domino & simul alte de nobis sapere, aut nostris operibus meriti persuasione blandiri. Verissime enim dictum est ab August. in Psal. *Si vis alienus esse à gratia, jacta merita tua*, &c. Quod quidem non ea causa dictum est, velut nullum sit meritum nostrum, cum clare scriptura & meritum agnoscat operum charitatis & mandatorum Christi, & præmium etiam merentib. statuat, quemadmodum nihil de proximo merentib. pœnam. Verum meminisse oportet quod talentum, quod Dominus nobis ad usuram faciendam contradidit, non nostrum est sed Domini, qui ratione subducta non talentum modo sed & usuram per talenta factum sibi vendicat: servum autem, qui accepto talento nihil lucratus est, in tenebras exteriores rejici jubet. Perinde enim faciunt, qui bonorum operum meritum velut de suo natum sibi arrogant, atque ij solent qui de sorte aliena usuram cum faciant, non tam usuræ quàm sortis possessione efferuntur: quibus profecto nihil odiosius, nihil ingratius est. Nam & Apostolus: *Fratres* (inquit) *mei dilecti stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere Domini, cum sciatis quod labor vester non est inanis in Domino*, &c. Non inanem futurum ait laborem nostrum, verum non in nobis aut ex nobis sed in Domino, hoc est in gratia & misericordia Domini, qui sua nobis perinde atque nostra sint communefacit, quodque revera suum est hoc nobis adscriptum nullius indigus æternis præmiis compensat. Hanc fidei scientiam qui non habent, ne spiritum quidem, qui ex DEO est, habent. Per hunc enim scimus, quæ donata sunt nobis.

Atque hæc quidem de arbitrio & merito ex hujus ætatis Patribus: hoc fusius referendum esse putavi, quo vehementius admiratus sum esse potuisse insecutarum ætatum homines, qui hæresin tam fœdam, & tam evidentibus scripturis Patrum tanta diligentia confossam & repressam, admittere iterum & inter orthodoxa dogmata habere non dubitarint. Ad institutum autem ut revertamur: in Arrianis oppugnandis primas tenuit apud Græcos Athanasius: apud Latinos Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, præcipui habentur. Donatistæ, Augustini fere industria sunt oppressi. Nec satis scio, an ullus alius Manichæorum insaniam magis eruditè & piè magis represserit. Illud certum est, neminem ex Patribus Pelagij dogma majore diligentia confutasse. Extitit quidem hac ipsa ætate Priscilliani Hispaniarum Episcopi hæresis, partim de Manichæis partim etiam de Pelagij fonte deducta: verum *cito est* (ut ait Hieronymus) *non modo totius orbis authoritate sed etiam sæculi gladio damnata.*

Non tacendum vero quod lib. 2. adversus duas epistolas Pelagianorum scribit Augustinus, adusque suam ætatem & imperium Honorij paucissimas hæreses fuisse, quæ necessitatē synodorum Ecclesiis orientis & occidentis imposuerint, sed suis quasque locis oppressas fuisse, maxime illas quæ sanctis scripturis traditionibusque catholicis palàm adversarentur. Doctrinam quidem tantum, non etiam vitam Hæreticorum insectabantur Episcopi hujus ætatis. Et ad Donatum Africæ Proconf. scripsit Augustinus, *Non decere ut Præsides Ecclesiarum in vitam quantumvis immanis Hæretici quicquam moliantur, sed magis ne supplicio afficiantur, intercedant, & ut convertantur curam adhibeant.* Oportet enim esse hæreses in Ecclesia Paulo testante, quo qui probati sunt manifesti fiant. Exercita n. est ab Hæreticis Ecclesia Catholica, & (ut inquit Augustinus) *ex iis qui male sentiunt, probati sunt qui sentiunt bene. Multa n. ait, latebat in scripturis, & cum præcisi Hæretici, quæstionibus agitaverunt Ecclesiam Dei.* Atque ita factum ut exorto Sabellio diserte loqui de personis Trinitatis Ecclesia assueverit. Nec erat tam probe nota multis amplitudo pœnitentiæ Christianæ, quàm post Novatum innotuit. Arrius & ipse ansam dedit nostris hoc ulterius asserendi coæternam divinitatem Trinitatis, quo severius in illam invectus est. Sic & Manes, ut antea Valentinus & Marcion, infame reddidit Christianis immodicum studium Philosophiæ. Donatus, quam oppressurus erat Ecclesiam, eandam ipse transfuga majore cognitione veritatis fundavit. Pelagius autem è Stoa progressus tantisque & doctrinæ & eloquentiæ præsidiis armatus, hoc magis eminentem facit gloriam Crucis & meriti Christi, quo insolentius merito hominis & arbitrij libertati patrocinari conatus est. Vsque adeo omnia his qui credunt in bonum operantur: & causa sit evidens, cur ferre nos Hæreticos oporteat. Ius cogendi certe nullum hujus ætatis ministris fuit, & causæ religionis apud civiles magistratus frequenter actæ sunt, provocatione hinc ad Imperatores facta, si qua de re iniquius cognitum fuisset. Cogebant Imperatores curabantq; edictis ne essent amplius qui scripturis manifestis essent convicti. Ea in re curabant Episcopi, ne quid durius sanciretur quam Christiana modestia ferret: sublatisque, quantum in ipsis erat, capitalib. sententiis Reges orabant, ne graviores, quā pecuniarias pœnas & damna pertinacib

nacib.infligerent,& locum pœnitentiæ vel feræ relinquerent. Auferre enim hæreses ne sint, vix possunt, at certe duntaxat, ne noceant aut offendant, neve in ulla Ecclesia molesti sint, possunt. Ad hunc enim modum & cum Donatistis actum esse Augustinus scribit, qui & librum de Donatistarum correctione composuit. Porro quanti laboris & periculi res sit confligere cum impiorum dogmatum authoribus, & tutores impietatis scripturarum panoplia adoriri, adeoque fidei Christianæ veritatem suam vindicare præsente religionis controversia triginta jam annis & amplius durante satis superque experti sumus.

Et tamen hæc secunda tam nobilis ætas, quemadmodum & prima, non hoc solo tam gravi & violento turbine agitata est: alia tempestas Iuliani Imperatoris perfidia exorta est. Erat hic Constantij fratris Constantini Magni filius spectata indole, adeoque ad litteras bonas & omnifariam notitiam prona docilique, ut apud Constantinum Imp. fratrem suum patruelem quanquam dissimulantem vel eo solo nomine magnam in invidiam inciderit: animum tamen ejus multa fama celebrem amantemque Christianæ religionis impij præceptores demum adeo corruperunt, ut Cæsar factus Constantio volente, mox vero in Galliis rebus prospere gestis Augustus à militibus dolente Constantio appellatus, palam paganismo favere & nostros palam odisse occaperit. Ac primum quidem vacillans & fluctuans nunc hos nunc illos amplectebatur, restitutis ab exilio vel orthodoxis Episcopis quos Arrianis favens Constantius detruserat. Favebat & Iudæis, nec obscurè significabat varietatis tam lubricæ & inconstantis non pudere se, quo citius suscepti imperij sui initia publico omnium ordinum hominumque favore confirmaret. Id enim assecutus, perfidiæ jam manifestæ blasphemiam etiam conjunxit, Iesum Servatorem quem antea erat veneratus, per contumeliam Galilæum appellans. Primum omnium de opprimendo Christianismo ea suscepit consilia, ut & à sanguine & cædibus abstinendum sibi duxerit. Nec alia magis via gravandos Christianos decreverat, quam ut contemptos abjectosque nec munere ullo nec honore dignaretur: brevi futurum ratus, ut nostri, qui paucorum ante se principum favore evecti essent, veterum Deorum sacris revocatis premi iterum & ad nihilum redigi possent. Rem ergo adgressus Christianos paulatim & publicis non pacis modo sed & belli functionibus cum honore & dignitate conjunctis destituit: mox & artium & doctrinarum professione interdixit. Martyrum monumenta, si quo loco honoratiore posita essent, subverti curavit. Templa Deorum à Constantino claudi jussa rescriptis quaquaversum missis aperuit. Sacerdotia locupletata & novis quibusdam disciplinæ legibus emendata revocavit, tanta quidem contentione venerandorum Numinum, quorum auspiciis (ut putabat) res imperij crevissent & confirmatæ essent, ut urbes omnes cruore victimarum velut novo & multis annis interdicto polluerentur. Mirum autem ne militari quidem ingenti cura coerceri Iulianum potuisse, quin & calamo nocere Christianis perrexerit. Septem enim libros in ipsa adversum Parthos expeditione contra Christum scripsit, observatis passim utriusque Testamenti pluscul is locis pugnare in speciem aut absurda quædam prodere visis, quos homo perversus & mente captus tanta dicacitate & scurrilitate sursum deorsum jactavit probando, ut vel hac una causa *rabidum* eum *canem* vocitarit Hieronymus, & ipsis ab Ethnicis existimatum sit, divina eum ultione periisse, qui gloriæ avidissimus omnium hominum favorem captare consuevisset. In reditu enim à Parthis, quos iam multis oppidis receptis fugarat, victor ipse præter omnium opinionem ab hoste Persa subito incursante petitus teloque in latus saucius haud multis postea horis vulnere extinctus est: Dignum sane monstrum, quod non in acie sed in angulo trucidaretur. Eo enim modo Gallus frater eius, quem & ipsum Constantius Cæsarem fecerat, propter insignem animi malignitatem percussoribus submissis trucidatus fuerat. D. Hieronymus, qui vita sua maturiore (sicuti & Ambrosius & Augustinus) non longe à fine hujus secundæ ætatis abfuit, scribit se puerum adhuc & in grammatico ludo exercitum Iuliani morte nuntiata ab Ethnico homine audivisse, qui ludens dixerit; *quomodo Christiani dicunt Deum suum patientem & ἀνεξικακόν? nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius, ne modico quidem spacio indignationem suam differre potuit*, &c. Merito igitur inter suos Divos relatus est, qui ab unius Dei cultu tantopere separatus & ultione divina vel suis hoc fatentibus percussus fuerat. Nec est quod dubitemus, quin si longiorem ei vitam ultor ille perfidiæ donasset, tam brevi tempore paci & tranquillitati Ecclesiarum omnium abesse potuisset, quàm ejus antea patruus Constantinus profuerat: nec minus damni illaturum fuisse religioni insidiosa sua quamvis sanguine carente persecutione, quam ante multo cum sanguine credentiũ Ethnici Imperatores contulissent. Hæc igitur procella Iuliani fuit, hic turbo ad pietatis subversionem excitatus, Constantij quidem & Valentis conatibus ut dissimilis ita etiam longe mage noxius. Illi enim prætextu juvandi Christianismi Christum ipsum scelerati dogmatis assertione obscurabant: Sic doctrina Christi, quam antea professus fuerat, perfidissime abnegata hoc unum omnibus vocibus contendebat, ut amplitudo imperij cum veterum Numinum revocato cultu Christi nomine & religione exueretur.

Atque his quidem malis & incommodis tametsi suprà, quàm facile cogitari possit, Ecclesia Christi Catholica laborarit, rapacibus videlicet lupis undique pressa & circumsepta, tamen ea etiamdum constantia & animositate fuit, ut prima illa religionis fundamenta,

Puritatem dico Apostolicæ doctrinæ ministerijque æqualitatem & charitatem mutuam nulla nō in parte tueretur & custodiret. Nocebat quidem ambitionis quiddā& avaritiæ non nihil in his duntaxat, qui opum & dignitatis illecebris capti sæculiblanditijs erant irretiti, ut supra est dictum. Verumtamen à plurimis carpebantur quotidie, quæ à paucis erant cōmissa, & in totum enormibus vitiis locus nullus cedebatur, quæ quidem vel ad morum labefactionem vel ad doctrinæ contaminationem incommodare potuissent. Ejus rei argumentum evidentissimum fuit, quod ne Principibus quidem orbi imperantibus, si quid enormius commisissent, parsum est. Et Theodosium (quis credat?) Imp. Ambrosius ob homicidia licentius, quàm æquitas ferret, indulta, Ecclesiæ communione exclusit. Nota erat & omnium animis insita spiritualium bonorum communio, quam mutuam & gratuitam habent credentes à Patre per spiritum fidei filij sui Iesu Christi in consortium & civitatem sanctorum recepti, & membra corporis Christi facti, qua unius Catholicæ seu universæ aut (quod idem est) corporis Christi mystici per spiritum adoptionis filiorum Dei toto orbe congregati individua comes est. Vbicunque enim Ecclesia est orthodoxa, ibi est & sanctorū communio, hoc est participatio omnium bonorum spiritus Christi & omnium donorum fidei. Et è diverso, ubi communio est sanctorum Dei, corpus videlicet Christi diversis è mēbris ferruminante spiritu contractum & conglutinatum, ibi Ecclesiam esse Christi necesse est: cujus quia unus spiritus, una fides in Christum & omnem doctrinam Christi, unus sensus, & una voluntas colendi Dei & proximi juvandi consistit & ducat, factum est ut & unitatis nomine numerosissima credentium multitudo compræhensa sit, & omnes omnium terrarum Ecclesiæ reipsa una Ecclesia fit: sicut ejusdem etiam unum caput, unum fundamētum, unus lapis angularis, præputij & circumcisionis unica petra Christus est. In Christum igitur quidquid baptismi interventu per fidem incorporatum est, quidquid cœlesti illa civitate donatum est, per eandem fidem assequitur quidquid Christus est, imo, quidquid Christus est, thesaurum scilicet incomparabilem gratiæ, justiæ, sapientiæ, sanctificationis & redemptionis, hoc uno postulato ut authore innocentiæ & sanctitatis Christo Iesu cognito jam & perspecto & per fidem apprehenso, ipse veterem hominem concupiscentijs deturpatum & peccato captivum ponat, & novum induat bene de proximo merentem professione sinceritatis & veritatis. Hi n. sunt fructus bonæ & fidelis arboris, quæ arborem non faciūt bonam sed indicant: nec addunt quidquam arboris vigori, sed de ipsa suā sumunt, adeo, quod boni sunt non sibi sed ipsi debent arbori. Non n. bonæ solum sed & malæ arbores fructus edunt: nec sunt opera vel petra fidei vel thesaurus, sed è contrario petra operum ipsa fides est, quæ thesaurum homini Christum triumphantem ad dextram patris & intercedentem pro suis adeo omnis sufficientiæ plenum ut insufficientem vel cogitare nephas. Addere autem velle vel justitiæ redemptionis & vitæ nomine, summa blasphemia fit. Hunc thesaurum dudum positum perque omnia consummatum & inæstimabili virtute perfectum, spiritus movens & illuminans indicat, fides apprehendit, spes in corde collocat, charitas fructu & opere insignem facit. De hujus thesauri merce preciosissima animæ sitientes & esurientes satiantur sine ullo pretio, sed sola fiducia nihil hæsitante & omnia Christo tribuente: quod verbis rotundis Prophetæ, quod Christus ipse, quod Apostoli Christi docuerunt. Hæc mensa est cœlestis & vivificæ saturitatis, ad quam invitatos gratis satiat Dominus, modo qui adeunt veste sint non spurca aut sordida sed nuptiali induti.

Hujus rei minime ignara hæc ætas, summam totius religionis collocavit in fide, qua soli Christo ex voluntate Patris honos omnis & gloria omnis tribuitur, juxta illud æterni patris: *Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est: ipsum audite.* Ante enim Esajas dixerat: Omnis qui fidit illi non pudefiet. Sed & filius Christus postea: *Amen Amen dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternam & in condemnationem non veniet, sed transivit à morte in vitam.* Idem alio loco figuram corpori & umbram luci conjūgens: *Sicut* (inquit) *Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternā.* Quis credit in eum? qui corde contrito & humiliato agnoscit & cernit, quid in ipso pater misericors nobis dederit, donarit, largitus sit. Quam rem verbo Dei, ut ipsum calamo Spiritus sancti in litteras relatum est, discimus & tenemus. Hoc faciunt Ecclesiæ orthodoxæ, non nisi Pastoris sui vocem agnoscentes, hoc Apostoli doctores monent & hortantur, ne hominis verbum Dei verbo præferamus.

Qui habent igitur fidem, simul & charitatem habent diffusam in cordibus fide illustratis. Quibus donis Sancti Spiritus efficitur, primum ut redempti per Christum non in nobis, qui nihil sumus, sed in Domino gloriemur scundum secripturas: dein ut & nobis nihil privatim vindicemus, sed omnia sponte communia habeamus cum iis, quorum omnium nobiscū misertus est Dominus. Non quærit n. sua charitas sed aliorum utilitati inservit, nec tam invida aut sui amans esse potest, ut quod sibi gratis & nullo merito donatum esse quotidie confitetur, idipsum (naturæ lege violata) aliis & ipsa non sponte & ultro obvenire non comprecetur & optet. Novit hæc & probè tenet omnium Ecclesiarum fides, dona omnia membrorum

rum corporis Christi,quæ aliis atque aliis membris privatim donata sunt,hac ipsa de causa communia &gratuita esse debere,quod non nostra bona sed Christi dona sunt. Adhæc omnia ea sinceritate & dilectione à Deo petenda esse pro Ecclesia,quam & Ecclesiam orare pro nobis desideramus. Omnia igitur & gratuita & spontanea mutuæ charitatis officia habet cõmunio illa sanctorum Ecclesiæ Christi,quam in Ecclesiastico symbolo credere nos confitemur,dum dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam,sanctorum communionem,* &c. Vt enim fides,quæ donum est Spiritus Dei,membra nos facit corporis Christi,ita charitas non modo communia habet omnia dona Christi in membris omnibus, sed etiam communia gratuitaque ut sint,longe maxime curat. Quod enim gratuitum non est,charitati asscribi nõ potest:nec pietas putanda est,sed cupiditas,quæ in proximo juvando mentis candorem negotio ventris exterminat. Meminisse enim oportet credentes unum se panem juxta Apostolum,& unum corpus esse indivisæ fraternitatis,qui uno de pane domini corpus sumendo participant & sanguinem Christi communem habent abluentem & repurgantem ab omni peccato,qui de uno calice toto terrarum orbe Christi sanguinem bibunt. Hoc n. mysterio, scriptura teste,non redemptio modo per Christum consumata sed etiam unitas corporis Christi & unitatis Charitas omnium membrorum Christi annunciatur. Nihil igitur mercenarium habuit vel probavit hæc ætas in donorum spiritualium & operum communicatione,sed veritatem scripturæ amplexata scivit & cognovit,primum sua fide justum vivere, deinde fide præditum & civitate Dei donatum communicatione donorum spiritualium Christo authore gaudere,nec esse in hominis manu vel pium arcendi à donis Christi vel impium ad dona Christi adducendi,sed ejus solus esse qui justificat impium, quique illum illuminat solus,& ut quis filius Dei fiat solus author est. Per illum,si credis,gratuitam habes vitam æternam & in consortium reciperis omnium donorum & meritorum Christi. Ab illo si alienus es,extra corpus ejus es,nec habes quod membris debeas qui ipse nec membrum es vivum,neque ullo capitis spiritu vel motu vegetaris. Si membrum es tua fide factum, omnia tibi gratis precatur,gratis optat,gratis orat,gratiam Christi agnoscens Ecclesiæ Christi fraternitas. Ita enim & abs te orari pro se,& rem divinam pretio nullo constare non ignorat. Caret enim fermento Pharisaico,& usque adeo est aliena à quæstu,ut recipere se cogi valde doleat,dum vel egestate vel ægritudine premitur. Ea enim charitatis liberalitas est, ea gratiæ puritas est,ut ne suspicionem quidem ferat mercedis præstitæ ne dum cupitæ aut quæsitæ culpam & notam. Verissime enim dictum est à Hieronymo: *Dona spiritualia semper viliora fieri,si merces media sit.* Neque rem aliam magis ostendit & docuit hæc secunda ætas, quàm quod & in prima scripturis jubentibus defensum & observatum est,nihil minus ferre posse charitatem Ecclesiasticæ communionis,quàm beneficentiam cupiditate viciatam. In corpore enim Christi,velut docet Apostolus,spontanea est sollicitaque membrorum omniũ consensio:quæ nisi gratuita sit,pura non erit,sed Simonia fœdabitur. Quod dum fit, non modo nomen sed etiam virtutem amittit. Neque erit κοινωνία illa omnium donorum Christi inter sanctos fide,spe & charitate præditos,quam Paulus & Lucas tantopere prædicarunt, sed potius ἐμπολὴ sive ἐμπορία, hoc est negotiatio quædam impurorum seque ipsos amantiũ hominum,quos Petrus Apostolus Pseudoprophetas nominat. Vtuntur enim fucatis factitiisq; sermonibus,& ea docent,quæ non oportet,turpis lucri gratia,de quibus & Paulus admonuit. Verum quod futuros esse tales Apostoli prædixere,in reliquas ætates illorum mentionem differemus.

Nunc de sanctis hujus ætatis,hoc est fidelibus,dicendũ est amplius:nec tacendum (etiamsi res propemodum vulgaris & nota est) *Sanctos* vocatos fuisse prima & secunda ætate non eos,qui licet dormiant,à morte tamen ad vitam migrarunt &agunt cum Christo, sed vivos fidelesque qui & fidei puritate & vitæ integritate sunt commendati. Sed enim & Ethnicis Latinè locutis *Sancti* dicti sunt qui vitæ inculpatæ esse viderentur. Vnde *Sancta conjunx* Maroni dicta quæ casta,&aliis verbis Horatio *integer vitæ scelerisque purus*,&c. qui sanctus esset. Cicero & ipse ad Atticum scribens,Dionysium Gramaticum,cujus opera multum utebatur, *Sanctum* vocat. Ad Sulpitium autem *Sanctitatem*,puritatem & innocentiam vitæ nominat. Sed & Apostoli ἁγίους vocant *Sanctos*,qui spiritu fidei in regnum Christi translati & baptismo consignati consortio gratiæ & redemptionis per Christum impetratæ exultant. Et horum etiam proprie est cõmunio,quam profitemur in symbolo. Beati enim, qui sunt apud Christum,nec fide exercentur nec evehuntur spe,sed coram iis bonis fruuntur quæ militantis Ecclesiæ sancti non nisi per speculum & in ænigmate cernunt,olim autem & ipsi de facie ad faciem sunt visuri. Ac nescio an uspiam in omni scriptura Apostolica legerim hanc vocem aliis quàm vivis tributam. Quod quidem non dico quasi Latine dici non possint *Sanctæ animæ* mortuorum,quæ sunt apud Christum,cum Deum ipsum qui spiritus est *Sanctum* vocet, & Maro *Sanctam animam* dixerit:sed quod constet ea voce Apostolos & veteres prope omnes militantis non triumphantis (ut vocant) Ecclesiæ membra significasse; quam ætas tamen postrema fere non nisi dormientibus Christianis attribuit,uno Pontifice Romano interim non sancto sed *sanctissimo* appellato:quem omnes Episcopi tamen & hujus secundæ & primæ ætatis haud alio titulo dignati sunt quàm quibus ipse alios Episcopos salutavit. Vt enim no-

men & honos ita & poteſtas Epiſcopis hujus etiam ætatis æqualis fuit, tanta quidem communione fraternitatis, ut nec ullo deprimatu velut dominaturo tum cogitatum fuerit, & alius alio ſuperior diſpenſationis poteſtate aut Evangelij adminiſtrandi functione habitus nō ſit. Præcipua quidem dignitas, fateor, Romanæ ſedi delata eſt, non tam Apoſtolorum nomine & memoria qui Chriſti doctrinam illi urbi tradiderunt, quàm gloria & authoritate imperij ſummi, quod Vrbs cum avita libertate etiam dum longe lateque tenebat. Byzantinæ enim Eccleſiæ, quæ & Conſtantinopolitana dicta eſt (licet nec vetus admodum nec Apoſtolica eſſet) tamen quia ſede, quàm Conſtantinus illuc diviſo imperio tranſtulerat, tantum honoris & dignitatis imperij nomine acceſſit, ut ætate inſecuta cum non parvum æmulationis incendiū ortum eſſet, Romana ſedes palàm nec ſine turpi ambitionis nota de primatu cogitare & illi ſedi ſeſe opponere, demum Phocate imperante ceu primam orbis Eccleſiam efferre & ſtatuere fuerit auſa. Verum id humanis ſtudiis haud ſatis puris adſcribendum eſt. Quæ divinæ erant & Apoſtolicæ non Apoſtolicis ſolùm, ut diximus, ſed etiam aliis Eccleſiis æqualis juris fuerunt. Vbi enim Chriſtus natus, paſſus, & excitatus ritè prædicabatur, & fides in illum cum cōfeſſione nominis & meriti ejus à credentibus tenebatur, ibi ſalvis omnibus Eccleſiæ jure ſive plenariæ functionis utebantur. Quod abunde hujus ætatis ſcriptor Hieronymus ex ſcripturis ſanctis in epiſtola ad Evagrium, & in commentario in epiſtolam ad Timotheum teſtatus eſt, non pares modo Epiſcopos ſed ipſos etiam ſingularum Eccleſiarum Presbyteros paris cū Epiſcopo ſuo poteſtatis faciens. Proinde Vrbis Epiſcopus non ſolus vel *Papæ* vel *Pontificis ſummi* titulum habuit, ſed alij paſſim Latinarum Eccleſiarum celebrium Præſules & miniſtri Papæ dicti ſunt, teſtibus Hilario, Hieronymo, Auguſtino, qui Cornelio Carthaginenſi Epiſcopo opus ſuum de Trinitate inſcripturus ita orſus eſt: *Domino beatiſſimo & ſinceriſſima charitate venerando ſancto fratri & Conſacerdoti Papæ Aurelio Auguſtinus in Deo ſalutem*, &c. ſic & Hilarius Saturninum Arelatenſem Epiſcopum adverſarium ſuum *Papam* vocat. Sic Hieronymus Cromatium Aquilegienſem *Papam*: & Epiphanium Cyprium non ſemel *Papam* appellat: Auguſtinum & ipſum licet juvenem, cum ipſe admodum ſenex, quia Epiſcopus eſſet *Papam beatiſſimum* vocat, illoque encomio honorat ut dicat *ætate filium*, *dignitate parentem*. Porro & Theophilum Alexandriæ Epiſcopum *Papam beatiſſimum* nominat: & Auguſtinum ſæpe, & Alpium qui apud Auguſtinum Hippone agebat & *fratrem & Papam*. Inde eſt quod apud chronographos legimus Galliarum & Germaniarum Epiſcopos *Papas* eſſe dictos, de quibus ſupra libro ſecundo: nec *Papas* modo ſed *Pontifices* etiam *ſummos* & *beatiſſimos* & *ſanctiſſimos*, quod multis modis notius certiuſque eſt quam ut negari poſſit. Hodieque enim adeo tritum & vulgare eſt iſtoc Germanis vocabulum, ut Papiſticos etiam victimarios paſſim *Papæ* nomine non dedignentur. Et mirum fit poſtrema ætate uni velut ſummo deferri potuiſſe, videlicet augendæ dignitatis gratia, quod hâc ætate commune multis, poſtrema autem viliſſimis interim non eſt negatum. Atque utinam commune manſiſſet optimis quod unius ambitioni eſt relictum, & decus illud vetus & Chriſtianum fraternæ concordiæ tale manſiſſet in poſterum, quale iſta maxime ætate cultum & obſervatum fuit. Verum illa diſcutere non eſt hujus loci: nec admodum refert meminiſſe functionis Epiſcopalis in verbo prædicando & ſacramentis adminiſtrandis, cum illam hodie nulli non inculcent qui de Epiſcopis, de Presbyteris, de Diaconis Subdiaconiſque horum temporum loquuntur. Eam certe functionem hujus ætatis Præſides & miniſtri ſumma cura cuſtodierunt. Quidquid enim ab illis vel publicè vel privatim eſt actum, ad doctrinæ puritatem conſervandam & ſubditorum curandam ſalutem attinebat. Ejus rei cauſa conventus habiti, non quo novis ſubinde vel oneribus vel ceremoniis Eccleſiæ gravarentur & ſcinderentur, paucorum interim procuratis emolumentis, ſed ne quid contra vel doctrinam vel diſciplinam probaretur admitteretur ve, quod cum regula illa veteris & Apoſtolicæ, hoc eſt Chriſtianæ traditionis non quadraret. Nulla tum cura illis exterioris politiæ aut juriſdictionis fuit, neque cauſas audierunt Epiſcopi ut judices ſed ut æſtimatores delictorum, ut ſi quis enormi crimine vel legem Chriſti violaſſet, vel noxio exemplo Eccleſiam offendiſſet, pœna inflicta vel ordine moveretur vel turpiter commiſſa debita pœnitentia compenſaret. Sæpe autem contentiones diſſenſioneſque fidelium vel externis de rebus exortæ haud alio jure aut lege ab Epiſcopis frequenter direptæ & ſedatæ ſunt quàm charitatis & religionis, ne videlicet duriora experiri coram judice cogerentur, quos Chriſtianæ fraternitatis profeſſio ab omni procul contentione abeſſe adhortata eſt.

Cætera deſunt.

V. NOB.

V. NOB.
IOACHIMI VADIANI SANCTGALLENSIUM CONSULIS

De

DE CONJUGIO SERVORUM EPISTOLA,

AD

IOANNEM ZVICKIVM IC. ET PATRICIVM CONSTANTIENSEM,

Cum

EIVSDEM ZVICKII RESPONSORIIS,

&

LEONIS IVDÆ

DE DIVORTIO

Epistolis.



IOACHIMI VADIANI COS. SANCT-GALLENSIS, DE CONJUGIO SERVORUM EPISTOLA,

AD IOANNEM ZVVICKIVM ECCLESIASTEN Constantiensem Clarissimum & Eruditissimum.



ACCIDIT hisce proximis diebus, Clarissime Vir, ut quidam ex nostris ancillam quandam patria Algavicam, pervenustam virginem, matre serva, patre colono genitam, ea condictione uxorem duxerit, si intra constitutum tempus manumissa fuisset. Liberam enim se, aut certe libertinam uxorem velle, non servam, asseveravit. Amittitur enim civitas nostra id genus servilibus conjugiis, si vel servam ingenuus duxerit, vel ingenua servo nupta fuerit, nisi repente subveniat manumissio. Porro virgini aureos solidos decem spospondit, si iis habeat opus, ne non assequi manumissionem liceret. Puella condictionem recepit, & ut manumitteretur sedulo curavit: verùm interea tempus, de quo convenerat, exactum est, necdum ipsa manumissa est. Negat enim Dominus quemquam se ex liberis seorsum manumissurum, nisi & mater & reliqui itidem liberi, quorum non magnus numerus est, pariter redimantur, pecunia videlicet octo aureorum numorum in singula capita constituta. Pater colonus egestate pressus hoc quicquid est, pecuniæ non potuit ad diem præscriptum corradere, & petit pluſculum temporis filiæ dari, quo voti compos fieri queat: spem etiam facit manumissionis certam, cum è litteris Notariorum quorundam tum etiam evidentibus testimoniis illorum, qui manumissionis voluntatem apud Dominum, nobilem hominem, impetrarunt. Contra civis ille noster, homo funarius, spectatæ vitæ, negat se sponsæ, vel tempus ullum amplius, vel ullam pecuniam debere, propter expirantem matrimonij condictionem, quam ea lege receperit, si intra constitutum tempus manumissa fuisset, ratus esse deberet matrimonij consensus: sin minus, soluta simul esset & irrita condictio. Atque hoc quidem intendit, non quod animo erga illam, quam unicè amat, alieniori esse ceperit, sed quod molesta ei facta sit procrastinatio, qua dies ex die trahitur. Est enim ei gravis cœlibatus non tam propter carnis immodicam afflictionem, quàm liberorum curandorum studio, quos priori ex conjuge suscepit. Nostri sane, qui judiciorum matrimoniorum præfecti sunt, præsente me, cognito negotio & simul expenso quàm favorabilis esset matrimonij caussa, tempus sesquimenstruum puellæ amplius indulserunt, ut si intra hoc ipsum redimi & manumitti possit, litteris manumissionis legitime impetratis, ratum existat condictum matrimonium: sin minus, de caussa ipsa, cujus actricem se puella fecit, per sententiam decernatur, quod ipsum funario nostro minime invito factum est. Quum hæc verò agerentur, disceptatum inter consultandum & quæsitum est, an servo servæve liceat invito domino matrimonium contrahere? & an sit ratum hoc modo contractum matrimonium? Et obiter quidem sententiis, ut fit, variatum est, quibusdam licere existimantibus, aliis autem non licere asseverantibus. Fuit autem hoc magis addubitatum, quo rarius hoc genus controversiæ nostro in foro accidunt. Caret enim ager civitatis nostræ servis in totum, quemadmodum & vicinia (quod sciam) omnis, excepto agro Durravico, cujus nobilitas sparsim aliquos sed paucos tamen, si conferas, & benignissime quidem

demhabitos, servos retinet. Citati autem sunt inter contendendum canones Pontificij, & Legum tractatus nonnulli adducti, inprimis autem scripturæ habita ratio, quæ & in veteri & novo instrumento servorum meminit. Mihi sane postea cogitanti non videbatur ad hanc quæstionem commode responderi posse, nisi cum accurata divisione adhibita, quæ profecto in omni re diligentius exponenda, ut & à Platone est traditum, requiritur. Posset enim Dominus servitutis sui Dominij vel omnino matrimonio interdicere, nec permittere ut vel inter se vel alienis in familiis, aut etiam cum liberis ullis sese matrimonio jungerent, vel hoc tantum cavere, ne extra serviles familias sui dominij, sed cum conservis duntaxat, contraherent. Qua distinctione præmissa, mihi quidem de priori membro ita est visum, non licere domino in totum arcere servitia à matrimonij jure, seu virgines sint seu cœlibes qui quæve arcentur, sed liberam esse iis contrahendi facultatem intra proximas maxime familias, modo in cæteris fidelem operam dominis suis præstiterint. Isthæc assertio niti mihi visa est, primum scriptura sacra, qua sic liberam facit matrimonij facultatem omnibus iis, qui dono continentiæ destituuntur, ut in genere decernat de innuptis Apostolus, *Satius esse matrimonium contrahere quam uri*, 1. Corinth. 7. Et ipse Christus aliis verbis Matth. *19.* nominatim interim admonente Paulo, ne, quoniam pretio empti sumus, eam libertatem nobis ullis hominum placitis eripi aut abrogari sineremus. Non potest enim humanum consilium quantocunque pietatis fuco illitum quicquam ordinare aut statuere, quin præ ipso, quod divini juris est, locum habeat, & mutari divina oracula ab humanis præsumptionibus abrogarive nullo modo posse constat. Proinde nec servus nec liber, nec monachus nec monialis, nec Græcus nec Latinus, nec circumcisus nec recutitus, ulla sanctione humana sic arceri à conjugio potest, quin si non detur continentiæ tranquillitas, libere & jure quidem divino, matrimonio conjugare liceat: Paulus enim: *Nolite*, inquit, *fieri servi hominum*. Et liberum custodire jubet, quod nobis Christus liberum reliquit. Tantum abest, ut humani consilij temeritas illa, quam hodie VOTUM nominant, tantum habeat valoris, ut ejus respectu libertas matrimonij ullo aut loco aut tempore impediri debeat. Nota est regula illa generalis libertatis Christianæ, quam Petrus Actor. 5. cap. retulit: *oportet obedire Deo plus quam hominibus*. Quæ solidissima lex innumeris antiqui instrumenti locis præscripta & repetita est, postremo & spiritu fidei Christi ratificata, usque adeo ut & Apostolus anathemate feriat omnes illos, qui diversum, atque Spiritu Christi traditum est, tradere aut promulgare unquam ausi fuissent. Matrimonium autem nemo ignorat & naturalis esse & divini juris, Gen. 1. & 2. cap. & locis supra allegatis: Servitutem verò juris gentium, ff. *de statu hom.* L. 1. & multis alijs locis. Non potest igitur servitus quemquam in totum arcere jure à matrimonio, quocunque conamine Domini interveniente, quin qui servit aut quæ serva est contrahere possit vel domino invito, & eo medio carnis impotentiæ adversus fornicationem mederi. Iam cum accrescat domino proprietatis amplitudo ex matrimonio & prole, constaret vel ex hac ipsa caussa violentum & iniquum esse dominum, qui quæcunque caussa suis esset matrimonio interdicturus, in totum quidem, vel seorsim vel generatim. Durius etiam haberentur servi, quam ferre posset æquitas, quod jura tamen civilia non permittunt ut ff. *de stat. hom.* L. *si dominus*: longe minus Scriptura de servo Hebræo, quemadmodum in Exodo & Levitico legimus. Et jubet Apostolus Colos. 4. ut æquabilitatem servis suis domini Christiani exhibeant, quippe qui communem habeant Dominum in cœlis Levit. enim 25. de servo Hebræo inquit Deus: *Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum*. Et eodem loco: *Fratres vestros filios Israelne opprimatis per potentiam*. Sunt autem servi fideles fratres credentium dominorum in Christo: Et ut ait Apostolus: *Servus qui in Domino vocatus est libertus domini est, & qui liber vocatus fuit, servus est Christi*, 1. Cor. 7. Nec frustra dictum in Levitico: *Mei sunt servi filij Israel, quos eduxi de terra Ægypti*, &c. Vt enim hi per Moysen ex Ægypto, Domino dispensante, in terram promissionis sunt educti, sic qui juxta carnem sunt servi, juxta spiritum autem vocati in Domino per Christum Iesum, volente Patre ex Ægypto servitutis peccati in spiritualem, hoc est certam & veram, libertatem asserti sunt. Quo vel uno nomine nihil servis suis negabunt Domini, quod eis jure divino concessum est. Quam dure autem haberentur servi & ancillæ, si ab illo gignendi opere, quod nota tam efficaci omnibus hominibus insevit prudentissimus ille naturæ universæ architectus, quodq; recte naturalissimum omnium in viventib. Aristoteles esse docuit, in universum arcerentur? Cum veteribus tamen, & quidem Ethnicis, cœlibatus haud raro probro fuerit. Et est nota Lex illa vetustissima Tabularum duodecim: *Cœlibes esse prohibente*, cujus in Legibus M. Cicero meminit, quæ adeo quondam in politia illa Romana celebris fuit & sancta, ut omnium ordinum homines ad conjugia adigerentur, quorum modo cœlibes liberis procreandis idonei visi fuissent. Vnde illa multifariam concessa sponsalium rerum privilegia, & jus illud trium liberorum, præterea & vacatio publicorum munerum, quæ duodecim liberorum parenti concedebatur, & legum Iustiniani Imp. libris nota est, Cod. *de decurionib.* L. *si quis decurio*, lib. 10. De illa igitur contrahendi libera facultate, quæ & servis competit, in can.

dignum,

dignum, mentio fit in Septimi Gregorij Decretalium opere, ubi de *servorum conjugio* agitur. Neque aliud sentit eo loco ad Salisburgensem Episcopum scribens Hadrianus Pontifex, etiam licere servis matrimonio conjungi invito domino, si dominus quacunque caussa motus servis in totum sit matrimonio interdicturus. Ius enim divinum necessario humano præfertur, neque officit ulla conditio vel gentium jure vel hominum placitis invecta, quo minus locum habeat libertas doctrinæ sacræ & Apostolicæ, quæ jubet satius esse jugari matrimonio quàm uri: nec fert legem hominum ducere & nubere prohibentium, quos Apostolis postremis in sæculis futuros prædixit. Proinde in isto casu Deo magis quàm hominibus obediendum esse decernit. Quanquam loco illo Pauli ad Galat. *Non est liber neque servus*, &c. Hadrianus abusus est. Non enim de conjugio servorum quidquam, sed de libertate spiritus fidei illo ipso loco Apostolus tradidit. In hoc n. omnes, sejuncto personarum respectu, in Christo Domino adæquamur, juxta illud Pauli 1. Cor. 7. *qui liber est mundo, servus est Christi.* Contrà verò qui servus mundo, libertus est Christi. Servitus n. carnis adeò non impedit spiritus libertatem, quin in servo omni, in quo Spiritus est Christi, vera etiam & maximè ingenua libertas locum habeat. Et est verissimum, quod ab Augustino lib. *de civitate Dei* 19. traditur: *Multos dominos esse juxta carnem vel maximè liberos & ingenuos, qui juxta spiritum miserandi immanib. vitiorum & scelerum tyrannis serviunt*, ut longè optabilior sit servitus carnis cum animi Deo servientis libertate, quàm libertas carnis cum mentis captivitate tot vitiis sceleribusque obnoxiæ. Quæ una caussa est, cur Apostolus in Galatis, & alibi in renatis & justificatis, nec libertatem nec servitutem juxta carnem magno æstimet, sed unicam libertatem spiritus in fide Christi commendet. Mavult quidem, si fieri possit, liberos fieri qui serviunt, sed hoc fine, ut qui liberi sunt juxta carnem, ad ministeria charitatis omnibus ex æquo præstanda fiant habiliores, non ut tabescant otio aut cessatione, velut fatuæ illæ virgines, vel libertate inflentur, vel luxui se captivos dedant, quod solent qui studium libertatis avaritia & ambitione corrumpunt. Siquidem & virgines probat Apostolus & cœlibes sui sæculi viduasque ætatis provectæ, qui citra carnis æstum immodicum jugo matrimonij vacare, quæque Dei sunt & proximi hoc liberius diligentiusque curare & omni de cœtu quàm optimè mereri possint. Enimverò & Christus illos in primis commendat, qui se castraverunt propter regnum cœlorum: quod profectò non nisi in vero cultu Dei & proximi cura positum est. Sed innuit interim perpaucis datum, ut hoc modo castrati durent. Sicut igitur conditio virginis, viduæ, cœlibis, hominis ad officia charitatis præstanda expeditior est, quàm maritorũ & conjugum, atque hac una de caussa prælata matrimonio, ita libertas juxta carnem ad benè merendum promptior existit quàm ulla servitus esse queat: Servus n. ita domino suo debet operam, ut aliis interim vacare sine domini consensu non liceat. Vnde illud Pauli manat: *Si potes liber fieri, potius utere.* Alioqui in regno fidei nec libertas carnis quicquam est, nec servitus juxta carnem, sicut nec præputiũ, nec circumcisio, nec fortuna, nec locus, nec patria, vel ulla externa quantumvis speciosa conditio, sed nova spiritus creatura. Quo sensu Apostoli verba ad Galatas accipienda sunt, secus quidem quàm Hadrianus accepit. Sed non est novum Pontificum rescriptis tortas scripturas & alieno sensu adductas legere. Quanquam rectè interim respondit Hadrianus *inter servos matrimonia nullatenus debere prohiberi, & si contradicentibus dominis contracta sint, nulla ratione esse propter hoc dissolvenda.* Idem etiam, ni fallor, Scholastici sentiunt apud Lombardum lib. 4. distin. 36. dum quærunt: *Num servitus cum contradictione domini impediat matrimonium.* (Hoc n. sentiunt, an servus servave matrimonio abstinere & cœlibem vitam agere cogatur, si ita jubeat & urgeat dominus: an verò invito etiam domino jugare se matrimonio possint: Non n. loquuntur de privatis conjugij modis hac vel illa ratione contractis, sed simpliciter de usu matrimonij, quod apud servos non minus quam apud liberos locum habere debeat. Certe Bonaventura, qui inter castiores Lombardi interpretes numeratur, hoc ipsum sensisse ex argumentis suis clare intelligitur. Et hactenus quidem, quæ de priori supra positæ distinctionis membro sentirem, paucis disserui: de altero sic statuebam.

Si servis suis in suo dominio Dominus usum matrimonij liberum relinquat, lege autem edictove caveat, ne alienis, hoc est extra serviles familias suas, vel servis vel liberis jungantur, visum est mihi divino jure teneri servos & ancillas, ne invito domino alijs sese jungant, neve ratum habeant judices quod invito domino fuerit tentatum, nisi manifestus domini consensus accesserit. Apostolus enim Ephes. 6. *Servi*, inquit, *obedite his qui domini sunt juxta carnem cum timore & tremore, cum simplicitate cordis vestri, tanquam Christo*, &c. Nec de famulis loquitur, ut quidam delirant, sed de propriis, quos vulgo leibeigen leut nominamus. Famulantur n. & liberi, qui servi non sunt. Idem Apostolus Colos. 3. *Servi obedite per omnia iis, qui domini sunt secundum carnem*, &c. *Per omnia* dixit, non velut mandãs ut impia & legi Christi adversa jubentibus pareant: sed seriò admonens, ut in iis, quæ salva pietate jubentur, obsequium præstent. Nihil autem officit pietati aut spiritui fidei Lex illa Domini quæ matrimonia non tollit quidem, si modo quodam pro sui dominij & proprietatis jure coercet & ordinat; quemadmodum jus non permittit quælibet quibus-

buslibet jungantur, sed modum præscribit in matrimoniis, & qui conjuges esse possint aut non possint, diserte admonet, id quod vel in gradib. affinitatis & necessitudinis Levit 18. cap. deprenditur. Quanquam servitus violenta quædam conditio est jure gentium magna ex parte invecta, & naturali mortalium libertati adversa, tamen jure divino non modo admissa, verum etiam recepta & probata est, ut Exod. 21. cap. & longe clarissime Levit. 25. cap. Proinde idem jubens & probans Apostolus non sine causa illud urget, ut qui Christo nomen dederint, externis illis & per se indifferentib. statibus & conditionibus non graventur, sed ut quisque in ea vocatione, qua à Domino vocatus est, maneat, nec quicquam moliatur quod vel pacem publicam interturbare, vel Christi doctrinā multa cum offensione elevare possit. Externa quædam res est servitus, quæ ferenda esset publicæ tranquillitatis gratia, etiamsi scripturis non probaretur, sicut Ethnicorum magistratuum leges & edicta publica externarum rerum & onerum ferri jussit Apostolus Rom. 13. Gravissime n. peccant, qui vel iniquorum onerum intolerantia Regem in regno suo perturbant, & negotium faciunt magistratibus pace publica violata. Porro quod in regnó Rex est, hoc ipsum & in Dominio suo Dominus est. Nota sunt verba Pauli 1. Timoth. 6. *Quicunque sub jugo sunt servi, Dominos suos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina male audiat.* Vnde & Petrus vel pravis & iniquis Dominis nedum Ethnicis parendum existimat, 1. Pet. 2. Ex animo autem obedire & operas præstare jussit Apostolus, non simulanter, quod mali servi ferè assolent, in quos & illud congruit, *Oderint dum metuant.* Proinde si Scriptura jubente legi obediendum est de tributo, vectigali, telonio, aliisque id genus exactionibus caventi, etiamsi iniqua & immodica exigit, & à magistratu vel Ethnico lata est: longe magis ille, qui suæ carnis jus nullum habet, sed domini sui proprius est, ei legi parebit, quæ nec iniqua est nec impia, quippe quæ nec tollat conjugium nec cogat, sed liberum relinquat, modo pro dominij jure, quod divino jure stabilitum est, nihil violata Domini voluntate peragatur. Mediæ n. ætatis jura cum Civilia tum etiam Canonica, quanquam religioni in nonnullis immodicè detulerunt, tamen eo loco semper habuere dominorum in servos potestatem, ut nec religionem quidem ingrediendi servo aut ordines obeundi facultatem, invito Domino concesserint. Et si quis libertatis prætextu, vel ordine sacro vel religione aliqua initiatus fuisset, servitute cognita, domino postulanti reddebatur, prioremque in servitutem migrabat. Quod si nec religioni nec sacro ordini cedit dominorū in servos authoritas, longè minus matrimonio cesserit, quod rite nunquam nisi ab his qui sui juris sunt contrahitur: quandoquidem in conjugio corporū magis quam animorum copula celebratur, juxta dictum Christi: *Et erunt duo in carne una,* ratumque est matrimonium rite copulatum, utcumque demum animi conjugatorum dissiliant, nisi fornicatio intercesserit, Matth. 19. Apostolus quoque 1. Cor. 7. inter fidelem & infidelem ratum finit matrimonium, in quo tamen summa est animorum in religione dissensio. Ante verò dictum, servum servamque suæ carnis jus nullum habere quod ipsa satis evincit proprietas, & jura scripta docent, ut Institutis Iustiniani tit. *per quas person. nob. acquiritur, §. item nobis.* Non habent igitur jus conjugij cum Domini lege pugnantis, si ea ipsa modus duntaxat conjugij statuitur, non tollatur conjugium. Inde illud est, quod in Concilio Cabilonensi conjugia servorum diversis in dominiis contracta ita demum ratihabita sunt, si in illa consentiant Domini, 29. q. 2. can. *dictum est.* Nam quod eodem in loco ex Iuliani & Zachariæ constitutionibus conscripsit Gratianus, videlicet ut matrimonia inter servos & liberos contracta rata esse debeant, nec alia caussa nisi fornicationis dissolvi, de ijs plane dictum esse videtur, qui dominorum consensu & sine ulla conditionis exceptione contraxerunt. Mihi enim non conceditur servam dimittere aut repudiare, quam sciens esse servam duxi, aut quam ducens sine ulla servitutis mentione vel exceptione meam feci. Iam ne quis Dominorum consensum & voluntatem nullo loco dignaretur, jure quondam civili Romano ea vis & dignitas dominij in servos observata est, ut etiam in hæredes confirmari & rata fieri servitus potuerit, adeò ut ne hæredi quidem manumittere licuerit servum, qui testamento prohibitus fuisset manumitti, ut ff. *de manumissionib. L. servus hac lege.* Et in sacra scriptura servi, qui tempestive oblatam libertatem recusabant, & servi quam liberi esse malebant, perpetuæ servituti addicebantur, Levit. 25 Consentire autem extraria in conjugia Domini videntur, dum vel ex pacto aliquo interveniente nuptias permittunt, vel lege promulgata non coërcent, vel certa aliqua mulcta puniunt qui alienis familiis immiscentur, vel scientes tacent nec reclamant. Habet n. locum in hoc maxime casu, quod vulgo dicitur: *Qui tacet, consentire videtur.* Pacto vero conentitur, quum inter diversos dominos certis aliquot conditionib. salvis, in mutua matrimonia consentitur. Sunt autem pacta multiplicia Dominorum, quæ referre non attinet. Nec ita pridem cœnobia Benedictina, quæ servis abūdarūt, inter se pluscula, & cum Dominis etiam prophanis pacto, quod *concambium* vocabant, in id genus servilia matrimonia consensere.

Francis veteribus & Alemannis nostris matrimonia invitis Dominis contracta, rata quidem erant, sed impunia non erant. Vnde fiebat ut de consensu Dominorum haud admodum sollicite essent in paciscendis conjugiis, qui vel alienis servitiis vel liberis hominibus

sese

sese copulassent: tutò ducebant & nubebant, qui de mulcta solvenda semel deliberassent. Mulctæ ipsæ variæ erant, & libertatem nonnunquam amittebant ingenuæ mulieres, quæ servilibus sese nuptiis contaminassent. Hodie multis in locis servorum liberis nubentium matrimonia dissimulant Domini, & ratas habent nuptias. At verò quoniam communi lege obtinente proles ventrem sequitur, prolem postea requirunt & jure proprietatis vindicant. Vnde magnæ sæpe turbæ multis urbibus motæ sunt. Æquiore animo feruntur servorum cum liberis conjugia, quanquam & iis ipsis non parum dominis decrescat, tum quod prole de libera fœmina procreata carent, tum etiam quod jure illo destituuntur, quo de serva genitam sobolem vel suam & propriam tenerent, vel alieno de servitio natam suam pacto facerent, vel certè pœna aliqua damnum in latum resarcirent. Apud veteres enim ne quidem impune erat liberas ducendi consilium, cujus rei clarum argumentum extat in Cod. Iustiniani L. ult. ejus tit. in quo de *Agricolis & Colonis* agitur lib. 11 Multum enim referebat, scientene an ignorante Domino quid factum admissumve fuisset, ut in L. *super servis*, tit. *Qui militare possint*, Cod. lib. 12. Consentire autem crediti sunt, qui scientes tacebant & sufferebant, ut diximus, & est argumentum in authent. *de sanctissimis Episcopis*, §. *si servus*. Vbi vero nullum horum est quod de consensu possit convincere, & lege cautum est ne servi servæve extra propriam Domini familiam matrimonia sine expresso Domini consensu ineant, jure divino teneri servos & servas ad ejus legis obedientiam puto, & judico non esse ulla sententia ratificandum conjugium, quod Domino hoc modo nolente contractum est. Non probat n. Deus quod contra legem suam temeraria voluntate committitur. Lex autem Dei est & juris divini præceptum, illud ipsum, quod ab Apostolo promulgatum est: *Servi obedite per omnia Dominis vestris*, &c. Temeraria autem voluntas est, quæ sese ita conjugat, ut ultionem divinam haud dubiè sit latura, nisi cum illis quos offendit demum in gratiam redierit.

De conditione autem quod quæritur: Num impediat aut solvat matrimonium error conditionis? ut si serva sit conjunx mea, quam ducens liberam esse putabam: tradunt quidem Canones, errore conditionis solvi matrimonium cum quis ignorans servam ducit, quam liberam ingenuamve putavit: & docent, talem deseri posse etiamsi ab nescio sit viciata, ut in can. *proposuit*, & can. *ad nostram*, in Septimi Gregorij Decretalibus, ubi *de conjugiis servorum* agitur: & in Gratiani farragine, 29. q. 2. *si quis ancillam*, § *his ita*, & in can. *si quis ingenuus*, &c. Quam opinionem & Scholastici, si probè memimi, ad distin. 36. libro 4. Sent. Lombardi confirmant Quamquam mihi visum est, cur in errore conditionis, solius servitutis meminerint, & alij tamen errores accidant ad conditionem attinentes, quæ matrimonium solvunt, utpote si conjugatam ducat mas quam ἄγαμον esse credidit, aut è contra fœmina conjugato nubat, ubi status conditio jure divino impedit matrimonium, cum uni viro uxor non nisi una concedatur, juxta illud Domini Matthæi 19. *Et erunt duo in carne una*. Hic n. vel unus locus πολυγαμίαν fortissimè repellit. Item si nubat aliqua viro religione quapiam initiato, utpote Sacerdoti Papistico aut Monacho Benedictino aut Franciscano aut Dominicano: in quibus casibus adeò illi pro suo nupero, hoc est humano jure conditionem æstimant, ut asserant solvi matrimonium nisi Papa grandi aliqua dispensatione succurrat. Et tamen sub conditione continentur casus isti, sicut & illi, si Iudæam aut Saracenam ducam, quam putabam Christianam esse. Gratianus quidem loco supra citato quatuor errorum meminit, videlicet conditionis, qualitatis, personæ & fortunæ: & matrimonium quidem duobus solvi putat, conditionis scilicet (de quo est dictum) & personæ: ut si, gratia exempli, Titio nubat quæpiam, quæ Andronicum esse credidit: duobus autem, puta qualitatis & fortunæ, non solvi Cùm sub qualitatis tamen nomine affinitas & cognatio, prætereà frigiditas & impotentia rectè locentur, quibus singulis matrimonium jure divino solvi constat. Non potest enim ducere uxorem, aut certè si duxerit retinere non potest, qui debitum poscenti præstare nequit. In totum autem ad conjugium quod prolis gratia instituitur, accommodi non sunt qui à debito invicem præstando, præcipuo videlicet conjugij munere, corporum defectione destituuntur. Masculum enim & fœminam creavit DEUS, eisque ad prolem gignendam benedixit, ad quam suscipiendam originali concupiscentia & quidem concreata impellimur Atque hæc quidem, quia lapsu primorum parentum est vitiata, adeò plerumque intemperans est & vehemens, ut nisi vel dono DEI, raro quidem illo, tollatur, vel matrimonio debitum præstante coerceatur, periclitari ac perire etiam necesse sit juxta illud Apostoli: *Propter stupra vitanda suam quisque uxorem habeat, & suum quæque virū habeat* Et iterum: *Satius est matrimonium contrahere quam uri*. Medetur enim ardori carnis matrimonium, & simul benedicit DEUS ex proposito consiliove conjugatis ut crescant. Id ipsum assequimur impolluti cubilis concubitu, sine quo nulla justæ concupiscentiæ medela statui potest. Hunc frigidi & corporum defectione viciati non præstant. Solvitur ergo & qualitate matrimonium, non minus quàm cognatione & affinitate. Incestæ enim nuptiæ ratæ esse non possunt, & erratur qualitatis ignorantia, si quis quampiam ducat, quæ sanguinis linea arctius

cohæret quàm ut ipſam habere conjugem poſſit. De parricidis item & veneficis aut quovis modo inſigniter criminoſis magna quæſtio eſt, neque illos tolerat publicorum judiciorum gravitas, quippe quos ipſa ſcelerum qualitas vel fugientes proſcribit vel prehenſos damnat. Et ambigitur num ratum eſſe debeat matrimonium cum illo hominum genere cognito & explorato contractum: & an cogatur mulier, tali marito fugiente & occultante ſeſe, perpetuum agere cœlibatum, nec ampliorem habendi nubendi facultatem, ſic vivo marito priori? Ego talem nubere alij poſſe arbitror, modo cauſſa cognita legitimi eam judices prioris & ſcelesti quidem & extorris mariti jure ſolverint. Non poteſt enim parricida aut veneficus quem publica æquitas aqua & igni interdicit, mulieri inculpatæ cohabitare & præſtare debitum, adeoque nec ipſum finem initi ſemel matrimoni attingere, ut illa profecto, ſi ſe continere nequeat, alij ſeſe jure divino conjungere matrimonio & cohabitare queat. Non puto vero audiendos eſſe, qui juſtæ abſentiæ cauſſationem etiam criminoſis largiuntur, quum hi vel præſentes non ferantur, & vitali nobiſcum aura frui non poſſint. Secus habent illorum jura, qui legitimis de cauſſis vel diutiſſime abſunt. Ad inſtitutum autem ut revertamur; conſtat & hunc errorem contracti cum ſcelerato matrimonij qualitatis titulo comprehendi, & tamen certis de cauſis & caſu aliquo matrimonium diſſolvere. Iam & fortunæ ignoratæ errores non modici matrimonium videntur vehementer averſari, ut ſi virgo quæpiam aut mulier inſcia decoctori aut alij cuipiam, qui æris alieni magnitudine ſolum vertere coactus fuit, nubat: aut ſi de dote præſtanda lege aliqua publica cautum ſit, & ille vel ille ſecundum legem acturum ſe ſtipulatus ſit, nec poſſit mutata fortuna ex legis præſcripto dotem poſtea numerare, aut initio initi matrimonij præſtare non poſſit quod ſpopondit: juſte quæritur, an maritum tenere cogatur, qui errore fortunæ impoſuit & fefellit. Verum ut fortunam ſinamus, de conditionis errore ab ipſis Lombardi & Gratiani interpretibus relato, mihi cogitanti viſum eſt ſervitutem ignoratam non ſimpliciter ſolvere matrimonium, quod illis placere video, ſed exceptam tantum, ſi de ea ſervi ſervæve nominatim admoniti ſint: ut ſi, exempli gratia, alienigenam aut parum mihi cognitam & exploratam dicturus dicam: *Si ita collubet & bona tua gratia fieri queat, dico te uxorem meam, modo ſervitutem nullam ſervias, nec patrono ulli quicquam debeas.* Vel ſic: *Admonitam te volo, ut ſi vel ſerva ſis vel liberta, ne te mihi deſpondeas: nec ſervam enim nec libertam ducam, nec me ulli ejus conditionis ſpondebo*: Aut ſi ſervam eſſe ſciens ea ducat conditione, *ſi certo tempore manumitti queat*, ſicut funarius ille noſter ſuam illam duxit. Quod autem de ingenuis maſculis dicimus erga ancillas, idem de ingenuis virginibus fœminiſque erga ſervos intelligendum eſt conditionem dolo cœlantibus. Dolus enim eſt, ſi ſervus cœlet liberam ſuæ conditionis, aut contra ſerva liberum. Nec conjungit Deus ullos qui dolo coëunt. Hactenus de exceptione dixi, qua conditio manifeſte repudiatur. Nam qui matrimonia ſic incircumſpecte ineunt, præſertim cum peregre profectis nec ſatis exploratis & cognitis, ut nec de conditione admoneant nec quicquam in re tanta ejus rei excipiant, profecto mihi ſervitutis conditionem tanti feciſſe non videntur, quin vel ſervam tenere & uxorem habere libuerit etiam incognitam. Ferre enim æquo animo ſervitutem videtur, qui matrimonio contrahendo nominatim ipſam non excluſit. Naturali autem quodam jure eximium locum in omni contractu habet exceptio, ſicut &, conditio, maxime autem in conjugio: ut ſi dicam: *Duco te uxorem; modo virgo ſis aut alioque proba & honeſtæ vitæ*, irritum fit matrimonium ſi viciatam eſſe aut improbæ vitæ eſſe conſtiterit. Nam qui nulla conditione vel exceptione propoſita quampiam ducit parum exploratam, non videtur magnopere curare pura ne an impura, ſerva an libera ſit, nec poteſt de dolo queri, qui contra dolum non excipit, nec ullam facit conditionis mentionem: Lombardus quidem 36. diſtinct. libro 4. *Si conditionis*, inquit, *dolum patitur, non cogitur adhærere ei, cujus fraude decepta eſt: ſed ſi de conditione conſtiterit, non poteſt dirimi matrimonium*, &c. Videtur autem illi nihil moleſta futura conditio, qui ſuſque deque illam facit nullo verbo prævertens aut excipiens.

Quamquam interim non obſcure viderem, vel in hoc more plurimum commodi ſitum eſſe, quo ſervitus ignorata matrimonium ſolvit. Admonentur enim ea lege ſervi & ſervæ, ne cui, niſi detecta conditione, jungantur: & cum grave & incommodum ſit quocumque modo admiſſum ſervitutis jugum, ratio tenetur qua conditio etiam ſine dolo malo tacita nocere facile non poſſit. Fit enim ſæpe ut quæ ſerva eſt, ſervam ſe eſſe neſciat: liberum ſe putet aut certe libertinum, qui ſervus eſt. Quo in caſu nullo dolo de libertate condicitur, & tamen fallitur qui ſic perſuaſus uxorem ducit, quam ſervam eſſe neſcit: contra & libera circumvenitur, quæ nullo dolo perſuaſa ſervo nubit, quem liberum eſſe credidit. Quamquam iis ambobus caſibus non lex modò, qua detecta ſervitus conjugium omninò ſolvit, ſed ipſa etiam exceptio, cujus ante meminimus, circumventæ parti ſuccurrit. Vtcumque autem iſta habeant, prior mihi ſententia vero propior viſa eſt.

Niſi vero fallor, & ante à nobis memorati & plurimi alij errores de medio tolli caverique potuiſſent in contrahendis matrimoniis, ſi veterum more & jure de ipſis proximis aliquot

aliquot sæculis judicatum fuisset. Matrimonium enim licet divino & naturali jure nitatur, tamen positivo jure præcipue illustratum est: quandoquidem non tam animorum (quod supra admonuimus) quàm corporum conjugationem complectitur, atque ea quidem caussa cum fortunis etiam de dotium & donationum & hæreditatum juribus cohæret. Quare est, ut de eo à Constantini Magni temporibus usque in Friderichum Primum & amplius civili maximè, &, ut sic dicam, prophano jure fuerit cognitum, consultis tamen interim & reverenter habitis Pontificum rescriptis, quod è Iustiniani Codice & sequentium Imperatorum constitutionibus clarissime cognoscitur. Postea quum gliscente avaritia quæstus ratio in illis litibus haberi cepit, forum illud totum in curias Episcoporum est translatum, & (quod omnium pace dictum volo) sic versum in casus, errores, & opiniones, hoc est in laqueos & pedicas, sacri conjugij negotium, ut nesciam ulla ne alia caussa sordidius per Ecclesias tractata & improbius contaminata fuerit quàm matrimoniorum: nisi huic præferre pœnitentiæ negotiationem libet, quæ profecto & ipsa incredibili fraude & longe pessima scelerum securitate exercita est. Majores nostri jure maxime divino & historia veteri sacra moti, consensus matrimoniorum ita tandem ratos habuerunt, si legitime, prudenter, graviter, circumspectè de ipsis ineundis perficiendisque deliberatum fuisset, si explorat & cogniti fuissent qui conjugio erant coituri: denique si parentum, tutorum, propinquorum, amicorum consilio & voluntate illa ipsa suscepta fuissent: Postremo si nihil dolo, arte, studio, avaritia, ambitione quæsitum fuisset. Turpe autem putabant, tanta cura & vigilantia de vita & moribus illorum, quos breve modo ad tempus in famulatum domesticum admissuri essemus, perquirere & cognoscere, interim autem secure cessare in eorum vita, conditione & moribus inquirendis, quos in familiæ liberorumque & fortunarum omnium sortem, & communionem essemus recepturi. Verè enim conjungit DEUS quos sana & sobria consideratio copulat. Nec enim levis est conjugij conditio, nec breve tempus quod illud sibi postulat, nec facile jugum quod mutuo consensu ferendum suscipitur. Proinde expeditior erat solidiorque judiciorum cognitio, in quibus voluntates magis, quàm utcunque elapsa prolatave aut extorta seu verius dicam captata verba æstimabantur. Non habet enim Scriptura verba ulla, quibus ceu solennibus animi utcunque consentientes matrimonij nexu velut stipulatione aliqua obligentur. At contra consensum habet & voluntatem circumspectè agentem, præterea & parentum honoratam voluntatem & consultationes necessariorum, qui quod Dei est magis quàm quod est hominum, eligant & probent: ad hæc in virtute & pietate summam æstiment conjugij in Domino copulati. Porro ubi justa est, & bonorum consiliis adhibita deliberatio, ibi error facile obrepere non potest, & sanctius coherent matrimonia, quæ voluntate matura & providenti deliberatione adducta coalescunt. Recte autem impuberum & minorennium voluntates ad contrahenda conjugia non admittuntur, nisi majorum judicio & deliberatione fuerint probatæ. Est n. hæc ætas in utroque sexu ardens, incauta, inconsiderans, procax, judicio nullo, impatiens, præfractis moribus & delicatis, adeoque immoderata concupiscentia, enormis, & ad lapsum proclivis, ut nisi repagulum opponant, qui valent judicio, ac velut carceribus arceant sessorem immaturè cursum accelerantem, amore illa tragico & insano magis quàm Christiano rapiatur, belluæque in morem libidine & Venere inflammata nihil minus respiciat aut quærat quàm conjugium Domini benedictione auspicandum. Cui vesaniæ fenestram aperiunt, qui putant juniorum voluntatibus ita esse deferendum, ut vel invitis parentibus & omni majorum rejecta veneratione ducant vel nubant, rata esse matrimonia oporteat. Quid enim hoc aliud est, sic stimulos adhibere furenti libidini, quàm ad eum cursum inhortari mollem & stultam ætatem, à quo frenis & lupatis quidem; erat arcenda? Quanto rectius & sapientius illi faciunt, qui legibus latis æstum illum carnis intemperantissimum consulto reprimunt & in ordinem, ut sic dicam, redigunt naturæ viciatæ impotentiam. Nec minus pie reperta hodie ratio est multis in Ecclesiis celeberrimis, qua levitati & temeritati captiose contrahentium ita occurritur, ut ne cognoscant quidem judices de matrimonio, quod clam testibus contractum est, nisi unanimis consensus duret, aut partem negantem ritè & legitimè consensisse testibus fide dignis doceri possit. Vt si, gratia exêpli, mas dicat: *Ego te uxorem meam duxi.* Fœmina contra respondeat *Nego te duxisse: Nego me consensisse.* Aut è contrario fœmella asserat rite se & verbis & manu, ut vocant, cum mare matrimonium iniisse: Mas autem initum neget. Non auditur pars agens, sed irrita fit actio, nisi doceri testibus possit quod intenditur. Qua sane pientissima ratione infinitis perjuriis, quorum plena sunt tribunalia illa, via præcluditur, & simul arcetur impudentia ne quid temere aut omnino captiose in re tam gravi & seria committatur. Par ratio & in illo remedio est, quo stupris virginum avertendis Ecclesiæ multo utuntur, & ne qua fraude imponi facile possit, accurrant. Quod n. Lex Dei seductas & stupratas virgines uxores facit horum à quibus seductæ & viciatæ sunt, non hoc sensu fineque facit, velut recte seduci & corrumpi virgines possint aut debeant, sed nexum matrimonij tanquam in pœnam statuit corruptori, quo vi petita virginitas ita recompensatur, ut qui stupravit habere eam, velit nolit, uxorem

debeat. Et quum reliquis in conjugiis ferme locum habuerit apud Hebræos libellus repudij, in hoc casu non admissus est, sed perpetuæ cohabitationi lege adjudicatus est qui seductam viciavit. Non vult n. Deus virgines seduci & viciari, sed legem charitatis jubet esse ratam: *Dilige proximum tuum, sicut teipsum* Et: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne facias*. Quod quidem adeo urget divina justitia, ut vim virgini allatam supremo vindicet supplicio. Stuprum autem, in quod astu aliquo & seductione consensum est, nexui conjugij perpetuo adjudicet Deuteron. 22, nisi patri aliud visum fuisset, Exod. 22. Stuprum autem cum sit lege vetitum, Deo placere non potest. Vnde intelligi datur tale matrimonium non voluntate contrahi, sed peccati admissi caussa irrogari. Proinde pia & sancta judicanda sunt Ecclesiarum decreta, quæ communem charitatis legem tuentur, & quantum in sua ope situm est, vindicant, caventque ne facile stuprum ullum committi in virgine, neve mas ullus sponte oblato virginis coitu, qui dolo postea stupri nomine jactetur, illaqueari & circumveniri queat. Quippe virgines illæ, quæ ultro stuprari se quacunque caussa patiuntur, lege Dei nō gaudent, quum seductæ non sint, sed quamlibet levi caussa morem gesserint. Porro & hæc ratio non parum momenti ad arcendam mollis ætatis libidinem & temeritatem confert, qua certi anni præscribuntur, intra quos consensus liberorum locum non habet, nisi parentum majorumve consilio probatus fuerit. In adulteriis autem coercendis & hæc medela recepta est, ne adultero liceat uxore mortua illam ducere, cum qua uxore viva palam est mœchatus. Adulteræ quoque pari de caussa non liceat illi se adjungere, quo cum vivo marito mœchata est. Tametsi satis notum sit quid multis in hujus casus consideratione placuerit, satius esse putantibus honeste cohabitare quàm notam ferre patrati adulterij. Quasi verò digni sint honesto conjugio, qui quod in ipsis fuit justo divortio caussam præbuerunt? Et cum olim crimen illud non tam civili quam etiam divino jure, supplicio vindicatum constet, nec illum admittat lex vetus ad conjugij copulam, qui vim attulit virgini, sed morte puniat: contra Evangelium Christi, quod legem charitatis præcipuè inculcat, mœchos mœchasque petulantes videlicet conjugij violatores, ineundi tandem matrimonij copiam faciat? Novi dictum Augustini citatum à Lombardo lib. 4. distinc. 35. putantis. *Priore marito mortuo cum illa posse fieri conjugium, cum qua præcessit adulterium*. Sed video tamen justissimis de caussis diversum ab Augustino non tam Patres sanctos quàm ipsa etiam Concilia tradidisse, quod & è Gratiani farragine, 31. q. 1. can. *nullus*, & can. *relatum*, satis patet. Quod ideo memorandum duxi, ne solus videret obstrepere Augustino, qui sua tamen ut cum judicio legerentur, sancte precatus est. Equidem judico nec divino nec naturali nec civili recte constituto jure ad honestum & in Domino copulandum matrimonium admitti posse, qui genitalis thori fidem violarūt, & capitalis sceleris authores extitere Secus habet fornicatio nullo adulterio notata, quæ justo conjugio meritò aufertur, tanto quidem juris favore, ut & liberi ex concubina geniti sequente matrimonio sanctificentur & jure fiant legitimi, ut in Cod. Iustiniani & authenticis constitutionib. sub titulis. *Quibus modis naturales efficiantur sui*, & in Instit. tit. *De hæred. quæ ab intestat. deferuntur* De mœchis autem & adulteris certè notius est vel parum attentis, quàm ut multis indicari oporteat, non scandalis modò ingentibus, sed etiam veneficiorum & homicidiorum consiliis artibusque viam aperiri in Ecclesiis CHRISTI, si post defunctas uxores maritis Pellacas suas ducere liceat. Negant illi quidem licere ut coeant matrimonio, qui in mortem alterius etiamdum viventis quicquam machinati fuissent, aut fidem dedissent futuri matrimonij mutuam. Qua de re Gratianus & Lombardus admonuerunt. Sed rogo illos, viam nobis & rationem indicent, qua constare Ecclesiis de impiis illis & sceleratis consiliis, quæ singulari studio occultantur, certò possit. Hæc enim non nisi de manifestis judicat, nec admittet in conjugium adulteram, cujus ope prior uxor veneno dato sublata est. Illam autem admittet, quæ idem scelus perpetravit, sed commisisse ignoratur? Illam quoque & Illum, qui id totis viribus conati sunt nec potuere commodum assequi? Quanto rectius tollitur seminarium isthoc scelerum toties tentatum & nefandis consiliis plenum, quam admittitur, quod postea nec discerni rectè nec judicari queat. David Rex tantus, quum consilium cepisset Barsabea potiundi, confestim de Vria optimè merito viro trucidando deliberavit, & occidit quidem dolo vafro, & Bersabea potitus est. Hoc genus consilia capiunt adulteri, quibus ducere mœchas licet, longe magis & mœchæ capiunt, spe videlicet concepta futuri conjugij. Quod ipsum cotidianis, pro dolor, exemplis discimus, nec viam interim sceleribus præcludimus, sed animamus potius licentia libidines illas fœdas & Tragicis criminibus plenas, dum fenestram illam aperimus, ut mœchis liceat priore conjuge sublato securè coherere matrimonio: quod pro tribunalibus tamen frequentibus indulgetur, casu videlicet Davidis fretis, qui ut in 2. libro Regum legimus, Vria mortuo Bersabeam uxorem tenuit, & Salomonem filium Ididia, hoc est Domino dilectum & miris dotibus præditum, ex ipsa suscepit. Verùm non advertunt factum illud Davidis simpliciter displicuisse Domino 2. Regum 11. nec consequi, ut si paucis aut uni alicui arcano aliquo Dei consilio quid permissum concessumve fuerit, repente hoc ipsum publicæ legis loco haberi oporteat.
Neque

Neque enim possunt communem ad usum trahi id genus privilegia & prærogativæ, quæ paucis ita permittunt, ut quod conceditur publicis legibus interim vetetur. Scriptura enim quanquam non jubet uxorem esse Davidi Regi Bersabeam, tamen mortis pœna coercet adulterium. Vbi autem mors adulteræ adulterove infligitur ob scelus patratum, ibi nullus matrimonio locus relinquitur. Neque abrogata erat lex judiciariæ cognitionis & pœnalis Davidis tempore, sed sacro erat sancta, & adeo publica, ut non Davidi modo Regi sed posteris etiam ejus pœnam statuerit divina illa Nemesis, quod libro Regum 2. clarissime est traditum. Errant igitur, qui locis illis Scripturæ historicis, cum æquo & honesto in speciem pugnantibus, ad litteræ corticem malunt adquiescere, quam sensus sub velamine & typo latentes cura paulò ampliore prevestigare, quod ipsum est à D. Hieronymo præfatione in Oseam doctissime explicatum. Cæterum ut adulteria sinamus, plurimum loci fecere matrimoniorum licentiæ recentiora judicia, in quibus verba illa: *Vis me maritum habere*, pure propter Deum? *Volo*, vel *Etiam*: aut contra: *Vis me conjugem tuam*, pure propter Deum? *Volo*, vel *Etiam*, adeo efficacia ac velut de Scripturæ sinu excerpta faciunt, ut qualicunque inconsiderantia prolata matrimonium, voluntatibus utcunque dissilientibus, efficiant: nec referat quid, quo loco & tempore, quibus de caussis, quorum consilio & artibus, aut quàm sobrie & circumspecte, & in totum quàm candide & legitime condictum consensumque aut in tanto tempore duraturum nexum corporum animorumque deliberatum & pactum fuerit. Sufficit illis tribunalibus, si constiterit per verba de præsenti (ut vocant) contractum: cum verbis adeo veteres non tribuerint, quin nullo loco sint dignati verba futiliter captantia, nisi sobriam illis circumspicientem voluntatem accessisse constitisset. Mire enim auxere negotium humanæ sanctiones, quas Scholastici Doctores perinde atque divinas complexi sunt, si illos Pontificum authoritas ratas habuisset. Velut illæ, quæ votum præferunt ardori contrahendi utcunque vehementi & intemperanti: nec sinunt restingui concupiscentiæ incendium, ubi votum semel esset factum. Supra modum autem omnia conturbarunt & elevarunt dispensationes ad quæstū accommodatæ, quæ multis sæculis adeo largæ fuerunt, ut vel divino juri illis detractum fuerit: tantaque est, in re matrimoniali tam gravi & seria, levitate à nonnullis tribunalibus Cathedrarum actum, ut necesse habeamus fateri veteres legum interpretes longe vigilantius ac diligentius de stipulationibus & pollicitationibus suis civilibus statuisse & cavisse, quam nostri recentiores de matrimonij jure tam sacro & honorabili canonice unquam statuerint. Viderint autem judices illi tam arguti & supini, qui res longe maximas avaritiæ studio venales faciunt, quid de conjugiis pronuncient, illis maxime, quæ hodie magna parte tum æquitate naturali tum divino jure reclamante contrahuntur. Extra controversiam est, vehementer ab illis peccari, qui verbis hoc tribuunt humano jure conceptis, quod voluntati & consensui rite contrahenti erat tribuendum. Matrimonia enim temere contracta nullis unquam legibus rata fuerunt.

Sed ne te illis amplius oneremus, quæ sæpe tamen & multis cum Ecclesiæ nostræ ministris contulimus, ad matrimonia servorum & errorem illum conditionis Iurisconsultis & Scholasticis memorabilem redeundum est. De quo quidem quid sentiam obiter & paucis indicare libuit. Neque id, Doctissime Zvvickij, à me caussa alia est factum, quàm ut abs te, qui & ipsam juris peritiam multis annis tibi comparasti, certior fieri, & quid hac in materia sequendum putes, intelligere possem. Amicis enim & liberis etiam admonitionibus in hujus generis caussis & controversiis nihil mihi jucundius, nihil gratius est. Longe autem optatissima institutio ista, quam eruditi viri quærenti mihi & hæsitanti litteris suis sæpiuscule tanto cum fructu largiuntur, ut cum coram semel iterumque & pauculis quidem horis (ut omnes sumus occupati) audire illa & discere, quæ cupivissem, liceret, horum ex litteris toties audiam & discam, quoties libet, & re ipsa mutis è magistris quàm vivis & coram disserentibus magis proficiam. Quo genere doctrinæ equidem nescio an ullum aliud hominibus aliàs occupatis & distractis, commodum magis & utile esse queat. Mihi certe multis annis non fuit alia ratio ad discendum expeditior. Rescribes igitur, Zuicki, bene longas litteras, nec mihi soli hanc operam navabis, sed nostræ etiam Ecclesiæ ministris, optimis illis & tui amantissimis viris, quibus & ipsis κοινωνίαν illam donorum spiritualium debes, quia & juvari undiquaque & bene agere, imprimis autem proximi caussas dijudicare in Domino semper, & jure & æquo agere in Christi gloriam possint. Vale. Sangalli Calendis Martiis, Anno Domini MDXLI.

IOANNIS ZVICKII CONSTANTIENSIS RESPONSIO

AD IOACHIMVM VADIANVM V. CL. & R. P. SANgallensis Consulem prudentissimum.

S. Habes hic vivas epistolas, easque eruditissimas, Consulem scilicet nostrum Thomam Blaurerum Consobrinum meum, & Ioachimum Vrbis nostræ Syndicum, viros doctos & integros. Igitur obtestor te nunc, Vadiane pientissime, ut de quæstione matrimoniali liberè cum illis conferas. Levabor ego hac via labore immenso: & multo doctius respondebunt illi tibi quàm ego ullis litteris præstare queam. Exercentur illi quotidie in istiusmodi quæstionibus, ne dicam quàm sint Legum civilium cognitione prudentissimi. Potes certè cum illis ad satietatem commentari, mihique misero veniam dare, si hanc tecum collationem detrectem. Ego jam XVIII. annis vale dixi professioni juris, ut jam ferè nesciam, ejusne professionis fuerim. Nisi autem cum his duobus conferre nolis, erunt illi tibi pro codice, facientque tibi modis omnibus satis. Rogo autem ne illos negligas. Credo enim Deum me hac ratione multa anxietate levare velle. Deinde & quid agatur Ratisponæ, exponent tibi omnia non gravatim. Orationem Melanthonis mutato nomine editam hic mitto, sed remittendam, quanquam non cum Consule. Legat eam quoque Dominus Zilius cum Furtmullero, charissimis fratribus. Epistolam quoque tuam remitto hic, quo liberius ex illa cum optimis viris conferre queas. Quod si omnino me supra vires gravare vis, videbo ut dicam meam sententiam. Nihil autem defuturum est tibi, sat scio, postquam cum illis vel summatim contuleris. Vale, ornatissime Vir. 18. Aprilis, 1541.

EIVSDEM ALTERA AD EVNDEM.

S. Idem mihi plus semel accidit, quod & tibi, Ornatissime Vadiane, ut cunctantius plerumque agam quàm velim, & scio, quo rapiant negotia homines negotiis implicatissimos. Litteræ tuæ ad Gasparem Suenckfeldium dudum perlatæ sunt. Ad eas quicquid responderit, curabo ut ad te quoque sine cunctatione perferantur. Sed quid audio? Thomam scilicet nondum respondisse tibi de quæstione servilium conjugiorum? Cum putaverim ego jam dudum tibi satisfactum ab homine illo, qui me mille modis eruditione, facilitate, & acrimonia ingenij superat. Sed ita nunc urgebo cunctatorem illum insignem, ne mihi sponsori noxa præsto sit. Vale, Constantiæ, 8. Februarij. 1542.

Frater Chuonradus cum ipso Thoma jusserunt tibi quàm plurimam salutem adscribere.

LEO.

LEONIS JUDÆ DE DIVORTIO

EPISTOLA I.

AD NOBILES ET CLARISS. VIROS IOACHIMUM, VADIANUM, ET DOMINICUM ZYLIUM, SENATORES R. P. SANCTGALLENSIS.

Gratiam & vitæ innocentiam per Christum.



OGATUS à Benedicto qui vobis nostras litteras perfert, Viri prudentissimi, ut eum causamque ejus, vobis commendarem, libenter sum obsequutus, non solum ob amici preces, sed ob causæ etiam ipsius æquitatem. Quum enim hujus fœminæ maritus sine hujus culpa talia scœlera patraverit, ut & inter cives Christianos vivere tuto amplius haud liceat, non videtur hæc cogenda esse, ut marito infami hæreat, qui vitam publicis legibus debet, nisi quis uxorem scœleris maritalis consciam esse, & ex furto ejus vitam sustinere justum censeat: quum tamen sacræ litteræ, ut à Babylone exeamus, malorum consortia devitemus, tam diligenter admonent. Mali (inquiet aliquis) consortium omnino vitare debet, nec se participem facere alieni peccati: at vinculum conjungale ut dirimat, alterique nubat, hoc demum non permittitur. Scio receptissimum esse multis, ubi semel coiit matrimonium, nullo pacto dirimi posse, nisi alterius morte. Quam tamen sententiam frivolam esse, Dominus ipse ostendit haud obscuris verbis, quum ob stuprum permittat, ut quis à se amandet uxorem. Si vero quis litteram hic urgeat, ut hanc solam causam divortij esse putet, is mihi cum ipsa ratione & natura pugnare videtur, aut ignorare potius sacrarum litterarum in ferendis legibus consuetudinem. Speciem enim unam aliquam cum ex multis ponunt, & quasi limitem definiunt, non excludunt cæteras, sed sub una omnes ejusdem generis includunt. Hujus rei ex cap. 19. Deuteron. petere possumus, quum ἀκουσίου φόνου hanc unicam cædendorum lignorum gratia proficiscitur, & securis è capulo aut manubrio elapsa proximum occiderit, huic scilicet asylum patere debere. Quis verò tam stupidus aut contentiosus est, qui præter hoc imprudens homicidium nullum admittat, & non potius dicat hac specie omnes tales intelligi, ut si quis tectum sarturus tegulam aut laterem imbricem inserere velit, & huic vel contra animum è manu excidat, & prætereuntem occidat, an non & ille homicidium involuntarium commisisse, & sanguinis effusi innoxius judicari debet? Sed mille hujusmodi species commemorare possem, quibus quis proximum occidere posset, qui tamen legem non incideret. Similir jam ratio colligenda mihi videtur, quum Christus stuprum limitem divortij ponit, sub hac scilicet specie quidquid vel æquat stuprum vel superet etiam intelligendum esse. Nam pugnat illic Christus cum Pharisæorum impudentia, qui ex levi qualibet caussa uxores abijcere sibi licere arbitrabantur. Hoc denique in omnibus Legibus, quæ pharmacorum vice sunt, considerandum est, ut ad morborum habitum & rationem adcommodentur.

An uxor à scelerosso marito separari, & alteri possit jungi.

In unaquaque re primum consideremus, an sic fieri conveniat aut expediat: & si expedit, an liceat. Porro hoc in primis est Christianæ & Apostolicæ pietatis, omnium saluti, quoad licet, consulere, & infirmis Ecclesiæ membris sua cura succurrere. Videmus autem, pro dolor! tot hominum millia infelici conjugio sibi coherere, idque cum utriusque exitio, qui fortasse disiuncti aut separati servari possent. Ibi nobis verbum Pauli probe considerandum est, quum dicit: *In pace vocavit nos Deus*, de matrimonio loquens dispari: Expendenda æquitas legum Christi, quæ neque cum lege naturali neque cum humanis legibus ex ea desumptis pugnant. Quapropter virginitatem aut cælibatum non exigit à quoquam Christus, ne videatur cum natura ipsa pugnare. An igitur æquum videtur, ut uxor cum marito flagitiis operto, quibus neque caussam dedit, neque mederi potest, cogatur vivere, cum quo vivere non sit vivere? aut si divertat, compellatur orba ac destituta vivere? Si marito, qui divortio caussam dedit, adimeretur jus iterandi conjugij, non mage-

1. Cor. 7. v. 15.

gnopere contenderem: cur vero hæc plecti debet, quæ nihil est commerita, nisi quod parum feliciter nupsit? aut cur alienam ipsa culpam præstabit innocens? Quis vero unquam audivit fortunam puniri, si absit culpa, lege præsertim divina? Quid vero hoc aliud est, quàm adflictæ addere adflictionem, cui subventum oportuit? Expendatur quid sit per omnem vitam cruciari &c, ut Paulus ait, *uri*, idque nulla sua culpa, tantisque obiici periculis, fœminam (inquam) juvenem, quæ eo sit corporis habitu inque ipso ætatis flore, ut castitas non sit exigenda. Quod si res palàm pugnat cum æquitate naturali, videndum est an secus interpretanda sint, quæ super his in Evangelicis & Apostolicis litteris tradita sunt. Liceat hic, quod in aliis sacræ scripturæ locis facere non veremur. Excutiamus, quando, quibus, qua occasione denique quodque sit dictum, procul dubio veram germanamque sententiam deprehendemus. Cogitemus Christum salutis esse authorem, & quod neque humanæ leges valere debeant, nisi quatenus ad salutem hominum conducunt. Christus non gravatur ob unam lustratis omnibus obambulare, ut eam humeris suis reducat & servet. Ne ergo nos gravemur experiri, si quo pacto miseræ huic calamitosæ & adflictæ succurri possit. Nec est quod quisquam hic obiiciat: *Quod Deus conjunxit, homo ne separet.* Nam hoc demum dicimus Deum conjunxisse, quod rite conjungitur (neque enim omnis omnium conjunctio ex Deo esse dici potest:) hoc vero Deum dirimere, quod rectè, quod justè dirimitur. Alioqui quomodo probabimus Magistratuum rectè gesta ex Deo esse? At ministri Dei sunt, & ob id *Elohim* ore divino vocati. Ergo ubi cognitis & expensis caussis Episcopi aut alij legitimi Iudices dirimunt male sartum aut male cohærens matrimonium, non hoc jam separat homo, sed Deus. Quod si quis hoc urget, divortium huic quidem concedi, tamen hac lege ut innupta maneat: huic in superioribus satis responsum esse puto. Neque arbitror Christum de hoc divortio quidquam dixisse, neque mihi tutum videtur in his sequi Pontificias leges sive canones. Hoc enim agendo nihil aliud agimus, quàm ut innocens orbitatis molestiam & libidinis incendium per omnem vitam ferre cogatur. Sed improbi (inquiet aliquis) male suspicabuntur, imo factum hoc calumniabuntur. Æquum ne censemus, ut ob aliquot improbos & male suspicaces tanta calamitate prematur mulier innocens? Quæ igitur jure virum suum dimittit, vetetur uti jure suo sibique alio matrimonio mederi? Saltem hoc detur innocentiæ, quod apud Iudæos datum est perversæ maritorum acerbitati.

EPISTOLA II.

AD V. NOB. ET CLARIS. D. IOACHIMVM VADIANVM R.P. SANTGALLENSIS SENATOREM PRVDENTISSIMUM.

Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum.



STATUERAM semel atque iterum, Præstantissime Vir, de ea re ad te scribere, quam tu à me postulaveras, & ego pollicitus eram. Verum hucusque distuli, partim me occupationibus alio distrahentibus, partim quod super hac re quid Senatus noster statueret atque decerneret expectarim, ut te simul utriusque redderem certiorem. Quandoquidem autem ea, quæ in deliberatione à nobis volutata, senatusconsulto nondum sunt firmata (tum quod cunctatores quidam sunt omnibus in rebus, tum quod maximæ quædam quotidie incidunt caussæ, quibus hæ cedere coguntur) scribam tibi, quæ de DIVORTIO LEPROSORUM non nobis videntur sed Spiritu scripturæ & fidei analogiæ conformia, quod cuncti qui contentiosi non sunt, facile deprehendent. Venit aliquando in quæstionem, quum juxta leges nostras sanos à leprosis per divortium separaremus, qui fieret ut præter seu (ut quidam ajebant) contra Christi expressam sententiam super hac re matrimonia dissiparemus? Etenim Christus (sic loquuntur qui litteram urgent) solam fornicationem, caussam permisit repudij. Coacti igitur fuimus horum vel ignorantiam vel contentionem collatio-

latione scripturarum & fidei regula compescere. Quæ igitur à doctissimo & puri judicij homine, Huldrico Zuinglio, super hac re diserta & disputata sunt, quantum adhuc teneo, & quantum ruditate stili assequi possum, hisce litteris tibi significabo.

Qui dicunt, CHRISTUM solam fornicationem excepisse, ignorant Hebræorum morem, qui ferè summam rei brevibus quibusdam verbis proponunt ac leviter attingunt. Hujus rei exempla innumera sunt: pauca depromemus. Quum Matthæus Johannis prædicationem dicit hanc fuisse: *O viperarum progenies, quis vobis præmonstravit ut fugeretis*, &c. Quis non videt Matthæum quasi per Epitomen summam tantum prædicationis Johannis attigisse? Sed postquam nihil eos movit divina Præcursoris admonitio, nimirum tam vehementibus & minacibus verbis in eos detonat. Vehementiam ergo ac constantiam inflexibilem Prophetæ ac Evangelistæ Matthæus indicare volens, satis putat si summam prædicationis ostendat, ex quibus cætera facile colligi possint. Ad hunc modum Christus quum in eam quæstionem incidisset, *num ob quamvis levem caussam uxorem repudiare liceret?* respondit, ob fornicationem repudium fieri posse: cæterum qui ex alia caussa uxorem repudiaret & alteram duceret, adulterum esse. Hanc ergo litteram si quis pertinaciter urgere velit, ob nullam caussam licere viro repudiare uxorem, nihil aliud faceret quàm is qui Johannem aut Christum nihil docuisse, quàm quod litteris proditum est ab Evangelistis, contenderit. Sed absit contentio, absit adfectus carnis, ut non solum litteram sed & Spiritum audiamus. Christus sciens duritiam & perfidiam Judæorum, qui ob quamvis levem caussam matrimonia dirimere ausi essent, nimirum in hoc gentes sequuti, (nam legimus in historiis hunc morem Romanis fuisse, ut ob quamlibet levem caussam aut maculam uxorem ejicerent) voluit eorum audaciam compescere, ad quæstionem nimirum eorum aptè respondens, non licere ob quamvis caussam dimittere uxorem, sed duntaxat ob graves & intollerabiles, ex quibus exempli vice unam duntaxat adducit, nempe adulterium aut stuprum, non quod hanc solam intelligere velit, cæteras omnes excludere, sed ex infinitis aut multis unam suffecisse putans, alias aut pares aut graviores judicio eorum relinquens. Nam quis omnes caussas disertè in tam incertis casibus exprimeret? Simile quiddam habemus Deuteron. 19. ubi Moses differentiam inter homicidium voluntarium & involuntarium ostendere volens, sic dicit. *Qui percusserit summne sciës, & qui antea nullū odium contra eum habuisse cōprobatur, sed abysse cū eo simpliciter in silvā ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis elabatur è manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit & occiderit, hic ad unam*, &c. Hactenus verba legis. Videt ut Moses involuntarium homicidium aut casuale, quod vocant, definiat: Si quis in silvam cædendorum lignorum gratia cum amico perrexerit, & ferrum elapsum eum tetigerit, præter illius voluntatem qui ferrum manu tenebat. Si quis jam contentiosus ex verbis legis hujus evincere conabitur, nihil esse involuntarium homicidium quàm id, de quo hic fit mentio, quis hunc non insanire & cum ipsa ratione pugnare clamabit? An non est involuntarium, si quis avem lapillo deiicere volens, inscius amicum interfecerit? Annon est involuntarium, si quis ligna super tectum adaptans cadere sinit & prætereuntem occidit? Sed hic non in silvam ivit, non ferro percussit, de quo in lege fit mentio. Facessant igitur hujusmodi contentiones, & agnoscamus Mosen hic ex innumeris unum exempli vice posuisse, ex quo cætera quisque per se colligere posset. Hoc & CHRISTUS ipse fecit Matthæi 19. ostendens matrimonia non posse dirimi, nisi ob fornicationem, aut certè graviores caussas, ob leves omnino non permittens. Quis autem sanæ mentis non dicit veneficium gravius esse adulterio? Iam quis non mallet cohabitare mulieri adulteræ quàm veneficæ? *An igitur æquum videtur* (hæc sunt verba doctissimi Erasmi in capit. septimo ad Corinth. ne tantum virum sua laude fraudemus) *ut maritus cum uxore flagitiis operta, quibus neque caussam dedit nec mederi possit, cogatur vivere, cum qua vivere non sit vivere: aut si divertat, compellatur omnem ætatem orbus, destitutus, ac velut eviratus degere? Sit æquum ei, qui divortio caussam dedit, adimi jus matrimonij iterandi: cur is plectitur, qui nihil omnino est commeritus, nisi quod parum fœliciter duxit uxorem? At quis unquam audivit fortunam puniri, si absit culpa, præsertim lege divina? Quid est hoc aliud quàm adflicto addere adflictionem, cui subventum oportuit? Nam quod spuriis aut nothis ad quosdam honores & commoda interclusus est aditus, primum humanis legibus interclusus est, non Evangelicis; deinde sic visum est ulcisci parentum intemperantiam: postremo non sic interclusus est, quin sua virtute possit fortunam sarcire. Quanquam non omnino simile est non admitti ad dignitates, & per omnem vitam cruciari & nulla sua culpa tantis obijci periculis. Si facit adulteram, qui sine legitima caussa repudiat uxorem, & non facit adulteram qui vetat in re matrimoniū, cum eo sit habitu corporis, ut castitas non sit exigenda? Quod si res palā pugnat cum æquitate naturali, videndum est, an secus interpretāda sint, quæ super hac releguntur in Evāgelicis*

Ca. 3. v. 7.
Matth. 19.

gelicis & Apostolicis litteris. Liceat enim hic, quod in aliis scripturæ locis facere non veremur. Excutiamus quando, quibus, qua occasione dictum sit, & fortassis veram germanamque sententiam deprehendemus. Christus non gravatur ob unam oviculam lustratis omnibus ambulare quã humeris reducat, & nos gravabimur experiri, si quæ tam multis pereuntibus succurri possit, præsertim quum Christus salutis sit author, & humanæ leges non aliter valere debeant, nisi quatenus ad salutem conducunt hominum. Scio receptissimum esse inter Christianos, ubi semel coiit matrimonium, nullo pacto posse dirimi, nisi morte alterius. Atque hanc sententiam veterum Episcoporum constitutionibus & Decretalium legum autoritate esse confirmatam. Cæterum si semper hoc bonis viris cordi fuit, opinionem in melius commutare, & leges, ceu pharmaca convenit, ad morborum habitum ac rationem accommodare, consideremus an hic expediat idem fieri: & si expedit, an liceat ut matrimonia quædam dirimantur, non temere sed gravibus de caussis, neque per quoslibet, sed per Ecclesiæ præfectos aut judices legitimos: & ita dirimantur, ut liberum sit utrique cui velit jungi, aut alteri certè qui divortio non dederit caussam. Primum enim hoc est Apostolicæ pietatis, omnium saluti quoad licet consulere, & infirmis etiam Ecclesiæ membris sua cura succurrere. Videmus autem tot milia hominum infœlici conjugio sibi cohærere cum exitio utriusque, qui fortasse disiuncti servari possent. Hactenus Erasmi viri illius incomparabilis sententiam ac disputationem, ut vocant, recensuimus, in qua mihi videtur non solum æquitatem sed & divini Spiritus mentem considerasse, & quasi in tabula depinxisse. Nec mihi visa sunt hæc à nostro proposito aliena (tametsi leprosorum non meminit) quum non solum caussas indicat, quibus matrimonia convelli possint, sed etiam cur utrique aut saltem alteri liceat redire ad matrimonium. Volui ergo tibi, Vir doctissime, & hæc exscribere, ut videres & Erasmum nobiscum sentire. Multa tamen omisimus, quæ illic habet & docta & fortia. Nostris ergo legibus ob graves quasdam caussas non temerè nec impiè (ut puto) matrimonia dirimimus contracta, ei parti quæ caussam nullam dedit jus facientes ad conjugium redeundi. *Melius enim est nubere quàm uri*: & advitandam fornicationem quisque suam habeat, quæque suum. Imo non solum innocenti hoc permittimus, sed & nocenti, sed tum quum videmus pœnitentiam & prioris vitæ immutationem. Durum enim & iniquum videtur esse, ut ad castitatem cogatur qui castitatem servare non sit aptus. Sed jam illis respondebimus, qui dicunt nos ex veteri Testamento adduxisse, quo nostra confirmaremus. Primùm discant hi, multa esse quæ litteris Evangelicis non sunt prodita, quorum interpretationem ac discussionem, si in controversiam inciderint, ex veteribus scripturis petendam inficiari non possunt. Nam ubi cavetur, ne quis cum uxore patris aut filia filiæ rem non habeat? Quomodo autem Paulus potuit excommunicare fornicariam 1. Corinth 5. si veterem legem rejecisset? Evangelistæ & Apostoli non scripserunt annales, sed per compendium ea tantum annotarunt, quæ ad cognitionem Christi, ad vitæ innocentiam eis facere videbantur. Cæterum cuique genti suis legibus vivere permiserunt: quomodo matrimonium contrahatur, quomodo contractum dirimatur, non scripserunt. Nihil ergo ab Evangelistis requirat plus quàm Christi vitam & mortem, deinde exemplar vitæ quam prætulit. Nam quis petat ab Evangelistis, qua pœna plectendi sint fures? Docuerunt non esse furandum: quibus pœnis digni sint, judices sciunt. Hæc forte verbosius & obscurius quàm par erat, vir doctissime, scripsimus. Tuum erit omnia candidè interpretari. Nam non fuit otium ista relegendi. Quare & characteri & stilo parce. Hæc & infœlicitas mihi peculiaris est, ut non possim multa paucis amplecti. Mitto tibi deinde hisce inclusis annotationes doctissimi viri, Martini Buceri, quas in Evangelium Matthei conscripsit, in quibus & doctè & copiosè de Leprosorum divortio disserit. Tu lege, & mihi, dum integrum erit, remitte: Nam exscribendi tempus omnino non habui. Tu vale, optime vir, & me ad omnia ut tuo utere. Iterùm vale cum omnibus piis. Ex Tiguro, 6. Ianuarij, 1539.

1. Cor. 7.

Cap. 19. pag. 149. edit. Parisiensis Rob. Stephani.

CL. V.
IOANNIS KES-
LERI SANCT-
GALLENSIS
BIBLIOTHECA





DOMINO IOACHIMO VADIANO, DOCTISSIMO PRVDENTISSIMOQVE CONSVLI, IOANNES KESLER S.D.P.



HANC ad te mitto prosopopœiam, in qua cognosces animum plus litterarum, plus eruditionis candidatum, quàm vel literatum aut eruditum, & in primis inscitiam meam prodentem. Putas autem me hominem sellularium dicendi genere ad summum oratorem sapientissimumque Consulem scripsisse? ni mihi constaret juxta humanitatem honestos, etiam imperitissimorum conatus optime consulere. Ne velim ergo tibi persuadeas, me adeò φιλαυτὸν esse, quasi hac oratiuncula, qua ne ipse mihi placeo, prudentissimum doctissimumque Consulem aut docere vellem (Quid aliud agerem, quam quod agunt Noctuas Athenas, & suem docere Minervam?) Sed quod adulterinis artificiis mancipatus, juvat aliquando relictis Musis pristini amoris memor furtim oscula præbere, ipsis etiam invitis ac repugnantibus. Ferre enim nequeunt sutrinæ illam maleolentiam, quæ si etiam Bibliothecæ apud me jã tẽpusculũ pernoctanti adhæserit, ne interdicendũ fastidiũ paritura fragrantibus humanitatis tuæ violis acutissimis naribus tuis consule. Si ergo exerceri juvat, placuit eo argumento joco ludere, cujus me serio non pœniteret. Rem igitur S. C. multis gratiarum actionibus dignam feceris, si tibi ob publicas occupationes licuerit, ut inscitia mea castigatrices & subductitias tuas virgulas intellexerit. Vereor autem, ne hoc conando ita omnia evanescant, ut præter inutiles chartas nihil remaneat. Vale, & tui observantissimum Ioannem commendatum habeas.



BIBLIOTHECA SANGALLENSIS

IOACHIMVM VADIANVM PRVDENTISSIMVM Consulem alloquitur.



QVAMPRIMUM celeberrimam Vrbem vestram Monastica illa potestate & ejusdem ædificiis, quæ hactenus non sine maximo Reipub. vestræ incommodo intra mœnia tyrannidem exercuit, locupletasse se (utinam DEO OPT. MAX. summa & liberrima tranquillitate frui liceat) dictante fama certior facta haud mediocriter gavisa sum mihi, quæ longo jam tempore, etiamnum juvenibus viris, vidua omni consolatione destituta, situ & squalore involuta contabui, & tales contigisse Patres conscriptos, quorum officiosa pietas omnium auribus sit vulgatissima. Præsertim ubi te inter sapientissimos municipij hujus proceres primas habere noverim, Ioachime Vadiane, sapientia & eruditione vir ornatissime, quæ tuam erga me benevolentiam haud semel verbis & facto testatam sensi. Posteaquam enim præterito anno Monastica illa potestas Magistratui Sangallensi deponebatur, tu ad penetralia mea claves tuis scriniis demandari volueras, ne à minus prudentibus & *à bellua multorum capitum* vis mihi inferri potuisset. Quocirca juxta meam verecundiam apud hunc dicere ausum est, ubi non persuasionibus sed admonitione solum opus habeat, cui divinitus insita sententiæ meæ propagandæ copiosissima voluntas atque potestas. Nam si hanc dicendi provinciam apud reliquos, & quarum erga me sententia nondum satis perspecta subiissem, quod non ingenium, quam non eloquentiam, & in summa omnem quamcunque de liberis merita sum ἐνέγκαν, tanquam laborum meorum frugem, desiderarem? quo efficacius animi mei petitionem illorum animis insinuare potuissem. Quanquam à nemine minus quàm à sapientissimo Senatu, spem omnem abjecerim, quin si facultatem & universas meas dotes locupletissimosq; fructus, non quos mihi sed ipsis, & nec ipsis solùm sed universæ Reipub. reddititura, quemadmodum tu, cognorint, non dubito quin maximi erga me excitarentur amores, & in meam sententiam pedibus manibusque accessuri. Quam quidem enarraturæ mihi velim, prudentissime Consul, ea vel humanitate vel μακροθυμία in re neutiquam contemnenda aures præbere, quibus nonnunquam etiam de lana caprina litigantem, (cujus me non parum tædet) abuti solent.

Horat. Epist. 1.

Ego quæ jam longo tempore hujus Cœnobij uxorcula quàm potui honestissima fui, priscis Patribus, quibus pietatis exercitatio cordi erat, & plurimum adamata nec non variis pretiosissimisque ornamentis exculta, ita ut nec cum Regum matronis erubuissem in venustatis palæstram conscendere. Fuerunt præterea in propaganda sacrosancta religione & in omni doctrinarum ac disciplinarum genere studiosissimi, ut etiam celeberrima quorundam opera, ultra limites diffusa longe lateque terrarum, & hodie admirentur. O me tunc felicem, & dulcissima oscula, suavissimos amplexus sæpius repetitos sentientem! Mala sors autem, quæ plerunque felicioribus auspiciis invidet, haud diu jucundissimi nostri connubij castimoniam perpessa, quin fœdissimis adulteriis conspurcare ausa fuerit. Nam illis interdum nictantibus infernales illæ pellices, præsertim Babylonicum illud scortum, fallax Hypocrysis, Archia superba, inexplebilis Pleonexia, illa cæca & pallida Chrysis, ita ambiere viros, quemadmodum Locades illæ Sodomitæ: nec venenosissimos cessarunt haustus propinare, donec vino madidi & somnolenti turpissimum perpetrarunt adulterium. Quocirca honestissimam uxorculam domi domestica curantem ita

ita eliminarunt animo, tanquam de Letheo amne fœcundissimos calices exsiccaverunt. Præterea discurrebant, dormitum redierunt, quàm parca mecum verba contulerunt, ubi antea totas epulas, insomnes dulcissimè fabulando consumpsimus, parvi interea referentes quàm omnia domi sint confusissima. Et ne illis muliercularum instar lamentatricum ficta suspicione videar, qui domicilium nostrum ingrediuntur, vident quàm omnia sint incomposita & tanquam confusissimum chaos commixta. Hæc pascunt tineæ, illa situ & pulvere contabescunt. Ah quàm vili habitu me hactenus exornaverunt, & si non aliquid vestium antiquitus retinuissem, vix verecunda jam celare possem. Quot gemitus, quot suspiria, Doctissime Consul, è tristi pectore duxi: quàm uberrimis lachrymis maduerunt genæ hisce nostris temporibus, quibus adeo formosissima artificiosissimè elaborata ornamenta adeoque vili preciolo comparari possunt: ego autem despecta & neglecta tot inexhaustos sumptus pellicibus illis impendi videre cogebar. Quanquam non eo inficias, aliqua mihi pergrandia, & (ut ipsi putarunt) pretiosa ornamenta nuper attulisse, quæ tamen plus ignominiæ quàm honoris loco habui. Pellicum enim munera esse intelligebam, & abesse quàm adesse mallem: quod equidem omnes zelo laborantes facillimè credunt: conjecturam facere potuisset, illos adulterinos amatores agere? Ego vero non coniicio nec opinor, sed non sine magno dolore scio, quamobrem sub tanto maritorum fastidio diuturnioris vitæ tædebat. Deus autem OPT. MAX. malorum vindex haud mei immemor incestos illos tanquam honesta uxorcula indignos eliminavit ædibus, propulsavit patria. Et quemadmodum in Scripturis minatur, *Domos eorum fecit desertas, & pontificatum tradidit alteri.* Quocirca ego vidua relicta vereor ne, Patres conscripti, ut jura vestra municipalia dictant, facinorosos viros me sequi jubeant, cum nullo alio quàm vestro patrocinio subesse vellem & civium vestrorum albo inscribi ea ratione qua aliquando in civium numerum recipere consueverunt, de quibus magnum sibi Reipub. honorem & utilitatis spem pollicentur. Ego autem hanc causam meam eo maturius admonere volui. Nam quemadmodum vulgo experimur, ædificia, domus, arces, & id genus alia venditione aut aliqua alia tralatione facta, sæpius cum dominis ipsis permutari solent, & in alias formas verti. Quas equidem permutationes in hac tam inordinata ædificiorum dispositione evenire facile suspicari possum. Præsertim autem mihi venit in mentem, cum audio plurima adæquari solo, ut etiam fragore & ruina lapidum ambæ mihi aures tinniant, ne ita omnia deturbando & destruendo mei immemor nullus mihi relinquatur locus. Vt etiam aliquando hoc eruar ergastulo, scabie tinearumque morsu, pristinos vigores, nitorem & formam recipiam, non mirum me fastiduam, &, ut probas honestasque decet, plurima conniventem patientemque deformem & sordidam esse. Ne ergo patres conscriptos mei pudeat, & nescio quam ferè hominum oram proscribant, non ab ingenuis aut antiquitate clarissimis solum, sed superis, Iove videlicet & Phronesi, nata parentibus innumeras habeo sorores, quæ quamprimum nubiles annis sapientissimorum prudentissimorumque Regum & Principum matronæ factæ sunt: horum videlicet qui optimè de pietate meriti, utilia & quæcunque alia bona vitæ instituta, insignes disciplinas, artesque egregias ab eis aut aliis inventas ita tradi memoriæ ut quàm longè lateque pateant perseverentque, studiosissime curaverunt. Quorum ope antiquissimos ingeniorum labores tanquam vestros non sine merita ipsorum laude immortales usurpant. Nam n. perdifficile esset ob memoriæ vestræ futilitatem atque penuriam inventa reservare DEUS OPT. MAX. literarum beneficia mortalibus attulit, quarum ope etiam longissimæ posteritati illæsa transmitti possunt, ubi ea fidelissimis uxorculis demandaverint mariti Principes reservanda. Et quàm pientissimi ab origine mundi veteres in hoc negotio studiosissimi fuerint, plurimæ historiæ, fidelissimæ temporum testes, produnt. Nam ubi fere primævæ Adami soboles ingenuas & memoria dignissimas artes excogitaverunt, ne in ipso partu interirent, rursus duas invenerunt candidissimæ sorori meæ columnas, tanquam firmissimas arces, lapideam unam, alteram lateritiam: in quibus scriptitaverant, quas invenerunt artes, ne vel aquæ vel ignis tyrannide oppugnatæ perirent, ut non tam hominum quam etiam artium seminarium esset. Deinde vero succrescentibus literis & non pauca à præclarioribus ingeniis edebantur volumina. Videbatur Principibus optimis, non quibus horrendæ tyrannidis libido, sed recte gubernandi ratio, compositæ pacis & tranquillæ vitæ (quantum licuit) studium animo erat, suarum partium esse, ne doctissimorum scripta in publicam utilitatem elaborata interirent ea exemplaria ubicunq; reperirentur sibi, suis nepotibusque reservanda colligere, quæ quidem congesta opulentissimis regni thesauris haud existimaverunt inferiora. Quin ferventissimo nos amore uni ditissimi Reges proci die nocteve prosequebantur. Ita, ut Plinius testatur, Alexandriæ & Pergami Reges Bibliothecas magno certamine instituere. Ptolemæus etiam Philadelphus Ægyptiorum Rex inter facinora quæ gessit præclara haud aliud magis celebratur laudisque nomen emeruit, quam quod tanto animi studio diligentiaq; (ut Eusebij verbis

Act. 1. *Psal.* 68. *Psal.* 108.

utar) *Bibliothecam ex omni genere literaturæ comparaverat.* Alexander ille Magnus, cui nec unus sufficiebat orbis, quanti egregia hominum ingenia fecerit, vel ex hoc apparet evidentissime. Vbi inter spolia Darij Persarum Regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque & margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis monstrantibus, quando tædebat unguenti bellatorem & militia sordidum: *Imo hercle*, inquit *librorum Homeri custodiæ detur*, ut pretiosissimum humani animi opus quàm maxime divite opere observaretur. Divus ille Augustus Cæsar animi sui studium, quo doctissimorum monimenta immortalia redderet, in hoc suo facto prodidit, quod Vergilij carmina cremari contra testamenti ejus verecundiam vetuit. Quantum laudis Asinius Pollio ex sua prima Romæ aut in orbe ferè Bibliothecæ institutione reportavit, cum ingenia hominum rem publicam fecerit. Quæ Principum humanitas erga literarum studium præclarissimorum operum scriptoribus ansam dedit monumenta sua dedicandi Principibus. Sed quid recenseo, tanquam à prophanis solum adamatæ Regibus, quas nec pientissimi abhorruerunt? Imo DEUS OPT. MAX. sanctissimam legem suam tabulis suo digito scriptitatam arcæ, qua sanctius, antiquius, familiarius, aut diuturnius nihil, tanquam in tutissimum asylum inferendam præcepit, ne errandi mortales hac aliquando privarentur, sed quid faciendum omittendumque fuerit, quo minus à vero suo cultu dilaberentur, nullis non temporibus haberent instructum exemplar. Præterea nec illam solum, sed quò perpetuo intuitu admonerentur, perizomata positis limina verbi sui volebat esse repositoria, Gestorum Machabæorum scriptor prodidit, qualiter Hieremias *construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros & Prophetarum & David & Epistolas Regum de donariis.* Similiter autem & Iudas ea quæ didicerat per Belum, quod ipsis acciderat, congregavit omnia, & fuerunt apud illos. Quocirca si me audierint Patres conscripti, non celeberrimorum Principum solum nec pientissimorum, sed Dei summi Imperatoris imitatores erunt, nec solum imitatores sed tanquam verbi sui lege coacti executores. O quàm obviis manib. amplexanda Dei beneficia. Nam si Ethnicorum Principes à vera Christiana religione alieni, tanta diligentia librorum custodias condiderunt, in quibus præter morum & disciplinarum præceptiones, frigidam de pietate opinionem, nihil continetur: quis ergo animi fervor teneat, quorum corda Christi omnipotens Spiritus vera divini cultus cognitione succendit? Quàm decet haud desides esse, quorum membra vegetat Spiritus, per quem universus orbis agitatur, ea nempe reservare volumina, non quæ disciplinas solùm aut opiniones, quæ humani ingenij opificia sunt (quanquam & illas non abesse patiar) sed tanquam qui *habemus firmiorem prophetarum sermonem: cui benefacitis* (teste Petro) *attendentes*, in quo verbum illud perpetuò duraturum delitescit: & prophanas nunquam contemnendas, non quæ propria interpretatione aut humana voluntate, sed Spiritu sancto afflati locuti sunt sancti Dei homines. Eo autem magis nostri quàm prioris sæculi magistratus decet, quo nimirum felices in ea tempora inciderunt, quibus DEUS OPT. Max. uberius verbum suum administravit mundo. Nosti enim, Sapientissime Consul, quibus hactenus errorum labyrinthis intricari fuerunt Christianæ religionis homines. *Omnes quasi oves erraverunt, unusquisque declinavit in suam viam.* Immensa vero Dei liberalitas haud longius perpessa eruit errorum nodos, collegit nos ad pastorem & servatorem animarum vestrarum, detraxit horrendæ noctis tenebrosum peplum, suavissimique Evangelij sui radios præbuit mundo. Atqui ea ratione si bona Dei voluntas verbum factum literis mandari, linguis eloqui, fidem ex auditu nasci voluit, non dubium quin veritas divina pessum eat, ubi sana scripturarum interpretatio periclitatur. Quocirca benignus pater veritatis ignem accensurus adornavit vobis viros linguarum dotibus illustres, ut hisce tanquam faculis (ut in feriis fabulose loquar) veritatem Proserpinam Plutonio furto ablatam ullibi non terrarum emissitiis oculis quæsitarent, Angeli Politiani, Ruodolphi Agricolæ temporibus. Haud parum doctissimi viri politioris literaturæ adytum demonstrarunt excolueruntque, nullis tamen lucem hanc futuram suspicantibus. Ioannes vero Capnio vestigia illa spaciosiora dedit, & ne in calle Romanarum Græcarumque literarum persisterent studiosi, perrexit longius, operæ pretium visum ejus quidem linguæ viam adeundam, in qua linguarum conditor mortalibus fari & leges suas dictari voluit, & qua nobiscum sine mala interpretis suspicione liberrimè loquitur. Cujus ergo inter Germanos semitam tanquam prodigium non sine mordacibus & venenosissimis vitilitigatorum aculeis (terrebant enim Sathanam vestigia) noverat, hujus seminarij fructus primus patefecit. Vnde primum à Capnione veritatis adhuc delitescentis funiculus erupit. Quod nemo melius novit quàm tu, Sapientissime Consul, qui eo tempore celeberrimi Viennensis Gymnasii Rector in literis, quas ad Capnionem dederas, ferventissimo animi desiderio adoptasti propria manu suæ sententiæ calculum adiicere. Interea vero Magnus ille Erasmus Roterodamus cum squalida barbarie, quæ longe lateque Romanas devastavit oras, pugnam iniit, victoria potitus multos Patres recuperavit. Deinde vere Martinus Lutherus Religionem adiit, illum adversus Errores multis laboribus vindicavit, adeoque veritatis ignem vivacibus flammis movit,

[Marginal notes: 2. Mach. 2. — 2. Pet. 1. — Angel. Politian. Rudolph. Agricola. Ioan. Capnio sive Reuchlinus. — Erasmus Roterod. — Martinus Lutherus.]

movit, ut universus orbis acceptis radiis illustretur. Item Oecolampadius tanquam fidelis in Domo Dei minister accepta lampade cursu Ecclesiæ lucem attulit. Zuinglius tanquam repagulo errores prohibuit, & adversariorum ora in expugnandis divinè argumentis obstruxit. Et reliquus doctissimorum virorum exercitus (inter quos ipse, Prudentissime Consul, tanquam Sol exoriens, testante Erasmo, coruscas) linguarum armatura scripturarum cognitione instructus, Babyloniæ Regem ita expugnaverunt, *ut* dulcissima libertate perfrui possint creduli. Dic agedum, quàm egregia in tam rarissima & inopinata veritatis & literarum luce hi, quos recensuimus, in divinis & humanis ediderunt volumina? Quam sincera & nondum adulterium perpessa divinarum scripturarum Interpretatio? Religionis vestræ locorum communium Enarrationes? quam facillimæ perceptu linguarum, artium, disciplinarum Institutiones? in quibus prioris seculi studiosi multum operæ locaverunt, *semper discentes, nunquam tamen* (teste Paulo) *ad veritatis cognitionem pervenientes.* Quocirca si Patres conscripti in tam uberrima optimorum librorum messe, qui nostrorum temporum sunt inventa, tanquam fidelissimi prudentissimique Patresfamil. sarcinas collegerint, & mihi tanquam horreo reservanda demandaverint, quas (putas) laudes & gloriam apud posteros sunt occupaturi? quas gratiarum actiones diu noctuque decantabunt nepotes, à quibus hujusmodi thesaurum omni patrimonio cunctisque divitiis præstantiorem receperint? Nam si aliorum laudes fidelissime reservo, cur non magis vestras, qui me hujusmodi ornamentis instituerítis? Est enim literarum ingenium, suos amatores & fautores cum ipsis immortales reddere. Qui ergo gratitudinem suam erga summam Dei munificentiam, (qui cum lucem habitet inaccessibilem, ita per literarum medium vobiscum conversari, colloqui, respondere non abhorruit. O insignem amicitiam admirandamque φιλανθρωπίαν.) testari pietate, gloriæ consultum ire, & evidentissimum prudentiæ exemplar ostendere contendunt, facile cognoscent quod meo negotio neutiquam deesse liceat. Nec defuturos spero, ubi intellexerint me nihil mei causa conari: sed quantum ipsi frugum inde recipiant? Dum enim immensam librorum molem sustineo, quid mihi præter molestiam parturio? sed omnia tandem ad publicam commoditatem, quamdiu incolumis fuero, reportaturam. Nã si quid ornamentorum aut venustatis posco, ne illud quidem mea lascivia, non mea libido est, sed quod honestas uxorculas decet, non se sibi sed maritis placituras exornant, ne sordidæ conjugis pudeat minusque pudicitiæ limites transiliant: quemadmodum Palæstinam Hester Persarum Reginam factitasse in sacris memoriæ proditum. Præterea meum officium non adeò brevi gyro succinctum, ut unius solum esse municipij vestri, sed eo diffusum ut universæ Reip. Christianæ prodesse studeam. Sum equidem instar silicis recondentis ignem à quo mediis tenebris attritu lucem repetimus, qua tandem plurimi mutuantur flammas: ita pietate & eruditione extincta errores & inscitia occupaverunt locum privatorum hominum, libri absumpti, lacerati, perditi, manci aut depravati ad me tandem reflorescentes docti accepturi responsa non municipij vestri solum sed etiam Transalpini confugiunt, nec nisi optimis consiliis pluribus profuturis imbuti recedunt. Ne quis verò garrulæ mulierculæ commenta esse putet, maximæ fidei testes advocabo viros rem, quod nunquam à me fieri posset planius exposituros.

Ioann. Oecolompadius. Huldric. Zuinglius.

2. Tim. 3.

Quam egregia monumenta Magnus ille Erasmus in Bibliothecis, quas hinc inde vidit, plurima reperit, quæ veterum exemplarium ope publice depravata restituit, mendosa purgavit. Quàm plurima Beatus Rhenanus, homo ad perdita restituenda natus, tanquam ab Orco in lucem revocavit, & mundo partim incognita partim desiderata non sine gaudio videnda prostituit. Ne vero sororum mearum narrando beneficia, mea reticendo prætercam, quid inter classicos auctores auctoritatis habeat Quintilianus, ne orbem quidem latet, quem equidem depravatum & mancum longo tempore usurparunt veteres. Tandem, quando sanguinolentum illud & iniquum Constantiæ Concilium habebatur, Poggio præbui Florentino genuinum & integrum, quo aliquando desiderium studiosorum satiaretur: præterea: si bene memini, Asconium Pædianum. Quanquam Poggium furti arguere juxta quorundam opinionem potuissem, nolebam tamen haud immemor mearum partium esse, non me somniculosam tanquam glires in antra sopiri sed literaturæ defectu laboranti opem ferre. Pertæsum erat celeberrimos auctores, & meis maritis oscitantibus indignos in tanto Doctorum desiderio in hisce meis Ægyptiis tenebris delitescere. Quapropter furanti connivebam. Non n. me latebat, Florentinum non sibi sed publicæ utilitatis gratia id furti commisisse, & aliquando non sine magno fœnore reddituram, imitata volucres quæ suo tempore plumas relinquunt, ut elegantiores firmioresque recipiant. Nec me fefellit opinio. Iam n. magno studiosorum fructu in orbe claret. Quo cum tu, cordatissime Consul, adeo familiariter versatus, ut etiam nomen tuũ inde tanquam de gente locupletaveris. Præterea (ut recentiora referam) Ioannes Sichardus, Rhenani summa amicitia atque familiaritate usus, amantissimi mariti mei hujus Cænobij Monachi Hermanni Contracti à Vernigen Comitis, & in mathematicis demonstrationibus viri clarissimi Chronica (etenim ad imitationem Eusebij compendiaria compilavit) Euse-

Erasmus.

Poggius Florentinus.

Ioannes Sichardus.

bio annectens tanquam haud impar opus, nescio quo proditore in lucem edidit. Dic agedum, Pater patriæ, quàm tibi in historia texenda civibus nepotibusque vestris maximæ utilitati voluptatique futura affero, qua te meque citra tota privaretur posteritas. Vt de sororibus vero aliquid arrogantius eloquar: quibus post gratuitam Dei benevolentiam Evangelicæ veritatis, de qua ante sæpenumero mentionem fecimus, quam nobis adscribenda cognitio. Cum n. aquæ haud alibi liquidiores quam è fonte petantur, non labris hactenus rivulis inhærescentib. Græca novi testamenti exēplaria propinavimus, quo factum cito quēadmodum de fonte Cabalino Poetæ ludunt, sincerioris Theologiæ viri prodierunt. Quid autem Reip. Christianæ præstantius Evangelica veritate contigisse potuisset. Cum hac collatę sordent latissimi orbis universæ divitiæ. δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι. Rom. 1. Ea quidem parvi facere quid aliud quàm virtutem Dei universorum opificem & salutem propriam contemnere, & suæ temeritatis ultorem accersire? Cæterum quæ non tam animorum quàm corporum saluti consultum volo, operæ pretium quidem facturos Patres, quemadmodum Israeligenæ jam terram Chanaan patribus pollicitam ingressuri, etiam Dei monitu non in universum aut radicitus exploserunt Amorræos ebusæosque, sed in quibusdam saxosis terræ partibus tributarios & ad exercendam tellurem inhabitandos permiserunt ultro, ita nec vellem Ethnicorum scriptorum & aliorum rerum humanar. libros fastidiri, in quibus præsertim quæ ad politiam bene instituendam, rem publicam privatamque bene gerendam faciunt, continentur. Est enim aliquando Moses in consiliis Ietro. Nec ergo abesse vellem Historias, ubi liquet quid humana sapientia viresque non Dei Spiritu illustrare possint. Nec præterea pulcherrimas illas disciplinas quarum scientia mortalibus (teste. Divo Hieronymo) utilissima est, quæ ob reverentiam ingenuis dignæ solum habebantur antiquitus. Sunt quæ militem instruunt, sunt quæ agricolā. Sunt quæ pueros, quæ juvenes decent, quæ canam senectutem cōsolantur. Quod si illa ad imitationem veterum congesserint, ò nobilem thesaurum, quo tanquam è copiæ cornu quicquid ad vitæ usum spectat, hauritur. O me rursus felicem, quæ cujusve sortis hominibus perita præstare, quæsitis respondere possum. Et cum prudentia firmioraque consilia à senioribus quam junioribus natu desiderantur, ut de Roboa testantur sacræ literæ qui juvenum consilio non sine maximo regni sui discrimine, contempto seniorum, est usus, ego quæ memoria revocare possum à mundi primordio mortalium gesta, quærentes ergo aliorum exemplo erudire & admonere possum, quæ propria experientia magno divitiarum sumptu corporumque periculo adeunda forent. Sæpenumero litigantium causas ad me, tanquam ad judicem, delatas hac ratione diremi, ut plerumque acerbissimos pacatos, hostes amicos reliquissem. Et ut scripturæ sacræ verbis & exemplo, quo minus de fide dubitetis, utar. Prophetantibus Aggeo & Zacharia de instaurando DEI templo per Babylonij Regis exercitum devastato, Zorobabel & reliqui Iudaici populi proceres cœperunt ædificare. In ipso autem tempore venit ad eos Thatannai, qui erat Dux trans flumen, & Starburtzanai, & consiliarij eorum, sicque dixerunt eis: *quis dedit vobis consilium, ut domum hanc ædificaretis, & muros ejus instauretis?* Ad quod responderunt eis inter cætera, quod anno primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus Rex proposuit edictum, ut domus Dei ædificaretur, placuitque, ut res ad Darium referretur. *Tunc Darius Rex præcepit, & recensuerunt in Bibliotheca quæ reposita erat in Babylone, & inventum est in Egbatanis (quod castrum est in Media Provincia) volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius: Anno primo Cyri Regis Cyrus Rex præcepit, ut Domus Dei ædificaretur in Hierusalem,* & reliqua quæ sequuntur privilegia, quæ brevitatis gratia omitto. Darius ergo Rex præcepit Ducibus regionis, ut recedant & nullam ædificantibus vim inferant: quod etiam diligentissimè executi sunt. *Ædificaverunt* igitur *templum, jubente Deo Israel, & jubente Cyro & Dario & Artaxerxe Regibus Persarum.* Sic per me fatum mortalibus ludit. Ex quo apparet, quantum utilitatis mortalibus afferam, quid rursus incommodorum, infortunij periculique mei negligentia suboriatur. Nam quam putas cladem utrinque sanguinolentam commisissent, quam viduarum ejulatu universa Palæstina reboasset, ubi *Dario* & Ducibus reliquis repugnantibus in ædificando perrexerint, ni soror illa mea felici nimirum responso calamitati venienti occurrisset? Nullarum vero gentium Principes mei negligentiæ magis accuso quam Iudaicos, quos tamen ob præstantiam & peculiare Dei donum excellentius decuisset. Quid n. dictu turpius, quid magis impium, quàm eas perdidisse leges, non quas sapientissimus Solon nec Lycurgus præscripserunt, sed quas summus Nomotheta omnium rerum gubernator cœlitus detulit, & arcæ inferendas diligentissimè præcepit: quarum locum summa impietas, abominanda idololatria, statuæ, aurei vituli, & in summa κακῶν μυρίας occupaverunt. Quapropter meritas tandem hoc scelere luerunt pœnas. Et cum humana sollicitudo vix alibi copiosorem quàm in custodiendis divitiarum thesauris curam gerat, ni ergo pij quidam Legis Divinæ fautores publicis gazophylaciis, ut pari custodia vigilia reservaretur, eum divitiis omnibus divitis legis præstantiorem librum intulissent, in universum quo longo

tempore caruerunt, periisset. Quem postremo, cum efferrent præsules Iosiæ Regis jussu pro domo Dei instaurandaresarciendaque opificibus pecuniam, Helchias sacerdos invenit, Regi obtulit, qui summo animi gaudio amplexus, qua puras diligentia pientissimus Rex custodiendum præceperit, ne porro contingat? Si, ut dixi, diligentiores fuissent, haberetis librum illum *Iustorum*, cujus Regum libri sæpenumero mentionem faciunt: haberetis equidem pro Aristotelicis (ut Philosophorum pace dixerim) opinionibus sapientissimi Salomonis Regis sapientissimas nimirum de rebus naturalibus quibusdam dissertationes. Præterea mihi maxime stomachum movet novi Testamenti Hebræorum negligentia, ne multis exemplaribus descriptis Evangelium juxta Matthæum sacratissima Christi Salvatoris lingua scriptum custodiæ demandarint. Cujus desidiei, (quod nunquam, ni experirer, opinata essem) non satis admirari possum. Quocirca velim Patres conscriptos nostris temporibus vigilantiores atque diligentiores, ne ob illorum inertiam tale nepotibus contingat. Non dubium, Sathanam pientissimorum conatuum sollicitum impostorem leonis instar circumire, quo minus sana doctrina ad posteritatem dimanet: Et cum religio literas pro sale habeat plurimum in expugnandis literis operæ impensurum. Neque velim hac spe, hoc solatio contenti me negligant, (Est n. arundineo baculo initi) quod non pauci literarum fautores privatos libros congerunt, quemadmodum tu tibi pretiosissimum thesaurum comparasti, & Ioannes ille Ruthinerus in conflandis optimis in omni doctrinarum genere voluminibus nulla pecuniarum habita ratione, juvenis negotiosissimus. Sed quemadmodum vulgo experimur defunctis illis φιλοβίβλοις (quanquam in prudentissima tua familia evenire non arbitror) ò quam ab ἀμύσοις & idiotis hæredibus relicta volumina in diversas partes disseminantur, dilaniantur, partim celeberrimi auctores maturo senio digni pueris ludentibus obiiciuntur, partim ad expellendam inscitiam nati & summo opificio elaborati scissuris fenestrarum obliniti frigus expellere, nonnulli stactam, thus, piper, ferre coguntur repugnantes! Quæ mala ob auctoritatem & reverentiam non sentiscent, qui in publicis bibliophylaciis à Patribus institutis reservantur. Etsi in optimæ Reipub. vestræ instituto Magistratus arma frumentaque habere cives suos præcipiant, attamen publicam quandam armorum frumentorumque copiam reservant, ut ingruente factione aut fame, inermem militem instruere, aut famelicos cives sustentare possint. O patres patres! quàm hic nun dormitandum, qui tot hostibus stipati, qui nunquam non vobis bella minantur, Potestas illa tenebrarum, Inscitia, Barbaries & Errorum Ilias. Et non hic quidem prudentem magistratum agere decet? Et quid si jam mihi videor nauseabundum non paucis hominibus ad privatos comparandos libros fastidium suboriri, quorum gulæ quæstuosam calcographorum πανηγυρίαν non in optimis sed novis quæ placent excudendis indulgere ferendum. Et si qui sunt literarum amatores, nonnunquam librorum supellectilem comparandam vetat pauperies. Quæ causa etsi nulla alia, ad me instituendam, sola sufficeret. O quoties quoties altissima suspiria audiunt bibliopolia, cum optimos pauperculis juvenibus auctores prostituunt. Quod si publica librorum essent repositoria, ad me ad extinguendam sitim diverterent, & si quid otij nacti apud me negotiosissimi essent cives studiosi eo tempore, quod plerumque somnio, à ditioribus vinolentiæ, id nonnunquam honestati impartirentur. Vnde compositi mores, communis & privata utilitas, concordia, & quæ sunt reliqua bene formatæ Reipub. ornamenta, alibi nascantur, uberius nondum cognovi. Quam vellem ergo, ut mihi præcipuè demandentur libri nostra vernacula lingua scripti, quam nunc celeberrimi Germaniæ jam tandem sapientis viri nobilitant illustrentque, in qua nunc fere sincerioris Theologiæ cardo versatur. Reliquo vero multum sibi victoriæ publicetur impostor ille Sathan, ubi scholam Charissimam amicam, cum qua non tam familiaritas quàm sanguinis necessitudo intercedit, oppugnaverit, adeo illam insectatur, ut sunt mulierculæ vires parvæ ac tenues, in multis membris fessa deficit, & in magistratus ope vires acquirit. Nescio qua ratione vitæ suæ sit consultura, cum videam fertilissima juvenum ingenia inculta sordescere, quo vereor ne aliquando mortalibus contingat quod & Prophetæ minantur τῶν σοφῶν λιμῷ θανεῖ. Hic me oportet plurima silentio præterire cum Scholæ mentionem fecerim, ne prorsus (sentio enim jam frontem contrahere) prorumpam in lachrymas. Fortasse ipsa si nullam opem senserit, suas quas habet plurimas propria oratione prosequutura calamitates: Sed ut ad me redeam, ne longioribus ambagibus humanissimi viri auribus abutar. Si igitur æquo animo quas ex me receptura vestri municipij Respub. commoditates juxta suam prudentiam perpenderit sapientissimus Senatus, non dubito quin omnes sumptus, quos in me impensurus, qui equidem modicillus est, hisce inferiores arbitraretur. Nam si sumptuum multitudine laborumque difficultate deterreri (quod non opinor) intellexero, perversæ cujusdam illiberalitatis & sordidæ avaritiæ calumniam haud effugiet. Et nescio quibus interim laudibus in cœlos eveham prioris sæculi Patres, qui nullis divitiis pepercerunt non solum ut bonos plurimosq; libros

libros congererent, ſed aliquando precioſiſſimis characteribus auro & argento, quaſi hujuſmodi atramento dignos depingi, nonnunquam etiam operimenta ebore Praxitelica arte elaborari curaverunt. Et ſi fidem re facere cogar, digitulo monſtrabo virum haud mihi inficias euntem, cui ſacratiſſimos Davidis Pſalmos hac ratione ſcriptos libentiſſimè dederim. Præterea ſi noſtra tempora cum ipſorum conferamus, liqueſcet quam varijs dotibus ad hoc meum negotium pertinentibus, quibus ipſi caruere, longo intervallo illos antecellimus. Habemus novitium illud & plane divinum Germaniæ inventum, chalcographiam, velociſſimum deſcribendi genus, qua uno die plus elegantius emendatiuſque quàm veteres ſex menſibus, ut parce dicam, non ſine maximo labore & divitiarum ſumptu ſcriptitarunt calamo, ut quas quondam horas exarandis literis, nunc noſtri literarum ſtudiis locare poſſint. Adde præterea immenſam papyri copiam, non quam omnigena Nilus, prodit, ut Ægyptum adire oporteat, ſed quam ex diminuto noſtrate lino hauriunt artifices. Quapropter totus liber jam quam olim foliolum minoris conſtat. Qua ergo illiberali perfricata fronte decet de ſumptu quiritari? aut decet dotibus præſtantioribus diligentia inferiores eſſe? aut Deus OPT. MAX rariſſima ſua dona patribus ignota patefecit, ut nos alto ſomno ſtertamus? Quaſi non inſtituerit, ut jam refloreſcente Evangelio his præſentibus inſtrumentis ad evulgandam nominis ſui gloriam aptiores vegetioreſque redderemur? Cur non magis juxta Servatoris noſtri verba, ſi Evangelicum theſaurum inveniſtis in agro, aut illam pretioſiſſimam margaritam, præ gaudio venditis omnia, & comparatis illam? Aut decet Æſopicum gallum gallinacium agere, ut farinam inveniſſe adoptemus? Non mihi peto aulam regiam, aut arces condi, ſed quæ ſum fragiliſſimæ naturæ, nempe Carthaceæ, attamen cujus partes ſunt depoſitæ in longos annos poſteris videndæ reſervare, ſalubres aures, (quæ etiam cunctis mortalibus communes ſunt) ut tu, optime Conſul, noſti, in primis efflagito, præterea quæ ad munitionem, ſecuritatem, tranquillitatem, charitatem, ſubſellia pertinent, quæ ipſorum induſtriæ deliberanda libentius relinquo, meminens quòd in hoc revireſcentis Evangelij flore, in excolenda pietate, nullum non movetunt lapidem. Quocirca nil ſpero ne hoc ſuſurro terreantur.

At quid nobis hæc librorum moles? Et, quemadmodum Seneca ait, *Diſtrahit animum librorum multitudo.* Et ſapientiſſimi Salomonis auditores in Eccleſiaſte hiſce verbis librorum multitudinem diſſuadent: *His amplius, Fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus eſt finis: frequenſque meditatio carnis afflictio eſt,* &c.

FINIS.



INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Observandum est, ubi litera p. vel pag. occurrit, significari paginam præfationis Vadiani, quam Operæ non numeraverunt.

D.

Dormi-

FINIS.



RERUM

GERMANICAR

TOMI DUO

CHRISTIANI URSTISII

GERMANIÆ HISTORICORVM ILLUSTRIUM,

Quorum plerique ab Henrico IV. Imperatore usque ad annum CHRISTI, M. CCCC.

TOMUS PRIMUS,

Opera & Studio.

CHRISTIANI URSTISII BASILIENSIS

CUM

Indice Auctorum, Rerum & Verborum locupletissimo.



FRANCOFURTI AD MOENUM,

Sumptibus Jacobi Godofredi Seyler.

M DC LXX.



PER ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

THEODORO

LIBERO BARONI

DE RECK,

DOMINO HEREDITARIO IN HORN ET MUNTHLO,

Domino meo perpetim honorando.

Per Illustris atque Generosissime Domine,



CHRISTIANI Urstisii Scriptores rerum Germanicarum *Perillustri Tuæ Generositati* inscriptos offero, qui hactenus ingenti desiderio expetiti sunt ob materiarum raritatem & veritatis historicæ fidem. Historiarum cognitio quàm utilis sit, in ipsis rerum argumentis experimur: inde quod conducit Reip., quod imitemur quodq; vitemus, capere licet. Unde autem illæ meliùs hauriuntur, quàm ex Scriptoribus antiquissimis? Et illi fuère ingenio tam varii, prout temporum ratio postulabat. Nam quid OTTONE FRISINGENSI illustrius? tali opus fuit, ut herois maximi Friderici Barbarossæ res gestas stylo ornaret. Quid illi Colmariensium & Argentinensium annalium collectores, nobis quàm necessarii? ut acta Imperii ac quæ scitu digna posteritati forent, annotarent. Jam Chronicon HERM. CONTRACTI quantam Principi populo Germano addidit dignitatem? postremò cæteri Chronographi & Historici veteres nonnihil, imò plurimum prosunt: sic enim effectum est, ut ipsa se nosceret Respublica Romano-Germanica.

Illud cùm Antecessores mei & officinæ primi inceptores perpenderent secum, Authores illos antiquos suis excudi im-

pensis bonoque omnium divulgari curârunt, FREHERO, PISTORIO, REUBERO & nostro Urstisio collectoribus. Ex his Urstisium, quòd exemplaria dudum distracta essent, denuò typis subijcere operæ pretium visum est ex consilio eorum, qui de rebus historicis optimè judicant. Et hunc favente Deo sequetur magni nominis SCHARDIUS.

Scriptores hosce Urstisii pro tua maxima prudentia suscipe, Perillustris & Generosissime Domine, qui historiarum studio & amore incredibili flagras, nec minùs in aliis studiorum generibus prævales. Hinc in tantam claritudinem pervenisti, ut omnibus vehementer charus sis: imò eò magnitudinis procedes, uti pro mortali gloriâ æternus fias. Te, Illustrissime Domine, eâ quâ par est humilitate, oro, favore me tuo singulari complecti digneris. Deus domum Tuam florentissimam esse velit. Francofordiæ Calendis Septembris. M.DC.LXX.

Perillustris Tuæ Generositatis

Devotissimus

Jacobus Godofredus Seyler.



EPISTOLA ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΗ AD CELSISS. P. AC D. FRIDERICUM, FILIUM, CELSISS. D. LUDOVICI, COMITIS PALATINI AD RHENUM, BAVARIÆ DUCIS, AC S. R. IMPERII ARCHIDAPIFERI ET ELECTORIS &c.

CHRISTIANI URSTISII, Profess. Mathem.

NATURA mortalium ingenia, quæ non prorsus abjecta sunt & agrestia, sic formavit (FRIDERICE Princeps Celsissime) ut singulari quadam vetustatis admiratione & veneratione ducantur. Hinc ea, quæ à prisci seculi hominibus, claris præsertim & Illustribus profecta vel usurpata, ad nostram usque ætatem perdurârunt, qualia esse possunt tabulæ & instrumenta publica, pocula, statuæ, imagines, arma, numismata & similia, thesauri loco à nonnullis avidè conquiri & congeri solita, multò pluris facimus, quàm quæ vel præsentis ævi, vel proximè exacti industria protulit & elaboravit, etsi his illa arte pretióve cedant. Cùm enim fluxa sit & caduca omnium sublunarium conditio, ac subinde pereuntibus aliis alia succedant: hinc fit, ut res, quæ temporum omnia consumentium iniquitate superata & quasi devicta, longo seculorum decursu, infinitos fortunæ fluctus evaserunt, animos etiam nostros jucundo quodam sensu afficiant.

Enimverò quamvis hæc ita se habeant, omnes tamen quibus generosa in pectore mens est, veterum libros ingeniorumque monumenta, cunctis aliis quantumvis pretiosis antiquitatis tesseris, longè semper antetulêre: non solùm ob id, quod vetustatis penitiùs contemplandæ summa lux in iis accensa fulgeat, sed & omnigenæ

næ eruditionis ac ſapientiæ theſauros complectantur. Quæ verè res nec ſteriles ſunt, nec ad otioſam admirationem & contemplationem tantùm comparatæ, ſed hominum bono pellendisque ignorantiæ tenebris ſerviunt. Breviter, laborioſæ & calamitoſæ huic vitæ ſubſidia præbent ampliſſima.

Inter illos porrò ingeniorum fœtus, HISTORIÆ neutiquam poſtremum locum obtinent, quibus exactorum ſeculorum res geſtæ memorandaque gentium migrationes regnorum ac rerumpublicarum ortus, incrementa, converſiones, interitus, religionis propagatæ, conſervatæ aut labefactatæ momenta, hominum mores, ingenia, dicta, facta, conſiliorum ſecundi & adverſi eventus, fortunæ viciſſitudines, variaque vitæ humanæ exempla deſcribuntur. Quæ omnia cùm judicio lecta atque percepta, præter admirabilem delectationem, ad contemplationem operum Dei, ad temporum lucem, ad perfectæ vitæ rationem, ad virtutis imitationem, vitiorum fugam, moderandorum conſiliorum prudentiam, proſpiciendos rerum eventus, uſum habent incredibilem. Ad evitanda namque detrimentoſa, & utilia proſequenda, exempla plus verbis hominum animos commovere ſolent. Denique ex tam multis variisque præteritorum temporum eventis, & ampliſſimo vitæ humanæ theatro, plura queunt documēta ſumi, quàm brevis & exiguus rerum nobis præſentium uſus ſuppeditare poſſit. Quo nomine Hiſtoria, inter alia elogia, vitæ magiſtra à Cicerone ritè appellata eſt.

Cæterùm ut natalis ſoli dulcedo omnibus eſt congenita, præſertim in eodem educatis & enutritis: ſic earum quoque Hiſtoriarum lectione impenſiùs delectamur, quibus de gentis noſtræ primordiis, de majorum, à quibus ortum traximus, aut in quorum ditiones, domus, poſſeſſiones & munera ſucceſſimus, priſcis inſtitutis, laboribus, pace & bello exantlatis, caſibus denique cum proſperis tum adverſis erudimur: quippe quòd illorum ſeu laudis ſeu ignominiæ, felicitatis vel infortunij pars, in nos ſuo quodam modo redundare videatur.

Quamobrem ut iis magnas debemus gratias, qui in ſcribenda Hiſtoria, ne rerum memoria ſuccedentibus ſeculorum ætatibus obliteraretur, de omni poſteritate bene ſunt meriti: ſic & illi operæ pretium patriæque debitum officium præſtitiſſe cenſentur, qui bonis ejus generis libris è tenebris in lucem proferendis, obſtetricantur, neglectosque & ſqualentes deterſo ſitu in hominum conſpectum atque conſortium adducunt. Viciſſim gravi vituperatione digni ſunt,

ſunt, non minùs quàm Plautinus ſenex theſaurum humi defodiens, qui veterum labores, boni publici cauſſa ſuſceptos atque peractos, inciviliter, avarè καὶ ἀφθόνως *detinent, celant, ac cæco carcere premunt.* Occulta ſapientia, *inquit Syracides*, & theſaurus abditus, quæ utilitas in utriſque? *Muſarum certè fores invidentiæ peſte laborare non decet.*

Quarum rerum conſideratio multos ante me generis nobilitate, virtute & eruditione præſtantes Germaniæ Viros excitavit, ut ad amplificandam & illuſtrandam noſtræ gentis hiſtoriam, amplioremque lucem antiquitati inferendam, veteres καὶ μὴ ἐκδεδομένους *Germaniæ Scriptores, in Bibliothecis deliteſcentes, conquiſierint, eosque deinceps divino artis typographicæ invento multiplicatos, publici juris effecerint. Fuitque hac in re quamplurium tanta æmulatio, ut poſteris non niſi peractæ meſſis ſpicilegium quoddam reliquerint arduum quidem & difficile, neutiquam tamen negligendum. Etſi enim ea ducar opinione, plures ejus generis auctores à tinearum injuria vindicatos, hac tempeſtate in literatorum manibus verſari, quàm deinceps proferri queant, vel ſaltem optimos quosque, nil tamen ambigendum, in latebris hinc inde aliquot luce digniſſimos ſupereſſe: ejusmodi ſunt, Wippo, Henrici tertij Sacellanus, de vita Conradi ſecundi: Eberhardus de inferiore Altach Archidiaconus Ratiſponenſis, de Ducib. Auſtriæ, Bavariæ, Sueviæ, qui ab anno ſalutis 1152. annis centum triginta ſequentib. vixere:* Wickardus *Polheimius Archiepiſc. Salisburgenſis, de reb. Auſtriacis, usque ad annum 1312 & ſimiles. Tacebo in præſens Principum, templorum ac ſacrorum Collegiorum faſtos. Spero a. Nobilem Virum Gotfridum Ramingium, in indagandis vetuſtis Codicibus ſagaciſſimum & diligentiſſimum, aliquando hac in parte haud fore* ἀσύμβολον, *ſed è promptuario ſuo aliquot orbi communicaturum.*

Etſi verò diffiteri nemo queat, hos & alios mediæ ætatis ſcriptores ejusmodi ſermone uti, qui delicatis & politis auribus faſtidioſus eſſe poſſit: ut tamen infantes laceris aut ſordidis faſciis involutos non abijcimus, ſic neq; illos, quantumvis verborũ cultu & ornatu deſtitutos, quisquam patriæ gloriæ ſtudioſus aſpernabitur. Quod igitur Cicero *lib.* I. *Finium* de Philoſopho dixit: Se eum ſi adferat eloquentiam non aſpernari; ſi non adferat haud admodũ flagitare: idem nobis de Hiſtoricis, qui magna ſuperiorum ſeculorum barbarie laborârunt, pronunciandum. *In cibis ſic eſt, ut ſordidiùs paratos reijciamus. In nummis autem veteribus, ut pondus & materia potiùs, quàm ſculpturæ elegantia*

 ſpecta-

ſpectatur: ſic in auctoribus illorum ſeculorum, bonis alioquin & caſtis, quorum virtus temporum iniquitate preſſa fuit, rerum momenta magis, quam dictionis vel puritas, vel lenocinium ponderanda.

Porrò quemadmodum militares copiæ, ſi periculo ingruente non ſint locorum intervallis disjunctæ, ſed in unum conductæ, plus habent ad depellendum hoſtem terroris & roboris: inſtrumenta etiam certo loco digeſta artificis uſui commodiùs ſerviunt, quàm cùm hinc inde diſperſa, prompta haberi nequeunt: itemque res exiles, niſi aliis mole & quantitate magis conſpicuis jungantur, faciliùs in terram defluunt atque pereunt: ſic in librorum uſu docuit experientia, egregiæ commoditatis rem eſſe, ſi vel ejusdem vel ſimilis argumenti libri utiles, quales Hiſtorici ſunt, variis & locis & temporibus in publicum emiſſi, ac veluti palantes, uno opere clauſi haberi poſſint. Id enim in acquirendis ijs ſumptus & labores, in tractandis tædium & moleſtiam minuit: multos quinetiam vel argumenti vel molis indicio non admodum notabiles, ab interitu vindicat. Quod igitur Cicero alicubi dixit, nonminùs jucundos ac Illuſtres eſſe dies quibus conſervamur, quàm illos quibus naſcimur: ita non minùs liberalis curæ eſſe judico, libros bonos, olim quidem editos, ſed exoleſcentes quodammodo & deficientes, aliorum ſocietati cum ornatu reſtituere & ab interitu conſervare, quàm nunquam foras emiſſos in apertum proferre.

Cùm igitur ſuperioribus annis laborioſa venatione earum rerum, quæ ad condendæ Reipub. Baſilienſis hiſtoriam pertinebant, cocuparer, expertus quantum difficultatis inſit veterum Scriptorum racemationi & indagationi: tandem quoſdam ejus generis codices nactus, privato meo uſui eos aſſervare, indignum eſſe judicavi. Cogitanti ergo de ratione eos aliorum oculis cum fructu exponendi, quò auctores ipſi debitum honorem, resque ab illis ſcriptæ æternitatem ſortirentur: utriusque viæ anſa occurrit, ſc. editionem eorum qui in meos caſſes incidiſſent, haud eſſe premendam, ſimulque è rerum Germanicarum Scriptoribus aliquot jampridem editos, & in Rempublicam hiſtoricam admiſſos, verùm rarius comparentes, iisdem adjungendos, ut tyrones illi triariorum manipulo ſtipati, plus dignitatis nanciſcerentur, lectoribusque gratiores redderentur: non ſecus quàm obſcuræ ſortis homines, ſi quando Illuſtrium ac clarorum familiaritate utuntur, eorundem favore aliorum quoque benevolentiam conſequi, & ad ampliorem fortunam gradum ſibi comparare ſolent.

Cæterum cùm in coagmentationis illius agone conſtitutum,

quidam

quidam clarissimi viri, editis aliquot Tomis veterum ac rariùs occurrentium Germaniæ historicorum, adjunctis quibusdam noviter repertis, sua diligentia conatus meos prævenissent: utique vela mihi contrahenda fuere, sic ut novitiis quos dixi meis ac minùs classicis, non nisi reliquos è veteranorum cohorte, itineris Comites attribuere licuerit. Atque ideo præsenti volumine eam auctorum classem, quantum fieri potuit, adornare studui, qui ab Henr. quarti ævo, usque ad tempora, quo Rupertus Rom. Rex, Comes Palatinus Rheni, &c. Sigismundi antecessor, Imperii sceptra accepit, trecentorum annorum decursu, res nostræ gentis memorabiles literarum monumentis commendârunt. Cui quidem ordini etsi plures adscribi potuissent: cùm tamen eos suis possessoribus eripere neutiquam decuerit, contentus usque fui cæteros ab alijs vel derelictos, vel non tam plenè exhibitos, ἐπὶ λίαν istis consociare: id spectans, ut secundum temporum successionem omnes illi solidum corpus constituerent, eorumque ordo singulorum argumentis lucis quidpiam conciliaret.

Quòd autem in hujus libri fronte, Illustrissime ac Celsissime Princeps LUDOVICE, Tuæ Celsitudinis nomen, tametsi nullius meriti aditu eidem notus, apparere volui, in caussa est, quòd volumen istud, cujus non exigua pars à Germanici sanguinis Principe profecta est, ob auctorum celebritatem, rerumque in eo contentarum pulchritudinem & varietatem, Principi quoque haud ingratum lectuque non indignum fore judicârim. Et quoniam multorum bonorum testimonio, ea in his partibus fama accensa sit, Celsitudinem tuam, quam Deus ab inclytis & pientissimis Principibus, in Septemviralis dignitatis διαδοχῇ, nasci voluit, singulari quadam ac heroica animi indole optimi quoq; Principis expectationem de se concitare: arbitratus sum, cum in hoc pulcherrimo ætatis flore, præstantissimorum hominum sermonibus & consuetudine delecteris, fore, ut suo tempore ad legendas & considerandas summorum Germaniæ heroum historias, priscæque ætatis res cognoscendas animum esses applicaturus, utpote ad rem omni quidem ordini, maximè verò viris politicis atque Principibus, quibus orbis & populorum gubernatio à superis credita, fructuosissimam, & ad eximium illis decus conciliandum aptissimam. Illis enim cùm plurimarum rerum cura incumbat, eorumq; consultationes id pene solùm difficiles reddat, quòd de rerum eventis sint incerti: equidem ad scopum certiùs configendum, in eo sese exercere proderit, ut qui nam eventus ex quibus caussis oriri soleant, rectè dispicere

cere

vere possint. Quod cùm historiæ accommodatissimis exemplorum picturis commonstrent: nemini dubium esse potest, eas ad prudentiam, humanarum actionum directricem, valere plurimùm. Nolo jam dicere, quantum & decoris & admirationis pariat, quàntum & mortalium animos inclinet atque moveat, si quandò in arduorum negotiorum momentis pensitandis, de ἀναλόγων *consiliorum aut factorum successibus & eventis, exempla è vetustate petita, ex ore Principis manare audiantur.*

Quare ut olim peractis Ecclesiasticis liturgiis Evangeliorum codex Principibus exosculandus proponebatur, ut admonerentur, sui esse muneris, cœlestem doctrinam ex arcano Dei sinu prolatam, amplecti, fovere, atque tueri, & Christum novi fœderis conciliatorem exosculari: sic etiam confido, Princeps Celsissime, Te pro eximia tua virtutis indole, morumque suavitate, isthæc illustrium hominum monumenta, hacce palingenesia ad meliorem habitum cultumque revocata, quantumvis sacris libris usu dignitatêve nullatenus comparari queant, Germanicæ tamen gentis amore, inque Augustissimorum Cæsarum, quorum acta vita resque præclarè gestæ (ut & inclyti tui generis majorum aliquot) hîc memorantur, honorem, & Reipublicæ literariæ favorem, haudquaquam aspernaturum: quin potius abs me, qui erga Illustriss. T. C. domum genearchicam, aliquod meæ observantiæ documentum dudum extare cupivi, Nobiles auctores, Hermannum, Ottonem utrunque, Radevicum, &c. Tuo nomini religiosa mentis & animi pietate sacratos, æqua mente, vultuque placido accepturum. Idque ut clementer facere digneris, submisse rogo.

Beatus ille & solus Princeps, in cujus femore scriptum est, Rex Regum & Dominus dominantium, *Illustrissimam Celsitudinem tuam, & inclytam Palatinæ stirpis domum, unà cum Illustrissimo heroe, Duce JO. CASIMIRO, patruo, ac Electoratus Tutore & Administratore, diutissimè salvos & incolumes, pace, rerumque successibus florentes, custodiat atque conservet, ad sacrosancti nominis sui gloriam, & subditorum salutem. Basileæ VI. Nonas Martij, anno Filii Dei in carne patefacti, 1585.*

BENE-

Benevolo Lectori
CHRISTIANUS URSTISIUS S.

EDITI sunt annis superioribus, lector amice, Wechelianorum typis, veterum Germaniæ historicorum συντηρηθέντες Tomi tres, C L. virorum Reineri Reineccij polyhistoris, Ioannis Pistorii Medici, & Iusti Reuberi Iurisconsulti, quos honoris & observantiæ caussâ nomino, studio & opera adornati: quibus ipsi tandem (ni fallor) Wecheliani, quartum superaddiderunt, non alio certè quàm patriæ historiæ locupletandæ & illustrandæ studio. Cæteros enim Scriptores, peculiaribus libris ipsorum sumptu evulgatos, hic recensere nil attinet. Ex iis editionibus facile patuit, elegantissimis illis Chalcographis id fuisse consilij, ut quantum in ipsis, auctores universos, qui Germanorum res ab oblivionis incommodo vindicassent, certis voluminibus contextos, in publicum mitterent. Quorum proin laudabili instituto, ipsis præsertim quintum huncce Tomum historicorum, prioribus quatuor sociali fœdere jungendum, per literas efflagitantibus, me quoque deesse non decuit.

Verum enimverò susceptæ huic συλλογῇ genium feliciorem optavi sæpiùs, ac ut ea communicatis invicem consiliis, suscipi & adornari potuisset. Sic enim illius series aptior atque concinnior, corpusque partibus omnibus inter se ritè cohærentibus, formæ dignitate commendabilius fieri potuisset. Nunc verò quoniam suis rationibus singuli obsequuti sunt, atque illud nobis ornamentum fortuna invidit, mihi quoque post insignes illos viros, via qualiscunque ineunda fuit, qua nec alios suis defraudasse, nec crambem cum nausea recoxisse viderer. Eam itaque temporum & Scriptorum seriem delegi, quæ à Henrico quarto exordium sumens, ad finem usque decimi tertij seculi Christianæ ἐποχῆς protenditur, cujus rationes in præsens breviter explicandas esse duxi.

Ac primùm quoniam Hermannus planè recudendus videbatur, tum quòd manuscriptus Codex edito multò locupletior obtigerat, tum etiam propter Continuatorem ejus nunquam foras emissum: visum fuit Ottonis Chronicon, quinquaginta & amplius capitibus auctum, ei præfigere. Quamvis enim hic illo sit junior, quia tamen uterq; à mundi incunabulis Chronologiam pertexuit, quo nomine ad præcedentes Tomos referendi fuissent: convenientius duxi, hunc Ottonis librum unà cum Sanblasiano ejus continuatore Hermanno præmittere, quàm eo deinceps perpetuam Cæsarum historiam, quæ à Bertoldo Hermanni continuatore inchoanda erat, interrumpere: vel omisso eo, auctorem hunc nobilem altero pede mutilum reddere.

Contracto subiicitur Bertoldus. Is quoniam pernitioso orbis dissidio vigente, quo Henricus quartus, à Pontificibus Romanis, novo tum & inaudito exemplo, furiis infernalibus devotus & exauctoratus fuit: Imperatori plus æquo infensior & Pontificum partibus addictior fuisse, videri potest: idcirco ejusdem Cæsaris vitam, à quodam illius familiari, rerumque gnaro descriptam, subjungere necesse fuit, ut ex utriusque comparatione rectiùs appareat, uter animi perturbationibus plus minùsve indulserit, aut veritatem, historiarum animam, meliùs expresserit. Huic deinceps Ænobarbica historia ritè subjecta est, quod ab Henrico V. Lothario & Conrado, quorum succinctam descriptionē libro primo complexus est, ad Friderici primi gloriosissimi Imper. res gestas progrediatur. Radevico deinceps binis libris derelicta prosequente. Hos Moguntiacum Chronicon excipit, epitomen 110. annorum continens, inprimis verò caussas luctuosissimæ vindictæ & cladis ei urbi à Friderico primo illatæ, ob Præsulis cædem, civium tumultu patratam: quenq; illius Ecclesiæ res subsequentibus Cæsaribus usq; ad Fridericum secundum, cursum tenuerint. Cujus quidem victoriosi Imp. gestis cum proximus locus deberetur, nec tamen quisquam antiquus Scriptor offeretur: contentus fui ad hiatū illum complendum, Monachi Paduani commentario, de vita, morte, rebusque gestis præpotentis Comitis Ecelini, qui ut Italos in Cæsaris, piorum communione submotis, fide retineret, ingenti cum terrore per Euganeos & Insubres arma circumtulit, & in Pontificum asseclas adeo desæviit, ut non tam hominis quàm truculentæ feræ famam opinionemque sibi conciliârit. Ei libello Colmariensium fastos subnexui, quòd ferè non nisi ea contineant, quæ post diuturnum interregnum, Rudolfo, Adolfo, & Alberto Rom. Regibus, apud Alsatas Germanosque contigêre: quibus cum Henr. Lucelburg. successerit, Vecerio quantumvis recenti proximus locus assignandus fuit. Denique cum Albertus Argentinensis à Rudolfi primi ætate exorsus, insequentium temporum res gestas, usque ad Caroli quarti obitum, prolixè satis memoret: illius utique fuit hocce scriptorum agmen claudere, prævio κατ' ἐπιμέλειαν fragmento historico, in veteribus codicibus ei præmitti solito. Diploma saltem exauctorationis Wenceslai Cæsaris, cum id (quod sciam) extet nusquam, è Kongelshovij Chronico conversum, corollarij loco superadjeci, ut illius seculi historia integrè continuata videri possit. Tuum erit, candide lector, laborem hunc, bona fide & mediocri diligentia susceptum atque peractum, boni consulere.

VALE.

CATA-

CATALOGUS VOCUM aliquot aut Barbararum, aut inconsuetæ significationis, quibus hujus Tomi Scriptores usi sunt: adjecta earundem interpretatione.

¶ Almarium, *armarium, promptuarium.*
Almutium, *collare de villosis pellibus.*
Allodium, *fundus vel prædium, cujus nomine nec merces nec opera à possessore cuiquam debetur, maximè si sit ex patrimonio.*
Ama, *amphora 32. cantharorum. In re vinaria mensuræ genus.* Ein Ame.
Apocrisiarius, *à responsis, internuncius responsum ferens aut accipiens. Id est legatus vel procurator conficiendi negocii caussa missus.*
Attædiari, *tædio affici.*
Auriphrigiæ, *fimbriæ aureæ.*
¶ Baldicum, *aulæum pretiosum paganici operis.*
Bandæ, *papalia insignia.*
Banerium, *signum militare.* Paner.
Bannus, *proscriptio.* Bann.
Begina, *mulier velata extra certum aliquem Ordinem religiosam vitam ducens.*
Beneficium, *pro feudo. Quæ vocis acceptio inter Fridericum Barbarossam & Pontificem magnæ dissensionis caussam præbuit.*
Beneficiatus, *feudi beneficio affectus.*
Birsare, *telo petere aut configere.* Birsen.
Bladum, *spelta, frumenti species.*
Blaveus, *coloris cyanei.* Blau.
Briga, *tumultus, seditio non sine certamine.* Geprög. *Hinc* Inbrigare, *tumultui aut liti se miscere.*
Bruna, *fusca.* Braun.
Bubones, *lixæ, calones, mediastini. Aliquando nebulones & furciferi.* Buben.
Burgenses, *cives,* Bürger/ *quos alibi* Civitatenses *vocant.*
¶ Casula, *vestis sacerdotalis inferius rotunda, à Missam celebraturis indui solita.* Casuckel.
Carnifex, *lanius.*
Chartularii, *scribæ, vel chartarum regiarum seu publicarum custodes.*
Communicare, *sacram synaxin administrare.*
Contrata, *platea, compitum. Italicum.*
Curia, *congregatio solennis, Senatus.*
¶ Dalmatica, *vestis sacerdotalis, qua Diaconi super Alba, quam vocant, induebantur.*
Dextrarius, *equus grandis & cataphractus.*
Defensario nomine, *jure defensionis & advocatiæ.*
Diffidare, *vide* Feidum.
Dictare, *carmen condere.* Dictator, *Poeta:* dictamen, *carmen poeticum.* Dichten/ Dichter/ Gedicht.
Dormitorium, *cubile, cubilium locus.*
Dorsalia, *aulæa à tergo suspendi solita.*
¶ Emenda, *mulcta, delicti emendatio.*
Exfestucare, *devestire, honorem abrogare.*
¶ Fautoria, *favor.*
Feida, *inimicitia,* Vehd. *Hinc* Diffidare, *inimicitiam denuntiare.*
Filiaster, *gener.*
Fodrum, *propriè pabulum equorum,* Futer. *Sumitur pro annona & victu Imperatoris exercitui pendi solito: aut pro pecunia, qua annona illa redimitur. Annonius lib. 5. cap. 3.*
Forenses, *exoterici, foris existentes.*
Fratruelis, *filius fratris, quem vulgò nepotem ex fratre vocant.*
¶ Galia, *triremis,* Galeen.
Garciones, *pedissequi, viliores è gregariis militibus.*
Gens, *exercitus.*
¶ Harnascha, *lorica ferrea.* Harnisch.
¶ Incastellare, *castello aut vallo munire.*
Intimare, *edicere, annunciare.*
Investire, *in possessionem dignitatis, feudi, aut similis rei mittere.*
¶ Laudamentum, *conventio re bene deliberata inita.*
Liga, *fœdus. Hinc* Colligare, *fœdus inire.*
Licentiatus, *vel dimissus, vel licentiam faciendi gradum adeptus.*
Lobium, *ὑπερῷον,* Laube.
Λογοθέτης, *magister rationum. Discusso rationum exhibitarum ab administratoribus rerum fisci*
¶ Maltera, *chœnix, mensura frumentaria.* Malter,
Manga, *catapulta, qua pila aut grandia saxa jaciuntur.*
Mantus, *pallium sine manicis à collo descendens. Insigne quo Pontifex electus induitur.* Mantel. *Hinc* immantare, *pallio hujusmodi investire.*
Mansus, *latifundium seu prædium, in quo quis manere ac familiam alere potest. Hinc* Mansuarii *villici mansos incolentes.*
Meliores, *Nobiliores, Optimates, Primores.*

Ministe-

Ministerialis, *ingenuus, liberali aliquo munere apud Principem aut dynastam fungens.*

Militare, *militem facere, hoc est, equestri cingulo donare.*

Monasterium, *sæpe pro basilica & templo augustiore sumitur.* Münster.

Morganitico jure, *jure doni; quod maritus uxori seu sponsæ mane diem nuptiarum insequente constituit.* Προσφθεγκτήρια *seu* ὑπόβολον *Germanis* ein Morgengab/ *unde ist hac vox enata.*

Mussitatio, *frementium & indignantium murmur.*

¶ Pagare, *persolvere. Italicum.*

Palefridus, *alij* Parafredus, *equus magnus vel cataphractus. Vox Ital. & Gallica, deducta (ut videtur) à Veredis, id est publicis & cursualibus equis.*

Parlamentum, *pro colloquio aliquando sumitur.*

Pecia, *assumentum, panniculus impexus.* Bletz. *Hinc* repeciare, *assuere.*

Placitum, *publicus conventus litium cognoscendarum caussa institutus, vel ejusdem conventus locus.*

Primicerius πρωτοκήριος, *idem quod* πρωτοστάτης *scholæ seu collegii officialium aulæ regiæ antecessor. Ut primicerius sacri cubiculi, id est, inter cubicularios primum locum obtinens. Primicerius Notariorum, primus in matricula Notariorum scriptus, & ob id primas inter eos sibi vendicans, &c. Sic consequenter cæteri ejusdem ordinis viri, Secundicerius, Tertiocerius, &c. appellantur: ut Cerius vocis sit* ἄσημον παραπλήρωμα.

Protovestiarius, *vide* Vestiarium.

¶ Regalia, *feuda majora à Rege concessa.*

Ribaldus, *homo vanus & nequã, furcifer. Gall.*

Risinæ, *labinas hodie vocant. Sunt nives conglomeratæ, per montium præcipitia labentes.*

¶ Samitum, *sericum villosum.*

Saumarii, *equi clitellarii,* Saumroß.

Scultetus, *Prætor,* Schultheiß.

Soldum, *stipendium militare,* Sold. Solidarii, *milites mercede conducti.*

Sororius, *aliquando pro affine, cujus quis sororem in matrimonio habet. Sic Rudolfus Habspurgius Albertum Hohenburgensem, cujus sororem uxorem habebat, affinem vocat. Aliquando pro sororis filio, ut apud Radevicum lib. 2. cap. 12.*

Strata, *via. Italicum.*

Strepa, *suber ephippiarius.*

Stuba, *hypocaustum,* Stube.

Surgotum, *panni genus, & vestis ex eo muliebris usque ad pedes demissa.* Cursat.

¶ Talliare, *mulctare.*

Traditor, *proditor.*

¶ Valuasor, *qui summã coercitionis, non etiam nundinarum & mercatus jus habet. Hotomannus.*

Vasallus, *feudi beneficio fruens, & ob id Domino servitium debens.*

Vestiarium, βεστιάριον, *ærarium, seu locus in quẽ thesauri reconduntur. Hinc* Protovestiarius *regius thesaurarius.*

Cætera vocabula, cujusmodi sunt, exvaginare, induciare, inthronizare, repatriare, transalpinare, *&c. faciliora sunt, quàm ut interpretatione egeant.*



CA-

CATALOGUS ET ORDO SCRIPTORUM HOCCE VOLUMINE COMPREHENSORUM.

OTTO-

I.

OTTONIS EPI-SCOPI FRISINGENSIS, LUPOLDI PII MARCHIONIS Austriæ F. Chronicon, sive Rerum ab Orbe

condito ad sua usque tempora gestarum, Libri octo:
nunc denuo recogniti, & locis aliquot
emendati.

ACCESSIT IN HAC EDITIONE:

*Appendix vetusti cujusdam & Germanici Scriptoris, Historiarum
à fine libri septimi Ottonis, usque ad Annum salutis*
M. CC. XII. *continuatarum, nusquam
antehac excusa.*

VITA OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI.



Cum quæ à magnis viris profecta sunt, mortalium animos in sui amorem amplius convertere soleant: lubet equidem de Ottonis nostri, cuius industria hi octo Chronicorum, & Ænobarbicæ historiæ duo libri debentur, viri scilicet natalium splendore, dignitate & eruditione maximi, vita, quædam ex bonis auctoribus repetita, proferre.

Prognatus is fuit ex veteri & illustri Marchionum Orientalium stirpe, ei Germaniæ parti imperanti, quam Austriam hodie vocare consuevimus. Patrem habuit Lupoldum, cognomento Sanctum, matrem verò Agnetem Henrici Quarti Imperatoris filiam, Friderico Sueviæ Duci antea nuptam, ex qua & idem Otto summos Christiani orbis Reges sangvine attigit. Nam & prædicti Cæsaris quarti ex filia, quinti verò ex sorore nepos, Conradi tertij Augusti frater vterinus, Friderici denique Barbarossæ patruus fuit, vt ex diagrammate Ænobarbicæ historiæ præfixo, clarius patebit.

Etsi verò isthac generis claritate eximium illi Natura decus conciliasset, & ad insignem aliquem honoris gradum viam aperuisset: eam tamen ortus sui prærogativam divinæ ac humanæ sapientiæ studiis ita illustravit, ut non minus ingenii quàm sangvinis dotibus inclaruerit: quæ quidem res eum cursum tenuit. Susceperat Marchio Lupoldus ex coniuge liberos quamplures, è quorum numero cum nonnulli ante pubertatis annos in vivis esse desiissent, è reliquis, filios tres natu majores, moderandis paterni imperij & politicæ gubernationis habenis destinaverat: Ottonem verò & Conradũ, qui postea ex Pataviensi Salisburgensis Pontifex factus est, nempe duos è superstitibus natu minimos, ecclesiastico vitæ degendæ generi emanciparat. Atque ut omissis cæteris de præsenti historiographo solùm verba faciamus, is literatæ pietatis præceptis à teneris imbutus, cum magnam de se spem præbuisset, à Marchione patre, qui Neoburgi in Austria secularium Canonicorum collegium proprijs opib. institui curarat, in cuius etiam claustro, & quidem capitulari loco, vnà cum consorte sua postea humari voluit, primus eius Collegii præpositus designatus est. Verùm eo ad uberiorem ingenii cultum aspirante, substituto sibi in eo munere Opoldo quodam, ærarii patrii sumptibus Lutetiam Parisiorum abiit, ad congerendas eruditionis opes in illius urbis gymnasio annis aliquot commoratus. Vnde tandem invisendi natalis soli desiderio, domum reversus, Ecclesiæ suæ varias Sanctorum reliquias, quibus tum templa & loca Deo sacrata augustiora reddi existimabantur, amplissimi xenii loco attulit: ibique diebus aliquot in parentum & amicorum complexu transactis, in pristinum studiorum emporium regressus est. Deniq; pluribus annis ibidem confectis, cum iam patrios lares repetiturus iter arripuisset, captus amore Cistertiensis instituti, quod tum temporis novum, illustrium ac nobilium hominum plurimi amplectebantur, ac divi Bernhardi Abbatis Claravallensis heroicis virtutibus illustrabatur, in Morimontio Burgundiæ monasterio pernoctans, cum 15 viris itineris sociis, sumpto illorum monachorum habitu, ordini nomen dedit, & exin abdicata præpositura, in eius loci Abbatem (quanquam sit qui eum Abbatem Paumgartebergensem appellet) evectus est.

At enim cùm is majore loco dignus videretur, anno salutis 1138. Conradus Cæsar fratrem ex umbratili vita in lucem quasi evocatum, vacanti Episcopatui Frisingensi præfecit: quam ille dignitatem, servato suæ professionis habitu annis viginti comiter & fructuosè gessit, sic ut non solùm Episcopatus sui res labantes fulciverit & alienatas recuperârit, sed etiam in publicis Ecclesiæ caussis coram Regibus atque Principibus eleganter atque viriliter perorârit. Sanè præter eximiam cum eloquentiæ tum prudentiæ laudem, id quoque Radevicus sacellanus & familiaris eius, lib. 2. cap. 11. illius industriæ tribuit, quòd Aristotelicam Philosophiam in Germania primus quodammodo excitârit: sacrarum denique literarum & mysteriorum cœlestis doctrinæ cognitione cum omnibus sui temporis Germaniæ Pontificibus certarit. Gravibus eum Imperii consultationibus atque negotiis à Conrado & Friderico Imp prudentiæ eius multum tribuentibus adhibitum fuisse constat. Inter ea memorabilis transactio fuit, anno 1156. in Conventu Ratisponensi inter Henricum Austriæ Marchionem, Ottonis germanum fratrem, & Henricum Leonem, Henrici superbi Bavariæ Ducis filium, super eodem Bavariæ Ducatu inita: in qua Barbarossæ auspiciis,

auſpiciis, graviſſimorum bellorum materia ſublata eſt, Henrico Marchione omni ſuo jure in Bavariam cedente, ac viciſſim in illius ceſſionis compenſationem, Principum judicio, Ducis titulum dignitatemque accipiente, Auſtriæ Marchionatu, cum acceſſione Provinciæ Superanaſſianæ (quam Auſtriaci à Bavaris eoſque recognoſcere ſoliti fuerant) in Ducatum commutato.

Biennio poſt cum Fridericus, Inſubrum rebellione motus, exercitum in Italiam ſecundo ducere decreviſſet, & Ottonem expeditionis comitem expeteret, utpote qui ante undecim annos Conradum etiam Cæſarem cum armatis in Syriam uſque aſſectatus fuiſſet: detrectavit militiam in præſens, inter orantes potiùs quam belligerantes verſari malens, atque ita Imperatori, id eius ætati ac meritis haut ægrè largienti, ſe facilè excuſavit. Accidit interea Ciſtertienſes Morimontij ſui ordinis conventum agere: quo cum ille (qui & antea ipſorum Capitulis, ut vocant, accerſitus intereſſe conſueverat) ipſa hyeme profectus fuiſſet: itineris longitudine, & vergentis ætatis imbecillitate in morbum incidit, cujus vi, poſt dies aliquot, ipſa videlicet bruma, anni Chriſti 1158. *inter fratrum manus, vitam cum morte mutavit:* 17. *anno, à quo extra muros Friſingenſes, in Iſara & Moſæ amnium confluxu, Præmonſtratenſib. cœnobium, Nova cella dictum, condiderat.*

Libros hos ejus, Regum hortatu conſcriptos, Ioan. Cuſpinianus Viennæ in monaſterio Scotorum repertos, anno 1515. *Schurerij Argentinenſis typographi prælo dedit: Auſtriaca ejus hiſtoria, quam olim Wolffgangum Lazium habuiſſe ferunt, etiamnum in tenebris latente.*

Argumentum & Ordo Librorum

octo Chronici Ottonis.

Primus liber protenditur uſque ad Arbacem, regnique Babylonici translationem factam ad Medos, initiumque Romani nominis.

Secundus, ad civile bellum Romanorum, Iulio Pompeioque auctoribus, actum, necemque Cæſaris, ac initium nativitatis Domini.

Tertius, ad Conſtantinum temporaque Chriſtiani Imperij, regni quoque Romani translationem factam ad Græcos.

Quartus, ad Odoacrum regnique invaſionem à Rugis.

Quintus, ad Carolum regnique mutationem ad Francos, & ad diviſionem Regni & Imperij ſub nepotibus ejus.

Sextus, ad Henricum quartum, ſchiſmaque inter Regnum & ſacerdotium, anathema promulgatum in Imperatorem, Papam Gregorium VII. Urbe pulſum, ac Salerni mortuum.

Septimus, uſque ad ſeditionem Romani populi, annumque IX Conradi Regis.

Octavus, de Antichriſto, reſurrectioneque mortuorum, & de fine utriuſque civitatis.

DOMI-

DOMINO SUO FRIDERICO VICTORI,

Inclyto, Triumphatori, Romanorum Imperatori, ac semper Augusto, Otto Dei Gratia Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, id quod est, in eo prosperari qui dat salutem Regibus.



ETIVIT Vestra Imperialis Majestas à nostra parvitate, quatenus liber qui ante aliquot annos De mutatione rerum, à nobis ob nubilosa tempora conscriptus est, Vestræ transmitteretur Serenitati. Parui ergo libens vestro Imperio tantò devotiùs, quantò Regiæ Excellentiæ conveniētiùs esse considero, ob Reipub. non solum armis tutandæ, sed & legibus & judiciis informandæ incrementum, antiqua Regum seu Imperatorum gesta vos velle cognoscere. Sic magnus ille Persarum Rex Assuerus seu Artaxerxes, quamvis ad agnitionem veræ lucis per cultum unius Dei non pervenisset, ex nobilitate tamen animi, Regiæ Magnificentiæ id expedire cogitans, Annalia quæ sub ipso, vel antecessoribus suis scripta erant, revolvi jussit: ita gloriam hanc, ne videlicet innocens tanquam reus puniretur, nocensque ut innoxius pœnam effugeret, adeptus est. Præterea cùm nulla inveniatur persona mundialis quæ mundi legibus non subjaceat, subjacendo coerceatur, soli Reges, utpote constituti supra leges, divino examini reservati, seculi legibus non cohibentur. Vnde est illud tam Regis, quam Prophetæ testimonium: Tibi soli peccavi. *Decet ergo Regem non solùm animi magnanimitate nobilitatum, sed & ad cognoscendum Creatorem suum divina gratia illuminatum, Regem Regum, Dominum dominantium Deum præ mente habere, & ne in manus ejus incidat, quantum potest modis omnibus præcavere. Cum enim juxta Apostolum, omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viventis: Regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habent quem metuant, eò erit horribiliùs, quò ipsi cæteris possunt peccare liberius: secundùm illud viri Sapientis, ubi ait:* Audite Reges, & intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures vestras, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationem scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri Regni illius, non rectè judicastis, neque custodistis Legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis, horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum in his qui præsunt, fiet.

Psal. 51. *Sap. 6.*

Vos autem, Princeps Clarissime, qui re & nomine Pacificus jure appellamini, quia noctem nebulosam & pluviosam ad delectabilia matutinæ serenitatis spectandam, cuique quod suum est conservando, reduxistis, pacemque amabilem mundo reddidistis, Deo (qui & principium) perseverantiam largiente: hujus tam amaræ sententiæ, divina favente Clementia, judicium non incidistis. Honesta ergo erit & utilis Excellentiæ Vestræ historiarum cognitio, qua & virorum fortium gesta, Deique regna mutantis, & cui voluerit dantis, rerum mutationem paventis, virtutem ac potentiam considerando, sub ejus metu semper degatis, ac prosperè procedendo per multa temporum curricula regnetis. Vnde Nobilitas Vestra cognoscat, nos hanc historiam nubilosi temporis, quod ante nos fuit, turbulentia inductos, ex amaritudine animi scripsisse, ac ob hoc non tam rerum gestarum seriem, quàm earundem miseriam in modum tragœdiæ texuisse: & sic unamquamque librorum distinctionem, usque ad Septimum & Octavum, per quos animarum quies, resurrectionisque duplex stola significatur, in miseria terminasse. Itaque si Vestræ placuerit Majestati, gestorum vestrorum nobilissimam inposterum memoriam stylo commendare, per notarios Vestræ Celsitudinis digestis capitulis, mihique transmissis, Deo dante, vitaque comite, ea læta, læto animo prosequi non pigritabor: nihil aliud pro munere expectans, nisi quod Ecclesiæ cui deservio, in opportunitatibus suis vestra subvenire velit Imperialis Clementia. De expeditione quam contra Mediolanensium superbiam ordinastis, ob honorem Imperii, vestræque personæ exaltationem libenter audivi, præceptumque vestrum super hac re humilitati meæ destinatum, reverenter suscepi. Misimus autem præsentium latores venerabilem Abbatem Rapatonem Sancti Stephani, & Capellanum nostrum Ragauinum, qui hanc historiam ex ore nostro subnotavit, ut de hoc verbo sub gratia vestra sufficienter respondeant.

PRÆCORDIALI AMICO SUMMIQVE INTER ORBIS PRINCIPES PRINCIPIS, NOBILI CANCELLARIO, Renhaldo, Otto Dei gratia Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, salutem & obsequium.



UM juxta Boetium, in omnibus Philosophiæ disciplinis ediscendis atque tractandis summum vitæ positum solamen existimetur: Vestræ Nobilitatis personam eo familiarius ac jocundius amplector, quò ipsius studio vos hactenus insudasse, in eaque apprime eruditum esse cognosco. Eapropter non ut rudi, sed ut Philosopho, de libro quem Domino Imperatori transmisi, vestræ industriæ confidentius scribo: petens, ne in quibusdam ibidem positis, sinistrũ, sed bonum vos Interpretem experiar. Scitis enim quòd omnis Doctrina in duobus consistit, in fuga & electione. Vt ergo ab ea quæ accedentibus ad Philosophiam prima est Grammatica, ordiar, ipsa est quæ secundum suam disciplinam docet eligere ea quæ conveniunt proposito, & fugere quæ impediunt propositum. Verbi gratia, certa lege dictionem dictioni secundum consimilia accidentia construere jubens, ea quæ non sunt talia, utpote Barbarismos & solœcismos purgando, fugere docet. Sed & Logica, cujus ad syllogismorum Doctrinam principaliter spectat intentio, judicium purgans & instruens, propositionum conjugationes inutiles ad syllogizandum purgando fugit: Vtiles autem instruendo eligit. Quare cum sedecim propositionum conjugationes inveniantur, in prima tantùm, juxta Aristotelem, figura quatuor utiles; decem inutiles reperiuntur. Geometer quoque partem falsigraphi ad impossibile ducens fugiendam, suamque demonstrationem necessarijs probans rationibus, eligendam ostendit. Sic Chronographorum facultas habet, quæ purganda fugiat, quæ instruendo eligat: fugit enim mendacia, eligit veritatem. Itaque non indignatur vestra discretio, nec sinistrè (ut dixi) imperialibus auribus interpretetur, si in historia nostra, contra antecessores vel parentes suos, ad observandam veritatem, aliqua dicta fuerint: cùm melius sit incidere in manus hominum, quam tetra fucatum superinducendo colorem faciei, scriptoris amittere officium.

Præterea quoque quo ordine currat hæc historia, breviter exponam, ut hoc cognito, qualitas Operis faciliùs pateat legenti. Quatuor Principalia Regna, quæ inter cætera eminerent, ab exordio mundi fuisse, in finemque ejus, secundum Legem totius, successive permansura esse, ex visione quoque Danielis percipi potest. Horum ergo Principes, secundùm cursum temporis enumeratos, primos Assyrios, post suppressis Chaldæis (quos inter cæteros Historiographi ponere dedignantur) Medos & Persas, ad ultimum & Græcos & Romanos posui, eorumque nomina usque ad præsentem Imperatorem subnotavi. De cæteris regnis incidenter tantum, & ad ostendendam rerum mutationem disputans: de diversis quoque religiosorum ordinibus, & Catalogo Regum in Laurento, Latio, Alba, ante Vrbem conditam regnantibus, & post Vrbem conditam: item de Catalogo Imperatorum seu Pontificum Romanorum, usque ad eum qui in præsentiarum est, disserui. Sicque in octavo de resurrectione mortuorum, fineque utriusque civitatis loquens, opus terminavi. Qualiter etiam Regnum à Regno supplantatum usque ad Imperium Romanorum fuerit, ostendi: hoc (quod de ipso dicitur, quod de lapide exciso de monte plenariè subvertendum sit) usque in finem temporum, juxta Methodium, expectandum æstimans. Valete.

PROOE-

PROŒMIUM
ad Singrimum.



ÆPE *multumque volvendo mecum de rerum temporalium motu, ancipitique statu, vario ac inordinato proventu, sicut eis inhærendum à sapiente minime considero, sic ab eis transeundum ac migrandum intuitu rationis invenio. Sapientis enim est officium, non more volubilis rotæ rotari, sed in virtutum constantia ad quadrati corporis modum firmari. Proinde quia temporum mutabilitas stare non potest, ab ea migrare (ut dixi) sapientem adstantem & permanentem æternitatis civitatem debere, quis sani capitis negabit? Hæc est civitas Dei, Hierusalem cœlestis, ad quam suspirant in peregrinatione positi filij Dei, confusione temporalium, tanquam Babylonica captivitate gravati. Cùm enim duæ sint civitates, una temporalis, alia æterna: una mundialis, alia cœlestis: una Diaboli, alia Christi: Babyloniam hanc, Hierusalem illam esse Catholici prodidêre Scriptores. Sed quia plerique gentilium, ad commendanda posteris gesta priorum, de una earum plura scripserunt, multa documenta virtutum, ut ipsi rati sunt: prosecutiones verò miseriarum, nostrorum judicio nobis reliquerunt. Extant super hoc Pompeij Trogi, Iustini, Cornelij, Varronis, Eusebij, Hieronymi, Orosii Iordanis, aliorumque quam plurium, tam nostrorum, quam illorum, quos longum est enumerare, monimenta præclara: in quibus non tam historias, quàm ærumnosas mortalium calamitatum tragœdias, prudens lector invenire poterit. Congrua sane, ac provida dispensatione creatoris id factum credimus, ut quoniam homines vani terrenis caducisque rebus inhærere desiderant, ipsa saltem vicissitudine sui deterreantur, ut à creatura ad creatorem cognoscendum, per transitoria vitæ miseriam mutantur. Nos autem tanquam in fine temporum constituti, non tam in codicibus eorum, ærumnas mortalium legimus, quam ex ipsis nostri temporis experimentis, eas in nobis invenimus. Vt enim de alijs taceam, Regnum Romanorum, quod in Daniele propter totius orbis bello domiti singularem principatum, quem Græci Monarchiam vocant, ferro comparatur, ex tot alternationibus, maxime diebus nostris, ex nobilissimo factum est pene novissimum. Vt de Vrbe, Senatu, populoque Romano, juxta Poetæ dictum:*

Vix magni stet nominis umbra.

Ab Vrbe quippe ad Græcos, à Græcis ad Francos, à Francis ad Longobardos, à Longobardis rursum ad Theutonicos Francos derivatum, non solùm antiquitate senuit, sed etiam ipsa mobilitate sui, veluti levis glarea, hac illacque aquis circumjecta, sordes multiplices, ac defectus varios contraxit. Ostenditur igitur in ipso capite mundi, mundi miseria, ipsiusque occasus toti corpori minatur interitum.

Sed quid mirum, si convertibilis est humana potentia, cum labilis sit etiam mortalium Sapientia? In Ægypto enim tantam fuisse sapientiam legimus, ut secundùm Platonem, Græcorum Philosophos pueros vocarent, & immaturos. Moyses quoque legislator, cum quo Deus tanquam vicinus cum vicino loquebatur, quemque divina sapientia replevit, erudiri omni sapientia Ægypti non erubuit. Nonne magnus ille Patriarcha, pater gentium à Domino constitutus, Abraham, Chaldæorum disciplinis institutus, scientia præditus, ad vocationem Dei mores deseruit, prudentiam non dimisit? & tamen illa magna Babylon non solùm sapientia præclara, sed & gloriosa in regnis, inclyta in superbia, juxta Esaiæ vaticinium, sine spe reparationis, Syrenarum facta est delubrũ, domus draconum & struthionũ, latibulum serpentiũ. Ægyptus quoque magna ex parte inhabitabilis narratur, & invia. Hinc translatam esse scientiam ad Græcos, deinde ad Romanos, postremo ad Gallos & Hispanos, diligens inquisitor rerum inveniet. Et notandum, quòd omnis humana potentia seu scientia ab Oriente incœpit, & in Occidente terminatur, ut per hoc rerum volubilitas ac defectus ostendatur. Quod in sequentibus, Deo annuente, plenius ostendemus.

Quia ergo propter has & hujusmodi varietates mundus probatur contemnendus, necessarium ratus sum ad petitionem tuam, frater charissime Singrime, historiam texere, per quam largiente Deo, ærumnas civium Babyloniæ, gloriam etiam Regni Christi post hanc vitam sperandam, in hac exspectandam ac prægustandam Hierusalem civibus ostenderẽ. Proposui verò prioris conflictationes & miserias, quantum Deus dederit, usque ad tempus nostrũ deducere. De spe quoque sequentis, quantum ex Scripturis colligere potuero, non tacere, sed & civium ejus

in hac peregrinantium memoriam facere. Sequor autem in hoc Opere, præclara, potissimum Augustinum & Orosium, Ecclesiæ lumina: eorumque de fontibus ea quæ ad rem propositum-ve pertinent, haurire cogitavi. Quorum alter de gloriosæ civitatis Dei exortu, sive progressu, debitisque finibus, quomodo inter mundi cives semper profecerit, quiq; ejus cives, vel principes, quibus principum, seu civium seculi temporibus extiterint, acutissime, disertissimeq; disputavit. Alter vero contra eos, qui Christianis temporibus priora præferentes inaniter garriebant, de rerum humanarum variis ac miserrimis eventibus, bellis, bellorumq; discriminibus, regnorum mutationibus, utilissimam ab orbe condito usque ad tempus suum texuit historiam. Quorum vestigia sequendo, sic de utraque dicere proposuimus, ut tenorem historiæ non omittamus, quatenus & religiosus auditor, quid in mundanis rebus ob innumeras mutationum miserias, abhorrendum sit, animadvertat, ac studiosus, seu curiosus indagator, non confusam rerum præteritarum seriem inveniat. Nec juste me reprehendendum arbitror, si post tantos, tantæq; sapientiæ ac eloquentiæ viros, imperitus scribere præsumpserim: dum & ea quæ ipsi copiosè, profuseque dixerunt, compendio stringere, & ea quæ post ipsorum tempora Ecclesiæ Dei profutura, seu contraria, à civibus mundi huius acta sunt, quamvis inculto stylo executus fuerim, nec illo me Satyrici versu Poetæ quo ait:

Scribimus indocti, doctiq; poëmata passim,

feriendum crediderim: dum non temeritatis, vel levitatis, sed charitatis, quæ semper imperitiam excusare novit, gratia, tam arduum Opus, quamvis indoctus, aggredi ausus sum. Neque dignè me quisquam in his, quæ juxta temporis huius consuetudinem, incredibilia fortè videbuntur, arguere mendacii poterit: cum nil usque ad recentem memoriam, præter illa quæ in probatorum virorum Scriptis reperi, pauca de multis posuerim. Non enim propter hoc eos, si quidam ex ipsis Apostolicam in scribendo servavêre simplicitatem, contemnendos indicaverim: dum sicut nonnunquam erroris fomes arguta sit subtilitas, sic semper veritatis amica sancta sit rusticitas. De hujus igitur ærumnosa mutabilitate, de illius felici stabilitate locuturus, DEUM qui hujus turbulentam confusionem patienter tolerat, illius jucundam tranquillitatem visione sui auget & glorificat, invocemus, quatenus ejus auxilio ea quæ sibi placent, dicere possimus.

OTTO-



OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS,

RERUM AB ORIGINE MUNDI, AD IPSIUS *usque tempora gestarum, Liber primus.*

CAP. I.

Divisio Orbis.



ESTARUM rerum ab Adam protoplasto, usque ad tempus nostrum, seriem executurus, primò ipsum quem habitat genus humanum orbem, sicut à majoribus accepimus, breviter distinguamus. Tres mundi partes esse Scriptores asserunt, Asiam, Africam, Europam. Quarum primam duabus posterioribus magnitudine coæquant, quāvis quidam duas tantùm partes constituerint, Asiam videlicet, & Europam, ita ut Africam propter sui parvitatem adjunxerint Europæ. Qui Africam tertiam mundi partem dixerunt, non rationes dimensionum, sed refluxiones marium secuti sunt. Quarum Provincias, situs, regiones qui velit cognoscere, legat Orosium.

CAP. II.

Qualiter Adam de Paradiso ejectus, utrosque cives genuerit, & quò tempore juxta Josephum, à paternis legibus declinare homines, & gigantes generari cœperint.

AD Orientem igitur, quantum ex Scriptis Geneseos conjici potest, in terra Eden creata Paradisus creditur. Ubi dum primus homo positus, verbo Dei factus inobediens, in hanc peregrinationem justo Dei judicio dejectus est, cœpit maledictionis terram excolere primùm in Asia. Generavit autem filios utriusque civitatis, de quibus agere proposuimus, primos cives: quorum prior invidia & bonis operibus alterius incitatus, fratrem interfecit, primusque in hac valle lachrymarum civitatem construxit. Occiso Abel, alius Adæ filius, Seth scilicet, qui resurrectio interpretatur, nascitur: à quo postmodum populus Dei propagatur. Ab hoc sextus magnus civitatis Dei civis Enoch fuit, qui in tantum Deo placuit, ut ab ipso translatus, ad ultima ecclesiæ tempora, in loco cunctis mortalibus incognito, vivus reservetur. Hominum verò genus crescere cœpit, & multiplicari, donec filij Dei ad filias hominum accedentes, generavere gigantes. Quod quidam minus gnaviter intelligentes, præsertim cum pro filijs Dei alia translatio habeat angelos, malignos spiritus assumptis corporibus, quos incubos vocant, mulieribus mixtos putant. Alij filios Dei ex Seth, filios hominum ex Cain natos autumant: ac illos ex harum conjunctione, sicut de Salomone habes, ad oblivionem Dei provocatos, indeque iram ejus in omnes pariter exarsisse affirmant. Et de his quidem qui ex Seth generati, usque ad septimam generationem justè vixerunt, Josephus in primo Antiquitatum libro sic ait: *Disciplinam rerū cœlestium, & ornatum earū primitus invenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus quæ ab eis inventa fuerāt,*

Locus Gen. cap. 6.

Lib. I. cap. 2.

aut

aut antequam venirent ad cognitionem, deperirent: cũ prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alterã aquarum vi ac multitudine fore venturam: duas quidem columnas facientes, aliam ex lateribus, aliam verò ex lapidibus, ambabus quæ invenerant conscripserunt: ut si constructa ex lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere: quæ tamen lapidea hactenus permanet in Syria. Et ista quidem VII. generationibus permanserunt. De alijs verò sic: *Deinde animum judicantes esse Dominum, & ad virtutem semper respicientes, tempore procedente de paternis solennitatibus ad mala progressi sunt.* Et infrà: *Nam mali angeli mulieribus coeuntes, injuriosos filios genuerunt: qui omne bonum despicientes propter confidentiam fortitudinis, similia his, qui dicti sunt à Græcis gigantes, perpetrasse traduntur.*

CAP. III.

De diluvio juxta Iosephum, & item de longitudine antiquorum patrum, gentilium auctores, annorum numerus juxta diversas translationes, capitaque familiarum ab Adam usque ad Noe.

ITAQVE cùm DEUS crescente malitia, genus humanum delere cogitasset, Noe justo viro, decimo ab Adam, cum uxore ac filiis, totidemque uxoribus eorum, quæ sunt octo animæ, in arca salvatis, cæteros aquis diluvij perdidit. Hujus diluvij & arcæ (quamvis quidam ex nostris ab Adam usque ad Ninum tempora à Scriptoribus gentium prætermissa, vel ignorata fuisse putent, ut item Josephus ait) memoriam faciunt omnes, qui historias barbaricas conscripserunt: quorum unus Berosus taliter est effatus: *Dicitur autem & navis ejus, quæ in Armeniam venit, circa montem Chordicum, adhuc aliqua pars esse, & quosdam bitumen inde tollere, quò maximè homines ad expiationem utuntur.* Meminit autem & horum Hieronymus Ægyptius, qui antiquitatem Phœniciæ noscitur descripsisse. Sed & Manaseas Damascenus in LXXXVI. Historiarum libro, ita de his dicit: *Est & super Miniadam excelsus mons in Armenia, qui Paris appellatur, in quo multos confugientes sermo est diluvij tempore liberatos, & quendam simul in arca devectum in montis Ocilæ summitatem, lignorumque reliquias multo tempore conservatas esse.* Item de Patribus, qui tam longo ante diluvium vixerunt tempore, Josephus in primo Antiquitatum libro sic ait: *Nullus ad vitam modernam, & annorum brevitatem, quibus nunc vivimus, vitam comparans antiquorum, putet falsa quæ de illis sunt dicta. Illi enim cum essent religiosi, & ab ipso Deo facti, cum eis pabula opportuniora ad majus tempus existerent præparata, tantorum annorum circulis ritè vivebant. Deinde propter virtutes, & gloriosas utilitates, quas jugiter perscrutabantur, id est Astrologiam & Geometriam, Deus eis amplius vivendi spacium concessit, quæ nec antè ediscere potuissent, nisi DC. viverent annis. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Testes autem mei dicti sunt, omnes qui antiquitatem apud Græcos & barbaros conscribere maluerunt. Nam & Manethon, qui descriptionem fecit Ægyptiorum & Berosus, qui Chaldaica defloravit, & Mochus, & Estius: adhac & Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicam disposuerunt, cum dictis meis concordant. Hesiodus quoque & * Egatheus, & Hellanicus, & Acusilaus, & inter hos Ephorus & Nicolaus in historiis suis memoriam faciunt antiquorum annis mille viventium.* Hæc Josephus. Quod autem superiùs dictum est, quosdam ex nostris à Scriptoribus gentium, tempora illa ignorata, vel stylo suppressa putasse, sic intelligi potest, quòd Barbaros non dignati fuerint inter Scriptores computare: vel quod tunc primò scripta aliqua auctoritate digna arbitrarentur, cum per annorum digestionem in ordinem redacta fuerint. Fuerant autem ab Adam usque ad diluvium juxta septuaginta Interpretes, M. M. CCLXII. juxta Hieronymum, M. D. LXVI. capita familiarum decem, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Jareth, Enoch, Matusalem, Lamech, Noe.

Lib. 1. cap. 3.

* Elatheus.

CAP. IV.

Quomodo post diluvium genus humanum à filiis Noe multiplicari, quibus in terris primò dispergi cœperit. De turre quoque Babel, & confusione linguarum. Auctoritas etiam de hoc Sibyllæ. Supputatio quoque diversa à Noe usque ad confusionem linguarum.

TRANS-

TRANSACTO diluvio, Noe cùm vineam plantaret, vinum bibens inebriatur, & ex ebrietate nudatur. Quod unus filiorum videns, derisit, alter operuit. Fuerunt itaque hi duo fratres, primi post diluvium cives civitatum, de quibus agimus. Ab his & tertio, Sem scilicet, Cham & Japhet, diffusis ubique filiis, nepotibusque illorum, universum genus hominum propagatur. Unde Josephus: *Galatha olim sunt dicti Gomoritæ, quos Gomer instituit. Magog, qui & Scythæ, Magogas à se institutos nominavit.* (Ant. lib. 1. cap. 6.) Medi à filio Japhet Madeo. Jonij, Helladicique à filio Japhet Jano. Thyras Thyrenses, quibus Græci Tracum nomen mutaverunt. Cethim autem Cethimam insulam habuit, quæ nunc Cyprus dicitur, & ab ea omnes insulæ, & maritima loca Cethim Hebraicè nuncupantur: (Cethim.) unde & quædam civitas Cypri, Cythis à Græcis nominatur. Omnibus verò erat lingua una, & labium unum. Superbia igitur instigante, turrim, seu civitatem in campo Sennaar, auctore Nemroth, qui de stirpe Cham descenderat, quæ cœlos attingeret, cogitaverunt construere. Quod Moyses noster in Genesi hoc modo prosequitur: (Gen. c. 10.) *Filij Cham, Chus, & Chanaan. Chus genuit Nemroth, ipse cœpit potens esse in terra, & erat robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Archat, & Chalanne in terra Sennaar.* Sed Dominus inspector cordiū, justusque judex, hanc in tenera mundi ætate emergentem contumaciam non ferens, animadvertere voluit, linguasque eorum confudit: propter quod & turris ab hac confusione Babel nomen accepit. Hinc LXXII. linguæ per totum orbem dispersæ sunt. Hæc est illa Babylon, figurans eam, cujus sunt cives omnes, qui ordinationi DEI superbè resistere conantur, ac per hoc confusione digni ab æterno judice reputantur. Hujus turris & confusionis (ut item in libro Antiquitatum ait Josephus) meminit Sibylla, dicens: *Cùm omnes homines unius vocis existerent, quidam turrim excelsam ædificaverunt, tanquam ascensuri per eam in cœlum. Dij verò immittentes ventos, everterunt turrim, & vocem propriam unicuique partiti sunt, & propterea vocari contigit Babylon civitatem.* De campo verò Sennaar in regione Babylonis meminit Estius, ita dicens: *Qui vero de sacerdotibus sunt erepti, Iovis sacra sumentes, in Sennaar Babylonis venerunt.* Fiunt autem secundùm Septuaginta à diluvio usque ad Nemroth, principatumque Heber, unde Hebræi, anni D. XXXI. secundùm supputationem verò Hieronymi C. & unus, quæ talis est: Sem genuit Arphaxat biennio post diluvium, Arphaxat verò XXXV. genuit Sale, Sale XXX. genuit Heber, Heber XXXIV. genuit Phalech, cujus diebus per confusionem linguarum divisa est terra. Septuaginta inter Sale & Arphaxat medium Chainan ponunt, eique CXXXV. annos tribuunt. Prædictis etiam & pòst nominandis, longè plures quàm Hieronymus antequam generarent, annos supputant. Quare & in annorum ratione discrepant. Quos Lucas Evangelista in genealogia sua secutus, *Qui fuit* (inquit) (Luc. 3.) *Sale, qui fuit Chainan, qui fuit Arphaxat.*

CAP. V.

Supputatio diversa à confusione linguarum usque ad Ninum & Abraham, & annalium inchoatio.

A Confusione verò linguarum usque ad nativitatem Abrahæ, juxta priores fiunt D. XLI. juxta supputationem verò posteriorum, anni CXLI. quæ talis est. Phalech XXX. anno genuit Reu, sub quo templa primum constructa, hominesque pro diis adorati fuisse traduntur. Reu XXXII. verò genuit Saruch, Saruch XXX. genuit Nachor, Nachor XXXIV. genuit Thare, sub quo regna Assyriorum & Sicyoniorum, Assyriis Belo, Sicyoniis Ægialeo imperantibus, orta sunt. Thare LXX. anno genuit Abraham. Fiunt ergo juxta alios M. LXXII. anni à diluvio usque ad Abraham. Quos Augustinus, cùm amplius quàm mille annos à diluvio usque ad Ninum fuisse dicat, sequi videtur. Juxta supputationem verò aliorum, minùs quàm CCC. in quibus annorum supputatio in duabus ætatibus satis conturbatur. Hæc omnia juxta nostros. Porrò annales gentilium ab Imperio Nini incipiunt. Quos sequentes, simulque nostros cum illis auctores conferentes, humanæ miseriæ historiam à Nino incipiamus: quam per annos ab ipso usque ad urbem conditam, ab urbe verò condita usque ad Christum digestam, à Christo ad nos usq; Deo adjuvante, per annos item perducamus.

CAP.

CAP. VI.

De hoc quòd Ninus primò arma extulerit, & quòd homines illo in tempore juxta plurium auctoritates agrestes fuerint, & quòd Ninus Ninive condiderit, & Zoroastrem occiderit.

Belus Nini filius.

ITAQVE anno post diluvium, secundum Septuaginta, M. XXXII, vel III, Belo mortuo, qui per LXXV. annos regnum Assyriorum in pace tenuerat, Ninus filius ejus primus (ut traditur) propagandæ dominationis libidine, genus hominũ cruentare non metuens, bellorum inquietudines orbi induxit, totumque penè Orientem imperio suo subegit: quod tantò liberiùs facere potuit, quòd homines adhuc rudes & agrestes, nec armis tutati, nec bellis exercitati, nec rerum bellicarum scientia præditi fuerant. Quippe qui nullis adhuc legibus aut disciplinis in unum coierant, & (ut ait Euseb.) ferino magis, ac beluino more oberrantes, non urbes ad societatem, non mores ad honestatem, non leges ad vitæ justitiam tenuêre. Artium verò disciplinarumque apud eos, & Philosophiæ ne ipsum quidem nomen habebatur; sed agrestes & vagi per deserta, nullis sedibus, vagabantur. Sed & Tullius in prologo Rhetoricæ primæ: *Fuit quoddam tempus, cùm in agris homines bestiarum more passim vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam aspexerat liberos, non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem & inscitiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur perniciosissimis satellitibus.* Sic Tullius. Erat etiam tunc regnum Sicyoniorum in Europa, quod quadragesimoquinto anno Beli cœperat, sed parvum: à quo doctissimus Marcus Varro scribens, velut ab antiquo tempore Romanorum historiam ordiri cœpit, eo quòd ad Athenienses, & inde ad Romanos traductum, eorum quasi fons & origo extiterit. Unde est item illud Ciceronianum: *Imperium Græciæ fuit penes Athenienses, Atheniensium potiti sunt Spartiatæ, Spartiatas superaverunt Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ brevi tempore adjunxerunt Asiam bello subactam.* Sic ille. At his à Romanis Imperium ereptum, nemo qui historias novit, ambigere potest. Fuit & regnum Ægyptiorum, quod tunc cum aliis Asiæ regnis Assyriis subjacebat. Totam enim Asiam, excepta India, quam post mortem ejus Semiramis haud contenta terminis, quos à viro solo bellatore susceperat mulier, regno adjecit, Nino subditam legimus. De his ergo, quæ regni ejus tanquam appendices fuere, necesse dicere non est. Ædificavit ergo Ninus civitatem maximam, quam ex nomine suo Ninam, seu Ninive vocavit: quæ adhuc in Mesopotamia posita, mutato nomine lingua eorum *Nivissa* vocatur. Quod Moyses noster in libro Geneseos latenter innuit. Cùm enim, ut superius posui, de Nemroth dixisset, quòd principium regni ejus fuerit Babylon in terra Sennaar, adjunxit: *De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Ninive.* Sed & Josephus, *Assur* (ait) *Ninum constituit civitatem*: quod tamen quidam ad Noe nepotem Assur interpretantur. Unde apparet Babylonem fuisse ante Ninum, Semiramidemque uxorem Nini, instauratricem ejus potiùs dicendam, quàm conditricem. Ninus Zoroastrem magicæ artis repertorem interfecit. De quo Aristoteles scripsit, quòd vicies centum versuum millia condiderit, cujus artem longè pòst Democritus ampliavit.

De Invent. lib. 1.

Ninus.

Gen. 10.

CAP. VII.

De nativitate Abraham, & exitu ejus de terra Chaldæorum, morteque Nini.

ANNO ab Imperio Nini XLII. vel XLIII. regnante apud Sicyonios Europæ Rege secundo, in Chaldæa natum asserunt esse Abram, qui multarum gentium futurus patriarcha à Domino vocatur; auctoque nomine ab ipso dictus est Abraham: præcipiturque ei, ut non solùm affectu, sed & loci mutatione cives Babyloniæ fugiat, ac terram (quæ hujus de qua agimus, civitatis typus esse dignoscitur) magnus ejus civis futurus, introeat. Refert Philo eum à Chaldæis, eò quòd ignem ritu ipsorum adorare nollet, in ignem projectum, sed mox ad invocationem domini liberatum: juxta illud: *Eduxit eum Dominus*

minus de Ur Chaldæorum. Ur enim lingua eorum ignis vocatur. Sed & Josephus; *Meminit* (inquit) *Patris nostri Abraham Berosus, non quidem nominans eum, sed ita dicens: Post diluvium decima generatione, apud Chaldæos fuit quidam vir justus & magnus, in cœlestibus rebus expertus.* Nicolaus verò Damascenus in quarto Historiarum sic ait: *Abraham is regnavit in Damasco, veniens advena cum exercitu de terra, quæ super Babylonem dicitur Chaldæorum.* Porrò Ninus cruentam victoriam, tanquam lupus sæviens inter oves inermes exercens, quinquagesimo Regni anno, in oppugnatione urbis cujusdam sagitta percussus interiit: in ipsoque veridicè impletum est: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Ant. lib. 1. cap. 7. Matth. 26.

CAPUT VIII.

De Imperio Semiramidis, & instauratione Babylonicæ civitatis: traditio quoque Treverorum, de exordio civitatis suæ: & de morte Semiramidis, ac exordio Regni filij sui Nini.

OCCISO Nino, Semiramis uxor ejus, mulier viro immanior, Orientis Imperium rexit, Æthiopiamque & Indiam ferro domitas subjecit. De cujus non solùm crudelitate, sed etiam execrabilis libidinis voluptate, quia multi multa dixerunt, supersedemus. Hæc post mortem mariti, XLII. annis regnavit, ac medio Imperij sui tempore, urbem potentissimam, nobilissimam, opulentissimamque, ac totius Orientis caput, ex turre Babel, cocto latere ac bitumine instauravit Babyloniam. Treverenses tradunt, quòd privignum suum Trebetam post mortem Nini Regno expulerit. Qui classe facta, ex Asia in Europam profectus, id est per mare in Rhenum, ac inde per Mosellam in valle pulcherrima Galliæ consedit, ibique florentissimam, opibusque confertissimam, ac totius tunc caput Galliæ urbem fundavit, quam Treverim ex nomine suo appellaverit. Quæ quanta qualisque fuerit, ex ipsa ruina sui liquidò probari poterit. Monstratur ibi palatium miri operis, quod instar Babylonici muri ex cocto latere factum, tantæ adhuc firmitatis manet, ut non solùm hostem non timeat, sed etiam nulla operum arte frangi queat. Porta quoque ibi ostenditur, quæ ex incredibili lapidum magnitudine ferro junctorum compacta, in superficie sui corpora beati Simeonis, ac venerabilis præsulis Popionis in Ecclesia ab eodem Pontifice facta fovere cernitur. Extant etiam ibi antiquæ nobilitatis (ut ipsi ajunt) monimentorum insignia, è quibus nostris ibi temporibus repertum, & in lapide sculptum infrà posuimus Epitaphium: Treveris.

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio privignum Trebeta Regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.
Treueris, &c.

Semiramis dum filium suum Ninum seu Niniam de illicito ac incestuoso solicitare audet concubitu, ab eo (ut traditur) interficitur, eique successit in Regnum filius.

CAP. IX.

De habitatione Abraham cum Loth consobrino suo in terra Chanaan, & subversione Sodomorum.

ANNO ab Imperio Nini CXIII. anno verò ætatis suæ LXXV. regnante apud Assyrios Nino IIII. apud Sicyonios V Thelxione, cum Sara uxore sua, Loth quoque consobrino, de terra Chaldæorum egressus Abraham, habitare cœpit in terra Chanaan: Loth verò tanquam Hierusalem civis, in Sodoma civitate peccatorum habitans, multis modis pro malis eorum operibus, tanquam granum inter paleas, tribulabatur. Volens ergo Dominus tam justum à tentatione eripere, quàm fœtida iniquorum scelera, novo & exquisito ultionis genere punire, igne ac sulphure quinque civitates (quod Græci πεντάπολιν vocant) delevit: justumque ab Angelo præmonitum misericorditer in montem educens, liberavit, anno ab Imperio Nini CXL. Jam tunc inter tenera mundi rudimenta monstrabantur

bantur cives Babyloniæ,mundique amatores,inter quos nunc premitur ac conculcatur Ecclesia,in extremo judicis examine cum auctore suo igne puniendos æterno, justosque ab eis separatos, in cœlestis Regni habitaculum assumendos fore.

CAP. X.

Quòd Abraam signum circumcisionis acceperit, & quorum Principum tempore geminos cives genuerit, rursumque quod Isaac in typum futurorum duos genuerit.

ABRAAM verò gentium futurus Patriarcha, primus circumcisionis signum,& spem repromissionis accepit, generavitque duos filios, Jsmael & Jsaac: quorum unus secundum carnem,alter per repromissionem,juxta Apostolum,natus est,imperante Assyriis Assyrio v. apud Sicyonios adhuc manente Thelxione,qui propter læta & mitia Regni sui tempora mortuus,à suis cultu Dei honoratur. Fuerunt autem præfati duo fratres post datam circumcisionem,utriusque civitatis, unde agere cœpimus,primi cives: posteriorque à priore persecutionem in typum futurorum passus est. Et nota,quòd inter harum trium ætatum primordia,ab uno patre editos hos cives invenies , ut per hoc una fide præditos, uno fonte genitos,utrosque uno simul sinu populos, longè retroactis seculis contentura fore monstretur Ecclesia. Genuit autem & Isaac geminos ex uno (ut Scriptura refert) concubitu, sæpe dictarum cives civitatum, Esau & Jacob fratres. Hic est Jacob, qui Dominum à facie ad faciem vidit,& vocatus est Israel,à quo secundùm carnem carnalis,secundum Spiritum spiritualis propagatus est Israel. Hi sunt tres Patriarchæ sæpe nominatæ cives & Principes civitatis, quorum & meriti & fidei prærogativa,Dominus se appellari voluit Deum,dicens: *Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob.*

Galat. 4.

Thelxion Sicyoniorum numen.

Gen. 25.

Exod. 3.

CAP. XI.

Quorum Principum tempore Abraam mortuus fuerit, & ad filium, nepotemque suum repromissio facta sit. De legibus Græciæ datis sub Phoroneo. De Pheio, & Io Inachi filia.

MORTUUS est Abraam annorum CLXXV. regantibus apud Assyrios Xerxe, qui & Baleus,& apud Sicyonios Turicho,seu Turimacho,septimis regibus:octavis quoque Armamithre apud Assyrios,apud Sicyonios Leucippo,apud Argivos (quorum cum Abrahæ nepotibus ortum est Regnum) Inacho primo regnantibus, ad Isaac sicut & ad patrem suum,facta est repromissio. Imperantibus autem Assyriis Belocho IX. Argivis Phoroneo Inachi filio,apud Sicyonios adhuc permanente Leucippo, facta est eadem repromissio Jacob. Iisdem diebus sub Phoroneo legibus & judicijs informata primùm fuisse Græcia dicitur. Phegius quoque frater ejus mortuus,ab eis adoratus est ut Deus. Io etiam Inachi filia,pòst Isis dicta,& ab Ægyptiis pro Dea maxima postmodum culta, jisdem fuisse invenitur temporibus. Hæc (ut alij dicunt) ex Æthiopia orta est,ejusdem gentis Regina,justè lateque imperavit,ac literas Ægyptias invenit,unde & cultum divinum ab eis meruit.

Argivorum Regnum.

Isis.

CAP. XII.

De prælio inter Thelscisces, Charathasos, Phoroneum, Pharphasios, & exordio habitationis Rhodi Insulæ.

CIRCA idem tempus pervicax fuisse prælium inter Thelscisces & Charathasios, adversus Phoroneum Argivorum Regem,& Pharphasios ancipiti gestum victoria fertur: tandemque à Phoroneo victos ac profugos factos,in Rhodo Insula, quæ Ophiusa tunc dicebatur, quam omnes humanæ habitationis exortem putabant, concedisse Thelscisces. Ex hinc eadem Insula,in qua Colossus civitas posita est,satis opportuna carinis,inhabitari cœpit.

CAP.

CAP. XIII.

De diluvio Ogygij, & apparitione Minervæ, & quorum principum tempore Isaac mortuus sit.

ANNO ab Imperio Nini CCLX. sævum in Achaja Ogygij Eleusinæ conditoris ac Regis fuit temporibus diluvium, quod & ab ipsius nomine Ogygij diluvium est appellatum. Minerva tunc ad lacum Tritonis in virginali ætate apparuisse dicitur, unde Tritonia vocatur. Regnantibus Assyriorum X. Rege Baleo, Sicyoniorum IX. Mesapo, Argivorum III. Api, mortuus est Isaac, CLXXX. annorum, Jacob & Esau CXX. annos habentibus.

CAP. XIV.

Quorum principum tempore fames in Ægypto sub Joseph fuerit, auctoritatesque gentilium de hoc Joseph testimonium perhibentium.

ANNO ab Imperio Nini CCXII. regnantibus (quos jam nominavi) Baleo, Api, sub Ægyptiorum Rege Diopolita, cui nomen Amasis erat, fuisse in Ægypto maximam primò ubertatem, pòst intolerabilem famem, cui Joseph unus de XII. Jacob Filijs, à Fratribus venditus, sed ex DEI dispensatione toti Ægypto præpositus divina provisione subvenerit. Pompeius quoque, ac Justinus ejus breviator sic refert: *Minimus ætate inter fratres Joseph fuit, cujus excellens ingenium fratres veriti, interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cùm magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, in brevi ipsi Regi percharus fuit. Namque & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur, adeò ut etiam agrorum sterilitatem futuram ante multos annos prospiciens, fruges congregasset: tantaque ejus experimenta fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo responsa viderentur.* Sic Justinus. Qualiter verò populus Dei in Ægyptum descenderit, ibique peregrinatus fuerit, Moyses noster, quem & ipsi scientem, sapientemque (ut postea monstrabitur) testantur, scriptum reliquit. Iustin.lib.36.

CAP. XV.

De idolo Serapis unde exordium sumpserit.

EA tempestate magnum idolum Ægyptiorum Serapis, quod Christianis temporibus sub Theodosio Imperatore Ecclesiastica destructum narrat historia, Argivorum Regi Api illo navibus transvecto, ac ibidem mortuo, ab Ægyptiis est factum. Cur autem post mortem ejus non Apis, sed Serapis dictum sit, Varro hujusmodi causam reddit: Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes sarcophagum vocant, σορὸς dicitur Græcè, & ibi venerari eum sepultum cœperunt, priusquam templum ejus esset constructum, velut *Soros* & *Apis*, Sorapis primò, deinde una litera (ut fieri assolet) commutata, Serapis dictum est. Ferunt tamen quidam, Joseph nostro, eo quòd Ægyptios à fame liberaverit, hoc factum fuisse simulachrum. Serapis.

CAP. XVI.

De *Argo, unde Argivi. Quibus diebus Jacob mortuus sit. De seminibus primò allatis in Græciam.* De *morte Joseph, & nativitate Moysi: & quorum principum tempore hoc factum fuerit.* De *Prometheo, & Atlante, Atlantisque nepote Mercurio.*

MORTUO Api, filius ejus Argus, ex quo Argivi appellati sunt, patri successit in regnum. Hujus diebus regnante apud Sicyonios Erato, apud Assyrios manente adhuc Baleo, mortuus est Jacob annorum CXLVII. Tunc etiam delatis aliunde seminibus, primò cœpit habere segetes Græcia. Et nota, quòd Græcia, quæ cæteras præcellit gentes sapientia, aliunde segetes: in se, & à se (ut ex priori patet historia) acce-

pit leges. Prius informatur judiciis & legibus, quàm redundet panibus. Imperante Assyriis XII. Aminto, Sicyoniis XI. Clemineo, apud Argivos manente adhuc Argo, Ioseph C & X annos habens, in Ægypto moritur. Post cujus mortem populus Dei in Ægypto cœpit crescere ac multiplicari, mortuisque eis qui noverant Ioseph, ab Ægyptiis graviter affligi. Itaque Moyses ejusdem populi futurus liberator, natus est, regnante apud Assyrios XIV. Sapro, apud Sicyonios Orthopoli. Iisdem temporibus Prometheum, qui ob *Prometheus.* nimiam sapientiam de luto homines fecisse fingitur, *Atlas.* Atlantem etiam fratrem ejus, qui ob *Hermes Termaximus.* scientiam astronomiæ cælum portare dicitur, fuisse ferunt. Hujus Atlantis ex Maja filia nepos Mercurius (qui & Hermes Ægyptius, seu Trismegistus) magnus Philosophus fuit, qui miræ profunditatis philosophicos libros edidit.

CAP. XVII.

De diluvio Deucalionis, & æstu Æthiopiæ. De Baccho, qui & Liber pater, & ortu Athenarum.

ANNO ab Imperio Nini CCCCXC. regnante apud Athenas à Cecrope XXX. Amphitrione, vel juxta alios sub ipso Cecrope, memorabile illud sub Deucalione diluvium fuit. Qui idcirco, quòd venientes ad se circa montem Pamasum ratibus eductos fovit & aluit, genus hominum reparasse in fabulis legitur. Ea quoque tempestate, diris morbis, Pestilentiaque mortifera æstuasse Plato refert Æthiopiam. Iisdem diebus gentem simplicem, ac nulli unquam obnoxiam, suisque terminis contentam, Liber Pater sanguine madefecit, libidinibus polluit Indiam. Sed quia Athenarum fecimus mentionem, qualiter, & à quo condita, vel cur hoc nomen sortita fuerit, dicamus. Cùm ergo à Cecrope conderetur, vel instauraretur, apparuisse ibi uno loco olivæ arborem, aliò erupisse aquam, Varro refert. Motus his Rex prodigijs, ad Delphicum Apollinem sciscitandi gratia cum misisset, ille respondisse dicitur: Olivam Minervam, aquam Neptunum significare, in potestateque civium esse, ex cujus potissimùm nomine civitatem vellent vocare. Rex convocatis utriusque sexus populis, statutisque ex una parte maribus, ex alia fœminis, cùm una persona masculos excederent fœminæ, Minervæ dicandam hoc nomine civitatem ju- *Athenæ.* dicaverunt. Ita civitas vocata est fœminino genere pluraliter Athenæ, quod singulari numero Minervam in Græco sonat. Ob ea, dum exæstuanti mari nō multò post ipsorum terræ vastarentur, Neptuno quasi Deo maris hoc ascribentes, per hæc, ne ulterius suffragia mulierum quærerent, eum placare statuerunt. Sicque nobilissima illa liberalium artium, Philosophorumque maximorum nutrix futura, in prima conditione sui, ludificatione dæmonum inchoatur.

CAP. XVIII.

Quorum Principum tempore Moyses filios Israel de Aegypto eduxerit: testimoniumque de hoc Pompeii, Iustini, Cornelii, Scriptorum gentium.

ANNO ab Imperio Nini CCCCXCV. Regnantibus apud Assyrios Ascalthide, apud Sicyonios Maratho, apud Argivos Triopha, *Moyses.* Moyses vir Dei, decem antea plagis percussa Ægypto, de servitute ejus liberatum eduxit Israel. Quod Iustinus, seu Pompejus, atque Cornelius, uterque, sed vario modo testantur. Ait ergo Pompejus, sive Justi- *Iustinus l.36* nus ita: *Filius Ioseph Moyses fuit, quem præter scientiæ paternæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii cum scabiem atque vitiliginem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit; quæ armis repetentes Ægyptij, domum redire tempestatibus compulsi sunt.* At verò Cornelius de eadem re sic ait: *Plurimi auctores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bochorim adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum ut invisum diis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lachrymas torpentibus Moysen unum exulum monuisse, ne*

quam

quam deorum hominumque expectarent opem, sed sibimet duci cœlesti crederent, primò cujus auxilio præsentes miserias propulissent. Itaque ambo isti quamvis ab eo multa strenuè acta, malitiosè celaverint: magno tamen illi duci Moysi nostro testimonium præbuere inviti. Hæc idcirco de historiis ponere volui gentium, ut ostenderem, cives Babyloniæ ad damnationis suæ cumulum veritatis assertores scisse quidem, sed erroris mendacia non deseruisse. Eo tempore Sole per devia oberrante feruor intolerabilis terras exussit. Vnde ridiculosam Phaethontis fabulam vario errore delusa gentilitas texuit. *Phaethontis fabula.*

CAP. XIX.

De Danao, Perseo, & diversis abominationibus gentium: Unde de Babylone fugiendum, & ad cives nostros transeundum sit.

ANNO ab Imperio Nini DXXXV. quinquaginta parricidia inter Ægypti Danaique fratrum liberos una nocte commissa feruntur. Danaus autem tanti sceleris auctor, ad Argos cedens, & à Stenelao Rege ipsorum humanè susceptus, postmodum eum infideliter regno expulit, & ipse pro eo regnavit. A quo Danaûm genus tractum puto, ab eoque perfidiæ scelus ad illos derivatum esse. Vnde & illud Vergilianum: *Argivi Danai vocitati.*

Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab uno Disce omnes. Qui rursum: *Timeo Danaos, & dona ferentes.*

Iisdem diebus Perseus à Græcia in Asiam navibus transvectus, barbaras gentes domuit, easque de nomine suo Persas vocavit. *Persæ.* Pudet hîc execrabiles flagitiorum recessus pandere. Tunc enim Busyris hospites suos diis suis immolantis viguit immanitas. Progues & Philomelæ parricidium, appositumque marito ab uxore filium, quis non gemens audire poterit? Omitto Tantali, Pelopisque facta turpissima, Ganymedemque Trois Regis filium, à Tantalo Phrygiorum Rege flagitiosissimè sub nomine Dei sui Iovis raptum, maximumque bellum inde excitatum. Quid de flagitiis Lemniadum, de OEdipo interfectore patris, matre, marito filiorum fratre, vitrico suo, de Medeæ quoque veneficiis, ac crudeli amore dixerimus? Nonne tanta, tamque inaudita hujus temporis scelera fuere, ut etiam fugisse astra ab ipsis civibus mundi dicantur? Quid igitur hîc aliud, quàm fugiendum esse de medio Babylonis, eiusque sceleratissimorum civium consortio, atque ad cives nostros transeundum asseruerim?

CAP. XX.

Quot annos Moyses ductor populi Dei fuerit, & quot annorum mortuus, Iesu in formam secundi ducatum populi reliquit, & quòd non sine causa novis & inauditis tunc mundus sceleribus inferbuit.

MOYSES ex Ægypto populo Dei educto, legem in monte Synai dedit, per quadragintaque annos rector eorum in deserto existens, annorum CXX. moritur, Iesuque filio Nave ducatum populi reliquit. Hic primus officio, nomineque formam gerens Salvatoris, in terram promissionis, quæ hujus, unde agimus, typus est civitatis, populum Dei inducere meruit. *Iosua.* Non fortuitis casibus, sed Dei providentiæ, dividentis inter lucem & tenebras, ascribendum reor, quòd circa tempus egressionis filiorum Israel ex Ægypto, vel juxta alios, mansionis in terra promissionis, novis & inauditis, ut modò retulimus, mundus inferbuit sceleribus. Ut enim Rege cœli Christo nato, Rex terræ turbatus legitur Herodes: sic non immeritò Domino in Ægyptum descendente, populumque suum inde educente, diabolus turbatus, ad ausus nepharios, factaque sceleratissima, permissam sibi civitatem incitavit. Unde & adhuc Domino de Ægypto mundi hujus servos suos ad regnum suum vocante, mundum frequenter concuti ac turbari videmus. Eadem ratio est, si circa introitum populi Dei in terram promissionis, & ejectionem gentium ibi morantium, talia fuere.

CAP. XXI.

De bello Cretensium, & Atheniensium, & Minotauro: Vndeque fabula Centaurorum orta sit.

ANNO ab Imperio Nini DCXL. fuisse bellum immane inter Cretenses & Athenienses, victoriamque magis Cretensibus cessisse ferunt, victosque ex Atheniensibus Minotauro, aut fero homini, aut humanæ bestiæ expositos. Quam historiam non solùm ex hoc bellò, sed etiam ex artificiosis factis Dædali, in fabulis notissimam, à puerisque in scholis tritam, prosequi non oportet. Ea tempestate Lapithæ cum Thessalis decertantes, Thessalosque discurrere in equis à longè videntes, equis mixtos putabant, & exhinc Centaurorum fabula traducta est.

Centauri.

CAP. XXII.

De Vesore Rege Ægypti, & Scythis, dominatuque Scytharum in Asia.

ANNO ab Imperio Nini DCCCXX. Vesores Rex Ægypti Scythis bellum indixit. Cui Scythæ ridiculosè responderunt: frustra ditissimum Regem contra pauperes bellum sumpsisse. Adiiciunt etiam, se non oportere ad ipsos venire, cùm ei ultrò occurrere parati sint. Dicta factis sequuntur. Pugna conserta est, fugienteque Vesore, ac destituto exercitu, præda magna capta: Scythæ quoque Ægyptum populati essent, si Nili paludibus coerciti non fuissent. Inde revertentes Asiam pervagantur, eamque penè totam vectigalem fecerunt. Itaque dum per XV. annos ibi morarentur, mulieribus denunciantibus, prolem se à finitimis, ni redeant, recepturas, reverti coguntur.

CAPUT XXIII.

De exordio Amazonum, & principatu earum: qualiter Ephesum, & in ea templum Dianæ condiderint: & cur Amazones dictæ sint.

Iustinus, Plinius & Scolopythus habet. Ita & Orosius.

MEDIO tempore duo regij juvenes Plinius & Scolopetius Scythia pulsi, cum ingenti multitudine, in Ponti & Cappadociæ oris juxta Thermodoontem amnem consedere. Ubi dum vicina quæque popularentur, insidiis finitimorum trucidantur. Horum uxores exilio simul ac viduitate permotæ, fœmineæque fragilitatis oblitæ, maribus qui superfuerant occisis, arma sumpsere: petitisque à vicinis connubiis masculos necabant, fœminas servabant. Ex his Amazonum genus traductum est. Quæ in tantum (mirabile dictu) invaluere mulieres, ut penè toti Asiæ ac Europæ imperarent. Hæ dicuntur illo tempore Ephesum condidisse, ac Dianæ tanquam Deæ belli, templum multis dehinc seculis famosum fabricasse. Porrò ex eo quòd dexteras, ne ictum sagittarum impedirent, adurebant mamillas, Amazones, quasi sine mamillis sunt dictæ.

Amazones. Ephesus.

CAPUT XXIV.

Quorum principum tempore Jesus mortuus sit, & de judicibus qui post eum fuerunt. De Cadmo, & Theologis. De regno Micenarum, ac regno Laurenti in Italia, & Carmenti nympha.

MORTUUS est autem Jesus in terra promissionis, regnantibus apud Assyrios XVIII. Amintha, apud Athenienses IV. Erichthonio, apud Sicyonios XVI. Corace, apud Argivos X. Danao. Ex hinc cœperunt esse judices in populo DEI usque ad Saulem, quorum primo judicante Othoniel, Cadmus Græcas literas invenit. Per idem tempus fuere Theologi, qui de diis falsis canerent, Orpheus, Musæus, Linus. Regnum etiam finitum est Argivorum, & translatum est ad Micenas, unde fuit Agamemnon. Exortum quoque est in Italia regnum Laurentum, ubi pater Fauni, Picus Saturni filius, (qui & Sterces, eo quòd primus stercore agros fœcundari fecit, dicebatur) post patrem regnavit. Delbora fœmina prudente, ac prophetissa judicante Israel, Assyriis verò imperante XXIV. Lamphere, Apollo citharam condidit, ac artem medicinæ invenit. Non multò post judicante Jair in Israel, Carmentis nympha literas Latinas reperit.

Laurentum regnum.

Apollo.

CAP.

CAP. XXV.

De raptu Helenæ, & subversione Trojæ, & initio gentis Romanorum, & Francorum & fundatione Patavij. De Samsone, & Hercule, & aureis seculis in Italia.

ANNO ab Imperio Nini DCCCLXX. raptam fuisse Helenam, conjurationemque factam adversus Trojam ferunt. Hinc decennalis obsidio, famosumque sequitur Troiæ excidium. Quod qui scire desiderat, legat Homerum, ejusque imitatorem Vergilium. Hinc Romanorum gentem duxisse originem ab Ænea profugo, & (ut ipse adulatur) viro forti, ut verò ab aliis traditur, patriæ proditore, ac necromantico, utpote qui etiam uxorem suam diis suis immolaverit, scribit Vergilius. Ferunt etiam Francorum gentem ab eis traxisse principium. *Francorum ortus.* Dum enim Troianorum principes incertis vagabantur sedibus, plurimi eorum in Scythia consederunt, Regemque sibi creaverunt: ac primò dicti Sicambri, postmodum elapso tempore sub Valentiniano Imperatore, cum ipsi proposito sibi libertatis præmio, vicinas imperio gentes subjecissent, à præfato principe Attica lingua Franci sunt vocati, à feritate, vel Franci à nobilitate. Lingua enim eorum Franco nobilis dicitur. Tradunt tamen quidam, à quodam Francone Trojanorum principe, qui juxta Rhenum consedit, Francos esse appellatos: monstrantque in argumentum urbem adhuc quam ipsum construxisse, patrioque nomine Trojam, fluviumque ejus Xanthum vocasse asserunt, quæ postmodum à Sarracenis destructa, ac rursum à Christianis reædificata, Xanthis usque hodie vocatur. Quomodo verò in Gallias, quas modò inhabitant, venerint, suo loco ac tempore, Deo adjuvante, dicemus. Hæc de origine Francorum gentis dicta hunc teneant locum. Diffusis longè lateque per orbem Trojanis, Antenor quoque Patavii fundator extitit. Unde Vergil. *Æneid. 1.*

Antenor potuit medius elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi. Et infrà:
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit. Et Lucanus:
Patavique truces.

Quarum quidam Galliæ urbem Pictavim, nonnulli Baioariæ Pataviam, alij verò Venetiæ Paduam, Patavium putant, quod & verisimilius est, & sensui Vergilij accommodatius. *Patavium in Euganeis conditum.* Factum est autem hoc celeberrimum excidium, cum jam Regnum Laurentum cessisset ad Latium, regnaretque filius Fauni Latinus, judicante Hebræos Jabdon, vel juxta alios, viro fortissimo Samson, quem etiam ob incredibilem fortitudinem Herculem putabant. Utrum autem ipsum verè putaverint Herculem, dicere non est meum. Fuisse autem contemporaneos, ex hoc quod circa subversionem Trojæ extiterunt, innuitur. Hæc Romani Regni principia, aureis seculis, id est sine luxu inerti, bellorumque turbulentia sub Saturno inchoata Laurenti fuere. Verùm ab hinc ferrea successit ætas.

CAP. XXVI.

De ferreis seculis, inchoatis sub Ænea & Turno. De erroribus Vlyssis, & fabulosis gestis Diomedis, & item Vlyssis. Allegationes de his verisimiles secundùm Sanctorum Scripta & exempla.

ÆNEAS enim in Italiam navibus ex Phrygia transvectus, Latini Regis filiam accepit, gravique inter ipsum & Turnum ob hoc bellorum orto discrimine, humano cruore aurea secula in ferrum commutari docuit. Quod Vergilius utrum veraciter, vel adulationis fuco fallaciter, pulcherrimo versuum ordine prosequitur. Hæc de Trojanorum profugis dicta sufficiant. Victores verò ejus tanta sequuntur discrimina, ut non immeritò qui in tam miserrimo fortunæ rotatu, noxio magis succubuerint fato dubitetur. Ut enim de his qui in congressu diutino occubuerant, quos tamen Dares Phrygius ex Argivis DCCCLXXXIII. millia: ex Trojanis DCLXVI. millia fuisse memorat: taceamus, quanta fuere Ulyssis pericula, longorum circuituum tædia? *Vlysses.* Unde est illud Poetæ:

Dic

Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Totum quippe penè orbem non tam peragrando, quàm oberrando pertransiens, universis terræ marisque miseriis participavit. Unde id præcipuus Orator in libro de Officiis: Offi.lib.1. *Quam multa passus est Vlysses in illo errore diuturno, cum & mulieribus (si Circe & Calypso mulieres appellandæ sunt) inserviret, & in omni sermone omnibus affabilem se esse vellet? domi verò etiam contumelias servorum, ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret.* Vlyssibona. *At Ajax (quo animo traditur) millies oppetere mortem, quàm illa perpeti* Troja. *ab alio maluisset.* Hic in Hispania Ulyssibonam, quæ à nostris nuper Saracenis ablata est, & in Gallia Trojam, de qua suprà mentio facta est, primus condidisse dicitur. Quare & hoc quod de Francone traditur, fictitium videtur. De fabulosis autem, & penè fidem excedentibus ærumnis eorum, quid dicam? Denique non solùm fabulæ concrepant, verumetiam plenæ sunt historiæ, socios Diomedis in aves mutatos, quæ ipso in Deum translato circa templum ejus in Insula Diomedia, haud procul à monte Gargano sitũ volitent, aquasque ministrent. Quod juxta Augustinum, in tantum Varro probare videtur, ut easdem aves referat ex Græcia venientes, tanquam cives cognoscere, alienos diris à se morsibus repellere. Quod ut probabilius idem Varro faciat, de famosissima Circe, quæ socios Ulyssis mutavit in bestias, & de Arcadibus, qui transnatando stagnum, in lupos convertebantur: qui si humana non vescerentur carne, quòd post octo annos transmisso amne, rursum reverterentur ad humanam formam commemorat. Exprimit etiam ex nomine quendam Demenutum de sacrificio Arcadum gustasse, & in lupum mutatum, decimo tandem anno in propriam figuram reversum fuisse. Unde & dicit deum eorum Lycæum dictum, Græci enim lupum λύκοι dicunt: Romanorum quoque lupercos ab eis originem duxisse narrat. Quæ omnia utrum deorum suorum amore fingant, an ita ludificatione dæmonum, ac quibusdam abditis naturæ seminibus fieri possint, dicere non est præsentis operis. Augustinus tamen suis temporibus Præstantium quendam nomine, de patre suo retulisse dicit, quòd venenum in caseo sumpserit, unde in lecto quasi dormiens multis diebus jacuerit, evigilans autem caballum se factum, ac annonam se portasse retulerit. Narrat etiam idem pater, cum in Italia esset, se de quibusdam mulieribus audisse, quæ in caseo dare solerent viatoribus diabolica machinamenta, unde in jumenta verti viderentur: qui dum peractis operibus ad se redirent, mentem se rationabilem habuisse testarentur. De Machario quoque eremita scriptum invenis, quod puella ad eum, quam amici in equam à maleficiis mutatam dixerunt, ducta fuit: quam ille intuens, puellam dixit se videre, non equam. Itaque amicis equa visa fuit, sed homini dei puella apparuit. Unde ad Deum fusis precibus, tam puellam, quàm amicos ejus à præstigijs dæmonum liberavit. Ex his ergo ac similibus apparet, dæmones quidem hominum naturam mutare non posse, sed occupatis illis corporis partibus, per quas ratio operari solet, mentem hominis obfu-Galat.3. scare, cernentiumque oculos ut hæc putent, occultis machinamentis, ac abditis naturæ seminibus fascinare. Unde ad Galatas Paulus dicit: *O insensati Galatæ qui vos fascinavit?* Dæmones quippe multa tam ex subtilitate naturæ, quàm ex antiquitate temporis, & experientia rerum permissu Dei scire ac posse dicuntur: Vnde non solùm mundi cives decipiant, sed & civibus Christi, si ab ipso non prohiberentur, noceant. Ex quo liquidò probari potest, quòd Balaam, qui utique gentilis & ariolus fuit, tantam ex præstigijs dæmonum efficaciam habuit, quòd etiam populo Dei, si ab ipso prohibitus non fuisset, maledicere potuisset. Non enim, ut quidam putant, propter hoc quod de ipso dicitur, *Loquor Domino*, Dominum & DEUM verum colebat: sed cum dæmoni, quem ipse Dominum vocabat, se loqui putaret, Dominus ut hoc quod ipse malitiosè proposuerat impediret, sapienter se interposuit, ut non juxta voluntatem suam populo suo nociva, sed juxta nutum Domini profutura diceret. Cui sensui & hoc fidem facit, quod crebris eum sacrificiis & hostiis à proposito inclinare tentabat: quod de incommutabili divinæ Majestatis essentia credere vel præsumere absurdum esset.

CAP. XXVII.

De morte Æneæ, & regno Sylvij. De defectu regni Sicyoniorum, sub Heli judice: & qualiter Romani & Græci morum & linguæ affinita-

affinitatem habere cœperint, aliasq; gentes barbaros vocare consueverint.

REGNANTE apud Assyrios *Autene, Sycioniis imperante Pelasgo, Samsone judicante Israel, Latino mortuo, tribus annis in Latio regnavit Æneas. Quo mortuo, quia non comparuit, ab eis factus est Deus. Imperantibus Assyriis XXIX. Oneo, Atheniensibus Mensato IV. Latino Rege Ænea Sylvio, Ænea non de Creusa, sed de Latini Regis filia genito: judice autem Hebræorum Heli, Regnum Sicyoniorum, quod per DL. annos, vel amplius duralsè dicitur, defecit. Unde est istud Castoris chronographi: *Exponemus & Sicyoniorum Reges ab Agialeo usque ad Zeusippum, qui omnes regnaverunt annis* DCCCCXLV. *& sacerdotes carnis vi, qui præfuerunt annis* XXXII. *post quos sacerdos constitutus est Cardidemus, qui impensas non sustinens, fugit: Exhinc Atheniensium respublica auctoritatem habere cœpit in Europa.* Æneas iste, eo quòd mater ejus Ascanium timens in sylvis latitando, eum dum adhuc puer esset abscondit, à sylva vocatus est Sylvius. Exhinc Græci & Latini, quasi in uno semine coalescentes, quandam & morum & linguæ affinitatem habere cœperunt, aliasque gentes tanquam rationis acumine, & oris venustate minus utentes, barbaros vocare consueverunt. Quod enim tam ingenio quàm eloquio cæteris Græci præferantur gentibus, Poeta ostendit, qui ait:

* al. Tantane. — Finis Regni Sycionii. — Aliàs DCCCLXII.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui. Et alibi:
Græcia facundum, sed malè forte genus.

Unde & tres linguæ principales habentur, propter cultum Dei, & antiquitatem; Hebraica: propter prudentiam & eloquij leporem; Græca: propter potentiam & item prudentiam; Latina.

CAP. XXVIII.

De *Samuele & Saule, Codroq; Atheniensium Rege: nomina etiam judicum à Moyse usq; ad Samuel.*

POST mortem Heli, Hebræorum judex factus est Samuel, à quo dum Regem peterent, acceperunt Saulem, regnante apud Assyrios Dercilo. Circa idem tempus Codrus Rex Atheniensium Peloponensibus hostibus, eo quòd responsum accepissent, se non prius ab Atheniensibus superandos, nisi Regem eorum occidissent, mutato habitu se objecit, ad propriamque necem jurgiis provocavit. Unde Vergilius:

Codrus. — Ed. 5.

Et jurgia Codri. Et alibi:
Rumpantur utilia Codri.

Quem Athenienses ob hoc cultu divino honorare decreverunt: & exhinc magistratus, qui Remp. administrarent, post Reges habere cœperunt. Et hi traduntur in populo Dei post Patriarchas fuisse judices, Moyses, Jesus, Othoniel, Aioth, Delbora, Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jephte, Abessan, Ahialon, Jabdon, Sanson, Heli, Samuel.

Iudices Israelitici.

CAP. XXIX.

De *temporibus Regum & Prophetarum.* De *David & Salomone, filioque ejus Roboam, qualiter sub eo ex peccatis patris sui Salomon Regnum scissum fuerit, in brevi desolandum.* De *virtute Heliæ & Helisæi.*

EXhinc Reges, & Prophetarum tempora supputantur. Quorum primus reprobato Saul fuit David, magnus civitatis Dei princeps: utpote cui post Patriarchas primò facta promissio est, quòd de ejus semine Christus, hujus (de qua agimus) civitatis auctor, foret nasciturus. Cujus filius Salomon, imperante Assyrijs Eupale, templum tam cultu Dei, quàm operis structura nobilissimum, eo tempore quo in Italia Alba est condita, construxit. Qui etiam ne tam ob potentiam, quàm ob præclaram, qua omnes mortales præcellebat, sapientiam, illud semen, quod David promissum, dispositum per angelos, omnes gentes possessu-

David. — Salomon.

possessurum erat, putaretur, à Domino labi est permissus. Amator enim cum esset mulierum ardentissimus, quas usque ad mille ac penè omnes alienigenas, habuisse perhibetur, ab eis usque ad idololatriæ voraginem est tractus. Ex quo accidit, ut dum ipsi propter merita David patris sui Dominus parceret, de manu filij ejus Roboam, imperante Assyrijs Tertiade, scinderet regnum, duasque ei tantùm tribus, Judam videlicet & Beniamin relinqueret. Hinc etiam illud nobilissimum regnum in seipsum divisum, juxta veritatis vocem desolari debuit in tantum, ut nullum ex Regibus Israel, ex Iuda verò paucissimos cives invenias Hierusalem. Et ut auctoritatis verbis utar, à David usque ad transmigrationem Babylonis, præter Ezechiam & Iosiam, omnes peccaverunt, nec tamen omnes alij reprobi fuerunt. Proinde utriusque Regni peccatis exigentibus, primò Israel, postremò in captivitatem ductus est & Juda. Habuit tamen utrumque Regnum, qui peccantis populi, ac prævaricatorum Regnum excessus reprehenderent, Regni Christi cives. Inter quos in Regno Israel

Helias. Helisæus.

Helias & Helisæus floruere, qui eximijs vitæ meritis Cœlum claudere, ac rursum aperire; mortuos suscitare, Regibus imperare, ac innumera prodigiorum ac signorum miracula facere à Domino meruere. Horum prior igneo curru in aera vivus transvectus, adhuc manere creditur superstes: alter verò mortuus, mortuum suscitasse invenitur. Et ne quis parvam tunc temporis fuisse civitatem Dei arbitretur, audiat de Israël tantùm ad Heliam

3.Reg.19.

à Domino dictum: *Reliqui mihi septem millia virorum*: qui in Scriptura frequenter numerus pro infinito poni solet. In Iuda verò Osee, Esaias, alijque quàm plures, quos suo loco ponemus, non solùm prædicaverunt, sed etiam civitati Dei plurimùm profutura monimenta librorum reliquerunt. Sed jam ad cives mundi revertamur.

CAP. XXX

De Regibus Albanorum usque ad Romulum, & Aventino monte.

ALBA à Sylvio Ænea condita, Reges Latinorum ibidem Regni sedem locaverunt. Successit verò Sylvio Latinus, & illi Alba, cui rursum Ægyptus, ac deinde Capis, post quem Tyberinus, à quo Tyberis, quæ prius Albula dicebatur, nomen accepit. Post Tyberinum filius ejus regnavit Agrippa, deinde Aremulus, sicque conseqenter Aventinus. Qui omnes à primo Ænea Sylvio, Sylvij, sicut postmodum Cæsares à Cæsare sunt dicti. Aventinus autem mortuus, & in monte ex nomine suo Aventino vocato sepultus, ab eis colebatur ut Deus. Dicunt alij, ab adventu avium hunc montem Aventinum vocari.

Aventinus mons.

Roma enim constructa à duobus fratribus, scilicet Romulo & Remo, historia Romana testante, de impositione vocabuli civitatis inter eosdem fratres lis oriebatur: & quia neuter eorum alteri cedere voluit, ut lis illa per sortem, vel per augurium terminaretur, utrique complacuit. Romulus ergo, quia senior, prior est egressus, & in Aventino monte septē vultures conspexit: Remus autem post eum egrediens, duodecim in eodem monte vidit. Et quia exhinc apud posteros inolevit usus quærendi augurium in eodem monte, Aventinus dictus est ab adventu avium. Vel Aventinus dicitur quasi eventinus, ab eventu futurorum, qui similiter inibi in volatu avium quærebatur. Inter hunc & Romulum duo tantùm Reges fuisse dicuntur, Procas & Amulius. Cum igitur Regnum Romanorum (ut ita dixerim) parturiretur, Regnum illud nobilissimum ac potentissimum Babyloniorum, longo diuturnitatis senio marcescere cœpit.

CAP. XXXI.

De translatione Regni Babylonici ad Medos.

ANNO itaque ab Imperio Nini M.CCXXXVI, à Regno verò patris sui Beli M.CCCV. à conditione vel instauratione Babylonis, sub Semiramide M CXLIIII. novissimus ac

Sardanapalus.

corruptissimus apud Assyrios XXXVI regnavit Sardanapalus, qui inter scortorum greges colum habitu muliebri tractans, ab Arbato Medo præfecto suo invenitur. Dumque Medorum Regnum adversus eum concitatur, ipse ardenti pyræ se injecit: & sic fortissimum illud & florentissimum ad Medos derivatur Imperium.

CAP.

CAP. XXXII.

Exclamatio contra Babylonem.

EXAGGERARE hoc loco mutabilium rerum miserias non est necesse. Ecce enim potentissimum illud Regnnm, quamvis nondum penitus destructum, mutatione tamen sui omnimodis sibi minatur interitum. Quid ergo dicemus, qui rebus transitoriis inhærere cogitamus, dum eas mutari, mutatas labi, postremò omnino deleri videmus? Quod quidem in Babylonia, Deo adjuvante, ostendemus impletum, & in universo mundo proculdubio ex multis Scripturæ locis, evidentissimisque indiciis expectamus implendum. Mansit autem ex hoc Regnum Babyloniorum (propter antiquam urbis dignitatem) solo nomine ibi, re apud Chaldæos, auctoritate penes Medos. Habuerunt enim Reges ex hinc Chaldæorum viribus fortes, sed non tam claros, ut in catalogo ponantur priorum. Unde probatur Nabuchodonosor, aliosque à Sardanapalo usque ad Cyrum Reges, de catalogo Regum non fuisse illustrium. Ex quo considerari potest, quantæ auctoritatis & potentiæ sub prioribus Regnum illud constiterit, cum tanti etiam istorum tempore nominis & dignitatis fuerit. Porrò Medorum Reges, ad quos Babylonici Regni auctoritatem derivatam diximus, exhinc supputari incipiunt. Post tantam ergo hujus maximi Regni, minorumque regnorum factam mutationem, & diminutionem, aliasque alternantium temporum calamitates, primo volumini terminum demus, ut ad eas quæ Medorum, Persarum, Græcorum, & maximè Romanorum Regnis factæ sunt vicissitudines veniamus.

CAPUT XXXIII.

Nomina Regum Assyriorum à Belo usq; ad Sardanapalum.

Et hi sunt Reges Assyriorum.

Belus.
Ninus.
Semiramis.
Zameis, qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis.
Arius.
Aralius, secundùm Eusebium Analius.
Xerxes, qui & Baleus, secundùm Eusebium Balaneus.
Armamittes, vel Armatrites.
Belochus.
Baleus, vel Baleius.
Altadas.
Mamitus.
Manchaleus.
Spherus, secundùm Euseb. Iphereus.
Mammilus, secundùm Euseb. Mamytas.
Sparetus.
Achatades, secundùm Euseb. Ascades.
Amyntas, vel Amyntes.
Bellochus.
Bellepares.
Lamprides.
Sophares, secundùm Euseb. Sosares.
Lampares, vel Lamprides.
Pamiras, secundùm Euseb. Pannias.
Sosar, vel Sophar, secundùm Euseb. Sosarmus.
Mitheus, vel Mitreus.
Tautanes.
Theuteus, vel Tauteus.
Thineus, vel Oneus.
Derciles, vel Dercilus.
Eupales.
Laosthenes.
Pyritiades, vel Triciades.
Offraticus, vel secundùm Euseb. Orphateus.
Ophratanes.
Vacrazenes, secundùm Euseb. Acracapes.
Thonosconcolerus, qui & Sardanapalus.

LIBRI PRIMI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORUM LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.



UPERIORE *libro promisisse me recolo de rerum mutatione ac miseriis scripturum. Quam quidem historiam usque ad defectum primæ sequentisque initium, quam Romam dico, Babyloniæ, Deo opitulante, utcunque complevi. Has enim germanas esse civitates, non solum ex Historiographorum dictis, qui hujus illi Regnum quasi patri filium, mediis ac brevibus Medorum, seu Persarum, ac Macedonum Regnis, tanquam parvuli filii tutoribus, non jure hæreditatis, sed successione temporis intervenientibus, successisse tradiderunt: sed & ex principis Apostolorum Epistola, qui à Roma scribens, eam Babyloniam vocat,* Salutat vos *(inquiens)* ecclesia, quæ est in Babylone, *conjici potest. Denique dum præteritorum temporum calamitatum reminiscimur, instantis quodammodo pressuræ quoquo modo obliviscimur. Modò nempe ubique terrarum, & præcipuè in provincia nostra, quam nuper* Welfo *vir nobilis hostiliter invasit, agros vastavit, bona Ecclesiarum Dei diripuit, clamor auditur, &, quod majus est, periculum vitæ, discrimen animarum timetur. Inter ipsum quippe & Henricum Noricum Ducem, ambos lectos, ac ferventis animositatis juvenes, cum de ducatu sit controversia, quid aliud quàm profligatio pauperum, devastatio Ecclesiarum, juxta illud:*

Roma Babylon.

1.Pet. 5.

Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi,

ab utrisque expectari potest? Judicio ergo Dei, ac orationibus Ecclesiæ id relinquentes, nos cœptum Opus Deo adjuvante prosequamur. Nemo autem à nobis sententias, aut moralitates expectet. Historiam enim, in qua civium Babyloniæ vicissitudines ac labores, civiumque Christi, inter eos progressus & profectus texantur, non disputantis more, sed differentis ordine prosequi intendimus. Nam à majoribus nostris impugnantibus hanc quæ in nobis est fidem, satis responsum esse arbitror.

OTTONIS CHRONICORUM LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Regibus Medorum, qui quorum Regum Judæ & Israel tempore fuerint. De Chaldæis, & Cyro. Nomina Regum Medorum.



ONCESSO ad Medos Assyriorum Regno, Arbatus, qui hujus translationis auctor fuerat, Imperium arripuit, ac per XXVIII. annos tenuit, regnante in Judæa Ozia, in Israel Sella, vel Manahe. Arbato successit Sosarmus, regnante in Judæa Achas, in Israel Phacca. Hujus Regni anno XV. prima Olympias, quæ quinto exhinc anno, quatuor in medio expletis, apud Helidem Græciæ urbem agone & ludis exerceri solebat, cœpta est nominari. Sosarmus reliquit Madidum, regnante in Judæa Achas, vel Ezechia, in Israel Osee, vel Phacea II. Post quem fuit Cardices, regnante in Judæa Ezechia, in captivitatemque ducto Israel. Post hunc surrexit Diocles regnante in Judæa Manasse. Post hunc Phraortes XXII. annis imperavit, regnumq; multis ac crebris bellis cruentavit, regnante in Judæa piissimo Rege Josia. Post Diocles, qui cũ esset armis expertissimus, regnũ plurimum dilatavit. Cui successit Astyages, qui inhumanus ac crudelis, Harpalo cuidam unicum filium ac parvulũ occidit, patrique epulandum apposuit, sceleſtasq; epulas ostensis cum capite manibus, patri improperavit. Hujus nepos Cyrus Persa, mox ut adolevit, avo bellum movit. Astyages ergo sceleris sui immemor, Harpalum exercitui præposuit. Qui ipsum dum Cyro traderet exercitum, Astyages rursum in

Olympiades.

Medos ceſſit, exercitumque congregavit. Quibus denuo congreſſis, dum Perſæ fugerent, uxoribus ſeu matribus impudicè inſultantibus, revertuntur, victoriaque capto Aſtyage potiuntur. Cyrus itaque captum avum Hircanis præfecit, regnumque Medorum finivit, quod per CCLVIII. annos manſiſſe invenitur. Hæc juxta Oroſium. Hic eſt Cyrus, à quo poſtmodum deſtructa eſt Babylonia, cujus avunculus fuit Darius Rex Medorum, qui in Daniele Balthaſar percuſſiſſe legitur: unde juxta alios, regnum Medorum non bello obtinuit, ſed jure hæreditatis poſt mortem avi ſui Aſtyagis, ejuſque filij Darij ſuſcepit, ſicut in Daniele habes: *Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos, & regnavit Cyrus Perſes pro eo.* *Daniel. 13.* Sed occurrit, quod Darius iſte qui Balthaſar percuſſit, rurſum in Daniele non Aſtyagis, ſed Aſſveri filius vocatur. Potuit verò eſſe quod binomius fuerit. Unde Joſephus X. libro Antiquitatum; *Darius*, ait, *Aſtyagis filius, qui Babyloniorum principatum deſtruxit cum Cyro cognato ſuo, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis.* *Lib. 10. cap. 12.* Medio tempore Chaldæi, unde Nabuchodonoſor, ſuique ſucceſſores erant, irruperunt Babylonem, ac multis malis civitatem Dei afflixerunt. Qui tamen Medis auctoritatem habentibus, de numero, ut ſupra dictum eſt, regum non fuere priorum. *Medorum Reges.* Fuerunt autem reges Medorum hi, Arbatus, Soſarmus, Madidus, Cardices, Diodes, Phraortes, Diocles, Aſtyages, Darius, Cyrus. Ex hinc reges Perſarum ſupputantur.

CAP. II.

De Proca & Amulio, & ortu Remi & Romuli.

TEMPVS eſſe arbitror, ut ad Romanorum regni principia ſtylum vertamus. Cum enim Babyloniæ ſub præfecto ſuo dehonoratæ, adhuc regnum ſub principatu Medorum ſtetiſſet incolume uſque ad Cyrum, & ab eo prorſus (uti in ſequentibus patebit) eſt everſum, jure ipſo deficiente, Romani imperii, quod illi tanquam patri filium ſucceſſiſſe dixi, ortum narraverim. Eo igitur tempore ad Medos ceſſit, cum Procas in Italia regnavit: eo illud à Cyro penitus ſubverſum fuit, quo à Tarquiniorum injuſta damnatione illud liberatum, in propria auctoritate ſtare cœpit. Procæ ſucceſſit Amulius, cujus frater Numitor, cum filiam Rheam veſtalem ab eo virginem factam, ſtupri ream ex partu cognoviſſet, geminos quos pepererat exponi, & in aquam projici juſſit. Hi ſunt gemini fratres Remus & Romulus Urbis orbis futuræ caput, fundatores & auctores. Quos ipſius Urbis Scriptores, tanquam totius orbis Marte obtenturæ principatum, *Remus & Romulus.* Martis quoque filios autumant, in argumentumque quòd à lupa (utpote Martis beſtia) lactati ac nutriti contra naturam, fuerint natura. Qui revera an juxta eos à lupa, an à meretrice qualibet juxta alios, propter vitæ turpitudinem, unde domos earum lupanaria dicimus, ſic vocata, nutriti fuerint, nihil mea intereſt. Hoc tamen affirmo, quod non Martis, ſed cujuslibet hominis, & ſecundùm quoſdam veridicos Scriptores, Sacerdotis filij fuere.

CAP. III.

De fundatione urbis Romæ, & parricidio avi fratrisq; à Romulo facto, ac raptu Sabinarum.

ANNO ergo ab imperio Nini MCCC, poſt everſionem Trojæ CCCCXIIII, Olympiade VI, evolutis ab Adam quatuor millibus CCCCLXXXIIII. annis regnante in Judæa Achas, vel juxta Auguſtinum, filio ſuo piiſſimo rege Ezechia in Iſrael Oſee, ſeu Phacea ſecundo, geminis auctoribus Remo & Romulo, avo adhuc ſuperſtite Numitore, maxima & famoſiſſima in monte Palatino condita eſt Roma. Cujus mox regnum jam parricidio, avo fratreque interfectis, Romulus infecit, quàm raptu Sabinarum, maritis parentibusque occiſis, improbis nuptiis ſibi ſuiſque illicitè ac crudeliter confœderatarum polluit.

CAP. IV.

De Oſee, & Eſaia, prophetiaque Sibyllæ.

CIRCA idem tempus clarissimos (quos supra nominavi) Osee & Esaiam prophetasse, prophetiamque scriptam reliquisse constat. Quorum alter non solùm dictis, sed & factis, meretrice in uxorem accepta, vocationem gentium, (unde & ait, *vocabo non plebem meam plebem meam*) prænunciasse cernitur: Alter verò de adventu Christi, passione, resurrectione, regnoque ejus, quod est Ecclesia, in hac vita dilatando, post hanc impiorum æternaliter damnata civitate glorificando, atque cum auctore suo Christo in æternum mansuro, tam evidenti, tam luculento ac urbano sermone disseruit, ut non prophetiam, sed Evangelij historiam texere videatur. Eo quoque tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt: quam ex Scripturæ suæ testimonijs ad civitatem Dei pertinuisse, sicut & Job, & plures alios ex gentibus, Augustinus velle videtur. Cujus rei gratia prophetiam ejus manifestissimam de incarnatione Domini, passione, ac secundo adventu Christi, idem Pater in libro de Civitate Dei ponit, quam infrà annotavit:

Osee. 1.

Sibylla Erythræa.

Iudicij signum, tellus sudore madescet,
E cœlo Rex adveniet, per secla futurus,
Scilicet in carne præsens ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis, &c.

In quorum versuum capitibus Jesus Christus Θεὸς Σωτήρ, quod est Jesus Christus Filius Dei Salvator, in Græco inveniri dicit. Refert etiam Lactantium aliud ejus de Christo ponere vaticinium, quod tale est: *In manus iniquas & infidelium postea veniet. Dabunt autem alapas Deo manibus scelestis, & impurato ore expuent salivas venenosas. Dabit verò ad verbera simplex, sanctumque dorsum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quò verbum, vel unde veniat, ut inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad sitim acetum, & ad cibum fel dederunt, inhospitalitatis hanc ministrabant Domino mensam. Ipsa enim insipiens tuum Deum non intellexisti, ludentem mortalium sensibus, sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi verò velum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis; & morte morietur, somno suscepto. Et tunc ab inferis regressus, ad lucem veniet primus, resurrectionis principio revocatis ostenso.* Non desunt tamen qui dicunt eandem Sibyllam Trojani belli tempore vaticinatam fuisse.

Lact. lib. 4. cap. 18.

CAP. V.

De Thalete uno de septem Sapientibus, & captivitate decem tribuum. De Phalari Siculo tyranno

REGNANTE Romulo, post Theologos, quos suprà nominavi, Poetas fuisse, Thaletem Milesium unum de septem Sapientibus, quos σόφους vocabant, ferunt. Iisdem quoque diebus, decem tribus à Chaldæis in Samaria debellatæ, ac in captivitatem ductæ sunt, positusque in Samaria est Chaldæorum populus, qui juxta librum Regum, Deum timebat, & idola non deserebat. Quare verò Deum timerent, causa fuit, quòd dum primò in Samariam venissent, Dominus in eos leones immiserat. Quod ergo volebant, de lege recipiebant, & quod nolebant, more alienigenarum reprobabant. Hinc in Evangelio habes, quòd eis Judæi non coutebantur. Circa hæc tempora Phalaris Siculus tyrannus, dum multis ac variis tormentis innocentes afficeret, Perillus quidam faber ærarius volens placere Principi, aptumque sibi crudelitatis suæ munus offerre, taurum æneum fecit, cui ex latere januam composuit, ut dum cruciandi per eam intromissi, ignibus appositis torquerentur, non gemitum hominis, sed pecudis mugitum emittere viderentur. Quod simulacrum tyrannus gratanter suscepit, ipsumque auctorem in eo positum propria adinventione punivit.

Samaritani.

CAP. VI.

Qualiter, & à quibus urbs Roma inchoata fuerit. De morte Esaiæ, & Samia Sibylla. De Tullo Hostilio, & Anco Martio, Romanorum Regibus.

ROmulus contractis undecunque pastorum, prædonum ac latronum copiis, quibus etiam asylum construxit, crudeli ortu regnum, totius orbis futurum caput initiavit. Unde Juvenalis:

Et

Et tamen ut longè repetas, longèque revolvas *Iuven.Sat.8.*
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus, quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Hic & mille juvenes de plebe electos, milites & centum seniores, Senatores appellavit: & ex hinc militaris ordo, Senatoriaque dignitas exordium sumpsere. Romulo successit Numa, qui cultum, imò sacrilegium plurium Deorum in Urbem induxit, & Capitolium à fundamentis ædificavit. Hujus diebus, regnante apud Hebræos impiissimo Rege Manasse, à quo Esaias occisus fertur, Samia Sibylla fuisse dicitur. Successit Numæ Tullus Hostilius, qui primus ex Romanis Regibus purpura & fascibus usus fuit, & Urbem adjecto Celio monte ampliavit. Post quem Ancus Martius Aventinum montem & Janiculum Urbi addidit, & supra mare decimo ab Urbe miliario, Hostiam condidit.

CAP. VII.

De captivitate Judæ, sub Tarquinio Prisco Romano Rege & prophetia Hieremiæ, & residuis sex Sapientibus.

REGNANTE deinde Tarquinio Prisco, qui circum ædificavit, & numerum Senatorum auxit, cum Sedechia Rege suo à Chaldæis in captivitatem ductus est & Juda. His diebus plurimi fuere cives regni Christi, præcipuè Prophetæ, qui populum Dei de malis eorum operibus redarguerent, malaque ventura prædicerent: quorum alii cum peccatore populo in captivitatem sunt ducti, alii etiam ab hostibus propriæ voluntati ac arbitrio sunt relicti. Prophetavit autem iisdem diebus, scriptumque utile valde Ecclesiæ Dei opus reliquit vir Dei Hieremias: in quo & prævaricatoris populi peccata, captivitatemque relaxandam post LXX annos posuit, ac multa de statu Ecclesiæ & adventu Christi prædixit. Fuisse tunc Pittacum Mitylineum unum de septem Sapientibus ferunt: nam alios quinque, id est, Solonem Atheniensem, Chilonem Lacedæmonium, Periandrum Corinthium, Cleobolum Lydium, Biam Prieneum, eo quo captivus tenebatur populus fuisse tempore, refert Eusebius. Quorum nullus tamen librorum monimenta, excepto Thalete de Physica, & Solone legibus Atheniensibus datis reliquit.

CAP. VIII.

De Philosophis, præcipuè Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele.

POst Theologos & hos quos Sapientes dixi, Philosophi surrexere, qui verecundo magis Philosophorum, id est, amatorum sapientiæ, quàm sapientium appellari maluerunt nomine. *Philosophi.* Quorum primus Pythagoras ex malleorum ictibus diversè concrepantibus, Musicæ septem discrimina vocum invenit, multisque aliis utilis admodum & clarus extitit. Post quem Socrates, omnium Philosophorum clarissima lumina, tanto perspicaciores, quanto juniores, utpote qui ipsos docentes se intellectu transcenderent, educavit Platonem & Aristotelem. Quorum alter de potentia, sapientia, bonitate creatoris, ac genitura mundi, creationeve hominis, tam luculenter, tam sapienter, tam vicinè veritati, disputat, ut ob hoc à quibusdam ex nostris Hieremiam in Ægypto audisse, & ab eo de fide nostra imbutus fuisse credatur: alter verò Dialecticæ libros artis vel primus edidisse, vel in melius correxisse, acutissimeque ac desertissimè inde disputasse invenitur. Sed Platonem (qui præfati Aristotelis non solùm apud Socratem condiscipulus, sed & post mortem Socratis præceptor fuit) longè post Hieremiam fuisse ex hoc quòd circa tempus captivitatis σοφοὶ, id est, Sapientes, qui Philosophos præcessere, fuerunt, innuitur. *Plato.* Unde non inconvenienter arbitrati sunt, qui eum cum cæteris Philosophis, naturali ingenio per visibilia mundi invisibilia comprehendisse dixerunt. Omnia enim quæ de divina natura, humana ratione investigari possunt, invenerunt: exceptis his, in quibus summa salus consistit, quæ per gratiam Jesu Christi à mansuetis corde cognoscuntur. Unde Augustinus: ***In principio erat verbum***, & omnia quæ in profundissimo sermone Evangelista prosequitur, usque ad illum locum, ubi de mysterio incarnationis agere incipit, in Platone se invenisse dicit. *Ioan. 1.*

CAP. IX.

De Tarquinio superbo, & oppressione Lucretiæ.

Lucretia.

EO quo in Babylonia captivus tenebatur populus Dei tempore, Romanorum respublica Tarquinii Superbi iniquæ dominationis premebatur potentia. Cujus post alia facta crudelia, sceleratissimum illud in castissima muliere Lucretia, à filio turpiter perpetratum, à patre nequiter dissimulatum opus, dejectionis ejus causa fuit justissima. Cujus castitatis argumentum non parvum fuit, quòd dum Tyranni violentiam evadere non posset, propriam sibi manum injecit. Unde pulchrè quidam:

Cum foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Procedant testes, me non favisse Tyranno,
Sanguis apud manes, spiritus ante Deos.

CAP. X.

De tempore consulum, & remotione Regum, & Zelo Bruti primi consulis, liberationeque Romanæ urbis per Mutium Scævolam, & Clœliam virginem.

Consules Romani.

PULSO regno Tarquinio, Romani regium nomen abjurantes, Consules qui reipublicæ potius consulerent, quàm imperarent, sibi creavere. Anno igitur post Urbem conditam CCXLIIII. Brutus ab eis consul constituitur primus, qui priorum Regum malitiam imitatus, filios uxorisque fratres interfecit Vitellios. Tradunt tamen alij zelo æquitatis hoc eum fecisse, ut videlicet non rem familiarem, sed publicam diligere videretur. Unde & populum Romanum pro filiis adoptasse dicitur. Tarquinius verò Hetruscorum Regis Porsenæ auxilio, Urbem per triennium obsedit, cepissetque aut rursus eam suæ ditioni subegisset, nisi prædictus Rex Mutij manum adurentis patientia, vel Clœliæ virginis Tyberim transnatantis audacia permotus, obsidionem solvisset. Mutius enim cum aliis Romanis juraverat se Regem interfecturum: sed dum in castra venisset, à militibusque captus, votum suum implere non posset, manum sub præsentia Regis in igne combussit: En scias (inquiens) quem virum effugeris. Idem trecenti juravimus. Clœlia verò cum esset una de obsidibus, clàm de castris lapsa, Tyberim transnatavit. Rex ergo, ut dixi, tam viri patientia, quàm virginis audacia motus, ab Urbe recessit. Hæc prima ætas quasi infantia populi Romani fuit.

CAP. XI.

Quomodo Babylon à Cyro capta sit, & quis ejus situs fuerit: de morte quoque Crœsi.

Babylon.

INTER hæc Cyrus, quem supra memoravi, dum Tarquinius aut vi, aut bello premeret Urbem, Orientis latè imperio pervagato, Babyloniam utpote caput ejus bello petit. Sed dum unus militum æquo ferventior animo, Gangem fluvium, quem unum quatuor fluminum Paradisi mutato nomine dicunt, transnatare attentasset, impetus ejus non ferens, submersus est. Rex in amnem amore juvenis ulcisci statuens, in CCCCLX. venas derivatum, vetularum etiam pedibus transmeabilem fecit. Eo quoque ingenio Euphraten mediam Babyloniam interfluentem, ab alveo proprio derivavit. Sicque mirabile dictu, urbem maximam ac florentissimam cepit M CCCC. post conditionem ejus anno De cujus tam situ, quàm eversione verba Orosij infra ponere volui, ait enim: *Cepit urbem, quam vel humano opere extrui potuisse, vel humana virtute destrui posse, utrumque pene incredibile apud mortales erat.* Et infra: *Quicquid est opere & manu factum, labi & consumi vetustate, Babylon capta confirmat.* De situ quoq; ejus sic ait: *Hæc campi planicie undiq; conspicua: natura loci altissima castrorum facie, mœnibus paribus per quadrum disposita. Murorum ejus vix credibilis relatu, firmitas & magnitudo, id est latitudo* L. *cubitorum, altitudo quatuor tantùm. Caterùm ambitus ejus* CCCCLXXX. *stadiis circumvenitur: murus coctolatere, atque interfuso bitumine compactus: fossa extrinsecus*

ſecus latè patens, vice amnis circumfluit. A fronte murorum centum portæ æreæ. Ipſa autem latitudo in conſummatione pinnarum utroque latere habitaculis defenſorum æque diſpoſitis, media intercapedine vicenas quadrigas capit. Domus intrinſecus quater geminæ habitationis, minaci proceritate mirabiles. Cyrus tanta urbe capta, Crœſum quoque Regem Lydiæ famoſum & magnum, qui ad hujus auxilium cum veniſſet, territus aufugerat, perſequitur, victumque vita & regno privavit.

CAPUT XII.

De prophetia Ezechiel, Daniel, Abacuk.

NON multò ante hoc tempus prophetaverunt Ezechiel & Daniel in terra Babylon. Quorum prior de ſpiritali templo, quæ eſt Eccleſia, de viſione quoque quatuor animalium profundiſſimam & obſcuriſſimam ſcripſit prophetiam. Alter verò eximiæ ſapientiæ (unde & deſideriorum appellatus eſt vir) luculentiſſimam de regnorum mutatione, prophetico ſpiritu ſcripſit Apocalypſim. Ambo de temporibus Antichriſti, reſurrectioneque mortuorum, extremo quoque judicio, ac permanſuro in æternum Chriſti regno, multa nobis tam utilia, quàm ſpiritalia myſtico ac prophetico ſenſu protulere. Abacuk etiam eo tempore in Judæa, quo iſti in Babylone prophetaverunt, ſcripſiſſe ex hiſtoria Danielis cognoſcitur. Hic ob hoc, quòd populum Dei injuſtè oppreſſum peregrinari ac miſerè vivere, oppreſſores verò ejus regnare & proſperari vidit, in tantam etiam contra Dominum prorupit audaciam, ut ipſum aut res humanas negligere, aut non æqua lance penſare penè dixerit, vel potius ejus ſuper his patientiam admiratus, non de gubernatione, ſeu æquitate dubitaverit: propter quod & luctator vocatus eſt. Canticum quoque pulchrum valde edidit, in quo conſideratione incarnationis, paſſionis, ſecundi adventus Domini, reprobationeque Judaici populi, ac vocatione gentium, horrore ſe concuſſum innuit, dicens: Domine audivi auditum tuum, & timui.

CAPUT. XIII.

De quatuor principalibus regnis, quæ Daniel in expoſitione ſomnij Nabuchodonoſor vidit.

SED quia Danielem de mutatione regnorum propheticam hiſtoriam edidiſſe diximus, aliquid inde ſubterannotare operæprecium duximus. Dum ergo ſomnium Regis Babyloniorum exponeret, *Tu es*, inquit, *ò Rex, caput aureum, quod vidiſti. Poſt* Dan. 2.
te ſurget aliud regnum minus te, poſt hoc rurſum aliud, poſt illud quartum, quod quia fortiſſimum erit, ferro omnia comminuenti comparatur. Vide quomodo Propheta quatuor regnis nominatis, primum quidem propter nobilitatem ſui auro, quartum propter potentiam, ac Marte preſſum orbem, duobus mediis intervenientibus, ferrum nominaverit. Primum & quartum quæ ſupra memoravi, regna ſunt potentiſſima Babyloniorum ac Romanorum: quorum uno cadente in Oriente, mediis Perſarum & Græcorum intervenientibus, alterum (ut ſæpe jam dixi) ſurrexit in Occidente, quamvis nonnulli pro Perſarum regno ſecundo loco Africanum inter quatuor mundi principalia regna poſuerint regnum, ut & ſic ſecundùm quatuor mundi cardines, mundi quoque quatuor regna conſtituant; Orienti ſcilicet Babylonicum, Auſtro Africanum, Septentrioni Macedonicum, Occidenti Romanum tribuentes. Quod autem idem Propheta proſequitur & dicit: regnum iſtud quod ferro comparavit, in pedibus, quæ pars, extremitas corporis humani, finem ſignificare ſolet, ex parte ferreum, ex parte fictile fuiſſe, donec à lapide exciſo de monte ſine manibus, percuſſum funditus ſubrueretur, ſuo loco, adjuvante Deo, dicemus. Nos enim circa finem ejus poſiti, id quod de ipſo prædictum eſt, experimur, futurumque in proximo quod reſtat, expectamus.

CAPUT XIV.

Qualiter Tomyris Regina Cyrum occiderit. Exclamatio de hoc, brevisque Epilogus de laude Cyri.

CYRUS poſt tot triumphos in ſuperbiam elatus, Scythiam, cui tunc Tomyris Regina præſidebat, cum exercitu ducentorum millium petit. Cum que Araxim fluvium

 trans-

transisset, castra posuit, ubi callidè evocatis Scythis, tertiam partem exercitus reginæ cum filio ejus interfecit. Ob quam rem Cyrum in insidias astute vocatum, mulier cum toto delevit exercitu adeò, ut nec tantæ cladis remansisse feratur nuncius. Capite quoque ejus in utrem humano sanguine plenum misso, sexus sui immemor, dixisse fertur, Satia te sanguine, quem sitisti. Res miranda, ac miseranda, nec fatali eventui, sed Dei occultis judiciis tribuenda. Quis hæc audiens non stupeat? cujus vel saxeum pectus factum tam miserabile ad amorem Dei, contemptumque mundi non emolliat? Ecce enim vir totius Orientis, ac ipsius Triumphator Babyloniæ, quem propter eximiam virtutem Esaias longè ante Christum vocaverat, cui juxta eundem Prophetam Dominus gentes subjecerat, dorsa Regum verterat, portas æreas, ac vectes ferreos confregerat: hic, inquam, non solùm terris, sed & aquis formidabilis, ab infirma fragilisque conditionis muliere decipitur, ac cum tam infiniti exercitus multitudine funditus & deletur. Quid ad hæc dicemus, qui mundo inhærere volumus, ne dicam cernere, palpare etiam quàm misera sit mortalium conditio possumus, & ipsis tamen caducis ac transitoriis, tanquam robustis ac permanentibus adhæremus? Nec duritiæ id, sed bonitati ac misericordiæ omnipotentis Dei adscribendum dixerim, qui, ut ad amorem sui, permanentemque in cœlo civitatis mansionem nos vocaret, hanc inesse miseriam rebus mortalium voluit. Hic est Cyrus, qui dum à Judæis allatum Esaiæ vidisset (hoc quod posuimus) testimonium, captivitatem ex parte (ut Hieronymus ait) relaxavit, finitis à prima captivitate Judæ sub Jechonia (juxta supputationem præfati Hieronymi in prophetiam Ezechielis) XL annis, qui à desolatione templi tricesimus erat.

Cyri clades.

CAP. XV.

De Cambyse filio Cyri, & nova Babylonia ab ipso condita.

CYRO filius ejus Cambyses successit, qui Religionem, imò sacrilegia Ægyptiorum cerimoniasque expiavit. Hunc quidam secundum Nabuchodonosor dicunt, & ea quæ in libro Judith leguntur, sub eo facta fuisse: præcipuè cum Romanorum historia habeat, Tarquinii Superbi temporibus à Judith castissima Holofernem interfectum: dicuntque primum Cambysis regni, Tarquinij XVIII. fuisse annum. Unde hæ duæ castissimæ Judith & Lucretia contemporaneæ inveniuntur. Sed occurrit quæstio, quam solvere non possunt, qui hoc tradunt, quomodo videlicet hæc Cambysi, qui VIII. tantùm annis regnavit, convenire queant, cum XII. regni anno Nabuchodonosor hæc expeditio mota, in libro Judith dicatur? Quis etiam sit ille Rex Medorum Arphaxat, quem bello superatum à præfato Rege, idem liber affirmat. Quibus minimè fidem accommodaremus, nisi propter Josephum, qui in libro Antiquitatum undecimo, malevolum eum vocat: ubi etiam refert eum Epistolam contra Hierusalem misisse, in qua eam inimicam Regibus & seditiosam contestans, ne amplius ædificetur prohibet. Sed & Augustinus in libro de Civitate Dei, ea quæ in libro Judith scripta sunt, dicit sub Cyro evenisse. Ubi quamvis numerus annorum non repugnet, de victoriaque Medorum, mutato nomine tantùm Regis eorum, eluceat: verisimilius tamen est ea sub filio suo Cambyse, qui inimicus illius populi à Josepho dicitur, provenisse, quàm sub ipso, qui captivitatem relaxando, non solùm immanitatem, sed plurimam etiam populo Dei exhibuit humanitatem. Prædictus autem scrupulus sic solvi potest, quòd tres sequentes, juxta Josephum, Magorum anni, quos aliæ historiæ VII. tantùm mensibus imperasse dicunt, ad Cambysem referantur, & ita circa initium XII. anni præfata expeditio sub Judith facta fuerit. Cambyses novam Babyloniam in Ægypto dicitur instaurasse, quæ olim ab Argivorum Rege Api condita, Memphis dicebatur.

CAP. XVI.

De Magis & Dario, & plenaria liberatione Romanorum. De Prophetia Agæi, Zachariæ, Malachiæ, Esdræ. De infortunio Darij in bello Atheniensium, morteque ejus.

CAMBYSE mortuo, dum Magi regnum ejus invaderent, Darius unus ex illis, qui Magorum audaciam compescuit, consensu cunctorum Rex creatur. Hos Magos

in

In XI. Antiquitatum libro, VII. dominos nuncupatos & tribus annis regnasse dicit Josephus: Eusebius tribus, mensibus VII. Darius autem eò quòd Deo vero votum privatus fecerat, quatenus ad regnum ipso opitulante promotus, populum suum ad natale suum solùm remitteret, captivitatem Judæorum ad plenum relaxavit, templumque instaurari permisit. Tunc quoque Romani Tarquiniorum dominatione injusta ad plenum sunt liberati. Prophetaverunt novissimi Prophetarum Aggæus, Zacharias, Malachias. Quorum unus cùm dixisset de Ecclesia: *Erit gloria domus hujus posterior major quàm prior*: [*Aggæi 2.*] Judæi hoc de templo materiali dictum putantes, falsa spe frustrati sunt. Esdras quoque Scriba, quem unum de nominatis Prophetis quidam esse volunt, utilis valde in renovatione librorum Legis, Psalmorumque titulis, eisdem temporibus fuisse invenitur. Denique à tempore illo, id est, à Zorobabel & Jesu Sacerdote magno, usque ad Joannem, nec Prophetas cecinisse, nec regnum floruisse, excepto Jesu Filio Syrach, qui Salomonis sectans opus, librum quem Sapientiæ vocant, scripsit: & Machabæis, quorum alij patientia, alii fortitudine pro lege Dei fortiter steterunt: paucos invenies, qui dictis vel factis inter probatos cives Hierusalem meruerint computari. Habuerunt tamen & postmodum Reges, quos suo loco ponemus, sed non tam claros, ut de catalogo meruerint esse priorum. Darius primò Babylonios jugum dominationis Persarum excutere volentes, repressit: dehinc Regi Scytharum Antyro, eò quod filiam ejus sibi in matrimonio copulare nollet, bellum indixit, septingentaque millia armatorum unius amore mulierculæ, in periculo posuit: ubi amissis LXXX. millibus, contra Athenienses, (eò quòd Scythis Jonas in auxilium misissent) procinctum movit. Athenienses ergo cum X. millibus in campis Marathoniis tanto exercitui, qui fusis in Scythia tantùm LXXX. millibus, de DCC. millibus supererat, occurrunt, interfectisque ex eis (mirabile dictu) CC. millibus, cæteros in fugam vertunt. Post hoc cum bellum rursus instauraret Darius, in via mortuus est, successitque ei filius ejus Xerxes.

CAP. XVII.

Rursum de infortunio filii Darii Xerxis, primo à Leonida, post ab Atheniensibus victi, ad ultimum ab Artabano Præfecto suo occisi.

ANNO ab Urbe condita CCLXXV. cum ob stuprum viva defossa fuisset vestalis virgo Popilia, patri in regnum succedens Xerxes, Atheniensibus bellum parat. Tædet hîc inextricabilem malorum texere cratem: tamen ad ostendendas mortalium miserias, summatim eam attingere volo. Tunc enim Xerxi cum innumerabili ac incredibili exercitu, utpote qui ad mille millia armatorum, & ad mille ducentas naves rostratas, & ad trium millium oneratarum navium fuisse perhibetur, à Leonida Spartanorum Rege, cum paucissimis, id est quatuor millibus, in arctis locis Thermopylarum occurritur, [*Prælium ad Thermopylas.*] triduoque pugnatur. Itaque Leonida quarta die cum hostem undique circunfundi cerneret, dimissis sociis, cum suis tantùm qui sexcenti fuere, memorabili illo animans eos eloquio, *Prandete, cum inferis cœnaturi*: tantum audens aggredi exercitum, tota nocte una, sequentisq; parte diei hostes cecidit, adeo ut non eorum ictibus, utpote qui in nullo se defendentes, mutuis etiam se cædebant vulneribus, sed propriis lassati laboribus, ipsi qui victores extiterant, non percussi, sed percutientes morerentur. Eo modo Leonida cum suis occubuit. Xerxes bis victus navale rursus prælium parat: sed Atheniensium ac Græcorum non minus astu quàm virtute territus, relicto Mardonio exercitu, in Scapham apud Abydum conscendens, uno tantùm Comitatus cliente in Persas rediit. Mardonius commisso in Bœotia cum Græcis prælio, deletis copiis, regiisque opibus refertis castris captis, cum paucis velut nudus de naufragio fugere compellitur. Et mirum dictu, Persarum exercitus, qui eadem die sub Monimicale Duce in Asia dimicabat, tantum sociorum discrimen ipsa die meridianis horis, tanto locorum intervallo audire potuit, auditoque, desperatione correptus, & in fugam versus est. Sicque sub hoc, duobusque præcedentibus Regibus, de illis tantùm regni visceribus decies novies centena millia tribus bellis rapta invenies. Græciaque hanc victoriam cum morte suorum, ac discrimine maximo est adepta. Xerxes tot bellis infeliciter gestis, suisque contemptui habitus, ab Artabano Præfecto suo occiditur. Artabano item Rege

Darius Nothus. perfuncto, successit Xerxes, & rursum post illum Xerxes, & deinde Sogdianus, & sic consequenter Darius cognomento Nothus.

CAP. XVIII.

De prodigiis in urbe Roma visis, pestilentia, intestinisq; malis inde secutis: & de Q. Cincinnati rustici victoria.

ANNO post Urbem conditam CCLXX. suspensis parvo intervallo bellis, pestilentia maxima non tam minores, quàm consulares ac militares viri consumpti sunt in Urbe. Quam pestilentiam prodigium, ita ut cœlum ardere videretur, præcessisse fertur. *Chasma ante pestem.* Consumpti tunc fuere duo consulares viri, Ebutius & Servilius, quæ lues superiore quarto anno Urbem simili modo depopulata est. Hoc malum sequenti anno sequitur aliud. Servi namque contra dominos suos, civesque exules, Duce Herbonio viro Sabino effrenati, invadunt, incenduntque Capitolium. Quos cum vir fortissimus coercere vult Valerius Consul, morte sua miserabiliter de servis suis triumphavit. Anno sequenti cum Equis & Volscis malè pugnatum est. Nam Minutius Consul cum eis pugnans vincitur, obsidioneque cum exercitu frigore ac fame laborante, cingitur. Quintius ergo Cincinnatus ab aratro assumptus ad fasces, presso hoste obsidionem solvit, *Quintius Cincinnatus.* jugumque boum equis imponens, actis ante se victis, rustico ut erat habitu, victor Urbem ingressus est. Jam tunc inter illius, quæ totius orbis obtentura foret principatum, Urbis monstrabantur principia, quòd infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.

CAP. XIX.

De bellis diversarum civitatum, & præcipuè de oppressione Atheniensium à Regibus Persarum, morteque Socratis, ac obitu Darij Regis Persarum, & exilio Dionysij Siculi.

ANNO ab Urbe condita CCCXXXV. tam in Sicilia, quàm in Græcia gravia fuere bellorum discrimina: in Sicilia quidem inter Catinenses & Syracusanos, in Græcia verò inter Lacedæmonios & Thebanos, Spartanos, Athenienses, Xerxe, Dario Notho, & Artaxerxe, de quo postmodum dicetur, Regibus, propter Atheniensium odium, incitantibus contra eos alias quas nominavi urbes. *Athenarum destructio.* In tantum verò hoc cœpit serpere malum, ut nobilissima illa ac famosissima civitas Atheniensium, quæ non minus ex suorum sapientia, quàm virtute floruerat, funditùs penè ita, ut etiam sedes mutare cogitarent, destructa fuerit, quod Romanæ eloquentiæ maximus auctor Tullius, in libro de Officiis hoc modo testatur: *Offic. lib. 3.* *Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque ut urbe relicta, conjugibus & liberis Troezene depositis, naves conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent, Cyrsilum quendam, suadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt.* Quorum virtutem rursum in extremo discrimine positorum, idem commendans, *Themistocles*, inquit, *post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione se habere consilium Reip. salutare, sed id sciri non opus esse: postulavit, ut aliquem populus daret, qui cum communicaret: Datus est Aristides. Huic ille: classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedæmoniorum vires necesse esse. Quod Aristides cum audivisset, in concionem magna expectatione venit, dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minimè honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.* Malis ergo suis sapientissimi omnium edocti Athenienses, tandem didicere, sicut res parvæ concordia crescunt, sic maximas discordia dilabi. Ex quo apparet, sapientissimos quoque interdum plus rerum experientiis, quàm Doctorum proficere institutis. Quam historiam profusè ab aliis dictam, nos brevitatis causa succinximus. Socrates præcipuus Philosophorum, his malis motus, veneno se necasse perhibetur, qui tamen nulla monimenta librorum dimisisse invenitur. Unde ejus tale dictum adhuc vulgo traditur: Malo in cordibus hominum, quàm in pellibus mortuorum animalium scribe-

ſcribere. Inſignia hæc tempora tam expugnatione Athenarum, quàm morte Darii Regis Perſarum, quàm exilio Dionyſij Siculi tyranni fuere. Sicilia enim primò Cyclopum, pòſt tyrannorum, usque in præſentem diem fuiſſe nutrix traditur: quorum priores carnibus hominum, poſteriores cruciatibus ſemper paſcebantur. De hoc Dionyſio refert Tullius, quòd ob nimiam crudelitatem in ſuos, nulli fidus, à nullo quoque boni quippiam fidens, cultros metuens tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillum.

Dionyſius Siculus. Sicilia Gigantum & Tyrannorum nutrix.

CAP. XX.

Qualiter duo filii Darii pro regno contenderint, & Artaxerxes, ſub quo hiſtoria Heſter facta creditur, Regnum mortuo fratre obtinuerit. De terræmotu, & incendio Aetnæ montis, de Atlantis civitate, & peſtilentia Athenienſium.

DARIUS moriens duos reliquit filios, Artaxerxem & Cyrum. Qui dum pro Regno contenderent, multis utrinque profligatis. Artaxerxes graviter vulneratus, equi velocitate liberatur: Cyrus verò ab exercitu fratris interfectus, finem certamini dedit. Itaque Artaxerxes victoriam adeptus, Regnum parricidio firmavit. Hic eſt Artaxerxes, qui & Aſſuerus, ſub quo Heſter & Mardochæi narratur hiſtoria, quando omnis populus Iſrael mortis periculo liberatus, expletis à prima captivitate ſua, juxta Hieronymi ſupputationem in Ezechielis Prophetiam CCXC. annis, priſtinæ donatus eſt libertati. Ea tempeſtate terræmotu concuſſa Sicilia, Ætnaque exæſtuante, agri villæq; vaſtatæ ſunt. Tunc etiam Atlantis civitas ab arida ſoluta, in inſulam redacta eſt. Athenienſium reliquiæ peſtilentia miſerabiliter conſumptæ ſunt. Vide tempora omni plena miſeria.

Artaxerxes idem qui Aſſuerus.

CAP. XXI.

Quæ mala Galli Romanis fecerint, & quomodo ab eis accepta pecunia receſſerint.

ANNO ab Urbe condita CCCLXIV. Senones Galli, Duce Brennone, exercitium movent contra Romam: contemptisque legatis quos pro adipiſcenda pace miſerant, Cluſini oppidi, quæ nunc Tuſcia dicitur, obſidione relicta, ad Romanorum perniciem properant. Quibus dum Romanorum conſul Fabius occurriſſet, cum quanta clade ſuorum aufugerit, teſtis eſt Allia fluvius. Nec hic miſeriæ finis fuit. Urbem enim ingreſſi Galli, tam ipſam incendio flagrare, quàm ſenes ejus in domibus ſedentes, & in modum ſimulacrorum rigentes, ruina domus ſepelire non timuerunt. Juvenes etiam, qui mille tantùm remanſerant, in Capitolium fugientes perſequuntur: nec antè ab ejus impugnatione ceſſare voluerunt, donec accepta mille talentorum auri pactione, recederent. Quibus malis attriti, ſedes mutare cogitaverunt Romani.

Brenno Senonenſis.

CAP. XXII.

Excidium Lacedæmoniorum, & reformatio Athenienſium ſub Cônone per Artaxerxem Regem. De victoria Romanorum, & ſpecu quem Martius Curtius miles inaudito modo clauſit. Victoria de Gallis.

HIS diebus Artaxerxes Rex Perſarum diſcedere ab armis, & quieſcere totam Græciam jubet, adijciens, violatorem pacis armis petendum. Quod eo faciliùs facere potuit, quo omnes tot bellorum variis eventibus defatigati, & tædio affecti, quietis remedio reſpirare cupiebant. Lacedæmonij enim utpote homines, & Græci inquietiſſimi ac cupidiſſimi, & de hoc quòd Athenienſes antè bello preſſerant, in ſuperbiam elati, totum bello perturbare tentabant Orientem. Quorum Artaxerxes Rex inſolentiam refrenare volens, Cononi Athenienſi, qui apud eum exulabat, committens exercitum, ipſum contra Lacedæmonios, cum Perſarum copiis miſit. Porrò Lacedæmonij ab Hermione Ægypti Rege petito & accepto auxilio, ſociorumq; undecunq; contractis copiis, bellum parant, Ageſilaumque pede claudum, ſed manu fortem, Ducem ſibi creant. Igitur Canon & Ageſilaus probatæ fortitudinis viri, congreſſi acerrimè cum utriusque exercitus ſanguine, diutiſſimè pugnarunt, invictique ab alterutro ambo fatigati diſceſſe-

discesserunt. Conon rursum Persarum instructus copiis, Lacedæmoniorum agros villasque populabatur. Et ne multis morer, variis ac plurimis ancipiti victoria utrobiq; gestis bellis, bellorumq; discriminibus ad hoc tandem florentissima illa, gloriæque avidissima deducta est Lacedæmoniorum civitas, ut tota deleta juventute, vix in ea C invenirentur senes. Conon Athenas reversus cum maximo gaudio suorum, ipse pro desolatione urbis tristis suscipitur. Itaque Lacedæmoniorum prædis à Lacedæmoniis urbem exinanitam replevit, & quæ ante à Persis fuerat concremata, à Persis rursum, ipso rogante, est reformata. Non multo pòst elapso tempore, Romani, qui à Volscis, Phaliscis, Equis, Sutrionibus per LXX. annos multis malis attriti fuerant, tandem civitatibus eorum captis, sub Camillo Duce finem imposuere certamini. Prænestinos, qui usque ad portas Urbis sæpe venerant, Tito Quintio Duce, juxta flumen Alliam pugna vicerunt. Circa idem tempus pestilentia rursus Roma consumitur, quam sequenti anno ingens prodigium sequitur. Impendens quippe specus, terraque dehiscens in medio foro apparuit, vivique hominis diis consultis præcipitium expectavit. Satisfecit monstroso specui M. Curtius miles, qui dum armatus illò se præcipitasset, morte sua horrendam voraginem clausit. Romæ tunc scenici ludi ad placandos deos, suadentibus Pontificibus, sunt instituti. Ea tempestate Galli rursum Romam delere cupientes, cum ingenti exercitu ad quartum ab Urbe lapidem consederunt. Quibus Titus Quintius cum Romanorum exercitu occurrens, victos fugatosque barbaros in patriam redire compulit. Qui rursum instauratis copiis revertentes, à Romanis denuò vincuntur.

M. Curtius.

CAP. XXIII.

Quòd Carthaginenses & Romani nuntiis fœdus firmârunt, & saxea grando veris terram lapidibus percusserit. De Artaxerxe, qui & Ochus, quomodo Judæos incluserit.

ANNO ab Urbe condita CCCCII. legati Carthaginensium, quæ urbs, totius Africæ caput, longè lateque imperavit, Romam veniunt, fœdusque inter se civitates hæ duæ firmaverunt. Tunc etiam nox debitò longiùs protracta fuit, & saxea grando veris terram Romæ percussit lapidibus. Iisdem diebus Artaxerxes, qui & Ochus, Sidone, Ægypto, Syria regno subjectis, plurimos ex Judæis in Hircania juxta mare Caspium habitare coegiit, qui jam in multum populum crevisse dicuntur, ac inde diebus Antichristi erupturi creduntur.

Captivitas X. tribuum Israel.

CAP. XXIV.

Initium regni Græcorum; quomodo Philippus ingenio & virtute civitates Græciæ sibi subjecerit, & Alexandrum filium instruxerit, ipseque ad ultimum quem finem habuerit.

TEMPUS esse putò, ut ad Græcorum tempora veniamus. Ea ergo tempestate Philippus Amyntæ filius, Alexandri Magni pater, Macedonum Regnum per XXV. annos tenuit. Hic apud Epaminondam Thebanorum Regem strenuissimum, ac summæ Philosophiæ virum nutritus, in tantum fortitudinis ac sapientiæ virtute profecit, ut Græcorum civitates, quæ dominandi libidine singulæ imperare cogitaverant, omnes suo adunaret ac subiiceret imperio. Inferioribus enim contra superiores suadens certamina, omnibus ad invicem callidè incitatis, omnium ad ultimum efficitur Princeps & Dominus. Ita florentissimum ac libertate propria usum Græciæ corpus libertate privavit, Byzantiumque urbem resistentem sibi obsidione cinxit. Hæc urbs à Pausania Spartanorum Rege condita, à Constantino postmodum gloria opibusque aucta, & à nomine suo Constantinopolis dicta, totius modo Orientis caput dignoscitur. Exhaustis in obsidione copiis, Pyraticam aggreditur, centumque LXX. navium spolia rapuit, & militibus suis dedit. Obsidione dimissa, ad Scythas cum Alexandro filio suo prædandi causa properavit. Quibus astû magis quàm virtute superatis, plurimos ex eis captivavit, auro argentoque non repertis, pecorum tantùm prædam innumerabilem diripuit. Post hæc Atheniensibus bellum indicit. Qui pulsatis per legatos universis Græciæ civitatibus, Lacedæmonios etiam ac Thebanos orant, ut communibus viribus communem omnium hostem propellerent. Sed frustra contra impetum fluminis conantur.

Philippus Macedo.

Constantinopolis.

nantur. Nam ab ipso non solùm victi, sed & servituti cum aliis Græciæ civitatibus mancipati, sub coronaque venditi, captis aliis, profligatis aliis, fuere. Hic etiam Alexandrum filium suum, benevolentiam Macedonum largitione sectantem, in epistola redarguit, dicens: *Quod te malum rationis in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te Regem suum, sed ministrum & præbitorem putent?* Is quamvis rebus gestis & gloria superari à filio videretur, facilitate tamen & humanitate filio superior fuisse perhibetur à Tullio: unde & ait: *Itaque alter semper magnus, alter sæpe turpissimus.* Ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus. Fertur de ipso, quòd falsorum deorum maximus persecutor fuerit, arasque eorum ac templa destruxerit. Dumque à suis sæpe requireretur, quis sapienti ac viro forti finis potissimùm esset eligendus, dixisse fertur: Is qui pacatis sedatisque omnibus erga se bellorum seditionumque motibus, cum præcipuæ auctoritatis & nominis esset, subitò vitam ferro finiret. Quod ipsi contigisse (nec falsos deos, quos persecutus fuerat, impedire potuisse) ajunt. Dum enim Alexandro uxoris suæ Olympiadis fratri filiam suam copularet, nuptiasque magnificè celebraret, inter duos Alexandros, generum scilicet & filium, à Pausania nobili Macedonum juvene dolo necatur.

CAP. XXV.

Principatus Alexandri Magni. Finis regni Persarum, innumerosorumque Regum, & mirabilia quæ fecit & vidit Alexander. Finis ipsius: & exclamatio de his contra rotatum rerum.

ANNO ab Urbe condita CCCCXXVI. mortuo Philippo, in regnum successit Alexander. Hic est magnus Alexander, à quo cœpit, & in quo desiit Græcorum monarchia. De quo traditur, quòd non Philippi, sed cujusdam Magi Ægyptiorum Regis Nectanabi filius fuerit. Alexander suscepto regno, virtutem animi intra se non ferens, terminisque à patre, quamvis viro bellico ac fortissimo relictis, non contentus, imperium dilatare cogitat. Itaque compositis ac ordinatis rebus in Græcia, assumptis secum paucis, id est, XXXII. millibus peditum, VII. millibus equitum & quingentis, navibus CLXXX. tam parva manu utrum audacius fuerit, quòd totum Orientem est aggressus, an mirabilius, quòd vincere potuit, incertum habeo. Darium igitur Regem Persarum, Arsani filium, qui quartusdecimus à Cyro totius Orientis monarchiam tenebat, hac potissimum causa aggredi voluit, quòd à patre suo Philippo tributum requisierat. Cui cum Darius, missa prius legatione superba, in qua se Regem Regum, ac consanguineum deorum, Alexandrum verò famulum suum vocat, cum exercitu sexcentorum millium occurrisset, Alexandri non minus arte, quàm virtute superatur. Darius rursum instaurato exercitu bellum parat. In qua pugna non solùm vincitur, sed & mater ejus, & soror, eademque uxor cum parvulis filiis capiuntur. Ob quam rem fractus animo Darius, Alexandro pro redimendis captivis mediam partem regni tradere voluit, sed nequaquam valuit obtinere. Alexander Persarum potitus victoria, Parmenionem ad invadendam classem eorum cum copiis mittit. Ipse verò cum exercitu in Syriam tendit, ibique Reges ultrò sibi occurrentes, ac suæ se ditioni subjicientes, quosdam in gratiam recepit, quosdam mutavit, alios verò perdidit. Tyrum etiam nobilissimam & locupletem, fiducia Carthaginensium sibi resistentem cepit urbem. Inde Ciliciam, Rhodum ac Ægyptum peragrans, omnes in ditionem accepit. Tunc etiam Alexandriam in Ægypto condidit. Inde Hierusalem veniens, à Judæis cum magno suscipitur honore, templumque ingressus, hostias Deo vero obtulit, ac summum Sacerdotem summa veneratione (juxta Josephum) coluit: mirantibusque cunctis summi Dei, qui sibi orbem subjugaret, eum esse Sacerdotem, cujus revelatione ipsum cognosceret, asseruit. Darius rursum spe pacis amissa, pugnam inire molitur. Anceps tunc diu victoria stetit, Dario sæpe jam victo, ni vincat, mori parato, Alexandro verò ex priori victoria amplius ad pugnam animato: tandem cedere dum coguntur Persæ, Darius mori optans, à suis bello eximitur. Sicque Persarum imperii hoc ultimo bello vires cecidisse feruntur, ut post hoc nobile illud ac potentissimum regnum patienter jugum servitutis portaret. His tribus bellis quindecies centena millia Persarum

Alexander Magnus.

Darius Macedo armis victus.

Finis Monarchiæ Persarum.

Persarum cecidisse feruntur. Et hi sunt reges Persarum: Cyrus, Cambyses, Magi, Darius, Xerxes, Artabanus, Artaxerxes, qui & Longimanus, Xerxes, Sogdianus, Darius Nothus, Artaxerxes, qui & Mnemon, vel Assuerus Darii & Parisatidis filius, Artaxerxes, qui & Ochus, Arses filius ejus, Darius Arsani filius: qui omnes CCXX. vel amplius annis Orienti imperaverunt. Ex hinc imperium supputatur Græcorum, seu Macedonum.

Res Græcorum.

Alexander XXXIIII. diebus prædam percensuit, Persipolimque urbem caput Persici regni victor invadit. Darium bello egressum, præsidioque fugæ confidentem, ob gratiam Alexandri, fraudulenter sui vinctum, multisque confossum vulneribus, & extremum spiritum trahentem in via relinquunt. Quem Alexander inventum, in sepulchrum patrum suorum inferri misericordia motus jussit. Fertur etiam hoc memorabile de ipso. Dum enim scire vellet, qui domini sui traditores extiterint, sub Sacramento pollicitus est; quòd quicunque se interfectorem Darii profiteretur, ipse eum excelsum faceret, ac notabilem. Apparuerunt ergo, ac prodiderunt se viri scelerati, quos ille statim in patibulo excelso affigi præcepit: sicque juxta quod pollicitus erat, excelsos fecerat eos in cruce, ac omni ævo de perfidia sua notabiles. Inter hæc Alexander, Alexandri Magni avunculus, Epirotarum Rex, dum Alexandrum æmulari cupit, à Brutis, Lucanisque interficitur. Igitur Alexander magnus post mortem Darii, Hircanos & Mandros imperio adjecit, Amazonumque Reginam Alestram procaciter venientem ad se cum muneribus, ob suscipiendam prolem excepit. Longum est enumerare gentes ac regna: totum enim Orientem à Scythia usque ad finem terræ, suæ subjugavit potestati. Probat hoc India citerior, quæ quamvis in Oceano, ultimoque Oriente posita, orbem claudat, hominibusque impervia, solis bestiis ac serpentibus videatur habitabilis: Alexando tamen facta est subdita & penetrabilis. Ibi saxum miræ altitudinis & asperitatis, I ubi multi populi confluxerant, Herculi inexpugnabile, ut ipsum etiam virtute supergredi videretur, cepit & expugnavit. Ibi Porum regem Indorum opulentissimum, ac miræ magnitudinis & fortitudinis virum, singulari congressu vicit, & in signum victoriæ regno restituit, ipsumque ad videndum terræ ultima loca, ducem habuit. De cujus domo aurea, vinea quoque argentea & aurea, racemisque ex gemmis preciosis, qui scire vult, legat epistolam Alexandri ad Aristotelem Philosophum præceptorem suum: in qua pericula ejus quæ passus est, de simulacrisque Solis & Lunæ, quæ ei mortem prædixerant, & multa quæ tam mirabilia sunt, ut etiam incredibilia videantur, diligens inquisitor rerum inveniet.

Porus rex Indiæ.

Alexander totius Orientis potitus victoria, dum Romam quoque cum universo Occidente sibi subjugare parat, ab India revertitur in Babylonem, ubi exterarum gentium ex toto penè orbe, ac ultimo Occidente, id est, ab Hispanis, Gallis, Germania, Africa, ac fermè omni Italia Legati sibi occurrunt, ut inde venisse cerneres legationem, quò vix tam parvo tempore crederes etiam rumorem pervenisse. Et mirum dictu, tantus timor totum invaserat orbem, ut cum per XII. tantùm imperasset annos, in summo Oriente constituto, ultimi Occidentis populi timore conterriti, Legatos mitterent, pacemque requirerent. Alexander ergo in Babylone positus, die, tempore ac loco, sibi à simulacris Solis & Lunæ in India præfixis, ministri insidiis veneno interiit.

Alexander M. toxico perit.

O mortalium conditio, ô mentes miseras & cæcas. Nonne iste est Alexander, qui Persarum nobile ac superbum imperium destruxit, & ad Macedones transtulit? Nunquid non ipse est, quem totus orbis tremens, etiam non visum expectare non ausus, ultrò se servituti dedit? & tamen talis tantusque unius potus poculo, unius ministri insidiis extinguitur, unius moPrte totus mundus concutitur. Regni Macedonum monarchia, quæ ab ipso cœpit, ipso mortuo cum ipso finitur. Nos verò hoc ipsum non attendimus, qui mundum diligimus, qui ipsi tanquam æternæ rei ac permanenti inhærere volumus. Cadimus cum cadente, labimur cum labente, volvimur cum rotante, postremò perimus cum pereunte. Civitas autem Christi fundata supra firmam petram, malis ac tempestatibus mundi non concutitur, immobilisque atque inconcussa manens, æternaliter regnare, æternaliter coronari meretur.

CAP.

CAP. XXVI.

De socijs Alexandri, quomodo orbem diviserint, & Olympiam matrem Alexandri cum filio suo Hercule occiderint, ipsiq; mutuis vulneribus corruerint: & de Machabæis.

IGITUR Alexandro mortuo, qui per XII. annos orbem sibi ferro subjugaverat, principes ejus coadunatum ab ipso imperij corpus, singuli singulas sortiti provincias, veluti prædam nobilem à magno sibi leone præparatam, membratim per XIV. annos avidi discerpsere catuli, Orientisque imperium diu post hoc in sua ditione tenuerunt. Hinc Ptolemæus Ægyptum, Antipater Græciam, Seleucus, à quo Seleucia, Antiochiam pariter & Syriam & Babyloniam, Cassander Lyciam & Pamphiliam, Antigonus majorem Phrygiam, alijque singulas occupavere Provincias: ac juxta librum Machabæorum, diademata sibi imposuerunt. Dumque Provincias & Regna dividerent, tantum adinvicem contraxerunt odium, ut ad ultimum omnes mutuis caderent vulneribus. Ut enim liberius debacchari possent, matrem Alexandri Olympiam unà cum filio suo Hercule, XIV. annos habente, Cassander & Antigonus interemerunt. Fuerunt aliquanto pòst tempore fortissimi, quos suprà nominavi, cives Christi Machabæi, quorum alii pro testamento Dei, primi antiquæ legis martyres, ab Antiocho Rege martyrio consummantur, unde & soli ex antiquis Patribus ab Ecclesia inter martyres coluntur: alij verò Judas & fratres ejus, viriliter pugnando, ac armis patriam defensando, post innumerabilem inimicorum stragem, ipsi quoque bello ceciderunt.

Res Græcorũ descripta.

CAP. XXVII.

Quòd Roma post Alexandrum, tanquam amisso pædaoggo, crescere cœperit.

SED jam ad Romanum Imperium stylum vertamus, nempe (ut sæpe jam dixi) regnum Romanorum regno Babyloniorum tanquam Patri successit filius. Dum ergo in primæva, velut in infantia, maneret conditione, duo quæ modò nominavimus regna, Persarum videlicet & Græcorum, quasi tutores & pædagogi hujus fuerunt. His itaque cadentibus, & veluti morientibus, regnum Romanorum, quod jam ad robustam pervenerat ætatem, utpote magisterii jugo excusso liberum, per se cœpit regnare, dominiumque suum jure hæreditatis recognoscere.

NB.

CAPUT XXVIII.

Reciprocatio, id est, qualiter Roma sub Alexandrô, & vicinis gentibus dehonorata, fœdus non servaverit, sed sub Papyrio Cos. bellum instauraverit.

ANNO ab Urbe condita CCCCXXVI. eò scilicet quo Philippo successit Alexander, quasi adhuc vivente pædagogo, Roma admodum est dehonorata. Nam cùm Samnites bello pressissent, pluresque ex eis, id est, XX millia cecidissent, Samnites damno suorum correpti, evocatos in angustias locorum Romanos in tantum oppresserunt, ut in potestate haberent, an occiderent, an potius captos in servitutem redigerent. Usque ad id enim tempus occidi poterant, capi non poterant Romani. Turpiter ergo capti, & vestibus armisque nudati, obsides quoque dare coacti, ignominiosè domum sunt reversi. Et, ut ait Orosius, hodie Romani aut omnino non essent, aut Samnio dominante servirent, si fidem fœderis, quam sibi servari à subjectis volunt, ipsi subjecti Samnitibus servâssent. Sequenti anno Romani fœdus rumpunt, rursumque cum Samnitibus, Papyrio Consule Duce, bellum instaurant. Quem tantæ virtutis ac strenuitatis fuisse ferunt, ut eum etiam Alexandro Magno, si venisset, opponere cogitassent.

Romani à Samnitibus victi.

CAP. XXIX.

Quòd Roma post mortem Alexandri, tanquam in propria auctoritate stans, ingenio & arte usa, hostes devicerit, sed statim pestilentia afflicta fuerit.

ANNO ab Urbe condita CCCCL. cùm Alexandro mortuo, regnoque suo à sociis suis in se ipso diviso, ac per hoc desolato, regnum Romanorum, jam tanquam pædagogo

gogo defuncto in propria auctoritate ac libertate stare cœpisset, Quinto Decio, M. Fabio Maximo quater consulibus, quatuor fortissimæ gentes, Hetrusci, Umbri, Samnites, Galli adversus ipsum conspiraverunt; Romani, utpote qui (ut supra dixi) ad robustam ætatem pervenerant, consilio arteque usi, hostem dividere conantur. Itaque Hetruscos & Umbros, dum incendio agrorum suorum reverti faciunt, ipsi cum Samnitibus & Gallis pugnam ineunt, gravissimeque utrobivis pugnantes, Decius cum VII. millibus legionis suæ occubuit. Fabius verò occisis L. millibus adversariæ partis, victor extitit. Revertentibus autem de victoria Romanis, pestilentia magna urbem invasit, sicque in luctum versum est gaudium.

CAP. XXX.

De varijs eventibus Romanorum, & diversis calamitatibus eorum.

Bella Romanorum cum Samnitibus.

ANNO sequenti denuo à Samnitibus vincuntur Romani, sed Papyrius consul contra eos missus, victor extitit. Proximo dehinc anno Fabius Gurges cum eis pugnans vincitur, in urbemque fugatur. Quem cum Senatus ob hanc ignominiam submovere à Consulatu decerneret, Pater ejus Fabius Maximus ultro se obtulit, ac conserto cum hostibus prælio, capto Duce eorum Pontio, multisque cæsis millibus, triumphans bellum Samniticum, quod per LIX. annos cum multo utriusque urbis sanguine protractum fuerat, finivit. Rursum tamen redivivum bellum excitare cogitantes, cum Lucanis, Brutiis, Hetruscis, Gallis, Samnites contra Romanos conveniunt: ubi cum utriusque partis strage fortissimè pugnatum est, Gallis more suo viriliter pugnando, crudeliter Romanos cædentibus.

Involvi multorum discrimina bellorum, rerumque mutationes tam miseras texui, quàm multiplices: Verùm quia transcursis Babyloniorum, Medorum, Persarum, Græcorum gestis, ad Romanorum tandem Historiam venimus: ea quæ ab ipsis vel fortiter, vel aliter gesta sunt, quia à multis largè diserteque sunt edita, nos brevitatis causa compendio stringamus. Hoc tantùm lectorem notare volo, Romam penè nunquam fuisse sine bellis externis, vel sine clandestinis malis, seu pestilentijs internis. Unde Orosius atrocitatem pestilentiæ, quæ quadam vice apud Romam conflagravit, significans quanta esset: *Census*, inquit, *indictus est, qui non quantum hominum deperisset, sed quantum superfuisset inquireret.* Idem paulò post: *Ecce continuatim quæ & quanta numeravimus accidisse annis singulis. Plurimi anni sunt, inter quos certe rarò aut penè nullo nihil non triste gestum. Et hoc cum iidem Scriptores, proposito sibi magis laudandi negotio, caverent, numerositatem miseriarum, ne eosdem, quibus hæc, & quibus scribebantur, offenderent, auditoresque suos exemplis præteritorum terrere potius, quàm instruere viderentur. Porrò autem nos in ultimo temporum positi, mala Romanorum scire non possumus, nisi per eos qui laudavere Romanos.* Ex quo intelligi datur, quanta illa fuerint, quæ studio propter honorem repressa sunt, cum tanta inveniuntur, quæ tenuiter inter laudes emanare potuerunt. Nondum Samnitico bello ad plenum expleto, maximum illud & famosissimum Pyrrhi sequitur bellum, qui ex genere magni

Pyrrhus.

Achillis originem ducens, Epirotarum regnum tenebat. Occasio autem hujus belli Tarentini fuere.

CAP. XXXI.

De Tarentinis, de bello inter Pyrrhum & Romanos gestum, testimoniumque ipsorum Romanorum de nobilitate Pyrrhi & quod Tarentini post mortem ejus Carthaginensium auxilium quærebant.

Bellum Romanorũ contra Tarentinos & Pyrrhum.

ANNO ab Urbe condita CCCCLXIV. Tarentini classem Romanorum prætereuntem ex spectaculo theatri hostiliter invadentes, quibusdam per fugam lapsis, alios cepere, alios interfecere. Quod Romani prius legatione missa quererentur, ac non proficerent, fines eorum cum Æmilio Duce igne ferroque vastantes, hostiliter invadunt. Tarentini, utpote ex Lacedæmoniis geniti, Pyrrhum Epirotarum Regem legatione pulsant, ejusque auxilium impetrant. Qui dum ad bellum contra Romanos proficiscitur,

ficiſcitur, conſulto mendaciſſimo ac vaniſſimo Delphico Apolline, dubium ab eo, more ſuo, accepit reſponſum: ait enim:

Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Igitur Pyrrhus Romanique Levino Conſule, dum non pro temporalis rei commodo, ſed pro gloria libertateque tuenda pugnam apud Heracleam Campaniæ Urbem, fluviumque Lyrim conſerunt, acerrimè diutiſſimeque per quinquaginta (ut ajunt) dies mori utrobique magis quàm cedere optantes, dimicavere. Romani tandem maximè elephantum, quos tunc primùm viderant, terrore conſternati, in fugam verſi dicuntur. Cæſa feruntur ex eis peditum XIV. millia octingenti ſeptuaginta: capti decies mille. Ex equitibus verò cæſi CCLVI. capti DCCCII. amiſſa ſigna XXII. Quantum etiam detrimentum ſuorum vincendo acceperit Pyrrhus, ipſemet poſtmodum manifeſtavit. Dum enim Tarentum evertitur, ibique Jovi titulum figit, dixiſſe fertur:

Qui invicti ante fuere viri Pater optime Olympi,
Hos ego jam pugna vici victusque ab eis ſum.

Dumque increparetur à ſuis, cur ſe victum diceret, qui viciſſet, reſpondit: Ne ego ſi iterum hoc modo vicero, ſine ullo milite Epirum revertar. Romanis fugientibus aliud diſcrimen oritur. Nam pabulatores eorum à grandine percuſſi, alii mortui, alij ſemivivi inveniuntur. Secundò, in Apuliæ finibus bellum inſtaurant, diuque pugnantibus Pyrrhus vincitur, ex Romanis V. millia, de exercitu Pyrrhi XX. millia ceciderunt: ipſe quoque Pyrrhus graviter in brachio ſauciatus fuit. Tertio inter eos bello apud Lucaniam geſto, cum multo utriusque exercitus detrimento, Pyrrhus tandem vincitur, ſicque quinto demum anno ab Italia fugere compellitur. Tanta autem virtute ac nobilitate bellum hoc geſſiſſe fertur, ut plurimùm etiam ab ipſis commendetur Romanis. Poteſt hoc perpendi in præclara ejusdem ſententia de reddendis captivis: ait enim:

Nec mî aurum poſco, nec mî precium dederitis,
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes
Ferro: non auro vitam cernamus utrique.
Vos ne velit, an me regnare hera quidve ferat ſors,
Virtute experiamur, & hoc ſimul accipe dictum;
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Horundem me libertati parcere certum eſt.
Dono ducite, doq; volentibus cum magnis diis.

Hæc ab antiquo Scriptore edita, Tullius etiam ad argumentum virtutis ſuæ in libro de Officiis ponit. Rurſum idem de eodem: *Cum enim Rex Pyrrhus populo Rom. bellum ultrò intuliſſet, cumq; de Imperio certamen eſſet cum Rege generoſo ac potente, perfuga venit ab eo in caſtra Fabricii, eique eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, ceu clam in caſtra Rom. veniſſet, ſic clàm in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum: Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idq; ejus factum laudatum à Senatu eſt.* Pyrrhus multis poſtmodum glorioſe geſtis bellis in Græcia, tandem apud Argos Achaiæ Urbem, ſaxo ictus occubuit. Quo mortuo Tarentini Carthaginenſium auxilium flagitant, & accipiunt.

Offic. lib. 3.

Pyrrhi interitus.

CAP. XXXII.

De Carthaginenſibus, & qualiter fœdus cum Romanis initum, propter Tarentinos rumpunt.

SED quia Carthaginis mentionem fecimus, de ipſa dicere aliqua non incongruum ducimus. Hæc Urbs ab Eliſſa condita ante Romam per ſeptuaginta duos annos, à Tyro duxiſſe originem invenitur. Totius verò Africæ caput, Reges potentiſſimos habuit, qui uſque adeò Imperium dilataverant, ut etiam inter quatuor principalia regna à quibuſdam poneretur. Qualiter autem Urbs hæc glorioſa in regnis, opulentiſſimaque labi cœperit, paucis aperiam. Ait Pompejus, ſeu Juſtinus hoc modo: *Carthaginenſes vernaculum atque inteſtinum malum, ſemper inter ſe habuere diſcordiam. Qua infeliciter exagitante, nulla unquam tempora vel foris proſpera, vel domi quieta duxerunt. Sed cum inter cætera mala, etiam peſtilentia laborarent, homicidijs pro remedijs uſi ſunt, Quippe homines, ut victimas immolabant, ætatemque impuberem, quæ etiam hoſtium miſericordiam provocaret, aris immolabant. Itaq; averſis dijs, ut ipſi dicunt,* ut verò nos dicere poſſumus, Deo

Carthago.

Iuſtinus lib. 18.

vero hujusmodi sacrilegiis offenso, *tam in Sicilia, quàm in Sardinia infeliciter pugnavere:* multisque aliis eventibus miseris Cyri, Darij, Philippi Alexandri temporibus usque ad tempus unde nunc agimus, sunt attriti. Igitur dum Tarentinos adjuvare parant à Roma fidei firmatique fœderis monentur: quod ruptum insuper perjurio cumulare non timent. Hæc occasio malorum bellique maximi fuit. Ex hinc Africanum, quo nunquam majus Romani perpessi sunt, bellum, tam famosum, quàm magnitudine ac diuturnitate sui insigne, tam multis ac varijs malorum eventibus est perpetratum, ut solum ad mortalium ærumnarum mutabilitates sufficere valeat comprobandas. Quod quia alii satis luculenter per ordinem executi sunt, nos brevitatis causa, præsertim cum non curiositatis gratia, sed ad ostendendas caducarum rerum calamitates scribamus, historiam stringere volumus. Non enim, ut exemplo illorum qui fortiter se egisse arbitrati sunt, alios ad bella accendamus, sed ut in bellis variisque alternantium rerum casibus mutabilium miserias ostendamus, bellorum, ac rerum nutantium seriem teximus.

CAP. XXXIII.

Exordium belli Punici: de occisione Cornelij Consulis fraude Hannibalis, & victoria Romanorum.

IGITUR anno ab Urbe condita CCCCLXXXIII. Romani per Appium Claudium, ipso & Quinto Fabio consulibus, Africanum bellum adorsi, Hieronem Syracusanorum Regem Pœnis familiaritate conjunctum, primò debellare parant. Quem dum sine gravi negocio superassent, pacem petentem cum pecuniæ pactione susceperunt. Post Agrigentum Siciliæ Urbem, ubi Pœnorum copiæ & præsidia unà cum Hannibale Imperatore eorum erant, obsidione clauserunt. Ad summam verò paupertatem redacto Imperatore, civitas tandem capitur, paucisque cum Rege per fugam elapsis, reliqui sub corona venduntur. Deinde Pœnis, Cneo Cornelio Asina, Cajo Duillio Consulibus navale prælium parantibus, à præfatis consulibus cum classe Romanorum obviatur: vocatoque ab Hannibale Cornelio Asina ad colloquium pacis, sed fraude Punica necato, Duillius navale cum eis prælium commisit, ac pluribus occisis, seu captis millibus, victor extitit. Qui rursus bellum instaurantes, à Scipione, L. Cornelio ipso, & C. Aquilo Floro consulibus, sub Hannone Rege suo multis deletis, in fugam vertuntur.

Agrigentum Sicilia.

CAP. XXXIV.

De Regulo Consule, & serpente quem occidit: de victoria ejus, & ad ultimum quomodo occisis multis victus & captus fuerit: qualiter Romam missus captivos reddi dissuasit, & ita rediens necatus sit. Testimonium Tullii de virtute ejus & patientia: & de fine primi belli Punici, ac victoria Romanorum, Ianoq; clauso.

Reguli Romani consulis virtus.

ITAQUE post hoc regulus bellum Punicum sortitus, juxta flumen Bragada castra metatus est: ubi & serpens miræ magnitudinis, utpote cujus corium CXX. pedum fuit multos de exercitu devorans, non minus arte quàm virtute Reguli necatur, coriumque ejus pro miraculo Romam defertur. Regulus cum tribus imperatoribus, id est cum duobus Astrubalibus ex Africa, & tertio Hamilcare accito ex Sicilia, manum conseruit, cæsisque ex eis XVII. millibus, captis V. millibus, cum XVII. elephantibus, reliquos in fugam vertit, oppidaque LXXXII. in deditionem accepit. Qua de re Carthaginenses tot infortuniis fracti, ac re familiari exinaniti, pacem petunt: sed cum duras conditiones pacis audissent, malentes in libertate mori, quam servituti addicti malè ac miserè vivere accito sibi sociorum auxilio, id est, Hispanorum ac Gallorum, Xantippoque Lacedæmoniorum Rege precio conducto, rursus bellum innovant. Atrocissimè tunc utrobique pugnantes, Romani vincuntur, sicque decimo demum anno victoria nobili Carthaginenses potiuntur. Cæsa sunt ibi Romanorum XXX. millia, captus cum D. viris Regulus, ac in catenis positus: nam in prioribus longè plures ac innumerabiles ex Carthaginensibus corruere. Xantippus victoria adepta, rerum mutationes timens, in Græciam revertitur; Romani clade eorum comperta, sub Æmilio Paulo, Lucioque Metello con-

Romanorum clades.

lo consulibus, denuò Pœnis bellum indicunt. Itaque ne multis morer, tam navali, quam terrestri prælio, innumeris utrobique profligatis submersisque, Carthaginenses rursum pacem petere coguntur. Ad quod dum Regulum captivum inter alios mitterent, nec impetrarent, resectis palpebris, vigilando eum necaverunt. Quam historiam ad exemplum contemnendæ mortis pro virtute & æquitate, Tullius in libro de Officiis ponit *Offic. lib. 3.* hoc modo: *Marcus Regulus cum Consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, Duce Xantippo Lacedæmonio, Imperatore autem Patre Hannibalis Hamilcare, juratus missus est ad Senatum, ut nisi essent redditi Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem: Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam (ut res declarat) falsam judicavit, quæ erat talis: Manere in Patria, esse domi suæ cum uxore, cum libris, quam calamitatem accepisset in bello communem fortunæ bellicæ judicare, tenere consularis dignitatis gradum, quis hæc neget esse utilia? Qui censes, magnitudo animi & fortitudo negat. Num locupletiores quæris autores? Harum enim est virtutum nil extimescere, omnia humana despicere.* Et infrà: *In Senatum venit, mandata exposuit: Sententiam ne diceret, recusavit: quamdiu jurejurando hostium teneretur, non se esse senatorem. Reddi captivos negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, & bonos Duces, se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt. Ipse Carthaginem rediit: neque eum charitas patriæ retinuit, nec suorum. Neque verò tunc ignorabat se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci, sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum cum ibi vigilando necabatur, erat in meliori causa, quàm si domi senex, captivus, perjurus, & consularis remansisset.* Item alibi: *Nec verò ego M. Regulum ærumnosum, nec infelicem, nec miserum unquam esse putavi. Non enim magnitudo animi ejus cruciabatur à Pœnis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse, qui tot virtutum præsidio munitus, tantoque conatu, comitatuque virtutis septus, cum corpus ejus caperetur, capi certè ipse non potuit.*

Vides quòd in omnibus his verbis, ad exemplum patientiæ, contemptumvè mortis ac doloris incitamur. Quid est enim aliud dicere fortitudinis esse, nil extimescere, omnia despicere Regulum, nec charitatem patriæ, nec suorum, nec proprii corporis supplicia revocare à promisso: quàm contemptus præsentium, abrenuntiatio parentum, possessionum, ac postremo sui ipsius abnegatio? Quam trinam abrenuntiationem in Scriptura sacra frequenter invenimus. Proinde si mors etiam juxta gentes, qui Deum ignorabant, contemnenda cognoscitur: nos qui jam ad agnitionem veritatis vocati sumus, quomodo de ignorantia excusabimur: At dicet aliquis, mortem juxta Philosophos pro virtute contemnendam, mundum verò cum concupiscentiis ejus (juxta Evangelium) pro amore cœlestis patriæ aspernandum non fore? Quid hoc stultius? quid ineptius? quid dementius? quasi non omnis mundialis voluptas morte claudatur, finiatur, extinguatur. Unde est illud Sapientis: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* *Eccles 10.* Restat igitur, ut nos qui in Ecclesia esse cernimur, exemplo gentium, secundum quod Propheta ait: *Erubesce Sidon, ait mare*: de malis operibus erubescamus, *Iesa. 23.* ac de amore præsentium ad æternorum desiderium conversi rapiamur. Sed hæc hactenus.

Regulo Attilio, Luctatioque consulibus, Romani post hæc tot malis attrivere Carthaginenses, ut tum demum pace proposita sibi à Romanis, conditionem acci- *Finis primi* perent. Conditio autem talis fuit, ut per XX. annos trium millium talentorum singulis *belli Punici* annis pondus pro expensis darent, Siciliaque ac Sardinia, quas tunc occupaverant, decederent. Facta est hæc pactio XXIII. ex quo bellum Punicum cœpit, anno. Ubi quot Regum, Consulum, Senatorumvè ordines perierint, quantæ utriusque populi strages fuerint, enumerare nemo posset. Jani tunc porta, secundò à Numa, clausa est.

CAP. XXXV.

De inundatione Tyberis, & incendio urbis: de Gallis transalpinis, & bello Punico secundo inchoato.

ANNO ab Urbe condita DVII. victoriæ hujus lætitiam ingens prævenit mœror. Urbs enim tam undatione Tyberis, quàm incendio consumitur, domorumque ac hominum misera strage vastatur. Iisdem diebus cum transalpinis Gallis Ro-

mani pugnantes, primò victi, secundò vicerunt. Tunc etiam Carthaginenses pacem violant. Hinc jam bellum supputatur Punicum secundum.

CAPUT XXXVI.

De morte Hamilcaris, & quomodo filius ejus Hannibal diversis præliis Romanos devicit, in tantum ut etiam sedes mutare cogitaverint: quomodo etiam ab Urbe tempestatibus pulsus est. De morte duorum Scipionum, & captione Capuæ.

IGITUR nobilem Carthaginensium Urbem urgebat, quòd quæ antea imperare terris Insulisque tributa exigere consueverat, jam Romanorum imperio subjacere, jam ipsis tributa dare cogeretur. Ea propter Hamilcar Dux Carthaginensium, dum Romanis bellum machinatur, ab Hispanis vita privatur. Hannibal verò, qui Hamilcari patri ad aras contra Romanos juraverat, ultionem omni nisu intentat. Occasione ergo nacta, Hispaniæ Urbem, ac Romanis amicam Saguntum obsidione cingit, spretisque, ac injuriosissimè affectis Romanorum Legatis, ipsam civitatem octavo mense cepit & expugnavit. Inde ad ipsorum excidium per Gallias profectus, viam per Pyreneas Alpes primus igne ac ferro aperuit, Gallosque Alpinos resistentes vicit. Transcensis Alpibus, P. Cornelio Scipione & P. Sempronio Longo Consulibus, apud Ticinum bellum committitur. Itaque Scipione vulnerato, ac per Scipionem filium, qui postmodum Africanus dictus est, morte exempto, omnis penè Romanorum deletur exercitus. Rursumque congredi parant, ac vincuntur. Tertiò dum item bellum instaurant, Romani in fugam vertuntur. Sauciatus ibi Hannibal, pòst in Hetruriam primo Vere transiens, ex nimietate frigoris oculum in Apennino perdidit. Quid multa? His, aliisque tam virtute quàm arte Hannibalis bellis, & præcipuè cum apud Cannas pugnasset, & cæsis captisque penè omnibus, ac maximè consularibus viris (unde tres modij annulorum à manibus nobilium interfectorum tracti, in signum victoriæ Carthaginem missi dicuntur) His, inquam, tantum attriti malis Romani fuere, ut in ultima desperatione capti, urbem quoque deserere ac Provinciam mutare cogitassent. Nec dubium, juxta Orosium, quin vel omnes servituti subjecti, vel ad internecionem cæsi fuissent, si Hannibal post tot victorias ad Urbem capiendam processisset. Hannibal verò improvidè circa Tarenti fines in Apulia moratus, multos ex calore ac fœtore terræ perdidit. Igitur Sempronio Gracco, Quinto Fabio Maximo Consulibus, Claudius ex Prætore Proconsul factus, Hannibalis exercitum plus natura locorum quàm viribus Romanorum sauciatum, primus vicit, ac cæteris spem vincendi Hannibalem dedit. Inter hæc Scipiones Asdrubalem Pœnorum Imperatorem exercitum in Italia parantem, gravi bello presserunt. Cneo Fulvio, & Sulpitio consulibus, Hannibal de Campania castra movens, Urbem aggredi tentat. Ubi dum trepidi tam viri, quàm mulieres ad mœnia confugerent, Urbemque defensare pararent, Hannibal bis grandine, tempestatibusque ab impugnatione Urbis arcetur. Dixisse tunc ex religione fertur Hannibalem, potiundæ sibi Romæ quandoque voluntatem, quandoque non esse facultatem. Quod quidem Romani diis suis, Urbem defensantibus, ascribebant: nos verò occultis ac profundis judiciis Dei, sine cujus nutu nec folium in terram cadit, attribuere possumus, qui hanc Urbem inter tot pericula & discrimina servare, ac paulatim proficere, in totiusque orbis Dominium crescere voluit. Cujus rei rationem, quantum humana fragilitas metiri potest, in sequentibus, cum ad Augusti Cæsaris principatum ventum fuerit, Deo largiente, reddemus. Hoc decimo anno, ex quo in Italiam venit Hannibal, factum est. Interea duo Scipiones à fratre Asdrubalis in Hispania necantur. Ea tempestate à Quinto Fulvio Consule Capua Urbe Campaniæ capta, Principes ejus veneno se interfecerunt.

Hannibalis res gesta.

Clades Romanorum ad Cannas.

CAP. XXXVII.

Qualiter Scipio Proconsul factus Pœnos devicerit: Hannibal Marcellum & Crispinum Consules occiderit: & ad ultimum amisso fratre Asdrubale ad Brutios cesserit.

Scipio Africanus.

ITAQUE occisis Scipionibus, dum cuncti metu consternarentur, essetque inopia maxima ærarii, Scipio admodum adolescens, M. Claudio & Valerio Liviano consulibus

bus, patrem patruumque ulturus se obtulit. Proconsulare ergo sortitus officium, XXIV. habens annos, Pyrenæum cum exercitu transcendit, captaque ibidem nova Carthagine, stipendia largè ex præda urbis ampliavit, Magonem Hannibalis fratrem, cum aliis captivis Romam misit: Asdrubalem Pœnorum Regem vicit, octogintaque civitates aut destruxit, aut in deditionem accepit. Considerari hoc loco potest, cum quanta non solùm fortitudine, sed & prudentia Romani orbem terræ suum fecerint. Dum enim Hannibali Afrorum viribus in Italia moranti, decertare non valerent, regnum ejus tanquam exhaustum milite, & infirmum hostiliter invadunt ac devastant, ut per id hostem ad propria saltem redire compellant. Ex quo liquidò apparet, juxta viri prudentis sententiam, ingenio bellum plurimùm valere. Inter hæc Hannibal in Italia Marcellum Consulem cum exercitu delevit, Crispinum in insidias callidè evocatum, pari modo necavit. Claudio Nerone, & M. Livio Salinatore Consulibus, Asdrubal Hannibalis frater, à Pœnis in auxilium fratri missus, Romanorum prævenitur insidiis. Transcenso quippe Pyrenæo, Romanum militem obvium habuit, cum quibus manum conferens, cum toto penè exercitu interemptus est. Captivi Romanorum, qui ad quatuor millia ibi erant, relaxantur. Ceciderunt in eo prælio de Romanis VIII. millia, ex Afris verò LVIII. millia, capta verò quinque millia quadringenti & quatuor. Caput Asdrubalis fratri Hannibali ante castra projectum est. Quo viso strageque suorum comperta, Hannibal decimotertio in Italiam venerat anno, cessit ad Brutios, & sic sequens annus inter ipsum & Romanos utrisque fatigatis, sine inquietudine bellorum ductus est.

CAP. XXXVIII.

De victoria Scipionis, itemque de victoria Hannibalis, redituque ejus in patriam. De ultima pugna Romanorum & Pænorum, quomodo Scipio rediens in Comitatu Terentium habens, triumpho susceptus sit, bellumque Punicum secundum terminatum.

INTEREA Scipio tota Hispania pervagata, à Pyrenæo usque ad Oceanum Romanorum provinciam fecit. Hannibal verò (mirabile dictu) non solùm belli, sed & morborum malis toto penè exhausto exercitu, Sempronium Consulem cum Romanorum exercitu pugnantem secum vicit, atque ad urbem fugere compulit. Igitur jam penè tota Africa, ferro igneque à Scipione consumpta, Hannibal revocatur à suis: sicque interfectis omnibus qui eum sequi nollent, Italicis militibus flens reliquit Italiam. Qui dum ad Africanum propinquaret littus, speculatorem malum ascendere præcepit, à quo sibi responsum ferunt, sepulchrum se dirutum videre. Hannibal Carthaginem veniens, Scipionis colloquium petivit. Ubi dum se duo clarissimi bellatores mutuò colloquentes mirantur, pacis infecto negotio ab invicem discesserunt, rursusq; bellum consertum est, quod cum magno utriusque principis ingenio, virtuteque confectum, Romanis tandem plenam victoriam dedit. Cæsa sunt ibi Carthaginensium XX millia, elephanti LXXX. interfecti vel capti. Hannibal Carthaginensibus suadens residuam spem in pace ponendam, cum quatuor militibus Adrumentum clam elapsus confugit. Ergo Carthaginensibus pax per Scipionem consensu Senatus conceditur, C. Cornelio Lentulo, P. Elio Pœto Consulibus. Naves Carthaginensium plusquam D. in altum ductæ, in conspectu urbis cremantur. Scipio verò ex devicta Africa, Africanus dictus, cum triumpho ingrediens Urbem suscipitur. Quem Terentius Comicus ob signum concessæ libertatis, pileatus triumphantem comitatur. Hîc Punicum bellum secundum XVIII. anno finitur, anno ab Urbe condita. DXLVI.

Hannibalis in Africam reditus.

CAPUT XXXIX.

De prodigiis quæ hæc mala præcesserunt: de excidio Tarenti: de victoria Macedonum & Lacedæmoniorum.

PRÆCESSERUNT hoc bellum dira prodigia, i. sol minor parmæ visus in cœlo. Solem pugnasse cum Luna: Lunas duas simul ortas; duo scuta sanguinem sudasse, cruentas spicas in corbes cecidisse, refert Orosius. Tarentum quoque, unde tam Pyrrhi, quàm

Tarenti destructio.

quàm Carthaginensium cœpit bellum, nobilis ac opulenta Campaniæ urbs iisdem diebus destructa est. Ex hinc Romani civitatum quas nominavi, præda, auro, gemmis, argento, rebusque pretiosis ditari cœperunt. Nam in prioribus bellis pecora tantùm, aliasque exiguas res rapuerant. Post Africanum, bellum Macedonicum sequitur, quo cum multo Romanorum detrimento, tandem victis hostibus terminato, Q. Flaminius Consul, pacem Philippo dedit, Lacedæmonios pugnando vicit, ab eisque nobilissimos obsides Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis filium acceptos, ante currum duxit. Romanorum captivi, qui sub Hannibale venditi fuerant, abrasis capitibus ob signum abolitæ servitutis, revertuntur.

Lacedæmonii succumbunt.

CAP. XL.

De barbaris victis à Romanis, & subacto Philippo Rege, qualiter Antiochus, ad quem Hannibal confugerat, victus, pacem petierit. De morte Hannibalis & Scipionis, laudesque Tullij & Senecæ in Scipionem.

EA tempestate Lucius Fulvius Insubres, Bojos, & Cenomannos, qui usque Cremonam processerant, eamque simul cum Placentia vastabant, gravissimo bello superavit. Flaminius Proconsul Philippum Regem cum Thracis, Macedonibus, Illyricis contra se venientem, multis ex Macedonibus cæsis millibus, subegit. Hannibal ad Antiochum Regem Syriæ veniens, cum eum apud Ephesum invenisset, contra Romanos incitavit. Sed frustra: jam enim in tantum status Reipublicæ profecerat, ut nec tanti Regis adversum Romanos valeret, vel proficeret nisus. Classi quippe Antiochi præpositus Hannibal, à Scipione navali prælio superatur, & sic pax ab Antiocho postulatur, & impetratur. Porrò Hannibal non multo pòst ad Prusiam Regem Bithyniæ fugiens, dum à Romanis reposcitur, veneno sumpto vitam finivit. Sicque Romani Macedonibus, seu Græcis, qui toti penè Asiæ ab Alexandro, & deinceps principabantur, imperium paulatim eripere tentarunt, donec funditùs sub Octaviano Cæsare in suam illud deditionem transfuderunt. Quæ cum ad id tempus ventum fuerit, pleniùs Deo largiente, dicentur. Iisdem diebus Scipio Africanus, vir inter suos omni laude dignus, ab ingratis civibus Urbe pulsus, apud Linternum oppidum morbo consumptus, diem obiit, & sepulchro suo inscribi fecit, *Ingrata patria nec ossa mea habebis.* De quo Tullius in tertii Officiorum libri prologo sic ait: *Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato (qui fuit ferè ejus æqualis) nunquam se minus ociosum esse, quàm cum ociosus: nec minus solum, quàm cum solus esset. Magnifica verò vox, & magno viro ac sapiente digna: quæ declarat, illum & in ocio de negociis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, Ocium & Solitudo.* Cujus item virtutem & admirabilem patientiam L. Seneca non tam Philosophus, quàm Christianus dicendus, in epistolis ad Lucilium commendans, ait: *In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo, adoratis manibus ejus, & ara, quam sepulchrum esse tanti viri suspicor. Animum quippe ejus in cœlum, ex quo erat, rediisse persuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit, hos enim & Cambyses furiosus, ac furore feliciter usus habuit: sed ob egregiam ejus moderationem, pietatemque quam magis in illo admirabilem judico, cum reliquit patriam, quàm cum defendit. Aut Scipio Romæ deesse debebat, aut Roma libertati. Nihil,* inquit, *volo derogare legibus, nihil institutis, æquum inter omnes cives jus sit, utere sine me beneficio meo patria: causa tibi libertatis fui. Tuus semper ero, & argumentum ex eo, si plusquàm tibi expedit, crevi. Quidni ego admirer hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium secessit, & civitatem exoneravit? Eò perducta res erat, ut aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret injuriam. Neutrum fas erat: itaque locum dedit legibus, & se Linternum recepit, tam suum exilium Reipublicæ imputaturus, quam Hannibali.*

Hannibalis Pœni interitus.

Mors Scipionis Africani.

CAP. XLI.

De situ Carthaginis, tertioque Punico bello, eversione quoque ipsius: quomodo Scipio regnum Numidiæ partitus sit.

IGITUR Romani victis tam Græcis, quàm Syriis, Hispanis etiam ac Africanis, Carthaginem tanquam Romanæ urbis æmulam, ultima sorte delere decreverunt. Cujus

jus situs (ut ait Orosius) talis esse dicitur. Triginta millibus passuum, muri amplexu, toto penè mari cingebatur, absque faucibus, quæ tribus millibus passuum aperiebantur. Is locus murum XXX. pedes latum habuit Saxo quadrato, in altitudine cubitorum XL. Arx cui Byrsæ nomen, paulo amplius quàm duo millia passuum tenebat. Ex una parte murus communis erat urbis & Byrsæ, imminens mari, quod mare stagnum vocabant: quoniam objectu protentæ linguæ tranquillatur. Hinc bellum Africanum cœpit tertium, L. Censorino, & M. Manlio consulibus, quinquagesimo vel amplius, post secundum bellum anno. Scipio ergo minor, qui tunc tribunus militum fuerat, una cum consulibus Romanum exercitum in Africam ducens, juxta Uticam castrametatus est, evocatisque Carthaginensibus ad se, arma simul & naves dare præcepit. Quod dum sine mora facerent, ac ut ab urbe per X. millia passuum à mari recederent, jussi essent, reversi, pœnitentia ducti, civitatem defensare parant, & duos Asdrubales duces creantes, arma frustra reparare tentabant, ærisque inopiam, auri argentique metallo supplebant. Romani Carthaginem acriter impugnare cœperunt. Qui ad ultimam sortem deducti, primùm Asdrubalem suspicionis occasione necaverunt, & ad ultimum Romanis omnes in deditionem venerunt. Itaque Carthago funditus à Romanis, lapidibus muralibus in pulverem comminutis, diruitur: ipsaque cremata miserum humanarum rerum spectaculum relinquens: decem & septem diebus continuis arsisse perhibetur, omnisque multitudo captivorum, exceptis paucis principibus, venditur. Regina, Asdrubalis uxor, malorum intuitu, fœmineo furore cum duobus filiis igni se dedit. Sicque ultimæ Reginæ ac primæ Didonis scilicet, sors & exitus similis fuit. Factum est autem hujus potentissimæ urbis excidium, anno ab conditione ejus plusquam DCC. anno verò ab urbe condita DCIII. Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio consulibus. Et ita bellum Punicum tertium quarto, ex quo cœperat, anno, terminatur. Cujus occasionem penitus se ignorare Orosius testatur. Inter hæc Scipio, Masinissa mortuo, inter filios suos regnum Numidiæ partitur.

Situs Carthaginis.

Postremum bellum Punicum.

CAP. XLII.

Supputatio diversa, quo tempore Machabæi fuerint.

CIRCA idem tempus fuisse Simonem ultimum ex Machabæis Hebræorum ducem, tam ex supputatione regni Græcorum, quàm ex consulatu præfati Lucii, conjici datur. Cùm enim CLXXII. anno regni Græcorum, clypeus aureus Romam à Simone missus invenitur, rescriptumq; fuisse à Lucio Consule Ptolemæo Regi Ægyptiorum, idem liber testatur, ante destructam Carthaginem, quæ CLXXVII. Græcorum regni anno facta est, quarto anno amicitiæ fœdus inter Simonem magnum Sacerdotem, ac Romanos initum, prudens lector inveniet. Et ut apertiora quæ diximus fiant, anno CCCCXXVII. ab urbe condita, Alexander, qui primus in Machabæorum historia regnasse dicitur in Græcia, Philippo in regnum successit. Anno verò ab urbe DCIII. Carthaginem deletam invenies. Supputantur ergo à primo regno Græcorum, id est, ex quo Alexander regnare cœpit, usque ad destructam Carthaginem anni CLXXVI. legatum verò, à Lucio Ptolemæo Rege Ægyptiorum pro Judæis missum, CLXXIV. anno reperies, ante destructam Carthaginem anno 4. Verùm si à sexto regni Alexandri anno, id est, ex quo occiso Dario Medos & Persas subegit, Græcorum regnum, quod tunc auctoritatem habere cœpit, supputare incipis, biennio post destructam Carthaginem, tertiumque Punicum bellum finitum, hanc legationem, vel potiùs præceptum ad potentissimos Orientis Reges Ptolemæum & Antiochum datum invenies. Nec mirum, si tantæ urbis, utpote quæ non solum Africam, sed & Sardiniam, Siciliam, ac penè Hispanias sibi subjecerat, potiti victoria, jam etiam Orientis Romani didicerant imperare Regibus. Si autem non ab Alexandro, sed à successore suo in Syria Seleuco, regni Græcorum supputatio inchoatur, anno 20. post deletam Carthaginem, pro Simone, & populo Judæorum hæc legatio Romanis facta cognoscitur: Judasq; & Jonathas ante destructam Carthaginem fuisse creduntur. Sicque non incongruè optimi le-

gis

Machabæi & Scipiones contemporanei.

gis Dei zelatores Machabæi, & inclyti Romanæ urbis, ac paternarum legum defenſores Scipiones, contemporanei inveniuntur. Quòd enim à Seleuco regni Græcorum ſupputatio juxta Machabæos incipiat, Hieronymus in Daniele velle videtur, ubi ait: *Poſt mortem Iaddi Sacerdotis, qui ſub Alexandro templo præfuit, ſuſcepit Pontificatum Onias, quo tempore Seleucus ſubjugata Babylone, diadema totius Aſiæ capiti ſuo impoſuit, anno XII mortis Alexandri. Ex qua ætate Scriptura Machabæorum regnum Græcorum enumerat.* Appone ergo priori ſupputationi VI. Alexandri annos, quibus poſt mortem Darii toti Aſiæ imperavit, & hos XII. Seleuci, & reperies XVIII. quibus ſi biennium (quo prior ſupputatio excidium Carthaginis exceſſit) addatur, XX. annorum (ut dictum eſt) numerum ſupplebis. Utrum verò ſic, vel ſic fuerit, poſt victoriam Pyrrhi, & triumphum Africani belli ſecundi, Romanos primò claros apparuiſſe, primò in exteras regiones imperium dilataſſe innuitur.

CAP. XLIII.

Subverſio Corinthi, excidium Numantiæ, & excurſus brevis.

Corinthi excidium.

EVERSA Carthagine, iisdem quos numeravi Conſulibus, Corinthus veluti omnium opificum officina, inter omnes Macedoniæ Achaiæque urbes opulentiſſima, ferro igneque à Romanis deletur, & ſic duarum nobiliſſimarum urbium triſte ac miſerabile uno anno orbi illuxit incendium. Hinc mixtis ex incendio diverſorum metallorum generibus, Corinthium æs, ſeu Corinthia vaſa nomen & exordium ſuſceperunt.

Numantinorum interitus.

Tantam victoriam ſubſequens clades obnubilavit. In Hiſpania ſiquidem non multo poſt cum Numantinis, Mancino Conſule malè pugnatum eſt, fœdusque turpius pro redimendo milite, ſicut prius à Pompejo initum eſt. Senatu ergo decernente fœdus rumpitur, Mancinusque auctor fœderis Numantinis vinctus mittitur. Scipio verò Africanus conſenſu omnium conſul creatus, ad expugnandam Numantiam exercitum ducit. Itaque tam virtute, quàm prudentia Ducis, Numantini dum ſe ſuperari viderent, mori potius, quàm ſervire parati, barbara prius potione inebriati, in caſtra Romanorum ruunt: fugaſſentque proculdubio hoſtes, ſi Scipio non affuiſſet. Ultima demum deſperatione fracti, ſeipſos cum univerſa ſuppellectile, ne quem ibi in homine, ſeu quálibet poſſeſſione triumphum Roma videret, igni dare, quàm Romanis ſervire maluerunt. Sufficiunt ad comprobandum mortalium mutabilitatem mala quæ poſuimus, multisque de civibus mundi dictis, ad cives Chriſti, ac Chriſtiana tempora feſtinandum arbitramur. Meminiſſe enim lectorem volumus, nos ad oſtendendas rerum mutabilium miſerias, conflictationes ſeculi ponere ex promiſſo debere, quatenus earum conſideratione, ad regni Chriſti quietem, permanentemque ſine fine felicitatem tranſeundum rationis intuitu ducamur.

CAP. XLIV.

De Iugurtino bello, & variis eventibus Romanorum cum Cimbris, Gallis, Germanis. De inteſtinis malis ſub Sylla & Catilina, Macedonicoque. De Aſia minore Romanis tradita.

ROMANI quamvis jam penè totius orbis potirentur dominio, tamen nondum ad plenum ſubjugatis gentibus bella habuere exterius, inteſtinis verò malis abundabant interius. Hinc Jugurthinum bellum ſub Metello Marioque terminatum. Hinc Cimbricum ac Teuthonicum, Gallorum, Germanorum bellum acerrimum tam miſerabiliter ac immaniter eſt actum, ut in uno à prædictis gentibus bello LXXX. millia Romanorum, & XL. millia calonum & lixarum, C. Manlio conſule, & Quinto Cepione Proconſule, cum duobus filiis conſulis fuſa invenies. Cum quanto verò detrimento eorum quinto conſulatu Marii devicti fuerint, dicere neceſſe non eſt, cum victorum tanta damna præceſſerint. Sequitur hoc malum maxima ex inteſtino bello Romanorum clades, Sylla, Cajo, Marioque autoribus: quo per X. annos protracto, CL. Romanorum millia cæſa fuiſſe inveniuntur. Ex hinc Romanorum Rempubl. non ſolùm imminutam, ſed penè amiſſam, teſtis eſt Tullius ſic in lib. Officiorum 2. *Veruntamen quamdiu imperium P. R. beneficiis tenebatur, non injuriis bella, aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur:*

bantur, exitus erant bellorum aut mites, aut necessarii. Regum, populorum, nationum, portus erat & refugium Senatus. Nostri autem magistratus, Imperatoresque ex una hac re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate & fide defendissent. Itaq; illud patrocinium orbis terræ veriùs quàm imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem & disciplinam jam antea minuebamus: post Syllæ verò victoriam penitùs amisimus. Desitum est enim videri quicquam in socios iniquum, cùm extitisset etiam in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere hasta posita, cùm bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè civium prædam suam se vendere. Et infrà. *Ad exemplum amissi imperii, reportari in triumpho Massyliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri Imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt.* Et post pauca: *Nec verò unquam bellorum civilium semen & causa deerit, dum homines perditi, hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt.* Ex quo apparet, Romanos quidem crevisse in divitiis & potentia, sed decrevisse, ex quo avaritiam sequi cœperunt, in veritate & justitia. Unde est rursum illud Tullii: *Utinam*, inquit C. Pontius, *Samnis ad illa tempora me fortuna servasset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœpissent, non essem passus diutius eos imperare. Næ illi quidem multa secula expectanda fuerunt: modo enim hoc malum hanc Rempublicam invasit. Sylla iste tabulas proscriptionis instituit, occisisque pluribus consularibus viris, C. etiam Marium effossis oculis, membrisque truncatis vita privavit.* De quo Tullius in Paradoxis: *C. Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus, in adversis unus ex summis viris videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. C. verò Marius ob hanc jam viso capite socii, desperatione captus, servo jugulum præbuit.* Deinceps Catilinarium civile sequitur bellum, quod Sallustius prudenter ac luculenter satis, sicut etiam Iugurtinum, executus est. Macedonicum quoque iisdem diebus gravissimum fuisse invenitur. Tunc etiam Attalus Rex Asiæ moriens, regnum cum testamento Romanis reliquit. *Regnum Asiæ ad Romanos.*

CAP. XLV.

Difficile bellum habitum cum Mithridate, & tandem victo illo terminatum: quomodo prædictus Rex, tàm ob hoc malum, quàm ob filium eum deponere molientem, terminum vitæ fecerit.

INTER hæc quæ diximus mala, Mithridatici belli clades, omnibus prioribus (excepto Africano) major, per XL. vel juxta alios, per XXX. annos extenditur, anno ab urbe condita DCLX. quo etiam civile bellum cœperat, inardescere cœpit, Cicerone & Antonio consulibus terminata. Et ut ait Lucanus:

Barbarico tandem vix consummata veneno est.

Mithridates enim Ponti, Armeniæque Rex, dum Bithyniæ Regem Nicomedem, amicum Romani populi, regno privare conatur, à Senatu ne faciat monetur: minis etiam, si non faceret, appositis. Proinde motus Mithridates non solùm regno Nicomedem expulit, verùm etiam Cappadociam alio Rege, Ariobarzane scilicet inde ejecto, igne, ferroque vastavit. Præterea Ephesum veniens, omnes cives Romanos dato edicto necari præcepit. Inde Archelaum Ducem suum in Græciam mittens, tam Athenas, quàm totam Græciam in deditionem accepit. Contra quem Sylla cum exercitu missus, Archelao C. millia interfecit, urbemque Atheniensium diu obsessam ad ultimum recepit. Mithridates strage suorum comperta, exercitum LXXXIII. millium militum electorum Archelao in exilium mittit, ex quibus L. millia cœsa feruntur fuisse. Tertiò rursus Archelaus cum Sylla congressus, vincitur, ibique universæ copiæ ejus funduntur. His aliisq; innumerabilibus, quę longum est enumerare, malis ad hoc tandem potentissimus ille, qui penè totum Orientem sibi subjugaverat, pervenit Rex, ut qui antea non solùm gentibus, sed & Regibus imperando, venenum tantùm timeret, non gladium, ac naturam suam multis firmasset antidotis: ad hoc, inquam, tàm bellorum infortuniis, quàm filii sui regno eum deponere molientis, molestia deductus est, ut veneno se necare vellet: sed medicinis antea firmata natura non posset. Occisis itaque uxoribus ac filiabus suis, dum nullo veneni genere ipse (ut dixi) perire posset, militi jugulum præbuit, sicq; LXXII. ætatis annos habens, vita decessit, nobisq; miseræ mortalium conditionis exempla reliquit. *Mithridatis res gestæ & interitus.*

Fertur

Fertur de ipso, quòd à filio suo dum regno pelleretur, ipse ex altissimo muro prospiciens, exorabat filium, sed non est auditus. Quoniam, inquit, Pharnaces mori jubet, dii si estis patrii precor, ut quandoque ipse hanc vocem, à liberis suis audiat. Sicq; dii si estis patrii dicens, eos veros esse deos dubitavit.

CAP. XLVI.

Quòd Romani Pompeium in Orientem miserunt, qui devicto toto Oriente, templum quoque Domini polluit, captoque & vincto Aristobolo, fratri ejus Sacerdotium tradidit.

Pompejus magnus.

IGITUR Mithridatico terminato bello, malisque tam socialibus quàm civilibus sopitis, factioneque Catilinæ ad plenum abolita, Romani se intra se cohibere non valentes, nec terminis suis, quos jam habere cœperant contenti, totum orbem in provinciam redigere cupiunt. Cujus rei gratia Pompejus clarissimus eorum Dux, exercitum gubernandum in Asiam suscepit, totumque Orientem penè Romanorum imperio in brevi subjecit, Regibus aliis mutatis, aliis subactis. Inter alia Orientis regna, Hierusalem veniens, capta civitate, templum quo soli populo Dei immolare licuit, oblatis hostiis polluit, Regemque eorum Aristobolum vinctum Romam misit, & Hircano fratri suo summum Sacerdotium tradidit. Quoniam autem Judæorum mentionem fecimus, in quibus tunc tantùm (juxta Prophetam) exceptis paucis, qualis fuit Job, notus fuisse Deus traditur, qualiter post Prophetas & relaxatam captivitatem usque ad id tempus civitas Dei fuerit, paucis aperiam.

CAP. XLVII.

Qualiter, & sub quibus Principibus seculi Israel à transmigratione Babylonis usq; ad id tempus sese habuerit: & de Herode alienigena.

POST mortem Alexandri, cùm Principes ejus diversas sortirentur Provincias, Ptolemæo Lagi filio sorte devenit Ægyptus. Is multos ex Judæis captivavit. Cui successit Ptolemæus Philadelphus, qui non solùm Religionis intuitu captivos relaxavit, verùm & templo regalibus muneribus donato, libros legis ab Eleazaro Sacerdote poposcit. Quos dum accepisset, ac in Bibliotheca nobili deposuisset, Interpretes eorum, qui eos de Hebræo in Græcum transferrent sermonem, requisivit. Huic de singulis tribubus dati sunt presbyteri usque ad LXX. qui in utraque lingua periti, Spiritu Sancto dictante, singuli singulis cellis, uniformem, civitati Dei utilem valde ediderunt interpretationem. Hieronymus tamen in una domo Alexandriæ refert eos conferendo simul interpretatos fuisse. Post hoc à Ptolemæo, qui & Epiphanius, Alexandriæ Rege capti, deinde ab Antiocho multis malis sunt attriti, ac ad idololatriam coacti. Cui fortissimus Judas vir, cum fratribus suis fortissimè restitit. Successit Judæ Jonathas, cui Simon, ac post ipsum filii ejus. Quia ergo omnes canonicæ in Machabæis terminantur historiæ, qualiter post hoc gentis Hebræorum regnum, usque ad Christum steterit, ex historiis tantùm eorum cognosci datur. Non enim, ut ipsi perfidè argumentantur, unctio in captivitate Babylonica defecit, sed secundum eorum historiographos, populus ille post illud tempus non solùm summos Sacerdotes, sed etiam Reges habuit. Quorum primus post Simonem, ejusque filius Aristobolus fuit. Cui Alexander & ipse Rex, & Sacerdos successit. Cui ob nimiam quam in suos exercuit crudelitatem, dum qualiter eis conciliari posset requisivit, responsum est: si moreretur. Post hunc uxor ejus regnavit Alexandra, cujus filii fuerunt Hircanus & Aristobolus. Ex quibus dum regnaret Aristobolus, Pompejus Romanorum Princeps ab Hircano vocatur, captoque ab ipso (ut suprà dixi) Aristobolo, & in vinculis posito, Hircanus fratri subrogatur. Sicque velint nolint, ex propriis Judæi convincuntur testimoniis, Herode primò alienigena regnante, natoque Christo, illam impletam fuisse Prophetiam, qua dicitur: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Qui verò his diebus cives Christi fuerint, non facilè perpendi potest. Jam enim Prophetæ siluerant, eratq; (juxta quod scriptum est) medium silentium, ac profundissima nox: venturumque in proximo à regalibus sedibus omnipotentis sermonem: hoc

LXX. Interpretes Bibliorum.

Status Judæorum post tempora Machabæorum.

Gen. 49.

hoc ipsum silentium, ac cæcitas noctis præsagiebat. Sicut enim appropinquante luce claritatis, nox amplius densatur, cunctisque sopore depressis, silentio omnia tenentur: sic apparituro in carne Dei Verbo, cunctumque suo mundum ortu irradiaturo, non solùm malorum turbines civitatum mundi obnubilando tegebant, verùm ipsam civitatem Dei tenebræ operiebant, silentium tenebat, ut venientem in carne lucem tantò ardentiùs homines conspicerent, quantò eam tenebris antè depressi, malis fessi, avidiùs præstolati fuissent. Extitisse tamen & tunc cives Christi, quamvis propter silentium Scriptorum quidam taceantur, ex hoc præcipuè intelligi datur, quòd VII. millia virorum, quæ sub Helia fuerunt, usque ad finem mundi non defutura civitati Dei credimus. At Hircanus Herodem Antipatris filium alienigenam, ad regni negocia administranda assumsit. Qui iniqui & perfidi tironis officium exequens, Hircano vita & regno exempto regnum invasit, ac permissione Romanorum tandem obtinuit. Hic etiam ut regno liberius potiretur, non solùm Regiam, sed & Sacerdotalem unctionem abolevit, vestemque sacram solis Sacerdotibus gestare licitam, ad usus suos prophanè ac sacrilegè redegit, ut meritò unctione tam regali quàm sacerdotali cessante, Sanctus Sanctorum invisibili oleo in verum Regem & Sacerdotem unguendus, in brevi venturus cognosceretur. De cujus adhuc nequitia & multivaria qua erga Romanum Imperium usus est versutia, qui scire vult legat Josephum.

CAP. XLVIII.

De victoria Julij Cæsaris, & quomodo à civibus non susceptus, in ipsos arma converterit, & ærarium confregerit.

ANNO ab Urbe condita DCXCIII. reverso ab Oriente Pompejo, ac propter multas victorias cum ingenti triumpho suscepto, ipso & L. Bibulo Consulibus C. Julius Cæsar, ad Occidentem Gallias cisalpinam & transalpinam, ac Illyricum domiturus à Senatu mittitur. Is itaque fortissimas orbis gentes cum multo Romanorum sanguine in Provinciam redegit, transitoque Rheno Germanos omnium ferocissimos ac bellicosissimos, acri ac periculoso non solùm bello, sed & muneribus, multaque prudentia devicit. Quorum virtutes ac fortitudinem qui scire desiderat, ipsius historiam à Suetonio scriptam legat. Meminit etiam horum fortitudinis, & tantùm imperterritæ, ut mortem quoque vix timeat, Josepus seu Egesippus in oratione Agrippæ, ex horum comparatione Judæos ad subjectionem Romani Imperij hortanis. Porrò cum in domandis hujusmodi gentibus ultra statutum terminum, id est, quinquennium, moram faceret, Julio Romam revertenti, à Senatu, consilio Pompeji, & auctoritate Marcelli Consulis, debitus ei triumphus, ac denuò consulatus negatur. Quæ res belli maximi &, non solùm civilis; sed & intestini mali causa fuit. Cæsar enim hæc audiens, Ravennam se contulit, ac inde Ariminum proficiscens, & lachrymabiliter sociis injurias suas exponens, ad Urbem cum exercitu properavit: diffugientibusque primò in Brundusium, pòst in Dyrrachium Græciæ Urbem, trepidis cum Pompejo civibus, victor Urbem ingressus est, fractisque foribus ex ærario VII. millia, CLXXXV. auri pondus argenti verò prope DCCCC. M. protulit. Inde reversus ad legiones, quas in Arimino reliquerat, Alpes transit, ibique tam Gallis, quàm Germanis, quos paulo antè subjecerat, magnificè donatis, contumelias sibi à civibus irrogatas deplorat, auxiliumq; poscit, & impetrat. Soli ex Gallis Massilienses, qui & Phocenses, eò quòd de Grajis in Gallias venerint, auxilium Cæsari ferre negabant. Unde & gravi & laborioso conflictu devicti sunt. Eo quoque tempore Petreius & L. Afranius acerba siti ad deditionem Cæsaris coguntur.

CAP. XLIX.

De occisione Crassi, & incendio Urbis: de intestina pugna Romanorum, victoria quoq; Cæsaris, & morte ejus.

ANNO ab Urbe condita DCXCVII. Crassus in consulatu collega Pompeji in Asiam destinatus, avaritiæ facibus æstuans, Hierosolymam pro templi divitiis, quas Pom- *Crassi grassationes & mors.*

Pompejus intactas reliquerat, adijt, easque diripuit. Inde per Mesopotamiam iter agens, dum rursum malè castigata aviditate, auro Parthico nimium inhiat, ab eis ignominiosè cum multo exercitus detrimento occiditur. Anno abhinc III. inusitato incendio, utpote XIV. vicis, cum vico Jugario consumptis, Urbs conflagravit. Sequitur hæc mala maximis dissensionibus ac molitionibus paratum civile bellum. Nam Cæsare cum Gallorum & Germanorum viribus veniente, Pompejus patriam defensare volens, gentes & Reges, quos in Oriente subegerat, in auxilium per filium asciscit. Principes Romanorum, Senatusque cum Lentulo Consule, Pompejum Magnum, in Græcia morantem, circa tempus, quo Consules mutari solebant, adeunt, semótoque à consulatu Lentulo, omnium favore magnum Ducem exercitus creant. Cæsar verò hybernis tempestatibus non territus, invito milite, periculosè mari se committens, proficiscitur in Epirum, ibique haud longè à Magno castrametatus est. Ubi dum à paupere Amycla (ad hoc ut Antonio occurreret) insidis procellis, impatiens moræ, se credit: ventis obortis naufragium penè passus, ad suos redire compellitur. Igitur ex omni parte mundi vires contractæ, multoque Romanorum sanguine gentes devictæ, ipsorum modò vocatione congredi coguntur. Jam enim in tantum Reip. profecerat status, ut ulterius non posset. Et cum extrinsecus corrumpi non valeret (juxta Poetam) in seipsam ruere debuit. Itaque LXXXVIII. cohortibus ex utraque parte triplici ordine compositis, in campis Pharsalicis uterque convenit exercitus. Videres lachrymabilem ac miserabilem pugnam, cives totius orbis Dominos in se divisos, cum totius orbis viribus adinvicem pugnare, & (ut ita dixerim) unius matris filios, propriis manibus se volentes eviscerare. Dum ergo dubia diu sorte se uterque cæderet exercitus, Pompejus tandem atrocitate Juliani militis cum suis fugere cogitur, & sic Cæsari victoria cessit. Cæsa sunt in eo prælio XV. M. Pompejanorum, XXXIII. centuriones. Pompejus fuga elapsus, navim onerariam conscendit, ac per Cyprum in Ægyptum navigans, mox ut litus attigit, jussu Ptolemæi ob gratiam Cæsaris, interimitur. Pompeji uxor cum filiis fugit: cæterùm occisis multis classis direpta est. Cæsi sunt Pompejus Bithinius ibi, apud Pelusium verò Lentulus vir consularis.

Pugna Pharsalica.

CAP. L.

Quomodo Cæsar in Ægyptios arma converterit, Cleopatræque regnum dederit, & dehinc Romam veniens, rursum fautores Pompeji persecutus fuerit. De morte Catonis. Quòd Cæsar Monarchiam obtinuerit, Tulliumque ac per ejus interventum M. Marcellum in gratiam susceperit, ipseque ad ultimum conscio Senatu occisus sit.

CÆSAR compositis omnibus Alexandriam venit, ibique oblato sibi cum armilla Pompeji capite flevit: dumque insidias præsensisset, in Ægyptios arma convertit. Quibus victis, Cleopatræ regnum Alexandrinum tradidit. Nam Ptolemæus navali prælio cum victus fuisset, & in scapham conscendisset, multis irruentibus mersus, & ad litus actus, indicio loricæ aureæ cognitus fuerat. Post hæc Cæsar Romam veniens, à civibusque Dictator & Consul vocatus, in Africam bellum transtulit, & apud Thapsum cum Juba & Scipione manum conferens, plurimam Romanorum & Barbarorum stragem fecit. Juba militi jugulum præbuit. Scipio semetipsum interfecit. Cato rigidus veneno hausto, Uticæ se occidit. Cæsar adhuc Pompeji nepotes, Pompejamque filiam ejus necari jussit. Dehinc Urbem cum quatuor triumphis ingreditur, ac pòst in Hispaniam contra Pompejanos milites proficiscens, ibi cum ipsis atrox bellum gessit. Quibus cum multo sudore devictis, ad urbem regressus, quarto ex quo id civile bellum cœperat anno, totam Urbem potenter tenuit, ac vacantibus omnibus quæ in Urbe erant dignitatibus, Cæsar fuit omnia solus in Urbe. Receptus est tunc ab eo in gratiam M. Tullius Cicero, per ejusque interventum M. Marcellus, pro quo disertam & luculentam orationem edidit, quæ sic incipit: *Diuturni silentij P. C. quo eram his temporibus usus.* In qua super omnes virtutes Cæsaris, quibus diversas nationes domuit, fuisse dicit: quòd domito animo M. Marcellum, antea inimicum, in gratiam susceperit. Ait enim: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temporare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam*

Cæsar Roma Monarcha factus

pristinam dignitatem: hæc qui facit, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. In summo ergo statu Cæsar positus, dum contra majorum exempla Rempubl. instaurare cogitat, conscio Senatu, Bruto & Cassio auctoribus in curia necatur. Quam quidem historiam à nobis compendio strictam, pulchro ac luculento versuum ordine Lucanus prosequitur.

CAP. LI.

Exclamatio contra rerum mutabilitates.

EXCLAMARE hîc contra mutabilium rerum miserias cogimur. Ecce enim Romanæ Reipub. status, cum quanto non solùm hostium, sed & civium detrimento profecerit, videmus. Alterna quippe mutatione ad instar maris, quod nunc succiduis attollitur incrementis, nunc naturali damno ac defectu subducitur, Romanorum respub. nunc gentes & regna bello premendo, subjiciendo, ad cœlos attolli videbatur: nunc rursum ab eis pressa, vel pestilentiis ac morbis desolata, ad abyssum usque mergi putabatur: quòdque his majus est, omnibus benè ordinatis ac compositis, intestino ac civili malo in seipsam ruens, miserabiliter eviscerabatur. Hæc omnia nutantium rerum mala (ut ita dixerim) quotidianæ mortalium mortes, ad veram ac permanentem æternitatis vitam nos mittere deberent. Verùm, ut supra diximus, hujusmodi aliisque civitate mundi attrita malis, quasi post densæ noctis tenebras, lucis veræ ortus appropinquabat. Itaque decursis tam Medorum quàm Persarum, & Græcorum, ac Romanorum alternantium malorum casibus, quia jam ad ejus ortum, qui verè pacificus, omnia quæ in cœlo, & quæ in terra sunt pacificavit Christus Jesus, appropinquamus, huic secundo Operi finem demus, quatenus ad eam quæ sub Augusto ex nativitatis Christi adventu, toti mundo reddita est, pacem dicendam festinemus.

FINIS LIBRI SECUNDI.



OTTONIS FRISINGENSIS EPICOPI CHRONICORUM LIBER TERTIUS.

PROLOGVS.

SPonsionis meæ non immemor, dilecte Frater N. de duabus civitatibus usq; ad Octaviani Cæsaris tempora, qualicunque deductam historiam eloquio, præsertim cum ad Christiana tempora jam venerimus, donante Deo tantò libentiùs, quantò de civitate Dei obnascituram fidem uberiùs dicere potero, complere non dubitaverim. Prioribus enim de civibus Christi pauca, multa vero de mundi civibus dicendi materiam habui: quia à primo homine ad Christum totus penè orbis, exceptis de Israelitico populo paucis, errore deceptus, vanis superstitionibus deditus, dæmonum ludicris captus, mundi illecebris irretitus, sub Principe mundi Diabolo militâsse invenitur. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terras, qui ut homines per invia ac devia more pecudum oberrantes, ad viam reduceret, viam se, hominem assumendo, hominibus præbuit: & ut à falsitatis errore exorbitantes ad rationis lumen revocaret, veritatem se ostendit: ut verò deficientes reficeret, vitam se veram exhibuit: Ego sum (inquiens) via, veritas & vita. (Ioan.10.) *Ac si diceret: Erratis, ad me venite, qui sum via, quam viam ut intrepide ambuletis, audite quod sum veritas. Si vero viaticum non habetis, sentite quod sum vita. Multi enim viam quærunt, sed dum non inveniunt veram, errant potiùs, quàm recto tramite incedant. Multi rursum viam, quæ vera videtur, incedunt, sed vitam non consequuntur. De quibus arbitror dictum;* Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, novissima verò earum ducunt ad interitum. (Proverb.14.) *Salvator autem in mundum veniens dicit:* Ego sum via, veritas & vita: (Ioan.10.) *id est, per me tantũ salubriter itur, ad me veraciter pervenitur, in me vitaliter permanetur. Sed in prima fronte non inconvenienter quæri potest, cur in fine temporum, quem plenitudinem Paulus vocat, Salvator omnium nasci voluerit?* (Galat.4.) *cur universitatem gentium tamdiu, tot retroactis seculis in errore perfidiæ perire permiserit?* (Quamobrem Deus viam salutis gentibus non patefecerit.) *Cujus rei rationem, profundissimis ac justissimis judiciorum Dei thesauris repositam, quis corruptibili mortalium carne circundatus investigare audeat? cum Apostolus dicat:* O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? &c. (Rom.11.) *Quid ergo faciemus? Si comprehendere non possumus, nunquid tacebimus? Et quis obloquentibus respondebit, impugnantesq; arcebit? Postremo destruere eam quæ in nobis est fidem volentes, ratione ac virtute verborum confutabit. Comprehendere itaq; occulta consilia Dei non possumus, & tamẽ plurimam de his rationẽ reddere cogimur? Quid? rationẽ reddemus de his, quæ comprehendere non possumus, rationes reddere possumus, sed humanas, cum tamen rationes comprehendere nõ possumus divinas. Sicq; fit, ut cum de divinis causis loquimur, cognatis de his sermonibus carentes, verbis nostris, qui homines sumus, utamur: tantoq; de Deo loquendo humanis utimur verbis confidentiùs, quo ipsum figmentũ nostrum cognoscere non dubitamus. Quis enim meliùs cognoscit, quàm qui creavit? Inde est, quod cum Deus dicatur ineffabilis, fari nos tamen multa in sua laude velit. Cum ergo dicatur ineffabilis, secundum quendam modum videtur esse effabilis. Quæ (ut ait Augustinus) pugna verborum silendo melius, ac credendo, quàm disputando solvitur: vel silentio cavenda potiùs, quàm voce pacanda est. Et alius: Quod ineffabile est, ratione taciturnitatis adoretur. Igitur si Deus, juxta Apostolum, in multa patientia sustinuit vasa iræ apta in interitum:* (Rom.9.) *si divitias bonitatis suæ volens ostendere ecclesiæ suæ diutissimè in propria libertatis arbitrio, civitatem mundi permisit temporaliter florere: culpandus non est, tam quod eam propriæ voluntati deseruit, quàm quod electis suis, istius comparatione castigatis, divitias bonitatis suæ ostendit. Non enim si homines permittit facere, quod ipsi tamen facere volunt, ab eis justè est arguendus, sicut econtra ab eisquibus gra-*

gratuitam gratiam offerens, à talibus quæ contra salutem suam facere volunt arcendo ac prohibendo, ne quæ proponunt, perficiant, plurimum est laudandus ac diligendus. Nec injustè facere dici potest, si gratiam ex justitia non largitur, sicut misericorditer tantum facere credendus est, cum eam gratuitè quibus vult impertit. Itaque si tot retroacta secula non ad peccata impellendo, sed quod suum erat non largiendo, adhoc ut supervenientibus seculis exemplo priorum, quid fugiendum esset, unde gratias Salvatori suo referrent, ostenderet: si, inquam, eos adhoc voluntati suæ deseruit, ut & ipsi, quid sine eo possent, cognoscerent, & redempti, quid ex gratia Salvatoris haberent, addiscerent: sicut ab illis justè non potuit culpari, sic his maximam materiam dedit, unde jure debeat amari. Est præterea ratio, quare hoc potissimùm tempore, sexta videlicet ætate, ac unito ad Romanorum imperium mundo universoque sub Augusto Cæsare descripto, Christus nasci voluit. Cum enim pro primi Parentis, qui Paradisi delicias postponens, ex proprij arbitrij voluntate, hanc terram maledictionis inhabitare maluit, culpa abolenda incarnari voluit, sexta id ætate potissimum fieri conveniens fuit, quia & ipsum sexta die creavit. Nec in primæva hominum ætate, id facere debuit. Homines enim ex transgressoribus nati Parentibus, vitiataque per inobedientiam natura, proniores & accliviores ad malum facti, nec dum ratione utentes, ferino magis ac beluino more (obliterato in eis naturali bono) oberrantes, non socialiter vivere, non legibus informari, non virtutibus adornari, non rationis vi, ad cognoscendam veritatem illuminari didicerant. Extant hinc fabulæ turpissimæ, facta turpiora, historiæ immanissimæ, opera immaniora, de quibus omnibus in superioribus satis me dixisse arbitror. Cum ergo hoc modo homines rationis immunes, veritatis non capaces, justitiæ ac legum inexpertes essent, legem legum, ac altissima à Christo vitæ præcepta danda, quomodo caperent, quomodo intelligerent, quomodo animadverterent? Itaque data est primò lex, quæ infirmis auditoribus conveniret, & quæ teneram mundi ætatem non solido cibo, sed lacte aleret. Deinde paulatim crescente ac proficiente, tam ex societate simul commanentium hominum, quàm ex collatione eorundem ad leges condendas sapientia, Philosophorumque mediante doctrina, cum (ut dixi) jam totus mundus tam virtute Romanorum inclinatus, quàm sapientia Philosophorum informatus esset, fuissentque hominum ingenia ad altiora vitæ præcepta capessenda habilia. Salvatorem omnium in carne apparere, novasq; mundo leges condere decuit. — Cur sexta mundi ætate Christus nasci voluerit.

Hoc jam quod supra distuli, solvendum puto: quare unius Vrbis Imperio totum orbem subjici, unius Vrbis legibus totum orbem informari Dominus orbis voluerit. Primo, ut dixi, ut ad majora intelligenda promptiores ac capaciores essent mentes hominum. Secundò, ut his modis unitis unitas commendaretur fidei, quatenus unius urbis terrore, ad unum hominem colendum, homines universi constricti, unam quoque fidem tenendam, cœlestemq; in ea non hominem tantùm, sed auctorem omnium colendum ac adorandum Deum addiscerent. Hinc toti mundo in ejus adventu census indicitur, ut ille videlicet venisse doceretur, qui omnes ad se venientes, in æterna patria cives ascriberet. Hinc in ejus ortu, per totum orbis circulum mundus attritus malis, ipsisque suis seditionibus fatigatus, sponte quiescere, ac Romanorum Principi servire potiùs, quàm rebellare voluit: ut ipsum in carne venisse daretur intelligi, qui sub terrenorum mole onerum depressis ac fatigatis, clementer diceret; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Pax idcirco tunc mundo nova reddita fuit, ut novi Regis ministri liberiùs orbem terræ peragrare, salutiferaque vitæ præcepta seminare possent. Non ergo fortuitis casibus, nec falsorum deorum cultui, sed Deo vero formanti lucem, & creanti tenebras, ascribendum reor, quòd ad tantum fastigium principatusq; Monarchiam, ex humili ac paupere statu, Romanorum Respublica crevit. Quare autem illi populo, vel illi Vrbi hanc potius, quàm aliis gratiam contulerit, discutere non possumus, nisi fortè ex Principis Apostolorum meritis, quem ibi sessurum prævidit, super quem Ecclesiam suam etiam se fundaturum promisit, factum dicam: ut videlicet locus, qui propter Principis Apostolorum cathedram, super universam principaturus foret Ecclesiam, gentium quoque, unde fideles congregandi erant, antè perficeret Monarchiam. Pulchrè igitur eadem Vrbs antea fuit caput mundi, quæ postmodum futura fuit caput Ecclesiæ. Si quis verò contentiosus est, audeat in potestate figuli esse, aliud vas in honorem, aliud facere in contumeliam. Audiat in potestate judicis esse, quem velit humiliare, & quem velit exaltare. Denique, si Dominus, utpote judex, discretorque rerum, calicem in manu habens, primò Babylonem inebriando à Medis humiliavit, Medisque à Persis, Persis rursum à Græcis, Græcis postremùm à Romanis humiliatis, Romam quoque humiliandam ad tempus exaltare voluit. Si hæc æqua lance pensans, omnia mortalium varietate nectit, nunquid argui à factura sua factor poterit? Sub potenti itaque manu Domini regna mu-*


Roma Dei consilio orbis domina. — Matth. 11.

tantis, ac pro voluntate sua cui voluerit miserentis, humiliemur: ipsiusq; misericordiæ, si quid sumus, qui per nos nihil sumus, ipsius gratiæ quicquid dicimus, qui per nos nihil scimus, ascribentes, cœptum Opus prosequamur.

OTTONIS CHRONICORUM LIBER TERTIUS.

CAPUT. I.

Qualiter Octavianus primò dolorem de avunculi morte dissimulans, postmodum ejus interfectores tractaverit. De judiciis ejus Romæ factis. De plurimis victoriis ejus contra Antonium & Cleopatram, & quem finem Antonius & Cleopatra sortiti sint.



NNO ab Urbe condita DCCX. interfecto C. Julio Cæsare, Octavianus, qui testamento nomen & hæreditatem avunculi acceperat, primò dolorem de morte ejus dissimulans, cum Antonio, qui Brutum & Cassium ob vindictam Cæsaris apud Mutinam obsidione cinxit, à Senatu hoste pronunciato, certamen iniit, eumque fugavit. Quo postmodum in gratiam recepto, simul cum ipso civile bellum parat: multisque commissis præliis, Pompejum tandem Cn. Pompeji filium interfecit, Brutum quoque & Cassium, ad hoc ut mortem sibi ipsis inferrent, coegit. Inde post multos triumphos Romam veniens, XXM. militum auctoravit, XXX M. servorum Dominis restituit, VI M. quorum Domini non extabant, patibulo affixit. Antonius verò repudiata sorore Cæsaris Octavia, in Ægyptum se transtulit, ibique copulata sibi in uxorem Ægypti Regina Cleopatra, Cæsari rebellare attentavit. Cæsar domitis subjectisque sibi omnibus, contra Antonium quoque navale bellum parans, à Brundusio in Epirum proficiscitur. Congressi itaque acerrimè, diuque, id est, à quinta hora diei usque ad septimam, cum utriusque exercitus detrimento, ancipiti pugnarunt victoria. Sequens pars diei cum sequenti nocte in victoriam Cæsaris cessit. Prior ex bello cum suis fugit Cleopatra, quam fugientem insequitur Antonius. Cæsa fuisse ibi de exercitu Antonij XII. millia feruntur, vulnerata VI M. Cæsar tunc Imperator dictus, IIII. cum M. Licinio consul fuit. Antonius navali prælio victus, terrestre parans, congressu habito, denuò vincitur. Dumque rursum Kalendis Sextilibus ad struendam classem descendit, omnibus ad Cæsarem confugientibus, in Urbem Alexandriam suis destitutus se recepit. Ubi dum imminere sibi cerneret Cæsarem, gladio se interfecit. Cleopatra autem appositis ad mammillas serpentibus, mortua fuisse perhibetur.

CAP. II.

Excursus, quomodo Græci ab Alexandro usq; ad id tempus Orienti imperaverint, & unde Patriarchales sedes esse cœperint. Numerus Græcorum Regum, copiaque Romæ ex Alexandriæ subactione accrescens.

Græcorum Monarchia usque ad Cæsarem.

CÆSAR ergo opulentissima omnium potitus Urbe Alexandria, regnum finivit Græcorum. In hac enim Urbe ab Alexandro in Ægypto condita, Reges Græcorum usque ad id tempus regnasse inveniuntur. Unde & quidam Monarchiam Græcorum usque ad Cæsarem extendunt. Nam post mortem Alexandri Magni, dum commilitones ejus Asiam ab eo subjectam partirentur, in quatuor mundi partibus quatuor emerserunt regna. Inter quæ duo fuere principalia: ad Austrum, Ægypti, cujus metropolis fuit Alexandria: ad Orientem seu Aquilonem, Syriæ & Mesopotamiæ, cujus caput erat Antiochia: quam Seleucus Magnus (de quo suprà dictum est) à nomine patris sui Antiochi dicitur instaurasse, sedemque regni loco Babylonis ibi collocâsse. Nam antea

antea Reblata (ut volunt quidam) vocabatur, eratque tunc juxta Prophetam, caput Syriæ Damascus. In his ergo civitatibus Reges potentissimi Ptolemæi & Antiochi habitabant, dominandique libidine in alterutrum sævientes, Orientis Imperium vicissim rapiebant: auctoritas tamen major ad ultimum Ptolemæis cessit. Quæ omnia non solùm gentium historiis, sed & ex visione Danielis, ubi de regnis Austri & Aquilonis loquitur, & expositione Hieronymi in eundem Prophetam, meliùs cognoscuntur. Unde duæ hæ civitates, cùm processu temporis ecclesia à primitivis Patribus secundùm distributionem gentium ordinaretur, tanquam post Romanam Urbem dignissimæ, ad ipsius instar Urbis, Solæ Patriarchales sedes habere meruere. Constantinopolitana *Sedes patriarchales.* siquidem & Hierosolymitana postmodum crescente Ecclesia, altera ob Imperii sedem, altera ob sanctum sepulchrum, & antiquum illud ac toti orbi venerabile Domini templum, Patriarchales sedes permissione patrum sortitæ sunt. Unde de Hierosolymitana ecclesia in Nicæna synodo legimus: *Episcopus Heliæ ab omnibus honoretur, salvo jure sui metropolitani.* Quod quidam ad Cæsaream Palæstinæ interpretantur, eo quòd Hierusalem à Tito & Vespasiano destructa, metropolis Palæstinæ facta fuerat Cæsarea: sicque consequenter jure ecclesiastico ejusdem provinciæ metropolis remansit. Ubi enim *Gentilium flaminibus episcopi successere.* sub Principibus gentium flamines erant, ibi postmodum à nostris locati sunt episcopi. Ubi illi archiflamines, nos archiepiscopos: ubi illi protoflamines, nos primates seu Patriarchas habere cœpimus, omnes quidem unius ordinis, sed pro differentia civitatum dignitatis. Alij præfatum capitulum, salvo jure metropolitani legunt, & sic interpretantur: Postquam dictum fuit, *episcopus Heliæ*, id est, Hierusalem, *ab omnibus honoretur*, ne videretur ab omnibus tanquam summus, id est, Romanus Pontifex honorandus, adjunctum est; *salvo jure metropolitani*: hoc est, sic dicimus eum honorandum, non sicut summum Pontificem, sed sicut metropolitanum. Utrum verò sic vel sic sit, constat eum tamen nondum fuisse Patriarcham. Sed hæc hactenus.

Diximus secundum quosdam Græcorum Monarchiam usque ad Cæsarem extendi, verisimilius tamen videtur Græcos Monarchiam quidem post mortem Alexandri perdidisse, Reges verò præclaros Orienti imperantes habuisse. Unde & Daniel *Dan. 11.* de regno Alexandri loquens ait: *Dividetur in quatuor ventos cœli, sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius, qua damnatus est.* Et rursum de Antiocho legitur, quòd in obsidione Alexandriæ legatum Romanorum acceperit: qui eum dum ambulantem in harena invenisset, & ab impugnatione Urbis revocasset, frustratus, baculum, quem forte gerebat, terram in circuitu ejus gyrabat, dicens: Hæc dicit Senatus, populusque Romanus, ut antequam de isto circulo exeas, ab Urbe recedas. Quo audito perculsus Rex, mox obsidionem solvit. Ex his & aliis intelligimus, Romanos, etiam antequam Reges haberent, summorum tamen Regum habuisse Imperium. Quare ergo Græcis Monarchiam attribuimus? Nisi quòd & Roma nondum ad unam personam Imperium contraxerat, & quòd civitas nostra in Judæa manens, usque ad Cæsaris tempora, sub illorum Imperio degebat. Nam & Nabuchodonosor Regem Regum Propheta vocat, qui tamen illo in tempore regni auctoritatem Medis habentibus, Rex Regum non erat: nisi quòd eum tam ex dignitate Urbis, quam invaserat, quàm ex supplicatione populi Dei, quem captivum tenebat, hoc nomine dignum judicabat. Fuerunt autem ab Alexandro usque ad Cleopatram Reges omnes Ptolemæi dicti XI. Tantam verò copiam pecuniarum Cæsar apud Alexandriam invenit, ut ex hoc duplicia Romæ venalium statuerentur pretia.

CAP. III.

Qualiter finito regno Græcorum, devictaque Alexandria cum tota Asia Cæsar Augustus dictus fuit.

ANNO ab Urbe condita DCCXXXV. Cæsar, Alexandrinorum potitus victoria, totaque subjugata Asia, civilibus etiam ad plenum sedatis malis, ipso & L. Apulejo quinquies Consulibus, VIII. Idus Janua. ab Oriente victor rediens, Urbem triplici *Augusti nomen.* triumpho ingreditur, Janique portas claudens, Augusti nomine ab omnibus consalutatur. Quod nomen cunctis usque ad id tempus inauditum seculis, apicem declarans

Imperij, ſolis Romanorum debetur Regibus. Hic tertiò ab Urbe condita, primò ſub Numa, ſecundò poſt Carthaginenſe primùm bellum, Janum clauſum invenies. Auguſtus, qui per XII. annos cum his quos nominavi Conſulibus Rempub. rexerat, ex hac die & deinceps ſolus imperabat. Sicque plurium poteſtates in unius ceſſere principatum: quem Græci Monarchiam vocant. Ex hoc Romani poſt Conſules, Reges habere cœperunt, qui ob hoc, quòd totius orbis tenuere Monarchiam, Imperatores & Auguſti ſunt dicti.

CAP. IV.

De victoria ejus in Hiſpania, Iano que clauſo, quomodo per Claudium Druſum diverſas provincias ſubegerit, De amiſſis legionibus in Germania à Varo.

CÆSAR poſt hoc apertis Jani portis, Cantabris & Aſturibus fortiſſimis Hiſpaniæ gentibus, bellum indixit, ac per quinquennium gravi & laborioſo conflictu ſubactis, victor ad Urbem rediens, ſecundò Janum clauſit. Dehinc per Claudium Druſum Galliam & Rhetiam in provinciam redegit: Noricos, Illyricos, Pannonios, Dalmatas, Mæſios, Dacos, Thraces, per Duces ſuos vel ſubegit, vel maximorum fluviorum Rheni & Danubij objectu ſecluſit. Hic Druſus Moguntiam in Gallia, & Auguſtam in Rhetia, quæ antea Vindelica dicebatur, ex nomine Auguſti vocatam, fundaſſe, vel inſtauraſſe dicitur. Monſtratur adhuc monumentum ejus Moguntiæ in modum pyræ. Ea tempeſtate cum tribus legionibus Varus Romano more ſuperbè & avarè erga ſubditos ſe gerens, à Germanis deletur. Quam militis Romani cladem intantùm ægrè tuliſſe fertur Auguſtus, ut ſæpiſſimè caput parieti collideret, ac per vim doloris diceret: Quintili Vare redde legiones. Graviſſimum & atrociſſimum hoc Romanorum & Germanorum bellum, & poſt Africanum maximum, tribus annis cum XV. legionibus geſtum ſcribit Suetonius. Unde notari poteſt, quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quæ in ſumma auctoritate Romani Imperij, tantam ſtragem Romani militis dederit. Tradunt Auguſtenſes hanc cædem ibi factam, oſtenduntque in argumentum collem ex oſſibus mortuorum compactum, quem in vulgari *Perleich*, eò quòd legio ibi perierit, usque hodie vocant, vicumque ex nomine Vari appellatum monſtrant.

Moguntia.

Auguſta Vindelicorum.

Quintilii Vari clades.

CAP. V.

Qualiter Auguſto in Hiſpania morante, totus Oriens ſubjectionem ultrò obtulerit, Parthusque pacem poſtulans, ſigna quæ Craſſo ablata erant, remiſerit, totoque orbe deſcripto, Ianus clauſus ſit. De humilitate Auguſti.

INTER hæc Auguſto apud Tarraconem citerioris Hiſpaniæ urbem morante, Legati Indorum & Scytharum cum muneribus pacem poſtulantes veniunt. Et ſicut quondam Alexandro in Babylone poſito, ſummi Occidentis nationes: ſic & nunc Cæſari à ſummo Oriente gentes ad ultimum occidentem ſupplices, ſubjectionemque promittentes, ultrò occurrunt: Parthi etiam tranſmiſſis ſignis, quæ occiſo Craſſo Romanis abſtulerant, obſidibusque datis pacem poſtulant. Et ſic toto orbe Romanis ſubjecto & deſcripto, tertiò ab Auguſto Janus clauditur, ac per XII. annos clauſus manſit. Ipſe verò Auguſtus, quamvis jam totius orbis eſſet Dominus, nunquam tamen ſerio, vel joco Dominum paſſus eſt ſe vocari. Ubi profectò ſuperbiæ noſtræ obviatur, qui hoc ſummopere Chriſtiani & Sacerdotes expoſcimus, quòd rationis intuitu etiam gentes declinarunt.

CAP. VI.

Quod Iudæis ſicut cæteris gentibus, ſub Cyrino cenſus indictus ſit, & de Iuda Galilæo.

EO tempore dum Judæis, ſicut cæteris gentibus, cenſus ab Auguſto, Cyrino præſide, indicitur, Judas Galilæus, qui in Actibus Apoſtolorum memoratur, fuiſſe invenitur. De quo in hiſtoria Judaici belli ſecunda Joſephus ſic ait: *Quo tempore vir Galilæus, Iudas nomine, ad diſceſſionem cogebat, peſſimum fore eis perſuadens, ſi acquieſcerent ſolvere tributa Romanis, & poſt Deum, mortalem ſuſcipere dominatum.* De Cyrino verò ſic ait: *Cyrinus vir unus ex conſenſu curiæ per ſingulos Magiſtratus usque ad gradum Conſulatus aſcendens,*

ascendens, cæterum quoque honorabilis cum paucis in Syriam venit, à Cæsare jus dare gentibus missus.

CAP. VII.

De incarnatione Domini, & quomodo ea quæ sub Augusto facta sunt, regno Christi conveniant. Inchoatio annalium ab incarnatione Domini.

ITAQUE jam sedatis omnium seditionum motibus, pace inaudita seculis reddita, totoque mundo ad Romanorum censum descripto, anno Imperii Cæsaris Augusti XLII. anno verò ab Urbe condita DCCLII. olympiade CXCIII. revolutis ab Adam V. millibus quingentis annis, regnante in Judæa Herode, filio Antipatris, alienigena, juxta hebdomadas Danielis LXX. Jesus Christus Filius Dei, secundùm carnem filius David, ex Maria virgine in Bethlehem Judæ nascitur. Qui ut lux mundi paxque vera monstraretur, eadem qua natus est nocte pastoribus cum magna luce angelus gaudium nati prædicans apparet. Cui multitudo cœlestis exercitus consonans, *Gloriam in excelsis* Deo decantat, pacemque in terra hominibus bonæ voluntatis venisse denunciat. Et nota, quòd, sicut suprà dixi, Romanorum ac Babyloniorum regna similem ortum progressumque in pluribus habuerunt. Regnante enim apud illos primo Rege Nino, XLII. regni ejus anno, Abraam, ad quem primò de Christo facta promissio, natus est. Regnante rursum primò apud Romanos Cæsare Augusto, XLII. item regni ejus anno, promissus Abraæ; cunctisque desideratus gentibus, nascitur Christus. Notandum prætere a, quòd Augusti regnum, regni Christi, qui ejus temporibus est natus, in pluribus fuit prænuntium. Ille enim VIII. Idus Januar. ab Oriente rediens, Regibusque sibi subjugatis, ac civilibus sedatis motibus, cum triplici triumpho in Urbe suscipitur, Augustusque vocatur. Iste natus, humiliterque in carne latens, similiter eadem die, id est, VIII. Idus Januar. quam nos Epiphaniam dicimus, stella Duce, ab Oriente trinis adoratur muneribus, apparensque qui antè latuerat Augustus, ac Rex Regum declaratur. Quod quidem tunc præfigurabatur, sed jam completum esse, Christum scilicet non solùm in cœlis regnare, sed & in terris Regibus omnibus imperare, luce clarius cernitur. Unde pulchrè ea, qua hoc præfiguratum esse diximus die, in laudem ejus canit ecclesia: *Ecce advenit dominator Dominus, & regnum in manu ejus, & potestas, & imperium.* Et in offertorio: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Per hoc enim quòd dominator Dominus vocatur, Augusti ei nomen attribuitur: per hoc verò quòd Imperium & Regnum in manu ejus dicitur, Imperatoria ei dignitas ascribitur: per hoc autem quòd Reges eum adorare, omnesque gentes servire asserunt, Monarchiæ apex, id est, singularis super totum mundum principatus, ejus esse decernitur. Illis diebus largus olei rivulus in transtyberina Urbis regione fluxisse invenitur, ut nasciturus in carne, qui super omnes Reges oleo lætitiæ & exultationis Spiritu Sancto ungendus foret, monstraretur. De pace verò & descriptione orbis rationem me in prologo reddidisse recolo, ubi & hoc adjiciendum puto, quòd Dei Filius in carne veniens, Romanæ civitatis civis ascribi voluit. Cum enim civitas illa in perfidia posita, proculdubio civitas fuerit mundi, quare ei civitatis Dei Princeps & auctor natus ascribi voluit? Nisi quòd per hoc ostendebat, se adhuc venisse, ut de civitate mundi miro & ineffabili modo faceret civitatem suam. Ut apertiùs loquar: inter Judæos natus, gentibus ascribitur, ut per hoc transferendam gratiam ex illo populo ad gentes, manifestè daret intelligi. Igitur novo homine, qui veterem evacuavit nato, annalibus quoque à Nino ad Urbem conditam, ac inde usque ad id tempus productis, terminum demus, ab ejusque ortu annales nostros ordiamur.

Comparatio regni Chaldaici & Romani.

CAP. VIII.

Quàm crudele piaculum Herodes in coævos Christi exercuerit, & quem vitæ ob hoc exitum juxta Josephum sortitus fuerit: & de Archelao.

ANNO ab incarnatione Domini III. Herodes Judæorum Rex, à Magis Christum natum audiens, immanissimum scelus perpetravit. Timens enim, cum esset alienigena, de semine David natum esse puerum, qui jure hæreditatis regnum requireret patris,

Herodis immanitas morsque.

patris, callidè loco ac tempore perſcrutato, circa Bethlcem à bimatu & infra pueros occidi præcepit, nutricio Chriſti antè per Angelum præmonito, pueroque in Ægyptum translato. Quod ſcelus Dominus advertens, diriſſima & indecora eum morborum clade in extremis flagellavit. Unde Joſephus in XVII. Antiquitatum libro de ipſo ſic ait: *Herodem porro amarior indies morbus urgebat, ſupplicia Deo commiſſi ſceleris expetente. Lento namque igne extrinſecus in ſuperficie urebatur, intrinſecus vero vaſtum condebatur incendium. Aviditas quoque inexplebilis ſemper inerat cibi, nec tamen ſatietas unquam rabidis incitata faucibus, valebat implere ingluviem. Inteſtina interius ulceribus tabida putreſcebant.* Et poſt pauca: *Sed & verenda ipſa putredine corrupta ſcatebant vermibus, ſpiritus quoque incredibilis, erecta tentigo.* Et infrà: *Dicebatur igitur ab his, quibus inerat divinandi peritia, divinitùs has pœnas ob impietatem ejus, & multa crudeliter geſta depoſci.* Refert etiam, quòd ubi deſperare ſalutem cœpit, ex ſingulis vicis atq; caſtellis nobiles ac Primarios viros ad ſe vocatos in vincula poſuerit. Accerſitaque ad ſe ſorore ſua Salome, atque ejus viro Alexandro. Novi inquit, Judæos de meo interitu gaviſuros, ſed potero habere lugentes, & exequias honorabiles ex plangentium multitudine, ſi volueritis vos meis parere præceptis. Statim ergo ut exhalavero ſpiritum, omnes quos in cuſtodia habeo interficite, ut omnis Judæa, & omnis domus defleat obitum meum. Et non multo pòſt cum vitæ exitum adeſſe ſentiret, ad incidendum malum petivit cultrum, quo accepto, in ſeipſum ictum vibravit. Proſequitur etiam idem Scriptor, quòd antequam moreretur, poſt duos quos antè necaverat, tertium quoque filium interfecit. Et ita tam maximis doloribus corporis, quàm flagitioſiſſimis parricidii piaculis, infeliciſſimè vitam finivit. Quod illi proculdubio ob ſacrilegium in Chriſtum, ejusque coævos crudele commiſſum, piaculum eveniſſe creditur. Mortuo Herode, Archelaus filius ejus ſucceſſit in regnum.

Ioſeph. Ant. l. 17. cap. 8.

CAP. IX.

De fame in Urbe Roma, & aperto Iano, pro Dacorum & Athenienſium ſeditione.

ANNO ab incarnatione Domini VI. maxima fames in urbe Roma fuit, quæ intantum invaluiſſe dicitur, ut Laniſtarum familias, & peregrinos, ſervos quosq; abſque Medicis & Præceptoribus ab Urbe expelli Auguſtus præceperit. Ea tempeſtate Auguſto jam ſene, Jani portæ, quæ ex longo ocio rubiginem contraxerant, propter Athenienſium & Dacorum ſeditionem aperiuntur, nec ante Veſpaſianum clauſæ fuerunt. Nulla tamen, quamvis in procinctu milles eſſet, poſt longa tempora bella ſonuerunt. Quod profectò ob novi Regis novum ortum eveniſſe credendum eſt, ut tantæ ſeditiones ſine bellorum cladibus terminarentur. Hucusque Cornelius Tacitus.

CAP. X.

De morte Auguſti, & regno Tyberii, & triumpho de Germanis per Germanicum Druſi filium: de adulterio callidè à quodam perpetrato, & à Cæſare quomodo vindicatum ſit.

Tyberius Cæſar.

ANNO ab incarnatione Domini XV. Auguſtus LVIII. Imperii ſui anno, vivendi finem fecit, eique Tyberius privignus in regnum ſucceſſit. Hic moderatiſſimè Rempub. gubernans, nec cives intus injuriavit, nec foris bellorum tempeſtates movit. Quarto verò Imperii anno, id eſt, ab incarnatione Domini XIX. Germanicus Druſi filius, Caligulæ pater, de Germanis triumphavit. In tantum autem tunc temporis humanus fuiſſe fertur Tyberius, ut dum augenda tributa præſides ſuaderent, reſponderit: Boni paſtoris eſſe pecus tondere, non deglubere. His diebus ſceleratus quidam Mundus nomine, callidiſſimè quandam matronam caſtam Paulinam decepit. Cum enim ſæpe de adulterio eam attentaret, nec proficeret, Sacerdotes templi precio conduxit, ut quempiam deorum cum illa commiſceri velle denunciarent. Refert marito mulier, maritus laudat. Sicque in templum nocte veniens mulier, Deum illum præſtolabatur. Veniens ergo Mundus, voto potitur ſub nomine Dei. Poſt hoc improperat mulieri, quod fecerat. Illa rurſum marito refert. Quod ſcelus dum Cæſar à marito compeiſſet, debita animadverſione templum quidem ſubvertit, Sacerdotes in crucem egit, juveni

juveni verò tanquam amoris magnitudine decepto, inani ductus misericordia pepercit, ac Urbe cedere persuasit. Hæc idcircò ponere volui, ut ostenderem, Tyberium quidem mansuetum fuisse, sed in judiciis suis contra peccantes remissum: quod penè omnium mansuetorum judicum est vitium.

CAP. XI.

De prædicatione & baptismo Ioannis, & post, ipsius Domini. De morte Ioannis, testimonium de hoc Iosephi, & item testimonium ejus de Domino.

ANNO ab incarnatione Domini XXX. anno verò Tyberii Cæsaris XV. cum jam in Judæa quatuor Principes, quos Græci Tetrarchas vocant, Archelao mortuo præsiderent, Joannes in deserto baptismum pœnitentiæ prædicare cœpit: ad cujus baptismum Dominus quoque aquas sanctificaturus, baptizandus venit: & exhinc prædicare, & miracula facere cœpit. [Margin: *Ioannes baptista.*] Elegit ergo Principes civitatis suæ XII. quos vocavit Apostolos, inter quos pro bono civitatis, unum constituit Principem Petrum. Post quos secundi ordinis viros LXXII. posuit discipulos. Brevi posthac interjecto tempore maximus ille civitatis Dei civis Joannes, utpote cui ipsa veritas testimonium dans, *Inter natos* (inquit) *mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.* [Margin: *Matth. 11.*] Herodem de incestuoso arguit connubio: ob quam causam ab eo in carcerem ponitur, dieque natalis sui, quod in Evangelio plenius habes, eductus, flagitiosè inter epulas necatur. Idipsum Josephus refert, bellumque maximum inde ortum inter Herodem & Aretham Regem Arabiæ, ignominiam filiæ vindicantis, in quo Herodis exercitum extinctum memorat. Ait ergo Josephus hoc modo: *Quibusdam autem Judæorum videbatur ideò periisse Herodis exercitum, quod in eum satis justè ultio divina commota sit, pro vindicta Ioannis, qui vocabatur Baptista. Hunc enim Herodes occidit, virum valde bonum, qui præcipiebat Iudæis virtuti operam dare, justitiam colere, in Deum servare pietatem, & per baptismum in unum convenire: tum demum enim baptismum acceptabilem fore, si non solùm ad abluenda peccata, verùm etiam ad castimoniam corporis sumatur, atque ad animæ justitiam, purificationemque servetur, omniumque pariter virtutum velut signaculum, & custodia quædam fidelis habeatur. Quæ cum ab eo præcepta hujuscemodi docerentur, atque ad audiendum eum perplurima multitudo concurreret, veritus Herodes, ne fortè doctrina ejus persuasione populi à suo regno discederent (videbat enim quod præceptis eius ac monitis obedire in omnibus parata esset plebs) melius credidit priusquam novi aliquid fieret, prævenire hominem nece, quàm postmodum turbatis rebus seram pœnitudinem gerere. Ex sola hac suspicione Herodis vinctus in castellum Macheruntа abducitur Ioannes, ibique obtruncatur.* [Margin: *Ant. lib. 18. cap. 7.*] Hæc de Joanne. De Salvatore verò sic ait: *Fuit iisdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est: erat enim mirabilium operum effector & Doctor omnium eorum hominum, qui libenter quæ vera sunt audiunt, & multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum decrevisset, non tamen deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundùm quod divinitùs inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso sunt nuncupati, & nomen perseverat, & genus.* [Margin: *Iosephi de Christo testimonium, lib. eodem cap. 4.*] Hoc idcirco de Religione nostra doctissimi viri, sed Judæi testimonium ponere volui, ut ostenderem Judæos de adventu Christi non ignorare, sed ad damnationis augmentum invidia excæcatos, credere nolle.

CAP. XII.

De passione Domini, quod Tyberius auditis miraculis Domini, de eo Romæ decreverit, & quomodo Senatum reclamantem sibi tractaverit, & quæ mala Iudæis fecerit. De passione Stephani, & malis Iudæorum.

ANNO ab incarnatione sua XXXIV. regnante adhuc Tyberio, in Hierosolymis verò præsidente Pontio Pilato, Dominus ad passionem venire dignatus fuit, ac in loco Calvariæ extra portam in Parasceve à Judæis gentibus traditus, sexta hora crucifigi. Tenebræ ab eadem hora usque ad horam qua expiravit nonam, non solùm in Judæa, sed & per totum mundum factæ sunt. Et sicut scriptum est:

Impiaque

Impiaque æternam timuerunt secula noctem.

Quas tenebras non ex eclipsi Solis, sed ex miraculo accidisse, XIV. Luna, quæ tunc fuit, etiam ipsis infidelibus probavit. Terræmotus quoque tunc factus, quasdam civitates Asiæ diruit, quæ propter hoc etiam à tributo libertati datæ à Tyberio fuerunt. Dixisse tunc ferunt unum ex Philosophis, quem Dionysium Areopagitam putant: Deus naturæ patitur. Post resurrectionem ergo, & ascensionem Domini Pilatus de conversatione miraculisque ejus, passione quoque ac resurrectione Tyberio Cæsari scripsit. *Romani Christum renuant.* Quo audito Tyberius colendum eum inter deos esse decernens, ad Senatum retulit. Senatus autem, eò quòd prius ad eos causa delata non fuisset, edictum Cæsaris recipere recusavit, quinimò exterminandos ab Urbe hujus nominis sectatores censuit. Ob quam causam Augustus ex mansuetissimo Principe factus est sævissima bestia, plurimosque Senatorum ac nobilium perdi præcepit. Sicque factum est, ut dum Regem Christum recipere nollent, Regem Cæsarem ultorem sustinerent. Nutu tamen Dei id factum creditur, ne fides Christi ab homine infideli testimonium, & à terreno principe auctoritatem accepisse videretur. Eodem anno magnus princeps civitatis Dei Stephanus, ab his qui & dominum occiderunt, lapidatur. Tyberius Judæos persecutores Christi, in provincias gravioris cœli religavit, in urbeque manentes submovit, & perpetuæ servituti addixit. Initia dolorum hæc. Qualibus enim malis, secundùm Prophetiam Domni, eò quòd non cognovissent tempus visitationis suæ, postmodum à Romanis attriti sint, cum ad id tempus ventum fuerit, dicemus.

CAP. XIII.

De morte Tyberii & subrogatione C. Caligulæ: quomodo Cajus Iudæos persecutus fuerit, legationemque eorum per Philonem factam spernens, templum prophanaverit. De fine Pilati: de victoria Cæsaris, & de pluribus abominationibus ejus, morteque ipsius.

ANNO ab incarnatione Domini XXXIX. Tyberius XXIII. imperij sui anno veneno periit. *C. Caligula.* Cui C. Caligula tertius ab Augusto in regnum successit, vir omnium ante se sceleratissimus, & qui verè Romanis blasphemantibus, ac Judæis persequentibus ultor adhibitus videretur. Hujus diebus cum in Alexandria plurimis malis opprimerentur Judæi, Philo Judæus primus inter primos Philosophorum, ab eis ad depromendam querimoniam ad Cæsarem mittitur. *Philo Iudæus.* Hic est Philo, qui inter multa præclara opera, librum in quo plurimùm Christianos commendat, composuit. Librum quoque Sapientiæ, qui sic incipit: ***Diligite justitiam***, quia Græcam redolet eloquentiam, à quibusdam edidisse creditur. In cujus rei argumentum quædam ibi posita de Christo, non Prophetarum, sed Historiographorum more, non futura Prophetantium, sed præterita narrantium invenies, ut est illud: ***Dixerunt impii, Opprimamus virum justum injustè.*** Et infrà: ***Promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat.*** Et item: *Sap. 2.* ***Morte turpissima condemnemus eum.*** Hunc Philonem in tantùm fuisse sectatum Platonem refert Hieronymus, ut in proverbio apud Græcos de ipso diceretur, ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει: id est, aut Philo est Platonis, aut Plato Philonis. Cum ergo ad Cæsarem legatione fungeretur Judæorum, non solùm spernitur ab eo ob illius populi odium, sed & ut templum prophanetur, ipseque ibi ut Deus colatur, ab Augusto præcipitur. *Pilati interitus.* Pilatus quoque tantis à Cæsare malis atteritur, ut suo se gladio interfecisse dicatur. Vide justissima ac occultissima Dei judicia de inimicis suis: per flagitiosissimum hominem se ulciscitur, ipseque immobilis manens, cum labore ac furore civium mundi, de hostibus triumphat. Sunt etiam nonnulli, qui eum apud Viennam urbem Galliæ in exilium trusum, ac post in Rhodanum mersum dicant. Unde hodie naves ibi periclitari ab incolis affirmantur. Iisdem diebus Cæsar Germaniam, Galliamque percurrens, in Britanniam tendit: ubi dum Bellinum Britannorum Regis filium in deditionem accepisset, Romam revertitur. Sed non minor ejus in suos crudelitas, quàm in hostes fuit. Sorores enim suas, quas primò stupro polluit, postmodum exilio damnavit. His & aliis multis tam flagitiose, quàm crudeliter commissis sceleribus, à protectoribus suis quarto imperii sui anno interficitur. Inventi sunt post mortem ejus duo libelli,

quorum unus Pugio, alius Gladius dicebatur, in quibus lectissimorum Romanorum nomina morti destinatorum, scripta fuisse dicuntur. Arca quoque variis venenis plena apud eum inventa est, quæ in mare fusa plurimos etiam piscium interfecerunt. Haud dubium, quin propter germinantia Christianorum tempora, tam immmanem tyrannum ab hac luce Dominus subtraxerit: qui si vixisset, quantam populi stragem facturus fuerat, ex morte piscium intelligi datur. [*Iulij Cæsaris cruenta mors.*]

CAPUT XIV.

De Tyberio Claudio, quòd fames sub ipso in Judæa fuerit: quòd Jacobus occisus, Petrus invinculatus eodem tempore sit: de morte Herodis junioris, & Theoda.

ANNO ab incarnatione Domini XLIII. occiso Cajo, Claudius IIII. ab Augusto imperium suscepit. Hujus diebus famam fuisse in Judæa, quam Agabus ante prædixerat, Lucas refert, addens fratribus ibidem manentibus eleemosynas ex Antiochia, per Paulum & Barnabam missas. [*Actor. 11.*] Josephus quoque Helenam Reginam Adjabenorum, necessitatibus pauperum iisdem diebus plurima largitam memorat. Adjungit etiam Lucas, quòd in illo tempore, quod sine dubio sub Claudio fuisse Eusebius confirmat, Herodes Jacobum occiderit, Petrum in vinculis ab Angelo liberatum posuerit. Hoc scelus Regis perpetratum ultio divina animadvertit. Quod Lucas hoc modo prosequitur: [*Ibidem.*] *Cùm* (inquit) *in Cæsarem descendisset Herodes, & in die solenni præclara veste & regia indutus, pro tribunali consedisset, ac de sublimi concionaretur ad populum: cumque populus acclamaret ei, Voces Dei, & non hominis, statim percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dederit gloriam Deo, & scatens vermibus expiravit.* A Josepho quoque idem, sed prolixiùs dictum invenies, iisdem diebus fuisse Theodam, de quo Lucas Gamalielem inducit loquentem, hoc modo: [*Actor. 5.*] *Surrexit Theodas quidam, dicens se esse magnum quendam, qui destructus est, & omnes qui sequebantur eum, dissoluti sunt,* Josephus similiter affirmat.

CAP. XV.

De divisione Apostolorum in omnes gentes. De Petro & Simone mago. De Marco Evangelista, & Discipulis Petri ab eo missis. De victoria Claudij ac seditione Judaici populi. De expulsione eorundem, de Vrbe, & seditione Romani populi, occisione Senatorum & militum. De morte Claudij.

CUm igitur civitas Christi, & imperium, quod penè in Judæa tantùm ante nativitatem ejus fuit, dilatandum in omnes gentes foret, Apostoli, utpote Principes & architecti hujus civitatis, in omnem terram verbum vitæ prædicaturi exeunt, in finesque orbis terræ disperguntur. Hinc Petrus aliorum Princeps, totius orbis dominam sortitur Romam. Paulus, qui alios sapientia præcellebat, omnium prudentissimam, totiusque Philosophiæ fontem adiit Græciam. Joannes Asiam, Andreas Achaiam, Matthæus Æthiopiam, Thomas & Bartholomæus utrasque Indias, Simon & Thaddæus Ægyptum & Mesopotamiam: ac ad ultimum Persidem & Scythiam, Philippus Hierapolim. Jacobus in Judæa permanens, Hierosolymorum rexit Ecclesiam. Nam alter Jacobus ab Herode decollatus erat, qui tamen prius (ut dicitur) Hispanis prædicaverat, ubi & adhuc sepulchrum ejus clarum habetur. Hi non armis, sed longè efficacius Dei verbo orbem aggressi, non alieno, sed proprio sanguine, multò quàm Romani clarius, de universo mundo triumpharunt. [*Simonis magi improbitas.*] Petrus itaque Romam veniens, Simonem hæresiarchiam omnium in magica arte peritissimum, ac spurcissimum, Urbem subvertentem invenit. Iste dudum à Philippo in Samaria baptizatus, dum gratiam miraculorum ab Apostolis oblata pecunia peteret, & non impetraret, conversus retrò post Satanam, apostatavit, seque ex multis dæmonum præstigiis miracula faciendo, Deum asserere non erubuit. Petrus verò in Urbe Roma salutifera vitæ verba docere cœpit, & quod ore docuit, signorum efficacia confirmavit. Exhinc Romæ cœperunt esse Christiani. His diebus Marcus, qui primus Alexandrinam rexit Ecclesiam, ex ore Petri Evangelium in Italia Latino scripsit eloquio. [*Evangelium Mar…*] Nam Matthæus suum antea in Judæa Hebraico

braico sermone scripserat. Reliqui duo, Lucas, scilicet & Joannes, sua postmodum Græca lingua ediderunt. Petrus exhinc cathedram Romæ suscipiens, civitatemque Dei vivis ex lapidibus verbo & exemplo construere studens, nobilissimas orbis Urbes civibus Christi, ac Sacerdotibus illustravit. Nempe beatam Apollinarem Ravennam, Metim Clementem, ad florentissimam verò Galliæ Urbem Treverim, tres simul Proceres Valerium, Eucharium ac Maternum destinavit. *S. Maternus.* Qui dum Alpes transissent, Maternus in via moritur: quo facto perculsi socij Romam revertuntur. Beatus itaque Petrus Apostolus pastoralem virgam, ut traditur, per eos ad suscitandum eum misit. Qui venientes ad locum sepulchri, XXXIII. dies invenerunt eum in monumento jacentem: attamen viri Dei fide & operibus bonis pleni, sub obedientia magistri, admota virga, socium à morte suscitaverunt. Qui (ut fertur) post Eucharium & Valerium per tot annos Treverensem & Agrippinensem rexit Ecclesiam, quot dies antea in sepulchro jacuerat. Ostenditur autem adhuc eadem virga in argumentum rei quam diximus, Treveri ac Agrippinæ, ita quòd superiorem ejus partem Treverenses, inferiorem Colonienses habeant. Ea tempestate Claudius Britannos, eo quòd transfugas non reddidissent, exercitu petit, ac sine sanguine vel prælio, mirum dictu, ferocissimam gentem in deditionem accepit. *Orcades Insulæ.* Orcadas etiam in ultimo positas Oceano Insulas Imperio adjecit, sextoque mense, ex quo proficisci cœperat, in Urbem rediit. Anno Imperij ejus VII. tanta seditio in festivitate Paschæ Hierosolymis orta est, ut de his qui constipatione populi in foribus templi opprimerentur, XXX. M. Judæorum inventa sint. Anno Imperij ejus IX. Judæos Urbe trudi præcepit, quòd non solùm Josephus, sed & Suetonius refert: *Claudius* (inquit) *Judæos impulsore Christo, assiduè tumultuantes Roma expulit.* Sequenti anno tanta fames in Urbe fuit, ut Imperator in medio foro ignominiose fragmentis panum projectis, in palatium fugiens, concitatæ plebis furorem evaserit. Non multo pòst elapso tempore, XXXV. Senatores, & CCC. equites parvis de causis interfecit, ipse verò XIV. Imperii sui anno veneno interiit.

CAPUT XVI.

De flagitiosa vita Neronis, & persecutione in nostros. De Ægyptio falsò Propheta. De morte Jacobi Apostoli, Scriptisque Apostolorum.

Nero Cæsar. ANNO ab incarnatione Domini LVII. Nero quintus ab Augusto, Imperium suscepit, vir omnium flagitiosissimus, utpote qui C. Caligulam avunculum suum nequitia transcenderet. Tantæ quippe petulantiæ fuit, ut assumpto varii vestitus dedecore, tam Græciæ quam Italiæ Urbes, & theatra perlustraret ipsosq; histriones ineptiis suis vinceret. Luxuriæ verò tam effrenatæ, ut retibus aureis piscatus fuisse, in comitatu quoque nunquam minus quàm mille carrucas habuisse dicatur. Hic etiam ex nimia lascivia Urbem incendi præcepit. Quæ dum sex dies septemque noctes jugiter arderet, ipse in altissima Mecenatiana turre stans, pulchritudine flammæ delectatus, Iliadam tragico decantabat habitu. De libidinibus ejus dicere abhorreo, quippe qui nec matre nec sorore abstinens, contra naturam quoque peccare non abhorruit. *Seneca.* Quid eo sceleratius, qui magistro suo Senecæ à morte non pepercit? Hic enim vita & scientia clarus, Philosophiæ studium coluit, frequentesque ad Paulum Apostolum literas mittens, & ab eo rescripta suscipiens, Christianis religionis amicum se ostendit. Unde & à Hieronymo in libro illustrium virorum, inter cives nostros ponitur. Præterea pluribus occisis Senatoribus, in matrem, in fratres, sorores ac uxores parricida & incestuosus extitit. Avaritiæ verò tam inexplebilis erat, ut post innumerabilem pecuniæ thesaurum, quem negociatoribus vi rapuerat, centies centena millia sestertiorum singulis annis à senatu sibi dari instituerit. *Prima persequutio Christianorum.* His flagitiosissimis factis impietatem in Deum adjecit. Primus enim persecutionem in Christianos movit: quod non sine consilio Dei factum credimus, ut videlicet civitas sua talem hostem primò haberet, quem ob flagitiorum suorum scelera, civitas etiam mundi abhorreret, cui nihil præter honestatem inhonestum videbatur. Anno Imperij ejus primo, post Marcum Evangelistam Anianus Sacerdotium sumpsit Alexandriæ. Per idem tempus graviter Judæos afflixit Ægyptius quidam falsus Propheta, qui in brevi magica arte fidem Prophetæ fecerat, adeò

ut

ut collectis sibi XXX. millibus virorum, montem Oliveti occupasset, paratus inde Urbem irruere, & tyrannidi suæ subjugare. Felix autem congressione cum ipso facta, eum in fugam vertit, aliisque peremptis, sive captis, cœpta facile restinxit. Unde in Actibus Apostolorum Felix ad Paulum dicit: *Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitaveras populum?* Post Felicem Festus Judæis à Nerone præponitur, apud quem dum Pauli causa ventilatur, Judæis insistentibus, Paulus Cæsarem appellans, ut Actus Apostolorum referunt, Romam vinctus mittitur, ac eò veniens, verbum vitæ incessanter prædicavit. Hucusque Lucas librum Actuum Apostolorum perduxit. Judæi postquam frustratas insidias, quas Paulo intenderant, vident, in Jacobum fratrem Domini, qui dicebatur Justus, Hierosolymorum Episcopum, immanitatem nequitiæ suæ vertunt, eumque fidem Christi abnegare expetunt. Statuunt itaque eum Scribæ & Pharisæi super pinnam templi, & voce magna clamantes ad eum dicunt, Virorum justissime, cui omnes obtemperare debemus, quoniam populus errat post Jesum, qui crucifixus est, enuncia nobis quod sit ostium Jesu. At ille dum libera voce, intrepidaque mente Christum confitetur sedere in cœlo à dextris summæ virtutis Dei, de pinna templi præcipitatur, illæsusque manens, fullonis vecte (aut pertica) percussus, martyrio consummatur. Is tantæ sanctitatis ac justitiæ fuisse ab ipsis quoque Judæis credebatur, ut ob ejus necem Josephus civitatem à Romanis postmodum destructam esse velit. Hic civitatem Dei non solùm factis informavit, sed & unam de VII. Epistolis, quæ Canonicæ dicuntur, utilem valde, & sale Sapientiæ conditam scripsit Epistolam. Aliorum enim Apostolorum scripta, præter Petri & Pauli, Joannis & Judæ Epistolas, Joannis quoque & Matthæi Evangelia, in Canone non habentur. Jacobo successit Cleophæ filius, qui in Evangelio memoratur Simon, quem consobrinum Domini juxta carnem fuisse Egesippus memorat.

Act. 21.

Act. ultim.

Iacobi fratris Domini martyrium.

CAP. XVII.

De passione Petri & Pauli, & imminutione Romani Imperij & morte Neronis.

IGITUR dum Nero Christianus persequendo, civitatem Dei destruere molitur, beatissimos Apostolorum Principes Petrum & Paulum, Petrum in cruce pedibus sursum versis, Paulum gladio plecti præcipiens, utrosque beato coronavit martyrio. Quod sequenti anno Urbs misera sensit: nam in tantum pestilentia eam invasit, ut XXX. millia funerum supputarentur. Sub eadem persecutione occiduntur Processus & Martinianus, aliique plurimi. Petro Romæ successit Linus, Antiochiæ Evodius. Iisdem diebus cum maxima civium ac sociorum clade, duo oppida in Britannia capiuntur. Eodem tempore Romani milites, pluribus in Oriente amissis Provinciis, sub jugum Parthorum ignominiosè venerunt. Tres civitates in Asia, id est, Laodicea, Hierapolis, Colossa terræ motu conciderunt. Et nota, quod Apostolis in Urbe martyrio coronatis, secularis illius Urbis dignitas minui cœpit.

Petri & Pauli Apostolorũ martyrium

Terra motus Asiaticus.

Nero ut audivit in Hispania Galbam ab Exercitu Imperatorem factum, animo concidens, cum perturbare Remp. molitur, à Senatu hostis pronunciatur. Videns itaque malitiam suam ad effectum se perducere non posse, fugiens ad quartum ab Urbe lapidem, XV. Imperii sui anno se interfecit, in ipsoque familia Cæsarum defecit. Non defuerunt tamen, qui dicerent hoc quod in Apostolo legitur: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore*: & illud: *Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*: de Nerone (sub quo Paulus scripsit) dictum fuisse: arbitranturque Neronem non mortuum, sed humanis rebus vivum subtractum, usque ad ultimum tempus, in ea qua tunc fuit ætate appariturum, ipsumque fore Antichristum. Sed jam ad historiæ seriem revertamur.

2. Thess. 2.

CAP. XVIII.

De civilibus malis in urbe, & captivitate Iosephi, imperioque Vespasiani.

GALBA sextus ab Augusto, morte Neronis comperta, Romam venit: ubi dum nobilem quendam Pisonem sibi in filium adoptaret, ab Ottone uterque septimo imperii sui mense necatur. Itaque dum Romæ Otto usurpat Imperium, Vitellius in Germania idem arripere conatur, Vespasianus in Syria, qui contra Judæos à Nerone missus,

sus, multis eos malis attriverat, Josephumque fortissimum ac prudentissimum sacerdotem eorum in vinculis tenebat, ab exercitu Neronis audita morte, Imperator creatur. Quod nimirum malum civile, & nobilissimi Imperii distractionem, ob piaculum in Apostolorum Principes commissum Roma meruit. Josephus iste Matathiæ filius, tantæ non solùm inter Judæos, verum etiam apud Romanos postmodum auctoritatis fuit, ut statua ei in Urbe donata, libri quoque ejus Bibliothecæ traderentur. Extant ejus opera in XX Libris Antiquitatum, historia de Judæorum cum Romanis bello, libri VII. Liber quoque Machabæorum secundus ab eodem esse compositus à quibusdam dicitur. Alia verò ejus etiam opera præclara Eusebius ponit. Otto contra Vitellium bellum parat. Ubi dum primò circa Alpes, secundò juxta Placentiam, tertiò juxta locum, qui Castoris dicitur, victor extitisset, quartò cum suos apud Bebryacum vinci videret, tertio ex quo imperare cœperat mense, seipsum interfecit. Vitellius Romam veniens, regnum usurpat: multisque ibi crudeliter ac nequiter actis, ut audivit de Vespasiano, primò quidem Imperium deponere cogitat, sed pòst à sociis confortatus, Sabinum Vespasiani fratrem in Capitolium cum suis fugavit, ibique omnes flamma ac ruina in unum tumulum dedit. Vespasianus ergo, qui post mortem Neronis hortatu Principum, & præcipuè Josephi (qui cum in vinculis poneretur, constantissimè se ab eodem, sed Imperatore, solvendum dixerat) imperium suscepit, relictoque ad obsidionem Hierosolymorum filio suo Tito, per Alexandriam Romam tendit. Porrò inter hæc Vitellius à suis capitur, turpiterque tam per viam sacram, quàm per forum ductus, unco trahitur, & in Tyberim mersus, communi quoque caruit sepultura. Adversus Senatum etiam interea à militibus ejus multa crudeliter peracta fuerant. Cognita morte Vitellij, Vespasianus Alexandriæ substitit.

CAP. XIX.

De excidio Hierosolymorum, & captivitate Iudaici populi, auctoritates de hoc Iosephi: Quòd Titus & Vespasianus ob hoc Imperatores dicti, Romæ cum triumpho suscepti sint. De Jano clauso, & incremento Romani Imperij. De terræ motu, & pestilentia. De morte utrorumque & amphitheatro.

IGITUR dum Judæi post XL. à passione Domini annos, quos in spacium pœnitentiæ acceperant, de commisso in Salvatorem scelere pœnitere nollent, imò in Stephano, & in duobus Jacobis occisis, peccatum peccato apposuissent, ultio divina, quæ à Domino eis prædicta fuerat, jam in populum impium exardescere debuit. Præmonitis autem divino responso civibus Christi, ut de Urbe sacrilega, populoque impiissimo, tanquam Loth de Sodomis, trans Jordanem in oppidum Pella nomine, transirent, Urbs infidelis à Tito obsidione in ipsa paschali festivitate, cunctis undecunque populis ad festum confluentibus, cingitur, tandemque cum multo Romanorum sanguine expugnatur. Verùm à templo, quod Sacerdotum ac Principum multitudo tuebatur, Titus arcetur. Quod dum magno labore suorum caperet, tanquam Ecclesia Dei germinante abolitum, cum ipsa Urbe funditùs delevit, ac juxta Prophetiam Domini, lapidem super lapidem ibi non reliquit, transactis à prima conditione sui M. C. annis. Sexcenta tunc millia Judæorum interfecta fuisse, referunt Cornelius & Suetonius.

Hierosolymorum excidiū.

Verùm qui miserrimum omnium Judæorum exitium ad plenum scire desiderat, ipsorum Historiographum Josephum legat, qui in ipsa Paschali festivitate, tanquam uno carcere conclusos, tricies centena millia hominum in Urbe fuisse commemorat. Ex quibus tam fame, quàm ferro & igne, undecies centena millia, exceptis illis qui in Urbibus, aut castellis aliis perierant, in hac tantùm periisse, idem Scriptor narrat. Ait ergo inter cætera: *Arbitror enim, quod etiamsi adversus impios cives Romanorum paulisper arma cessassent, aut hiatu terræ, aut aqua diluvio, aut Sodomitanis ignibus, aut fulminibus cœlitùs tortus, supplicium civitas deprehendisset, quæ multo infaustiorem illis qui hæc perpessi sunt, & nequiorem virorum præsentem hanc pertulisset ætatem, pro quibus, & omnis gens pariter mereretur extingui.* Reliqui Judæorum, qui usque ad DCCCC. M. fuisse dicuntur, per totum orbem usque in præsentem diem dispersi sunt. Titus post tam magnificum triumphum, Imperator ab Exercitu appellatur. Vespasianus dehinc cum Tito filio Urbem ingreditur, ubi cum maximo tripudio, inauditoque triumpho, uno curru

curru cum filio ſedens, actis ante ſe captis, & Bibliotheca Judæorum, ſuſcipitur. Juſto id judicio Dei factum creditur, ut qui in Patrem & Filium peccaverunt Deum, ab hominibus Patre & Filio plecterentur. Itaque Imperatores omnibus bellorum motibus ſedatis, ſexto Jani ab Urbe condita portas clauſerunt.

His diebus Romanorum Reſpub. plurimùm eſt aucta. Achaia enim, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samothracia, Cilicia, Comagena in Provincias redactæ, Romanis legibus ac judiciis paruere. Nono Imperij eorum anno civitates Cypri terræmotu corruerunt, urbsque peſtilentia conſumitur. Eodem, vel juxta alios X. anno, Veſpaſianus profluvio ventris in villa propria juxta Sabinos moritur: cujus filius Titus, ſegregatis à numero Principum Ottone & Vitellio, octavus ab Auguſto ſuccedit, vir omnium ante ſe Principum moderatiſſimus, in tantùm ut Deliciæ hominum vocaretur. Diem enim in qua nil boni feciſſet, perdidiſſe ſe dicere ſolebat. Hujus diebus bella non fuere, Roma verò in pluribus ſui partibus per ſe conflagravit incendio. Is amphitheatrum Romæ ædificans, quinque millibus ferarum dedicavit. Anno Imperij II. cum omnium planctu in eadem qua & pater villa moritur. Eodem anno Linum, XII. annis in Sacerdotio transactis, Urbis Romæ Epiſcopatum tradidiſſe Anacleto, refert Euſebius.

Cyprius terræmotus.

Titus Imp.

CAP. XX.

De perſecutione Domitiani in ſuos & noſtros. De Clemente ſucceſſore Petri, quod tunc Domitianus Ioannem Apoſtolum in exilium miſerit.

ANNO ab incarnatione Domini LXXXIII. Domitianus Tito fratri, nonus ab Auguſto, ſucceſſit, qui non ſolùm crudeliter in ſuos, quoſdam interficiendo, quoſdam in exilium mittendo, ſævire cœpit: ſed etiam plurimùm ei Reip. damnum, exercitum incautè Germanis & Dacis exponendo, intulit. Hic etiam in tantam prorupit veſaniam, ut ſe Deum & Dominum appellari ac coli fecerit. Secundus quoque poſt Neronem perſecutionem in Chriſtianos movit. Anno Imperii ejus quarto Annianus, qui XXII. annis Alexandriæ Eccleſiam Dei rexerat, moritur, cui ſucceſſit Abilius. Anacletus quoque, qui juxta Euſebium in Urbe Roma XII. annis Sacerdotio functus erat, vita decedit, ſedemque Clementi reliquit. Alii verò hunc Cletum dicunt, & Anacletum poſt Clementem ponunt. Hic eſt Clemens, cujus tanquam coadiutoris ſui Paulus meminit, ubi ait: *Cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis.* Hic eſt magnus civitatis Dei Princeps, ſapientia præditus, intantum ut à Judæis & Gentibus diligeretur, tractabilis, non ſolùm verbis & factis Eccleſiam Dei informavit, verum etiam monimenta librorum civitati Dei profutura reliquit. Extant ejus inter cætera opera, quam ex perſona Romanæ Eccleſiæ dictavit, ad Corinthios epiſtola, quæ intantum ei, quam ad Hebræos Paulus conſcripſit, conſimilis eſſe cernitur, ut propter hoc illa, quam nominavi, epiſtola, non Pauli, ſed ſua à pluribus putetur. Huic Clementi Petrus ſibi à Domino traditam ligandi ac ſolvendi poteſtatem tradidit, eumque Sacerdotio ſibi ſubrogavit. Quare verò inter eum & Petrum duo medij inveniantur, ab aliis ſatis dictu manifeſtum eſſe putamus. Domitianus dum civitatem Dei perſequi intentat, Joannem Apoſtolum, cæteris martyrio coronatis, ſolum ex Apoſtolis ſuperſtitem, in Pathmos inſulam relegari præcepit, ubi Apocalypſim divina revelatione compoſuit. Ex David quoque ſtirpe genitos exquiri præcepit. Quos dum aſcitos pauperes cognoviſſet, requiſitosque de regno Chriſti, dum illud cœleſte, non terrenum audiſſet, liberos abire permiſit. Sed & perſecutionem, quam adverſus Eccleſias agitari juſſerat, datis rurſum compeſcit edictis. Ipſe verò XV. Imperij ſui anno in Palatio necatus, dedecoroſè ſepelitur. Cui in regnum ſucceſſit Nerva, anno ab incarnatione Domini XCIX. Hic revocari exules præcepit, unde & Joannes à Pathmo ad Epheſum redire permiſſus eſt.

Domitianus.

Secunda Chriſtianorum perſequutio.

Clemens Roman. Epiſcopus.

Nerva.

CAP. XXI.

De Trajano, victoriisque ejus, ac perſecutione in noſtros. De domo aurea Neronis, & ſeditione Romanorum. De Sacerdotibus Chriſti, qui eo tempore erant. De obitu Ioannis Apoſtoli, & hæreſibus quæ tunc pullulabant.

ANNO ab incarnatione Domini CX. Imperii ſui primo, Nerva moritur, regnavitque pro eo Trajanus, XI. ab Auguſto, quem ipſe vivens in filium & hæredem re- *Trajanus.*

 gni

gni adoptaverat. Hic apud urbem Galliæ Agrippinam, regni gubernacula suscepit: transitoque Rheno, Germaniam in pristinum statum reduxit, ac multas trans Danubium gentes subegit. In Oriente quoque Regiones trans Euphratem ac Babylonem subjugavit. Hinc est illud exemplum, Trajano bellante victi sunt Parthi. Is tertius à Nerone Christianos persecutus, relatu ac monitu Plinij judicis mitior est factus. Hujus diebus domus aurea Neronis fulmine concrematur. Judæi etiam tunc multis seditionibus turbaverunt Orientem. Eo tempore apud Antiochiam post Enodium tertius post Petrum, regebat Ecclesiam Ignatius: Romæ Evaristus, qui Clementi IX. annis regenti Ecclesiam, successerat: Hierosolymis post Simeonem, Justus, Smyrneorum cathedram Polycarpus, Hierapolim Papias, ambo Joannis discipuli, gubernabant. Quorum Papias quinque libros, qui appellantur verborum dominicorum, scripsisse dicitur. Joannes post multa virtutum suarum insignia, apud Ephesum solus ex Apostolis sine effusione sanguinis, in pace migravit ad Deum. Ea tempestate Menander post Simeonem surrexit hæreticus. Cerinthi hæresis, qui terrenum futurum esse Christi regnum, & eorum quæ sub ventre sunt incitamenta, cibis, potibus, nuptiis prædicabat explenda, pullulabat. Fuerunt etiam Hebiones, id est, pauperes, pro paupertate intelligentiæ vocati, Christum solum hominem putantes. Sed & Nicolaitarum hæresis tunc efferbuit, qui sine ulla reverentia & pudore, promiscuos & illicitos concubitus licere affirmabant. Isti Nicolaum unum de VII. illis, qui cum Stephano Diaconi sunt constituti, auctorem se hujus rei habere jactant, eò quòd uxorem suam, quam pulchram valde habuit, in medium produxerit. Excusat verò hunc Clemens Alexandrinus, dicens inter cætera: *Mihi compertum est, Nicolaum nullam prorsus agnovisse mulierem, præter eam, quam in matrimonium acceperat, ejusque liberi casta virginitate, & sanctitate incorrupti corporis, usque ad ultimam senectutem durarunt.* Quæ cum ita se habeant, constat illud, quòd in medium Apostolorum pro zelotypiæ suspicione produxerit uxorem, ex contemptu vitii, vel libidinis gestum, quòd per hoc continentem se ostenderet ejus rei, quam nimiè putabatur expetere. Increpabatur enim ab Apostolis, quòd nimis tenerè illam diligeret. Sic Clemens XII. Trajani anno, post Cerdonem Primus, quartus ab Apostolis, Alexandrinam, Romanam verò post Evaristum Alexander gubernavit Ecclesiam. Post Ignatium Heros Antiochenæ præsidebat Ecclesiæ.

Tertia Christianorum persequutio.

Cerinthus Ebion.

Nicolaus hæreticus

CAP. XXII.

De mansuetudine & operibus Adriani Ælij, Sacerdotibusque, qui tunc clari habebantur.

ANNO ab incarnatione Domini CXVIII. Trajanus XIX. Imperij sui anno, profluvio ventris apud Seleuciam Isauriæ, ut dicitur, urbem moritur, eique consobrinæ suæ filius, XII. ab Augusto, in regnum successit Adrianus Ælius. Hic à Quadrato Apostolorum discipulo, & Aristide Atheniensi, viro & fide & sapientia pleno, commonitus, præcepit, ne sine objectu criminis Christiani punirentur. Is etiam Rempub. justissimè gubernans, Pater patriæ appellatus est, & uxor ejus, Augusta. Idem Sauromatas bello pressit, Judæos tumultuantes, ac in Palæstinam redire conantes, coercuit, præcipiens, ut ultrà licentiam introeundi Hierusalem non haberent, Christianos verò ibi habitare permisit. Anno Imperii ejus IV. Alexander Romanæ Urbis Pontifex decedit, eique Sixtus successit. Alexandriæ quoque Primo mortuo, subrogatur Justus. Sanè Hierosolymorum civitas, expulsis ab Ælio Adrian Judæis, plurimùm ab Imperatore reparata, ex nomine ejus Ælia dicta, à gentibus inhabitabatur. Post XV. ergo Sacerdotes, quos civitas Dei ex circumcisionis pariete à Jacobo Apostolo, usque ad id tempus habuit, jam ex alio pariete credentium Pontifices habere cœpit, quorum primus Marcus fuit, Sixto jam mortuo, ac Thelesphoro Romanam Ecclesiam gubernante, post Justum quoque Eumene Alexandrinam Ecclesiam regente.

Adrianus Ælius.

CAP. XXIII.

De hæresibus, & civibus Christi illis resistentibus, & exemplar epistolæ Adriani pro Christianis.

IGITUR dum civitas Dei, quæ est Ecclesia, longè lateque per orbem terræ diffunderetur, antiquus hostis subtiliùs eam persequi molitur: & qui prius eam exterius persecutionibus

cutionibus oppugnaverat, nunc intestino bello, hoc est hæreticorum veneno, callidè inficere attentat. Post Menandrum ergo duo flagitiosissimi, Saturninus Antiochenus, & Basilides Alexandrinus, surrexerunt hæretici. Quorum Basilides sectatores suos ad morem Pythagoricum, quinquennio silere, fidemque Christi persecutionis tempore negandam asseruit. Carpocratem quoque hæreticum tunc fuisse Irenæus scribit. Porrò civitas Christi supra firmam Petram fundata, nec foris tempestatibus, nec intus seditionibus quassari valens, non solùm Sacerdotes, qui eam verbo & exemplo informarent, præclaros habuit, sed & summa sapientia præditis viris illustribus, qui eam non solùm dictis, sed scriptis à pravorum impugnationibus defenderent, non caruit. Inter quos Egesippus clarissimus habebatur, qui Apostolicæ prædicationis traditionem, simplici sermone quinque libris conscripsit. Sed & historiam Judaici belli à Machabæis, usque ad excidium Hierosolymorum, luculenter ac prudenter contexuit. Justinus etiam, tam nostra quam Philosophorum scientia plenus, ad Antonium Apologeticum pro nostra religione scribens, horum meminit. Scribit etiam de Adriano Cæsare, quòd pro Christianis hujusmodi literas miserit: *Accepi literas ad me scriptas à decessore tuo Sereno Granio clarissimo viro. & non placet mihi relationem silentio præterire, ne & noxii perturbentur, & calumniatoribus latrocinandi tribuatur occasio. Itaque si evidenter Provinciales huic petitioni suæ adesse valent, adversum Christianos, ut pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi non prohibeo: precibus autem in hoc solis & acclamationibus uti eis non permitto. Etenim multò æquius est, si quis volet accusare te cognoscere de objectis. Si quis ergo accusat & probat adversus leges quicquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam supplicia statues. Illud mehercule magnopere curabis, ut si quis calumniæ gratia quenquam horum postulaverit reum, in hunc pro sui nequitia suppliciis sævioribus vindices.*

Saturninus & Basilides hæretici.

Egesippus historicus.

CAP. XXIV.

De Principatu Antonini cognomento Pii, hæresibusq; sub eo ortis. De Sacerdotibus & Doctoribus Christi contra hæreses. Epistola etiam Imperatoris pro nostris.

ANNO ab incarnatione Domini CXXXIX. Adrianus XXI. Principatus sui anno, diem obiit. Cui Antoninus cognomento Pius, XIII. ab Augusto, in regnum successit, qui adeò tranquillè Rempub. gubernavit, ut Pater patriæ ex hoc appellatus sit. Hujus diebus Hermes librum Pastoris conscripsit. Anno Imperii ejus primo, Thelesphorus XI. annis Sacerdotio functus, vita decedit: cui Higinus substituitur. Hujus dieb. Valentinus & Cerdon, quem postea Martion secutus est, hęresiarchę fuere. Cerdonis dogma fuit: quòd is qui in lege & in Prophetis prædicatus est Deus, non esset ipse Pater Domini nostri Jesu Christi: quia ille quidem notus esset, hic autem ignotus: ille justus, hic autem bonus. Eo tempore Justinus Philosophus, cujus suprà mentionem fecimus, de Neapoli Palæstinæ nobili prosapia oriundus, inter cætera præclara opera, Apologeticum Imperatori de fide nostra scripsit, eumque benignum Christianis fecit. Unde pro his, qui in Asia patiebantur injuriam, tale Scriptum promulgavit:

Antoninus Pius.

Cerdo hæreticus.

Justinus Philosophus.

Pro Christianis editum imperiale.

Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus Armenicus Pontifex maximus, tribunitiæ potestatis quindecies, Consul tertiò, universis simul plebibus Asiæ salutem.

Ego quidem non ambigo etiam ipsis diis curæ esse, ne quis noxius lateat: multò enim magis ipsis convenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quàm nobis. Et post pauca: Vos autem cæteros quidem Deos negligitis, cultum verò immortalis Dei, quem Christiani colunt, expellitis: sed paternam ego secutus sententiam, pari moderatione statuo, quòd si quis persistit hujuscemodi hominibus absque ullo crimine movere negocia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absolvatur, etiamsi perhibetur id esse, quod ei obiicitur Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius quam objecit existat. Higino successit Pius. Post Neumenem Alexandriæ Marcus sedit. Pius Aniceto sedem reliquit. Marcus Celadionem sibi substituit. Aniceti diebus

refert ſe Egeſippus, quem ſuprà nominavi, Romam veniſſe, & usque ad Eleutherii tempora ibi fuiſſe.

CAP. XXV.

De Imperio Antonini Veri, cum Aurelio Commodo, bellisque eorum. De civibus noſtris, gravique perſecutione, & quomodo per Chriſtianos Imperator Germanos devicerit.

M. Antoninus Verus. ANTONINUS ad XII. ab Urbe lapidem, XXII. Imperii ſui anno, diem ultimum clauſit. Poſt quem XIV. ab Auguſto, M. Antoninus Verus, cum Aurelio Commodo fratre, regni gubernacula ſuſcepit, anno Domini CLXII. Hi Vologeſum Parthorum Regem, Armeniam, Cappadociam, Syriamque vaſtantem, gravi bello preſſerunt. Horum *Polycarpus.* diebus cum multi cives Chriſti ubique terrarum pro fide fortiter dimicarent, Polycarpus Smyrneorum Epiſcopus, & Apoſtolorum diſcipulus, glorioſiſſimo pro domino martyrio coronatur. Fertur de ipſo, quòd ad exemplum Magiſtri ſui Joannis, qui apud Epheſum, cum balneas lavandi gratia intraſſet, & vidiſſet ibi Cerinthum, exiliit, Fugiamus, inquiens, ne balnea ipſa corruant, in quibus Cerinthus lavat, veritatis inimicus: ſic, inquam, Polycarpus Martioni occurrens, interrogatusque ab ipſo ſi eum agnoſceret, reſpondit: Agnoſco primogenitum ſatanæ. Cum Polycarpo pluribus martyrio coronatis, Metrodorus quidam de Martionis hæreſi Presbyter, ignibus eſt traditus.

His diebus Aniceto Romæ ſucceſſit Sother, Alexandriæ verò Celadion Agrippinus ſubſtitutus erat. Antiochiæ poſt Hieronem Cornelio ſubſtituto, eodemque defuncto, ſextus ab Apoſtolis Theophilus ſedebat. Hic civitatem Dei non ſolùm factis, ſed & Scriptis informans, utilia librorum monimenta reliquit. Per idem tempus præclari civitatis Dei Principes fuere, Dionyſius Corinthiorum, Melito Sardenſium, Apollinaris Hieropolitanorum Epiſcopi. Ex quibus Dionyſius multis Eccleſiæ Scripturis utilibus relictis, de Dionyſio quoque Areopagita refert, quòd Athenienſium Epiſcopus à Paulo fuerit ordinatus. Reliqui verò duo inter alia Scripturarum ſuarum inſignia apologeticum de fide noſtra Imperatori ſcripſerunt librum. Antonini (qui quartus à Nerone perſecutionem in Chriſtianos movit) XVII. anno Sothere mortuo, Eleutherius ſucceſſit.

Quarta perſequutio Chriſtianorum. Ea tempeſtate graviſſima apud Gallias perſecutio, Chriſti civitatem urgebat. Fervebat hoc malum potiſſimùm apud nobiliſſimas Galliarum urbes, Lugdunum & Viennam. Verùm multis hac tempeſtate martyrio coronatis, Photinus quoque Lugdunenſium Epiſcopus, ſenio ac moribus gravis, glorioſa pro Domino paſſione conſummatur. *Irenæus Epiſcopus.* Cui ſucceſſit Irenæus Polycarpi diſcipulus, quorum ſuprà mentionem feci, utilis admodum civitati Dei non ſolùm prædicatione, ſed & Scripturarum executione. Extant de his temporibus Epiſtolæ à Galliarum martyribus Chriſtianis in Aſiam miſſæ, quas in hiſtoria Euſebij, quam Eccleſiaſticam vocant, invenire poteris. Eo tempore apud caſtrum Divionenſe Benignus Polycarpi diſcipulus, in Gallias miſſus, martyrio coronatur. Graviſſimæ peſtilentiæ in plurimis Romanorum tunc fuere Provinciis.

Iisdem etiam diebus dum Imperator contra Germanorum fortiſſimam gentem, manum conſerere parat, exercitu plurimùm ſiti fatigato, ac tam ex hoſtium multitudine, quàm fortitudine pavore perculſo, Chriſtianorum qui in procinctu erant precibus, & Romanis ad ſubſidium, ſubitò largus imber profunditur, & barbari, qui jam exitialiter imminebant, crebris fulminibus deterrentur. Sicque Sanctorum precibus hoſtibus fugatis, Romani non ſuis, ſed Dei virtutibus, victoria potiuntur. Feruntur Imperatoris literæ ad pleroſque miſſæ, teſtantes victoriam ſibi Chriſtianorum precibus collatam fuiſſe.

CAP. XXVI.

De Principatu Commodi, obſcœnitateque ejus, & hæreſibus. De incendio, fulmine, & igne Romæ facto.

M. Antonius Commodus. ANNO ab incarnatione Domini CLXXXI. Antonius XIX. Imperij ſui anno, in Pannonia moritur, eique filius ſuus M. A. Commodus, XV. ab Auguſto, ſucceſſit. Hic luxuriæ & obſcœnitati deditus, plurimos ex Senatoribus interfecit. Commodus iſte

iste per omnia Reipub. incommodus fuit, nisi quòd contra Germanos bellum feliciter gessit.

Per idem tempus innumeræ hæreses pullulabant, inter quas Encratitarum, Tacianum quendam auctorem habens, magis pestifera fuit. Hi ab animalibus abstinendum prædicabant, ingrati existentes Deo, qui hæc humanis usibus procreavit. Sed & nuptias refutantes, accusabant illum, qui ab initio masculum & fœminam ad restaurationem humani generis fecit. Sanè Clemens, cujus suprà mentionem feci, scribens adversum eos, inter cætera dicit: *An & Apostolos improbant? Petrus etenim & Philippus & uxores habuerunt, & filias virgines etiam nuptui dederunt. Sed & Paulum Apostolum non tædet in quadam Epistola sua mentionem, vel salutationem facere comparis suæ, quam se ideo negat circumducere, ut ad prædicationem Evangelij expeditior fiat.* **Encratitarum hæreses.**

Ea tempestate Capitolium Romæ fulmine percutitur, ac Bibliotheca, magna majorum cura composita, concrematur. Aliud quoque incendium Romæ exortum, ædem Vestæ, ac palatium, plurimasque Urbis partes consumpsit. His diebus Eleutherius diem obiit, Victorique sedem reliquit.

CAP. XXVII.

De morte Commodi, & substitutione Helii, qui & Pertinax, rursumque de morte illius.

COMMODUS post multa vitæ suæ flagitia, in domo Vestiliani, XIII. Imperij sui anno strangulatus esse dicitur: regnavitque post eum Ælius senex, XVI. ab Augusto, ex hoc quòd ad regnum electus, pertinaciter restitit, Pertinax dictus: quem quinto quàm regnare cœperat mense, Julianus Iurisperitus in palatio occidit. Qui dum regnum invadere molitur, juxta pontem Miluium septimo ex quo Imperium usurpaverat mense, à Severo vita privatur. **Ælius Pertinax.**

CAP. XXVIII.

De Principatu Severi, & persecutione ejus in nostros, belloque contra gentes. De Patribus & Sacerdotibus, qui illo tempore pro domo Dei stabant, & de controversia, quæ inter Romanum Pontificem, & orientales Episcopos de die Paschæ fuit. De Iuda, & Origene. De victoria Severi.

ANNO Domini CXCV. Severus natione Afer, qui ex eo quòd Imperatorem ultus erat, Pertinax est dictus, XVII. ab Augusto, rerum summam obtinuit. Hic natura ferox, quintam post Neronem persecutionem in Christianos movit, Judæos quoque & Samaritas, Parthos, Arabas, Adiabenos bello pressit, Pescenninumque ex Ægypto ac Syria tyrannidem affectantem, interfecit. His diebus cum persecutio ubique terrarum ferveret in Christi cives, apud Alexandriam post multos alios pater Origenis Leonides martyrii palmam accepit, Origene adhuc puero, martyrium tamen plurimum affectante. Hoc in tempore fuerunt non solùm martyres, qui cives Christi exemplo suo ad patientiam animarent, sed & Doctores & Scriptores disertissimi viri, qui eos docendo ac scribendo ad sapientiam informarent. Ex quibus post Julianum apud Alexandriam Demetrius substitutus: apud Antiochiam octavus ab Apostolis Serapion Episcopus ordinatus: apud Cæsaream Palæstinæ Theophilus: in Hierosolymis Narcissus, Ecclesias procurabant. Multi quoque in aliis locis egregii Sacerdotes fuere, Victore adhuc Romanæ Ecclesiæ cathedram gubernante. **Severus Pertinax. Quinta persequutio.**

Quibus præsidentibus in Ecclesiâ, in Provinciis Asiæ quæstio oritur de die Paschæ, confirmantibus quibusdam quacunque die septimanæ XIV. Luna venisset, solvi debere jejunium, cum talis consuetudo non uspiam in Ecclesia observaretur. Ob quam causam conventus Episcoporum & Concilia, tam per singulas Provincias, quàm in Urbe Romana, cui Victor præfuit, convocantur: communique decreto confirmatur, ne liceat aliquando nisi in die dominica Paschæ celebrare mysteriũ. Sed Episcopi regionis Asiæ consuetudinem à veteribus sibi traditã confirmabant, in quibus Polycrates, quia majorem videbatur habere auctoritatẽ, Victori Romanæ Urbis Episcopo scribens, inter cætera ait: *Nos igitur intemeratũ Pascha colimus diem, neq; addentes, neq; auferentes aliquid.* **Controversia de solennitate Paschatis.**

Etenim

Etenim magna quædam luminaria apud Asiam dormierunt, summi & electi viri, in quibus est Philippus Evangelista, & duæ filiæ ejus, nec non & Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, Polycarpus quoque, aliique sancti, qui expectant adventum Domini de cœlis, ut resurgant à mortuis: isti ergo omnes diem Paschæ in XIV. *die mensis observarunt, secundum Evangelium. Sed & ego omnium vestrûm minimus Polycrates, secundum traditionem eorum Patrum, qui* VII. *fuerunt ante me per ordinem Episcopi, observo hunc diem, ut conveniret cum illo, quo fermentum Iudæorum populus aufert. Unde fratres charissimi,* LXV. *annos ætatis gerens in nomine Domini, multorum quoque Episcoporum per orbem terræ notitiam habens, & Sanctis Scripturis intendens, non perturbabor ex his quæ ad terrorem proferuntur: quia & majores mei dixerunt: Oportet magis obtemperare Deo, quàm hominibus, certi quòd non inaniter canos attulimus, sed in disciplina Christi semper conversati sumus.*

Actor 5.

Sed ad hoc Victor constantius agens, totius Asiæ Ecclesias cum vicinis Provinciis à communione abscindere nititur. Sed non omnibus hoc placebat Episcopis, quin potiùs è contrario Scribentes ei jubebant, ut magis quæ pacis sunt ageret, & concordiæ studeret. Extant etiam ipsorum literæ, quibus asperiùs objurgant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem.

Origenes.

Eodem tempore Judas de septimanis Danielis prudenter disseruit. Origenes quoque apud Clementum doctissimum Alexandriæ Presbyterum, qui & ipse utiles composuit libros, tunc erudiebatur. Itaque postquam Origenes ad juvenilem pervenit ætatem, non solùm Alexandriæ docendi officium à Demetrio Episcopo assumpsit, sed & ubique verbum Dei prædicare cœpit. Dumque indifferenter tam mulieribus, quàm viris prædicat, lubricæ ætatis incentiva metuens, zelum Dei, sed non secundùm scientiam habens, manum sibi iniiciens, semet castrat, illud Evangelicum, quia sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Dei, etiam ad literam complendum credens. Hic est Origenes, qui à Severi diebus, usque ad Galli secundi tempora durans, multa de divinis Scripturis utilia composuit, sed nimiùm humanis viribus confidendo, ac mundanis rationibus incautè innitendo, labori & religioni suæ omnimodæ hæsitationem induxit, benè dicta erroribus (ut quidam asserunt) permiscens. Unde de ipso habes quòd ubi benè, nemo melius: ubi malè, nemo deterius.

Severus Juliano Pescenioque interfectis, adversus Albinum Juliani socium, in Galliis bellum machinantem, exercitum parat: quod cum multo utriusque partis sanguine occiso, demum apud Lugdunum Albino terminatur. Post hoc Britannis bellum indicit: quos cum magna difficultate cum subjugasset, partem insulæ vallo cinxit.

CAP. XXIX.

De morte Severi, substitutioneque Caracallæ, & item de morte illius.

Cæsar Caracalla.

SEVERUS Antoninus apud Eboracum oppidum, XV. Imperii sui anno, diem ultimum clausit. Cui Aurelius Antoninus Bassianus, qui & Caracalla, XVIII. ab Augusto successit. Anno ab incarnatione Domini CCXIII. Victore mortuo, Zepherinus successit. Caracalla verò patre asperior, libidineque intemperantissimus fuit, utpote qui novercam suam in uxorem duxit. Is dum contra Parthos bellum molitur, inter Edessam & Carras ab hostibus interficitur. Quo mortuo, Macer Opilius, seu Macrinus Præfectus prætorii XIX. ab Augusto regnum invasit, primoque Imperij sui anno, militari tumultu vita privatur.

Macrinus.

CAP. XXX.

De Imperio Marci Aurelii, vitaque ejus, & de Romanis Pontificibus, morteque Aurelii.

M. Aurelius Cæsar.

ANNO ab incarnatione Domini CCXXI. Marcus Aurelius Sacerdos Heliogabali templi, XX. ab Augusto, Imperium sortitur. Hic flagitiosam vitam duxisse fertur. Hujus diebus Zepherino mortuo, Calixtus Romanam Ecclesiam gubernandam suscepit. Aurelius IV. Imperii sui anno, à tumultu militari cum matre necatur.

CAP. XXXI.

De Principatu Aurelii Alexandri & victoriis ejus. De Martyribus qui sub eo passi sunt, & Romanis Pontificibus, morteque Aurelii.

ANNO ab incarnatione Domini CCXXV. Aurelius Alexander XXI. ab Augusto, voluntate omnium Imperator creatur. Hic ex Christiana muliere Mammea natus, juste Rempub. gubernavit, Xerxem quoque Regem Persarum maximo bello devicit. Ulpiani etiam consilio Reipub. moderatissimum se exhibuit. Passi tamen sunt sub eo Gordianus & Epimachus, Palmatius quoque Consul cum uxore & filiis, aliiq; promiscui sexus XLII. decollati. Simplicius etiam Senator, quem Calixtus Papa baptizaverat, cum multis aliis passus est. Hujus diebus Calixto Romæ successit Urbanus. Urbano modicum durante, Pontianus Ecclesiam Romanam gubernandam suscepit. Alexander XIII. Imperij sui anno, tumultu militari apud Moguntiam occiditur.

Cæsar Aurelius Alexander.

CAP. XXXII.

De Imperio Maximi, persecutioneque ejus in nostros, morteque etiam ipsius.

ANNO ab incarnatione Domini CCXXXVIII. Julius Maximus, seu Maximinus, natione Trax, XXII. ab Augusto, sine Senatus voluntate ab exercitu, eo quod bellum in Germania prospere gesserat, Rex creatur. Hic propter odium prædecessoris sui Alexandri, ex Christiana matre nati, sextus à Nerone civitatem Dei persequitur. His diebus fervente tribulatione persecutionis, Origenes necessarium & egregium de Martyrio librum conscripsit. Maximus verò tertio Imperii sui anno à Pupieno Aquileiæ interficitur. Pupienus autem & frater ejus Albinus, dum regnum usurpare contendunt, in palatio vita privantur.

Maximinus Cæsar.

Sexta persequutio fidelium Christi.

CAP. XXXIII.

De Principatu Gordiani, Romanisque Pontificibus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, fine quoque Gordiani.

ANNO ab incarnatione Domini CCXLI. Gordianus post Maximum, XXIII. ab Augusto, Imperator creatur. Pontiano quoque defuncto Antherus successit. Quo mortuo, Fabianus (ut traditur) per columbam cœlitùs elapsam, & super caput ejus manentem, Episcopatu dignus judicatur: quod tamen alii super Zepherinum gestum tradunt. Tunc etiam apud Antiochiam Episcopo Zebenno defuncto, Babylas Ecclesiæ suscepit Principatum. Apud Alexandriam verò Demetrio successit Heraclas. Eo tempore extiterunt multi, qui civitatem Dei Scripturarum suarum documentis illustrarent, è quibus Africanus vir inter Scriptores Ecclesiasticos nobilis, multa monimenta librorum reliquit. Gordianus admodum puer Parthis bellum indicit. Quos dum diversis præliis sæpe prosperè gestis oppressisset, ipse suorum fraude, VI. Imperij sui anno, super Euphratem interficitur.

Gordianus Cæsar.

CAP. XXXIV.

De Imperio Philippi Christiani, & humilitate ipsius.

ANNO ab incarnatione Domini CCXLVII. Julius Philippus, XXIV. ab Augusto, cum filio suo Philippo regnum sortitur. Hic primus Imperator Christianus fuit. Anno Imperii ejus III. millesimus ab Urbe condita impletur annus, cum omnium gaudio Magnificis ludis ab Imperatore celebratur. De hoc fertur, quòd dum in vigilia Paschæ Ecclesiasticis vellet interesse Sacramentis, ab Episcopo loci non prius est admissus, quàm inter pœnitentes, culpas quæ de eo ferebantur, ablueret. Quod ipsum cum magna humilitate suscepisse dicunt.

Cæsar Philippus.

CAP. XXXV.

De morte Philippi, & successione Decii, persecutioneque eius in nostros.

ANNO Imperii ejus VI. tumultu militari ac Decii fraude cum filio suo necatur, regnavitque pro eo Decius, XXV. ab Augusto, anno ab incarnatione Domini CCLIII. Hic

Decius.

VII. persequutio. Hic ob odium Philippi, immanissimam in civitatem Dei septimam à Nerone persecutionem movit: qua Fabiano Romano Pontifice Martyrio coronato, Cornelius cathedram suscepit. Hierosolymis quoque magnus civitatis Dei Princeps Alexander Martyrio coronatur. Heraclæ quoque apud Alexandriam paulò suprà successerat Dionysius in Episcopatu.

CAPUT XXXVI.

De occisione Decii, & Imperio Galli & Volusiani, ac morte Origenis.

Gallus & Volusianus. DECIUS Imperij sui anno III. cum filio suo inter Barbaros interficitur. Cui Gallus cum filio Volusiano, XXVI. ab Augusto, in regnum succedit. Hujus diebus septuagesimo ætatis suæ anno Origenes moritur.

CAP. XXXVII.

De quæstione inter Cornelium & Cyprianum. De Romanis Pontificibus, aliisque Sacerdotibus. De passione Laurentii, & pestilentia in Urbe Romana.

TUNC etiam inter Cyprianum Carthaginensem Episcopum, & Cornelium Romanum Pontificem, ambos eximiæ sanctitatis ac sapientiæ viros, scrupulosa oritur quæstio: Cypriano cum Africanis Episcopis asserente, hæreticos, qui ad Ecclesiæ unionem redeunt, rebaptizandos fore. Cornelio verò cum Sacerdotibus per Italiam constitutis confirmante, sola eos manus impositione purgandos, Sacramentumque baptismi nulla ratione iterandum. Scripsit autem Cyprianus eximiæ sapientiæ, ac affluentissimæ eloquentiæ de fide nostra libros. Romæ Cornelio Martyrio coronato, sedem suscepit Lucius. Quo VIII. tantùm mensibus sedente, successit Stephanus. Hujus diebus nobilissimus inter Episcopos, Alexandrinorum Ecclesiam regebat Dionysius: qui inter cætera eximiæ virtutis suæ documenta, de abjecta Novati præsumptione, paceque Ecclesiæ Dei reddita, Stephano Romano Pontifici scripsit, dicens inter cætera: *Scito autem frater omnes Ecclesias in Oriente, quæ prius conturbabantur, nunc redisse in concordiam, & omnes sibi unanimiter cohærere, gaudentes & exultantes de pace, quæ ultra spem Ecclesiæ reddita est.*

Laurentius Martyr. Hujus diebus, vel prioris Decii tempore, dum ubique terrarum cives Christi ad exquisita tormentorum genera exquiruntur, beatus Laurentius juxta quosdam Romæ in craticula Martyrio coronatur. Sed sub Gallieno & Valeriano proximis post hunc Regibus, Sixtus, cujus Diaconus Laurentius fuit, Martyrio consummatus invenitur. Potest autem fieri, quòd omnes hi Reges Decii sint vocati, vel ordo Pontificum vitio Scriptorum transmutatus. Hac tempestate in universis Romanorum Provinciis pestilentia extenditur.

CAP. XXXVIII.

De morte Galli & Volusiani, & Sacerdotio Sixti.

GALLUS & Volusianus dum contra Æmilianum civile bellum parant, secundo Imperii sui anno interficiuntur. Æmilianus verò tertio, ex quo invaserat Imperium, mense vita privatur. Stephano etiam mortuo, Sixtus Romæ Sacerdotium sumpsit.

CAP. XXXIX.

De principatu Valeriani & Galieni, persecutioneque in nostros, & passione Sixti. De captivitate Valeriani, & inundatione diversarum gentium contra Romanum Imperium, & intestinis malis. De morte Galieni & Sacerdotibus Christi, Maneque hæretico, unde Manichæi.

Valerianus & Galienus Cæsares. ANNO ab incarnatione Domini CCLIX. post Augustum loco XXVII. Valerianus in Rhetia, Galienus à Senatu Romæ Cæsares creantur. Hi octavam à Nerone perse-

persecutionem in civitatem Dei moverunt. His diebus glorioso martyrio duo præclara civitatis Dei lumina, Sixtus Romæ, Carhagine Cyprianus consumuntur. Sixto successit Dionysius. Valerianus autem à Persarum Rege Sapore captus, & luminibus orbatus, ignominiosè in Persarum servitute consenuit. Hoc enim apud eum sortitus est officium, ut ipso equum ascendente, incurvatus Regem non manu, sed dorso levaret. Galienus tam misero socij permotus exemplo, Christianis mitior est factus, & datis decretis, instituit, ut quo quisque putet more, exoret quod divinum est.

VIII. persequutio.

Libertas religionis sancita.

Hujus diebus Alpibus transcensis, Rhetia, Italiaque vastatis, Ravennam usque perveniunt Alemanni, qui per Gallias euntes, Italiam populantur. Gothi Græciam, Macedoniam, Pontum, Asiam pervagantur. Quadi & Sarmatæ Pannonias armati ingrediuntur. Ulteriorum Germanorum inundatione Hispania deletur. Parthi Mesopotamia, Syriaque potiuntur. Super hæc mala dum gravi pestilentia, & plaga terribili totus orbis premeretur, Romanorum Respub. non solùm foris ab hostibus atteritur, sed & intus civili malo laceratur. Nempe Genuus dum Imperium invadere molitur, apud Smyrnam occiditur. Posthumius etiam, qui in Galliis cum multo tamen Reipub. commodo imperium usurpaverat, decimo anno à militari tumultu vita privatur. Æmilianus pro simili causa Moguntiæ necatur. Marius, qui in Galliis Posthumium regnum invaserat, interficitur. Cui cum rursum Victorinus succedere parat, vita eximitur. Cum hæc aguntur in Galliis, in Oriente Odenatus agresti collecta manu, Persas repressit, Mesopotamiamque recepit, & usque ad Ctesiphontem cum rusticis Syriæ victor venit. Galienus deserta Repub. ac Mediolani manens, voluptatique deditus, interfectus est. Dionysio successit Felix Antiochiæ, post Dionysium Thimeus, post Thimeum Cyrillus: Cyrillo successit Dorotheus, huic Anatholius.

Ea tempestate Manes quidam genere Perses, moribus & vita barbarus, execrabilem hæresim docuit. Nunc enim Christum sese credi volebat, nunc ipsum se esse paracletum prædicabat: & elatus in insaniam, ad similitudinem Christi XII. discipulos eligens ad prædicandum mittebat impia dogmata, à prioribus hæreticis mutuata. Hujus Sectatores Manichæi usque hodie vocantur.

Manes hæreticus.

CAP. XL.

De principatu Claudii, triumphoque ejus ac morte.

ANNO ab incarnatione Domini CCLXXIIII. Claudius XXVIII. ab Augusto, voluntate Senatus Imperator creatur. Hic Gothos, qui per XV. Annos Illyricum & Macedoniam pervagati fuerant, bello pressit, ac incredibili strage delevit. Ob quam causam clypeus ei aureus in curia, & statua equestris aurea à Senatu decernitur. Anno autem Imperij sui II. morbo correptus, apud Syrmium diem obiit. Cui Quintillus frater suus ab exercitu substitutus, XVII. imperij sui die vitam finivit.

Claudius Cæsar.

CAP. XLI.

De Imperio Aureliani, plurimisq; triumphis ejus ac de Urbe Roma, quam ampliavit, de illaque quam ex nomine suo in Gallia condidit. De persecutione in nostros morteq; ipsius.

ANNO ab incarnatione Domini CCLXXVI. XXIX. ab Augusto regnavit Aurelianus. Hic dum esset vir bellicosus, procinctum ad Danubium movit, ibique Gothos multis ac gravibus præliis pressit, Romanique Imperii terminos restauravit. Inde ad Orientem digressus, Zenobiam, quæ occiso marito suo Odenato Syriam usurpabat, in potestatem redegit. In Gallia quoque Tetricum seditiones proprii exercitus compescere non valentem, sine gravi labore superavit: sicque tam Orientis quam Aquilonis victor, triumphans Urbem ingreditur: quam etiam postmodum firmiori murorum ambitu decoravit. In Gallia quoque super fluvium Ligerim, pulcherrimam Urbem condidit, quam ex nomine suo Aureliam vocavit. Is nonus à Nerone civitatem Dei, erga quam tamen in principio benignior extiterat, afflixit: ante cujus oculos fulmen,

Aurelianus.

Aurelia Galliæ Urbs.

IX. persequutio.

g cum

cum maximo omnium pavore corruit,& ipſe non multò pòſt tempore , anno imperi ſui ſexto occiditur.

CAP. XLII.

De Imperio Taciti , morteque ejus.

Annius Tacitus.

ANNO ab incarnatione Domini CCLXXXI. Tacitus XXX.ab Auguſto, Imperator factus, ſexto menſe in Ponto necatur. Poſt quem dum Florianus partem regni invaderet, tertio menſe, ex quo id uſurpaverat,apud Tharſum vita privatur.

CAPUT XLIII.

De Imperio Probi, victoria eius, ac morte.

Probus.

ANNO ab incarnatione Domini CCLXXXI. XXXI. ab Auguſto Probus regnum adeptus, barbaros qui Gallias occupaverant , per multa & fortia bella devicit: deinde civilibus bellis Saturninũ in Oriente,Proculum & Bonoſum apud Agrippinam preſſit : ipſe verò apud Syrmium in turre ferrata à militibus interficitur, anno imperii ſui VII.

CAP. XLIV.

De principatu Cari, belliſq; ejus quæ in Oriente geſſit, & de morte ipſius.

Caſ. Carus.

ANNO ab incarnatione Domini CCLXXXVIII. Carus Marbonenſis , XXXII. ab Auguſto, Imperium ſortitur. Qui aſſumptis ſibi in regnum duobus filiis Carino & Numeriano , bellum cum Parthis geſſit, duasque ibi nobiliſſimas Urbes Choten & Cteſiphontem oppugnavit. Ipſe verò ſuper Tygrim fulmine percuſſus, imperii ſui anno II. diem ultimum clauſit. Numerianus quoque filius ejus à ſocero ſuo Apro vita privatur.

CAP. XLV.

De principatu Diocletiani & victoriis eius, qualiter Maximianum ſocium imperii legit, & Chriſtianos ſuper omnes qui ante eum fuerint, afflixit. De triumpho Conſtantini, & quomodo Diocletianus & Maximianus Imperium reliquerint.

Diocletianus

ANNO ab incarnatione Domini CCXC. Diocletianus, XXXIII. ab Auguſto , Imperator ab exercitu creatur. Hic in principio dignitatis ſuæ,Aprum interfectorem Numeriani, propria manu interfecit. Charinum verò flagitioſè viventem, quem pater Cæſarem in Dalmatiam miſerat, gravi ac laborioſo bello devicit. Poſt hoc cum Amandus & Helianus ruſtica manu ſeditioſos tumultus in Gallias moverent , Maximianum Herucleum Cæſarem conſtituit, ac in Gallias miſit, qui imperitorum hominum agreſtem manum facilè virtute ac ordine militari devicit. Carauſius quidam, ignobilis genere, manu verò ac conſilio non ignobilis, dum Maximiano ſuſpectus haberetur, Britanniam invadens,purpuram aſſumpſit.

Ea tempeſtate in Ægypto Achillæus rebellat, Africam Quingentiani impugnant, Narſeus Perſarum Rex Orientem devaſtat. His ergo malis motus Diocletianus, Maximianum Herucleum, ex Cæſare promovit in Auguſtum , Conſtantium verò & Maximinum Galerium Cæſares fecit. Hic eſt Conſtantius , qui ex Theodora privigna Herculei Maximiani VI. filios, Conſtantinumque ex Helena concubina habuit. Hanc Helenam ex pago Treverorum oriundam dicunt : unde eandem Eccleſiam plurimùm eam decoraſſe tradunt. Carauſius verò VII. quo purpuram uſurpaverat , anno ab Alecto ſocio ſuo fraudulenter occiditur. Ipſe etiam tertio dehinc anno ab Aſclepiodoto præfecto necatur. Imperatores ergo decimam à Nerone in Eccleſia Dei perſecutionem movent, quæ omnibus ſuperioribus ex antiqui hoſtis verſutia , modicum jam tempus habentis, ac propter hoc amplius incandeſcentis, tam graviſſima , quam noviſſi-

Imp Maximianus.
Helena Augusta.
X. perſequutio Chriſtianorum.

novissima invenitur. Per Decem enim annos protracta, proscriptionibus fidelium, cædibus martyrum, incendiis Ecclesiarum indesinenter agebatur. Unde quot millia sanctorum his diebus civitas Dei, non secundùm illorum opinionem perdiderit, sed juxta rei veritatem æternaliter victuros in sinu suo collegerit, nemo enumerare posset. Civitas enim Christi hujusmodi tunsionibus & pressionibus expolitur, & tanquam aurum in fornace probatur, ut quomodo vivis ex lapidibus constat, non nisi probatos ac politos recipiat.

His diebus dum Augustus contra suprafatos tyrannos Amandum & Elianum bellum parat, Mauritius cum legione Christiana Romam ad Marcellum Papam, qui *Mauritius. martyr.* Cajo successerat, venit acceptaque ab eo benedictione, cum Imperatore contra inimicos imperij contendit. Qui dum transcensis Alpibus, apud Octodorum consedissent, comperto quòd Christiani essent, Mauritius tanquam primicerius, & conductor aliorum, ad idololatriam vocatur. Sed fortissimus athleta Christi ac signifer, qui Regi impio ac sacrilego, ad debellandos hostes regni justè paruerat, contraria Regi cœlorum *NB.* præcipienti, obedire recusat. In quo monemur Regibus quidem de justitia subditos nos esse debere: si quæ verò contra Deum, & salutem animæ præcipiunt, ut cum Petro sciamus dicere: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* *Actor. 5.* Mauricius ergo cum sociis suis, qui sex M. DCLXVI. fuisse dicuntur, apud Agaunum super Rhodanum situm oppidum, martyrio coronantur. Elapsi sunt de collegio illo plures, quos insequentes *Gereon.* Romani, IX. in oppido Galliæ Bunna occiderunt: Gereonem verò cum sociis suis CCCXXX. in Suburbio Coloniæ Agrippinæ Urbis interfecerunt. Victorem etiam cum CCCLX in Urbe Troja, quæ nunc Xantis dicitur, interemerunt. Nec offendi debet lector, si quis sanctos fugisse martyrium audit, cum Petro dictum fuerit: *Alius te cinget, & ducet quò non vis.* *Ioan. 21.* Sancti enim dum carnem suam odio habere non possunt, vitam diligunt, sed ei cœlestem vitam & amorem præponunt. Nec inconveniens puto credendum, si dixerimus Dominum ad hoc martyres suos fugere voluisse, ne uni loco, vel uni patriæ tantus relinqueretur thesaurus, quin potius per diversa loca & Provincias divideretur.

Eodem tempore beatus Vitus ætate puer, utpote septennis, ut dicitur, sed matu- *S. Vitus.* ris moribus, à patre suo Hila, qui ex ordine patriciorum fuisse memoratur, primò flagellatur, & post à Diocletiano diversis tormentorum generibus martyrio coronatur. *S. Afra.* Affra quoque cum matre sua Hilaria, ac puellis, Digna & Eunomia, & Eutropia, aliisque compluribus, à Cajo judice ignibus tradita, apud Vindelicam Augustam palmam martyrii accepit. Hæc primò peccatrix, postmodum à Narcisso Episcopo conversa & baptizata, per ignem examinata, & perennis gloriæ corona donata, fiduciam impetrandæ gratiæ peccatoribus à Domino magnam dedit.

Sed jam ad cives mundi revertamur. Constantius Alemanis bellum indicit, à quibus primò victus, postea cum incredibili barbarorum strage, LXX. millibus occisis, victor extitit. Porrò Maximianus Augustus Quingentianos in Africa bello pressit. Diocletianus autem Achilleum in Alexandria obsidione cinxit: captaque post VIII. menses, ac diruta Urbe, & Ægypto tota proscripta, ipsum interfecit. Maximianus autem dum Narseum Regem Persarum aggredi parat, inter Galienicum & Carras congressu facto vincitur, victusq; ad Diocletianum fugit. Ob quam causam indignatione motus Augustus, Maximianum ante vehiculum per aliquot millia passuum purpuratum currere turpiter permisit. Qua de re inflammatus Maximianus, collectis undecunque copiis, in hostem ruit: victoque ac fugato Narseo, uxoribus etiam ac sororibus, ac liberis captis, cum magna præda ad Augustum in Mesopotamiam veniens, cum maximo honore suscipitur. Igitur Diocletianus & Maximianus dum multis malis Ecclesiam Dei attrivissent, & crudeli animadversione statum civitatis Christi perturbassent, ultrix Dei dextera, quæ castigari paucis cives suos permiserat, in tantam eos amentiam & permutationem tradidit, ut uterque eorum, Maximianus tamen vel invitus, sed comparis amore fractus, Imperium deponeret, privatumque habitum & plebejum Diocletianus in Nicomedia, Maximianus Mediolani, XX. imperij Diocletiani anno, assumeret.

His diebus Marcellino substituitur Marcellus, cui successit Eusebius, post quem Melchiades Romanam Ecclesiam gubernandam suscepit.

CAP. XLVI.

Qualiter Galerius & Constantius regnum diviserint, Constantiusque moriens Constantinum Imperatorem in Gallia reliquerit.

Galerius & Constantius Cæsares.

RELICTO Imperio ab Augustis, Galerius & Constantius, qui ab ipsis electi Cæsares erant, Imperium dividunt. Galerius Maximianus Illyricum, Asiam, Orientem obtinuit. Constantio Italia, Africa, Gallia sorte devenit. Sed Constantius vir suavissimus, Gallia ac Hispania contentus, Galerio cæteras terras reliquit. Hic Constantius multa clementia erga homines, erga Deum verò religione maxima utebatur, cultoresque Dei venerationi habuit & honori. Galerius ergo duos Cæsares fecit, Maximianum in Oriente, Severum in Italia, ipse verò Illyricum retinuit. Constantius autem in Britannia moriens, Constantinum Helenæ filium Imperatorem in Gallia reliquit.

CAP. XLVII.

Terminus tertij libri, & recapitulatio persecutionum.

IGitur quia finitis persecutionibus, quasi post noctis tenebras lux desiderabilis Ecclesiæ Dei, sub Constantino Principe pax illuxit: jam tot malorum turbinibus fessi tertio jam Operi finem demus, ut ad ea, quibus Dominus civitatem suam depressam & humiliatam exaltare voluit, tempora veniamus. Decem enim persecutiones à Nerone usque ad id tempus invenies. Decem etiam plagis civitatem mundi, sub Principibus, qui eas quas diximus persecutiones moverunt, percussam majores nostri tradiderunt, & scriptum reliquerunt: quæ omnia diligens inquisitor rerum invenire poterit. Sicut ergo X. plagis percussa Ægyptus, populum Dei liberum abire concessit: sic civitas mundi in X. persecutionibus X. plagis percussa, populum Dei, id est, Ecclesiam quiescere permisit. Sicut etjam Pharao insequendo populum Dei ad mare rubrum (quæ XI. persecutio fuit) cum exercitu suo funditùs est deletus: sic civitas mundi, quæ modò multis modis divina ultione percussa est, & percutitur, cum capite suo Antichristo undecimam, id est, novissimam ac omnium periculosissimam persecutionem movebit: ibique percusso Antichristo funditùs delebitur. Civitas autem Christi exaltata exaltabitur, ac in æternum cum ipso regnatura feliciter consummabitur.

LIBRI TERTII FINIS.

OTTO-

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORUM LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

N*VLLVM jam esse sapientum puto, qui Dei facta non consideret, considerata non stupeat, ac per visibilia ad invisibilia non mittatur. Dominus enim qui civitatem suam ante constitutionem mundi praeordinatam, ad tempus latere voluit, tempore quo decuit exaltare disposuit. Unde ipsam tempore humiliationis suae, tempus ei exaltationis per Prophetam praedicendo, blande consolatur:* Dilata, *inquit*, tentoria tua, & pelles tabernaculorum tuorum extende: longos fac funiculos tuos. *Et rursum:* Pro eo quod fuisti abjecta, ponam te in superbiam seculorum. Esa 54. *Cum ergo dominus multis tentationibus ac persecutionibus attritam vellet exaltare Ecclesiam, personam potissimum per quam id habilius facere posset, elegit.* Esa 60. *Proinde Romanorum Imperatorem, ad quem tunc universus respiciebat orbis, ad id faciendum ordinavit: eique non solum fidem, qua ab errorum tenebris discedendo, ad veram lucem cognoscendam veniret: sed & dilectionem, qua civitatem suam multis honoribus exaltaret, multis facultatibus ac possessionibus locupletaret, dedit. Et ut cognoscamus non fortuitis casibus, sed Dei profundissimis ac justissimis judiciis id factum, vide pridie latitantem, ac quemlibet infimae conditionis virum fugientem, brevi tantae auctoritatis fieri, ut Regibus imperet, de Regibus judicet. Vide tantae a saeculo venerationis haberi, ut veniant curui, vestigiaque pedum ejus in solio sedentis adorent orbis Domini.*

Sed gravis hic oritur quaestio, magnaque de regni ac Sacerdotii justitia dissensio. Quidam enim religionis obtentu, alii vero secularis dignitatis, qua regni auctoritas imminuta cernitur, intuitu hanc gloriam honoremque temporalem Sacerdotibus Christi, quibus coelestis regni gloria promittitur, non licere autumant, multaque hujus rei argumenta monstrant. Num Ecclesiastis temporaliter dominari liceat. *Duae, inquiunt, personae a Deo in Ecclesia sunt constitutae Sacerdotalis & Regalis. Quarum una Christi tractare debet Srcramenta, ac Ecclesiastica spirituali gladio exercere judicia: altera gladium materialem contra hostes Ecclesiae, pauperes, Ecclesiasq; Dei ab incursione malorum defensando, sceleratos puniendo, ad secularia judicia exercenda portat.* NB. *Hi sunt duo gladii, qui in passione Domini leguntur, sed uno tantum Petrus usus invenitur.* Luc. 22. *Sicut ergo ad spiritualem gladium, spirituales quoque possessiones pertinent, id est, decimae, primitiae, oblationes fidelium, & alia hujusmodi: sic materiali omnes terrenae dignitates, Ducatus, Comitatus, & ejusmodi subjacent. Haec vero Deus ordinate & non confuse, id est, non in una persona simul, sed separatim in duabus, quas nominavi, in Ecclesia sua esse voluit. Proinde sicut illi personae, quae gladium materialem portat, attingere ea quae spiritualia sunt non licet: sic & isti usurpare ea quae hujus sunt, non convenit. Inducunt etiam ad hoc confirmandum multa testimonia scripturarum, ipsiusque Domini ac Sanctorum exempla, ut illud Evangelicum:* Reddite quae sunt Caesaris Caesari, & quae Dei Deo. *Idque sicut Dominus praedicavit verbis, ita factis declaravit, quando cui tributum, tributum recognoscens, pro se & Petro tributum dedit.* Luc. 20. *Paulus etiam cui honorem, honorem attribuendum intelligens, omnemque potestatem a Deo esse considerans, in causa positus, non Petrum, qui Romae tunc cathedrae praefuit, sed hominem flagitiosissimum & impiissimum ex Dei voluntate super orbem terrae Regem constitutum, Neronem appellavit. Haec de honore regum. Quod vero omnis possessio eorum gratia sit, ex Augustino probant, qui ait:* Quo jure possides villas? divino, an humano? divino: Domini est terra, & plenitudo ejus. Psal. 23. Humano, hoc a Regibus. Hinc dicimus: Haec terra mea, hic fundus meus. Item si dicis: Quid mihi & Regi? Dic quid tibi, & possessioni? *Quibus hoc modo respondetur, quod mundiali dignitate quae regalia dicuntur, Dominus Ecclesiam suam honorare voluit: ex Dei enim ordinatione id factum, ratio quam supra reddidimus, declarat. Denique credendum non est, Christum Ecclesiam suam, sponsam suam, corpus suum, cui in arrham spiritum suum dedisse creditur, spiritu erroris decipi permisisse, cui (ut dixi) spiritum veritatis contulerat. Praeterea probatae sanctitatis viri inveniuntur, qui haec habuisse, qui cum his regnum Dei acquisisse creduntur. His*

ergo aliisque modis, quos longum est exequi probatur, & Constantinum Ecclesiæ juste regalia contulisse, & Ecclesiam licite suscepisse. Dum enim ab eis quærimus, quo jure id Reges habeant? respondere solent, ex electione populi, & ordinatione Dei. Si ergo Deus ordinando, quod Regibus prædictus honor impenderetur, injuste non fecit, quando magis & id ordinando ut ab illa persona ad Ecclesiasticam traduceretur, injustus dicendus non est? Denique si ad hoc quod ipse ordinaverat, tam hic, quam ibi voluntate sua electionem populi, & insuper hic traditionem Principis concordare voluit: nec ipsum injuste disposuisse, nec principem male tradidisse, nec Ecclesiam illicite suscepisse credendum est. Si dicis priori personæ licuisse, quod istam ex sanctitate officij habere nec decet, nec expedit: ad hoc fateor, aliud refugium nescio, nisi quod sanctos apostolicæ fidei ac meriti Viros Sylvestrum, Gregorium, Vlricum, Bonifacium, Lampertum, Gothardum, aliosq; complures ea cognoscimus habuisse. Ego enim, ut de meo sensu loquar, utrum Deo magis placeat hæc Ecclesiæ suæ, quæ nunc cernitur, exaltatio, quàm prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste felicior. Matth.16. *Assentior tamen Romanæ sanctæ Ecclesiæ, quam supra firmam* NB. *Petram ædificatam non dubito: credendaque quæ credit, licite possidenda quæ possidet, credo.* Luc.22. *Quod enim nullo errore decipi possit, ex hoc probari potest:* Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Quod autem fides in æternum maneat, ex hoc intelligi datur, quod* Luc.5. *Petro dictum est:* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. *Quod vero omnis controversiæ ipsius auctoritate & exemplo solvatur scrupulus, in hoc rursum latenter innuitur, quod Petro dicitur:* Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. *Hæc de Sacerdotij regnique justitia dicta sufficiant. Cæterùm si quis subtilius ac profundius inde ratiocinari vult, à nobis minime præjudicium patietur.*

OTTONIS CHRONICORUM
LIBER QUARTUS.

CAP. I.

De occisione Maximiani, & morte Galerij tyranni, de Maximini, Licinij, & præcipuè Maxentii Maximiani filii. Quomodo Constantinus juxta visionem sibi monstratam, Maxentio merso, Urbem ingressus, crucem in triumphali loco pomfecerit, ipseque à Sylvestro baptizatus fuerit.

Constantinus.



EGITUR anno ab incarnatione Domini CCCXI. Constantinus XXXIV. ab Augusto, Patri successit in regnum, religiosi Patris hæres religiosior. Inter hæc Prætoriani milites Maxentium Herculei filium Augustum creaverunt. Contra quem Severus Cæsar à Galerio Augusto missus Ravennam, fugatur, ibique interficitur. Herculeus autem Maximianus, ut *Licinius.* audivit Constantinum in Galliis creatum Imperatorem, privatum habitum deponens, Constantinum dolo circumvenire cogitat. Verùm dum ad hæc in Gallias venisset, à filia sua Constantini uxore proditus, & in fugam versus, in Massilia occiditur. Porrò Galerius Severo occiso, Licinium Imperatorem fecit. Dum ergo persecutionem in Christi civitatem per decem annos crudeliter movisset, Galerius à Domino vindicta percussus cœlesti, pœnas solvit. In tantum enim, dissolutis introrsum vitalibus, horrorem venit, ut vermes eructaret. Cumque desperatus à Medicis, divinam id ultionem esse cognovisset, à persecutione cessavit. Ipse verò vim doloris non sustinens, diem obiit. Constantino autem, ut suprà dixi, à Patre in Galliis Imperatore constituto, Maximinus & Licinius crudelitatis in nostros, & libidinis nullum habentes modum, ad Imperium aspirabant, Maxentius quoque Romæ multis malis cives premebat. Denique inter cætera ejus facinora hoc de ipso dicitur: quòd Senatorum, & maximè nobilium matronas publicè abstrahi, & ad libidinem suam, ipsis patribus metu oppressis tacentibus & gementibus, deduci præciperet. Senatores etiam, vel qui in curia clariores esse

esse videbantur, falsa criminum objectione, proscribi fecit. Addebat his malis magicæ artis nephanda præstigia, ut videlicet mulieribus prægnantibus occisis, viscera perscrutarentur, ac præcantationibus dæmoniaca arte compositis, futura prædicerent. Itaque dum contra sceleratissimum tyrannum Constantinus Imperator religiosus, fautorque Christianæ fidei, bellum parat, multisque modis anxius, ad cœlos sæpius oculos attollit, nocte sopore depressus, ad Orientis partem signum crucis igneo fulgore in cœlo coruscare videt. Perquirens autem quid esset, Angelos sibi dicentes audit: Constantine ἐν τούτῳ νικήσεις: quod est, In hoc vinces. Manè expergefactus, milites Christianos ad se vocat: cognitoque de hoc quòd Christianæ fidei signaculum esset, lætus ac securus de visione, frontem signo crucis munit, Christianumque se futurum, si prospera successerint, promittit. Erat autem multa serenissimo Principi anxietas, quòd tyrannum non sine magna effusione sanguinis civium, superare posset. Dominus ergo tam devotioni Principis satisfacere, quàm afflictioni Ecclesiæ subvenire volens, ipsum tyrannum miro modo, sine periculo tam Augusti quàm Romani populi perdidit. Naves enim juxta pontem Milvium in modum muscipulæ colligaverat, ut per hoc ignarum hujus rei militem venientem deciperet. Jam Augustus appropinquabat, jam signa cominus volabant: & ecce tyrannus nutu Dei dæmoniaco raptus spiritu, in machinamenta quæ hostibus paraverat (juxta quod scriptum est: *Et incidit in foveam, quam fecit*) nullo comitatus socio, solus juxta desiderium principis, absque utriusque exercitus discrimine, periit. Igitur dum Constantinus desiderata victoria potitus, Urbem ingressus fuisset, cum magno tripudio à civibus suscipitur. Cumque ei ad morem triumphus pararetur, ipse non sibi, sed Christo victoriam attribuendam prædicavit. Crucem etiam, cujus virtute hostis devictus erat, in triumphali loco poni fecit, & adorari.

Constantini conversio.

Psal. 7. Prov. 26.

Melchiade mortuo, Sylvester successerat. Ab hoc juxta traditionem Romanorum, in Ecclesia quæ sancti Joannis dicitur, baptizatur. Hæc autem conversionis ejus causa fuit. Proinde quæ in beati Sylvestri vita de lepra & conversione leguntur, apocrypha videntur. Refert tamen Tripartita historia, eum in Nicomedia circa finem vitæ suæ baptizatum esse.

CAP. II.

Quomodo ipse & Licinius pro Ecclesia scripserint, Maximinus quoque idem falsò fecerit: sed postmodum in certamine victus, rursum pro Christianis scribens Maximinus obierit. De fine Licinij sororij Constantini, Crispi etiam & Licinij nepotum, de ejus morte.

CONSTANTINUS Christianus factus, pacem Ecclesiis reddidit, cui etiam ad hoc Licinius consensum præbuit. Ambo itaque Imperatores datis legibus, Christum, qui Rempub. à tyranno liberaverat, Deum colendum statuunt: initoque consilio Maximino de hoc, qui Imperium Orientis tenebat, scribunt. Quo comperto, Maximinus ne amplius Christiani persecutionem pro fide patiantur, scripto præcepit. Reddit etiam causam, quia quantò magis inhiberi videantur, tantò magis crescant: idcirco nullum ad deorum cultum, nisi propria ad id voluntate ducatur, cogendum affirmat. Hæc Maximinus cum præ timore Augustorum faceret, ex propria id auctoritate se facere fingebat: ipse verò omnium intemperantissimus, moderatissimis Principibus non solùm æquari voluit, sed & præferri, brevi quoque interjecto tempore fœdere rupto, Licinio bellum inferre parat. Ergo multis tam Urbibus quàm Provinciis profligatis, dæmonum fretus auxilio & usus instinctu, tandem ad bellum progreditur, pugnamque aggreditur. Ubi dum fundi cernit exercitum, detractis Imperij insignibus, calonumque se turbis immiscens, ignominiose (ut dignus erat) è prælio fugit. Inde reversus ad propria, primò quidem Sacerdotes suos tanquam deceptores interfecit, pòst cum dirissimis morbis se à Deo percussum videret, gravissimamque mortem imminere cerneret, sera pœnitentia ductus, Deum Christianorum confessus, pro ipsis scripsit hoc modo:

Imperator Cæſar, Galerius, Maximinus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, invictus, Auguſtus:

Maximini edictum pro Chriſtianis. Indeſinenter cauſam Provincialium noſtrorum gerentes, utilitatibus eorum conſulentes, quæ ad commune & publicum bonum ſpectant, nunquam deſinimus providere. Unde cognitum eſſe omnibus hominibus non dubito, manifeſteque compertum ex eo fomite, quòd juſſum fuerat à divis Principibus Diocletiano & Maximiano Parentibus noſtris, inhibere conventus Chriſtianorum, plurimas direptiones & prædas ab officialibus factas. *Et infrà*: Igitur ut in poſterum omnis metus, vel ambiguitas auferatur, hujus edicti noſtri lege ſancimus, ut cunctis innoteſcat, licere his qui Chriſtianorum ſectã, religionemque venerantur, hac noſtræ indulgentiæ largitate, ut unusquisque quemadmodum vult, & prout animo libet, religioni huic, ſolennitatique deſerviat. Sed & orationum domus, id eſt, dominica ſua, ut inſtaurent pro voluntate permittimus. Sanè quo in omnibus cumulatior habeatur hæc noſtra largitio, etiam illud hac lege ſancimus, ut ſi qua domus, agri, vel quælibet præda ex Chriſtianorum bonis, antehac parentum noſtrorum præceptis ad fiſci jus fuerant ſociata, ſi qua etiam ab aliquo expetita ſunt, vel ſi qua diſtracta, aut dono in aliquem collata, hæc omnia in antiquum jus Chriſtianorum præcipimus revocari, dominisque propriis univerſa reſtitui.

Hanc mutationem dexteræ Excelſi, quis non miretur? quod homo impiiſſimus, qui tabulis æneis velut in æternum manſuris, noſtros proſcripſerat, tam ſubitò manu Dei tactus, pro ipſis ſcriberet invitus. Poſt hæc Maximinus graviſſimis morborum malis conſumptus, amiſſis primò luminibus, vivendi finem fecit. Licinius verò, qui antea Conſtantino erga civitatem Dei benignum præbuerat auxilium, inſtinctu dæmonum in furorem verſus, à palatio truſos Chriſtianos perſequi intentat. Contra quem Conſtantinus procinctum movet, victumque in Pannonia primò, ac poſt apud Cibalas, poſtremò crebris terra marique bellis aſſurgentem, ad deditionem coegit. Sed Herculei Maximiani veritus factum, privatum occidit. Conſtantinum verò & Criſpum filios, Conſtantium & Licinium ſororis ſuæ ex præfato Licinio filios, Cæſares fecit. Ex quibus poſtmodum, quo zelo neſcio, Criſpum & Licinium interemit.

CAP. III.

De Monarchia Conſtantini, & pace Eccleſiis reddita, Imperioque juxta Romanos Eccleſiæ tradito, & ſede regni Byzantium translata, & de hoc allegationes plurimorum.

ITAQUE cum jam ſociis regno perfunctis, Conſtantinus ſolus regnaret, regnique teneret Monarchiam, pax deſiderata diu, tribulatæ ad plenum redditur Eccleſiæ: & juxta quod dicitur: *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum, & tranſivi, & ecce non erat*, *Pſal. 36.* viris impiis, & perſecutoribus à terra ſublatis, juſtisque de anguſtia liberatis, velut nube deterſa, lætus dies ubique terrarum civitati Dei coruſcare cœpit. Videres tunc ubique, & undecunque latentes populos ad populos concurrere, & tanquam unius capitis membra, in unum corpus adunatos ſociari. Cerneres etiam luctu verſo in gaudium, feſtivitates ac dedicationes Eccleſiarum in ſingulis urbibus, caſtellis, vicis, cum maximo noſtrorum tripudio celebrari. Chriſtianus enim Imperator hoc ex devotione fidei, cum ſumma alacritate fieri volebat. Tunc prima edicta dabantur, ut Eccleſiæ ædificarentur: tunc primò catholicis hominibus permittebatur, ut Eccleſiæ eorum prædiis ditarentur: & , ut Romanorum habet hiſtoria, non ſolùm his ſereniſſimus Imperator aſſenſum præbebat, ſed & aliis exempla dans, caput omnium intantum Romanam exaltavit Eccleſiam, ut beato Sylveſtro ejusdem urbis Pontifici, inſignibus regni traditis, ipſe ſe Byzantium transferret, ibique ſedem regni conſtitueret. Ex hinc Romana Eccleſia occidentalia regna, tanquam ſui juris à Conſtantino ſibi tradita affirmat, in argumentumque tributum (exceptis duobus Francorum regnis) usque hodie exigere non dubitat. Verùm Imperii Fautores, Conſtantinum non regnum Romanis Pontificibus hoc modo tradidiſſe, ſed ipſos tanquam ſummi Dei Sacerdotes, ob Domini reverentiam in Patres aſſumpſiſſe, ab eisque ſe & ſucceſſores ſuos benedicendos, & patroci-

Rom. Eccleſia jus in regna Occidentis. NB.

trocinio orationum fulciendos contendunt: atque ad hoc probandum, quòd ipſe Conſtantinus, regno inter filios diviſo, alii Occidentem, alij Orientem tradiderit, & ſic per ſucceſſiones Theodoſio quoque, & aliis non ſolùm hæreticis, ſed religioſis Principibus cum Occidente Roma ſorte devenerit, inducunt. Ajunt enim, nunquam tam religioſum Principem, quòd prius Eccleſiæ tradiderat, filiis reliquiſſe: vel tam Catholicum Imperatorem, utpote Theodoſium, quod ſuum non erat, ſed eſſet Eccleſiæ, uſurpaſſe. Quæ omnia diffinire, præſentis negotij non eſt.

CAP. IV.

Brevis Epilogus ab Adam uſque ad id temporis: de exaltatione civitatis Dei.

INTUERI tandem libet, quàm miro & ineffabili modo civitas Chriſti inter cives mundi progreſſa, paulatim creſcendo ad tantum faſtigium profecerit. Ut enim altius repetam, primo homine creato, à deliciis Paradiſi lapſo, in hac valle lachrymarum veſtigium cognoſcendæ veritatis miſericors Deus reliquit. Ab hoc dum hominum genus traduceretur, quibuſdam in cognitione veritatis manentibus, plurimis autem exorbitantibus, reſervatis civibus ſuis, reliquos aquis diluvii perdidit. Dum ergo rurſum ab his genus hominum propagatur, oblitterata paulatim in eis cognitione veritatis, error creſcere cœpit intantum, ut circa tempora decimi à Noe Abrahæ, excepto ipſo uxoreque ſua, paucos invenias cives Hieruſalem. Ab ipſo quoque utriusque civitatis cives, à filio etiam ſuo Iſaac duos, quos dixi, populos ortos invenies. A tertio verò Jacob, qui & Iſrael, natos invenies XII. Principes populi Dei, qui ab ipſo vocatus eſt Iſrael. Hic in Ægyptum deſcendens, cum inter cives mundi diu peregrinaretur, ac in ipſa peregrinatione ſua in multum creviſſet populum, prodigiis & ſignis ad terram patrum ſuorum, accepta in itinere tanquam viatico lege, inducitur: multisque bonis ibi temporalibus acceptis, quamvis proceſſu temporum Reges potentiſſimos haberet, nunquam tamen Monarchiam regni obtinuit. Cum verò Dominus civitatem ſuam dilatare vellet, & ab illo populo in omnes gentes diffundi, peccatis ſuis exigentibus regnum debilitari, ac ipſum captivari populum permiſit: ipſe verò in gentibus, quas ad fidem ſuam vocaturus erat, regnum Romanorum, quod cæteris dominaretur, conſtituit. Quod dum ad optimum ſtatum, ſummumque Imperii apicem profeciſſet, Chri- *Ioan.1.*
ſtum filium ſuum carnem ſuſcipere voluit: qui cum juxta Evangelium, in propria veniſſet, & à ſuis non receptus, quinimò ab eis contumelioſè tractatus, & cruci etiam affixus fuiſſet, juſto judicio aſſumptis de illo populo electis, cæteri excæcantur, ac datis indicijs, cum non reſipiſcerent, miſerabiliter captivati, in omnes gentes diſperguntur. Dominus ergo civitatem ſuam ab illo populo ad gentes transferens, primò humiliari, contemni, multis malis atteri (juxta quod ſcriptum eſt: *flagellat omnem filium quem recipit*,) voluit. *Hebr.12.* Sed quia flagella dum modum excedunt tanquam medicina ultra modum ſumpta, animum potiùs frangunt, quàm emendent, deſolatam & humiliatam, ut ſupra dixi, tempore quo decuit, exaltavit Eccleſiam. Ut etiam ſecurior de regni cœleſtis promiſſione fieret, regnum ei temporale regnorum omnium maximum tradidit: ſicque, ut dixi, paulatim civitas Dei creſcens, ad ſummum apicem atque Monarchiam profecit. Et notandum, quòd ante incarnationem ſuam, civitas Dei ad plenum honorata non fuit: poſtmodum verò cum aſſumptam carnem ad cœlos attolleret, & quaſi accepto regno juxta parabolam, regnum ſuum, id eſt Eccleſiam, ad ſummum faſtigium, quo altius nihil in terra, provexit: ut per hoc civibus mundi ſe non ſolùm Deum cœli, ſed & dominum orbis oſtenderet, civesque ſuos patriæ dulcedinem ex peregrinationis proſperitate doceret appetendam.

Nec movere debet, quòd ſupra mutationes & miſerias rerum, nunc verò proſperitates earum, viam nobis ad patriam eſſe diximus. Sicut enim tam varietas ejus, quam proſperitas ſtultum amplius provocant ad amorem ſuum: ſic utraque ſapientem ea contemplatione, qua diximus, à ſe abſtractum, ad amorem patriæ inflammat. Unde puto Sapientem in libro qui Eccleſiaſtes, id eſt, concionator vocatur, tam calamitatibus quam proſperitatibus mortalium inductis, de utriſque concionari, ut utriuſque conſideratione ſtatus ad contemptum mundi, amoremque patriæ ſe allici

allici luce clarius ostenderet. Unde cum de utraque satis, abundeque concionaretur parte, illo ad quem omnia tendunt fine, litem decidit. *Eccles. 12.* *Finem*, inquit, *loquendi pariter omnes audiamus. Deum*, inquit, *time, & mandata ejus observa: hoc est omnis homo.* Et ut cognoscas, quòd una, eademque res stultum ad voraginem vitiorum trahit, sapientem ad cœlestis vitæ desiderium mittit, audi Prophetiam: *Psalm. 92.* *Quia delectasti me*, ait, *Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Subjungitque: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Ac si diceret: factura tua, quæ cur, vel ad quid facta sit, à stulto non cognita, illum ad pernitiosum sui amorem inordinatè trahit, me ad te cognoscendum, qui illam pulchram & delectabilem ipse pulcherrimus & suavissimus fecisti, accendit. Civitas igitur Christi, penè omnia sibi, excepta immortalitate, promissa, in præsenti jam accepisse cernitur. Denique ut per ea quæ jam impleta vides, cætera quoque quæ promittuntur, sine dubio cognoscas, vide crucem Christi, ignominiam ejus, supplicium ejus, totique orbi antè solo nomine horribilem, jam in tantam profecisse gloriam, ut à Regibus adoretur, omnibusque penè hominibus factum sit venerabile, ac amabile. Cerne quòd jam Reges inde insignia sua decorari gloriantur, unde ante sceleratis & flagitiosis supplicia impendebantur. Si ergo Deus sic honoravit supplicium suum, quomodo honorabit corpus suum, sanctos suos, imaginem suam? Argumentum igitur futuræ beatitudinis sapientis animo, prosperitates sunt præsentis tranquillitatis. Sed jam ad historiæ seriem revertamur.

CAP. V.

De exaltatione Urbis Constantinopolitanæ, de Arriana hæresi, & Nicæno concilio. De Paulo & Antonio, primisque eremitis, & inventione sanctæ crucis. De conversione Indorum & Hyberorum, & morte Constantini.

Constantinopolis Imp. sedes. CONSTANTINUS, ut dixi, sedem regni Byzantium transtulit, eamque omnium penè Urbium divitiis locupletatam, ex nomine suo Constantinopolim vocavit: quæ exhinc, & ob hoc regia Urbs, vel Neoroma vocata Patriarchalemque sedem sortita, secundum locum post Romanam Ecclesiam, quem prius Alexandrina habuerat, obtinuit. Ex hoc regnum Romanorum ad Græcos translatum invenitur, manſitque propter antiquam Urbis dignitatem solo nomine ibi, re hîc, sicut Babyloniorum. Vide regno Christi crescente, regno mundi paulatim imminui. Igitur dum civitas Christi multis modis proficeret, pacemque exterius ab hostibus haberet, hostis humani generis Diabolus, intus eam lacessere attentat. Dum itaque Petro persecutionis tempore martyrio coronato, Achilles Alexandrinam sedem gubernandam suscepisset, hoc in pace Ecclesiæ defuncto, eandem Alexander regebat Ecclesiam. Hujus diebus *Arrius hæreticus.* omnium spurcissimus presbyter Arrius, nephandissimam hæresim de inæqualitate Trinitatis condidit. Contra quem celeberrimum illud Nicænum congregatur Concilium, damnatoque ibi cum fautoribus suis Arrio, fides Catholica in præsentia Principis roboratur.

Paulus & Antonius eremitæ. Fuerunt his diebus clarissimi regni Christi Principes, Paulus & Antonius primi eremitæ, quorum prior persecutionem Decij fugiens, ac in desertis latitare cupiens, necessitatem vertit in voluntatem, ibique continentissimè vivens, plenus dierum moritur, animaque ejus inter choros Prophetarum & Apostolorum deducta cernitur ab Antonio. Alter verò & ipse sanctissimæ & arctissimæ vitæ, multis ad arctioris vitæ zelum provocatis, in pace quievit.

Inventio S. Crucis. Circa idem tempus Helena Constantini mater, crucem Domini Hierosolymis invenit, mediaque parte ejus ibi relicta, alteram ad Urbem regiam transportavit. Unum quoque sacrorum clavorum fabricari fecit, ac inde filio suo Augusto frenum compegit. *Zach. 14.* Prophetiam ibi impletam esse volunt, qua dicitur: *Et erit quod in freno est, sanctum Domino.*

Eodem tempore ulterior India occasione duorum puerorum, quorum unus Edisius, alter Frumenticius vocabatur, verbi Dei semina accepit: ubi & postmodum *Ecclesiæ propagatio.* Frumenticius Episcopus ordinatus, multis virtutibus claruit. Gens quoque Hyberorum, quæ sub axe Pontico jacet, mulieris captivæ occasione, fidem recepit. Quæ qui

plenius

plenius ſcire deſiderat, in Eccleſiaſtica Hieronymi hiſtoria inveniet. Conſtantinus ferociſſimam gentem Gothorum in Sarmatarum regione delevit. Dalmatium verò fratruelem ſuum, Galli & Juliani fratrem, Cæſarem fecit. Ipſe autem cum in Perſas ire proponit, in via publica juxta Nicomediam, Repub. benè ordinata, ac filiis ſuis tradita, XXX. imperij ſui anno moritur.

CAP. VI.

De principatu filiorum Conſtantini, qualiter Conſtantius in Arrianam hæreſim inciderit: de morte Arrii, & Sacerdotio Athanaſii.

ANNO ab incarnatione Domini CCCXLI. Conſtantino ſucceſſit cum duobus fratribus Conſtante ac Conſtantino Conſtantius filius ſuus, XXXV. ab Auguſto. *Conſtantius imperat.* Hic à quodam presbytero, Arrij diſcipulo deceptus, in Arrianam hæreſim incidit. Cauſa autem erroris hæc fuit. Soror patris ſui Auguſti moriens, prædictum presbyterum fratri cum ſumma diligentia commendaverat. Cum ergo & ipſe in ſuburbana villa Nicomediæ moriens, inter filios regnum partitur, Conſtantius, cui regnum Orientis ſorte devenit, fortè aberat: cui teſtamentum pater per Arrianum illum miſit, obteſtans eum ne alij traderet. Presbyter cum teſtamento regnum tradens Conſtantio, intantum familiaris efficitur Principi, ut facilè veneno pernicioſiſſimi dogmatis imbutum, eum ad ſuam ſectam traheret. Euſebius Nicomediæ Epiſcopus, eodemque veneno infectus, Arrium, qui ob perfidiæ ſuæ virus ab Alexandro Epiſcopo venerabili, Alexandria pulſus erat, revocari, conciliumque congregari ſuadet: & ſic juſſu Principis tàm Alexander quàm Arrius ad audientiam Conſtantinopolim vocantur. Itaque tota nocte vir Dei Alexander in oratione jacens, cauſam Eccleſiæ Domino commendabat. *Arrij interitus.* Manè facto Euſebius Arrium ad Eccleſiam vocat: qui dum in itinere humanæ neceſſitatis cauſa, ad ſeceſſum declinaret, juſto Dei judicio, blaſphemiæ, ac fœtidæ mentis pœnas ſolvens, in fœtido ac turpi loco eviſceratus moritur. Fautores ſui pudore ac confuſione pleni, diffugiunt. Imperatorem verò rem geſtam celando, per eunuchos contra Catholicæ fidei Doctores amplius accendunt. Non multis poſt diebus Alexandro mortuo, Athanaſius ſubſtituitur. *Athanaſius.* Hic ferventis ingenij, & in Eccleſiaſticis negotiis vigilantiſſimus, non ſolùm contra hæreticorum verſutias ſolertiſſimus fuit, ſed & contra Imperatorum potentiam fortiſſimus extitit agoniſta. Cujus virtutes, agones & labores qui ſcire vult, legat Tripartitam hiſtoriam, ſive Eccleſiaſticam, à beato Hieronymo ſcriptam.

CAP. VII.

De morte Conſtantini, ac laboribus Athanaſii.

CONSTANTINUS dum Conſtantem fratrem ſuum bello inſectatur, non longè ab Aquileja juxta Alſam fluvium, à Ducibus ejus occiditur. Conſtantius occiſo Conſtantino ſolus Orientem, Conſtante Occidentem habente, tenuit. Nam Dalmatius Cæſar, patruelis eorum, à militibus antè occiſus fuerat. Igitur hæretici verentes, ne fortè, ſi Athanaſius adeundi Principem locum haberet, Catholica eum imbueret fide, circumvento prius Auguſto, Athanaſium ſceleratum ac flagitioſum mentiuntur: *Arrianorum improbitas.* Oſtenduntque in argumentum cujuſdam Arſenii brachium, quod ab ipſo magicæ artis gratia, præciſum dicebant. Quod idcirco fecerunt, quia præfatus Arſenius ab Athanaſio certis de cauſis de Eccleſia pulſus, ubi eſſet ignorabatur. Itaque juſſu Imperatoris apud Tyrum congregatur concilium, poſitoque in cauſa Athanaſio, producitur Arſenius. Qui dum utraſque manus haberet, calumniatorum apparuit mendacium. In eodem etiam concilio meretrix, quæ ſe ab eo corruptam fateretur, inducitur. Sacerdos Chriſti Timotheum presbyterum ſuum monet, ut pro ſe loquatur. Ille verò dum quæreret ab ea, ſi ipſe ſcelus hoc perpetraverit, Tu tu, inquit, in illo loco hoc feciſti. Tum omnes ridiculoſus pudor habere cœpit, nec propterea perſecutio Principis in Athanaſium ceſſavit: quinimò poſt multa pericula ad fratris Imperium in Occi- *Athanaſij exilium.*

Occidentem eum fugere compulit. A quo humanè ſuſceptus, honorificè habitus, ac poſtmodum in Cathedram ſuam potenter remiſſus eſt. Ibidem manens in Eccleſia Treverorum ſub Maximino ejusdem Eccleſiæ Epiſcopo, *Quicunque vult*, à quibuſdam dicitur edidiſſe.

CAPUT VIII.

De expulſione Liberij Romani Pontificis, de Victorino & Donato, de aliis præclaris Sacerdotibus, & perſecutionis immanitate.

EO tempore Liberius Romanus Pontifex, habita prius cum Imperatore diſceptatione, in qua Conſtantius eum tanquam ſuæ civitatis Epiſcopum, primò commonendum, poſt objurgandum putavit, in exilium truditur, Felixque Diaconus ſuus, ab hæreticis eis ſubrogatur. Inter hunc Liberium & Sylveſtrum medius ſedit Julius. Iiſdem diebus Victorinus Rhetor, & Donatus grammaticus Romæ clari habentur. Floruerunt tunc civitatis Dei Principes, Paulinus Treverenſis, qui Maximino ſucceſſerat, Dionyſius Mediolanenſis, Euſebius Vercellenſis, Hilarius Pictavienſis, Epiſcopi. Qui omnes ob fidei Catholicæ teſtimonium, in exilium miſſi feruntur. Ex quibus Hilarius non ſolùm verbo & exemplo Eccleſiam Dei informavit, ſed etiam multa ſcripturarum monimenta, Gallicanam ſubtilitatem & eloquentiam redolentia, reliquit. Pulſo de ſede propria Athanaſio, Georgius procaciter Epiſcopatum ſibi vendicabat. Antiochena & Hieroſolymitana Eccleſia his malis plurimùm laborabant. Non ſolùm autem ille, ſed ubique terrarum diffuſa civitas Chriſti, his inteſtinis malis angebatur.

Clari hujus ætatis Epiſcopi.

CAP. IX.

De morte Conſtantis, & ultione ſuper hoc fratris ſui Conſtantii. De Juliani apoſtaſia, & morte Conſtantii.

CONSTANS autem adverſus Saporem Perſarum Regem, qui Meſopotamiam invaſerat, vario eventu novem geſſit prælia. Noviſſimè dum indiſcretè pugnam adoriri cogitat, nocte victus aufugit, ac poſtmodum in oppido Helena, juxta Hiſpaniam, dolo Magnentii occiſus eſt. Magnentius apud Auguſtodunum Imperium invaſit. In Illyrico Veteranionem quendam ſenem Imperatorem milites creant. Nepotianus Conſtantini ſororis filius, imperium uſurpans, à Magnentianis militibus opprimitur. Igitur dum Conſtantius fratrem ulciſci ſtatuit, Veteranionem quidem primò purpuram deponere compellit, & poſt Magnentio bellum indicit. Pugna horribilis cum maximo Romanorum detrimento committitur. Magnentius tamen victus, non multo poſt apud Lugdunum ſeipſum interfecit. Decentius etiam frater ejus, quem ipſe in Galliis Cæſarem fecerat, laqueo ſe apud Senonas ſuſpendit. Conſtantius verò Gallum patruelem ſuum Cæſarem factum, tyrannicè agentem, occidit. Poſt hoc Julianum fratrem Galli, Cæſarem legit, ac in Gallias miſit. Hic primò Clericus ab Auguſtis factus, ac lector ordinatus, à perverſis hominibus deceptus, militiæ cingulum ſumpſerat. Julianus oppreſſas ab hoſte Gallias, fuſis Alemannis, ac Germanis Rheno flumine ſejunctis, in priorem ſtatum reſtituit. Dumque his elatus ſucceſſibus, in templum quoddam veniret, corona ſubitò ſuper caput ejus cecidit. Quo viſo, milites Imperium ſibi à diis hoc omine affirmant auguratum. Qua veſania, priorique proſperitate deceptus Julianus, Auguſti nomen uſurpat, fidemque Chriſti abdicat. Inter hæc Conſtantius adverſus Parthos procinctum moverat: ſed Juliani fraude comperta, dum ad civile bellum revertitur, anno imperii ſui XXIIII. in via moritur.

Magnentius.

Iulianus.

CAPUT X.

De perſecutione aſtuta Juliani, & civibus Chriſti, qui ei viriliter reſtiterunt: & ad ultimum, quomodo, & ubi percuſſus fuerit Julianus.

ANNO ab incarnatione Domini CCCLXIV. Julianus Conſtantio mortuo, XXXVI. ab Auguſto, Imperium aſſumpſit. Hic primò velut anteceſſoris ſui facta arguens, Epiſco-

Episcopos ab Exilio revocari jubet, post verò Ecclesiam Dei arte potius, quàm vi persequi intentat. Denique tanquam religionis consideratione removendos eos à ludis, & à sacramento militiæ arcendos, postremò ab omni possessione terrena, utpote quibus lex propria dicat: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, cohibendos decrevit. Templa verò paginorum aperiri jussit: fastigia imperialia, utpote cocos, eunuchos, tonsores, publicum cursum caballorum & mularum, tanquam Philosophus amputavit, lectionique nocte vigilans & scribens, die scripta in Senatu recitans, operam dedit. Unde & Philosophus super omnes amplexatus fuit, solusque Imperator post Julium Cæsarem Philosophiæ studium coluit. Scriptis verò suis non solùm antecessores suos Imperatores, sed etiam Christianos laceravit. Unde de ipso Socrates in Tripartita historia sic ait: *Vt cocos atque tonsores expelleret, opus Philosophi, non tamen Imperatoris egit: ut autem detraheret atque laceraret, neque Philosophi neque Imperatoris fuit.*

Ea tempestate præclari civitatis Dei cives fuere, Miletus Antiochenus, Marinus Calcedonensis, Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus Episcopi: quorum unus Marinus provectus ætate & moribus, oculisque imbecillis, Juliano in Urbe regia Fortunæ sacrificanti, in faciem restitit, eumque impium, & sine Deo, apostatamque ut Gozomenus in Tripartita refert historia, vocare non metuit. Cui dum Julianus tanquam philosophicæ patientiæ, nihil aliud quàm cæcitatem imperasset, dicens: Neque Galilæus Deus tuus te curare potest, respondisse fertur: Ego Deo meo pro cæcitate gratias ago, quia hoc ideo est gestum, ne te videam pietate nudatum. Basilius verò & Gregorius ex philosophica & eremitica vita ad culmen sacerdotii assumpti, non solùm huic tyranno, & Valenti hæretico, auctoritate pontificali restitere, sed & scripturarum suarum monimenta utilia admodum & profutura Ecclesiæ Dei reliquere. Julianus ex subtilitate ingenii Philosophos sectare volens, in tantam super se levatur vesaniam, ut juxta Pythagoram, spiritum in se Alexandri requievisse diceret, ipseque ad instar ejus, totum orbem sibi subjugare pararet. Hujus rei gratia, dum adversus Persas procinctum moveret, à quodam in insidias vocatur. Ubi dum ex sterilitate locorum miles deficeret, ipse telo in incertum misso, post annum & menses VIII. ex quo imperare cœperat, ex quo verò Cæsar ordinatus fuerat, anno VII. ætatis XXXI. ictus interiit. Fertur de ipso, quòd cum jaculum contra se venire videret, ex divina id animadversione fieri cognoscens, non ad pœnitentiam motus, sed ad obstinationem devolutus, ore blasphemo diceret: Vicisti Galilæe. Hoc enim nomine Christum vocare solutus erat. Sic ergo Dominus civitatem suam ab impiissimo tyranno, qui Christianorum sanguinem diis suis voverat, ad plenum liberavit. Legitur in vita beati Basilii, ex precibus ejusdem sancti viri, eo quòd Cæsaream Cappadociæ, cui præsidebat, in reditu funditùs delere decreverat, hoc telum à beato Mercurio martyre cælitùs missum: in argumentumque hujus rei ferrum, quòd juxta ejusdem martyris tumbam jacebat, cruentum manè dicitur fuisse inventum. Quia verò Porphyrius & Calixtus, & cæteri fautores ejus sapientiam pietatemque Juliani prædicant, qualia post mortem ejus simulacra magicæ artis gratia instituta, inventa fuerint, breviter aperiam. Ait ergo Socrates in Tripartita hoc modo: *Cumque mortuus fuisset, & impio pius successisset in imperium, ingredientes in templum, viderunt mulierem à capillis appensam, extensas habentem manus, cujus uterum aperuerat, ut Persarum victoriam in jecore ejus inspiceret. Hoc scelus in Carris inventum est. Verùm in Antiochia plurimas arcas in palatio ajunt fuisse repertas humanis capitibus plenas & innumera in puteis demersa corpora mortuorum.* In qua civitate comperta nece ejus, non solùm in Ecclesiis nostros, sed & in theatris paganos exultantes resultasse præfatus scriptor commemorat, & clamasse: Maxime fatue, ubi sunt nunc tua Vaticinia? vicit Deus, & Christus ejus.

Iuliani interitus.

CAP. XI.

De principatu Joviniani Christianissimi & orthodoxia illius, & ad ultimum quomodo, vel ubi obierit.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCLXVI. Juliano mortuo ac in summo discrimine posito milite, Jovinianus natione Pannonius, vir Christianissimus, votis omnium

Iovinianus

omnium petitur. Qui dum ſe gentilibus, eò quòd Chriſtianus eſſet, imperaret non poſſe diceret, & ipſi ſe Chriſtianos affirmabant, Jovinianus ergo XXXVII. ab Auguſto Imperator creatur. Hic pro exercitus periculo cum Sapore Rege Perſarum fœdus Romanis quidem inglorium, ſed tempori congruum iniens, tradito quodam oppido cum ſuperiori parte Meſopotamiæ, militem redemit. Cumque eſſet Catholicus, Epiſcopos à Conſtantio in exilium truſos, ad proprias ſedes revocavit, templa Deorum claudi fecit, ac Sacerdotes eorum fugavit. Athanaſium verò Catholicæ fidei defenſorem, ut eum de fide imbueret, ſcripto rogavit. Cui ille aſſumptis probatioribus Epiſcopis, reſcripſit in hunc modum:

Piiſſimo atque clementiſſimo victori Auguſto Joviniano, Athanaſius & reliqui Epiſcopi convenientes ex perſona omnium Epiſcoporum Ægyptiorum, Thebaidis & Libyæ.

Decet Deo amabilem Principem, diſcendi habere voluntatem deſideriumque cœleſtium. Sic enim verè & cor habes in manu Dei, & Imperium in pace multis annorum curriculis gubernabis. Volente igitur à nobis tua diſcere pietate Catholicæ Eccleſiæ fidem, gratias ob hoc Domino referentes, curavimus ut prolatam ab omnibus patribus in Nicæa tuæ pietati inſinuaremus fidem. Hanc enim quidam repudiant: nobis equidem frequenter inſidiati ſunt, eò quòd Arrianæ non conſentiremus inſaniæ. Arrius enim quidam, ejuſque ſectatores irrupere, & impietatem adverſus eam introducere tentaverunt, dicentes, ex non extantibus, & creaturam atque facturam, convertibilemque eſſe Filium Dei plurimoſque per talia ſeduxerunt, ita ut etiam qui aliquid eſſe videbantur, blaſphemia hujuſmodi traherentur. *Et poſt pauca:* Neceſſariò conſiderantes læſionem, quæ hujuſmodi cauſa contra populum generatur, offerre tuæ pietati confeſſionem Concilij Nicæni curavimus. Eſt autem hæc Nicæni Concilij fides: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, &c. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat: & antequam naſceretur, non erat: & quia ex non extantibus factus eſt, aut ex altera ſubſiſtentia, vel ſubſtantia, dicentes eſſe aut creatum, aut convertibilem, aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat ſancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Quas literas Imperator legens, gratanter ſuſcepit, fidemque Catholicam datis roboravit edictis. Legem etiam qua ſacrarum virginum non ſolùm raptores & violatores, ſed & impudici inſpectores capite plecterentur, promulgavit. Verùm Athanaſius ad Imperatorem Antiochiæ morantem venit, cumque familiari uſus colloquio, de fide Catholica informavit. Ipſe autem Chriſtianiſſimus Princeps ab Antiochia Tharſum Ciliciæ venit, ibique Anteceſſoris ſui Juliani corpus honorificè ſepeliens, Conſul vocatus eſt. Inde ad Illyricum digrediens, ac per Galatiam iter agens, in domo quadam nuper calce illita, dum prunæ ponerentur, ex calore prunarum, & nidore parietum ſuffucatus, immaura morte, XXXIII. ætatis ſuæ anno, Imperij verò VIII. menſe, regno ſimul & vita perfunctus obiit.

CAP. XII.

De Imperio Valentiniani, eiusque induſtria ſub Juliano, fratre ſuo Valente.

Valentinianus.

ANNO ab incarnatione Domini CCCLXVII. Valentinianus item Pannonius, ac mediocri ſtirpe ortus, ſed animi ac corporis magnitudine Valens, & Urbanus, XXXVIII. ab Auguſto, conſenſu militum in Nicæa aſſumpſit Imperium. Is dum ſub Juliano Auguſto millenarius, ac circa palatium conſtitutus eſſet, ipſo, quodam die Fortunæ templum ingrediente, miniſtriſque templi introeuntes gentili ritu purificare volentibus, dum Imperatorem præcederet, guttam fortè aſperſionis in chlamyde habuit. Quod ægrè ferens tanquam ejuſmodi non purgatus, ſed pollutus expiationibus, miniſtrum templi verè fortis & ſtrenui militis officium gerens, pugno percuſſit. Ob quam cauſam à Juliano à militia truſus, cuſtodiæque mancipatus, poſt ejus mortem juxta promiſſum Domini, centuplum recipiens, pro militia Imperium eſt adeptus. Hic Valentem fratrem ſuum Imperij ſocium legit: Procopium etiam tyrannum cum complicibus ſuis occidit. His diebus terræ motus maximus pelagus quoque excuſſit, quod plurimas Inſulas & Urbes involvit.

CAP.

CAPUT XIII.

De filio ejus Gratiano, Ambroſio, ſynodoque Illyrica.

ANNO Imperij ſui IV. Gratianum filium ſuum Imperatorem fecit. Tunc apud Atrebates vera lana, pluviis mixta deſcendiſſe dicitur. [*Gratianus.*] Valentinianus Auxentio Mediolanenſium Epiſcopo defuncto, Concilium convocat Epiſcoporum, habitoque exhortationis verbo, eos Pontificem eligere ſuadet. Cumque clamore oborto, alij hunc alii illum peterent, Ambroſius tandem præſes & catechumenus ab omnibus expoſcitur. Videns ergo Princeps vota omnium in eum concurrere, baptiſmi gratiam primum conſecutum, ſacerdotem eum ordinari præcepit. [*S. Ambroſius*] Sic Ambroſius, qui non ſolùm factis, ſed & dictis & ſcriptis plurimùm Eccleſiam Dei poſtmodum fœcundavit, baptiſmi ſimul & Sacerdotii dona ſuſcepit. Verùm Imperator in Illyrico ſynodum congregavit, ibique Nicæno Concilio confirmato, ipſe cum ſociis regni Auguſtis, ſcripſit hoc modo:

Imperatores maximi, pii, victores, Auguſti, Valentinianus, Valens, & Gratianus, Epiſcopis diœceſeos Aſiæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, in Domino ſalutem:

Tanto Concilio in Illyrico celebrato, & ſubtiliter habita quæſtione de ſalutari verbo, oſtenderunt ter beati Pontifices, Trinitatem conſubſtantialem Patris, & Filij & Spiritus Sancti, quam nequaquam declinantes, juſta myſteria religionis magni Reges exercent. Hanc ergo prædicari decrevit noſtra quoque potentia, ita tamen ut non dicant aliqui: Sequimur religionem Imperatoris, hanc patriam gubernantis, & non illi potius obedientes, qui nobis ſalutis mandata contradicit. Evangelium namque Chriſti noſtri ſic ait: ***Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.*** [*Matth. 22.*]

CAP. XIV.

De morte Athanaſii patribusque Ægypti, & Epiſcopatu Moyſi, & errore Valentis, victoriaque Valentiniani, & morte ejus.

HIS diebus Damaſo poſt Liberium in Urbe Roma ſedente, Athanſius poſt multos agones, XLVI. ſui pontificatus anno beato fine quievit, Petrumque tentationum ſuarum ſibi ſocium ſubſtituit. Quem Lucius Arrianus ſedem invadens, Roma fugavit.

Per idem tempus florebat Ægyptus multis Sanctorum millibus, ex Antonij diſcipulis in eremo Philoſophantibus. Ex quibus duo Macarij, Iſidorus, Pambos, Moyſes, Beniamin, Scaron, Helias, & Paulus, Hilarion, Pachomius, Joannes, & alii quàm plures, ſignis & prodigiis Apoſtolicis cæteris mortalibus eminebant. Quorum virtutes, vitamque continentiſſimam, ac humanam fragilitatem, tranſcendentesque labores qui ſcire cupit, legat Hieronymum, & eam quæ Tripartita vocatur. Ex quibus Moyſes dum ad Epiſcopatum traheretur, Lucioque tanquam Alexandrinorum præſuli conſecrandus offeretur, publicè hæreticum eum nominans, pollutas & cruentas manus, quibus ſanctos & orthodoxas pro fide Catholica in exilium miſerat, ſibi imponi abnuit, & ab Epiſcopis qui exulabant, ſacerdotium ſuſcepit.

Interea Valens Imperator, qui primò Catholicus fuerat, amore uxoris tanquam Evæ ſuæ illectus, fraudeque Eudoxij Conſtantinopolitani Epiſcopi Arriani circumventus, ab eo baptizatus, in Arrianam hæreſim incidit, atque ad infelicitatis ſuæ cumulum, miſerrimo jurejurando ad ſervandum impietatis dogma ſe obligavit. [*Valens Aug. Hæreſi Arriana polluitur*] At Valentinianus fortiſſimam gentem Saxonum, Francorum terminum invadentem, bello preſſit. Burgundiones etiam qui quondam à Druſo Tyberio ſubacta interiori Germania, inde progreſſi Gallias occupavere, gravi prælio devicit. Ipſe verò dum contra Sarmatas, qui Pannonias occupaverant, bellum parat, anno imperij ſui XI. apud Brictionem oppidum moritur. [*Burgundiones.*]

CAP. XV.

De principatu Valentis cum filiis Valentiniani, persecutioneq; ejus, & victoria Gratiani.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCLXXXIII. Valens XXXIX. ab Augusto, Orientis Imperium rexit, Gratiano & Valentiniano, Valentiniani filijs regnum Occidentis gubernantibus. Hic Arrianorum (ut supra dixi) errore deceptus, legem dedit, ut Monachi ad militiam cogerentur. Unde multi in Ægypto milites Christi, dum terreno Regi militare recusant, martyrio coronantur. Inter hæc necromantiæ arte, quis post eum regnaturus foret, perscrutatur: monstratisque sibi quatuor literis θ. ε. ο. δ. omnes quos has literas in capite nominum habere comperit, necari fecit. Ex quo factum est, ut Theodosium comitem, Theodosij, qui post Imperio præfuit, patrem, quamvis ab eo contra Syrmium missus, tam ipsum Syrmium, quam ab ipso Maurorum gentes in seditione concitatas delesset, occidi præceperit. Qui prius apud Carthaginem baptismi consecutus gratiam, percussori sponte jugulum præbuit. Interea Gratianus Christi fretus auxilio, apud Argentariam Galliæ oppidum, cum parvo Romani militis detrimento, plus quàm XXX. Alemanorum millia fudit.

CAP. XVI.

De Gothis & Hunis: qualiter Gothi à Valente Arriani effecti, ipsum postmodum cremaverunt.

CIRCA idem tempus controversia in regno Gothorum, inter Fridegernum & Athalaricum orta, Fridegernum debilioris causæ gratia, Romanorum auxilium postulare compulit. Qui dum ad Valentem venisset, accepto ab eo milite, Athalaricum in fugam vertit. Volens autem beneficia recompensari Principi, ejus perniciosum dogma amplexatus est. Et hinc Gothi Arriani effecti sunt. Gulfilas Gothorum Episcopus literas tunc Gothicas invenit, in quas cum divinas Scripturas vertisset, ac in regno Athalarici prædicare cœpisset, Athalaricus, eò quod paganus esset, multos ex eis suppliciis affecit, quos Arriani pro martyribus venerantur. Non multo post Gothis jam inter se pacatis, Hunorum gens horribilis, tanquam ex incubis & meretricibus ut Jordanis refert, originem trahens, ducatu cervæ de Mæotidis paludibus egressa, fortissimam gentem Gothorum, cum Rege suo Hermanarico, intantum terruit, ut præfatus Rex, qui multas antè nationes domuerat, tam hujus gentis horrore, quàm inflicto sibi à quodam suo milite vulnere fraudulenter, C. & X. annorum mortuus sit. Ostrogothorum hunc Regem fuisse describit Jordanis. Duo enim regna Gothos habuisse, quorum aliud Wisigothorum, aliud Ostrogothorum, præfatus Scriptor, qui & ipse Gothus erat, commemorat.

Gothi Arrianismum amplectuntur.

Post mortem Hermanarici, fracti animo Gothi, rursus ad Valentem mittunt, locum habitationis petunt. Quibus Valens in Thracijs habitare concessit. Porrò dum ex odio & invidia vcinorum incredibili fame laborarent, vocati à quodam Duce dolo ad convivium; insidias primò præcaventes, ipsos qui eos invitaverant, sternunt: post tota terra igne & ferro depopulata, ubique diffunduntur. Contra quos Valens ab Antiochia procinctum movens, sera pœnitentia ductus, Catholicos ab exilio revocari jubet Episcopos, ipse tamen à perfidia sua propter jusjurandum non recessit. Pugna in Thracia conseritur, ubi dum Romanus fugatur Exercitus, Imperator sagitta sauciatus, in cujusdam villulæ casa fugiens, latitare voluit. Quem insequentes Gothi, anno imperii sui XV. post mortem verò fratris sui IV. cum casa pariter incendunt. Justo Dei judicio id factum creditur, ut qui eos veram fidem petentes, igne perfidiæ accenderat; ipse ab eis igne materiali accensus, communi quoque careret sepultura.

Valens crematus.

CAP. XVII.

De Imperio Gratiani & Valentiniani post mortem patrui, & Theodosii à Gratiano in regnum assumpti. De secunda synodo habita sub Damaso. De morte Athalarici, occisione Valentis & ejectione Valentiniani.

ANNO ab incarnatione Domini CCCLXXXIII. Gratianus XL. ab Augusto Imperium quod cum Valente ante habuerat, cum Valentiniano fratre obtinuit. Qui Reipubl. subvenire volens, Theodosium natione Hispanum, fortem ac religiosum militem apud Syrmium purpura indutum, Imperatorem Orientis fecit. Hujus diebus synodus

Theodosius.

secunda

secunda CL. Episcoporum, sub Damaso Papa, adversus Macedonium & Sabellium, quorum prior Spiritum Sanctum per Filium factum dicebat, alter verò sine personarum discretione, eundem patrem quem & filium esse asserebat, in Urbe Regia congregatur: damnatisque & anathematizatis simul cum Arriana hæresi hæresibus, fides confirmatur Catholica. Theodosius verò tam virtute, quàm prudentia, Gothorum gentes devicit, fœdereque cum Athalarico Rege eorum inito, ipsum ad se Constantinopolim vocavit. Quò cum venisset Athalaricus, diem ultimum clausit. Gothorum verò gentes virtutem & mansuetudinem Principis videntes, Romanorum se subdidere Imperio. Theodosius Arcadium filium suum socium Imperij legit. Inter hæc Maximus arrepto per tyrannidem in Britannia Imperio, Gratianum sexto post mortem Valentis Imperij sui anno in Galliis interfecit, fratremque suum Valentinianum Italia expulit. Qui ad Theodosium fugiens, ab eo paternè excipitur.

CAP. XVIII.

De Imperio Theodosii, paceque Ecclesiæ, ac Sacerdotibus Christi. De triumphis & humilitate, ac de morte.

ANNO ab incarnatione Domini CCCLXXXVIII. Gratiano interfecto, Theodosius XLI. ab Augusto, Romanum Imperium solus obtinuit. His diebus civitas Christi, sopitis tam forensibus, quam civilibus malis, plenum gaudium, pacemque perfectam habere cœpit. Floruerunt autem tunc illustres viri moribus, vita, ac scientia graves. Martinus Turonorum Episcopus, Ambrosius Mediolanensium antistes, Severinus Coloniensis præsul, Hieronymus presbyter: Augustinus quoque catechumenus ab Ambrosio tunc baptizatus invenitur. Itaque Christianissimus Imperator Augustum ulturus occisum, restiturus verò exulantem, adversum Maximum, in Deo magis quàm in homine confidens, procinctum movet. Quem in Aquileiensium finibus aggressus, interemit. Quo viso Andragathius comes, qui ejus fautor erat, semet mergendo necavit. Peracta victoria, Theodosius cum Honorio filio suo parvulo Romam venit, ibique ordinata benè Republ. & Valentiniano Occidentis Imperio relicto, Constantinopolim rediit. Porrò Valentinianus dum ad Gallias revertitur, fraude Arbogasti, ac Eugenii laqueo, ut à quibusdam dicitur, suspenditur, Eugeniusque ab Arbogasto, Imperator creatur. Quidam tamen dicunt, eum propriis manibus, ex dolore hoc genus sibi mortis intulisse.

Hic est Valentinianus, qui ab Ambrosio catechumenus factus, antequam gratiam baptismi perciperet, morte hujusmodi præventus est. Qua de re prædictus Episcopus Epistolam lugubrem dictavit, quæ sic incipit: *Ventrem meum doleo.* In qua ab eodem invenitur dictum: *Quia quem in Christo regeneraturus eram, amisi: ipse verò gratiam quam poposcit, non amisit.* Ex qua auctoritate quidam nostri temporis Theologi divinant, post promulgatam sententiam Evangelii, qua dicitur: *Nisi quis renatus fuerit,* &c. *Ioan. 3.* aliquos sine sacramento baptismi, vel effusione sanguinis ob testimonium passionis Christi, vel attestatione dominica salvari posse: sic ratiocinantes, quòd non alligavit Deus sacramentis potentiam suam: non benè considerantes quid, secundùm quid loquantur auctores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consulando. Quod tametsi verum sit, Dei potentiam regulis Ecclesiasticis, vel sacramentis non cohiberi: mihi tamen qui Christiana regula stringor, necessarium erit credere, præter hoc neminem posse salvari. Quare quamvis Deo tanquam omnipotenti, Judæum, vel gentilem, vel non baptizatum, sine effusione sanguinis, ut dictum est, vel attestatione propria, possibile sit salvari: mihi tamen hoc credere erit impossibile, & ita divina potentia in talibus, non sibi, sed mihi alligatur. Et mirum, si hoc pietate ducti dicunt, quare non eadem pietate hoc de parvulis sentiant. Quod si objiciunt, quod isti tanquam adulti credere possunt, quod non illi: audiant, quòd illi solo originali delicto obligati tenentur, quòd non isti. Restat ergo ut nos cum illis, ac illi nobiscum divinam admiremur in talibus, non discutiamus potentiam: exclamantes cum Apostolo: *O altitudo:* & cum Propheta: *Iudicia tua abyssus multa.* Sed hæc hactenus.

Morte Valentiniani comperta, Theodosius dum contra tyrannos exercitum parat, ad Joannem Ægypti Monachum, Eutropium eunuchum misit, eventumq; rei à viro

requiſivit. Cui ille Prophetico (ut erat) plenus ſpiritu, plenam de tyrannis promiſit victoriam. Igitur religioſus Imperator, fide potius quàm milite armatus, exercitum contrà tyrannos movet: præmiſſisque Gothis, quorum X. millia ab Arbogaſto fuſa dicuntur, & ipſe cum aliis iter peragit. Dum ergo in Alpibus conveniſſent, tyrannique meliorem pugnandi facultatem in eminentiori loco haberent: Auguſtus totam noctem lachrymis & orationibus pervigilem ducens, Deo ſe committebat. Manè facto pugna conſeritur, victisque tyrannis, Eugenius captus interficitur, Arbogaſtes verò propria manu ſibi injecta, vivendi finem fecit. Quam victoriam meritis piiſſimi Imperatoris, ac orationibus Eccleſiæ à Domino impetratam, imber cœlitùs miſſus, ventoque in ora hoſtium impulſus probavit. Quod etiam quidam ex paganis Pœta, ex virtute Dei factum conſiderans, in laudem Principis hujuſmodi proſecutus eſt:

O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab aſtris,
Æolus armatas hyemes, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Theodoſius itaque omnibus benè compoſitis ac ordinatis XI. poſt mortem Valentis Imperii ſui anno, apud Mediolanum beato fine quievit. Hujuſque Hieronymus Eccleſiaſticam perduxit hiſtoriam. Hic eſt Theodoſius, qui dum ex humana fragilitate Theſſalonicenſes effrenatè, & ſine ſententia puniviſſet, ab Ambroſio Eccleſiæ liminibus arcetur. Quod ipſe humiliter ferens, tamdiu à communione ſe abſtinuit, donec lachrymis, ac bonis operibus pœnitentia peracta, à præfato Pontifice reconcliaretur. Ob tam præclarum factum, Sacerdos iſte in prædicta civitate inter omnes Latinorum confeſſores uſque hodie maximæ habetur venerationi.

CAP. XIX.

De principatu Honorij & Archadii. De Dirimacho Monacho, Joanne etiam Chryſoſtomo, ac Theophilo & Epiphanio, tranſitu etiam Martini & Ambroſij.

Honorius & Arcadius.

ANNO Domini CCCXCIX. Honorius Occidentis, Archadius Orientis, XLII. ab Auguſto loco, poſt mortem patris, imperium ſortiuntur, Damaſo adhuc Romæ, Theophilo Alexandriæ, Hieroſolymis Joanne, Flaviano Antiochiæ, Nectario Conſtinopoli ſedentibus. His diebus Dirimachius quidam Monachus, ab Oriente Romam veniens, cum gladiatorum ludum, vel potius inſaniam religionis intuitu ſedare vellet, à circumſtantibus lapidibus obrutus ac necatus eſt. Quo comperto, Honorius eum quidem inter martyres numerandum cenſuit, nephandum verò ſpectaculum hujuſmodi de cauſa amputavit. Non multo poſt Nectario mortuo, Theophilus Alexandrinorum Pontifex, cum aliis Epiſcopis ab Imperatore ad ordinandum Regiæ Urbis Epiſcopum evocatur. Qui dum Iſidorum presbyterum ſuum præfatæ ſedi præponere cogitaſſet, Joannes Antiochenus ab omnibus petitur, ac contra voluntatem Theophili electus, ab ipſo tandem ordinatur: Unde Theophilus ad depoſitionem ejus ſemper laborabat. Iſte Joannes, qui & Chryſoſtomus tanquam aurei oris, propter eloquentiam vocatus, primò à Miletio Antiochenſium Præſule, in eadem Eccleſia Diaconus ordinatus, poſt ejus mortem ad eremum ſe transferens, ibique per triennium Deo vacans, ab Evagrio presbyter ordinatus fuerat. Fuit autem potens in opere & ſermone, ad corrigendos mores utilis, nimium verò ſeveritate & zelo Dei improvidus, nimiaque libertate oris in tantùm ut à neſcientibus abrogans putaretur, & profuſus. Unde poſtquam ad epiſcopatum venit, clericis ſuis, quorum mores corrigere nitebatur, intantum odioſus eſt factus, ut conſpiratione inita, plurimis contra eum derogationibus uſi, furioſum eum dicerent & procacem, ac tanquam ſine teſtimonio degentem. Cui rei facere fidem videbatur, quòd nullum ſecum comedere patiebatur, quod tamen ob nimiam abſtinentiam, qua ſæpè caput & ſtomachum dolebat, feciſſe traditur. Porrò à populo propter ſermones quos faciebat, plurimum amabatur. Qui quales fuerint, ex libris ejus, qui uſque hodie manent in Eccleſia, conjici poteſt. Acceſſit ad invidiæ ſuæ cumulum, quod non ſolum clericis aſper fuit, ſed etiam ipſos primores æquitatis zelo redarguere non dubitavit. Unde factum eſt, ut Eutropium quendam eunuchum & Conſulem, Principique familiarem, cujus conſilio lex data, ut ad Eccleſiam confugientes inde traherentur, fuerat, cum & ipſe non multo poſt iram Principis fugiens, ſub altari jaceret, publicè in ambone redargueret, ac contra eum increpatoriam ederet homiliam.

Io. Chryſoſtomus & ejus ſeveritas.

Igitur

Igitur occasione nacta, Theophilus Joannem tanquam à suis destitutum omnimodè deponere moliebatur. Unde non solum proprias adversus eum oves armavit, sed etiam Episcopos, vicinos quidem colloquiis, remotos autem scriptis contra eum incitavit. Ex quo contigit, ut Epiphanium Salamine Cypri Episcopum, virum quidem sanctissimum, sed tanquam in eremo educatum, simpliciorem conveniret, & occasione librorum Origenis, eum ad depositionem Joannis sibi adsciscceret. Itaque præfatus Sacerdos damnationem Origenis portans, ad Urbem Regiam venit, Joannemque causa Theophili declinans, in propria habitavit mansione. Cumque ad eum Joannes mitteret, rogaretque ut ad se veniens, secum inter alios Episcopos maneret, Epiphanius respondit, nec se cum eo manere, nec secum orare velle, nisi in libros Origenis damnationem subscriberet. Quod differente Joanne, inimici ejus Epiphanio suadent, ut in Apostolorum Ecclesiam altera die collectione facta veniat, Origenis libros damnet, Joannem tanquam Origenis defensorem coram populo infamet. Quo comperto, Joannes Epiphanio hæc verba mandavit: Contra regulas multa egisti ô Epiphani: primùm quidem, quia ordinationem fecisti in Ecclesia sub meo jure constituta: deinde quia me non jubente, in eis auctoritate propria sacra celebrasti: rursus quia invitatus excusasti, & nunc denuo in te ipse confidis. Quapropter observa, ne turbatio nascatur in populo, & hujus rei periculum ipse suscipias. Quo audito, Epiphanius recessit, Joannique (ut quidam ajunt) remandavit: Spero quòd non morieris Episcopus. Ad quod ille respondisse fertur: Spero te ad tuam patriam non redire. Utrumque impletum est. Nam & Epiphanius in via mortuus fuit, & Joannes post paululum depositus. Post hoc Joannes ad correctionem Eudoxiæ Augustæ, eò quòd Epiphanium contra eum armasset, more suo sermonem ad populum cunctarum mulierum vituperatione plenum edidit. Quod illa graviter ferens, marito suo conquesta fuit. Igitur Theophilus quasi jam Joannem non solum suis, sed & principibus odibilem factum, deponere cogitans, Episcopos in suburbio Chalcedonensi convocat, accusatores producit, eumque tanquam responsurum ad ea quæ sibi objiciebantur, ad audientiam vocat. Verum Joannes universalem synodum ad hoc fieri proclamabat. At ille dum iterum atque iterum cum cæteris Episcopis eum evocaret, ipse verò in sua sententia perduraret, velut inobedientem Episcopatu eum deponendum decernunt: populus verò seditionem movens, reclamabat. Porrò Principe eorum sententiam confirmante, Joannes depositus, in exilium deportatur. Quod multi etiam ex his, qui eum odio habuerant, videntes, misericordia moti, Joannem calumniam pati dicebant, præsertim cùm cunctis jam claresceret eum invidia Theophili damnatum esse. Innocentius tunc, Siricio & Anastasio Sacerdotio perfunctis, in Urbe Roma sedebat. Joannes propter terræmotum, qui in ejus depositione inusitatius civitati accidit, postmodum à Principe & populo revocatus, rursum Augustam latenter mordebat. Dumque illa rursum insidias pararet, famosissimam illam edidit homiliam, quæ sic incipit: *Rursusque Herodias vesanit, rursusq; turbatur, denuo saltat, denuo caput Ioannis in mensario cupit accipere.* Qua de re magis exardescens Eudoxia, denuo eum deponi, & in exilium trudi fecit. Quod Innocentius audiens improbavit, ac clero ne alium eligerent, scripto demandavit. Verùm inter hæc Joannes moriens, finem controversiæ imposuit. Sed & Theophilus non multò pòst vita decedens, Cyrillo sedem reliquit. Theophilus iste quamvis in causa Joannis reprehensibilis fuerat, tamen contra Arrianos & Anthropomorphitanos, quorum hæresis nuper exorta Deum lineamentis corporeis circumscriptum dicebat, fortis athleta extitit. Hæc hæresis in tantum simpliciores monachos & eremitas Ægypti infecerat, ut Alexandriam venientes, pro assertione veræ fidei, seditionem contra Theophilum excitarent: & nisi maturato præfatus Pontifex consilio dixisset: Video vos sicut vultum Dei, concitatæ plebis furorem non evasisset. Circa idem tempus Honorio & Archadio regnantibus, beatissimus præsul Martinus & Ambrosius civitati Dei utilissimi Sacerdotes, migraverunt ad dominum. Sed jam ad historiæ seriem revertamur.

Chrysostomus in exilium actus.

CAP. XX.

De rebellione Gothorum, & perfidia Rufini & Gildonis, eventuque Mazazel, & morte Archadii.

IGITUR Gothi post mortem Theodosij, dum à filiis solita munera non acciperent, consilio Rufini patricii, Regem sibi creantes, à curia recedunt. Rufinus verò postmodum

dum detectus, ante portas Urbis Constantinopolitanæ decollatur, caputque ejus cũ manu dextra ad ludibrium in Urbe circumfertur. Gildo etiam Africæ Comes, cœpit novis ausibus à Romanorum Provincia Africam decidere. Contra quem Mazazel frater ejus, cui ipse duos filios occiderat, cum exercitu mittitur. Mazazel ergo plus Dei, quàm militis virtute hostem devicit, fusisque cum parva manu, id est, cum V. millibus, LXX. millibus, tyrannum fugavit: qui etiam non multis pòst diebus strangulatus interiit. Porrò Mazazel rerum prosperitate (ut assolet) elatus, Ecclesias Dei persequi cœpit. Unde justo Dei judicio, qui antea ipsum confitendo exaltatus erat, nunc ipsum contemnendo humiliari debuit. Non multo enim pòst mortuus est. Archadius etiam Imperator, vir mitis & quietus, XIV. Imperij post mortem Patris anno, vitam finivit, Orientisque Imperium filio suo Theodosio octenni reliquit, Anthemio præfecto (qui muro maximo Urbem Regiam circumdederat) omnia disponente.

CAP. XXI.

De Imperio Honorii, & rursum de seditione Gothorum, & irruptione Romanæ Urbis sessioneque ipsorum in Gallia.

Honorius solus imperat.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCXII. defuncto Archadio, Honorius XLIII. ab Augusto, Occidentis Imperium tenuit. Verùm Gothi Rufino ac Stilicone incitati, cum Alarico Rege suo, qui lingua eorum ex genere Balthorum, secundæ post Amalos nobilitatis, Baltha, id est, audax vocabatur, per Dalmatiam & Venetiam digressi, in Æmiliæ finibus castrametantur: missaque legatione ad Imperatorem, qui Ravennæ tunc fortè morabatur, terram habitationis superbè deposcunt: addentes, quòd si gratis accipere non possent, ultrò eam arriperent. Consilio ergo accepto, Princeps terram eis versus Hispaniam, quæ ei rebellis erat, tradidit. Ad quam dum possidendam pergerent Gothi, Stilico patricius, & socer Honorii, eos fraudulenter insequitur, commissoque prælio, amisso milite, ipse in fugam vertitur. Qua de causa commoti barbari, ad Æmiliam, unde digressi fuerant, revertuntur, totaque igne, ferroque vastata Provincia, ad Urbem progrediuntur: quam etiam trepidam irrumpunt, datisque præceptis ne sanctorum loca violarentur, concrematis aliquibus Urbis regionibus, prædam innumerabilem diripiunt. Innocentius Papa tanquam justus Loth, ne pœnas peccatricis Urbis videret, Ravennæ morabatur.

Gothorum in Galliam migratio.

Roma à Gothis capta. Anno 415.

Clades urbis Christianis imputata.

His diebus cum Pagani contra fidem murmurarent, dicerentque Romam à diis in summo honore conservatam, Christianis temporibus dehonoratam, Augustinus librum de Civitate Dei scripsit, Orosius historiam suam texuit, Hieronymus Ecclesiasticam historiam ab Eusebio scriptam transtulit, duobusque libris appositis, usque ad mortem Theodosii deduxit. Facta est autem hæc tam famosissima, quàm insolentissima irruptio Urbis per Alaricum, anno à conditione ejus M. CLXIV. ab incarnatione verò Domini CCCCXV. Et sicut suprà dixi, Romanorum regnum, quod Babyloniorum regno in multis similem ortum ac progressum habuit, juxta majorum nostrorum supputationem, eodem à conditione sua ab Alarico, quo & illud ab ortu suo ab Arbato præfecto, anno, dehonoratum fuit. In eadem irruptione soror Honorii Placidia, inter aliam prædam capitur, quam postmodum Athaulfus in matrimonium sortitur.

Roma Babyloni similis.

Inter hæc Constantinus Gallias occupans, Constantem filium suum ex monacho Cæsarem fecit: sed non multò post tempore, Pater apud Arelatum, filius apud Viennam, vita pariter & regno privantur. Gothi verò Romanæ Urbis potiti victoria, per Apuliam & Campaniam in Siciliam & Africam ire proponunt. Dumque in confinio Brutionum incautè mari se committunt, multos de sociis perdiderunt. Alaricus quoque ultimum diem clausit, quem intantum barbari dilexerunt, ut amnem Barentum juxta Consentinam civitatem de alveo suo derivarent, ipsoque ibi cum multis copiis sepulto, occisis omnibus captivis, qui hujus facti conscij erant, amnem ad proprium alveum reduxerunt. Quo mortuo, tam hoc quàm priori infortunio perculsi Gothi, Athaulfum sibi Regem creantes, reverti statuerunt, sicque per Romam redeuntes, ea quæ antea reliquerant, depopulantur. Sed Athaulfus amore uxoris suæ Placidiæ, à finibus Romanorum cedit, ac in Galliis juxta provinciam Narbonensem, quam postmodum

vir

vir Dei Ægidius inhabitans, Metropoli ex nomine suo, ut villa sancti Ægidij dicatur, dedit, in loco, qui usque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit: sed postmodum à Constantio Comite pulsus, in Hispania resedit cum Gothis. Post quem tertius ab eo Vallia, qui Segerico successit, vicinas gentes, & præcipuè Wandalos, qui & ipsi tunc noviter in Hispanias venerant, bello pressit.

CAP. XXII.

De gestis Honorij in Africa, & inventione Stephani. De morte Hieronymi. De Romanis Pontificibus, & pace Augusti cum Gothis, morteque ipsius.

HONORIUS Eraclidem Comitem Africæ, contra Romam venientem, per Marinum Comitem vicit, & Carthaginem, ubi & postmodum occisus est, fugavit: pacem etiam adjuvante Constantio, qui Constantinum & Constantem in Galliis oppresserat, integram Ecclesiæ Dei reddidit in Africa.

His diebus sub Innocentio Papa, corpora sanctorum Stephani protomartyris, & aliorum, Luciano Sacerdoti revelata, sub Joanne Hierosolymorum Episcopo fuere. Non multis pòst diebus, sub Bonifacio, qui Zozimo successori Innocentij substitutus erat Hieronymus presbyter, XCI. ætatis suæ anno, in Bethlehem ad dominum migravit. Defuncto Bonifacio, Cælestinus sedit in Urbe. Vallia cum Augusto fœdus iniit, eique Placidiam sororem suam reddidit. Hucusque Orosius Chronica sua perduxit. Honorius XXXI. Imperij sui anno (quorum duos sub patre, XIII. cum fratre, reliquos cum filio fratris regnaverat) Romæ moritur.

Finis Chronicorum Orosii.

CAP. XXIII.

De gestis Theodosii junioris, virtutibusque ejus, & synodo tertia. De bellis, quæ per Duces suos gessit.

Theod. junior.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCXXVII. Theodosius junior XLIV. ab Augusto patruo mortuo solus regnavit. Hujus virtutes in Tripartita historia, omnibus antecessoribus suis præferuntur: inter quas & hoc commemoratur, quòd ad instar Alexandri Magni, dum in procinctu esset, ac ex fervore Solis, & squalore pulveris fatigatus, siti laboraret, poculum sibi jucundissimum allatum, ne solus præ aliis reficeretur, renuit. Floruerunt diebus ejus Joannes Cassianus monachus & eremita, qui collationes Patrum descripsit, & Germanus Antisiodorensis Episcopus. Synodus etiam tertia sub Cælestino Papa, vel ejus successore Sixto, mediante Cyrillo Alexandrino, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato, temporibus Juvenalis Regiæ Urbis Episcopi, ducentorum Episcoporum, contra Nestorium, qui duas in Christo personas afferebat, Ephesi congregatur: ostensoque in duabus naturis Christi unam personam esse, cum fautoribus suis Nestorius justo damnatur anathemate. Theodosius contra Joannem, qui Hesperiæ regnum invaserat, Valentinianum amicæ suæ Placidiæ ex Constantio filium, adjunctis sibi Aspare & Ardabure sociis, cum matre in Italiam destinavit. At Joannes juxta quosdam Asparis & Ardaburis dolo, juxta alios verò ducatu Angeli, Ravennæ necatur. Sicque Respublica religiosi Principis meritis à tyranno liberatur. Hucusque Theodoretus Episcopus, & Socrates, & Sozomenus viri disertissimi, historias suas perduxerunt, quæ postmodum in unum volumen redactæ, & à Cassiodoro Senatore per Epiphanium scholasticum à Græco in Latinum versæ, à tribus auctoribus Tripartitæ historiæ nomen acceperе.

Synodus Ephesina.

Historia Tripartita.

CAP. XXIV.

De Valentiniano Augusto, Wisegothis, & Ostrogothis. De factione Aetij & Bonifacii, irruptione Wandalorum in Africam, morteque Augustini.

OCCISO tyranno, Theodosius Valentinianum, cujus ope civile malum sedatum fuerat, remuneratione dignum judicans, Imperij socium legit, & Augustum statuit appellari. His diebus Wisigothi in Galliis habitabant. Ostrogothi, & Gepidæ, ex quibus Avares & Longobardi descendunt, Danubium transeuntes, Gepidæ quidem

Migrationes aliquot gentium.

dem circa Seigedonem & Syrmium: Ostrogothi verò, qui prius in Pannonia morati fuerant, exhinc in Thracia habitaverunt: ubi per XLVIII. annos morantes, ad Occidentem iter flectunt. Wandali autem sociatis sibi Germanis, cum Modigisilo Duce Hispanias occupaverant. Ea tempestate fuere duo insignes Prætores, Aetius, & Bonifacius, quorum Bonifacius comitatum Africæ ab Imperatore accepit. Sed dum fraude & delatione Aetij Bonifacius apud Placidiam Augusti matrem, injustè accusatur, missi sunt contra eum Duces Mavortius & Galbio. Quibus à Bonifacio occisis, Sigisbaldus Comes contra eum destinatur. At Bonifacius in Hispaniam transiens, ascitis Wandalis, totam eis Africam tradit. Qui mox ferro, igneque terram vastantes, ubique diffunduntur, ac inter cætera mala Hipponensem Urbem, cui beatus Augustinus præsidebat, obsidione cingunt. Beatus autem Præsul, ne excidium Urbis suæ videret, III. mense obsidionis ejus, LXXVI. ætatis suæ anno, migravit ad Dominum. Non multo pòst elapso tempore, Placidiæ apparuit falsò sibi Bonifacium delatum fuisse, vocavitque eum ad se, & Magistrum militum fecit. Wandalis autem tradita parte Africæ, Romani pacem dederunt. His diebus Geisericus Wandalorum Rex Arrianus, Christianos affligens, Episcopos in exilium misit: Carthaginem invadens, multis divitiis ac Ecclesiasticis ornamentis spoliavit.

Wandali in Africam.

Augustini mors.

CAP. XXV.

De terræmotu Constantinopolitano, & Romano. De initiò tyrannidis Attilæ, morteque Theodosii.

τρισάγιον Ecclesiasticum.

ANNO Imperij Theodosii XXX. terræmotus horribilis Constantinopoli fuit. Ob eam causam ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, Hoc est: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis, dum à populo cum Proculo Episcopo suo cœlesti commonitione caneretur, terræmotus cessavit. Unde ab Imperatore, ejusque sorore Pulcheria, ut per totum orbem canticum hoc cantaretur, præceptum est. Roma quoque tunc ex terræmotu in multis suis regionibus corruit. His diebus Attila Hunnorum Rex, occiso fratre *Buda, tyrannidem exercendo, Thraciam & Illyricum vastare cœpit. Cui Theodosius datis sex millibus libris, promissis quoque singulis annis M. libris, à finibus suis exire persuasit. Ipse verò non multis pòst diebus XLI. Imperij sui anno, post mortem verò patrui sui XXVI. apud Constantinopolim diem obiit.

** Bleda.*

CAP. XXVI.

De principatu Martiani, & Valentiniani, synodoque quarta. De tyrannide Attilæ, pugnaque inter ipsum, & Romanos, & Gothos.

Martianus & Valentinianus.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCLIII. Martianus consilio Pulcheriæ, XXVI. ab Augusto, Orientis Imperium suscepit, Valentiniano XLV. in Occidente regnante. Hujus diebus sub Leone Papa, Juvenale Hierosolymitano, Anatolio Constantinopolitano Episcopis, quarta synodus DC & XXX. Sacerdotum contra Euticen Regiæ Urbis Abbatem, ejusque defensorem Alexandrinum quondam Episcopum Dioscorum, verbi Dei & carnis unam naturam dicentibus, apud Chalcedonam congregatur, damnatisque simul cum Nestoriane his hæresibus, fides catholica divinam in Christo & humanam naturam, sed unam personam prædicans, roboratur. Hæ sunt quatuor synodi, quas se beatus Gregorius Urbis Romæ Episcopus, velut quatuor Evangelia venerari testatur. Igitur regnantibus Martiano & Valentiniano, Attila Hunorum Rex subjugatis sibi fortissimis Ostrogothorum, Gepidarumque populis, aliisque plurimis gentibus, Macedoniam, Mœsiam, Achaiam, Thraciam pervagatur. Dum ergo Romanos quoque & wisigothas, quorum priores ob antiquam suæ Urbis dignitatem, alios verò ob singularis fortitudinis virtutem æmulabatur, subjugare cogitat, timens ne duæ hæ gentes adversus eum sociarentur, dolo (ut erat versutissimus) se jungere eas ab invicem intendebat. Proinde missa legatione tàm ad Valentinianum Romanorum Augustum, quàm ad Theodoricum Regem Gothorum, utrisque specialiter verba pacis mandando: Romanis quidem, se non adversus eos, sed contra Gothos bellum parare: Gothis verò ea-

Synodus Chalcedonensis.

Attila Hunorum Rex.

rò eadem de Romanis denuncians, utrosque in alterutrum incitare voluit. Sed Aetius, qui tunc Romanorum patricius erat, fraudem Attilæ persensit, scriptisque ex persona Valentiniani ad Theodoricum Regem Gothorum literis, ut contra immanissimum tyrannum, ac totius orbis invasorem ambo convenirent, eum quàm intimè monuit. Igitur Attila dum hoc modo procedere non posset, bellum Gothis apertè indicit. Qui pulsatis per legatos Romanis, Aetium patricium in auxilium accipiunt. Hinc ascitis sibi Francis, Sarmatis, Armatianis, Burgundionibus, Saxonibus, Riparioliis, *Brigonibus, multisque Celticæ ac Germanicæ nationibus, Gothis succurrit. Attila verò cum Athalarico Gepidarum & Walamire Ostrogothorum Regibus, innumeris turbis Regum ac nationum, procinctum movet. In campis ergo Catalunicis uterque consedit exercitus. Attila eventum rerum in extis pecorum perquirit, seque vincendum, sed in altera parte omnium potentiorem casurum, in fœdissimis invenit præsagiis. Qua de re turbatur, sed de hoc quòd ex alia parte virum potentissimum, quem ipse Aetium putabat, occidendum intellexit, animatus suos alloquitur: eosque prioribus virtutis suæ fortunis consolandos denuncians, pugnam aggreditur. Romani eminentiorem locum habebant. Itaque à nona hora diei fortissimis gentibus acerrimè usque ad noctem pugnantibus bellum protenditur. Theodoricus autem Gothorum Rex, juxta quod Attilæ prædictum erat, hac illacque ad exhortationem suorum discurrens, occubuit. Attila in fugam versus victum se prodidit, sed noctis beneficio potuit id occultari. Manè facto, Gothi Regem suum requirunt, sed mortuo invento, cum Thurismundo filio Regis in hostem irruere volunt. Porrò Aetius timens, ne deletis Hunis, Gothi in superbiam elati, Romam premerent, vocato ad se Thurismundo: Fratres (inquit) tui, qui domi remanserunt, Patris morte comperta, regnum invadunt. Tu ergo revertere, ne fortè ipsi te præveniant. Sic Aetius juvenem astutè circumveniens, ea qua dixi causa bello declinare, & ad propria redire edocuit. Fertur de Attila, quod de subselliis pyram fecisset, cui se si hostes irruissent, inijcere cogitaverat. Ceciderunt in hoc famosissimo prælio, ut Jordanis refert, ex utraque parte, CLXV. M. exceptis XV. M. qui in congressu Francorum & Gepidarum priori nocte corruerant. Thurismundus à suis Rex creatus, consilio Aetij in Patriam reversus, Tholosam ingreditur.

*Brionibus:

Attila Clades.

CAP. XXVII.

De eversione Aquileiæ, & processu ipsius usque ad Ticinum, donec monitu Leonis Papæ rediret.

VERUM Attila Gothis recedentibus, securus factus, contra Romanos iter deflectit, Aquileiamque Venetiarum metropolim, quæ in Adriatico sinu posita est, obsidione cingit. Quam dum multo tempore obsidens, capere non valeret, cumque jam exercitus recedere pararet, Attila juxta muros digrediens, ac secum quid ageret mente pertractans, ciconias ex Urbe fœtus suos trahere videt. Quo viso, suos ad eversionem Urbis amplius accendens: Hoc (inquit) omnium prognosticum nobis est. Hæ, inquam, aves, futuræ cladis præsagæ, Urbem ruituram deserunt. Dixit, & instructis machinis, omniumque tormentorum generibus adhibitis, aggreditur Urbem, captamque funditùs, ita ut vix vestigia maneant, delevit. Ferunt quidam, quòd vacuam habitatore Urbem invenerit. Elapsi enim per mare ipso ignorante, in insula, quæ Venetia ex hinc ex Venetorum inhabitatione dicitur, translatis secum cum Patriarchali sede beati Hermagoræ, primi illius Urbis Episcopi, reliquiis, habitare cœperunt. Unde usque hodie inter Gradenses & Aquileienses de Patriarchali dignitate lis esse cognoscitur. Tanta autem in obsidione hujus Urbis & mora & multitudo fuit, ut miræ magnitudinis montem Utinum dictum, quem ipse vidi, in modum aggeris ab exercitu comportatum, incolæ usque hodie affirment. Alij tamen à Julio Cæsare eundem montem factum tradunt. Attila his elatus successibus, cæteras Venetiæ Urbes pervagando, & ad solum usque prosternendo, Mediolanum quoque Liguriæ caput, ac Ticinum, quæ Papia, crudeli animadversione depopulatur. Post hoc dum Romam ire intentat, occurrente sibi Leone Papa, tam auctoritate ac precibus Pontificis fractus, quàm exemplo Alarici, qui post captam Urbem non diu vixit, territus ad propria revertitur.

Attila furor per Italiam.

Utinus mons juxta Aquileiam.

CAP.

CAP. XXVIII.

De morte Aetii & Valentiniani Augusti, irruptione Wandalorum in Romanam Urbem. De Paulino Episcopo, morteque Attilæ, & Martiani Imperatoris.

INTER hæc Valentinianus Actij virtutem æmulans, eum cum Boetio Senatore necari jubet. Quapropter non multo pòst tempore ab amicis ejus, XXX. Imperij sui anno, è quibus cum Theodosio socero suo XXV. cum Martiano reliquos imperaverat vita privatur. Quo mortuo, Maximus accepta uxore ejus Eudoxia, Theodosij filia Imperium usurpat. At Eudoxia Gensericum Wandalorum Regem ob hanc molestiam vocat. Quem dum venturum Romani cognoscerent, Maximum quidem tanquam hujus mali incentorem, tertio ex quo Imperium invaserat mense, membratim discerpunt, & ipsi antiquæ nobilitatis & virtutis immemores ubique diffugiunt. Post hoc Genserico Urbem tanquam habitatore vacuam irrumpere volente, Leo Papa occurrit in porta, eumque ab occisione civium & incendio Urbis abstinere precatur. Igitur barbarus Urbem quidem irrupit, spolia rapuit, ac per XIV. percensuit dies, Eudoxiam cum filiabus duabus inter alios captivos abduxit, ab incendio verò tantùm & cæde civium, juxta Sacerdotis monitum, abstinuit. Facta est autem hæc secunda ab Alarico Urbis irruptio à Wandalis, MCCIV. à conditione sua anno. Wandali capta Urbe per Campaniam diffunduntur, eaque tota igne ac ferro vastata, nobilissimas ejusdem Provinciæ Urbes Neapolim & Nolam expugnant. Hujus Urbis Episcopus sanctissimus Paulinus, pro redimendis captivis, quod in dialogo Gregorij pleniùs habes, barbaris se tradidit. Porrò Gensericus opibus Italiæ ditatus, Trasimundo filio suo Valentiniani Principis filiam copulavit. Cujus filius Hildericus, matris sequens monita, catholicus fuit. Cæterùm Attila ab Italia digrediens, Honoriam Valentiniani Principis sororem sibi dari cum rogasset, nec impetrasset, in terram suam cum indignatione reversus, puellam sibi speciosissimam copulavit. Ob cujus amorem, dum luxuriosa celebrat convivia, inebriatur, nocteque proxima juxta puellam resupinus jacens, sanguine proprio effluente de naribus, suffocatur, maneque facto à suis mortuus invenitur. Justo Dei judicio id factum arbitror, ut qui semper humanum sanguinem sitiverat, proprio quoque sanguine suffocatus interiret. Eadem nocte Martiano in somnis apparuit arcus Atilæ fractus. Hic est Attila, qui (ut quidam ait) in concussionem gentium natus in mundo, terrarum omnium metus, superbus incessu, oculos circumferens, bellorum amator, ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius semel in fide receptis, forma brevis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simus naso, teter colore fuit. In exercitu ejus fuisse quingenta millia Jordanis scribit. Hic etiam dum ubique terrarum discurreret, XI. M. virginum apud Coloniam Agrippinam martyrio coronavit: Beatum quoque Nicasium Episcopum Remis pro domino occidens, martyrem fecit. Non multò pòst tempore Martianus, VII. Imperij sui anno, fraude suorum Constantinopoli necatur.

Wandali Romam capiunt.

Paulinus Episcopus.

Attilæ mors.

CAP. XXIX.

De principatu Leonis in Oriente, confusioneque Romani Imperii in Occidente, morteque Leonis.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCLX. Leo Bissa ortus, ex tribuno militum ab Anatholio Patriarcha coronatus, XLVII. ab Augusto Orientis regnum accepit, filiumque suum Leonem regni socium legit. Porrò occidentis Imperium apud Ravennam Majonnianus acceperat. Quo quarto regni sui anno juxta Dertonam civitatem occiso, Severus rursum Ravennæ absque jussu Augusti, Imperium invadit, quod per quatuor annos usurpans, Romæ diem obiit. Quo mortuo, Augustus Anthemium ex patricio Cæsarem factum Romam misit. Hic Servandum præfectum, in Galliis Imperium usurpare volentem, in exilium trusit, patricium Romanorum eadem molientem occidi præcepit. Verùm Leo Zenonem generum suum Orienti, Basilicum quoque Verinæ uxoris suæ fratrem Africæ præfecit. Cum Ostrogothis etiam pacem faciens, Theo-

Leo Imp. 460.

Theodericum, Theodemiri Walamiri Regis fratris filium, VIII. annos habentem, obsidem accepit: quem pòst tamen patri cum honore remisit. Inter hæc Ridice patricius Anthemium quarto anno Regni sui occidit, ipse verò post tertium mensem diem ultimum clausit. Porrò Leo, vivo adhuc Anthemio, Olibrium ad Urbem miserat, qui Regium nomen simul cum Placidia, Valentiniani Principis filia in uxore accepta, sumens, post VII. menses vitam simul finivit & regnum. Post cujus mortem Ravennæ *Licerius Imperium assumit. Quo sequenti anno expulso, ac in Salona civitate Dalmatiæ Episcopo ordinato, Nepos patricius Nepotiani filius, Occidentis Imperium rexit. Leo ergo Leonem Zenonis ex filia sua filium, Imperatorem fecit. Ipse verò XI. Imperij sui anno, diem ultimum clausit. Hic paucis mensibus imperans, patrem suum Zenonem Imperatorem creavit, ipse verò diem obiit. Porrò Basilicus magister Africæ, uxorem suam Zenobiam Augustam fecit. Igitur dum Zenon ad urbem regiam perveniens, à Senatu ac populo gratanter suscipitur, Basilicus depositis insignibus, ad Ecclesiam fugit.

*Glicerius.

CAP. XXX.

De Imperio Zenonis in Oriente. De Augustulo Romano, & irruptione in urbem Romam sub Odoacro.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCLXXVI. Zeno genere Isaurus, XLVIII. ab Augusto, Orientis Imperium sortitur. Porrò Occidentale, id est Romanum, Nepos tenuit. Hoc à regno pulso, Orestes Patricius filium non jam Augustum, sed Augustulum Imperatorem Occidentis creavit. Itaque cum Romanum Imperium, quod cæteris mundi Regnis obfuscatis, solùm regnari videbatur, cum & ipsi peccatis exigentibus, justo Dei judicio ea, qua aliis mensum erat gentibus mensura, remetiendum fuit. Odoacer natione Rhugus, ex ultimis Pannoniæ finibus, cū Sciris, Thurcelignis, Herulis, ad invasionem ejus procinctum movet. Cui dum Orestes patricius in terminis Liguriæ occurreret, visa manu ejus, territus aufugit, ac in Ticinum se contulit. Quem Odoacer insequens, capta urbe occidit, ac inde per totam Italiam diffuso milite, Regium nomen usurpat. Hic à terra sua egressus, dum per inferiores Noricas partes, vel superiorem Pannoniam transiret, virum Dei Severinum Ravennatensium Episcopum, qui verbum Dei prædicans, juxta radices Comogenis cellam construxerat, adiit, eumque de eventu rei consuluit. Qui prophetico ut erat plenus spiritu, omnia quæ postmodum exitus declaravit, veraciter ei prædixit. Augustulus patrem occisum, captamque ab hostibus cernens patriam, mente consternatus, sponte purpuram XI. Regni sui mense cum Regno pariter deposuit. Odoacer ergo nullo sibi resistente, victor Urbem ingreditur ut hostis, subjectamque sibi ut Rex disponit. Postremò cum tota Italia servitio suo mancipata, per XIV. annos urbs gravi servitute premitur.

Zeno Imp.

Roma ab Odoacro invasa.

CAP. XXXI.

Exclamatio, brevisque Imperii Capitulatio.

EXCLAMARE contra rerum mutabilium miserias tempore & loco exigente, cogimur. Ecce enim Regnum illud maximum, ac potentissimum, ac quod solo nomine gentes terrebat antè, orbem concutiebat, jam paulatim decrescendo, & ex prima irruptione, quæ sub Alarico facta est, dehonoratum, postmodum in conculcationem barbaris patuit. Et ut apertiora quæ diximus fiant, misera Urbs primò ab Alarico, secundò à Genserico capta tantùm, ac populata, nunc verò ab Odoacro non solùm capta, sed jure Principis in potestatem ac Imperium per XIV. annos lachrymabiliter subacta invenitur. Et inde (sicut superius dixi) non solùm ortus ejus, sed & finis Babylonico similis apparet Imperio. Illa post non multos annos conditionis suæ gentes cœpit subiicere. Hæc similiter, cum ad robustam venit ætatem, paulatim crescendo, ac primò vicinas urbes subvertendo, pòst ad ulteriora se extendendo, ad totius orbis pedetentim apicem venit. Sed sicut nemo repentè fit summus, vel præcipitanter de summo infimus: ita prædicta Urbs cum in summo (ut dixi) quo altius in terra non potuit, fastigio fuit, humiliari deberet, cœpit paulatim vires perdere, & quasi jam in senili

Roma Babyloni similis.

ætate posita, defectum honoris, quem in robusta contraxerat ætate, pati. Accessit etiam ad miseriarum cumulum, quæ semper caducarum rerum interitus est, sedis mutatio sub Constantino facta. Et sicut ibi Regno ad Medos translato, solo nomine mansit Imperium: sic & isto ad Græcos, seu Francos derivato, Urbis tantùm antiquæ dignitatis ac nominis manet vestigium. Illa primùm ab Arbato præfecto suo dehonorata est, post à Cyro etiam subacta. Hæc similiter ab Alarico primò dehonestata, postmodum ab Odoacro jure Principis possessa est. Sed quia de rerum mutationibus, regnorumque imminutionibus, ad ostendendos mortalium casus, mundique instabiles rotatus, scribere proposui, sicut suprà dixisse me memini, cum Roma parturiretur, Babylonia finem accepit: sic & modò dum Regnum Francorum seminaretur, Roma sub Augustulo suo, in ultima senectute, à conditione sua M. CCXXVII. anno, barbaris tradita, occasum minatur.

CAP. XXXII.

Qualiter, unde, vel quomodo Franci in Gallias venerint, ibique ejectis Romanis, regnare cœperint.

HIC quod supra promisi, dicendum puto, qualiter Franci, quorum mentionem fecimus, in Gallias venerint, & quomodo à Romanorum principatu sejuncti, in propria actoritate manere cœperint. *Sicambri postea Franci.* Hi (ut dixi) à Troia digressi cum in Scythia sedes posuissent, dicti sunt Sicambri. Dum ergo toto Orbe in provinciam Romanorum redacto, & ipsi inter alios subacti fuissent, elapso tempore, causa quam supra reddidimus, à Valentiniano dicti sunt Franci, ac per X. annos propriæ libertati relicti. Quibus expletis, dum Romani solitum tributum repeterent, Franci, ut assolet, libertate effrenes facti, tributum dare renuerunt. Habuerunt autem inter se antiqui nominis & virtutis Principes Priamum & Antenorem. Qua de re dum contra eos à Romanis pugnatur, occiso cum multis aliis Priamo Rege eorum, reliqui elapsi in partibus Germaniæ, circa Thuringiam consederunt, cum principibus Priami & Antenoris filiis, Marcomede & Sunnone. Porrò defuncto Sunnone, communicato consilio, Marcomedis filium Pharamundum sibi Regem creavere. Leges quoque Wisigastaldo & Salagasto *Leges Salicæ.* auctoribus exhinc habere cœpere. Ab hoc Salagasto legem, quæ ex nomine ejus Salica usque hodie vocatur, inventam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur. Pharamundo mortuo, Clodius filius ejus crinitus, à quo Francorum Reges criniti sunt dicti, successit. His diebus (ut suprà dixi) Francia quasi seminata, Roma paulatim cœpit minui. Jam gentes quæ Romanorum provincias, non regna habitabant, Reges creare, jam ex illorum potestate subduci, ac in proprij arbitrij auctoritate stare discunt. Hinc Gothi dum ipsam quoque Urbem depopulati essent, in Gallica provincia, ut dixi, ultra Ligerim consederunt. Burgundiones quoq; juxta Rhodanum habitaverunt, qui & illi non multo pòst Reges habere cœperunt. Sic & Franci Rheno transmisso, *Franci in Galliam.* Romanos qui ibi habitabant, primò fugant, pòst captis Tornaco & Cameraco Galliæ urbibus, ac inde paulatim progredientes Remis, Suessonam, Aurelianum, Agrippinam, Treverim, ac penè totam Galliam, atque Germaniam, ab Aquitania usque in Baioariam sibi subjugant. Clodio mortuo, Meroveus filius ejus, à quo Franci Merovingi dicti sunt, successit. Post quem Hildericus Regnum adeptus, dum luxuriosè viveret, à suis pulsus est, Egidiusque Romanus in locum ejus substitutus. Porrò Hildericus post octo annos revocatus, Agrippinam invadens, ejectis inde Egidij fautoribus Romanis, positisque suis, ex Francorum incolatu, Coloniam eam vocavit. Mortuo autem Egidio, filius ejus Siagrius in civitate Suessona regnavit. *Franci Christo nomen dant.* Hildericus etiam vita decedens, Clodoveo suo filio Regnum dimisit. Hic est Clodoveus, qui à beato Remigio baptizatus, primus Francorum Regum Christianus fuit. Verùm Siagrius cum Clodoveo decertare non valens, ad Alaricum, qui IX. ab Alarico magno Gothorum Regnum tunc gubernabat, confugiens, à Clodoveo reposcitur, *Lingua Gallica.* traditusque necatur. Romani etiam qui in Galliis habitabant, ita ut nec reliquiæ ibi invenirentur, exterminati sunt. Videtur mihi inde Francos, qui in Galliis morantur, à Romanis linguam eorum, qua usque hodie utuntur, accommodasse. Nam alii qui circa

ca Rhenum, ac in Germania remanserunt, Teutonica lingua utuntur. Quæ autem lingua eis antè naturalis fuerit, ignoratur. Itaque Clodoveus subjugatis Alemannis, Gothis quoque & Aquitanicis, jam Christianus factus bellum indicit. Quò dum pergeret, beato Martino votum vovit. Cumque victis Gothis, & occiso Alarico revertitur, ditata beati Martini Ecclesia à cubiculariis equum suum eis traditum, dum redimere C. solidorum precio vult, ille immobilis mansit. Quem dum superadditis aliis C. solidis solvisset, dixisse fertur: Martinus bonus in auxilio, carus in negocio.

CAPUT XXXIII.

Conclusio Libri quarti.

TRANSCURSIS igitur à Constantino usque ad imminutionem hujus maximi regni, Gothorum quoque fortissimæ gentis attenuationem, præcipuè cum ad Francorum, quibus postea Monarchia cessit, principia devenerimus, cum jam Roma cadente, Francia ad accipiendam coronam surrexerit, ac maxima caducarum rerum novitate ac volubilitate, à præsentis vitæ illecebris abstracti, & ad supernæ patriæ stabilitatem appetendam, ex præsentium calamitatum consideratione, etiam nolentes attracti: huic quarto Operi terminum demus, ut ea quæ sequuntur expeditiùs exequamur.

LIBRI QVARTI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORUM

LIBER SEXTUS.

PROLOGUS.



NTER *prima elementorum rudimenta, ac Grammaticæ artis præcepta, audire solent pueri, quòd quanto juniores, tantò sint perspicaciores. Quod non inconvenienter dictum puto, dum & priorum, qui ante nos sapientiæ studuerunt, scriptis & institutis informamur, ac processu temporum & experientiis rerum tantò maturiùs, quanto in provectioris orbis ævo positi edocemur, per nos quoque his quæ ante nos inventa sunt, comprehensis, eodem quo & illi spiritu, nova invenire possumus. Hanc in senio mundi ex his quas dixi causis, sapientiam fore multiplicandam Propheta prævidit, qui ait:* Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. *Hinc est quòd multa antecessores nostros, præclaræ sapientiæ ac excellentium ingeniorum viros, latuerunt causæ, quæ nobis processu temporum, ac eventu rerum, patere cœperunt. Proinde Romanum Imperium, quod pro sui excellentia à paganis æternum, à nostris penè divinum putabatur, jam ad quid devenerit, ab omnibus videtur. Et sicut suprà dixi, omnis humana sapientia, vel potentia ab Oriente ordiens, in Occidente terminari cœpit. Et de potentia quidem humana, qualiter à Babyloniis ad Medos & Persas, ac inde ad Macedones, & pòst ad Romanos, rursumque sub Romano nomine ad Græcos derivatum sit, satis dictum arbitror. Qualiter verò jam ad Francos, qui Occidentem inhabitabant, translatum fuerit, in hoc Opere dicendum restat. Sapientiam primò in Oriente, id est, in Babylonia inventam, ac inde in Ægyptum, eo quòd Abraham tempore famis illuc descendit, translatam fuisse, Iosephus in primo Antiquitatum libro ostendit, ita dicens de Abraham:* Arithmeticam eis contulit, & quæ Astrologiæ quoque sunt, ipse contradidit, *nam ante adventum Abraham, hoc Ægyptij penitùs ignorabant. Dehinc derivatum ad Græcos, Philosophorum tempore, idem auctor innuit his verbis:* A Chaldæis enim hæc plantata in Ægypto noscuntur. Unde etiam pervenisse dicuntur ad Græcos. *Sic Iosephus. Deinde eam ad Romanos, sub Scipionibus, Catone ac Tullio, & præcipuè circa Cæsarum tempora, Poetarum grege diversa carmina concinente, ac pòst ad ultimum in Occidentem, id est, ad Gallias & Hispanias nuperrimè diebus illustrium Doctorum,* Manigoldi & Anshelmi, translatam apparet. Quarum rerum prævidere, & quasi somniare divinitùs inspirati homines, causas potuere. Nos verò non solùm credere, sed & videre quæ præmissa sunt possumus: dum mundum, quem pro mutatione sui contemnendum prædixerunt, nos jam deficientem, & tanquam ultimi senij extremum spiritum trahentem cernimus. Porrò de duabus civitatibus, qualiter una in alia latendo usque ad adventum Christi, ac inde ad Constantinum paulatim progressa profecerit, suprà satis dictum puto. A Constantino verò exterioribus malis ad plenum sopitis, cœpit intestinis malis, instigante diabolo, auctore Arrio, cooperantibus rerum Dominis Augustis, graviter angi, usque ad Theodosium seniorem. Ac deinceps, quia omnis non solùm populus, sed & principes Catholici fuerunt, exceptis paucis, videor mihi non de duabus civitatibus, sed penè de una tantùm, quam Ecclesiam dico, historiam texuisse. Non enim, quamvis electi & reprobi in una sint domo, has civitates, ut suprà, dixerim duas: sed propriè unam, sed permixtam tanquam grana cum paleis. Vnde in sequentibus libellis non solùm Romanorum Augustis, sed & aliis nobilium regnorum regibus Christianis factis, cum in omnem terram, & in fines orbis terræ exierit sonus verbi Dei, tanquam sopita civitate mundi, & ad ultimum plenè exterminanda de civitate Christi, sed quamdiu peregrinatur, utpote sagena missa in mare, bonos & malos continente, cœptam historiam prosequamur. Manet tamen adhuc perfidia infidelium Iudæorum & Gentilium civitas, sed regnis nobilioribus à nostris possessis, illis jam non solùm ad Deum, sed & ad seculum ignobilioribus, vix aliqua ab eis gesta stylo digna, vel posteris commendanda inveniuntur.*

Dan. 12.

Iof. Antiq. lib. 1. cap. 8.

* addunt alia exempl. Berengarij.

OTTONIS CHRONICORUM LIBER QUINTUS.

CAP. I.

Quomodo Theodericus Gothorum Rex, à Zenone in Italiam missus, Odoacrum occidit, ipseq; tyrannicè vivens, Boetium in carcere posuit, regnumq; cum vicinis Regibus confirmavit.

OCCUPATO à barbaris Romanorum Imperio, Zeno Augustus Theoderico, XII. ab Hermanarico Ostrogothorum Regi, Occidentis Imperium permisit, senatum, populumque Romanum summopere sibi commendans. Igitur dum Theodericus Gothorum viribus fultus, in Italiam tenderet, ac juxta Socium fluvium in Aquileiensium finibus castra metatus fuisset, Odoacer ei cum magno exercitu occurrens, in fugam eum vertit. Inde cum circa Veronam consedisset, rursum inito certamine, Odoacer terga vertere compellitur. Fractus his malis Odoacer, ad urbem iter flectit. Sed dum portis clausis, ei introitus negaretur, cunctis in circuitu igne ferroque vastatis, ad Ravennam digreditur. Quem Theodericus subsequens, per triennium obsidione cinxit, tandemque interposita fide, ad deditionem susceptum, infideliter occidit. Verùm Rhugi Odoacri socii, Ticinum, cui beatus Epiphanius præsidebat, cum adjacenti regione vastabant. Hic Episcopus tantæ Sanctitatis fuit, ut dum à Theoderico pro redimendis captivis ad Gundebandum Burgundiæ Regem mitteretur, VI M. captivorum pro sola religionis suæ reverentia, sibi à Rege reddita dicantur. Theodericus occiso Odoacro, ad urbem divertens, cum magno civium gaudio suscipitur. Vide Rempub. miserabiliter labefactatam, cerne populum illum sapientia ac viribus quondam orbis Dominum, ad tantum venisse defectum, ut à barbarica tyrannide conculcatus, gravique Dominio mancipatus, non nisi à barbaro liberari queat, tyrannum subjectè ac gratanter suscipiat, ut alterius tyranni dominationem effugiat. Itaque Theodericus Romanorum potitus Imperio, haud memor ab Augusto suscepti mandati, fasque, nefasque barbaricè commiscens, ac cives diversis injuriis contumeliose afficiens, Imperium vertit in tyrannidem. Cernens hoc clarissimus vir, consularis ordinis Anicius Manlius Boetius, ac rationis intuitu animadvertens, dum tyrannidi ejus obviare molitur, ab eo in exilium trusus, Papiæ in carcere ponitur, ubi de Contemptu mundi philosophicum utile valde scripsit opus. Extant præter hæc, alia scripturarum suarum monimenta præclara, inter quæ contra Sabellium & Arrium de fidei S. Trinitatis regulis, ac contra Nestorianam Euticianamque hæresim, Ecclesiæ Dei tam utile, quàm subtile reliquit opus. Libros etiam Aristotelis de Græco in Latinum vertit eloquium, & ad eorum lucubrationem plurima commenta vel edidit, vel transtulit. At introductionem quoque Topicorum Aristotelis librum de Topicis sententiis. Theodericus utcunque acquisitum regnum, tanquam alienigena firmare volens, Clodovei Francorum Regis filiam in matrimonium accepit, Amalfredam germanam suam Wandalorum Regi copulavit. Duas quoque filias, unam Sigismundo Burgundionum Regi, aliam Alarico Wisigothorum Regi dedit. Hic est Alaricus, qui postmodum à Clodoveo (quod nos in priori Libro per anticipationem diximus) victis Gothis interfectus est.

D. Epiphanius.

Boethius ejusq; scripta.

CAP. II.

De morte Zenonis, & substitutione Anastasii, & Schismate Romanæ Ecclesiæ, & exilio Episcoporum Africæ, morteque Anastasii, & Clodovei.

ANNO ab incarnatione Domini CCCCXCI. regnante sexto post Pharamundum Clodoveo Rege Francorum, Zeno XVII. Imperii sui Anno moritur. Cui dum

frater suus Longinus succedere parat, ab Adriagne repellitur, & Anastasius ipsius consilio, *Anastasius Imperator.* consensuque omnium XLIX. ab Augusto Imperium adeptus, Adriagnem in coniugium sortitur. Ergo regnante in Oriente Anastasio Euticiano, Theoderico verò Arriano Romam premente, magna discordia in Ecclesia Dei oritur, Simmacho & Laurentio pro sede pontificali in Urbe contendentibus. Cui controversiæ cum multo clericorum ac laicorum sanguine, per tres annos contiuè protractæ, synodo convocata, Theodericus finem imposuit. *Contentio de Papatu.* Nam Simmachum saniori electum consilio, in cathedra firmavit, Laurentiumque depositum in Lucerina civitate Episcopum fecit, quem tamen postea tumultuantem, exilio in Dalmatiam relegavit. In hoc schismate Pascasius diaconus zelum Dei, non scientiam habens, Laurentio adhærens, post mortem suam, ut beatus Gregorius in dialogo scribit, quamvis tantæ Sanctitatis fuerit, quòd mortuo eo per dalmaticam ipsius feretro impositam, cæcus illuminatus sit, pœnas solvit. His diebus Trasimundus Genserici filius, Wandalorum Rex, ob catholicam fidem CCXX. Episcopos ad Sardiniam insulam in exilium misit. *D. Fulgentius.* Ea tempestate Fulgentius Episcocus vita & scientia clarus, insignis habebatur. Per idem tempus Arrianus quidam Olympius nomine, dum in Africa indigna ac blasphema verba de Deo diceret: igneo gladio cœlitùs percutitur in balneo. Quidam etiam dum ab ejusdem hæresis Episcopo baptizari vult, heretico dicente: Baptizo te in nomine Patris, per Flium, in Spiritu sancto, subitò aqua non comparuit. Quo viso, qui baptizandus erat, ad Ecclesiam confugit, ac juxta catholicæ fidei normam, baptismum accepit. Porrò Anastasius Clodoveo Regi Francorum per epistolas dignitatem Consulatus obtulit, & ipse ab Euticiana hæresi, propter admonitionem Hormisdæ Papæ non recedens, sed pertinaciter in ea manens, XXVII. Imperij sui anno, fulmine (ut à quibusdam dicitur) ictus interiit. Clodoveus quoque XXX. anno, & vita & Regno perfunctus, Lotharium filium cum tribus alijs fratribus reliquit, qui Regnum inter se diviserunt.

CAP. III.

De imperio Iustini, & revocatione Episcoporum, de exilio. De persecutione Theoderici, in qua Ioannes Papa, Simmachus & Boetius extincti sunt. De morte ejusdem tyranni, & visione inde monstrata, Iustinique obitu.

Iustinus Imperator. ANNO ab incarnatione Domini DXIX. regnante in Francia cum fratribus Lothario, Iustinus senex natione Illyricus, L. ab Augusto, Senatus voluntate Imperium accepit. Hujus diebus Hildericus ex Eudoxia Trasimundi filius, Regnum adeptus, cum esset catholicus, universos Episcopos à patre exilio relegatos revocavit. Iustinus etiam Augustus zelo fidei hæreticos persequebatur. Ad quem Theodericus Arrianus Ioannem Papam misit, denuncians ut ab Arrianorum persecutione cessaret, aut se Christianos afflicturum. Quod dum Princeps miseratus, ob sacerdotis preces annueret, ac ipsum cum honore susceptum, honorificè dimitteret, reversum ad se Theodericus in vinculis posuit, fameque afflictum sacrilegè extinxit. Simmachum verò patricium, ac Boetium senatorem nobilissimum, cujus suprà mentionem feci, antè crudeliter necaverat. Ob ea non multis pòst diebus, XXX. Imperij sui anno, subitanea morte rapitur, ac juxta beati Gregorij dialogum, à Ioanne & Simmacho in Ætnam præcipitatus, à quodam homine Dei cernitur. Hinc puto fabulam illam traductam, qua vulgò dicitur, Theodericus vivus equo sedens ad inferos descendit. Quòd autem rursum narrant eum Hermanarico, Atilæque contemporaneum fuisse, omnino stare non potest, dum Atilam longè post Hermanaricum constat exercuisse tyrannidem, istumque post mortem Atilæ octennem à patre obsidem Leoni Augusto traditum. Defuncto Theoderico, Athalaricus, filiæ suæ Amalsuildæ filius, decem annos habens, Regni gubernacula suscepit. Hunc cum adhuc viveret pater, Principibus Gothorum commendaverat, exhortans eos, ut Senatum ac populum Romanum diligerent, Principemque Orientis propitium habere studerent. Iustinus verò Iustiniano sororis suæ filio Imperatore post se destinato, VIII. imperij sui anno finem vitæ fecit.

CAP.

CAP. IV.

De principatu Justiniani, multisque pietatis ejus insignibus, triumphisque plurimis. De claris viris, qui sub eo fuerunt. De gente Longobardorum, exaltatione imperii, morteque ejus.

Iustinianus.

ANNO ab incarnatione Domini DXXVII. Justinianus LI. ab Augusto, Imperium suscepit, regnantibus adhuc in Francia Clodovei filiis. Hic tam strenuissimus, quàm Christianissimus, Imperium quasi mortuum resuscitavit, Remp. labefactatam plurimùm reparavit, ac inter cæteras gestorum fortium virtutes, per Belisarium patricium de Persis, qui Romanos fines invaserant, magnificè triumphavit. Leges ante ipsum editas, profusè & inordinatè compactas compendiavit, & ad ordinem revocatas in unum volumen compilavit, quæ hactenus ex ejus nomine Justinianeæ vocantur. Multis quoque per latitudinem Imperii sui decoris basilicis Ecclesiam Dei adornans, inter alias omnium materia & opere præstantissimam in Urbe regia, in honorem divinæ Sapientiæ, quam Græci Sophiam vocant, construxit. Herulorum Regem nomine Gratem, Constantinopolim ad se venientem, in Epiphania Domini baptizari fecit. Tunc etiam Rex Hunnorum Garda, & mulier quædam vidua ex Hunnis, cum C. millibus gentis suæ fidem & baptismi gratiam accepisse feruntur. Porrò Atalaricus adolescentiam suam, ac matris viduitatem, juxta patris monitum, Augusto commendans, in tuitionem à piissimo Principe suscipitur. Ipso verò non multo pòst à suis occiso, mater ejus Theodatum in Regnum ascivit. Qui ne dicam ingrati, sed infidi militis officium gerens, eam in balneo strangulavit. Igitur Justinianus Belisarium patricium primò in Africam destinavit, Wandalisque deletis, provinciam à barbaris liberatam, Romano Imperio restituit. Pòst cum eundem contra Theodatum, tanquam traditorem, regnique invasorem mitteret, fractus animo tyrannus, Agapitum Papam ad eum pro impetranda pace direxit. Qui Imperatorem cum Euticetis errore deceptum, ad Catholicam fidem revocasset, Principem ac Anthemium Regiæ urbis Episcopum, eandem hæresim defendentem, excommunicasset, ipse ibidem vita functus, migravit ad Dominum. Hic Pontifex tantæ sanctitatis fuit, quòd in porta urbis regiæ, in ipso ad Imperatorem ingressu, cæcum illuminavit. Inter hæc Belisarius Theodatum perfidiæ suæ pœnam solvere compellens, interfecit. Witigem post mortem Theodati regnum invadentem, captivum Constantinopolim misit, regnumque Gothorum, quod per duo millia, vel amplius annorum Jordanis stetisse commemorat, finivit: & sic tam ex Africa Wandalis, quàm ex Italia Gothis extirpatis, utrasque in pristinum statum reduxit provincias. Hucusque Jordanis Episcopus, natione (ut ipsemet testatur) Gothus, Gothorum historiam, necnon & Chronica sua perduxit.

Corpus Iuris civilis. — *Finis regni Gothorum.* — *Finis Chronicorum Jordanis.*

Belisarius adhuc cum Theudeberto Francorum Rege Lotharij fratre, qui cum CC. millibus Italiam invaserat, pugnam commisit, regnantibusque Francis pacem concessit, ac Italiæ finibus eos, sine Romani militis damno, cedere persuasit. Inter hæc Parthi cum exercitu Syriam, Neocæsareamque vastantes, Antiochiam tendunt. Quibus dum Germanus patricius cum Justino filio consule, decertare non sufficeret, relicta urbe, ad partes Ciliciæ se contulit. Persæ tanquam vacuam urbem irrumpunt, prædam diripiunt, urbes vicinas populantur, & totius Celesiriæ bona unius anni spatio demoliuntur. Quos Belisarius Gothicæ ac Wandalicæ victor, collecto milite coercuit, & Romanorum finibus egredi compulit: sed recrudescentibus ac tumultuantibus Gothis, cum Rege suo Totila, moræ locum ibi non habens, in Italiam iter reflexit.

His diebus Longobardorum gentes, qui à Scanzia insula, unde & Gothi, egressi fuerant, cum Alboino Rege suo in Pannonia habitabant. Hi non multo pòst Italiam, quam hactenus incolunt, ut pòst dicetur, occupaverunt. Belisarius in Italia manens, præcepto Theodoræ Augustæ, Sylverium Papam, eò quòd Anthemium hæreticum ab Agapito antecessore suo excommunicatum absolvere nollet, falsorum testium accusatione criminatum, invitus in exilium misit. Vigilio successori ejus, sub quo quinta synodus generalis Constantinopoli congregata fuit, similiter fecit.

Longobardi in Italiam effusi.

Sub hoc Pontifice Arator subdiaconus, Actus Apostolorum versibus defloravit. Per idem tempus floruere Cassiodorus Senator, ac Dionysius Abbas, quorum prior librum Psalmorum luculenter exposuit: Alter cyclos Paschales subtiliter composuit. Priscianus Cæsariensis Grammaticæ libros ad Julianum consulem

patricium profusos, sed necessarios, officioso opere edidit. His etiam diebus, signis & prodigiis, vitaque continentissima primò eremita, pòst abbas clarus habebatur beatus Benedictus, qui multos verbo & exemplo ædificans, & ad arctioris vitæ viam accendens, monachorum regulam (ut Gregorius ait) sermone luculentam, discretione præcipuam, quæ hactenus in Ecclesia florere cognoscitur, descripsit. Qui verò alii tunc principes, aut cives civitatis Christi, vita & scientia insignes fuerint, si quis scire vult, legat Dialogum Gregorij. Corpus sancti Antonii repertum, Alexandriæ reconditur. Justinianus Princeps egregius, Remp. juxta tempus suum satis exaltatam, XXXIX. Imperij sui Anno diem obijt. Hucusque Victor Turonum Episcopus Chronica sua perduxit.

S. Benedictus.

Finis Chronicorum Victoris.

CAP. V.

De Imperio Justini, ejusque bonis operibus. De cultu Regis Indorũ. De plurimis victoriis per Narsetem factis, & introitu Longobardorum in Italiam, morteque Augusti.

Iustinus junior Imp.

ANNO ab incarnatione Domini DLXVII. regnante in Francia Hilperico Clotharij filio, cum tribus fratribus, Justinus junior Justiniani nepos, natione Thrax, LII. ab Augusto, Imperium ab Euticio Patriarcha coronatus suscepit. Hic cum esset Catholicus, Ecclesias Dei, quas antecessor suus ædificaverat, preciosis thesauris & largis possessionibus ditavit. Hujus diebus pax inter Romanos & Persas rumpitur. Imperator verò ad Aretham Indorum Regem Julianum misit: qui ut postmodum retulit, cum penè nudum, circa lumbos tantùm cincturam, & linea vestimenta auro contexta, & circa ventrem indumenta scissa, margaritis preciosis conserta, in brachiis quinos circulos, & armillas aureas, in capite pannum gemmis ornatum, in collo torquem aureum habentem, super quatuor elephantes, rotis quatuor curru excelso innitente, stantem, scutum paruissimum deauratum, cum duabus lanceolis aureis tenentem, invenit: quem cum contra Regem Persarum armasset, revertitur. Misso enim Narsete auxilio Longobardorum, Totilam Regem Gothorum interfecit, eandemque gentem de Italia radicitùs extirpavit. Bucellinum à Rege Francorum ad devastandum Italiam missum occidit. Sindoaldum Brendorum Regem, qui de comitibus Odoacri in Italia adhuc superfuit, suspendio peremit. Itaque cum Narses Patricius deletis barbaris, Italiam in pristinum statum reduxisset, Romani (ut assolet) prosperitati ejus invidentes, ad Imperatorem ejusque uxorem Sophiam legatione missa, in pluribus eum accusabant. Qua de re motus Princeps, Longinum ad occupandum locum ejus misit in Italiam. Sophia quoque Augusta muliebriter concrepitans, Narsetem utpote eunuchum, inter fœminas in gynæceo suo se posituram denunciat. Quæ omnia ægre ferens Narses, Neapolim se contulit, missaque legatione, Longobardos de Pannonia in Italiam vocavit. Quorum prodigia maxima adventum (ita ut igneæ acies in cœlo cum sanguine, qui postmodum fundendus erat, beato Gregorio teste, visæ sint) præcesserunt. Exhinc Roma non solùm transalpinas regiones, sed ipsam etiam Italiam, quæ extunc à barbarorum inhabitatione usque in hodiernum diem Longobardia vocatur, perdidit. Porrò Justinus Tyberium comitem in filium adoptavit, ac Cæsarem legit. Cum verò pedibus æger jaceret in lecto, ac se moriturum cognosceret, vocato ad se Euticio Pontifice, ac Senatu, Tyberium ex Cæsare fecit Augustum. Ipse autem XI. Imperii sui anno diem obijt.

Longobardia nomen.

CAP. VI.

De Imperio Constantini, eleemosynisq; ejus. De pecunia quam invenit, Persisq;, quos per Mauritium devicit. De Gregorio tunc Archidiacono, ac morte Imperatoris.

Constantinus Imp.

ANNO ab incarnatione Domini DLXXVI. Tyberius Constantinus, natione Thrax, ab Euticio Patriarcha coronatus, LIII. ab Augusto imperavit. Hic dum uxorem suam Anastasiam Augustam vocaret, Sophia prædecessoris sui conjunx, eò quòd ipsi jungi cogitabat, graviter indignata, Justiniano ad Imperium aspirare persuasit. Sed dum ad effectum res procedere non posset, Justinianum quidem accepta

ab eo

ab eo pecunia, Princeps in gratiam recepit, Sophiam verò omnibus ei Regni delicijs ablatis, privatam vivere fecit. Pecunias etiam quas Iustinianus malè congregando repositas habebat, largè pauperibus erogavit. Fertur de eo, quòd dum in palatio suo deambularet, videretque in pavimento crucem sculptam, jubens eam auferri reverenter, Crucem, ait, Domini in fronte gestare, non pedibus calcare debemus. Qua ablata, dum alia apparuisset, ac illa rursum sublata, dum tertia inventa fuisset, infinitam pecuniam auri reperisse traditur. Narsete quoque patricio mortuo, plurimum auri & argenti in puteo invenisse memoratur, quæ omnia more suo pauperibus erogavit. Completum in eo cernitur, quod Dominus ait: *Omni habenti dabitur*, dum largè res suas pro Christo distribuens, largas ab eo impensas accepit. *Luc. 19.* Idem vastata Italia à Longobardis sub Benedicto Papa, dum Roma plurimùm fame laboraret, missis ab Ægypto navibus, multa frumenti modiorum millia civibus donavit. Persas fines Imperij irruentes, per Mauritium Ducem gloriosè devicit, eique postmodum filiam suam in matrimonio conjunxit, & Cæsarianam dignitatem contulit. Hilperico Francorum Regi magnifica dona misit. His diebus beatus Gregorius Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, à Pelagio Papa Constantinopolim missus, Moralia Iob Leandro scripsit, & Euticium ejusdem urbis Episcopum, sub præsentia Principis in fide resurrectionis errasse convicit. Verùm Tyberius Imperator Christianissimus, substituto sibi in Imperio consilio Sophiæ, genero suo Mauritio, VII. Imperij sui anno in pace quievit.

CAP. VII.

De principatu Mauritij, persecutione ejus in beatum Gregorium tunc Papam. De viro Dei Columbano, discipulisque suis. De visione & eventibus Mauritij, fineque ejus.

ANNO Domini DLXXXIII. Mauritius Cappadocus, primus ex genere Græcorum, LIIII. ab Augusto, Imperium est adeptus. *Mauritius Cæs.* Hujus diebus beatus Gregorius civitatis Dei verus civis, Romæ consensu Imperatoris à clero ac populo electus, pontifex ordinatur. Quem tamen Princeps, cum esset inexplebilis avaritiæ, quæstus gratia plurimùm persequebatur. Ea tempestate vir Dei Columbanus, natione Scotus, Luxoviensis Abbas, à Brunehilde Burgundionum Regina, eo quòd eam de pessimis operibus suis, ac maleficijs zelo Dei argueret, tanquam justus Helias à Iezabel gravem persecutionem passus, monasterium mutare, ad in Italiam ad locum, qui Bobium dicitur, transire, ibique usque ad diem obitus sui manere compellitur. *S. Gregorius Papa Columbanus.* Hujus discipuli clarissimi Regni Christi cives fuere: Leodegarius, qui postmodum Antisiodorensem regens Ecclesiam, martyrio coronatur: Romaricus, qui in monte, qui ex nomine suo mons Romarici dicitur, sanctimonialium nobile fundavit cœnobium: Gallus, qui in Suevia in territorio Constantiensi residens, egregiam ex nomine suo, quæ multis honoribus ac divitijs modò locupletata cernitur, tenet Ecclesiam. *Leodegarius Romaricus S. Gallus.* & alii quam plures. Fertur enim quòd trecentorum prædictus vir Dei pater extiterit monachorum, qui omnes patris secuti monita, excepto Ebervino, inter cives Christi ascripti creduntur. Hic enim solus ex illis caducis honoribus à Brunehilde illectus, retrò abijt, & militiæ cingulum sumsit, majorque domus effectus, multis malis præfatos Dei servos afflixit, ac beatum Leodegarium martyrem fecit. Verũ Brunehildis scelerum suorum pœnas luens, postmodum à Clothario Rege caudis indomitorum equorum alligata, finem vitæ miserabilem fecit, nobisque exemplum abhorrendæ immanitatis ejus reliquit. At Mauritius cum à persecutione beatissimi Papæ Gregorij non cessaret, XIX. Imperij sui anno videt in somnis virum monachico habitu, gladium in manu habentem, ad se terribiliter venire, ac eum moriturum palàm pronunciare. Quo viso perculsus, culpamque suam recognoscens, tam summo pontifici Gregorio, quam alijs Episcopis, Abbatibus, solitarijs scripsit humiliter, ut Deo pro eo exorato, quòd in præsenti, & non in futuro pœnas peccatorum suorum solveret, precibus impetrarent. Ipse quoque multis lachrymis idem Deo commendabat. Cum ergo Deus ad petitionem Ecclesiæ Imperatorem exaudire vellet, vidit in somnis, se coram crucifixo apud æneam palatij portam stare, vocemque terribilem audire: *Date Mauritium* : & iterum, *Vbi vis reddam tibi mala quæ fecisti? hic, an in futuro?* Cumque ille responderet,

Non

Non in futuro, juſſit eum cum uxore, liberis, ac cognatione Focæ tradi. Manè facto, Philippico genero ſuo ad ſe vocato, narratoque ſomnio, ſi Focam cognoſcat, requirit. Tum ille pauliſper ſecum deliberans, Iuvenis eſt inquit, & temerarius. Nuncij quoque quos ad viros Dei miſerat, reverſi, ſimilia viſioni reportabant reſponſa. Porrò exercitus à Mauritio miſſus, cum ob ejus avaritiam laborarent fame, in ſeditionem verſi, Focam Imperatorem creant. Quod audiens Mauritius, ac ex viſione ſibi monſtrata futura præſagiens, fugit. Quem Focas inſecutus, juxta Calcedonam cum uxore ac filijs culpam ſuam humiliter cognoſcentem, ſecundum quod ei in viſu monſtratum erat, anno Imperij ſui XXI. decollavit. Fertur quòd decollato eo, lac, quod indulgentiæ à Domino inventæ ſignum eſſe ominatur, cum ſanguine effluxerit.

Mauritij miſerabilis cædes.

CAPUT VIII.

De Imperio Focæ, tranſituque beati Gregorij. De duobus, qui poſt eum erant, Bonifacio & Coſdroa Rege Perſarum, interituque Focæ.

Phocas Imp.

ANNO Domini DCIII. Focas LV. ab Auguſto, Imperium ſortitur habens uxorem Leontiam nomine. Hic primò patricij cujuſdam ſtrator, pòſt miles, ad ultimum Imperator fuit. Anno Imperij ejus II. beatiſſimus Papa Gregorius, qui verbo & exemplo civitatem Dei plurimùm illuſtraverat, migravit ad Dominum, ſcripturarum ſuarum dulciſſima relinquens monimenta. A quo III. Bonifacius impetravit à Foca, ut ipſius auctoritate, Romana Eccleſia caput omnium diceretur Eccleſiarum. Nam Conſtantinopolitana ſe primam, puto propter Regni ſedem illuc translatam, ſcribebat. Poſt hunc alius Bonifacius IIII. à beato Gregorio, precibus ab eodem Auguſto obtinuit, ut templum à Domitiano Imperatore conſtructum, quod Pantheon vocabatur, Eccleſiæ Dei datum, in honore omnium ſanctornm dedicaretur. His diebus Coſdroas Perſarum Rex, Orientem pervagatus, multas Romanis provincias abſtulit, ac vivificæ crucis vexillum ab Hieroſolymis aſportans, in ſolio ſuo, ubi ſe ut Deum adorari fecerat, poſuit. Focas autem cùm multa ſcelera & homicidia perpetraſſet, ab Heraclio, Heraclij patricij prætoris Africæ filio, vocatu Priſci patricij generi ſui, VIII. Imperij ſui anno interficitur.

NB. Romana eccleſia caput reliquarum.

CAP. IX.

De principatu Heraclij, magnificoque eius triumpho, & reportatione S. crucis. De Anaſtaſio monacho, & Mahumet, Regnoque Dagoberti, & victoria eius. De timendo fine Heraclij.

Heraclius Imp.

ANNO Domini DCXII. Heraclius occiſo Foca, à Sergio Patriarcha coronatus, LVI. ab Auguſto Imperium ſortitur, regnante in Francia Lothario Hilperici filio, Anno Imperij ſui II. ab Eudoxia filium Heraclium, ſeu Conſtantinum habuit. Mortua verò Eudoxia, Martinam ſororis ſuæ filiam inceſtè ſibi copulavit, ac Heraclonam ex ea ſuſcepit. Hucuſque Iſidorus Epiſcopus hiſtoriam ſuam perduxit.

Finis hiſtoriæ Iſidori.

Anno Imperij ſui VIII. dum pacem à Coſdroa Perſarum Rege peteret, nec impetraret, III. poſt hoc, id eſt, XI. Regni ſui anno, procinctum in Perſidem movet, occiſoq; ſingulari congreſſu ſuper pontem Danubij Codroæ filio, vaſtata Perſide, Coſdroam quoq; ablato de prophana manu ejus ligno ſanctę crucis, interfecit, ac VII. demum ex quo exierat anno, ad Regiam urbem victor rediens, non multo pòſt lignum ſalutiferum Hieroſolymam reportavit. Exhinc exaltatio ſanctæ crucis in Eccleſia Dei celebrari cœpit.

Feſtum Exaltationis crucis.

His diebus Anaſtaſius Perſa, primò magus, pòſt fide aſſumpta monachus factus, nobile pro Chriſto martyrium cum alijs LXX. à Perſis, Marzabona iudice, peregit: cujus tunica mox dæmoniacus indutus curatur. Hujus corpus Heraclius cum captivis de Perſide reportavit, ac in monaſterio beati Pauli, quod ad* Aquas ſalſas dicitur, ubi nunc religioſorum monachorum cœnobium ex nomine ſuo vocatum eſſe cognoſcitur, honorificè condidit. Circa idem tempus Mahumet, quem Saraceni hactenus colunt, ex ſtirpe Hiſmaelis, Patre gentili, & matre Judæa fuiſſe dicitur.

**al. aquas ſalivas.*

Mahometes pſeudo propheta.

His

His diebus Lothario mortuo, Dagobertus admodum puer, educatus à beato Arnulfo majore domus, qui postmodum Metensium Episcopus fuit, in Francia, excepto quòd fratri suo Heriberto, circa Ligerim quasdam urbes ac pagos dimiserat, solus regnavit. A Clodoveo enim usque ad id temporis, regno Francorum inter filios, filiorumque filios multifariè diviso, confusè regnatum est. Erat autem Francorum jam terminus ab Hispania usque in Pannoniam, duos nobilissimos Ducatus Aquitaniam & Baioariam, Aquitaniam quidem ad Occidentem, Baioariam ad Orientem habens. Dagobertus ergo totius Regni principatum tenens, Baioarijs legem dedit. Hic dum adhuc vivente patre Lothario, cum Saxonibus pugnam inijsset, ac graviter vulneratus fuisset, misso ad patrem nuncio, acceptoque auxilio, rursum certamen aggreditur, victisque ac fatigatis Saxonibus, omnem provinciam suæ ditioni subijciens, cunctos ejusdem gentis masculos, qui gladii sui, quem tunc fortè gerebat, mensuram excederent, necasse traditur. Beatus Cunibertus Coloniensem tunc regebat Ecclesiam. Igitur Heraclius à Sergio Patriarcha deceptus, Euticianus hæreticus efficitur. Mathematicus etiam & Astrologus factus, prævidens in stellis circuncisos Imperium suum vastaturos, arbitrans hos Judæos esse, missis ad Dagobertum Regem Francorum nuncijs, omnes Regni sui Judæos baptizari postulat & impetrat, ipseque in Regno suo similiter facit. Non multo pòst tempore, Agareni gens circuncisa Imperium vastant. *Sarraceni in Imperio grassantur.* Quos dum Heraclius misso exercitu cohibere vellet, centum L. M. perdidit. Qua de causa dum apertis portis Caspiis, gentem sævissimam, quam Alexander Magnus ob immanitatem sui semper mare Caspium incluserat, educeret, bellumque instauraret, nocte ab Angelo quinquaginta duo millia de exercitu ejus percussa feruntur. Unde fractus animo Princeps, & ex dolore in tumorem versus, ac hydropicus factus, XXVII. Imperij sui anno vivendi finem fecit. Vide justissima Dei judicia. Princeps iste, qui primò per virtutem crucis de potentissimo rege Persarum triumphavit, postmodum à Saracenis, amisso milite, ex dolore velut rationis expers, ejusque per quod antè vicerat, signi immemor factus, crudelissimam gentem, quam etiam gentilis homo incluserat, impræmeditatè educens, à Domino justè flagellatur, ut & ipsi pœnitentiæ locus, & posteris exemplum correptionis relinqueretur. Hæc omnia ad contemptum mundi, amoremque Dei, qui & sperantes in se remunerat, ac contemnentes condemnat, nos provocare debent.

CAP. X.

De Imperio Heraclij, ejusque nece: & de ultione illorum qui hoc fecerant. De nova hæresi Pyrrhi & Cyri.

ANNO ab incarnatione Domini DCXXXIX. regnante in Francia Dagoberto, Constantinus Heraclius, Heraclij filius, LVII. ab Augusto, regnum est adeptus, *Constant. Heraclius Cæsar.* IV. Imperii sui mense, fraude novercæ suæ Martinæ, Pyrrhique Patriarchæ veneno necatur: ipsaque cum filio suo Heracleona Regnum usurpans, per duos annos tenuit. Mutilatis ergo naribus filij matrisque lingua abscisa, Constans Constantini Heraclij filij filius, à Senatu Imperator creatur. Pyrrhus quoque patriarcha, sceleris auctor, in Exilium truditur, & in locum ejus Paulus subrogatur. Hic est Pyrrhus, qui cum Cyro *Pyrrhus hæreticus.* Alexandrino Episcopo hæresim, quæ duas in Christo voluntates negabat, condidit.

CAP. XI.

De Imperio Constantis, & Martino Papa. De victoriis ejus, & itinere ad Urbem. De filiis Dagoberti, morteque Constantis.

ANNO ab incarnatione Domini DCXLII. pulso cum matre Heracleona, Constans Constantini filius, LVIII. ab Augusto regnavit. *Constans.* Hic cum in eandem in quam avus suus Heraclius, hæresim fuisset lapsus, Martinum Papam, eò quòd Paulum Patriarcham, Pyrrhum & Cyrum habita synodo excommunicasset, apud Cersonam in exilium misit: ubi multis miraculorum signis refulgens, migravit ad Dominum. Porrò Constans congregata sub Vitelliano Papa synodo, hæresim abdica-

abdicavit, ac beato Petro miræ magnitudinis Evangelia auro cooperta, gemmis ornata misit. Ipse verò non multis post diebus Italiam à Longobardorum potestate eripere volens, per æquora navigando Tarentum applicuit. Post Beneventum veniens, omnes penè civitates, quas Longobardi inhabitabant, cepit, ac Luceriam usque ad solum prostravit. Deinde accepta obside sorore Romaldi, Grimaldi Regis filia, Neapolim iter flectit, inde ad Urbem iter tendens, Vitellianum Papam in VII. milliario obvium cum clero & populo habuit: ac ita honorificè Romam ingressus, Beato Petro pallium auro textum obtulit. Cogitabat autem Imperium ad Urbem transferre, eò quòd Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinum Papam commisso consilium dederant, tanquam hæreticorum fautores exosos haberet. Hujus diebus beata Gertrudis virgo, Pipini filia, beato fine quievit. Dagoberto quoque mortuo, Clodoveus filius ejus successit. Nam alij filio, Sigeberto scililet, dum adhuc viveret, Austrasiam reliquerat, eumque Cuniberto Coloniensium præsuli, & Pipino commendaverat. Constans ab Urbe digressus, Siciliam ingreditur, ubi per VI. annos moratus. Fraude suorum XXVIII. Imperij sui anno, in balneo perimitur. Quo mortuo, Mitium quendam Armenium Imperatorem milites creant. Hoc comperto, Constantinus Constantis filius, Siciliam intravit, Mitiumque cum interfectoribus Patris occidit, ac compositis rebus in Hesperia, ad urbem Regiam redijt.

S. Gertrudis.

CAP. XII.

De principatu Constantini, & synodo congregata, damnataque hæresi Cyri, & Pyrrhi. De Angiso majore domus Franciæ, Lamperto Episcopo, morteque Constantini.

Constantinus Pogonatus

ANNO ab incarnatione Domini DCLXX. Constantinus Constantis filius, cum duobus fratribus Heraclio & Tyberio, LIX. ab Augusto, Imperium sortitur, regnantibus in Francia Dogoberti filijs. Hujus diebus missis ab Agatone Papa legatis Constantinopolim, sexta synodus CL. vel juxta alios CCLXXXIX. Episcoporum, præsidente Georgio ejusdem urbis Patriarcha, & Machario Antiocheno, qui juxta Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & alios antecessores suos, unam voluntatem, & unam operationem asserebant esse in Christo, in præsentia Principis congregatur. Revocatoque per Apostolicæ sedis legatos ad Catholicam fidem Georgio, Macharius cum sequacibus suis anathematizatur, ac Theophanus Abbas de Sicilia in locum ejus subrogatur. In eadem synodo damnata hæresi, tantæ aranearum telæ in conspectu omnium ceciderunt, ut in hoc facto omnes errorum sordes expulsas cuncti animadverterent. His diebus beato Arnulfo, qui major domus fuerat, seculo abrenuncianti, postmodum in Ecclesia Metensi pontifice facto, Angisus filius suus principatum majoris domus tenuit. Beatus Lampertus Trajectensem, quæ pòst Leodium translata est, gubernavit Ecclesiam. Constantinus XVII. Imperij sui anno diem ultimum clausit.

Sexta synodus œcumenica.

S. Lampertus.

CAP. XIII.

De Imperio Justiniani Constantini, Kiliano, Pipino majore domus. De Tyberio & Leontio, & VII. synodo.

Iustinianus Barbati F. Cæsar.

ANNO ab incarnatione Domini DCLXXVII. Iustinianus Constantini filius, LX ab Augusto imperavit. Hic cum Sarracenis pacem fecit, ac Africam ab ejus liberatam, Romano Imperio subjecit. Hic etiam Sergium Papam, qui hæreticæ Synodo suæ in urbe Regia celebratæ subscribere noluit, misso Zacharia Protospatario captivum ad se duci præcepit, sed militia Ravennatensium erepto de manu ejus pontifice, Zachariam Urbe expulit. Eo tempore sanctus Kilianus cum socijs suis martyrio coronatur. Sanctus Remaclus Trajectensium Episcopus beato fine quievit. Pipinus filius Angisi, major domus effectus, Regnum Francorum administravit, cujus anni in Catalogo Regum deinceps annotantur: Reges enim exhinc omnibus Regni negotiis, & honore nudati, solo nomine regnabant, majores verò domus curam Regni habebant. Justinianus à Leontio patricio, quem ipse per triennium in vinculis tenuerat, X. Imperij sui anno, præciso primùm naso, in exilium truditur, & Leo, qui & Leontius,

Kilianus. Remaclus.

per

per tres annos Imperium occupavit. Quibus expletis, Tyberius, qui & Absimarus, abscisso naso Leontii, cum in monasterium trusit, regnumque usurpatum, VII. annis tenuit. His diebus sub beato Sergio Papa VII. synodus Aquileiæ congregatur.

CAPUT XIV.

De reditu Iustiniani, quem mutilatis naribus Tyberius & Leontius expulerant, ultioneque ejus. Qualiter Constantinum Papam vocans, honestè tractavit, Philippicumque persequens ab eo occisus est.

ANNO ab incarnatione Domini DCXCVII. Justinianus, qui à Leone pulsus fuerat, adjutorio Trebellij Bulgarorum Regis, regia Urbe capta, Imperium recepit, ac postmodum per sex annos tenuit. Hic Tyberium & Leontium captos, ac in catenis positos, per plateas trahi, & post universo populo acclamante: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.* pedibus colla eorum calcans, ad ultimum decollavit. Eos verò qui factionis erga eum perpetratæ rei fuerant, diversis pœnis cruciari fecit, ac penè quotiescunque de mutilatis naribus guttam reumatis detersit, aliquem illorum necari præcepit. Gallicinum Patriarcham erutis oculis, Romam in exilium misit, ac Cyrum Abbatem Ponti, qui ei exuli necessaria ministraverat, in locum ejus substituit, Tyberiumque filium suum regni consortem fecit. Constantino etiam Papa accersito ac honorificè suscepto, culpas ei suas humiliter confitetur, ac postmodum omnibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ privilegiis renovatis, eum cum honore remisit. Porrò collecto milite, Philippicum quem in Ponto relegaverat, comprehendere voluit. Qui ab exercitu Imperator creatus, sexto ab Urbe regia miliario pugna commissa, Justinianum occidit: filiumque ejus fideles Philippici necaverunt.

Psalm. 9r.

CAP. XV.

De principatu Philippici, hæresique eius, & morte.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXIII. Philippicus remotis à catalogo Regum Leontio & Tyberio, qui vivente Justiniano regnum invaserant, LXIII. ab Augusto regnavit, in Francia solo nomine regnante Dagoberto juniore, Pipino verò majore domus, omnem regni honorem habente. Hic amore cujusdam Monachi inclusi & hæretici, qui eum regnaturum prædixerat, synodum Pseudoepiscoporum convocat, ac sanctam & universalem VI. synodum reprobat. Cyro quoque deposito, ac in monasterium truso, Joannem erroris sui socium, patriarcham in Urbe regia ordinat. Misit quoque Constantino Papæ de fide sua literas, quas ille respuit. Præterea populus Romanus statuit, ne ejus chartæ, vel figuræ reciperentur, vel nomen, utpote hæretici, inter missarum solennia recitaretur. Hic dum sabbato sancto Pentecostes egressus à balneo circa meridiem in lecto cubaret, à Rufino ac Theodoro patricio per auream portam egressus, comprehensus, post annum, & VI. menses, ex quo regnaverat, excæcatur.

Philippicus Bardanes.

CAP. XVI.

De Imperio Anastasii, augmentoq; ac victoriis rei Francorum sub Carolo seniore maiore domus, ac defectu Imperii Romanorum, Anastasioq; clerico facto.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXIV. Artemius, qui mutato nomine dictus est Anastasius, in die sancto Pentecostes, LXIV. ab Augusto, Imperator creatur. Hic juxta quosdam tribus annis regnavit. Alij verò scribunt, uno anno & tribus mensibus, Philippicum verò duobus annis ac IX. mensibus regnasse. Quam controversiam Scriptores viderint. Anastasius ergo regnum adeptus, missis Romam literis Catholicæ fidei defensorem ac sexti Concilij assertorem se pronunciavit. Hujus diebus Dagobertus moritur Rex Francorum: Pipino quoque majore domus mortuo, Carolus filius ejus regnum Francorum per XXVII. annos, Regibus adhuc, sed sine honore ac utilitate manentibus, administravit. Hic Magni Caroli avus, Reginfridum

Anastasius secundus Imp.

k regnum

Caroli majoris domus Franciæ res geſtæ.

regnum invadere volentem, multis ac gravibus bellis preſſit, ac ad ultimum relicta ſibi tantùm ad habitandum Andegavenſium civitate, regno coercuit. Is etiam victis Bajoarijs, Alemaniam quoque, quam Sueviam dicunt, cum Landfrido Duce eorum ſubjugavit. Gaſchoniam cum Eudone Aquitaniorum Duce devicit. In Saxonia ac Friſia fortia bella geſſit. Sarracenorum, qui cum uxoribus ac liberis Aquitaniæ fines ingreſſi fuerant, CCCLXXXV. millia fudit, ex Francis tantùm mille quingentis (Eudone Aquitaniæ Duce, in Epiſtola quam beato Gregorio Papæ ſecundo ſcripſit teſte) amiſſis. Hic rurſum XX. Imperij ſui anno Gaſchoniam ingreſſus, Eudonem occidit, ac ſequenti anno contra filios ejus bellum inſtauravit. Sarracenos denuò Gallias intrare volentes, juxta Narbonam delevit. Qui dum iterum provinciam capta Arelato vaſtant, à Leuprando Longobardorum Rege, qui filium ejus Pipinum, tonſa cæſarie, adoptaverat in filium, petito & accepto auxilio, de finibus ejus fugere coguntur. Igitur dum regnum Francorum multis modis ſub bellicoſiſſimo Principe Carolo augmentaretur, regnum Romanorum, quod ad Urbem regiam translatum fuerat, non ſolùm ab hoſtibus amiſſis Provinciis imminuebatur, ſed & inteſtinis malis intra ſe collidebatur. Etenim circa principia principatus Caroli, conjuratione facta, milites adverſus Anaſtaſium Theodoſium creant Imperatorem invitum. Quo comperto Anaſtaſius in Nicæam ſe contulit: quem Theodoſius conſerto prælio vicit, ac clericum factum, poſtmodum in presbyterum ordinari fecit.

CAP. XVII.

Quòd & Theodoſius ſucceſſor illius, clericus factus, Leoni Imperium dimiſerit: & de inundatione Tyberis.

Theodoſius 2. imperat.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXVII. Theodoſius LXV ab Auguſto, Imperium ſortitus, uno tantùm anno imperavit. Leo enim Orientalium prætor, civile bellum parans, filium ejus Theodoſium in Nicomedia comprehendit. Ob ea fractus animo Theodoſius, conſilio Germani Patriarchæ ac Senatus, ſponte purpura depoſita, clericus efficitur. His diebus Tyberis inundans multa ædificia Romæ ſubruit, duransque VII. dies, civibus litaniam agentibus, octavo demum die ceſſavit.

CAP. XVIII.

De Imperio Leonis Syri, ejusque impietatibus. De Bonifacio, Pirmenio, Beda, & obſidione regiæ Urbis, morteque Leonis.

Leo Imp.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXVIII. Leo natione Syrus, LXVI. ab Auguſto, imperavit, manente adhuc in Francia Carolo ſeniore. Hic imagines Domini ac ſanctorum incendi, & multos impietati ſuæ reſiſtentes decollari juſſit. Inter cæteros paſſa fuit virgo Chriſti Theodoſia, cujus uſque hodie maxima in Urbe regia manet memoria & veneratio. In Eccleſia enim ſanctimonialium integro corpore humata ſervatur, omnibusque advenientibus tanquam cœleſtis medica, inter manus virginum deportata adhibetur, ac tanquam pro bono omine quoſcunque culcando gravem ſe præbuerit, habetur. Quod & nuper dum Hieroſolymitana expeditio ſub Conrado Romanorum, Ludovico Francorum Regibus ageretur, nos cum multis aliis experti fuimus. Leo Germanum etiam Patriarcham ſede ſua pellens, Anaſtaſium in locum ejus ſubſtituit. Qua de cauſa Gregorius Papa commonito ſæpe per literas Imperatore, ac incorrigibili invento, Italiam ab ejus Imperio recedere perſuaſit. Per idem tempus ab eodem Pontifice Bonifacius in Germaniam miſſus, beatus quoque Pirmenius, qui multorum Monaſteriorum pater exitit, clari habebantur. Reliquiæ ſancti Auguſtini à Sardinia in Ticinum à Leoprando deportantur. Beda etiam venerabilis Anglorum presbyter, multa Scripturarum ſuarum monimenta relinquens, in pace quievit. His diebus Sarraceni Urbem regiam per triennium obſidione cinxerunt, tandemque clamantibus ad dominum civibus, fame, frigore, peſtilentia correpti diſceſſerunt. In Urbe quoque CCC. millia peſtilentia periiſſe feruntur. Verùm Leo Imperator impius XXIV. imperii ſui anno moritur.

S. Theodoſia.

S. Pirminus. Beda obitus.

CAP.

CAP. XIX.

De Imperio Constantini Leonis filii, ejusque pessimis operibus, morteque Caroli, ac successione filiorum ejus.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXLII. Constantinus Leonis filius, LXVII. ab Augusto, patri in regnum successit. Hic per omnia patrem malitia supergressus, maleficiis, ac cruentis sacrificiis, & invocationibus dæmonum, luxuriæ quoque ac immunditiæ inserviens, Ecclesiamque Dei more antiquorum tyrannorum persequens, tam crudelis ac impius fuit, ut justo judicio Dei, tam ob ejus, quàm ob Patris malitiam, regnum illud nobilissimum imminutum videatur. Anno Imperij ejus primo, Carolus Pipini filius moriens, tres filios Carolomannum, Pipinum & Grifonem reliquit. Horum Grifo, qui minor natu erat, consilio uxoris suæ Schuanehildæ, Udulionis Bajoariorum Ducis consanguineæ, occupata Lauduno, fratribus bellum indicit. Qui collecto milite, Laudunum obsidione cingunt, fratremque in deditionem acceptum, in castello juxta Alvernam custodiæ manciparunt. *Constantinus Copronymus.*

CAP. XX.

De bellis filiorum Caroli, fundationeque Fuldensis monasterij, qualiter unus Monachus factus, alter Pipino fratri rebellans, in pacem sit vocatus.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXLIII. Pipinus & Carolomannus primò in Aquitania contra Hunaldum ejusdem Provinciæ Ducem, procinctum movent, captoque castello, quod Lucas dicitur, in loco qui vetus Pictavis vocatur, regnum dividunt: Carolomanno Austriam, Alemaniam, Thuringiam, Pipino verò Burgundiam, Neustriam Provinciam sortito. Deinde multis præliis commissis, anno ab incarnatione Domini DCCXLVI. cùm jam Fuldense monasterium fundari cœperat, Carolomannus aperit fratri suo se seculo abrenunciare velle. Quod sequenti anno ad effectum perducens, & ad Zachariam Romanum Pontificem veniens, ab eo clericus factus, primò in monasterio S. Sylvestri, quod in monte Soracte situm est, Monachicum habitum assumpsit. Sed cum multis ex Francia ad se venientibus, optata quiete perfrui non posset, ad monasterium S. Benedicti in monte Cassino positum, se contulit, ibique reliquo vitæ suæ tempore feliciter conversatus fuit. Verùm Grifo fratri rebellans, Bajoariam ejecto inde Thassilone Duce, occupat. At Pipinus Thassilonem in Ducatum restituit, fratrique XII. comitatus concessit: quibus ille non contentus, ad Waifarium Ducem Aquitaniæ fugit. *Carolomannus fit Monachus.*

CAP. XXI.

Quod Pipinus pro nomine Regio consultum ad Romanum pontificem misit, regnante Hilderico Merovingo.

ANNO ab incarnatione Domini DCCLI. cum (ut sæpè jam dixi) Regibus Francorum solo nomine regnantibus, majores domus omnem regni curam administrarent, Pipinus qui hanc dignitatem per successorem acceperat, Burchardum Herbipolensem Episcopum, & Folradum Capellanum suum, ad Zachariam sciscitandi gratia misit. Pontifex ergo, melius esse, ut ille qui curam omnium haberet, Rex diceretur, quàm qui solùm nomen Regis gereret, remandavit. Eo tempore Hildericus ex antiquorum Francorum Regum, qui à Merovio, Clodij filio, Merovingi dicebantur, sanguine descenderat, inane (ut supra dixi) Regium nomen tenebat.

CAP. XXII.

Quòd reversis nunciis auctoritate Papæ Pipinus ad regnum eligitur, & quòd Stephanus successor Zachariæ pro persecutione ad Regem venit.

IGITUR anno ab incarnatione Domini DCCLII. reversis à Roma nunciis, auctoritate Zachariæ Papæ, Pipinus à beato Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque *Corona Galliæ Merovingis adempta.*

regni Principibus in Sueſſiona civitate ad regnum eligitur. Anno ſequenti Zacharia defuncto, Stephanus Papa ſucceſſit. Is cùm multa ab Aiſtulfo Longobardorum Rege pateretur, Pipino ab expeditione Saxonum revertenti, ubi & nuncium de fratris ſui morte Griphonis habuit, in villa quæ Cariſius dicitur, occurrit, eumque ut ſanctæ Eccleſiæ ſuæ Romanæ ſuccurreret, rogavit.

CAP. XXIII.

Quòd Pipinus cùm cæteris Francorum primoribus à ſacramento abſolvitur, & in Regem ungitur, & de civibus Chriſti, qui hoc tempore erant.

ANNO ab incarnatione Domini DCCLIV. Pipinus à Stephano Papa primò à fidelitatis ſacramento, quod Hilderico promiſerat, cum aliis regni Francorum primoribus abſolvitur: ac detonſo Hilderico, & in monaſterium detruſo, poſtmodum in Regem ungitur. Hic Merovingorum regno finito, Carolingorum, per quod etiam Conſtantinopolitanum minendum erat, cœpit. Ex hoc Romani Pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt. Pipinus igitur re prius, ex hinc nomine, ſimul ac re, regnum Francorum gubernavit. Hujus diebus floruerunt clariſſimi regni Chriſti Principes, Bonifacius prædictus Moguntinus Archiepiſcopus, Virgilius Juvanienſium præſul, Corbinianus Friſingenſis Eccleſiæ Antiſtes, & alij quàm plures.

Corolingorū auſpicia. NB.

CAP. XXIV.

De beato Corbiniano.

SED quia beati Corbiniani mentionem fecimus, cujus locum indigni tenemus, tanti viri geſta omnino ſilentio præterire, inconveniens arbitramur. Hic Waldegiſo patre ac matre Corbiniana, claris ad ſeculum parentibus generatus, in ipſa etiam pueritia divinam gratiam, quàm poſtmodum plenè accepturus erat, prælibavit. Etenim mundi non detentus illecebris, de cuncta Parentum ſubſtantia ſolo victu & veſtitu contentus, in cellula quam ſibi conſtruxerat, habitavit. Vindemiarum autem tempore, dum quidam vini primitias ei obtuliſſet, muſti ferveſcentis impetus, ſpinam vaſis excuſſit. Sed vir Dei regulare ſilentium nolens violare, famulis quidem hoc indicare diſtulit, orationibus tamen vinum, ne inutiliter efflueret, cohibuit. Cum verò fide & virtute qui altiùs proveheretur, dignus eſſet, à beato Gregorio Urbis Romæ Epiſcopo, præſul ordinatus, ad gentes deſtinatur. Igitur per vallem Tridentinam rediens, ac Bajoariàm ingreſſus, à Taſſilone Duce, ejusque filio Theodone, benignè ſuſceptus, monte Friſingen accepit: ubi primò Eccleſiam, quæ uſque hodie cernitur, in honorem beati Benedicti conſtruxit, ac Monachorum ibi ſacrum conventum adunavit. Eſt autem mons idem in pulcherrimo & amœniſſimo loco poſitus, limpidiſſimarum aquarum, ac præcipuè Iſaræ rapidiſſimi fluvii curſu conſpicuus, totam illius regionis faciem, & ex Auſtrali plaga latiſſimam campi planitiem, tamquam è ſpecula longè, lateque contemplans. Hic illis diebus ſylvis circumſeptus, quaſi venatorum ſpecula fuiſſe traditur. Manent & adhuc ſylvarum in plano inter harundineta veſtigia, ſcilicet antiqui trunci, cervorum quoque uſque hodie, ac capreolarum multitudo copioſa. Ex ſeptentrionali verò plaga, adhuc ſylva non mediocris, quæ Foreſtus vulgò dicitur, ædibus ac igni plurimùm civitati utilis, ſuperſtes cernitur. Contigua quoque monti terra ex Auſtro Iſara, ex Aquilone ambra fluviis incluſa, in ſinum quendam fertiliſſimum, ad quatuor Teutonica milliaria protenditur. In fine cujus, ubi prædicti amnes confluunt, locus, qui Moſenburga dicitur, pulcher valde & delectabilis, in beati Caſtuli Eccleſia congregationem clericorum habens, poſitus cognoſcitur. Beatus ergo Corbinianus Friſingenſem Eccleſiam plurimis honoribus ac poſſeſſionibus locupletavit, ac ſanctiſſimæ vitæ documentis informavit. Fertur de eo, quòd quadam vice dum pro Eccleſiæ neceſſitate Romam pergeret, urſus ſaginarium ſuum occiderit, cui vir Dei capto ſaginam impoſuit & ut eam deferret præcepit, ac verbum Dei omni gladio penetrabilius effectum, indomitam beſtiam mandatis viri obtemperare coegit. Eodem itinere ſociis in loco defer-

Legenda Corbiniani Friſingenſium præſulis.

Friſingenſis montis Topographia.

Miracula Corbiniani.

deserto fame laborantibus, aquila subitò piscem detulit, cujus esu cuncti qui aderant, cum stupore & admiratione refecti & exhilarati sunt. Alio tempore ad Regem Pipinum iter faciens, latronem suspendio adjudicatum, dum precibus à judice liberare non valeret, signo crucis munivit, profectusque ad Regem, reum illum jam suspensum, sive vivum, sive mortuum sibi donari postulat, & impetrat: celeriterque reversus illum triduanum in patibulo vivum repertum, illæsum deposuit, & correctum abire permisit. His aliisque quæ longum est exequi, virtutibus, virtutumque miraculis, iste vir Dei præfatam Ecclesiam primus irradiavit antistes.

CAP. XXV.

Quòd Pipinus rogatu Stephani in Italiam ingressus sit. De morte Bonifacij, rursumque ingressu Pipini in Italiam. De legatione Constantini ad Pipinum. De bellis variis Pipini, morteque eius.

ANNO ab incarnatione Domini DCCLV. Pipinus Rex rogatu Stephani Papæ contra Aistulfum Longobardorum Regem Procinctum movens, Italiam ingredi disponit. Cui dum Longobardi in arctis locis montium obsisterent, cæsis multis, magno labore claustra penetrans, in plano resedit. Porrò Aistulfus Papiam se contulit, quem Pipinus tamdiu circumdedit, donec receptis XL. obsidibus, ac jurejurando interposito, ne amplius Romanam Ecclesiam infestaret, obsidione solveret, Stephanoque Pontifice cum militia Francorum honorificè ad sedem propriam remisso, ipse ad propria remearet. Hoc anno beatus Bonifacius Archiepiscopus, qui (ut ajunt) terminos Episcopatuum Bajoariæ, sicut hodie manent, distinxit, Fuldenseque cœnobium fundaverat, ac multa Ecclesiæ Dei profutura opera, tam in Gallia quàm in Germania patraverat, verbum vitæ prædicans, à Fresonibus martyrio coronatur. Anno sequenti cum Aistulfus ea quæ laudaverat, irrita faceret, Pipinus eum denuò Papiæ obsessum, promissa implere compulit. Insuper etiam Ravennam cum aliis plurimis Italiæ Urbibus beato Petro designavit, ipseque reversus est in Gallias.

Pipinus Longobardos domat.

S. Bonifacius

Ravennâ ad Romanam Ecclesiam

NB.

Anno dehinc proximo cum jam (ut sæpè dixi) Francorum regno crescente, Romanum decresceret, Constantini Augusti nuncij Pipino munera deferentes, ad eum apud Compendium veniunt. Tassilo quoque Bajoariorum Dux, illo cum majoribus suæ gentis veniens, Regi, filiisque suis fidelitatem sacramento promisit. Sequenti anno Rex gravi ac laborioso bello Saxones devicit, eosque tributarios fecit. Non multò post elapso tempore, contra Waifarium Aquitaniæ Ducem, eò quòd Ecclesias sui juris infestaret, militem instaurat, acceptisque ab eo obsidibus, revertitur. His diebus beatus Othmarus in Insulam Renistein relegatus, migravit ad Dominum. Pipinus Waifarium adhuc rebellantem, multis ac gravibus bellis pressit. Tassilo etiam Bajoariorum Dux, postposita fide, avunculo suo Pipino suo rebellare attentat. Difficilia & periculosa hæc tempora, duobus fortissimis Ducibus, Aquitaniæ ac Bajoariæ Regi rebellantibus fuere. Ea tempestate Turci à Caspijs portis egressi, cum avaribus multis utrobique profligatis, conflixere. Igitur Pipinus multis ac variis bellis patratis, ad ultimum Waifarium interfecit, ac non multo post in reditu Turonis informatus, & inde Parrhisios deportatus, anno ex quo in Regem unctus est XIV. ex quo verò principari post mortem patris cœperat, XXVI. diem obiit, duos relinquens filios, Carolum & Carolomannum.

S. Othomarus.

CAP. XXVI.

De regno Caroli, variisque bellis eius contra Aquitanicos & Saxones, ingressuq; eius in Italiam, morteq; Constantini Augusti.

ANNO ab incarnatione Domini DCCLXIX. imperante adhuc Constantino, Carolus diviso cum fratre regno, regnare cœpit. Hic primo Hunaldum, qui occiso waifaro bellum in Aquitania renovabat, ad Lupum Gaschonum Ducem fugavit. Post quem tam ipsum, quam Lupum in deditionem accepit, & sequenti anno in Vormacia gene-

Longobardi à Francis sub jugum acti.

generalem curiam celebrans, orationis causa limina Apostolorum visitare disponit. Tertio regni sui anno, Carolomanno fratre suo mortuo, uxoreq; illius cum filiis ad desideriū Longobardorum Regem fugiente, Carolus solus regnans, cum exercitu Saxoniam ingreditur, omnibusque ferro ac igne vastatis, acceptis obsidibus, revertitur. Dehinc rogatu Adriani Papæ Italiam ingreditur, & desiderium Longobardorum Regem Ticini obsidione inclusit, ibique dimisso exercitu, Romam orationis gratia pergit. Inde reversus, Urbem fatigatam ad deditionem compulit, Regemque captivum abduxit. Inter hoc Saxones absentia Regis elati, fide posthabita, contigua terræ suæ loca populantur. Porrò rex sub acta Italia, reversus in Franciam, tripertito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendiisque vastata terra, prædam immensam diripuit, & non multo post regressus, denuò ab eis obsides accepit. His diebus Constantinus persecutor, XXXV. Imperii sui anno mortuus est, eique filius suus Leo successit.

CAP. XXVII.

De Imperio Leonis, morteq; ejus, & item de victoriis Caroli contra Saxones.

Leo 4. Imp.

ANNO ab incarnatione Domini DCCLXXVI. Leo LXVI. ab Augusto Imperium accepit, Hic primò visus est mitior, unde & Principes filium ejus Imperatorem postulant. Per idem tempus Saxones more suo non semel, sed sæpè pactum mentientes, Carolus diversis præliis pressit, ac plurimis ex eis fidem Christianam accipere persuasit. Porrò Leo Imperator V. Imperij sui anno moritur.

CAP. XXVIII.

De principatu Constantini: & patriciatu Caroli.

Constantinus Leonis F. Cæsar.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXXXI. Constantinus filius Leonis, LXVII. ab Augusto,, patri in regnum successit. Huic Caroli filia desponsata, à matre sua alij copulatur. Anno Imperij ejus primo, Carolus Rex Romam veniens, ab Adriano Papa honorificè suscipitur: ibique sancto Paschate celebrato, Pipinus filius ejus in Regem Italiæ, & alius, Ludovicus scilicet, in Regem Aquitaniæ ab eodem Pontifice ungun tur: ipse verò acclamante populo universo, Patricius Romanorum appellatur. Misit etjam Adrianus Papa nuncios ad Tassilonem, qui eum de fidelitate Regis monerent.

CAP. XXIX.

De Tassilone Duce, qualiter Monachus factus sit, & de excæcatione Constantini, Imperioque matris suæ Hyrene.

CIRCA idem tempus Rege Pascha Domini celebrante *Inglinheim*, Tassilo cum majoribus gentis suæ venit: ubi dum accusatus à Bajoariis fuisset, quòd Regi non servasset fidem, quinimò avares, id est, Pannonios ad vastandum regnum induxisset, cum de his & alijs hujusmodi convictus fuisset, majestatis reus, ac capitali sententia plectendus judicatur. Rex tamen misericordia motus, in monasterio Laureacensi, quod ipse construxerat, eum monachicum habitum assumere, ac de peccatis pœnitentiam agere permisit. Constantinus verò consilio matris suæ Hyrene, ut ajunt, cæcatus, non multo post, XIV. Imperij sui anno, diem obiit: regnavitq; post eum mater sua V. annis, digna cujus diebus Orbis Imperium, quod in manus fœminæ non dignè devenerat, ad Francos transferretur.

Irene Imperatrix.

CAP. XXX.

Quòd Leo Papa malè à Romanis tractatus, Carolum ad Urbem vocaverit, ipseq; de objectis se purgaverit.

ANNO ab incarnatione Domini DCCXCIX. Leo Papa, qui Adriano successerat, in litania majore, à Romanis flagitiosissimè, ita ut oculi ejus eruti viderentur, tracta-

tractatur: qui ad Regem Carolum veniens, eventum rerum deplorat. Igitur Carolus victorioſiſſimus, qui jam ſubjugatis ſibi Bajoariis, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Nortmannis, Britannis, Pannoniis, multisque aliis Provinciis regnum Francorum plurimùm dilataverat, dignus qui altiùs proveheretur, Papam ulturus ad Urbem tendebat. Cui pridie quàm Urbem intraret, Leo ad duodecimum lapidem occurrit, eumque honorificè ſuſcepit. Mane facto Urbem ingreſſus, à Pontifice, ac cuncto populo ſuſceptus, in Eccleſiam beati Petri inducitur. Pòſt ſeptem diebus transactis, Rex concione facta, cauſam adventus ſui exponit. Leo quoque, cui æmuli ſui magnum crimen impoſuerant; nemine cogente; ex bona conſcientia de objecto crimine coram omnibus ſupra ſacrò ſancta Evangelia ſe purgavit.

CAP. XXXI.

Qualiter Carolus aſſumpto Pontifice totoque populo Auguſtus vocatus, Imperium à Græcis ad Francos tranſtulit ſub Hyrene. De judiciis ejus quæ fecit, & legatione Hyrene. Itemque de legatione Nicephori Imperatoris, muneribusque Regis Perſarum.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCI. ab Urbe condita M.DLII. Carolus Rex, XXXIII. regni ſui anno; à ſummo Pontifice, ablato Patricij nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante: *Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria*; LXIX. ab Auguſto, Imperator & Auguſtus vocatur. Exhinc regnum Romanorum; quod à Conſtantino uſque ad id tempus in Urbe Regia, ſcilicet Conſtantinopoli, fuit, ad Francos derivatum eſt. Auguſtus ergo convocatis civibus, habita ratione ſuper his, qui in Pontificem ſacrilegij rei fuerant, capitali ſententia damnatos, interventu prædicti Papæ ad pœnitentiam conſervatos, tantùm in exilium truſit. Porrò Hyrene Conſtantinopolitana Imperatrix, miſſis legatis ad Carolum, pacem inter Græcos & Francos firmari rogavit. Cum quibus Imperator miſſis nunciis, Hyrenem in uxorem poſtulavit. Quod dum illa annuiſſet, Aëtius patricius votum Reginæ impediens, manentibus adhuc in Urbe Regia legatis Caroli, Nicephorum fratrem ſuum Imperatorem fecit; eamque in monaſterium truſit. Nicephorus ergo Rex factus, cum legatis Imperatoris Apocriſiarios ſuos miſit; fœdusque literis ac nunciis mutuò firmavere. Rex quoque Perſarum muneribus Imperatorem honoravit.

Carolus Magnus orbis occidui Imperator.

Nicephorus Orientis Imperator.

CAP. XXXII.

De morte Nicephori, ſubſtitutioneque Michaelis, ac renovatione fœderis inter duos Imperatores: itemque depoſitione Michaelis; morteque Caroli. Brevis epilogus de geſtis ejus.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCXII. Nicephorus Imperator, à Bulgaris publico congreſſu necatur, eique in regno gener ſuus Michael ſubſtituitur. Hic nuncios Caroli ad anteceſſorem ſuum miſſos, honorificè dimiſit: ſuosque cum eis ad Auguſtum deſtinans, fœdus pacemque cum eo renovavit. Is etiam dum contra Bulgaros exercitum ducit, non proſperis uſus ſucceſſibus, revertitur, depoſitoque regno, monachus efficitur, ſuccedente ſibi Leone, filio Bardi patricij. Igitur Carolus regno Romanorum ad Francos translato, dum multa fortiter ac feliciter bella gereret, regnumque multipliciter dilataret, XLVI. regni ſui anno, ſubactæ verò Italiæ XLIII. Imperij XIV, in palatio Aquiſgrani, ubi ipſe Eccleſiam miri operis in honorem S. Mariæ ſemper virginis conſtruxerat, ſedemque regni conſtituerat, LXXII. ætatis ſuæ anno, diem obiit, ac in eadem Eccleſia humatur. Cæterùm actus ejus, & bella quæ geſſit, de ponte quoque quem ultra Rhenum fecerat Moguntiæ, de palatiis etiam quæ Noviomagi, Ingelheim, aliisque regni locis opere regio conſtruxerat, qui ſcire vult, legat hiſtoriam ejus, & geſta à multis deſcripta. Erat autem (ut quidam de ipſo ait) corpore amplo ac robuſto, ſtatura eminente, apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paululum in mediocritatem excedenti, canicie pulchra, facie læta & hilari, eloquentia copioſus & exuberans, in cibo & potu temperans, ſed in potu temperantior. Hujus virtute regnum Francorum plurimùm augmentatum eſt, omniumque regnorum maximum,

Caroli M. obitus & proſopographia.

maximum, Romanum scilicet, ab Oriente ad Occidentem translatum. Regni verò terminus à Bulgaris, seu Illyrico usque ad Hispanos, à Danis usque ad Calabros, exceptis adjacentibus regionibus, utpote Bohemia, Polonia, Dalmatia, Histria, Venetia, Britannia, aliisque Provinciis, quæ modo duo regna Romanorum & Francorum, excepta Pannonia, esse noscuntur, fuit.

Amplitudo Imperii Caroli.

CAP. XXXIII.

De principatu Ludovici, & Leone Papa: itemque de Stephano, qui Imperatorem coronavit. De filiis Imperatoris, factioneque Bernardi, ac exitu.

Ludovicus Pius Imp.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCXV. Ludovicus Caroli filius, quem ipse adhuc vivens successorem ordinaverat, Augustumque vocaverat, morte Patris comperta, ab Aquitania ad Palatium Aquisgrani veniens, consensu omnium Rex creatus LXX. ab Augusto imperavit. Anno regni ejus primo, delatione quorundam comperit, Primates regni adversus Leonem Papam conspirantes jussu Pontificis interfectos fuisse. Ad quod perscrutandum vocatum ad se nepotem suum Bernardum Italiæ Regem, Romam misit. Qui in Urbe informatus, rei eventum per Heroldum Comitem Augusto mandavit. Leo quoque missis ad Imperatorem nunciis, de his quæ sibi imposita fuerant, se expurgavit. Non multo pôst tempore defuncto Leone, Stephanus substituitur. Hic statim post consecrationem suam, missis ad Imperatorem nunciis, qui ejus animum lenirent, eumque ad se venturum prædicerent, iter eorum in Gallias subsequitur. Cui Imperator Remis occurrens, eum honorificè suscepit. Papa ergo celebratis ex more missarum solenniis, diademate coronatum, Romanorum Imperatorem pronunciavit Ludovicum. Hunc annum quo à Romano Pontifice coronatus est, regni sui alij secundum, alij septimum dicunt. Imperator post hoc generalem curiam Aquisgrani celebrans, primogenitum suum Lotharium Imperij socium legit, nam alios duos Carolum & Ludovicum Reges vocatos, unum Aquitaniæ, alium Bajoariæ præfecerat. Non multo pôst Bernardum Italiæ Regem, cum regni sui civitatibus adversum se conjurasse comperit. Contra quem dum procinctum movet, fractus animo Bernardus, apud Gabilonem Imperatori se tradidit. Porrò Imperator Aquisgrani ad palatium veniens, ibique sanctum Pascha celebrans, habita de his qui conjurationis rei fuerant, quæstione, judicio curiæ capitali sententia damnatos, unà cum Rege suo luminibus tantùm orbari fecit. Non desunt tamen, qui dicunt Imperatorem Bernardum dolo captum, primò oculis, ac pôst vita privasse.

CAP. XXXIV.

De promotione Lotharii à Paschali, nunciisque Bulgarorum, ac morte Ludovici.

Lotharius Imperator.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCXXII. Imperator filium suum Lotharium in Italiam destinavit, ipse verò dum in oppido Francofurt curiam celebraret, inter cæteros barbarorum legatos, duo fratres pro regno Wilsorum contendentes veniunt, quos Augustus sibi subjectos, & fidelitate astrictos, decisa lite ad propria remisit. Verùm Lotharius ordinatis rebus in Italia, dum ad patrem redire parat, à Paschali Papa ad Urbem invitatur: ubi honorificè susceptus, ac in die S. Paschæ ab ipso coronatus, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Iisdem diebus Imperatore Aquisgrani conventum celebrante, nuncij Bulgarorum pro constituendis terminis venerunt. Igitur Ludovicus Imperator propter mala opera uxoris suæ Judith, regno (ut dicitur) pulsus, ac postmodum restitutus, XXVI. Imperij sui anno diem obiit extremum.

CAP. XXXV.

De intestina pugna trium fratrum, divisioneque regni Francorum.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCXLI. dum Lotharius reversus ab Italia regnare intentat, mortuo Patre, fratres ejus Carolus & Ludovicus graviter ferentes, si regno paterno privari deberent, fratri bellum indicunt. Igitur cum regnum Franco-

Francorum, ad quod post innumeras (quas suprà dixi) mutationes regnum Romanorum devenerat, cum & ipsum ad ostendendas mortalium miserias, ac instabiles mundi rotatus, auctor omnium Deus in illo ad quem profecerat statu, manere nollet, in seipsum miserabiliter dividi, ac per hoc desolari & imminui permisit. Proinde contractis undecunque regni viribus, fratres prædicti apud Fontoniacum conveniunt, acerrimeque pugnantes, ita in hoc bello ex utraque parte regni vires imminutæ feruntur, ut ex hinc fortissimi omnium Franci, non solùm terminos suos non dilatare, sed & parta vix conservare potuissent. Lachrymabili ergo pugna inter fratres acta, cruenta tandem victoria Carolo & Ludovico cessit, ac ob hoc conventione facta dividunt Imperium. Hac divisione Carolo Occidentalia regna, id est, à Britannico mari usque ad Mosam, Ludovico Orientalia, id est, omnis Germania usque ad Rhenum cesserunt. Lothario verò media pars, id est, Belgica Gallia (quæ ex ejus nomine Lotharingia usque hodie vocatur,) cum Romano Imperio sorte devenit. Exhinc diviso regno, regna modò duo, Orientale ac Occidentale, quorum alterum partem Ludovici ac Lotharij, sedemque regni Francorum, palatium Aquisgrani, ac Imperium Urbis Romæ habet: aliud verò Occidentale, quod adhuc Francorum, eo quòd istud Romanorum vocatur, appellatum, partem Caroli tenet, inveniuntur.

Regnum Francorum in duo scissum.

CAP. XXXVI.

Exclamatio, & excursus contra volubilitatem rerum.

CONSIDERARE Dei judicia, mundique volubilitatem, etiam nolentes compellimur. Ecce enim, ut suprà dixi, in modum cœli, quod ab Oriente in Occidentem vertitur, simul cum tempore res mundanas, rerumque potestates volui cernimus. Et ne putaremus mortales res in aliqua mundi parte statum invenisse, ibi etiam defectum eas pati, ac more febricitantis (sicut in Job habes: *Noctem verterunt in diem*: & rursum, *Post tenebras spero lucem.*) Quocunque se verterint, nihil stabilitatis habentes, dolores ac labores reperisse conspicimus. Nonne videtur tibi more (ut dixi) febricitantis, mundialis dignitas volvi ac revolvi? Febricitantes enim spem quietis in alteratione situs ponunt, ideoque crebris revolutionibus quando torquentur, se jactant huc & illuc. Ita nimirum potestas temporalis à Babylone devoluta ad Medos, inde ad Persas, pòst ad Græcos, ad ultimum ad Romanos, & sub Romano nomine ad Francos translata est. Ubi dum, tanquam firmam sedem fixisset, mansura videretur, tot malis (ut superius patet) subjacere cepit, ut meritò cum Job dicere possit: *Cum ad diem venero, nocturnis cruciatibus fatigatus noctem præstolor: quam dum tenuero, majoribus doloribus affectus rursum diem venire expecto.* Denique armis experientissimi Franci, cum regni terminos plurimùm dilatassent, mundique caput Romam ad suam ditionem transfudissent, cum jam omnibus gentibus horribiles facti essent, & inexpugnabiles viderentur, in seipsos non solùm civiliter, sed & intestinè, fratribus auctoribus, divisi, regnum quod ab Oriente in Occidente, tanquam fugiens statum & requiem invenisse putabatur, desolandum fore juxta Evangelium, benè præsagiebant. Ex his ergo liquet, nullam caducis rebus fidem habendam, nec in se labentem alium quemlibet sibi inniti volentem, sustentare posse. Unde aptè Propheta ait: *Maledictus qui spem suam ponit in homine, & qui ponit carnem brachium suum.* Quomodo enim te sustentabit, qui stare non potest? Vel qualiter te confirmabit, qui in se infirmus est? Cum ergo mundus transeat, & concupiscentia ejus, ab ipsa migrandum ad Deum vivum, qui immobilis & incommutabilis manet, ad ejusque beatam & æternam civitatem quis dubitaverit? Igitur omnibus regnis mundi imminutis, cum & Francorum, qui ultimi Romam habere meruerunt, ex quo divisum est, minoratum apparet regnum, nos qui ad ostendendas rerum mutationes res gestas scribimus, hac regni mutatione tanquam sufficienti argumento ad regni cœlestis immutabilitatem missi, huic quinto Operi finem imponamus.

Job.17.

Ierem.17.

LIBRI QUINTI FINIS.

OTTONIS

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORUM LIBER SEXTUS.

PROLOGVS.



EATVS Propheta mundi instabiles ac miserabiliter fluctuantes circuitus contemplans, marique eos potissimum comparandos æstimans; Hoc (*inquit*) magnum & spaciosum, illic reptilia, quorum non est numerus. *Nonne tibi videtur mundus in modum maris inhærentibus sibi procellosis temporibus, tanquam tempestatum fluctibus, interitum minari? Et quid aliud homines pro caducis honoribus decertantes, quam reptilia maris dixerimus? Vbi minores à majoribus, inferiores à potentioribus sorberi, ac ad ultimum seipsos, cum materiam non invenerint, discerpere conspicimus. Vnde illud*:

Psal. 103.

In se magna ruunt.

Hæc omnia prudens lector invenire poterit in hujus historiæ serie. Cives ergo Christi non more reptilium salo mergi, vel insidiis ejus procellis improvidè se credere, sed navi, id est, ligno crucis fide navigare, manusque per dilectionem operando exercere in præsenti oportet, ut per hujus vitæ viam, ad portum patriæ securi valeant pervenire. Qualiter verò regnum Francorum tam miserabilieer divisum, non solùm Romanum Imperium, sed & partem Franciæ ac Galliæ cum palatio Aquis perdiderit, in hoc dicendum Opere restat.

OTTONIS CHRONICORUM LIBER SEXTUS.

CAP. I.

De Imperio Lotharii & Michaelis, regnoque Caroli, ac monachatu Imperatoris, divisioneque regni inter filios.

Lotharius Imperator.

Nortmannorum grassationes.

DIVISO Francorum regno, Lotharius cui (ut dixi) cum Lotharingia Romanorum Imperium devenerat, LXXI. ab Augusto imperavit. Theophilo mortuo, filioque ejus Michaele apud Græcos in Urbe regia imperante, Nortmanni per mare, Ligerim intrantes, civitatem Nannetis irrumpunt, ac in sancto sabbato Paschæ Episcopum ex more generali baptismum celebrantem, cum clericis interficiunt, ac inde circumquaque diffusi, cunctam ferro flammaque vastantes Provinciam, Andegavensem quoque ac Turonensem occupantes civitates beati Martini Ecclesiam cremare non verentur. Eo tempore Carolus, cui (ut suprà dixi) Occidentalia regna in divisione cesserant, Pipinum Aquitaniæ Regem cepit, ac Episcoporum consilio tonsum, monachum Suessione in monasterio S. Medardi fecit. Porrò Lotharius Imperator tribus filiis suis regnum, quod eum contigerat, partitur, Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciam tradens: ipse verò ordinatis omnibus in Prumensi monasterio, XVI. Imperii sui anno, post mortem Patris sui, monachus efficitur. Vide ad quantum defectum Romanum Imperium devenit, ut in tres partes Francorum regno diviso, tertiæ partis tertia pars fuerit.

CAP.

CAP. II.

De Imperio Ludovici & Basilii, & conjugio Lotharii, ac controversia pro regno Caroli. De victoria Ludovici, & pugna Caroli cum Britonibus. De Noemeticio Rege Britonum, & Herispeo.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCLV. Lothario deponente militiæ cingulum, privatumque habitum assumente, Ludovicus filius suus serenissimus, LXXIII. ab Augusto, Imperium suscepit. Basilio, qui Michaelem jam occiderat in Urbe regia, regnante, Lotharius cui regnum Lotharingiæ devenerat, * Thiebirgam sororem Abbatis Hucberti sibi sociavit. Non multis pòst diebus Carolus, qui Provinciam in divisione regni acceperat, moritur. Unde inter Lotharium fratrem, patruumque suum Carolum controversia oritur. Lotharius Hucberto Abbati fratri Reginæ, ducatum inter Juram & montem Jovis commisit. Porrò Ludovicus senior Orientalis Franciæ Rex, adversus Sclavos multa fortiter bella gessit, captumque principem eorum Rastum luminibus privavit.

Ludovicus II. Imp.

** al. Thietbergam.*

His diebus in regno Caroli Principibus suis mutuis inter se vulneribus cadentibus, Britones tanquam destitutam terram irrumpunt, ac transmisso Ligeri, Pictavis usque ferro flammaque cuncta vastantes progrediuntur: & sic Francorum spoliis ditati, ad propria revertuntur. Itaque Carolus conductis precio Saxonibus, Britones bello perit. Nec mora, commisso prælio, Saxones in prima acie positi, territi spiculis hostium, terga vertunt. Deinde discursantibus hac illacque Britonibus, Francisque ob antiquæ fortitudinis genuinam virtutem viriliter dimicantibus, multis ex utraque parte cæsis ac vulneratis, noctis præsidio bellum dirimitur. Manè facto, dum rursus pugna conseritur, Carolus fugiens, suis etiam fugiendi præbuit exemplum. Quo viso, Britones castra Francorum cum clamore irruunt, captisque & occisis plurimis, ac papilionibus eorum cum aliis spoliis ablatis, revertuntur. At Carolus Roberto viro forti, ob hanc molestiam inter Ligerim & Sequanam ducatum, ad domandos Britones dedit.

Britonum apud Francos latrocinia.

His diebus Noemeticius Rex Britonum, dum multis modis Ecclesiam Dei persequitur, videt in visione beatum Maurelionem, Andegavensem Episcopum sibi occurrentem, dicentemque, ut ab oppressione cessaret Ecclesiarum, baculo se percutere. Nec frustratur visu: nam continuò corruens à suis domum reportatur, manifestisque Dei judiciis vitam simul cum tyrannide finivit, eique filius suus Herispeus in regnum successit. Carolus rursum adversus Britones bellum instaurarat, parumque proficiens, hoc tantum obtinuit, ut datis ex utraque parte obsidibus, pacem mutuò firmarent. Dehinc tamen Herispeus Rex eorum, sponte ad ipsum veniens, suæ potestati se subjecit, quem multis donatum muneribus, Rex ad propria remisit.

CAP. III.

De causa Lotharii, quomodo pro repudio legitimè à Nicolao Papa excommunicatus fuerit, Episcopique ejus fautores damnati, & ingressu Ludovici in Occidentalia regna, egressioque Nortmannorum.

EA tempestate cum jam regno Francorum multipliciter diviso, Ecclesia proficeret Nicolao summum Sacerdotium gerente, Lotharius multis modis amore Waldradæ concubinæ suæ, occasionem repudiandi reginam Thiebirgam quærit. Itaque Guntharium Coloniensem Archiepiscopum, qui tunc in regno præcipuæ fuit auctoritatis, ad id quod animo conceperat perficiendum, falsa spe, promittens ei, quòd si ab ista liberaretur, neptem suam acciperet, pellexit. Guntharius ascito sibi Treverorum archipræsule Thiegando, Metis Concilium congregat: vocatamque Reginam in medio statuunt, falsisque productis testibus, inter alia nepharia, de incestu illam convincunt. Proinde ad voluntatem Regis sententia divortij datur, Reginæque pro commisso scelere pœnitentia injungitur. Igitur Rex desiderata potius occasione, conventu Aquis habito damnationem Thiebirgæ scripto protulit, seque continere non posse pronunciavit. Consilio Guntharij omnibus acclamantibus: *Melius est nubere quàm uri*, Waldrada producitur, ac Regio cultu decorata, comitatuque famulorum stipata, Reginæ nomen sortitur. Sicque Rex dum ea quæ mente conceperat, ad effectum produxit, Guntharium quem suæ nequitiæ socium falsis promissionibus fecerat, versutè decepit. Hæc dum ad notitiam Domini Papæ Nicolai venissent, religiosus ac Dei zelo plenus Sacerdos, missis legatis Regem de commisso scelere redarguit, & ad condignam pœnitentiam invitavit. At legati pecunia corrupti, negocium minimè ad effectum perducentes, multis

Lotharius repudiata conjuge concubinam uxorem ducit.

1. Cor. 7.

tis ditati muneribus revertuntur, dicentes se penè nullum in præfato regno qui Canones sciret, invenisse. Quos Treverorum & Coloniensium præsules subsecuti, dum à summo Pontifice de facto judicio rationem reddere coguntur, rei inventi deponuntur: dumque multis modis ad restitutionem sui laborarent, exules in Italia permissa sibi tantùm laicali communione, moriuntur. Verùm Lotharius post crebras admonitiones, post violatum Sacramentum, quod sub præsentia Arsenij Episcopi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ apocrisiarij fecerat, à summo Pontifice communione privatur, ex qua causa tam ipsi, quàm toti regno gravissimum discrimen oritur. Extant de hoc Epistolæ quam plurimæ utrobique missæ. Vide jam regno decrescente, Ecclesiam tantæ auctoritatis factam, ut etiam Reges judicet.

NB.

Per idem tempus Ludovicus Orientalium Rex Occidentalia regna quorundam vocatu Principum ingreditur, regnique terminos occupans, Senonas usque progressus est: sed dum ibi relicto exercitu ad propria rediisset, & Principes qui eum invitaverant, à Carolo in gratiam recepti fuissent, qui remanserant, fines illos egredi compelluntur. His diebus Hucbertus Abbas, frater Thiebirgæ, Lothario diu rebellans, ad ultimum à Conrado Comite necatur. Eodem tempore Nortmanni per Ligerim Nannetensem, Turonensem, Andegavensem Provinciam vastantes, Robertum Ducem occurrentem sibi, occidunt.

CAP. IV.

Quem finem Lotharius fratri succurrere volens, in Italia habuerit, & quomodo post mortem ejus patrui regnum diviserint. De fraude Adelgisi, circumventioneque Imperatoris, ac victoriis eius quas gessit in Campania, & Lucania. De locustis.

HIS diebus Sarraceni ex Africa venientes, Beneventanorum regionem, quæ olim Samnium vocabatur, devastant. Contra quos dum Ludovicus Augustus vires undecunque comparat, Lotharium fratrem suum in auxilium invitat. Qui collecto milite, Italiam ingressus, pravorum operum suorum pœnas multipliciter solvens, tam ex insueto calore, quàm aranearum morsibus, multos de exercitu suo perdidit. Post hoc Romam veniens, ab Adriano Pontifice, qui Nicolao jam successerat, honorificè suscipitur, ac ab ipso si monitis prædecessoris sui Nicolai obtemperaverit, subtiliter exquiritur. Ille dum cum omnibus qui secum venerant principibus, se benè injuncta servasse falsò affirmaret, corpus dominicum sub attestatione conscientiæ sibi, suisque tradidit. Fertur quòd ipso redeunte, omnes qui ficto corde & polluta conscientia ad mensam Domini accesserant, infra spatium anni mortui fuerint. Lotharius etiam in via morbo correptus, Placentiæ diem obiit. Carolus audiens fratruelem mortuum, regnum ejus invadit. Quod Ludovicus frater ejus dum impedire conatur, conventione facta, prædictum regnum apud Marsanam ex æquo dividunt, Ludovico palatium Aquis sortiente. Non multo pòst elapso tempore, Adelgisus Beneventorum Dux, fiducia Græcorum, Ludovico Imperatori, ascitis sibi Samnitibus, Lucanis, Campanis, rebellare parat. Augustus contractis undecunque copiis, Beneventum petit bello. Cui Adelgisus occurrens, fraude circumventum, muneribus conciliatum, finibus suis egredi persuadet. Porrò Imperator Campaniam ac Lucaniam peragrans, omnes civitates earum, excepta Capua, absque gravi negotio cepit, quæ ex quadro lapide extructa, dum non facilè posset expugnari, obsidione cingitur, cunctis in circuitu vastatis. Capuani desperatis omnibus, apertis Urbis portis, cum Episcopo, corpus beati Germani portante, lachrymabiliter ad pedes Imperatoris veniunt, veniamque poscentes, misericordiæ suæ se committunt. Imperator ut erat piissimus, cives in gratiam recepit, expulsisque Græcis, omnes Lucaniæ ac Campaniæ Urbes Romano Imperio restituit. Inter hæc Adelgisus dolis iterum Regem circumvenire tentat, occurrensque ipsi, suadet ut militem dimittat, regioni parcat, adijciens, necessarium non esse Regem subjectum sibi inaniter consumere populum. Rex ad monitum Ducis, omnibus præter paucos ad propria remissis, Beneventum ingreditur, nihilque perperam sperans, dum circa meridiem strato cubat, subitò à Beneventanis irruentibus, arma arripere cogitur. Cives autem cum Duce suo Adelgiso palatium incendere volentes, Principem pacem petere, ac interposito ju-

Lotharii regis obitus.

Insidiæ Imperatori structæ.

to jurejurando, ne amplius sine voluntate ipsorum fines illorum ingrederetur, promittere cogunt. Imperator hac ignominiosa pactione facta, Romam venit, ibique coram summo Pontifice Joanne, qui Adriano successerat, totoque Senatu causam suam exponit. Proinde Adalgisus, à Senatu hostis ac tyrannus pronunciatur, Augustusque à Pontifice auctoritate Dei, ac beati Petri, à sacramento, quod nolens & pro conservanda vita fecerat, absolvitur. Verùm Princeps quamvis à sacramento liberatus justè videretur, tamen ad removendum scandalum, per se ad compescendum tyrannum ire recusat: collecto tamen milite, Reginam eò destinat. Audiens hoc Adalgisus, ac timore perculsus, in Corsicam Insulam fugit, & sic iram Principis declinavit. Non multo post elapso tempore, locusta innumerabilis cæteris locustis major ac senas alas habens, ab Oriente veniens, Gallias operit, depastisque ubique segetibus, tandem in mari Britannico resedit: ubi à vento raptæ ac in salo mersæ, postquam mari exæstuante, ad littus in immensum cumulum actæ, vicinas regiones fœtore corrupere.

CAP. V.

Qualiter Carolus Rex Occidentalis Nortmannos obsidione clausos deceptus abire permisit, & quæ mala postmodum ab eis pertulerit.

EA tempestate Carolus Occidentalis Franciæ Rex, Nortmannos, qui occiso Roberto, cæterisque regni primoribus, ubique bacchabantur, cum Britonum auxilio obsidione in Andegavensium, quam occupaverant, clausit Urbe. At Britones videntes totam spem hostium in amne fore, ab alveo eum derivare conantur. Quo viso, Nortmanni dextras petunt, promissaque pecunia, Regem turpiter obsidionem solvere persuadent. Ipsi verò more suo, sicut sunt inquietissimi, minimè promissa servantes, per Ligerim Franciam intrabant, multaque graviora quàm prius Regi faciebant mala. Quanta autem prædicta gens regno Francorum fecerit, ab aliis satis dictum invenitur. Est enim levissima & instabilis, nec propriis contenta terminis, gratiosa tamen quocunque venerit, & affabilis. Hæc, ut dixi, Occidentale regnum, sicut & Saxones, qui & instabiles, sed feroces sunt, Orientale semper infestabant.

CAP. VI.

De morte Ludovici Imperatoris, Imperioque patrui sui Caroli, item Ludovici Orientalis Regis: & quomodo Carolus regnum fratris sui invadere gestiens, à filiis ejus victus sit, ipsique regnum paternum diviserint. Item de ingressu Caroli in Italiam, morteque ipsius. De Ludovico Balbo, filiisque ejus, & pugna eorum cum Bosone.

ANNO Domini DCCCLXXIV. Ludovicus suavissimus Imperator diem ultimum clausit, anno Imperij sui XIX. Anno eodem patruus ejus Carolus senior, Occidentalis Franciæ Rex Romam veniens, à summo Pontifice Joanne, civibusque Imperium pecunia (ut dicitur) obtinuit: regnavitque LXXIV. ab Augusto. Non multo post Ludovicus senior, Orientalis Rex apud Franconefurt diem obiit, tres filios relinquens, Carolomannum, Ludovicum, Carolum. Porrò Carolus Imperator, morte fratris audita, regnum Lotharingiæ invadere nititur, collectoque milite primò palatium Aquisgrani occupans, Coloniam usque progreditur. Inter hæc Carolomannus primogenitus Ludovici, Italiam ingressus, Imperium arripere attentarat. Verùm Ludovicus qui patris exequiis interfuerat, Orientalium Rex à Principibus creatus, regnare jam inceperat. Audiens ergo patruum suum Carolum fines regni intrasse, missa legatione, regno eum cedere monet. Quo non acquiescente, ad pugnam progreditur. Nec mora in pago Meginensi, non longe ab Andernaco juxta Rhenum pugna conseritur, fusisque ex utraque parte multis, tandem Carolus terga vertere compellitur. Ludovici verò filii conventione facta, regnum paternum dividunt, & Carolomannus Bajoariam, Pannoniam, Carentanum, Boemiam, Moraviam: Ludovicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Fresiam, Lotharingiam: Carolus Alemaniam, & quasdam civitates Lotharingiæ propter vini copiam accepit. Carolus Secundus Imperator Romam secundò petiit, indeque reversus, ac per Longobardiam iter faciens

Carolus Calvus Imperator.

ciens, Papiam se contulit. Ubi dum audiret Carolomannum Ludovici fratris sui filium, cum magno exercitu Italiam intrasse, in Franciam redire volens, in via veneno, ut dicitur, anno Imperii III. interiit. Anno sequenti Ludovicus Caroli junioris filius, qui vocabatur Balbus, diem ultimum clausit, duos relinquens filios, Ludovicum & Carolomannum: nam tertium, qui postmodum Carolus dictus est, mater tunc in utero portabat. Cujus regni Provinciam, quam pater ejus Carolus Lotharij Imperatoris filius in divisione sortitus fuerat, Boso, cui Carolus Imperator illam tradiderat, invadere gestiens, Lugdunum venit: ibique à Pontifice ejusdem Urbis in Regem Burgundiæ ungitur, sed à prædictis adolescentibus Ludovico & Carolomanno arcetur.

CAP. VII.

De morte Carolomanni, filioque eius Arnolfo: qualiter frater eius Ludovicus regnum sibi subiecerit, Arnolfo ducatum Carentanæ tribuerit.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCLXXX. Carolomannus Ludovici filius, cui Bajoaria sorte devenerat, post multos triumphos, quos sub patre, & post patrem peregerat, regnique terminos plurimùm dilataverat, paralysi dissolutus moritur, ac in loco Bajoariæ, Odingas dicto, sepelitur, relinquens filium ex nobili fœmina, sed non legitima, quem de beati Arnolfi nomine, tanquam Carolorum origine, Arnolfum vocaverat. Hic est Arnolfus, cui postmodum Monarchia cessit. At Ludovicus Orientalis Franciæ Rex, morte fratris comperta, Ratisponam Bojoariæ metropolim adiit, omnesque terræ illius optimates ditioni suæ subjecit, Arnolfo quoque ducatum Carentani cum castro Mosburk tradidit.

CAP. VIII.

De Imperio Caroli tertii, irruptione Nortmannorum, morteque Ludovici, & reditu Caroli Imperatoris in Gallias, qualiter omnibus de semine regio mortuis, ipse Monarchiam obtinuerit.

Carolus Crassus Imperator.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCLXXXI. Carolus, qui in divisione Alemanniam acceperat, in Italiam procinctum movet, totaque Longobardia in deditionem accepta, ad Urbem usque progreditur, ubi à Joanne Papa, omnique populo Imperatoris & Augusti nomen sortitus, LXXV. ab Augusto imperavit.

Nortmannorum per Galliam rabies.

Ea tempestate Nortmanni Ludovici regnum per Walfluvium ingressi, Noviomagense palatium cremant, ac inde per circumquaque diffusi, Coloniam, Bunnam, Aquis cum adjacentibus regionibus, vicis & castellis devastant. Inter hæc Rex Ludovicus Franconefurt diem obiit, & in monasterio Laureacensi juxta patrem humatur. Nortmanni morte Regis comperta, securi facti, nobilissimam Urbem Galliarum Treverim, à Julio Cæsare quondam subversam, in ipsa cœna Domini irrumpunt, ac ibi usque ad Pascha morantes, tam ipsam, quàm adjacentem regionem igne consumunt. Quibus dum præfatæ Urbis antistes cum Bertholfo comite occurrit, bello conserto vita privatur, cæterique in fugam vertuntur. Nortmanni præda Francorum ditati, ad classem revertuntur.

Nortmannus fidem Christi suscipit.

Hæc dum in Galliis geruntur, Carolus III. Imperator in Italia morabatur. Principes ergo tam Galliæ, quàm Germaniæ omnes eum precibus pulsant, quatenus ad suscipiendum paternum regnum, fratre mortuo redeat, patriamque ab hostium incursione liberet. Qui nihil moratus revertitur, assumptisq; Longobardis, Bajoariis, Saxonibus, Fresonibus, Alemannis, Thuringis, aliisque compluribus, contra Nortmannos, qui adhuc in regione morabantur, procinctum movet. Itaque Gotfridum Nortmannorum Regem, data sibi filia Lotharii Gisila, cum Fresia provincia Christianum fecit, de sacroque fonte suscepit, & sic eum regni finibus cum suis cedere persuasit. Anno sequenti Ludovicus Caroli occidentalis Regis nati filius moriens, ac in monasterio S. Dionysij humatus, fratrem suum Carolomannum hæredem regni reliquit. Hic inter cætera virtutis suæ opera, hoc quoque memorabile fecit, quòd in bello quodam VIII. M. Nortmannorum fudit. Non multò post Carolomannus in venatu ab apro percussus

cuſſus, diem obiit. Occidentales ergo Franci Principibus amiſſis, Carolum Imperatorem, qui tunc ſolus ex ſtirpe Carolorum ſupereſſe videbatur, ultrò invitant, eique venienti ſubjiciuntur: unde multa ac varia cum Nortmannis geſſit prælia.

CAP. IX.

De depoſitione Caroli, ſubrogationeq; Arnolfi, morte Caroli & confuſione Romani ſimul & Gallici Imperii.

ANNO Domini DCCCLXXXVII. Carolus Imperator cùm corpore & animo ægrotare cœpiſſet, Principes regni apud Triburias, circa tranſitum S. Martini, Arnolfum Carolomanni filium, ad regnum trahunt. Et mirum dictu, Imperatorem qui poſt Carolum magnum inter omnes Reges Francorum maximæ fuit poteſtatis, in brevi ad tantam tenuitatem veniſſe cerneres, ut panis quoque egens, ab Arnolfo jam Rege facto ſtipendia miſerabiliter exigeret, ac ab ipſo paucos fiſcos in Alemannia gratanter ſuſciperet. Vide humanarum rerum miſerrimum ſtatum. Rex iſte qui in diviſione Orientalis regni acceperat inter fratres minimam portionem, ad tantum primò venit faſtigium, ut tam Orientalia, quàm Occidentalia regna cum Romano ſuſciperet Imperio, ad tantam poſtremò dejectionem venit, ut panis quoque egeret. Dicere hic poterat cum Job: *Elevaſti me ſuper nubem, & alliſiſti validè.* Et cum Pſalmiſta: *Elevans alliſiſti me.* Quid enim proſperitatem mundi, quàm nubem dixerim? quæ innitentem ſibi tranſeundo citò decipit: levitate ſui acclinantem ſuſtentare nequit. Quanto ergo quis altius ſuper nubem levatur, eò validius terræ alliſus quaſſatur. Hic tam miſerrimus & juxta Philoſophos, fortunæ in modum rotæ, nunc ſumma, nunc ima vertentis ludus, ſecundum verò rei veritatem, regna mutantis Dei nutu, anceps rerum ſtatus, ad declinandam mundi miſeriam, veramque vitam appetendam nos provocare poſſet. Ferunt de hoc Carolo, quòd Chriſtianiſſimus fuerit. Unde hæc ei circa finem tentatio ad probationem eveniſſe creditur. Sequenti enim, ex quo regno pulſus eſt anno, diem obiit, ac in Monaſterio Augenſi humatus eſt. Exhinc confuſè Romæ regnatum, uſque ad Ottonem invenitur. Carolo enim mortuo, qui per ſex annos imperaverat, ac ſeptimum privatè vixerat, Imperium multis modis ſcinditur: ſingulis Provinciis ſingulos Reges creare cupientibus, Arnolfo tantùm pars maxima ceſſit.

Arnolfus Imp. — *Iob. 30.* — *Pſal. 102.* — *Imp. Occid. ſciſſum & confuſum uſq; ad Ottonem.*

CAPUT X.

Quem Itali, quem Franci Occidentales Regem fecerint. De Ungaris, & irruptione Nortmannorum.

IGITUR Itali, ſuper ſe duos Reges Berengarium, Forijulienſem, & Guidonem Spoletanum Ducem Reges ſtatuunt. E quibus Berengarius à Guidone patria pulſus, ad Arnulfum profugus venit. Occidentales quoque Franci Odonem Roberti filium virum fortem, conſenſu Arnolfi Regem creant. Hic multa prælia contra Nortmannos viriliter geſſit. His diebus gens Ungarorum ex Scythia egreſſa, ac à Pecenatis pulſa, avaribus ejectis, Pannoniam inhabitare cœpit. Hæc eo tempore tam immanis, & tam belluina fuiſſe dicitur, ut crudis carnibus utens, humano quoque ſanguine potaretur. Quod ne cui incredibile videatur, audiat quòd Pecenati, & hi qui Falones dicuntur, crudis & immundis carnibus, utpote equinis & catinis, uſque hodie veſcuntur. Valent autem in ſagittarum ictibus plurimùm, quibus etiam dorſa vertentes nocere ſolent. Differunt verò à Britonibus, ſeu Freſonibus in hoc, quòd illi miſſilibus, iſti ſagittis nocent. Per idem tempus Nortmanni Gallias circa Senonas, Parriſios, Trecas pervagantur.

Itali Reges ſibi creant. — *Ungari in Pannoniam.*

CAP. XI.

Ubi Arnolfus regnaverit, opera quæ geſſit, victoriaque eius contra Nortmannos controverſia in Occidentali regno Francorum.

PORRÒ Arnolfus totam Orientalem Franciam (quæ modò Teutonicum regnum vocatur) id eſt, Bajoariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Friſiam, Lotharin-

giam rexit: Occidentale verò Odo ex ejus auctoritate habuit. Concessit autem Zuentebaldo Marahensium Regi ducatum Boemiæ, filiumque suum ex sacro fonte ab ipso levatum, ejus nomine Zuentebaldum vocavit. Dilexit verò præ cæteris regni sui locis *Ratispona ampliata.* metropolim Bajoariæ Ratisponam. Unde & muros ejus ampliavit, monasteriumque sancti Emmeranni, plurimis ornamentis adornavit, ac largis possessionibus locupletavit. Tradunt ibi, scriptumque monstrant, quòd prædictus Rex sanctum Dionysium à Galliis ad præfatum monasterium transtulerit. Quod utrum ita sit, ipsi viderint. Non multo post Arnolfo in Bajoaria ad compescendos Sclavos morante, Nortmanni regnum ejus Lotharingiam ingressi, principes qui eis occurrerant, cæsis multis fugant. Quod audiens Arnolfus, collecto milite, hostem petit, pugnaque conserta, tanta eos virtute stravit, ut, paucissimi fuga elapsi, ad classem repedantes, solam vitam servarent. Arnolfus verò victor in Bajoariam revertitur. Ea tempestate in regno Occidentali inter Carolum Ludovici filium, & Odonem gravis de regno controversia orta, Carolum inferioris causæ gratia, ad Arnolfum supplicem venire, ab eoque auxilium poscere compellit.

CAP. XII.

Quæ Italiam ingressus Arnolfus fortia gesserit, quodq; Ludovico Bosonis filio contulit. De morte Guidonis in Italia filioque suo Lamperto, & Zuentebaldo filio Regis, Ottoneque Rege Francorum.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCXCIV. Arnolfus Rex bene in Germania omnibus compositis, Longobardiam cum exercitu ingreditur: captoque fortissima civitate Bergamo, comitem Ambrosium in patibulo suspendit. Quo facto, omnes Italiæ Urbes timore perculsæ, amplius rebellare non audentes, ultrò se suæ ditioni subdidere. Rex quoque Placentiam usque progressus, per montem Jovis in Galliam rediens, Vormaciæ conventum celebrat, ac in vicino ejusdem Urbis Laureacensi monasterio, Ludovico Bosonis filio quasdam civitates & pagos juxta montana concessit. Ea tempestate Guido, qui Italicum regnum usurpaverat, moritur: cujus filius Lampertus Romam veniens, Imperatorem se vocari fecit. Rex rursum conventum Vormaciæ celebrans, Zuendebaldo filio suo, cum voluntate Principum, regnum Lotharij tradidit. Otto quoque Rex Franciæ, cum multis muneribus eum adiit, & honorificè susceptus, omnibus pro quibus venerat, impetratis, revertitur.

CAP. XIII.

Qualiter Arnolfus Imperium Romanum obtinuerit, quomodo item Ludovicus Bosonis filius illud habuerit, & quòd diversi de hoc sentiant. De morte Ottonis, subrogationeq; Caroli, itemque de morte Arnolfi.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCXCVI. anno verò regni sui VII. Arnolfus Rex victoriosissimus, vocatu Formosi Papæ, qui gravem à civibus persecutionem patiebatur, Italiam secundò ingressus, ad Urbem usque progreditur. Qua armis capta, à præfato Pontifice coronatus, juxta quosdam, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Hic eos qui adversus Pontificem seditionem moverant, decollati præcepit. Reverso ab Urbe Arnolfo, Lampertus qui Imperium invaserat, moritur. Ludouicus Bosonis filius à Longobardis ad Imperium invitatur. Reperi ego in quibusdam gestis Romanorum, post Carolum tertium, tanquam Imperio à Francis Longobardos translato, Arnolfum in catalogo Imperatorum taceri, & Ludovicum, cæterosque post ipsum in numero Augustorum poni. Alij Arnolfum in Catalogo ponunt, & eos qui post ipsum usque ad Ottonem confusè regnaverat, non Imperatores & Augustos, sed invasores & angustos appellare consueverunt. Non multo post Ottone Francorum Rege mortuo, & in monasterio S. Dionysij humato, Carolus voluntate omnium Rex creatur. Arnolfus XII. regni sui anno, Imperij verò (juxta quod dictum est) V. diem obiit, & in loco Odingas, ut Rhegino refert, juxta patrem sepelitur. Monstratur tamen sepulchrum ejus in monasterio S. Emmerani Ratisponæ. Poterat enim esse, ut ubi humatus, huc postmodum transferretur.

Arnolfus Imp. Ottingæ humatus.

CAP.

CAP. XIV.

De regno Ludovici in Orientali Francia, morteq; Zuentebaldi, & discursione Ungarorum.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCI. Ludovicus Arnolfi filius, in loco qui Forchaim dicitur, Rex creatur, ac à Principibus Lotharingiæ, eò quòd Zuentebaldo offensi essent, in regnum Belgicæ invitatur. Quo comperto Zuentebaldus cùm multa mala committeret, regnumque plurimùm, præda, cæde, & incendiis cruentaret, tandem à Stephano, Gerhardo, Mathfrido comitibus, bello publico necatur: sicque Ludovicus regno ejus liberè potitur. His diebus Ungari Longobardiam pervagantes, incolas terræ occurrentes sibi, sagittis perimunt, crudeliterque depopulata Provincia, ad propria revertuntur.

[*Ludovicus 4. Imper.*]

CAP. XV.

Qualiter Berengarius à Ludovico primò expulsus, postmodum cæcato Ludovico imperaverit: quomodo Ludovicus Orientalis Franciæ Rex, Albertum Comitem fraude Hattonis decollari fecerit, ejusq; terram in fiscum redegerit. De excursione Ungarorum, morteque Ludovici.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCV. Ludovicus Bosonis filius Imperium adeptus, Berengarium expulit. Dumq; toto Italico regno pro arbitrii sui motu potiretur, dimisso milite, cum paucis se Veronam contulit, ubi à civibus traditus, revocato Berengario, qui in Bajoaria exulabat, captus est, & luminibus orbatus. Berengarius exhinc regnum Italiæ simul cum Romano Imperio tenuit.

Circa idem tempus Albertus nobilissimus Francorum comes, Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepos, Conradum, qui à quibusdam Ludovici Regis frater fuisse creditur, occidit. Ob ea Rex prædictum heroam in castro Babenberg, ubi nunc nobilis Episcopatus fundatur cernitur, bello petiit. Cumque viribus se proficere posse non videret, Hattonis Moguntini Archiepiscopi consilio, ad dolum se contulit. Itaque ut non solùm in Regum gestis invenitur, sed etiam in vulgari traditione in Compitis & curriis hactenus auditur, præfatus Hatto Albertum in castro suo Babenberg adiit, eumque Dei pietatis obtentu de gratia Regis adipiscenda convenit. Ille devotè monitis ejus obtemperans, humiliter conductum de personæ propriæ incolumitate petiit. Ac ne multis morer, interposita sacerdotis præfati fide, iter carpunt: vix castro exierant, jam proxmi vico, qui Teurstat dicitur, appropinquabant, & Episcopus grave (inquit) erit nobis jejunium sustinere: si placet, antequam Regi præsentemur, ad prandium divertamus. Tum ille simplices aures more antiquorum primorum habens, dolumque minimè persentiens, gratanter eum ad prandendum in castro, unde digressi fuerant, reduxit. At postquam refecti sunt, ad curiam veniunt: in causa Princeps ponitur, ac tanquam reus majestatis, capite plectendus adjudicatur. Monet ille Episcopum de fide data: quàm è contra ille se benè in hoc quòd sanum & incolumem eum in castrum reduxerat, servasse, respondit. Sic præfatus Albertus capite plectitur, possessionesque ejus, è quibus postmodum Babenbergensis Ecclesia locuplatata dicitur, in fiscum redactæ sunt. Ex hujus Alberti sanguine Albertus, qui postmodum Marchiam Orientalem, id est, Pannoniam superiorem Ungaris ereptam, Romano Imperio adjecit, originem duxisse traditur. Judicent de hoc Sacerdotis facto alii quod velint, & tanquam pro regni utilitate commissum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia non solùm quemlibet Christianum fraude circumvenire, sed etiam in corde, & corde in causa capitali loqui non debuisse arbitror Episcopum. Non multo post Ungari commisso cum Bajoariis bello, Ducem eorum Leopoldum, Arnolfi Ducis patrem occidunt, ac inde per totum regnum diffusi, Alemanniam, Franciam, Saxoniam, Thuringiam percurrunt. Ludovicus Orientalis Franciæ Rex, XII. regni sui anno, sine hærede discessit, ac in ipso, fratreque suo Suendebaldo, juxta quosdam Carolorum genealogia in Orientali regno defecit ad tempus. Unde quidam modernus: Ultimus (ait) Augustorum Augustulus, ultimus Carolorum Suendobaldus fuit. Defuncto Ludovico, Otto Saxonum Dux, ab omnibus petitur. Princeps ergo clarissimus tanquam senio gravis, Rex fieri recusabat.

[*Albertus Bambergensis comes proditus capite plectitur.*]

[*NB.*]

CAP. XVI.

De regno Conradi in Orientali Francia, & occisione Ungarorum: fuga Arnolfi Ducis, morteque regis, & subrogatione Henrici Saxonis.

Conradus primus.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCXIII. Conradus, Conradi (quem Albertus occiderat) filius, consilio præfati Ducis Ottonis, consensu omnium, Orientalis Franciæ Rex creatur. Hunc quidam Ludovici fratris filium fuisse dicunt, & ob hoc novissimum eum Carolorum ponunt. Anno regni sui primo, Ungari ad depopulandam terram rursum effusi, à Bajoariis & Suevis, juxta Enum fluvium sternuntur. Porrò Arnolfus Bajoariorum Dux, Regi rebellans, cum uxore ac filiis ad Ungaros fuga elapsus est. Rex verò VII. regni sui anno, vita pariter & regno perfunctus, diem obiit, ejusque consilio Henricus Ottonis Ducis filius, in regnum subrogatur, anno ab incarnatione Domini DCCCCXX.

CAP. XVII.

De exordio regni Teutonicorum, diversæque allegationes, utrum regnum Teutonicorum, vel potius adhuc regnum Francorum dici debeat.

EXHINC quidam post Francorum regnum supputant Teutonicorum: unde filium ejus Ottonem in decretis Pontificum, Leonem Papam primum Regem Teutonicorum vocasse dicunt. Nam iste de quo agimus, Henricus, oblatam sibi à summo Pontifice dignitatem renuisse perhibetur. Mihi autem videtur regnum Teutonicorum, quod modò Romam habere cernitur, partem esse regni Francorum. Denique ut in superioribus patet, tempore Caroli, regni Francorum tota Gallia, id est, Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisque Germania à Rheno scilicet usque ad Illyricum terminus fuit. Dehinc diviso inter filiorum filios regno, aliud Orientale, aliud Occidentale, utrunque tamen Francorum dicebatur regnum. In Orientale ergo, quod Teutonicorum dicitur, deficiente Caroli stirpe, primus, manente adhuc in Occidentali Francia ex successoribus Caroli Carolo, ex gente Saxonum successit Henricus. Cujus filius Otto, qui etiam Imperium à Longobardis usurpatum deduxit ad Teutonicos Orientales Francos, forsan dictus est primus Rex Teutonicorum: non quòd primus apud Teutonicos regnaverit, sed quod primus post eos qui à Carolo Carolingi, sicut à Meroveo Merovingi dicti sunt, ex alio, id est, Saxonum sanguine natus, imperium ad Teutonicos Francos revocaverit. Sicut autem Merovingis deficientibus, ac Carolus succedentibus regnum tamen mansit Francorum: sic & Carolis decedentibus, ex alia familia seu lingua, in uno tamen regno Ottones subintroire. Quæ varietas, humanarum rerum defectum prodens, ab initio mundi usque in præsentem diem alternatur. Sic in regno Ægyptiorum Pharaonibus successere Ptolemæi: in Romano quoque post familias Cæsarum, multas & assiduas Regum successiones miserabiliter mutatas, curiosus indagator inveniet. Et sic, ut ex libro Regum habes, tam ex Regum quàm ex populi peccatis post quartam vel quintam generationem decedentibus aliis, alij successere, qui non solùm filios priorum non exaltarent, sed & plurimùm affligerent, & delere cogitarent: vixque alicujus Regis semen diu stetisse in gloria sua invenis, excepto David, cui promissus est Christus. Quæ omnia, ut sæpe jam dixi, humanam miseriam, variumque rotatum ostendunt, ac ad æternæ beatitudinis statum nos mittunt. Sed hæc hactenus.

CAP. XVIII.

De regno Henrici in Orientali Francia, Caroli que in Occidentali. Decisio litis duorum regum pro Lotharingia. De tyrannide Arnolfi Bajoariorum Ducis, victoriaq; Henrici super Ungaros. De lancea sacra, morteque Henrici.

Henricus Auceps Imp.

IGITUR Henricus Ducis Ottonis filius in Orientali Francia regnavit, Occidentalem Carolo tenente. Quidam Celtici Scriptores asserunt, cum primò Ducem tantùm Saxonum, Caroloq; subjectum fuisse: postq; Consilio generi sui Giselberti Belgicæ Ducis, cum Orientalibus Principibus à regno ejus discessisse, ac Regium nomen assumpsisse.

Alij

Alij dicunt eum poſt mortem Conradi, ab Orientalibus Francis per electionem Principum, in regnum ſubrogatum fuiſſe, nec unquam aliquid de manu Caroli ſuſcepiſſe. Concordant tamen in hoc, quòd regnum Germaniæ potenter habuerit, & pro Belgica Gallia cum Carolo controverſiam. Quam Scriptorum varietatem ex hoc accidiſſe arbitror, ut dum translato ad Francos Imperio, cum Imperiali gloria creſcere ſimul cœpiſſent & ingenia, diviſoque regno, diviſi fuiſſent animi hominum, tantam quique ſuam Rempub. perfecerunt, quantam eam præclaris ingeniis extollere potuerunt. Nos verò medium in his limitem ſervantes, in quantumque poſſumus, ac ex eorum dictis conijcere valemus, veritatis ſeriem tenentes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinare, Deo largiente, ſtudebimus. Itaque dum, ſecundùm quod utroſque Scriptores concordare diximus, Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo diſceptaret, ex voluntate amborum, ad hujus litis ſcrupulum decidendum, die in oppido Bunnæ conſtituta, Belgica Henrico ceſſit, ac Carolo Celtica tantùm & Aquitania, parſque Lugdunenſis, Burgundia Regem per ſe habente, remanſit: & ſic regnum, quod Francorum dicitur, ex paterna hæreditate Belgicam Galliam, cum palatio Aquis, & majori parte Franciæ perdidit.

Belgicum ad Imperium.

Circa idem tempus Arnolfus Bajoariorum Dux, morte Conradi Regis comperta, ex Ungaria in Patriam revertitur, regnareque geſtiens, tandem à Rege relictis ſibi terræ ſuæ Eccleſiis, in pacem vocatur. Hic eſt Arnolfus, qui Eccleſias & monaſteria Bajoariæ crudeliter deſtruxit, ac poſſeſſiones earum militibus diſtribuit. Is dum primò regnare moliretur, beato Udalrico Auguſtenſi Epiſcopo duo gladij, quorum alter capulo carebat, in viſu monſtrati ſunt, audivitque gladium cum capulo Regem Henricum, Arnolfum autem gladium ſine capulo, tanquam ſine capite & juſtitia eſſe. Poſt hoc Henricus Ungaros more ſuo irrumpere volentes, in Saxonia incredibili cæde ſtravit, titulumque victoriæ in palatio Mersburgk, quæ & Martinopolis, pingi fecit. Lanceam quoq; ſacram, quam Reges noſtri hactenus habent, ab Arnolfo Lugdunenſis Galliæ, ſeu Burgundionum Rege minis extorſit. Ipſe verò poſt multa virtutis ſuæ opera, dum ad obtinendum Imperium Romam tenderet, morbo correptus, XVII. regni ſui anno, diem obiit.

CAP. XIX.

De regno Ottonis, triumphisque ejus, tam de Sclavis, quàm de Belgis. De ejectione Ludovici, ac per Ottonem reſtitutione, ſynodique in amborum præſentia celebratione. Qualiter Otto Italiam ingreſſus Berengarium debellaverit, ipſumque poſtmodum cum Alberto filio in deditionem accepit. De rebellione filii ejus Letalfi, itemque reconciliatione.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCXXXVI. Otto Henrici filius, Patri nobilis hæres in regno ſuccedens, in Palatio Aquis à Moguntino Archiepiſcopo Hildeberto coronatur. Hic Sclavos, qui & Boemi, reſiſtentes ſibi, compeſcuit, Belgas conſilio Giſilberti Ducis, tranſitum Rheni prohibere nitentes, in fugam vertit, ac tota terra ferro flammaque vaſtata, caſtrum in monte Capri ſituatum obſidione cinxit. Igitur Ludovicus Caroli filius Belgicam, quam Pater (ut ſuprà dixi) perdiderat, hac occaſione recipere geſtiens, Alſatiam ingreditur. Quo audito, Rex obſidionem Capri montis ſolvit, pulſoque Alſatia Ludovico, Breſacum obſedit. Inter hæc Giſilbertus Dux, decoris injuriam ulciſci volens, collecto milite Andernacum usque progreditur, ubi occurrentibus ſibi Germanis, acerrimo prælio commiſſo, Giſilbertus Dux fugere volens, Rheno ſubmergitur, cæterique in fugam, cæſis plurimis, vertuntur. Quo comperto, Breſacenſes Regi caſtrum dederunt. Rex verò rurſum Belgicam ingreditur, totamque in deditionem accepit, & exhinc Provincia illa à Regibus Teutonicorum abſque contradictione poſſidetur. Porrò Ludovicus Rex ſororem Ottonis Regis, Giſilberto Duce mortuo viduatam, in matrimonium ſuſcepit: ipſe verò non multo pòſt à ſuis regno pulſus, ad Ottonem ſupplex venit, ejusque auxilio devictis hoſtibus, regnum recepit. Poſt hæc Inglinheim ſynodus præſente Marino ſedis Apoſtolicæ legato, in præſentia amborum Regum celebratur. Verùm Otto poſt multos

Otto primus qui & Magnus.

Belgica provincia Iuris Imperij.

triumphos Italiam quoque, quæ per plures jam annos Francis, seu germanis alienata fuerat regno adijcere parat. Hæc eo tempore à Berengario tyranno multipliciter premebatur, à quo etiam Adelheida Lotharij Imperatoris antecessoris sui vidua, in captivitate tenebatur. Rex ergo Italiam ingressus, Reginam à captivitate liberatam, uxorem accepit: pulsoque Berengario, natale Domini Papiæ celebravit: & sic verno tempore in Patriam rediens, Conradum Ducem ad persequendum Berengarium ibidem reliquit. Hujus consilio Berengarius in Saxoniam ad Regem venit, gratiam ejus tam Ducis, quàm Letalfi Regis filii impetraturus auxilio. Sed cum per triduum conspectui Regis non admitteretur, intercessione tandem præfati Ducis, ac Regiæ prolis obtinuit, quòd ei in Urbe Rhetiæ Augusta dies præfigatur. Ibi ex omnibus regni visceribus, multis in unum adunatis, Berengarius humiliter veniens, cum filio suo Alberto Regi se dedidit, ab eoque regnum Italiæ, excepta Marchia Veronensium & Aquileiensium, suscepit. Reversus in Italiam Berengarius, multa sicut & antea Principibus terræ mala faciens, in se odia omnium excitavit. Eo tempore Letalfus filius Regis, consilio quorundam nova contra Patrem molitur, sed in brevi à cœpto desistens, paternè ab eo in gratiam recipitur.

Italia à Germanis subacta.

CAP. XX.

Triumphus Ottonis de Ungaris, traditioque Scirensis Comitis. Itemque triumphus Ottonis de Sclavis.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCLV. Ungarorum gens sævissima, cum innumera multitudine erupit, ac totam terram more locustarum operiens, ad Licum usque contra Urbem Augustensem, cui tunc venerabilis, ac Deo dignus Sacerdos Ulricus præsidebat, pervenit. Quibus gloriosissimus Rex fide magis quàm armis, præfati viri Dei hortatu tutatus, occurrit: tantaque prædictos barbaros virtute stravit, ut exhinc gens omnium immanissima, non solùm regnum invadere non auderet, sed & suum, desperatione correpta, vallibus & sudibus in locis palustribus contra nostros munire cogitaret. Cecidit in eo prælio Dux illustris Warmaciensis, & gener Regis Conradus. Barbari verò, quod etiam incredibile dictu videtur, usque ad internecionem, VII. tantùm residuis, omnes deleti dicuntur. Hujus maximæ concussionis auctor fuisse ex Bajoaria quidam Scirensis Comes memoratur, qui tamen perfidiæ suæ pœnas solvens, dum Ungaros incautè eductos, morti exposuisset, ab eis tanquam traditor necatus est. * Porrò terra ejus in fiscum redacta, partim à Rege inter Ecclesias divisa, partim hæredibus ejus cum castro Scirensi relicta, æterno anathemati ab Episcopis addicata fuisse traditur. Ex hujus origine cùm multi hactenus tyranni surrexerint, Otto Palatinus Comes perfidi & iniqui Patris haud dissimilis hæres, omnes priores malitia supergrediens, Ecclesiam Dei usque in præsentem diem persequi non desistit. Sic enim mirabile dictu, quo divino judicio nescio, penè tota illa posteritas in reprobum sensum tradita est, ut vel nulli, vel pauci utriusque sexus, cujuscunque professionis, seu ordinis ex ea inveniantur, quin vel aperta tyrannide desæviant, vel omnino infatuati, ad omnem tam Ecclesiasticum, quàm secularem honorem indigni, furtis & latrociniis inservientes, miseram vitam mendicando transigant. * Rex inde digrediens, Sclavos resistentes sibi bello petiit, ac tam de ipsis, quàm de Ungaris victor existens, Pater Patriæ appellatus est.

Vngarorum prope Augustam clades.

Scirensis familia.

* *Petrus Pithœus I.C. è manu scripto exemplari diversam hujus capitis lectionem annotavit, quam hic non omittere visum est.*

* *Porrò terra ipsius in fiscum redacta, partim à Rege inter Ecclesias divisa, partim hæredibus ejus cum castro Scirensi relicta, unum tantummodo cœnobium inibi monachorum institutum fore conspicitur. Ex hujus origine cum plures hactenus tyranni potentesque viri surrexerint, modò verò temporibus nostris præclara & inclyta soboles Otto Palatinus Comes illustrissimus de Witelnspach, infausti patris, sed nobilis, felicior hæres, vir corporis & animi robore præditus, plurimis opibus & honoribus pollens, filiorumque generosa propagine excellenter dilatatus, emicuit. Quorum unus Conradus nomine, Ecclesiastico ordini destinatus, ac postmodum Ecclesiæ Maguntinæ præsul effectus, magnæ auctoritatis in regno Romano Princeps claruit, Alter verò Otto major Palatinus Comes dictus, Patri nobilior hæres succedens, vir armis experientissimus, sapientia præditus, consilio validus, donis liberalis, laudis*

laudis avidus, fidelitate & omni virtutum probitate conspicuus, cum aliis duobus fratribus suis, Friderico videlicet & Ottone juniore, praeclarissimis Comitibus: qui tres germani omnes terrae nostrae Primates & Barones nobilitate, divitiis, fortitudine, prudentia & aequitate praecellere dignoscuntur. Huic Ottoni majori Palatino Comiti ob multa virtutum suarum insignia, quae in cunctis regni negotiis & periculis ostendit & pertulit, quibus semper Imperio fidelissimus agonista, & assiduus propugnator extitit, postmodum ab Imperatore Friderico, cum Henricum Ducem opulentissimum & potentissimum ob crimen laesae majestatis de Bajoaria expulisset, ducatus idem Noricus concessus est: quem dum vixit, summa prudentia paceq; rexit, filioque suo parvulo LudoWico, qui modò superstes est, regendum moriens dereliquit. Quae quamvis per anticipationem breviter assignavimus: tamen sequenti Opere loco suo expressius declarabimus. Rex igitur Otto inde digrediens, Sclavos, &c.

CAP. XXI.

Querimonia Romanorum super tyrannide Berengarij: Rex sublimato prius ad regnum filio, Italiam ingressus, palatium Papiae reaedificat.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCLX. dum Rex rursum contra Sclavos procinctum moveret, Joannes Diaconus, & Azo scriniarius, ab Apostolica sede missi, ad Regem veniunt, tam de tyrannide Berengarij querimoniam facientes, quàm ipsum ad defensionem sanctae Romanae Ecclesiae, ac totius Italiae invitantes. Walbertus quoque Mediolanensis, & Waldo Cumanus Episcopi, cum aliis regni Italiae Principibus, eadem petentes, ad Regem supplices veniunt. Rex ergo natali Domini Ratisponae celebrato, in Belgas proficiscitur, ibique filio suo Ottone in palatio Aquis ad regnum sublimato, in Saxoniam rediit, collectoque milite, per Bajoariam, ac Tridentinam vallem Italiam armatus intravit: totaque terra subacta, natale Domini Papiae celebrans, palatium à Berengario destructum reaedificari jussit. *Ottonis in Italiam expeditio.*

CAP. XXII.

Otto Romam veniens à Ioanne Papa, ac toto populo Augusti nomen sortitur, sicque Imperium Romanum ad Teutonicos, vel juxta alios, ad Orientales Francos derivatur. Imperator Papiam venit, Berengarius fugit.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCLXIV. Otto gloriosus Rex, à Papia usque ad Urbem progrediens, honorificè à summo Pontifice Joanne, ac toto populo susceptus, applaudentibus cunctis, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Hic juxta eos qui Arnolfum in catalogo ponunt, & eos qui interea in Italia regnabant, secludunt, LXXVII. secundùm Romanos autem, qui semoto Arnolfo, Ludovicum, Berengarios duos, Ugonem, Berengarium, Lotharium, itemque Berengarium cum filio suo Alberto, quamvis obscurè regnantes in numero priorum statuunt, LXXXIV. invenitur. Exhinc regnum Romanorum, quod post Francos & Longobardos ad Teutonicos, vel (ut aliis videtur) rursum ad Francos, unde quodammodo elapsum fuerat, translatum est. Cui scilicet opinioni accommodatum videtur, quòd regnum Romanorum juxta majores nostros, Babyloniorum Imperio similem ortum & progressum habere dicitur. Sicut ergo illud duabus famosis mutationibus, Medorum scilicet & Persarum, succubuisse constat: sic & istud item duabus tantùm Graecorum & Francorum subjacere debere volunt. Nam caeteros hujus, sicut & illius à diversis gentibus incursus, eclipsim potius eorum, quàm mutationem fuisse dixerunt. Imperator ab Urbe rediens, Papiae Pascha Domini celebravit. At Berengarius in monte, qui sancti Leonis dicitur, Imperatorem fugiens, latitavit. *Romanorum regnum Babylonico simile.*

CAP. XXIII.

Imperator Ioannem Papam, eo quòd Albertum susceperat, Pontificatu deponit, & ei Leonem substituit.

ANNO sequenti dum rursum Imperator Pascha Domini Papiae celebraret, ac inde progrediens Berengarium in monte Leonis obsidione clauderet, Albertus filius ejus primò Corsicam, furorem Principis declinans, intravit: pòst Joannem Romanum

Romanum Pontificem adiens, eum ad sui partem inclinavit. Ea propter Imperator obsidione castri relicta, contra Urbem aciem dirigit. Quidam verò ex civibus metu perculsi, unà cum Pontifice fugiunt: alij datis obsidibus, Augusto subduntur. Otto missa legatione, Papam revocat: sed eo venire nolente, collecta synodo Episcoporum, Leonem ei in Pontificatu substituit. Quod videns Albertus denuo Corsicam fugit. Quæ omnia utrum licitè, aut secus acta sint, dicere præsentis non est Operis: res enim gestas scibere, non gestarum rerum rationem reddere, proposuimus. Inveni tamen in quibusdam Chronicis, sed Teutonicorum, præfatum Joannem reprehensibiliter vixisse, & frequenter super hoc ab Episcopis, aliisque subditis suis conventum fuisse. Cui rei durum videtur fidem accommodare, quia Romana Ecclesia hoc speciale privilegium Sacerdotibus suis ascribere solet, quòd meritis Petri super firmam Petram fundati, nulla eos porta inferorum, vel turbo tempestatum ad exitialem ruinam involvat.

Joan. 12. Papa ab Ottone loco motus.

CAP. XXIV.

Imperator Berengarium capit, Romanos seditionem moventes sternit, & sic ad Spoletum divertit, rursumque rediens Urbem obsidione claudit, ac Papam quem Romani posuerant, captivum abducit: denuò rediens quosdam ex Romanis suspendit, coronatoque prius à summo Pontifice filio, in Saxonia moritur.

IMPERATOR natale Domini Romæ celebrans, Berengarium in monte Leonis obsessum, cum castello in deditionem accepit, ac in Bajoria custodiæ mancipatum, exilio relegavit. Vide regnum Teutonicorum cum regno Francorum affine, & quodammodo cognatum Principium habere. Ibi primùm Carolus sine Regis nomine honorem Regis gerebat. Hic magnus Otto Saxonum Dux, Regibus adhuc ex stirpe Caroli manentibus, regni summam administrabat. Illius filius Pipinus non solùm re, sed & nomine Rex cœpit esse, & dici: hujus simili modò filius Henricus Regis nomine meruit honorari. Illius filius Carolus magnus non solùm regnum, sed & Imperium capto Desiderio primus obtinuit ex Francis: istius filius Otto magnus, post multos triumphos primus ex Teutonicis post Carolus, capto Berengario, Romanis imperavit.

Comparatio regni Germanorum & Francorum.

Manente in Urbe Imperatore, cives communicato cum vicinis castellanis consilio, eum occidere tentant. Hæc Augustinus persentiens, insidias præcavit primò, pòst infinitam ex eis multitudinem stravit. Sequenti verò die interposito jurejurando, C ab eis obsides accepit. Ipse autem septem apud eos dehinc dies manens, ad Spoletum divertit, rogatuque Leonis Papæ Romanis eorum obsides relaxavit. Quo recedente, Romani Joannem recipiunt, Leone expulso. Is nil moratus, Augustum in ducatu Camerino morantem adiit, secumque sanctum Pascha celebravit. Inter hæc Joannes moritur, & in locum ejus Benedictus à Romanis subrogatur. Augustus itaque tam pro expulsione Leonis, quàm subrogatione Benedicti inflammatus, spretis Romanorum legatis, quos ad conciliandum animum ejus miserant, exercitum contra Urbem movet. Quam obsidione clausam, & incredibili fame fatigatam, tandem ad deditionem coegit. Hac ergo conditione sunt in gratiam recepti, ut portis apertis ipsum honorificè suscipere nt, & Benedictum ei traderent. Quo facto, Imperator Leonem restituit: celebrataque ibi S. Joannis nativitate, ac Apostolorum Petri & Pauli festivitate, ab Urbe digressus, in vita multos ex inæqualitate aeris perdidit. Deinde natale Domini Papiæ agens, ad Cisalpinam revertitur, Benedictum jam depositum secum ducens.

Non multo pòst deficientibus à se denuò Italis, Alpes transcendit, nataleq; Domini celebrans Romæ, XIII. ex majoribus Urbis post præfectum, qui factionis erga Leonem Papam rei fuerant, patibulo suspendit. Dehinc vocato ad se filio suo Ottone, eum à summo Pontifice coronari & Augustum vocari fecit, eique Constantinopolitani Imperatoris Theophanij filiam in matrimonium conjunxit. Omnibus itaque bene compositis, reversus ex Italia, Pascha Domini Quitelinburg celebravit: ac inde Martianopoli Ascensionem ex more ferians, morbo tertia ante Pentecosten feria correptus, XXXVII. regni sui anno, Imperij XIII. diem ultimum clausit. Hic est Otto, qui post multas quas novi victorias, Græcos quoque in Apulia & Calabria superavit, ac Imperium

Ottonis I. decessus.

Imperium Romanorum virtute sua ad Francos Orientales reduxit, primusque venas argenti & æris, juxta civitatem Goslariam in Saxonia invenit. Metropolim etiam Magdeburgensem, ubi adhuc cultu regio humatus cernitur, pluribus ornamentis decoravit. Berengarius verò, & uxor ejus Willa exules Babenberg moriuntur: eodemque anno beatus Udalricus Augustensis Episcopus migravit ad dominum.

Goslarienses fodinæ.
NB.

CAP. XXV.

De Imperio Ottonis secundi, eventuque ejus in Calabria, ac morte ipsius. Traditio Romanorum: de beato Bartholomæo.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCLXXV. Otto secundus, magni Ottonis filius, qui vivente Patre à Romano Pontifice coronatus fuerat, Patri in regnum succedens, LXXXV. ab Augusto imperavit. Hic dum Græcos incautè in Calabria persequeretur, amisso milite de navi exiliens, natando evasit. Ipse vero, IX. Imperij sui anno, Romæ moritur, ac ante beati Petri Ecclesiam in concha marmorea honorificè humatur. Tradunt de ipso Romani, quòd Benevento capta, beati Apostoli Bartholomæi ossa inde asportavit, ac Romæ in Lycaonia insula, in tumba porphyretica ea collocaverit, in terramque suam per Tybcrim, & mare in præfato sarcophago deportare cogitaverit: sed eo in brevi vita exempto, preciosum thesaurum ibidem remansisse.

Otto 2. Imp.

CAP. XXVI.

De Imperio Ottonis tertii, martyrio beati Adalberti, ac morte Imperatoris.

ANNO ab incarnatione Domini DCCCCLXXXIV. Otto tertius Patri in regnum succedens admodum puer, LXXXVI. ab Augusto Imperium est adeptus. Hujus diebus beatus Adalbertus Pragensis Episcopus prædicans Prutenis martyrio coronatur. Otto verò XVII. Imperij sui anno diem obiit, & in Ecclesia S. Mariæ Aquis sepelitur. Hi duo posteriores Ottones, quamvis brevitatis causa pauca de eis dixerimus, tam feroces, tam mirabiles fuere, ut unus *Pallida mors Sarracenorum*, seu sanguinarius, alter *Mirabilia mundi* diceretur.

Otto 3. imp.
S. Adalbertus.

CAP. XXVII.

De imperio Henrici, triumphis eius, fundationeque Babenberg, conversione Ungarorum, morteque ipsius.

ANNO ab incarnatione Domini M. primò, mortuo sine hærede Ottone, Henricus Patre Hezilone, natione Noricus, ejusdemque gentis Dux, ab omnibus regni primoribus electus, LXXXVII. ab Augusto Rex creatur. Hic multis in Germania, Boemia, Italia, Apulia fortiter ac prosperè bellis gestis, postremò data sibi à Domino requie, cum esset Christianissimus, nobilissimum Episcopatum Babenberg fundavit, ac possessionibus & honoribus, sicut hodie cernitur, locupletavit. Soroque sua Gisila Stephano Ungarorum Regi in uxorem data, tam ipsum quàm totum ejus regnum ad fidem vocavit. Hunc Stephanum Ungari hactenus fidem Christianam servantes, velut Principium fidei suæ, inter sanctos colendum dignum ducunt. At Henricus Imperator piissimus, XXIV. regni sui, Imperij autem XI. anno, rebus humanis exemptus, in Ecclesia Babenberg humatur, & (ut illa testatur Ecclesia) sepulchrum ejus usque hodie crebris miraculis celebre habetur.

Henricus 2. imp. qui & sanctus.
Ungari fide Christiana manus dant.

De regno Regis Conradi, ejusque uxore Gisila. De virtutibus eius, victoriaque super Polonos. De rebellione ducum, Conradi & Ernusti, reconciliationeque Ernusti, ac expeditione Regis in Italiam.

ANNO ab incarnatione Domini MXXV. defuncto sine filiis Henrico, Conradus natione Francus, consilio antecessoris sui, cujus tamen dum adhuc viveret, gratia care-

tia carebat, ab omnibus electus, LXXXVIII. ab Augusto regnum sortitur. Hic ex parte Patris à Conrado Varmatiensium Duce, qui in prælio cum Ungaris sub Ottone habito, occubuerat, prosapiam ducens, ex parte matris, ex probatissimorum Galliarum Principum, qui ex antiqua Trojanorum stirpe descenderant, & à beato Remigio baptizati fuerant, originem trahens, uxorem Gisilam nomine, de antiquo & glorioso Carolorum sanguine oriundam habuit, sicut quidam his versibus attestatur.

Gisela imperatrix.

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo magno processit Gisila prudens.

Hæc primùm Ernusto Duci Suevorum, fratri Alberti superioris Pannoniæ Marchionis nupta fuit, geminosque ex ea filios Ernustum & Hermannum suscepit. Quo mortuo Conradum hunc, de quo agimus, accepit. Erat autem idem Rex armis strenuus, consilio providus, sapientia tam forensi, quàm civili prædītus, in religione Christiana satis devotus, humilitate quæ Regem decebat, adornatus.

Itaque in primordio regni ejus Boleslaus Polonorum Dux, qui ab antecessore suo Henrico noviter subactus fuerat, à regno dividi, Rexque per se vocari molitur. Qui non multo pòst moriens, Misiconem filium suum successorem reliquit. Is dum Patrem imitari cogitaret, insuperque fratrem suum Ottonem expulisset, Rex tam profugum in Patriam reducturus, quàm de contumace regni injuriam vindicaturus, in Poloniam procinctum movet. Misico Regis impetum ferre non valens, fractis quibusdam regni insignibus, ad Ulricum Boemiensium Ducem, qui & ipse tunc temporis hostis regni fuerat, fugit. Quem cum Ulricus Regi dare, & sic ad gratiam ejus redire vellet, ipse, ut erat serenissimus, eum hoc modo à perfido Duce recipere noluit. Otto verò liberè ducatu potitus, diadema, quod Pater ejus ad ignominiam regni illicitè fecerat, Regi misit, seque per omnia ditioni ejus subjecit. Ipse verò non multo pòst fraude armigeri sui, vita privatus est. At Misico à Rege exul factus, ad Imperatorem supplex venit, interventuque Reginæ divisa in tres partes Provincia, tertiam partem ipse obtinuit. Exhinc Provincia illa Regibus nostris sub tributo servire cognoscitur.

Polonia Imperio tributaria.

Circa idem tempus, consanguineus Regis Conradus Vangionum, & Ernustus privignus ejus Suevorum seu Alemannorum Duces, Regi cum multis aliis rebellare attentant. Rex verò filio suo Henrico adhuc infantulo Rege post se designato, Italiam ingreditur: ad quem Ernustus Dux, consilio matris suæ Reginæ venit, gratiamque suam ejus auxilio promittens, secum Rege in Italiam profecturum obtinuit. Rex verò castra movens, sanctum Pascha Vercellis celebravit. Ibi Reinherum Marchionem cum civibus Lucensibus obvium habuit, susceptisque ad deditionem omnibus, ad Urbem iter tendit.

CAP. XXIX.

De promotione Conradi in Imperatorem, seditioneque orta in populo. De reditu eius, rebellioneque item Ernusti, morteque eius.

Conradus 3. Imp.

ANNO ab incarnatione Domini M.XXVII. Conradus Romam veniens, in ipsa die Paschalis solennitatis inter duos Cinitonem Anglorum, & Reginæ Gisilæ avunculum Rudolphum Burgundiæ Reges, honorificè procedens, à summo Pontifice Joanne coronatus, ab omni populo Romano Imperatoris & Augusti nomen sortitur. In ipsa verò Paschali hebdomada, tumultu orto inter milites Imperatoris & cives, gravis pugna committitur: cæsisque multis, Romanis fugientibus, Imperator victoria potitur. Post hoc facta cum civibus pace, ab Urbe regreditur, captumque latronem quendam famosissimum Thaselgart nomine, suspendio peremit. Inde per Pyrenæum in Franciam rediens, denuò sibi Ducem Ernustum privignum suum, consilio Comitis Werenharij rebellare nitentem audivit. Quem censura justitiæ ac viribus regalis excellentiæ terra marique pulsum, in sylvis latitare coegit, ubi postmodum à fidelibus Regis occisus est, ejusque ducatum Hermannus frater ejus accepit.

CAP.

CAP. XXX.

De morte Rudolphi Regis Burgundiæ, Burgundiaq; data filio Imperatoris. Deſcriptio Galliarum.

EA tempeſtate Rudolphus Burgundiæ, ſeu Galliæ Lugdunenſis Rex moriens, Henrico filio Regis, nepoti ſuo regnum cum diademate, aliiſque inſignibus ſub teſtamento reliquit. Eſſe enim Gallias ciſalpinam & tranſalpinam Scriptores teſtantur. Quarum ciſalpinam ſeu togatam in Italia inter Padum & Alpes dixerunt: tranſalpinam verò ſeu Comatam, in tres, id eſt, Belgicam, Lugdunenſem, Celticam, Aquitaniam Celticæ partem facientes, diviſere. Alii æquè tres conſtituentes, Celticam in Belgicam ponunt, & Aquitaniam tertiam per ſe conſtituunt. Unde tribus his Galliis tres primates præeſſe volunt, Belgicæ Trevirenſem, Aquitaniæ Bituricenſem, tertiæ Lugdunenſem. Quòd enim in Belgica contineatur Celtica, Oroſius velle videtur, qui in diviſione orbis terrarum, eam in Britanniam ſeu Provinciam Narbonenſem, cum juxta priorem diviſionem ad fontem Moſæ ſeu ſylvam* Argonam à Rheno protendatur, extendit: *Gallia* inquiens, *Belgica habet ab Oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam, ab Euro Alpes Appenninas, à Meridie Provinciam Narbonenſem, à Circio Oceanum Britannicum, à Septentrione Britannicam Inſulam. Idem de Lugdunenſi Gallia, Lugdunenſis ducta per longum, & anguſtum inflexa, Aquitanicam provinciam ſemicingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam, à Meridie partem Provinciæ Narbonenſis, quà Arelatum Civitas ſita eſt, & ubi mari Gallico Rhodani flumen accipitur.* Porrò de Aquitania, non ſicut de tertia parte Galliarum, ſed ejus Provincia loquens ſic ait: *Aquitania provincia obliquo curſu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus ejus eſt, in orbem agitur. Hæc è Circio Oceanum, qui Aquitanicus dicitur ſinus, ab Occaſu Hiſpanias habet, & à Septentrione & Oriente Lugdunenſem, ab Euro & Meridie Narbonenſem Provinciam contingit.* Unde juxta hanc diviſionem, duæ tantùm Comatæ Galliæ partes eſſe videntur, Lugdunenſis videlicet, & Belgica: ita ut Aquitania non pars tertia, ſed una earum (ut dictum eſt) Provincia ſit: ſicque Galliæ item trina diviſio cum Togata invenitur. Secundùm priorem enim Comata ſine Togata tres, juxta alteram cum Togata tres itidem inveniuntur diviſiones Galliæ. Quæ omnes, ut ſupra dixi, dum regno Francorum primitùs ſubjacerent, poſt diviſæ, ſingulæ ſingulos Reges habere cœpere: illique, quòd Francorum hactenus vocatur, juxta priorem diviſionem, Celtica, juxta ſequentem verò Aquitania & pars Belgicæ tantùm remanſit.

Burgundia regnum ad imperium. Gallia diviſio.

Arden nam

CAP. XXXI.

Rebellio Odonis in Gallia, expeditioque Imperatoris ſuper ipſum, ubi cogitur ad deditionem. Expeditio Imperatoris in Italiam, victoriaque ejus. Occiſio Odonis à fidelibus Imperatoris, captivitas Pontificum, excidium Parmæ, proceſſus Imperatoris in Apuliam, victoriæque ibi, peſtilentia redeuntium, obitusque Auguſti.

IGITUR dum Rudolphus Galliam Lugdunenſem Henrico traderet, Odo Celticæ comes, eò quod ſororius ejus eſſet, præfatum regnum jure hæreditatis ad ſe pertinere calumnians, armata manu ingreditur. Hoc eo tempore dum Imperator in ſubjugandis Polonis (quod nos per prolepſim ſuprà diximus) moraretur, contigit. Auguſtus ergo contumacia Odonis audita, in Burgundiam iturus circa natale Domini militem inſtaurat: ſed dum propter nimium frigus proficiſci non poſſet, proxima æſtate rurſum Gallias ingreſſus eſt: vaſtataque per tres continuas hebdomadas ferro ac flamma Odonis terra, ille ſupplex venire compellitur, interpoſitoque jurejurando, de amplius præfatum regnum quoquo modo laceſſat, Imperator revertitur. Anno ſequenti Rex denuò Burgundiam ingreſſus, omnes terræ illius Principes cum Lugdunenſi primate in deditionem accepit, ducenſque ſecum obſides terræ, in pace repedavit. Non multo poſt ad ſedandam ignobilis vulgi contumaciam, qui penè Principibus prævaluerant, Italiam ingreditur: nataleque Domini celebrans, per Brixiam ac Cremonam Mediolanum venit, ejuſdemque Urbis Epiſcopum, eò quòd conjurationis erga eum

Bellum Burgundicum.

factæ reus diceretur, cœpit, ac Pupioni Aquileiensium Patriarchæ custodiendum commisit. Episcopus verò clàm elapsus aufugit. Ea propter Imperator Paschate Domini Ravennæ celebrato verno tempore præfatæ civitatis territoria vastans, multa castra partim vi capta destruxit, partim in deditionem accepit. Inde Cremonam veniens, Romanum Pontificem obvium habuit: quem cùm multo honore susceptum & habitum dimisit, & ipse declinando calorem montana loca subiit.

Dùm hæc aguntur in Italia, Odo comes sacramento rupto, denuò Imperatori in Gallia rebellat. Cùmque ad ignominiam ejus castrum quoddam Barrum nomine obsidione cinxisset, à Gozilone Belgarum Duce, aliisque regni fidelibus occiditur, ac vexillum ejus in signum victoriæ Augusto in Italiam mittitur. Ea tempestate Placentinus, Vercellensis, Cremonensis Episcopi, dubium utrùm licite an secus, majestatis rei judicati, in exilium deportantur. Proximo dehinc Imperatore natale Domini Parmæ celebrante, tumultu orto, dapifer Regis necatur. Qua de re commotus Princeps, omnium nisu Urbem impugnat. Civibus autem fortiter se defendentibus, sed tamen impetum Regis diutius ferre non valentibus, fusis multis, tandem misera civitas crematur.

Parma igne deleta. Iisdem diebus Romanus Pontifex Mediolanensium Archiepiscopum, eò quòd Imperatori suo Domino injustè rebellaret, excommunicavit. Itaque Conradus Rex subacta ad plenum Italia citeriori, Appenninum transiens, Regina Romam orationis gratia eunte, ac post ad ipsum revertente, ipse Apuliam ingressus, ac terræ illius Urbes, Capuam, Beneventum, aliasque quàmplures pervagatus, per Adriatici maris oram domum remeare disposuit: sed cùm per lætifera loca iter ageret, ex corruptione aeris plurimos de exercitu, & de claris Principibus perdidit. Mortui sunt ibi inter alios Hermannus Dux, Reginæ filius, Kunigunda filij Regis sponsa, Cona Francorum Dux, & alij quamplures. Unde quidam ex nostris hunc rerum humanarum casum deplorans, rhythmum in modum tragœdiæ simplici stylo composuit, qui sic incipit:

Qui habet vocem serenam,
Proferat hanc cantilenam

Mors Conradi Imp. Non multo post reverso ab Italia Imperatore, sanctamque Pentecosten in inferiori Trajecto Fresiæ Urbe celebrante, in ipsa solennitate infirmatus, XVII. regni, imperij verò XIV. anno, diem ultimum clausit: sepultisque ibidem intestinis ejus, reliquum corpus in Spirensem Urbem deportatur, ibique in Ecclesia S. Mariæ humatur.

CAP. XXXII.

De Imperio Henrici, virtutibusq; ejus. De eventu ipsius in Boemia, triumphoq; ejus in Pannonia. De nuptiis ejus, & de morte Leopaldi Marchionis. De schismate Romanæ Ecclesiæ. De depositione Gratiani, ac subrogatione Clementis: & quid Hiltebrandus inde senserit.

Henr.3. Imp. ANNO ab incarnatione Domini MXL. Henricus tertius supra dictæ Gisilæ filius, qui patre vivente regnare cœperat, ipse mortuo LXXXIX. ab Augusto, solus regnavit, in ipsoque dignitas imperialis: quæ per longum jam tempus à semine Caroli exulaverat, ad generosum & antiquum germem Caroli reducta est. Hic per omnia patrem in virtutibus non solùm æquasse, sed & transcendisse perhibetur, regnum moderatissimè gubernans. Verùm in principio regni sui, dum Boemos resistentes sibi incautè bello peteret, plurimos de exercitu in abdytis sylvarum claustris perdidit. Contra quos cum debitæ indignationis aculeos exerceret, gentemque præfatam multis malis attereret, tandem Ducem ejus in deditionem accepit. Ungaros quoque variis ac diversis præliis premens, Petrum Regem eorum ab Ovone regno fraudulenter pulsum, intercessione Alberti Marchionis, cujus levir erat, exulem suscepit, ac cum exercitu Pannonias ingressus, congressu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Ungarorum fudit, Petrumque regno instituit. Unde rursum est ille rhythmus Hermanni contracti de præfato triumpho, qui sic incipit:

Vox

Vox hæc melos pangat.

Accepit autem nobilissimi Galliarum Principis, Pictaviæ ac Aquitaniæ Ducis sororem Guilhelmi Agnetem in uxorem. Cumque ex more regio nuptias *Inglnheim* celebraret, omne balatronum & histrionum collegium, quod (ut assolet) eò confluxerat, vacuum abire permisit, pauperibusque ea quæ membris Diaboli subtraxerat, largè distribuit. In ipsa verò nuptiarum solennitate, tristia lætis admixta sunt. Nam illustrissimus Alberti Marchionis filius Leopaldus adolescens, immatura morte omnium planctu rapitur, & à patruo suo Popione Treverorum Archiepiscopo, in urbe Trevirensi sepelitur. Hic est Leopaldus, qui cum patre suo Alberto Marchiam Orientalem Ungaris eripuit, ac inter cætera virtutis suæ opera, exercitum Ovonis innumerabilem, fines suos ex improviso vastantem, subitò correptis armis (quod tamen in omni conflictu etiam fortibus incautum est) penè funditùs cum paucis delevit.

Nuptiæ Augustales.

Circa idem tempus pudenda confusio Ecclesiæ Dei in Urbe Roma fuit. Tribus ibi invasoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, sedem illam simul occupantibus, atque ad majoris miseriæ cumulum divisis simul cum redditibus Patriarchis, uno ad sanctum Petrum, altero ad sanctam Mariam majorem, tertio, id est, Benedicto, in Palatio Lateranensi sedente, flagitiosam & turpem vitam ut egómet in Urbe Romanis tradentibus audivi, duxere. Hunc miserrimum statum Ecclesiæ, religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis matris suæ compatiendo, animadvertens, præfatos viros adiit, eisque à se de sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto redditibus Angliæ, quia majoris videbatur auctoritatis esse, relictis. Ob ea cives præfatum presbyterum tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium septimum vocaverunt. Quod audiens Rex, procinctum movet in Italiam. Porrò Gratianus Regi apud Sutrium occurrens, ad leniendum ipsius animum, diadema preciosum obtulisse dicitur. Quem Rex primò, ut decuit, honorificè suscepit, postmodum autem collecto Episcoporum conventu, à pontificatu pro nota simoniæ cedere persuasit, eique Suidegerum Babenbergensem Episcopum, qui & Clemens, consensu Romanæ Ecclesiæ substituit. Hunc Gratianum Alpes transcendentem, secutum fuisse tradunt Hildebrandum, qui postmodum summus Pontifex factus, ob ejus amorem, quia de catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII. vocari voluit: & sicut in Lucano habes:

Schisma Pontificium

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni:

ita & huic Hildebrando, qui semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista in qua sententia Principis & Episcoporum prævaluit, semper displicuit. Exhinc Romana Ecclesia in electione canonica Pontificum, intantum infirmata invenitur, quòd iste quatuorque sequentes ab Imperatore ibi positi in catalogo inveniantur. Qualiter autem industria & opera præfati Hildebrandi sub Leone juniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro verò plenè rehabuerit, sicut probatorum virorum relatu cognovimus, infrà dicemus.

NB.

CAP. XXXIII.

Henricus Romæ à Clemente coronatur, ac per Apuliam transiens in patriam venit: & qui postmodum ab ipso Romanæ sedi præpositi sint, & qualiter Bruno, qui & Leo, ad Episcopatum venerit. De deditione Gotfridi & Balduini Ducum, & synodo celebrata, expeditione Ungarica. De irruptione Nortmannorum in Apuliam, transituque Leonis, subrogatione Teutonicorum Pontificum, morteq; Imperatoris.

ANNO ab incarnatione Domini MXLVII. Henricus Rex victoriosissimus, in die natalis Domini à Clemente coronatus, Imperatoris & Augusti, XC. ab Augusto, nomen suscepit. Inde per Apuliam exercitum ducens, cum honore ad patriam revertitur. Eodem anno Suidegero mortuo, Popio Aquileiensium Patriarcha, in locum ejus subrogatur. Non multò post Petrus Ungarorum Rex, à quodam cliente suo Andrea nomine, oculis ac regno privatur. Popione quoque, qui & Damasus, mortuo, Bruno, qui & Leo, Tullensium Episcopus, Romanam Ecclesiam gubernandam suscepit. Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ, ad

Bruno de Egisheim Pontifex Rom.

ſedem beati Petri deſtinatus fuerat. Cumque aſſumpta purpura pontificali, per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi fortè tunc præfatus Hildebrandus prioratus, ut dicitur, obedientiam adminiſtrabat. Is Leonem adiens, æmulatione Dei plenus, conſtanter eum de incepto redarguit, illicitum eſſe inquiens, per manum laicam ſummum Pontificem, ad gubernationem totius Eccleſiæ violenter introire. Verùm ſi ſuis ſe credere velit conſiliis, utrumque & quòd majeſtas imperialis in ipſo non exacerbetur, quodque libertas Eccleſiæ in electione canonica renovetur, ſe policetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum ejus, purpuram deponit, peregrinique habitum aſſumens, ducens ſecum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Urbem uſque venientes, conſilio Hildebrandi à clero & populo Bruno in ſummum Pontificem eligitur, ſicque utcunque Romana Eccleſia ad faciendam electionem informatur. Imperator Belgicam ingreſſus, Gotfridum & Balduinum Duces ad deditionem coegit. Poſt hoc ſynodus Moguntiæ celebratur, in præſentia ſummi Pontificis Leonis, & Imperatoris. Rex iterum ad comprimendam Andreæ, qui ejecto Petro Ungarorum Regnum invaſerat, contumaciam, Pannonias ingreditur: ſed latitantibus undique incolis terræ, & victui neceſſariis vel reconditis, vel contaminatis, militem ibi ſuſtentare non valens, cunctis tamen vaſtatis revertitur. Anno ſequenti denuo Pannonias hoſtiliter petens, ſummum Pontificem Leonem ſecum duxit.

Nortmanni in Apuliam. Ea tempeſtate Nortmannorum gens inquietiſſima, Roberto Guiſcardo Duce, humilis conditionis viro, ſed ſtrenuiſſimo, Apuliam irrupit, multisque malis, fraude & vi incolas terræ afflixit. Quos dum Leo Papa cum militia ad Urbem rediens, Eccleſiæ & Imperii finibus coercere vult, commiſſo prælio, cæſis multis fugere Beneventum compellitur. Tanta verò ſtrages utrorumque ibi facta fuit, quòd acervus ex oſſibus mortuorum compactus, hactenus ab indigenis illic monſtratur. Anno dehinc proximo Leo Papa moritur, & in Eccleſia beati Petri Romæ humatus, miraculis clarus habetur. Cui Gebehardus Eiſtetenſis, qui & victor, ſucceſſit, & illi Stephanus idem natione Teutonicus. Imperator rurſum Italiam ingreſſus, Beatricem Mathildæ matrem, conſanguineam ſuam, marito ſuo Bonifacio Marchione defuncto, ſecum reduxit. Ipſe verò non multò poſt in termino Saxoniæ & Thuringiæ, in loco qui dicitur Botfeld, infirmatus, publicè culpas ſuas recognoſcens, XVII. regni ſui, imperii verò XI. anno diem ultimum clauſit, ac juxta patrem humatus eſt. Cæterum tam ejus quàm patris ſui actus & virtutes Hermannus Contractus in libello quodam quem ipſi deſtinavit, luculenter ſatis diſſeruit.

CAP. XXXIV.

De Imperio Henrici, matrisq; ejus Agnetis. De liberatione Romanæ Eccleſiæ, ac rebellione Saxonum. De morte Alexandri, ſubrogationeque Gregorii VII. & ſchiſmate inter regnum & Sacerdotium orto. De virtutibus ejusdem Sacerdotis, inſtitutisq; ſalubribus. De pugna Saxonum & Regis.

Henr. IV. Imp. ANNO ab incarnatione Domini MLVII. Henricus quartus Henrici filius admodum puer, patri in regnum ſuccedens, XCI. ab Auguſto regnare cœpit. Hic primò ſub cuſtodia matris ſuæ Agnetis imperatricis fuit, ipſaque per aliquod tempus prudenter ac ſtrenuè Imperium rexit, poſtmodum conſilio quorundam matri alienatus, per ſe regnavit: quod ſeminarium maximæ diſſenſionis fuit. Porrò nobiliſſima Imperatrix, mutationis rerum intuitu, ad monaſterium Fruteriam religiosè vivens, ſe contulit, ac inde Romam veniens, & per aliquod tempus ibidem manens, vita deceſſit, & in Eccleſia beatæ Petronellæ honorificè in tumba marmorea ſepulta eſt.

His diebus Alexander primò Lucenſis Epiſcopus, poſt communi voto & electione in ſummum Pontificem promotus, Eccleſiam jam diu ancillatam in priſtinam reduxit libertatem * Carolumque Parmenſem Epiſcopum, armata manu, ſedem Romanam occupare volentem, conſtantiſſimè repreſſit. Unde de ipſo in palatio Lateranenſi ſcriptum reperi:

** alij Cadolum vocant.*

Regnat Alexander, Carolus cadit, & ſuperatur.

Itaque cùm (ut ſæpe dixi) diadema regni à ſacerdotali gladio feriendum foret, in ſe-

ipſum

ipsum dividitur, Saxonibusque rebellionem machinantibus, conspirationes fiunt, detractiones in Principem dictantur, multaque inhonesta de ipso ad aures summi Pontificis referuntur. Deinde missis à Rege Annone Coloniensi, Hermanno Babenbergensi, pro justitia regni Romam Episcopis, peracta legatione revertentes, literas summi Pontificis reportant, Regem ad satisfactionem pro simonia, aliisque multis, quæ ei objecta fuerant, invitantes. Ea tempestate Saxones conceptam diu corde malitiam amplius celare non valentes, manifestè Regi rebellant, castellaque ac munitiones quas ibidem fecerat, dissipant.

Anno sequenti Alexander vita & Sacerdotio perfunctus decessit, sedemque Hiltprando Archidiacono suo, qui Gregorius VII. dictus est, reliquit. Exhinc schisma gravissimum, eò quòd absque consensu Regis per electionem constitutus fuerat, oritur. *Gregorius VII. Pontif.* Ipse autem qui per multum temporis ad libertatem Ecclesiæ obtinendam privatus laboraverat, jam ad sacerdotalem dignitatem provectus, à cœpto desistere indignum ducens, tam ob hoc, quàm pro simonia extirpanda, ac incontinentia clericorum reprimenda, plurimùm desudabat. Denique non solùm Regem pro ejusmodi ad synodalia responsa crebrò vocavit, sed & datis decretis, clericorum à subdiaconatu & suprà, connubia in toto orbe Romano cohibuit, formaque gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit: ac fortis per omnia athleta, murum se pro domo Domini ponere non timuit. Rex verò ex omnibus regni visceribus contractis copiis, Saxones bello petit, commissoque juxta fluvium Unstrot prælio, cæsisque ex utraque parte multis, cruenta tandem victoria regi cessit. Ceciderunt in hoc conflictu Gebehardus pater Lotharij, qui postmodum Rex fuit, Ernustus Marchio, Alberti (cujus suprà mentio habita est) filius, & alii innumerabiles.

CAP. XXXV.

De viso cometa, & expugnatione Angliæ. De nuptiis Regis, sententiaque in eum à summo Pontifice data, depositis super eum Regibus, & in brevi occisis.

ANNO ab incarnatione Domini MLXVI. stella quæ cometes dicitur visa, effectu non caruit. Eodem enim anno Guilhelmus Nortmanniæ comes, Britanniam majorem, quæ nunc Anglia dicitur, occiso Rege ejus Heraldo, expugnavit, totaque in servitutem redacta provincia, ac Nortmannis ibi positis, illo tempore regnavit. Anno sequenti Rex Bertam Ottonis Italici Marchionis filiam uxorem accipiens, nuptias apud Triburias celebravit. *Nuptiæ Henrici IV.* At Romanus Pontifex Regem sæpe vocatum excommunicavit, ejusque ut dicitur, consilio & auctoritate Rudolfus Alemannorum Dux, à quibusdam Principibus Rex creatur. Quo non multò post, in publico bello occiso, atque Hermanno Lotharingiæ Principe sibi substituto, & ipse non multo post à fidelibus Regis occiditur. Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum: nisi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quòd Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo, inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio propter cruentam cædem, à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit. *Henric. IV. inter Cæsares primus piorū communione submotus. NB.*

CAP. XXXVI.

Excursus, qualiter intelligi possit quod in Daniele legitur, lapidem excisum de monte sine manibus, statuam in pedibus, qui ex parte ferrei, ex parte fictiles erant, percussisse. Mala temporis illius, obitusque Gregorii, & terminus libri.

HIC quod suprà distuli, solvendum puto, quòd Romanum Imperium ferro in Daniele comparatum, pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit, donec à lapide præciso de monte sine manibus, excisum subruetur. *Dan. 2.* Quid enim aliud (sine melioris sententiæ præjudicio) lapidem sine manibus excisum, quàm Ecclesiam capitis sui corpus, sine carnali commixtione ex Spiritu sancto conceptum, virgine natum, ipsam quoque sine humana operatione, & ex Spiritu & aqua regeneratam

dixerim? Quæ virgo speciosa, quia sine macula, in novum hominem tanquam juvencula regenerata, ideoque sine ruga, sic quotidie virgo manens, novum ac speciosum parit populum. Sicut mater capitis ejus virgo manens, contra legem naturæ novum ac speciosum edidit partum: sic de virginitate gaudens, ut tamen sterilis non maneat. Hoc nimirum regnum circa finem suum, quem pedes significant, ferreum propter Martem, fictile propter conditionem, in ea parte quæ infirmior fuit, percussit: dum Regem orbis non tanquam orbis Dominum vereri, sed tanquam de limo per humanam conditionem factum fictilem, gladio anathematis ferire decuit. Ipsa verò quæ antea parva fuit & humilis, in quantum montem excreverit, ab omnibus jam videri potest. Quanta autem mala, quot bella, bellorumque discrimina inde subsecuta sint, quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quòd Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum, quam corporum pericula, hujus tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infelitatem sufficeret comprobandam. Unde à quodam Ecclesiastico Scriptore, densissimis Ægypti tenebris comparatur. Prædictus enim Pontifex Gregorius, à Rege Urbe pellitur, Gibertusque Ravennatensis Episcopus in locum ejus subtruditur. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur: Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe suo regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli ac auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit. Tanta mutatione, tanquam à perfectione ad defectum vergente tempore, sexto Operi finem imponamus, ut ad septenarium, requiemque animarum, quæ miseriam præsentis vitæ subsequitur, Deo ductore properemus.

LIBRI SEXTI FINIS.

OTTO-

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORUM

LIBER SEPTIMUS.

PROLOGUS.

OMNIS homo ad hoc rationis capax est, ut auctorem suum Deum cognoscat, factaque sua cæco corde non transeat, surdis auribus non audiat. Denique ad hoc hominem creatum esse, forma quoque corporis non in modum cæterorum animantium acclivis, sed cœlum respiciendo sublimis, probat. Interior etiam homo ad imaginem creatoris sui factus, materiam investigandæ veritatis non solum in creaturis aliis pulchris & magnis foris accipit, sed & in seipso, eò quòd lumen vultus Domini super se signatum habeat, intus invenit. Proinde non juxta quosdam Deum negligere mundum, sed potentissima majestate, quæ non erant, creasse, sapientissima providentia creata gubernare, benignissima gratia gubernata conservare: ex hoc liquido datur intelligi, quòd quilibet sapiens & bonus propria benefacta diligit & amplectitur. Quòd si homo id mutabilitati subjacens, participatione, imò denominatione sapientiæ sapiens, participatione, imò denominatione bonitatis bonus, facere novit: quanto magis Deus solus immutabilis, solus sua sapientia sapiens, solus bonus sua bonitate, & idcirco solus bonus facere credendus est? Unde est illud Augustini: Duo sunt propter quæ Deus amat creaturam suam, ut sit, & ut maneat. Ut esset quod maneret, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Ut autem maneret, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Si ergo Deus quæ fecit diligit, nihilque eorum quæ fiunt, sine ejus nutu fieri possunt, si potestates omnes ordinat: multò magis regna, per quæ alia minora disponit, eorumque mutationes fieri permittit. Quod sine odio, sine invidia provenire, non solùm ex hoc quòd ab optimo, juxta Platonem, longè invidia relegatur, sed & per hoc, quòd auctor & creator omnium, nihil eorum quæ fecit, odisse potest, innuitur. Unde in libro Sapientiæ pulchrè de ipso dicitur: Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et rursum: Tu autem Domine cum tranquillitate judicas omnia. [Sap. 11. & 12.] Quòd igitur mundus transit, quòd tam miserabiliter variatur, cum sine nutu ejus (ut dixi) fieri non possit: non crudeliter, quia miseretur omnium: non ex odio, quia nihil eorum odit quæ fecit: non extrà, quia cum tranquillitate judicat: sed justo ejus judicio causaque, quæ etsi nos lateat, utilissima tamen creditur, contingit. Nullum enim malum auctor bonitatis, & fons pietatis fieri permittere credendus est, præter id quod quamvis in seipso noceat, universitati prodest. Quod in malo Iudaicæ gentis considerari potest: quia illo excæcato populo, universitas gentium lumen veritatis accepit. Sic & regnorum mutationes, & ad ultimum imminutiones, quis fructus sequatur, quia non sine gravi scandalo dicere possumus, Deo, apud quem nihil inutiliter effluere potest, relinquamus. Non desunt tamen qui dicant, Deum adhoc regnum imminui voluisse, ut Ecclesiam exaltaret. [Ecclesia à Regibus ditata.] Regni quippe viribus ac beneficentia Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Ecclesiam: constatque non prius eam in tantum regnum humiliare potuisse, quàm ipso ob amorem Sacerdotij eviscerato, ac viribus exhausto, non ejus tantùm, id est spiritali, sed suo proprio materiali scilicet gladio percussum destruetur, quod judicare, vel discutere, supra nostras vires est. [NB.] Videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia, qui regnum suo gladio, quem ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur, nisi fortè David imitari cogitent, qui Philistheum primò virtute Dei stravit, postmodum proprio gladio jugulavit. [Improbum eos per quos perfeceris, deprimere.] Verùm quia regno decrescente, Ecclesia (ut dixi) bravium æternæ patriæ, ac post vitæ præsentis laborem, requiem adeptura, in præsenti quoque in magnum montem crescens, in magna auctoritate stare cœpit, ea quæ sequuntur, præsertim cum ad nostra tempora, recentemque memoriam ventum sit, tam defectu rerum temporalium, quàm profectu spiritualium, mundi contemptum prodentia, in hoc Opere dicenda restant.

Nemo autem propter hæc verba nos Christianum Imperium ab Ecclesia separare putet, cum duæ personæ in Ecclesia Dei, Sacerdotalis & Regales esse noscantur: memineritque nos suprà dixisse, à tempore Theodosij Senioris, usque ad tempus nostrum, non jam de duabus civi-

tatibus, imò de una penè, id est, Ecclesia, sed permixta, historiam texuisse. Quod temperamentum propter hæreticos, vel excommunicatos ex Regibus, posuimus. Alios enim Christiana fide, etsi opere quæ credunt non sequuntur, in Ecclesia secundùm præsentem statum computandos esse, nemo qui sagenam Domini malos & bonos continere scit, dubitat. Non enim discerni possunt in præsenti, Ecclesia tantùm quæ manifesta sunt judicante: Deo solo, qui novit qui sint ejus, cujus ventilabrum in manu eius, merita singulorũ pensante. Porrò Ecclesiam, Ecclesiasticas personas, id est, Sacerdotes Christi, eorumque sectatores, tam ex usu locutionis, quàm consideratione potioris partis diximus: non ignorantes, quòd & ipsi si reprobam vitam duxerint, ad civitatem Dei in æternum non pertinebunt.

OTTONIS CHRONICORUM LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

De electione Victoris, consecratioeque ejus, & morte.

DEFUNCTO Salerni beatæ memoriæ summo Pontifice Gregorio, Ecclesiaque in summo discrimine posita, eò quòd Gibertus auctoritate Imperatoris Romanam sedem & Urbem occupasset, Abbatem Cassinensem, Cardinalem Desiderium, qui & Victor, invitum pauci de Romanis ad culmen Sacerdotij su[illegible]ahunt, corruptisque pecunia Leoninæ Urbis custodibus, ob metum schismatis, nocte consecrandum in Ecclesiam beati Petri inducunt. Ubi profluvio ventris correptus, moxque Urbem egressus, rebus humanis in brevi excessit, ac Ottoni Hostiensi Episcopo, qui & Urbanus, Ecclesiæ regimen reliquit.

CAP. II.

De expeditione Hierosolymitana sub Urbano, exitu, progressuque ipsorum. De captione Antiochiæ.

EA tempestate, regnante, adhuc Henrico quarto Romæ, Constantinopoli Alexio, ubique terrarum juxta Evangelium, gens contra gentem surrexit, Orientalisque Ecclesia gravem à Paganis persecutionem passa fuit. Civitas etiam sancta à gentibus conculcabatur, sepulchrum tantùm Domini ab eis, quæstus duntaxat gratia, in magna veneratione habebatur. Itaque Christicolæ qui miserabiliter illic sub tributo vivebant, simul cum Alexio Constantinopolitano Imperatore, missis ad Urbanum Papam Epistolis, auxilium flagitabant. Qui super afflictione populi Dei motus, laboriosa via in Galliam profectus est, habitoque ibi Concilio, verbo sanctæ prædicationis circiter centum M. hominum ex diversis nationibus in militiam Christi coadunavit, præfectis sibi ducibus Gotfrido Lotharingiensi, Roberto Flandrensi, Regimundo Comite de sancto Ægidio, Hugone fratre Philippi Regis Galliæ, aliisque nobilibus, & viris bellatoribus, quorum omnium curam venerabili Podiensi Episcopo commisit. Hæc fama commovit diversos populos, & ignotos, scilicet, ex Aquitania, atque Nortmannia, Anglia, Scotia, Hybernia, Britannia, Galitia, Gaschonia, Gallia, Flandria, Lotharingia, Burgundia, cæterosque populos non solùm terram, sed & insulas maris, ac ultimum oceanum inhabitantes. E quibus tam ignotæ & lingua, & moribus, & operibus visæ sunt gentes, ut alij tantùm pane & aqua, alii pro omnibus utensilibus argento uti dicerentur. Hi omnes è diversis nationibus & linguis in unum corpus adunati, crucem in vestibus portantes, crucis CHRISTI discipulos verbo & opere se fore prædicabant: ac crucis virtute confisi, contra inimicos crucis in Domino dimicaturi, iter, Gotfrido Duce, in Orientem aggrediuntur. Verùm Orientales Francos, Saxones, Thuringos, Bajoarios, & Alemannos propter schisma, quod eo tempore inter regnum & Sacerdotium fuit, hæc expeditio minus permovit. Fuere quidam tamen ex eis, qui falsa specie religionis, eandem militiam aggrederentur: inter quos Emicho quidam

Belli sacri initium.

quidam Comes de partibus Rheni, usurpans sibi ducatum ferè XII. millium, Judæos ubicunque reperit, vel delere, vel Ecclesiæ incorporare satagebat. In Pannonia itaque incolis transitum in arctis locis prohibentibus, ad propria redire coguntur. At Gotfridus & cæteri prænominati Duces, Deo propitio Bulgaria, quamvis difficulter, permeata, Constantinopolim pervenere, ubi multa dolis Alexij Imperatoris perpessi, dum seditione orta, mortis periculum evasissent, pontæ Urbis Regiæ expugnato, suburbia ejus destruxerunt. Inde recensitis absque parvulis & mulieribus CCC. M. pugnatorum, Nicæam catholicæ fidei quondam turrem, devenere, eamque fugato Principe Paganorum Solomannno, cepere, captamque Imperatori tradidere. Deinde progredientes, maritima Rutenorum attingunt, ubi tanta usi sunt rerum humanarum abundantia, ut aries nummo, bos siclo, teste Roberto Comite, venundaretur. Principes quoque seu Reges Sarracenorum occurrentes sibi, opitulante Deo oppresserunt. His elati successibus, Antiochiam Syriæ metropolim obsidione cingunt. Ubi per IX. menses morantes, deficiente exercitu, ac exhaustis copiis, plurimùm humiliantur: Dominus ergo afflictionem populi sui aspiciens, Urbem cum copiis Turcorum, in manus eorum tradidit.

CAP. III.

Legatio Sarracenorum ad Gotfridum Ducem, descriptioque antiquæ ac novæ Babylonis.

CIRCA idem tempus Christianis in obsidione Antiochiæ morantibus, cunctis Orientalibus populis terrore perculsis, Ægyptiorum Regis, qui vulgo Babyloniorum putabatur, legati ad Gotfridum Ducem veniunt, eique auxilium contra Turcos, qui tunc Hierosolymam cum tota Palæstina Sarracenis ablata tenebant, in dolo promittunt. Est enim antiquæ Babylonis (ut à probatis transmarinorum viris cognovimus) pars adhuc habitabilis, Baldach dicta: pars, ut in Prophetia habes, deserta & invia, per X. milliaria usque ad turrim Babel extensa. *Baldach Urbs ad Tigrim.* Ipsa autem quæ inhabitatur, & Baldach vocatur, maxima est, & populosa: & cum de Imperio debeat esse Persarum, summo Sacerdoti suo, quem ipsi Caliph dicunt, à Regibus Persarum concessa: ut & in hoc quædam habitudo, sicut sæpe jam dictum est, inter Babyloniam & Romam eluceat: quia quod hîc à Christiano Imperatore, summo nostro Pontifici in Urbe Roma traditum est: hoc ibi à Paganis Persarum Regibus, quibus ex longo tempore Babylonia subjacuit, eorum summo Sacerdoti indultum est. *NB.* Ipsi verò Persarum Reges, sicut & nostri Urbem Regiam, velut Aquisgrani, Egbatani, quam Arphaxat in libro Judith fundasse legitur, lingua eorum Hani dictam, C. vel amplius, ut volunt, pugnatorum millia habentem, sedem regni constituerunt, nihil sibi de Babylone, præter nomen Imperij reservantes. Porrò ea, quæ nunc vulgo, ut dixi, Babylonia vocatur, non super Eufraten, ut illi putant, sed super Nilum circiter sex diætas ab Alexandria posita est, ipsaque est Memphis, à Cambyse filio Cyri olim Babylonia vocata. *Babylon nova.* Et ibi Rex Ægyptiorum, quamvis caput regni sui Alexandria sit, propter hortum balsami morari dicitur. Quod etiam ex hoc perpendi potest, quia cum in utraque Christiani, sed sub tributo, maneant Urbe, Memphorum Episcopus, Alexandrinorum Patriarchæ jure Ecclesiastico subditus est. Quem non Assyriis seu Babyloniis, sed Ægyptiis & Africanis ex prima institutione, & Nicæi Concilij auctoritate prælatum fuisse invenimus.

CAP. IV.

Item legatio Gotfridi ad Regem Babylonicum, fraus Sarraceni, afflictioque populi Dei, victoriaque subsequens, & post fames: expugnatio Urbis Hierusalem.

ITAQUE præfati Regis legatis Duci Gotfrido præsentatis, lectissimi proceres Francorum (sic enim omnes Occidentales populos, ob antiquam gentis illius dignitatem, ut puto, & virtutem, Orientales appellare solent) Babyloniam destinantur. Barbari ergo fortitudinem, proceritatem, habitum, incessum, elegantiam virorum mirantes, eos Deos esse, non homines affirmabant. Proinde habito Concilio, Babyloniorum Rex ductis secum Francorum legatis, Hierusalem obsedit: præfatosque heroas in medium producens, se cum eis fœderatum dicit: & sic eorum potius quàm suo terrore civitate in deditio-

deditionem accepta, Turcis expulsis, Sarracenos ibi collocavit. Inter hæc Christiani capta Antiochia, ut diximus, Deum non dignè glorificantes, tanta Sarracenorum multitudine cinguntur, ut priorem ubertatem tam intolerabilis sequeretur fames, quòd & ab humanis carnibus vix abstinerent. Itaque contritionem populi sui misericos Dominus clementer animadvertens, ac intuitu gratiæ suæ considerans, lanceam sacram, qua Christi filii sui latus in passione perforatum legitur, usque ad id tempus incognitam, superna revelatione fidelibus suis monstravit. Cujus fiducia Christiani, quamvis fame attenuati, egressi, Sarracenos non sua, sed virtute Christi fuderunt. Inde in Syriam profecti, Barram & Marram Urbes ceperunt. Ubi moram facientes, tanta rursus famis inopia narrantur attriti, ut humana quoque corpora jam fœtentia comederent. Pòst contra civitatem Sanctam jam à Sarracenis inhabitatam, aciem dirigunt. Quam obsidione clausam, cum capere non possent, habito consilio, humilitatis Magistrum imitantes, nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur octava, id est, ea qua divisio Apostolorum celebratur, die, civitas capitur, ac hostes qui ibidem reperti sunt, tanta strage cęduntur, ut in porticu Salomonis sanguis interfectorum nostris ad genua usque attingeret equorum. Et nota, quòd pulchrè post humiliatum populum Dei, precesque ad Dominum fusas, octava die civitas Sancta à gentibus conculcata, à nostris obtinetur. Sicut enim Hiericho sub observatione Sabbati, à priore populo septimo die, sic & hic à Christiano populo, octava tanquam abolita lege ac Sabbato, resurrectionis die sequente, Hierusalem girata expugnatur. Exhinc Hierusalem, & sepulchrum Domini à nostris possidetur.

Hierosolyma à Christianis capta,

CAP. V.

Dolus item Babylonici Regis, victoria nostrorum; reditus primatûm, ducatusque Gotfridi super eos qui remanserant.

PORRO Mempheorum seu Alexandrinorum Rex, qui Babyloniorum Admiraldus à peregrinis vocatur, apud Ascalonem manens, ducens secum Francorum legatos Antiochiam, eo quo & Urbem Sanctam dolo capturus, iter flectit. Christiani verò relictis in Urbe sarcinis & infirmis, contra Sarracenos procinctum movent. Cumque infinitam multitudinem hostium conspexissent, fusis ad Dominum precibus, audacter eos cum paucissimis aggrediuntur. Et mirum dictu, Dei qui potest omnia, virtute, cum quinque millibus equitum, & XV. millibus peditum, C. millia equitum, & CCC. millia peditum terga vertere compellunt, ac spolia multa diripiunt. Ceciderunt in hoc prælio ex Sarracenis plus quàm C M. gladio, duoque M. suffocata circa portam Urbis narrantur: innumeri etiam submersi, seu spinis obruti feruntur. Peracta verò victoria, reversis ad propria primoribus, Gotfridus ducatum eorum qui remanserant, strenuissimè rexit. Hic etiam inter Francos, Romanos, & Teutonicos, qui quibusdam amaris & invidiosis jocis rixari solent, tanquam in termino utriusque gentis nutritus, utriusque linguæ scius, medium se interposuit, ac ad commanendum multis modis infirmavit.

CAP. VI.

Quomodo Urbanus ejecto Giberto, sedem receperit, ipseque moriens Paschali eam reliquerit.

VERUM Urbanus à Concilio Claremontensi regressus, auxilio eorum quos ad Hierosolymitanum iter accenderat, Gibertum ab Urbe, excepto castro Crescentii ejecit, sedemque propriam recepit. Inde per Apuliam & Calabriam, Siciliam, quas tunc Nortmanni inhabitabant, ingressus, pecuniam magnam collegit: sicque ad Urbem regrediens, corruptis eis qui castrum Crescentii servabant, muneribus, Giberto tam Urbe quàm castro expulso, liberè tota potitur Urbe. Ipse verò non multo pòst rebus excedens humanis, Paschali cathedram reliquit.

CAP. VII.

De *morte Gotfridi, & regno fratris sui Balduini.* De *morte Giberti schismatici, Conradique Imperatoris filij. De secunda transmarina expeditione, exituque ejus, ac martyrio Thiemonis Episcopi*

ANNO ab incarnatione Domini M C. cum ex omnibus mundi partibus ad Hierusalem terrestrem, cœlestis typum gerentem, fideles orationis causa confluerent,

rent, multis ex corruptione aeris mortuis, Gotfridus quoque glorioſiſſimus Dux, infauſta morte, poſt unum ducatus ſui annum raptus, in Eccleſia juxta ſepulchrum Domini humatur, eique frater ejus Balduinus, auctoritate ſummi Pontificis, Regio nomine ſublimatus ſubrogatur. Signa verò ac prodigia, cœlo terraque circa hæc tempora viſa, tam ſchiſma regni, quàm iter Hieroſolymitanum portendentia, ab aliis poſita ſufficiant. Eo tempore Gibertus moriens, horribili ſchiſmati tanquam denſiſſimis Ægypti tenebris, finem impoſuit. Anno ſequenti Conradus Henrici Imperatoris filius Chriſtianiſſimus, cui Pater Italiam commiſerat, IX. ex quo à Patre diſceſſerat anno, immatura morte præventus, diem obiit, ac in civitate Florentia Tuſciæ, honorificè ſepultus eſt. Eodem anno Guilhelmus Comes Pictavienſis, & Dux Aquitaniæ, Themo Juvanienſis Archiepiſcopus, Guelfo Noricorum Dux, qui in guerra cum Imperatore Friſingenſem & Auguſtenſem deſtruxit Urbes, Itha Marchioniſſa Leopoldi Marchionis Orientalis mater, Guilhelmus, Stephanus Italici Barones, cum multis ex Aquitania, Germania, Italia, Hieroſolymam, per Ungariam & Græciam pergunt, quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expoſitos, penè omnes crudeliter extinxit, elegantioribus ex eis captis, & Mempheorum Regi ſeu Admiraldo præſentatis. Quam hiſtoriam miſerabiliter ac luculenter in modum tragœdiæ quidam ex his, qui ſe eidē expeditioni interfuiſſe teſtatur, executus eſt. Comprehenſus inter alios venerabilis præſul Thiemo, ad idololatriam, ut tradunt, à Rege angariatur. Ille indicias petens, phanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſſimus, idola quæ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, in fruſtra comminuit. Ob ea productus, ac exquiſitis ſuppliciis & tormentorum generibus affectus, glorioſo martyrio coronatus eſt. Quòd ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet. Quòd autem idola comminuit, ex hoc credere difficile eſt, quia conſtat univerſitatem Sarracenorum unius Dei cultricem eſſe, libroſque legis, necnon & circumciſionem recipere, Chriſtum etiam & Apoſtolos, & Apoſtolicos viros non improbare. In hoc tantùm à ſalute longè eſſe, quòd Jeſum Chriſtum humano generi ſalutem afferentem, Deum vel Dei Filium eſſe negat, Mahometque ſeductorem (de quo ſupra dictum eſt) tanquam Prophetam magnum ſummi Dei veneratur & colit. Cujus ſeductionis, ut ipſe mentitur, prædicationis tale apud eos traditur eſſe exordium: *Initium Evangelij Mahumet Filii Dei Prophetæ altisſimi: Lavamini, mundi eſtote.* Quod præceptum prædicta gens ſtolidè ſervans, ſecretiores corporis partes quotidie abluere ſolet.

Inauſpicata in Syriam expeditio.

Sarracenorum religio.

CAP. VIII.

De occiſione Sigehardi, inteſtiniſque malis inter Regem Henricum, & filium ejus.

ANNO ab incarnatione Domini MCIII. Imperator Henricus natale Domini Moguntiæ celebrans, ibique Henrico filio ſuo Rege poſt ſe deſignato, ſepulchrum Domini ſe viſurum publicè denuncians, multos ex diverſis partibus regni ad idem accendit. Anno dehinc proximo natale Domini Ratiſponæ agens, orta ſeditione, Sigehardus Comes à familia Principum, qui miniſteriales dicuntur, eò quòd juſtitiam eorum infringere diceretur, occiſus eſt. Anno dehinc iterum ſequente natale Domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius ejus rebellionem contra Patrem in Noricis partibus, conſilio Theobaldi Marchionis, & Berengarij Comitis, ſub ſpecie religionis, eò quòd Pater ejus à Romanis Pontificibus excommunicatus eſſet, molitur: aſcitiſque ſibi quibuſdam ex Orientali Francia, Alemannia, Bajoaria Principibus, Saxoniam, terram & gentem contra Regem facilè animandam ingreditur. Ubi honorificè ſuſceptus, ac Paſcha Domini Quintelinburg manens, univerſos gentis illius Primates ad voluntatem ſuam inclinavit: habitoque in villa Regia Northuſen Epiſcoporum conventu, præſidente Rotardo Moguntino Archiepiſcopo, qui à ſede propria jam per multum temporis à Rege pulſus fuerat, ſimoniam, aliaque Romanæ Eccleſiæ contraria condemnavit: ac poſt Pentecoſten Martinopoli ferians, Henricum Magdeburg electum, ſed à Patris ſui fidelibus repulſum conſecrari fecit. Inde collecto milite, Mogun-

Henrico 4. Cæſari filius rebellis.

Moguntiam Archiepiscopum restituturus, iter flectit: sed Patre cum multis adventum ejus armata manu intra muros præstolante, votum ad effectum producere non potuit. Dehinc Herbipolim petens, Erlongo ejecto, Robertum eidem præfecit Ecclesiæ. Quo pacto dimissis Saxonibus, cum Bajoariis castrum Noricum obsidione cingit, ipsoque per duos vel amplius menses expugnato, Ratisponam Norici ducatus metropolim adiit. Quem Pater evestigiò subsequens, Roberto fugato, Erlongum restituit. Inde progressus, Ratisponensium auxilio, filio Urbe fugato, ipse Pontificem ibi Ulricum quendam constituit, ac Theobaldi Marchiam per Boemos vastavit.

CAP. IX.

Qualiter post multa mala, ambo in ripa fluminis Regini armati convenerint, paterque ad ultimum cedere compulsus sit.

IGITUR regno in seipso miserabiliter diviso, ex omnibus ejus viribus coadunato milite, ferro flammaque crudeliter vastata terra, in ripa Regini fluminis, uterque, scilicet Pater & Filius, consedit. Jam castra disponuntur, jam acies ordinantur, jam ad parricidiale scelus Pater in Filium, Filius in Patrem à suis inflammatur. Sed fluminis alveo nepharij conatus impediebantur. Videres lachrymabiles ac miserabiles apparatus: cerneres mundum contemptum sui, luce clariùs effectibus suis prodentem: quòd videlicet contra legem naturæ Filius in Patrem assurgeret, contra normam justitiæ miles Regem, servus Dominum impugnare pararet: frater contra fratrem, consanguineus contra consanguineum staret, ac proprij sanguinis consortis sanguinem fundere cogitaret.

Querela auctoris de sui seculi moribus.

Nonne tam inauditum, tam inhumanum hoc mundi factum, ad contemptum sui solùm nos provocare posset? Nunquid non ipse mundus, vel potius (juxta Augustinum) immundus, sic amatores suos falsis delectationibus pellectos decipit, hujusmodi commercia inhærentibus sibi tribuit, ac ad ultimum transeundo, ad interitum trahit? Hæc sunt juxta Paulum, tempora novissima, & ideo periculosa, in quibus homines quæ sua, non quæ Jesu Christi quærentes, & ideo seipsos amantes, scelerati, sine affectione, Parentibus inobedientes effecti, ad ausus nepharios, factaque nefantissima per diversa voluntatum suarum flagitia volutati rapiuntur. *2.Tim.3.* Et nota, quòd hæc nostra tempora, quæ utique novissima creduntur, tanquam prioribus sceleribus finem impositura, ac velut mundi terminum ex flagitiorum immanitate minantia, & ex opposito regnum Christi appropinquaturum prodentia, sicut quosdam sceleratissimos, ac mundi amatores avidissimos, sic alios zelo Dei ferventissimos, ac cœlesti desiderio plenissimos habent: ut sicut hos nequitiæ Spiritus jam modicum tempus habens, & ob hoc amplius inardescens, amplius ad vitia inflammat, sic istos dulcedo regni cœlestis, quasi jam in januis posita, ad amorem suum magis alliciat. Unde circa hæc tempora, dum regnum Romanorum non solùm civiliter, sed & parricidialiter libidine dominandi dividitur, alii contemptis suis pro Christo, ac militiæ cingulum se non sine causa gestare considerantes, Hierusalem tendunt: ibique novum militiæ genus exorsi, sic arma contra inimicos crucis Christi gestant, ut crucis Christi mortificationem jugiter in suo corpore portantes, vita & conversatione non milites, sed monachi videantur. Rigor etiam tam in monasterio, quàm in clericali ordine exhinc usque in præsentem diem amplius cœpit crescere, ut justo Dei judicio civibus mundi in sordibus magis sordescentibus, cives sui ad summam virtutum per ejus gratiam magis ac magis proficiant. Sed jam ad historiam revertamur.

Igitur dum in ripa fluminis prædicti uterque consedisset exercitus, ac quibusdam in ipso flumine sibi invicem occurrentibus occisis, Henricus junior omnes vires Patris in Duce Boemiæ Beroe ac Marchione Leopaldo, cujus sororem præfatus Dux habuit, fore considerans, ipsos multis modis promissa sorore sua, quæ tunc nuper à Friderico Suevorum Duce viduata fuerat, in uxorem Marchioni, inductos, ambobus ut Patrem relinquerent persuasit. Quibus recedentibus, Imperator cedere compellitur, & exhinc vires ejus imminui, juniorisque crescere cœperunt. Rotardus tùnc Moguntinus Archiepiscopus, sedi suæ per juniorem Henricum, VIII. ex quo pulsus est anno restituitur.

CAP.

CAP. X.

De curia quæ ad decisionem litis indicta est. De victoria Balduini Regis, ac perfidia Alexij Imperatoris.

NON multo post filius patrem in oppido Rheni Bingen alloquens, ad obedientiam Romani sedis de anathematis vinculo exhibendam hortatur. Pater verò conventum pro hac re Principum coadunari rogat, sicque ad petitionem suam curia Moguntiæ in proximo natali Domini celebranda, cunctis regni Primoribus indicitur.

Circa idem tempus Balduinus Rex Ascalonem obsidione cinctam, tributariam fecit. Commisso etiam cum Sarracenis prælio, cum paucis, id est quatuor millibus, divina magis, quàm humana virtute, uno Principe eorum capto, altero occiso, L. millia fudit. At Alexius Imperator perfidissimus, jamdiu conceptam corde malitiam celare amplius non valens, cum Turcis, qui jam penè desperati erant, turpissimè fœderatur, eisque Nicæam multo nostrorum sanguine acquisitam, impijssimè tradidit. Vide tempora periculosa, duobus Imperatoribus, Orientis videlicet & Occidentis, Deo contrariis.

CAP. XI.

Qualiter curia celebrata, pater regalia remiserit, filiusque in regnum sublimatus sit.

ANNO ab incarnatione Domini MCVI. in natali Domini maximus conventus Principum Moguntiæ factus est: ubi supervenientes Apostolicæ sedis legati, anathema à Romanis Pontificibus in Imperatorem factum, manifestè omnibus qui aderant promulgabant. Eapropter dum ipse in quodam castro positus, ac custodiæ mancipatus, audientiam peteret, Principes seditonem vulgi timentes, ei apud Inglinheim occurrunt, ibique multis modis commonitum, vel juxta alios circumventum, ac coactum in- *Henricus IV.* signia regni resignare, ac filio mittere, XLIII. regni sui post mortem patris, Imperij V. an- *à filio imperiali dignitate privatur.* no (ad quod tamen potenter magis quàm justè à Guiberto capta Urbe sublimatus fuerat) persuadent. Quæ omnia utrum licitè, an secus acta sint, nos non discernimus. Sunt tamen qui credant ei ad probationem, non ad damnationem hanc tentationem circa finem suum contigisse: affirmantque ipsum eleemosynis, ac multis misericordiæ operibus à Domino meruisse, ut excessus ejus, lascivaque ex fastigio regni conversatio, hoc modo in præsenti puniretur. Reversi ad filium optimates, imperialia deferunt, eumque primò à patre electum, per impositionem manus Apostolicæ sedis legatorum, cunctorumque *Henricus V. Rex.* electione, XCV. ab Augusto, Regem creant, Anno (ut dixi) dominicæ incarnationis, MCVI.

Hucusque tam ex Orosij quàm Eusebij, & eorum qui post ipsos usque ad nos scripserunt, libris lecta posuimus. Cæterùm quæ sequuntur, quia recentis memoriæ sunt, *NB.* à probabilibus viris tradita, vel à nobis ipsis visa & audita ponemus.

CAP. XII.

Qualiter Pater adhuc in Belgas transiens, à quibusdam receptus, querelas fecit, & post pugnam commissam Leodij mortuus sit.

RESIGNATIS ab Imperatore regalibus, ipse jam ex Rege opulentissimo ac poten- *Henric. IV. exul.* tissimo miserabile mortalibus relinquens exemplum, egens factus, ad inferiores partes Rheni in Belgas se contulit: ibique à Coloniensibus, non ut exul, sed ut Rex regio apparatu susceptus est. Hæc civitas in Belgica Gallia super Rhenum posita, omnibus Galliæ ac Germaniæ Urbibus, ex quo Treveris labi cœpit, tam divitiis quàm ædificijs, magnitudine ac decore sui præferenda cognoscitur. Inde Leodium digressus ab eisque *Colonia.* fastigio regali susceptus, omnibus se fraude circumventum, se ad reddenda regalia vi coactum, quibus potuit in regno suo, seu alijs regnis positis, declamavit. Extat de hoe inter cæteras ejus Epistolas ad Regem Celticæ, qui Francorum dicitur seu Aquitaniæ Ducem Epistola missa, quæ miseriarum ejus tragœdiam continens, saxeas quoque mentes ad mutabilium rerum ærumnas contemplandas ac deplorandas emollire posset,

quæ sic incipit: *Princeps charissime & omnium in quibus post Deum speramus, amicorum nostrorum fidissime, primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare calamitates, & omnes miserias meas necessarium duxi, & etiam genibus vestris advolvi, si liceret salva majestate Imperii.* Filius itaque jam Rex factus collecto milite patrem subsequens, circa Mosam consedit: ubi ab Henrico Duce Belgarum, aliisque patris sui fidelibus, super pontem Mosæ, in loco qui* Guegesar dicitur, bello tentatus, cedere compellitur. Non multo post, ipso ad superiores Rheni partes redeunte, ac rursum militem restaurante, pater Leodij moritur: sicque intestino hoc malo terminato, pacis negotia tractantur.

Guegesat.

CAP. XIII.

De obsidione Coloniæ, restitutione Episcoporum, ac expeditione contra Ungaros.

HENRICUS quintus patre mortuo, libere regnans, Coloniam Agrippinam obsidione cingit, eamque tandem multæ pecuniæ pactione accepta, ad deditionem coegit: omnibusque in Gallia, seu Germania ritè compositis, Episcopos, etiam qui in schismate propriis sedibus pulsi fuerant, restituit. Inter quos venerabilis Juvaniensis Ecclesiæ Archiepiscopus Conradus, qui hactenus in Ecclesia Dei florere fructuoso labore noscitur, ad sedem, quam post mortem felicis memoriæ martyris Themonis* Berchtoldus quidam concessione senioris invaserat, missus est. Eo tempore Colomannus Ungarorum Rex, fratrem suum Almum de consortio regni suspectum habens, persequitur. Qui profugus ad Regem Henricum veniens, injuriamque suam deplorans, auxilium ejus impetrat. Itaque condicta Rex expeditione, Ungaros bello petit: sed castro, quod Posonium dicitur, inconsultè se occupans, parum proficere potuit, sicque infecto negotio, ad propria redijt.

** Bertalfus.*

CAP. XIV.

De magna expeditione Italica, captione summi Pontificis, ac cæde Romanorum.

Henrici V. Italica expeditio.

ANNO abhinc tertio, ex omnibus regni visceribus infinito contracto exercitu, Romam iturus, per montem Jovis Pyrenæum transit, ac in plano Italiæ residens, juxta Padum militem recensuit. In comitatu ejus XXX. millia equitum electorum, exceptis his qui ex Italia ad eum confluxerant: tantumque castrorum ambitum, qui adhuc superstites sunt, fuisse tradunt, ut visu vix penetrari potuisset. In plano ergo Italiæ castrametantes, unusquisque militum ante papilionem suum lumen noctu accendit. Quod ad humanæ ostentationem gloriæ factum, quantum spectaculum indigenis in tam amplo ambitu præbuerit, dicere non oportet. Inde castra movens, Apenninum transcendit, oppidumque, quod Pons Tremulus vocatur, natura locorum, ac altissimis turribus munitissimum transitum prohibens, expugnavit & cepit. Post hoc per Tusciam iter agens, Ariciam in robore mœniorum, ac altitutidine turrium confidentem, eo quòd cives ejus Urbis, Ecclesiam S. Donati extra muros, ne sedes Episcopalis ibi haberetur, destruxissent, ad solum usque prostravit. Verùm Novariam Liguriæ civitatem, dum per Longobardiam pergeret, ceperat, ac igne cremaverat. Multis ergo tam in ulteriore, quàm in citeriore Italia, quæ modo Longobardia & Tuscia vocatur, fortiter gestis, ad Urbem progreditur. Ibi à Paschali Papa, cum clero & populo Romano in Urbe Leonina, ante fores beati Petri, cum crucibus & thuribulis, aliisque Ecclesiasticis seu forensibus ornamentis stante, & adventum ejus præstolante, cum maximo tripudio suscipitur. Ipse autem præfatum Pontificem consilio quorundam sceleratorum, cum magna tamen reverentia captivavit, ac Ulrico Aquileiensium Patriarchæ custodiendum commisit: sicquè tumultu orto, ac omnibus preciosis rebus ad decorem & regale fastigium expositis, immaniter distractis in luctum versum est gaudium.

Pontifex à Cæsare captus.

De investituris Episcoporum lis.

Occasio autem sceleris hujus hæc fuit, quòd Rege Romam tendente, inter ipsum & Papam conventio facta, ab obsidibus firmata narratur: scilicet Rex investituras Episcoporum remitteret, & Papa ipsi regalia eorum resignaret. Itaque dum Romam venisset, ac à Pontifice promissa sibi persolvi exegisset, Papa, eò quòd reclamantibus Episcopis, ea quæ petebantur adimplere non posset, tanquam nocens, cum per omnia esset inno-

innocens, custodiæ mancipatur. Videns hoc venerabilis Juvaniensis Ecclesiæ Archiepiscopus Conradus, qui cum Rege venerat, zelo æquitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbavit. Cui dum quidam ex ministris Regis, Henricus cognomento Caput, evaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro justitia mori optans, jugulum præbuit, malens si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quàm tanti piaculi scelus dissimulare. Populus etiam Romanus cum infinita erumpens multitudine, Tyberim transeunt, ac Regem penè ex improviso, multis de exercitu in Urbe, sive in agro manentibus, ante gradus ecclesiæ S. Petri invadunt. Rex ergo, ut erat armis experientissimus, cum paucis quos ibi habebat, in hostem ruit, diutissimèque ac acerrimè suis jam adventantibus pugnans, occisis multis, cæteros in fugam vertit Romani fuga in Ponte juxta castrum Crescentii coartati, Tyberi se committunt, pluresque aquis, quàm gladiis periisse narrantur. Rex tam crudeli facto perpetrato, angustias portarum suspectas habens, muros Urbis rupit, egressusque Papam captivum secum duxit. Hujus maximi sceleris autor fuisse dicitur Albertus, natione Lotharingus, qui postmodum factus est Moguntiæ Archiepiscopus, tunc verò Regis Cancellarius, & primus inter primos ejus præcordialis consiliarius. Quem tamen post reditum Rex captivatum, & in carcere positum, diversis tormentis & incredibili famis inedia afflixit, ipsumque de amicissimo inimicissimum, ac regni sui pestiferum hostem, divino judicio usque ad vitæ terminum sensit. Sed hæc hactenus.

Igitur per aliquod temporis sacrilego ausu tento summo Pontifice, conventione facta, Rex à civibus revocatur, & per conditionem dimisso summo Pontifice, ac extorto ab eo per vim de investitura Episcoporum privilegio, in Urbem ingreditur. Tunc quasi pœnitentia ductus, cives ac Pontificem muneribus conciliat, ab eoque coronatus, favore omnium Imperatoris & Augusti nomen sortitur, anno ab incarnatione Domini MCXI. anno verò regni ejus, post resignata à patre ejus imperialia, quinto. Hoc privilegium, quòd à Romano Pontifice minis extorsit, postmodum synodo congregata, Episcoporum auctoritas tanquam privilegium reprobavit. *Coronatio imperialis.*

CAP. XV.

De captione Reginaldi, nuptiis Imperatoris, schismate regni, anathemate contra Imperatorem dato. De Burdino, & terræmotu, egressione Ungarorum, ultioneque nostrorum.

IMPERATOR ab Urbe regressus ad transalpina revertitur: ergo non tantùm finitimis locis, sed & cæteris gentibus ob ejus metum trepidantibus, cunctis ad Imperium & voluntatem suam inclinatis, Belgas ingressus, Reginaldum comitem hostem judicans, bello petijt. Quem in castro Barra in termino regni sito, obsidione clausum, ad ultimum cum expugnato castro in deditionem accepit, & captivum abduxit. Post hoc Moguntiæ Regio apparatu conjuncta sibi filia Henrici Regis Anglorum Mathilda, magnificè nuptias celebravit. In ipsa nuptiarum solennitate Lotharius Dux Saxonum, nudis pedibus sago indutus coram omnibus ad pedes ejus venit, seque sibi tradidit. Tantus enim usque ad id temporis timor Principes invaserat, ut nullus rebellare auderet, vel rebellans cum maximo damno sui, vel etiam vitæ detrimento, in gratiam ejus rediret. *Imperatoris nuptiæ.*

Verùm in hac curia, quia penè omnes Principes regni confluxerant, conspirationes fiunt: ac exhinc non solùm occulta consilia, sed & publica contra eum machinamenta disponuntur. Hinc iterum miserum Imperium, quod per paucos vix quieverat annos, scinditur, ac tam in transalpinis quàm in cisalpinis regionibus intra se colliditur. Hinc etiam publica bella cum magna sanguinis effusione, tam præsente Imperatore, quàm in Italiam migrante, rerumque summam sororiis suis Conrado & Friderico committente, peraguntur. Sententia quoque excommunicationis à Calixto, qui Paschali & Gelasio successit, suadente Alberto Moguntino, Friderico Coloniensi, Conrado Juvaniensi, in eum datur, iterumque schismate renovato, totum Imperium perturbatur. Ipse autem procinctum contra Urbem movens, Burdinum Hispanum Episcopum Romanæ sedi violenter imposuit, qui non multo post apud Sutrium recedente Imperatore, à Romanis captus, apud Clavam custodiæ mancipatur. *Henricus V. anathemate põtificio ictus*

Circa idem tempus terremotus horribilis, oppida, templa, villas, montesque plurimos, sicut usque hodie in valle Tridentina apparet, subvertit. Ea quoque tempestate Stephanus Ungarorum Rex Colomanni filius, cum magna multitudine fines regni clanculum invasit, ac vastatis terminis, manubias abduxit. Quem illustris vir Leopaldus Marchio, adjuncto sibi Duce Boemorum, subsecutus, usque ad claustra terræ progreditur: captoque ac succenso castro, quod ferreum vocatur, & cuncta in circuitu ferro igneque vastata terra, sine damno ad propria revertitur.

CAP. XVI.

De pace reformata sub Calixto, & victoria Imperatoris. De Vangionibus. De tributo indicto, morteque Imperatoris.

Episcoporum investitura Papæ concessa.

IGITUR Romano Imperio multis modis in se attrito, Imperator propter anathema deficere à se regnum videns, patrisque metuens exemplum, congregato juxta Vormaciam maximo Principum conventu, investituram Episcoporum legato Apostolicæ sedis Lamperdo, qui postmodum summus Pontifex factus, Honorius est dictus, resignavit, per eumque ab anathematis vinculo absolutus est. Privilegium ergo de hoc Ecclesiæ scribitur, ac ipsi rursum ut electi tam cisalpini, quàm transalpini non prius ordinentur Episcopi, quàm regalia de manu ejus, per sceptrum suscipiant, scripto confirmatur. Hoc pro bono pacis sibi soli, & non successoribus datum dicunt Romani. Exhinc Ecclesia libertati ad plenum restituta, paceque ad integrum reformata, in magnum montem crevisse sub Calixto Papa secundo invenitur. Unde de ipso Romæ scriptum est:

NB.

Ecce Calixtus honor patriæ, decus imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Wormaciæ obsidio.

Post Imperator in Celticam cum exercitu profecturus, Metis usque progreditur: ibi dum Vangiones à se defecisse, ac palatium suum extra muros positum comperit destruxisse, iter reflexit, urbemque obsidione cinxit. Dum autem cives quadam die incaute erumperent, & cum Augusto pugnare cogitarent, à muris callidè provocati, plurimis occisis, ac per fugam paucis elapsis, cæteri capiuntur: qui ad refrenandam aliorum insolentiam, alii naribus mutilati, alii luminibus orbati dimittuntur, & sic demum infinitæ pactione pecuniæ in gratiam Imperatoris redierunt. Omnibus itaque benè compositis, consilio generi sui Regis Anglorum, totum regnum vectigale facere volens, multum in se optimatum odium contraxit. Hujus rei gratia, dum inferiores Rheni partes circuire parat, in Trajecto Frisiæ Urbe morbo correptus, XIX. regni anno, imperij verò XIV. diem ultimum clausit, ac per Coloniam Agrippinam deportatus, in civitate Galliæ Spira, juxta patrem, avum, proavum, Imperatores cultu regio sepelitur.

CAP. XVII.

De Imperio Regis Lotharii, rebellioneque Ducum Friderici & Conradi, qualiter Conradus à Mediolanensibus susceptus, in Regem sit unctus.

Lotharius Saxo Cæsar

ANNO ab incarnatione Domini MCXXV. defuncto absque hærede Henrico quinto Principes Moguntiæ conveniunt, ibique habito de successore consilio, quatuor regni optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Leopaldus Marchio Orientalis, Carolus comes Flandriæ, ad regnum designantur. Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens valde, ac reclamans, ad regnum tractus, sub præsentia sedis apostolicæ legati, XCIII. ab augusto regnavit. Hic per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliavit, ut planè Dei judicio justo, sicut in libro Regum habes, ex peccatis ac prævaricatione patrum, semen ipsorum affligi videretur. Unde gravis dissensio regni in multos annos protracta, plurimos in anima & corpore periclitari fecit. Prædicti enim Fridericus & Conradus juvenes, sororij Henrici Imperatoris, dum se viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quàm causam à summo Pontifice Honorio, qui Calixto successerat, excommunicatur. Porrò Conradus à fratre ac quibusdam aliis Rex creatus, Pyrenæum per jugum septimi montis, qua Rhenus & Oenus fluvij oriuntur, transcendit: ubi à Medio-

3. Reg. 11.

Septimus mons Rhetiæ.

Mediolanensibus, qui tunc Cumanum bellum per X. annos pro afflictione populi utriusque civitatis miserrimè protractum, capta ac deleta Urbe, prosperè consumarunt, honorificè suscipitur, ac ab eorum Archiepiscopo Anshelmo, Modoyci, sede Italici reni, in Regem ungitur. Pro his alijsque præfatus Archiepiscopus à summo Pontifice deponitur, & alter in locum ejus subrogatur.

CAP. XVIII.

De schismate Romanæ Ecclesiæ, qualiter Innocentius Gallias ingressus, conciliis celebratis, Regem ad defensionem Romanæ Ecclesiæ invitaverit. De expeditione ejus in Italiam, ac sublimatione eius imperatoria.

NON multo post Honorio mortuo, gravissimum schisma in Ecclesia Dei oritur. Innocentio canonicè electo, sed Petro Petrileonis filio, violentia amicorum suorum qui fortissimi in Urbe erant, favente sibi Rogerio Siculo intruso. *Schisma pontificium.* Cui dum Innocentius resistere non valeret, Urbe cedit, transcensisque Alpibus Gallias ingreditur: ubi in regno Gallici regis in civitate, apud Clarummontem Concilium celebrans, nuncios Lotharij, Conradum Juvaniensem, Eribertum Monasteriensem Episcopos, obvios habuit. Indeque profectus apud Leodium Belgicæ Urbem, synodum Episcoporum convocans, Regem Lotharium ad defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ invitavit. Qui nil cunctatus, exposito tamen prius modestè, inquantum regnum amore Ecclesiarum attenuaum, investiturâ eorum quanto sibi dispensio remiserit, auxilium Romanæ Ecclesiæ promittit. Reversoque in Italiam summo Pontifice, sequenti anno, militem instaurat, exercitumque sed propter discordiam regni parvum, per vallem Tridentinam in Italiam duxit, in multis locis tam amore Conradi quàm respectu paucitatis suæ ab incolis terræ subsannatus & despectus. Verùm paulò antè Conradus, qui à Mediolanensibus Rex constitutus fuerat, pene omnibus suis amissis, periculosè ad patriam repedaverat. Rex autem plus mente quàm milite confidentiam gerens, ad Urbem usque progreditur: ibique qualibus potuit, cum paucis strenue peractis, in Ecclesia S. Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, à summo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris, & Augusti adeptus est nomen. Nempe ecclesiam beati Petri, ubi mos coronari erat Imperatoribus, Petrus eo tempore occupaverat. *Lotharius in Italiam movet.*

CAP. XIX.

Qualiter duo fratres in gratiam Regis venerint. De Duce Polonorum, Rege Daciæ. De secunda expeditione Imperatoris, gestisq; fortibus.

IMPERATOR ab Urbe rediens, Germaniam ingreditur: non multo post generalem curiam Babenberg circa mediam Quadragesimam celebrans, Conradum & Fridericum Duces, interventu Claravallensis Abbatis Bernardi, in gratiam recepit: ac ita renovata pace, omnibusque in Gallia & Germania compositis, expeditionem rursum in Italia edixit. Inde in Saxoniam divertens, Polonorum Ducem cum multis muneribus obvium habuit: quem tamen non ante dignatus est suo conspectui præsentari, quam tributum XII. annorum, hoc est, D. libras ad singulos annos persolveret, & de Pomeranis & Rugis homagium sibi faceret, subjectionemque perpetuam sacramento confirmaret. Regemq; Daciæ in signum subjectionis, ad decorem imperialis reverentiæ, gladium sibi sub corona deferre fecit, ac ab Ungarorum Rege terrore perculso, multa & magnifica munera suscepit. *Polonia & Dania Imperii fasces agnoscunt.*

Post hoc exercitum non ut prius parvum, sed copiosum & electum, per vallem Tridentinam secundò in Italiam duxit, habens secum Conradum, qui (ut supra dixi) à quibusdam Rex creatus, postmodum resipuerat: captisque in arctis locis fortissimis castellis, cum quodam capitaneo, qui ei aditum viæ claudere moliebatur, in plano Italiæ juxta Gardam castra posuit. Quo in deditionem accepto, ad Padum usque progrediens, Caristallium cepit. Ibi Mediolanenses & Cremonenses diuturnum inter se bellum habentes, obvios habuit, discussaque utriusque Urbis causa, Cremonenses à Principibus Italiæ hostes judicantur, proscriptique discedunt. Quos Imperator subsecutus territoria *Lotharius Italiam per domat.*

eorum ac villas, seu castella destruxit, indeque Papiam veniens, cives illos pactione pecuniæ in gratiam suscepit. Bononienses quoque ac Æmilienses qui cum priori eum expeditione despexerant, supplices ac multum servitium offerentes, ultrò occurrunt. Post usque ad Thaurinum progrediens, totam citeriorem Italiam perlustrans, in Provinciam redegit. Inde Apenninum transiens, ac interiorem Italiam perlustrans, Anconam, Spoletum, cum aliis Urbibus, seu castellis, in deditionem accepit. Dehinc contra Rogerium aciem dirigens, Campaniam & Apuliam peragravit. Porrò Henricus Noricorum Dux, gener Regis, per Tusciam exercitum ducens, summo Pontifici usque ad Imperatorem conductum præbuit. Augustus verò tam fortia in Apulia ac Campania gessit, ut nullus ex Francorum Regibus, à Carolo magno usque ad id temporis, tanta ibi fecisse inveniatur. Denique non solùm civitates, utpote Capuam, Troiam, Salernum, Barletum, Barram cepit, verùm etiam munitissima castra, & arces inaccessibiles expugnavit. At Henricus Dux cum militia Bajoariorum Beneventum cepit, ac Papæ restituit. Nam apud Albam suburbia civitatis sibi resistere nitentis, antè expugnaverat, ac destruxerat.

NB.

CAP. XX.

De fuga Rogerij, & substitutione Reginaldi. De lite Romani Pontificis & Imperatoris, morteque Lotharij.

Apulia à Cæsare subacta

MORANTE in Apulia Imperatore, Rogerius cum eum auri & argenti multo pondere attentatum flectere non potuisset, exercitum longè copiosiorem congregat, seque publico bello confliсturum cum eo denunciat. Imperator verò, ut erat armis strenuissimus, & imperterritus, militem instaurat, aciem ordinat, eosque respectu genuinæ fortitudinis, ac innatæ hostium ignaviæ, nulla inimicorum multitudine frangendos denuncians, præsertim cum in extera remotaque regione positi, ad patriam fugere nequeant, ac contra tyrannum non solùm regni, sed & Ecclesiæ hostem, & excommunicatum, justè arma sumpserit, ad bellum confortat. Cumque in occursum ejus procederet, fractus animo Rogerius fugit, ac ad montana se contulit. Imperator verò occurrente sibi summo Pontifice Innocentio, Barram usque progreditur, ibique à civibus cum magno gaudio susceptus, castrum quoddam ibi positum, ubi præsidia Rogerii erant, artificiosè valde expugnavit, militesque ibi repertos, & præcipue Sarracenos patibulo suspendit. Itaque Augustus ejecto de Campania & Apulia Rogerio, dum eum in Calabria quoque, seu Sicilia persequi intentat, à suis qui jam longo tempore extra patriam morati, uxores, liberos & amicos visere cogitabant, revocatur. Rogerio ergo hoste judicato, Reginaldo viro forti ac nobili, ducatus Apuliæ relicta sibi parte militum, traditur: & sic Princeps victor de reditu disponit. Verùm silentio præterire nolumus, quòd in dando ducatu inter ipsum & Romanum Pontificem penè controversia orta fuit, utroque ducatum Apuliæ sui fore juris affirmante: quæ lis consilio tandem hoc modo decisa dicitur, ut in dando Duci vexillo utrique manum adhiberent.

NB.

Lotharii obitus.

Igitur Lotharius ex Italia rediens, apud Tridentum morbo correptus, in ipsis montibus in vilissima casa Imperator potentissimus, miseram humanæ conditionis relinquens memoriam, XIII. regni sui, Imperij verò VII. anno, plenus dierum obiit. Futurus nisi morte præventus foret, cujus virtute & industria corona Imperij ad pristinam dignitatem reduceretur. Regalia Dux Henricus gener ejus, in cujus finibus obierat, accepit: & ipse per augustam, ac Orientalem Franciam, in Saxoniam ad monasterium Luter, quod construxerat, deportatus, honorificè sepelitur, actusque ejus ut nulla possent aboleri oblivione, in plumbeis laminis descripti, juxta eum reconduntur.

CAP. XXI.

De claris viris, qui illo tempore obierunt, & plurimis malis, quæ diversis in regnis tunc pullularunt.

CIRCA illa tempora multi ex claris Optimatibus mortem sui Principis præcesserunt, & secuti sunt. Bruno Coloniensis Archiepiscopus venerabilis, & apprimè eruditus

tus, in Apulia decedens, in Ecclesia S. Nicolai Barræ honorifice est humatus, ejusq; successor Hugo infra duos menses vita & Sacerdotio functus est, & in Apulia apud Melpham quievit. Ex his verò qui remanserant, Albertus Moguntinus vir ad seculum prudens, & potens, locupletissimusque Henricus, Frisingensis Episcopus, Abbas Fuldensis, Leopaldus Orientalis Marchio, vir Christianissimus, ac clericorum & pauperum Pater, cum aliis plurimis nobilibus & illustribus viris vivendi finem fecerunt. Rex etiam Francorum Ludovicus, & Anglorum Henricus, & remorum Archiepiscopus Reginaldus, Comesque Pictaviensis Gaufridus, eodem tempore obierunt: & exhinc Anglia terra hactenus abundantissima, tantis malis subjacere cœpit, quòd multi ibidem fame & egestate attriti, vitam etiam miserabiliter finisse tradantur. Præfato enim Rege mortuo, Stephanum Principes sororis suæ filium, ex Gallia invitaverunt ad regnum. Porrò uxor Comitis Andegavensis Mathildis, quondam Imperatoris Henrici quinti conjunx, illius verò Henrici Regis filia, hæreditario jure paternum regnum reposcens, usque in præsens illud affligere non desistit, intantum quòd in manus ejusdem fœminæ prædictus Rex ante paucos annos incidens, captus sit. Francia quoque Occidentalis Rege suo amisso, sub illius filio Ludovico, qui adhuc superstes est, ob ipsius ac Theobaldi Blesensis Comitis guerram, tot prædis & incendiis perpessa est discrimina, quòd nisi religiosorum, qui ibi morabantur, meritis, orationibus & consilio nuper pacata fuisset, usque ad internecionem deleta putaretur.

Illustrium virorum obitus.

Turba in regnis Angliæ & Franciæ.

At Pannonia non longè ante hoc tempus mortuo suo Rege Stephano Colomanni filio, qui & ipse dum viveret, cum Imperatore Græcorum diutinam dissensionem habuerat, multis itidem incommodis oppressa est. Substituto quippe in regno Bela Almi filio, à Colomanno quondam pariter cum Patre Almo luminibus orbato, Boritius, qui & ipse Colomanni, sed ex alia quàm Stephanus matre, Rutenorum seu Chios Regis filia natus dicebatur, regnum paternum requirit. Proinde in Græciam transiens, consanguineam sibi Imperatoris Calojoannis copulavit: ac pòst Poloniam ingrediens, Ducem terræ illius ad voluntatem suam inclinavit: sicque cum exercitu adjutorio illius, ex vocatione quorundam Ungarorum Comitum, sylvam quæ Polonos & Ungaros sejungit, transiens, Pannoniam ingreditur. Verùm Bela Rex, mox ascito sibi Alberto Leopaldi Marchionis filio, qui ejus sororem habuerat, à quibusdam de regno nostro nobilibus Boritio occurrit. Ille verò audito strepitu, ac adhortantium voce, ex linguæ idiomate multitudinem Teutonicorum in acie fore cognoscens, illorũ potius quàm Ungarorum terrore perculsus, unà cum Polonorum Duce amissis in fuga multis, terga vertit. At in ipso primo Ungarorum & Polonorum congressu, antequam Teutonici supervenirent, ex utraque parte cæsis plurimis, quidam ex illis qui ex parte Belæ aderant, sed hostibus suos perfidè tradiderant, justo judicio fraudis suæ pœnas solventes occubuerunt. Hæc mala nostris diebus in vicinis regnis pullulare cognoscimus. Quanta verò ex remotis & transmarinis regnis indies audiamus, pro fastidio vitando ad præsens supprimimus. Tanta enim sunt, quòd nisi sanctorum, quorum per Dei gratiam magna nunc copia est, meritis & suffragiis staret mundus, in brevi omnino eum periturum timere cogeremur.

Bellum in Vngaria de jure regni.

CAP. XXII.

De sublimatione Conradi Regis, contradictioneque Saxonum, & Henrici Ducis. De fuga Rogerii, & morte Petrileonis.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXVIII. defuncto in autumno sine filiis Imperatore Lothario, conventus generalis Principum Moguntiæ in proxima Pentecoste indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes, ne fortè in generali curia Henricus Dux Noricorum, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediam quadragesimam consilio habito, in oppido Galliæ Confluentia conventum celebrant: ibique Conradum Imperatoris Henrici sororium, de quo suprà diximus, præsente Theoduino Episcopo Cardinali, ac sanctæ Romanæ

Conradus 3. Rom. Rex.

Ecclesiæ legato, summi Pontificis, ac totius Romani populi, Urbiumque Italiæ assensum promittente, XCIV. ab Augusto Regem creant. Qui mox ad palatium Aquis veniens, à prædicto Cardinale (nam Coloniensis qui id facere jure debuerat, noviter intronisatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Treverensi Archiepiscopis, cum cæteris Episcopis in Regem ungitur. Proximum dehinc Pascha Coloniæ celebrans, Moguntiam, quæ tunc fortè pastore carebat, adiit, ibique Albertum prioris Alberti fratruelem, per electionem cleri ac populi, Archiepiscopum constituit. At Saxones, & Dux Henricus, aliique qui electioni non interfuerant, Regem non legitimè, sed per surreptionē electum calumniabantur: quibus omnibus in proxima Pentecoste generalis curia Babenberg indicitur. Porrò post egressum Imperatoris Lotharij, Rogerius Apuliam recipere gestiens, congressu cum Reginaldo Duce habito, in fugam vertitur. Petrus quoque Leonis moriens, pessimum schisma terminavit.

CAP. XXIII.

Qualiter Saxones in pacem vocati sint, & Henricus Dux proscriptus, & ejectus. De tyrannide Rogerii, & ducatu Leopaldi, synodoque Romæ celebrata.

Conventus Imperij Bambergæ.

ITAQUE Conradns Rex in Pentecoste curiam in præfata civitate, ut condictum erat, cum maximo regni fastigio & maximo conventu Principum habuit: ubi omnes, Saxones simul cum viduata imperatrice Richinza venientes, ultrò se suæ ditioni subdidere. Solus ex Principibus Dux Henricus regalia servans, aberat: ad quæ reddenda in festivitate Apostolorum Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratisponæ. Quo veniens, regalia quidem multis illectus promissis reddidit, sed tamen ea minimè consecutus, infecto pacis negocio, sine gratia ejus recessit. Cumque multis modis homo præpotens & animosus, sed nutu Dei humiliatus, misericordiam peteret, nec impetraret: tandem judicio quorundam Principum apud Herbipolim proscribitur, ac proxima nativitate Domini in palatio Goslariensi ducatus ei abjudicatur. Et mirum dictu, Princeps antè potentissimus & cujus auctoritas (ut ipse gloriabatur) à mari usque ad mare, id est, à Dania usque in Siciliam extendebatur, in tantam in brevi humilitatem venit, ut penè omnibus fidelibus & amicis suis in Bajoaria à se deficientibus, clàm inde egressus, quatuor tantùm Comitatus sociis, in Saxoniam veniret.

Henricus Sax. & Bavariæ Dux proscribitur.

Rogerius Apuliam recuperat.

Ea tempestate Reginaldo mortuo, Rogerius Apuliam rectore suo destitutam ingreditur: expulsisque cum multis nobilibus Reginaldi fratre, ac Principe Capuano, tam ipsam, quàm Campaniam recepit, ac multis malis incolas ejus afflixit, & usque hodie premit. Beati etiam Benedicti monasterium in monte Cassino positum, totique orbi venerabile, multis Ecclesiasticis ornamentis immaniter spoliavit. Tradunt eum in prima irruptione, ac Barensis Urbis expugnatione, crudele & inhumanum piaculum perpetrasse. Capta quippe Urbe, non solùm vivos diversis tormentorum generibus affecit, sed etiam in mortuos sæviens, Reginaldum Ducem, ac Brunonem Archiepiscopum effossos, per plateas trahi jussit. Hæc & alia crudelitatis opera, ad antiquorum Siculorum formam tyrannorum, quæ indesinenter de ipso audiuntur, quia penè cunctis nota sunt, omittimus. Sunt tamen qui dicant, eum hæc potius intuitu justitiæ, quàm tyrannidis exercere: ajuntque ipsum præ omnibus Principibus pacem diligere, pro qua conservanda, volunt eum tanta severitate rebelles cohibere. Alij verò amore pecuniæ, qua etiam omnes Occidentales Reges, excessit, plus quàm justitiæ pacem eum sectari dicunt.

Leopaldo Austriaco ducatus Bavariæ confertur.

Conradus Rex Bajoariam ingressus, ducatum Leopaldo juniori, Leopaldi Marchionis filio, fratri suo ex patre matris, tradidit, & exhinc provincia nostra multis malis subiacere cœpit. Proxima media quadragesima synodus maxima circiter mille Episcoporum, Romæ præsidente summo Pontifice Innocentio celebratur: Ibiq; post multa salutifera decreta promulgata, schismatici, qui parti Petrileonis faverant, damnantur.

CAP. XXIIII.

Excursus de fortuna Regis Conradi, de rebellione Saxonum.

CONSIDERARE hoc loco Dei consilia super filios hominum terribilia, mundique volubilitatem libet. Ecce enim Henrico Imperatore mortuo, consanguinei ejus qui

qui tunc in regno præcipui nominis,& quasi Regij culminis per hoc securi erant, non solùm ad regnum non eliguntur,sed & apposito super se Rege, plurimùm affliguntur, & conculcantur. His ergo in summa tenuitate positis,cum Dux Henricus auctoritate soceri sui Imperatoris, propriisque viribus intantum excrevisset, ut omnes despiciens, nulli pro regno supplicare dignaretur,Dominus qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit, deponit Potentes, & exaltat humiles,illum humiliatum, & penè desperatum ad fastigium regni provexit,hunc de alto in gloria & potentia sua gloriantem dejecit. Quid hic aliud dicere possumus, nisi quòd prius Conradum magnum in oculis suis humiliavit, humiliatum respectu pietatis suæ exaltavit? Quæ varietas humanarum rerum,ex ubertate gratiæ Dei descendens,ad vitandam superbiam,ac humilitatem appetendã,nos incitare debet. Et quid aliud tam misera mortalium conditio, nunc de inopia ad regnum, nunc ad inopiam de regno trahens & crucians hominem,quàm contemptum præsentium parit, & ad æternorum stabilitatem,quæ nec mutantur,nec transeunt,nos mittit? Quanta verò mala toti regno & præcipuè miseræ Bajoariæ, ex hoc evenerint, nos quotidie experimur. Saxones exhinc Regi rebellantes plus mansuetudine ipsius, quàm armis inclinantur. At Rogerius Innocentium Papam in Apuliam cum militia Romanorum venire volentem, flagitiosè in Christum Deum manum mittens,ex insidiis cepit,& Regij nominis in Sicilia ab eo auctoritatem,& absolutionem anathematis extorsit,cum ducatu Apuliæ, Calabriæ, ac Principatu Capuæ.

Rogerius Rex Siciliæ.

CAP. XXV.

De pugna Guelfonis, & item illius cum Rege: seditione Ratisponensium,expeditione Ducis contra Guelfonem,morteq; ipsius.

CUM hæc aguntur in Italia, Leopaldus Marchio suscepto à Rege ducatu Norico, omnibus penè Baronibus ad eum pertinentibus, amoreque seu terrore ultrò ad eum confluentibus,primò metropolim, ac sedem ducatus Ratisponam ditioni suæ subdidit, pòst collecto milite copioso, totam Bajoariam pertransiens, in ipso ejus termino juxta Licum fluvium, contra Urbem Augustensem negotia terræ per triduum tractans, strenui judicis officium exercuit. Ea tempestate Henricus Dux dum in Saxonia Albertum Marchionem sibi rebellantem intantum humiliasset, ut castris ejus dirutis, terris circumquaque vastatis, ad Regem auxilij gratia ire compulisset,omnibusque suis ibidem ritè dispositis, jam in Bajoariam ire proposuisset, morbo correptus, diem clausit extremum,ac in monasterio Luter, juxta socerum humatur. Quo mortuo, Saxones amore filij sui parvuli,quem eis adhuc vivens commendaverat,Regi denuò rebellant.

Austriacus Bavariam occupat.

Henrici superbi obitus.

Leopaldus verò ducatum exhinc Noricum potenter se habere confidens, dum in obsidione castri Phaleia duorum fratrum, qui soli ex Noricis Baronibus in parte Ducis Henrici steterant,incautè moraretur, Guelfo Ducis Henrici frater, ex improviso collecto milite superveniens,fortissimè pugnando, cæsis ex utraque parte pluribus, multis captivatis,Ducem cedere coegit. His elatus successibus,dum Regem quoque non multò pòst in obsidione castri Winsperg morantem, pugna aggredi attentat, amissis multis, cum paucis fugit è prælio. Non multò pòst, Duce Leopaldo in Urbe Ratispona civilia jura disponente, ex Palatini Comitis Ottonis importunitate, seditio oritur. Dux cum suis,populo circumquaque concurrente, arma arripuit, succensisque aliquibus Urbis vicis,civibus tam armorum quàm incendij metu discurrentibus, periculum evadens, Urbe recessit,ac vastatis in circuitu agris, ad tempus inde divertens, collecto milite, non longè à civitate castra posuit; tandemque terrore perculsos, pecuniæ pactione in deditionem accepit. Dehinc dedecus à Guelfone sibi apud Phaleia illatum ulcisci statuens,armata manu ad Licum usque progreditur: ibique destructis quorundam inimicorum suorum munitionibus,cunctisque circumquaque vastatis, per fines nostros cum multo Ecclesiæ nostræ detrimento revertitur. Ipse verò non multò pòst Ratisponæ infirmatus, in territorio Pataviensi diem obiit,& in monasterio sanctæ Crucis, quod à Patre suo fundatum ipse plurimùm ditaverat, humatur, eique in Marchia successit frater suus Henricus.

Bellum in Bavaria.

Leopoldi Marchionis Aust. mors.

CAP.

CAP. XXVI.

De factione Boemorum, expeditioneque Regis illò. De ducatu dato Henrico fratri Leopaldi, maliſque plurimis ob hoc à Guelfone, & prædicto Henrico Provinciæ Bajoariæ irrogatis.

EO tempore Conradus Moravienſis Comes, conſpiratione facta cum Boemis, ducatum terræ illius affectans, de Moravia in Boemiam exercitum ducit. Cui cum Dux Ladislaus cum copiis occurrere parat, à ſuis proditus, fugæ præſidio vix periculum mortis evaſit: ſicque profugus ad Regem veniens, caſum ſuum deplorat. Quem Rex miſericordia motus, cum exercitu in Boemiam reduxit, ac Pentecoſte in Urbe Praga Provinciæ illius metropoli celebrata, Conrado fugato, in ducatum reſtituit.

Non multo pôſt Saxoniam ingreſſus, data in uxorem vidua Ducis Henrici Lotharij Imperatoris filia, fratri ſuo Henrico Marchioni, pacem cum Saxonibus fecit, eidemque Marchioni Noricum ducatum, quem conſilio matris Ducis Henrici filius jam abdicaverat, conceſſit. Quæ res in terra noſtra maximæ diſcordiæ ſeminarium fuit. Guelfo enim Princeps præfatum ducatum ſe jure hæreditario contigiſſe calumnians, armata manu in præſentia Ducis Bajoariam ingreditur, parteque Provinciæ vaſtata, regreditur. Ob ea Dux inflammatus immenſo coadunato milite, fines noſtros ingreditur: multiſque Eccleſiarum reditibus direptis, tandem etiam ipſius noſtræ civitatis munitiones, propter quoſdam ex ipſa, qui fautores Guelfonis dicebantur, deſtruxit. Cui dùm Guelfo cum copiis occurrere parat, audito quòd Rex ſuperventurus eſſet, ceſſit. Porrò Dux ſimul cum Rege caſtrum Comitis Conradi, qui ex parte Guelfonis erat, obſidione clauſit, vaſtatisq; in circuitu univerſis, adjutorio Regis in deditionem coegit, ac igne ſuccendit.

CAP. XXVII.

De expugnatione Tiburtinorum, ſeditioneque Romani populi, & inſtauratione Senatorum, ac morte Innocentii Papæ. Item de victoria Veronenſium de Paduanis.

DUM hæc aguntur in Gallia & Germania, Romanus Pontifex Innocentius, qui jam per multùm temporis Tyburtinos excommunicaverat, ac aliis modis preſſerat, coanguſtatos ad deditionem acceptis obſidibus, ac jurejurando interpoſito coegit. Populus verò ROMANUS volens ut eos per obſides & Sacramentum ad duriſſima præcepta, id eſt, ut muris ruptis omnes Provincia cederent, cogeret, dum nobiliſſimus ac liberaliſſimus Sacerdos tam irrationabili & inhumanæ petitioni annuere nollet, ſeditionem movent, ac in ipſo impetu in Capitolio convenientes, antiquam Urbis dignitatem renovare cupientes, ordinem Senatorum, qui jam per multa curricula temporum deperierat, conſtituunt, & rurſum cum Tyburtinis bellum innovant. Cauſa verò tantæ immanitatis fuit, quòd in priori anno dum cum Pontifice ſuo in obſidione præfatæ civitatis morarentur, civibus egreſſis, & cum ipſis manum conſerentibus, multis amiſſis ſpoliis, turpiter in fugam converſi ſunt, idcirco nulla, niſi quam diximus, conventione, uſque hodie ſe poſſe placari aſſerunt. Verùm ſapientiſſimus antiſtes prævidens, ne fortè Eccleſia Dei, quæ per multos annos ſecularem Urbis honorem à Conſtantino ſibi traditum potentiſſime habuit, hac occaſione quandoque perderet, multis modis tam minis, quàm muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed invaleſcente populo, dum proficere non poſſet, lecto cubans juxta quoſdam, de futuris viſione ſibi monſtrata, in pace quievit, eique Cæleſtinus vir religione, & literarum ſcientia præditus, cum magna unanimitate electus ſucceſſit. Circa idem tempus Veronenſes, qui longo tempore cum Paduanis diſſenſionem habuerant, amnemque qui civitatem eorum præterfluit, ab alveo derivaverant, congreſſu cum eis habito, plurimis captis, cruentiſſima potiuntur victoria.

Ordo Senatorius Romæ inſtauratus.

CAP. XXVIII.

Quem finem Ioannes Conſtantinopolitanus poſt expeditionem Syriæ habuerit, & qualiter, vel quare filius ejus Manuel fœdus cum Rege noſtro inierit.

ANNO ab incarnatione Domini MCXLIII. Calojanes Conſtantinopolitanus Imperator, qui filio ſuo Manuel ſororem Reginæ Gertrudis deſponſando, cum Romano

Romano Rege Conrado amicitiæ fœdus inierat, ab Antiocheno Principe Raimundo, qui ei Provinciam illam pro pecunia cum ipsa Urbe juraverat, Syriam cum maximo ingressus exercitu, promisso frustratur. Cui venerabilis Episcopus Gabulensis N. in faciem viriliter restitit: eumque ex parte Romani Pontificis & Imperatoris, eò quòd præfata civitas à Latinis possideatur, ut ab ejus impugnatione desistat, intrepidè commonuit. Ille autem eò quòd à Principe delusus esset, civitati quidem pepercit, sed totam ferro flammaque depascens Provinciam, eremitas quoque, quorum grandis ibi copia est, de cellulis suis eductos, non καλοῦ, id est boni Joannis officium agens, crudelissimè tractavit. Ipse verò non multo pòst sagittis toxicatis venationi inserviens, ab una earum ex improviso vulneratus, miserrimè Rex opulentissimus in ipso procinctu diem obiit, ac Manuel filio suo regnum reliquit.

Manuel Comnenus Imp. Orientis.

Per idem tempus Folco Hierosolymorum Rex moriens, filio suo Folconi adulescentulo, regni gubernacula dimisit. At Manuel ad regnum sublimatus, nuncios ad Regem Conradum cum preciosis muneribus, sicut prius Pater ejus fecerat, dirigens, fœdus renovavit. Et sicut frequenter inter hos duos Imperatores, à translato ad Francos Imperio, pro diversis opportunitatibus mos iste servatus est: sic & nunc inter Joannem Patrem, hujus, & Conradum, contra Rogerium, utriusque Imperij invasorem, hæc facta est confœderatio.

CAP. XXIX.

De diversis bellis Urbium Italiæ, variisque eventibus.

HIS diebus propter absentiam Regis, Italiæ Urbibus in insolentiam decedentibus, Veneti cum Ravennatensibus, Veronenses & Vincentini cum Paduanis & Tarvisiensibus, Pisani & Florentini cum Lucensibus & Senensibus, atrociter debellantes, totam pene Italiam cruore, prædis & incendiis permiscuere. Præter enim ea quæ suprà diximus, Paduanis priori anno illata incommoda, Veronenses & Vincentini sequenti anno castella, vicos & agros Tarvisiensium ferro flammaque vastavere. Veneti etiam ac Ravennatenses plurima mala terra marique alterutrum intulere: at Pisani & Lucenses propter nimiam viciniæ opportunitatem, indefesso furore bellantes, ruinæ suæ omnes Tusciæ vires implicuere. Nam & Florentini unà cum Marchione Terræ Ulrico, usque ad ipsas portas Senensium procedentes, suburbia ejus cremaverunt. Senenses verò numero & viribus impares se cognoscentes Florentinis, Lucensium auxilium flagitant. Lucenses tam pro ipsis, quàm pro Comite Guidone Guerra, qui & ipse cum Florentinis atrox bellum gerens, eos adierat, Florentinos hostes pronunciant. Illi autem Pisanis adjuncti, non solùm Lucenses bello attentant, sed & castella, oppida, agros præfati Comitis incendio & rapina devastant. Senenses etiam, qui ad vastandos agros eorum egressi fuerant, insidiis à tergo positis, vix paucis fuga elapsis, captivant. Porrò ex Pisanis & Lucensibus non tantùm plurimi ferro cæsi, compendio mortis miseriam miserabiliter terminavere, sed & innumerabiles utrobique comprehensi, ac longa (ut ipse vidi) carceris inedia & squalore macerati, omnibus prætereuntibus lachrymabile humani casus in se spectaculum præbent.

Bella per Italiam Civilia.

CAP. XXX.

Qualiter Edissa capta sit, Ecclesiæque profanatæ.

ANNO Dominicæ incarnationis MCXLV. incipiente in ipso sacrosanctæ nativitatis Christi solennitate, lugubre & miserabile ex peccato Christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim quidam Halapensis Syriæ ac Mesopotamiæ, excepto Antiochia & Damasco, Princeps, Persarum verò & Medorum Regis, seu Soldani subditus, Edissam quæ nunc Rohas dicitur, unicum Hierosolymitanæ Ecclesiæ pro magnitudine ac abundantia sui refugium, cum infinita Sarracenorum multitudine circumdedit, ac in ipsa (ut dixi) nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum Episcopo

Edessa Syriaca Urbs.

piſcopo Urbis Chriſtianis in ore gladij occiſis, vel miſerabili captivitate in ſervitutem redactis, Eccleſias Chriſti, & præcipuè beatæ Mariæ ſemper virginis baſilicam, & eam in qua reliquiæ S. Thomæ Apoſtoli reconditæ ſunt, ad Salvatoris noſtri ignominiam introferens, ea quæ non licebat, fœdè polluit, Chriſtianisque penitùs exterminatis, vel tributo ſubactis, Sarracenos ibi ad habitandum locavit. Ob hoc mota eſt expeditio maxima contra Paganos, & Regem Perſarum à Conrado Rege Romanorum, & Ludovico Rege Francorum, cum ſummis & pluribus utriusque regni Principibus, & innumerabili multitudine populi, qui absque omni effectu reverſi ſunt.

CAP. XXXI.

De perſecutione Lucii Papæ, legationeque ipſius ad Regem: qualiter Romanus populus Senatoribus Patricium adiecerint, & ob hoc quidam ex eis ab Eugenio Lucii ſucceſſore, anathematis gladio percuſſi ſunt.

PER idem tempus Lucius Papa, vir pro manſuetudine & humilitate ſui, officio Sacerdotali dignus, Cæleſtini qui non plenè ſex menſibus ſederat, ſucceſſor, gravem à civibus perſecutionem paſſus, humiles ad Regem Conradum, tam ſuam oppreſſionem continentes, quàm de incolumitate & proſperitate ejus Deo gratias agentes, ipſumque ad patrocinium Romanæ Eccleſiæ invitantes, literas mittit, in hunc modum:

Lucius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſimo filio Conrado, Romanorum Regi Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Omne datum optimum, &c.

Iordanes patricius Romanus.

Populus enim Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, Senatoribus quos ante inſtituerant, Patricium adijciunt, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petrileonis filium eligentes, omnes ei tanquam Principi ſubijciuntur. Deinde Pontificem ſuum adeunt, ac omnia regalia ejus tam in Urbe, quàm extra poſita, ad jus Patricij ſui repoſcunt: eumque more antiquorum Sacerdotum, de decimis tantùm, & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, de die in diem animam juſti affligere non timuerunt. Ipſe autem quotidianis cruciatibus ac tædio vitæ affectus, infra anni ſpacium Pontificatus ſui diem obiit, ac Eugenium virum religione ac ſanctitate perſpicuum, communi voto cleri & populi electum, ſucceſſorem reliquit. Hic in principio dignitatis ſuſceptæ, eò quòd totus populus ad tradenda Urbi regalia, ſicut anteceſſores ſuos ipſum ſollicitare vellet, cum Epiſcopis & Cardinalibus Urbe cedit, ac proxima dominica in monaſterio Pharphenſi, conſecratione Pontificali, ob perſecutionis immanitatem morem mutans, ſublimatur. Ad hunc Papam Eugenium venerabilis Bernardus Abbas Claravallenſis, librum de conſideratione ſui, quatuor diſtinctionibus ordinatum conſcripſit, in quo perfectæ vitæ ac ſubtiliſſimi ingenij perſpicuitatem evidentiſſimè demonſtravit. Nam idem Apoſtolicus prius Bernardus dictus, & primùm Vicedominus Piſanus, ac demum in Claravalle, omnibus mundanis pro Chriſto ſpretis, ejusdem venerabilis Bernardi Abbatis diſcipulus effectus, ac ab eo poſtmodum monaſterio beati Anaſtaſij Ciſtercienſis ordinis, in Urbe Roma Abbas prælatus, ſummus Pontifex, ut prælibavimus, conſtituitur. Inde poſt conſecrationem, furorem populi Romani declinans, ad munita loca ſe tranſtulit: poſtque Viterbium veniens, ibi per aliquod tempus moram fecit. At Romanus populus cum Patricio ſuo Jordane in furorem verſus, præfecturæ dignitatem abolentes, omnes Principes ac Nobiles ex civibus ad ſubjectionem Patricij compellunt: & non ſolùm quorundam illuſtrium laicorum turres, ſed & Cardinalium ac clericorum domus ſubruentes, prædam immenſam diripiunt. Eccleſiam etiam beati Petri omnium Eccleſiarum caput, incaſtellare ſacrilege ac prophaniſſimè non metuunt: peregrinos cauſa orationis advenientes, ad oblationem, quæſtus gratia, plagis & verberibus cogunt, ac quosdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu, & veſtibulo templi nephario auſu occidere non verentur. Quos venerabilis Pontifex, percuſſo prius cum quibusdam fautoribus ſuis anathematis gladio Jordane, adjuncta Tyburtinis Romanorum antiquis hoſtibus, militia coercuit, tandemque pacem petere coegit. Quam pacem eo tenore dedit, ut Patriciatus, dignitatem exfeſtucarent, & præfatum in priſtinam dignitatem reciperent: Senatores autem ex ejus auctoritate tenerent, ſicque in Urbem rediens, nativitatem Domini ibidem celebravit.

Romani habenas Pontificis excutiunt.

CAP.

CAP. XXXII.

De nuncio Armeniorum, cauſaque itineris ipſius, ac miraculis, quæ in Romana curia vidit.

EA tempeſtate legati Armeniorum Epiſcoporum, eorumque metropolitani, quem ipſi Catholicon, id eſt univerſalem, propter infinitum, id eſt amplius quàm mille Epiſcoporum ſub ſe habentem numerum, vocant, legati ab ultimo penè Oriente, ſummum pontificem Viterbij, laborioſum iter per annum & ſex menſes complentes, adeunt, eique ex parte illius Eccleſiæ ſubjectionem omnimodam, eum conſalutando offerentes, cauſas viæ nobis cum aliis multis præſentibus, apud veterem aulam aperiunt, quæ tales erant. *Armeniorũ ad Pontificem legatio.* Inter ipſos & Græcos quædam de ritu ſacrificii habitudo eſt in quibuſdam, in aliis verò diſcrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, ſicut illi, aquam autem vino non admiſcent, ſicut nos & illi. Præterea nativitatem Domini Epiphaniæ continuantes duas illas feſtivitates unam faciunt. Pro his & aliis dum inter ſe diſſentirent, Romanam Eccleſiam judicem eligentes, conſultum veniunt, formamque ſacrificii juxta conſuetudinem ejus ſibi tradi depoſcunt.

Quos Romanus antiſtes gratanter ſuſcipiens, miſſarum ſolenniis, ac ſacrificii ſecretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique ſacro altari aſtarent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus, ſicut poſtmodum in plena curia retulit, in beati Martini octava, quando dedicatio Eccleſiæ beati Petri celebrari ſolet, ſummo Pontifice divina myſteria agente, ſplendido fulgore radium Solis ſuper caput ejus coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes vidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumque aditum per quem lux illa tranfunderetur, inveniret, deificum hoc eſſe cognoſcens, ac ad obedientiam Romanæ ſedis amplius accenſus, cunctis quæ viderat aperuit. At venerabilis pater non ſuis hoc meritis attribuens, ipſius potius fide cœlitus hoc ſibi monſtratum affirmabat, ut videlicet Eccleſia, à qua ipſe miſſus fuerat, ſacramentorum virtutem veritatis luce perfuſam cognoſceret, ac deinceps quali ea reverentia & forma tractare deberet, addiſceret. Retulit etiam præfatus Epiſcopus, quòd in confinio Armeniæ quædam gentes eſſent, quæ fœtus ſuos fœtentes generarent, eosque ſtatim ad aquas Armeniorum lavandos tranſmitterent. Quos cum illi baptiſmatis unda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remiſſi ad paganiſmi ritum, & ſpurcitiam redibant. Quod utrùm faciendum eſſet, item Romanam Eccleſiam conſuluerunt.

CAP. XXXIII.

De Epiſcopo Gabulenſi, ac rumoribus, quos de tranſmarinis regionibus retulit.

VIDIMUS etiam ibi tunc prætaxatum de Syria Gabulenſem Epiſcopum, cujus præcipuè opera ad plenum Antiochia Romanæ ſedi ſubeſſe cœpit, tam de Patriarcha ſuo Antiocheno, & de Principis matre Balduini Hieroſolymitani quondam Regis filia, querimoniam facientem, quàm de ſpoliis Sarracenis ablatis: jure antiquitatis, exemplo Abrahæ, decimas (qui eas Deo recognoſcens, victoriam de ſuis ſpoliis Melchiſedech dedit) exigentem, ac ſuper hoc Apoſtolicæ ſedis auctoritatem requirentem. Audivimus eum periculum tranſmarinæ Eccleſiæ poſt captam Ediſſam lachrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes tranſcendere ad Regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem. Narrabat etiam, quòd ante non multos annos, Joannes quidam (qui ultra Perſidem & Armeniam, in extremo Oriente habitans, Rex & ſacerdos cum gente ſua Chriſtianus eſt, ſed Neſtorianus) *Presbyter Ioannes.* Perſarum & Medorum reges fratres, Samiardos dictos, bello petierit, atque Ecbactani, cujus ſuprà mentio facta eſt, ſedem Regni eorum expugnaverit. Cui dum præfati Reges cum Perſarum, Medorum & Aſſyriorum copiis occurrerent, triduo utriſque mori magis quàm fugere volentibus, dimicatum eſt, presbyter Joannes (ſic enim eum nominare ſolent) tandem verſis in fugam Perſis, cruentiſſima cæde victor extitit. Poſt hanc victoriam dicebat prædictum

ctum Joannem ad auxilium Hierosolymitanæ Ecclesiæ procinctum movisse, sed dum ad Tygrim venisset, ibique nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad septentrionalem plagam, ubi eundem amnem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu expectaret, sed minimè hoc impediente aeris temperie, obtineret, multos ex insueto cœlo de exercitu amittens, ad propria redire compulsus est. Fertur enim iste de antiqua progenie illorum, quorum in Evangelio mentio fit, esse magorum, eisdemque quibus & isti gentibus imperans, tanta gloria & abundantia frui, ut non nisi sceptro Smaragdino uti dicatur. Patrum itaque suorum, qui in cunabulis Christum adorare venerunt, accensus exemplo, Hierosolymam ire proposuerat, sed prætaxata causa impeditum fuisse asserunt. Sed hæc hactenus.

CAPUT XXXIV.

De pace Romani Pontificis cum Romano populo, & item perturbatione. De Boritio, & variis per orbem commotionibus, terminusq; historiæ.

Romani Pontifici reconciliantur

At Eugenius cum Romanis hoc tempore pacem fecit, ut patritiatus dignitatem exfestucarent, & præfectum in pristinam dignitatem reciperent, Senatores verò ex ejus auctoritate tenerent: sicque in Urbem rediens, nativitatem Domini ibidem celebravit, incipiente Anno Dominicæ incarnationis MCXLVI. ubi rursum à populo Romano pro excidio Tyburtinorum intantum de die in diem sollicitatur, ut à Lateranensi palatio improbitatem eorum non sustinens, ad transtyberinam regionem migrans, animam suam vitæ suæ tædere confiteretur.

Rex quoque eadem nativitate in palatio Aquis celebrata, Baioariam ingreditur. Ibi eum Boemorum Dux Labezlaus, suprà nominatum Boritium secum ducens, adiit. Is flebili ac miserabili voce querimoniam suam de privatione paterni Regni depromens, quatenus auctoritate Imperiali, ad quam totius orbis spectat patrocinium, ei subveniat, deposcit: ejusque super hoc promissum interventu prædicti Boemorum Ducis, ejusque consortis Gertrudis, Regis sororis, honesto intercedente placito impetravit.

Variæ Christiani orbis fluctuationes.

Exhinc non solùm inpræsentiarum perturbationes sentimus, sed & majores superventuras ex his, aliisque argumentis formidando coniicimus. Ecce enim inter nostrum & Ungarorum Regnum, non solùm isto militem instaurante, sed & illo multos ex nostris pecunia corrumpente, valida expectatur commotio. In Polonia etiam inter tres fratres terræ Principes, miserabilis auditur tumultuatio: in Belgica Gallia virorum potentum indefessa conflictatio. Apud nos verò tam terra jam videtur confusio, ut non solùm reliquo anni circulo præda, sed & incendio cuncta permisceant: sed & in ipso Quadragesimali & pœnitentiali tempore, contra divinas & humanas leges desævire non pertimescant. Tanta postremò præteritorum memoria, præsentium incursu, futurorum metu discriminum urgemur, ut responsum mortis in nobis accipientes, etiam tædeat nos vivere, præsertim cum tam ex peccatorum nostrorum multitudine, quàm tumultuosissimi Imperatoris fœtulenta improbitate, haud diu stare posse mundum putaremus, nisi sanctorum meritis veræ civitatis Dei civium, quorum in toto orbe copiosa variè & pulchrè distincta florent collegia, sustentaretur.

Sed quia mutabilium rerum ab Adam usque in præsentem annum, qui ab incarnatione Domini MCXLVI. ab Urbe condita MDCCCCXVIII. Conradi nonagesimi quarti ab Augusto, nonus, Eugenii tertij, summi Pontificis secundus est, seriem qualitercunque percensui, multiplicesque mortalium miserias involvi, diversos religiosorum ordines, quorum (ut dixi) sanctitate à misericordissimo judice, malignitas mundi supportatur, silentio præterire incongruum arbitramur: ut tantorum malorum turbulentiæ, clarorum virorum gesta insignia, metam & articulum ponamus.

CAP. XXXV.

Descriptio diversorum ordinum religiosorum, terminusq; libri Septimi. Catalogus Regum & Pontificum.

Igitur

IGITUR exceptis his, qui sobriè, piè & justè ex clericis & laicis, sua tanquam non sua possidentes fratrum necessitatibus misericorditer deserviunt, diversa sunt sanctorum agmina, qui propriis desideriis, facultat bus, parentibus, juxta mandatum Evangelicum, abrenunciantes, crucemque mortificationis in carne jugiter portantes, cœlesti desiderio pleni, Christum sequuntur. Quorum alij in urbibus, castellis & vicis, & agris commorantes, proximis normam rectè vivendi verbo & exemplo tribuunt. Alij quidem commanentiam hominum aspernantes, & quieti suæ amplius providentes, frequentiam fugiunt, solique Deo vacantes, ad sylvarum abditorumque locorum latibula se conferunt. Illi lucem suam lucere coram hominibus ad gloriam Dei non abnuunt. Isti mortuos se mundo cognoscentes, vitam suam cum Christo in Deo in præsenti abscondunt, gloriamque suam donec Christus vita eorum gloriosus appareat, enitescere non cupiunt. Æquè tamen omnes vitæ & conscientiæ puritate, ac sanctimonia cœlesti, etiam angelica in terris vita degunt. Commanent autem cor unum & animam unam habentes in unum in cœnobiis, vel Ecclesiis: somnum simul capiunt, unanimiter ad orationem surgunt, in una domo reficiuntur: pariter orationi & lectioni, operique die noctuque ita indefessa incumbunt vigilantia, ut excepto illo quo lassa quieti membra vilibus, & vimineis stramentis, seu sago tradunt momento, aliquod horarum spacium sine divina occupatione nephas arbitrentur effluere, intantum ut in ipsa naturali refectione divinæ scripturæ jugiter intenti, spiritum malint saginare quàm corpus. Abstinent verò omnes communiter à carnibus. Alii autem ab omnibus delicatioribus cibis, vinoque se cohibentes, legumine interdum, interdũ cum pane utuntur & aqua. Quid de cœlibatu ipsorũ dicam? cum ita communem & indultam humano generi nuptiarum legem transcenderint, ut quidam ex eis non solùm interna, sed & externa claustra tanta cùm diligentia observent, quòd nulli unquam qualibet de causa, sed nec orationis obtentu introeundi aditus pateat fœminarum. Omnibus enim diversorum opificum officinis, id est pistorum, fabrorum, textorum, aliorumque, ne foras ullus eorum evagandi occasionem habeat, intrò positis, hisq; studiosissimè septis, porta in exteriori atrio posita est, ubi religiosus & timoratus frater jugiter manẽs, omnes supervenientes hospites, peregrinos, pauperes alacriter & benignè, tanquam ipsum Christum suscipiens, primò ad oratorium ductis, in cellam hospitalem, lotis antè eorum pedibus, ac deinde omnibus humanitatis officiis devotè exhibitis, collocat. At fœmina si exhortationis, seu alterius officii causa supervenerit, extrà dimittitur, eam monasterij pater, vel aliquis ex fratribus, non in domo, nec solus, sed sub divali & patenti loco, solum & rarum tectum propter pluvias habenti alloquitur. Alij verò etsi eas orationis gratia ab oratorio non secludant, ad interiora tamen fratrum receptacula introire non permittunt. Porrò seipsos tanta solicitudine custodiunt, ut non solùm majora delicta abhorreant, sed & à minimis ac levissimis, & quæ nobis ex ipso usu viluerunt, ita sensus suos cohibeant, ut rarissimè, nisi soli Deo, patrique congregationis colloquentes, nutibus magis ac signis, quàm lingua, ea quæ necessaria sunt, abinvicem requirant. Si verò in aliquibus vel minutissimis ex humana infirmitate, negligentia, vel surreptione quis eorũ offenderit, ad locum ad hoc deputatum, circa primam vel tertiam horam concurrunt: ibique divino prius adjutorio invocato, culpas suas humiliter recognoscunt, ac cum charitate mutò se corrigunt. Ibi sedens senior, mansueta severitate, sine ira & disceptatione eos dijudicat: frequenterque divinarum scripturarum sereno vultu mellifluo ore informans eloquijs, ita defecatos, & ad unguem purificatos, ad cœlestis militiæ contubernium dignos tyrones in præsentis vitæ stadio præparat.

Eremitæ.

Cœnobitica vita.

Cœlibatus monachorũ.

Sed quia in ipso vestibulo speciosa domus agnoscitur, qualiter interior eorum homo coram discretore cordium Deo intus fulgeat, habitus exterior apud homines foris declarat. Sicut enim intus variis rutilant virtutum fulgoribus, ita foris diversorum utuntur colorum vestibus, juxta illud Psalmographi: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Alij quippe Apostolicam vitam ducentes, in ipsoque habitu innocentiæ puritatem prætendentes, munda & linea toga utuntur. Alij ejusdem ordinis viri, ob mortificationem carnis, tunica lanea asperius vestiuntur. Alij omnibus exterioribus occupationibus liberi, angelicam vitam in veste prætendentes, ejus suavitatem forma potius ipsa, quam sui mollitie typicè figurant. Ponunt enim ad carnem tunicas asperrimas, superque eas alias cum caputijs latiores, ex senis partibus tanquam totidem alijs ad instar Seraphin constantes. E quibus duabus, id est caputio caput tegentes,

Habitus & vestimenta monachorũ.

Psal.45.

 duabus,

duabus, id est manicis omnem actionem suam velut manus ad Deum dirigendo, ad superna volantes, duabus reliquum corpus antè & retrò velantes, divina se gratia præveniente, & subsequente, contra omnia sæva tentatoris jacula se munitos ostendunt. Differunt autem in hoc, quòd alij ob contemptum mundi exprimendum, eandem vestem nigram tantùm gerunt: alij verò de colore, vel grossitudine nihil causantes, albam, vel griseam, aliâve abjectam tantùm, & asperam ferre consueverunt. Taliter intus & foris instructi, ac per totum terrarum ambitum fertili copiosaque propagine, merito & numero in immensum in brevi multiplicati signis radiant, virtutibus coruscāt, divina revelatione sæpius sublevantur, angelica & dæmonica visione in exitu vitæ crebrò consolantur. Infirmos curant, dæmones fugant, cœlestisque patriæ dulcedinem, quantum in præsenti licet, per contemplationem interdum prægustant. Atque ob hoc quamvis laboribus attriti vigiliis exinaniti, jejuniis attenuati sint more cicadarum, quæ famelicæ plus grillire solent, totam penè noctem in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus pervigilem ducunt. Manent autem, sicut olim in Ægypto sic & nunc in Galliæ Germaniæque partibus abundantius, ut in hoc haud mireris potentiæ, seu sapientiæ ab Oriente ad Occidentem translationem, cum de religione itidem factum eniteat. Est præterea diversis in locis ad singulare certamen specialiter instructum anachoretarum, & solitariorum in genere optimo pugnæ sanctum collegium, in numero quidem rarius, vitæ verò austeritate superioribus vel æquale, vel eminentius. Quorum alii sub priore degentes, in remotis & abditis locis singuli singulas cellas, velut sepulchra inhabitant, operibus manuum sustentantur, modico contenti pabulo, annonam totius hebdomadæ sabbato accipiunt, ac omnimodè humanæ consolationis expertes, à colloquiis tantùm divinis & oratione non recedunt. Dominicis solùm diebus ad oratorium, quod in communi positum est, concurrunt, ac verbo sanctæ cohortationis à seniore irrigati, deificis salubriter refecti mysterijs, cum omni alacritate revertuntur. Alij vitæ suæ solum Deum testem habere cupientes, antris, speluncis, parietibus se includunt, tantoque ardentiùs cœlo suspensi sabbatizare creduntur, quantò amplius omnis humanæ societatis extorres inveniuntur. Sunt etiam qui squalores solitudinum requirant, bestiale ferarum consortium non pertimescant, herba pascuntur, pelle carnis pro operimento utentes, algore noctis, & calore Solis in modum Æthiopum denigrati, velut tympanum obrigescant: atque terreno habitaculo in terra positi, includi dedignantes, tectoque cœli tantum utentes, non se tam homines, quàm cœlestis curiæ contubernales esse demonstrant. Omnes hi ab omni misero mundi rotatu, de quo suprà disputatum est, seclusi, post senarij laboris perfectionem, in veri sabbati pace æternam quietem prægustando positi, nostræ enormitatis benigni & idonei intercessores, hujus septimi Operis terminus existant: nosque ad ea quæ sequuntur, quis scilicet finis civitati Dei maneat, quæ perditio reprobam mundi civitatem expectet, dicenda, precibus suis aptos efficiant, Amen.

Anachoritarum secessus.

LATINORUM REGES ANTE URBEM CONDITAM.

1. Italus.
Ianus.
Saturnus.
Picus.
Faunus.
Latinus.

Hi regnaverunt simul circiter CL annos.

2. Æneas Sylvius.
Latinus Sylvius.
Alba Sylvius.
Ægyptus Sylvius.
Capys Sylvius.
Capetus Sylvius.
Tyberinus Sylvius.
Agrippa Sylvius.
Aremulus Sylvius.
Aventinus Sylvius.
Procas Sylvius.
Amulius Sylvius.

ROMANORUM REGES.

3. Romulus.
Numa Pompilius.
Tullus Hostilius.
Ancus Marcus.
Tarquinius Priscus.
Servius Tullus.
Tarquinius Superbus.

Romæ post Reges exactos, Consules quotannis bini creati (& in maxima urbis calamitate quandoque etiam creabatur Dictator) usque ad Imperatores. Primus autem Consulum fuit Brutus.

PONTI-

¶ Pontifices.	Romani Imperatores.	
	Octavianus Augustus.	
	Tyberius.	
Petrus.	Cajus Caligula.	
	Claudius.	
	Nero.	Prima persecutio.
	Galba, Otto, Vitellius.	
Linus.	Vespasianus.	
	Titus.	
10 Cletus.	Domitianus.	Secunda persecutio.
Clemens I.	Nerva.	
Anacletus.	Trajanus.	Tertia persecutio.
Evaristus.		
Alexander I.	Adrianus.	Quarta persecutio.
Sixtus I.		
Thelesphorus.	Antoninus Pius cum Filiis.	
Iginus.		
Pius I.	M. Antoninus Verus, cum fratre.	
Anicetus.		
20 Sother.	L. Aurelio Commodo.	
Eleutherius.	Commodus post Antoninum.	
Victor I.	Ælius Pertinax.	
Zepherinus.	Severus.	Quinta persecutio.
	Antoninus Caracalla.	
Calixtus I.	Macrinus.	
	M. Antoninus.	
Urbanus I.	Alexander.	
Pontianus.		
Antheros.	Maximinus.	Sexta persecutio.
30 Fabianus.		
Cornelius.	Gordianus.	
	Philippus primus Christianus, cum Philippo filio.	
Lucius I.		
	Decius.	Septima persecutio.
Stephanus I.	Gallus cum Volusiano.	Octava persecutio.
Sixtus II.		
Dionysius I.	Valerianus cum filio suo Galieno.	
Felix I.		
40 Euticianus.	Claudius.	
	Aurelianus.	Nona persecutio.
Gajus.	Tacitus.	
	Probus.	
Marcellinus I.	Carus cum Carino & Numeriano filiis.	
Marcellus I.	Diocletianus, &	Decima persecutio.
Eusebius.	Maximianus Cæsares.	
Melciades.	Constantius & Galerius, & Licinius.	
	¶ GRÆCI.	
50 Sylvester I.	Constantinus.	
Marcus.		
Julius I.	Constantinus cum Constantio & Constante fratribus.	
Liberius.		
Felix II.*	Julianus.	
Liberius ab exilio reversus.	Jovinianus.	

* *Nota: Felicem (qui in catalogo positus est) ab hæreticis, vivente Liberio subrogatum.*

PONTIFICES ROMANI.	IMPERATORES.
Damasus.	Valentinianus.
	Valens.
Siricius.	Gratianus cum fratre Valentiniano.
	Theodosius cum utrisque, & post utrosq;
Anastasius I.	
Innocentius I.	
Zosimus.	Archadius, & Honorius.
Bonifacius I.	
Celestinus I.	
	Theodosius cum Valentiniano.
Sixtus III.	Valentinianus cum Martiano.
Leo I.	Martianus post Valentinianum.
	Leo.
Hilarius I.	Zeno.
Simplicius.	
Felix III.	Anastasius.
Gelasius.	
Anastasius II.	
Symmachus.	
Hormisda.	Justinus.
Joannes I.	
Felix IV.	
Bonifacius II.	
Joannes Mercurius II.	Justinianus.
Agapitus I.	
Silverius.	
Vigilius.	
Pelagius I.	Justinus.
Joannes III.	Tyberius.
Benedictus I.	Mauritius.
Pelagius II.	Focas.
Gregorius I.	
Sabinianus.	
Bonifacius III.	
Bonifacius IV.	
Deusdedit.	Heraclius cum Constantino
Bonifacius V.	filio.
Honorius I.	
Severinus.	
Joannes IV.	
Theodorus I.	Constantinus.
Martinus I.	
Eugenius I.	Constans.
Vitalianus.	
Adeodatus.	
Domnus.	
Agatho.	
Leo II.	Constantinus.
Benedictus II.	
Joannes V.	
Ghonon, alias Zeno.	
Sergius I.	Justinianus.
Joannes VI.	*Leo.

** Hi duo tamen à catalogo regum, propter invasionẽ Regni, quam vivente Iustiniano, Leo primus, post Tyberius Leonem expellendo fecerant, remoti sunt.*

Joannes

	Pontifices Romani.	Imperatores.
	Joannes VII. fœmina.	Tyberius.
	Sisinnius.	
		Justinianus idem qui suprà.
	Constantinus I.	Philippus.
		Anastasius.
	Gregorius II.	Theodosius.
10	Gregorius III.	Leo cum Constantino filio suo.
	Zacharias.	Constantinus cum Leone filio, Pipino Francorum Rege jam Patricio Romanorum.
	Stephanus II.	
	Paulus I.	
	Constantinus II.	
	Stephanus III.	Leo post mortem patris, Carolo Rege Francorum, & Romanorum Patricio.
	Adrianus I.	Constantinus cum matre.
		Hirene post filium.
20	Leo III.	¶ FRANCI.
		Carolus accepit Imperium.
	Stephanus IV.	
	Pascalis I.	
	Eugenius II.	Ludovicus cum Lothario filio.
	Valentinus.	
	Gregorius IV.	
	Sergius II.	Lotharius post Patrem.
30	Leo IV.	
	Benedictus III.	Item Lotharius cum Ludovico filio.
	Nicolaus I.	
	Adrianus II.	Ludovicus post Patrem.
	Joannes VIII.	
	Martinus II.	Carolus.
	Adrianus III.	
	Stephanus V.	Carolus.
	Formosus.	
	Bonifacius VI.	
	Stephanus VI.	
40	Romanus I.	
	Theodorus II.	.rnolfus, juxta quosdam.
	Joannes IX.	
	Benedictus IV.	
	Leo V.	
	Christophorus I.	
		¶ LONGOBARDI.
	Sergius III.	Ludovicus, juxta Romanos.
	Anastasius III.	
	Lando.	Berengarius.
	Joannes X.	
50	Leo VI.	Berengarius.
	Stephanus VII.	Ugo.
	Joannes XI.	Berengarius.
	Leo VII.	Lotharius.
	Stephanus VIII. Germanus.	Berengarius cum Alberto filio.

PONTIFICES ROMANI.	IMPERATORES.
	¶ TEUTONICI.
Martinus III.	
Agapitus II.	
Joannes XII.	Otto cum Ottone filio.
Benedictus V.	
Leo VIII.	
Joannes XIII.	
Benedictus VI.	
Domnus II.	
Bonifacius VII.	Otto post patrem.
Benedictus VII.	
Joannes XIV.	
Joannes XV.	
Joannes XVI.	
Gregorius Teutonicus V.	
Joannes XVII.	
Sylvester II.	Otto.
Joannes XVIII.	
Joannes XIX.	
Sergius Os porci IV.	
Benedictus VIII.	Henricus.
Joannes XX.	
Benedictus IX.	Conradus.
Sylvester III.	
Gregorius VI.	
Clemens Teutonicus II.	Henricus Imperator.
Damasus Teutonicus II.	
Leo Teutonicus IX.	
Victor Teutonicus II.	
Stephanus Teutonicus IX.	
Benedictus X.	
Nicolaus II.	
Alexander II.	Henricus.
Gregorius VII.	
Victor III.	
Urbanus II.	
Pascalis II.	
Gelasius II.	Henricus.
Calixtus II.	
Honorius II.	
Innocentius II.	Lotharius.
Celestinus II.	
Lucius II.	Conradus.
Eugenius III.	
Anastasius IV.	
Adrianus IV.	Fridericus.

§ Huc usque Otto Frisingensis catalogum scripsit: quæ sequuntur usque ad initium lib. octavi, proculdubio alterius sunt Chronographi, omissa tamen noluimus, ut nec superiora, quamvis dubiæ fidei videantur.

Alexander III.	
Lucius III.	Idem Fridericus.
Urbanus III.	
Gregorius VIII.	
Clemens III.	Henricus.

Celestinus

¶ Pontifices Romani	Imperatores.
Celestinus III.	
Innocentius III.	Philippus, item Otto.
Honorius III.	
Gregorius IX.	Henricus, item Fridericus.
Celestinus IV.	
Innocentius IV.	
Alexander IV.	
Urbanus IV.	Henricus, item Wilhelmus.
Clemens IV.	
Gregorius X.	
Innocentius V.	
Adrianus V.	
Joannes XXI.	Rudolfus.
Nicolaus III.	
Martinus IV.	
Honorius IV.	
Nicolaus IV.	
Celestinus V.	
Bonifacius VIII.	Adolfus.
Benedictus XI.	Albertus.
Clemens V.	Henricus.
Joannes XXII.	
Benedictus XXII.	Ludovicus, Fridericus.
Clemens VI.	
Innocentius VI.	
Urbanus V.	Carolus.
Gregorius XI.	
Urbanus VI.	
Bonifacius IX.	
Innocentius VII.	Wentzeslaus.
Gregorius XII.	
Alexander V.	Rupertus.
Joannes XXIII.	
Martinus V.	Sigismundus.
Eugenius IV.	
Felix V.	Albertus.
Nicolaus V.	
Calixtus III.	
Pius II.	Fridericus.
Paulus II.	
Sixtus IV.	
Innocentius VIII.	
Alexander VI.	Maximilianus.
Pius III.	
Julius II.	
Leo X.	
	Carolus V.

CAPUT ULTIMUM.

De morte Conradi Imperatoris, in cujus locum Fridericus Dux Suevorum Rex electus, & quomodo maximum schisma in Ecclesia oriri cœpit, tandem Alexander confirmatur; qui Romæ Concilium celebravit. Item quomodo Imperator bis Longobardiam intraverit, Mediolanumque ceperit. Tandem quo pacto Henricum filium regia dignitate sublimaverit, data ei prius uxore nobili, & qualiter idem Henricus Bresacum ædificaverit.

ANNO

Fridericus I. Barbarossa Rex Rom.

ANNO ab incarnatione Domini MCLII. Conradus Dux de Zeringen obiit, post quem etiam Conradus Rex eodem anno defunctus est: in cujus locum Fridericus Dux Suevorum, filius fratris ejus Friderici, XCV. ab Augusto rex electus est apud Franconefurt, unanimi principum, totiusq; regni consensu. Hujus VIII. principatus anno, Adrianus venerabilis Papa obijt, & inter duos alios, Alexandrum videlicet & Octavianum, qui alio nomine Victor appellatus est, maximum schisma Ecclesiæ oriri cœpit, quod XIX. annis miserabiliter duravit, Friderico Rege contra Alexandrum pertinaciter resistente, & in idipsum plures Episcoporum regia potestate compellente. Quod demum multo labore Dei gratia sanatum est, & Alexander universalis totius Ecclesiæ pater canonicè confirmatus est: qui secundo confirmationis suæ anno, maximum Romæ Concilium congregavit: in quo plures Episcopos schismaticos, & plures diversorum ordinum per ipsos ordinatos degradavit, & damnavit.

Eo etiam tempore prædictus Imperator Fridericus expeditionem maximam contra Longobardos movit, & Mediolanum cepit, atque ædificiorum civitatis ejusdem plurimam partem subvertit. Transactis autem paucis post hæc annis, iterum cum exercitu, multoque comitatu Episcoporum, Ducum & Comitum, diversorumque Principum Teutonici Regni, secundo Longobardiam ingreditur, & ibidem regali potentia grandia multa perficere molitur. Sed circa finem Augusti mensis, facta est immanis mortalitas in eodem exercitu Principum Teutonici Regni, Episcopi scilicet Coloniensis, Friderici de Winsberg, Welsonis Junioris de Ravensburg, cum multis aliis. His etiam diebus prædictus Imperator Fridericus Henricum filium suum regia dignitate sublimavit, eique puellam nobili genere procreatam, Rogerii scilicet & wilhelmi Apuliensium Principum filiam copulavit, nuptiasque ipsius Mediolani regali gloria, multaque potentia perpetravit. Postea verò idem Rex Henricus castrum quoddam in Brisagaugia, Bresacum dictum, in refugium pauperum velut misericordiæ asylum, cœpit ædificare, cunctosque confugientes illuc à totius injustitiæ violentia, regali potentia studuit defensare.

Henricus 6. Frid. F.

Brisacum conditur.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI CHRONICORUM

LIBER OCTAVUS.

PROLOGUS.



O C opus nostrum, quod de duabus civitatibus intitulavimus, trifariè distinctum invenitur. Cum enim civitas Christi seu Regnum ejus, secundùm præsentem statum vel futurum Ecclesia, dicatur: aliter se modò, quam diu bonos & malos in uno gremio fovere cernitur, habet: aliter tunc, cum solos bonos in superni sinus gloria servabit, habitura erit: aliter antequam plenitudo gentium introierit, sub Principibus gentium vivens se habuit. Denique quòd Ecclesia non solùm cum Christo regnans, sed & in præsenti horreo granum & paleam continens, Regnum Christi vocetur, in Evangelio manifestissimè habes. Ubi de Regno suo scandala, quæ nulla profectò in cælesti patria tranquillissima & felicissima fore poterunt, auferenda prædicuntur. Ea ergò locutione, qua Christus propter sacramentorum communionem malos & bonos, fidem istos per charitatem operantem, illos sine operibus mortuam habentes Regnum suum nominat, ea etiam nos Civitatem ejus hunc præsentem statum vocamus. Neque enim subtilitatem eorum in hoc sequimur, qui utrum mali in Ecclesia manentes, veraciter sacramentis communicent, an exterius tantùm ea accipiant, solerter inquirunt: vel si idem mali, Ecclesia quæ corpus Christi dici propter temporalem commixtionem, ac sacramentorum communionem debeant, acutissimè disputant. Sed communem sacræ scripturæ usum, simplici oculo intendendo, omnes in Ecclesia fidem tenentes catholicam, civitatem Christi vocamus, Deo, qui solus novit qui sint ejus, judicium, discussionemve singulorum relinquentes.

Ecclesiæ militantis compositio.

Civitatis perversæ triplex æquè status invenitur, quorum primus ante gratiam, secundus tempore gratiæ fuit, & est, tertius post præsentem vitam erit. Primus miser, secundus miserior, tertius miserrimus. E contrà verò alterius partis primus abjectus, secundus prosper, tertius beatus: vel primus humilis, secundus mediocris, tertius perfectus. Ac de duplici utriusque partis statu, quomodo scilicet unus primò humilis cum latuit, post datis sibi non solùm internis bonis, sed & exteriori prosperitate, non ut prius abjectus, nec adhuc, ut in futuro erit, gloriosè beatus & perfectus, medius seu mediocris: alter verò tam infinitarum mutationum motibus, quam vera religionis ignorantia primò miseris, secundò post revelatam lucem tanto miserior, quanto post manifestatam veritatem inexcusabilior fuit, in præcedentibus satis dictũ est. De tertio verò quomodò videlicet hæc ad summam beatitudinem profectura, illa ad ultimam miseriam defectura & casura sit, judicante ac examinante in ultimo judicio justissimo judice utriusque urbis causam, in hoc octavo Opere dicendum restat. Verùm quia, ut ait Salomon, ante ruinam exaltari cor, & ante gloriam frequenter solet humiliari, quæ hanc gloriam civitatis suæ humiliatio, quæ hanc ruinam civitatis perversæ momentanea sub Antichristo præcedat elatio, quantum ex autenticis libris colligi datur, præmittere aptum reor. Sic enim post densissimas persecutionum tenebras, gratior æternus æternæ pacis dies, & post temporalem arrisionem molestissimus pœnarum turbo, æternaque nox gravior apparebit: quatenus & istius spes præsentes labores breves efficiat, & illius timor ab hac temporali, si qua est, (quia transitoria est) voluptate, deterreat. Prov. 16.

Nunc eis respondendum videtur, qui fortè hunc nostrum laborem tanquam inutilem evacuare conabuntur, quasi tot alternantium malorum historicis narrationibus, tàm ardua & arcana scripturarum documenta non dignè commisceamus. Et primò quidem, quamvis de hoc exemplo beati patris Augustini, quem imitari proposuimus, idem in libro de Civitate Dei facientis, excusemur: tamen rationum & auctoritatum spiculis eis obviandum erit. Nunquid non gratior est dies sequens noctem, dulcior quies post laborem, somnus post lassitudinem, cibus post esuriem? Quid de heptatico Regnorum libro Paralipomenon dicam? Deficiet me tempus enarrantem, si universas sacræ scripturæ paginas, utpote Ruth, Judith, Esdræ, Hester, Machabæorum percurrere velim: qui dum mystico sensu, & deifica sapientia sint gravidi, diversas tamen mortalium ærumnas, & bellorum tempestates continent. Taceo Prophetas, qui inter crebras mutabilium miserias, secreta sancti Spiritus nonnunquam vaticinia posuere.

qui

qui profundiſſimis divinorum myſteriorum arcanis, nephandiſſima hujus mundi facta frequenter interſeruere. Sic Daniel ab hiſtorica narratione ordiens profundiſſima viſione opus ſuum terminavit. Et egregius ille prædicator, ſecundum datam ſibi præ cæteris Apoſtolis ſapientiam, de ſecretiſſimis Dei magnalibus excellenter diſputans, ad correctionem noſtram quædam turpia tenebrarum opera in capite epiſtolarum obiurgando, commemorare non erubuit. Sed & dilectus ille Chriſto diſcipulus, Evangelicæ narrationem veritatis, alto illo inchoatam principio concludens, cum dixiſſet: Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, &c. *Exemplum Dominicum, ſtatum futuræ vitæ in captura piſcium, & retis ſoliditate, nec non & cibi ſuavitate præſagiens, ſubtexuit:* Manifeſtavit, *inquiens,* ſe Jeſus ad mare Tyberiadis. *Sicque hujus tam eximiæ rei prærogativam in calce libri ponens, omnem retroactæ narrationis ſeriem, ejus tanquam proœmium fecit. Dominus quoque in principio fecit cœlum & terram, inviſibilem primo & incompoſitam materiam edidit, ac poſtmodum in ordinem eam & lucem redegit. Non ergo delinquere nos arbitramur, ſi enumeratis præſentis vitæ miſerijs, de æterna ſanctorum quiete, tanquam de luce poſt tenebras, quantum Deus permiſerit, tractare conabimur.*

Ioan. ult.

OTTONIS CHRONICORUM LIBER OCTAVUS.

CAPUT I.

De quadrifaria Eccleſiæ perſecutione. Ex qua tribu Chriſtus naſciturus ſit.

SICUT ex ſcriptura ſacra docemur, civitas Chriſti primò violentam à civitate mundi ſub tyrannis infidelibusque Regibus, ſecundò fraudulentam hæreticorum, tertiò fictam hypocritarum tempore perſecutionem paſſa, ultimam tam violentam quàm fraudulentam, fictamque ac omnium graviſſimam ſub Antichriſto paſſura erit. Qui ex hoc quòd Chriſtum ſe mentiens, Chriſto per omnia vita & doctrina oppoſitus erit, Antichriſtus tanquam contrarius Chriſto vocatur. Græci enim ἀντὶ contra dicunt. Porrò de tribu Juda, ſervili ſcilicet conditione, ex illa qua dicitur auctoritate, *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita,* naſciturus creditur.

Antichriſtum.

Gen. 49.

CAP. II.

De diſceſſione quæ ejus adventum præcedet.

QUÆ verò adventum ejus indicia præcedant, Apoſtolus inſinuat, qui Theſſalonicenſibus ſcribens ait: *Et nunc quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore. Nam myſterium jam operatur iniquitatis, tantùm ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Et rurſum: *Niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Quod quidam ad Neronem, cujus tempore Paulus ſcripſit, interpretantur, ſicut ſupra dixiſſe memini. Alij verò de diabolo, cujus membra omnes ad reprobam civitatem pertinentes ſunt, dictum æſtimant. Ajuntque Paulum intellexiſſe Zabulum, qui per membra ſua ſanctos perſequendo, myſterium iniquitatis tunc operabatur, tempore ſuo, id eſt, in fine mundi, ad manifeſtam impietatem revelandum fore, ac collectas vires per Antichriſtum effuſurum. Unde in Apocalypſi habes, quòd poſt mille annos, qui quidem numerus plenitudinem ſignificat temporis, Sathan, qui modò in reproborum mentibus malitiam intra ſe cohibentibus, tanquam in abyſſo ligatus noſcitur, ſolvendus, id eſt, ad manifeſtam nequitiam prorupturus, totas vires effuſurus ſit. Et nota, quòd Paulus omnem præſentis diei malitiam, non iniquitatem, ſed myſterium iniquitatis nominavit, ut per hoc omnis, quem Eccleſia à primo tempore uſque ad Antichriſtum patitur, labor reſpectu illius quē tunc paſſura erit, non iniquitas, ſed tanquam myſterium, id eſt, ſpecies iniquitatis appareat. Vel myſterium vocat tanquam occultum, res enim ſecretas myſticas

2. Theſſ. 2.

Apoc. 20.

Myſterium iniquitatis.

mysticas dicere solemus: & est sensus: In illo tēpore tam manifesta, tam periculosa & cruenta erit tribulatio, ut omnem quam nunc patitur, vel passa fuit Ecclesia, comparatione illius quasi occultam reputet. Quod verò subsequitur, & ait: *Qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat:* prædicto sensui accomodatum cernitur, velut qui nunc sub honesto pudore vitia revelata tenet, teneat donec processu temporis inverecunda fronte commissa, ad medium, id est, ad publicum veniant. Hoc etiam videtur innuere cum præmisit: *Quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore,* tanquam diceret: Non antè revelabitur, quàm completa malitia Amorrhæorum, tempus quod manifestari debet, adveniat. Unde & hanc ipsius revelationem, discessionem præcessuram narrat. Tunc enim verè caput erroris apparebit, cùm relicta veritate, à veritatis auctore totus penè mundus discedet. Quidam discessionem, & hoc quod dicitur: *Qui tenet teneat, donec de medio fiat,* ad Regnū interpretantur, ut scilicet omnibus amore scelerum justitiæ renitentibus, ac per hoc à justicia Regni discedentibus, ad tantam qui Regnum tenet, dejectionem veniat, ut sine reverentia de medio, id est, de communi quasi quilibet de plebe fiat. Unde & ajunt, Apostolum hæc sub tegumento, verborumque involucris posuisse, ne videlicet Romano Imperio, quod ab ipsis æternum putabatur, calumniam intulisse videretur. Qua de re & hoc dictum putant: *Quid detineat scitis*: ac si diceret: Hoc quod vos scitis, alienigenas manifesta demonstratione scire volo. Alij verò eadem verba, eodem quo de Regno diximus sensu, de Sacerdotio, & Romana sede interpretantur. NB.

CAP. III.

De ipso ejus adventu, ac persecutione quæ sub ipso fiet.

OSTENSO quæ eum indicia præcedant, nunc de ipso ejus adventu, ac ea quæ tunc fiet persecutione prosequamur. Dominus Judæis prædicans, ac non auditus, inter alia dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo,* Ioan. 5.
hunc recipietis. Et Paulus: *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent,* 2. Thess. 2.
ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Nec timuit Paulus dicere, quòd Dominus mittat eum. Mali enim etsi civitatem Dei non justitiæ, sed iniquitatis zelo affligant: nihil tamen nisi quod & quantum permittuntur, facere possunt. Unde Spiritus Domini malus irruisse dicitur in Saul. Malus quippe propter nequissimam voluntatem: & idem Domini, propter acceptam ab eo justissimam potestatem. *Antichristus divino permissu invalescet.* Quòd si Dominus omnes reprobos regnare permittit, quantò magis omniū reproborum caput temporalis prosperitatis, ac sæviendi in suos potestatem ejus sine nutu non accipit? Mittet ergo eum Dominus, quia malitiam corde conceptam non amplius quàm ipse permittet, exercere valebit. Sed quærendum est, quare Dominus civitatem suam tam immaniter tribulari permittat, cur ejus hosti tantam malefaciendi efficaciam tribuat? At non est mirum, si Dominus Ecclesiam suam de nihilo suscitatam, & ad summum in terra fastigium, ut suprà diximus, exaltatam, ante ultimæ tribulationis bravium, ne longo dissoluta ocio, in amore sui, conditoris torpeat, excitatam gravissima prius exerceat palæstra. Erit autem hæc persecutio, ut suprà dictum est, violenta & fraudulenta: & violenta non quidem per se: sed per potentem personam (ut mihi videtur) exercebitur. Unde Psal. *Sedet in* Psal. 10.
insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem: id est, occultis machinamentis potentes mundi, ad hoc ut manifesta sanctis irrogent supplicia, incitabit. Et hanc puto bestiam in Apocalypsi vocatam. Nam ipsum Antichristū eadem scriptura pseudoprophetam nominat, diabolum verò instigantem draconem. Ex hoc conijci potest, ipsum per omnia in hypocrisi venientem, non tormenta exteriora per se sanctis inferendo, sed signis mendacij, & specie religionis, ac imagine rationis fraudulenter mundum decepturum: tormenta verò per potentem adhuc sibi ascitum sanctis intentaturum. Si qui verò unum cum potentem utpote Romanorum Imperatorem ad hoc ascire contendunt, & hunc bestiam dictum non caluminor.

CAP. IV.

De vita, & doctrina ejus.

Christi cum Antichristo comparatio.

QUONIAM verò suprà, vitam & doctrinam ejus Christo contrariam testati sumus, qualiter id fiat, Deo adjuvante, dicamus. De vita quidem constat, quia Christus de solio patris ac superis descendens, se ad redimendum genus humanum humiliavit: ille de inferis ascendere nitens, ac supra omne quod dicitur, aut quod colitur Deus se extollens, ad decipiendos homines sublevabit. Ille virtutem & excellentiam Deitatis occultans, assumptam carnem sputis & flagris exposuit: Iste fragilitatem suam non considerans, ac se super hominem Deum jactans, de hoc quod non est, gloriam & honorem ab hominibus expectabit. Doctrina verò ejus, inquantum ab illius dissideat, luce clarius est,
Matth. 11.
cùm Dominus humilitatis, *Discite*, inquiens, *à me, quia mitis sum & humilis corde*: iste superbiæ, *Mea sunt*, dicens, *flumina, & ego feci illa*, magister appareat. Et nota, quòd in fide nostra in duobus præcipuè calumniandi materiam invenit, qua videlicet alia humanæ rationi, alia carnis voluptati contraria prædicat. Humanæ rationi contraria, ut partum virginis, sacramentum altaris adorare, crucifixum hominem credere Deum, & hujusmodi.
Matth. 16. Luc. 14. Matth. 5.
Voluptati contraria, ut hoc est: *Qui vult venire post me, &c.* &: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: &, *Væ vobis divites*: &, *Beati pauperes*: & hujusmodi. Sapientes ergo argumentis ac ratione inducens, stultos rerum
Ibid. 24.
temporalium delicijs alliciens, utrosque falsis promissionibus seducet. Quapropter Dominus in Evangelio ait: quòd tantùm erit illius temporis periculum, ut in errorem ducantur, si fieri posset, etiam electi. Et in Job habes, quòd esca ejus sit electa. Illi quippe qui humanam rationem sequentes, de rerum causis philosophantur, faciliùs rationibus & argumentis ad hoc ut fidem negent, inducuntur, quàm ad hoc faciendum minis deterreantur, delectationibus seculi alliciantur. Hæc de vita & doctrina ejus dicta sufficiant.

CAP. V.

De Enoch, & Helia.

PRÆDICANTE autem ipso, humanumque genus, & præcipuè Judaicum populum seducente, Enoch & Helias, qui adhuc superstites sunt, venturi creduntur, ut eorum, quorum unus ante legem, alius sub lege fuerunt, auctoritate mundus errore deceptus, ad agnitionem veritatis redeat. Et de Helia quidem Dominum in Propheta dicen-
Malach. 4.
tem habes: *Ecce ego mittam vobis Heliam Tesbytem, qui convertat cor patrum ad filios, &c. antequam veniet dies Domini magnus & horribilis.* De utrisque verò in Apocalypsi scriptum invenies, ubi rursum, quòd ab Antichristo interficiendi, ac quòd ipse post hoc spiritu oris Domini, tam ipsorum, quàm aliorum sanctorum sanguine ad Deum clamante, percussus, finem persecutionis sit impositurus, legitur.

CAP. VI.

De tempore tyrannidis ejus.

TEMPUS quoque tentationis tribus annis & dimidio, totidem scilicet quot & Dominus prædicavit, ex hoc quod ibidem dicitur. *Usque ad tempus & tempora, & di-*
Apocal. 12
midium temporis, protendi latenter innuitur. Evidentius autem ex illa auctoritate Apoca-
Ibid. 11.
lypsis: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus* XLII. declaratur. Quam brevitatem temporis ex immanitate persecutionis, propter electos à misericordissimo judice provi-
Matth. 24.
sam esse Dominus insinuat, cùm ait: *Nisi abbreviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos abbreviabuntur dies illi.*

CAP. VII.

Quæ percusso eo adventum Domini signa præcedant.

Percusso

PERCUSSO impiæ civitatis capite, infidelis Judæorum populus jam se delusum cernens, ad conversionem venire creditur, juxta illud Prophetæ: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Osea 1. Post hoc locus pœnitentiæ manet, cujus spacium omnes mortales latet. Igitur omnibus quæ prædicta sunt consummatis, signisque universis in Sole, & Luna, & stellis, marique transactis, cunctis præ timore & expectatione quæ superveniet universo orbi, arescentibus, reprobæ civitatis interitus, & civitatis Christi profectus, diesque Domini, juxta veritatis vocem, quæ suos blandè consolans: *Cum videritis,* inquit, *hæc fieri, scitote quia propè est Regnum Dei*: Luc. 21. qui tanquam fur in nocte, id est, non prævisus, edentibus & bibentibus, nubentibus, nuptui tradentibus, juxta Domini rursus vocem, venire non dubitatur. Quod non crudeliter, sed magna conditoris providentia sapienter fieri credendum est, ut semper de adventu judicis pavidi, semper ad rationem reddendam parati inveniamur. Longo me jam ocio torpentem, & diversas ob occupationes quasi dormitantem, ultimo de tempore locuturū, tuba salutaris excitet. Quis enim hac audita, somno pigritiæ depressus non evigilet, per quam etiam exurgunt mortui? Fateor, quia ad plurima sensu jam diu distracto, minorem me, imò nullum, ad tam ardua tractanda judicans, digitum ori supposui, malens dies malos silentio transigere, quàm magnis de rebus in perturbatione temerariè disputare. Scio enim qui dixit: Vacate & videte. Novi etiam perturbatione consilij semper esse nesciam, jamicam ocij, negociosa officia renuere sapientiam. Quibus dum nunquam ad plenum carere mereor, quandoque tamen minus importunè ingruentibus, quamvis tenuiter alleviari videor. Proinde hoc resurrectionis tempore non nostris, sed illius, qui propter delicta nostra mortuus est, & resurrexit propter justificationes nostras, viribus & ope fulti, de resurrectione mortuorum, fineque temporum dicere ordiamur, ipsum obnixè invocantes, ut à morte animæ suscitatos, dignè tanta nos eloqui mysteria concedat.

CAP. VIII.

De exterminatione seculi per ignem.

CUM juxta Apostolum, Pax & securitas dixerint, repentinus interitus superveniet, terribilique ignis virtute cuncta cremabuntur. Quam seculi per ignem exterminationem non solùm nostri Prophetico spiritu veridicè prædixerunt, sed & quidam ex gentibus humana subnixi ratione, physicis opinionibus somniaverunt. Unde præcipuus Philosophorum Plato, mundum abditis naturæ rationibus, aqua prius, post igne purgandum, in Timæo suo asserit: & quidam Poetarum de eadem re sic ait:

---- reminiscere tempus
Affore quo mare, quo tellus, immensaque Regia cœli
Ardeat, & mundi moles immensa laboret.

Sed & Sibylla in Prophetia de Christo habita, ultimi hujus incendij, extremique judicij manifestè meminit. Refert etiam Josephus, primum hominem qui rerum causas tantò subtiliùs & sublimius rimari potuit, quantò primordialem eorum creationem recentius vidit, rerum omnium exterminationem, unam ignis virtute, alteram aquarum multitudine prædixisse. Cui concordans ex nostris Petrus: *Cœli,* inquit, *erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens verbo Dei, per quæ ille tunc mundus aquâ inundatus perijt: cœli autem qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicij & perditionis impiorum hominum.* 2.Pet.3. Et infrà: *Adveniet autem dies Domini magnus, in quo cœli magno impetu transibunt.* Quibus verbis nonnulli volunt, Petrum sensisse, tantum flammam ignis debere ascendere, quantum prius aquas diluvij constat ascendisse. Ait enim: *Cœlum & terram:* Cœlum nimirum aerium intelligens. Unde & aves cœli dicimus prius aquarum inundatione periisse, eos verò qui nunc sunt, eodem verbo repositos & igni reservatos: id est, eodem modo & qualitate ignis, quo prius aquæ, exterminandos, vel in melius mutandos.

CAP. IX.

Qualiter intelligendum sit, Cœlum & terra transibunt.

HIC non incongruè quæri potest, quomodo juxta hanc auctoritatem, ipsiusque veritatis attestationem, cœlum & terra transeat, vel potius pereat, Psalmista dicente: Psal.102. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis?* Quomodo enim principales creaturæ in principio factæ peribunt, cùm nulla substantia perire credatur; & Scriptura sacra omnibus fluxis & trans- Eccles.1. itoriis prius enumeratis, dicat: *Terra enim in æternum stat.* Nunquid terra stante, cœlum quod dignius est & superius, peribit; Qui scrupulus facilius solvitur, si quod secundùm quid dicatur, diligentius intueamur. Dicimus enim transire diversis modis. Est namque transitus de non esse ad esse, vel de esse ad non esse, vel de esse ad aliter esse: id est, transitus (ut ficto nomine dicam) aliationis, à faciendo aliud: vel alterationis, à faciendo alteratum. Qui transitus alterationis in divina pagina diversis modis fieri dicitur, id est, vel de bono in malum, vel de malo ad bonum, vel de bono in melius, vel de malo in deterius. De bono in malum transivit Lucifer, factus de angelo diabolus, de vita ad mortem vergens. De malo in bonum Paulus, ex persecutore factus Apostolus, de morte ad vitam transiens. De malo in deterius Herodes, de cruciatibus corporis ad sævissima gehennæ transmeans tormenta. De bono in melius quilibet fidelis, de bona hujus vitæ conversatione ad bravium transiens retributionis æternæ. Etenim de Christo dicitur, quia transivit de hoc mundo ad Patrem. Sic ergo cœlum & terra dum transire dicuntur, nequaquam de esse ad non esse vergere, velut abolenda, quæ essent transire ad aliud: sed de hoc statu ad aliter esse, id est, ad alium pulchriorem, longeque excellentiorem commutanda & transfiguranda asseruntur. Unde Paulus: *Præterit figura hujus mundi*: figura, inquit, non natura. Psalmista quoque ne quod dixerat, *Ipsi peribunt*, asperiùs interpretaremur, subjunxit: *Sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*: Ac si diceret: Tabescentia, & quasi senescentia ex longa & multimoda corruptione, hæc elementa meliori statu, velut decentiori amictu decorata innovabis. Quamvis si rectè inspiciamus, quid & cui dixerit, haud miremur, cœlum & terram perire dixisse. Ait enim & Deo: *Tu autem permanes.* & rursum: *Sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*: & non mutabis rem stabilissimam: sed creaturam ad creatoris sui incommutabilitatis & idemptitatis comparationem perire, veterascere, commutarique dicimus. Puritatis intuitu, res mundissimæ, non mundæ judicantur, sicut dicitur: *Astra non sunt munda in conspectu ejus.* Erit igitur non abolita substantia, sed mutata figura, cœlum novum, & terra nova novo usui, novo decore, novis corporibus decenter præparata, omnique inæqualitate, ac squalore deterso, ad instar paradisi Dei purificata. Sunt qui dicant, duo elementa aerem & aquam, tanquam post resurrectionem non necessaria, uno in terra, altero in æthere commutato non superesse. Unde in Apocalypsi: *Et mare jam non est.* Non enim ut supra, cœlum & terram transire mare, sed non esse dixit. Alij ea non deperire ut non sint, sed in melius sicut & terram immutari opinantur: sicut rursum Ioannes mare vitreum se vidisse testatur: quod tamen mysterialiter potius quàm ad literam intelligendum videtur. Hoc de aqua. Aer autem sive in subtilitatem ætheris transeat, sive in propria substantia manens, liquatus & defecatus existat, nequaquam in ipso fallit, quod dictum est: *Cœlum & terra transibit.* Quod si quis acutius discutiens, ipsum quoque ætherem hujus purificationis participem esse futurum, & in ampliorem claritatem transiturum autumat, de ipsoque dictum, quòd cœlum transeat, non calumniamur.

Cœli & terræ transitus quomodo accipienda. 1.Cor. 7. Psal.102. Iob.15. NB. Apoc.20. Marc.13.

CAP. X.

De bifaria resurrectione mortuorum.

Dan.12. HIS transactis, vera octava resurrectioque mortuorum restat. Resurgent ergo omnes sed non pari modo omnes: aliis juxta Danielem, in vitam æternam, aliis in opprobrium, ut videant semper, de terræ pulvere vigilantibus. Hic profectò notandum est, duas resurrectiones esse, animæ videlicet, & corporis: quarum juxta duas naturas Christus Filius Dei primogenitus ex mortuis auctor existit. Est enim vita corporis anima, vita animæ Deus. Secundùm hoc ergo quòd Deus est, animas peccato mortuas

mortuas ſuſcitat verbum Dei: filius ſecundùm quòd homo eſt ſuſcitat corpora, homo
hominis Filius, quod ipſe in Evangelio loquens inſinuat his verbis: *Amen amen dico vobis,*
quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vi- Ioan.5.
vent. Hoc de prima reſurrectione dictum, ex hoc quòd dicitur, *Nunc eſt*, nemo ambige-
re permittitur. Subſequenter autem de alia loquens ait: *Sicut Pater habet vitam in ſe-* Ibidem.
metipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. Habet quippe Deus ſolus vitam in
ſemetipſo, qui ex ſe, à ſe, in ſe vivens, aliunde vitam non accipit, cui eſt vivere quod eſſe,
nec aliud eſſe quàm vivere: quia ipſe eſt vita, & ſic vita, quòd ab eo omnis vita. In ipſo
enim vivimus, movemur, & ſumus, ſine ipſo nec vivimus, nec movemur, nec ſumus: quia
quod factum eſt, non in ſe, ſed in ipſo vita eſt. Dedit ergo & filio vitam habere in ſe-
metipſo, dum homini in Deum aſſumpto dedit habere ex gratia quod Deus Dei Filius
habuit ex natura, Unde ſubſequentia præcedenti ſenſu per conjunctionem continuans:
Poteſtatem inquit, *dedit ei judicium facere*, quia *Filius hominis eſt.* Ac ſi dicat: Qui dedit
vitam habere in ſemetipſo, dedit poteſtatem & judicium facere, non quia Filius Dei, ſed
quia Filius hominis eſt. Non enim ex hoc quòd Filius Dei eſt, aliquid dedit ei Pater,
vel aliquam poteſtatem accepit à Patre: cui ſicut conſubſtantialis & coæternus, ita coom-
nipotens ab æterno genitus eſt, niſi fortè dedit, dicamus quod genuit. Quid autem
amplius de ſecunda agat reſurrectione, conſequenter audiamus. *Nolite*, ait, *hoc mirari*
quia venit hora. Hora profectò noviſſima, non quæ nunc eſt, ſed quando qui in monu-
mentis ſunt, audient vocem ejus, & procedent. Superius dixit: *Venit hora, & nunc eſt,*
quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent: primam reſurrectionem
ex ſe, in hoc quòd Deus Dei Filius eſt, fieri declarans. Secundò cum dixiſſet, quòd po-
teſtatem dedit ei pater & judicium facere, quia Filius hominis eſt, ſubjunxit: *Nolite mi-*
rari, quia venit hora, quando qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, & procedent. Ac
ſi diceret: Ne miremini, ſi poteſtatem accepit Filius hominis judicium facere, cum & po-
teſtatem acceperim corpora in cinerem redacta ex monumentis ad vitam revocare.
Qui ergo in prima reſurrectione à morte animæ ſuſcitatus fuerit, in ſecunda de corrupti-
one ad incorruptionem immutatus tranſibit. Unde eſt illud: *Beatus & ſanctus qui par-* Apocal.20.
tem habet in reſurrectione prima: in his ſecunda mors poteſtatem non habet. Sequitur ex
oppoſito, eum qui in peccatis ſuis moriens, primæ reſurrectionis particeps non fuerit,
maledictum, ſecundæque morti æternaliter addicendum.

CAP. XI.

Qualiter auctoritate & ratione probari poſſit reſurrectio mortuorum.

QUOD autem reſurgant mortui, non ſolùm Evangelia & Apoſtoli, novæque legis
Doctores affirmant, ſed & antiqui Patres Prophetico Spiritu prædixerunt: quale
eſt illud legiſlatoris teſtimonium, quod Dominus ad confutandos Saducæos pro-
duxit, dicens: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: cum non ſit mortuorum,* Matth.22.
ſed vivorum Deus. Et in Iob: *Putáſne mortuus homo rurſum vivat? Cunctis diebus qui-* Iob.14.
bus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Credo quòd Redemptor meus vivit,
&c. Et illud Ezechielis: *Oſſa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce* Ezech.37.
ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis, & dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciā ſuper
vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & vivetis. Et infrà:
Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam. Item: *Ecce ego aperiam tu-*
mulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris popule meus. Quid rogo plenius, quid
evidentius de re tam ſecreta, tam profunda, tam abdita dici potuit? Oſſibus enim & ari-
dis quaſi jam ſementem in ſe amiſſo phyſicè virore non habentibus, nervos ſuccreſcere,
carne veſtiri, cute ſuperextendi, ſpiritu reanimari, poſtremò talibus de tumulis ſuis
produci divina virtute prædicit. Quanquam & illa ratione, cujus & Paulus meminit,
ubi ait: *Tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur*, ad credendam reſurrectio- 1.Cor.15.
nem inducamur, qui ſingulis annis mundum æſtivali fervore decoqui, autumnali
ſiccitate decoctum areſieri, hyemali algore arefactum emori, Veris benigna humi-
ditate redivivo virore, tanquam de morte ſuſcitari conſpicimus. Qualiter verò quæ-

dam ex cauſis naturæ inditis naturaliter, alia ex cauſis ſibi reſervatis potentialiter creator omnium operetur, alibi dicta præſentem locum non flagitant.

CAP. XII.

Qua ætate, ſexu, vel forma reſurgant mortui.

HIS dictis, videndum eſt, quomodo, qua ætate, quo ſexu, qua forma mortui reſurgant. Ubi primò ſciendum eſt, omnia humana corpora, ſive aquis abſorpta, ſive flammis conſumpta, ſive in viſceribus terræ in cinerem redacta, ſive à beſtiis devorata & incorporata, ſive per diverſa terrarum ſpacia diſtracta & ſeparata fuerint, juxta Apoſtolum, juſſu Domini in voce archangeli, & tuba Dei ad priſtinam vitæ ſubſtantiam indubitanter redire. Reſurgent autem omnes, ut ait Auguſtinus, tàm magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant ætate iuvenili: quamvis nihil oberit, etiamſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma, ubi nec mentis nec ipſius corporis forma, ulla remanebit infirmitas. Unde etiamſi quis in eo corporis modo in quo mortuus eſt, reſurrecturum unumquemque hominem contendit, non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum. Nonnulli hæretici propter hoc quod dictum eſt: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & conformes imaginis Filij Dei:* nec in ſexu fœmineo reſurrecturas fœminas credunt, ſed in virili omnes: quoniam Deus ſolùm hominem fecit ex lino, fœminam ex viro. Sed mihi melius ſapere videntur, qui utrumque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant. Non enim libido erit ibi, quæ confuſionis eſt cauſa. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura ſervabitur. Non eſt autem vitium fœmineus ſexus, ſed natura. Erunt enim membra fœminea non accomodata uſui veteri, ſed decori novo, quo non illiciant inſpicientis concupiſcentiam, quæ nulla erit: ſed Dei laudetur clementia & ſapientia, quæ quod non erat fecit, & liberavit à corruptione quod fecit. Et poſt pauca: Creatura Dei eſt fœmina ſicut vir, ſed ut de viro fieret unitas commendatur. Quia ergo utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet. Hæc Auguſtinus.

Eph. 4.

Supereſt ut de forma eorum diſputemus. Non enim gigantes in tam magnæ ſtaturæ quantitate nanos, in tam exigua parvitatis extremitate contractos, vel debiles tam imbecilli inæqualitate, Æthiopes in tam tetra coloris deformitate, pingues vel macilentos in ſua ſuperfluitate vel tenuitate ad vitam, quæ omni macula & labe carere debet, credendum eſt revocari. Unde idem Auguſtinus: *Omnis pulchritudo corporis eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuavitate:* Ubi autem non eſt partium congruentia, aut ideo offendit quia parvum eſt, aut ideo quia praum, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas quam facit incongruentia partium. Ubi, & quæ prava ſunt corriguntur: & quod minus eſt quàm decet, unde creator novit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt quàm decet, materiæ ſervata integritate, detrahetur. Coloris porrò ſuavitas quanta erit, ubi juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum? Quæ claritas in Chriſti corpore cum reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt. Hæc de juſtis: reproborum enim qualitatem inveſtigare ſuperfluum eſt.

CAPUT XIII.

An monſtruoſi & abortivi reſurgent.

DE monſtruoſis verò & abortivis id ſentiendum reor, quòd omne cui hæc definitio, animal rationale & mortale, congruit, vel ad vitam, vel ad mortem reſurrecturum eſſe credamus. Si ergo ſunt aliquæ gentes monſtruoſæ, quæ rationales ſint & mortales: vel abortivi, qui jam animam habere cœperunt, de quibus Moyſes in Deuteronomio loquens: *Si quis* (ait) *percuſſerit mulierem, & illa abortivum fecerit, ſi formatum fuerit, reddat animam pro anima:* huic legi ſubjacent. Cætera verò ratione carentia, quantumcunque ſimilitudini humanæ accedant, ut ſimiæ, vel quocunque modo humano generi antiquus hoſtis per hoc illudat, ut Fauni, & ſiqua ſunt hujuſmodi, ab

ab hac resurrectione aliena noscuntur. Cæterùm de Hermaphroditis, bicipitibus, quos naturæ error vel malè conjunxit, vel malè divisit, laboriosè disputare necesse non est, præsertim cum in aliis Scripturæ locis, copiosè satis à Patribus hæc enodata sit quæstio.

CAP XIV.

Vtrum qui vivi reperiantur, in illo statu obviam Christo rapientur, vel morientur, ut denuò resurgant.

NUNC inquirendum est de his qui vivi reperiuntur, utrum in illo statu ad judicium rapiantur, vel potius sicut & alii moriantur, & iterum resurgant? Nemo enim resurgere potest qui prius non moritur. Non desunt quippe qui putent hoc quod dicitur: *Iudicare vivos & mortuos*, sic accipiendum, ut vivos eos qui in carne residui inveniantur, dicant: eos verò qui dormierunt, & de pulvere terræ evigilabunt, mortuos intelligant. Quibus accomodatum videtur quod in Paulo legitur: *Nolumus vos ignorare de dormien-* 1. Thes. 4.
tibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in jussu & voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Quæ verba sonare videntur, Domino ad judicium descendenti sanctos qui adhuc vivunt, sive qui à morte resurgunt, simul in aere occurrere. Velocitatem enim resurgendi significans, mortuos à vivis ait non præveniri sed istos simul eadem hora, eodem momento cum illis obviam Christo in aera rapi. Sed juxta hunc sensum, si qui vivi reperti fuerint, non morientur, quomodo generalis erit resurrectio: quomodo stabit quod dicit Paulus: *Omnes quidem resurgemus*? Nunquid 1. Cor. 15.
sibiipsi contrarius æstimabitur? Absit. Iuxta majorum igitur nostrorum diffinitionem: & verum est, quod vivi cum his qui resurgunt, simul rapiantur in aëra: & verum est, quòd juxta quod in Psalmo canitur: *Quis est homo qui vivit, & non videbit mortem?* à Psal. 89.
debito universæ carnis, quod & Dominus qui nil rapuerat, exsoluere voluit, immunes non erunt. Potest quippe omnipotens, qui cuncta creavit ex nihilò, mira eos celeritate in ipso raptu morte dissolvere, statimque ad vitam revocare, quamvis vivi & mortui typicè boni & mali accipi non incongruè possint. Si quis verò dicat, eos in illo generali incendio cremandos, & sic ad vitam cum aliis revocandos, non est cum eo decertandum: tantùm videat quomodo verba Apostoli quibus obviam Christo in aera rapi dicuntur, intelligat.

CAP. XV.

De novissima tuba.

HUJUS in verbis nec hoc transeunter legendum est, quid vocem Archangeli, quid tubam Dei intelligat. Nam & alibi de eodem loquens mysterio: *Omnes* (ait) 1. Cor. 15.
resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent, & nos immutabimur. Novissimam tubam ponens, aliàs prius increpuisse declarat. Habes profectò in Apocalypsi: *Et septem an-* Apoc. 8.
geli qui habebant septem tubas, paraverunt se ut tuba canerent: & primus angelus tuba cecinit, & secundus, & tertius, ita usque ad septimum. Quam tubam novissimam Paulum vocasse non inconvenienter intelligi potest. Sunt qui sex tubas ante novissimam, sanctos prædicatores, qui per sex mundi ætates verbo sacræ exhortationis torpentia corda, nunc quasi concisiùs insonando præmiorum promissis allexerint: nunc velut asperius increpando minis, & terrore pœnarum perculerint, intelligant: qualis in prima Enoch, in secunda Noe, in tertia Abraham & Patriarchæ, in quarta Moyses, in quinta David & Prophetæ, in sexta Christus & Apostoli, eorumque sequaces fuere.

At ſeptimam, quam & noviſſimam vocem, ad excitationem dormientium emiſſam, tantò terribiliùs concrepantem, quantò præſentius, & quaſi realius ea quæ antè prædicta fuerunt, ipſo effectu prodentem vocant. Qui ſonus quia per myſterium angelorum fieri creditur, vox propter rem, tuba propter ſignificatum non inconvenienter appellatur. Si enim Domino tranquillo & ſereno ad cœlos aſcendente, vox angelica: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum?* (Actor. 1.) leniter inſonans voci tubæ, juxta illud (Pſal. 47.) Pſalmi: *Aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*, comparatur: quantò magis ipſo in majeſtate metuendo & ſevero deſcendente ad judicium, vox angelica vivos & mortuos ad judicium terribiliter exuſcitans, tuba vocatur? Si prædicantium futurum judicium vox tuba fuit: quantò magis realiter & præſentialiter illud idem edicentium ſonus tuba erit; Nonnulli ſeptem tubas, ſeptem donis Spiritus ſancti exquiſitius computant, ſingulaque ſingulis ætatibus deſcendendo tribuentes, noviſſimam tubam ſpiritum timoris appellant.

CAP. XVI.

De ultimo judicio, & terrore ſeu forma judicantis.

HIS conſummatis, ad judicium, & utriuſque civitatis ultimam diſcuſſionem Dominum venire non dubium eſt. Veniet autem in ea forma judicaturus, in qua prius venerat judicandus: ut æqua lance mundus eum ſeverum diſcretorem inveniat, quem in carne humiliter venientem elata prius mente contempſerat. Unde eſt illud Propheticum: (Zach. 12.) *Videbunt in quem transfixerunt.* Pater enim in perſona ſua non judicans, omne judicium Filio dedit, ut quem diverſis opprobriis, crucique innocentem expoſuerat, hunc cœleſtium, terreſtrium, & infernorum Dominum conſtituens, judicem vivorum & mortuorum faciat. Quæ tamen humana forma cum mitis appareat, juſtis tantò erit clarior, & formidabilior impiis, quantò eis antea viſa fuit obſcurior & deſpicabilior. Aſpectus enim ejus & fortitudo, quæ in priori adventu non perdita fuſcabantur, non viſa abſcondebantur, tanto in eo erunt manifeſtius, quanto ad vindictam adverſariorum exercebuntur vehementius. Unde eſt illud Malachiæ: (Malach. 3.) *Quis poterit cogitare diem adventus ejus? Aut quis ſtabit ad videndum eũ? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi.* Quod eſt dicere: Non ſolùm eos qui quaſi ſtipula ab igne furoris ejus conſumuntur, condemnabit: ſed & illos qui ſortem hæreditatis non habentes, in terra Levi filii vocantur. Vel eos qui argento comparati, digni quo in cœleſti theca reponantur, inventi fuerint, virtutis ſuæ ſuper excellenti majeſtate terrebit, territoſque juxta beatum Job purgabit. Nam & virtutes Cœlorum movebuntur. Et hanc diſtrictionem, fulgoremque judicantis arbitror intellexiſſe Danielem, cum diceret: (Dan. 7.) *Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accenſus, fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Cum quanta enim & ſuperinæſtimabili gloria, cœleſtisque curiæ perlucida frequentia, glorioſus & admirabilis appareat, idem Propheta ſubjungit: (Ibidem.) *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

CAP. XVII.

De facilitate judicandi.

ITAQUE ambabus his civitatibus coram throno majeſtatis ſuæ præſentatis, una ad dexteram, id eſt, partem potiorem, altera ad ſiniſtram poſita, cauſa utriuſque juſtiſſimo judicio terminabitur. Porrò nulla erit in judicando difficultas, ubi cognoſcendarum conſcientiarum ſe invicem accuſantium ſeu defendentium, tanta erit judicis vivax facilitas. Unde Daniel in libro viſionis ſuæ, (Dan. 7.) *judicium*, inquit, *ſedit, & libri aperti ſunt.* Manifeſtiùs autem Joannes in Apocalypſi ſua (Apoc. 20.) *Vidi*, ait, *thronum magnum, candidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit cœlum & terra, & locus non eſt inventus ab eis. Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt. Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libro, ſecundùm opera ipſorum.* Qui ſunt libri iſti quos Daniel, ſimul & Joannes poſuit? Vel

quis

quis est ille alius liber quem Joannes adjecit, quem etiam vitæ nominavit? Nunquid Deus humano more facta singulorum, ne memoriæ ipsius elabantur, conscripsit, & secundùm hoc unumquemque judicabit; Annon magis uniuscujusque conscientiam novit, ut creator non obliviscitur, ut incommutabilis judicabit, ut verus & subtilis ab æterno discretor? Sunt ergo libri conscientiæ singulorum, semetipsas ad mortem, vel ad vitam judicantes: Liber verò alius qui vitæ dicitur, præscientia conditoris, qui & ab æterno justè *Liber vitæ.* damnandos prævidit, & misericorditer vocandos & justificandos prædestinavit. De hoc libro impios deleri imprecatur Psalmista, cum ait: *Deleantur de libro viventium, & Psal.69.* *cum justis non scribantur.*

CAP. XVIII.

De quadripartito ordine judicantium & judicandorum.

QUID verò sibi vult quòd dicitur, *judicium sedit*, cum ad judicium, vel in judicio sedere non judicium sedere dicere soleamus; Ait siquidem & Psalmista: *Quia Psal.121.* *illic sederunt sedes in judicio.* Sedentne sedes; Quæ sunt istæ sedes? Quod judicium? Quæramus, petamus, pulsemus, ut inveniamus, ut accipiamus, ut intromitti mereamur. Non possunt sedere nisi vivæ sedes: non possunt sedere nisi judicium vivum. Sunt ergo aliquæ sedes & vivæ, in quibus Deus sedeat? Est judicium & vivum, in quo judicia sua discernat? Qui tropus frequenter in divina scriptura invenitur: ut sicut in humana pagina Parthenopëus pictus pro Parma Parthenopei picta, ratione consortij dicitur: ita eadem ratione sedes pro sedente, judicium pro judicante, sedere pro judicare affirmetur. Quamvis & alia ratione iudicium, vel sedes hîc vocari possint, non solùm quòd judicent, sed ex eo quòd Deus in eis judicet: non solùm ex eo quòd sedeant, sed & quòd Deus in eis sedeat, id est, maneat, *Sedisti*, inquit Propheta, *super Psal.9.* *thronum qui judicas æquitates.* An de angelis hoc tantùm dictum putamus? annon etiam de sanctis, qui cum eo sedebunt, in quibus ipse sedebit, & judicabit? Sedent quippe cum eo sancti judicantes, sicut eis in Evanglio ipse promittit. Sed & ipse in sanctis judicans, mentes eorum ne ulla perturbatione vacillare valeant, inhabitando regens: ne ulla pravitate à rectitudinis norma exorbitent, vivificando implens, sicut dicitur, Anima justi sedes est sapientiæ. Sedet ergo ad judicium, sedent & sedes: quia sancti Apostoli, sacer ille senatns, eorumque imitatores quos Deus inhabitat, ad judicium venientes, non judicandorum, sed judicantium officio fungentur. Erunt enim ibi quatuor ordines, duo bonorum, & duo malorum: ex bonis unus judicans, alter judicandus: ex malis idem unus judicandus, alter judicatus. Judicans perfectorum, qui propriis voluntatibus & facultatibus abrenunciantes Christum secuti sunt: quibus dictum est: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duode- Matth.19.* *cim tribus Israel*: duodenis thronis perfectionem illius ordinis declarantibus. Judicandus non tam perfectorum, & tamen justorum, qui sua licitè possidentes, operibus misericordiæ obtinere meruerunt, ut ad dextram collocati, judicati prius & examinati, benignè audiant: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Et, *Venite benedi- Matth.25.* *cti Patris mei, possidete Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Malorum judicandus & damnandus, qui bona transitoria ad communem usum humano generi à creatore indulta, malo avaritiæ sibi usurpantes, indigentiæ pauperum viscera clauserunt: quibus item dicitur: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Et, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, &c. Malorum judicatus & damnandus, qui in obstinatione incredulitatis permanentes, ad agnitionem veritatis, verique Dei verum cultum, quem Græci θεοσέβειαν, nos pietatem appellamus, non pervenerunt, de quibus dicitur: *Qui non credit, jam judicatus est.* Et Psalmista: *Ideo non resurgunt impij in judicio, Ioan 3.* *neque peccatores*, &c. Non enim ait, Peccatores non resurgunt: sed cum dixisset *Psal.1.* quòd impji, id est, infideles non resurgerent in judicium, id est, ut ponantur in judicio: de istis adjunxit: *Neque peccatores in consilio justorum*: ac si diceret, Resurgent quidem ad judicium, sed non ad justorum consortium. Unde non videtur solùm avaros, sed & quoscunqne criminosos sub nomine Christianæ religionis in Peccatis suis morientes,

morientes, ad judicandorum damnandorum pertinere collegium. Neque enim ullos unquam per immisericordiam justius discutiendos & damnandos putaverim, quàm qui vitæ suæ negligentes, ne dicam proximis, sed nec propriæ animæ misereri, & subvenire curaverunt. *Eccles. 30.* Est enim veridicum proverbium: Qui sibi malus, cui bonus? Et illud Sapientis: *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

CAP. XIX.

Ubi judicium fiet.

Ioel. 3. DEHINC videndum est, & dicendum, ubi extremi illius judicii conventus agatur. Nonnulli propter prophetiam quæ dicit: *In valle Iosaphat dijudicabo eos*: ad literam eam intelligentes, non longè à civitate sancta, in valle Josaphat futurum judicium putant, ut in locum quo judicatus fuit, judicaturus quoque Dominus adveniat. Unde quidam simpliciores, sepulchrum Domini orationis causa visitantes, in præfata valle tanquam loca sibi ad illam horam denotantes, lapillos seu aliam metam collocant. Hunc, ut verbis Hieronymi utar, pium errorem ex simplicitate & devotione fidei procedentem non damnamus, nec tamen pro sententia approbamus. Alii mysticè intelligentes, eò quòd Josaphat Hebraicè, Latinè judicium sonet, ubicunque locorum celebretur, illum Josaphat, id est, judicium dicunt. Alii propter verba Apostoli suprà posita, quòd postquam rapiendos in aera obviam Domino, sanctos dixit: & sic semper cum Domino erimus, subjunxit: in aëre futurum judicium æstimant. Mihi autem melius sentire videntur, qui hoc in terra futurum dicunt. Corpora quippe de terra facta, nunc ad incorruptionem utpote malorum immutata, verisimilius est in terra ad judicium collocari, quàm ad subtilius elementum sua cum ponderositate, qua potius ea ad ima vergere oportet, sursum transvehi. Nec repugnat illud Apostoli testimonium, qui sanctos ex quo Christo in aera obviaverint, semper eos cum ipso futuros esse dicit: cum possint cum illo ad terram quocunque loco sibi placito, sine molestia gravedinis redire, postque sublato impio, ne videat gloriam Dei, in gaudium Domini sui, ubi semper cum ipso maneant, introire.

CAP. XX.

De celeritate judicij.

PORRO quanta velocitate hoc judicium transeat, dicere non oportet, ubi omnes tergiversationes & cavillationes, quas in hoc seculo in caussis pati solemus, perspicua judicis subtilitas, & rerum cordiumque scrutatoris acutissima provisio evacuabit. Hic enim juxta formam judicii, in rei causa qua accusator impetit, patronus defendit, testis ad convincendum intendit, judex internorum nescius, ut homo sæpe fallitur, reusque qui damnandus erat, frequenter absolvitur. Quod quia conscientia unumquemque accusante seu defendente, ibi esse non poterit, inæstimabili velocitate illud judicium, consummari credendum est.

CAP. XXI.

De interitu reprobæ civitatis.

Apocal. 20. RESTAT ut de fine utriusque civitatis, qui profectò resurrectionem, judiciumque sequitur, inquiramus. Discussa enim, ut dictum est, in judicio ambarum causa, illa pro qualitate meritorum coronabitur, ista cum capite suo diabolo, principeque ac seductore suo Antichristo, pœnis æternis condemnabitur. Quod Joannes in Apocalypsi prævidens ait: *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in caminum ignis & sulphuris, ubi & bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Tria posuit bestiam, & Pseudoprophetam, & Diabolum. Diabolum suo nomine: in bestia, Babylonem

bylonem seu mundum: in Pseudopropheta, Antichristum intelligens: quos in caminum ignis & sulphuris missos cruciandos die ac nocte in secula seculorum dixit. Per ignem enim & sulphur, atrocitatem incendii: per caminum, horrorem loci: per diem & noctem, ac secula seculorum, pœnarum indeficientem perpetuitatem demonstravit. Erit ergo ibi incendium sine modo, locus sine refrigerio, continua nox sine die, pœnarum diutina miseria sine fine. Porrò de ipsius civitatis damnatione, quam hîc bestiam vocat, alibi loquens: *Sustulit*, inquit, *unus angelus fortis lapidem molarem, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultrà jam non invenietur.* (Apocal. 18.) Talis locutio apud Græcos symbolica dicitur, ubi videlicet divina scriptura de re invisibili, vel spiritali loquens, collatione facta, materialibus seu visibilibus signis utitur: velut cùm angelorum velocitatem notare volumus, pennatos eos scribimus. Non enim credendum est angelum lapidem realem in mare misisse, sed præfato usu locutionis impetum, & velocitatem damnationis ejus auctorem insinuasse, juxta quod in Psalmo legitur: *Perijt memoria eorum cum sonitu.* (Psalm. 9.) Unde rursum in Apocalypsi prædictæ civitatis interitus largiùs describitur, cum dicitur: *Cecidit cecidit Babylon magna, & facta est habitatio ejus dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis: quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati sunt.* (Apocal. 18.) Volunt quidam Joannis Apocalypsim antiquis Prophetarum visionibus, & præcipuè Danielis & Ezechielis affinem esse, prioresque prophetias necessariò per ipsam elucubratas fuisse. In ultima enim visione templi & Hierusalem, Ezechieli in extremo judicio, Christique Regno Danieli similis, hunc non juxta judæorum perversum sensum, de Hierusalem seu templo terrestri, sed cœlesti locutum fuisse; & illum itidem non juxta eos de judicio gentium Regnoque Messiæ sui terreno, sed de Christi vero cœlesti & æterno judicio, & Regno prophetasse ostendit. (NB.) Sic etiam quia multi Prophetarum contra Babylonem multa dixerant, ne de illa tamen urbe, quæ olim injusta damnatione gentes premens, justam suæ iniquitatis eversa mercedem recepit, egisse viderentur, ad totum illud reprobæ civitatis corpus, sub illius typo eos respexisse declarans, ultimam ejus perditionem insinuat, cum ait: *Cecidit cecidit Babylon.* (Esai. 21. Ibid. 13.) Similis est enim duabus Esaiæ & Hieremiæ Prophetiis, illi in principio, isti in fine concordans. Nam & apud Esaiam legimus: *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum ejus contrita sunt.* Et alibi largiùs: *Erit Babylon illa civitas gloriosa in Regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, subversa sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorram. Non habitabitur usque in finem, & confundetur usque ad generationem et generationem. Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & syrenæ in delubris voluptatum.* In Hieremia verò sic: (Ierem. 51.) *Calix verò aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram. De vino ejus biberunt omnes gentes, & ideo commota sunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita est.* Primò videamus quomodo hoc illi Babyloni, quæ à Cyro, ut in historia diximus, subversa est, ad literam convenire possit. Ponamus eam ita funditùs eversam, quod tamen à multis Orientalibus negatur, ut non habitetur in finem, nec in generationem & generationem, ut requiescant ibi bestiæ, ut repleantur domus draconibus & struthionibus, ut sint in delubris voluptatis syrenæ, & alia monstrosa quæ ibi ponuntur. Nunquid tamen sicut Sodoma & Gomorra subversa fuit? Nusquam enim cœlesti eam igne conflagrasse, sed humana manu captam, ruinis & vetustate collapsam & dissolutam legimus. Restat ut si quæ-dam ibi ad literam impleta fuerint, reliqua plenius & veriùs in significato illius consummari credantur. Potest quidem ad literam verum esse, quòd civitas prius illa gloriosa in Regnis, tanquam mero vicinas gentes & Regna, inebriatas & commotas subjecerit, postmodum & ipsa tanquam inebriata, collapsa & contrita, monstrorum latibulum, non hominum habitaculum fuerit. Sed quia pleraque & ita vera sunt significantia, quòd & vera sunt eorum significata, sicut quòd Abraham duos filios habuit, verum fuit in re: nec eò minùs verum fuit, quod hæc sunt duo testamenta in significatione. Qualiter mundo quæ de Babylone dicta sunt, conveniant, breviter aperiemus. (Vaticinia in Babylonem de impijs esse accipienda.) *Cecidit cecidit*, inquit JOANNES, *Babylon magna.* Esaias: *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum ejus contrita sunt.* Et rursum: *Erit Babylon illa gloriosa, sicut subvertit DOMINUS Sodomam & Gomorram, non habitabitur in finem, & confundetur à generatione usque in generationem.*

Perver-

Perversorum enim civitas, quæ hic temporali gloria florens in dæmonū pompa, tanquam in Chaldæorum superbia inclyta in oculis suis fuit, non solùm à gloria sua tracta usque ad inferos corruet, sed & ad instar Sodomæ, sulphureo subversa incendio, nunquam amplius ad priorum voluptatum desideria, tanquam ad habitationem pristinam reversura, sine spe restaurationis in æternum ardebit. Quòd verò subsequenter ait: *Non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, &c.* vel juxta Joannem: *dæmones spiritus immundi, volucres immundæ*: sic dictum videtur, quòd per Arabes & pastores, electi, sese proximosque benè pascentes, qui præsentem mundum non quasi manentem civitatem, sed tanquam tentorium seu habitaculum inhabitant, accipiantur. Per bestias autem, pilosos, dracones, struthiones, syrenas, ululas, volucres immundas, multiplex, & diversum, spurcissimum illud immundorum spirituum collegium intelligatur. Reproba ergo illa civitas, quia ex quo illa cum capite suo diabolo æterno supplicio addicitur, non solùm ab electis, quos prius ut triticum palea premebat, mentium, sed & locorum intervallo separatur, rectè audiat, quòd non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, &c. Nam quòd dicitur, *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum ejus contrita sunt*: insinuatur quia quotquot res transitorias inordinatè amantes Deo præponimus, tot nobis quasi sculptilia fabricamus. Ruente ergo Babylone, conteruntur & sculptilia, dum transeunte mundo, eo acriùs plectendus quisque rapitur ad pœnam, quantò teneriùs DEO contempto propriam secutus est concupiscentiam.

CAP. XXII.

De aureo calice Babylonis.

Mundus malorum illecebris repletus.

DEHINC qualiter juxta Hieremiam, & itidem Joannem, Calix aureus in manu Domini Babylon, omnem terram, omnesque Reges cum illa fornicantes, de ira fornicationis suæ commovens & inebrians, ipsaque ad ultimum collidenda & conterenda sit, tropologicè videamus. Habet Babylon aurum suum, habet sapientiam suam, per quod astutis cavillationibus, & argutis ac sophisticis argumentationibus simplices quosque & vecordes quasi monstrato poculo allicit, allectos falsis promissionibus potando trahit, tractos in præcipitium inebriatos ducit. Et sicut in libro Sapientiæ habes, non solùm garrulitate, sed & cultu & gestu meretricio ad illicitos sui amplexus, quasi ad fornicationem illaqueatos in interitum deijcit. Est enim spiritualis fornicatio, qua unaquæque anima ab amore sui creatoris recedens, & diversas dæmonum ludificationes amplectens, à Deo suo fornicatur: juxta illud: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Quia ergo mundus amatores suos inani sapientia pellicit, sed & diversis desideriis volutatos, quasi ad totidem immundorum spirituum fornicationes furiosa libidine subigit: rectè à duobus his primatibus dicitur, Babylon calice aureo omnem terram, omnesque Reges & gentes cum ea fornicantes, de ira fornicationis suæ inebriare. Sed videndum est quomodo calix iste aureus, omnem terram commovens, in manu Domini esse dicatur. Nunquid ejus nutu & voluntate mundus sic concutitur, sic illuditur, & postremò cum dilectoribus suis in interitum præcipitatur? Quod etsi ejus beneplacito non fiat, sine ipsius tamen potestatis permissione, cui formanti lucem sic bonum placet, ut sine ipso creante tenebras, malum esse non possit, nequaquam evenire creditur. Est itaque Babylon calix aureus in manu Domini, quia non solùm ejus (ut dixi) permissione concutitur, sed & ipsius dono aurum habet, quo inflata malè abutitur: juxta illud Prophetæ: *Dedi eis argentum & aurum, ipsi verò sacrificaverunt inde Baalim.* Babylon igitur quæ calice suo aureo omnes gentes commoverat, ad ultimum cadet & corruet: dum mundus nullum potentiæ seu sapientiæ suæ emolumentum in extremo examine, apud justum & districtum judicem inveniens, potens potenter tormentis deputatus, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, mittetur. Ponamus ante oculos illud tempus quasi præsens, omnesque Imperatorum seu Regum civitatis illius ordines considerantes, in persona omnium cum Sapiente dicamus: *Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa quasi umbra, & quasi nuncius præcurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantes*

Spiritualis fornicatio.

Osee 2.

Res mundana cum sint transitoria, spernenda. Sap. 5.

& quasi nuncius præcurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantes aquas, cujus cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut avis quæ transvolat in aere, nullum invenitur argumentum itineris illius, &c. Sic & nos nati continuò desivimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere in malignitate nostra autem consumpti sumus. Satis arbitror de fine illius civitatis, quæ juxta beatum Job, in bono ducens dies suos, & in puncto descendens ad inferos, operum suorum stipendium mortem immortalem sortietur, disputatum est. Restat ut de qualitate pœnarum ejus dicamus. *Cap. 5.* *Iob. 21.*

CAP. XXIII.

De qualitate pœnarum, & quid sit, Vermis eorum non morietur

ITAQUE secundùm qualitatem operum, & diversarum desideria voluptatum extendi creditur & mensura pœnarum, juxta illud in Apocalypsi: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et in libro Sapientiæ: *In eo quo quis peccat, & punitur.* Unde dives ille qui deliciosè vivens, in lingua plus peccaverat, eandem apud inferos cæteris membris plus ardere demonstrans, gutta aquæ refrigerari petebat. Qualiter autem unum eundemque ignemque diversè sentiant, si quis scire cupit, in Augustino de Civitate Dei, plenius inveniet, ubi & quomodo damnati æternaliter in igne vivere possint, non solùm ex Dei omnipotentis potentia fieri posse, sed exemplo quorundam animalium, quæ in præsenti in igne vivunt, rationi non obstare declaratur. Nonnulli propter illam auctoritatem: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* Malos non solum igne materiali apud inferos cremari, sed & verme vero excruciari æstimant. Alij vermem & cruciatum conscientiæ interpretantes, duplex itidem tormentum, aliud spiritualiter intus, aliud materialiter foris ponunt. Alij spiritualiter utrumque accipientes, taliter reprobos igne uri, qualiter verme rodi putant: illud Augustini in auctoritatem ducentes, qui ait: *Talis flamma, qualis lingua.* Mihi autem meliùs sentire videntur, qui corpus vera flamma, animum cruciari dicunt conscientia. Quia ergò de malè transacta vita immortalis mors rodet, conscientia ignis indeficiens sine fine aduret corpus & animam, bene dicit Propheta: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Sunt etiam qui dicant, ab igne inextinguibili ad frigus eos intolerabile rapi, juxta illud in Job: *A calore ignium transibunt ad aquas nivium.* Quod & Dominus in Evangelio videtur velle, cum dicit: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Fletus enim ex calore, stridor dentium evenire solet ex frigore. Non desunt etiam qui ad majorem miseriæ cumulum, his malis fœdorem adjungant, juxta illud Prophetæ: *Et erit pro suavi odore fœtor.* Quidam verò his tribus pœnarum generibus sex alias adjiciunt, atque juxta IX. cœlestis curiæ ordines, totidem infernalis ergastuli puniendorum cuneos constituunt. De quibus omnibus curiosiùs non est investigandum, sed potiùs ne experiamur præcavendum: dum hoc tantum constet, quòd omnium externorum & internorum miseriam miserrimus ille & infelicissimus status tam tormentorum magnitudine, quàm æternæ mortis mortem fugientis indefessa perpetuitate exuperet. *Apoc. 18.* *Sap. 11.* *Esai. 66.* *Marc. 9.* *Iob. 24.* *Matth. 13. & 22.* *Esa. 3.*

CAP. XXIV.

Quomodo intelligendum sit: Eadem mensura qua mensi fueritis, &c. si temporaliter peccantibus æternæ pœnæ irrogantur:

SOLET autem quæri, qua justitia temporaliter peccantibus æterna pœna debeatur, cum Dominus dicat: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Unde nonnulli inani pietate ducti, peccatores æternaliter puniri negabant, atque ad argumentum sui erroris illud Psalmographi inducebant: *Nunquid obliviscetur misereri Deus aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et illud: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te. Perfecisti autem eis qui speraverunt in te.* Hoc enim sic intelligendum putabant, quòd Deus ubertatem dulcedinis, & copiosæ misericordiæ peccatoribus minas intentando, in hac vita abscondat, ad augendum timorem, & per timorem *Matth. 7.* *Iurene temporaliter peccantibus æterna pœna irrogentur.* *Psa. 86.* *Psal. 31.*

rem correctionem, sed in futuro veniam sperantibus revelando perficiat. Alij omne hominum, sed & Dæmonum genus à pœnis liberandum post mille annos hæreticè dicebant: Illud Esaiæ non rectè intelligentes: *Retrudentur in carcerem, & post multos dies visitabuntur.* Nos verò Catholicæ veritatis normam sequentes, secundum ipsius Domini testimonium, dicentis: *Ibunt hi in supplicium æternum*, reproborum pœnas æternas credimus. Si enim ad terrorem tantùm malorum pœnas æternas dixit, adulatoriè quoque tantum bonorum gloriam æternam prædixisse putandus erit, quod nequaquam stare posse, nemo qui ipsum veritatem & vitam esse cognoscit, dubitare permittitur. Nec auctoritates quæ positæ sunt, ab hoc sensu discrepant, cum miserator & misericors Dominus, quandiu tempus est miserendi, patienter & longanimiter expectando, largam peccatoribus pœnitendi materiam tribuat: in ipsaque ira sua, hoc est in judicio, miserationes suas non contineat, minus fortasse quàm meruerant puniendo, vel interdum refrigerij solatium in pœnis eis indulgendo. Hoc etiam videtur velle illa Esaiæ auctoritas, quæ eos post retrusionem in carcerem visitandos dicit, ut videlicet visitationem vocet quantulamcunque consolationem. Illa vero quam rursum inducunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* Longè alium sensum requirit. Abscondit enim Deus multitudinem dulcedinis suæ timentibus se, quia timor qui non est in charitate serviliter Deum quærens, ad degustandam dulcedinem ejus, quam in charitate radicati, spe gaudentes, in tribulatione patientes, ex meritorum conscientia inveniunt, non pervenit. Spes siquidem, quæ sine præcedenti merito, vel saltem sine ea charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, procedit, non spes, sed præsumptio vocanda est. Vel certè & castè timentibus, in hac vita dulcedinem suam Deus abscondit quam eisdem in futuro sperantibus, facie ad faciem seipsum videndum demonstrando perficit, ut sint idem timentes qui sperantes. Quid est ergo quod dicit: *Eadem mensura qua mensi fueritis, &c.* si temporaliter peccantium æternæ sunt pœnæ malorum? Qui scrupulus facilius enodatur, si Deum nonsolùm operum, sed etiam cordium esse scrutatorem intueamur. Remetietur itaque eadem mensura qua mensi fuerint homines, dum eis facultate peccandi, non voluntate subtracta, in æterna malefaciendi voluntate morientibus, æterna supplicia irrogat.

Esa. 24.

CAP. XXV.

An in pœnis positos, de transactis malis verè pœniteat, vel peccandi adhuc voluntatem habeant?

SED & hoc inquirendum videtur: Si tantis cruciatibus addictos, vel de transactis malis verè pœniteat, vel rursum peccandi si pœnis carerent, voluntatem habeant? Legitur enim in libro Sapientiæ: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes.* Et in Evangelica parabola, dives ille de salute fratrum solicitari inducitur, cum ait: *Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, &c.* Si enim eos, ne in locum tormentorum veniant, affectuosa sollicitudine præmoneri cupit, quanto magis semetipsum hoc velle præcavisse putandus erit? sed notandum est, diversis modis accipi pœnitentiam. Accipitur interdum eo modo quo & describitur. Pœnitentia est commissa deflere, & deflenda non committere. Qualiter Paulus quosdam pœnituisse gloriatur, quibus ait: *Gaudeo vos contristatos esse, non quia contristati estis, sed quia contristati estis, ad pœnitentiam.* Et de qua Dominus in Evangelio. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Talis siquidem pœnitentia vera & fructuosa est, per quam non solùm remissionem consequimur peccatorum, sed & meremur ad regnum pervenire cœlorum. Dicitur etiam pœnitentia, quasi pœnitudo: qualis est latronum & omnium sceleratorum in criminibus suis comprehensorum, ac suppliciis addictorum. Pœnitet enim eos non scelus perpetrasse, sed pro scelere tormento deputatos esse: nec vellent odio mali carere vitio, si fieri posset, post commissum crimen debito carere supplicio. Tali pœnitentia apud inferos agi malos credibile est, cum tam ex in-

Sap. 5.
Luc. 16.
Pœnitentia duplex.
2. Cor. 7.
Matth. 4.

instantia horroris propriæ, quàm ex æmulatione salutis & prosperitatis alienæ amplius conturbentur, & crucientur. Sic quippe Sapiens ille dixit: *Videntes scilicet, justos in magna tranquillitatis constantia stantes, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Et tunc demum duobus his, videlicet propriæ damnationis, & alienæ salvationis consideratione, dicunt intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in signum improperii.* Exhinc liquet, sapientem illum non de vera & fructuosa pœnitentia, sed de falsa & extorta pœnitudine, vel potius de dolore & indignatione locutum fuisse. Videamus etiam si prætaxatus ille dives vera pœnitentia ductus fuerit. *Rogo ergo te Pater,* Luca. 16. *ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, &c.* Non enim ait, ut testetur eis vitare malum, sed moneat præcavere tormentum: nec ait, ut moneat eos, ut bona si qua faciunt virtutis agant amore, non servili pœnæ timore. Sed si quis hoc quasi parabolicum ad literam dicat non esse intelligendum, non est in determinatione ejus valde desudandum. Pœnitet ergo malos esse in tormentis, sed non sic, ut si redire ad pristinam vitam permitterentur, vellent carere peccatis. Si quis verò contentiosus adeò est, ut putet eos verè ibi pœnitere, sed effectu pœnitentiæ carere, juxta 2. Cor. 6. illud Apostoli: *Ecce nunc tempus, &c.* quasi non tunc acceptabile: non est cum eo litigandum. Quamvis non desint qui dicant: Sicut boni cum Deo in æterna gloria perfectè unus spiritus effecti, non possunt, nec volunt velle nisi bonum: sic & reprobos in suplicio capiti suo Diabolo, velut plenè incorporatos, ita obstinationi ejus configurari, ut deinceps nec velint, nec possint velle nisi malum. Juxta quorum sensum non solùm de transacta vita verè non pœnitet, sed & si liceret, in peccatis adhuc manere vellent.

CAP. XXVI.

An post judicium extra infernum inferiorem ad leviores pœnas locus remaneat? Et quid de parvulis, qui solo originali tenentur?

HIS dictis, indagandum puto, si transacto judicio, extra infernum inferiorem ad leviores pœnas locus remaneat. Esse quippe apud inferos locum purgatorium, in quo salvandi vel tenebris tantùm afficiantur, vel expiationis igne decoquantur, quidam asserunt: juxta illud Patriarchæ: *Lugens descendam ad inferos,* & illud Apostoli: *Ipse* Gen. 37. 1 Cor. 3. *autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* At si terminatis in judicio causis singulorum, pro qualitate meritorum æternis pœnis deputatis, nullus ultra purgabitur, quomodo locus ille superior purgatorius residuus erit? Si verò non remanebit, ut de alijs taceam, quid de parvulis, qui solo originali delicto tenentur, fiet? Nunquid in puteum inferni inferioris & ipsi retrudentur? Denique nonnulli tenebris nonulli tenebris tantùm eos sicut antiquos patres, eò quòd in nullo rei inveniantur, nisi quod ad gratiam baptismi, & ad agnitionem veræ lucis non pervenerunt, teneri affirmant: ad ipsas tantùm tenebras interpretantes, quòd mitissima pœna Augustinus eos plectendos esse testatur. Alij præfata verba Augustini durius accipientes, vera eos pœna, sed mitissima puniendos dicunt. Quod si locus etiam ille superior, non ut prius ad purgationem, sed ad eorum vel minus malorum punitionem, perpetuam tamen, reservabitur: non huic æstimationi oppositum, quod post judicium purgatorius locus non remaneat, cum non mutato loco, sed officio, qui prius erat purgationis, tunc fiat punitionis: quamvis etsi loco illo penitùs abolito, in generalem pœnarum locum deputentur, non est incredibile, cum possit omnipotens manus Dei eos in illo horribili incendio vel intactos servare, vel minus afficere, qui quondam tres in camino ignis pueros illæsos conservavit. Nam & uno, eodemque Solis calore non omnes æqualiter uri, vel affici videmus. Cujus tamen rei assertionem, quia nondum certa auctoritate invenimus, Dei judicio relinquamus.

CAP. XXVII.

Quomodo ignis ibi ardeat, & non luceat.

VIDENDUM quoque est de igne illo æterno, quomodo luce careat, cum veri ignis sit natura non solùm urere, sed & lucere. Nam si lucet, quomodo sunt ibi tene-

bræ exteriores, tenebræ palpabiles? Qua in re considerandum est, quòd naturæ creator Deus quasdam ipsi causas & vires indidit; quas si certis rationibus, sicut Deus, quandoque subtrahit, mirari non oportet: quia & ignis ille in fornace Chaldæorum habuit virtutem suam ad consumenda puerorum vincula, sed non habuit ad delenda ipsorum corpora. Et olim in rubo, quem ardere voluit, & non consumi, ardebat, & non comburebatur: quia naturam suam ignis habebat ad lucem, non ad consummationem. Sic econtrariò infernalis ignis virtute sua in luce carebit, & plenariè eam habebit in exustione. Erit itaque tormentum ignis ibi sine consolatione lucis adurens, non illuminans, afficiens, non reficiens: ut omne genus miseriæ plus quàm ne dicam edici, sed nec excogitari possit, habeat, omnique delectamento quo miserrimi valeant sublevari, careat.

CAP. XXVIII.

De gloria & exaltatione civitatis Dei.

TANDEM decurso laboriosa disputationum fine malorum, quasi gravi pelago enatato, ad suavem & jucundum civitatis Christi finem, ipsius freti gratia veniamus. Igitur civitate mundi Babylone miserabiliter præcipitata qualiter civitas Christi Hierusalem sancta glorificetur, audiamus. Joannes cum de illa dixisset in Apocalypsi, quòd cum seductore suo diabolo, & Pseudopropheta suo Antichristo missa esset in caminum ignis & sulphuris, ubi cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum, post pauca subjunxit: *Et vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam* Apoc. 21. *sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &c.* Putant Judæi in adventu Messiæ sui, Hierusalem terrestrem cum magna gloria restaurari: ibique cum maxima rerum abundantia se cum illo regnaturos, omnis mundialis gloriæ delicijs affluere, ædificium illud Ezechielis in Isa. 60. monte, nec non prophetiam Esaiæ: *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, &c.* ad literam intelligentes. Quorum errorem quidam sub Christiano nomine sectati, regnum Christi in terra futurum putaverunt: ibique in Hierusalem terrestri, sanctis cum ipso deliciosè regnantibus, post mille annos solvendum Satanam, ac tunc demum præcipitandum, sanctósque in regnum cœleste assumendos fore. A qua æstimatione filij Zebedæi nondum virtute ex alto induti, non longè fuerunt, cùm mediante matre peterent, ut unus ad dexteram, & alter ad sinistram in regnò Christi sederent. Joannes ergò ut omnes has opiniones & errores destrueret, primò damnationem reprobæ civitatis, ejusque ultimum incendium enarrare studuit, ac postmodum cœlo & terra innovato, de cœlestis, non de terrestris gloria Hierusalem loquens, subjunxit: *Et vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de cœlo.* Quomodo enim sanctam vocaret, quam Propheta occidentem, & eos qui ad se missi fuerant, lapidantem, Babylonem prius nominavit? Quomodo novam, quæ in vetustate legis adhuc manet, diceret? Quomodo postremò eam quæ semper in terra terrena fuit, de cœlo descendentem assereret? Unde bene Apostolus eam quæ in terris est Agar comparans, servire cum filiis suis ait: illam tamen quæ sursum est, matrem nostram, Psa. 122. & liberam attestans. Sed & Psalmista cum jucundari se de hoc, quòd in domum Domini, & atria Hierusalem iturus esset, attestaretur: *Hierusalem*, inquit, *quæ ædificatur ut civitas.* Non enim civitatem ædificari, sed ut civitatem eam ædificari dicens: non more nostro, nec nostris lapidibus, sed divina virtute, vivisque ex lapidibus ipsam ædificandam declaravit. Quòd etsi quis incredulus est, audiat quod sequitur: *Cujus participatio ejus in idipsum.* Quomodo enim casuræ, non permansuræ participatio ejus in idipsum? Est ergò illius civitatis quæ mater nostra est, & sursum est, participatio Exod. 3. ejus, qui dixit: *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos.* Ejus dico in idipsum, id est, in divinitate sua æternaliter & incommutabiliter semper uno eodemque modo permanentis. Cujus quia tunc cum videbis eum sicuti est, æternitatis & identitatis vere perfectèque particeps eris, bene dicitur; *Cujus participatio est in idipsum.* Itaque secluso illorum errore, verba Apostoli prosequamur. *Vidi*, ait, *civitatem sanctam*

ctam Hierusalem novam descendentem de cœlo. Res mystica, & profunda, prorsusque ingenium nostrum excedens. Quid est enim quòd civitatem illam sanctam, id est, ad incommutabilitatem firmatam, novam tanquam ab omni corruptione & mortalitate liberatam, & innovatam descendisse de cœlo dicit? An merces, quæ in cœlis futura promittitur, in terra erit? Si enim juxta Augustinum, nec in his cœlis visibilibus merces sanctorum reposita est, quanto magis nec in his inferius locanda erit? Quid si ergo sibi vult; *Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de cœlo?* Ego quidem quid senserit, & si debita veneratione tanquam sacrum secretum amplectar, ad plenum tamen me non intelligere profiteor, nisi fortè cœlum, ipsam superexcellentem divinitatis naturam, de qua Psalmo *A summo cœlo egressio ejus*, intellexerit. [*Civitas nova è cœlo descendens quæ sit.*] [*Psal. 19.*] Ut sic dictum videatur, quòd gloria illius civitatis in solius Dei prædestinatione ab æterno collocata, ipsique soli nota, tunc demum ad sanctorum cognitionem plenariam, quando Deus omnia in omnibus erit, & videbitur sicuti est, descendat. Quòd enim in hac vita plenè, etiam ab electis illa superinæstimabilis comprehendi non valeat, illo Prophetico & Apostolico probatur testimonio: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* [*Esa. 64.*] [*1. Cor. 2.*] Descendere ergo dicitur de cœlo cum ab arcano divini consilii ad notitiam electorum, non solùm per scientiam, sed & per experientiam incomparabilis illa corona pervenit, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Quem ornatum in spiritu Propheta prævidens, immenso suffusus gaudio: *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.* Causamque gaudij depromens: [*Esa. 61.*] *Quia induit me*, ait, *vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Erit ergo ornatus ejus corona, & monilia. Corona scilicet immarcescibilis perpetuæ immortalitatis & incorruptionis adornans gloria: monilia ineffabili cordis puritate, qua & Deus videtur, decorans eam munditia. Denique quia à factore suo nonsolùm ut factura æternaliter præscita, in cœleste habitaculum potentialiter introducitur, sed & ut sponsa decorata in ejus regni thalamo amabiliter collocatur, bene de cœlo descendens, à Deo parata, & sicut sponsa ornata, narratur. Mira enim & ineffabili benignitatis affluentia, factura fit sponsa: cum eam quam mirabiliter ex nihilo creavit, ad famulatum mirabilius reformatam, ad cœlestis thalami jucundum assumet amplexum.

Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem. [*Apoc. 21.*] Vox ista vox suavis, vox lætitiæ de alto sonans, de sublimi divinitatis consessu dulciter increpitans, quid dicat audiamus: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Quod est illud tabernaculum Dei? An fortè inter illa reputabitur, de quibus dicitur: *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua Israel?* [*Num. 24.*] An potius inter illa quæ Psalmista concupiscens, alto suspirio proclamat: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atrio Domini?* [*Psa. 84.*] Sunt enim tabernacula Jacob tabernacula luctantium in præsentis vitæ militia, agone & exercitio gravia, sed intuitu coronæ spectaculo pulchra, bona semper, sed non semper jucunda. Sunt & tabernacula Dei, tabernacula regnantium in cœlestis patriæ curia, omni calcato metu, plena tranquillitate, suavia, de percepta corona plenè gaudentia: non solùm bona semper, sed sine tristium intermixtione, sine laborum fatigatione semper læta & jucunda. Bene ergo illa pulchra, ista dilecta vocantur. Quid enim pulchrius, quàm spe coronæ cum vitiis & concupiscentijs luctam inire? Quid amabilius, quàm victoria peracta, de percepta corona gaudere? Sunt itaque tabernacula Jacob pulchra, tabernacula Dei dilecta: quia de labore certandi pervenitur ad fructum præmij percipiendi. Quia verò in cœlesti curia, diversa sanctorum angelorum contubernia, charitatis nexu unam faciunt rempublicam, bene quæ Psalmista dixerat tabernacula, hîc tabernaculum vocatur: quibus dum sanctorum agmina conjuncta unam condunt unius urbis commanentiam, benè cum hominibus tabernaculum Dei ad æternam mansionem junctum narratur. Sed inæstimabili dulcedine omnia prædicta exuperat quod subditur: *Et habitabit cum eis.* Si enim species tabernaculorum delectat, quantò magis inhabitatoris eorum, qui fecit illa, visio & mansio delectabilis erit? Habitabit ergo Deus in eis, pleno eos & vero gaudio replens, ne usquam vacillare valeant, plenam eis suæ visionis notitiam largiens, atque omnibus omnia factus, perfectam eis beatitudinem tribuens. Unde pulchrè subjungitur: *Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* [*Apoc. 21.*] In hac enim vita, terrena habitatio sensum multa cogitantem deprimit. Quotiens curis & solicitudinibus succumbimus, quasi totiens Deum, quem omnibus fluxis & transitoriis præ-

ponere debueramus, Deum nostrum esse obliviscimur. In illa verò civitate, ubi sic divina comtemplatio omnes in idipsum conglutinans beatificat, ut interno & externo gaudio perfectè suffusos, foras evagari non oporteat, ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Ubi profectò quia sic æternæ jucunditatis & lætitiæ vino inebrientur, ut omnis transactæ vitæ miseria ultrà non afficiantur. Quod subsequenter declarat, cum subjungitur: *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non erit neq; luctus, neque clamor, neq; dolor ejus ultra quæ prima abierunt.* Porrò quòd alibi civitas ipsa ex auro mundo, fundamento omni lapide pretioso constare dicitur, XII. portæ ejus ex singulis margaritis, plateæ ex auro mundo tanquam vitro perlucidæ, ornatæ feruntur, quantam cœlestis illius patriæ jucundissimam mansionem depromunt? Si enim ad literam intellecta, pulchra sunt & decora, quanto magis spiritaliter intellecta, longè incomparabilius jucunda & delectabilia inveniuntur? Si pretiosum est aurum, quanto preciosius est quod significatur per aurum? Luci enim comparata purior invenitur sapientia. Diximus ut potuimus, qualiter sublato impio, ne videat gloriam Dei, Christi civitas, sancta Hierusalem, glorificetur, pluribus quæ de tanta jucunditate dici possunt suppressis, dum ad ea quæ restant dicenda, festinamus.

CAP. XXIX.

Qualia post resurrectionem sancti corpora habeant.

QUÆRI potest, qualia Sancti post resurrectionem in illa civitate corpora habeant? Ait enim Apostolus: *Seminatur corpus animale, resurget spirituale.* Et rursum: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Unde nonnulli in spiritualem substantiam corpora sanctorum post resurrectionem transmutari putaverunt. Alii tametsi corpora, non spiritus ea futura dicerent, tamen in tantam subtilitatem, ut nec palpari, nec excogitari posset, ipsa redigenda credebant. Quia verò juxta Domini exemplum, post resurrectionem discipulis suis dicentis: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere,* vera corpora in vera carnis substantia resurrectura credimus, qualiter prædicta verba Apostoli accipienda sint, videamus. *Seminatur,* inquit, *corpus animale, resurget spirituale.* Sed intueamur, ex subsequentibus quid per animale, quid per spirituale intellexerit. Cum enim dixisset: Seminatur corpus animale, resurget spirituale, subsequenter adjunxit: *Si est corpus animale, est & spirituale: sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem: sed non prius quod spirituale est, sed quod animale est, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, talis & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Nunquid his verbis, secundum hominem Christum Jesum, quem spiritualem vocavit & cœlestem, veram carnem habere negavit? Spiritualem ergo seu cœlestem dicens, non carne carere voluit: sed ad differentiam primi, qui voluntatem carnis secutus, mandati Dei prævaricator extitit, carnis operibus alienum vita & doctrina esse declaravit. Unde & dicit: *Primus homo de terra terrenus, &c.* ac si diceret: Primus homo terrenis operibus nos perdidit, sed secundus cœlesti vita nos reparavit. Ideoque subjunxit: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Ac deinde: *Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* id est, possidere non potest. Corpus itaque quod seminatur animale, resurget spirituale: cum substantiæ vitium subtrahitur, veritas naturæ relinquitur. Hoc est enim quod subdit: *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Ad hanc quippe vitam mortalem, per concupiscentiam nascentes, animales seminamur: ad illam verò vitam immortalem, per gratiam renascentes, spiritales resurgimus. Huic assertioni & hoc suffragatur, quia dum dixisset, quòd caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: ne de substantia carnis dictum putaretur, subjunxit: *neque corruptio incorruptelam possidebit.* Habebunt ergo in illa civitate sancti de vera carnis substantia vera corpora, sed ab omni corruptione aliena, puritatis dignitate, agilitatis subtilitate spiritibus non inferiora, ac ita concorditer spiritibus suis connexa, ut nusquam esse velint, ubi esse non possint: nec usquam sint, ubi esse non velint. Nulla enim poterit esse discrepantia, quos divinus

Marginal notes: *1. Cor. 15.* — *Ibid.* — *Luc. 24.* — *1. Cor. 15.* — *Corpora à resurrectione spiritualia.*

vinus Spiritus intus alens, veræ pacis perfecta connectit concordia. Quapropter ubi sint, quærere non oportet, cum juxta dominicum exemplum, qui post resurrectionem januis clausis intravit, tantæ sint agilitatis, ut sive in cœlo, sive in terra jam innovati esse voluerint, in potestate habeant, ubi nec voluntas facultati, nec facultas repugnat voluntati.

CAP. XXX.

Qualiter præteritorum memoriam habeant.

NUNC inquirendum est, si in illa beata Patria præteritæ vitæ memoriam, seu scientiam habeant? Ait enim Prophetarum eximius Esaias: *Non erunt memores prio-* Esa.65.66. *rum, nec ascendent in corda illorum.* Sed quid est quod alibi dicit: *Egredientur, & videbunt cadavera mortuorum, qui prævaricati sunt in me?* Nunquid credendi sunt illas beatas sedes relinquere, ac ad videndum malorum tormenta localiter exire? Absit. Si ergo à fruitione æterni boni non recedentes, egredientur per scientiam, quomodo non erunt memores priorum? An scient pœnas alienas, suasque transactas miserias, unde liberatori suo gratias habere deberent, oblivioni tradent? Qua in re sciendum est, duas esse scientias, duasque obliviones. Scit enim aliter æger infirmitatem per experientiam, aliter medicus per artis notitiam. Sic etiam aliter obliviscimur eorum quæ experimento cognovimus, aliter illorum quæ artis tantùm industria inexperti comprehendimus. Sicut ergo Sancti habebunt omnium quæ delectare possunt, plenam memoriam: sic nihil quod officere possit, eorum tanget conscientiam, ut plenè habeant unde Redemptori suo gratias agant, & nihil recolant, unde læso corde de priorum recordatione doleant: sed omnimodis deliciis affluentes, paceque Dei, quæ exuperat omnem sensum, perfectè gaudentes, sicut foris nulla pulsantur tentatione, ita intus nulla recordationis tristium afficiuntur passione. Scient itaque ad majorem beatitudinis suæ cumulum, Redemptoris sui largum recolendo beneficium, non sicut experti tam suos actus, quam malorum apud inferos cruciatus, ut non solùm de sua felicitate gaudeant, sed & Deo suo eos de una massa factos, ab illorum perditione misericorditer separunti gratias agere habeant. Scient, inquam, (ut dictum est) per omnia scientem, & sua & aliena, non per experientiæ miseriam, sed per internæ & æternæ sapientiæ supereffluentem gloriam.

CAP. XXXI.

De diversis in cœlesti curia mansionibus.

HIS decursis, qualiter illa cœlestis curia ordinata sit inquiramus. Nunquid enim omnes æterna illa beatitudine pari modo, pariter omnes fruuntur, juxta illud parabolicum, ubi omnes in vinea Domini non æqualiter desudantes, æqualem operis mercedem, tanquam singulos denarios recepisse feruntur? Sed quomodo intelligemus Matth.20. ipsius Domini testimonium dicentis: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* Et illud Apostoli: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ; & sicut stella differt in claritate, sic* Ioan.14. 1. Cor.14. *erit & resurrectio mortuorum?* Verum est igitur, quòd singuli singulos denarios accipiunt: & verum est quòd diversas mansiones inhabitantes, alius alio clarior existat: quia omnes quidem in unam beatitudinem recipientur, sed pro qualitate meritorum, diversas ibi mansiones sortientur. Nam & Dominus non in domibus, sed in una domo mansionum hanc varietatem esse dicens, unam fore beatitudinem, sed in beatitudinis fruitione distantias ostendit. Quod etiam in præsenti videmus, ubi in una Ecclesia diversis dignitatum ordinibus, alium alio clariorem, alium alio superiorem conspicimus. Quam ad instar illius curiæ distinctam Dominus Moysi loquens ostendit, cùm ait: *Vide ut omnia facias juxta exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Sunt itaque Exod.25. in domo illa diversæ mansiones, quas alius alio clarior, alius alio sanctior habitet: quia tantò quisque viciniùs, & quasi proximiùs divini luminis splendore irradiatur, quantò ardentiùs & vehementiùs in præsenti vita ad ejus amorem per idem operantem, ex dilectione inflammatur. Et sicut pluribus ad unum fontem confluentibus simulque undam ejus gustantibus, qui plus sitit, plus haurit: ita ad Deum fontem vitæ festinantes, tantò

largiùs ab ubertate domus ejus torrente voluptatis suæ inebriantur, quantò eum ampliore sitis ardore vehementiùs & avidiùs præstolantur. Pro diversitate igitur operum & capacitate singulorum, varia & una beata tamen omnium erit gloria Sanctorum.

CAP. XXXII.

De tribus ternis Angelorum.

PORRO quia civitas illa duobus parietibus compacta, ex Angelis constat & hominibus, quis & qualiter inter eos ordo sit intueamur. Tres Angelorum Hierarchias, id est, sacros principatus, præcipuus Theologorum ponit Dionysius: & unamquamque in tres ordines subdividens, ut novem Angelorum ordines compleat, tria terna constituit. In prima hierarchia Seraphin, Cherubin, Thronos: in secunda Dominationes, Potestates, Virtutes: in tertia Principatus, Archangelos & Angelos ponit. Primam autem hierarchiam immediatè Trinitatem circumstare, ab eaque sola illuminari: secundam verò inter primam & ultimam mediam tam à superiore illuminari, quàm inferiorem illuminare asserit. Quorum sacratissimæ humanumque ingenium transcendentis naturæ causas rimari, supra nos est, nec præsens Opus expóscit. Ait nempe suprà nominatus Theologus: *Quanti quidem sunt & quales supercœlestium essentiarum ornatus, & quomodo secundùm eos hierarchiæ perficiuntur, solam diligenter scire dico contemplativam eorum perfectionis Principem.* Quibus verbis cùm solam divinam sapientiam, à qua principium habent ut sint, & ad quam contemplandam respiciunt ut perfecti sint, scire dicat sacram eorum & superornatam ordinationem, temerarium de ipsorum natura videtur investigare, cum & ipsos Angelos quales facti, vel qualiter dispositi sint, fateatur non posse comprehendere. *Propterea,* inquit, *dico & eos adhuc ignorare proprias virtutes & illuminationes, & suam sacram & superornatam ordinationem.* Unde & subjungit: *Impossibile est enim nos scire supercœlestium animorum mysteria, & sanctissimas eorum perfectiones, nisi ibi dixerit quis quæcunque per eos nos tanquam propria bene scientes divinitas mysteria docuit.* Et est dictum: *Incassum ad comprehensionem supercœlestium mysteriorum laboramus, cùm nec ipsos supercœlestes spiritus, quorum revelatione illa cognoscere deberemus, plenè illa posse comprehendere credamus.* Quid est autem, quòd suprà eos nescire affirmans, hîc nos per eos tanquam propria bene scientes, erudire divinitatem dicit? nisi quòd sciunt propria mysteria quantum sufficit ad nostram eruditionem, sed non sciunt ad plenam & perfectam comprehensionem: Quamvis igitur ex proprio motu nil de eorum natura comprehendere valeamus, hoc tamen quod divina eloquia de illis sacris ordinibus, nec non & iste Theologus testantur, indubitanter credamus. Ait ergo: *Omnis Theologia cœlestes essentias novem vocavit manifestativis cognominationibus.* Deinde ab egregio Doctore gentium, magistro suo Paulo, qui ad tertium cœlum raptus arcana Dei audierat, quid edoctus sit, subsequenter adnectit, dicens: *Has scilicet novem cœlestes essentias, divinus noster sanctus profector in tres segregat ternas dispositiones.* Quod quia nusquam in Paulo legitur, ab eo familiari colloquio tanquam divinus Philosophus didicisse innuitur. Nec repugnat, quòd arcana quæ audivit, homini loqui licere Apostolus negat, cùm nec homo, sed super hominem, velut huic vitæ funditus mortuus fuerit, vel qui docuit, vel qui didicit. Dicat ergo: Has divinus noster profector in tres segregat ternas dispositiones. Et primam quidem esse dicit circa Deum existentem semper, & ante alias immediatè uniri traditam, sanctissimos thronos, & oculosos, & pennosos ordines, Hebræorum voce Cherubin & Seraphin nominatos. Quia enim Seraphin incendentes, Cherubin plenitudo scientiæ interpretatur, Cherubin oculosos propter contemplationis cognitionem, Seraphin pennosos propter ardentissimi amoris dilectionem, symbolicè nominat. Thronos verò, in quibus Deus sua judicia decernit, quos alibi compactas & altissimas sedes, hîc sanctissimos Thronos anagogicè vocat. Altissimas sedes, propter dignitatem: compactas, propter judicij veritatem: sanctissimas, propter incommutabilitatis firmissimam æternitatem. Est ergo proprium thronorum judicij discretio, Cherubin veritatis cognitio, Seraphin cognitionis perfecta dilectio. Et quia in his tribus omnis constat perfectio, rectè amantes, cognoscentes, judicantes, velut intus præsiden-

Hierarchiarum cœlestium nomina & ordo.

ſidentes,& ab interna contemplatione ad exteriora officia nunquam exeuntes, immediatè Deo uniri, & ante alias circa ipſum ſemper attentè exiſtere dicuntur. Ultimos verò tres ad exteriora mitti,ut Angelos & Archangelos: vel dimittendis inviſibili poteſtate diſpenſare, ut Principatus,teſtatur. Porrò medios quæ à ſuperioribus ad inferiores deferenda ſunt, ſecundum dignitatem & officium ſuum adminiſtrare dicit. In quibus Dominationes,quaſi ſolo Imperio ad nuncianda formantes,primo: Virtutes,tanquam perceptum ab eis Imperium Poteſtatibus edentes,ſecundo: Poteſtates, quaſi conceptum mandatum in Principatibus, Archangelis, Angelis ſibi ad operationem ſubjectis perficientes,tertio loco ponit. Qui verò poſt Angelos & Archangelos, Virtutes, & deinde Poteſtates,& ſic Principatus conſtituunt, Virtutes eos, per quos ſigna & miracula fiunt, Poteſtates eos, qui adverſas virtutes ſpirituum comprimunt, ne tantum nocere poſſint quantum volunt,Principatus,qui etiam bonis ſpiritibus principantur,accipiunt,plus etymologiam nominum, quàm rationes officiorum ſecuti. Uſu enim noſtro plus eſt poteſtate agere,quàm virtute. Deinde major eſt principatus,quàm poteſtas. Non enim omnis poteſtas principatus, ſed omnes principatus ſunt poteſtates. Quòd autem amplius ſit in principatu dominari quàm principari, nemo ambigit: & idcirco dominationes quaſi principatibus dominantes in eminentiori loco poſuerunt.

Quid eſt autem, quòd cum ſuprema illa hierarchia immediatè circa Deum, & ita *Quæſtio.* ſemper attentè, ut nunquam à jucundiſſima majeſtatis ejus præſentia foris prodeat, aſſiſtere credatur, ad mundanda labia Prophetæ Seraphin exiſſe narratur, cum dicitur: *Volavit ad me unus de Seraphin*, &c? *Ierem. 6.* Ubi profectò juxta eundem Dionyſium innuitur, quòd inferiori ordine miſſus,ſuperioris ordinis vocabulum ex officio eſt ſortitus. Prophetæ quippe labia purgare, ejusque mentem ad divinitatis amorem accendere veniens, Seraphin, id eſt, incendentis vocabulum accepit. Quamvis non deſint qui dicant,non incongruè ad alta conſilia de altiſſimo ordine ſpiritus mitti, cum & ipſe unigenitus de ſinu Patris ad terras miſſus,magni conſilij dictus ſit Angelus. Quòd enim omnes mittantur, teſtari videtur Apoſtolus,ubi ait: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi?* *Hebr. 1.* Unde Michaelem,Gabrielem,Raphaelem,quos præ cæteris ſpiritibus Eccleſia Dei veneratur, altiſſimorum illorum ordinum Principes eſſe putant: nec idcirco eos ab intima divinitatis præſentia recedere dicunt, cum tantæ ſubtilitatis eos, & inæſtimabilis puritatis eſſe velint,ut ſic ad exteriora prodeant, ut tamen in cœlis ſemper Deo aſſiſtant. Unde eſt illud Gabrielis in Evangelio: *Ego ſum unus de illis qui ſemper aſſiſtunt ante Deum,& huc miſſus ſum annunciare tibi.* *Luc. 1.* Cum enim hoc diceret, ad terras miſſus fuerat, & tamen Deo ſe aſſiſtere dicebat. Porrò quòd quidam à ſuperioribus erudiantur, alij verò ab ipſo Deo immediatè illuminentur, Prophetica auctoritate probatur. Quidam enim myſterium incarnationis ignorantes, cum Jeſum in gloria cœlos aſcendere conſpicerent, novi Regis adventum admirantes, à ſuperioribus inquirebant dicentes: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Sed & ſuperiores non omnino ignorantes, ſed immediatè ab ipſo diſcere volentes,nec tamen ad interrogationem feſtinè præſilire audentes, primùm apud ſe deliberabant: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* *Eſa. 63.* Cumq; ad doctrinam ultrò ipſe ſe offerret dicens: *Ego ſum qui loquor juſtitiam:* tunc demum aſſumpta fiducia, ad ipſum quæſtionem dirigunt: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum,& veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* In eo enim quòd interrogant, oſtendunt ſe illuminationem appetere: in eo verò quòd inter ſe conferendo deliberant, ſignificant quia divinam in ſe proceſſionem non audent prævenire. Unde Theologus iſte,apud ſe inquit: *Ipſas deliberant ante interrogare: oſtendentes quia diſcunt, & deificam ſcientiam appetunt: non autem præſilientes per divinam proceſſionem inditam illuminationem.* Et notandum, quòd interrogatio ſpirituum illorum ad Deum, *Interrogatio ſpirituum.* non eſt aliud quàm ipſa interrogationis perceptio, ipſaque ejus reſponſio: vel locutio non eſt aliud quàm illuminationis datio. Quia igitur ipſi non præveniunt illuminationem in perceptione, ſed divina eos gratia prævenit in datione, non antè interrogare dicuntur ut diſcant, ſed ipſe largitor & doctor offerre aſſeritur eis quid deceat. Et hoc eſt quod dicit: *Non præſilientes per divinam proceſſionem inditam illuminationem*: Præſilirent enim inditam illuminationem, ſi humano more per ſtudium inquiſitionis ad lumen pervenirent cogitationis: ſicque proceſſio eſſet non Dei ad ipſos, ſed ipſorum ad Deum. Sed quia divina proceſſio,hoc eſt à Deo procedens datio, ſponte veniens in ipſos, ſic eos illuminat, ut nullum inquiſitionis ſtudium hanc illuminationem efficiat: benè dicitur, quòd inditam illuminationem per divinam proceſſionem non præſiliunt.

Hæc

Hæc de Angelorum natura, non de noſtro ſenſu, ſed de divinis eloquiis prolata ſufficiant. In quibus nihil temerè diffiniendo, ſed ſecretum venerando indubitanter credimus, quòd ſive omnes mittantur, ſeu omnes omnia ſupercœleſtium ſciant arcana, vel non: indeficienti tamen jubilo omnes ſimul in creatoris ſui contemplatione jocundantur. Unde item Dionyſius ad ſuperprincipale Principium, & ad ipſum Principium univerſaliter eos converti teſtatur. Qui etiam ad hoc ut ſupernæ hierarchiæ Spiritus, ſic Deo ſemper aſſiſtant, ut nunquam ad externa officia foras prodeant, & quod inferiores Spiritus, quandoque ſecreta Dei lateant, donec ſuperiorum revelatione addiſcant, inclinatus videtur. Quod tamen etſi ita eſt, eorum beatitudinem non minuit: quia omnia ſcientem videntes, ſic in eo omnia ſciunt, ut quicquid expedit eos ſcire, ſcire velint: nec aliquid ſcire velint, quod ſcire eos non expedit.

CAP. XXXIII.

Qualiter in eorum ordines Sancti proportionaliter aſſumantur.

QUIA de cœleſtium ſpirituum hierarchiis, eò quòd in eorum ordines electi aſſumendi, unam Rempub. facere creduntur, incidenter diſputavimus; ſupereſt ut adhuc qualiter in ipſorum conſortia proportionabiliter aſſumantur, inquiramus. Ait itidem de hoc ſæpe nominatus optimus Theologus: Ad quas, id eſt, ſupercœleſtes eſſentias, *ſecundum differentiam progreſſionum, & incrementa illuminationum, proportionaliter nobis ipſis aſcendimus per gradus ſpiritualium profectuum in nobis, vel differentiam donorum inter nos.* Et eſt dictum, quod ſicut in præſenti per dona gratiarum, & gradus dignitatum proportionaliter, hoc eſt, differenti & ordinata participatione diſponimur: ſic in cœleſtis curiæ contubernia promoveamur. Juxta ipſius enim Domini teſtimonium: Qui in modico fidelis eſt, ſupra multa conſtituetur: & qui bene miniſtrat, gradum bonum acquiret: & quia fideles diſpenſatores Eccleſiæ tantò amplius coronantur in cœlis, quantò magis verbo & exemplo gregem Domini paſcentes, deſudaverunt in terris. Unde qui accepto ad uſuram talento, plus fœneravit, juxta differentiam meritorum proportionaliter accipit ſtipendia retributionum: dum iſti dicitur; Tu eſto ſuper quinque civitates: & illi, Tu eſto ſuper decem. Aſcendent ergo ſancti per differentiam progreſſionum, id eſt, quantum bene operando progrediuntur & incrementa illuminationum, id eſt, quantum bene docendo ſubditos illuminandos profecerunt, per gradus ſpiritualium profectuum, quod eſt de virtute in virtutem, non pedum, ſed mentium, in diverſis dignitatibus progreſſus, vel differentiam donorum, quæ ſunt diverſa dona charismatum, id eſt, diverſos ordines beatorum ſpirituum. Quæ quoniam in ipſis & inter ipſos ſunt, juxta illud Pſalmiſtæ: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde diſpoſuit.* Bene Theologus iſte dicit, quòd ſecundum differentiam progreſſionum, & incrementa illuminationum proportionaliter nobis ipſis aſcendimus per gradus ſpiritualium profectuum in nobis, vel differentiam donorum inter nos, ad contubernia Angelorum. Qualiter autem in ſingulos ordines beatorum ſpirituum, ſinguli quique electorum aſſumantur, ut non ſolùm mentis & corporis puritate, ſed graduum dignitate Angelis ſimiles & pares in beatitudine fiant, beatus Gregorius mellifluo ore diſſeruit, tantùm juxta illam auctoritatem: *Conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei*: in illa civitate numerum electorum futurorum oſtendens, quantus ibi ſanctorum remanſit Angelorum.

Pſal. 84.

CAP. XXXIV.

Quomodo ſtare poſſit quòd tantus numerus electorum quantus ibi remanſit Angelorum, ſi juxta decimam dragmam, decima tantùm pars Angelorum perdita, per homines reſtauranda putabitur.

SED inquiri poteſt, cùm decima dragma tanquam Angelorum pars, perdita per homines reſtaurari debeat, quomodo tantus fiat numerus electorum, quantus manſit Angelo-

Angelorum? Qua in re profectò videndum eſt, quòd I.V.X.C.& hujuſmodi in divina pagina non ſemper numerum, ſed ſignificatum numeri ponunt. Quia enim denarius in ſacra ſcriptura perfectionem ſignificare ſolet, decima dragma periſſe dicitur, cum reprobæ illius partis globus à Deo exorbitans, à creationis ſuæ digniſſima perfectione, ad propriæ voluntatis motum declinans, ſuperbiendo corruit: ut dicant non quòd illa decima pars corruerit, ſed quòd illa pars corruerit decima: id eſt, ut decima qualitatem ſuam ſeu ſubſtantiam verbi reddat verbo, ut non intranſitivè, ſed ſubſtantivè jungatur, cum corruit: quod eſt dicere, ut non numerum, ſed literam, ſed juxta ſignificationem numeri myſticum ſenſum reſpiciat: ut non ſit aliud dicere: Corruit decima, quàm corruit perfecta, id eſt, in eo quòd perfecta: ſicut ſolemus dicere, Video te ſapientem, verbum jungendo tranſitivè ad te ſubſtantivè ad ſapientem. Vel corruit decima, id eſt, perfecta, id eſt, à decima, vel à perfecta: ut ſit ablativus decima ſeu perfecta, vel ſenſum habeat ablativi. Sicut enim nominativus apud Grammaticos frequenter ſubſtantiam ſui: ſic ablativus vel nominativus ex parte prædicati, ſemper qualitatem ejuſdem nominis innuit: Ut cum dico, Martinus eſt homo, non prædico ſecundum Logicos hoc, ſed ex hoc: ſicut econverſo cum dico, Homo currit, non ſubijcio ex hoc, ſed hoc. Nam ſi hac parabola, ad hoc ut decimam partem Angelorum, quæ per homines reſtaurari debet, cecidiſſe credere compellimur: nihilominus etiam centeſimam tamen partem ex parabola C. ovium corruiſſe, cogemur confiteri. Prædictus ergo denarius, vel centenarius, quia (ut dictum eſt) non ad numerum, ſed ad ſignificatum numeri nos mittit: nec ad hoc cogit, ut decimam partem ſeu centeſimam corruiſſe credamus: nec ad hoc impellit, ut tantundem reſtaurandorum, quantum lapſorum numerum fore confiteamur: ſed hoc tamen oſtendit, quòd illorum miſeria iſtorum felicitate, illorum imperfectione, iſtorum perfectione ſuppleatur. Neque propter hoc quòd decima dragma perdita dicitur, X. ibi ordines, quorum unus corruerit, quandoque fuerunt, ſed de ſingulis IX illis ordinibus cadentes unum inordinati ordinis globum fecerunt. Quamvis ſi dicat quis, Gregorium hoc non ſub aſſertione poſuiſſe, non ſit multum in ejus determinatione laborandum: dum hoc tamen credatur, quòd verè in ſingulorum Angelorum ordines, ſive in numero pares, vel impares ſint, beatitudine pares electi aſſumantur. Non enim Gregorius ait, ad quot tot aſcenſuros ſcimus, ſed credimus. Hæc illa quam poſui auctoritas, *Conſtituit terminos populorum, juxta numerum Angelorum*: huic ſententiæ accommodata cernitur, cum ibi ſubſequenter dicatur: *Pars autem Domini populus ejus.* Quod ſic teſte Dionyſio dictum videtur: Cæteræ nationes religionem Angelorum ſectantes, diverſam militiam cœli coluerunt: ſolus Iſraeliticus populus, unius Dei cultum ſervans, ipſi tanquam ſua pars, & funiculus hæreditatis in poſſeſſionem peculiariter ceſſit. Unde eſt illud Pſalmiſtæ: *Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.* Si verò juxta aliam translatio- Pſal. 76.
nem: juxta numerum filiorum Dei legatur, longè iterum alium ſenſum requirere innuitur, niſi eoſdem filios Dei, quos & Angelos dixerimus, juxta illud Geneſis, ubi alius tranſlator filios Dei, alius Angelos ad filias hominum acceſſiſſe commemorat. Quod ſi juxta noſtrum uſum, juxta numerum filiorum Iſrael dicatur, peregrinum penitùs ab hoc intellectu erit. Igitur de re ſecretiſſima prorſus à noſtris oculis remota judicium prudentioribus relinquentes, ad ea quæ reſtant tranſeamus: hoc tamen credentes, quod in libro ſapientiſſimæ præſcientiæ Dei, quam nullum fugit profundum, nullum fallit ſecretum, certus eſt numerus electorum, & verax corona pro meritis ſingulorum.

CAP. XXV.

De beatitudine ſanctorum.

NUNC videndum eſt, quæ illius Patriæ ſit beatitudo. Non enim credendum eſt, animas exutas corpore, vel poſt reſumpta ſpiritualia corpora, Angelicis ſpiritibus puritate ac dignitate non inferiores, rebus exterioribus ſicut in hac vita delectari. Proinde ſicubi Sacra Scriptura floridis & virentibus campis, amœnis locis, garritu avium, odoriferis rebus, utpote cynamomo & balſamo, ſenſus eorum refici & affici picit, ſpiritualiter hoc potius quàm carnaliter accipiendum videtur. Quamvis & propter

pter ſimplices, qui lacte, non ſolido cibo alendi ſunt, quorum ſenſus nondum exercitati, ſpiritualem jucunditatem comprehendere nequeunt, hæc frequenter à quibuſdam Do-
Beatitudo. ctoribus ponantur, ut ſic per viſibilia ad inviſibilia cognoſcenda & inquirenda mittantur. Eſt igitur beatitudo ſanctorum, viſio conditoris ſui, juxta illud dominicum: ***Hæc eſt vita***
Joan 17. ***æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum***: intelligendum cum ſpiritu, qui eſt amborum. Hæc eſt inquit, vita æterna. Quid enim aliud eſt vita æterna, quàm beatitudo ipſa? Si enim eſſet vita temporanea, beata non eſſet, quæ de termino ſollicita foret. Rurſus quantumcunque diuturna, niſi omnis miſeriæ defectu carens, omnimodæ felicitatis afflueret abundantia, beata dici non poſſet, quæ aliquo nævo infecta eſſet. Eſt itaque illa vita æterna & beata, beata & æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Vide quòd fruitionem beatitudinis, cognitionem dixit eſſe divinitatis. Unde fruſtra quidam ad comprehenſionem divinæ ſubſtantiæ in hac vita laborant, quæ à ſanctis per ſpeculum, & in ænigmate vix in præſenti viſa, ſicuti eſt videnda, pleniterque cognoſcenda, in futura eis tantùm vita promittitur. Delectantur igitur ſancti in plenè jucunda & æterna beata viſione Dei, juxta illud Pſalmiſtæ:
Pſal. 84. ***Benedictionem dabit qui legem dedit, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*** Quid majus, quid jucundius, quid glorioſius? Quanto deſiderio in tenebris poſiti deſideramus hunc Solem? quanto ſtudio optamus hanc lucem? Quòd ſi hæc lux deſiderata cum gaudio ſuſcipitur, ſuſcepta cum admiratione inſpicitur, viſusque frequenter reverberatur, rurſus ad videndum ſuſtollitur, nec uſu vileſcit, nec frequentia faſtidium gignit: quam putas lux lucis videntibus ſe jucunditatem afferat, admirationem tribuat, nec tamen faſtidium inferat? Si Reges, vel Imperatores terrenos in gloria ſua fluxa & tranſitoria cum admiratione, & quadam hilaritate videmus, quàm inæſtimabili gaudio ſuffuſos, inæſtimabili jubilo mentis repletos æſtimabimus qui Regem regum, creatorem univerſorum in decore ſuo, & gloria incomparabili & immarceſcibili, cœleſti Angelorum & hominum ſtipatum militia videbunt? Nec videbunt tantùm, ſed & viſum amabunt,
Ibidem. amatum laudabunt. Unde pulchrè Pſalmiſta: ***Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.*** Eſt ergo beatitudo videre Deum, in quem deſiderant Angeli proſpicere inceſſanter, ſine tædio viſum amare indeſinenter, ſine faſtidio amatum indefeſſè laudare, ſine fatigatione, atque de his in ineffabili cordis jubilo, gaudio inæſtimabili, ſine triſtium intermixtione in ſecula ſeculorum gaudere. Quod quia in hac vita plenè haberi non poteſt, illi cœleſti civitati dignè reſervatur. Unde rurſus Pſalmi-
Pſal. 87. ſta: ***Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.*** Per hoc enim quòd non lætantium, ſed ſicut lætantium dicit, longè illud gaudium noſtro in hac vita ſuperexcellere oſtendit. Cum itaque plenè ac perfectè de viſione Dei gaudio quod nemo tollere poteſt, gaudeant, quomodo rebus exterioribus delectari putabuntur, cum etiam in præſenti, ubi per ſpeculum, & in ængimate gloria illa vix prægustatur, nonnunquam ſancti contemplatione ſupernorum ſic ſublevantur, ut omnibus ſenſibus propriis officiis carentibus interna tantùm dulcedine ſuaviter afficiantur? Quare credendum non eſt, quòd etſi in cœlo novo, & terra nova omnibus in melius mutatis, ſplendido decore cuncta clareſcant: tamen ut dictum eſt, ſanctos viſione ac laude creatoris ſui jucundantes, horum pulchritudine occupatus, ab illa lætitia revocari. Nam quamvis juxta Prophetam, tanta ibi claritas fiet, Lunæ, quanta nunc Solis, Soliſque ſeptempliciter quanta nunc eſt: tamen alibi habes, quod civitas illa non eget Sole, neque Luna ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus agnus eſt. Quòd ſi claritate Dei illuminati, contemplationis, veræque viſione ejus luce ineffabiliter perfuſi, ſupernis ad delectationis augmentum nō egent luminaribus: multò minus inferioribus his, quibus ſenſus corporis (ut ſuprà dictum eſt) affici ſolent, ad delectamentum indigebunt. Quamvis non deſunt, qui dicant illam etiam ibi ad delectationem non deeſſe. Ajunt enim quòd omnimodis ibi deliciis affluant, & quanquam viſione Dei plenè delectati, exteriora non deſiderent, illa tamen iſtam tan quam aſſeclæ aſſequantur: ſicut in ſanctorum libris nonnunquam ſecularis ſcientia, divinam ſapientiam non affectata, tanquam pediſſequa comitari cognoſcitur. Erunt ergo hæc omnia ibi, ſi erunt, famulantia ad ornatum: ſed non erunt ibi ad neceſſitatis obſequium.

CAP.

CAP. XXXVI.

Qualiter Deus videatur.

RESTAT indagare, utrum Deus ibi corporis oculis ſimul & ſpiritalibus videatur, vel ſpiritalibus tantùm, juxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* [Matth. 5.] Quod nonnulli ſic intelligunt, ut Deum tantum corde, tantùm etiam illic in ſuæ naturæ ſimpliciſſima puritate videndum aſſerant. Quibus intantum accomodatus videtur Auguſtinus, ut in libro de Civitate Dei, dicat, durum eſſe credere, quod illic oculos claudere non poſſimus: durius, ut clauſis oculis Deus ibi non videatur. Sed videndum eſt, muta in eodem opere prædictum patrem non ſub aſſertione poſuiſſe, ſicut ipſe teſtatur dicens: *Nam nec ego volo temerè credi cuncta quæ poſui, quia nec à meipſo ita creduntur, tanquam nulla de illis ſit in mea cogitatione dubitatio.* Unde cum de hac ipſa à cæteris redargueretur ſententia, tanquam contra auctoritatem; *Quem viſurus ſum ipſe, & non alius,* [Iob. 19.] *& oculi mei conſpecturi ſunt,* dixerit: reſpondit ſe in hoc non peccaſſe, quòd Deum iſtis oculis videndum negavit, cum aut ipſis non videatur, aut ſi videbitur, oculi illi non ſunt ipſi qui nunc ſunt: quia longè in digniorem ſtatum alterati. Quare non deſunt, qui Deum utroque modo videndum affirmant. Dicunt enim plenam beatitudinem in viſione Dei conſiſtere, à qua ſi tunc fraudarentur corpora, nequaquam ſancti in utroque, ſed in ſpiritu tantùm ſumma beatitudine fruerentur. Nec multum ab hoc ſtatu ille diſtaret, cum & nunc corporibus in terra putreſcentibus, ſpiritus & animæ juſtorum in cœlo Deum videant. Nec repugnat quod dicitur: *Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt:* quem profectò non impuri, ſed ſoli mundi cordis videre merebuntur. Verum ergo eſt ex parte ſubjecti ſolum mundo corde Deum videre: ſed non verum eſt ex parte prædicati, Deum videbunt mundi corde ſolùm. Verbi gratia, verum eſt, Pater eſt ſolus Deus: ſed non eſt verum, ſolus Pater eſt Deus. In priori propoſitione ponitur alius Deus non eſſe à patre, quod verum eſt: in ſecunda ponitur Deus non eſſe alius à patre, quod falſum eſt: quia Filius Deus eſt, & alius à patre perſonaliter, ſed non alius Deus. Quare & à Theologis negatur Deus dici ſingularis, vel ſolitarius. Sive igitur mente tantùm, ſive ad majorem beatitudinis cumulum, ut duplici ſtola veſtiti in utroque corpore ſcilicet ac ſpiritu ſaginati, utriſque Deum oculis videant, hoc conſtat, quia revelata facie ipſum ſicut eſt videbunt: in ipſo, & de ipſo gaudebunt, ipſum in ſecula ſeculorum laudabunt. Hæc eſt octava quæ ſabbatum, veſperam non habens, ſubſequitur, vel potiùs continuat. Hæc enim veſpera non in noctem vergendo tenebreſcit, ſed in prima ſabbati, quæ octava non terminata animarum requie, ſed receptis corporibus duplicata luceſcit. Hæc requies ex requie, ſabbatum ex ſabbato, menſis ex menſe. Hæc erit in fine ſine fine. En habes divina ſapientia malitiam ſemper vincendo, quàm fortiter à fine ad finem attingat, quam ſuaviter omnia diſponat. Quid enim fortius, quam diabolo cum membris ejus in abyſſum putei inferioris præcipitato, ad ſupercœleſtia gaudia membra ſua perducere? Quid ſuavius, quàm cuncta hæc ſine aliquo perturbationis motu peragere? A fine igitur ad finem, id eſt, à principio uſque ad conſummationem, unde Alpha & Ω vocatur, fortiter attingit: hoc eſt utriſque diverſa meritorum ſtipendia juſtè diſtribuit, vel à fine bonorum ad finem malorum. Unde Propheta: *Qui ſedes ſuper Cherubin, intueris abyſſos.* [Pſal. 80.] Sedet enim tanquam incommutabilis ſuper altiſſima, & intueatur tanquam juſtus diſcretor infima. Sedet, quia cum tranquillitate judicando ſuaviter omnia diſponit. Intuetur deſuper Cherubin abyſſos, quia à fine ad finem fortiter attingit. Attingit intuendo, juſtèque moderando finem: quo nihil inferius: à fine quo nihil ſuperius: finem; quo nihil amarius: à fine, quo nihil ſuavius: finem; quo nihil miſerius: à fine; quo nihil beatius. Hæc eſt hæreditas ſervorum Dei. Ibi ut ait Auguſtinus, vacabimus, videbimus, amabimus, laudabimus. Erit autem juxta Prophetam, [Ezech. 48.] nomen civitatis ex illa die, *Dominus ibidem.*

CAP. XXXVII.

De fine utriuſque civitatis.

HÆc de fine civitatis Chriſti, juxta capacitatem ſenſus noſtri, dicta ſufficiant: in quibus (ut verbis utar Dionyſij) quædam prætermiſimus, commenſurationi ſermonis

r pro-

providentes, simul & honorificantes secretum quod supra nos est, cum silentio. Est enim gloria Regum, celare verbum: & Majestatem minuit, qui mystica vulgat. Novi quippe sic magna dici oportere, ut semper supersit, quod cum diligentia inquiratur: ne vile appareat, si totum vulgariter pandatur. Proinde sicut ea, quæ non de nostro sed Scripturarum sensu, quamvis inculto prolata eloquio, charitati tuæ devotè offerimus: sic nolentibus & spernentibus impudenter non ingerimus. Nam ut supra de Augustino dixi, nonnulla ibi non sub assertione, sed opinione & investigatione posita sunt, finitivæque sententiæ examen prudentioribus relictum. Tuum verò erit minus dicta supplere, malè dicta corrigere, superflua resecare, meque in hoc salo mundi peccatis oneratum laborantem, orationum tuarum remedijs sublevare.

CHRONICORUM OTTONIS LIBRI octavi & ultimi, Finis.

EPILOGUS AD LECTOREM.

Epilogus hic in quibusdã codicibus reperitur.

Rogo *autem te Lector, si tamen præ domina invidia audeas, ne hujus Opusculi laborem vilipendas. Ego nempe vigilavi, ut tu dormires: ego laboravi, ut tu quiesceres: tuus solummodo labor erit, ut perlegendo intelligentia replearis, & scientia præditus clarus ab omnibus habearis. Si autem (quod magis spero) tabito corde & nebuloso his flosculis ornatè contextis lividum dentem imprimis, & rosigerum sertum candidis lilijs connexum, venenata lingua carpis: invidia quidem te, ut proprium mancipium, caligini ignorantiæ involvit: me autem benevolentia per lumen ad gloriam perducat.*




II.

OTTONIS DE S. BLASIO, AD LIbrum Septimum Chronici Ottonis Frisingensis Episcopi, continuatæ historiæ Appendix deducta in annum salutis, M. CC. X.

Nunc primùm è tenebris in lucem prolata, ac typis edita.

DE CHRONICI OTTONIANI APPENDICE JUDICIUM.



Bsoluto præsenti historicorum syntagmate, sic ut nihil obstare videretur, quò minus illud, urgentibus Typographis, officinæ committi posset: ecce vetusti duo Codices Ottonis Frisingensis, in membranis descripti, ad me perferuntur, quos è majoris templi Tigurini Bibliotheca CL. *Theologus, D.* LODOVICUS LAVATERUS, *amicus singularis, petenti mihi* φιλοφρόνως *communicavit, ut eos cum editis exemplaribus, Pythœano præsertim, conferre possem. In eorum altero, & quidem vetustioris capite adnotatum erat, librum eum duarum mercarum pretio æstimatum, à quodam M. Andrea, Sanpetrino ejusdem Urbis pastore, prædictæ Ecclesiæ Canonicis, anno* τ͂ Θεανθρώπου 1280. *dono datum esse: è quo (ut videtur) cænobita quispiam familiæ Dominicanæ, domus Tigurinæ, alterum postea transcripserat. Collatis iis ad Ottonem editum, deprehendi, excusum manuscriptis pleniorem & emendatiorem: non tamen sine diversitate, maximè quò ad capitum distinctionem & seriem, inprimis libro septimo. Codices enim Tigurini* 15. & 16. *similiter* 22. & 23. *item* 24. 25. 26. 27. *capita libri prædicti Ottonis impressi, in singula conducebant: postremum autem, de Religiosorum ordinibus, penitus omittebant. Præterea in iisdem caput vicesimum nonum tricesimo primo subiciebatur: denique in* 31. 32. 33. 34. *capitibus, nonnihil varia lectio conspiciebatur. At enim cum in Pithœano (ut dixi) pleniora essent omnia, nihil immutare visum est. Sequentia autem appendicis s. capita etsi sine ulla vel novi auctoris mentione, vel transitionis aut* δευτερογραφίας *nota præcedentibus subjuncta, librum octavum Chronici antecederent, quo nomine diutius latuisse, ipsosque etiam possessores fefellisse videntur: ab Ottonis tamen Episcopi contextu separare libuit, quòd certum sit, ea ab alio quopiam intersertα esse. In iis enim rerum per orbem gestarum, ac inprimis Cæsarum historia, usque ad annum salutis* 1210. *quinquaginta quatuor annis post Frisingensis Episcopi mortem, deducitur.*

Cogitanti autem mihi de Supplementi auctore, dubium protinus incidit, de Ottone à sancto Blasio, quem illustris Frisingæ præsulis Chronicon continuasse, & circa annum 1190. *floruisse, pridem legeram & audieram. Dumque ignoti vestigatione pergo, ac è contextu quasdam optatæ rei notas eruere conor, occurrere nonnullæ conjectationem meam verisimilem reddentes, nempè, quòd Appendicis* τελεσιουργὸν, *illorum temporum, quorum historias tractat, æqualem, & patria Alemannum seu Suevum fuisse, perspicuè colligere poteram. Iis verò ad certi hominis* σημείωσιν *neutiquam sufficientibus: Nauclerus tandem non ignobilis Scriptor, quem multis veteribus libris instructum fuisse constat, omnem hæsitandi scrupulum exemit, libro* 2. *generatione* 39. *ubi talia de Hugone comite Palatino Tubingensi à Guelfone Bavaro in vincula tracto, itemque de victoria Archiepiscopi Moguntini proximè Tusculum à Romanis reportata, iisdem propemodum verbis refert, qualia in hujus Continuationis* 19. & 20. *capitibus continentur: quas historias non aliunde quàm à Sanblasiano sumptas esse, Nauclerus disertè testatur. Cujus sanè viri auctoritas, & prædictorum locorum cum præsenti Appendice consensus, de auctore amplius dubitare non patiuntur.*

Eundem porrò Sanblasianum & alia quædam elucubrasse, Io. Heroldum, civem Basiliensem φιλάρχαιον, *testem producere possum, qui in Epistola quadam ad Casparem primum S. Blasii Abbatem scripta, & in neglecta multarum chartarum farragine abs me reperta, sic scribit.* Pervenit ad manus nostras liber, hoc titulo: Ottonis à sancto Blasio Chronica prima. Libri series omnes sacræ historiæ genealogias, ad Timotheum Titumque Pauli discipulos usque figuris pulchræ distinguit. Opus sanè & elegans & non contemnendum. Exordium ejus sic sonat: Considerans historiæ sacræ prolixitatem, nec non & difficultatem.


Est autem S. Blasius insigne monasterium ordinis Benedictini, proximè Albam fluvium Hercyniæ sylvæ, in diœcesi Constantiensi, sub Ottone magno Imperatore inchoatum: è quo cùm fortè præsens scriptor prodierit, Sanblasianus dici voluit.

AD



AD LIBRUM SEPTIMUM CHRONICI OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS, incerti ſed contemporanei auctoris APPENDIX.

CAP. I.



NNO Dominicæ incarnationis M. CXLVI. ſummus Pontifex Eugenius Eccleſiæ tranſmarinæ paternè condolens, multos ad Hieroſolymitanum iter accendit, ac venerabili Bernhardo Clarevallenſi Abbati onere prædicationis vice ſui impoſito, ex omnibus mundi partibus ciſmarinis innumerabilem exercitum coadunavit. Venerabilis itaque Pater Bernhardus inductus virtute Spirius ex alto, ad injunctum ſibi prædicationis officium non ſegniter accingitur, virtuteque verbi, omni gladio ancipiti penetrabiliori, miraculorum comitante incomparabili gloria, totam Galliam & Germaniam peragravit, & ad expeditionem tranſmarinam innumerabiles accendit.

CAP. II.

ANNO Dominicæ incarnationis M. CXLVII. Conradus Rex mortuo fratre ſuo Friderico Suevorum Duce, filio ejuſdem nominis Ducatum conceſſit, ac pariter cum ipſo cruce peregrinationis accepta, Jeroſolymam adijt. Præterea Welfo Dux, Henricus Noricorum Dux, & multi alij noſtrarum partium Principes, & Epiſcopi cum innumerabili diverſæ conditionis exercitu, eandem viam agreſſi, per Ungariam & Græciam iter arripuerunt, ac Francorum Regi Ludovico cum multis Principibus ſuæ gentis illuc tendenti conſociantur. In itinere itaque multa pericula paſſi, plurimisque diverſo modo conſumptis, Cunradus Rex cum ſuis, mari emenſo, Ptolemaidam applicuit, ac inde itinere terreno Jeroſolymam veniens, cum maximo tripudio, à Patriarcha, à Rege & Univerſis civibus ſuſcipitur. Poſt hoc quoque Ludovico Francorum Rege cum reliqua parte exercitus pari honore ſuſcepto: contra Sarracenos procinctum movent. Regione itaque paganorum diverſis modis igne ferroque profligata, Damaſcum obſidione cingunt, ipſam Urbem, pro paganis poſſe reſiſtentibus, toto niſu impugnant. Itaque pagani vim Chriſtianorum non ſuſtinentes, conditiones, militibus templi mediantibus, pro velle Principum ſtatuunt, ſicque obſidione ſoluta exercitus Chriſtianorum diſceſſit, ac Jeruſalem veniens cum triumpho ſuſcipitur.

Fridericus Barbaroſſa Suevorum Dux.

Conradi Cæſar. in Syriā expeditio.

His diebus Petrus Bajulardus prava de Trinitate dogmatizans, hæreſin Arrianam reſuſcitare molitur: contra quem venerabilis Abbas Bernhardus, velut contra Eccleſiæ hoſtem, inſurgens, viva voce ſcriptisque ipſum magnifice convincens, hæreticum probavit, ſcriptisque ejus ſynodaliter examinatis ab Apoſtolico & damnatis, ipſi de cætero ſilentium impoſuit.

Petrus Abelardus.

CAP. III.

ANNO incarnationis Dominicæ M. C.XLVIII. Cunrado Rege repatriante, Henricus Noricorum Dux, filius Leopaldi, ſororius Henrici Imperatoris, frater Cunradi Regis filiam Imperatoris Conſtantinopolitani, prius ſibi in itinere deſponſatam in matrimonium accepit, & ex ea Leopaldum, patrem Leopaldi Ducis Orientalis & Friderici fratris ſui, qui trans mare obijt, Ducem ſtrenuiſſimum, genuit. Hic Henricus Dux bello cum Ungaris habito victor extitit, ipſosque de terminis ſuis, multis ex eis occiſis, gladio fugavit.

CAP. IV.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LII. Cunradus Rex moritur, eodem ſcilicet anno, quo hoſpitatus eſt in civitate Friburgenſi, Spiram deportatus exequiis regalibus ſepelitur, anno regni ſui XV.

Giſilberti Pictavienſis ſcripta reprobata.

His temporibus Eugenius Papa Synodum Epiſcoporum congregavit, cui per ſe præſidens, multaque prava corrigens, inter cætera librum Giſilberti Pictavienſis Epiſcopi ſuſpectum, eo præſente examinavit, in quo ſuper verba Boetij de Trinitate, ſana quidem & canonica, malè commentatus eſt, hoc modo: *Pater eſt veritas id eſt verus: Filius eſt veritas, id eſt verus: Spiritus Sanctus veritas, id eſt verus. Et hi tres ſimul non tres veritates, ſed una veritas, id eſt unus verus.* Quæ expoſitio Papæ cæterisque Epiſcopis perverſa viſa eſt, omninoque ſuſpecta: quod ſecundùm Auguſtinum, Deus non niſi ea magnitudine magnus eſt, quæ eſt quod ipſe: & non niſi ea veritate verus eſt, quæ eſt quod ipſe, alioquin illa erit major magnitudo vel veritas, qua Deus magnus vel verus eſt, quàm ipſe: quod fateri abſurdiſſimum eſt. Hanc expoſitionem venerabilis Abbas Bernhardus in libro ſuo ſuper Cantica Canticorum, capitulo LXXXI. ſic correxit: *Pater eſt verus, id eſt veritas: Filius eſt verus, id eſt veritas, Spiritus ſanctus verus, id eſt veritas.* Sicque verbis tantùm tranſpoſitis, ſanus eſt intellectus. Idem liber in nonnullis à vera fide viſus eſt diſcrepare, & ideo ſynodaliter reprobatus, & damnatus eſt, Epiſcopo libri ipſius auctore humiliter conſentiente, ipſumque ore proprio damnante: ſicque ſolutum eſt Concilium.

CAP. V.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LIII. Fridericus Dux Suevorum, mortuo Conrado patruo ſuo, à Principibus Rex creatus, nonageſimus quartus ab Auguſto regnavit. Eugenius Papa obiit, cui Anaſtaſius ſucceſſit. Eodem anno piæ memoriæ beatiſſimus Bernhardus Abbas Clarævallenſis, Doctor egregius, ac multorum monaſteriorum Pater, XIII. Calend. Septembris migravit ad Dominum.

Anaſtaſius Papa obijt, cui Adrianus ſucceſſit, in ordine centeſimus ſexageſimus.

CAP. VI.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LIV. Henricus Dux Saxoniæ, filius avunculi Friderici Regis, filius Henrici ex filia Imperatoris Lotharij, ducatum Noricum ſui juris hæreditate paterna affectans, cum Henrico filio Leopaldi, patruo Friderici Regis qui eundem Ducatum beneficij loco à Rege Cunrado acceperat, toto niſu contendit: Henrico non minore ambitione ſibi reſiſtente. Quorum litem Fridericus Rex ſedare cupiens, utrunque enim linea conſanguinitatis tangebat, conſilio Principum taliter definitum eſt, ut Marchia Orientalis, quæ prius ducatui Norico jure beneficii ſubjacuit, à Ducatu ſejunctum, per ſe ſubſiſtens nulloque reſpectu juris Duci Bavariæ ſubjacens, Ducatus jure & nomine conſtaret, hocque Henricus filius Leopaldi Principis jure & Ducis nomine & honore ſublimatus, contentus eſſet: Ducatu Norico Henrico Duci Saxoniæ cedente. Ad hæc utroque conſentiente, lite deciſa, qui prius Marchio, Dux

Lis de ducatu Bavaria ſublata.

Auſtria Ducatus titulo decoratur.

Dux Orientalis deinceps dictus est. Sicque Henricus fratruelis Welfonis Ducatu Bavariæ & Saxoniæ potitus, hæreditatem paternam consequitur.

CAP. VII.

Polonia Cæsari tributaria.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LV. Fridericus Rex contra Ducem Polonorum procinctum movens, regionem ipsius armata manu ingressus est: transito que præter spem quodam fluvio cum exercitu, regione devastata, ipsum ad deditionem coëgit, ac censum jam per aliquot annos neglectum, reddere compellens, & expeditionem Italicam ipsi indicens, omnimodam subjectionem sacramento sibi firmari fecit. Quo promisso omnimode frustratus est. Nam post regressum Regis periurus effectus, nec expeditioni interfuit, nec cætera quæ sacramentis firmaverat, custodiens, iram denuo Regis promeruit.

Friderici inauguratio.

Eodem anno dispositis pro voluntate sua in Gallia & Germania rebus universis, Fridericus Rex, contracto ex omnibus regni visceribus exercitu validissimo, procinctum movit in Italiam: ubi multis pro libito consummatis, omnibusque rebellibus subactis, Terdonam, quæ sola restabat, obsidione cinxit, expugnatamque cepit & destruxit. Exin ad Urbem tendens, Romanis resistentibus Urbe arcetur, quos forti aggressione in brevi expugnans, multis occisis, favente sibi Adriano quarto Apostolico Urbem ingreditur, ab eoque consecratus, Imperatoris & Augusti nomen, nonagesimus quartus ab Augusto, sortitur. Romanis interim seditione mota, cum exercitu Imperatoris confligentibus, tandem fugatis & victis ad deditionem coactis, omnibusque ibidem benè dispositis, suadentibus Coloniensi Archiepiscopo, & Hermanni Constantiensi Episcopo, & quibusdam aliis Principibus, ad ulteriora contra Wilhelmum filium Rogerij, qui Apuliam usurpato regio nomine tenebat, progredi disposuit. Sed ab aliis dissuasus, hoc in posterum differens, ad cisalpina revertitur: in quo itinere insidias à Veronensibus passus, ipsis non impunè talia licere necessariò iratus, sic ostendit. Ponte enim ejus jussu ad transponendum exercitum per Athesim fluvium à Veronensibus navibus compactis structo: quidam Albericus ex ipsa civitate & aliunde latronum manu in immensum conflata, præparatis quibusdam natatilibus instrumentis, in superioribus fluminis insidias tetendit, ut parte exercitus fluvium transeunte, ipsi ijsdem instrumentis compage navium dissoluta, reliquam partem exercitus citra remanentem, pugna invaderent. Sed sicut conatus eorum invanum, sic eventus cessit in periculum. Machinati enim, uti dictum est, ubi statuerant Imperatorem invadere, ipse jam copijs ex toto fluvio transpositis, progressus fuerat, jamque cum omni exercitu ad Alpes tendebat. Illi itaque per notum sibi compendium præcurrentes, in angustijs Alpium, parte exercitus jam progressa, Imperatorem cum reliquis offendunt: ac nisi pecunia se redimat, viam sibi intercludi belloque congredi minantur. Imperator itaque semper & ubique imperterritus, tale pactum cum latronibus Imperatorem inire dedecorosum existimans & hoc protestans, cum exercitus parte quæ substitit, restabat, ac se ad confligendum modis omnibus præparavit. Igitur Otto Palatinus de Witilisbach senior, pater Ludovici Ducis, qui postmodum Bavariæ Dux effectus est, lectis de exercitu strenuis, valle gyrata, hostibus inscijs, signo retecto, montana ascendit, ipsosque à tergo signo dato cum clamore invadens, in præcipitium compulit: sicq; omnibus morti datis, captos ex eis XII. præcipuos Imperatori tradidit: ex quibus XI. patibulo suspensi, uno dimisso, qui reliquos illaqueaverat. Imperator per vallem Tridentinam triumphans gloriosè repatriavit, jamque Alpibus transmissis exercitum ad propria remisit.

Veronenses Imperatori viam præcludere tentant.

CAP. VIII.

Lundonensis Episcopus in Burgundia capitur.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LVI. Episcopus Lundoniensis, cum quodam alio Episcopo collega suo, à Romana curia recedens, ac per Burgundiam repatriando iter faciens, à quibusdam capitur, rebusque omnibus denudatus, lucri gratia in custodiam mittitur, dissimulante Imperatore, querimoniamque pro

hac re parvi pendente. Qua de cauſa Dominus Apoſtolicus legatos ſuos ad Imperatorem miſit. Qui Biſuntium, ubi generalem curiam tunc temporis Imperator habebat, venientes, literas Apoſtolicas Imperatori coram Principibus repræſentant: quibus pro diſſimulata captivatione Lundonienſis Epiſcopi redargutus, Imperium de manu Apoſtolici ſe recepiſſe admonetur. Quo audito, Imperator & omnes præſentes Principes maxima indignatione accenſi, quod quaſi jure beneficij ſub homagio Cæſarem Imperium à ſe ſuſcepiſſe Papa gloriaretur: & cum clamoris maximo ſtrepitu in legatos omnes invecti, vix manibus temperabant; indignum ducentes, tali contemptu Romanos gloriari. Unus autem legatorum quaſi pro Apoſtolico loquens, ſtolidiſſimè his ita reſpondit: Si ergo à Domino Apoſtolico non habet, à quo habet? Quibus verbis commotus Otto Palatinus de Witilinsbach, qui gladium majeſtatis Imperatori aſtans tenebat, ipſo gladio evaginato impetu in Cardinalem facto, vix ab Imperatore retentus eſt, quin exitio Cardinalem dederit. Tandem multis injurijs impetiti, à conſpectu Cæſaris eliminantur, divertendiq; ad Epiſcopia vel cœnobia quæſtus gratia, occaſione omnino interdicta, via Regia Romam reverti jubentur. Qui reverſi, Apoſtolico injuriam ſibi irrogatam conqueruntur, ſeque vix mortem evaſiſſe proteſtati ſunt. Imperator autem miſſis literis in omnes regni terminos, cunctis Principibus irrogatam Imperio à Papa & Romanis calumniam, conqueſtus eſt, & ulciſci dedecus Imperij ſummopere nititur.

Papa legati in aula imperiali malè tractati.

CAP. IX.

ANNO ab incarnatione Domini MCLVIII. Principes verentes, ne controverſia inter regnum & ſacerdotium in immenſum conflata, Rempublicam involveret exitio, Apoſtolicum per Epiſcopum Babinbergenſem & alios Romam directos, eadem de cauſa conveniunt, & ut Imperatorem literis minoribus & aliis nunciis, de notabili priorum literarum arrogantia, ſe excuſans, placaret, dant conſilium. Apoſtolicus autem audiens, nuncios Cæſaris, Cancellarium videlicet & Ottonem Palatinum Italiam intraſſe, negotiaque Imperii potenter diſponere (nam conventus imperatorios abſque Imperatore, imò curias ſi dici fas eſt, cum Epiſcopis Italiæ, qui XV. numero quodam conventu congregati erant, & cum aliis Italiæ Principibus celebrabant) timens quoque ſuperventurum Cæſarem; ſalutifero eorum conſilio conſenſit, ac ſupplicibus literis, cum condigna ſalutatione, per idoneos legatos de objectis ſe excuſans, mediantibus Principibus Cæſarem placavit, & à priori indignatione revocatum, animo æquiorem reddidit: ſicque Imperatoris ira contra Romanos excitata, ad tempus quievit.

Papa Imperatorem placat.

CAP. X.

CIRCA hæc tempora Fridericus Imperator generalem Curiam cum maxima Principum frequentia apud Conſtantiam habuit, ibique coram Hermanno Epiſcopo in choro Conſtantienſi uxorem ſuam, filiam Marchionis de Vohiburch, Adelheidam nomine, cauſa fornicationis ſæpius infamatam, repudiavit, eique poſtmodum filiam Reginboldi Principis ac excellentiſſimi Comitis Burgundiæ, nomine Beatricem, ſuperduxit. Ex hac Beatrice genuit, Fridericum Ducem Sueviæ, Henricum Imperatorem, Cunradum Ducem, Ottonem Comitem Burgundiæ, Philippum Regem, qui omnes in brevi perierunt.

Fr. Imperator uxorem repudiat.

Liberi Imperatoris.

CAP. XI.

ANNO Dominicæ incarnationis MCLVIII. Fridericus contra Wilhelmum, Rogerij filium, invaſorem Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, expeditionem inſtaurans, à Mediolanenſibus rebellantibus multis injuriis affectus, in ipſos arma convertit, & per vallem Tridentinam ſubitò in Italiam exercitum duxit, ac ad plana perveniens, præcipuè Papienſium & Cremonenſium ope, Italico exercitu admodum roboratus, Mediolanenſes hoſtes pronunciavit, totaque Liguria igne ferroque profligata, Cremenſes Medio-

Mediolanensium fautores, obsidione cinxit: multisque diebus diversisque modis attritos, tandem per conditionem suscipiens, ut vita donati Provincia cederent. Civitate tradita, ipsam funditus evertit, ac deinde contra Mediolanenses aciem direxit. Itaque signis contra Mediolanum erectis, Imperatore nesciente mille de exercitu milites instructissimi contra Mediolanenses prorumpentes, cives ante portas ad bellum ordinatos, offendunt. Quos incautè aggredientes, alacriter à civibus suscipiuntur, pugnaque conserta, multis hinc inde occisis, milites Cæsariani, præ paucitate sui vim civium non ferentes, fugam ineunt. Quo peccato militum Cæsar irritatus, à vindicta vix se continuit, ac interdicta tali præsumptione in posterum, militibus data venia, Urbem obsidione undique vallavit. Cecidit in hac congressione ex parte Cæsaris, Egebertus Comes de Butingon & alij plures. Itaque cives Cæsaris industria undique arctati, fortiter resistunt, ac illatum sibi damnum viriliter recompensantes, portis sæpius erumpunt, patratisque hinc & inde præclaris facinoribus, hinc inde multis occisis, non sine maximo exercitus damno portis recipiuntur. Quadam enim eruptione cum Cæsarianis, ubi Italicis militibus obsidebantur, congressi, Wernherum Italicum Marchionem præstantissimum, cum multis aliis occiderunt, de cujus nomine dicitur adhuc, Wernheri marchia. Ex ipsis autem civibus quotidie multi passim machinis & congressionibus perimebantur, ac diversa sorte pessundati, multis malis atterebantur.

Mediolanum obsessum.

Marchia Wernheri.

Cives itaque Cæsaris impetum non sustinentes, arcta quippe obsidione, omnibusq; bellicorum instrumentorum machinis impugnatos, admodum attriverat: conditione pacis mediante Friderico Duce de Rotinburch, Henrico Duce Bavariæ & Saxoniæ Bertolfo Duce Zaringiæ, nec non & Rege Bohemiæ, ab Imperatore quærunt, multoque auri pondere imperatrici collato, nec non infinita pecunia Imperatori, vix impetratam pacem tali modo accipiunt. Pace data dies statuitur, in qua cives se suaque omnia in manus Cæsaris contraderent, sicque obtentu Principum gratiam ejus invenirent. Qua veniente, Imperator procul à civitate per quatuor fermè milliaria Latina secessit, inque tribunali ambitiosissimè instructo, cum frequentia Principum resedit, cuncto exercitu per turmas suas tractu longissimo à civitate usque ad locum tribunalis extento, totiusque militaris gloriæ apparatu decentissimè instructo. Via itaque per medium exercitum usque ad Imperatorem civibus patefacta: primò procedit Archiepiscopus, Sacerdotalibus indutus, nudis pedibus, cum omni clero & cæteris ordinibus Ecclesiasticis, simili habitu, lugubri facie reliquias sanctorum gestantes. Post hos Consules aliarumque dignitatum Barones, cum omnibus liberæ conditionis ordinibus nudis pedibus, sagis induti, exertis gladiis collo impositis. Post hos servilis conditionis cum omni vulgo torque collo innexo, eadem via suo quisque ordine venientes, pedibus Imperatoris provolvuntur, seque Majestatis reos verbis & gestibus profitentur. Principibus ergo pro eis supplicantibus, subjectioneque omnimoda Sacramentis firmata: Imperator ad misericordiam flectitur, ipsosque vitæ & civitati, pristinisque honoribus redditos, de malis pejores (sicut in sequentibus ostendemus) reddidit: sicque soluta obsidione cum exercitu discessit.

Mediolanenses Friderico sese dedunt.

CAP. XII.

HIS diebus Petrus Lombardus & Petrus manducator apud Parisios Magistri insignes claruerunt, multaque Ecclesiæ profutura conscripserunt: è quibus Lombardus librum Sententiarum quatuor distinctionibus ordinatum, confecit. In prima distinctione de Trinitate, quæ Deus est, subtilissimè tractans: in secunda, de creatione rerum primordialium; in tertia, de incarnatione verbi: in quarta, de Sacramentis Ecclesiasticis. Præter hæc in Apostolum, nec non Psalterium continuas glossas luculenter admodum exposuit, Deoque digna conversatione degens, apud Parisios vita decessit. Librum Scholasticæ Historiæ utilissimum confecit, à principio Geneseos incipiens, Pentateuchum, librum Josuæ, Judicumq; & Ruth continuavit: libroq; Regum Paralipomenon includens, cum ultimis Esaiæ Tobiam complectitur, transmigratione cum morte Godoliæ & visionibus Danielis descripta, Esdram, Hester, Judith, librumq; Machabæorum diligenter persequitur. Exin Josephum sequutus, à Johanne Hircano usq; ad regnum Herodis, nativitatemq; Christi

Liber Sententiarum P. Lombardi

Historia Scholastica.

Christi historiam deducit, Evangelioque complexo in actibus Apostolorum post totum concludit: obscura quæque dilucidans, ambigua certa faciens, traditionesque Hebraicas cum incidentiis historiarum notas faciens, Ecclesiasticarum traditionum diversas species inducit. Præter hæc librum sermonum mira subtilitate composuit, in quo præter alia utilia, moralitatem mentibus mortalium miro modo inculcavit.

CAP. XIII.

Schisma de Papatu.

ANNO Dominicæ incarnationis, M.C.LX. Adriano Papa mortuo, factum est schisma in electione, quibusdam Octavianum Cardinalem, Victorem vocatum, eligentibus: aliis Ruolandum Cancellarium, Alexandrum dictum, inthronisantibus. Divisis itaque tali schismate Cardinalibus, novem numero in parte Victoris, undecim in parte Alexandri consistentibus, res ad Imperatorem refertur. Qui habito Principum consilio, ab ipsis tale schisma Majestate Imperatoria sedandum esse, data sententia generalem curiam omnibus regni Principibus, ad ineundum pro statu Ecclesiæ Concilium, Papiæ in Epiphania indixit. Missisque literis suis omnibus cismarinis Regibus, utpote Regi Ungariæ, Angliæ, Daciæ, & omnibus Regibus Hispaniæ, ut Episcopos suorum regnorum ad hoc Concilium, pro status Ecclesiæ necessitate, dirigerent, rogavit. Extant diversæ ad diversos utriusque partis de hac causa Epistolæ, suum quæque pars electum canonizare cupientium, sicut in gestis ad Ottonem Frisingensem Episcopum plenariè describitur.

Concilium Papiæ pro schismate sedando.

NB..

Igitur ex omnibus mundi partibus Ecclesiasticarum & secularium Principum personis, cum infinita multitudine clericorum, laicorum, nobilium sive ignobilium, ad hanc curiam Papiam confluentibus: Concilio ab Episcopis habito, exclusis primùm cum Imperatore laicis, Octavianus qui & Victor, cum sua parte, judicio istius Concilij se præsentavit, seque judicium Ecclesiæ humiliter subire profitetur. Ruolandus autem qui & Alexander cum sua parte se canonicè utpote à majori & saniori parte electum affirmans, nec summum Pontificem à laico citari, omnesque ipsius judicio subjacere, & ipsum à nemine judicari debere contestans, huic Concilio se absentavit, nec responsales aliquos pro se destinavit. Cujus absentatione Concilio præsidentes permoti, electionem Domini Victoris canonicam judicantes, Alexandro reprobato, ipsum in summum Pontificem, favente Imperatore, omnibus præsentibus, receperunt: omnique obedientiæ reverentia ei exhibita, pedibus ejus utpote Apostolici cum oblationibus osculatis, Concilium solvitur: ascendentique Imp. strepam pro sacerdotali reverentia tenens, se favorem & auctorem promotionis ipsius ostendit. Alexander autem cum majori parte Cardinalium, vim Cæsaris non sustinens, Urbe cessit, ac in partes Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, Apostolica nihilominus utens auctoritate, se contulit, fautoresque Victoris cum Concilio Papiensi detestans, in potestate Wilhelmi Regis Siciliæ mansit aliquandiu.

Victor Papa à synodo approbatur.

CAP. XIV.

ANNO ab incarnatione Domini M. C.LX. Fridericus Imperator convocatis omnibus Italicis Baronibus, generalem Curiam apud Roncaliam, cum maximo Principum conventu celebravit: ibique renovatis antiquis legibus, novas de suo promulgavit, ac diversis Imperij negotiis expeditis, jura desueta in consuetudinem reduxit, & quo juris genere civitates Italicæ subjacerent Imperio, judicialiter exquisivit. Quod à Principibus & legum Dominis diligenter examinatum, generali omnium sententia judicatur: omnia regalia civitatum, utpote monetas, telonea, navigia, nec non & dignitates potestatum, Consulum, judicium ad jus spectare Imperij, electasque à civibus ad has dignitates personas, de manu Imperatoris jure beneficij easdem suscipere, nec sine ejus consultu suspectas deponere. In hac etiam Curia, jam per multa tempora oblivioni & neglectui datos, ad XX. millia talentorum annuos reditus Imperio acquisivit. Præterea vectigalia antiquitus constituta, nec non exactiones pro Imperij necessitate exigendas in rationem Cæsaris, ubi, quando, & à quibus, & quomodo tractentur, decretum est, & edicto confirmatum.

Quo jure Italicæ Urbes Imperio subsint.

Fridericus Imperij jura in Italia renovat.

Ad quæ promulganda & instituenda nuncij Imperiales per Italiā destinantur: inter quos præcipui

præcipui Cancellarius, Otto Palatinus de Witilinsbach, Wido Comes Blanderatenſis, Gozuinus Comes fuerunt. Qui peragratis eadem de cauſſa pluribus civitatibus, Mediolanum venerunt, convocatisque in concionem civibus decreta Imperialia pandunt, & ad hæc exequenda conſtanter inſiſtunt cives, utpote talium inſueti, edicta Imperialia ſpernunt, expulſisque cum dedecore legatis, rebellionem toto niſu denuò moliuntur. Igitur legati vix fuga elapſi, ad Imperatorem redeuntes, ſuam injuriam rebellionemque Mediolanenſium referunt, ipſumque ad ulciſcendum ſummopere incitaverunt. Qui nil moratus, ignominiam Imperij Principibus conqueſtus, militem inſtaurat, contra Mediolanum procinctum movens, igne ferroque cuncta demolitur. Liguribus itaque pro poſſe reſiſtentibus, Cæſar inito cum Papienſibus conſilio, ipſos ad rapienda Mediolanenſium in paſcuis pecora immiſit, ſecum lectiſſimis militibus in inſidiis collocans. Papienſes itaque ad raptum pecorum effuſos eaque abigentes, totis viribus Mediolanenſes inſequuntur, Cæſaremq; ordinatis legionibus ex inſidiis erumpentem incidunt, eique neceſſitate cogente bello congrediuntur. Cujus impetum ferocitatemque Teutonicorum in acie non ferentes, multis occiſis, quingentis & nobilioribus captis fugam ineunt, & ſe in civitatem recipiunt: ſicque Imperator victoria potitus, magnificè de Mediolanenſibus triumphavit, ac caſtellum Trecenſe, ubi præſidia eorum fuerant, aggreſſum expugnavit, captisque vel occiſis caſtellanis, ſuos inibi collocavit. Ligures, Cæſare exinde digrediente, civitate effuſi, expugnatum caſtellum funditus diruunt, captisque Cæſarianis, Latinos tormentis adactos occidunt, Teutonicis reſervatis.

Mediolanum à fide Imp. deſciſcit.

Clades Mediolanenſiū.

CAP. XV.

ANNO Dominicæ incarnationis, M. C. LXI. Fridericus Imperator vires Imperij omnibus Italicis, in Mediolanenſes oſtenſurus, coacto in unum exercitu, ad futurum certamen ſe modis omnibus præparavit: miſſisque ad ciſalpina literis, ex omnibus Imperij finibus auxilia contraxit. Rex quoque Ungariæ cohorte militum cum ſagittariis Cæſari miſſa exercitum ampliavit. Itaque ex diverſis Regnis & Regionibus exercitu coadunato, primò in auxiliarios Mediolanenſium arma convertit, ac Placentinos in multitudine turrium ſuarum confidentes, obſidione cinxit, fortique aggreſſione expugnatam, turribus univerſis dejectis, civitatem ipſam ſolo coæquavit. Exinde ad Mantuanos divertens, cunctis ad eos pertinentibus igne ferroque profligatis, ipſos ad deditionem coëgit, omnesque civitates Mediolanenſibus faventes, aut dedi fecit, aut funditùs evertit: novamque Laudam inter Mediolanum & Placentiam, ad receptionem exercitus à fundamentis ædificavit, & in ea ſedem belli contra Mediolanenſes conſtituit. Igitur Mediolanenſes undique bello videntes ſe impeti, futuris cladibus idoneos omnimodis ſe præparant, foſſatis, muris, turribus ac diverſis miſſilium machinis, armis, ac ciborum ad ferendam obſidionem neceſſariis, civitatem ſuam totam induſtria muniunt, ſeque ad reſiſtendum ſummo niſu inſtruxerunt, ſed inaniter. Nam animoſitatem Cæſaris pondusq; Imperij ferre non prævalens, contra impetum fluminis conari eſſe periculoſum, majeſtatique non cedere ſtultum, Mediolanum civitas egregia caput Liguriæ, totiusque Italiæ flos funditus everſa, liquidò demonſtravit.

Apparatus contra rebelles Mediolanenſes.

CAP. XVI.

ANNO incarnationis Dominicæ M. C. LXII. Imperatrix, comitante eam Cunrado Auguſtenſi Epiſcopo, nec non & Welfo Dux, multique noſtrarum partium nobiliores cum militia transalpinantes, Imperatori conjunguntur, coactoque in unum corpus exercitu, & ad C. millia pugnatorum computato: Mediolanum denuò obſidione cingitur, ac diverſis magnis tota induſtria impugnatur. Cives autem neceſſitate cogente (nihil quippe neceſſitate pugnatius) pro Patria, pro Parentib. pro liberis & uxoribus, poſtremò pro vita, ſæpiùs audaciſſimis erumpentes incurſibus fortiter reſiſtunt: miſſilibus inſuper ſagittis, jaculis de propugnaculis hoſtes arcentes. Cæſar autem diſpoſitis undiq; contra incurſus eorum præſidiis, ipſos diverſis miſſilium machinis, baliſtis, arietibus, omnique telorum genere aggreditur, militibus in conſpectu Cæſaris pro gloria, honore, præmio, ambitione, oſtentatione alaciter pugnantibus, multis hinc inde paſſim procumbentibus. Tandem diverſis attriti cladibus, miſeri cives dextras petunt, ac multis modis iram

Secunda Mediolani obſidio.

iram Cæsaris sedare tentantes, nullo modo nisi hac sola conditione proficiunt, scilicet, ut traditis armis Urbem relinquentes egrediantur, vita tantum rebusque necessariis, licet exiguis, sibi indultis. Quo pacto accepto, cum maximo luctu egressi, hostibus civitatem relinquunt, ac sub oculis dilecta mœnia omnimodis destrui conspiciunt. Ingressus enim Imperator cum toto exercitu, immensa ac ditissima spolia, in Ecclesiasticis thesauris aliisque rebus pretiosis, diripuit, reliquiisque Sanctorum, quibus hæc civitas egregiè nobilitata fuit, per Ecclesias collectis, ac cum magna reverentia asportatis: tres Magos, qui cum muneribus stella Duce Christum in cunabulis adoraverunt, inibi inventos, Regi-noldo Coloniensi Episcopo, qui in hac obsidione cum sua militia præcipuè claruit, dono dedit: quos venerabilis Pontifex ad cisalpina transferens, Coloniensi Ecclesiæ intulit, hisque patronis totam Germaniam illustrans, universam Teutonicorum gentem magnificè nobilitavit. Incorrupti enim & quasi adhuc vivi in singulis de pretioso metallo sarcophagis, in eadem Ecclesia hactenus reservatur. Igitur Cæsare, ut præscriptum est, Mediolanum ingresso, nunc diruto, turribus dejectis, totam civitatem à fundamentis ac omnibus modis inhabitabilem reddens, igne postremò reliquias omnino consumsit, divisisque in quatuor partes civibus, regione inculta ipsis ad inhabitandum concessa, quatuor eos oppida ædificare jussit, ipsosque uti dictum est, per partes divisos ea incolere fecit.

Mediolanum subvertitur.

Tres Magi Coloniam deportati.

Igitur confecto bello Ligurico, Imperator Principibus grates pro industria referens, militibusque dona pro meritis liberaliter largiens, nobili triumpho repatriavit, ac multis diebus desolatam sua præsentia Germaniam, cum inæstimabili totius exercitus tripudio, demum revisit, ac aliquandiu cis alpes manens, colloquia diversa in diversis regni locis pro negotiis Imperij cum Principibus habens, cuncta pro libito benè disposuit, ac judicia exercuit.

CAP. XVII.

Tertia Imperatoris in Italiam profectio.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LXIII. Fridericus Imperator tertia vice, sed sine instructu bellico, Italiam ingreditur, ibique sicut & in Germania diversis placitis, cum Italicis Baronibus per loca habitis, negotia Imperij inducialiter exercuit, ac per aliquod tempus cum eis quietus permansit.

CAP. XVIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXIV. Victore uno Pontificum Romæ defuncto, Paschalis ab his, à quibus & Victor prius electus est, substituitur, Alexandro adhuc sedente. Eodem anno Hugo Palatinus de Tuingin tres latrones, quorum duo sui homines erant, tertius Ducis Welfonis, apud Moringen capiens, suos abire permisit, suspenso illo qui Welfonis erat. Pro quo Welf iunior permotus, maxima indignitate in Palatinum exarsit, & igne ferroque acceptam injuriam ulciscitur. Palatinus itaque à Duce arctatus, ad Fridericum Ducem de Rotinburch, filium Cunradi Regis se contulit, auxiliumque ejus contra Welfonem nanciscitur. Igitur Welf Bertoldo Duce de Zeringin in adjutorium ascito, ac ab utroque summo studio exercitu congregato, contra Palatinum & Ducem Fridericum procinctum movent, ipsosque apud Tuingin invadunt, à quibus non segniter excipiuntur cum expeditis militibus: consertaque pugna Duces à Palatino fugantur, captis de eorum exercitu nongentis militibus. Quo infortunio filij welf senior inflammatus, militem instaurat, venienteque Bertoldo Duce cum militia sibi in adjutorium, cunctis rebus Palatini igne ferroque profligatis, castrum Chelmuntz obsedit, ac post aliquot dies expugnatum funditus destruxit. Exinde ad castrum Hildratshusin divertens, simili modo expugnatum destruxit, ac inde per Gilstin transiens, turres Ecclesiæ pro castello munitas à fundamentis evertit. Deinde castrum Wilare obsidione circumdedit, ubi aliquantisper moratus, castrum forti aggressione captum, destruxit, omnibusque Palatini prorsus igne consumptis, dimisso Duce Bertolfo, cum victoria in Sueviam rediit. Interim Dux Fridericus de Rotinburch, educto Bohemico exercitu, Welfonem insequitur, ac apud Gaizibron morantem, primæ noctis vigilia de repente facto incursu, Welfonem expergefactum cum suis in castrum Ravensburch fugavit. Sed non impunè cessit eis hæc temeritas. Nam quidam de nobilissimis

Bellum inter Suevia dynastas.

bilissimis Bohemicis Baronibus Henricus de Landsberch in ipso impetu occiditur, inibique cum maximo planctu à suis sepelitur: succensisque quibusdam Welfonis territoriis, ad propria revertuntur.

CAP. XIX.

ANNO incarnationis Dominicæ M.C.LXV. auditis per Principes in cisalpinis partibus regni devastationibus, Fridericus Imperator ex Italia regreditur, ejusque jussu dimissis à Palatino captivis militibus Welfonis, generalis curia in quadragesima apud Ulmam Principibus indicitur. Quo Welf cum fratruele suo Henrico Duce Saxoniæ, & Bavariæ, & Bertolfo Duce de Zeringin, ac multis alijs terræ majoribus, perveniens, ab Imperatore honorificè cum filio suscipitur: ac Palatinus, ut sine omni conditione in manus ipsorum se tradat, pro injuria ipsis illata, aut regno cedat, ab Imperatore jubetur. Qui tribus vicibus coram Duce Welf in terram corruens, ipso suscipere dedignante, tandem receptus capitur, captusque in exilium Rhetiam Curiensem. ad castrum Nuinburch transportatur. Sicque Welfone placato, Imperator inde digreditur.

Hugo Tubingensis à Cæsare in vincula conjicitur.

CAP. XX.

ANNO incarnationis Dominicæ M.C.LXVI. Fridericus Imperator sedata, uti dictum est, Principum controversia, ac bene dispositis in Germania rebus, ex omnibus regni visceribus congregato exercitu Alpes jam quarta vice transcendens, procinctum movet in Italiam, indeque Apenninum transiens, ac per Tusciam exercitum ducens, in Marchiam Anconitanam divertit, & Anconam Urbem rebellem obsidione cinxit. Interea Reginoldus Coloniensis Archiepiscopus, antea pro negotiis Imperii ab eo digressus, dum cum sua militia rediret ad Cæsarem, in castrum Tusculanense juxta Romam aliqua tractaturus divertit. Quod ab exploratoribus Romæ compertum, Romani tota Urbe effusi, & ad XXX. millia pugnatorum computati, Archiepiscopum in castro, in ignominiam Cæsaris, obsidione repente concludunt. Quod Imperatori Anconæ nuntiatum, convocatis Principibus, utrum Episcopo dimissa Anconitana obsidione subveniendum esset nec ne, consuluit: quod à quibusdam Principibus & maximè laicis, sinistram famam de obsidione solvenda metuentibus, dissuadetur. Hac dissuasione Principum egregius Archiepiscopus Moguntiæ Christianus accensus, indigneque ferens, quòd laici Principes se & suos compares ita parvipensos periculo relinquerent: convocatis suis aliis, quos prece vel pretio potuit adipisci, quingentos milites & Cæsarianos octingentos, ad bellum instructissimos, coadunavit, sicque contra Romanos versus Tusculanum, ad liberandum Archiepiscopum, iter flectit. Quo perveniens, locatis ex opposito illorum castris, Romanos ea die, tantum ad quietem exercitus sui, pro pace per internuncios interpellat, virtutem liberalitatis antiquorum Romanorum eis ad memoriam reducens, per hoc postulata ab eis adipisci existimans. Ipsi autem in his & in alijs omnibus antiquis omnino dissimiles, se nolle acquiescere postulatis, respondent: sed ipsum omnemque ejus exercitum volucribus cœli & bestiis terræ in escam super faciem terræ ea die se daturos, arrogantissime minantur: & sic dimissa obsidione, XXX. millia pugnatorum contra quingentos milites Teutonicos, in aciem deducunt. Archiepiscopus autem tali responso ab eis recepto, nequaquam territus, nec enim inexpers fuit ante laborum, suos quamvis respectu illorum paucissimos, sed tamen admodum exercitatos, ad bellum promissis, minis, tota industria hortatur, & ne spem in fugam ponant, utpote à patria & exercitu Imperatoris, ad quam confugiant, remotissimi, sed genuinæ fortitudinis suæ, & innatæ hostium ignaviæ memores, pro vita totis viribus decertent, exhortando magnanimiter concionatur.

Quarta Imperatoris in Italiam profectio.

Moguntinus Coloniensi liberando se accingit.

Videns autem milites Teutonica animositate alacres (nam hortatu ejus insuperabilis quodammodo alacritas menti eorum incidit) acies ordinant, & qui primi committant, qui confertos hostes à latere irrumpant, qui subsidia pondere prælii laborantibus ferant, semetipsum ad ferenda cum lectissimis subsidia collocans, ordinanter dispo-

Romanorum exercitus à Moguntino funditur.

nit. Et sic signis rectis, extensisque in longum cohortibus, Deo spem suam committens, contra Romanos ad bellum procedit. Archiepiscopus autem Coloniensis cum Castellanis & suis omnibus, qui ad C C C. milites benè armis instructos erat computati, ad subveniendum se modis omnibus præparavit, & in castro usque ad congressionem silenter delituit. Igitur bello commisso, fractisque primitus militari concursu lanceis, res gladijs agitur: sagittarijs partis utriusque sagittis lucem diei in modum nivium obtenebrantibus. Et ecce Coloniensis cum expeditis militibus castello erumpens Romanos à tergo invadit, eisque fortiter cædendo instat: sicque bello ante & retro circundati, undique impugnantur. Romanis itaque tantum multitudinis impressione pugnantibus Christianus Episcopus cum suis aciem illorum à latere irrupit, eosque medio tenus dividens, tribus in locis artificialiter disjunctos cecidit. Itaque multis occisis, pluribus captis, Romani superati, fugam ineunt, ac Urbem versus à victoribus insequuti, cruentissima cæde mactantur. Præsules itaque militibus à cæde revocatis, ad locum belli redeunt, ac cum maxima lætitia triumphantes, noctem illam duxerunt.

XV. millia Romanorum occisa.

Mane facto, Romani ad tollenda cadavera occisorum, ad locum belli properantes, per Præsules, immissis in eos militibus, fugantur: reversique ad Urbem, vix evadunt. Tandem missis ad Præsules nuncijs, ut amore sancti Petri & respectu Christianitatis eis mortuos suos tollere liceret, suppliciter obsecrant. Quod à Præsulibus hac conditione est concessum, scilicet ut occisorum vel captivorum è prælio numerum ex sua parte computantes, sub attestatione jurisjurandi ipsis scripto præsentarent, & sic demum pace data, mortuos suos ad sepulturam tollerent. Qua computatione facta, invenerunt occisorum seu captivorum de suis hoc prælio numeratorum ad XV. millia: dataque licentia, cadavera occisorum demum cum maximo ejulatu tollentes, sepelierunt.

Roma à Friderico vi capta.

His auditis apud Anconam Cæsar & omnis exercitus, Ancona dedititia facta, soluta obsidione contra Urbem cum copijs tendunt, ipsam forti aggressione impugnantes. Cives itaque superiori bello exhausti & viribus enervati, imprimis utcunque mœnia defendentes, Cæsari totis viribus Urbem irrumpenti, maxima suorum clade accepta, cedunt, & ad Ecclesias & ad quæque munita confugiunt: præcipuè ad sanctam Mariam ante sanctum Petrum, & ad Ecclesiam beati Petri (quæ quasi castelli vice munierant) congregati, denuò pro posse resistunt. Milites autem Cæsaris Ecclesias armata manu aggressi, valuas Ecclesiæ beati Petri in securi & ascia dejecerunt, ipsamque ductore Friderico de Rotinburch, infesta signa usque ad altare ferente, occisione multorum polluerunt: sed & Ecclesiam beatæ Mariæ igne succendentes profligatis occisione sive captivitate inibi repertis, multa rapientes spolia profanaverunt: ut brevi illud Psalmistæ ad literam impletum esse videatur: *Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi & ascia dejecerunt eam: Incenderunt igni sanctuarium tuum in Terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.* Facta est hæc corruptio Urbis per Fridericum Cæsarem, in Julio mense, anno ab incarnatione Domini, M. C. LXVI.

Psal. 74.

Cæsar itaque hac utinam non consequuta victoria potitus, coronata Imperatrice ab Urbe recedit, statimque pestilentia tactum exercitum penè omninò extinxit. Nam à majoribus incipiens, juxta illud Ezechielis: *A sanctuario meo incipite*, primò in mortem Principum grassans, consumptoque in Principibus capite, deinde in reliquum corpus desæviit dira pestis. Nam Reginoldus Archiepiscopus Coloniensis, & Eberhardus Ratisponensis, & Godefridus Spirensis Episcopi obierunt. Præterea in partibus Tusciæ, Dux Fridericus de Rotinburch, filius Cunradi Regis, Berengerus Princeps de Sultzbach, & antea apud Sienem Welf junior, Welfonis Ducis filius, cum aliis Principibus, comitibus, liberis, Principumque ministerialibus, cum multitudine vulgi de exercitu hac pestilentia tacti, occubuerunt. Ossa itaque Welfonis in Alemaniam translata, à patre Welfone cunctisque ipsius terræ majoribus apud Staingadin cum maximo planctu recunduntur, nec non & Frid. Ducis de Rotinburch simili modo apud Hebera tumulantur.

Ezech. 9. Pestis Imp. exercitum populatur.

Staingaden cœnobium ord. Præmonst. diœcesis August.

Videntes Mediolanenses vires Augusti in exterminio exercitus concidisse: mutatione rerum animati præsente Augusto in sua vicinia, ex omnibus quibus dispersi erant locis congregati, ad ruinas Urbis suæ conversi sunt, ipsamque totis nisibus ac sumptibus reædificaverunt. Imperator verò morte suorum quamvis sauciatus admodum, tamen ignominiam talem à Mediolanensibus sibi exhibitam, ex necessitate temporis non dissimulavit: sed per Episcopatum ipsorum transiens, cuncta igne ferroque profligavit. Ipsi

verò

vero injurias suas ulcisci cupientes, Imperatorem ad montana tendentem, armati insequuntur. Apprehendens itaq; Imperator obsides, quos ab eis acceperat, dum Mediolanũ eorum civitatem subverteret, eosque in locis diversis suspendi præcepit. Quos cum Cæsarem insequentes invenissent suspensos, nimio terrore perculsi, unusquisque cadaver chari sui cum lamento reducens, Cæsarem insequi omiserunt.

Obsides Mediolanensiũ suspẽduntur.

Veniens igitur Imperator in civitatem Susam, quæ sita est in ingressu Alpium, fraude civium occidi tentabatur. Ipse autem ab hospite suo præmonitus, dolos eorum sic evasit. Ipsa enim nocte, cùm mane ad mortem quærendus esset à civibus, militem quendam sibi similem nomine Hartmannum de Sibeneich, in lecto suo collocari fecit, & ipse in habitu servi cum duobus egressus est. Mane autem facto, cives venientes Imperatorem quærebant, & responso accepto à cubicularijs, eum dormire, moram non patientes, fores effringunt, ipsoque non invento, cognoverunt eum effugisse. Dissimulata itaque ira propter metum Imperatoris elapsi, exercitum abire permiserunt, sicque evadens Imperator, transcensis Alpibus exercitum morte, morbo, omnique miseria confectum, in patriam reduxit. Et cum post hæc in Italiam redijsset, prædictam civitatem Susam funditus evertit.

Cæsaris periculum.

CAP. XXI.

ANNO Dominicæ incarnationis M C. LXVII. Paschali Papa defuncto, Calixtus ab his, à quibus prius Paschalis & Victor, substituitur, Alexandro in potestate sui usque adhuc consistente. Eodem tempore Fridericus Imperator reversus ad cisalpina, totam terram & universam substantiam Friderici de Rotinburch ditissimi, fidelis in possessione prædiorum Principis fratrueli sui, hæreditaria possessione possedit, ac multorum Baronum possessiones postmodum in suam potestatem contraxit. Welf verò Dux orbatus hærede in amisso filio, tactusque dolore cordis intrinsecus, Henricum Ducem Saxoniæ & Bavariæ fratruelem suum in hæredem adscivit: ab eoque pro hoc quantitatem pecuniæ exigens, dum consequi putat, frustratur promissis. Dux enim Henricus quorundam pravorum consilio, Welfonem jam grand ævum citò moriturum præsagiens, argentum pro constituto dare distulit. Welf iratus, Imperatori Frid.* sororio suo, recepta ab eo prius pro libito suo pecunia, primo beneficiis, scilicet ducatu Spoleti, Marchia Tusciæ, principatu Sardiniæ ipsi resignatis, omnia prædia sua ipsi condidit, eaque usque ad terminum vitæ pluribus alijs abditis recepit. Simili modo Rudolfus Comes de Phullendorf, sororius Comitis Rudolfi de Bregantia, omnia prædia sua hæredis loco Imperatori tradidit. Pro his Imperator Alberto Comiti de Habsburch, qui filiam Comitis Rudolfi in matrimonio habebat, concessit Turicensem comitatum, & advocatiam Seckingensis Ecclesiæ, cum prædiis conquisitis de Biedertan. Præter hæc multorum nobilium, qui hæredibus carebant, prædia, donatione vel pretio acqusivit: utpote illius de Suabegg, de Warthusin, de Bibra, de Horningen, de Swanhusin, de Biedertan, de Lentzeburch & de Werde, multorumq; aliorum in aliis regionibus, quæ nobis incerta sunt. Hæc enim omnia in sola Alemannia acquisierat.

Imperator Frid. de Rotinburch succedit.

** i. filio sororis.*

Comitatus Phullendorf

Præter hæc Burgundiam ingressus, terram soceri sui Reginaldi comitis, qui jam obierat, in ditionem suam redegit, ac regnum Burgundiæ cum Archisolio Arelatensi, quod Duces de Zeringen quamvis sine fructu, tantum honore nominis jure beneficij, ab Imperio jam tenuerant, à Bertolfo Duce extorsit: præstitis sibi trium Episcopatuum advocatia, cum investitura regalium, sc. Lausanensis, Genevensis, Sedunensis. Supradictorum etiam aliorum, quorum prædia in jus Cæsaris cesserant, omnia beneficia quæ ab Ecclesiasticis Principibus, Episcopis, Abbatibus sub dominio habuerant, filiis suis præstari faciens, pacativè possedit, liberosque suos omnes literis apprimè erudiri faciens, eos facultatibus reddituum excellentiis dignitatum per sortitas provincias delegaliter sublimavit. Nam Friderico, qui secundus natu erat filiorum, ducatu Sueviæ cum hæreditate Welfonis, & prædiis Rudolfi Comitis de Phullendorf, concesso: Cunrado verò dignitatibus, beneficiis & prædiis Friderici Ducis de Rotinburch ditato, Ottone Archisolio Arelatensi cum Burgundia, Reinaldi avi sui terra, sublimato, Henricum, qui

Regnum Arelatense.

Imperator filiis terras suas distribuit.

f 2 prior

prior natu erat, Regem post se designavit. Philippo adhuc infantulo, præter hæc omnia, res Ecclesiarum ab Episcopis vel Abbatibus sibi concessas vendicans sub jure hominij. Multa amore filiorum contraxit, quibus singulos cum delegata sibi dignitate admodum ditavit.

CAP. XXII.

ANNO Dominicæ incarnationis, M. C. LXX. Mediolanenses animum Imperatoris sæpius experti, ipsumque pro præsumptione reædificatæ civitatis suæ nimium metuentes, omnibus Italiæ civitatibus confœderati, præter Cumanos, Papien. Cremonen. cum aliquibus civitatibus sibi faventibus, qui cum Imp. sentiebant, ad futuram Imperatoriæ ultionis cladem se modis omnibus præparabant: spretoque in ignominiam Cæsaris Pontifice Calixto, Alexandro Papæ jam diu exuli obedientia firmata, ipsoque in Apostolicum suscepto, subjiciuntur, ac territoriũ Palense fossatis firmissimis & profundissimis cingentes, adductis electis ex omnibus sibi faventium civitatum Burgensibus in hanc colonis, civitatem firmissimam, utpote paludibus undique circundatam, non procul à Vercellis, Alexandriam, Alexandri Papæ nomine nuncupatam, construxerunt, ipsamque cibarijs: omnibusque ad futuram obsidionem necessarijs abundantissimè confertam ad sustinendam Imperij vim, ac contra vires totius Italiæ demonstrandas, studiosissimè munierunt. Imperator itaque his compertis, eis non impunè talia licere, dignum necessariumque existimans, undique contracto validissimo exercitu, quinta jam vice Italiam ingreditur, confluentibusque ad eum civitatibus auxiliarijs, procinctum Alexandriam versus movit, ipsamque civitatem obsidione cinxit.

Alexandria condita.

Cæsaris quinta expeditio in Italiam.

CAP. XXIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LXXI. obsessa est civitas. Hæc obsidio nulli priorum comparanda, tum loci munitione, tum civium resistentium atrocitate, tum militum Cæsarianorum oppressione & occisione, tum temporis diuturnitate. Nihil enim calamitati & periculis idoneum hic defuit: nihil patrandis in alterutrum immanissimis facinoribus impediens fuit. Nam Cæsare forinsecus balistis, arietibus, missilibus, omnique telorum genere, ac diversis machinarum instrumentis, turribus insuper ligno compactis civitate supereminentibus admotis, impositis militibus & sagittarijs fortiter Urbem impugnante obsessi, non minori virtute & industria similium machinarum instrumentis illatum sibi damnum recompensantes, magnanimiter vindicabat: ac sæpissimè ordinatis agminibus portis erumpentes, Cæsarianis gladiotenus congrediebantur, sæpe repentinis incursibus maxima patratis audacia, hostes adoriebantur.

Interea Mediolanenses & Veronenses conflato ex civitatibus sibi faventibus exercitu, cum Cæsare in obsidione civitatis posito, congredi statuerunt, ut & his qui obsidione premebantur opportunè occurrerent, & rursus ab eis adiuti faciliùs Imperatorem superarent. Quo comperto, Cæsar obsidionem solvit, & à civitate recessit, quoniam eam superare nequivit. Cives enim turres ligneas, quas Cæsar ad expugnationem ipsorum fecerat, cum armatis desuper consistentibus, per suffossionem his dejectis, igni concremârunt, magnumque ex hoc detrimentum exercitui intulerunt.

Obsidio Alexandria solvitur.

Cæsar itaque omnem reliquuum apparatum, quem ad expugnationem civitatis fecerat, scilicet talpas, vulpeculas, ericios, cattos (talibus enim censentur nominibus) exuri præcepit, venientique exercitui obviam processit, ut ante videlicet cum eis congrederetur, quàm cum Alexandrinis conjungeretur. Cum itaque jam ad invicem propinquassent, Italici Teutonicorum metuentes audaciam, missis ad Principes nunciis Cæsarem de pace rogabant, se suaque omnia dedentes. Cæsar igitur paci studens, eos in gratiam recipere statuit. Ipsi igitur se suaque omnia in manus Cæsaris offerentes, deditiçios rursus ostendit. Principibus igitur pro eis supplicantibus, subjectioneque omnimoda sacramentis firmata, in gratiam Imperatoris recipiuntur. Cæsar igitur cum exercitu Papiam recepit. Italicis ad sua loca remeantibus, Rege verò Bohemiæ cum suis repatriante. Imp. cum Consiliarijs suis cepit tractare, quomodo civitates, quas in gratiam receperat, disponeret, ut imperialia decreta conservaret, definitoque consilio, nuncios ad suos ad hæc promovenda direxit.

Lombardi Cæsari se dedunt.

Mediolanenses itaque videntes exercitum Cæsaris defluxisse, rursus rebellare præsumunt. Imperator igitur angustatus legatos in Germaniam pro supplemento exercitus direxit, simulque ad Henricum avunculi sui filium, Ducem Saxoniæ & Bavariæ, ut Clavennæ ad colloquium sibi occurreret: venientique obviam procedens, ut periclitanti Imperio subveniret, plus quam Imperialem decet majestatem, humiliter efflagitavit. Dux igitur Henricus, utpote solus ad subveniendum Imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus, Goslariam ditissimam Saxoniæ civitatem jure beneficij pro donativo ad hoc expetijt. Cæsar autem tale beneficium sibi invito extorqueri ignominiosum existimans, minimè consentit. Pro quo Henricus iratus ipsum in periculo constitutum recedens reliquit.

Mediolanenses iterum Cæsari resistunt.

Henricus Bavarus Cæsari auxilium denegat.

Imperator verò Papiam ingrediens, ipsos & Cremonensis cum Cumanis toto studio ad bellum ingruens confortavit. At illi congregata militia hostes alacriter præstolantur. Igitur Wormatiensis Episcopus cum alijs Baronibus de inferioribus Rheni partibus in Italiam transiens, cum instructa militia Cæsari conjungitur, ordinataque acie hostibus ex adverso cum infinito exercitu consistentibus (nam ad C millia pugnatorum computabantur) bellum committitur: freti Italici multitudine, Cæsare autem peritia cum fortitudine. Itaque Cæsarianis alacriter pugnantibus, ac jam de victoria sperantibus, acies Brixiensium in insidijs ad subsidium collocata, repente erupit, exercitumque Cæsaris à latere irrumpens, disjunxit, ipsumque multis captis vel occisis, fugere coegit. Ligures itaque nobili victoria potiti, fugientes, Cæsare vix evadente, persequuntur, spolijsque egregiè ditati. Capti sunt hoc bello præter alios de Cumanis fere quingenti, multiq; de Teutonicis. Quo infortunio Cæsar accepto, in civitatibus sibi subditis se recepit. Mortuo interim Calixto Papa schismatico, Episcopi Germaniæ de concordia Imperij & Sacerdotij Imperatorem alloquuntur, voluntateque ipsius diem apud Venetias condixerunt: datoque conductu Papæ Alexandro veniendi ad colloquium, mediante Christiano Maguntinensi Episcopo, & Cunrado Saltzburgensi, maximè autem Wicmanno Hildesheimensi cum cæteris Episcopis, Sacerdotium & Imperium concordatur, quibusdam Episcopis schismaticis sedes suas propter justitiæ censuram cedentibus. In hac etiam compositione Mediolanensibus treugæ XIV. annorum donantur, ipsis omnes captivos reddentibus.

Cæsar à Longobardis in fugã agitur.

His diebus beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, à Rege Anglorum Henrico, multis jam diebus sede sua pro justitia pulsus, ab eodem occisus, in confessoris & martyris morte faciem matris Ecclesiæ decoravit.

Thomas Cantuariensis occisus.

CAP. XXIV.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LXXVII. Alexander Papa sedato schismate, sedem Apostolicam obtinens, Concilium quod Lateranense dicitur, congregavit, in quo schismaticos officio privatos deposuit.

Imperator in Germaniam redire disponens, Italicorum fidei se credere non audebat, sed missis nuncijs ad Bertoldum Ducem de Zeringen, petijt ut Italiam cum exercitu sibi occurreret, ut eò securiùs transalpinaret. Quo veniente, per montis Jovis angustias regressus, in Alemanniam venit. Itaque memor contemptus à Duce Henrico apud Clavennam sibi exhibiti, in ipsum vehementissimè exarsit, & quòd Italicis hostibus Reipublicæ contra Imperium faveret, universis Principibus conqueritur. Dataque ei curia apud Ulmam ipsum ad judicium subeundum imperiali more citavit. Quo non veniente, curiam sibi secundam Ratisponæ præfixit: quam parvipendens, tertiam nihilominus apud Herbipolim sibi datam supersedit, ibiq; sententia Principum Ducatu Norico cum Saxonico & omni prædiorum & beneficiorum possessione, feudali pœna multatus, privatur. Ipse autem more paterno majestati cedere, regalemque gratiam quærere dedignatus, dum se existimat stare, cecidit, perditumque statum dignitatis usque ad terminum vitæ nunquam recuperavit. Nam Imperator prædijs & beneficijs cedentibus, Ottoni Palatino de Witlinsbach Ducatum Noricum concessit, ac Bernhardum Comitem de Anehalde Ducatu Saxonico sublimavit, procinctumque movit contra Henricum Ducem, omnesque civitates & castella cunctaque juris ipsius in Suevia,

Cæsar in Germaniã redit.

H. Dux Saxoniæ & Bavariæ à Cæsare exauctoratus.

Anhaldini ducatu Saxonico potiuntur.

via, & Bavaria, & in Saxonia, ditioni suæ subjugavit. Deinde contra civitatem munitissimam Brunswich aciem dirigens, eam obsedit, civibusque acriter resistentibus cum minimè proficeret, cæteris omnibus cis Albim fluvium ei subjectis, soluta obsidione discedit. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M.C.LXXVIII.

CAP. XXV.

Soldanus Iconij Cæsaris filiam uxorem petit.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXXIX. Soldanus Rex Iconij, missis ad Fridericum Imperatorem legatis quamvis paganis, cum suis omnibus fœdus cum eo pepigit, filiamque ejus matrimonio sibi conjungi postulavit, ac se Christianum cum gente sua fieri, si adipisceretur Imperatoris filiam, sponte promisit. Imperator autem licet filiam, tenerè diligeret, vixque postulata concederet: tamen consensit, eamque sibi dare promittens. Prius tamen mortuam luxit, quàm petenti dederit.

Circa hæc tempora Alexander Papa CLXXI. obijt, cui Lucius successit.

CAP. XXVI.

Conventus Imperij Moguntiæ celeberrimus

ANNO Dominicæ incarnationis, M.C.LXXXIV. Fridericus Imperator sedatis in Germania cunctis bellorum turbinibus, generalem curiam cunctis regni Optimatibus in Pentecoste apud Maguntiam edixit: ibique filios suos, Henricum scilicet Regem, & Fridericum Suevorum Ducem gladio accingi, armisque insigniri disposuit. Ad hanc curiam totius Imperij Principes utpote Francorum, Teutonicorum, Sclavorum, Italicorum ab Illyrico usque ad Hispanias congregantur. Sed & vicinorum regnorum Proceres invitante Imperij dignitate convenerunt, incredibilisque multitudo hominum diversarum regionum vel linguarum ibi coadunata est. Itaque foris civitatem in campi planitie, palatio cum amplissimo oratorio ad diversorium Imperatoris ex ligni materia facto, domus Principum procerissimæ constructæ sunt in circuitu singulis ad ostendendam suæ dignitatis magnificentiam sumptus ambitiosissimè conferentibus. Prætereà tentorijs diversicoloribus numerum excedentibus, erectis, velut maxima civitate constructa, tota planities ambitur: nihilque hic ad ostendendam mundanæ miseriæ gloriam, abundantia victualium, varietate vestium, phaleramentis equorum, delectatione spectaculorum defuit, filijs hujus seculi prudentia sua, quæ stultitia est apud Deum, in generatione sua abutentibus: quod evidenti indicio divina potentia futura præsagiens, demonstravit. Nam sacræ noctis crepusculo ventus validissimus ab Occidente ortus, palatio Imperatoris oratorium ejus contiguum, multaque alia ædificia, inhabitantibus vix evadentibus, funditus evertit, maximoque terrore perculsos ut penè loco cessissent, omnes dubitantes reddidit. Quod à Sapientibus non pro bono omine susceptum, eis omnino displicuit. Crastina itaque sacra die cum maxima lætitia solenniter celebrata, exquisitisque convivijs sumtuosissimè exhibitis, gloriosè peracta: feria secunda celebratis mane Missarum solennijs, filij Imperatoris Henricus Rex & Fridericus Dux armis præcincti, militarique palæstra alacriter exercitati, militiæ cingulum sumpserunt: tractatisque diversis Imperij ab Imperatore negotijs, quarta die ad propria cum gaudio recesserunt.

Prodigia.

CAP. XXVII.

Beatricis Imperatricis obitus.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXXXV. Lucius Papa vita decessit, eique Urbanus Tertius successit, in ordine CLXXIII. Eodem anno Beatrix Imperatrix obijt, & apud Urbem Spiram regalibus exequijs, præsente Henrico Rege filio suo offenso, sepelitur.

Conventus Constantiæ

Circa idem tempus Fridericus Imperator apud Constantiam in Pentecoste generali curia celebrata, legatos Mediolanensium, omniumque civitatum Italiæ sibi rebellantium, subjectionem ultroneam insigniaque civitatum cum clavibus aureis offerentes,

ferentes, ac per hoc se dediticios demonstrantes, suscepit: ipsosque indulta venia, gratiam imperialem pacemque patriæ reportantes, cum gaudio remisit.

CAP. XXVIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXXXVI. Fridericus Imperator missis legatis ad Wilhelmum Siciliæ Regem, filium Rogerij, sororem ejus filio Henrico Regi desponsari fecit, ac per hoc regnum Siciliæ, cum ducatu Apuliæ, principatuque Capuæ Henrico Regi dotis nomine, post mortem à socero delegato recipiens, Romano Imperio restituit, quod post mortem Lotharij quondam Imperatoris, à Rogerio, capto Papa Innocentio, Regioque nomine ab eo extorto, Imperio ablatum fuerat. Igitur sexta vice cum maxima Principum frequentia Italiam ingressus, rogantibus Mediolanensibus, ut in signum adeptæ imperialis gratiæ, nuptias filij apud Mediolanum celebraret, ad recuperandum Imperio eorum obsequium, cujus viribus admodum attriti erant, consensit, omnibusque Italicis Baronibus generalem curiam apud Mediolanum indixit. Ad quam curiam de cisalpinis Regionibus ac de omni Italia, Tuscia, Campania, Apulia, Sicilia coadunati Principes, filiam Wilhelmi, Henrici Regis sponsam, cum maximo apparatu regalique pompa, cum Imperatore & sponso obviam procedentes, suscipiunt, ac cum maximo regni fastigio nuptias peregerunt. In hac curia Italicis plenariè gratiam Imperatoris adipiscentibus, paceque ad integrum reformata, ἀμνηστία, id est malorum oblivio, obsequiis eorum multifariè delibutus, in æternum mansura stabilitur. Solutaque curia, Imperatore cum filio ejusque uxore transalpinante, omnes cum gaudio ad propria revertuntur. Igitur sicut de Theodorico Gothorum Rege legitur, universis per circuitum Regibus affinitate seu fœdere, seu subjectione Friderico Imperatori consociatis, Imperij Status multis modis eo imperante exaltatur. Nam Regi Francorum confœderatus, Regisque Siciliæ filia filio suo conjuncta, Regem Ungarorum prono obsequio devotissimum semper habuit: Regisque Hispaniarum filiam alteri filio suo Conrado, licet inefficax permanserit, desponsavit. Præterea ante hæc omnia in curia Tholensi, juxta Bisuntium, Regi Danorum corona imposita, regnum sub hominio concessit, & Ducem Bohemiæ in dignitatem Regiam extollens, jus nomenque Regium corona imposita ei contulit.

Henricus Cæsaris F. Siculam uxorem ducit. NB. de regno Siciliæ.

VI. expeditio Friderici in Italiam.

Nuptiæ Henrici VI.

Dania ducatus in regnum cõmutatur. NB Prædicta de Rege Bohemiæ per anticipationem intelligenda sunt.

CAP. XXIX.

HIS temporibus Baldewinus Rex Hierosolymorum moriens, filiam nubilem (nam filio carebat) regni reliquit hæredem: quod meritò in seipsum divisum peccatis exigentibus desolandum & à paganis conculcandum erat, quia in manus puellæ non bono omine regnandum devenerat. Nam Principum ipsius regni quisque regnare gestiens, eandem puellam cum regno hæreditario sibi, si conjugio carebat, vel filio si conjugatus, vel proximo filio carens, jungi desiderabat: hacque de caussa maxima inter eos conflata invidia regnum dedit exitio. Ipsa autem spretis indigenis, Widonem Comitem Ascalonis, advenam videlicet elegantis formæ spectatæque fortitudinis virum adscivit, eumque regno induens favente Patriarcha, nec non militibus templi sibi in matrimonium conjunxit. Unde reliqui Principes valde permoti sunt, maximè Comes Tripolitanus, eum Regem habere qui peregrinus erat, indignè ferens: Sarracenos accepto pretio regno induxit, traditisque ei castellis quibusdam & civitatibus, ad obtinendam Hierosolymam accendit. Ad quod animum intendentes, quosdam de militibus Templi, cum quibusdam terræ ipsius majoribus precio corruptos, illata à se regno sæpius latrocinia (ne videlicet eis latrocinia exercentibus vi obsisterent) dissimulare fecerunt: sicque maximam regionis partem quantocyus obierunt.

Christianorum æmulatio regnum Hierosol. pessundat.

CAP. XXX.

ANNO Dominicæ incarnationis, M.C.LXXXVII. Saladinus Rex Sarracenorum apud Damascum habitans, nequissimum Christianorum animadvertens commercium, eosque discordia, invidia, avaritia infectos considerans, tempus opportunum ratus ad

obtinendam totam Syriam & Palæstinam, intendit animum: congregatoque validissimo de omni Oriente Sarracenorum exercitu, procinctum contra Christianos movit, eisque per totam Palæstinam igne ferroque instans, castella multa civitatesque occisis vel captis Christianis, expugnavit, Sarracenosque ibi ad habitandum collocavit. Rex itaq; Hierosolymorum, nec non egregius Princeps Antiochensis Reinaldus, aliique Christianorum Proceres contracto grandi exercitu, dominica cruce exercitum præcedente, Saladino occurrunt, eique bello congrediuntur. A quo superati, multis Christianorum millibus occisis, cruce dominica, proh dolor, capta, Christiani fugantur, Rexque nec non Reinaldus illustrissimus Princeps cum multis aliis Christianis capti, Damascum ducuntur, ibique idem Rex & præfatus Princeps in confessione veræ fidei decollantur.

Saladini victoria & successus in Palæstina.

Hac victoria insolescentibus paganis, omni provincia devastata, cunctisque civitatibus Christianorum dirutis, excepta Tyro & Sidone, Tripoli & Antiochia, ac paucis aliis civitatibus & castellis munitissimis & inexpugnabilibus, capta prius Accaron ubi portus est, quod unicum & speciale Christianorum refugium hactenus fuit & est, Hierusalem obsidione cinxerunt, ac destructis in circuitu Ecclesiis, Bethleemitana videlicet & Olivetana, multisque aliis: tandem ejectis per conditionem Christianis, Hierusalem capitur, sanctaque Redemptionis nostræ loca profanata, à paganis incoluntur. Nec silendum arbitror, quod obsessa Hierusalem paganis irruentibus, una turrium occisis plærisque Christianis, imposito Saladini vexillo, capta est, unde civibus orta desperatio, relicta murorum defensione, eadem die civitatem in ore gladij exterminandam pene dederat exitio. Quod videns quidam miles Teutonicus, ex desperatione sumens audaciam, quosdamque circa se hortatus, impetu magnanimiter in hostes facto, turrim vi obtinuit, occisisque in ea paganis, vexillum Saladini truncata hasta deijciens, de eminentia turris in lutum projecit, civibusque fiduciam resistendi hoc facto conferens, ad defensionem murorum eos quantocyus reduxit. Postquam civitate per conditionem, ut dictum est, tradita, sepulchrum Domini à paganis quæstus gratia in veneratione habetur.

Hierosolyma à Sarracenis occupatur.

Teutonici militis fortitudo.

Facta hæc est terræ sanctæ lamentabilis desolatio, anno ab incarnatione Domini, M.C.LXXXVII. ab adventu verò Francorum, quando eadem terra à paganis per Gotfridum Ducem liberata est, anno LXXXVIII. Sicque Saladinus Palæstina subacta, Ecclesiam transmarinam miserabiliter attrivit, ipsaque Regio per multos annos paganis subdita gemit.

Eodem anno Urbano Papa mortuo, Gregorius successit. Quo infra dies quasi decem defuncto, Clemens substituitur, in ordine CLXXIV. Qui lamentabili de subversione transmarinæ terræ accepto nuncio, omni Ecclesiæ ad placandum Deum indicta pœnitentia, legatos suos Cardinales, Episcopos & Presbyteros, in omnes cismarinæ Ecclesiæ fines direxit: filiis Ecclesiæ matris confusionem paterno conquerens affectu, & ut matri vim patienti, memores uberum, quorum lacte primitiva Ecclesia in Jerusalem nutrita, in eis virili robore convaluit, subveniant, obtestatur, cruceque accepta in remissionem peccatorum, crucis servos se gloriantes, crucis ignominiam quæ à paganis capta tenebatur, in laudem & gloriam vindicent crucifixi, verbo prædicationis magnanimiter hortatur.

Clemens III. crucem contra Sarracenos prædicari curat.

CAP. XXXI.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. LXXXVIII. Fridericus Imp. generalem curiam in media Quadragesima Maguntiæ celebravit, ibique per totam Germaniam sedatis bellorum turbinibus, pace undique reformata, Reip. negotia tractavit. Ad quam legati sedis Apost. venientes, Imperatori desolationem transmarinæ Ecclesiæ scriptis & verbis, ex persona Domini Apostolici ac totius Ecclesiæ conquesti, repræsentaverunt, patrociniumq; Rom. Imperij per ejus auxilium imploraverunt. Qui habita deliberatione ad subveniendum se obtulit: acceptaque cum filio, Friderico sc. Suevorum Duce peregrinationis cruce in remissionem peccatorum, crucis ignominiam se vindicaturum publicè denunciavit: & ad id negotium sui exemplo multos regni Optimates cum multitudine diversæ conditionis & ætatis accendit. Cardinales autem his patratis à curia digressi, verbo prædicationis per diversas Imperij partes instabant, multisque relinquere Patrem & Matrem, uxorem & filios & agros, propter nomen Christi, & crucem tollere, ipsum

Fridericus & F. Filius cruce signantur.

ipſum ſequi in expeditionem transmarinam, perſuaſerunt, & innumerabilem exercitum contraxerunt. Quibus omnibus Imperator ſequentis anni Majo tempus profectionis conſtituit, pauperioribus ad minus trium marcarum expenſam, ditioribus pro poſſe expenſas præparare, indicens. Egentibus autem pondo trium marcarum ſub anathemate profectionem fecit indici, nolens exercitum vulgo minus idoneo prægravari. His in Romano Imperio patratis, Apoſtolicus à latere ſuo Cardinales Regi Francorum Ludovico, nec non Richardo Regi Anglorum dirigens, ad idem opus cruce impoſita accendit, multosque de prædictorum regnorum finibus in eandem militiam coadunavit.

Hac tempeſtate Colonienſes maximis ſtudiis & ſumptibus civitatem ſuam munientes, eam muro cinxerunt firmiſſimo: quæ res Imperatori ſuſpecta diſplicuit, eisque excidium interminans, munitiones diſſipare, rupto per quatuor loca muro, eos minaciter coëgit,

His diebus nuncij Soldani Regis Iconienſis ad Imperatorem venerunt, fœdusque (quamvis in dolo) renovantes, commeatum per totam Ciliciam cunctoque exercitui, ſi pacificus veniret, ex parte Domini ſui obtulerunt: per Ciliciam enim Imp. terram Soldani, cujus caput Iconium eſt, cum exercitu tranſiturus erat: ideoque pagani terræ ſuæ metuentes, fœdere quæſito pacem quàm bellum malebant, licet aliter optatis evenerit.

CAP. XXXII.

Annis undenis demptis de mille ducentis,
Chriſtus ut eſt natus, tranſit mare Rex Fridericus.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.LXXXIX. Fridericus Imp. in Pentecoſte generalem curiam Presburch in Marchia Ungariæ celebrans, exercitum peregrinorum in militiam Chriſti coadunavit, traditisque regalibus Henrico Regi filio ſuo, diviſisque pro velle ſuo inter filios prædiorum ſuorum redditibus, cum collatis dignitatibus, omnibus bene diſpoſitis, cunctis valedixit & cum filio æquivoco Suevorum Duce, nec non & Marchione de Miſſen, cum Saxonib. & multis aliis Principib. & Epiſcopis, exercitu omni militari apparatu admodum inſtructo & copioſiſſimo, in Orientem contra Saladinum Sarracenorum Regem, & omnes crucis Chriſti inimicos procinctum movit, ac per Ungariam iter arripiens, multis muneribus à Rege Ungariæ liberaliter honoratus, datis etiam exercitui victualibus in copia farinæ, vini, carniumque in Bulgariam copias tranſpoſuit: ibique negata ſibi ab incolis Regia via, eam vi obtinuit: occiſaque multitudine reſiſtentium, multos ex eis captos ex utraque parte viæ ramis arborum illaqueatos ſuſpendit, ſeque per hoc non in pera & baculo, ſed in lancea & gladio ſepulchrum Domini viſitare oſtendit, ſicque tranſita Bulgaria Græciam applicuit. Græci itaque Bulgaris inhumaniores, ſubtracto exercitui omni humanitatis neceſſitate, ſimulque rerum venalium commeatu, juſſu Imperatoris Conſtantinopolitani, milites ſancti ſepulchri neceſſariis defraudaverunt, ſeque in munitiones congeſtis rebus omnibus undique receperunt. Cæſar itaque hæc à Chriſtianis pati ægrè ferens, exercitum ad rapinam data licentia relaxavit, Græcisque velut paganis utendi, quorum fautores his actibus ſe oſtendebant, edicto conſtituit. Qua occaſione totus effuſus exercitus, civitatem opimatiſſimam Philippopolim forti aggreſſione captam, expugnavit, opimaque præda ibi direpta, caſtrum munitiſſimum, Themut dictum, ſimili impetu obtinuit, hocque terrore multa caſtella & civitates Græcorum ſibi ſubjecit, profligataque regione, opulenta præda ditati, reliquos ad commeatum coëgerunt. His circa finem menſis Auguſti geſtis, Auguſtus convocatis Principibus, eorum conſilio in Græcia hyemare ſtatuit, omnique in circuitu ſubjecta ſibi terra, montem quendam acceſſu difficilem ad receptionem exercitus munivit, eumque Teutonico idiomate *Chunigisberc* nuncupavit. Ubi contra faciem Conſtantinopolitanæ civitatis potenter reſidens, omniaque neceſſaria exercitui à civitatibus finitimis convehi faciens, Græcam aſtutiam Romana potentia Germanicaque fortitudine devicit: totaq; hyeme usq; ad Paſcha anni ſequentis inibi manſit, Græcis cum Imperatore ſuo ſemper à facie ejus fugam conſtitutis.

Fridericus in militiam ſacram proficiſcitur.

CAP.

CAP. XXXIII.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.XC. Clemens Papa obiit, eique Celestinus in ordine CLXXV. successit. Eodem anno Leopaldus Dux Orientalis & exercitus Coloniensis, multique de inferioribus partibus Rheni cruce peregrinationis accepta, à Brundusio mare transvecti, Accaron applicuerunt, illucque jam Rege Anglorum Richardo, necnon & Rege Francorum Ludovico cum instructa militia tendentibus, Pisanis cum Italico exercitu eandem Urbem jam obsidentibus, consociantur, ipsamque totis viribus impugnant, Saladino summa industria obsessis opem ferente.

Frid. filius Imperator creatur.

Eodem anno filius Friderici Imperatoris Henricus Rex contracto exercitu Alpes transcendens, Italiam ingreditur, indeque ad Urbem tendens, à Celestino Papa gloriosè susceptus, ab eoque omnium Romanorum favore, unà cum conjuge, in die sancto Paschæ coronatus, Imperatoris & Augusti nomen, nonagesimus quintus ab Augusto, sortitur: Hunc favorem Romanorum avaritiæ eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit, ac Tusculanense castellum, quòd asylum Imperij contra omnes insultus eorum hactenus extitit, ipsis tradens, Imperium in hoc non mediocriter dehonestavit. Qui statim tota Urbe effusi, in ipsa die parasceve, castellum funditus destruxerunt, dirutisque turribus & muris, igne postremò consumpserunt, in vindictam cladis à Christiano Maguntiensi Episcopo sibi inibi quondam bello illatæ.

Castrum Tusculanum demolitum.

Igitur Imperator Constantinopolitanus vim Cæsaris Friderici ferre non prævalens, animum ejus, pro commissis satisfaciens, placavit, paceque data exercitum omni opulentia victualium collata, animæquiorem reddidit: sicque reconciliatus Augusto, accepto fœdere post Pascha præsentis anni, structis summo studio navibus, ipsum cum exercitu per Propontidem transvexit.

CAP. XXXIV.

ITAQUE Henrico Imperatore Imperio Occidentis sortito, Fridericus Augustus viribus Germanorum Orientem aggreditur, ingressusque cum exercitu Asiam, prosperis successibus ad tempus incessit, omnibus ei in tota Romania pro voto parentibus. Igitur Soldanus Rex Iconij appropinquante Augusto cum exercitu fœdus infringens, victualia cum aliis rebus per totam Ciliciam in munitiones comportari fecit, mercatumque exercitui, utpote barbaros & Scytha perfidissimus, conferre noluit. Qua de re maxima fames exercitui inhorruit, ac plærosque mulos, asinos & equos cibum insolitum manducare coegit. Præter hæc exercitu paganorum latenter immisso, extremis pabulatoresque Christiani exercitus latronum more assiduis incursionibus, aliquibus interdum occisis, inequitabant, sæpiùs se publicè ordinatis agminibus ostendentes, nostris æquo Marte eis congredi cupientibus, retrocedebant, consereréque nullo modo volebant.

Fames in exercitu Christianorum.

Augustus ergo tali incommodo exercitum fameque & omni penuria laborantem, respectu pacti fœderis cum Soldano, à devastatione ac rapina refrenabat, æstimans hoc ante ignorante aut invito Soldano committi. Ubi verò veredarios hæc de industria Soldani, publicata ejus perfidia, fieri cognovit: iratus, Soldano hoste pronunciato, exercitum ad ultionem relaxavit: totaque Cilicia cum Pamphilia, Phrygiaque proscripta, cædibus, rapinis, igne ferroque utens, profligavit cuncta: paganis, licet procinctim incedentibus, semper tamen in fuga constitutis. Hac itaque relaxatione recreato cum exercitu Iconium versus, totius Ciliciæ metropoli, Soldanique archisolium aciem direxit, eamque inaudita celeritate expugnavit. Denique civitas hæc populosissima maximo murorum ambitu turriumque proceritate munitissima, arcem inexpugnabilem in medio sui complectens, omnibus ad obsidionem necessariis referta fuerat, cuncta extrinsecus Regione victualibus nudata, ne superveniens Augustus militem ibi aliquandiu sustentare posset. Sed Deo conatum paganorum in contrarium vertente, res aliter evenit. Nam ante horam diei tertiam Augustus civitatem subitaneo incursu cum maximo impetu aggressus, multitudine paganorum resistentium occisa, ante nonam

Iconium Ciliciæ metropolis à Cæsare capitur.

nam expugnatam irrupit,innumeris utriusque ſexus & ætatis in ore gladij trucidatis, Rege Soldano cum nobilioribus in arcem fugiente. Sicque civitate potitus, eadem die arcem obſidione vallavit. Videns itaque Soldanus viribus Germanorum cuncta cedere, eosque divina quadam virtute fultos, ac mortis terribilium rerum contemptores: ſine cunctatione cuncta invadere reſiſtentia talibus cedere periculoſo doctus experimento, neceſſarium ratus,dextras ab Auguſto petiit,& ut ei mereretur colloqui,ſeria ductus pœnitentia,deſideravit. Quo conceſſo,arce cum ſuis deſcendit,ac pro velle Auguſti factus dedititius, datis obſidibus,reconciliatur, reſtituta ſibi cum regno civitate Iconio. *Sultanus Iconij Cæſari ſeſe dedit.*

CAP. XXXV.

HIS ita peractis, exercituque ſpoliorum opulentia ditato, Auguſtus motis caſtris ab Iconio diſceſſit cum triumpho,Principibus Armeniorum undique ad eum confluentibus,& præcipuè Leone,illarum regionum nobiliſſimo Chriſtianorum Principe, qui in montanis habitabat: à quibus lætanter ſuſceptus, ac condignis gratiarum laudibus pro ſuo adventu & expugnatione paganorum ei exhibitis, cum magno tripudio & gloria verſus Tarſum,Pauli Apoſtoli nativitate inſignem proficiſcitur,cunctis ei ad libitum inclinatis. Nam terra ſiluit, in conſpectu ejus. Sed terribilis in conſiliis ſuper filios hominum Deus,nondum veniſſe tempus miſerendi Sion oſtendens,ſolidiſſimam naviculæ Petri anchoram, in Auguſto Friderico,rupto fune ſpei,poſt tales tantosque proſperitatum eventus, ſuccidit, ipſamque naviculam in mediis hujus mundi procellis quaſſari flagellarique nondum ad purum defœcatam permiſit. Nam egregius Cæſar Fridericus Tarſum tendens, amne quodam parte exercitus tranſpoſita, refrigerandi gratia (æſtus quippe erat nimius) ingreſſus (nandi enim peritus erat) ſubitaneo frigore naturalem calorem extinguente, deficiens, ſubmergitur, miſerabili morte Imp. terra marique potens finem vitæ ſortitur. *Fridericus Cæſar ſubmergitur.* Fertur à quibusdam, hoc in Cidno amne accidiſſe, in quo & Alexander Magnus ſimili quidem modo, ſed non morte, periclitatus. Nam Cidnus Tarſo contiguus eſt. Obiit anno regni XXXVIII. Imperij autem XXXV. incarnationis Dominicæ anno M.C.XCI. cujus morte totus Chriſtianorum exercitus irremedicabiliter ſauciatus,planctu intolerabili,Auguſtum ſi vixiſſet omni Orienti metuendum,luxit: ſepultisq; inteſtinis ejus cum carne reliqua apud Tarſum, oſſa Antiochiam translata cultu Regio officioſiſſimè reconduntur.

Igitur Fridericus Suevorum Dux filius ejus,nobilis hæres,theſauris paternis exercitui liberaliter erogatis,militiæ Chriſtianæ decus & ſpes unica, exercitum mœrore confectum conſolatus, recreavit: eductoque de hoc fatali loco & inviſo milite, Antiochiam pervenit,ubi ſtatim peſtilentia,defecto capite in morte Auguſti, per totum corpus graſſatur, divites & pauperes ſimul in unum exitiali tale involvens, maximaque pars exercitus morte infauſta conſumpta,Antiochiæ & in ejus finibus ſepelitur. Itaque cœleſti cenſura inopinabiliter tali exercitu penè defluxo,Fridericus Dux reliquis aſſumptis, Chriſtianis in obſidione Accaron deſudantibus aſſociatur,ab eisque glorioſè ſuſcipitur: ubi modico manens tempore febre corripitur, immaturaque morte raptus, cum maximo planctu ibidem ſepelitur. *F. Suevorum Dux moritur.* Sicque nobilis illa & inclyta virtus imperatoria,ſpes totius Eccleſiæ,in Patre & Filio ad nihilum devenit, tanquam aqua decurrens. Ut bene lamentatio Hieremiæ huic calamitati poſſit aptari, ubi in Threnis filios Sion (nam & hi filij Sion, utpote peregrini ſepulchri Domini) deflet, ita dicens: *Filij Sion inclyti & amicti auro primo,quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* *Thren.4.* Hi ſi vixiſſent cum tali exercitus apparatu,tanta prudentia, tantaque fortitudine inſtructi in unum corpus cum Accaronica militia coacti: quæ gens, quæ Regio, quis Regum fortiſſimus,imò quæ multorum Regum virtus in omni Oriente,Italiæ potentiam, Franciæ alacritatem, bellandiq; ſcientiam,& quod his omnib. ſupereminet Germaniæ animoſitatem & fortitudinem, indomitumq; regni caput ſuſtinere poſſet? Sed non eſt conſiliũ,neq; virtus præter dominũ. *Niſi n. Dominus ædificaverit domum invanum laboraverunt qui ædificant eã.Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* *Pſal.127.* Ergo tu exurgens Domine miſereberis Sion,quãdo & quomodo,& per quos volueris,cùm venerit tẽpus miſerendi ejus. Quia

ſi huma-

ſi humana virtute liberari debuiſſet, te permittente Fridericus hujus victoriæ titulum obtinuiſſet. Itaque quoniam ſi voluiſſes ſacrificium ſanguinis ſui in honorem ſancti ſepulchri & ſanctæ crucis tuæ dediſſet: utinam holocauſto peregrinæ mortis ſuæ delecteris, animamque ejus ſpiritibus beatorum in cœleſti Jeruſalem ſociare digneris, Amen.

CAP. XXXVI.

IGITUR Accaron à Chriſtianis obſeſſa per Regem Francorum, Regemque Anglorum, Leopaldumque Ducem, ac per reliquos Principes diverſis machinarum inſtrumentis, baliſtarumque tormentis, fortiter terra marique impugnatur: Piſanis cum Genuenſibus, Venetianisque à parte maris inſtantibus, quòd navium aſſueti erant. Interim Rex Francorum ſiniſtro nuntio de invaſione regni proprii accepto, cum multis aliis relicta obſidione diſceſſit, amans plus terrenum quàm cœleſte regnum: emenſoque mari per Apuliam rediens repatriavit. Sed Rex Angliæ egregiusque Dux Leopaldus, reliquique egregij bellatores aratro laborantes Dominico retro non reſpexerunt, donec agrum Accaron cadaveribus paganorum fructiferum reddiderunt.

Francus ab obſidione Accaronis diſcedit.

Saladinus Chriſtianos Accaron obſidentes obſidet.

Saladinus itaque ad liberandos Accaronitas animum intendens, tota induſtria exercitum congregavit, Chriſtianosque obſidione pellendos comminatur. Chriſtiani autem audito adventu Saladini, duobus foſſatis latiſſimis & profundiſſimis cinxerunt ſe, binas habentes portas, ad excurrendum ſi opus eſſet ultra foſſata conſtitutas, victualibus ad ferendam obſidionem undique comportatis. Igitur Saladinus valido exercitu contracto, contra Accaron aciem direxit, Chriſtianosque civitatem obſidentes, forinſecus obſedit, caſtris in quodam colle non longè à civitate locatis: oppidanisque cum à Chriſtianis impugnabantur, ſignum per ſignum & fumum ei oſtendentibus. Quibus illicò ſubveniens, extrinſecus ſagittis, baliſtis, omnique telorum genere Chriſtianos impugnabat. Chriſtiani verò ordinalibus agminibus ultra foſſata ſæpius egreſſi, ei publico bello congredi cupiebant, ipſo ſemper cedente bellumque detrectante. Tandem civitatem Saladino præſente totis viribus invadentes, ipſam vi obtinuerunt, omnesque paganos viros ac mulieres, cujuscunque ætatis & conditionis, in ore gladij occiderunt, Saladino aſpiciente, & cum maximo dolore recedente: paucis de majoribus captivatis.

Accaron capitur.

Diſcordia inter Chriſtianos.

Capta igitur civitate, Rex Anglorum ſigna triumphalia ſui exercitus turribus affigi præcepit, titulum victoriæ extorto ſibimetipſi ſatis arroganter adſcribens. Hacque de cauſſa cum per civitatem tranſiret, vexillum Ducis Leopaldi turri, quam ipſe cum ſuis obtinuerat, affixum vidit, ſuumque non eſſe recognoſcens, cujus nam ſit percontatur. Qui Leopaldi Ducis Orientalium eſſe accepto reſponſo, eumque ex parte civitatem comperiens, maxima indignatione permotus, vexillum turre deijci lutoque conculcari præcepit: inſuper Ducem verbis contumelioſis affectum, ſine cauſſa injuriavit. Præter hæc præda communi univerſorum ſudore acquiſita, inter ſuos tantum diſtributa, reliquos privavit, in ſeque odia omnium concitavit. Omnibus enim fortiori militum robore præſtabat, & ideo pro velle ſuo cuncta diſponens, reliquos Principes parvipendebat. Attamen Teutonica militia cum Italica his admodum exaſperata, Regi in faciem reſtitiſſet, niſi auctoritate militum templi repreſſa fuiſſet. Anglicam itaque perfidiam deteſtantes, Angliæque ſubdi dedignantes, aſcenſis navibus ſimul cum Duce Leopaldo repatriaverunt, Rege cum ſuis adhuc remanente, quotidieque paganos impugnante.

Accaron Chriſtianorum metropolis in terra ſancta.

Itaque cives Hieroſolymitani omnesque qui paganos ex Urbibus vicisque evaſerunt, Accaron congregati, Urbem ipſam ſummo ſtudio munientes, receptaculum Chriſtiani exercitus ſedemque belli contra paganos conſtituerunt, eamque pro dignitatum varietate dividentes habitationibus templariorum, hoſpitalariorum, ſepulchri dominici canonicorum cum ſede Patriarchali diſtinxerunt, ac ſæpius cum exercitu egreſſi, paganisque congreſſi, pluribus civitatibus caſtellisque, quæ perdiderant, receptis, paganis magnanimiter reſiſtebant: repatrianteque Rege Anglorum, Henricum Comitem Campaniæ, data ſibi vidua Vidonis Regis, Regem ſibi creaverunt: ſicque collecto quotidianoq; creſcentes numero, prælia Domini præliabantur, multis de ciſmarinis partibus in auxilium eorum viciſſim transfretantibus. Sed his dicta ſufficiant, ſtylo ad Imperium noſtrum redeunte.

CAP.

CAP. XXXVII.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. X C. Henricus Imperator, ut prælibatum est, à Celestino Papa cum Conjuge coronatus, ipsam secum ducens, Apuliam Siciliamque mortuo Wilhelmo possidere volens, in Campaniam cum exercitu divertit, rebellantemque sibi totam terram invenit. Nam mortuo Wilhelmo Rege quidam consanguineus ejus de genere Rogerij, Tancretus nomine, tyrannidem in Sicilia, quæ nutrix tyrannorum ab antiquo fuit, sub regio nomine arripiens, cum consensu omnium ipsius terræ Baronum, civitatumque Imperatori violenter restitit, ipsumque de hæreditate conjugis quoad vixit, constantissimè propulsavit. Imperator itaque Neapolim rebellem Campaniæ urbem obsidione vallavit, cuncta in circuitu terræ igne ferroque vastata. Quò Rex Francorum de transmarina expeditione rediens, ad eum venit, ipsique confœderatus, honorificè dimissus in Franciam suam redijt. Pestilentia itaque exercitum tangente, nihil proficiens Imperator de repatriatione disposuit: qua mora à quibusdam Baronibus Apuliæ propinquis suis Imperatrix capitur, & cum maxima diligentia custodita, in captivitate detinetur tempore aliquanto. Flebili ergo principio ad obtinendam Apuliam Imperator dehonestatus, sed meliori postmodum fortuna usus, ad cisalpina regreditur, facta prius Apostolico de captivitate conjugis querimonia. Apostolicus autem commotus præsumptores hujus rei, terra eorum sub interdicto posita anathemate constrinxit, Imperatricemque captivitate relaxari coegit, quam postmodum ad cisalpina revertentem, Imperator recepit, die ultionis in corde ejus cum nimia indignitate statuta. Reversus igitur ad cisalpina Henricus Imperator, Cunrado fratri suo Ducatum Sueviæ concessit. Hic Cunradus fortis agrestisque naturæ homo, sed liberalis admodum animi erat, ideoque magna appetens, illicitaque semper faciens, vicinis & remotis terrori fuit.

Tancredus Siculus Henricũ Cæs. regnum inire prohibet.

Imperatrix capitur.

Cunradus Dux Seuviæ

CAP. XXXVIII.

HAC tempestate Rex Anglorum Richardus de expeditione transmarina rediens, per Ungariam in fines Ducis Leopaldi, paucis comitatus, devenit: memorque injuriarum eidem Duci apud Accaron à se exhibitarum, ipsum nimis metuentem, dimisso regali obsequio, privato habitu furtim celeriterque transire cupiens, in quoddam diversorium apud Viennam civitatem necessitate prandij divertit, socijs præter paucos à se dimissis. Itaque servili opere ne agnosceretur in coctione pulmentorum per se dans operam, altile ligno affixum propria manu vertens assabat, annulum egregium digito oblitus. Quidam igitur de familia Ducis, qui cum Duce apud Accaronitas visum Regem notum habebat, de civitate fortuitò egressus, tabernam regali coquo insignem intravit, & ex consideratione annuli ipsum respiciens & recognoscens, agnitum dissimulavit: concitoque cursu in civitatem reversus, Ducem, qui tum fortè aderat, de præsentia Regis certificans, admodum exhilaravit. Igitur sine mora ascensis equis cum frequentia militum Dux accurrens, Regem frixam carnem manu tenentem captivavit: irrisumque tali opere in civitatem duxit, eumque arctissimæ custodiæ mancipavit, digna recompensatione reddens ei quod meruit. Attamen multi pro hoc facto Duci detrahentes, ac pro sacrilegio in peregrinum sepulchri Dominici commissum computantes detestantesque improbabant: licet hæc improbatio captivo Regi parum profuisset.

Imperator itaque captum Anglorum Regem audiens, missis ad Ducem nuntijs, Regem sibi præsentari jussit, præsentatumque Wormatiam asportari, vinctum ferroque onustum præcepit, dans sibi inducijs deliberandæ redemptionis: ad quem multi suæ terræ majores visendi gratia venerunt, & diversas rerum species Domino suo obtulerunt. Itaque pro captivatione peregrini Regis Leopaldus Dux à summo Pontifice excommunicatus, ne simili ausu peregrini sancti Sepulchri à quoquam impetiti à subventione transmarinæ Ecclesiæ deterrerentur. Tandem datis in redemptionem suam Imperatori multis millibus centenariorum auri & argenti, necnon & Duci Leopaldo auro

Anglus à Duce Austriæ capitur.

Rex Angliæ λύτρῳ persoluto evadit

auro & argento pro libito collato, eiſque pace & reconciliatione ſacramento ab eo firmata, captivitate exuitur, ſicque multatus redijt in terram ſuam. Certum autem pretij pondus quod contulit explicare diſtuli, ne cuiquam incredibile viſum falſitatis arguerer. Hoc autem ſciendum, quod Eccleſiaſtici theſauri per omnes Angliæ Eccleſias collecti, hujus cenſus pars maxima conſtabat calicibus, crucibus, alijsque diverſis ſpeciebus conflatis.

Imperator itaque tanto pretio donativa liberaliter erogans, exercitum egregiè ſtipendiatum, præfectis ſibi Ducibus Marquardo dapifero de Annewil, & Bertoldo de Cunisberch miſit in Apuliam, quorum induſtria multa caſtella civitatesque in deditionem accepit: ibique Bertoldus jactu baliſtæ percuſſus interijt. Tancredo interim mortuo, Optimates terræ ipſius contra Imperatorem unanimiter conſpiraverunt, ſubdique dedignantes, omnes advenas Teutonicos de civitatibus ſuis expulſos ejecerunt.

CAP. XXXIX.

ANNO Dominicæ incarnationis M.C.XCIII. multis de ciſmarinis regionibus cruce peregrinationis accepta, ad auxilium tranſmarinæ Eccleſiæ accenduntur.

Henr. VI. ſecunda expeditio in Italiã.

Eodem anno Henricus Imperator contracto exercitu ſecunda vice Alpes tranſcendit, tranſitaque Italia & Tuſcia in Campaniam arma convertit. In quo Itinere Richardum de Scerre Comitem ditiſſimum, à Theobaldo de Reggatart captumque ſibique præſentatum, apud Capuam patibulo ſuſpendit, capite deorſum verſo: digna indignatione pro capta Imperatrice in eum effrenatus. Deinde omnes civitates Campaniæ, Apuliæque aut expugnatas deſtruxit, aut in deditionem accepit: inter quas præcipuè Salernum, Baletum, Barram, multasque alias civitates fortiſſimas nimia inflammatus ira, pervaſa inæſtimabili præda, ſubvertit: nec fuit civitas aut munitio, quæ ejus impetum ſuſtinere valeret: militia peregrinorum, quæ in procinctu transmarinæ expeditionis conſtituta, cum eo tranſalpinaverat quæque interim confluebat, opem ei ſummo niſu conferente. Itaque tota Apulia cum Campania in Provinciam redacta, in Calabriam & Siciliam copias tranſpoſuit, profligataque regione, Henricum Marſcaldum de Kallindin cum inſtructo ad bellum exercitu, verſus civitatem Catinenſium duxit, ubi omnes ipſius terræ Optimates cum innumerabili exercitu ordinata acie offendit: eisque incunctanter congreſſus, & victoriam multitudine occiſa adeptus, fugientes inſequutus, civitatem cum eis irrupit: captoque Epiſcopo, qui præcipuè rebellaverat cum multis nobilibus, civitatem igne ſuccendit, nec Eccleſiis parcens. Eccleſiam S. Agathæ cum multitudine utriuſque ſexus & ætatis, quæ in eam confugerat, miſerabiliter incendio conſumpſit: ſicque ad Imperatorem, nobiles in triumpho trahens captivos, redijt. Optimates igitur ultima deſperatione adacti, dolo occidendum Cæſarem deliberaverunt. Et ut hoc conſequi valerent, ſe & omnia ſua poteſtati ejus contradiderunt. Quibus in fidem ſuſceptis, familiariterque habitis, dolum & inſidias eorum vincere ſtatuit: quamvis tamen perfidiam perfidia vindicare dedecus ſit. Denique ſe detectos minimè putantes, ab Imperatore citati convenerunt ad eum: quos omnes captos, in vincula conjecit, & exquiſitis ſupplicijs affectos, miſerabiliter enecavit. Nam Margaritam archipiratam potentiſſimum illius terræ Baronem, cum quodam Comite Richardo literis apprimè erudito, oculis privavit, & quendam læſæ majeſtatis convictum, pelle exutum decoriavit: quendam verò regno aſpirantem, coronari, coronamque per tempora clavis ferreis transfigi præcepit: quoſdam ſtipiti alligatos, pyraque circundatos exurens, crudeliter extinxit: quoſdam vecte perforatos, ventre tenus humo agglutinavit: ac per hoc omnibus in circuitu nationibus, non ſolùm in ciſmarinis, ſed etiam in tranſmarinis partibus ſeveritatem ejus metuentibus, maximum terrorem incuſſit.

Henr. Cæſar regnum Siciliæ occupat.

Cæſar factioſos in regno Siciliæ ſupplicijs afficit.

CAP. XL.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C.XCIV. Imperator contra Palernum civitatem in ultimis finibus Siciliæ ſitam, quæ caput Siciliæ Archiſoliumque, nec non

ærarium

ærarium thesaurorum Regum ejusdem terræ hactenus extitit, aciem direxit, castrisque ante faciem locatis, eam expugnare disposuit, hortumque regalem amplissimum undique circundatum, omnique bestiarum genere delectabiliter refertum, irrumpi jussit, feris in usum exercitus multivariè consumptis. Itaque cives animositatem Cæsaris nimium metuentes, sine omni mora dediticij dextras petunt, conditionesque pacis, se suaque omnia offerentes, suppliciter quærunt. Quibus consentiens, civitate tradita eos recepit in gratiam, signis imperialibus moribus undique insignitis: statutaque die processionis, quo à civibus Imperator imperiali fastu susciperetur, exercitum omni affluentia delitiarum resolutum, gazisque spoliorum egregiè ditatum, securum reddidit: palæstraque militari exercitij gratia, omnique spectaculorum magnificentia interim exhilaravit. Tandem summa industria civium, cum maximis sumptibus triumphali pompa præparata, tota coronatur civitas tapetibus sertisque diversi generis & pretij, compita illustrantibus, thure, myrrha, alijsque speciebus odoriferis, intus & extra civitatem redolentibus plateis: amotoque à civitate procul Imperatore cum exercitu, cives per turmas suas secundum modum dignitatum, conditionum, ætatisque differentia, egressi, nobiles in sua cohorte, seniores ætateque provecti in suo ordine, & his minoribus robustiores, exin juventus cum imberbi adolescentia imbecillique pueritia, omni phaleramento equestri vestiumque varietate adornati, ordine stationario in obviam procedebant: singulis quibusdam pro suo modo vel arte cum omnibus Musicæ disciplinæ instrumentis plausum exhibentibus. Imperator autem non minore industria composito exercitu militari disciplina, omnique præsumptione Teutonica prorsus interdicta, contemptoribus mutilationem manuum interminatus, omni armorum splendore rutilantem militiam exhibuit, binis longo tractu civitatem versus pedetentim incedentibus. Ipse autem cum Principibus imperiali gloria & ornatu subsequutus, civitatem ingreditur, cunctis laudes affatim acclamantibus, vulgoque quod plateas circumstabat, viso Augusto juxta morem illius terræ prono vultu in terra coram eo corruente: sicque in regiam receptus, quieti dedit operam. Itaque multis muneribus à civibus est honoratus, scilicet præstantissimis sellis aureis, frenis phaleratis, ac diversis ex auro, argento, serico speciebus, quæ omnia exercitui liberaliter largiens, primò Principibus regalia dona contulit: dein militibus pro meritis extans munificus: eos omnimodis ad obsequium suum illexit. Inæstimabili igitur pecunia in thesauris regijs auri argentique reperta, ærarium publicum Triuels confertissimum reddidit, aliaque imperialia triclinia ex his admodum ditavit. Nam divitias Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, quæ feracissimæ metallorum sunt, patriæ invehens, lapidum pretiosorum ac diversarum gemmarum gloriam cum infinitis thesauris congessit: uxoremque Tancredi cum filia, nec non filium ipsius cum sua sponsa filia scilicet Constantinopolitani Imperatoris captivos nobilissimos trahens, mirificè triumphavit.

Henricus Cæsar Panormi suscipitur.

Tancredi uxor & filius à Cæsare capiuntur.

Igitur tali modo confecto bello Samnico, Apuliensique cum Calabrico, redactaque in Provinciam tota Sicilia cum Sardinia: Henricus Imperator bellicosissimus exercitum peregrinorum, multis muneribus illustratum, à se dimisit, & cum ipsis è suo latere publici ærarij stipendiarios quingentos milites in adjutorium transmarinæ Ecclesiæ direxit. Qui à Siponte & Brundusio mare Tyrenum transvecti, Accaron applicuerunt, & à Christianis cum gaudio suscepti sunt: quorum auxilio multa castella Christiani recipientes, paganos pacem petere coëgerunt, multis utrinque congressionibus prius habitis, Christianis semper victoribus. Itaque pace constituta, pagani summa industria civitates & castella, quæ obtinuerant, muniverunt, & præcipuè Hierusalem duplici muro, antemurali opposito, ac fossatis profundissimis cingentes, inexpugnabilem reddiderunt, dato Christianis securissimo conductu visendi sepulchrum Dominicum quæstus gratia: quod Dominus Apostolicus, ne pagani oblationibus Christianorum abuterentur, omnimodis interdixit, transgressoresque anathematis vinculo innodaverunt.

Pax Christianorum cum Sarracenis.

His temporibus Petrus cantor Parisiensis, & Alanus & Præpositinus magistri claruerunt. Horum prior librum distinctionum, librum Psalmorum, Evangeliumque unum ex quatuor, per continuas glossas subtiliter compilavit, & præter hæc alia multa. Alter verò multa conscribens exposuit: inter alios librum qui intitulatur Anticlaudianus, & regulas cœlestis vitæ, & contra hæreticos, & librum de vitijs & virtutibus, & de arte prædicandi, librumque suorum, & multa alia sana & Catholica conscripsit. Tertius nihilominus summam sententiarum cum multis alijs conscripsit. Ijsdem temporibus Lambertus Mediolanensis librum, qui sic intitulatur, *Frumenta cœlestis messis* & ita incipit: *Colligite frumenta ne pereant*, quantitate & subtilitate insignem, scripsit.

CAP. XLI.

ANNO Dominicæ incarnationis, M. C. XCV. Henricus Imperator apud Tarentum constitutus, navibusque omnium necessarium rerum affluentia onustis, per mare Christianorum exercitui transmissis, repatrare disposuit: nobilesque captivos triumpho reservans, in Germaniam præmisit: locis opportunis exiliatos conservari præcipiens. Nam filium Tancredi Regis adhuc puerum in Rhetiam Curiensem perductum, oculis privari, & in castro Amiso, perpetuæ captivitati addictum, custodiri præcepit. Qui ubi ad virilem ætatem pervenit, de transitoriis desperans, bonis operibus (ut fertur) æterna quæsivit, cœlestibus inhiando, quòd terrenis non potuit. Nam de activa translatus coactè, contemplativæ studuit, utinam meritoriè. Sponsam verò ipsius, filiam Constantinopolis Imperatoris, Imperator Philippo fratri suo desponsavit: Reginamque Apuliæ, uxorem Tancredi, Sibiliam nomine, filiamque ejus apud monasterium Virginum, Hohinburch dictum, in Alsatia custodiæ mancipavit. Margaritam verò Archipiratam & Richardum Comitem Imperatricis consanguineum, luminibus (ut dictum est) privatos, æternis vinculis apud Triuels deputavit: sicque victoriosissimus terra marique potens Augustus in Germaniam rediens, repatriavit.

Tancredi F. in castro Emps carcere mancipatur.

Uxor & filia in cœnobio Hohenburg.

Welf Dux obijt. Leopaldus etiam Dux Orientalis, nato apostemate in crure, ipsoque crure propter intolerabilem dolorem præciso, ingravescente dolore, vitam cum dolore terminavit. Eodem tempore Richardus Rex Anglorum in obsidione cujusdam castri sagitta occiditur: succedente ei in regno fratre ejus Johanne.

Welfo Dux senior & Leupoldus Austrius moriuntur.

CAP. XLII.

Tertia Germanorum in Syriam expeditio.

IISDEM diebus tertia expeditio transmarina mota, multos nostrorum partium Principes ad Hierosolymitanum iter cum multis alijs accendit. Inter quos primatum habebant venerabilis Maguntinensis Archiepiscopus Cunradus, nec non & Conradus Cancellarius, Episcopus Herbipolensis illustris. Huic expeditioni interfuerunt Fridericus Dux Orientalis, filius Leopaldi, pro patris animæ remedio suam positurus eadem via in mortem, sed temporalem ut sperandum est, animam: succedente sibi in Ducatu Leopaldo fratre suo: nec non Henricus Palatinus Rheni, filius Henrici Ducis Saxoniæ, sororius Regis Angliæ, frater Ottonis Imperatoris, cum Duce Brabantiæ de Löuin, multisque alijs præclaris Baronibus, cum expedita militia crucem suam tollentes, Christumque sequi cupientes, ad auxilium transmarinæ Ecclesiæ transfretaverunt, ibique adhuc de priori expeditione multos invenerunt. Quibus conjuncti, à paganis quotidie igne ferroque instantes, plurimam pervasæ terræ partem receperunt, castrumque Torolts natura & arte munitissimum obsederunt: quod & cepissent, si non auri sacra fames in mente quorundam Christo præponderans, id impedivisset. Nam sicut fertur, quidam de militibus templi à paganis corrupti pecunia, animum Cunradi Cancellarij, qui in hac ipsa obsidione præcipuè clarebat, cum quibusdam alijs, inflexerunt, eisque auri maximo pondere collato, obsidionem solvere persuaserunt: sicque vendito Christo, tradito paganis per castellum, sicut olim Judæis, recesserunt: nec tamen depretio taliter acquisito aliquod emolumentum, sicut nec Judas de triginta argenteis, consequuti sunt. Siquidem pretio corrupti, corruptum à paganis aurum metallo sophistico, auro in superficie colorato, receperunt: sicque in opprobrium sempiternum cum nota infamiæ meritò consequuti sunt. Id sanè castellum, si captum Christianorum potestati cessisset, vim paganorum in ea regione admodum contrivisset. Sed statim eodem Cunrado Cancellario repatriante, emenso mari ad Wirziburc sedem suam redijt: ibique postmodum contra regnum conspirans, & montem sanctæ Mariæ in ipsa Urbe pro castello muniens, publicè rebellavit, rebus Ecclesiæ multivariè dilapidatis, à quibusdam ipsius Ecclesiæ ministerialibus, quos in guerra

Cunradi Herbipol. Episcopi cædes.

guerra cum ipsis habita admodum injuriaverat, in ipsa civitate occiditur. Dicitur tamen de eo, quod in corpore ipsius quædam castigationis indicia inventa sint, quibus districtæ conversationis ipsi pœnitentia sit ostensa.

Sed ut ad digressa redeamus, exercitus peregrinorum apud Accaron constitutus, conversatione Templariorum, Hospitalariorum reliquorumque terræ Baronum scandalizatus, taleque commercium & quandam quodammodo secretam familiaritatem eorum cum paganis detestans, sed ab eorum auctoritate Ducatuque alienavit, auctoritate propria Regi cœpit, & multis tam publicis quàm privatis congressionibus cum paganis habitis, victoriam sæpius consequutus, actibus præclaris admodum enituit. Videntes itaque conpatriotæ militiam peregrinorum alacriter incedere, eisque pro voto cuncta succedere, sicut ab his qui eidem expeditioni interfuerunt, audivimus: plus eorum duſtriam quàm paganorum in malitiam metuentes, insidias parant, peregrinosque omnes dolo occidendos conspiratione cum paganis habita, deliberant, Henrico Rege eorum in id ipsum consentiente. Verebantur enim, ne si peregrini paganis prævalerent, eos patria pulsos arcerent, eamque vi obtinentes possiderent. Hacque de causa mortem vel captivitatem eorum machinati sunt. Nam quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quæ tempore tantis exercitibus parentes, regionem maritinam quæ fertilissima est, propter rerum ubertatem tantum obtinere delectantur, Jerusalem sepulchrumque Domini parvi pendentes ideoque tantorum proficientibus, Jerusalem conculcatur à gentibus. Igitur Henricus Rex cum suis fautoribus in fenestra altissimæ turris apud Accaron residens, ut fertur, & qualiter auxilio paganorum peregrinos morti exponeret, capiens consilium divinum judicium, in quod horrendum est incidere, expertus est, ac de fenestra cui insidebat pessima tractans, nutu Dei forinsecus corruens, quassatoque membratim corpore, spiritum exhalavit: sicque pravorum dissipato consilio, res ut proposuerant caruit effectu.

Christianorum æmulatio perniciosa.

CAP. XLIII.

HIS diebus Henricus Imperator, Friderico filio suo infante adhuc, Rege post se designato, contractu exercitu tertia vice Italiam intravit, ac Pyrenæum transiens, cunctaque in Tuscia & in Campania pro libito disponens, in Apuliam & Calabriam divertit, ibique potenter residens, ad obtinendam Græciam Imperiumque Constantinopolitanum intendit animum. Nam bello intestino fraternaque discordia pro regno exhaustam Græciam considerans: quo id modo fieret sagaci mente tractabat. Inter hæc Imperator Græcorum, missis ad eum legatis auxilium ipsius contra fratrem suum quæsivit. Qui habita deliberatione, omnes ad id voluntarios auroque Græcorum sollicitatos milites illuc direxit: salutem ipsorum in hoc negotio fortunæ committens. Itaque multi spe lucri eandem militiam aggressi, in Græciam transvecti sunt, illucque auxilio intenti, ubi se sperabant liberaliùs appretiari. Interea Græcorum Imperator à fratre captus luminibus privatur, & arcta custodia servatur: ipseque Imperium cum Urbe Constantinopolitana nactus, militiam Teutonicorum ad se vocatam, in gratiam Cæsaris liberaliter habuit, ipsorumque adjutorio prosperatus, regnum Græcorum obtinuit, filio excæcati eum pro posse impugnante. Hujus cæci Regis filiam, filio Tancredi, ut supra retulimus, desponsatam, Imperator Henricus apud Palermum repertam, Philippo fratri suo desponsaverat: hacque de causa idem cæcus Imperator desperatis rebus ipsum Philippum cum filia hæredem regni, à fratre ablati, adoptaverat, & ut hoc consequeretur, opem Augusti assiduè sperabat.

Henr. VI. tertia in Italiã expeditio.

Græcus Imp. à Latino auxilium contra fratrem petit.

His Constantinopoli ita gestis, Henricus Imperator in Sicilia manens, Imperij negotia in eisdem regionibus pro velle suo disposuit, judices regionibus jura civitatibus, leges potestatum dignitatibus constituens: insuper Insulas maris vectigales faciens, Imperium admodum dilatavit: exercitu ejus cum instructis navibus & munitis galinis maritima percurrente.

CAP. XLIV.

Philippus Dux Alemanniæ.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. XC VI. Henricus Imperator, mortuo fratre Cunrado, Philippo fratri ſuo qui in Sicilia interim cum eo manebat, data ſibi ſponſa ſua, filia Conſtantinopolitani Imperatoris, ducatum Alemanniæ conceſſit, ipſumque cum eadem ſponſa ſua in Germaniam deſtinavit. Qui in Alemanniam perveniens, apud Auguſtam urbem in Pentecoſte armis cinctus, nuptias magnificè celebravit, in loco qui Gunzinlech, à quibuſdam concio legum, dicitur: ac poſtea aſſumptis militibus, alpes tranſcendens, in Siciliam ad Imperatorem redijt, citatus ab eo, negotijs ſuis per omnem Ducatum Diethelmo Conſtantienſi Epiſcopo commendatis.

CAP. XLV.

Hen. VI. Imperatoris obitus.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. XCVII. Henricus Imperator, hoſtibus Imperij circunquaque ſubactis, terra marique potens, in ultimis Siciliæ finibus conſtitutus, immatura morte præventus eſt. Cujus mors genti Teutonicorum omnibusque Germaniæ populis lamentabilis ſit in æternum: quòd aliarum terrarum divitijs eos claros reddidit, terroremque eorum omnibus in circuitu nationibus per virtutem bellicam incuſſit, eosque præſtantiores alijs gentibus nimium oſtendit futuros, ni morte præventus foret: cujus virtute & induſtria decus imperij in antiquæ dignitatis ſtatum refloruiſſet. Itaque apud Meſſanam civitatem Siciliæ defunctus, ibidem cum maximo totius exercitus lamento cultu regio ſepelitur, filium ætatis annorum quatuor relinquens.

Philip. Cæſaris frater cũ periculo Italiam evadit.

Poſt cujus mortem Philippus Dux Sueviæ maximo periculo inſidias illorum Provincialium declinans, vix repatriavit. Nam (ut prælibatum eſt) ab Imperatore prius citatus erat hac de cauſa, ut filium ipſius ex Apulia perduceret in Germaniam, ubi à Principibus in Regem electus à Colonienſi Epiſcopo inungeretur, ut moris eſt. Imperator enim in Italiam migrans, eundem filium ſuum cum conſenſu Principum cunctorum, præter Colonienſis Epiſcopi, Regem poſt ſe deſignaverat: qui tamen poſtea reſipiſcens, puerum in Regem collaudavit. Hoc itaq; negotio Philippus Dux in Italiam profectus, cùm veniſſet Romam, mortuum Imperatorem percepit: ſtatimque regrediens, in Tuſcia & in Italia inſidijs diverſorum periclitatus, vix evaſit: ſicque negotium hoc inefficax permanſit, puero in Sicilia cum matre remanente.

Iiſdem temporibus compatriotæ earundem regionum, ſcilicet Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, memores injuriarum, quas ab Imperatore Henrico ſuſtinuerant, in gentem Teutonicam maxima ſunt invidia efferati, acceptam injuriam pro poſſe in eos vindicantes: eaque de cauſa multos peregrinos gentis Teutonicæ de transmarina expeditione remeantes per terram illam, mortuum Imperatorem neſcientes, multis modis injuriabant: nulluſque ſine injuria illæſus tranſire poterat, abſque armis & ſine comitatu multitudinis: multiſque diebus hæc duravit invidia.

CAP. XLVI.

ANNO Dominicæ incarnationis M. C. X C V I I I. Celeſtino Papa decedente, Innocentius tertius ſubſtituitur.

Philip. Dux in Imperii tutorem deligitur.

Igitur mortuo Henrico Imperatore, Philippus Dux Sueviæ frater ipſius, regreſſus in Alemanniam de partibus Tuſciæ, ſatagebat omnimodis, ut Principes electionem quam circa filium Imperatoris fecerant, ratam haberent. Orientales itaque Principes, videlicet Dux Bavariæ & Bernhardus Saxoniæ, cum cæteris Baronibus, & Epiſcopi Magdeburgenſis, & Salzaburgenſis, cum cæteris Epiſcopis Orientalibus diem colloquij in partibus Turingiæ apud villam Arniſperc præfixerunt. Quo veniente Philippo Duce cum cæteris quos ſupra diximus, habito conſilio, ipſum in defenſorem Imperij eligere decreverunt, quoad uſque nepos ſuus, Imperatoris filius, dudum tam ab ipſo quàm à cæteris Principibus electus, in Alemanniam deveniret. Soluto ergo colloquio, ad oppidum Mulnhuſen venientes, promiſſa ſibi ſubjectione digreſſi ſunt.

Archiepiscopus verò Coloniensis & Treverensis & quidam Episcopi, & Henricus Palatinus Rheni, cum aliis Baronibus illarum regionum aggregati, electionem filij Imperatoris cassantes, vocaverunt Ducem Bertoldum de Zaringem, ipsum in Regem eligere volentes. Qui cum ad diem condictam Coloniam venisset, dissuasus à Consiliariis, ne electioni eorum consentiret, propter contradictionem Principum Orientalium, & electionem filij Imperatoris jam factam, promisit se de his deliberaturum. Regressus igitur ab eis, datis obsidibus die constituto reversurum se promittens. Quo non reverso, retentis obsidibus, pecuniam quam sub conditione promiserat, obsides dare coëgerunt: mittentesque Comitem Emichonem de Liningen, vocaverunt Ottonem, Henrici quondam Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, quem venientem Regem creaverunt, faventibus quibusdam illarum partium civitatibus: Sic ergo divisis contra se regni Principibus, regnum cisalpinum contigit plurimùm desolari. Principes etenim, qui electionibus Regum non interfuerant, postmodum se vicissim ad alterum eorum conferebant, Lupoldus videlicet Dux Orientalis & Rex Bohemiæ, nec non etiam Landgravius de Duringin, & Bertoldus de Zaringin ad Philippum: Dux Brabantiæ ad Ottonem & quidam alij.

Bertoldus Zeringensis oblatum imperialem electionem respuit.

Otto Saxo à quibusdam Rex eligitur.

Itaque uterque Regum pro principatu suo agens, bellum hoc civile penè per XII. annos pertinaciter protelarunt. Nam Philippus regalia tradente sibi Imp. fratre suo tenens, omnesque thesauros ipsius, possessionesque prædiorum, aliorumque fratrum suorum, ditissimorum videlicet Principum, ipsorum hæres, solus obtinens, Principes Ottoni faventes, quosdam minis, quosdam promissis & donis, in sui partem transduxit, & innumeras expeditiones sæpissimè contra Ottonem promovit, civitates castellaque per diversa loca expugnans, rebellantes undique ad deditionem coëgit. Otto verò auxilio fretus Henrici Palatini fratris sui, & Coloniensium, impetus Philippi constanter sustinuit, archisoliumque quod Aquisgrani est adeptus, à Coloniensi Episcopo cooperante Treverensi, qui ad hoc specialiter privilegiati sunt, in Regem unctus, gloriabatur, se etiamsi non regalia jura tamen & loca regalia retinere.

Bellum civile in Germania.

Otto in Regem Rom. ungitur.

CAP. XLVII.

HIS temporibus, ut veraci relatione comperivimus, Sacerdos quidam sanctæ conversationis, nomine Volco, in Francia, in Parisiensi diœcesi, cujusdam Ecclesiæ parochianus, verbo prædicationis per omnes Franciæ partes instans, gratia miraculorum mirificè claruit: ac præcipuè in Parisiensi civitate vitia Deo odibilia & maximè avaritiam ejusque accidens usuram, Sodomiticumque scelus, reprehendit: & nunc minis, nunc blanditiis, nunc increpationibus, omnes verbum audientes ad pœnitentiam invitavit: atque (sicut percepimus ab his qui interfuerunt) laborantibus variis languorib. per impositionem manus contulit sanitatem, reddens cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam. Hæcque sic evidenter & confidenter egit, ut in digito Dei hæc eum operari non dubitaretur. Ergo tam præclara tamque multa miracula per eum Deus ostendit, ut antiquis sanctis omnimodis posset in hoc dono Dei æquiparari. Non ergo temerè opus prædicationis assumpsit, sed auctoritate Domini Papæ Episcoporumque præcepto ad hoc accessit: asserens, quod beata virgo Maria sibi apparens, ad hoc eum officium informaverit, & ut pœnitentiam populo prædicaret, admonens, datam sibi à Deo gratiam sanitatum intimavit. Igitur pauca de pluribus (sicut Bertoldus de Osinberc Henrico custodi Argentinensis Ecclesiæ de Veringin, postea ejusdem Ecclesiæ Episcopo, transcripsit, qui his interfuit) in medium producentes, declarabimus: ad ostendendum, cum quali confidentia ea operatus est. Allatis denique ad eum mutis, sicut idem Bertoldus oculis suis vidit, ora eis aperiens insufflavit, eisque ut loquerentur imperavit. Qui si aliquandiu morarentur, eos in maxilla cedendo, quasi per vim Spiritus Sancti Verbum ab eis violenter extorsit, statimque loquentes reddidit. Contigit quoq; eum quadam die caussa quadam ad Regem Franciæ pergere: cui occurrentes milites, quendam adolescentem cognatum suum debilem & contractum obtulerunt, & ut ei manum imponeret, suppliciter petierunt. Quos ille de pompali admodum superfluitate acriter reprehendens, contracto, ut equo quo sedebat descenderet, imperavit. Itaque puer omnino debilis, cum se movere non poterat; iteratò Sacerdos ei duxit: In nomine Dn. Jesu Christi

Miraculosa vita Volconis Sacerdotis Galli.

Bertoldi Baronis de Vesinberg epistola.

præcipio tibi ut descendas. Cùm nec ad hanc vocem æger posset descendere: Dominus Volco (nam & ipse equo sedebat) equum ad eum urgens, quasi eum percussurus baculum quem manu gestabat elevavit: ægroque per hoc stuporem incutiens, eumque præ timore de equo corruentem elevans, sanum continuò reddidit, eumque per aliquod campi spatium coram se gaudentem currere fecit. Inter cætera virtutum ejus insignia, fœneratorem quendam ditissimum videns in spiritu ad vitam esse prædestinatum, occasione prandendi cum eo ad salutem ejus sumpta, domum ejus ingressus est. Ad quem vir Dei: Quid, inquit, pransuri sumus hodie? Cui dives: Non est necesse Domine nos hoc inquirere: quòd quicquid civitas optimum habere poterit in cibis, nobis hodie non deerit: Quare vir Dei clericis qui secum venerant assumptis, coquinam ejus intravit, & coquo ut singula fercula se præsente exponeret, jussit. Quod dum faceret (mirum dictu) pro variis & pretiosis quæ imposuerat, aut ranas de singulis aut serpentes exposuit. Quo viso, omnes qui aderant in stuporem conversi sunt, & præcipuè dives ille se peccatorem agnoscens, pedibus ejus provolvitur: se peccatorem, se criminosum proclamans, & ut sibi viam vitæ per indictam pœnitentiam ostendat, summopere precatur. Ad quæ Sacerdos: Immundus es tu, & omnia quæ habes. Et nisi omnia quæ ex usuris vel quolibet modo injustè acquisivisti, reddideris, ac deinde omnibus justè acquisitis in pauperes erogatis, per eleemosynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis. Cui dives obediens, ac septimanas nihil agens, hæc devotus implevit. Dehinc ad virum Dei reversus, nihil sibi remansisse indicavit. Quidam autem ex amicis ejus astans, se adhuc in vase XX. maltra tritici de rebus ejus reservasse indicavit, quæ dives alia expendens oblitus erat. Sacerdos igitur assumpto divite, turba clericorum amicorumque ejus & multorum aliorum comitante, ad vas accessit, ipsumque aperiens, bufonibus, serpentibusque plenum reperit. Sacerdos autem ad divitem versus: Si vis, ait, perfectus esse, & certus de divina misericordia & venia, vas istud ingredere nudus, & ego tibi vitam æternam promitto. Cui ille magna fide obediens, coram omnibus in remissionem peccatorum suorum nudus intravit: clausoque vase ac signato super eum, Sacerdos omnes usque in crastinum abesse præcepit. Itaque sequenti die, cum eis qui hoc viderant & cum multis aliis ad locum venit, & aperto vase, nihil præter humana ossa, super nivem candida, invenit. Quæ in medium proferens, sancta & veneranda esse protestatus est, & cum gaudio & admiratione omnium in loco honesto reposuit. Meretricum autem sectam, quæ infami commercio vitam suam probrosè prostituerant, omnimodis in ea regione deposuit, easque verbo prædicationis conversas, plures truncatis crinibus, habitu religionis induit, professione perpetuæ castitatis. Alias autem quæ continere non præsumebant, casum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia, legitimo connubio reformavit. Ad quod efficiendum Parisienses scholares ducentas quinquagintas libras erogaverunt argenti, Burgenses quoq; mille & amplius.

Hujus Sacerdotis conversatio non multum simulata religione fuit. Vestes enim pro consuetudine ipsius terræ habens, barbam frequenter radebat, caput decenti pileo cooperiens. Vadens ad prædicandum equo utebatur: & in quamcunque domum receptus est, modo justi prædicatoris comedit & bibit quæ sibi apponebantur. Magistrum etiam Petrum, virum apprimè eruditum, ad officium prædicationis assumpsit, eiq; gratiam curationum à Domino impetravit: reliquos Magistros, ut compendiosas, & dulces, & utiles in timore Domini discipulis facerent lectiones, adhortans. Dialecticos enim inutilia abijcere, utilia in hac arte monuit reservare. Decretistas quoque de multis inutilibus & lectionem gravantibus concordantiis reprehendit. Theologos autem de longis continuationibus & sophisticis disputationibus redarguit: reliquarumque artium Magistros simili modo increpans, eos de multis inutilibus correxit, atque ad necessaria tractanda & docenda informavit. Hic Sacerdos quid egerit his peractis, vel quo fine defecerit, ignoratur: sapientioribus, quia de ejus transitu nihil memoria dignum, ex hoc admodum scandalisatis. Sed hoc frustra, cum possit multipliciter honestè defendi.

CAP.

CAP. XLVIII.

IGitur Innocetius Papa Philippo jam antea offensus, eò quòd in Tuscia existens quoddã patrimonium sancti Petri invaserat, ipsum in Regem eligere non consensit, sed Ottoni favens, ipsum in defensorem Romanæ Ecclesiæ collaudavit. Veruntamen procedente tempore videns vires Ottonis ablatas, & favore Principum admodum concidisse, Philippum verò, subjectis Ottonis fautoribus, prævaluisse ipsi, duos Cardinales ex latere suo, Hugonem videlicet Ostiensem & Velletrensem Episcopum, & Leonem tituli sanctæ crucis in Jerusalem Presbyterum Cardinalem ad eum direxit, ut auctoritate Apostolica ad litem terminandam data ab utrisque pace, ad diem & locum condictum Reges convenirent, ibique mediantibus Cardinalibus aliisque Principibus, qualicunque conditione pax inter eos reformaretur. Itaque die condicta in inferioribus Rheni partibus, non procul à Colonia, convenientes, post multa passim tractata, Ottoni à Philippo per Cardinales offertur, ut accepta in uxorem filia ejus cum ducatu Alemanniæ, aliorumque prædiorum suorum reditibus, regio nomine deposito ipsi de cætero ut Regi parêret Philippo ex hinc sine controversia regnante. Adhæc Otto, quamvis jam desperatus, indignè ferens aliqua sibi pro regno offerri, se regnum non nisi cum morte depositurum protestatus, Philippo ut sibi cederet multò majora obtulit. Talique ambitione non convenientes, infecto negotio ab utroque discessum est: Cardinalibus ad Regem Philippum se conferentibus, eique favorem Domini Apostolici offerentibus.

NB factum Pontificis.

Inter Philippum & Ottonem pax tentatur.

CAP. XLIX.

ANNO Dominicæ incarnationis M. CC. V. Dux Venetiarum cum Marchione de Monteferrato, ac multis Italicis, nec non Comes Flandrensis, plurimique de Regione Galliarum, Hierosolymitanæ Ecclesiæ subvenire nitentes, cruce accepta per Græciam iter arripiunt, ubi à Græcis maximè à Constantinopolitanis multis versutiis & injuriis irretiti sunt. Unde permoti, profligata circa Urbem Regiam universa Regione, belloq; cum Imperatore habito, ipsoque cum multis occiso, Urbem obsessam expugnantes irrumpunt, in rapinamque efferati, nec Ecclesiis parcentes, auri & argenti aliarumque rerum inæstimabiles thesauros diripuerunt: Venetianis cum Pisanis, Januensibusque, ac de multis de omni Italia, Ungaria, Germania, Gallia, Hispania, ad auxilium eorum spe lucri tendentibus. Itaque multis occiduis Regionibus divitiæ Græcorum invectæ sunt; ac præcipuè ornatus templi, quod Justinianus Imperator in honorem sanctæ Sophiæ quondam construxit, multo auri extans pondere cum reliquiis sanctorum innumerabilium, quibus hæc civitas præstabat omni Orienti, Venetiam ex maxima parte translatus est: aliis Regionibus civitatibusque eisdem reliquiis thesaurisque admodum ditatis. Præterea Abbas quidam nomine Martinus, Cistertiensis ordinis, de monasterio Perisio, quod situm est in Alsatia, eandem expeditionem aggressus, huic expugnationi Constantinopoleos interfuit: indeque maximam partem vivificæ crucis, aliarumque reliquiarum Dominicarum, cum multis Sanctorum reliquiis, ornatis auro & argento & lapidibus pretiosis in Patriam transtulit: hisque totam Germaniam cum Alsatia admodum nobilitavit.

Latini Constantinopolim occupant.

Martinus Abbas in Peris Alsatia.

Sic itaque districtus judex omnipotens Deus injurias peregrinorum suorum vindicavit, quæ à Græcis ab antiquo omnibus Jerusalem per fines suos tendentibus, semper irrogata est. Deus ultionum Dominus, reddens retributionem superbis: nec tamen in ira suæ misericordiæ oblitus, quòd hoc flagellum non à paganis, sed à Christianis, super filios Pestilentiæ induxit: hoc nimirum meritis Sanctorum exigentibus, ne præclaræ eorum reliquiæ manibus paganorum polluerentur, sed à Christianis aliò translatæ, debito colerentur honore. Itaque Latini nec non Teutonici pulsis seu occisis Græcis civitatem Regiam obtinentes, Comitem Bonifacium Regem creaverunt, totamque Græciam devastantes, variis præliorum eventibus cum Græcis decertarunt. Sed de his hactenus.

Bonifacius Comes Rex Constant. creatur.

CAP.

CAP. L.

ANNO Dominicæ incarnationis M.CC.VIII. Philippus Rex subjectis sibi multis modis omnibus penè Ottonis fautoribus, ipsum postremò persequi deliberat, contractoque valido exercitu contra Brunsvvic ire disponens, in civitatem Babinbergensem divertit, exercitu jam in procinctu constituto: ibique phlebotomatus aliquandiu quiescere voluit. Itaque Otto Palatinus de Witilinspach, remordente memoria injuriæ sibi in ablatione filiæ à Philippo Rege exhibitæ (desponsatam enim illi filiam prætenta consanguinitatis propinquitate negaverat) tempus opportunum ratus, atque instigatione Marchionis de Anedehse animatus, in vindictam exarsit, sociorumque frequentia stipatus, quasi in expeditionem iturus, *Babinberc* ad Regem Philippum divertit, & quasi ei in aurem loquuturus cubile Regis familiariter pulsavit, gladio sub veste latente. Intromissus igitur continuò exerto gladio Regem invasit, unoque ictu capite letaliter vulneratum occidit: vulnerato etiam Henrico dapifero de Walpurg, qui eum compræhensum retinere voluit: sicque cubili erumpens, ascenso equo cum sociis secessit, Rege statim expirante. Exercitus igitur audiens Regem occisum, veloci regressu repatriavit, sibi rebusque suis quasi prospiciens. Nam quaquaversum omnes in rapinam efferati, civitates ad jus Philippi spectantes plerasque rebus direptis, succenderunt, monasteriis villisque undique spoliatis: nullusque sine armis multoque Comitatu securo itinere incedere valebat.

Philippi Regis cædes.

Otto regnum pacatè possidet.

Occiso igitur Philippo, anno belli hujus civilis duodecimo, Otto regnum, pro quo diu conflixerat, tandem obtinuit. Sed quia admodum attenuatus fuerat, paulatim conversis ad se Principibus confortatur. A nativitate itaque sancti Johannis Baptistæ, quando videlicet occisus est Philippus usque ad Autumnum, attrahendis sibi regni possessionibus & conciliandis Principibus instans, circa festum sancti Martini curiam apud Frankinfurt habuit. Itaque lege pacis promulgata, regnum turbatum paulisper tranquillavit. Post hoc apud castrum Noricum colloquium habens, à Bavaria in Alemanniam pervenit, ibique in Epiphania Domini apud Augustam colloquium habens, Ottonem Palatinum de Witilinspach nec non Marchionem de Anadehse lege Bavarica sententialiter, propter occisum Philippum, proscripsit, eosque dignitatibus, beneficiis, ac prædiorum suorum reditibus, sine spe recuperationis, judicialiter privavit, dignitates eorum in alios transferens, aliisque beneficia concedens, reditibus prædiorum hæredibus eorum delegatis: captisque ibidem V. pacis violatoribus, uno decollato, quatuor suspensis. Ubi etiam legatis civitatum Italiæ ad eum venientibus insignia civitatum cum clavibus aureis & multis aliis donis, offerentibus, ac per hoc subjectionem profitentibus, susceptis, in Saxoniam perrexit.

Cæsaris percussores proscribuntur.

CAP. LI.

Conventus Imperii Hagenoiæ.

ANNO Dominicæ incarnationis M.CC.IX. Otto Rex generale colloquium in Quadragesima habens apud Hagenovve, expeditionem in Italiam Principibus edixit: ibique occisum esse Ottonem Palatinum de Witlinsbach à Marscalco Henrico à Kallindin, in vindictam Philippi Regis, nuncium accepit. Igitur fortuna prosperis successibus arridente, ne principes qui cum Philippo fuerant, & hi qui Ottoni prius adhærentes demum apostataverant Regem conscientia remordente suspectum haberent, medium quoddam necesse fuit interponi: ne occasione, ut fieri solet, alicujus discordiæ conflata, in pristinum rursus exitium regnum involveretur. Ad hoc nullum magis idoneum inveniri potuit, quàm ut Otto Rex acciperet in matrimonium Philippi filiam, quæ connexione insolubili concordiam inter Regem & Ptincipes stabiliret. Et quia hoc sine licentia Apostolicæ auctoritatis fieri non licuit, cognatione impediente (nam Pater Ottonis avunculus fuit Friderici Imperatoris, Patris Philippi) missi sunt à sede Apostolica Cardinales duo, Hugo Ostiensis & Velletrensis Episcopus, & Leo tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis, qui priore anno vivente Philippo pro eadem caussa (ut prælibatum est) legatione functi erant, ut necessaria dispensatione connubium hoc gratia pacis & concordiæ, auctoritate beati Petri, ex Apostolica conniventia initum, ratum & legitimum statuerent, idque remoto omni scandalo, Ecclesia dispensante

Coniugium inter Ottonem & Philippi filiam.

sante probabile confirmarent. Qui ad Regem venientes, eumque Apostolica benedictione salutantes, caussam legationis suæ ut relatum est, aperiunt, eumque libenti animo consentientem ad hoc, ad defensionem Romanæ Ecclesiæ invitaverunt.

Itaque ad hæc exequenda generalis curia à Principibus apud Herbipolim indicitur, in octava Pentecostes. Principes igitur ex diversis regni partibus ad hanc curiam convenerunt, legatique civitatum Italiæ subjectionem offerentes, interfuerunt, Ottonemque Regem regali ambitione coronata civitate, cum maximo tripudio susceperunt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali, Rex conscendit. Cardinales habens collaterales, reliquis Principibus circumsedentibus. Itaque Hugo Ostiensis Episcopus Cardinalis primò exorsus, de caussa regalis connubij pro qua convenerant, rationabiliter Latino idiomate allegavit, interpretem habens Wirziburgensem Episcopum, Regique Ottoni, ut pro bono pacis & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filia illustrissimi Principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & beati Petri, per Apostolicam obedientiam, in remissionem peccatorum suorum, præcepit. Rege igitur ad hoc devoto animo consentiente: Abbas Morimundensis, Cistertiensis ordinis, surrexit, omniumque Abbatum aliorumque claustralium utriusque ordinis, Cluniacensis videlicet & Cistertiensis, personam assumens, delictum hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ quamvis dispensatoriè committendum, monastico ordini auctoritate Apostolica imposuit: Regi per hoc injungens pœnitentiam, ut monasteriorum, aliarum Ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis & pupillis justo judicio præesset, monasteriumque Cistertiensis ordinis in fundo proprio ædificaret, ac post hæc Ecclesiæ Hierosolymitanæ in propria persona subveniret. His omnibus Rege obediente: puella jam nubilis à Duce Leopaldo orientali & Ludovico Duce Bavariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecunda ta admodum rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à Duce Leopaldo cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum, Regi Ottoni desponsatur, à quo amantissimè amplexata, publici signo osculi, mutuationeque annulorum subarrhatur: tractatisque diversis regni negotiis, à curia digrediuntur, reginaque Saxoniam perducta apud *Brunsvvich* aliquandiu mansura collocatur.

Conventus Herbipoli regalis connubij.

NB.

CAP. LII.

ISDEM diebus Otto Rex generalem curiam, circa festum Apostolorum Petri & Pauli, apud Augustam Vindelicam celebrans, præmissis prius ad Apostolicum Cardinalibus, expeditionem movit in Italiam, & per vallem Tridentinam Ducens exercitum, Veronam pervenit: ibique à civibus, ponte navibus compacto, per Athesim cum toto exercitu transductus, favorabiliter excipitur. Dispositis itaque inibi negotiis Imperij, Gardam castellum ab Imperatore Henrico VI. Veronensibus quondam traditum, ab ipsis recepit, & in eo præsidia Imperij more antiquorum posuit. Exin Bononiam copias traijciens, generalem inibi curiam cum Principibus Italiæ celebravit, ac inde Mediolanum perveniens, honorificè à civibus suscipitur. Ubi moram faciens negotiaque Reipublicæ disponens, validum ex omni Italia contraxit exercitum. Pyrenæum transiens Tusciam applicuit, nuntios ad Dominum Apostolicum Patriarcham Aquileiensem & Episcopũ Spirensem Cancellarium suum, Romam præmisit. Qui ex persona Regis compositione imperialis consecrationis cum Apostolico facta, ad Regem regrediuntur, ipsũq; cum universo exercitu ex parte Domini Apostolici filiali affectu compositionem consecrationis intimantes, salutaverunt. Qui mox ad Urbem tendens exercitum castrametari ante portas Urbis fecit: ipseque crastina die Dominica ante festum sancti Michaelis, quæ eo anno V. Calend. Octob. evenit, à Domino Papa Innocentio & à Romanis honorificè suscipitur, datoque Sacramento, coram Ecclesia se justum judicem ac viduarum & orphanorum tutorem, nec non Ecclesiarum & præcipuè patrimonij sancti Petri, defensorem pro posse existere, ab Apostolico consecratus coronatur, Imperatorisque & Augusti nomen, nonagesimus sextus ab Augusto sortitur. Consecrationem igitur desideratam adeptus, cum magno tripudio ab Urbe recedens, in partes Tusciæ divertit.

Otto Cæsar in Italiam movet.

Ottonis consecratio & coronatio.

NB. Sacramentum Imperatorum.

F I N I S.

III.

HERMANNI CONTRACTI è COMITIBUS VERINGENSIbus, majoris Augiæ Monachi, Chronicon de ſex mundi ætatibus : in quo veteri editioni alia quædam, priore & locupletior & emendatior, è regione reſpondet.

u

HERMANNI CONTRACTI VITA.



ERMANNUS cognomento Contractus, ex illustri Comitum Veringensium, in Alpibus Sueviæ & ad Danubium supra Riedlingam oppidum ditionem habentium, familia prognatus fuit, ijs (ut videtur) annis, quibus Henricus sanctus Romani Imperij clavum tenuit. Parentes ejus qui fuerint, subjecta stirpis Veringensis διατύπωσις *ostendet. Comitatu eo Hohenzolrenses dynastæ hodie potiuntur. Contracti nomen accepit, à vitio membrorum, quibus ab infantia captus fuit: quàm fortè ob causam monasticæ vitæ traditus, linguis, artibus ac Disciplinis tantò fideliorem navavit operam, ut corporis defectus, mentis viribus opibusque sarciret. Nauclerus de illo proditum refert, eum natura hebeti ingenio præditum, multis precibus à Deo optionem impetrasse, vel sani & inviolati corporis: vel membris omnibus præter linguam invalidi, ingenij tamen sapientia & eruditione exculti: eumque posterius illud delegisse. Sane in infelici corporis structura, felicissimum ingenium delituisse, lucubrationibus suis testatum fecit: & Bertoldus* σύγχρονος *& continuator ejus de eo scribere non veretur, omnes illum sui temporis viros sapientia & virtutibus præcelluisse. Trithemius verò eum trium linguarum, Græcæ, Latinæ & Arabicæ peritissimum fuisse perhibet.*

Monachus fuit regalis cœnobij Augiæ majoris (vulgus à divitijs die Reichenow *appellat) siti in Insula lacus Cellensis seu inferioris, qui Acronij vel Bodamici appendix est, ordinis Benedictini, in quod olim non nisi Principum, Comitum atq; Magnatum liberi recipiebantur, exclusis ingenuis & humilioris gradus hominibus. Atq; in eo monasterio auctorem hunc & vixisse & floruisse, præter manuscripti Codicis* ἐπιγραφὴν, *quæ illum Augiensem Monachum disertè testabatur, ex aliquot hujus Chronici locis rectè colligi ac comprobari posse videtur. Vt sub anno Domini* 1048. *inquit:* Imperator Augiam NOSTRAM ingressus, *& mox:* festo S. Marci apud NOS acto, & c. *Item, sub anno* 1053. *ait:* Werinharius frater MEUS Augiensis monachus, &c. *Quamobrem opinionem Abbatis Spanheimensis, cœnobitam S. Galli eum facientis, neutiquam admitto: præter exemplaris fidem suffragatorem hac in parte habens Sebastianum à Rotenhan, Equitem Francum, in Epistola, Reginoni à se edito, subjecta. Prædictus Abbas è libris Contracti abs se repertis, sequentes recenset: Chronicon præsens, de Musica, de Monochordo, de compositione Astrolabij, de ejusdem usu, de computo Ecclesiastico, de ecclipsibus, de quadratura circuli, de conflictu rythmomachiæ, de Physiognomia, de sanctorum vitis libros singulos, hymnos denique varios tam prosa quàm ligata oratione concéptos.*

Ex hisce libris unicus hic de sex mundi ætatibus, in Doctorum manus prodijt, quem fortè veterum, utpote Eusebij, Hieronymi & Bedæ Chronologiarum continuandarum consilio, earundem quinetiam imitatione, ad suam usq; ætatem pertexuit, sic tamen ut non uno tempore elaboratus esse videatur. Quem enim hactenus excusum vidimus, ex antiquo exemplari cœnobij Sangallensis in Helvetia, transcriptus esse dicitur, qua fortè conjectura Contractus Sangallensis Monachus habitus fuit. Quem autem in præsentiarum damus, apographum est veteris Codicis, in bibliotheca S. Georgij Hercyniæ sylvæ quondam reperti. Qui cùm non solùm plenior, sed & emendatior, cæterisque Chronographis magis consentiens esse videatur: idcirco arbitror auctorem hunc fœtum illum primò utcunque formatum, lambendo deinceps magis politum & exactum reddidisse, atque adeò exemplum illud prioris, hoc verò posterioris manus esse censendum. Ego, ne meo judicio nimiùm tribuisse videar utrunque conjunctim edere volui. Obijt Hermannus, anno salutis 1054. *in quem usq; hocce Chronicon perduxit, humatusque traditur Alschhusæ in prædio suo, quod ordinis Teutonici per Alsatiam & Burgundiam magistro hodie paret.*

FAMILIA VERINGENSIS.

Wolferadus Comes in Veringen Bertha uxor.
- Wolferadus obiit, 1069. Hiltrud uxor. ⊖ 1052.
  - Lutpoldus, infans extinctus.
  - Hermannus Contractus, Monachus.
  - Wolferadus Comes, ⊖ 1065.
- Manegoldus, ⊖ 1104. Leuthildis uxor. ⊖ 1106. fundatores cœnobij Isnensis.
  - Waltherus, periit in bello ad Idungsheimium. 1109.
  - Wolferadus.
- Irmingardis Comitissa de Veringen ... Manegoldus.

Anno 1357. vixêre Mangoldus Comes à Veringen, & Eberhardus filius ejus.

HER-

HERMANNI CONTRACTI COMITIS VERINGENSIS, MONACHI AUGIÆ CHRONICON.

De sex mundi ætatibus.

PRIMA est mundi hujus ætas, ab Adam usque ad Noæ, continens annos, juxta Hebraicam veritatem, M.DC.LVI. juxta Septuaginta Interpretes, M.M.CCXLII. generationes juxta utramque editionem numero decem. Quæ universali deleta est Diluvio: sicut primam cujusque hominis oblivio demergere consuevit ætatem. Quotus enim quisque est, qui suam recordetur infantiam? *Ad verbum ferè è Chronicis Bedæ presbyteri.*

Secunda ætas, à Noe usque ad Abraham, generationes juxta Hebraicam veritatem complexa decem, annos autem CCXCII. Porrò juxta Septuaginta Interpretes, annos M.LXXII. generationes verò undecim. Hæc quasi pueritia fuit gentis populi Dei, & ideo in ea lingua inventa est, id est Hebraica. A pueritia namque homo incipit loqui nosse, post infantiam, quæ hinc appellata est, quòd fari non potest.

Tertia ab Abraham usque ad David, generationes juxta utramque auctoritatem quatuordecim, annos verò DCCCCXLII. complectens. Hæc quædam velut adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate quia incipit homo posse generare, propterea Matthæus Evangelista generationum ex Abraham sumpsit exordium: qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit.

Quarta à David usque ad transmigrationem Babylonis, habens annos juxta Hebraicam veritatem CCCCLXXIII. juxta Septuaginta translationem, duodecim amplius, generationes juxta utrosque codices septendecim, quas tamen Evangelista Matthæus, certi mysterij gratia, quatuordecim ponit. A qua velut juvenili ætate in populo Dei Regum tempora cœperunt. Hæc namque in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno.

Quinta quasi senilis ætas, à transmigratione Babylonis, usque in adventum Domini *& incarnationem* Salvatoris, est generationibus, & ipsa quatuordecim, porrò annis DLXXXIX. extenta, in qua ut gravi senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur.

Sexta quæ nunc agitur ætas, nulla generationum vel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita ipsa totius seculi morte consummanda. Has ærumnosas plenasque laboribus mundi ætates, sancti quique felici morte vicerunt, septima jam sabbati perennis ætate suscepti, octavam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

¶ PRIMA igitur ætate seculi nascentis, prima hujus die, fecit Deus lucem, quam appellavit diem. Secunda, firmamentum cœli in medio libravit aquarum, ipsis aquis ac terra cum cœlo superiore, ac virtutibus, quæ in eo conditorem laudarent, ante horum sex dierum exordium creatis. Tertia die, congregatis aquis in suum locum, quæ cuncta contexerant, aridam jussit apparere. Quarta, sydera in firmamento cœli posuit, quæ nunc quantum æquinoctij conjectura colligimus, XII. Cal. Aprilium dies vocatur. Quinta, natatilia & volatilia creavit animalia. Sexta, animalia terrestria, & ipsum hominem formavit Adam, de cujus latere dormientis matrem omnium viventium produxit Evam: quæ nunc, quantum mihi videtur esse credibile X. Cal. Aprilium dies appellatur. Unde meritò creditur (si non verior sententia vincit) quòd beatus Theophilus cum cæteris, non solum Palæstinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, de Pascha disputans, scripsit, eodem decimo Calend. Aprilium die Dominum fuisse crucifixum. Decebat enim una eademque, non solùm hebdomadis sed mensis die, secundum Adam, pro generis humani salute vivifica morte sopitum, de productis è latere suo sacramentis cœlestibus, sponsam sibi sanctificare Ecclesiam: qua videlicet die primum Adam, pa- *Prima nascentis mundi ætas.*

trem videlicet humani generis ipse creaverat, eique de latere costam tollens, ædificavit mulierem, cujus adjutorio genus propagaret humanum. *Anni mũdi.*

Adam annorum CXXX genuit Seth, cui supervixit annis DCCC. Verùm septuaginta Interpretes ante natum Seth posuére annos CCXXX postea DCC. Seth interpretatur resurrectio, significans resurrectionem à mortuis Christi, cujus mortem illatam à Judæis, significat Abel, qui dicitur luctus, à fratre Cain occisus. 130

Seth annorum CV. genuit Enos, cui supervixit annis DCCCVII. Porrò Septuaginta ante natum Enos annos CCV. postea posuêre DCCVII. Enos interpretatur homo, de quo bene dicitur: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Quod hominum est proprium, ut suæ fragilitatis memores, invocent conditoris auxilium, eorum duntaxat, qui in fide Christi viventes, filij resurrectionis esse lætentur. 235

Enos annorum XC. genuit Cainam, cui supervixit annis DCCCXV. Sed Septuaginta ante natum Cainan CXC. annos postea DCCXV. posuêre. 325

Cainan annorum septuaginta genuit Malaleel, post cujus ortum vixit annos DCCCXL. Septuaginta ante natum Malaleel CLXX. postea dixêre DCCXL. 395

Malaleel annorum LXV. genuit Jared, cui supervixit annis DCCCXXX. Septuaginta ante natum Jared CLXV. postea posuêre annos DCCXXX. 460

Jared annorum CLXII. genuit Enoch, cui supervixit annis DCCC. In hac generatione nusquam utrique Codices discrepant. Hunc Enoch nonnulla divina scripsisse, Juda Apostolo attestante, comperimus. Sed ut beatus Augustinus dicit: *Non frustra non sunt in eo Canone scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia Sacerdotum: nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent quæ ille scripsisset, poterat inveniri. Unde illa quæ sub ejus nomine proferuntur, & continent illas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur non ipsius esse credenda.* 622

Enoch annorum LXV. genuit Mathusalam, post cujus ortum ambulavit cum Deo trecentis annis. Septuaginta ante natum Mathusalam posuêre CLXV. annos, postea CC. Et bene in septima generatione Enoch (qui interpretatur dedicatio) tulit à mortalibus Deus: quia civitas electorum in sex hujus seculi pro Deo laborans ætatibus, in septima sabbati futuri gloriam dedicationis expectat, atque reprobi sola præsenti sunt felicitate contenti. Cain civitatem quam statuit, non in septima generatione, sed in primogenito Enoch filio consecrat. 687

Mathusalam annorum CLXXXVII. genuit Lamech, cui supervixit annis DCCLXXXII. id est usq; ad diluvium. Septuaginta ante natum Lamech CLXVII. ponunt annos, postea DCCC. & II. Qui numerus, ut lector facillimè videbit, juxta Hebraicam veritatem viginti annis, juxta ipsorum verò auctoritatem XIV. annis, diluvij tempora transit. De qua famosissima quæstione doctissimi Patres, Hieronymus in libro quæstionum Hebraicarum, Augustinus in libro de civitate Dei 15. plenissimè disputant. 874

Lamech annorum CLXXXII. genuit Noe, qui supervixit annis DXCV. Septuaginta ante natum Noe ponunt annos CLXXXVIII. & postea DLXV. In hac sola generatione summa universitatis discrepat, quia viginti & quatuor annis plus vixisse Lamech in Hebræis, quàm in septuaginta translatorum codicibus invenitur. 1056

Noe anno DC. venit diluvium, mense secundo, decima septima die mensis. Sane de differentia annorum inter Hebræam & septuaginta Interpretum auctoritatem, ne quis nos laceret, novas movisse quæstiones, legat præfatorum patrum memorata Opuscula, & intelliget hanc jam olim notissimam fuisse distantiam. Cujus originem distantiæ cum beatus Augustinus solertissimè quæsisset, dixit in libro suprascripto, capitulo tredecimo, inter alia sic: *Credibilius ergo quis dixerit, cùm primò de Bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in Codice uno, sed primitus inde descripto, unde jam latius emanârit. Ubi potuit* 1656

Anni mūdi. *fuit quidem accidere etiam Scriptoris error, sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalæ non absurdum est suspicari.* Et post aliquanta: *Rectè fieri,* inquit, *nullo modo dubitaverim, ut cùm diversum aliquid in utrisque Codicibus invenitur, quandoquidem ad finem rerum gestarum utrunque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.*

¶ Secunda seculi ætate, prima hujus die, quæ est XXVII. mensis secundi, egressus est Noe de Arca, in qua pauci, id est octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam. Quod memorans in Epistola beatus Apostolus Petrus, mirificè statim exponere curavit, cum subjunxit: *Quod & nos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei.* In aqua diluvij baptismum, in Arca & ijs quæ continebat Ecclesiam, & fideles illius, in octonario animarum numero mysterium Dominicæ resurrectionis, in cujus fide baptizamur, docens esse figuratum. *Secunda ætas mundi pubescentis.* *1. Pet. 3.*

1658 Sem centum annorum genuit Arphaxad, biennio post diluvium. Ab Arphaxad Chaldæos originem duxisse, Hieronymus scribit. Supervixit autem Sem, nato Arphaxad, quingentis annis, id est usque ad quinquagesimum annum nativitatis Jacob.

1693 Arphaxad annorum XXXV. genuit Sale. Hic septuaginta Interpretes una generatione plus quàm Hebraica veritas, posuêre: dicentes, quòd Arphaxad, cùm esset annorum CXXXV. genuit Cainan, qui cùm CXXX annorum fuerit, ipse genuerit Sale. Quorum translationem Evangelista Lucas hoc loco videtur esse sequutus. Verùm Chronographi Græcorum, cùm generationum seriem ad authoritatem Hebraicam castigassent, ablata una generatione Cainan, nec tamen numerum annorum in generationibus, quas eis habuêre communes, ad eorum auctoritatem castigare curassent, propriam sequuti auctoritatem, dederunt huic ætati annorum summam, minorem quidem septuaginta Translatorum editione annis LXXX* sed Hebraica veritate annis DCL. majorem, id est annorum DCCC. & XLII.* *al. 130.* *al. 942.*

Vixit autem Arphaxad post natum Sale annis ccc. & tribus: cui tamen Septuaginta post natum Cainan adscribunt annos CCCCXXX. & Cainam post natum Sale CCCCXXXVIII.

1723 Sale annorum XXX. genuit Heber, cui supervixit annis CCCIII. Septuaginta ante natum Heber posuêre annos CXXX. postea cccxxx. Ab hoc Heber Hebræorum nomen & genus oritur.

1756 Heber annorum triginta quatuor genuit Phalech, cui supervixit annis ccccxxx. Septuaginta ante natum Phalech annos posuêre cxxxiv. postea *cclxx. Phalech interpretatur divisio, cui propterea tale nomen imposuêre parentes, quòd tempore nativitatis ipsius, terra per linguarum confusionem divisa est. Cujus divisionis Arnobius Rhetor in expositione Psalmi CIII. ita meminit. *Sem primogenito Noe, pars facta est à Perside & Bactris usque in Indiam longè, & usque Rhinocozuras: quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico viginti & septem. In quibus linguis gentes sunt patriarum* CCCC *&* VI. *non diversarum linguarum, sed (ut dixi) diversarum patriarum. Verbi grati, cum una lingua sit Latina, sub una diversæ sunt patriæ, Brutiorum, Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuscorum, & his atque hujusmodi similia si dicamus. Cham verò secundus filius Noe, à Rhinocozuris usque Gadira habens linguas, sermone Punico, à parte Garamantum: Latino à parte Boreæ: barbarico, à parte meridiana Æthiopum & Ægyptiorum: ac barbaris interioribus vario sermone, viginti duabus linguis, in patriis* CCCXCIV. *Iaphet autem tertius, à Media usque Gadira ad Boram. Habet autem Iaphet flumen Tigridem, quod dividit Mediam & Babyloniam, in patrijs ducentis, sermone vario, linguis viginti & tribus. Fiunt ergo omnes simul linguæ* LXXII. *patriæ autem generationum mille, quæ in tripartito seculo hoc ordine sitæ sunt. Habet autem, ut diximus, Iaphet flumen Tigridem, quod dividit Mediam & Babyloniam: Sem autem Euphratem: Cham vero Geon, qui vocatur Nilus.* *al. 260.*

Anni mundi

Phalech annorum XXX. genuit Reu, cui supervixit annis CCIX. Septuaginta ante
*al. 209. natum Reu CXXX. annos ponunt, postea * CCVIII.
His temporibus primùm templa constructa, & quidam Principes gentium tanquam dij sunt adorati. 1786

Reu annorum XXXII. genuit Saruch, cui supervixit CCVII. Septuaginta ante natum Saruch, CXXII. ponunt annos, postea CCVII. 1818
* Taurus. Scytharum regnum dicitur exortum, ubi primus regnavit * Tanaus.

Saruch annorum XXX. genuit Nachor, cui supervixit annis CC. Septuaginta ante natum Nachor ponunt annos CXXX. postea CC. 1849
Ægyptiorum dicitur Imperium inchoare, primò eis regnante Vexore.

Nachor annorum XXIX. genuit Thare, cui supervixit annis CXIX. Septuaginta ante natum Thare ponunt annos LXXIX. postea CXXIX. 1878
Assyriorum Sycioniorumque regnum nascitur: his primùm Belo, illis Ægialeo regnante.

Thare annorum LXX. genuit Abraham, cui supervixit CXXXV. annis. Hactenus secunda ætas seculi protenditur, cujus tota serie recensita, beatus Augustinus libro de civitate Dei decimo sexto, capitulo decimo, hoc modo conclusit: *Fiunt itaque anni à diluvio usque ad Abraham, mille septuaginta duo, secundum vulgatam editionem, hoc est interpretum Septuaginta. In Hebræis autem Codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt.* 1948

Tertia ætas mundi. ¶ TERTIA mundi ætas à nativitate cœpit Abraham Patriarchæ, qui LXXV. annorum cùm esset, relicta gente patria ad Imperium Dei venit in terram Chanaan, accipiens promissionem nasciturì de suo semine Salvatoris, in quo benedicerentur omnes gentes, simul & seipsum in gentem magnam esse futurum: quarum una spiritalis, altera est promissio carnalis. 2023
His temporibus Ninus & Semiramis Assyrijs regnant.

Abraham annorum LXXXVI. genuit Ismael, à quo Ismaelitæ. Genuit autem Ismael duodecim Duces, & vixit annis CXXXVI. 2034

Idem Abraham annorum centum genuit Isaac, qui primus & solus in tota Testamenti veteris serie legitur octavo die circumcisus, quod non sine magno mysterio privilegium est filio promissionis donatum. 2048

Isaac annorum LX. genuit Esau & Jacob, Patriarchas Idumeæ & Israeliticæ gentis: post quorum ortum viximus annis CXX. 2108
His temporibus primus apud Argos regnavit Inachus annis L. cujus filia Jo, quam Ægyptij mutato nomine Isidem colunt.

Jacob CXXX annorum descendit in Ægyptum in animabus septuaginta. 2238
Hujus temporibus Memphis in Ægypto ab Api Argivorum Rege condita.
Sparta quoque, à Sparto filio Phoronei Regis Argivorum conditur.

Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit CCCCXXX. annorum: quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti, ut Scriptura testatur Exodi: Quorum tamen summam annorum Chronographi à septuagesimo quinto anno nativitatis Abraham, quando terram repromissionis intravit, computant: sequentes editionem septuaginta Interpretum, quæ dicit: *Habitatio autem filiorum Israel, qua habitaverunt in Ægypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni* CCCCXXX. Quam necessariò sequendam & ipsa veritas Hebraica ostendit, quæ narrat, Caath filium Levi, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixisse annos CXXXIII. & filium ejus Amram, patrem Mosis, annos CXXXVII. & ipsum Mosen LXXX. annorum fuisse tempore egressionis de Ægypto: quam nimirum horum summam annorum constat CCCC & XXX. implere non posse. Annuit autem horum translationi & Apostolus cùm ait: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, & semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamentum* 2453
Gal. 3.

Anni mūdi. *tum confirmatum à Deo, quo post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit, ad evacuandas promissiones Patrum.*

2493 Moses annis XL. eductum ex Ægypto regit populum Israel in deserto: quorum primo anno tabernaculum Domino construit, & septem mensibus opus perficiens, mense primo anni secundi, prima die mensis erexit.

Hucusque, ut Eusebius commemorat, quinque libri Mosi continent gesta annorum III. MDCCXXX. secundùm septuaginta Seniorum interpretationem. Quot verò annos hujus temporis Hebraica veritas contineat, Josephus in primo contra Appionem Grammaticum libro, ita commemorat: *Neque igitur innumera apud nos habentur volumina, inter se invicem discordantia: sed duo tantùm & viginti sunt libri, qui omnium temporum seriem continent, qui & justè creduntur divinitùs inspirati. Ex quibus quinque sunt Mosi, continentes leges vitæ & successionis humanæ prosapiam, usque ad ipsius Mosi terminum pertendentes, qui paulò minus ad tria millia annorum continentiam gerunt.*

2519 Josue annis viginti sex regit populum Israel, ut Josephus docet: nam Scriptura sancta quot fuerint anni Ducatus illius tacet. Quare verò Eusebius in Chronicis viginti septem posuerit, infra dicemus. Primo autem Ducatus sui anno, Josue primo mense, decima die mensis, populum patefacto Jordanis alveo in terram repromissionis induxit: quo videlicet anno (ut in Chronicis præfati beati Eusebij reperimus) principium erat quinquagesimi primi Jubilæi secundùm Hebræos, id est II M D. erant ab initio mundi completi, singulis jubilæorum ordinibus per quinquagenos annos deputatis. At verò hanc temporis hujus esse summam, nostra inquisitio nequaquam invenire valuit. Constat enim, quòd MDCLVI. ad diluvium usque fuêre anni: inde ad Abraham CCXCII. qui septuaginta quinque erat annorum, quando promissionem Dei accepit. Promissionis anni CCCCXXX. Ducatus Mosi anni quadraginta. Qui profecto numerus non II M D. sed septem minus, id est II MCCCCXCIII. ut prænotavimus, annos implet.

2559 Othoniel annis XL. de tribu Juda primus Israeli Judex, Domino jubente, constituitur.

Hujus temporibus primis filij Israel serviêre Chusanrasathaim Regi Mesopotamiæ octo annis.

2639 Aoth annis LXXX. filius Gera, filij Jemini, qui utraque manu utebatur pro dextera: cujus in primis temporibus servivit Israel Eglon Regi Moab, annis octodecim, donec eum ipse: percusso Eglon, liberavit.

Hoc tempore Cyrene civitas condita est in Lybia.

2679 Debora annis XL. Prophetissa de tribu Ephraim, cum Barach de tribu Nephtalim, cujus in initio Ducatus oppressit filios Israel Jabin Rex Chanaan viginti annis, qui regnavit in Asor. Sed occiso ab Israel Principe militiæ ejus Sisara, humiliatus tandem ac deletus est.

Hoc tempore Miletus condita.

2719 Gedeon annis quadraginta, ex tribu Manasse. Sub quo servivit Israel Madianitis & Amalechitis * octo annis: sed Gedeon pugnante liberatus est. * *al. septem.*

Tyrus condita ante templum Hierosolymorum annis CCXL. ut scribit Josephus.

2722 Abimelech annis tribus, filius Gedeonis, qui regnabat in Sichem.

Hercules Ilium vastat.

2745 Thola annis *XXIII.* filius Phua, patrui Abimelech, vir de tribu Isaac, qui habitabat in Sanir montis Ephraim.

Bellum Lapitharum & Centaurorum, quos scribit Palæphatus, primo de Incredibilibus libro, nobiles fuisse equites Thessalorum.

In Troja post Laomedontem regnavit Priamus.

2767 Jair annis *XXII.* ex tribu Manasse.

Hercules agonem Olympiacum constituit, à quo usque ad primam Olympiadem supputantur an. CCCCXXX. *Anni mũdi*

Jephthe Galaadites annis sex. 2773

Philistini & Ammonitæ deprimunt Israel; ex quibus Ammonitæ debellantur à Jephthe: qui in libro Judicum ab ætate Mosi usque ad semetipsum ait supputari annos trecentos.

Abessan de Bethlehem annis septem. 2780

Agamemnon imperat Mycenis annis XXXV. cujus anno decimo quinto Troja capitur.

Achialon Zabulonites annis decem. Hic cum annis decem suis in septuaginta Interpretibus non habetur. Pro quorum damno supplendo, Eusebius Josue filio Nun, Samueli & Sauli, quorum annos scriptura non dicit, plures annos quàm in Josepho legebat, annotavit: quatenus ab egressu Israel ex Ægypto usque ad ædificationem templi * CCCCLXXX. annorum summam, quam Scriptura prædicat, haberet. 2790 (* 380)

Abdon de tribu Ephraim annis octo. 2798

Hujus anno quarto Troja capta est: completis à primo anno Cecropis, qui primus apud Atticam regnavit, CCCCLXXV. annis.

A XLIII. anno regni Nini Assyriorum Regis, anni DCCCXXV.

Mortuo Abdon servivit Israel Philistæis annis XL.

Samson de tribu Dan, annis XX. Hactenus Judicum liber tempora signat, habens annos CCXCIX. judices autem duodecim. 2818

Latinis qui postea Romani nuncupati sunt, post tertium annum captivitatis Trojæ, sive (ut quidam volunt) octavum, regnavit Æneas annis tribus. Post quem Ascanius annis XXXVIII. Ante Æneam, Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus in Italia regnaverunt annis circiter CL. Ascanius Æneæ filius Albam condidit Urbem.

Heli Sacerdos annis XL. In Hebræorum libro quadraginta anni inveniuntur: in septuaginta autem interpretatione XX. 2858

Hectoris filij Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno sibi subsidium ferente.

Latinorum tertius Sylvius, Æneæ filius, regnat annis XXIX. qui quia post mortem Patris editus, ruri fuerat educatus, & Sylvij & Posthumi nomen accepit, à quo omnes Albanorum Reges Sylvij vocati sunt.

Sicyoniis Reges defecerunt, qui ab Ægialeo usque ad Zeuxippum regnaverunt DCCCCLXII. post quos Sacerdotes Carni constituti sunt.

Samuel annis XII. ut docet Josephus: in Scriptura enim sancta quam diu præfuerit, minimè patet. Ab hoc tempora Prophetarum incipiunt. 2870

Latinorum Æneas quartus Sylvius, annis XXXI. regnat.

Saul primus Hebræorum Rex annis XX. Et hujus (quia in Canonica Scriptura non habetur) de Antiquitatum libro Josephi tempus regni notavimus. 2890

In Lacedæmone regnavit primus Eurystheus, annis XLII.

Corinthi primus Alethes, XXXV.

Quarta ætas mundi. ¶ QUARTA mundi ætas non solùm cum inchoato gentis Judææ Imperio, sed cum innovata promissione, quæ Patribus olim data est, Imperij Christiani sumit exordium, jurante Domino David veritatem: *De fructu ventris ejus sedere super sedem ejus.*

David primus ex tribu Juda, Rex annis XL. 2930

Latinorum quintus, Latinus Sylvius, annis L.

Ephesus condita ab Andronico.

Carthago condita est, ut quidam volunt, à Carchedone Tyrio: ut verò alij, à Didone filia ejus, anno * CCXLIII. post Trojanum excidium. (* *alij 143.*)

Solomon filius David annis quadraginta. Qui quarto regni sui anno, mense secundo, templum Domino ædificare cœpit in Hierusalem, collectis ab egressu 2970

Anni mũdi. egressu Israelis ex Ægypto annis CCCCLXXX. ut Regum quoque liber testimonio est. Quod in figura universi temporis, quo in hoc seculo Christi ædificatur Ecclesia, quæ in futuro perficitur. Septem annis perficit, & septima octavi anni mense dedicavit.

Latinorum sextus, Alba Sylvius, Sylvij Æneæ filius, regnat annis XXXIX.

Regina Saba venit audire sapientiam Salomonis.

2987 Roboam filius Salomonis, annis XVII.

Hieroboam de tribu Ephraim separavit decem tribus à domo David & à Domino, in figuram hæreticorum, qui suos sequaces à Christo & Ecclesia segregant. Hujus quinto anno Sesac Rex Ægypti veniens Hierosolymam templum spoliavit.

Latinorum septimus Rex, Ægyptus Sylvius, Albæ superioris Regis filius, regnat annis XXIV.

Samus condita, & Smyrna in Urbis modum ampliata.

2990 Abiæ filius Roboam tribus annis. Hic pugnantem contra se Hieroboam superavit, occisis de exercitu ejus millibus quinquaginta, eò quòd sperasset in Domino.

3031 Asa filius Abia annis XLI. Ab hoc conductus Benadab Rex Syriæ Damasci contra Israel, percussit omnem terram Nephthalim.

Latinorum octavus Capys Sylvius, Ægypti superioris Regis filius, regnat annis XXVIII.

Asa idola destruit, templum mundat, egredientem contra se Zara Æthiopem cum suo sternit exercitu.

Amri Rex Israel emit montes Samariæ, à Somer, duobus talentis argenti, & ædificat eam.

Achiel de Bethel Hiericho instaurat.

3056 Josaphat filius Asa annis XXV. Helias Thesbites tres & semis annos pluviam continuit, propter peccata Achab & populi Israel. Et inter cætera magnalia Helisæum filium Saphat, qui erat de Abelmeula, pro se unxit in Prophetam.

Latinorum nonus, Capetus Sylvius, superioris Capys Regis filius, regnavit annis XIII. Post quem filius ejus Tiberinus Sylvius, annis octo: à quo & fluvius appellatus est Tiberis, qui priùs Albula dicebatur. Post quem Agrippa Sylvius filius ejus annis XL. Josaphat fecit rectum coram Domino.

3064 Joram filius Josaphat annis octo.

Helias curru igneo rapitur quasi usque in cœlum, & Helisæus, hæres Prophetiæ derelictus, primo miraculo aquas Hiericho sanat.

In diebus Joram recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi Regem. Ambulavit autem Joram in viis domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus.

3065 Azarias filius Joram anno uno. Jonadab filius Rechab clarus habetur.

Azariam cum filio suo Joas & nepote Amasia, ob enormitatem scelerum, & quia nec Patrem filiumvé quispiam eorum bonum habebat, Evangelista Matthæus à Domini Salvatoris genealogia secludit.

3071 Athalia mater Azariæ annis VI. Quæ videns interfectum ab Hien Rege Israel filium suum Azariam, interfecit omnem stirpem Regiam domus Joram, præter solum Joas filium Azariæ, quem Josabeth soror Azariæ, uxor Jojadæ Pontificis furata est de medio filiorum Regis, cùm interficerentur. In septuaginta Interpretibus septem annis regnasse Athalia narratur.

3111 Joas filius Azariæ annis quadraginta. Iste bono principio, & fine usus pessimo. In principiis sui regni templum innovat: in extremis, inter cætera facinora Zachariam quoque filium Jojadæ, tutoris quondam ac regnificatoris sui, inter templum & altare lapidari præcepit: quem ob meritorum gratiam Dominus in Evangelio filium Barachiæ, *Matth.23.* id est, benedicti Domini, cognominat.

Latinorum duodecimus Aremulus Sylvius, Agrippæ superioris Regis filius, regnavit annis XIX. qui præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit.

Hujus

Hujus filius fuit Julius, proavus Julij Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans, fundavit Juliam gentem. *Anni mũdi.*

Amasias filius Joas annis XXIX. 3140

Helisæus Propheta defunctus, sepelitur in Samaria.

Azahel Rex Syriæ afflixit Israel.

Latinorum XIII. Aventinus Sylvius, Aremuli superioris Regis major filius, regnavit annis XXXVII. atque in eo monte, qui nunc pars Urbis est, mortuus ac sepultus, æternum loco vocabulum dedit.

Azarias qui & Ozias, filius Amasiæ annis LII. 3192

Assyriorum trigesimus sextus, Thonosconcoleros, qui vocatur Græcè Sardanapalus, Tarsum atque Anchialen condidit, & in prælio victus ab Arbace Medo, semetipsum incendio concremavit. Usque ad id tempus fuisse Reges Assyriorum historia refert, & fiunt simul anni MCXCVII. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputantur MCXL.

Latinorum XIV. Procas Sylvius, Aventini superioris Regis filius, regnavit annis XXIII. Post quem XV. Amulius Sylvius annis XLIV.

Arbaces Medus, Assyriorum Imperio destructo, regnum in Medos transtulit, ubi primus ipse regnavit annis XXVIII.

Macedonum regnum inchoat, primum habens Regem Caranum, annis XXVIII.

Lacedæmoniorum Reges deficiunt: Lydorum incipiunt.

Joatham filius Oziæ annis XVI. 3208

Olympias prima ab Eliensibus constituitur, post annum Trojanæ captivitatis CCCCV.

Romulus & Remus generantur Marte & Ilia.

Actor. 3. Joatham inter cætera virtutum bonarum opera, portam domus Domini sublimissimam ædificavit, quæ in actibus Apostolorum Speciosa vocatur: omnes siquidem portæ templi in terra fuerunt, excepta Speciosa, quæ pendebat: quæ ab Hebræis porta vocabatur Joatham.

Achaz filius Joatham annis XVI. Ab hoc conductus Theglathphalasar Rex Assyriorum, Rasin Regem Syriæ interfecit, & habitatores Damasci transtulit Cyrenem. 3224

Roma condita in monte Palatino, XI. Calend. Majas, à geminis Remo & Romulo, filiis Rheæ Sylviæ, quæ erat filia Numitoris, fratris Regis Amulij, virgo Vestalis, sed constuprata.

In Salibus ludis Sabinæ raptæ, anno ab Urbe condita tertio.

Remus rastro pastorali, à Fabio Romuli Duce, occisus.

Ezechias filius Achaz annis XXIX. Hujus anno sexto, Salmanassar Rex Assyriorum, capta Samaria, transtulit Israël in Assyrios, cujus regnum à primo Hieroboam steterat annis CCLX. 3253

Mortuo Romulo, qui XXXVII. annis regnavit, per quinos dies Senatores Rempublicam rexerunt, atque ita unus expletus est annus. Post quos Numa Pompilius annis XLI. qui Capitolium à fundamentis ædificavit.

Manasses Filius Ezechiæ annis LV. Hic ob scelera sua catenatus & compeditus in Babyloniam ducitur: sed ob pœnitentiam & preces restituitur in regnum. 3308

Romanorum tertius Tullus Hostilius regnavit annis XXXII. qui primus Regum Romanorum purpura & fascibus usus est, & adjecto monte Cælio Urbem ampliavit.

Amon filius Manassæ annis duobus. In Hebraica veritate duobus annis, in septuaginta legitur regnasse XII. 3319

Histrus civitas in Ponto condita.

Amon à servis suis interficitur.

Josias filius Amon annis XXXI. Hic mundata Judæa & Hierusalem, templo etiam innovato, post abjectas idololatriæ sordes, Pascha Domino celeberrimum facit, decimooctavo anno regni sui, & cum Nechaone Ægypti Rege congressus, occiditur in campo Mageddo, qui nunc Maximianopolis vocatur. 3341

Roma-

Anni mundi Romanorum quartus, Ancus Martius, Numæ ex filia Nepos, regnavit annis viginti tribus: qui Aventinum montem & Janiculum Urbi addidit, & supra mare sedecimo ab Urbe milliario, Ostiam condidit. Post quem Tarquinius Priscus annis triginta septem, qui Circum Romæ ædificavit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas ædificavit, Capitolium extruxit.

In Hebræo triginta uno annis regnasse Josias, in septuaginta Interpretibus, triginta duobus legitur. Sed Eusebius inter regnum ejus & Joachim, alium de suo adjicit annum, propter menses bis ternos, quibus Joachas vel Joachim regnaverat. Verùm quid veritas habeat Hieremias pandit, qui se à tredecimo anno Josiæ, usque ad annum quartum Joachim, XXIII. annis prophetasse perhibet, & Nabuchodonosor quarto anno Joachim regnare cœpisse, decimo nono autem regni ejus anno Hierusalem destructam fuisse.

3352 Joachim filius Josiæ, annis XI. Post Josiam regnavit Joachaz filius ejus tribus mensibus, quem Nechao vinctum ducens in Ægyptum, Joachim Regem constituit. Hujus anno tertio à Nabuchodonosor capta Hierusalem & pluribus captivatis, in quibus erant Daniel, Ananias, Azarias & Misaël, partem vasorum templi Babyloniam transfert. A quarto Joachim anno scriptura regnum Nabuchodonosor computat, quia ex eo non solùm Chaldæis & Judæis, sed & Assyrijs, Ægyptijs, Moabitis, alijsque innumeris gentibus incipit regnare Joachim, qui & Jechonias, filius Joachim, mensibus tribus ac diebus decem. Hic circundata à Chaldæis Hierusalem exiitad Regem Babylonis & mater ejus, & ductus est in Babylonem cum populo, anno octavo regni Nabuchodonosor.

3363 Sedechias, qui & Matthias, filius Josiæ, annis undecim. Hujus anno undecimo, Regis autem Babylonis decimo nono, Judæa captivata in Babyloniam, & templum Domini incensum est, anno ex quo fundari cœpit, quadringentesimo trigesimo. Qui autem reliqui fuerunt Judæi, transfugerunt in Ægyptum, qua post annos quinque percussa à Chaldæis, in Babyloniam sunt & ipsi transmigrati.

¶ QUINTA mundi ætas ab exterminio cœpit regni Judaici, quod juxta Prophetiam Hieremiæ septuaginta annis permansit.

3377 ANNO XIV. postquam percussa est à Chaldæis civitas, qui est XXV. annus transmigrationis Regis Joachim, cum quo & Ezechiel captivatus est, ipse Ezechiel in visionibus Dei adductus in terram Israel, vidit renovationem civitatis ac templi, ceremoniarumque ejus.

Romanorum sextus Servius regnavit annis XXXIV. qui tres montes Urbi addidit: Quirinalem, Æsquilinum, Viminalem, fossas circum muros duxit, census Romanorum civium primus instituit.

3389 ANNO vigesimo sexto post eversionem Hierosolymorum, qui est annus tricesimus septimus transmigrationis Regis Joachim, sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœpit, caput Joachim Regis Judæ de carcere, & posuit thronum ejus super thronum Regum qui erant in Babylone. Meminit hujus temporis adhuc futuri Propheta Hieremias, ita scribens: *Ecce ego mittam & assumam universas cognationes Aquilonis (ait Dominus) & Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores ejus, & super omnes nationes ejus, quæ in circuitu illius sunt: & interficiam eos, & ponam eos in stuporem & in sibilum, & in solitudines sempiternas: & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam in solitudines sempiternas.* Et alibi, scribens ad transmigrationem, quam transduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem cum Jechonia Rege: *Cùm cœperint* (inquit) *impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo vos super verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum, ait* DOMINUS.

Hierem. 25.

Hierem. 29.

Rur-

Anni mundi

2.Par.36. Rursum: ejusdem temporis jam præteriti verba dierum ita recordantur: *Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit Regi & filijs ejus: donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis non egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum &c.* Quibus verbis ostenditur, quia vastata Chaldæi Judæa non ut Assyrij in Samariam alios misêre colonos, sed desertam relinquêre terram, donec ipsi post annos LXX. in eam rediêre Judæi. Consentit his Josephus, in decimo Antiquitatum libro scribens, templum & Hierusalem & omnem Judæam septuaginta annis permansisse desolatam. Qui rursum enumerando Reges Babylonis (si tamen ipse sic scripsit, & non codex fallit mendosus) centum ferè annos ab eversa Hierusalem usque ad eversionem regni Chaldæorum facit colligi. Scribit enim, post Nabuchodonosor (qui, teste Scriptura sacra, XXV. post eversam Hierusalem vixit annis) Evilmerodach filium ejus regnasse annis XVIII. post quem Hegesar filium ejus annis quadraginta, cui successisse filium ejus Labosordach mensibus novem: hoc defuncto, ad Balthasar, qui Naboan nuncupatur, transisse Imperium, qui cùm jam decem & septem regnaverit annis, captam à Cyro Persarum, & Dario Medorum Rege Babyloniam. Et sequitur: *Darius autem Astyagis filius, qui Babyloniorum destruxit Imperium, cum Cyro cognato suo agebat annum sexagesimum secundum, cùm Babylon fuisset invasa, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis. Is Danielem Prophetam sumens ad se in Mediam duxit, & omni eum honore celebravit.* Hujus Darij ipse Daniel ita meminit: *In anno primo Darij filij Asveri, de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem* LXX. *anni.* Eusebius in temporum libro triginta annos ab eversione Hierusalem usque ad initium Cyri Regis Persarum: Iulius autem Africanus LXX. computat. Porrò Hieronymus in expositione Prophetæ Danielis, ita dicit: *Tradunt enim Hebræi hujuscemodi fabulam usque ad* LXX. *annum, quo Hieremias captivitatem populi Iudæorum dixerat esse solvendam.* De quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur: irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium fecit grandine convivium, insultans quodammodo spei Judæorum & vasis templi Dei, sed statim ultio sequuta est.

(Marginal notes: Iosephus Antiq. lib. 10. cap. 12. — Dan. 9.)

Persarum primus Cyrus regnavit annis XXX. Hic, ut impleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, primo sui regni anno, laxata Hebræorum captivitate, quinquaginta ferè hominum millia regredi fecit in Judæam, restituens eis vasa templi Domini aurea & argentea V.M.CCCC. Qui congregati in Hierusalem, mense septimo ædificaverunt altare, & à primo die mensis ejusdem cœperunt offerre holocaustum Domino. Anno autem secundo adventus sui, mense secundo, templi fundamenta jecerunt: anno incensionis ejus juxta Africanum, LXXI. juxta autem Chronica Eusebij XXXII: Sed impedientibus Samaritis intermissum est opus, usque ad annum Darij secundum, qui etiam Asveri in regno & Artaxerxis, scripserunt accusationem adversum Judæos, rescripsit Artaxerxes, ne ædificaretur Hierusalem. 3423

Romanorum VII. Tarquinius, regnavit annis XXXV. qui causa Tarquinij junioris filij sui, qui Lucretiam corruperat, à regno expulsus est.

Cambyses Cyri filius annis VIII. Hic devicta Ægypto cunctam ejus religionem abominatus, cremonias ejus & templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificavit. Hunc ajunt à Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia inscribitur. 3431

Fratres Magi mensibus septem. 3432

Iesus Sacerdos magnus & Princeps gentis.

Zorobabel, Aggæus, Zacharias & Malachias Prophetæ clarescunt.

Pythagoras Physicus, Plilosophus clarus habetur.

Darius annis XXXVI. Inter Darium & Cambysen regnasse duos fratres Ma- 3468

gos

anni mūdi.

gos, in libris Chronicorum Eusebij reperimus. Verùm Hieronymus in expositione Danielis scribit, post Cambysen Smerden magum regnasse, qui Panthapten, (inquit) filiam Cambysis uxorem duxit, qui cùm à septem Magis fuisset occisus, & in locum ejus Darius suscepisset Imperium, eadem Panthaptes nupsit Dario, & ex eo Xerxen filium genuit. Secundo anno Darij septuagesimus captivitatis Hierusalem annus impletur, ut vult Eusebius, testem adhibens Zachariam Prophetam, apud quem secundo Darij anno loquitur Angelus: *Domine exercituum, usque quo tu non misereberis Hierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est.* Item quarto Darij Regis anno dicit idem Propheta: *Cum jejunaretis & plangeretis per hos LXX. annos, nunquid jejunium jejunastis mihi?* Zach. 1. Zach. 7.

Sexto Darij anno templi ædificatio completur, die tertia mensis Adar, qui est quadragesimus sextus annus, ex quo ejus sub Cyro fundamenta sunt jacta. Unde in Evangelio dicunt Judæi: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Cœperunt autem ædificare anno secundo Darij, mense sexto, die* *XXIX.* & anno sexto (ut dictum est) mense XII. die tertia, compleverunt. Ex quo apparet, opus templi & antea ex parte non parva peractum: annos autem LXX à destructione, illius usque ad perfectam restaurandi illius licentiam, esse computandos. Ioan. 2. al. 24.

Pulsis urbe Regibus, qui imperaverant annis CCXLIII. vix usque ad decimum quintum lapidem Roma tenebat Imperium. Romæ post exactos Reges primùm Consules à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni plebis ac Dictatores, & rursum Consules Remp. obtinuerunt, per annos fermè CCCCLXXIV. usque ad Julium Cæsarem, qui primus singulare arripuit Imperium, Olympiade CLXXXIII.

3488 Xerxes filius Darij annis XX. Hic Ægyptum quæ à Dario discesserat, capit, & adversus Græciam pugnaturus DCC. millia armatorum de regno, &* CCCC. de auxilijs, rostratas etiam naves mille ducentas, onerarias autem tria millia numero habuisse, narratur. Attamen victus patriam refugit. *CCC. habet Beda.

Herodotus historiarum Scriptor, Zeuxis pictor agnoscitur.

3489 Artabanus mensibus septem. Socrates nascitur.

3529 Artaxerxes qui & Longimanus, id est μακρόχειρ, annis XL.

Hujus anno septimo, prima die mensis primi, Esra Sacerdos & Scriba Legis Dei ascendit de Babylone cum Epistolis Regis: & in prima mensis quinti venit in Hierusalem, cum viris MDCC. Et inter alia strenuè gesta, castigavit filios transmigrationis ab uxoribus alienigenis.

Ejusdem anno decimo quinto, Neemias pincerna de Susis castro adveniens, murum Hierusalem LII. diebus restituit, & Ducatum genti XII. annis præbuit.

Hucusque divina Scriptura temporum seriem continet: quæ verò post hæc apud Judæos sunt gesta, de libro Machab. & Josephi atque Africani Scriptis, exhibentur, qui deinceps universam historiam usque ad Romana tempora persequuti sunt. Et quidem Africanus in quinto temporum volumine hujus temporis ita meminit: *Mansit itaque imperfectum opus usque ad Neemiam, & vigesimum annum Regis Artaxerxis. Quo tempore regni Persarum centum & quindecim anni fuerunt evoluti, captivitatis autem Hierusalem CLXXX. & quintus annus erat. Et nunc primum Artaxerxes jussit muros extrui Hierusalem, cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea & muri circundati. Et ex illo tempore si numerare velis LXX. annorum hebdomadas usque ad Christum, poteris invenire.*

Xerxes menses duos. Post quem Sogdianus menses septem.

Plato nascitur: Hippocrates Medicus insignis habetur.

3548 Darius cognomento Nothus annis XIX. Ægyptus recessit à Persis. Reversis de captivitate Judæis, non Reges, sed Pontifices præfuerunt, usque ad Aristobulum, qui cum dignitate Pontificis etiam regale sibi cœpit usurpare vocabulum.

3588 Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darij & Parisatidis filius annis XL. Sub hoc Rege videtur Hester historia completa. Ipse quippe est, qui ab Hebræis Asverus, & à septuaginta Interpretibus Artaxerxes vocatur.

Athenienses viginti quatuor literis uti cœperunt, cum antea sedecim tantùm literas haberent.

Carthaginensium bellum famosum. *Anni mũdi.*
Galli Senones Duce Brenno Romam invaserunt, excepto Capitolio, & incensam sex mensibus vastaverunt. Tribuni militares pro Consulibus esse cœperunt.
Aristoteles auditor est Platonis, decimum octavum ætatis annum agens.

Artaxerxes, qui & Ochus, annis XXVI. Ipse Ægyptum suo junxit Imperio, Nectanebo Rege in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum destructum est. 3614

Demosthenes Orator omnium rumore celebratur.
Romani Gallos superant.
Plato moritur: post quem Academiam Speusippus tenuit.

Artaxerxes Ochi filius, annis quatuor. 3618

Judæorum Pontifex maximus Jaddus clarus habetur: cujus frater Manasses templum in montem Garizi construit.
Speusippus moritur, cui succedit Xenocrates, quarto anno Ochi.
Alexander, Philippi & Olympiadis filius, vigesimum ætatis annum gerens, Macedonibus regnare incipit. 3624

Darius Arsami filius annis VI.

Alexander adversum Illyrios & Thracas feliciter dimicans, subversis Thebis in Persas arma corripuit, & apud Granicum flumen regijs Ducibus oppressis, urbem Sardis capit. Idem capta Tyro Judæam invadit, à qua favorabiliter exceptus, Deo victimas immolat, & Pontificem templi Jaddum honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso: ac septimo regni sui anno Alexandriam in Ægypto condidit. Nec mora, Babylonem obtinuit, interfecto Dario, in quo Persarum regnum destructum est, quod steterat annis CCXXXI. Quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti sunt.

Alexander post mortem Darij annis V. regnavit: nam antea septem. Alexander Hircanos & Medos capit, revertensque in Hammone condidit Paratonium. Idem Indicum usque Oceanum victorijs potius quàm bellis pervenit, ac Babylonem reversus, trigesimo secundo vitæ, regni autem sui duodecimo anno, veneni haustu perijt. Post quem translato in multos Imperio, Ægyptum Ptolemæus Lagi tenuit filius: Macedonas Philippus qui & Aridæus, frater Alexandri: Syriam & Babylonem & omnia regna Orientis Seleucus Nicanor: Asiæ regnavit Antigonus, qui apud Danielem per quatuor hirci, qui arietem contereret, cornua designantur. 3629

Ægypto primus regnavit Ptolemæus Lagi filius, annis XL. 3669

Appius Claudus cæcus Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam stravit.
Ptolemæus Hierosolymis & Judæa in ditionem suam dolo redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtulit.
Judæorum Pontifex maximus Onias Jaddi filius clarus habetur.
Tredecimo Ptolemæi anno, Syriæ & Babyloni & superioribus locis regnare incipit Seleucus Nicanor: à quo tempore Machabæorum Hebræa historia Græcorum supputat regnum, à quo & Edisseni sua tempora computant.
Seleucus Seleuciam, Laodiceam, Antiochiam, Apameam, Edissam, Berrœham, & Pellam urbes condidit.
Judæorum Pontifex maximus, religiosissimus atque pijssimus Simon, Oniæ filius clarus habetur. Post quem Eleazarus frater ejus suscepit templi ministerium, filio ejus Onia parvo admodum derelicto.
Seleucus in eas urbes quas extruxerat, Judæos transfert, jus eis civium & municipalem ordinem cum Græcis, æquali honore concedens.

Ptolemæus Philadelphus annis XXXVIII. 3707

Sostratus Gnidius Pharum in Alexandria construxit.
Ptolemæus Judæos qui in Ægypto erant liberos esse permisit, & Eleazaro Pontifici multa Hierosolymam, & in templi donaria vasa transmittens, septuaginta Interpretes petit, qui Scripturam sanctam in Græcum verterent eloquium.
Aratus cognoscitur.

Judæo-

Anni mũdi. Judæorum pontificatum post Eleazarum avunculus ejus Manasses accepit. Tantæ autem potentiæ fuisse narratur Ptolomæus ille Philadelphus, ut Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ, habuisse eum peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum duo millia, elephantos, quos primus adduxit ex Æthiopia, quadringentos, & cætera his similia.

3733 Ptolemæus Evergetes frater superioris Regis, annis viginti sex. Qui inde Evergetes ab Ægyptijs est vocatus, quia capta Syria & Cicilia, & propemodum universa Asia, inter innumera argenti pondera ac vasa pretiosa, quæ cepit, etiam deos eorum, quos Cambyses capta Ægypto in Persas portaverat, retulit.

Judæorum Pontifex Onias Simonis Justi filius, clarus habetur: cujus item filius Simon, non minori gloria fulget. Sub quo Jesus filius Sirach, Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem.

3750 Ptolemæus Philopator, filius Evergetis, annis XVII. Antiochus Rex Syriæ victo Philopatore Judæam sibi sociat.

Judæorum Pontifex maximus Onias, filius Simonis, insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum Rex Areus legatos mittit.

3774 Ptolemæus Epiphanes, filius Philopatoris, annis XXIV.

Secundus liber Machabæorum apud Judæos hujus temporis gesta continet. Onias Sacerdos assumptis Judæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus, accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente Rege templum extruxit in Ægypto, simile templi Judæorum, quod permansit usque ad Imperium Vespasiani annis CCL. Sub occasione igitur Oniæ Pontificis, infinita examina Judæorum in Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrene eorum multitudine repleta est. Hæc autem vel Oniæ vel cæteris fuit causa Ægyptum petendi: quia pugnantibus contra se magno Antiocho & Ducibus Ptolemæi, posita in medio Judæa in contraria studia scindebatur, alijs Antiocho, alijs Ptolemæo faventibus.

3809 Ptolemæus Philometor annis XXXV.

Aristobolus natione Judæus, Peripateticus Philosophus agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Mosen commentarios scripsit. Antiochus Epiphanes, qui post Seleucum cognomento Philopatorem annis undecim regnavit in Syria, Judæorum legem impugnans, omniaque sordibus idolorum complens, in Templo Jovis Olympij simulacrum ponit. Sed & in Samaria super verticem montis Garizi, Jovis peregrini delubrum ædificat: ipsis Samaritanis, ut id faceret, precantibus. Verùm Mathathias Sacerdos leges patrias vindicat, adversus Antiochi Duces arma corripiens: Quo mortuo, Ducatum Judæorum suscepit filius ejus Judas Machabæus, anno CXLVI. regni Græcorum, XX. autem Ptolemæi, Olympiade CLV. qui mox Antiochi Duces de Judæa expellens, & templum ab Idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis civibus reddidit. Unde post secessum Oniæ Sacerdotis in Ægyptum, de quo suprà diximus, & mortem Alchimi, qui effugato Onia pontificatum indignus invadere tentabat, omnium favore Judæorum Machabæo Sacerdotium decernitur: quod post mortem ejus frater Jonathas sortitus, & novendecim annis summa ministravit industria.

3838 Ptolemæus Evergetes annis XXIX.

Ionathas Dux Judæorum & Pontifex, cum Romanis & Spartiatis amicitias facit quo à Tryphone interfecto, in Sacerdotium frater Simon assumitur, anno Regis Evergetis septimo, quod octo annis strenuissimè regens, filio Joanni reliquit: Hic adversum Hircanos bellum gerens, Hircani nomen accepit, & à Romanis jusamicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est. Samariam, quæ nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo æquavit: quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellari voluit.

3855 Ptolemæus Physcon, qui & Soter, annis XVII.

Anni mũdi.

Cicero Arpini nascitur, matre Helvia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere.

Hyrcano in pontificatum, quem ipse viginti sex annis tenuit, Aristobulus succedit annum unum, qui Rex pariter & Pontifex primus apud Judæos diadematis sumpsit insigne, post quadringentos octoginta quatuor annos Babylonicæ captivitatis. Post quem regnavit Janneus, cognomento Alexander, annis viginti septem, qui Pontificatum quoque administrans, crudelissimè civibus præfuit.

Ptolemæus, qui & Alexander, annis X. Hujus anno septimo Syria in Roma- 3865
nam ditionem cessit, capto Philippo à Gabinio. Expulsus de regno Ptolemæus Physcon per matrem Cleopatram, in Cyprum secedit.

Ptolemæus, qui à matre fuerat ejectus, annis octo: regressus de fuga regnum 3873
obtinuit: quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris cives pepulerant.

Sylla Athenienses vastat.

Ptolemæus Dionysius annis triginta. Ab hujus anno quinto Alexandra, 3903
uxor Alexandri Pontificis, post mortem ejus regnavit Judæis annis novem. Ex quo tempore Judæos rerum confusio & variæ clades oppresserunt. Post cujus mortem Aristobulus & Hircanus filij ejus contra se de Imperio dimicantes, occasionem præbuere Romanis, ut Judæam invaderent. Itaque Pompejus Hierosolymam veniens, capta urbe & templo reserato, usque ad sancta sanctorum accedit: Aristobulum vinctum secum abducit, pontificatum confirmat Hircano. Deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium Procuratorem Palæstinæ facit, mansitque in Pontificatu Hircanus annis XXXIV.

Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua nascitur Pompejo & Crasso Coss.

Pompejus captis Hierosolymis tributarios Judæos facit.

Virgilius Cremonæ studijs eruditur.

Cæsar Germanos & Gallos capit, & Britannos quoque, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum fuerat: victos, obsidibus acceptis, stipendiarios facit.

Cleopatra soror Ptolemæi annis viginti duobus. Orto enim bello civili in- 3925
ter Cæsarem & Pompejum, victus Pompejus Alexandriam petit, ibique ab ipso, à quo sperabat auxilia, Ptolemæo percussus interiit. Mox Cæsar Alexandriam venit: ipsi quoq; Ptolemæus parare insidias voluit unde bello ei illato, victus in Nilo periit. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, cum qua consuetudinem stupri habuerat: cujus regni tertio anno, ipse primus Romanorum singulare obtinuit Imperium, à quo Cæsares Romanorum Principes appellati. Cleopatra regio comitatu urbem ingressa est.

Cæsar ob insolentiam morum, conjurantibus in eum sexaginta vel amplius 3929
Senatoribus equitibusve Romanis, in curia confossus interijt, post annos quatuor & menses sex quàm regnare cœperat.

Cassius Judæa capta templum spoliat.

Octavianus Cæsar Augustus Romanorum secundus, regnavit annis quin- 3944
quaginta sex, & mensibus sex, à quo Augusti appellati Reges Romanorum, quorum quindecim vivente Cleopatra, quadraginta & unum postea vixit annos.

Undecimo Augusti anno, deficiente in Judæa Pontificum principatu, Herodes nil ad eum pertinens, utpote Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis Judæorum suscepit principatum, quem tenet annis triginta sex. Qui, ne ignobilis fortè & à Judæorum semine argueretur extraneus, combussit libros omnes, quibus nobilitas gentis in templo servabatur adscripta, ut deficientibus probamentis, & ipse ad hanc pertinere putaretur. Insuper etiam, ut suam sobolem regio illorum generi commisceret, projecta

Anni mūdi. projecta Doside fœmina Hierosolymitana, quam privatus acceperat uxorem, & nato ex eo filio Antipatro, sociat sibi Mariamnem, filiam Alexandri, neptem Aristobuli fratris Hircani, qui ante eum Rex erat Judæorum. Hic quinque ei filios genuit: quorum duos, Alexandrum & Aristobulum ipse necavit in Samaria. Nec mora, post etiam matrem illorum, qua nil charius noverat, simili scelere peremit. E quibus Aristobulus Herodem ex Beronice susceperat, quibus Actibus Apostolorum ab Angelo percussum legimus.

Tertio inter Augustum & Antonium orto bello, quòd Antonius qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Augusti, Cleopatram duxisset uxorem, Antonius & Cleopatra victi semet interficiunt. A quo tempore quidam primum annum Augusti Monarchiæ supputant. Hactenus qui vocabantur Lagidæ in Ægypto regnaverunt, annis CCXCV.

3952 ¶ Anno Cæsaris Augusti XLII. à morte verò Cleopatræ & Antonij, quando & Ægyptus in Provinciam versa est, anno XXVII. Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ, anno tertio, ab urbe autem condita DCCLII. anno, id est eo anno, quo compressis cunctarum per orbem terræ gentium motibus, firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit: Jesus Christus Filius Dei, sextam mundi ætatem suo consecravit adventu. *Sexta ætas mundi.* Anno Imperij Augusti XLIV. Herodes morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & dignè moritur. Pro quo substitutus ab Augusto filius ejus Archelaus, regnavit annis novem, id est usque ad ipsius Augusti finem: tunc enim non ferentibus ultra, sed accusantibus apud Augustum ferocitatem ejus Judæis, in Viennam urbem Galliæ relegatur; & ad minuendam Judaici regni potentiam insolentiamque domandam, quatuor fratres ejus pro eo sunt Tetrarchæ creati: Herodes, Antipater, Lysias & Philippus: quorum Philippus & Herodes, qui Antipas prius nuncupabatur, etiam vivente Archelao, Tetrarchæ fuerant ordinati.

3980 Tiberius privignus Augusti, hoc est Liviæ uxoris Augusti ex superiore genitus conjuge filius, regnavit annis XXIII. Hujus anno duodecimo, Pilatus Judææ Procurator ab eodem dirigitur.

Herodes Tetrarcha, qui Judæorum principatum tenuit annis viginti quatuor, in honorem Tiberij, & matris ejus Liviæ, Tiberiadem condidit & Libiadem.

3983 Anno decimo quinto Imperij Tiberij, Dominus post baptismum, quod prædicavit Joannes, mundo regnum cœlorum annuntiat: peractis à mundi principio, secundum Hebræos, annis (ut Eusebius in suis Chronicis signat) quatuor millibus: annotando, quòd decimo sexto anno Tiberij, principium fuerit LXXXI. Jubilæi, secundum Hebræos. Quare autem nostra supputatio unde viginti minus ponendos æstimaverit annos, facilè, qui superiora libelli hujus legerit, inveniet. Juxta verò Chronica eadem, quæ ipse Eusebius de utraque editione, ut sibi videbatur, composuit, anni sunt quinquies mille, CCXXVIII.

3986 Anno XVIII. Imperij Tiberij, Dominus sua passione mundum redemit, & prædicaturi per Judææ regiones Apostoli, Jacobum fratrem Domini Hierosolymis ordinant Episcopum, ordinant & septem Diaconos. Et lapidato Stephano, Ecclesia per regiones Judææ & Samariæ dispergitur.
Agrippa cognomento Herodes, filius Aristobuli filij Herodis Regis, accusator Herodis Tetrarchæ, Romam profectus, à Tiberio in vincula conjicitur, ubi plurimos sibi ascivit ad amicitiam, & maximè Germanici filium Cajum.

3993 Cajus cognomento Caligula, regnavit annos tres, menses decem, dies octo. Hic Herodem Agrippam amicum suum vinculis liberatum, Regem Judææ facit, qui permanet in regno annis septem, id est, usque ad quartum Claudij annum: quo ab Angelo percusso, succedit in regnum filius ejus AGRIPPA, & usque ad exterminium Judæorum viginti sex annis perseverat. HERODES TETRARCHA & ipse Caji amicitiam petens, cogente Herodiade Romam venit, sed accusatus ab Agrippa, etiam Tetrarchiam perdidit, fugiensque in Hispaniam, cum Herodiade mærore perijt.

Anni mūdi.

Pilatus qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, tantis irrogante Cajo angoribus coarctatus eſt, ut ſua ſe manu peremerit.
Cajus in Deos ſe referens, Judæorum loca ſancta ſordibus idolorum profanat.
Matthæus in Judæa prædicans Evangelium ſcripſit.
Claudius annos XIII. menſes VII. dies XVIII. 4007
Petrus Apoſtolus, cum primis Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam pergit, ibique viginti quinque annos cathedram tenet Epiſcopalem, id eſt uſque ad ultimum Neronis annum.
Marcus Evangelium quod Romæ ſcripſerat, Ægypto, Petro mittente, prædicat.
Actor. 11. Quarto Claudij anno, fames graviſſima, cujus Lucas meminit, facta eſt. Eodem anno ipſe Britanniam adiens, quam neque ante Julium Cæſarem, neque poſt eum quiſquam attingere auſus fuerat, ſine ullo prælio ac ſanguine intra pauciſſimos dies plurimam Inſulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam Inſulas Romano adjecit Imperio, ac ſexto quàm profectus erat menſe, Romam redijt. Nono regni ſui anno Judæos tumultuantes Roma expulit, quod & Lucas refert.
Sequenti anno fames maxima Romam corripuit.
Nero annos XIII. menſes VII. dies XXVIII. Hujus ſecundo anno Feſtus Judææ procurator ſucceſſit Felici, à quo Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, poſt hæc ad prædicandum dimittitur, necdum Nerone in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant hiſtoriæ. 4021
Jacobus frater Domini cum triginta annos rexiſſet Hieroſolymorum Eccleſiam, ſeptimo Neronis anno lapidatur à Judæis, vindicantibus in illo, quòd Paulum interficere nequiverant.
Feſto magiſtratui Judææ ſuccedit Albinus, Albino Florus, cujus luxuriam & avaritiam cæteraque flagitia non ferentes Judæi, contra Romanos rebellaverunt. Adverſum quos Veſpaſianus magiſter militiæ tranſmiſſus, plurimas urbes Judææ cepit.
Primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam Chriſtianos perſequitur: quorum eximios, Romæ Petrum cruce, Paulum occidit gladio. Hic in re militari nihil omnino auſus, Britanniam penè amiſit: nam duo ſub ea nobiliſſima oppida illic capta atque everſa ſunt.
Veſpaſianus annos IX. menſes XI. dies XXII. Hic apud Judæam Imperator ab exercitu appellatus, & bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiſcitur, qui ſecundo anno Judææ regnum ſubvertit, templumque ſolo ſtravit, poſt annum primæ ædificationis ejus, MLXXXIX. Conſummatum eſt bellum annis quatuor, duobus Nerone vivente, & duobus alijs poſtea. 4031
Veſpaſianus inter alia magnorum operum in privata adhuc vita in Germaniam, ac deinde in Britanniam à Claudio miſſus, tricies & bis cum hoſte conflixit, duas validiſſimas gentes, viginti oppida, inſulam *Hectam, Britanniæ proximam, Imperio Romano adjecit. *al. Heclam
Coloſſus erigitur, habens altitudinis pedes CVII.
Titus annos duos, menſes duos, vir omnium genere virtutum mirabilis, adeò ut amor & deliciæ humani generis diceretur. Hic Amphitheatrum Romæ ædificat, & in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit. 4033
Domitianus frater Titi junior, annos XV. menſes quinque. Hic ſecundus poſt Neronem Chriſtianos perſequitur, ſub quo Apoſtolus Joannes in Pathmum Inſulam relegatus eſt, & Flavia Domicilla, Flavij Clementis Conſulis ex ſorore neptis, in Inſulam Pontianam ob fidei teſtimonium exiliatur. 4049

Regnum

Anni mũdi. — *Regnum Romanorum.* — *Anni Dom.*

Anno XLII. Octaviani Augusti Cæsaris, ex quo anno Ægyptus in Provinciam redacta est, & Cleopatra cum Antonio victa, XXVIII. anno, ab Urbe verò condita DCCLII. Olympiadis CXCIII. anno tertio, Dominus noster Jesus Christus in Bethlehem Judæ nascitur: transactis ab initio mundi, secundum Hebraicam veritatem, annis tribus millibus DCCCCLII. secundum septuaginta verò Interpretes, quinque millibus CXCIX.

43.

44. Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptavit.
Herodes infantes occidit.

45. Judas Galilæus ad rebellandum Judæos cohortatur.

---

46. Asinius Pollio Orator moritur.

47. Herodes Rex Judææ cum magno cruciatu moritur, pro quo Archelaus regnavit, annis novem.

48. Fames magna Romæ facta.

49.

50. Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque subegit.

51. 10

52.

53. Jani portæ duodecim annis ab Augusto clausæ aperiuntur.

54. Messala Corvinus Orator moritur.

55. Ecclipsis Solis facta est.

56. Archelaus in Viennam Galliæ Urbem ab Augusto relegatur, & Judæa Tetrarchis committitur, & Augustus moritur, anno ætatis 76.

¶ TIBERIUS secundus, privignus Augusti, regnavit annis 23.

1. Herodes Tetrarcha Judæorum regnum tenuit annis 24.
2. Mathematici Urbe pelluntur.
3. Livius historiographus moritur.
Ovidius Poëta in exilio moritur.
4. Germanicus à Tiberio missus Germanos vicit.
5. Tredecim Urbes terræmotu corruerunt.
Germanicus Cæsar moritur. 20

---

6. Fenestella historiographus & Poeta moritur.
7. Tiberius multos Reges ad se dolo vocatos nunquam remisit.
8. Pompeij theatrum incensum est.
9. Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.
10.
11.
12. Pilatus Præses Judææ à Tiberio mittitur.
13.
14.
15. Dominus JESUS CHRISTUS à Johanne baptizatur, tricesimo anno ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit. 30

16.
17. Joannes baptista ab Herode Tetrarcha decollatur.
18. Dominus in Hierosolymis passus est, & resurrexit. Ecclipsis Solis & maximi terræmotus facti sunt.
19. Jacobus frater Domini, Hierosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatur, sedit annis triginta.
Stephanus lapidatur.
Paulus Apostolus de cœlo vocatur.
20. Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens, seditionem Judæis excitavit. 35

Anni mũdi. Regnum Romanorum. Anni Dom.

21. Sejanus præfectus Tiberium, ut Judæos deleat, cohortatur.
Pilatus Romam venit, & de miraculis Domini Cæsari nunciavit.
22. Agrippa Herodem Tetrarcham Romæ accusans, à Tiberio in vincula mittitur.
Tiberius ea quæ à Pilato audierat Senatui nunciavit, sed Senatus contempsit.
23. Tiberius pop. Rom. graviter afflixit, & ipse veneno periit.
* al. 3. ¶ CAIUS Caligula III. annos * 4. menses 6. dies 8. vir scelestissimus.
1. Herodes Agrippa Rex Judæorum à Cajo constitutus, regnavit annis 7.
2. Judæi apud Alexandriam profligantur: pro quibus Philo clarissimus Scriptor apud Cajum interpellans, nihil profuit. 40

3. Pilatus semetipsum interfecit, magnis à Cajo calamitatibus oppressus.
4. Matthæus Evangelium scripsit Hebraicè.
Cajus occiditur à protectoribus suis.
¶ CLAUDIUS IV. annos 13. menses 8. dies 28.
1.
2. Petrus Apostolus Romam venit, ibique per 25. annos prædicans, Episcopatum tenuit.
3. Herodes Agrippa ab Angelo percussus expiravit: pro quo filius ejus Agrippa regnavit annis 26.
Marcus Evangelista in Ægypto Christum annuntiat.
Primus Antiochiæ Episcopus Evodius ordinatur. 45

4. Fames magna facta est.
Claudius Britanniam subegit.
5. Nova insula triginta stadiorum in mari apparuit.
6. Cives Romani à Claudio numerati sunt, sexagies novies centena, & quadraginta quatuor millia.
4000 7. Judæorum in seditione triginta millia necantur, in diebus azymorum.
8. 50

9. Claudius Judæos expulit Urbe.
10. Magna fames Romæ facta est.
11. Claudius Felicem procuratorem Judææ facit.
12. His temporibus Simon magus, Symoniacæ hæreseos autor extitit.
13. Ægyptius quidam pseudopropheta Judæorum plures seducens, à Felice opprimitur. 55

14. Claudius veneno mortuus est, anno ætatis sexagesimo quarto.
¶ NERO V. annos 13. menses 7. dies 28. Iste flagitiosus in cunctis, primam in Christianos persequutionem exercuit, in qua Romæ Processus & Martinianus, XLVII. à beato Petro baptizati, Torpes, Marcellus & Apulejus: Mediolani, Nazarius & Celsus: Aquileiæ, Hermagoras Episcopus, Fortunatus Diaconus, Felix cum Constantia: Ravennæ; Apollinaris Episcopus pro Christo coronantur.
1. Seditio in Cæsarea orta plures Judæorum perdidit.
Festus Felici successit.
2. Paulus Apostolus Romam à Festo præside mittitur.
3. Hucusque librum Actus Apostolorum, Lucas Evangelista perduxit, continentem annos à passione Domini XXVII.
4. Statius Poeta clarus habetur. 60

5. Nero Agrippinam matrem suam & sororem Patris interficit.
6. Nero infinita luxuria & lascivia, ignaviaque bacchatur.
7. Jacobus frater Domini à Judæis lapidatur.
Festo præsidi Albinus in Judæa successit.

Anni mũdi. *Regnum Romanorum.* *Anni Dom.*

8. Marcus Evangelista apud Alexandriam passus est: pro quo Ananias 23. annis.
Albino Florus successit.
9. Neronianæ thermæ à Nerone ædificantur.
Persius & Lucanus Poëtæ moriuntur. 65

10. Nero ut similitudinem Trojæ ardentis videret, magnam partem Romæ incendit.
11. Nero Senecam Magistrum suum interfecit.
12. Vespasianus Dux exercitus adversus Judæos rebellantes à Nerone mittitur.
13. Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem magum trucidantur: & pestilentia Romæ facta est, Neroque seipsum interfecit.
LINUS I. à beato Petro Papa sedit annis 12.
Antiochiæ secundus Episcopus ordinatur Ignatius.
¶ GALBA VI. menses septem. Otho menses tres. Vitellius menses 8.
1. Vespasianus in Judæa pugnans, Imperator ab exercitu constituitur.

70

¶ VESPASIANUS VII. regnat annos 9. menses 11. dies 22. vir militari virtute præcipuus.
1. Titus Judæos inenarrabili fame cruciatos, obsedit.
2. Hierusalem à Tito expugnata destruitur, anno à passione Domini 42. à prima verò conditione templi sub Salomone 1089.
3.
4.
5. Hoc tempore Josephus historiographus clarus habetur.

75

6.
7. Colossus erectus est, habens altitudinis pedes 107.
8.
9. Pestilentia Romæ facta est: & terræmotus tres civitates Cypri subvertit.
10. Vespasianus profluvio ventris in villa circa Sabinos obiit.
¶ TITUS VIII. Vespasiani filius, annos duos, menses duos, vir omnium genere virtutum mirabilis, ita ut delitiæ & amor humani generis diceretur.

80

1. Titus amphitheatrum Romæ construxit, in cujus dedicatione 5000. ferarum occidit.
2. ANACLETUS Papa II. sedit annis 12.
Titus in eadem villa qua & pater obiit, anno ætatis 42.
¶ DOMITIANUS IX. frater Titi, annis 15. mensibus 5. Hic omnibus infectus sceleribus, secundò persequitur Christianos: cujus tempore passi sunt Romæ, Eutyches, Victorinus & Maro: apud Amiterniam Urbem Victorinus Episcopus.
1. Domitianus eunuchos fieri prohibuit.
2. Decreto Senatus Titus inter Deos refertur.
3. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnantur.

In successione Pontificũ sequitur Eusebium, non Pontificalem librũ à Damaso Papa perscriptum.

4. Anianus primus post Marcum Evangelistam Episcopus Alexandriæ, post annos 22. obiit: pro quo Abilius 11. sedit annis 13. 85
5.
6. Domitianus se Deum & Dominum appellari jussit.
7.
8. Quintilianus Rhetor Romæ clarus habetur.

9. His temporibus hæresis Menandri Magi & Ebionitarum & Corinthiorum & Nicolaitarum exoritur. 90

10. Hoc

Anni mūdi. | *Regnum Romanorum.* | *Anni Dom.*

10. Hoc tempore Romani mala plurima à Cæsare & ab hostib. pertulerunt.
11. Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.
12. CLEMENS Papa III sedit annis 9.
Cornelia virgo Vestalis ob stuprum viva defossa est.
13. Domitianus multos nobilium occidit.

---

14. Hoc tempore Joannes Apostolus in Pathmos insulam à Domitiano exilio missus Apocalypsim scripsit. 95
15. Domitianus Flaviam Domicillam cum multis aliis in exilium pro fide Christi relegavit.
16. Domitianus cùm multa mala egisset, crudeliter à suis interfectus est, anno ætatis 35.
¶ NERVA X. senex, anno uno, mensibus 4. diebus 7. Hic primum edicto suo omnes exules revocavit.
4050 1. Sanctus Joannes Apostolus ab exilio rediens Evangelium scripsit.
Nerva confectus morbo obiit.
¶ TRAIANUS XI. genere Hispanus, annis 19. mensibus 6. diebus 15. vir Reipublicæ utilis, sed errore deceptus, tertiò persequitur Christianos.
1. Alexandriæ tertius Cerdo Episcopus, sedit annis 12.

--- 100

2. Joannes Apost. apud Ephesum dormivit in pace, anno à passione Dn. 68.
3. *Liber S. Hieronymi de viris illustribus asserit, Clementem Papam hic obisse, & quartum à beato Petro fuisse.*
4. EVARISTUS Papa IV. sedit annis 8. passus 6. Cal. Novembr.
Trajanus de Dacis & Scythis triumphat.
5. Trajanus multas gentes Romano subjecit Imperio.
6. *Hoc tempore Simeon Cleophæ filius, Hierosolymis Episcopus crucifigitur, anno ætatis 120. pro quo Iustus ordinatur.*
Ignatius Antiochiæ Episcopus clarus Doctor habetur.

--- 105

7.
8. Hujus Trajani tempore terræmotus multas Urbes subvertit, & aurea domus Neronis incendio periit, & Pantheon fulmine crematum est.
Adhuc floruit Polycarpus Smyrnæ Episcopus, Apostolorum discipulus.
9. *Hoc tempore Plinius Secundus Philosophus clarus pro Christianis Trajanum mitigat.*
10. Hoc tempore Simeon Cleophæ filius, Hierosolymæ Episcopus crucifigitur, anno ætatis 120. pro quo Justus.
Terræmotus multas Urbes subvertit.
11. Hoc tempore Plinius Secundus Philosophus clarus pro Christianis Trajanum mitigat.
Ignatius Antiochiæ Episcopus Romæ bestiis traditur: pro quo Oron tertius constituitur.

--- 110

12. ALEXANDER Papa V. sedit annis 10. *qui quinto nonas Maij martyrio coronatus est.*
13. Alexandriæ Primus quartus Episcopus, sedit annis 12.
14. Post Justum Hierosolymæ Episcopum Zachæus quartus sedit: post quem Tobias quintus, & post hunc Benjamin sextus, deinde Joannes septimus, post quem Mathathias octavus, cui succedit Philippus 9.
15. *Terræmotus penè totam Antiochiam subruit.*
16. Trajanus Armeniam, Assyriam & Mesopotamiam Provincias fecit.
Terræmotus penè totam Antiochiam subruit.

--- 115

17. *Ignatius Antiochiæ Episcopus martyrizatur.*
18. Judæi commoti magnas cædes hominum faciunt, sed in Alexandria victi ab omnibus ubique trucidantur.
19. Trajanus apud Seleuciam profluvio ventris moritur, anno ætatis 64.

¶ ÆLIUS

Anni mūdi. | Anni Dom.

Regnum Romanorum.

¶ ÆLIUS ADRIANUS XII. annis 21. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem virum sapientem libris Apologeticis edoctus, mitis efficitur Christianus.

Hujus tempore passi sunt Romæ, Xistus Papa, Getulius, Sabina & Seraphia virgines: apud Mesenam, Eleutherius Episcopus cum Anthia matre: Parisius, Dionysius Areopagita Episcopus: apud Tiburiam, Simphorosa cum septem filiis.

1. Adrianus Alexandriam publicis restauravit expensis.
2. Adrianus iterum Judæos profligat.
Trajanum Senatus inter Deos refert.

120

3. XISTUS Papa VI. sedit annis 10. (12)
Adrianus plurima tributa relaxat.
Terræmotus factus est. Bellum contra Sauromatas gestum.
4.
5. Adrianus in Lybiam, quæ à Judæis vastata fuerat, Colonias deducit.
6. Alexandriæ * Justinus V. Episcopus, sedit annis 11. *vel Iustus.*
Adrianus Atheniensibus legem dedit.
7. Hierosolymis post Philippum Episcopus Seneca X. & post hunc Justus XI. deinde Levi XII. post quem Ephres XIII. postea * Jesses XIV. & post hunc Judas XV. Episcopi præfuerunt. *vel Iosis.*

125

8. Hoc tempore Aquila interpres habetur.
9. Adrianus Apologeticis nostrorum acceptis, literas pro Christianis misit.
10.
11. His temporibus Saturninus & Basilides & Carpocrates hæresin condiderunt.
12. Adrianus Pater Patriæ primus appellatur.
THELESPHORUS Papa VII. sedit annis 11.

130

13. Antiochiæ constituitur Cornelius Episcopus.
Nicopolis & Cæsarea terræmotu corruerunt.
Templum Veneris Romæ factum est.
14. *Xistus Papa sub Adriano principe Passus est, 8. Idus Aprilis.*
15. THELESPHORUS *Papa septimus, sedit annis 7. juxta Eusebij historiam, annis 11. Passus est 4. Non. Ianuarij.*
Adrianus Athenas ampliavit ædificiis plurimis.
16. Judæi in arma versi Palæstinam depopulantur.
17. Alexandriæ Eumenes VI. Episcopus, sedit annis 13.

135

18. Judæi iterum commoti, magnis ubique cædibus enecantur.
19. Hierusalem ab Ælio Adriano reparata est, & ex ejus nomine Ælia nuncupata, & Judæis ne introirent interdicta.
20. Primus ex gentibus Hierosolymis Episcopus Marcus ordinatur, cùm jam quindecim de Judaica gente fuissent.
21. Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, major sexagenario.
¶ ANTONINUS XIII. cognomento Pius, annis 22. mensibus 3. Iste per Apologeticum Justini, Christiani Philosophi & postea martyris, edoctus, clemens efficitur nostris.
1. HYGINUS Papa VIII. sedit annis 4. Hic discessit 4. Idus Jan.

140

2. Antoninus Pater Patriæ appellatur.
3. Valentinus & Cerdo, & post hos Marcion & Marcus Ecclesiam hæresi impugnant.
4. Justinus Philosophus pro Christianis Apologeticon Antonino scripsit.
5. PIUS Papa IX. sedit annis 15. *Obiit 4. Idus Iulij.* Sub hoc Hermes librum Pastoris scripsit.

6. Antio-

Anni mūdi. — Regnum Romanorum. — Anni Dom.

6. Antiochiæ constituitur Episcopus Heros V.

7. 145
8.
9. Alexandriæ Marcus VII. Episcopus, sedit annis 10.
4100 10. *Pius Papa juxta baptisterium S. Praxedis consecravit titulum S. Hermæ, de quo Apost. ad Rom. Salutate Phlegonta, Hermam, cujus creditur esse liber ille Pastoris, licet apocryphus, qui apud Græcos multum usitatur.* Rom. 16.
11.

12. 150
13. Apollonius & Basilides Philosophi illustres habentur.
14.
15.
16.

155
17. Crescens Cynicus Philosophus, Justino nostro Philosopho persequutionem commovit, in qua ille pro Christo occubuit.
18.
19. Alexandriæ Celadion VIII. Episcopus sedit annis 14.
20. ANICETUS Papa x. sedit annis 11. *Martyrio coronatus est 16. Calend. Maij: cujus temporibus memorat Egesippus se Romam venisse, ibique usque ad Eleutherium Papam permansisse.*
21. Hierosolymis post Marcum factus est Episcopus Cassianus XVII. Publius XVIII. Maximus XIX. Julianus XX. Gajanus XXI. Symmachus XXII. Cajus XXIII. Julianus XXIV. Capito XXV.

160
22.
23. Antoninus Pius apud Lorium obiit, anno ætatis 72.
¶ MARCUS ANTONINUS VERUS cum fratre Lucio Aurelio Commodo, annis 19. mense uno.
1. Hi primùm æquo jure administraverunt Imperium.
2. Lucio Cæsari Athenis sacrificanti, ignis ab Oriente ad Occidentem in cœlo ferri visus est.
3. Vologesus Rex Parthorum provincias populatur Romanas quasdam.

165
4. Fronto Orator insignis habetur.
Seleucia à Romanis capta est.
5. Cæsares de Parthis triumphant.
6. Sub his Principibus quarta persequutio orta, apud Asiam Polycarpum Smyrnæ Episcopum cum plurimis, & in Gallia multos Sanctorum coronavit: in qua passi sunt, Romæ, Anicetus Papa, Victor Papa, Symmetrius Presbyter, Felicitas cum septem filiis, Julius & Antoninus, Eusebius & Pontianus, Peregrinus & Vincentius: apud Sebasten Armeniæ, quadraginta martyres sub Agricola judice: apud Spoletum, Concordius, Germanicus & Pionius: apud Apamiam, Alexander & Gajus: apud Cretam, Philippus Episcopus: apud Bergamum Carpus Episcopus, Papyrius Diaconus: Lugduni Galliæ Irenæus Episcopus cum multis. Photinus quoque Urbis ejusdem Episcopus, & Blandina cum aliis 48. Epipodius & Alexander in Syria, Victor & Corona. Mediolani Faustus, * Cabillone Marcellus, item Valerianus. Alexandriæ Ptolemæus & Lucius.

* *Avinione.*

7. Hoc tempore lues maxima multas vastavit Provincias, & exercitum Romanorum penè delevit.
8. SOTER Papa XI. sedit annis 8. (9).
Antiochiæ Theophilus VI. Episcopus vir sapiens ordinatur

170
9.

10. Alexan-

Anni mūdi. *Regum Romanorum.* *Anni Dom.*

10. Alexandriæ Argrippinus Episcopus nonus, sedit annis 10.
Lucius Cæsar apoplexia extinctus est.
11. Cataphrygarum hæresis oritur.
12.
13. *Cataphrygarum hæresis oritur.*
His temporibus Egesippus, Dionysius Corinthi Episcopus, Modestus, Melito, Pynetus Cretæ Episcopus, Theophilus Antiochiæ Episcopus, Apollinaris & alij plurimi Doctores clari habentur. 175

---

14. *Hoc tempore Tatianus Encratitarum hæresin condit.*
Antoninus Imperator multa prælia per se & per Duces suos contra Romanos inimicos exegit.
Antiochiæ VII. Episcopus * Maximus constituitur. *al. Maximinus.
15. Hoc tempore Tatianus hæresin Encratitarum, condit.
Antoninus Commodum filium consortem regni fecit.
16. Eleutherius Papa XII. sedit annis * 13. * 15.
Antoninus Commodum filium consortem regni fecit.
17. Imperatores de hostibus triumphant, & debita plebi relaxant.
18. Lucius Britanniæ Rex ab Eleutherio Papa ut Christianus efficiatur, impetrat.

--- 180

19. Antoninus in Pannonia moritur.
¶ L. Antoninus Commodus XV. post mortem Patris annos 13. regnavit.
Hic Germanos feliciter vicit: cæterum obscœnus & pravus fuit.
1. Alexandriæ Julianus X. Episcopus sedit annis 10.
Commodus de Germanis triumphat.
2. Templum Serapidis Alexandriæ incensum est.
3. Hoc tempore Panthenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.
4. Hierosolymis Maximus XXVI. Episcopus ordinatur: post quem Antoninus XXVIII Valens XXVIII. * Dulcianus XXIX. Narcissus XXX. *Dius XXXI, Germanio XXXII. Gordius XXXIII. & Narcissus XXXIV. *al. Dulychianus. *al. Ælius.

--- 185

5. Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt.
6. Origenes apud Alexandriam nascitur.
7. Hoc tempore Montanus quidam Cataphrygarum hæresin condit.
8. Irenæus Lugdunensis Episcopus & alij Doctores claruerunt.
9. Capitolium Romæ & Bibliotheca fulmine cremantur.

--- 190

10. Commodus Colossi capite sublato, suæ imaginis caput jussit imponi.
Victor Papa XIII. sedit annis 13.
Alexandriæ Demetrius XI. Episcopus, annis 43.
11. Magna quæstio de Pascha oritur, & in Dominica die celebrari jubetur.
12. Serapion Antiochiæ Episcopus VIII. ordinatur.
Commodus multos nobilium interfecit.
13. Commodus cunctis incommodus, in domo Vestiliani strangulatur.
¶ Ælius Pertinax XVI. mensibus 6 (7) Hunc Julianus Jurisperitus occidens regnavit mensibus septem.
¶ Severus XVII. genere Afer, annis 17. Hic Julianum civili bello vicit, & se Pertinacem appellavit.
1.

--- 195

2.
3. Hoc tempore Narcissus Hierosolymitanus Episcopus, & Theophilus Cæsariensis, Polycarpus quoque & Bachilus Asiani & alij Episcopi, insignes habentur.

Anni mundi | Regnum Romanorum. | Anni Dom.

4150

4.
5. Judaicum & Samariticum bellum motum est.
6. Severus Parthos & Adiabenos Arabasque superavit & subjecit.

200

7.
8. Thermæ Severianæ apud Antiochiam factæ sunt.
Victor Papa martyrizatus est.
9. ZEPHYRINUS Papa XIV. sedit annis 18. [17] *qui discessit 7. calen Septembris.*
10. Severus quinta persecutione plurimos sanctorum coronavit, inter quos pater Origenis Leonides, cum multis alijs martyrizatur.
11.

205

12. Perpetua & Felicitas hac persecutione apud Carthaginem bestijs deputantur.
13. Hoc tempore Symmachus & Theodotion Interpretes habentur.
14. Severus vallum apud Britannos per 132. passuum millia à mari ad mare fecit.
15
16. Tertullianus Afer clarissimus habetur.

210

17. Severus in Britannia moritur.
¶ ANTONINUS CARACALLA XVIII. annis septem.
1. Antiochiæ nonus Episcopus Asclepiades constituitur.
2. *Hoc tempore Alexander XXXV. Episcopus Cappadociæ à Narcisso Hierosolymitano Episcopo constituitur.

**Secus aliquanto Eusebius habet.*

3. Antoninus Caracalla propter genus vestis quod Romæ erogabat, cognominatur.
4.

215

5. Antoninus Romæ Thermas sui nominis ædificavit.
6. Antoninus impatientia libidinis novercam suam Juliam duxit uxorem.
7. Antoninus interficitur, anno vitæ 43.
¶ OPILIUS MACRINUS XIX. annum unum regnavit.
1. Macrinus cum filio Diadumeno occiditur.
Antiochiæ X. Philetus Episcopus constituitur.
¶ M. AURELIUS ANTONINUS XX. annis quatuor.
1. CALISTUS Papa XV. sedit annis 5. *passus est sub Alexandro Imperatore secundo, Idus Octobris.*

220

2. Hippolytus Episcopus clarus habetur.
Heliogabalum templum Romæ ædificatur.
3. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est.
4. Aurelius tumultu militari Romæ occiditur.
Hujus tempore coronantur Romæ Callistus Papa, Urbanus Papa, Cecilia virgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius presbyter, Palmarius Consul cum uxore & filijs, & Simplicius senator.
¶ AURELIUS ALEXANDER XXI. annis 13. Hic in matrem suam unicè pius fuit, & cunctis charus.
1. Alexander Xerxen Regem Persarum vicit.
2. URBANUS Papa XVI. sedit annis 8 [9.] Hic multos nobilium ad Christi fidem convertit, *octavo cal. Iunij obijt.*

225

4. Ulpianus Jurisconsultus insignis habetur.
5. Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocantur.
6. Geminus presbyter & Hippolytus & Beryllus Episcopi & Bostrenus clari habentur.

7. Anti-

Anni mũdi.

Regnum Romanorum.

Anni Dom.

7. Antiochiæ Epiſcopus XI. Zebennus conſtituitur.
8. Mammea mater Alexandri Origenem celeberrimum Doctorem ad ſe vocatum audire curavit.

230

9.
10. PONTIANUS Papa XVII. ſedit annis ſex, *paſſus eſt ſub Maximino Imperatore 12. Calend. Decemb.*
11. Alexandriæ Heracleas XII. Epiſcopus vir ſapiens, ſedit 13. (14.)
12.
13. Alexander tumultu militari occiditur.
¶ MAXIMINUS XXII. annis tribus. Iſte Chriſtianos & maximè rectores Eccleſiæ ſextus poſt Neronem perſequitur. Sub quo apud Cæſaream Palæſtinam Pamphilus & Maximus Presbyteri coronantur.

235

1. *Alexander Hieroſolymorum Epiſcopus* XXXV.
2. Pontianus Papa, & ſucceſſor ejus ANTHERUS XVIII. Papa poſt primum menſem Pontificatus, martyrio coronantur, *tertio Nonas Ianuarij.*
3. FABIANUS Papa XIX. ſedit annis 14.
Maximinus Aquileiæ occiditur.
¶ GORDIANUS XXIII. annis ſex.
1.
2. Pupienus & Albinus, qui Imperium arripuerant, in palatio occiſi ſunt.

240

3. Hoc tempore Julius Africanus chronographus clarus habetur.
4. Hac tempeſtate Origenes Theodorum & Athenodorum fratres, poſtea nobiles Epiſcopos, divina imbuit Philoſophia.
5.
6. Gordianus cum victor à Parthis reverteretur, haud longè à Romano ſolo interficitur.
¶ PHILIPPUS XXIV. cum filio Philippo, annis ſeptem. Hic primus omnium Imperatorum Chriſtianus fuit.
1. Philippus Philippum filium ſuum conſortem regni fecit.

245

2.
3. Alexandriæ XIII. Dionyſius Epiſcopus clarus Doctor ſedit annis * 19. *qui ſuo tempore Sabellianam hæreſin apud Ptolemaidam aſſerit exortam.* * al. 17.
4200 4. Milleſimus annus ab Urbe condita feſtivè celebratur.
5. Origenes Presbyter his temporibus tanta ſcripſit, ut Hieronymus quodam loco quinque millia librorum ejus ſe legiſſe dicat.
6.

250

7. Philippus ſenior Veronæ, junior verò Romæ, occiditur.
¶ DECIUS XXV. anno uno, menſibus tribus. Iſte ſeptimam in Chriſtianos perſecutionem excitavit.
1. Hac & ſequenti perſecutione paſſi ſunt, Romæ, Fabianus Papa, Xiſtus Papa, Laurentius, feliciſſimus & Agapitus Diaconus, Abdo & Sennes, Hippolytus & Concordia, Irenæus & Habundius, Cornelius Papa, Victoria virgo, Miniates. Antiochiæ, Babylas Epiſcopus Apolloniæ civitatis, Leacus, Tirſus, & Gallinicus. Hieroſolymis, Alexander Epiſcopus, Nazanzo Trypho. In Ægypto, civitate Tanais, Phileas Epiſcopus, Philoromus: Babyloniæ etiam Cteſiphontes Epiſcopus: Pamphiliæ, Neſtor Epiſcopus. In Corduba, Parmenius Presbyter cum aliis: in Cyrienſi Colonia, Marianus & Jacob: in Tyro, Anatolia & Audax: in Africa, Nemeſianus, Felix, Rogatianus Presbyter, Feliciſſimus, cum aliis. Antiochiæ, Aſclepiades Epiſcopus:

Anni mūdi. | Anni Dom.

Regnum Romanorum.

Alexandriæ, Agatho, Serapion, Arsenius, Dioscorus cum aliis. Item Romæ, Stephanus Papa, Eugenia, Jovinus, Basilius, Lucius Papa, Basilla, Rufina & Secunda virgines, Tertullianus, Protus, Hyacinthus, Xistus Papa, Valerianus, Nemesius, Symphorianus & Olympius. In Hispania, Teragone: Veronæ, Zenon Episcopus, Fructuosus Episcopus, Augurius & Eulogius Diaconi. Cæsareæ, Marinus & Artemisius. In Africa, Maxima, Donatilla & Secunda virgines. In vico Mitanesi, Privatus Episcopus, Theodorus cognomento Gregorius, Ponti Episcopus. Sub Claudio verò & Aureliano, Proboq; & Caro Imperatoribus passi sunt Romæ, Felix Papa, Marius & Martha conjunx ejus, cum filiis, XLVII. milites, qui baptizati sunt à Dionysio Papa, Cyrilla virgo. In Campania, Felix Presbyter & Eusebius. Romæ item Eutychianus Papa, Theodora, Basilides, Tripos & Mandalio. Lingonis, sancti gemini: Loonio civitate, Conon: Cæsarea, Cappadociæ, Mammes. Apud Prænestе, Agapitus. In civitate Salona, Anastasius: Augustoduni, Simphorianus. In territorio Vivariensi, Andeolus subdiaconus, Andochius Presbyter, Thyrsus Diaconus, & Felix. In castro Divione, Benignus Presbyter. Item Romæ, Chrysanthus & Daria, Claudius & Hilaria uxor ejus, cum filiis Iasone & Mauro, & 70. militibus.

Fabianus martyrizatur, pro quo CORNELIUS Papa XX. sedit annis tribus.

Decius cum filio suo in Thracia à Gothis occiditur.

Antonius monachus in Ægypto nascitur.

¶ GALLUS XXVII. cum Volusiano filio, annis duobus, mensibus 4.

1. Origenes anno ætatis septuagesimo moritur.

Novatus Presbyter *Romanæ Ecclesiæ hæresis Novatianorum autor, qui se Catharos dixerunt.*

Maxima pestilentia facta est.

Antiochiæ * Demetrius XIV. ordinatur Episcopus. (* Demetrianus.)

2. Gallus & Volusianus interfecti sunt, Interamnæ.

¶ VALERIANUS XXVII. cum Gallieno annis 15. Iste octavam persecutionem in Christianos exercuit.

1. Cornelius Papa martyr efficitur.

LUCIUS Papa XXI. sedit mensibus 8. & martyr efficitur 4. Non. Martij.

255

2. STEPHANUS Papa XXII. sedit annis duobus. *Martyrio coronatus est 4. Nonas Augusti.*

3. Cyprianus Doctor eximius Carthaginensis Episcopus martyrio coronatur.

4. XISTUS Papa XXIII. sedit annis undecim, *qui pro Christo decollatus est, 8. Idus Augusti.*

Valerianus commota persecutione, à Sapore Rege Persarum captus & oculis privatus, in servitute miserabili consenescit, & Gallienus territus, pacem Christicolis reddidit.

5.

6. Antiochiæ XV. Paulus Samosatenus, postea hæreticus, Episcopus constituitur.

260

7.

8. Germani Italiam, Alemanni Gallias & Italiam depopulantur.

9. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia depopulantur per Gothos, & alias plures Provincias Barbarorum quassavit irruptio.

10.

11. Alexandriæ Maximus XIV. Episcopus, sedit annis 18.

265

12. Hoc tempore Theodorus, qui & Gregorius Neocæsariæ Episcopus virtutibus claruit.

13. Hiero-

Anni mūdi. | Anni Dom.

Regnum Romanorum.

13. Hierosolymæ XXXVII. Episcopus Hymenæus constituitur.
14. DIONYSIUS Papa XXIV. sedit annis 9. *discessit 6. cal. Ianuarij.*
Paulo Samosateno hæretico deposito, Dominus XVI. Antiochiæ Episcopus ordinatur.
15 Gallienus Mediolani occiditur.
¶ CLAUDIUS XXVIII. anno uno, mensibus 9. Iste Gothos jam per annos 15. Illyricum Macedoniamque vastantes, superat.
1. Paulus de Samosata Antiochenus Episcopus hæreticus esse convincitur.

270
2. Claudius Sirmio moritur, pro quo frater QUINTILIUS regnavit dies 17. & Aquileiæ occiditur.
¶ AURELIANUS XXIX. annis quinque, mensibus sex. Hic Reipublicæ utilis primò clemens Christianus, postea persecutor fuit.
Antiochiæ Episcopus XVII. Timæus efficitur.
1.
2. Zenobia Regina Orientis vincitur.
3. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia captivi præcesserunt.
4. Aurelianus templum Soli ædificat, & nonam persecutionem in Christianos excitat.

275
5. Aurelianus divino fulmine territus, inter Byzantium & Heracleam à militibus occiditur.
¶ TATIANUS XXX. mensibus sex, Quo apud Pontum occiso FLORIANUS regnavit dies 88. & apud Tarsum occiditur.
1. FELIX Papa XXV. sedit annis quinque: *martyrio coronatur* 3. *cal. Iunij.*
¶ PROBUS XXXI. annis sex, mensibus quatuor.
1. Galliæ à Barbaris vastatæ, à Probo Romano restituuntur Imperio.
2. Anatolius Laodiceæ Episcopus clarus habetur.
3. Manes quidam genere Persa insanam Manichæorum hæresin condit.

280
4. Antiochiæ Episcopus XVIII. Cyrillus constituitur.
5. EUTYCHIANUS Papa XXVI. sedit mensibus 10. *passus* 8. *calend. Augusti.*
6. GAIUS Papa XXVII. annis 15.
Alexandriæ Theonas Episcopus XV. annis 18.
Probus apud Sirmium tumultu militum occiditur.
¶ CARUS XXII. cum filijs Carino & Numeriano, annis duobus.
1. Carus victor de Parthis super Tigridem, fulmine ictus interijt.
2. Numerianus occiditur. Carinus apud Margum à Diocletiano interficitur.
Hucusque ab incarnatione Domini supputantur secundùm Dionysium anni CCLXXXIV.
¶ DIOCLETIANUS XXXIII. annis viginti.

285
1. Ab hoc anno Græci paschales cyclos inchoabant.
2. Diocletianus Herculium Maximianum in consortium regni assumit.
3. Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit.
Carus sumpta purpura Britannias occupavit.
4. Hoc tempore Carausius Britannias, Narses Rex Persarum Orientem, Ægyptum Achilleus, Quinquegentiani Africam vastaverunt.
5.

290
6. Diocletianus Constantium Constantini patrem Cæsarem facit, qui regnavit annis sedecim.

Anni mũdi. | *Anni Dom.*

Regnum Romanorum.

7. Diocletianus Galerium Maximianum Cæsarem facit.
8. Hoc tempore Pierius Presbyter & Achillas & Melitius Alexandrinus claruerunt.
9. His temporibus diversis & multis prælijs hostes diversi vincuntur.
10.

295

---

11. Diocletianus se ut Deum adorari jussit.
12.
13. Gajo Papa martyrizato MARCELLINUS XXVIII. successit, *annis novem, qui idem passus est, sex.cal. Maij.*
14. Diocletianus victo Achilleo, Alexandriam Ægyptumque recepit.
15. Constantius sexaginta millia Alemannorum occidit.
Hierosolymis Episcopus Labdas ordinatur XXXVIII.

300

---

16. Alexandriæ XVI. Petrus Episcopus, sedit annis 12.
Galerius Maximianus à Narseo victus est.
17. Galerius Maximianus Narseum superavit, & uxorem ac liberos & sorores ejus captivavit.
18. Antiochiæ XIX. Tiramnus Episcopus constituitur.
Diocletianus & Maximianus insigni Pompa de hostibus triumphant.
19. Diocletianus in Oriente, & Herculius Maximianus in occidente Ecclesias subvertunt, libros divinos incendunt, & Christianos decima persecutione post Neronem cruciaverunt.

20. Marcellino Papa martyrizato, EUSEBIUS XXIX. successit, mensibus octo.
Quo item passo, tricesimus MILTIADES, sedit annis quatuor.
Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani purpuras & regnum, ob senectutis defectum, sponte deponunt.
In persecutione Diocletiani, Maximiani, Constantij, Severi, Galerij & Maximiani, passi sunt Romæ, Cajus Papa, Cyriacus Diaconus, Largus, Smaragdus, Apronianus, Papias, Maurus, Claudius, & Prepedigna cum filijs, Gabinius presbyter, Castulus, Pancratius, Artemius cum uxore & filia, Sebastianus, Marcus, Marcellianus, Marcellinus presbyter, Petrus exorcista, Tranquillinus, Nicostratus, Zôe uxor ejus, Primus, Felicianus, Claudius, Castorius, Victorinus, Symphorianus, Basiliscus, Faustinus, Simplicius, Beatrix, Tiburtius filius Tromatij, Susanna virgo, Joannes, Crispus, Genesius, Felix & Adauctus, Lucia & Geminianus, Sergius & Bachus, Chrysogonus, Saturninus, & Sisinnus, quatuor coronati, Theodorus, Pontianus, Prætextatus & Thraso.
Apud Spoletum, Gregorius Presbyter, Sabinus Episcopus, Exuperantius, & Marcellinus Diaconus. Apud Insulas Parmarias, Anastasia: Antiochiæ, Julianus & Basilissa: in Hispania civitate Cæsar Augustana, Vincentius Diaconus: in Barcinona, Eulalia virgo, Cucufas: apud Gerundam, Felix: in Cucumis, Juliana virgo: apud Tyrum, Tyrannio, Sylvanus, Peneleus & Linus Episcopi, cum innumera multitudine, Apud Syrmium, Sirenus: Nicomediæ, Petrus, Lucianus presbyter Antiochenus, Antimus Episcopus, Pantaleon, Joannes, Adrianus, Dorotheus & Gorgonius, Eleutherius Smyrnæ, Irenæus Episcopus. In Palæstina civitate Gaza, Sylvanus: Mediolani, Victor. In civitate Suscia, Quirinus Episcopus: apud Tharsum, Bonifacius: in Aquileia, Felix & Fortunatus: apud Ciliciam, Vitus & Modestus, cum Crescentia & Lucia virgine. In Britannia, Albanus: in Massilia, Victor. Apud Augustam, Afra, in Rhetia Provincia: Nicæa Bithyniæ, Theodata cum filijs.

Anni mūdi. | Regnum Romanorum. | Anni Dom.

filiis. In civitate Compluto, Justinus & Haltar fratres: in Sicilia, Euplus Diaconus: Pergamis, Alexander: in Chalcedone, Euphemia: in Neapoli Campaniæ, Jannarius Episcopus Beneventanus, Sosius Diaconus: Mesenata civitate, Faustus & Desiderius. In Palæstina, Peleus & Nylus Episcopi: in Cyzico, Suasta & Eulalius: in Agauno, Mauritius cum sociis: Antiochiæ, Cyprianus Episcopus cum Justina: apud Ægeam civitatem, Cosmas & Damianus: In castro Solodoro, Victor. Apud Coloniam Agrippinam, Gereon cum sociis: apud Tharsum, Carracus, Probus & Andronicus. In Venusia, Felix Episcopus, Audax, Januarius Presbyter: Suessionis civitate, Crispinianus & Crispinus. Apud Sidonem, Zenobius Presbyter. In territorio Agaunensi, Tiberius, Modestus, & Florentia. In Scythia Merinas: Antiochiæ, Romanus: Alexandriæ, Petrus Episcopus. In Africa, Crispina virgo: in Tuscia, Barbara virgo: in Hispania, Leocadia: Emerita civitate, Eulalia & Julia virgines.

¶ GALERIUS & Constantius Augusti.
Maximinus persecutor Christianorum & Severus Cæsares eliguntur.

305

1. Constantius Augustus vir mansuetus in Britannia Eboraci obiit.
¶ CONSTANTINUS, Constantij XXXIV. ex concubina Helena filius, annis triginta, mensibus decem. Hic primus Imperator, excepto Philippo Christianus fuit, & ab hoc Christiani Imperatores cœperunt.
1. Maxentius, Maximiani Herculij filius, Augustus appellatur.
MARCELLUS *Papa sedit annis quinque: passus est 17. Cal. Februarij.*
2. Maximianus Herculius apud Massiliam turpiter interficitur.
3. Quirinus Episcopus pro Christo passus est.
Occiso Severo Licinius Cæsar efficitur.
Galerius Maximianus Christianorum persecutor, divina ultione tactus, parcere Christianis jussit, & ipse moritur.
4. Maximinus Cæsar persecutionem restaurat, & ipse moritur.
Melchiade (*Marcello*) Papa passo, SYLVESTER XXXI. sedit annis 20.

310

5. Petrus Alexandriæ Episcopus martyrio coronatur: pro quo Achillas XVII. sedit.
Magna fames & lues in persecutores facta est.
6. *Eusebius Papa* XXX. *annis sex: discessit sexto Non. Octobris.*
7. Persecutio tandem post decem annos finita est.
8. Constantinus Maxentium civili prælio, Deo juvante, apud pontem Miluium vicit.
Hierosolymitanus Episcopus Macharius XXXIX. constituitur.
9. *Maximinus Cæsar cum magno cruciatu miserabiliter & dignè moritur.*
Diocletianus moritur, & inter Deos refertur.

315

10. Plurimi persecutorum & magorum trucidantur.
11. Crispus & Constantinus, filij Constantini, & Licinius Cæsares appellantur.
Lactantius clarus habetur.
12. *Licinius Cæsar primò bonus Christianorum ultor, prava contra Constantinum machinans, & Christianos persequens, victus bello interiit.*
MELCHIADES *Papa* XXXI. *sedit annis* 4. *obiit quarto idus Ianuarij.*
13.
14. Licinius Christianos de Palatio suo expellit, & eos persequitur. 320

Anni mūdi. *Anni Dom.*

Regnum Romanorum.

Hoc tempore Alexandriæ Presbyter Arius nefandam hæresim Arianorum condit, sub Alexandro Episcopo, qui Achilli successit.

15. Alexandriæ Alexander XVIII. Episcopus ordinatur, à quo Arius Presbyter de Ecclesia ejectus, multos errori suo sociat, & Ecclesiam hæresi impugnat.
SYLVESTER Papa XXXII. *sedit annos 23. menses 10. qui discessit pridie Calend. Ianuarij.*
17. Concilium in Nicæa congregatur, CCCXVIII. Episcoporum, sub Julio (*Sylvestro*) Papa, in quo Arius condemnatur, *& 70. Capitula constituuntur, sicut Athanasius dicit, qui eidem Synodo interfuit.*
18. Constantinus, filius Constantini, Cæsar efficitur.
Licinius occiditur.
19. Hoc tempore crux Dominica ab Helena Constantini matre in Hierosolymis reperitur, sub Machario ejusdem Urbis Episcopo.
20. Vicennalia Constantini Romæ acta.

21. 325
22. Antiochiæ post Tirannum Vitalis vicesimus Episcopus ordinatur: pro quo * Philogimius XXI. & post hunc Paulinus XXII. cui successit Eustathius XXIII. Quo ob fidem catholicam in exilium misso, Ariani Episcopi undecim numero, Ecclesiam illam unus post alium occupaverunt.
* al. Philogonus.
Constantinus uxorem suam Bausiam interfecit.
Donatus quidam Donatistarum hæresim condidit.
Constantinus Sarmatas, Gothos & multas nationes Romano subdit Imperio.
24. Constantinus Byzantium Urbem reparavit, & ex suo nomine Constantinopolim appellavit & sedem Romani regni eam esse voluit.
25. Alexandriæ Athanasius XIX. Episcopus ordinatur.
Romæ MARCUS XXXII. Papa, sedit mensibus octo: pro quo JULIUS XXXIII. annis 16. mensibus 9.
Porphyrius misso ad Constantinum volumine, exilio liberatur.
Templa idolorum destruuntur.
26. *Hoc tempore Indi & Iberi efficiuntur Christiani.*

330
27. Constans, filius Constantini, Cæsar efficitur.
His temporibus Eusebius Cæsariensis Episcopus, & Iuvencus Poeta, & plurimi Doctores claruerunt.
28. Antonius monachus clarus habetur.
29. Constantia, Constantini soror, uxor Licinij moriens, Arianum quendam Presbyterum fratri commendat.
30. Dalmatius Cæsar efficitur.
Constantinus in Arianum dogma labitur, ab Eusebio Nicomediense baptizatus.
31. Constantinus dum bellum in Persas pararet, apud Nicomediam obijt, anno vitæ 66.
¶ CONSTANTIUS XXXV. filius Constantini, cum Constantino & Constante fratribus, annis 24. mensibus 5. diebus 13. regnaverunt.

1. Constantius Ariana hæresi per Arianum Presbyterum & Eusebium Nicomediensem polluitur, & catholicos persequitur. 335
2. Jacobus Nisibinus Episcopus virtutibus claruit.
Dalmatius Cæsar occiditur.
Sapor Rex Persarum Mesopotamiam vastat, & Christianos persequitur.

3. Con-

Anni mūdi.

Regnum Romanorum.

Anni Dom.

3. Constantinus bellum fratri Constantio inferens, juxta Aquileiam occiditur.
4. Terræmotus multas Urbes obruit.
Audeus Syrius Audeanam hæresim condit.
5. Franci à Constanti perdomiti, in pacem recepti sunt.

340

6. Constantinopoli ejecto ab Arianis Paulo Episcopo, Macedonius hæresiarches in locum ejus substituitur.
7. Hoc tempore Maximinus Trevirorum Episcopus, clarus habetur, à quo Athanasius Alexandriæ Episcopus à Constantio profugus, honorificè susceptus est.
8. MARCUS *Papa* XXXIII. *sedit annis duobus, discessit Nonis Octobris.*
9. Athanasius Episcopus ad Constantis literas Alexandriam regreditur.
10. Ecclipsis Solis facta est, & terræmotus hoc tempore multas Urbes subvertit.
JULIUS XXXIV. *Papa, annis quindecim.*

345

11. Bellum contra Persas gravi Romanorum damno geritur.
Maximus XL. post Macharium Hierosolymitanum Episcopum, moritur: post quem Cyrillus expulso Heraclio & cæteri Ariani Episcopi Ecclesiam illam occupant.
12. Romæ LIBERIUS XXXIV. Papa ordinatur. Quo ab Arianis ejecto, Felix locum ejus occupat, annum unum; sed Liberius hæresi subscribens, rediit, & Felix ejicitur.
Constans haud longè ab Hispania interficitur, anno ætatis 30.
13. Magnentius qui Constantem occiderat, & alij. Rempublicam turbant.
14. Magnentio gravi civili prælio victo, Gallus Cæsar efficitur.
His temporibus ossa Timothei & Andreæ Apostolorum, & Lucæ Evangelistæ, Constantinopolim allata sunt.
15. Gallus multos Judæorum delevit, & civitatem eorum subvertit.

12. Hæc codex ad annum 23. Constantij refert.

350

16. *Antonius Monachus centesimo quinto suæ ætatis anno in eremo moritur: quo tempore multi Eremitæ virtutibus claruerunt.*
Magnentius seipsum occidit, & Decentius frater ejus laqueo vitam finivit.
17. Gallus Cæsar à Constantio patruele suo ob suspicionem occiditur.
Victorinus rhetor & Donatus Grammaticus Romæ insignes habentur.
18. Julianus frater Galli Cæsar efficitur à Constantio.
Antonius Monachus CV. ætatis anno obijt.
19. Liberius Papa & multi catholicorum Episcopi ab Arianis expulsi sunt.
Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentuarium deletæ sunt.
20. Ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ & Timothei Constantinopolim allata sunt.
Julianus Rhenogermanos vicit.

355

21. Paulinus Trevirorum Episcopus in exilio obiit.
Hoc tempore Hilarius Pictaviensis Episcopus & Athanasius Alexandrinus, & omnes catholici Episcopi multa ab Arianis mala passi sunt.
22. Apud Ariminum synodus CCCC. Episcoporum Arianorum contra fidem facta est.
23. Julianus bellorum successibus elatus, Augusti nomen usurpat.
Constantius in Parthos bellum parat.
LIBERIUS *Papa* XXXV. *sedit annos sex. Quo expulso locum ejus Felix Papa* XXXVI. *uno anno occupavit: & iterum Liberius suæ sedi restituitur. Sanctus autem Felix Constantium Imperatorem hæreticum esse declarans, martyrizatus est,* 4. *Cal. Augusti.*

24. Con-

Anni mūdi. | Regnum Romanorum. | Anni Dom.

24. Constantinus Parthico bello dimisso, contra Julianum arma sumens, moritur, anno ætatis 46.

¶ JULIANUS XXXVI. apostata, anno uno, mensibus octo. Hic ex Christiano lectore paganus factus, persequitur Christianos.

1. Alexandriæ Georgio Ariano Episcopo à populo incenso, Athanasius ad sedem suam revertitur, in parte Catholicorum Antiochiæ Episcopus fit.

Pagani apud Sebasten sepulcrum S. Joannis Baptistæ invadunt.

360

2. Julianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem diis suis vovens, Dei judicio, à quodam hoste occisus, interiit, anno ætatis 32.

¶ JOVIANUS XXXVII. mensibus octo. Iste iterum cum omni exercitu ad Christianitatem redit.

1. Jovianus in nova domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur.

Synodus hæretica Antiochiæ facta est.

¶ VALENTINIANUS XXXVIII. regnavit annis undecim. Hic ob fidem Christi tribunatu militum à Juliano privatus fuit.

1. Valentinianus Valenti fratri suo Orientis Imperium dedit.

2. Romæ DAMASUS XXXV. Papa ordinatur.

Valens ab Eudoxio Arianorum Episcopo seductus & baptizatus, post mortem fratris orthodoxos persequitur.

Terræ motus per totum orbem factus est.

3. Gratianus Valentiniani filius, Ambianis Imperator efficitur.

365

Vera lana pluviæ mixta de nubibus fluxit.

4. Athanaricus Rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur.

Hilarius Pictavis Episcopus obiit.

DAMASUS *Papa* XXXVII. *sedit annis* 18. *discessit tertio Idus Decembris.*

4. Eusebius Varcellensis Episcopus moritur.

Laodiceæ Apollinaris Episcopus plura scripsit, sed postea hæresim condit.

6. Magna fames in Phrygia.

Lucifer Calaritanus Episcopus vir valde catholicus obijt.

7. *Maximinus præfectus annonæ Romæ multos nobilium occidit.

His diebus post Auxentij Ariani mortem, Ambrosius Episcopus Mediolani ordinatur.

* *al. Maximus.*

8. Valentinianus Saxones in regione Francorum cæde perdomuit.

370

9. Alexandriæ Petrus XX. Episcopus post Athanasium ordinatur.

Burgundionum octoginta fere millia juxta Rhenum consederunt.

Eunomius hæresiarcha extitit.

Didymus cæcus clarus habetur.

10. Magnentia quæ & Tecla Romanorum nobilissima Hierosolymam veniens, virtutibus & humilitate claruit.

Post Auxentium Arianum, Ambrosio Mediolani Episcopo ordinato, Italia ad rectam fidem revertitur.

11. Valentinianus bellum in Sarmatas parans, apoplexia obiit.

Multi monachorum martyrio coronantur.

¶ VALENS XXIX. post mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano annis quatuor regnavit.

Photinus hæreticus moritur.

Theodosius, Theodosij postea Imperatoris Pater, & multi nobiles à Valente occisi.

1. Gratia-

Anni mũdi.

Regnum Romanorum.

Anni Dom.

1. Gratianus triginta millia Alemannorum delevit.
Gothi depulſi ab Hunis, diffunduntur in Thraciam.
2. Valens legem dedit, ut monachi militarent: nolentes, fuſtibus juſſit interfici.
Gothi datis à Valente hæreticis Doctoribus, Ariani efficiuntur.

375

3. Gothi fame compulſi rebellant.
4. Valens, à Gothis occiſo exercitu, fugiens, in domo quadam vivus crematur.

Hucusque Chronicam Euſebij Hieronymus perduxit.

Antiquus Codex.		Novus ſeu Manuſcriptus Codex.
¶ GRATIANUS XL. cum Valentiniano fratre poſt mortem patrui, annis ſex regnavit.	378	*Poſt mortem Valentis Arriani Imperatoris*, GRATIANUS *cum Valentiniano fratre ſuo, annis ſex regnavit.*
1. Gratianus Theodoſium genere Hiſpanum, Orientis Imperatorem fecit. Priſcillianus Epiſcopus hæreſim condit.	379	*Gratianus Imp. Theodoſium Orienti Imperatorem perficit. Priſcillianus de Galliis Epiſcopus, hoc tempore ſui nominis hæreſin condit.*
2. Ab hoc anno Theophilus paſchales circulos inchoat.	380	*Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus Epiſcopus paſchales circulos inchoat.*
3. Synodus ſecunda CL. Epiſcoporum Conſtantinopoli adverſus Macedonium congregatur ſub Damaſo Papa.	381	*Synodus ſecunda univerſalis* CL. *Epiſcoporum Conſtantinopoli agitur, contra Macedonium hæreſiarcham, ipſius Urbis Epiſcopum, ſub Theodoſio Auguſto & Damaſo Papa: & poſt damnationem prædicti hæretici tres Canones conſtituuntur.*
4. Hoc tempore Theodoſius multis præliis Gothos, Hunos, Alanosq; ſuperavit. Athanaricus Rex Gothorum moritur.	382	
5 Arcadius, Theodoſij filius, Imperator efficitur.	383	*Archadius, filius Theodoſij Auguſti, à Patre in conſortium regni aſſumptus, regnavit annis* XXVI.
6. Maximus regnum ſibi uſurpans, Valentinianum Italia depulit: Gratianus Lugduni occiditur. Romæ poſt Damaſum URSINUS XXXVI. Papa, ſedit annis quatuordecim. ¶ THEODOSIUS XLI. cum Valentiniano, poſt mortem Gratiani annis undecim regnavit.	384	*Maximus ſibi regnum uſurpans, Gratianum Lugduni occidit. Romæ poſt Damaſum Papam Siricius, qui in Chronicis Proſperi* URSINUS *dicitur, Papa* XL. *ſedit annos quatuordecim.*
1. Theodoſius vir omnibus virtutibus plenus, Valentinianum benignè ſuſcepit. Priſcillianus & alij hæretici ſequaces ejus, ab Evodio præfecto gladio addicti ſunt.	385	*Hieronymus Presbyter, jam in Bethlehem habitans, clarus habetur. Priſcillianus hæreticus in ſynodo Burdegalenſi damnandus, fugit: ſed Treveris ab Ebodio Præfecto interficitur.*
2. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, & ſanctus Martinus Turo-	386	*Hoc tempore Siricius Papa ſcripſit decretalia* XV. *Capitula Himerio Tarraconenſis*

Antiquus Codex.	Anni mũdi.	Novus seu Manuscriptns codex.
nenſis Epiſcopus, & Hieronymus Bethleemites clariſſimi habentur.		*conenſi Epiſcopo.*
3.	387	
4. Maximus tyrannus à Theodoſio victus, & captus, capite plectitur, & Victor filius ejus ab Arbogaſte interficitur, & Valentinianus regno reſtituitur.	388	*Theodoſius Auguſtus Maximum tyrannum Aquileiæ occidit.*
5. Ithacius & Urſacius Epiſcopi, ob necem Priſcilliani, quem accuſaverant, Eccleſiæ communione privantur.	389	*Ithacius & Urſetius Epiſcopi ab necem Priſcilliani quem accuſaverant, Eccleſiæ communione privantur.*
6.	390	*Hoc tempore S. Martinus, Ambroſius, Epiſcopi: Hieronymus Presbyter, Ioannes Chryſoſtomus, Auguſtinus & Severus aliique quamplures Doctores claruerunt.*
7.	391	
8. Valentinianus dolo Arbogaſtis ſuſpendio periit. Hieronymus usque huc librum de illuſtribus viris Eccleſiæ perduxit.	392	*Valentinianus dolo Arbogaſtis, laqueo vitam finivit. Hieronymus librum quem de viris illuſtribus, Eccleſiæ ſcripſit, hucusque perduxit.*
9. Arbogaſtes Eugenium tyrannum Imperatorem conſtituit.	393	*Theodoſius Imp. cum filiis Archadio & Honorio tres annos regnavit.*
10. Joannes heremita Theodoſium victorem fore contra Eugenium prophetat.	394	*Ioannes Anachorita, cujus vitam Hieronymus deſcripſit, Theodoſium Imperat. contra Eugenium tyrannum victorem fore, prædixit.*
11. Auguſtinus Doctor facundiſſimus, Hippone regione Africæ, Epiſcopus ordinatur. Claudianus Poëta clarus habetur. Theodoſius Eugenium tyrannum ſuperavit, & ipſe Mediolani in pace obiit. ¶ ARCADIUS XLII. filius Theodoſij cum fratre Honorio annis tredecim.	395	*Theodoſius Imp. Eugenium tyrannum vicit, & ipſe eodem anno Mediolani in pace requievit. Pro quo* ARCHADIUS *&* HONORIUS *filij ejus, annis* XIII. *Auguſtinus Hippone ordinatur Epiſcopus. IoannesHeremita migravit ad Dominum.*

Hæc hiſtoria ab aſcenſione Domini, usque ad obitum Theodoſij Aug. pertingit.

Hucusque Eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebij Rufinus perduxit.

1. Gildo Comes Africam ſibi uſurpare audet. Joannes eremita obiit.	396	*Gildo Comes Africam ſibi tyrannicè uſurpavit.*
2. Concilium Carthaginenſe colligitur. S. Martinus Turonorum Epiſcopus, poſt multas virtutes migravit ad Dominum, anno ætatis 81. Epiſcopatus verò 26.	397	*S. Martinus Epiſcopus migravit ad Dominum, anno ætatis* LXXXI. *Epiſcopatus verò* XXII. *cujus vitam & virtutes Sulpitius Severus egregiè compoſuit.*
3. Romæ ANASTASIUS XXXVII. Papa ordinatur, Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, Doctor ſapientiſ-	398	*S. Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus, Doctor egregius, migravit ad Dominum.*

ſimus

Anni mũdi.

ſimus, migravit ad Dominum.

Romæ Anaſtaſius Papa XLI. *ſedit annis quatuor. Gildo Comes pugna victus, interiit.*

4. Templa idolorum deſtruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur. * Maſcezil Gildonem fratrem, Deo juvante, ſuperavit.

399

Templa idolorum deſtruuntur, & ludi gladiatorum tolluntur.

Gothi Italiam devaſtant.

Hoc tempore Anaſtaſius Papa ſua decreta conſtituit & invitos in Urbe Manichæos damnavit. Corpora Prophetarum Abacuc & Micheæ à Domino revelantur.

* *Mazelſer.*

5. Gothi Halarico & Radagaiſo Regibus Italiam ingrediuntur.

400

---

6. Joannes Conſtantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illuſtres Epiſcopi, ſibi invicem diſcordiſſimi, habentur.

Hoc tempore corpora Prophetarum Abacuc & Micheæ à Domino revelantur.

401

Joannes Conſtantinopolitanus & Theophilus clariſſimi habentur, ſed adeo diſcordes, ut molimine Theophili Ioannes in Pontum exilio ſit relegatus.

7. Romæ INNOCENTIUS XXXVIII. Papa, ſedit annis 14. Gothi Stiliconem cum Romano exercitu victum fugaverunt.

402

Gothi Stiliconem Ducem cum Romano exercitu fugaverunt. Innocentius Papa XLII. *ſedit annos* 14. *qui* 57. *cap. decretalia ſcripſit.*

8. Carthaginenſe Concilium contra Donatiſtas habetur. His temporib. Oroſius presbyter clarus habetur.

403

Carthagini Concilium contra Donatiſtas habetur.

9.

404

His temporibus Innocentius Papa multa decreta fecit. Oroſius presbyter clarus habetur.

10. Hoc tempore Radagaiſus hoſtis crudeliſſimus, cum CC. millibus Gothorum, Deo donante ſine bello periit.

His diebus Innocentius Papa dedicavit baſilicam Gervaſij & Prothaſij martyrum.

405

Hoc tempore Radagaiſus cum CC. *millibus Gothorum, Deo donante, eſt victus.*

---

11. Vandali & Alani tranſito Rheno Gallias intraverunt.

406

Vandali, Suevi & Alani, trajecto Rheno, tertio Cal. Ianuarij Gallias hoſtiliter ingreſſi ſunt.

12. Conſtantinus tyrannus Gallias occupat. Pelagius Brito Dei gratiam impugnat.

407

Innocentius Papa Archadium Imp. excommunicat, qui conſenſit, ut expelleretur Ioannes Chryſoſtomus.

13. Arcadius Orientis Imp. Conſtantinopoli moritur.

Stilico cum filio Eucherio ab Honorio occiditur.

¶ HONORIUS XLIII. cum Theodoſio fratris ſui filio, annis 15.

408

Archadius Imp. Conſtantinopoli moritur, relicto pro ſe filio Theodoſio, cum quo dehinc patruus HONORIUS *annis* 15. *regnavit.*

Stilico Dux fortis ab Honorio Aug. occiditur.

1. Attalus Rex Imperator factus, qui mox privatus regno Gothis cohæſit.

Vandali Hiſpanias occupaverunt.

409

Vandali, Alani, Suevi, tertio die Octobris Hiſpanias occupant.

Anni mūdi. 2. Roma irrupta est à Gothis, Halarico Rege, anno à conditione ejus, M.LXIV. Sed quia Christianus Rex erat, clementer victoria usus est.	410	*Alaricus Rex Gothorum Romam obsedit & irrupit, anno ab Urbe condita* M.C.LXIV. *& quia Christianus erat, locis sacratis, & ad ea profugis tantum pepercit.*
3. Constantinus tyrannus victus & captus est, pro quo Maximus tyrannidem invasit. Athaulphus Placidiam, sororem Honorij, accepit uxorem. Constantius Dux constituitur.	411	*Pestilentia, fames, & gladius barbaricus, miserum latè devastant orbem.*
4. Gothi Rege Athaulpho Gallias intrant.	412	*Gothorum maxima pars Gallias ingressa. Heros, S. Martini discipulus, Arelatensis Episcopus, sanctus, innocens, sede sua pulsus est, & pro eo Patroclus ordinatur.*
5. Burgundiones partem Galliæ Rheno conjunctam tenuerunt.	413	*His temporibus Pelagius Brito, annitentibus Calestio & Iuliano, liberum arbitrium plus justo extollens, & hominem sine gratiæ auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse asserens, fidem Ecclesiæ turbat. Cujus hæresin beatus Augustinus singulariter præ cæteris expugnat: & Papa Innocentius cum aliis hæreticis condemnat. Burgundiones partem Galliæ, Rheno contiguam, obtinuerunt.*
6. Attalus in Galliis tyrannidem exercet.	414	*Attalus, Gothis authoribus in Gallia tyrannidem invasit.*
7. Corpora Stephani protomartyris, Gamalielis & Nicodemi, Luciano Presbytero revelantur.	415	*Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus, à Romanis est captus. Corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis & Nicomedi Luciano Presbytero divinitus revelata, inveniuntur.*
8. Romæ ZOSIMUS XXXIX. Papa, sedit annis tribus.	416	*Romæ Zosimus Papa* XLIII. *sedit annis tribus: Qui etiam sua ad Ecclesiæ statum decreta promulgavit Ysicio Episcopo, sub quatuor capitulis.*
9. Honorius Attalum tyrannum exilio damnavit. Quæstio de hujus anni pascha sub Zosimo Papa oritur.	417	*Honorius Aug. Romam triumphans ingreditur, Attalo currum ejus præcedente, & in exilium postea misso. Quæstio & dissensio de hujus anni Pascha oritur, sub Zosimo Papa.*
10. Synodus Carthaginensis congregatur CCXVII. Episcoporum, contra Pelagium & cæteros hæreticos sub Zosimo Papa. Ecclipsis Solis facta est, 14. Calen. Augusti Cometa usque ad mensem Septemb. visa est.	418	*Carthagini Concilio Episcoporum* CCXVII. *collecto, & à Zosimo Papa confirmato, Pelagius aliique hæretici damnantur. Ecclipsis Solis* 14. *Cal. Augusti facta est.*
11. Honorius Constantium in regni consortium sumpsit.	419	*Honorius Aug. Constantium Ducem consortem facit Imperij.*

Bo-

Anni mūdi.		
BONIFACIUS XL. Papa, annis quatuor.		*Romæ Bonifacius Papa* XLIV. *sedit annis quatuor, qui etiam quatuor decreta fecit, cum quo ab aliis Papa ordinatur Eulalius, qui tamen ab Augusto deponitur.*
12. Hieronymus Presbyter Bethleemites, incomparabilis Doctor obiit, anno vitæ 91.	420	*Bethleem Hieronymus Presbyter, egregius interpres, anno ætatis* XCI. *obijt.*
13. Constantius Imperator moritur.	421	*Constantinus Imp. Ravennæ moritur.*
14. Exercitus contra Vandalos ad Hispanias mittitur.	422	
15. Placidia à fratre Honorio cum filiis ad Orientem mittitur, & Honorius moritur. Romæ CELESTINUS Papa XLI annis 9. sedit. ¶ THEODOSIUS XLIV. minor, Arcadij filius annis 26.	423	*Romæ Celestinus Papa* XLV. *sedit annis 9. qui 22. cap. decretalia Episcopis Galliarum scripsit. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Theodosium Augustum in Orientem proficiscitur. Honorius Imp. Occidentis Ravennæ moritur, & Ioannes tyrannus regnum ejus occupavit.*
1. Theodosius Valentinianum Placidiæ filium consobrinum suum Cæsarem facit, & cum matre ad Occidentis Imperium misit.	424	*Theodosius, Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem faciens, ad regnum occidentis cum matre possidendum remittit.*
2. Valentinianus Joannem tyrannum extinxit, Hunnosq; per Aëtium patritium superavit.	425	*Valentinianus cum matre Ioannem tyrannum Ravennæ oppressit.*
3. Patroclus Arelatensis Episcopus à tribuno quodam innocens occiditur.	426	*Patroclus Arelatensis Episcopus, à tribuno quodam barbaro innocens trucidatur.*
4. Gens Vandalorum à Gothis exclusa, de Hispaniis ad Africam transit.	427	*Bonifacius in Africa pollens, Duces quosdam contra se dimicantes occidit, contra quem evocatis barbaris, mare ad id tempus ignotum, pervium efficitur.*
5. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus hæresim condit, sanctam Mariam Θεοτόκον negans, cui Cyrillus Alexandrinus Episcopus, & Celestinus Papa multum resistunt. Aëtius multis Francis cæsis, partem Galliæ quam possederant, recepit.	428	*Nestorius Episcopus Constantinopolitanus duas in Christo personas prædicans, hominemque puerum ex virgine natum Deitatem postea accepisse affirmans, à Cyrillo Alexandrino Episcopo, & Papa Celestino hereseos arguitur.*
6.	429	*Agricola hæreticus Pelagianista, Britannias suo inficit errore.*
7. Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus & Doctor facundissimus in civitate sua à barbaris obsessus, obiit.	430	*Sanctus Augustinus Hipponēsis Episcopus, in civitate sua à barbaris obsessus, cum intra ipsas angustias obsidionis, pro Ecclesia sollicitus, Iuliani argutiis, pro gratia Dei pugnans, respondisset: ipsa gratia Dei ne ruinam suorum videret, subtractus, 5. Calend. Sept. migravit ad Dominum, anno ætatis*

Anni mūdi.		LXXVI. *Episcopatus seu Presbyteratus* XL.
8. Palladius Epis. à Celestino Papa ad Scotos credentes Christo mittitur. Romæ XISTUS, XLII. Papa sedit annis 8. Hoc tempore tertia synodus universalis in Epheso congregatur, C. Episcoporum contra Nestorium sub Celestino Papa.	431	*Tertia synodus universalis* CC. *Episcoporum apud Ephesum congregatur, sub Celestino Papa: ubi inter alias hæreses Nestorius cum secta sua damnatur, & 12. capita contra eundem scribuntur.*
9.	432	*Romæ Sixtus Papa* XLVI. *sedit annos octo.*
10.	433	*Valentinianus Aug. multa Ecclesiis dona dedit.*
11.	434	*Vandali jam novem annos Africam infestantes, pactum à Romanis postulant.*
12. Pax cum Vandalis facta, data eis Africæ portione. Aëtius Gundicarium Burgundionum Regem vicit, quem Hunni pòst peremerunt.	435	*Pax cum Vandalis facta.*
13. Gothi pacem turbant, & per Litorium Ducem Romanum pelluntur.	436	*Gothi Narbonam obsessam fame premunt.*
14. Ginsericus Rex Vandalorum Arrianus, catholicos in Africa persequitur. Valentinianus filiam Theodosij in matrimonium accipit.	437	*Bellum à Romanis contra Gothos geritur.*
15.	438	*His temporibus S. Prosper Regiensis Episcopus, contra librum Cassiani, de protectione Dei scripsit, in quo eundem liberum arbitrium nimis extulisse probavit.*
16. Julianus Athelensis Episcopus, Pelagianista jactantissimus, Ecclesiam multa arte insequitur: sed à Xisto Papa damnatur. Bellum adversus Gothos Hunis auxiliatoribus geritur, & Litorius Dux Romanus ab eis capitur. Ginsericus dolo Carthaginem cepit.	439	*Iulianus Arelatensis Episcopus Pelagianista jactantissimus, Ecclesiæ communioni surrepere tentans, à Xisto Papa denuò damnatur.*
17. Ginsericus Siciliam graviter afflixit. Romæ LEO XLIII. Papa constituitur.	440	*Romæ defuncto Sixto, Leo vir doctrina & moribus insignis Papa* XLVII *sedit annis 22. qui Euthychianam & Nestorianam hæreses condemnavit, & 49. decreta conscripsit.*
18. Theodosius Imp. bellum contra Vandalos inefficaciter movit.	441	*Theodosius Imp. contra Vandalos per Duces suos bellum movet.*
19. Huni Tracias & Illyricum vastaverunt. Pax cum Ginserico facta est.	442	
20. Leo Papa multos in Urbe Mani-	443	*S. Briccius Turonorum Episcopus de-* chæos

Anni mũdi.			
	chæos inveniens publicavit & correxit. Et sanctus Briccius Turonénsis Episcopus obijt, cui S. Eustathius successit.		cessit, cui sanctus Eustochius successit. Leo Papa multos in urbe Manichæos publicavit, & libros eorum incendit. idem constituit, ut monacha velamen capitis ab Episcopo benedictum nullatenus acciperet, nisi priùs virginitas illius probata foret. Unde & Augustinus asserit, nec illam inter virgines sacras consecrandam fore, si qua esset & ante baptismum corrupta.
	21. Attila Rex Hunnorum * Bledlam fratrem interfecit, & ejus populum sibi subjecit. De hujus anni Pascha Proterius & Paschasinus Leoni Papæ scribunt.	444	Attila Rex Hunnorum Bleldam fratrem suum regnique consortem interemit. De hujus anni Pascha Proterius & Pascasius Leoni Papæ scribunt. *Bledam
	22.	445	His temporibus Leo Papa inter alia bona basilicas sanctorum Petri & Pauli renovavit.
4400	23 Britanni contra Scotos & Pictavos auxilium ab Aëtio & Romanis petunt, nec impetrant.	446	Apud Ephesum septem dormientes, qui sub Decio multa pro Christo tormenta passi, in spelunca quadam obdormierant, post 196. annos expergefacti sunt, & confirmata fide resurrectionis, iterum obdormierunt.
	24. Eutyches Constantinopolitanus condidit, & suffragante Theodosio Imperatore & Dioscoro Alexandrino Episcopo, Flavianum Constantinopolitanum Episcopum catholicum multis injuriis affecit.	447	Euthices Presbyter & Abbas Constantinopolitanus, confusa in Christo divinitatis & humanitatis substantia, unam in eo naturam dogmatizans; annitente Theodosio juniore Aug. & Discoro Alexandrino Episcopo, resistentem sibi Flavianum Constantinopolitanum Archiepiscopum expulsum, ad mortem usque persequuntur. Contra quam hæresim Leo Papa legatos misit.
	25 Theodosius Leonem Papam pro Eutychete ad se vocat.	448	Theodosius Imp. Leonem Papam pro defensione Euthycetis ad se vocat: qui à populo Romano venire prohibitus, legatos pro se misit.
	26 Quia à populo Romano venire prohibitus, nuntios mittit. Theodosius Imperator Orientis moritur. ¶ MARTIANUS XLV. cum Valentiniano annis 7.	449	Iterum Catholici ab Imperatore Theodosio ad audientiam vocati.
	1. Aëtius cum Romanis, Gothis auxiliatoribus, Attilam superavit.	450	Leo Papa Legatos ad confutandam hæresim mittere curavit. Theodosius Imperator moritur, pro quo MARTIANUS, Orientis imperium adeptus, & 7. annis regnans Euthicetem cum suis sequacibus damnat. Placidia Augusta obijt. Romani Etio Duce, Gothis auxiliatoribus Atticam vicerunt Regem Hunnorum.

z 3 2. At-

Anni mūdi.

2. Attila Aquileiam vi magna cepit, cum quo Valentinianus pacem fecit.	451	*Attila Rex collectis viribus Aquileiam magna vi cepit. Ad quem Valentinianus Imp. Leonem Papam mittens, pacem cum eo fecit.*
3, Attila Hunnorum Rex moritur. Hoc tempore quarta Synodus DCXXX. Episcoporum in Chalcedone congregatur, sub Leone Papa contra Eutychen.	452	*Attila Rex Hunnorum in suis sedibus moritur. Hoc tempore quarta synodus universalis* DCXXX. *Episcoporum in Chalcedone contra Euthicen & omnes hæreticos congregatur, ibique damnatis hæreticis 27. Canones statuerunt.*
4 Valentinianus Aëtium patricium, Reipublicæ utilem, manu sua occidit.	453	*Valentinianus Imp. Etium patricium manu sua in palatio fraudulenter occidit.*
5. Valentinianus ab amicis Aëtij in campo Martio occiditur: pro quo Maximus menses duos regnavit, & à militibus occiditur. Post quem Avitus sumpsit Imperium. Eodem anno Ginsericus Romam opibus cunctis expoliat.	454	*Valentinianus Imp. in campo Martio ab amicis Etij interimitur: pro quo Maximus invadens Imperium, infra duos menses à militibus occiditur: post quem Avitus sumpsit Imperium. Ipso anno Gensericus Rex* Wandalorum *Romam cunctis opibus expoliat.*

Hucusque Prosper *Chronica sua perduxit, qui & Epistolam Leonis Papæ de vera Domini incarnatione contra Euticen creditur composuisse.*

6 Avitus Imperium Placentiæ deposuit: pro quo Majorianus regnavit.	455	*Avitus imperium Placentiæ deposuit: pro quo Majorianus regnavit annis quatuor.*
7. Martianus Orientis Imperator obijt. Ab hoc anno Victorius Paschalem circulum, sed mendosum, inchoat, jubente Papa Hilario. ¶ Leo XLVI. annis 17. Orienti imperat.	456	*Martianus Imp. Orientis obijt: pro quo* Leo *Imp. annis 17. regnat. Ab hoc anno Victorius paschales cyclos, sed errore plenos, inchoat, jubente Papa Hilario.*
1 Majorianus Imperator Occidentis, in Africam.	457	*Majorianus Imp. Occidentis in Africam contra* Wandalos *movit procinctum.*
2 movit procinctum.	458	
3 Hoc tempore* Theodorus Cyriæ Episcopus clarus habetur.	459	
4 Ricimer Majoriano occiso Severum constituit.	460	*Majorianus Imperator à Richimere patricio fraudulenter perimitur.*
5 Hilarius Papa XLIV. sedit annis 6. mensibus	461	*Severus Ravennæ à Richimere Imperator effectus, quatuor annos regnavit. Turonis beatus Perpetuus Episcopus factus, corpus sancti Martini transtulit.*

*. Theodoretus.

6. tri-

Anni mūdi.		
6. tribus, diebus decem.	462	*Romæ Hilarius Papa XLVIII. sedit annis sex, mensibus tribus, qui hæreses Eutychianam & Nestorianam damnavit, & inter alia bona etiam duas Bibliothecas in Urbe condidit, & sex synodica cap. constituit.*
7. Rex Alanorum Beorgor à Ricimere patricio victus interiit.	463	*Rex Alanorum Italiam petens, apud Pergamum à Richimere patritio pugna interiit.*
8. Severus fraude, ut ajunt, Ricimeris veneno periit.	464	*Severus Imp. fraude, ut ajunt, Richimeris veneno peryt.*
9.	465	
10. Anthemius Imperator Occidentis à Leone mittitur.	466	*Leo Imp. Anthemium de Constantinopoli ad regendum Occidentis Imperium Romam misit, qui regnavit annis quinque.*
11. Marcellinus in Sicilia occiditur. SIMPLICIUS XLV. Papa sedit annis quindecim, mense uno, diebus septem.	467	*Tolosæ ubi sedes regni Gothorum erat, in medio civitatis sanguis è terra prorumpens, tota die profluxit.*
12. Arabundus Imperium tentans, ab Anthemio in exilium mittitur.	468	*Arabundus Imperium tentans, jussu Anthemij Imperator, exilio deportatur. Romæ Simplicius Papa XLIV. sedit annis 15. mensibus tribus, qui duo decreta promulgavit.*
13. Romanus Imperium affectans, decollatur.	469	*Romanus Patricius Imperium affectans, decollatur.*
14. Aspar affectata tyrannide Constantinopoli à Leone occiditur. S. Remigius Rhemorum Archi-Episcopus ordinatur, anno ætatis 22.	470	*In Gallia sanctus Remigius, cœlitùs antequam nasceretur prænunciatus, à cella in quam se adolescentulus Deo militans incluserat, vi abstractus Rhemorum Archiepiscopus fit.*
15. Ricimer Anthemium Imperatorem cum gravi clade Urbis occidit, & Olybrium constituit, ipseque periit.	471	*Richimer Anthemium Imperatorem cum magna clade Urbis Romæ occidit, & Olibrium Imperatorem constituit, ipseque periit.*
16. Olybrius Imperator septimo mense moritur: pro quo * Clyterius. Leo Leonem consortem regni fecit.	472	*Ravennæ Glycerius sumpsit Imperium. Constantinopoli Leo Leonem consortem regni fecit, quippe nepotem suum.* (* Lycerius.)
17. Leo senior obiit: pro quo junior LEO paucis mensibus regnavit. Romæ Clyterio Nepos successit.	473	*Leo Senior Imp. obiit: post quem Leo junior paucis mensibus regnans & & ipse moritur. Post hunc* ZENO *Imp. regnavit annis 17.*

ꝛ 4 ZENON

	Anni mūdi.	
ZENON XLVII. annis 17. Orientem rexit.		*Romæ Glycerio successit Nepos in Imperio.*
1. Orestes Nepotem fugavit, & filio suo Augustulo Imperium dedit.	474	*Orestes patricius Nepotem Imperatorem fugavit, filioque suo Augustulo Imperium dedit.*
2. Odoacer Rex Torcilingorum & Rugorum cum multis barbarorum auxiliis Italiam veniens, Orestem & Paulum fratres occidit, Augustulum exilio damnavit, & Romam obtinuit, anno à conditione ejus, M.CC.XXIX.	475	*Odoacer Rex Torcilingorum & Rugorum, pervasa Italia, Romam obtinuit: anno à conditione ejus* M.CC.XXX *Orestem & Paulum patricios occidit, Augustulum Imp. exilio damnavit.*
3. Odoacer Romæ invito Zenone regnat.	476	*Odoacer Romæ invito Zenone regnat.*
4. Hoc tempore corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi stylo ejus scriptum, Deo revelante, reperitur.	477	*Tempore Zenonis Imperatoris corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi Evangelistæ, stylo ipsius scriptum, ipso revelante reperta sunt.*
5.	478	*Simplicius Papa Petrum Alexandrinum Episcopum, hæreticum Eutycianum, ab Achatio Constantinopolitano accusatum damnat.*
6.	479	
7. Odoacer in Dalmatiis Odiciam vicit & peremit.	480	*Hilderico Rege Francorum mortuo, successit Ludovicus filius ejus, quem dicunt Clodoveum, & regnavit* 30. *annis.*
8.	481	
9. Theodericus Theotmari filius, Rex Ostrogothorum, Zenoni Augusto familiaris efficitur. FELIX XLVI. Papa, sedit annis octo, mensibus 11. diebus 18.	482	*Theodericus Theodmari filius Rex Ostrogothorum, id est, qui olim in Italia remanserant Gothorum, Zenoni Augusto familiaris efficitur, cum suis et Gothis militavit.* *Zeno Augustus Theodoricum hujus anni Consulem, & Magistrum militum fecit.*
10. Zenon Theodoricum Consulem & Magistrum militum fecit.	483	*Romæ Felix tertius, Papa L. sedit annos ferè novem, & canonum* 27. *capitula constituit.*
11. Hoc tempore Honorius Rex Vandalorū, plus quàm CCCXXXIII. Episcopis exulatis, catholicos Arriana impietate persequitur.	484	
12.	485	*Hoc tempore Achatius Constantinopolitanus hæresi favens, Petrum Alexandrinum revocat, quem quondam accusabat. Quo audito, Felix utrumque cum sequacibus erroris condemnat.*
13. Odoacer Phœbam Regem Rugorum vicit & cepit.	486	
14.	487	

Anni mũdi.

15. Theodericus permittente Zenone, Italiam venit, & Odoacrum duobus prælijs superavit.	488	*Theodericus Rex Ostrogothorum, permissu Zenonis Aug. Italiam petijt: cui Odoacer occurrens, bello conflixit, sed victus aufugit.*
16. Theodericus Odoacrum tertio certamine victum apud Ravennam obsedit.	489	*Theodericus Odoacrum jam tertiò devicit, eumque fugatum Ravennæ obsedit.*
17. Odoacer nocte egressus, quarto prælio vincitur à Theodorico. Vandali pacem fecerunt: & Zenon obijt. ¶ ANASTASIUS XLVIII. annis 28.	490	*Odoacer quartò confligens cum Theodorico, victus & captus est.* *Constantinopoli Zenon Imp. moritur: post quem* ANASTASIUS *Imperium Orientis* 28. *annis rexit.*
1. GELASIUS XLVII. Papa, sedit annis 4. mensibus 8. diebus 18.	491	*Romæ defuncto Felice Papa, Concilium a Presbyteris & diaconis agitur.*
2. Theodoricus Odoacrum insidias sibi molientem interemit, & ipse Occidentis regnum 30. annis tenuit.	492	*Theodoricus Ravennæ Odoacrum sibi insidiantem peremit, & ipse Occidentis Imperium* 30. *annis obtinuit.* *Romæ Gelasius Papa* LI. *sedit annos* 4. *menses* 7. *vir doctus & pius, qui omnes hæreticos damnavit, clerum Romanum auxit, multa decreta fecit.*
3.	493	*Hoc tempore in Africa beatus Fulgensius Ruspensis Episcopus claruit doctrina & moratis actibus.*
4. Hoc tempore Thrasamundus Rex Vandalorum, catholicas Ecclesias clausit, & 220. Episcopos exilio in Sardiniam misit, quos Symmachus Papa sanctissimus inibi aluit. Mortuo Rege Francorum Childerico, filius ejus Clodoveus, qui & Ludovicus, Rex magnus successit.	494	*Ludovicus Rex Francorum Alemannos bello vicit, Deo juvante, cui, cum in eodem bello periclitaretur, se crediturum promisit.*
5. ANASTASIUS Papa, sedit anno uno, mensibus undecim, diebus 24.	495	*Ludovicus seu Clodoveus Rex Francorum, instante Rochilde conjuge sua Christiana, à sancto Remigio Rhemensi Archiepiscopo fide Christi imbutus, cum gente sua baptizatur.*
6.	496	*Thrasamundus Rex Wandalorum in Africa catholicis infestus, Ecclesias clausit, &* 240. *Episcopos in Sardinia exilio afflixit.*
7. SYMMACHUS Papa sedit annis 15. mensibus 7. diebus 24. His temporibus Boetius Consul Romæ plurima ingenij sui monumenta conscripsit.	497	*Boetius patricius & Consul multa his temporibus ingenij sui monumenta in seculari Philosophia excellenter edidit. Romæ Anastasius Papa* LII. *sedit annis ferè duobus & capita decretalia octo fecit.*
8. Isauri, occiso Lilinge Duce eorum, ab Anastasio victi trucidantur.	498	*Isauri, occiso Lilingo Duce suo, ab Anastasio Imperatore trucidantur.*

Ludo-

Anni mũdi.		
Ludovicus Rex Syagrium Ægidij filium Principem Romanorum bello vicit & peremit.		
9. Theodericus Romam venit, multaque miranda ædificia construxit.	499	*Theodoricus Rex Romæ & alibi, multa per hæc tempora mirifica construxit ædificia.* *Romæ Symmachus Papa* LIII. *sedit* 15. *annis, mensibus ferè* 8. *cum quo simul per dissensionem nimiam ordinatur Laurentius, & magna Romæ inter clerum & populum discordia facta, donec judicio Theoderici Regis Symmachus in sede confirmatur.*
10.	500	*Symmachus Papa synodo Romæ acta, Laurentium æmulum suum Nuceriæ ordinavit Episcopum.*
11. Theodericus aquam Ravennam perduxit.	501	*Theodoricus Rex aquæductum Ravennæ fecit. His temporibus sanctus Mamertus Viennensis Archiepiscopus virtutibus claruit, qui propter luporum & ursorum immanitatem, aliasq; plagas, triduanas ante ascensionem Domini litanias primus instituens, Domini misericordiam plagarumque cessationem promeruit.*
12. Italiam Sirmium recepit, victis à Theoderico Bulgariis.	502	
13.	503	*Quidam ex Romanis Symmachum Papam falsò criminantes, & apud Regem accusantes, Laurentiumq; revocantes, magnum Romæ schisma fecerunt. Petrus Altinæ Urbis Episcopus, permissu Theoderici sedem Apostolicam invasit.*
14.	504	*Synodo* 115. *Episcoporum collecta, beatus Papa Symmachus de illatis purgatur, & sedi suæ cum gloria restituitur, & pervasores sedis ejus Laurentius Nucerinus & Petrus Altinas condemnantur.*
15. Fulgentius clarus Episcopus his temporibus habetur.	505	*Ludovicus Rex Francorum Parisiis beati Petri basilicam ædificat.*
16. Theodericus victis Francis, Gallias acquisivit.	506	*Theodericus Rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum movet.*
17.	507	*Dissensio iterum inter Symmachum Papam & Ecclesiam oritur.*
18. Ludovicus Rex Alemannos, divinum invocans auxilium, bello vicit atque subjecit.	508	*Hoc anno Romæ Boëthius vir eruditissimus Consulatum administravit. Hoc quoque tempore Avitus Abbas Aurelianensis virtutibus & Prophetiæ Spiritu clarus, effulsit.*

19. Ludo-

Anni mũdi.		
19. Ludovicus Rex, quem Clodoveum dicunt, cum gente Francorum à S. Remigio Rhemensi Archiepiscopo fide Christi imbuitur & baptizatur.	509	*Ludovicus, qui & Clodoveus, Francorum Rex, Parisiis obiit, ubi sedem regni instituit.*
20.	510	*His temporibus Symmachus Papa inter alia bona Manichæos in Urbe inventos, damnavit. Basilicam S. Petri & porticum marmore stravit, & alia hujusmodi.*
21. Sub hoc Anastasio diversis ubiq; bellis Respub. fatigatur.	511	
22. Vitalianus cum Scythis adversus Anastasium servus rebellat. HORMISDA Papa L. sedit annis novem, diebus 17.	512	
23. Clerus & populus Romæ pacificantur.	513	*Cassiodorus hujus anni Consul fuit, qui postea conversus & monachus effectus, cœnobium construxit, & in seculari divinaq; literatura clarus effulsit: Psalmos exposuit, libros institutionum & Chronica fecit, & Tripartitam historiam ordinavit.* *Romæ tandem dissensione cessante, Symmachus Papa obiit in pace.*
24. Theodericus filiam suam Amalsuinta Eutharico dedit.	514	*Romæ Hormisda Papa* LIV. *sedit annos* 8. *qui inter alia Eutycianos & Manichæos damnavit, clerum erudivit, basilicas adornavit, & quatuor decreta fecit.*
25.	515	*Vitalianus quidam servus, cum Scythis, Anastasio Imperatori rebellat.*
26. Vitalianus sæpè milites Anastasij vincens, ipsum irridens sprevit.	516	*Hormisda Papa Anastasio Imperatori pro fide catholica Constantinopolim legatos misit: cui Imperator inter alia rescripsit ita:* Nos jubere volumus, non nobis jubere.
27.	517	
28. Anastasius hæresi favens Eutychetis, & catholicos persequens, divino fulmine periit, major octogenario. ¶ JUSTINUS major XLIX. annis octo.	518	*Anastasius Imp. hæresi favens Eutycetis & catholicos persequens, ictus fulmine interiit, major octogenario. Pro quo Iustinus Imperator catholicus Constantinopoli regnavit, annis octo, & cum Vitaliano tyranno pacem fecit, quem postea tamen peremit.*
1. Justinus plurimos regno suo inhiantes, occidit, & cum Vitaliano fœdus percussit, quem tamen postea occidit.	519	*Iustinus Augustus legatos Hormisdæ Papæ pro fide missos honorificè suscepit, eisque in damnationem hæreseos consentiens, multa per eos donaria Romam misit.*
	520	

3. Joan-

Anni mūdi.

3. Joannes Papa Constantinopolim veniens cæcum illuminat, sedens annis duobus, mensib. novem, diebus 16.	521	*Iustinus Augustus hæreticis infestus, Arrianos etiam Constantinopoli persequitur: unde natus Theodericus Rex Italiæ Arrianus, exitium catholicis in Italia minitatur.*
4. Theodericus S. Joannem Papam carceris afflictione perimit, & Symmachum patritium occidit.	522	*In Africa mortuo Trasamundo Rege Wandalorum Arriano, Hildericus pro eo regnavit annis octo: qui statim Ecclesias diu clausas aperuit, & omnes Catholicos de exilio revocavit.*
5. Theodericus subitanea morte Ravennæ periit: pro quo Atalaricus nepos ejus regnavit annis octo. FELIX Papa LII. sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus quatuordecim. Clodoveus, qui & Ludovicus, Rex Francorum, tricesimo regni anno moritur, & Parisiis sepelitur.	523	*Romæ Ioannes Papa LV. sedit annos duos, menses novem: qui à Theoderico Constantinopolim missus, & à Iustino Aug. & cunctis civibus honorificè susceptus, ad portam quæ dicitur aurea, cæcum illuminat, & coronato à se Iustino Augusto, cum multis muneribus rediit.*
6. Hoc tempore Hildericus Rex Vandalorum Episcopos ab exilio reverti jubet.	524	*Theodericus Rex Gothorum & tyrannus Romanorum, Boetium patricium & Philosophum diu carceratum, occidit, nec multò post socerum ejus Symmachum Patricium itidem interemit. Ioannem quoque Papam beatum carceris afflictione necavit, 15. Cal. Iunij.*
7. His temporibus S. Benedictus Abbas virtutum gloria claruit.	525	*Theodericus tyrannus post tres menses ab obitu Ioannis Papæ subitò Ravennæ obiit, & sicut cuidam solitario revelatum est, à Ioanne Papa & Symmacho Patricio in ollam Vulcani dejectus est. Post quem nepos ejus Athalaricus puer cum matre regnavit annis octo.*
8. Justinus Justinianum regni consortem & successorem faciens, obiit. JUSTINIANUS L. Justini ex sorore nepos, annis 38.	526	*Romæ Felix quartus, Papa LVI. sedit annis 4. mensibus * Constantinopoli Iustinus Imp. obiit: pro quo Iustinianus nepos ejus imperavit annis 38.*
1. Justinianus Parthos bellum moventes misso exercitu superat. BONIFACIUS Papa LIII. sedit annis duobus, diebus 26.	527	*Iustinianus Aug. Belesarium amicum suum Principem militiæ fecit.* *Gens Winilorum seu Longobardorum, Rege Oduino, Pannoniam invasit & ibi habitavit.*
2. Hoc tempore Athalaricus, matre Amalsuinta se regente, Italiæ regnavit.	528	*His temporibus beatus Abbas Benedictus, immensa virtutum gloria claruit. Priscianus quoque Grammaticus his fuit temporibus.*
3. Parthi Romanum exercitum Sabbato Paschæ vincunt. MERCURIUS Papa, qui & JOANNES LIV. sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex.	529	

4. Mor-

Anni mūdi.

4. Mortuo Athalarico, Amalſuinta Theodohadum conſortem regni fecit.	530	*In Africa occiſo Hilderico Rege Wandalorum catholico, Geilamer regnum invadens, in catholicos & in omnes debacchatur.* *Romæ Bonifacius Papa* LVII. *ſedit annos duos, menſes fermè* *
5. Amalſuinta Theodohado jubente occiſa eſt. AGAPITUS LV. Papa, ſedit menſibus undecim, dieb. 18.	531	*Bonifacius Papa Vigilium Diaconum in ſynodo poſt ſe Papam eligi, ſub chirographo decrevit, quod tamē poſtea (quia contra Canones erat) combuſſit.*
6. Ab hoc anno Dionyſius Romanus Abbas Paſchalem circulum magnum inchoat, incipiens ab anno Dominicæ incarnationis 582 qui eſt annus Diocletiani 242. SYLVERIUS Papa ſedit anno uno, menſibus quinque, dieb. undecim.	532	*Ab hoc anno, ſcilicet Imperatoris Iuſtiniani ſexto, Dionyſius Romanus Abbas cyclum magnum Paſchalem inchoat, qui jam ſemel, ab incarnatione Domini annis* 532. *exactus, totidem in ſe annos continet.* *Romæ Ioannes ſecundus, qui & Mercurius, Papa* LVIII. *ſedit annos duos, menſes* 4. *cui Iuſtinianus Aug. de fide ſua literas tranſmiſit.*
7. Hoc tempore Biliſarius à Juſtiniano miſſus, Vandalos in Africa delevit. VIGILIUS Papa ſedit annis 18. menſibus undecim.	533	*Romæ mortuo Athalarico Rege Gothorum, Amalſuinda mater ejus, Theodatum in conſortium regni ſumit: qui tamen eam poſtea occidi juſſit, & ipſe ſolus regnavit.*
8. Carthago à Biliſario Patricio recepta eſt, anno exceſſionis ſuæ vigeſimo ſexto.	534	*Beleſarius patricius à Iuſtiniano Imp. miſſus, gentem Wandalorum, in Africa bello victam, delevit: captoq; Rege eorum Gevamero, Carthaginem Romano populo reſtituit.*
9.	535	*Romæ* AGAPITUS *Papa* LIX. *ſedit, anno ferè uno. Hic Atheodato tyranno pro gratia Iuſtiniani Aug. miſſus Conſtantinopolim, Anthemium ejusdem Urbis Epiſcopum hæreticum damnavit, ordinatoque alio Epiſcopo, i. Menete catholico, ipſe ibidem obijt, in Eccleſiaſticis regulis apprimè eruditus.*
10.	536	*Romæ* SYLVERIUS, *Hormiſdæ dudum Papæ filius, contra voluntatem Cleri Atheodato tyranno pecunia corrupto,* LX. *Papa violenter promotus, ſedit annum unum, menſes* 5.
11. Hoc tempore Biliſarius Conſul iterum Africam extinctis tyrannis liberat.	537	*Sylverius Papa cum in reſtitutione Anthemii & communione hæreticorum Auguſto nollet parere, juſſu ipſorum à Beleſario patricio falſò criminatus, à Vigilio Diacono afflictus exilio obiit,* 12. *Calend. Iulij, & poſtea miraculis claruit. Ipſeque Vigilius Papa* LXI. *ordinatus, ſedit annos* 17. *menſes* 7.
12.	538	*Beleſarius Patricius & Vigilius Papa Vitigiſum Regem Gothorum pugna vi-*

Anni mūdi.		
		ctum Constantinopolin perducunt ad Iustinianum Augustum.
13. His temporibus Bilisarius in Italiam Vitigiso, qui Theodohadum occiderat, superato, & Francis cum Theodeberto Rege devictis, Romanam Rempublicam viriliter feliciterque reparavit.		*Belesarius patricius Parthos, Antiochiam & Syriam vastantes redire coegit.*
14.	540	
15.	541	*Totila Rex Gothorum Romam Campaniamque devastat.*
16.	542	*Hujus Iustiniani tempore corpus sancti Antonij monachi divinitus revelatum, Alexandriam transfertur.* *Hoc tempore quinta Synodus universalis Constantinopoli contra Theodorum & omnes hæreticos, sub Vigilio Papa collecta, 14. capitula constituit.*
17. Hujus Principis tempore corpus sancti Antonij monachi repertum, Alexandriæ sepelitur.	543	*Hoc tempore Benedictus Abbas, cum discipulum suum Maurum ad Gallias tranmisisset, ipse multas post virtutes migravit ad Dominum.* *S. Remigius Rhemorum Archiepiscopus, & gentis Francorum Apostolus, anno Episcopatus 74. Idibus Ianuarij plenus virtutibus migravit ad Dominum.*
18. Arator subdiaconus librum suum publicè coram Vigilio Papa legit: & sanctus Remigius Remensis Archiepiscopus & gentis Francorum Apostolus, Idibus Januariis migravit ad Dominum, anno Episc. sui 74.	544	*Arator subdiaconus Romanus librum suum, quem de Actibus Apostolorum heroico metro edidit, Vigilio Papæ oblatum, publicè recitavit.*
19.	545	*Totila Rex iterum Romam invasit.*
20. Hoc tempore quinta Synodus universalis in Constantinopoli congregatur, contra Theodorum & omnes hæreticos, sub Vigilio Papa. Et eodem anno Theodericus Rex, filius Clodovei, vigesimo tertio regni anno moritur, & Metis sepelitur.	546	*Hoc tempore fuit S. Liberatus, Carthaginensis Archidiaconus, qui de authoritate Chalcedonensis Concilij multa utilia conscripsit, & Vigilium Papam aliquando hæreticis favisse, monstravit.*
21.	547	*Vigilius Papa cum ad consensum hæreseos & restitutionem Anthemij Episcopi nullatenus adduci posset, Constantinopolin vi perductus, exilio graviter est afflictus.*
22. Hac tempestate Totila Gothorum Rex in Italia tyrannidem exercet.	548	*Iustinianus Aug. basilicam Salvatoris, quæ sancta Sophia dicitur, incomparabili opere Constantinopoli construxit. Ipse leges quæ Iustinianeæ dicuntur, composuit.*
23.	549	
24. Victor Capuanus de hujus anni Pascha scribens, Victorij arguit errores.		*Victor Episcopus Capuanus, de hujus anni Pascha scribens, erroneos Victorij cyclos arguit.*

Hucusq;

Anni mũdi.

Hucusque Iornandes Episcopus Chronica sua de gestis Romanorum abbreviata perduxit.

25.	551	
26. PELAGIUS Papa, sedit annis undecim, mensibus 10. diebus 18.	552	*Hoc tempore Iustinianus Augustus Narsetem eunuchum Principem militiæ faciens, in Italiam misit.*
27.	553	
28.	554	*Vigilius Papa tandem impetrantibus Romanis & Narsete, de exilio relaxatus, cum Romam redire cepisset, in Sicilia morbo calculi decessit. Pro quo* PELAGIUS *Papa LXII. sedit annis* 11. *mensibus* 10. *Qui à populo Romano factionis contra Vigilium culpatus, ascenso apud S. Petrum ambone, & Evangelio super caput ejus posito, juramento se à crimine illato purgavit. Hic ordinatus est à Perusino & Ferentino Episcopis, & Andrea Ostiensi Archipresbytero. Nam hoc est privilegiũ Ostiensis Ecclesiæ, ut Episcopus ejus & Archipresbyter (si Episcopus ejus non adfuerit) Romani Pontificis ordinationi jure perpetuo interesse debeant: & Episcopus si adfuerit, deinceps privilegium pallij portandi habebit: quod nulli alij Cardinali Episcopo licebit.*
29.	555	
30.	556	
31. Bridius Rex Pictis regnare cœpit.	557	*Hildebertus Rex Francorum moritur, & Parisiis in basilica S. Vincentij sepelitur, regimenque ejus Lotharius frater assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.*
32.	558	*Hoc tempore Turonis basilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur.*
33.	559	*Lotharius Rex de malis suis pœnitentiam agens, basilicam S. Martini studiose reparans, stanno texit.*
34. Theodebertus, filius Theodeberti, Rex fortis, moritur, annos regnans quatuordecim.	560	*Lotharius Rex, filius Clodovei magni, Compendij moritur.*
35.	561	
36.	562	
37. JOANNES Papa LIX. sedit annis 12. mensibus 11. diebus 26. Hildebertus Rex, filius Clodovei magni annis regnans 40. moritur, & Parisiis ad S. Vincentium sepelitur.	563	*Harobertus Rex libidini deditus à S. Germano Parisiorum Episcopo excommunicatus, obijt.*
38: Justinianus Imperator obijt. JUSTINUS minor LI. annis 11.	564	*Constantinopoli Iustinianus Imp. anno Imperij 38. decessit, pro quo* JUSTINIANUS *minor, LI. homo iniquus & avarus annis undecim regnavit.*

Anni mũdi.		
1. S.Columba Presbyter & Abbas, de Hybernia veniens, Britannis verbum Dei prædicat.	565	*His temporibus immensa pestilentia & mortalitas, totam Italiam, maximè Liguriam devastavit.* *Narses patritius divitijs auctus, & ob id à Romanis invidiam passus & apud Augustum criminatus, Roma in Campaniam discessit, eique successor Longinus in Italiam mittitur.*
2.	566	*Romæ* JOANNES *tertius Papa* LXIV. *sedit annis fermè* 14. *qui Ecclesiam Philippi & Iacobi Apostolorum, quam prædecessor ejus Pelagius cæperat, perfecit & dedicavit.*
3. Hoc tempore Narses patritius Totilam Gothorum victum occidit.	567	*Narses patricius, qui multum pro Repub. laboraverat, à Iustino Aug. injurijs lacessitus, Longobardos, in Pannonijs habitantes, ad vastandam & possidendam Italiam invitavit.* *Multa prodigia & præcipuè igneæ acies in cœlo visæ sunt.*
4. Gothosque Italia expulit. Eodem anno Theobaldus Rex, filius Theodeberti, anno regni septimo, moritur.	568	*Longobardi Rege Alboino, mense Aprili Venetiam ingressi erant, paucis civitatibus exceptis, sibi subjiciunt.*
5. Narses patritius, qui Gothos expulit, à Justino offensus, Longobardos in Italiam venire fecit.	569	*Alboinus Rex cum Logobardis Liguriam invasit, Mediolanum & alias plerasque Urbes cepit, Papiam plus triennio obsedit.*
6. Sanctus Vedastus obijt.	570	*Alboinus plerasq; in Tuscia Urbes cepit. S.Vedastus Episcopus obijt.*
7.	571	*Papienses Regi Alboino ad deditionem veniunt.*
8. Hoc tempore Joannes Papa Ecclesiam Philippi & Jacobi Apostolorum, quam prædecessor ejus Pelagius cæpit, perfecit & dedicavit.	572	*Narses patricius obijt.*
9.	573	
10. Lotharius Rex, filius Clodovei Magni, annis regnans LI. moritur, & Suessionis ad S. Medardum sepelitur.	574	*Alboinus Rex Longobardorum, per insidias conjugis suæ, apud Veronam ab armigero suo occiditur.*
11. Justinus Imperator obijt. ¶ TIBERIUS CONSTANTINUS LII. annis septem.	575	*Constantinopoli Iustinus Imperator post multa mala sua in amentiam versus, obijt. Pro quo* TIBERIUS *Constantinus septemvir Domino devotus, qui ipso mente capto palatium rexerat, regnavit annis septem.*
1. BENEDICTUS Papa LX. sedit annis 4. mense uno, diebus 28.	576	*S.Germanus Parisiorum Episcopus migravit ad Dominum.*
2. Hoc tempore Gregorius tunc apocrisiarius moralia Job scripsit.	577	
3. Et Eutychum Constantinopolitanum Episcopum Tiberio præsente in fide resurrectionis errasse, convicit.	578	*Romæ Benedictus Papa* LXIV. *sedit annos 4. menses duos: à quo beatus Gregorius de monasterio ablatus & Dia-*

conus

Anni mūdi.		
		conus ordinatus, Constantinopolimque apocrisiarius missus. Euthitius ejusdem Urbis Episcopum in fide resurrectionis errasse Tyberio Augusto præsente convicit: ubi etiam ab Episcopis, moralia in Iob, venientibus ad eum monachis suis scribere compulsus est.
4.	579	*Magna aquarum inundatio & illuvies, fulmina, terræmotus, homines terruere.*
	580	*Cometa die Paschæ visus Suessionis cœlum ardere visum est.* *Pestilentia ingens fit.*
5. Hoc tempore gens Longobardorum, comitante fame & peste, Italiam vastat. Et PELAGIUS Papa sedit annis decem, mensibus 11, diebus 10.	581	*Hoc tempore exercitus Tiberij Imperatoris Persas potenter superavit.*
6.	582	*Constantinopoli Tiberius omni laude dignissimus, obijt. Pro quo MAURITIUS regnavit, annis 21.* *Romæ PELAGIUS secundus Papa LXV. sedit annis decem, mensibus undecim. Hic templum S. Petri tabulis argenteis deauratis texit, aliaq; multa bona fecit.*
7. Tiberius Imperator obijt. ¶ MAURITIUS LIII. annis viginti unum.	583	*Hildebertus Rex Francorum, acceptis quinquaginta solidorum auri à Mauritio Imp. ut Longobardos de Italia pelleret, cum eisdem pactum firmavit, & Imperatori pecuniam requirenti, nec responsum dedit.*
1. Hoc tempore Levigildus Gothorum Rex Arrianus, Hirmingildum filium, ob fidem Catholicam securi jussit occidi.	584	*Guntrannus Rex in suburbano Cabillonensi monasterium S. Marcelli construxit.*
2.	585	*Hilpericus Rex Francorum per insidias interemptus, Parisiis sepelitur.*
3.	586	*Longobardi Antharium Regem sibi constituunt.*
4. Hoc tempore Richaredus Rex, Hirmingildis frater.	587	*Globus igneus scintillans & quasi rugiens è cœlo in terram cecidit. In Hispania Richaredus, Levigildi Regis Gothorum Arriani filius, post mortem Patris effectus Rex, à Leando Hispolitano Episcopo, cum tota gente Gothorum ad catholicam fidem revertitur.*
5. Cum tota gente Gothorum, ad catholicam fidem convertitur.	588	*In Hispania hæresis Arriana destructa, & synodus Toletana collecta est, industria Leandri Episcopi & Richaredi Regis. Cæsara Regina, uxor Arnulphi Regis Persarum, occultè baptizata, postmodum etiam maritum suum cum tota gente, apud Antiochiam baptizari persuasit.*

Anni mūdi.			
	6.	589	*Hildebertus Rex sororem suam, Anthario Regi Longobardorum promissam, Regi Gothorum, qui nuper catholicus factus est, in matrimonium tradidit.*
	7. Sigebertus filius Lotharij, Rex fortis, insidiis perimitur, anno regni 14. & Remis sepelitur.	590	*Tunica Domini Salvatoris, à Simone quodam Iudæo, tormentis coacto, monstrata, à Gregorio Antiocheno, Ioanne Constantinopolitano, & Thoma Hierosolymitano, & aliis pluribus Episcopis, jejunio triduano celebrato, in archa marmorea, in oppido Hephad, inventa, summo cum honore Hierosolymam allata est.*
	8.	591	*Rex Longobardorum Theodelindam, Regis Bajoariorum filiam pulchram & piam, duxit uxorem.*
	9. Magna inundatio facta est & mortalitas in Italia.	592	*Ingens mortalitas facta est, in qua primo Pelagius Papa, deinde innumeri extincti sunt. Et beatus* GREGORIUS, *tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, constitutis litaniis, & plaga cessante, Papa* XLVI. *ordinatus, doctrina & actibus cunctis merito præferendus Apostolicis. Sedit annis 13. mensibus sex, diebus decem.* *Qui statim inter alia multa librum pastoralem egregio edidit stylo. Hic quoque super corpus beati Petri Ciborium fecit, & Missas celebrari instituit, itemque S. Pauli, & sex capitula synodica scripsit.*
	10. S. GREGORIUS LXII. ad Pontificatum Romanæ Ecclesiæ eligitur, in qua sedit annis 13. mensib. 6. dieb. 10.	593	*Siccitas magna & fames facta est, & insolita magnarum locustarum multitudo.*
	11. Edilfridus Rex cum Edilberto Rege Anglis imperat.	594	*Item locustarum multitudo frugibus nocuit.*
	12.	595	*Gregorius synodum 24. Episcoporum ad S. Petrum collegit, indictione 14.*
	13. Gregorius Papa synodum 23. Episcoporum ad corpus beati Petri Apostoli congregat, indictione decima tertia. Sanctus Columba Abbas in insula Hu, obijt, anno ætatis septuagesimo septimo.	596	*S. Columbanus Presbyter & Abbas, post multa mirabilia insula Hy juxta Hiberniam, migravit ad Dominum, anno ætatis 72.* *Hoc tempore beatus Gregorius Papa missis Doctoribus Augustino, Mellito, Ioanne & aliis, Anglorum gentem in Britannia ad fidem Christi convertit.*
4550	14. Hoc tempore Gregorius Papa missis Doctoribus Augustino, Mellito & Joanne aliisque pluribus, Anglos ad Christum convertit.	597	*Hildebertus Rex Francorum obijt.*
	13. Hilpericus Rex, filius Lotharij, interijt, anno regni 23. & Suessionis sepelitur.	598	*His temporib. cum Romanus patricius aliquot Urbes à Longobardis diu captas per deditionem recepisset, & ob id Agilolfus Rex Italiæ, & ipse, Romanis infesto*

Anni mūdi.			
			festo exercitu immineret: studio S. Papæ Gregorij & suffragio Theodelindæ religiosæ Reginæ, pax utrinque facta est.
16.		599	*His temporibus monasterium S. Benedicti in castro Casino situm, fugientibus ex eo monachis, à Longobardis omnino destructum & desolatum est.*
17.		600	*Gregorius Papa Lundoniæ & Eboraci Episcopus in Britannia, misso pallio, Metropolitanos esse decernit, indictione 4.* *Clades glandularia multas civitates afflixit.*
18.	Gregorius Londunæ & Eboraci Episcopos, misso pallio, metropolitanos esse decernit, indictione quarta.	601	
19.		602	*Mauritius Imp. Phocam Reipub. utilem, Principem militiæ fecit. Globi ignei in cœlo visi.*
20.	Mauritius scelerum suorum pœnas in hoc seculo, ut ipse oravit, exolvens, à Phoca turpiter interficitur. ¶ PHOCAS LIV. annis octo.	603	*Constantinopoli* PHOCAS *Mauritium Imp. turpiter interfecit, & ipse pro eo annis 8. regnavit.* *Corpus S. Victoris martyris, qui cum beato Urso Soloduri passus est, apud Genevensem Urbem divina revelatione in loculo argenteo invenitur, & miraculis declaratur.*
1.	Edilfridus Rex Edan, Scotorum Regem forti prælio vicit.	604	*Etherius Lugdunensis Archiepiscopus obijt, cui Secundinus successit.*
2.	Gregorius Papa sanctissimus migravit ad Dominum, indictione octava.	605	*Beatus Papa Gregorius & Doctor Sanctissimus, migravit ad Dominum, indictione octava. Post quem cessante Episcopatu plus quinque mensibus* SABINIANUS *Papa* LXVII. *sedit anno uno, mensibus quinque. Et post hunc item cessavit Episcopatus, anno fermè uno: quod de Constantinopoli legatio Imperialis expectabatur.* *Hoc anno Synodus nefaria Cabillonis congregata: & beatus Desiderius Viennensis Archiepiscopus injustè deponitur, & exilio damnatur.*
3.	SABINIANUS LXIII. Papa, sedit anno uno, mensibus 5. diebus 9.	606	*Fames Romæ facta, & induciæ cum Longobardis ad annum unum. Mense Aprili & Majo Cometa videtur.*
4.	Hoc tempore Phocas Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum caput esse, constituit. Nam Constantinopolitana primam se esse scripsit. BONIFACIUS LXIV. Papa sedit mensibus octo, diebus 22. Guntrannus filius Lotharij, Burgundiæ Rex pius, obijt, annos regnans 33.	607	*Romæ* BONIFACIUS *tertius Papa* LXVIII. *sedit menses fermè novem. Post quem item cessavit Episcopatus mensibus decem.*
5.	BONIFACIUS Papa sedit annis	608	*Bonifacius Papa, quia Constantinopolita-*

Anni mundi

sex, mensibus octo, diebus 13.

609 6. Hoc tempore Phocas Pantheon, id est, domum omnium idolorum, Ecclesiæ dedit: rogante Papa Bonifacio.

610 7. His temp. Persæ multas Provincias Romanis auferunt, Hierosolymam quoque & crucem Dominicam abstulerunt.

611 8. Phocas moritur. Hildebertus 33. Rex fortis filius Sigeberti, moritur, annis regnans 23.

¶ HERACLIUS LV. annis 26.

612 1.

613 2.

614 3. Hoc tempore Anastasius Persa monachus, nobile pro Christo martyrium à Chosdroe Rege Persarum patitur.

615 4. DEUSDEDIT LXV. Papa, sedit annis tribus, diebus 13.

616 5. Edilbertus primus Anglorum Regum Christianus, anno regni quinquagesimo sexto obijt, pro quo Phatald regnavit annis 24.

617 6. Eduinus occiso Edilfrido, Anglorum Rex efficitur, indictione quinta, & regnavit annis 17.

politana Ecclesia prima sese scribebat, apud Phocam Augustum obtinuit, ut Romana Ecclesia omnium caput Ecclesiarum decerneretur. Hic quoque synodum 72. Episcoporum Romæ collegit.

Romæ BONIFACIUS *Quartus, Papa* LXIX. *sedit annis sex, menses octo. Post hunc cessavit Episcopatus mensibus fermè septem. Hic apud Phocam templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, & in honore S. Mariæ & omnium Sanctorum dedicavit, 3. Id. Maij, & S. Mariæ ad martyres appellavit, festivitatemque omnium Sanctorum Cal. Nov. celebrari constituit.*

Beatus Desiderius Viennensis ArchiEpiscopus de exilio revocatus, factione Brunihildis & Theodorici lapidatus, post obitum miraculis claruit.

His temporibus Persæ multas Provincias Romanis auferentes, Hierusalem cruce Domini spoliaverunt.

Heraclianus Phocam Aug. regno privavit, filioq́ suo Heraclio illud concessit, qui regnavit annis 26.

Beatus Abbas Columbanus, S. Galli Magister, à Luxoviensi cœnobio à se constructo, molimine Brunihildis pulsus, S. ibi Eustasium pro se reliquit Abbatem.

Beatus Augustinus Anglorum Archiepiscopus migravit ad Dominum.

S. Columbanus à Luxovio pulsus, concessu Theodeberti Regis Brigantium venit: ibique triennio mansit.

In Hispania mortuo Beiterico, Sisebodus Rex efficitur Gothorum.

Heraclius Imp. Constantinum filium Imperij consortem fecit.

Beatus Columbanus de Brigantio pulsus, febricitantem ibi Gallum reliquit, ipseque in Italiam veniens, & benignè ab Agilulfo Rege susceptus, cœnobium Bobiense construxit. S. quoq́ Gallus solitudinem Cellæ suæ incolere cœpit.

Isidorus hoc tempore Hispalensis Episcopus clarus habetur.

Brunihildis iniquissima, equis indomitis alligata, jussu Sigeberti Regis Francorum digna morte perijt. Prædictus Isidorus hucusque abbreviationem temp. perduxit.

Romæ DEUSDEDIT *Papa* LXX. *sedit annis tribus, mense ferè uno.*

Anni mūdi.			
	7. BONIFACIUS Papa ſedit annis quinque.	618	*His temporibus Hieroſolyma, inter alias Palæſtinæ Urbes à Choſdroe Rege Perſarum capta, & crux Dominica in Perſidem abducta.*
	8. His temporibus Heraclius Choſdroem Regem Perſarum, qui ſe ut Deum coli juſſit, ſuperavit, & lignum Dominicæ crucis Hieroſolymam reduxit.	619	
	9. Sanctus Laurentius Archiepiſcopus obijt, pro quo Mellitus.	620	*Romæ BONIFACIUS Quintus Papa LXXI. ſedit annis quinque vir valde mitis & pius.* *In Britannia defuncto S. Laurentio Archiepiſcopo, Mellitus ſucceſſit.* *Magundat magus, genere Perſa, ad fidem Chriſti converſus, & Anaſtaſius dictus, Hieroſolymis miræ ſanctitatis monachus efficitur.*
	10.	621	
	11.	622	*Gerdrudis Regina, uxor Lotharij Regis pijſſima bonæ memoriæ obijt.*
	12. HONORIUS Papa LXVI. ſedit annis 12. menſibus 11. diebus 17.	623	*His temporibus beatus Attalia, & poſt hunc Bertulfus Bobienſes Abbates, & S. Gallus claruerunt.*
	13. His temporibus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus clarus habetur. S. Mellitus Archiepiſcopus obijt, pro quo Juſtus.	624	*In Britannia defuncto Mellito Archiepiſcopo, ſucceſſit Iuſtus, qui ſequenti anno beatum Paulinum ordinans Epiſcopum, Anglis illis qui adhuc pagani erant, prædicatorem & doctorem miſit.*
	14. S. Paulinus à Juſto Archiepiſcopo Anglis Doctor & Epiſcopus ordinatur.	625	*Romæ HONORIUS Papa LXXII ſedit annis 13. qui multis bonis operibus abundavit.*
	15.	626	
	16. S. Columbanus à Brunihilde & Theodorico Rege Luxovio pulſus, Euſtaſium ibi Abbatem reliquit. Eduinus Rex Anglorum in Britannia à Paulino Epiſcopo ad fidem Chriſti convertitur, indictione decima quinta, anno adventus Anglorum in Britanniam circiter 230.	627	*In Britannia Eduinus Rex Anglorum a Paulino Epiſcopo converſus, cum gente ſua baptizatur: anno adventus Anglorum in Britanniam penè centeſimo octogeſimo.*
	17. Theodebertus Rex, filius Hildeberti, à fratre Theodorico victus & detonſus, cum filiis trucidatur, anno regni 17.	628	*Beatus Anaſtaſius multa pro Chriſto tormenta paſſus, tandem in Perſide à Rege Choſdroe cum aliis 70. ſtrangulatus, martyr efficitur.* *Ipſo anno Heraclius Imp. Perſidem petijt, victo & occiſo Choſdroe, dominicam crucem Hieroſolymam revexit.*
	18. Theodericus Rex, filius Hildeberti, machinante avia ſua Brunihilde, veneno interijt, annos regnans 18.	629	
	19. His temporibus hæreſis de Paſcha & Pelagiana Britanniam turbat.	630	*Lotharius Rex Francorum fortis, pius & religioſus obijt, anno regni 45.*

Dago-

Anni mundi		
20. S.Columbano Italiam petente à Brigantio, S. Gallus nobiscum remansit, & cellam suam construere cœpit.	631	*Dagobertus Rex Francorum, S. Arnolfo Metense Episcopo & Pipino majore domus utens consiliariis, nimio amore Iustitiæ flagravit.*
21.	632	*Pax perpetua inter Heraclium Imp. & Dagobertum, legatis mediantibus pacta est.*
22. His temporibus Heraclius, ut ajunt, à Sergio Episc. Constantinopolitano, sed hæretico, decipitur. Sigebertus Rex, filius Theoderici à Lothario Rege pugna victus, cum Brunihilde proavia & tota stirpe trucidatur. Eduinus Rex Anglorum à Ceadvalda & Penda victus pugna occiditur.	633	*In Britannia Eduinus Rex Anglorum pacificus & pius, à paganis Regibus interimitur.*
23.	634	*Oswaldus filius Edilfridi Christianissimus, paucis collectis, & adorata cruce quam erexerat, interfectores Eduini Regis superavit, ipseque 8. annos regnavit.*
24. Osvvaldus, filius Edilfridi, victo per Dei auxilium Ceadualda tyranno, regnavit super Anglos annis 9.	635	*His temporibus cum Sergius Constantinopolitanus, annitente Cyro Alexandrino hæresin Acephalorum instaurans, unam in Christo divinitatis & humanitatis voluntate & operationem dogmatizasset, ipsumque Imperatorem seduxisset, ab Apostolica sede damnatus est.*
25. SEVERINUS LXVII. Papa, sedit menses 2. dies 4.	636	
26. Heraclius Imperator obijt. JOANNES LXVIII. Papa, sedit anno uno, mensibus 9. diebus 19. ¶ HERACLONAS LVI. cum matre Martina, annis duobus.	637	*Constantinopoli Heraclius Imperator, à Sergio Constantinopolitano Episcopo in hæresin Acephalorum inductus, obiit: pro quo* HERACLONAS *cum matre Martina annis regnavit duobus.*
1. Cyrus Alexandrinus, Sergius & Pyrrhus Constantinopolitani, Acephalorum hæresin instaurant. THEODORUS LXIX. Papa, sedit annis sex, mensibus quinque, diebus octodecim.	638	*Romæ defuncto Honorio Papa, cessavit sedes Apostolica annum unum, menses septem, dies 14. quia Constantinopoli auctoritas Imperialis morte Principum nutabat. Quo tempore Lateranensis thesaurus distractus est.*
2. Heraclonas moritur, occisus. ¶ CONSTANTINUS LVII. filius Heraclij, mensibus sex.	639	*Constantinopoli mortuo Heraclona Imperatore, frater ejus Constantinus regnavit menses sex.*
1. Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor, apertè catholicos persequitur. Eatbaldus Rex Canthuariorum obijt: pro quo Erchanbertus filius regnavit annis 25. ¶ CONSTANTINUS LVIII. filius Constantini annis 28.	640	*Constantinopoli post mortem Constantini, filius ejus* CONSTANTINUS, *qui & Constans, regnavit annis 28. Romæ* SEVERINUS *Papa* LXXIII. *sedit mensibus 2. diebus 4. post quem cessavit Episcopatus mensibus quinque.*

1.Hic

Anni mũdi.		
1. Hic Imp. deceptus à Paulo hæretico, persequitur Christianos.	641	*Romæ* JOANNES *quartus, Papa* LXXIV. *sedit annum unum, menses ferè decem: qui missa pecunia multos captivos in Histria & Dalmatia à barbaris redemit.*
2. Sanctus Oswaldus Rex Anglorum pro patria pugnans, à Penda Rege Merciorum occiditur: pro quo Oswi frater ejus regnavit annis 28.	642	*Romæ* THEODORUS *Papa* LXXV. *sedit annos sex, menses ferè sex. Hic corpora sanctorum Primi & Feliciani levavit, & hæreticos damnavit.* *In Britannia Osvvaldus Rex Anglorum piissimus, contra Pendanum Regem paganum pugnans occubuit, & plurimis post mortem miraculis claruit: pro quo frater ejus Osui, regnavit annis* 28.
3.	643	
4. Sanctus Paulinus Anglorum Episcopus, vicesimo Episcopatus anno obijt, sexto Idus Octobris.	644	*S. Paulinus Eboracensis Episcopus & Doctor Anglorum, anno Episcopatus vicesimo, migravit ad Dominum, sexto Id. Octobris.*
5. MARTINUS LXX. Papa sedit annis sex, mense uno, dieb. 26.	645	*Hoc tempore Pyrrhus Constantinopolitanus, Sergii & in sede & in hæresi successor, cum à Theodoro Papa dudum damnatus, ex Africa Romam venisset, & fictam pœnitentiam satisfactionemque simulasset, benignè susceptus & recõciliatus est. Postea verò domum reversus, & errorem repetens, denuo ab ipso Papa depositus, & anathemizatus est.*
6.	646	*His temporibus beata virgo Gertrudis, filia Papini, soror Grimoaldi majoris domus, Invalensis cœnobij mater, virtutibus claruit. Hujus soror Begga & ipsa religiosa, Angiso S. Arnolfi filio nupsit, cui etiam Pipinum juniorem peperit.*
7.	647	*His temp. cum Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor hæresin non solùm non dimitteret, sed augmentaret, ipsumque Imperatorem cum aliis seduceret, nec à Domino Papa admonitus & increpatus resipisceret, & ipse identidem damnatus est.*
8.	648	*Tempore Constantis Imp. gens Sarracenorum crudelissima multas Provincias vastavit.*
9. Martinus Papa Synodum 105. Episcoporum congregans, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum condemnat, indictione octava.	649	*Romæ* MARTINUS *Papa* LXXVI. *sedit annis sex, mensibus ferè duobus. Quo tempore Paulus Constantinopolitanus, ipso Imperatore Constante seducto, legatos Apostolicæ sedis, pro hæresi eum arguentes, carceribus & exiliis afflixit, & Catholicis ubicunque potuit persecutionem excitavit.*

10. EUGE-

	Anni mũdi.	
10. EUGENIUS LXXI. Papa, sedit annis duobus, mensibus 9. dieb. 24. Hoc tempore Martinus Papa à Constantino Chersonam exilio missus, ad Dominum migravit Heribertus Rex, filius Lotharij, annos regnans novem, moritur.	650	*Martinus Papa indictione Nona, synodum Romæ 105. Episcoporum collegit, in qua Cyrum, Sergium, Paulum cum sequacibus erroris damnavit.*
11. Osuinus Rex bonus proditus, ab Osui Rege occidi jussus est, & sanctus Aidan Episcopus obiit, prid. Cal. Sep.	651	*Beatus Aidanus Scotigena, Episcopus & Doctor Anglorum secundo Cal. Sept. decessit.*
12.	652	*Hoc tempore Olympius Exarchus à Constante Imp. Italiam missus cum Dominum Papam cæterosque in fide catholica unanimes, depravare, eisque nocere non posset, tandem cum Papa pacificatur.*
13. VITALIANUS LXXII. Papa, sedit annis 14. mensib. 6. pro quo DEUSDEDIT annis 10. Honorius Anglorum Archiepiscopus obiit.	653	*In Britannia Honorius Anglorum Archiepiscopus obiit, pro quo Deusdedit decem annos præfuit.*
14. Mediterranei Angli Christiani effecti.	654	*Beatus Papa Martinus jussu Constantis, hæretici Imperatoris, in Basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, comprehensus, & Constantinopolim perductus, cum flecti nullatenus posset, exilio in Cersona damnatus est.*
15. Penda Rex, ab Osui Rege pugna victus, interiit, & gens Merciorum Christiana efficitur.	655	*Martinus Papa in exilio migravit ad Dominum, ibique sepultus miraculis claruit: pro quo* EUGENIUS *Papa* LXXVII. *sedit annos duos, menses fermè* 10. *vir benignus & pius. In Britannia Pendan Rex Merciorum paganus, ab Osui Rege, sancti Osvvaldi fratre victus, interiit, & gens Merciorum Christi fidem accepit.*
16.	656	*Petrus Constantinopolitanus quasi satisfaciens pro fide sua, misit Romam synodicam epistolam, valde obscuram & dubiam, sed à Domino Papa & Ecclesia Romana non est accepta.*
17.	657	*Romæ Eugenio Papa defuncto, cessavit Episcopatus mensibus 6.*
18. Dagobertus Rex magnus, filius Lotharij, annis regnans sedecim, moritur, & ad sanctum Dionysium sepelitur.	658	*Romæ* VITALIANUS *Papa* LXXVIII. *sedit annis 14. mensibus sex: qui literis ex more Constantinopolim missis, in sede confirmatus, Ecclesiam Romanam insigniter rexit.*
19. Vulfhere filius Pendani, Rex Merciorum effectus, regnavit, annis 17.	659	*Constantinus qui & Constans Imperator S. Petro donaria preciosa Romam misit.*
20.	660	*In Italia defuncto Rege Longobardorũ Hariberto, duo filij ejus Godabertus & Pertarich regnũ inter se dividebãt, quorũ uno occiso, id est, Godaberto, alteroq;*

Anni mūdi.		
		teroque fugato ad Hunnos, Grimoaldus Dux Beneventanus regnum eorundem obtinuit.
21.	661	*Hoc tempore Perterich de exilio reversus, iterum in exilium ire compulsus est.*
22.	662	*Constantinus qui & Constans, Italiam contra Longobardos venit, sed nihil profecit.*
23. Constantinus Romam venit, & beato Petro pallium auro textile obtulit, toto exercitu cum cereis Ecclesiam intrante.	663	*Constantinus Imperator Romam venit, & à Vitaliano Papa honorificè susceptus, S. Petro pallium auro textile obtulit: sed cuncta penè ornamenta urbis abstulit.*
24. Ecclipsis Solis facta est, quasi hora decima, quinto nonas Majas, indictione septima. Inter Anglos & Scotos quæstio de Pascha ventilata, & Scoti à Vilfrido presbytero victi sunt. Sæva lues & pestilentia Britanniam vastat. Deusdedit Archiepiscopus obijt. Ceadda & Vilfridus Nordam Umbrorum Episcopi ordinantur.	664	*Ecclipsis Solis quinto Nonas Maij facta.* *In Britannia à Scotis & Anglis quæstio de* Pascha *ventilatur, & Scoti à* Wilfrido *presbytero rationabiliter victi sunt, qui postea Episcopus ordinatur.*
25. Herchamberto Rege Cantauriorum mortuo, filius ejus Egbertus regnavit annis novem.	665	*Angli ad Vitalianum Papam pro Episcopo & Doctore postulatum Romam miserunt,*
26.	666	
27. ADEODATUS LXXIII. Papa sedit annis 4. mensibus duobus, diebus quinque.	667	
28. Constantinus post multas deprædationes provinciis factas, occisus in balneo perijt, indictione 12. Theodorus Anglis Archiepiscopus ordinatur à Vitaliano Papa, & ad Britanniam cum Adriano Abbate mittitur. ¶ CONSTANTINUS, filius Constantini, annis 17.	668	*In Sicilia Constantinus Imperator, qui & Constans, post multas deprædationes per Provincias factas, tandem à suis in balneo peremptus est. Pro quo* CONSTANTINUS *ejus filius regnavit annis* 17. *Imperator sanè Catholicus & pius.* *Hoc anno Theodorus Archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, & cum Adriano Abbate ad Anglos missus, multis & verbo profuit & exemplo.*
1.	669	*Sarraceni Siciliam vastant.*
2.	670	*In Italia mortuo Grimoaldo Longobardorum Rege Pertarich regnum paternum* 17. *annis obtinuit.*
3. Hoc tempore Sarraceni Siciliam deprædantes, cum magna præda Alexandriam redeunt. DONUS LXXIV. Papa, sedit anno uno, mensibus 5. diebus 10. Oswi Rex Anglorum obijt: pro quo Egfridus regnavit annis 15.	671	

Anni mũdi.

4. AGATHO Papa LXXV. sedit annis duobus, mensibus 6. diebus 4.

672

Romæ Vitaliano Papa defuncto, indictione 15. post duos menses ADEODATUS *Papa LXXIX. sedit annis 4. mensibus duobus: vir valde mitis & pius, qui multa ædificia Romæ construxit.*

5. Sub hoc Principe sexta synodus universalis Constantinopoli congregatur, sub Agathone Papa.

Egbertus Rex Canthuariorum obijt, pro quo fratre Lutherus regnavit annis 11. mensibus 4.

Theodorus Archiepiscopus Anglorum synodum colligit.

673

Hoc anno Theodorus Archiepiscopus Anglorum synodum utilem collegit.

6. LEO LXXVI. Papa, sedit mensibus 10. diebus 17. Ludovicus Rex, filius Dagoberti, frater Sigiberti, moritur, anno regni decimo sexto.

674

Dagobertus Rex Francorum præcipuus, Ecclesiarum Dei venerator, obijt. Regnavit annos 44. Parisijs sepelitur.

7. BENEDICTUS LXXVII. Papa sedit mensibus 10. diebus 12.

Volfherus Rex Merciorum obijt: pro quo frater Edilfredus annos 25.

675

---

8. JOANNES LXXVIII. Papa sedit anno uno, diebus 9.

Edilfredus Rex Cantiam vastavit.

676

Romæ defuncto Adeodato Papa, post menses quatuor S. DONUS *Papa LXXX sedit annum unum, menses 5. qui porticum S. Petri marmore stravit.*

Cometa per tres menses visus.

9. CANON LXXIX. Papa, sedit mensibus undecim.

677

Ecclesia Ravennas quæ Autocephaliam sibi usurpans, à Romana desciverat, Dono Papæ se iterum subjecit.

10. SERGIUS LXXX Papa, sedit annis 13. mensibus 8. diebus 23.

Lotharius filius Ludovici, anno regni quarto moritur.

Wilfridus Episcopus ab Egfrido Rege sede sua pulsus, multos ad Dominum prædicando convertit.

678

Romæ defuncto Dono, post duos menses AGATHO *Papa LXXXI. sedit annis duobus, mensibus 6. Hic Papa apud Imperatorem effecit, ut quantitas relevaretur: quæ pro ordinatione Pontificis solita erat dari: ita tamen ut decretum generale de electione Papæ prius ad Imperatorem mitteretur, quam ille consecraretur.*

Wilfridus Anglorum Episcopus à Guiberto Rege sede sua pulsus, multos in exilio ad Dominum convertit.

11.

679

Constantinus Aug. legationem Romam misit, & ut pro confutandis hæreticis synodus Apostolica authoritate Constantinopoli fieret, postulavit. Agatho Papa synodum CXX. Episcoporum Romæ collegit, & hæreticos, unam in Christo operationem dogmatizantes, damnavit.

12. Theodorus Archiepiscopus Anglorum iterum synodum colligit, tempore Agathonis Papæ.

680

Ecclipsis Lunæ, & magna mortalitas Romæ facta.

Agatho

Anni mũdi.		
		Agatho Papa Legatos Constantinopolim misit, indictione 9. qui honorificè ab Aug. suscepti, sexta synodo universali 150. Episcoporum præfuerunt, & cunctos hæreticos, unam in Christo voluntatem & operationem asserentes, damnaverunt, & novem capitula conscripserunt. *Theodorus Anglorum Archiepiscopus item collegit synodum.*
13.	681	*Constantinopoli sexta synodus universalis* CL. *Episcoporum, indictione nona, mense Februario acta, & Macharius Antiochenus sequacesque erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subitò plurimæ aranearum telæ in Basilica coram omnibus ciciderunt, hæreticas nugas dejectas esse portendentes. Agatho Papa decessit.*
14	682	*Romæ defuncto Agathone Papa cessavit Episcopatus, an.* 1. *mens.* 7.
15. Egfridus Rex Hiberniam misso exercitu immeritam vastat. Sanctus Gudbertus Lindisfarnensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur.	683	*Romæ* LEO *secundus, Papa* LXXXVII. *sedit ferè mensibus undecim: vir per omnia eruditissimus & piissimus, qui sua decreta fecit, plurima egregiè scripsit, & docuit & constituit.* *S. Gudbertus Lindiufarnensis Ecclesiæ Episcopus, Britanniam multis virtutibus decoravit.*
16. Egfridus Rex cum Pictos incautè peteret, ab ipsis peremptus interijt, pro quo Alfridus annis 19.	684	*Romæ defuncto Leone, cessavit Episcopatus menses ferè duos.* *Post quem* BENEDICTUS *secundus, Papa* LXXXIII. *sedit mensibus decem, vir satis laudabilis. Cometæ apparent.*
17. Constantinus Imperator obijt. Lutherus Rex Canthuariorum interijt. ¶ JUSTINIANUS minor LX. filius Constanti, in annis decem.	685	*Romæ post Pascha defuncto Benedicto, exactis plus duobus mensibus* JOANNES *quintus, Papa* LXXXIV. *sedit annum unum, qui prius Archidiaconus, legatus in sexta synodo sedis Apostolicæ fuerat.* *Constantinopoli Constantino Imp. defuncto, filius ejus* JUSTINIANUS *regnavit annis* 10. *qui hæresi pollutus, orthodoxis est infestus.*
1. Hic hæresi pollutus, Catholicos persequitur, & cum Sarracenis pacem fecit. S. Johannes Hagustaldensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur.	686	*Romæ defuncto Iohanne, post tres menses* CONON *Papa* LXXXV. *ordinatus, sedit menses* 11. *vir item laudabilis.* *In Britannia S. Ioannes Hagustaldensis Episcopus clarus habetur.*
2. SERGIUS Papa annis sedit 13. mensibus 9.	687	*Romæ defuncto Conone, exactis ferè quatuor mens.* SERGIUS *Papa* LXXXVI. *sedit annis* 13. *mens. ferè* 9. *qui in fide Catholica fortis, persequutionem ab Aug. Iustiniano passus est: vir quippe sanctus & omnibus bonis intentus.*

Anni mũdi.			
	3. Pipinus filius Ansgisi major domus & Dux Francorum, regnavit annis 27. cum Ludovico, Hildeberto & Dagaberto Regibus. Ceadualdus Rex Occidentalium Saxonum Romam venit, & à Sergio Papa baptizatus, in Albis obijt, & ibi sepelitur.	688	*Ceadwal Rex Occidentalium Saxonum, ad finem conversus, Romam venit, & in sabbato sancto Pascha, à Sergio Papa baptisatus, & Petrus vocatus, inbi in albis defunctus, ab ipso Papa summo honore tumulatus, & epitaphio decoratus est.*
	4	689	*In Italia Alachis Dux tyrannidem invasit, & maximè clericos insequitur.*
	5. Theodorus Anglorum Archiepiscopus obijt, anno ætatis 88.	690	*Theodorus venerabilis Anglorum Archiepiscopus, anno adventus sui in Britanniam 23. ætatis verò 88. decessit, qui librum pœnitentialem satis utilem conscripsit.*
	6. Hoc tempore Villibrordus, qui & Clemens à Sergio Papa Episcopus ordinatus, Fresonum gentem ad Christum convertit. Justinianus ob culpam perfidiæ, regno privatus, exul in Pontum secessit.	691	
	7. Ludovicus puer, filius Theodorici, anno regni quinto moritur.	692	
	8. Theodoricus Rex, filius Ludovici, annis regnans 19. moritur.	693	
	9. Hoc tempore duo Angli presbyteri, niger & albus Hevaldus, Saxonibus prædicantes, martyrio coronantur.	694	*His diebus duo Angli presbyteri, dum Saxonibus prædicarent, martyrio coronati, & miraculis declarati, à Pipino Coloniæ sunt tumulati.*
	10. ¶ Leo LXI. annos tres.	695	*Constantinopoli Justinianus Imp. hæreticus, a Leone & Tiberio, abscissis naribus, regno expulsus est, & ipse* Leo *regnum tres annos obtinuit. Vir S. Willibrordus, à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, & Clemens vocatus, genti Fresonum prædicans, virtutibus claruit.*
4650	1. Hoc tempore Sergius Papa capsam cum portione Dominicæ crucis invenit.	696	*Sergius Papa, Domino revelante, capsam cum portione Dominicæ crucis invenit.*
	2. S. Cudbertus ex anachoreta Episcopus sub hoc Principe obijt. Ostrich Regina à suis perempta est.	697	*In Britanniam S. Cudbertus, ex anachoreta Episcopus, migravit ad Dominum, post multas virtutes, cujus vitam Beda presbyter descripsit.*
	3. Leo regnum dimisit. ¶ Tiberius LXII. annos septem.	698	*Constantinopoli Tiberius Imperium invadens, Leonem Imperatorem, septem annis, quibus ipse post hunc regnavit, in carcere tenuit.*
	1. Hoc tempore synodus Aquileiæ congregatur, sub Sergio Papa.	699	*Hoc tempore synodus Aqueleiensis facta, & quidam, qui Concilium quintum universale noluerunt recipere, à Sergio Papa correcti sunt.*
	2. Romæ Joannes Papa sedit annis tribus, mensibus duobus.	700	

5. Tem-

Anni mūdi.

3. Temporibus his Gisulphus Dux Longobardorum Beneventi, Campaniam vastat.	701	*Romæ defuncto Sergio*, JOANNES *sextus, Papa* LXXXVII. *sedit annis tribus, mensibus duobus.*
4.	702	
5. Beda venerabilis Anglorum presbyter, Chronicam minoris libri de temporibus, hucusque perduxit.	703	*Beda presbyter Anglus, vir Doctus, usque huc Chronica minoris libri de temporibus, perduxit.* *Hoc tempore cum Gisulfus Dux Beneventi Campaniam vastaret, & captivos abduceret, à Ioanne Papa pacem postulante, dona accipiens, captivos reddidit.*
6. Edilfredus Rex Merciorum, Conredo regnum dedit & se Monachum fecit. JOANNES Papa annis duobus, mensibus octo.	704	*In Britannia Edilred Rex Merciorum relicto regno, monachum se fecit.*
7. Justinianus auxilio Terbelli, Bulgarorum Regis, regressus, Leonem & Tiberium, cum multis qui eum expulerant, occidit. Aidfridus Rex Normannorum obijt, pro quo filius Osredus annis undecim regnavit. S. Heddius Episcopus Occidentalium Saxonum obijt, pro quo Daniel & Althelmus Episcopi præfuerunt. ¶ JUSTINIANUS, LXIII. secundò cum filio Tiberio annos sex.	705	*Constantinopoli Iustinianus Imp. auxilio Terbelli Regis Bulgarorum Imperium recipiens, Leonem & Tiberium Imperij pervasores occidit. Gallicinium Patriarcham excæcatum Romam misit, & in loco ejus Cyrum Abbatem, qui se in Ponto exulem aluerat, promovit. De hoc Imperatore fertur, quod quoties à detruncatis naribus profluvium terserit, toties aliquem de inimicis suis perimi jusserit.* *Romæ* JOANNES *septimus, Papa* LXXXVIII. *sedit annis duobus, mensibus ferè* 8. *vir facundus & eruditus.* *S. Heddi Epis. migravit ad Dominum.*
1. SISINNIUS Papa diebus 20. CONSTANTINUS Papa, annis 7. diebus 15.	706	*S. Ioannes Papa oratorium S. Mariæ ad S. Petrum construxit, & multas Ecclesias ornavit.*
2. Hoc tempore Justinianus de peccatis suis pœnitentiam agens, Papam summo honore habuit,	707	*Hoc tempore Haribertus Rex Longobardorum possessionem Alpium Cottiarum, dudum à Longobardis captam & detentam, per privilegium, aureis literis scriptum, S. Petro Ioanniq; Papæ reddidit.*
3.	708	*Romæ Sisinnius Papa* LXXXIX. *ordinatus, ingravescente podagra, viginti tantùm diebus supervixit. Post quem* CONSTANTINUS *Papa* XC. *effectus, sedit annis* 7. *diebus* 15.
4. Conredus Rex Merciorum, Romam venit ad Constantinum Papam, & cum illo Offa filius Sigiberti Regis, ibique Monachi facti, in servitio Dei vitam finierunt.	709	*Coenredus Rex Merciorum, & cum eo Offa Regius Iuvenis filius Sigiberti Regis relictis regnis Romam veniunt, ibiq; Monachi effecti, non multò post obierunt.* *Wilfridus Anglorum Episcopus obijt, cui Acca successit.*
5. Hildebertus Rex, filius Theodorici, anno regni 17. moritur. Vulfridus venerabilis Episcopus, anno Episcopatus 45. post multos la-	710	*Adrianus Abbas venerabilis, anno ex quo Vitaliano Papa in Britanniam cum Theodoro Archiepiscopo missus est, 41. obijt.*

Anni mūdi.

bores obijt: pro quo Arca Hagustaldensis Ecclesiæ Episc. ordinatur. Adrianus Abbas venerabilis, cooperator Theodori Archiepisc. obijt, anno quo à Vitaliano missus est.		*Hildebertus Rex Francorum obijt, pro quo Dagobertus annis quinque.*
6. Philippicus ab exercitu Imperator factus, Justinianum occidit. ¶ PHILIPPICUS LXVI. anno uno, mensibus sex.	711	*Constantinopoli* PHILIPPICUS *Imperator factus, Iustinianum Imp. occidit, & ipse annum unum & sex menses regnavit, Catholicos persequens, hæreticis favens. Unde & à Constantino Papa anathemisatur: quapropter regni Principibus eum pro excommunicato devitantibus, regium diadema deponere compellitur.*
1. Philippicus hæresi pollutus, catholicis infestus fuit. Mors Heriberti Regis Longobardorum.	712	*Heribertus Rex Longobardorum moritur, pro quo Luitprandus.*
2. Anastasius Philippicum oculis privavit, regnoque expulit. ¶ ANASTASIUS LXV. annis tribus.	713	*Constantinopoli* ANASTASIUS *Philippicum oculis & regno privavit, & ipse annos tres regnavit.*
1. GREGORIUS secundus Papa LXVI. sedit annis quindecim, mensibus 8. diebus 23. Pipinus major domus obijt, pro quo Carolus annis 27.	714	*Anastasius Imperator missis Constantino Papæ literis, se Catholicum declaravit. Pipinus filius Ansgisi, nepos sancti Arnulfi, major domus & Dux Francorum, anno regni 27. obijt: pro quo filius ejus Carolus regnavit annis 27.*
2. Mors Dagoberti Regis.	715	*Romæ defuncto Constantino Papa,* GREGORIUS *secundus Papa XCI. sedit annos 15. menses 9. qui 17. Capitula conscripsit. Dagobertus junior, filius Hildeberti Rex Francorum obijt, pro quo Helpericus qui & Daniel.*
3. Egbertus vir sanctus, Scotus legitimè pascha celebrare docuit. Osredus Rex occiditur, pro quo Conradus, regnavit annis 41. ¶ THEODOSIUS annum unum. Hic Anastasium prælio vicit, eumque presbyterum ordinari fecit.	716	*Egbertus vir sanctus, natione Anglus, Scotos legitimè Pascha celebrare docuit. Constantinopoli Theodosius Imperator factus, annum unum regnavit, qui Anastasium Imp. pugna victum presbyterum ordinari fecit.*
1. Carolus Hilpericum Regem & Reginfridum vicit. Tiberis fl. alveum suum egressus, multa Romæ subvertit ædificia. ¶ LEO, LXVII. annos novem.	717	*Romæ Tiberis supra modum inundans, multa ædificia subvertit. Hoc tempore Winfridus, qui & Bonifacius, genere Anglus, Germaniæ gentibus verbum salutis prædicat, autoritate Gregorij Papæ.*
1. Carolus Lotharium sibi Regem constituit. Hoc tempore Sarraceni triennio Constantinopolim obsidentes, & multas Provincias devastantes, fame, peste, ferro, naufragioque repelluntur.	718	*Constantinopoli* LEO *Imperator annis 9. regnavit: cujus temporibus Sarraceni Constantinopolim obsidentes triennio, tandem divino auxilio, fame, peste, ferro repelluntur.*

Sanctus

Anni mūdi.		
2. Sanctus Winfridus, qui & Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiæ Archiepiscopus constituitur.	719	*Sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiaci Archiepis. ordinatus, multis gentibus profuit, verbis & exemplis.*
3. S. Othmarus in cella S. Galli Abbas efficitur. Mortuo Hilperico, Theodoricus filius Dagoberti Rex efficitur à Carolo.	720	*Mortuo Helperico, Theodoricus filius Dagoberti, Rex à Carolo constituitur. S. Othmarus cellæ S. Galli primus Abbas constitutus, 40. annos rexit.*
4. S. Joannes Hagustaldensis Episcopus, post multas virtutes migravit ad Dominum.	721	*Carolus Reginfredum vicit, Andegavis Vrbem vi cepit. S. Ioannes Hagustaldensis Epis. obijt.*
5.	722	*Carolus Alemanniam & Bajoariam subegit.*
6. Hoc tempore corpus S. Augustini Episcopi, de Sardinia in Ticinum, à Luidbrando translatum est.	723	*Hoc tempore corpus S. Augustini de Sardinia Ticinum à Luidbrando translatum est.*
7. Sanctus Pirminius primùm ad Augiam Insulam venit.	724	*Carolus transito Ligeri, Aquitaniam vastat. Sanctus Pirminus & * Chorepiscopus à Carolo Augiæ Insulæ præfectus, serpentes inde fugavit, & cœnobialem vitam ibi instituit anno tertio.*
8. Sarraceni ab Eudone Duce contra Carolum evocati, Gallias vastant.	725	*Saraceni Gallias vastant, præda & incendio.*
9.	726	

* i. regionalis Epis. qui per regiones discurrit.

Hucusque Beda venerabilis Presbyter Chronicam suam, in majori de temporibus libro, perduxit, continentem ab initio mundi, secundùm Hebraicam veritatem annorum quatuor millia, sexingentos, octoginta.

Carolus de Sarracenis, occiso Rege eorum, triumphat.		*Carolus Sarracenos unà cum Rege eorum prostravit.*

¶ *Hucusque regnum Romanorum, exhinc Francorum supputatur.*

¶ CAROLUS Pipini filius, cum jam Principatum Major domus 12. annis teneret, posthac eundem Principatum tenet annis 15. Regibus tamen in Francia, sed parva dignitate, regnantibus.		*Carolus Pipini filius, cum jam Principatum Majoris domus 12. annis tenuisset, posthac eundem Principatum 15. annis obtinuit: Regibus tamen in Francia, sed parva dignitate regnantibus.*
13. Sanctus Pirminius à Thietbaldo, Gotifridi filio, expulsus, Etonem Abbatem constituit, & ipse in Alsatiam venit.	727	*Carolus Burgundiam petens, eam sibi subegit. Sanctus Pirminius ex Augia pulsus, Etonem pro se constituit Abbatem, & ipse Alsatiam, alia instructurus cœnobia petiit.*
14.	728	*Carolus Aquitaniam sine bello recipit.*
15. Carolus Frisiam vastat, Poppone Duce ejus occiso. S. Egbertus Presbyter obijt, an. ætatis 20. 8. Cal. April. id est, Paschæ die.	729	*Sanctus Egbertus Presbyter Anglus obijt, anno ætatis nonagesimo, die Pascha, id est, octavo Kalend. Maij.*

Anni mūdi.	16. Landfridus moritur. Sarraceni item Gallias vastant.	730	*Saraceni Avinionem Vrbem capiunt, & circumquaque regiones devastant.*
	17. Beda venerabilis Anglorum Presbyter, obijt, indictione 14. GREGORIUS tertius, Papa XCII. annis 10. mensibus 8. dieb. 24.	731	*Carolus Avinionem, cæsis Saracenis, vi expugnatam recipit. Beda Presbyter & Monachus natione Anglus, Doctor eximius, obijt 7. Cal. Iunij. Romæ* GREGORIUS *tertius Papa, sedit annis* 10. *mens.* 9. *Tria cœnobia, id est, Altaha, Murbach, Favarias, ex Augiensibus fratribus instructa sunt.*
	18. Carolus contra Sarracenos pugnat die Sabbati.	732	*Carolus Gothiam invadit.*
	19. Carolus item Sarracenos cum Rege suo delevit.	733	*Carolus exercitum Saracenorum, de Hispanis venientem, delevit.*
	20. Carolus Majordomus Fresiam vastat. Etho Argentinæ Episcopus promovetur.	734	*Augiæ Eto Abbas Kebam successorem relinquens, ipse Argentorati Episcopus promotus, non longè post sui nominis Etinheim cœnobium construxit.*
	21. Carolus Wasconiam invadit.	735	*Carolus item deletis Saracenis victor rediit.*
	22. Audonius Episcopus obijt. Ernfridus Augiæ Abbas, & Constantiæ Episcopus ordinatur.	736	*Carolus Gothos petiit, & inde victor rediit. Audonius Episcopus obiit. Augiæ defuncto post duos annos Keba, Ernfridus Augiæ Abbas & Constantiæ Episc. effectus, decem annis præfuit.*
	23. Carolus contra Sarracenos in Gothia pugnat.	737	*Carolus Saxones victos fecit tributarios.*
	24. Carolus Saxoniam intrat.	738	
	25. Carolus Provinciam subijcit.	739	*Carolus totam Provinciam suæ subijcit ditioni.*
	26.	740	*Victis circumquaque hostibus, pax & quies regno Franc. facta est, per Carolum.*
	27. Carolus moritur, indictione 9. & apud S. Dionysium sepelitur. ZACHARIAS XCIII. Papa, annis 10. mensibus 4. diebus 4. ¶ PIPINUS filius Caroli, cum fratre Carlomanno Majordomus annos undecim regnavit.	741	*Romæ Zacharias Papa sedit annos* 10. *menses* 4. *Carolus moritur Parisiaci, & apud S. Dionysium sepelitur: pro quo filij ejus, diviso inter se regno Francorum, majores domus præfuerunt:* CARLOMANNUS *annis sex,* PIPINUS *annis decem.*
	1. Carlomannus Wasconiam & Alemanniam petit.	742	*Carlomannus & Pipinus Duces Aquitaniæ & Sueviæ rebellantes citò comprimunt.*
	2. Carlomannus Alemanniam vastat.	743	
	3. Carlomannus pacem cum Saxonibus facit. Fuldense cœnobium in sylva Buchonia à S. Bonifacio cœptum.	744	*Fuldense cœnobium in saltu Bochonia à sancto Bonifacio Archiepiscopo fundatum est.*
	4.	745	*Carlomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vastavit.*
4700	5. Carlomannus Majordomus Alemanniam ingreditur.	746	*S. Bonifacius annuente Carlomanno, auctoritate Zachariæ Papæ duos in sua pa-*

Anni mūdi.

parochia Episcopatus facit, Wirceburgensem sc. cui S. Burchardum: & Eichstettensem cui S. VVilibaldum comprovinciales suos primos Episcopos ordinavit.

Sidonius Augiæ monachus, quintus ei loco Abbas, Constantiaq; Episcopus factus, præfuit annis 13. qui cellam quoque S. Galli ambiens, iniquis Principibus in damnatione S. Othmari Abbatis consensit.

747

6. Carlomannus divino amore succensus, Romam pergit, & se monachum in monte Soracte fecit.

S. Burchardus Vurceburgensi, & S. VVilibaldus Eistettensi Ecclesiæ Episc. primi, à S. Bonifacio ordinantur.

748

7. Sidonius Abbas Augiæ & Constantiæ Episcopus constituitur.

749

8. Pipinus Tassilonem, sororis suæ filium, Bajoariæ Ducem post Odilonem fecit.

750

9.

Pipinus Griphoni 12. Comitatus in partibus Neustriæ dedit.

751

10. Lantfridus moritur.

Zacharia Papa defuncto, STEPHANUS secundus Papa XCIV. annis sex.

Pipinus missis Romam legatis, Zachariam Papam de regno Francorum, & ignavis ejus Regibus consuluit. Idem PIPINUS *Rex effectus, 17. annis regnavit.*

752

11. Audogarius primus Campidonæ Abbas efficitur.

¶ PIPINUS I. authoritate Stephani Papæ, deposito ac detonso Rege Hilderico, Rex Francorum factus, regnavit annis 15.

Auctoritate Zachariæ Papæ, & non multò post Stephani (qui eidem in Pontificatu sex annis successit) deposito ac detonso Rege Hilderico, Pipinus Rex Francorum electus, & Suessionis à S. Bonifacio Archiepisc. unctus, regnavit annis 17.

Audogarius primus Campidonensis cœnobij fundator & Abbas, locum illum incolere cœpit.

753

1. Hildigarius Episcopus Coloniæ à Saxonibus interimitur.

Gripho frater Pipini occiditur.

Pipinus Rex Saxoniam vastat, ibiq; Hildigarius Coloniensis Archiepisc. Stephanus Papa pro auxilio contra Haistulphum Longobardorum Regem poscendo, ad Pipinum Regem in Franciam venit, & filios ejus Carolum 4. Carlomannum Parisiis Reges unxit.

754

2. S. Bonifacius Archiepiscopus à Fresonibus martyrio coronatur. Post quem Lullus Mogontiæ Archiepiscopus sedit annis 32.

Pipinus Longobardos in Italia cum exercitu petit.

S. Bonifacius Moguntinensis Archiepisc. cùm Fresonibus prædicaret, martyrisatus est ab eis, annos Episcopatus 36. & apud Fuldense cœnobium sepultus: pro quo Lullus Archiepiscopus præfuit annis 32.

Carlomannus frater Pipini, cum ad eum pro dissuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduni obijt.

Pipinus Italiam cum exercitu petens, Haistulphum Regem Papiæ obsessum, obsides dare, & res S. Petri sub Sacramento reddere coegit.

Stephanus Papa Hieronymo, Pipini fratre, Romam redijt.

Haistul-

Anni mūdi.		
3.	755	*Haistulphus Sacramentum contemnens, Romam obsidet, omnia circum ferro & igne vastans. Pro qua re Papa legatos per mare ad Pipinum pro auxilio misit.*
4. Haistolphus Rex Longobardorum moritur.	756	*Pipinus Rex iterum Italiam petens, Haistulphum Papiæ obsidet, & Ravennam aliasque Urbes pervasas, eum S. Petro & Domino Papæ per legatum reddere compulit.*
5. PAULUS Papa XCV. annis decem, mense uno.	757	*Constantinus Imp. inter alia munera Pipino Regi etiam organum misit.*
6. Pipinus Saxoniam bello petit.	758	*Romæ Stephano Papæ* PAULUS *successit, annis decem.*
7. Pipinus Wasconiam invadit.	759	*Waifarius tyrannidem in Aquitania exercuit.* *S. Othmarus Abbas à Warino & Ruthardo, consensu Sidonij Episcopi iniquè damnatus, & in insula Rheniflein relegatus, migravit ad Dominum; cujus Abbatiam cum Sidonius Episcopus & Abbas temerariè invasisset, ante altare S. Galli profluvio ventris obijt. Pro quo Ioannes Augiensis monachus Episcopatum & utramque Abbatiam accipiens, præfuit annis 21. qui primùm Romanæ sedis privilegium Augiæ ab Adriano Papa impetravit.*
8. S. Othmarus Abbas à VVarino & Rudhardo in insulam Rhenistein nomine, relegatus, migravit ad Dominum. Ecclipsis Solis facta est, 18. Calend. Septemb. hora quasi Nona.	760	*Pipinus Aquitaniam seu Wasconiam invadit, & Waifarium injustè usurpata, sub Sacramento reddere coegit.*
9. Sidonio Episcopo miserè mortuo, Joannes Episc. & Abbas successit.	761	*Vaifarius iterum tyrannidem exercuit.*
10.	762	*Pipinus Rex cum Carolo filio suo Aquitaniam petens, multas Urbes ibi cæpit.*
11. Pipinus aliquot Comitatus filiis suis dedit.	763	
12. Hyems valida hoc anno facta est: & Ecclipsis Solis, pridie Nonas Junias, hora sexta.	764	*Pipinus magnum conventum Carisiaci habuit.*
13. Corpora sanctorum Gorgonij, Naboris & Nazarij in Franciam deferuntur.	765	*Rudgangus Metensis Episcopus, corpora sanctorum Gorgonij, Naboris & Nazarij, à Paulo Papa impetravit.*
14. Corpus sancti Nazarij ad Loressam delatum est.	766	*Corpus S. Gorgonii in Gorzia cœnobio, S. Naboris in nova cella, S. Nazarij in Lauresham conditum est.*
15. Pipinus Rex Parisiis moritur, indictione sexta. Paulus Papa obiit, STEPHANUS tertius Papa XCVI. annis 4. mensibus 6.	767	*Romæ Paulus Papa obiit: pro quo* STEPHANUS *sedit annis* 4.

CARO-

Anni mũdi.		
¶ CAROLUS MAGNUS secundus, Pipini filius cum fratre Carlomanno annis 4. posteà solus 42.		
1.	768	*Pipinus subacta Aquitania. 8. Cal. Octob. Parisiis obijt, anno ætatis 53. pro quo filij ejus diviso regno,* CAROLUS *magnus annis 46. & Carlomannus 4. annis regnavit.*
2. Corpus sancti Othmari post decem annos, in insula, qua obijt, incorruptum reperitur, & in Basilica S. Galli sepelitur.	769	*Corpus S. Othmari Abbatis, post decem annos, in insula, qua obiit, incorruptum inventum, ad monasterium S. Galli translatum est.*
3. Carolus filiam Desiderij Regis Longobardorum uxorem duxit, & statim repudiavit.	770	*Carolus filiam Desiderij Regis Longobardorum uxorem duxit, sed postea repudiavit.*
4. Carlomannus Rex, frater Caroli, moritur.	771	*Carlomannus obijt, & Remis sepelitur.*
Carolus Synodum colligit.		*Carolus magnam Synodum collegit.*
5. Carolus Rex Saxoniam bello petit.	772	*Carolus Saxones petijt, unde acceptis obsidibus rediit.*
ADRIANUS XCVII. Papa ordinatus, sedit annis 23. diebus 16.		*Romæ post Stephanum,* ADRIANUS *primus Papa, sedit annis 24.*
6. Carolus Italiam invadit & Desiderium Regem vicit.	773	*Carolus ab Adriano Papa, pro defensione rerum S. Petri rogatus, Italiam petijt, & Desiderio Rege obsesso Papiæ, ipse Romam orandi gratia adiens, Pascha ibi celebravit.*
7. Carolus Longobardos cum Italia subjecit, anno ex quo intraverant, CCV. ipseque cum triumpho Romam venit.	774	*Longobardi cum Desiderio Rege eorum, Carolo se tradunt, anno* CCV. *ex quo Italiam cum Rege Alboino intraverant.*
Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum de Roma in Alemanniam allata sunt.		*Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma in Alemanniam translata sunt.*
8. Carolus iterum Saxoniam petit.	775	*Carolus Saxoniam iterum rebellantem vastat.*
9. Carolus iterum in Italia Ruttaisum occidit.	776	*Carolus Rudgaudum regnum Italiæ affectantem, occidit.*
10. Carolus iterum in Saxoniam pergit.	777	*Saxones tandem multa cæde perdomiti, Carolo subduntur, & Christiani efficiuntur.*
11. Carolus Hispaniam invadens cepit.	778	*Carolus Hispanias petiit, quibus subactis redit. Saxones iterum rebellant.*
12. Carolus iterum Saxoniam sæpiùs rebellantem invadit.	779	*Carolus iterum Saxones superavit.*
Fames & mortalitas Franciam vastat.		
13. Carolus tandem Saxonicum bellum, ut putabatur, subjectis Saxonibus, consummat.	780	*Carolus dispositis rebus Saxonum & Sclavorum, ipse Romam gratia orandi adiit.*
14. Carolus iterum Romam venit, & Pipinus filius ejus baptizatur ab	781	*Pipinus filius Caroli Romæ ab Adriano Papa baptizatur, & ab eodem à baptismo*

Anni mũdi.

Adriano Papa.		*ptismo suscipitur, & cum fratre Ludovico Rex ungitur.* *Constantiæ Episcopus & Abbas Ioannes obijt, pro quo Egino Episcopus annis 32. & Petrus Augiæ Abbas annis quinque, & apud S. Gallum Rudbertus Abbas anno uno, præfuerunt.* *Hoc tempore cruces apparuerunt multis in vestibus. Sanguis è terra & aere fluxisse dicitur.*
15. Carolus conventum in Saxonia habuit. Joannes Episcopus & Abbas obijt: pro quo Egino Episcopus & Petrus Abbas.	782	*Carolus Saxonum 4500. decollare jussit.* *Apud S. Gallum Waldo Abbas præfuit. anno uno.*
16. Hildegarta regina, uxor Caroli, obijt, pridie Calendas Majas. Et Peretha obijt.	783	*Hildigart Regina, uxor Caroli, secundo cal. Maij, & Beretha mater ejus, 4. Idus Iulij, obijt.*
17. Carolus Saxones rebelles plaga magna occidit, & Christianos fecit.	784	*Iunior Carolus à patre in Saxoniam missus, Westphalos bello domuit.*
18.	785	*Widikint Saxo ad deditionem Carolo veniens, baptizatus est.*
19. Ecclipsis Solis facta est, 15. Calen. Octob. hora quasi secunda. Carolus iterum Romam perrexit: & cruces in vestibus apparuerunt.	786	*Carolus iterum Romam ivit, orandi gratia.* *Augiæ post Petrum waldo Abbas Octavus, præfuit annis decem.*
20. Carolus per Alemanniam ad fines Bajoariæ rebellantes, cum exercitu venit. Waldo Abbas Augiæ efficitur. Lullo Archiepiscopo, Richolfus successit.	787	*Rudtrud filia Caroli, Constantino Imperatori desponsatur.*
21. Tassilo Duce Bajoariæ jubente, Carolus in Franciam venit & Bajoaria Carolo subjicitur.	788	
22. Carolus Sclavos, qui wilzi dicuntur, bello petit.	789	*Hoc anno Carolus 83. penè Canonum capitula totius regni sui Episcopis transmisit, ut ejus auxilio corrigenda corrigere possent.*
23. Carolus hunc annum sine bello wormatiæ sedit.	790	*Hunc annum Carolus Wormatiæ quietus transegit.*
24. Carolus Pannoniam regnum Hunnorum vastat.	791	*Carolus terram Hunnorum devastat.*
25. Saxones fidem Christi relinquentes, iterum rebellant.	792	*Synodo Ratispona collecta, hæresis Feliciana damnata est.*
26. Alcuinus, qui & Albinus, his temporibus clarus habetur.	793	*Saxones item more suo rebellant.*
27. Fastrada Regina. Carolus synodum magnam congregat.	794	*Synodo magna in Franconofurt habita, hæresis item Feliciana damnata est: pseudosynodus Græcorum, pro adorandis imaginibus habita, ab Episcopis damnata est.* *His temporibus Alcwinus, qui & Albinus, apud Regem cæterosque vita & doctrina clarus habetur.*

28. Ca-

Anni mūdi.			
	28. Carolus Saxones petit, & tertiam partem virorum obſides accepit.	795	*Huni missis legatis, ſe cum terra ſua Carolo tradunt, & Chriſtianitatem promittunt.*
4750	29. Hunni munera mittentes Carolo ſubjiciuntur. Adriano Papæ LEO tertius, Papa XCIX. ſucceſſit, & ſedit annis 20. menſibus 5. diebus 16.	796	*Romæ defuncto Adriano Papa* LEO *tertius ſedit annis* 20.
	30. Conſtantinus Imperator à Græcis excæcatur.	797	*Conſtantinopoli Conſtantinus Imperator a Græcis excæcatur.*
	31. Romani Leonem Papam in litania majore excæcant, & linguam ejus amputant. Geroldus piiſſimus ſignifer Caroli in pugna occiditur ab Hunnis.	798	*Helena mater Conſtantini Imperat. Conſtantinopolitani Legatos Carolo pro pace miſit.*
	32.	799	*Leo Papa (ut fama eſt) in litania majore à Romanis lingua præciſa, excæcatur, & per quoſdam liberatus, in Saxoniam ad Carolum eſt perductus.* *Geroldus Præfectus Bajoariæ ſignifer & conſiliarius Caroli, pius & religioſus, contra Hunnos pugnans, occubuit, Augiæque quam multis auxerat donis & prædijs, ſepultus eſt.* *Patriarcha Hieroſolymitanus, reliquias de ſepulchro Domini mittit Carolo Regi.*
	33. Luitgarda Regina obijt, pridie Nonas Junias.	800	*Carolus Hieroſolymam inſignia dona tranſmiſit, & Romam petens, Leonem Papam ſe de ei illatis & non probatis criminibus ſacramento purgantem ſedi ſuæ reſtituit.*
	34. Carolus Imperiali benedictione ſublimatus, Auguſtus & Cæſar Romano more appellatur.	801	*Carolus in die Natalis Domini à Leone Papa corona impoſita, primus Regum Francorum, Cæſar Auguſtus Imperator, laudes ſucclamantibus, appellatus eſt. Qui poſtea juxta leges Romanas temeratores Leonis Papæ, capitali ſententiæ addixit: ſed precibus ejuſdem Papæ vita conceſſa, in exilium eos relegavit.* *Terræmotus factus eſt, ſecundo Kal. May.*
	35. Græci cum Carolo pacem firmant.	802	*Aaron Rex Perſarum, inter alia munera Elephantem Carolo Imp. miſit.*
	36. Terræmotus factus, & mortalitas ſubſequuta eſt.	803	*Sanguis Domini Mantuæ inventus, Carolo Imperatori nunciatur. (cujus rei veritatem perquirendam Leoni Papæ Imperator demandavit. Qua occaſione arrepto itinere Papa ad Imperatorem venit, & cum eo natalem Domini Cariſiaci, celebravit.*

Anni mūdi.

37. Carolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam transfert.	804	*Dominus Papa magnis muneribus ab Imperatore donatus Romam redyt.*
38.	805	*Carolus junior à patre missus, Boëmiam subjugavit.*
39. Waldoni Abbas *Hatto, Episc. Basileæ, successit.	806	*Carolus Imperator regnum inter tres filios divisit.*
40. Ecclipsis Solis facta est, tertio Idus Februarias, hora quasi sexta.	807	*Aaron Rex Persarum, cum aliis muneribus, artificiosum Carolo misit horologium.*
41. Hoc tempore Gotafridus Normannorum Rex superbè Carolo minatur.	808	*Cardolf Rex Nodnumbrorum regno pulsus, ad Carolum Imp. questum venit.*
42. Carolus synodum magnam congregat. Egino Constantiæ Episc. obijt.	809	*Quæstio de processione sancti Spiritus synodo habita ventilatur.*
43. Ecclipsis Solis facta est, septimo Idus Junias, hora quasi secunda. Item in eodem anno ecclipsis Solis pridie Calend. Decemb. hora quasi tertia. Pipinus Rex, Caroli filius, obijt.	810	*Hispani & Græci per Legatos cum illo pacem firmant. Pipinum filium suum Regem Italiæ mortuum esse, didicit.*
44. Carolus thesauros inter Episcopia & Ecclesias dividit. Carolus Rex, filius Caroli, obijt. Hatto Episc. ab Imperatore Constantinopolim mittitur.	811	*Hatto Abbas Augiæ & Episc. Basileæ missus Constantinopolim, hodœporicum suum scripsit.*
45. Bernhardus Rex à Carolo efficitur.	812	*Michaël Imp. legatis Caroli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit. Beneventani 25. solidorum auri tributum Carolo persolvunt.*
46. Carolus febre & pleuresi pulsatus, obijt, indictione septima, quinto Cal. Februarias, anno ætatis 71. ¶ LUDOVICUS tertius, Caroli Magni filius, annis 27.	813	*Carolus Imp. Amalharium Treverensem Archiepiscopum, & Petrum Nonantulanum Abbatem Constantinopolim misit, quorum liber itineratus hodœporicum, item scriptum habetur. Ipse Ludovicum filium regni consortem fecit. Mortuo Pipino filio ejus Reg. Italiæ, filium ipsius Bernhardum, nepotem suum, Regem fecit Italiæ. Permagna concilia Moguntiaci, Remis, Turonis, Cavillonis, Arelati pro statu Ecclesiarum fieri jussit.*
	814	*Carolus Imp. magnus, cum prius thesauros suos inter 21. Archiepiscopatus regni sui cæterosq; Episcopatus & Ecclesias divisisset, febre & pleuresi pulsatus, quinto Kal. Febr. Aquisgrani obyt, ibique sepultus est honorificè, anno ætatis 71. regni 47. subjectæ Italiæ 44. Imperij 14. indictione 7. Pro quo LUDOVICUS filius ejus, cognomento Pius, regnavit annis 27. qui statim generale colloquium Aquisgrani habuit, & multa perperam gesta per regnum correxit.*

*alias Hatto.

Qui-

Anni mūdi.		
2.	815	*Quidam ex Romanis primoribus, in necem Leonis Papæ conjurantes, puniuntur.*
3. Leo Papa obijt, & Ludovicus Imperator à Stephano Papa factus est. STEPHANUS quartus, Papa XCIX. mensibus 7.	816	*Leone Papa defuncto, octavo Kal. Iuny, STEPHANUS sedit mensibus septem. Qui ad Ludovicum Regem in Franciam veniens, Remis eum Imp. coronavit, deinde Romam redijt.* *Imp. synodo collecta, multa de statu & religione cœnobiorum bene disposuit.*
4. PASCHALIS Papa C. effectus, sedit annis 7. diebus 18.	817	*Stephano Papa, Nono Calend. Febr. defuncto, Paschalis sedit annis 7. Legati Leonis Imp. de Constantinopoli pro pace ad Ludovicum veniunt Imperatorem.*
5. Bernhardus Rex Ludovico rebellat.	818	*Ludovicus Imperator cismarinos Britannos domuit.*
6. Bernhardus Rex interijt. Ludovicus rebellat.	819	*Synodo Aquisgrani habita, multa de statu Ecclesiarum disposita sunt.*
7. Exercitus contra Ludovicum congregatur.	820	*Ex inundatione pluviarum pestilentia magna facta est.*
8. Item exercitus contra eundem Ludovicum congregatur.	821	*Ludovicus Imp. regnum inter filios divisit, exilia relaxavit, debita cunctis dimisit.*
9. Nix magna à 10. Calend. Octob. usq; in pridie Idus April. permansit.	822	*Ludovicus Imp. de publicis suis peccatis publicam pœnitentiam egit, & quæq; in regno suo corrigenda, correxit.* *Lotharius in Italiam, Pipinus ducta uxore in Aquitaniam, Reges missi sunt.* *Fuldis Eigil Abbas obiit: cui Rabanus vir doctus, & divinorum librorum tractator egregius successit.* *Augiæ Hettone Abbate & Episcopo privatam vitam adoptante, Exlebaldus Abbas 10. successit.*
10. EUGENIUS Papa CI. annis tribus.	823	*Lotharius Rex Italiæ, rogante Papa Paschali Imp. ab eo Romæ coronatur. Agri multi præter solitum grandine sunt vastati, magnis lapidibus alicubi decidentibus.*
11. Wetti Augiensis Monachus in spiritu raptus, admirabilem vidit visionem.	824	*Romæ EUGENIUS Papa post Paschalem sedit annis tribus.* *Augiæ Wettinus Monachus è corpore ductus, post triduum obiit, cujus visiones Hetto Episcopus, prosa: & Walachfridus heroico metro scripsit.*
12.	825	
13.	826	*Herioldus Rex Danorum, cum uxore & filijs, & magna suorum multitudine Moguntiaci baptizatus est.* *Hildovinus Abbas de S. Dionysio, ab Eugenio Papa ossa beati Sebastiani martyris impetravit, quæ Suessionis in basilica S. Medardi collocavit.*

Anni mūdi.

14. VALENTINUS Papa CII. diebus 40. GREGORIUS quartus Papa CIII. annis 16.	827	*Corpora sanctorum martyrum Marcellini & Petri in Franciam translata sunt. Hoc in anno Ansegisus Abbas in quatuor libellos collegit, tam seculares quàm Ecclesiasticas leges, quas Carolus Magnus & Ludovicus atque Lotharius Imperatores promulgaverunt.*
15	828	*Roma post Eugenium* VALENTINUS *Papa sedit diebus 40. & post hunc* GREGORIUS *quartus Papa sedit annis. 16.* *Reliquiæ S. Marcellini Aquisgrani allatæ, plurimis glorificantur miraculis.*
16.	829	*Aquisgrani terræmotus sabbato sancta Paschæ factus.*
17. Corpora Sanctorum Valentis & Sinesij in Augiam Insulam deferuntur.	830	*Corpus S. Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis martyris, Catolfus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore Genisii martyris in Augiam insulam attulit.*
18.	831	*Imperator omnes sibi contrarios honore privando, animos tam filiorum quam cæterorum contra se irritavit.*
19. Ludovicus Imp. magnum conventum in Noviomago habuit.	832	*Imperator contra filios suos exercitum movit: uxorem timore filiorum abdicavit.*
20.	833	*Imperator item contra filios in Alsatiam venit: ibi veniente Gregorio Papa cum filijs, Imperator à suis relictus, in filiorum potestatem devenit.*
21.	834	*Imperator judicio Episcoporum armis depositis, ad agendam pœnitentiam includitur.*
22. Dedicatio basilicæ S. Galli.	835	*Imperator cum filiis Pipino & Ludovico Lugduni magnum conventum habuit.*
23. Hatto Episcopus Basiliensis obijt.	836	
24.	837	*Ticinum tertio Cal. Ianuarii octies noctu tremuisse dicitur.*
25. Puto Diaconus Palatij in Judaismum lapsus est.	838	*Imperator habito conventu Noviomagi, Ludovico filio regnum Francorum interdixit.* *Puto Diaconus Palatij in Iudaismum lapsus.*
26.	839	*Imperator filio suo Lothario repacificatur.* *Ebbo Remorum Archiepiscopus degradatur.*
27. Ecclipsis Solis facta est, tertio Nonas Majas, hora ante nonam. Et Ludovicus Imp. obijt, 22. cal. Julias. ¶ LUDOVICUS quartus, Ludovici filius, cum fratribus Lothario,	840	*Imperator filio suo* LOTHARIO *ad Imperium designato, 12. Cal. Iulii obiit, & Remis sepelitur.*

Carolo

Anni mūdi.			
	Carolo & Pipino, annis 36.		
	1. Bellum inter fratres de participatione regni excanduit.	841	*Ludovicus junior, adunatis cum fratre suo Carolo copiis, cum Lothario monarchiam appetente, de partitione regni concordare non possent, juxta Fontinacum villam 7. Cal. Iulij acie confligunt. Ludovicus & Carolus castris potiti sunt, fugato Lothario.*
	2. Ludovicus Germaniam, Lotharius cum Imperatoris nomine, Italiam, Carolus Gallias, regnum dividentes accipiunt.	842	*Tandem cunctis pacem optantibus, regnum in tria partiri constituunt.* *Augiæ Valachfridus Strabo vir doctus, Abbas 12. præfuit, qui metro & prosa conscripsit multa.*
	3. Judith imperatrix, uxor Ludovici prioris, obijt.	843	*Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam accepit & Galliam, quæ nunc usque ab eo regnum Lotharij dicitur. Ludovicus Germaniam, Carolus Gallias obtinuit.*
	4. SERGIUS secundus Papa CIV. annis tribus.	844	*Defuncto Gregorio Papa* SERGIUS *secundus, sedit annis tribus.*
	5. Hincmarus vir doctus, Remorum Archiepiscopus ordinatur.	845	*Rabanus Fuldensis Abbas, librum quem de sancta cruce variis figuris metroque composuit, Sergio Papæ transmisit.*
	6.	846	*Lotharius Imp. Burgundiones rebellare molientes, ad deditionem coegit.*
	7. LEO quartus, Papa CV. sedit annis 9. mensibus 3. diebus 6.	847	*Romæ* LEO *quartus Papa CV. sedit annis 9. mensibus 3. qui Romæ munitionem, quam Leoninam dicunt, fecit, eamque Apostolica benedictione dedicavit, & sub anathemate in perpetuum confirmavit.* *Moguntiaci Rabanus Fuldensis Abbas doctissimus, ordinatur Archipræsul. Qui mox Ludovico jubente, synodum magnam Moguntiaci collegit.* *Tempore Leonis Papæ & Rabani Moguntiacensis Archiepiscopi in conventu Episcoporum Moguntiaci, confutata est hæresis Prædestinatianorum, quorum capita beatus Augustinus confregit atque contrivit, in libro de correptione & gratia & prædestinatione Sanctorum.*
	8.	848	*Godescalcus quidam Presbyter, quosdam homines ad vitam, quosdam ad mortem inevitabiliter à Deo prædestinatos dogmatizans, in conventu Episcoporum Moguntiaci convictus, regno expellitur.*
	9. Walafridus Strabo, Abbas Augiensis, vir doctus obiit.	849	*Augiæ Walachfridus Abbas Strabo obiit: pro quo Folckvvinus Abbas 13. præfuit annis 9.*
	10.	850	*Magna fames circa Rhenum, in qua Rabanus Archiepis. multos pauperes aluit.*

Anni mūdi.		
11.	851	
12. Translatio S. Remigij Remorum Archiepis. ab Hincmaro ejusdem Urbis Archiepis. facta est, Cal. Octobr.	852	*Magna synodus & generalis conventus Moguntiaci à Rabano Archi-Episcopo & Ludovico Rege habitus.*
13. Corpus S. Martini de tumulo levatur.	853	*Nordmanni basilicam S. Martini Turonis incendunt.*
14.	854	
15.	855	*Lotharius Imp. relicto mundo, divisoque inter filios regno, monachum se Prumiæ fecit, & non multo post, 3. Cal. Octob. ad regnum cœleste migravit. Post quem filij ejus* LUDOVICUS *Imp. Italiam, & Lotharius Cisalpinas partes regni tenuerunt.*
16. BENEDICTUS tertius, Papa CVI. annis 2. mensibus 6. diebus 9. LeoPapa, Trogo & Rabanus, Hildigart Regina obierunt. Lotharius Imperator obijt: pro quo filius ejus Ludovicus imperavit cum fratre Lothario annis 19.	856	*Moguntiaci Rabano Archiepiscopo defuncto, successit Carolus, filius Pipini Regis Aquitaniæ. Romæ Leone Papa defuncto,* BENEDICTUS *Papa tertius, sedit annis 2. mensibus 6.*
17. Benedictus Papa obiit.	857	*Synodus à Carolo Archiepiscopo Moguntiaci colligitur.*
18. NICOLAUS Papa CVII. doctus, annis 9. diebus 9.	858	*Villam quandam juxta Moguntiacum & Rhenum, Camunti vocatam, nequam spiritus homines multipliciter infestando, devastavit. Roma post Benedictum,* NICOLAUS *Papa sedit annis 9.*
19.	859	*Crebri terræmotus Moguntiacum concutiunt: ibiq. Probus Presbyter religiosus & sanctus, 7. Cal. Iulij obijt.*
20.	860	*Hyems maxima etiam Ionium mare usque in Venetiam per glaciem equis meabile fecit.*
21. Meginradus eremita martyrizatur.	861	*Meginradus Augiæ monachus, & primus incola eremi, quæ Turicino adjacet lacui, à quibusdam latronibus inibi, 12. Calend. Febr. peremptus, post mortem virtutibus claruit, Augiæ sepultus: à quo usque hodie Eremus ipsa à Sanctis & Religiosis viris culta, in nobile excrevit cœnobium.*
22.	862	*Lotharius Rex faventibus Archi-Episcopis, Guntario Coloniensi, & Theotgaude Trevirensi, repudiavit Tithpirgam uxorem legitimam, Synodo ad hoc machinandum collecta.*
23. Huni Christianitatis nomen aggressi sunt.	863	*Synodo Romæ collecta, Guntarius & Theotgaudus Archiepis. illuc transmissi, à Nicolao Papa depositi sunt, & cum Synodo sua anathematisati, Lothariusque Rex, nisi resipisceret, excommunicatus est.*
24. Translatio S. Otmari, in basilicam sancti Galli.	864	*Guntarius Colon. Episcopale officium post interdictum usurpans, sed postea ductus pœnitentia Romam venit, sed minime reconciliari meruit.*

Arse-

Anni mũdi.

25.	865	*Arsenius Episcopus, Nicolai Papæ legatus, ipsi Lothario, fidem connubij per Sacramenta 12. principum suorum pollicenti, Tithpirgam conjugem reconciliatam reddidit.*
26.	866	*Wulgari missis à Nicolao Papa & Ludovico Rege prædicatoribus, fidem Christi suscipiunt.*
27. Nicolaus Papa obijt: pro quo ADRIANUS secundus, Papa CVIII. sedit annis 5.	867	*Lotharius Rex posthabitis Principum Sacramentis Tithpirgam repudiavit, iterum se priori concubinæ commiscens. Vnde eum Papa Nicolaus cum suis complicibus excommunicavit, literis ad diversos missis.*
28. Terræmotus factus est, & Cometa visus est.	868	*Synodus magna coram Ludovico Rege colligitur Wormatiæ.* *Romæ defuncto Papa Nicolao,* ADRIANUS *2. sedit annis 5. Ad quem cum Lotharius Rex venisset, & frustra opitulante fratre Ludovico Imp. pro Waldrada concubina sua matrimonio satis egisset nihil profuit. Et quidem conditio ei dabatur, ut si innocens esset, fiducialiter corpus Domini perciperet: Sin verò, illud nullatenus accipere præsumeret. Sed ipse temerarius accessit, & cum suis complicibus inevitabile judicium sibi suoque regno heu nimium demens, percepit. Nam tanta clades hanc præsumptionem divinitus subsequuta est, ut in ejusdem Lotharij regno, tota virtus ac nobilitas, non peste sed quasi hostili gladio, deleta esse videretur.*
29. Lotharius Rex, frater Ludovici Imperatoris, obijt: & Carolus Galliarum Rex regnum ejus invasit.	869	*Lotharius Rex cum complicibus suis, se apud Papam Adrianum de illatis criminibus excusans, & corpus Domini temerariè ab eo accipiens, cum rediret domum, Placentiæ perijt; fautoresque sceleris omnes penè obitu periêre, regnumque ejus Carolus patruus ejus invasit.*
30. Ludovicus Imperator cecidit de solario.	870	*Synodus magna Coloniæ collecta, & multa pro statu Ecclesiæ decreta.*
31. Ludovicus & Carolus cum Patre pacificantur. Solomon Constantiensis Episc. obijt. Iso Magister obijt, in cœnobio S. Galli.	871	*Ludovicus Imp. Adalgiso tyranno per Sacramentum repacificatur: quo tamen Sacramento eum post Ioannes Papa absolvit, & eum contra eundem tyrannum incitavit ad bellandum.*
32. Wormat. fulminis ictu crematur. Grimaldus Abbas obijt: cui Hartmutus successit.	872	*Basilius Imp. Græcorum portionem Dominicæ crucis Ludovico Regi transmisit.*
33. JOANNES octavus, Papa CIX. annis decem.	873	*Romæ defuncto Adriano IOANNES Papa sedit annis 10. cujus præcepto Ioannes Diaconus Romanæ Ecclesiæ, vitam S. Gregorij authenticè describit.*
34. Ratolphus Veronensis Episcopus obijt.	874	*Ratolfus Veronensis Episcopus obijt, qui sui nominis Cellam construxit juxta Augiam.*

Anni mũdi.		
35. Ludovicus Imperator obijt, & Carolus Rex Galliarum Romam pervenit.	875	*Ludovicus Imperator Italiæ defunctus, Mediolani sepelitur, anno regni vicesimo. Cujus regnum patruus ejus CAROLVS Rex Galliarum invadens, à Ioanne Papa se Imperatorem coronari fecit.*
1. Ludovicus Rex Germaniæ obijt, 5. Cal. Septemb. Bellum in Ribuaria, inter Ludovicum & Carolum committitur. CAROLUS V. junior, filius Ludovici, cum fratribus.	876	*Ludovicus Rex religiosus apud Franconofurt, 5. Cal. Sept. obijt, anno regni 36. regnumque ejus tres filij, Carlomannus Bajoariam, Ludovicus Germaniam, Carolus Alemanniam, singuli cum adjacentibus Provinciis accepêre.*
Carlomanno & Ludovico annis undecim.	877	*Carolus Rex Galliarum obijt, anno regni 37. post quem filius ejus Ludovicus Balbus regnum Galliarum accepit.*
2. Carolus Galliarum Rex obijt. Papa Joannes in Franciam venit.	878	*Ludovicus Rex Germaniæ cum fratre Carolo, regnum Lotharii divisit.*
3. Ludovicus Balbus, filius Caroli, obijt. Ecclipsis Solis facta est.	879	*Ludovicus Balbus, filius Caroli, Rex Galliarum, tertio Idus Aprilis Compendii obiit.*
4. Ludovicus vivente fratre suo Carlomanno Bajoariam ingreditur, & Carlomannus moritur.	880	*Carlomannus Rex Bajoariæ apud villam Ottingam obiit, 11. Cal. Aprilis.*
5. Carolus junior cum uxore sua Richgarta Imperiali benedictione sublimatur.	881	*Nordmanni multas Provincias in Gallia vastant. Carolus Rex, frater Ludovici, Romæ veniens, una cum Regina Richarda, Imperiali unctione à Ioanne Papa coronatur, & omnes Italorum Episcopi, præter Papam, Imperatori jureiurando subiiciuntur.*
6. Ludovicus Rex Francorum, Caroli Imperatoris frater, obijt.	882	*Ludovicus Rex Germaniæ, 13. Cal. Febr. obijt. Carolus Imperator Nordmannos cuncta circumquaque vastantes, pacem regno ejus deinceps Sacramento firmare compulit, & Regem eorum Christianitatem professum, de baptismo suscepit, sicque firmata amicitia digressi sunt.*
7. Petitione Hartmuti Bernardus Abbas efficitur. MARINUS Papa CX. anno 1. mensibus 4.	883	*Romæ Ioannes Papa à quodam toxicatus, etiam à quodam alio percussus malleo, obijt, statimq; percussor ejus à nemine læsus moritur: & MARINUS Archidiaconus Papa CX. præfuit anno uno mensibus 6. Ludovicus Rex Galliæ obijt.*
8. ADRIANUS tertius Papa CXI. anno 1. mensibus 6.	884	*Carlomannus filius Ludovi Balbi, Rex Galliæ, obiit, & regnum Galliæ Carolus Imperator obtinuit.*
9.	885	*Marinus Papa obijt, pro quo* ADRIANUS *tertius, Papa* CXI. *sedit anno* 1. *mensibus* 4.
10. STEPHANUS quintus, Papa CXII. sedit annis 6. diebus 13.	886	*Imperator à Papa invitatus, Italiam venit.*

Romæ

Anni mũdi.		
11. Carolus Imperator regno privatur. ¶ ARNOLPHUS sextus, annis 12. filius Carlomanni.	887	*Romæ quintus* STEPHANUS *Papa, post Adrianum sedit annis 6.* *Riharda Imperatrix, adulterij cum Luitvvardo Wercellensi Episcopo incusata, Aquino judicio se ab omni virorum commixtione integram & virginem comprobavit, quamvis jam 12. annis in conjugio Imperatoris apparuerit. Moxque à Rege separata, in Andelahense cœnobium virginum à se constructum, secessit: ibique Deo serviens, virgo Regina permansit. Imperator autem ab omnibus deseritur, & Arnulfus fratris sui Carlomanni filius, Rex eligitur.*
1. Carolus junior Imperator obiit.	888	*Carolus Imperator jam privatus Deo devotè serviens, ut quidam dicunt, à suis strangulatus, obijt, Idus Ianuar. & Augiæ sepelitur.*
2. Luitpertus Archiepiscopus obiit: pro quo Sinderoldus.	889	
3. Arnolphus Rex exercitum Normannorum prorsus delevit. Salomon Abbas in cœnobio S. Galli efficitur.	890	*Arnolfus Rex ex parte Apostolici rogatur, ut Romam veniens, Italiam sibi de tyrannis defendat.*
4. Ratispona Bajoariæ Urbs incendio flagrat. Sinderoldus à Normannis occiditur: pro quo Hatto. Solomon Constantiensis Episcopus ordinatur.	891	*Arnolfus Rex Nordmannus ad internitionem delevit.*
5. FORMOSUS Papa CXIII. annis 4. mens. 7. diebus 18.	892	*Romæ post Stephanum* FORMOSUS, *prius Portuensis Episcopus, Papa* CXIII. *sedit annis* 4. *mensibus* 7.
6.	893	*Formosus Papa Arnulphum Regem ad suscipiendam & à tyrannis eruendam Italiam invitat.*
7. Arnolphus Italiam Burgundiamque suo regno subijcit.	894	
8.	895	
9. Arnolphus Rex Romam veniens, Imperator efficitur. Magna fames homines se invicem comedere persuasit.	896	*Arnolfus Rex tandem Romam venit, & à Formoso Papa Imperator coronatus est.* *Formosus Papa die Paschæ obiit: pro quo sextus* BONIFACIUS *Papa* CXIV. *ordinatus, 15. die podagra defunctus est.*
10. Post Bonifacium sextum Papam CXIV. decimo quinto die necatum, STEPHANUS VI. Papa CXV. anno uno, mense uno, diebus 19.	897	*Cui sextus Stephanus Papa* CXV. *substitutus, sedit annum unum, qui tyrannis favit.*
11 ROMANUS Papa CXVI. mensibus 4. diebus 20. THEODORUS secundus, Papa CXVII. diebus 20.	898	*Romæ post Stephani interitum* ROMANUS *Papa* CXVI. *sedit mensibus paulò plus 4. & post hunc secundus* THEODORUS *Papa* CXVII. *sedit dies 20. Post quem Nonus* JOANNES *Papa* CXVIII. *ordinatus, sedit annos 2.*

Vit

Anni mũdi.		
12. Arnolphus Imperator moritur. Gentes Pannonicæ, quas Hungaros dicimus, Italiam depopulantur. JOANNES nonus, Papa CXVIII. annis duobus. ¶ LUDOVICUS 7. filius Arnolphi, admodum puer, annis 12. regnavit.	899	*Vta Regina adulterij incusata, 82. Principum juramento absoluta est* *Romæ quartus* BENEDICTUS, *Papa* CXIX. *sedit annis tribus, mensibus quinque.*
1. Hungari Bajoariam ingrediuntur, & plus mille ex eis occiduntur. Zundebaldus Rex, filius Arnolphi, occiditur.	900	*Arnolfus Imp. Ratisponæ, ubi frequentius manebat, obijt, 6 Idus Decembris, anno regni 12. pro quo filius ejus* LUDOVICUS *puer regnavit.*
2. Hungari Carentaniam invadunt, & in Sabbato commissa pugna occiduntur. CHRISTOPHORUS Papa CXIX. mensibus 6. Eodem anno Moimarius & Isauricus cum Rege pacificantur.	901	
3. Hungari à Mariis occiduntur. Beringerus, Reginoltus, & Gerardus germani fratres occiduntur. BENEDICTUS quartus Papa CXX. annis 4. mensibus 6. dieb. 34.	902	*Beringer, Reginolfus & Gerhardus nobiles Germani, filij Atonis Comitis & Adellindæ, occisi, apud Buchaugiense cœnobium virginum, à prædicta Adellinda constructum, sepeliuntur, ubi & ipsa mater postea est sepulta.*
4.	903	
5.	904	*Romæ post Benedictum* LEO *quintus, prius Presbyter Forensis, Papa* CXX. *sedit menses fermè duos. Post quem (ut in quibusdam inveni)* CHRISTOPHORUS *prius Cardinalis, Papa* CXXI. *sedit mensibus 4. qui dejectus est, & monachus factus.*
6.	905	*Romæ* SERGIUS *tertius, Papa* CXXII. *sedit annis 7. mensibus 4.*
7. Pugna inter Adalbertum & Cunradum committitur, in qua Cunradus occiditur. SERGIUS tertius, Papa CXXI. annis 7. mensibus 3. diebus 23.	906	*Adalbertus nobilis & bellicosus de Babenberg, Cunradum æmulum suum victum pugna, cum alijs multis peremit.*
8. Adalbertus perfidia Hattonis Archiepiscopi, & cujusdam Luidbaldi deceptus, Ludovico jubente decollatur. Bajoarij ab Hungaris interficiuntur.	907	*Adalbertus perfidia Hattonis Archiepiscopi, & Luitpoldi ad Ludovicum Regem spe pactionis adductus, decollari est jussus.*
9. Hungari Saxoniam & Turingiam vastant. Luidpaldus occiditur.	908	*Vngari Saxoniam & Thuringiam vastant.* *Luidpaldus occisus est.*
10. Hungari Alemanniam petunt.	909	*Vngari Alemanniam vastant.*

Bellum

Anni mūdi.		
Bellum Francorum cum Hungaris. Adalbero venerabilis Auguſtenſis Epiſc. obijt. 11.	910	*Vngari Francos devincunt.*
12. Ludovicus Rex moritur, & Burchardus Dux occiditur. ¶ CONRADUS octavus, filius Conradi, in regnum elevatus, regnavit annis 7.	911	*Ludovicus Rex adoleſcens moritur, & Ratiſpona ſepelitur.* *Poſt quem deficiente in noſtris partibus regio ſtemmate,* CUNRADUS *filius Cunradi, Rex electus & unctus, regnavit annis* 7. *Burchardus Dux Alemanniæ in conventu ſuo occiditur.*
1. Hungari à Bajoarijs & Alemannis juxta fluvium Inum occiduntur. Magiſter Notkerus obijt. Opertus Epiſcopus occiditur. Cometæ videntur. Rodolphus Rex obijt.	912	*Vngari à Bajoariis, & Alemannis juxta flumen Ine occiduntur. Cometæ ſunt viſi.* *Ruodolphus Rex Burgundiæ obijt: pro quo Ruodolphus filius, regnavit annis* 25. *Romæ* ANASTASIUS *ſecundus, Papa* 123. *ſedit annis duobus, menſ.* 2. *Apud S. Gallum Notkerus magiſter doctus obijt.*
2. Hungari Alemanniam depopulantur. Hatto Archiepiſcopus moritur: Herigerus ſucceſſit. ANASTASIUS ſecundus, Papa 122. annis duobus, menſe uno, diebus 22.	913	*Vngari Alemanniam vaſtant.*
3. Solomon Epiſcopus captus eſt.	914	*Salomon Conſtantienſis Epiſ. eſt captus.*
4. LANDO, CXXIII. menſe uno, diebus 22. LEO ſextus, Papa CXXIV. menſe uno, diebus 26. JOANNES decimus, Papa CXXV. annis 14. menſ. 2. dieb. 7.	915	*Romæ* LANDO *Papa* CXXIV. *ſedit menſes quinq;.* *Poſt quem* LEO *ſextus, Papa* CXXV. *menſes fermè duos.* *Et poſt hunc* JOANNES *decimus, Papa* CXXVI. *an.* 14. *menſ.* 2.
5. Hungari totam Alemanniam igne & gladio vaſtant. Wiborada incluſa eſt.	916	*Vngari totam Alemanniam igne & gladio vaſtant.* *Synodus coram miſſis Apoſtolici apud Altheim eſt habita: in qua ſynodo, generali decreto ſancitum, ut quicunque deinceps pannum ab Epiſc. impoſitum corrupiſſet, per jejunium* 40. *dierum, in pane tantùm & aqua & ſale, commiſſum lueret.* *Apud S. Gallum beata virgo* Wiborada *arctius eſt incluſa.*
6. Erchangerus Dux & Bertholdus germani fratres, decollantur, 12. Calendas Februarias. Baſilea ab Hungaris deſtruitur.	917	*Ab Vngaris Baſilea deſtruitur.* *Erchanger Dux & frater ejus decollantur.*
7. Hungari per Alemanniam, Alſatiam & Regnum Lotharij	918	*Burchardus Dux Alemanniæ conſtitutus tyrannidem invaſit.* *Conradus Rex obijt.*

HEN-

Anni mūdi.

invadunt. Burchardus Dux constituitur. Conradus Rex moritur. In hoc defecit progenies Caroli.		
¶ HENRICUS nonus, Comes, Rex efficitur, regnans annis 18.		
1. Solomon Episcopus obijt. Burchardus Dux Alemanniæ Rodolphum Regem apud Wintertu-rum pugna vicit.	919	HENRICUS *Comes, natione Saxo, in regnum electus, sine Regali unctione regnavit annis* 18. *Burchardus Dux Alemanniæ, Rudolphum Regem Burgundiæ vicit.*
2. Carolus Rex Galliæ in Franciam venit. Rachilta inclusa est.	920	*Carolus Rex Galliarum in Franciam venit. Apud S. Gallum Rachildis virgo inclusa est.*
3. Herimannus Abbas efficitur, in cœnobio sancti Galli.	921	
4.	922	
5. Sanguis Domini in Augiam Insulam defertur.	923	*Sanguis Domini in Augiam Insulam à quadam matrona defertur, sicuti literis inibi manifestatur.*
6. Engelbertus Abbas efficitur, in cœnobio S. Galli. S. Udalricus August. Epis. ordinatur.	924	*Sanctus Vdalricus Augustæ Episcopus præfuit, annis* 50.
7. Wiborada ab Hungaris martyrizata est.	925	*Vngaris item Alemanniam vastantibus, & ad cœnobium S. Galli venientibus, Wiborada virgo inclusa à quodam eorum perempta, martyrio coronatur: Rachildisque contectalis ejus, illæsa divinitus conservata est.*
8 Hungari totam Franciam, Alsatiam atque Alemanniam gladio & igne vastant. Burchardus Dux occiditur: Herimanno Alemannia committitur.	926	*Vngari vastata Alemannia, per totam Franciam, Alsatiam, atq; Galliam igne & gladio desæviunt. Burchardus Dux occiditur: pro quo Herimannus Alemanniæ Dux efficitur.*
9. Herigerus Archiepicopus obijt, pro quo Hildibertus.	927	*Heriger Moguntiensis Archiepiscopus obijt, pro quo Hildibertus.*
10.	928	
11. STEPHANUS septimus, Papa CXXVI. annis duobus, mense uno, diebus 12.	929	*Romæ* STEPHANUS *septimus, Papa* 127. *sedit annos duos, mensem unum.*
12. Henricus Rex Boëmiam petit.	930	*Henricus Rex Boëmiam petit.*
13. Henricus Regem Abodritarum & Nordmannorum Christianum effecit. JOANNES undecimus, Papa CXXVII. annis 4. mensibus 10.	931	*Romæ* JOANNES *undecimus, Papa* 128. *sedit annis* 4. *Henricus Rex, Reges Abodritarum & Nordmannorum Christianos fieri effecit, ipseq; Gallias petit.*
14. Henricus Ungaros in Suirbia interfecit.	932	*Henricus Vngaros in Suirbia interfecit.*
15. Thieto Abbas efficitur, in cœnobio S. Galli.	933	
16. Notingus Constanstiensis Episcopus obijt: pro quo Conradus.	934	*Constantiæ Conradus, genere & vita clarus Præsul, ordinatus, præfuit annos* 41.

Romæ

Anni mūdi.			
	17. LEO ſeptimus, Papa CXXVIII. annis tribus, menſibus ſex.	935	*Romæ* LEO *ſeptimus* , *Papa* CXXIX. *ſedit annis* 3. *menſ.* 2.
	18. Henricus Rex obijt. ¶ OTHO Magnus decimus, Henrici filius, annis 37.	936	*Henricus Rex obijt, & in Saxonia apud Chiertilineburg ſepelitur, pro quo* OTTO *filius ejus, regnavit fermè annos* 38.
	1. Hungari Franciam, Alemanniam, Galliam, uſq; Oceanum & Burgundiam devaſtantes, per Italiam redierunt. Monaſteria S. Galli, & S. Bonifacij cremantur. Arnolphus Noricorum Dux & Rodolphus Rex obierunt.	937	*Vngari Franciam, Alemanniam & Burgundiam vaſtantes tandem per Italiam redierunt in Pannoniam. Monaſteria S. Galli, & S. Bonifacij concremantur. Rudolphus Rex Burgundiæ obijt: pro quo filius ejus Cuonradus regnum ſuſcepit. Arnolfus Dux Bajoariæ obijt, Ducatumque ejus accepit Bertolfus. Bajoarij cum multis alijs Regi Ottoni rebellant.*
	2. Henricus frater Ottonis, ab Eberhardo comprehenſus eſt. STEPHANUS octavus, Papa CXXIX. annis tribus, menſ. 4.	938	*Otto Rex contra Bajoarios procinctum movit, peneque omnes ſibi ſubjugavit. Romæ* STEPHANUS *octavus, Papa* CXXX. *ſedit annis* 3. *menſ.* 4.
	3. Giſelbertus & Adalbertus occiſi, & Epiſcopi in fugam lapſi ſunt.	939	*Otto Rex omnes ſibi rebelles, præter Metenſem Epiſcopum, ſubjugavit.*
	4. Hyems valida, & mortalitas animalium facta. Otto Rex Gallias petit.	940	*Otto Rex Gallias contra Ludovicum Regem petiit. Hyems ſæva & mortalitas animalium.*
	5.	941	
	6. Otho Rex & Ludovicus pacificantur. Cometæ 14. noctes apparent, & mortalitas animalium facta eſt. MARINUS ſecundus, Papa CXXX. annis 3. menſibus 2.	942	*Otto & Ludovicus Reges pacificantur. Romæ* MARINUS *ſecundus, Papa* CXXXI. *ſedit annis* 3. *menſ.* 6.
	7. Hungari cum Bajoariis pugnant & vincuntur.	943	*Vngari, Bajoarij, Bajoarios invadentes, vincuntur.*
	8. Terræmotus factus eſt, 16. Calendas Majas.	944	*Terræmotus factus eſt, 16. Calendas Maij.*
	9. Otho Rex Galliam intravit. AGAPITUS ſecundus, Papa CXXXI. annis 9. menſibus 7. dieb. 23.	945	*Romæ* AGAPITUS *ſecundus, Papa* CXXXII. *ſedit annis fermè* 10. *Otto Rex Galliam ingreditur.*
4900	10. Rachilta obijt.	946	*Apud S. Gallum Rihildis virgo incluſa, migravit ad Dominum.*
	11. Bertolphus Bajoariorum Dux obijt, cui Henricus, Othonis frater, ſucceſſit.	947	*Bertolfus Dux Bajoariæ obijt: cui Henricus, frater Ottonis Regis, in Ducatum ſucceſſit.*
	12. Herimannus Alemannorum Dux obijt: pro quo Liutolphus Othonis filius, regnavit. Synodus 30. Epiſcoporum apud Engelinheim coram Othone & Ludovico Regibus congregatur. Lindaugia concremata eſt.	948	*Hermannus Dux Alemanniæ obijt: cujus Ducatum Lutolfus, Ottonis Regis filius, accepit. Synodus magna* 30. *Epiſcoporum, coram Ottone & Ludovico Regibus, apud Ingilnheim facta.*
	13.	949	*Lothario Rege Italiæ mortuo, Beringarius regnum ejus invaſit, viduamq; ejus Adelheidem, Ruodolphi Regis Bur-*

D *gundi*

Anni mundi.

14. Otho Rex Italiam petit, eamque sibi subjecit, & Beringerum Regem expulit.	950	*gundi filiam, multis injuriis afflixit.* *Otto Rex Italiam petit, sibiq; eam subjecit, & pulso Beringario, dominam Adelheiden liberavit.*
15. Beringerus apud Augustam in conventu Othoni ad deditionem venit. Ignitus lapis, quasi massa candentis ferri, ab Occidente volitans, venit, & Draco visus est. Synodus XXV. Episcoporum apud Augustam Vindelicam, coram Othone Rege colligitur.	951	*Synodus* XXV. *Episcoporum, magnusque totus regni conventus, apud Augustam Vindelicam coadunatur: ibiq; Beringarius Ottoni Regi ad deditionem venit.* *Ignitus lapis, quasi candentis ferri, ab Occidente per aera venit, & Draco visus est ambulans.*
16. Otho Rex una cum filio Italiam intrat, ac nuptiæ Regales Papiæ factæ sunt.	952	*Otto Rex cum filio suo Luitolfo Italiam intrat, & nuptiæ Regales Papiæ celebrantur.*
17. Luitolphus Dux, Othoni Patri suo rebellat.	953	*Luitolfus Dux Ottoni Patri suo rebellat, sed à S. Episcopis reconciliati sunt.*
18. Hungari Noricum, Franciam, Italiamque petunt. Fridericus Mogontiensis Archiepiscopus obijt.	954	*Ungari item egressi, Franciam, Bajoariam, Italiamque devastant.*
19. Hungari totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alemanniæ Urbem, Deo juvante, ab Othone Rege pugna victi, immensa cæde necantur. Quarto Idus Augusti Henricus Dux Bajoariæ obijt. JOANNES duodecimus, Papa CXXXII. annis 8. mens. 4.	955	*Ungari totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alemanniæ Urbem, Deo juvante, ab Ottone Rege pugna victi, immensa cæde necantur, 4. Idus Augusti. Ex nostris etiam Chonradus Dux cum aliis multis occubuit. Ungari etiam, qui tunc effugere poterant, per totam Bajoariam trucidati sunt. Reges eorum Ratisponæ in patibulis suspensi sunt.* *Romæ* JOANNES *duodecimus, qui & Octavianus, Papa* CXXXIII. *sedit annis 8. mens. 4. qui tanti ordinis, proh dolor, oblitus, vanitati & spurcitiei fuit deditus.*
20. Luitolphus Dux hostiliter Italiam invasit.	956	*Luitolfus Dux Italiam hostiliter invadit, & Beringarium cum filio ejus fugavit.*
22. Luitolphus Dux Adalbertum bello vicit, & ipse eodem anno moritur, pro quo Burchardus.	957	*Luitolfus Dux Adalbertum bello vicit, & ipse eodem anno obijt & Burchardus Ducatum ejus accepit.*
22. Cruces in vestibus apparuerunt. Alavicus Abbas obijt: cui successit Eggehardus.	958	*Cruces in vestibus quibusdam apparuerunt.*
23.	959	
24.	960	
25. Signum in Sole apparuit. Otho Rex Romam veniens, Imperator efficitur.	961	*Otto Rex, Ottonem filium suum ex Adalheide Regina, Regem elige fecit, & ipse Italiam cum exercitu petit.* *Signum in Sole apparuit.*
26. Otho Rex ab Octaviano Joanne Papa Imperator ordinatur.	962	*Otto Rex Romam veniens, à Joanne seu Octaviano Papa Imperator coronatur.*

Anni mũdi.			
			tur, ipseq́; Papam pro sceleribus suis arguens, minimè eum potuit corrigere.
27.	Otto Imperator natalem Domini Papiæ moratur. Fugato Joanne, LEO octavus, Papa CXXXIII. ordinatus, & post unum annum expulsus, atque ab Imperatore restitutus, sedit annis 16. mensibus 3.	963	*Imperator Natalem Domini Papiæ moratus, iterum Romam venit, pro sceleribus Joannis Papæ dijudicandis. Sed eodem Joanne Imperatorem in Campaniam fugiente, in ejus locum à Romanis & Imperatore, vir venerabilis,* LEO *octavus, Papa* CXXXIV. *ordinatus est.*
28.	Item Otto Imp. natalem Domini Romæ moratur.	964	*Romani Leonem Papam expellunt, mortuoque Joanne Papa priore,* BENEDICTUS *Diaconus à Romanis, nolente Imp. ordinatur, sui nominis quintus, Papa* CXXXV. *& sedit menses duos. Et civitas ab Imperatore obsessa est, & tanta fame oppressa, ut modius furfuris veniret* 30. *denariis. Nec multò post dedita Vrbe, traditoq́; Benedicto, Imperator Papam Leonem restituit, & Romanos ei fidem per Sacramenta promittere coëgit.*
29.	Otho Imperator de Italia redit, & Burchardus Dux in Italia rebelles Cæsari vicit.	965	*Imperator de Italia redit, & Burchardus Dux Suevorum in Italia rebelles Imperatori vicit.*
30.		966	*Romæ defuncto Leone,* JOANNES *tredecimus, prius Narniensis Episcopus ordinatus est.*
31.		967	
32.	Ecclipsis Solis, undecimo Cal. Decembris.	988	*Ecclipsis Solis, undecimo Cal. Decemb. facta.*
33.		969	*Hoc tempore Joannes Papa à quibusdam multùm afflictus, exilio vix tandem à quodam Joanne, suæ sedi restituitur.*
34.		970	*Otto Imp. Romam veniens, injurias Domini Papæ in auctoribus scelerum graviter vindicavit.*
35.	Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.	971	*Sanctus Vdalricus Episcopus infirmus, Adalberoni sororis suæ filio Episcopatum suum ab Imperatore impetravit.*
36.	Eggehardo Abbati, Rutmannus successit. Synodus apud Ingelinheim, propter Adalberonem S. Udalrici nepotem colligitur.	972	*Synodo apud Ingelinheim ab Episcopis collecta, beatus Vdalricus Episcopus, & Adalbero transgresionis Canonum accusantur: sed caussa sua dicta & excusata, absoluti discesserunt. Romæ* BENEDICTUS *sextus, Papa* CXXXVII. *sedit annum* 1. *mens.* 10. *Adalbero clericus, futurus ut sperabatur Episcopus, obijt.*
37.	S. Udalricus Augustensis Episcopus, anno ætatis 83. Episcopatus verò quinquagesimo, 4. Nonas Julias feria sexta, migravit ad Dominum. Eodem quoque anno, sed prius Otto Imperator, Nonis Maijs, subitanea morte apud Parthenopolim obijt & sepelitur. Burchardus Dux obijt, pro quo	973	*Otto Imp. Nonis Maij subitò mortuus, apud Parthenopolim, id est Megedeburc, ubi ipse Archiepiscopium fecerat, sepultus est, & filius ejus* OTTO *regnavit pro eo. S. Vdalricus Augustensis Episcop. migravit ad Dominum, anno ætatis* 83. *Episcopatus* 50. *quarto Nonas Julias.*

Anni mūdi.			
	Otho Liutolphi filius, regnavit annis 9. ¶ OTTO (undecimus) secundus, Othonis Magni filius, regnavit annis novem.		*Burchardus Dux Alemanniæ obijt, & Otto filius Luitolfi, paternum pro eo Ducatum recepit.*
	1. Conradus Episcopus obijt, 6. Cal. Dec. pro quo Gaminolfus.	974	*Romæ Benedictus Papa à Romanis criminatus, strangulatur, & eo vivente* BONIFACIUS *Papa ordinatur: sed post unum mensem expulsus, Constantinopolim petijt. Et* BENEDICTUS *septimus Sutriæ Episcopus, Papa* CXXXVIII. *sedit annis 9.* *Constantiæ Cuonradus sanctæ memoriæ Episcopus, 6. Cal. Decemb. hac vita decessit, cui Gavenolfus successit.*
	2.	975	
	3. Dissensio inter Othonem Imperatorem & Henricum Ducem Bajoariæ, oritur. Himmo Abbas efficitur, ad sanctum Gallum.	976	*Dissensio inter Ottonem Regem, & Henricum Ducem Bajoariæ commota est.*
	4. Henricus & æquivocus ejus Duces: & Henricus Augustensis Episc. capti sunt, & in exilium missi.	977	*Discordia inter Otttonem Ducem Sueviæ, & Henricum Ducem Bajoariæ commota est.*
5000	5. Otho Imperator contra Lotharium Regem Gallias invadit.	978	*Otto Rex contra Lotharium Regem in Gallias duxit exercitum.*
	6. Gaminolphus Episcopus obijt: pro quo Gebehardus. BENEDICTUS Quintus, Papa CXXXIV. mens. 2. dies 2.	979	*Constantiæ Gavelolfus Episcopus obijt, eiq; Gebehardus nobilis præsul succedens, 16. annis rexit Ecclesiam. Qui basilicam S. Gregorij in ripa Rheni, Abbatiamque suis ex prædiis construxit.*
	7. JOANNES tredecimus, Papa CXXXV. annis septem.	980	
	8. Otho Imperator Neapolim venit.	981	*Otto Rex peragrata Italia, Calabriam cum exercitu ingreditur.*
	9. Otho Imperator occiso à Græcis & Saracenis exercitu, de navi exiliens, natando aufugit. Otho Dux obijt.	982	*Otto Rex apud Calabriam occiso à Græcis & Saracenis exercitu, de navi exiliens in qua captus erat, aufugit. Otto Dux Suevorum obijt, & Cunradus sibi successit.*
	1. Otho Imperator Romæ sexto Id. Decemb. moritur, & ibi sepelitur. ¶ OTHO (duodecimus) tertius, Othonis secundi filius, admodum puer, annos 18. 2. Rudmannus Augiensis Abbas, obijt, cui Witegevo successit.	983	*Otto Rex Romæ infirmatus, sexto Idus Decemb. obijt, & in porticu S. Petri sepelitur.*
		984	¶ OTTO *tertius, secundi Ottonis ex Græca conjuge, filius, adhuc puer pro Patre regnat.* *Romæ* JOANNES XIV. *qui & Petrus, Papiæ prius Episc. Papa* CXXXIX. *sedit menses 8. eumque* BONIFACIUS, *prius relegato Benedicto, male ordinatus,*

Anni mũdi.			
			tus, de Constantinopoli quò fugerat reversus, comprehendit, & eum (ut perhibent) toxicavit, ejusque sedem 140. Papa invasit.
	3. BENEDICTUS sextus, Papa CXXXVI. post primum annum à Crescentio relegatus & strangulatus est.	985	*Romæ Bonifacius septimus, postquam undecim mensibus invasam sedem occupaverat, subita morte perijt, & mortuus à suis, cæsus, confossus & triviatim pedibus tractus, vix tandem clericis miserantibus, est humatus.*
	4. Fames facta est magna. BONIFACIO CXXXVII. Papa post primum mensem fugato, BENEDICTUS septimus, Papa CXXXVIII. sedit mensibus novem.	986	*Romæ* JOANNES XV. *Papa* CXLI. *sedit annis 10. mensibus 7. qui clericos suos parvipendens, odio ab ipsis est habitus.*
	5. JOANNES XIV. Papa CXXXIX. qui & Petrus, Papiæ Episcopus, post octo menses, à Bonifacio reverso, comprehensus & necatus est.	987	*Fames magna est facta.*
	6. BONIFACIUS septimus, Papa CXL. interijt, &	988	
	7. JOANNES XV. Papa CXLI. successit.	989	
	8. Theophana Græca, Imperatrix, mater Othonis Regis nono anno viduitatis obijt. Eaillanus Scotus obijt.	990	
	9. Udalricus Abbas. Et Eggehardus Magister in cœnobio S. Galli obijt.	991	*Theophania Græca imperatrix, mater Ottonis Regis obijt.*
	10.	992	*Aquisgrani in generali Synodo, coram legatis Ioannis Papæ, sancitum est, ut quatuor hebdomadis ante Nat. Domini, & à Septuagesima ante Pascha, & 14. diebus ante festum S. Ioannis Baptistæ, nullus secularia placita agere, aut conjugium contrahere præsumat.*
	11.	993	
	12. Conrado Rege Burgundiæ mortuo, Rudolphus filius ejus ignavus successit.	994	*Cuonrado Regi Burgundiæ defuncto, successit Rudolphus,*
	13. Gebehardus Constantiensis Episcopus, obijt, pro quo Landpertus. Henricus Dux Bajoariæ, filius Henrici Ducis obijt.	995	*Henricus Dux Bajoariæ obijt, cujus Ducatum filius ejus ejusdem nominis obtinuit. Constantiæ Gebehardus Episcopus venerabilis obijt, & in basilica S. Gregorij Papæ à se constructa, sepultus, quiescit: eique Lambertus monachus in Episcopatu succedens, præfuit annis 23.*
4950			
	14.	996	*Otto Rex Italiam cum exercitu petijt, sibique rebelles coartavit.*
	15. Conradus Dux obijt, pro quo Herimannus. Witegovo obijt: Alevicus successit.	997	*Otto Rex subactis rebellibus, Italia Romaq; potitus est. Et* GREGORIUS V. *qui &* BRUNO, *filius Ottonis Ducis Papa 142. ordinatus, & Otto Imperator*

Anni mũdi.		
BRUNO, qui & Gregorius quintus, Papa CXLII. Romæ ordinatus, sedit annis 2. mensibus 9. Otto Imperator efficitur.		*perator coronatus est. Qui venerabilis Papa canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis tribus, mensibus 9. Augiæ Alawicus Abbas 26. promotus Romæ, ab ipso Papa consecratus & privilegio donatus est. Cuonradus Dux Alemannorum obijt, & pro eo Herimannus Ducatum accepit.*
16.	998	
17. Gerbertus, qui & SYLVESTER secundus, Papa CXLIII. annis 5.	999	*Otto Imperator iterum Italiam cum exercitu invadit.*
18. Alevvicus Abbas Episcopus Argentinæ promovetur, & Werinherus Abbas efficitur.	1000	*Romæ defuncto Gregorio Papa,* SYLVESTER II. *qui & Gerbertus, primo Remorum, post Ravennarum Archiepisc. seculari literaturæ nimium deditus, & ob hoc curioso Imperatori admodum amatus, Papa 143. sedit annis quinque.*
19. Otho Imp. in Italia 10. Cal. Febr. obijt, & intestina ejus Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur. Gerhardus Abbas obijt: Burchardus successit ad S. Gallum. ¶ HENRICUS tredecimus, Dux Bajoariæ, Rex efficitur, regnans annis 23. mensibus quinque.	1001	*Otto Imperator Italiam sibi quaquaversum subditam lustravit.*
1.	1002	*Otto Imp. in Italia, 10. Calend. Febr. obijt, anno regni 18. & intestina ejus Augustæ, reliquum vero corpus Aquisgrani sepelitur: pro quo Henricus Dux Bajoariæ Rex effectus, regnavit annis 23.*
2. Henricus Rex Henricum Marchionem & alios sibi resistentes cum exercitu petit.	1003	*Henricus Rex Henricum Marchionem & alios sibi resistentes exercitu petit. Argentina à Herimanno Duce Alemanniæ, Rege rebellante, spoliata, & divinitus in auctores sceleris graviter vindicatum est, & ab ipso Duce sacro loco satisfactum.*
3. Henricus Rex Italiam & Boëmiam, & Bolizlaum Ducem Slavorum, cum tota gente sua subjugavit. Herimannus Dux obijt, pro quo filius ejus puer Herimannus.	1004	*Henricus Rex Italiam petens, sibi eam subjecit: Papiam ipsa die qua coronatus est, irrumpens, gladio & igne perdomuit: inde in Saxoniam rediens, Boemiam, & Bolizlaum Ducem Sclavorum, cum tota gente sua subjugavit.*
4. Romæ post Gerbertum, JOANNES 16. Papa CXLIV. sedit annum unum.	1005	*Fames magna facta est.* JOANNES XVI. *Papa* CXLIV. *anno uno.*
5. Werinherus Abbas obijt: pro quo Himmo monasterij destructor & fratrum expulsor, constituitur. JOANNES XVII. qui & Phasanus, Papa CXLV. ordinatur.	1006	*Romæ* JOANNES XVII. *qui & Fasanus, Papa* CXLV. *ordinatur, & sedit annis sex.*
6. Episcopium Babinbergense ab Henrico Rege constituitur, & Eberhardus ibi Episcopus ordinatur.	1007	*Henricus Rex summo studio apud castrum suum Babenberg dictum, nobile & divitem construxit Episcopatum, in honore*

Anni mūdi.

		honore S. Georgij martyris: primus ibi hoc anno Episcopus promotus est Eberhardus.
7. Bernhardus Augiæ Abbas vir doctissimus ordinatur, locum eundem penè destructum recollectis fratribus recreat. Liutolphus Trevirensis Archiepiscopus obijt, & Episcopatum ejus Adalbero frater Reginæ sibi usurpare, quibusdam contra Regem faventibus molitur, sed à Rege convicti, Megingaudo Episcopatum reliquerunt.	1008	*Augiæ remoto Ymmone Abbate crudeli, Bernhardus vir Doctus & Pius, Prunicensis monachus Augiæ Abbas constituitur, qui gratanter susceptus à Constantiensi Episcopo Lamberto, Abbas ejus loci 29. consecratus, pietate & scientia clarus, præfuit annis 40.*
8.	1009	
9. Wolveradus Comes obijt, 4. Nonas Martias.	1010	*Romæ* SERGIUS IV. *Papa* CXLVI. *ordinatus.*
10. Willigisus Moguntiensis Archiepiscopus obijt: pro quo Erchanbaudus. Theodoricus Dux à Lothariis captus est.	1011	*Willigisus Moguntiensis Archiepiscopus obijt, eique Erkenbaldus successit.*
11. Conradus Dux, filius Othonis obijt. Herimannus Dux junior, obijt.	1012	*Cuonradus Dux Carentani moriens, Adalberoni Ducatum reliquit.* *Herimannus Dux Alemanniæ obijt, cujus Ducatum Ernst accepit.*
12. Sergio IV. Papa mortuo, BENEDICTUS VIII. Papa CXLVI. sedit annis 11. diebus 12.	1013	*Romæ defuncto Sergio Papa,* BENEDICTUS VIII. *Papa* CXLVII. *sedit annos fermè* 12.
13. Henricus Rex Romæ Imperiali benedictione coronatur, à Benedicto Papa.	1014	*Henricus Rex Romæ Imperiali benedictione, à Benedicto Papa coronatur.*
14 Ernustus Dux in venatu ab Adalberone Comite sagitta occiditur, & Megingaudus Trevirorum Archiepiscopus obijt, pro quo Poppo.	1015	*Ernist Dux Alemanniæ in venatu ab Adelberone Comite, feram appetente, sagitta vulneratus, interijt: & Ducatum ejus filius æquivocus, Viduam verò ejus Giselam, Cuonradus Henrici filius, Imperator postea futurus, accepit.* *Egingaudus Trevirorum Archiepiscopus obijt, pro quo Poppo.*
15.	1016	
16. Gotifridus Dux Gerhardum vicit.	1017	*Godefridus Dux partis Lotharingorum, Gerhardum Comitem bello vicit.*
17. Lambertus Episcopus obijt: pro quo Ruthardus.	1018	*Constantiæ Episcopo Lamberto defuncto, Ruthardus præfuit, annis fermè quinque.*
18. Conradus puer auxiliante patruele suo Conrado, postea Imperatore, Adalberonem Ducem pugna vincens, fugavit: & Benedictus Papa Babinbergam veniens, Ecclesiam S. Stephani dedicavit.	1019	*Cuonradus, filius Cuonradi quondam Ducis Carentani, Adalberonem Ducem, apud Ulmam pugna victum, fugavit.*

Anni mundi

19. Werinharius Argentinæ Episcopus, cum Alemannis contra Burgundiones pugnavit & vicit.	1020	*Benedictus Papa ab Imperatore invitatus, Babenberg venit, ibiq; Ecclesiam S. Stephani dedicavit.*
20. Terræmotus magnus factus est, 4. Idus Majas, feria sexta. Herebertus Coloniensis Archiepiscopus obijt, pro quo Piligrinus.	1021	*Heribertus Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis, hac vita discedens, multis miraculis claruit: cui Piligrinus successit.* *Erchanbaldo quoque Moguntiensi Archiepiscopo defuncto, Aribo successit.* *Henricus Imperator in Italiam expeditionem movit.*
21. Henricus Imperator novam Trojam cepit, & magna in exercitu mortalitas facta est. Ruthardus Episcopus obijt: pro quo Heimo. Notgerus obijt.	1022	*Henricus Imperator Campaniam petens, Trojam, Neapolim, Capuam, & cæteras civitates in deditionem accepit, & Nordmannis quibusdam, qui tempore ejus illò confluxerant, quoddam (ut ferunt) in illis partibus territorium concessit, sicque ipse per Romam victor rediit in Germaniam.* *Ruothardus Constantiensis Episcopus obijt: pro quo Heimo fermè annis 4. præfuit.* *Notgerus quoque Magister de S. Gallo, obijt.*
22. Gebehardus Ratisponensis Episcopus obijt: pro quo item Gebehardus.	1023	*Ratispona post Gebehardum, virum laude dignissimum, alter Gebehardus inthronizatur.* *Hoc anno convenit Synodus Moguntiæ, in qua constitutum est, ut plebs Christiana 14. dies ante festum S. Joannis Baptistæ à carne & sanguine abstineat, nisi infirmitate cogente, aut festivitate, quæ in illo Episcopo celebris habetur: similiter 14. dies ante Natalem Domini. Item ibi constitutum est, ut vigilia Epiphaniæ, vigilia omnium Sanctorum, vigilia assumptionis S. Mariæ, vigiliæ S. Laurentij jejunetur, ita ut una refectionis hora admittatur.*
23. Henricus Imperator tertius, Idus Julias obijt, & in Babinbergensi Episcopio, à se facto, in monasterio S. Petri sepelitur. Benedictus Papa obijt. JOANNES XVIII. Papa CXLVII. annos novem. ¶ CONRADUS XIV. annos ferè 15, regnavit.	1024	*Romæ defuncto Benedicto Papa, frater ejus* JOANNES XVIII. *ex laico Papa* CXLVIII. *sedit annos fermè 9.* *Henricus quoque Imperator, tertio Idus Julij absque filiis obiens, apud Babenbergensem Episcopatum à se constructum, quem omnium prædiorum ac thesaurorum suorum hæredem reliquerat, in basilica S. Petri sepelitur: habitoque conventu apud villam Kambam, Cuonradus Senior, filius Henrici, Rex promotus, à Baribone Archiepiscopo Moguntiæ unctus est, 6. Idus Septemb. Nec multò post uxor ejus Gisela, à Piligrino Archiepiscopo Coloniæ Regina benedicitur, Cal. Octobris.*

Anni mūdi.		
1. Magna diſſentio in regno contra Conradum Regem efficitur.	1025	*Rebellio contra Cuonradum Regem, à Cuonrado ejus patruele, & Erniſto Duce Alemanniæ, & aliis quampluribus, eſt facta.*
2. Conradus Rex filium ſuum Henricum Regem fecit, & ipſe Romam pergens, Imperator efficitur. Heimo Epiſcopus obiit: pro quo Warmannus. Bruno Auguſtenſis Epiſcopus & Welfus Comes, prædas & incendia inter ſe faciunt.	1026	*Rex Cuonradus Italiam petens, totam penè ſibi ſubjugavit, ex hac parte Romæ.* *Conſtantiæ poſt Heimonem Epiſcopum, Warmannus præfuit, annis fermè 8.*
3.	1027	*Cuonradus Rex Romam perveniens, a Ioanne Papa in die ſancto Paſchæ Imperator coronatur. Inde in Alemanniam reverſus, apud Vlmam Erniſtum Ducem & Cuonradum ſe illi dedentes, exilio deputavit.*
4. Erneſtus Dux & welfus Comes, Conrado Imperatori ad deditionem veniunt.	1028	*Henricus filius Imperatoris, Aquiſgrani Rex electus à Piligrino Colonienſi Archiepiſcopo in die ſancto Paſchæ unctus eſt.*
5. Bruno Auguſtenſis Epiſc. obiit: pro quo Eberhartus.	1029	*Bruno Auguſtenſis Epiſcopus obijt, & Eberhardum accepit ſucceſſorem.*
6. Conradus Imperator Stephanum Pannoniæ Regem cum exercitu petit, & interea in Alemannia Dux, & Werinherus Comes cum aliis multis occiduntur, 16. Cal. Septembris.	1030	*Ernaſt Dux exilio relaxatus, iterumq; Imperatori rebellans, cum multis aliis occiditur, 16 Cal. Septemb.*
7. Stephanus Rex miſſis legatis, cum Imperatore Conrado pacificatus eſt.	1031	*Aribo Moguntinenſis Archiepiſcopus obijt: cui Bardo monachus, vita & habitu venerandus, ſucceſſit.*
8. Rodolphus Rex Burgundiæ moriens, diadema ſuum Conrado miſit.	1032	*Ruodolphus Rex Burgundiæ ignavus obijt, & Cuonrado Imperatori diadema ſuum transmiſit: cujus regnum Odo, ſororis ſuæ filius, Princeps Gallicæ Campaniæ, invaſit.* *Bern. Abbas Augiæ, miſſis Romam cœnobij ſui privilegiis, à Ioanne Papa item Privilegium cum ſcandaliis, ut Epiſcopalibus indumentis miſſas ageret, accepit. Vnde à Warmanno Conſtantienſi Epiſcopo apud Imperatorem, quaſi ſui pervaſor officij, accuſatus, eò uſque ab utriſque coartatur, donec idem cum ſandaliis Privilegium ipſi Epiſcopo traderet publicè in Synodo ſua id eſt, in cœna Domini ſequentis anni, incendendum.* *Ipſo anno Buchaugienſe cœnobium, 2. Idus Iulias, incendio flagrat.*
9. Conradus hyeme Burgundiam petit.	1033	*Imperator Odonis Provinciam Galliam invadens, Campaniam tam diu vaſtavit,*

Anni müdi.

Ecclipsis Solis, tertio Calend. Julias, quasi hora sexta.

Conradus occidentalem Franciam contra Odonem petit.

BENEDICTUS IX. Papa CXLVIII. qui & Theophilactus, sedit annos 12. menses 8.

stavit, donec ipso Odo supplex adveniens, satisfactionem licet ficte promitteret.

Romæ defuncto Joanne, BENEDICTUS IX. *qui & Theophilactus Papa* CXLIX. *licet tanto ordini indignus, sedit annos plus* 12.

1034

10. Conradus item Burgundiam vastat.

Pagani Saxoniæ confinia petunt.

Warmannus Episcopus obijt: pro quo Eberhardus.

Conradus ex castro suo Limpurgo, inter Nemetes & Vangiones sito, monasterium fecit, quod in honorem S. Crucis, & divi Joannis Evangelistæ dedicari jussit.

Imperator Burgundiam petens, sibi eam subjecit.

Constantiæ Warmanno Episcopo defuncto, succesit Eberhardus.

Meginhardo Wirzburgensi Episcopo, Brun filius Machtildis succesit.

1035

11. Pagani, qui Luitici dicuntur, Wirbinam castellum in confinio Saxoniæ, multis Christianis occisis & captis, obtinent: quos Conradus Imperator cum exercitu petit.

Synodus magna apud Triburiam ab Imperatore collecta est.

5000

1036

12. Italia civium discordia laborat.

Gebehardus Ratisponensis Episcopus obijt, pro quo item Gebehardus.

Nuptiæ Henrici Regis.

Pagani supradicti Conrado Imp. vectigales facti.

Piligrinus Agrippinensis Archiepiscopus obijt: pro quo Heriman nus.

Piligrino Coloniensi Archiep. Herimannus: Gebehardo secundo Ratisponensi Episcopo defuncto, tertius Gebehardus succesit.

Henricus Rex, filius Imperatoris, Chunihildem Cnutonis Danorum & Anglorum Regis filiam, sibi apud Noviomagum Regalibus nuptiis copulavit uxorem.

Leutizi Sclavi, Imperatori vectigales facti.

Imperator hyeme Italiam petit.

1037

13. Conradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanensem Archiepiscopum in custodiam misit, qui fuga lapsus, cum multis aliis eidem Imperatori rebellat.

Odo Princeps Carlingorum, à Gozzelone Duce pugna victus, fugiensq; à quodam milite occiditur.

Imperator Papiam adiens, Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum, infidelitatis accusatum in custodiam misit, qui fuga elapsus, cunctis viribus Imperatori rebellare contendit. Imperator Mediolanum obsedit, & circumquaque qualibet ad rebelles pertinentia devastavit.

Odo Princeps Gallicæ Campaniæ à Gozzelone Lotharingorum Duce pugna victus, fugiensque à quodam milite occiditur.

1038

14. Eliphtruda, quæ & Cunegundis, Regina, uxor Henrici Regis, 15. Cal. Augusti, & Herimannus Dux 5. Cal. Augusti, in Italia cum multis aliis obierunt.

Stephanus Hungarorum Rex bonæ memoriæ obijt qui seipsum cum tota gente sua ad fidem Christi, ex

Imperator cum natalem Domini Parmæ ageret, orto tumultu inter Parmenses & exercitum, utrimque multi, sed ex Parmensibus plures, ceciderunt, & ipsa civitas incendio consumpta est.

Papa Archiepiscopum Mediolanensem Imperatori rebellem excommunicavit.

Chunihildis Regina, uxor Henrici Regis,

Anni mūdi. gentili errore convertit: pro quo Petrus regnavit.

15. Conradus Imperator, 2. Nonas Junias obijt, & apud Urbem quæ Spira vocatur, sepelitur.

Conradus Dux & Adalbero Dux obierunt.

Ecclipsis Solis, undecimo Calend. Septembris.

Reginbaldus Spirensis Episcopus, 3. Idus Octobris bonæ memoriæ obijt.

¶ HENRICUS XV. filius Conradi, annis 17 mens. 7.

1. Henricus Rex, Boëmiæ Ducem bello petit: sed multis Proceribus & militibus in præstructione sylvæ citra & ultra occisis vel captis, nihil dignum efficere potuit. Petrus quoq; Hungarorum Rex eidem Duci contra Henricum Regem auxilia mittit.

2. Hungari quendam Ovonem Regem sibi eligentes, Petrum Regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Henrici Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam quærit & invenit. Henricus Rex Boëmiam cum exercitu ingressus igne prædaque cuncta devastat, & rebellem Ducem obsides dare, & ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibique jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare, coartat.

3. Ovo Rex Hungarorum, ob susceptum ab Henrico Rege Petrum, à se expulsum, fines Bajoariæ prædis & incendiis depopulatur. Sed magna pars exercitus ejus, quæ à Septentrionali Danubij parte prædas factura venerat, ab Adalberto Marchione inita pugna penitus deleta est.

Henricus quoq; Rex sui ulturus injuriam, Pannoniam cum exercitu in autumno ingressus, magnam provinciæ partem vastavit, duas populosissimas civitates evertit, plures deditione subjecit. Sed cum Petrum Regem suum, quem secum ducebat

gis, 17. Cal. Augusti, & Hermannus Dux Alemanniæ, 5. Cal. Augusti, cum multis aliis in Italia obière.

Stephanus Rex Ungarorum bonæ memoriæ obijt, qui seipsum cum tota gente ad fidem Christi convertit, pro quo Petrus regnavit.

1039 *Cuonradus Imperator, tertio Nonas Junij obijt, pro quo* HENRICUS *Rex filius ejus regnavit.*

1040 *Henricus Rex Ducem Boemiæ bello petit, sed multis Proceribus & militibus in præstructione sylvæ citra & ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit.*

Eberhardo primo Babenbergensi Episcopo defuncto: Suidgerus successit.

1041 *Ungari quendam Ovonem sibi Regem constituentes, Petrum Regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Henrici Regis gratiam, cui priori anno rebellaverat, quærit & invenit. Henricus Rex Boemiam cum exercitu ingressus, igne prædaque cuncta devastat, & rebellem Ducem obsides dare, & ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibiq; jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coartat.*

1042 *Ovo Ungarorum tyrannus, cum Bajoariæ fines devastaret, maxima pars exercitus ejus ab Adalberto Marchione bello devicta peryt. Henricus Rex Pannonias petens, Urbes munitas delevit, & plures deditione subjecit. Et dum Petrum Regem suum recipere nollent, Ducem eis quendam præfecit, quem statim post ejus discessum Ovo in Boemiam repulit.*

Henri-

Anni mundi

nulla ratione Provinciales recipere consentirent, alium quendam, quem petebant, Ducem eis constituit: quem tamen statim post discessum ejus Ovo Rex de provincia sua in Boëmiam depulit.

Poppo Aquileiæ Patriarcha obijt: pro quo Eberardus.

4. Gisla Imperatrix, mater Henrici Regis, 16. Calend. Martias obijt, & apud Urbem Spiram sepelitur.

1043 *Henricus Rex iterum Pannonias petens, ab Ovone, vix pactum impetrante, suscepta satisfactione & muneribus, discessit. Inde in Alemanniam veniens, in Synodo Constantiensi, cunctis qui contra eum deliquerant, omne debitum ipse dimisit, hocque & alios suis debitoribus facere adhortans, inauditam multis seculis pacem effecit.*

Post Agnetem Wilhelmi Pictaviensis filiam, accipiens, & Moguntiæ Reginam ungi faciens, regales apud Ingelnheim nuptias celebravit. Ibi Luitpaldus, Adalberti Marchionis filius, obijt.

Totum tempus æstivum in tempestates pluviasque hyemales penè conversum, magnam frugum & vindemiarum penuriam effecit.

Henricus Rex iterum Pannonias cum exercitu petens, satisfactionem, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem Hungaris vix impetrantibus, accipiens, discessit. Qui inde reversus Constantiensi Synodo affuit: ubi primò omnes Sueviæ Principes, memoresque personas, cunctis inimicitiis destructis, pacificari fecit, & pacem hactenus inauditam, tam in hac quàm in aliis regni sui Provinciis, Regia censura per edictum confirmavit. Deinde Agnetem, Wilhelmi Pictaviensis Principis filiam, Reginam apud Moguntiam Urbem ungi faciens, Regalibus sibi nuptiis, apud Ingelnheim villam Regalem, copulavit. Unde infinitam histrionum & joculatorum multitudinem, ad laudis suæ cumulum, vacuam & inanem, sine cibo & muneribus, merentem abire permisit.

Luitpaldus Marchio, Adalberti Marchionis filius, bonæ indolis juvenis, & maxima Hungarorum clades, immaturè obijt.

1044 *Gozzilo Dux Lotharingorum moriens, Gezzeloni filio suo, quamvis ignavo, Ducatum suum à Rege Henrico promissum, reliquit.*

Sed alter filius ejus Godefridus, jamdudum Dux cum Ducatum fratri debitum, à Rege obtinere nequisset, pro Regi rebellare præsumit.

Maxima pestis pecudum & hyemis satis dura & nivosa, magnam vinearum partem frigore perdidit, & frugum sterilitas famem non modicam effecit.

Gozzilo Dux Lothariensium moriens, Gezziloni filio, quamvis ignavo, Ducatum suum à Rege Henrico promissum, relinquere disposuit. Sed alter filius ejus Gotefridus jamdudum Dux, cum Ducatum fratri debitum contra fas à Rege sibi obtinere nequivisset, jusjurandum

fidemq;

Anni mũdi.

fidemque postponens, rebellare pio Regi præsumpsit.

Ovo Rex, cum jusjurandum pactumque infregisset, Henricus Rex cum per paucis copijs Pannonias petijt: quem Ovo, qui maximum paraverat exercitum, in tantum despexit, ut eum quasi facile occidendum seu capiendum, provinciam ingredi sineret. Sed Henricus cum parte copiarum Rabam fluvium festinè, in divino confisus auxilio, transuadavit: pugnam cunctis militibus passim festinantibus inijt, & in prima congregatione innumerabilem Hungarorum exercitum fugavit atque prostravit: & paucissimis suorum amissis, in semet fortissimè pugnans gloriosissimam victoriam adeptus est 3. Nonas Julias: & Ovone Rege vix fuga elapso, omnes Hungari ad deditionem Henrico Regi catervatim concurrerunt, subjectionem servitiumque promittunt. Ipse verò, ut erat per omnia pijssimus, Petrum Regem dudum expulsum, regno suo restituit.

Eodem anno Ludovicus Comes, Reginoldum Principem, Reginæ Agnetis avunculum, sed Regi Henrico inimicum, dum quoddam castellum ejus, quod Monspiligardæ dicitur, magna cum manu expugnare pararet, cum parva militum suorum copia pugnam iniens, vicit, multisque cæsis reliquos fugavit.

Romani Benedictum CL. Papam multis criminatum, sede sua pellunt, & SYLVESTRUM tertium quendam, in locum suum statuunt: quem tamen postea Benedictus, quibusdam sibi faventibus excommunicatum, depulit, sedique suæ redditus, seipsum postéa privavit, & alium pro se contra Canones ordinavit.

Herebertus Mediolani Episcopus obijt.

Beggelenheim Castellum Gotefridi à Rege captum.

Reginoldus & Geroldus Burgundiones, Regi apud Solodurum ad deditionem venerunt.

Otho Palatinus Comes Paschali

Henricus Rex parvo exercitu contra gravissimam Vngariorum gentem fortiter pugnavit & vicit, Ovonem tyrannum fugavit, & Petrum expulsum pristinæ dignitati restituit. Postea vero Petro in regno confortatus, eundem Ovonem cum uxore & filiis comprehensum, decollavit.

Magna vis famis homines immunda animalia comedere coegit.

Romani Benedictum Papam pro sceleribus suis expellunt, & quendam Sylvestrum Papam CL. *temerè constituunt: quem tamen Benedictus Papa postmodum quorundam auxilio expellit, ipseque suæ sedi redditus, sponte à Papatu discessit, & Gratianum, nomine Gregorium Papam* CLI. *pro se ordinari permisit. Anno Domini* 1046.

1045 *Otto Palatinus Comes, Dux Alemanniæ constituitur.*

Anni mundi

hebdomoda Dux Alemanniæ, apud Goslare à Rege constituitur.

Petrus Rex, Henricum Regem in festivitate Pentecostes ad se invitatum, magno paratu suscepit, & maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Hungarorum fidelitatem illi & successoribus ejus juramento firmantibus reddidit: quod tamen ab eo ipse dum viveret possidendum, recepit. In quo videlicet itinere Rex quoddam vetus solarium ascendens, cum multis alijs ædificio cadente, corruit, ipsoque, Deo protegente, illæso.

Petrus Rex Vngariorum, Henrico Rege ad se invitato, regnum Panno-niarum tradidit, quod tamen ab eo, ipse dum viveret possidendum, recepit.

Bruno Wirciburgensis Episcopus letaliter cum alijs collapsus, post unam hebdomadam, id est 7. Cal. Junias obijt, & ad sedem suam reportatus, ibique sepultus, Adelberonem successorem suscepit.

Brun Wurziburgensis Episcopus obijt, 7. Calend. Iunij.

Gotofridus Dux rebellioni suæ desperans, Regique ad deditionem veniens, in custodiam mittitur.

Godefridus Dux ad deditionem Regi veniens, in custodiam mittitur.

Wido Mediolani Episcopus constituitur.

Sclavi, qui & Lintici dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes, Regi illò cum copijs militum venienti, se tradunt, & solitum censum promittunt.

Leutici se Regi dedunt, & solitum censum promittunt.

Autumnali tempore Guntharius heremita ad Christum migravit, & in Praga Boëmiæ Urbe sepultus, quiescit.

Guntharius heremita ad Christum migravit, & in Praga Boemiæ sepultus quiescit.

Per idem tempus regale colloquium apud Tribura condictum, gravis Regis infirmitas præpedivit: quo etiam tempore Agnes Regina, filiam Regi peperit.

1046 Rex natalem Domini in Saxonia apud Goslare celebravit.

Magna mortalitas multos passim extinxit.

Eggehardus Marchio ditissimus subitò moriens, prædiorum suorum Regem reliquit hæredem.

Rex Paschale festum apud Traiectum Fresiæ Urbem egit, & subsequutis diebus navali expeditione in *Phladirtingam*, fretum traijciens, pagum quendam, quem Theodericus Marchio sibi usurpaverat, ab eo eripuit: unde idem postea rebellionis causam sumpsit.

San-

Anni mũdi.

Sanctum autem Pentecoſtes Aquiſgrani faciens, Gotefrido Duce è cuſtodia relaxato, ſibique procedenti terratenus proſtrato, Ducatum ſuum miſertus reddidit.

Quibus etiam diebus Widgerum, qui Ravennæ præſulatum jam biennio ineptè & crudeliter nondum conſecratus tenebat, ad ſe vocatum, Epiſcopatu privavit.

Sequenti tempore Rex in Italiam expeditionem parat.

Fridericus frater Henrici Ducis Bajoariæ, Dux Lotharingorum, pro Gotefridi fratre ignavo Gozzilone, conſtituitur.

Subſequuto autumno Hungari priſtinæ perfidiæ ſuæ memores Andream quendam Regem ſibi ſtatuunt, Petrum Regem, multis advenarum qui pro eo pugnaverant, occiſis, varijs cum conjuge ſua injurijs affectum, poſtremò oculis privant, & in quendam locum, cum eadem conjuge ſua, alendum deportant, multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis atque necatis.

Quo comperto Rex Henricus, qui jam valido exercitu congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, ſed tamen cœptam expeditionem non deſeruit. Itaque coadunato exercitu Papiæ Synodum celebravit. Inde Placentiam veniens, Gratianum CL. quem expulſis prioribus Romani Papam ſtatuerant, ad ſe venientem honorificè ſuſcepit: ſicque cunctis proſperè cedentibus, juxta natalem Domini non longè ab Urbe Roma, apud Sutriam Synodo item acta, cauſſa erroneorum Pontificum diligentiùs ventilata, Gratianam Papam convictum, baculo paſtorali privavit. Deinde omnium tamen Romanorum quàm aliorum conſenſu, Suidegerum Epiſcopum, qui poſt Eberhardum primum ſecundus, Babinbergenſem ſexto jam anno regebat Eccleſiam, nimiùm reluctantem ſummum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem, ſicque cir

Rex Aquisgrani in Pentecoſte, Godefrido Duci cuſtodia relaxato, Ducatum reddidit, & Widgero Ravennæ Præſuli, nimiùm crudeli, nondum conſecrato, Epiſcopatum abſtulit.

Vngarij Regem ſuum Petrum oculis privant, & pro eo quendam Andream Regem ſtatuunt.

Henrico Regi cum expeditione in Italiam venienti, Gratianus Papa, quem Romani expulſis prioribus ſtatuerant, Placentiæ obvians, honorificè ſuſcipitur: qui tamen poſtmodum apud Sutriam in Synodo non invitus paſtorale officium depoſuit. Pro quo Suidgerus Babenbergenſis Epiſcopus nimiùm reluctans, omnium conſenſu eligitur. In tempore hujus Apoſtolici innumerabiles terræmotus & maximi in Italia ſunt facti, & hoc fortasſis ideò, quia idem Apoſtolicus non canonicè ſubrogatus eſt anteceſſori ſuo, non canonicè depoſito: videlicet quem nulla culpa depoſuit, ſed ſimplex humilitas ab officio ceſſare perſuaſit.

ca vigilias natalis Domini, ipsam ingrediuntur Urbem.

Eadem nocte bonæ memoriæ Eberhardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus, inibi in porticu S. Petri sepeliendus, obijt, tredecimo Episcopatus sui anno.

Eberhardus Constantiensis Episcopus Romæ obijt, pro quo Theodericus.

1047

1047 In ipsa natalis Domini die, præfatus Suidegerus, natione Saxo, Apostolicæ sedi CLI. Papa ex more consecratus, & nomine auctus, Clemens secundus vocatus est. Qui mox ipsa die Henricum Regem & conjugem ejus Agnetem, Imperiali benedictione sublimavit peractisque missarum solenniis, ipse Dominus Papa & Imperator cum Imperatrice, ita ut erat coronatus, ad Lateranense palatium, cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis civibus Romanis mirantibus, honoremque singulis quibusque pro facultate obiter impendentibus. Completisque Romæ cum summa pace aliquot diebus, Imperator magnam exercitus partem Patriam redire permittens, ipse cum reliquo ad ulteriora contendit.

Circa idem tempus Imperator præsules nonnullos constituit, inter quos Ravennati Ecclesiæ Hunfridum Cancellarium suum in Italia, Constantiensi Theodericum, per alias Provincias Cancellarium suum & Archicapellanum, & Aquisgrani præpositum, Argentinæ Herrandum, Spiræ præpositum, pro Wilihelmo autumnali tempore defuncto, Virdunensi Theodericum, Basileæ præpositum & capellanum suum, Pontifices præfecit.

Imperator verò Roma egressus, nonnulla castella sibi rebellantia cepit, Provincias illas, prout videbatur, disposuit, Duces Nortmannis, qui in illis partibus commorantur, & alijs eo loco urbibus, constituit. Sed socru Imperatoris de monte Gargano Beneventum reversa, orto tumultu, Beneventani cives quibusdam eam injurijs afficiunt. Unde sævam ab Imperatore vindictam metuentes, eique se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator qui magna (ut dictum est) ex parte exercitum jam remiserat, & ad aliam occupato animo Patriam tendebat, tantam tunc temporis civitatem expugnatum aggredi distulit, interimque eo infecto negotio, sed alias universa Italia patente pacataque, redire disposuit.

Interea Imperatrix Agnes, quæ Romæ ab Imperatore digressa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit.

Imperator verò cœpto redeundi itinere, Mantuæ Paschale festum, in gravissima decumbens ægritudine, commoratur. Postea convalescens, corpus beati Widonis Pomposæ monasterij Abbatis, in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis, de Parmensi, ubi sepultum fuit, civitate, ad Urbem Spiram transferendum, magno secum honore de Italia rediens, devexit. In quo itinere Augustam Vindelicam in litanijs ante Ascensionem Domini veniens, Gebehardo Urbis ejusdem Episcopo in adventu ejus defuncto, Henricum Capellanum suum successorem constituit.

Actoque inibi eodem festo, Pentecostes solennia Spiræ celebravit, ibique colloquium cum regni Principibus habuit, & corpus præfati Abbatis, in incœpta quadam extra Urbem basilica, tumulari fecit. Quo tempore Welfum Comitem Suevigenam, Welfi dudum Comitis filium, Carentani Ducem promovit. Avunculum quoque ejus Adalberonem, Ducem videlicet, Henrici & Friderici fratrem, Metensis Ecclesiæ Episcopum, post Theodericum nuper defunctum constituit. Item Poppone Archiepiscopo his diebus defuncto, Trevirensi Urbi Eberhardum, Wormatiæ præpositum, Archipræsulem præfecit.

Per idem tempus, cum expeditionem in Pannonias, ad Petrum ulciscendum disponeret, Gotefridus Dux, cum Balduino de Flandria & alijs nonnullis, rebellionem innovasse, bellumque copijs collectis paravisse, Theodericus quoque de

de Phladirtinga Marchio rebellavisse, & Episcopatus sibi contiguos, ad injuriam Imperatoris populatus esse, nunciatur. Præterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, jam crebro legatos supplices miserat, regnum se ab Hungaris coactum suscepisse confirmans, de Petri sese injurijs excusans, quique adversus eum conjuraverant, partim à se trucidatos, partim Imperatori tradendos, denuncians, suamq; Imperatori subjectionem, annuum censum, & devotam servitutem, si regnum se habere permitteret, mandans. Quibus ex causis dilata expeditione illa, cum Gotefridus quoque Dux rebellionem suam callidis legationibus dissimularet, autumnali tempore navali exercitu collecto, contra Theodericum in Phladirtingam arma commovit.

Interea Otho Suevorum Dux, qui provinciam sibi traditam pie ac strenue tertio jam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. In ipsis quoque diebus, Henricus Bajoariæ Dux defunctus, Treviris sepelitur. Clemens etiam, qui & Suidegerus Papa, in Romanis partibus nono mense promotionis suæ, diem obiens, ad Episcopatum suum Babinbergum reportatus, tumulatur.

Imperator expeditione in Phladirtingam trajecta, aquosis impedientibus locis, parum proficere potuit, & revertens, adversariis marino cursu levibus scaphis latrocinantium more sequentibus, & extremos quosque incursando cædentibus, non modicam in exercitu cladem pertulit.

Ipso quoque tempore Gotefridus inter alia quæ contra Regem gessit, Viridunensem civitatem dolo captam, incendit & evertit.

In ipso natali Domini die, Suigerus Papa 152. ex more consecratus, Clemens secundus est vocatus: sedit mensibus novem. Qui mox ipsa die Henricum Regem cum conjuge sua Agnete Imperiali benedictione sublimavit. 1047

Hunfridus Ravennæ efficitur Archiepiscopus.

Beneventani cives, socrum Imperatoris de monte Gargano reversam, male tractantes, rebellant.

Imperator corpus B. Widonis, Pomposæ Abbatis, de Parmensi civitate Spiram secum transtulit.

Poppo Treverorum Archiepiscopus obyt, pro quo Eberhardus.

Godefridus Dux & Balduinus de Flandris Imperatori rebellant.

Item Theodericus de Phladirtinga Marchio rebellat Imperatori, contra quem Imperator exercitum movens, parum profecit.

Clemens, qui & Suigerus Papa, 7 Idus Octob. obyt.

Godefridus Dux inter alia quæ contra Regem fecit, Viridunensem civitatem combussit, cujus Ducatum Imperator Adalberto cuidam tradidit.

Imperator natalem Domini in Saxonia moratus, confestim per Wurciburgum in Alemanniam venit, & Ulmæ colloquium habens, Othonem de Suinfurto Marchionem, Suevis Ducem constituit: indeque Bajoariam veniens, quadragesimale & Paschale tempus exegit. 1048

Eadem Quadragesima sanguis (ut creditur) Domini, apud Urbem Mantuam, divina per quendam cæcum revelatione, invenitur, & plurimis miraculis declaratur.

Imperator Ratisponam, ubi pascha cum Othone & Brecizlao Ducibus, & multis aliis Principibus egit, digressus Alemanniam repetit, & Augiam nostram ingressus, 8. Calendas Majas, novam sancti Marci Evangelistæ, patroni nostri, basilicam, à D. Bernhardo Abbate constructam, se præsente, à Theoderico Constantiensi Episcopo, dedicari fecit, & ejusdem sancti festo in letania majore apud nos acto, Ascensionem Domini Turegi, Pentecosten autem Soloduri celebravit: habitoque ibi cum Burgundionibus colloquio, per Franciam Orientalem in Saxoniam remeavit. *Hermannus Contractus Augiæ monachus.*

Per idem tempus Dominus Bernhardus Abbas Augiæ, vir doctrina & moribus insignis, anno promotionis suæ quadragesimo, in senectute bona morbo confectus, 7. Idus Junias, diem ultimum clausit, & in basilica sancti Marci sepultus, quiescit. In cujus locum Udalricus Decanus, à fratribus electus, Abbas ab Imperatore

peratore constituitur. Defuncto quoque viro docto Waltone Leodij Pontifice, Dietuinus successit.

Sequente Julio, Poppo Brixiensis Episcopus ab Imperatore electus, Romam mittitur, & honorificè susceptus, Apostolicæ sedis CLII. Papa ordinatus, mutato nomine DAMASUS secundus vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad S. Laurentium extra Urbem sepultus est,

Autumnali tempore Henricus Imperator & Henricus Galliarum Rex, in Metensi territorio convenientes, pacem pactumque inter se juramento confirmant.

His diebus terræmotus magnus factus est nocte, tertio Idus Octobres.

Ipsis etiam diebus Agnes Imperatrix, filiam Imperatori peperit.

Eodem etiam tempore Gotefridus Adalbertum Ducem se deprædantem persequutus, & dimissa multitudine cum paucis inventum, cum aliis qui repugnare tentabant, occidit. Post quem Gotefridus Dux ab Imperatore constituitur.

Imperator ipsis diebus Argentoratum, & inde prope natalem Domini Ulmam venit, sicque in Bajoariam proficiscitur.

1048 *Imperator Ottonem de Suinvurt Suevis Ducem constituit.*

Sanguis Domini apud Urbem Mantuam, ut creditur, divina per quendam cæcum revelatione invenitur.

Bernhardus Abbas Augiensis, vir doctrina & moribus insignis, obijt: cui Vdalricus succesßit.

Poppo Brixiensis Episcopus ab Imperatore electus, Romam mittitur, & honorificè susceptus, Papa 153. ordinatur, nomine Damasus, & sedit 32. dies.

Henricus Imperator & Henricus Rex Galliarum convenientes, in Metensi territorio pacem inter se juramento confirmant.

Gotefridus Adalbertum Ducem occidit: cujus Ducatum Gerhardo Imperator dedit.

1049 Imperator natalem Domini Frisingæ, & purificationem sanctæ Mariæ Ratisponæ agens, Bajoariæ Ducem Conradum constituit, & circa quadragesimale tempus inde Saxoniam recessit.

Gotebaldus Nemetensis præpositus, Aquilejæ Patriarcha, post Eberhardum his diebus defunctum, ab Imperatore promovetur.

Interea glaciali hyeme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes, cum Leodiensi Episcopo, Trajectensi & Metensi, congregati, Theoderico in Phladirtinga insidias tendunt, commissaque pugna victum occidunt, & provinciam illam Imperatori subijciunt: quam tamen non multò pòst Gotefridus occupans, ab eisdem pugna petitus & victus, vix aufugit.

Per idem tempus Bruno Leucorum Episcopus ab Imperatore electus, Romamque missus, summo honore suscipitur, & in quadragesima Papa CLIII. ordinatus, LEONIS noni nomen accepit. Qui in proximo Pascha, Udalricum Augiensis cœnobij provisorem, Romam venientem, Abbatis benedictione consecravit, & monasterij ejusdem privilegia, antiquitùs à Sede Apostolica tradita, sua authoritate confirmavit & innovavit, Indictione secunda, 7. Cal. Apriles. Idem Papa in hebdomade post *Albas*, Synodum cum Episcopis Italiæ Romæ celebravit. Idem in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregavit, indeque per montem Jovis cum plurimis Romanorum, in Cisalpinas partes devenit.

Exacto etiam tempore Odilo venerabilis Cluniacensis cœnobij, & multorum, Pater monasteriorum, migravit ad Dominum.

Sequuta æstate, cum Imperator expeditionem contra Gotefridum & Balduinum à Domino Papa excommunicatos, pararet: Gotefridus tam contra vim Imperatoris, quàm Papæ excommunicationem, Aquisgranum venit, & opitulante Papa, gratiam Imperatoris promeruit. Balduinus verò utrumque contemnens,

mnens, vaſtata ab exercitu magna ex parte provincia ſua, tandem obſides dedit, & pactum cum Imperatore fecit.

Autumnali tempore Dominus Papa Synodum magnam Remis, cum Galliarum Epiſcopis, habuit, indeque Mogontiacum veniens, aliam Synodum 40. prope Epiſcoporum coram Imperatore, & regni noſtri Principibus celebravit, & poſtea Alemanniam adiens. Augiæ feſtum S. Clementis, & Dominicam ante adventum Domini, 6. Cal. Decemb. egit, ac per Auguſtam Bajoariamque tranſiens, natalem Domini Veronæ coluit.

Imperator Cuonradum Ducem Bajoariæ conſtituit, & Godebaldum Aquileiæ Patriarcham, poſt Eberhardum nuper defunctum, promeruit. 1049

Nonnulli Principes & Epiſcopi Phladirtingam intrantes, Theodericum pugna victum, occidunt, & provinciam illam Imperatori ſubjiciunt.

Brun Leucorum Epiſcopus ab Imperatore electus, Romam mittitur, & Papa 154. *Nonus* LEO *vocatur, & ſedit annis quinque, qui in proximo Paſcha Vdalricum Romæ Augienſem conſecravit Abbatem, & monaſterij ejusdem privilegia à ſede Apoſtolica tradita, confirmavit & innovavit.*

Idem Papa Romæ Synodum, maximè contra Simoniacam hæreſin celebravit. Hic in plenaria Synodo conſtituit, ut Romanorum Presbyterorum concubinæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi palatio adjudicarentur ancillæ: emtiones & venditiones altarium ſub anathemate prohibuit, 1050

Imma obijt, anno Dominicæ incarnationis, 1049. 2. Nonas Apriles.

Odilo Colomacenſis Abbas venerabilis migravit ad Dominum, Cal. Ianuar.

Godefridus & Balduinus reconciliantur Imperatori.

Imperator poſt idem feſtum in Saxonia manſit. Ipſa hyeme, cum Epiſcopus Ratiſponæ Gebehardus, qui Campidonenſem Abbatiam nuper beneficij loco acceperat ab Imperatore, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Hungaris, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed ipſo diſcedente, plurimus Hungarorum exercitus, fines noſtros invadens, plurimam partem captivavit, incendit atque vaſtavit. Imperator Paſchale feſtum apud Trajectum moratur.

Dominus Papa poſt Paſcha Synodum item Romæ collegit, & ſubſequuto tempore ultra Romam progrediens, nonnullos eo locorum Principes & Civitates, tam ſibi quàm Imperatori jurejurando ſubjecit, Beneventanoſque adhuc rebellantes, excommunicavit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, miſſis ad eum, utpote Apoſtolicum virum, legatis, ſubjectionem promittunt.

Imperator contra Gazmerum Ducem Polonorum, rebellionem molientem, expeditionem parat, gravique infirmitate detentus, pacem pactumque eum petentem ſuſcipiens, diſceſſit.

Gebehardus Ratiſponenſis Epiſcopus, cum Conrado Duce Bajoariæ, & Adelberto Marchione, aliisque quibusdam Epiſcopis & Principibus Bajoariæ, Heimenburgum reædificant, & magnam Hungarorum copiam ſe invadentem proſternunt, & usque ad innumerabilis exercitus eorum præſentiam, refugientem perſequuntur, cunctiſque agminibus Hungarorum devictis, immiſſo terrore terga vertentibus, ad caſtra, Deo gratias reddentes, revertuntur.

Ipſo autumno Dominus Papa Synodum Vercellis collegit, & Hunfridum Archiepiſcopum, pro quadam inter Ravennatem & Romanam Eccleſiam contentione, ab officio ſuſpendit, indeque Gallias & Epiſcopatum ſuum Leucorum civitatem, reviſit. Quo etiam tempore Agnes imperatrix tandem Imperij filium peperit.

Dominus Papa Synodum Romæ poſt Paſcha colligit, in qua hæreſim Beringerianam, nuper ad Apoſtolicam ſedem delatam, damnavit. Item in Autumno Synodum Vircellis collegit, in qua eandem hæreſim anathemizavit. Quo tempore Agnes Imperatrix filium Imperatori peperit.

1051 Imperator natalem Domini in Saxonia apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo jurejurando fidem subjectionemque promittere fecit. Nec multò pòst ipse & Dominus Papa cum multis Episcopis & Principibus apud Augustam Vindelicam convenientes, Purificationem Dei genitricis celebraverunt, Ravennateque Archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitativè à se invicem discedentes, Papa Romam revertitur, Imperator Nemeti partem quadragesimæ, Paschale verò festum Coloniæ demoratur, ibique filius ejus Henricus ab Archiepiscopo Herimanno baptizatur.

Post Pascha idem Dominus Papa Leo Synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem Episcopum propter adulterium, cum vidua quadam, avunculi sui sponsa, admissum, & perjuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit: quem tamen non multò post Romam venientem & satisfactionem promittentem, officio priori restituit.

Per idem tempus Imperator, Lampertum Comitem rebellare molientem, ad deditionem compulit.

Eadem æstate Bardo Mogontiacensis Archiepiscopus obijt, 3. *Idus Iunias*, pro quo Imperator Liutbaldum Babinbergensem Præpositum constituit. Item, pro Theodorico Constantiensi Episcopo, 10. Cal. Julias, quinto præsulatus sui anno, post longam ægritudinem defuncto, Rumaldum promovit. Ravennas quoq; Archiepiscopus Hunfridus, veneno (ut ajunt) subitò perijt.

Sequenti autumno magno cum exercitu Imperator pactum Andreæ Regis, ut per legatos offerebatur, accipere contemnens, Pannonias petijt & devastavit, Gebehardoque Ratisponense Episcopo, & Welf, Brezizlaoque Ducibus, ad septentrionalem Danubij partem depopulandam transmissis, ipse devecto è navibus, quantum in equis poterat, sumptu, longo propter fluviorum illuvionem circuitu, per Carentani fines transiens, perviumque regnum invadens, hac & illac Hungarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nusquam æquo Marte conferre manum audente, omnia circumquaque, quoad sumptus militi suppetebant, vasta reddit. Sed cum laboranti jam penuria & fame exercitui, Hungari reditum pararent intercludere, oppositisque per ripas fluminum præmunitas, vadosasque paludes copiis suis, omnes se vel ad deditionem cogere, vel inedia minitarentur extinguere: milites interriti hostes per fluvios obsistentes, incunctanter transuadantes fugant, quandamque munitionem firmissimam ad pontem Rabiniza fluminis structam, in qua maximam hostis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus & Polonis milites non sine sui periculo, flumine transito, in brevi expugnatam capiunt, cæsis palatisque Hungaris reliquo exercitui viam pandunt. Qua pertranseuntibus penè cunctis incensa, aliquot de postremis in magno periculo hostibus insequentibus, interclusit: sicque redeunte Imperatore, illisque quos ultra Danubium transmiserat, rebus prospere gestis, jamdudum reversis, Andreas Rex à nostro Marchione Adelberto pacem postulatum mittit, eamque vicissim tribuit.

Ipsis diebus, defunctis uno penè in tempore Lindaugiense & Buochaugiense Abbatissis, Ivota nobilis, prudens & religiosa vidua, utrique loco recuperando ab Imperatore præficitur.

1051 *Imperator nativitatem Domini apud Goslare egit, & multos ex Principibus filio suo jurejurando fidem promittere fecit.*

Hunfridus Ravennas Archiepiscopus, Domino Papæ apud Augustam reconciliatur.

Post Pascha Synodum Romæ collegit Leo Papa, ubi Gregorium Vercellensem Episcopum, propter quoddam adulterium & perjuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit. Quem tamen postea Romam venientem & satisfactionem promittentem, priori officio restituit.

Eadem æstate Bardo, venerabilis Moguntiæ Archiepiscopus, 3. Idus Iunias defunctus, multis claret miraculis, pro quo Luitpaldus. Constantiæ Theoderico Episcopo defuncto, successit Rumaldus.

In Au-

In Autumno Imperator regnum Ungariæ devastavit.

Hoc tempore tuta, nobilis & religiosa vidua, Buochaugiensi & Lindaugiensi cœnobiis Abbatissa ab Imperatore præficitur.

Imperator natalem Domini Goslare egit, ibique quosdam hæreticos, inter 1052 alia pravi erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, con sensu cunctorum, ne hæretica scabies latiùs serpens plures inficeret, in patibulis suspendi jussit.

Eodem tempore, 5. Idus Januarij, mater mea Hiltrudis, Wolfradi Comitis uxor admodum pia, mitis, liberalis & religiosa fœmina marito septemque liberis superstitibus, devoto & felici (uti hominibus apparere poterat) exitu, diem ultimum clausit, anno ætatis circiter 61. conjunctionis verò cum marito 44. & apud villam Aleshausen, sub capella sancti Udalrici, à se constructa, in sepulchro quod ipsa sibi præparaverat, condita est: cui ut pro Epitaphio hos scriberem versiculos libuit:

Mater egenorum, spes auxiliumq; suorum,
Hos Hiltrud tumulo debita reddit humo.
Quæ præpollentes generosa stirpe parentes,
Nobilitans, claris extulerat studiis.
Atque colens castum reverenter monogamiam,
Vixit, divinis prona ministeriis.
Inq; bona Marthæ satagens succedere parte,
Practica quod docuit, vita sequi studuit.
Veste, cibo, lingua, pede, totis nisibus ipsa
Se miseris largam præbuit atque piam.
Relligione pios præ cunctis fovit amicos,
Cunctis morigeram se dedit & placidam.
Atq; manens mitis, patiens, ac nescia litis
Complacuit mundo, ô utinámq; Deo.
Carnem castigans, precibus loca sancta frequentans.
Quærere cœlestem sedula suevit opem.
Crede panegyricis non hæc me fingere vanis,
Nec matrem verbis tollere falsidicis:
Consule rumorem quaquaversum popularem,
Dictaq; de veris paucula, certus eris.
Hanc quoque postremò mera cum confessio crebro
Purgasset, Domino debita corde pio:
Communita fide, spe tuta, vigens pietate,
Felix hanc vitam deseruit miseram.
Cum mensis Ianus quintas devolverat Idus,
Movit per multas morte sua lachrymas.
Pro qua quæso, precor, peto, postulo, flagito, Lector
Pulses supplicib. ut Dominum precib.
Quatenus ipsius pietate sui miseratus,
Absolvat cunctis mitis eam maculis.
Inque beatorum felici sorte suorum,
Largus ei stabilem contribuat requiem.

Sequenti tempore quadragesimali, Imperator Ravennatem Archiepiscopum Henricum promovit. Et Nizo Frisingensis Episcopus, priùs ex superbissimo vitæ habitu ad humilitatis & religionis speciem conversus, ac denuò ad pristinæ conversationis insolentiam reversus, cum eum jussu Imperatoris Ravennam perduxisset, subita inibi morte perijt.

Imperator Paschale festum Nemeti egit, indeque (ut ajunt) locum illum Patris matrisque suæ sepultura præditum, magis magisque parvipendens, subiratus Episcopoque loci illius infensus, discessit.

Iisdem diebus Bonifacius ditissimus Italiæ Marchio, imò tyrannus, insidiis à duobus exceptus militibus, sagittisque vulneratus & mortuus, Mantuæ sepelitur.

Cum Imperator circa letaniarum tempus Solodori colloquium haberet, quidam ex Burgundionibus offensi, inde discedunt: sed non multò pòst aliqui ex illis ad gratiam ejus redeunt. Inde ipse cum Turegi Pentecosten peregisset, in Pannonicam itidem expeditionem proficiscitur, Andreaque Rege Hungarorum, minus minusque pro pacto pacis postulando, allegante & promittente, Bresis burg castrum obsedit, & varijs belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis se anxiè invocantibus opitulante, frustratis semper nisibus, nullo modo capere potuit. Interim Dominus Leo Papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda intervenisset, Imperatorem ab obsidione avocavit, eumque sibi per omnia consentaneum inveniens, sed econtra Andream consilijs minus patentem experiens, offensus, eique excommunicationem, utpote delusa sede Apostolica, minitans, cum Imperatore discessit, & aliquantum cum eo temporis mansit.

Ipsis

Ipsis diebus Imperatrix iterum filium, quem Conradum postea vocaverunt, Imperatori peperit.

Discordia inter Gebehardum Ratisponensem Præsulem, & Conradum Bajoariæ Ducem mota & agitata.

Reliquiæ beati Zenonis confessoris ex Valthario Veronense Episcopo in Alemanniam, ad villam Ulmam allatæ, plurimis per hæc tempora claruerunt miraculis.

Constantiæ basilica sanctæ Mariæ corruit.

1052 *Imperator Goslare nativitatem Domini agens, quosdam ibi hæreticos Manicheos, omnis esum animalis execrantes, consensu omnium, ne hæretica scabies serperet in plures, in patibulo suspendi fecit.*

His diebus Bonifacius Italiæ Marchio ditissimus, Beatricis Nobilissimæ Comitissæ maritus, à duobus militibus, sagittis toxicatis, vulneratus, moritur, & Mantuæ honorificè sepelitur.

Reliquiæ beati Zenonis confessoris, à Waltario Veronensi Episcopo, in Alemanniam, ad villam Vlmam allatæ, plurimis miraculis claruere.

1053 Imperator cum Domino Papa, multisque Episcopis & Principibus, natalem Domini wormatiæ egit, ubi cum Papa, sicut dudum cæperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur ab Imperatore reposcens, exegisset, demum Imperator pleraque in ultra Romanis partibus ad suum jus pertinentia, pro cisalpinis illi per concambium tradidit. Cumque idem Papa de Nortmannorum violentijs & injurijs, qui res sancti Petri se invito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos, Imperator ei auxilia delegavit. Ea siquidem gens, à temporibus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes, paulatim ex Gallici oris Oceani adventitia, confluebat: & quia bellicosior Italicis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, crebrò indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incursiones audacter præliando, auxiliabatur. *Primò gratanter accipitur,* postea verò pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigetes bello premere, injustum dominatum invadere, hæredibus legitimis castella, prædia, villas, domus, uxores etiam quibus libuit vi auferre, res Ecclesiarum diripere, postremò divina & humana omnia (prout viribus plus poterant) jura confundere, nec jam Apostolico Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantùm verbotenus cedere.

Ad horum igitur nefaria & inextricabilia scelera illis è partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos, Dominus Papa animum intendens, summa cum charitate ab Imperatore Romam reversurus, digreditur. Sequuti sunt autem eum plurimi Theutonicorum, partim jussu Dominorum, partim spe quæstus adducti: multi etiam scelerati & protervi, diversasque ob noxas Patria pulsi. Quos ille omnes, tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam, purificationem S. Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta, & nonnullis suorum, orto inibi tumultu, occisis, infra dies Quadragesimæ Romam pervenit.

Ipsis diebus in Italia quidam lacus, quos Julius quondam Cæsar quadrato lapide perpetuo (ut putabatur) opere fertur obstruxisse, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumen, Tiberimque ultra modum exundare fecere, subitaque illuvione multa ædificia, ipse pons Narniensis dirutus, multique mortales absumpti sunt.

Imperatore in Saxonia apud *Merseburg* commanente, cum Rege Danorum Pascha egit, ipsisque diebus Conradum Bajoariæ Ducem, cui jam priùs infensus erat, incusatum quorundam Principum judicio, Ducatu privavit. Quo tempore regni tam Primores, quàm inferiores, contra Imperatorem magis magisque mussitantes, jamdudum eum ab inchoatæ justitiæ, pacis, pietatis, divini timoris, multimodæque virtutis tenore, in quo de die in diem debue-

debuerat proficere, paulatim ad quæstum & incuriam quandam deficere, multumque se ipso deteriorem fore, causabantur.

Altdorfense cœnobium igne consumitur.

Dominus Papa habita post Pascha Synodo, contra Nortmannos (ut proposuerat) exercitum movit: cumque illi pacem petentes, subjectionem servitiumque illi promitterent, & quæ prius injustè sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaque retinere se velle dicerent, idque Papa abnegans, vi & injuria raptas res sancti Petri reposceret, eosq; perperam pervaso cedere loco juberet: illi quia numero longe præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potiùs bello obviam ituros, armisque acquisitam Patriam armis defensuros, vel morte occubituros, denunciant. Sicque 14. Calend. Julij valida pugna confligentes, prima acie à Theutonicis penè victi sunt: sed succenturiatis copijs, ex insidijs nostros circumvenientes, Italis citiùs terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inultè occumbentibus, occulto Dei judicio: sive quia tantum Sacerdotem, spiritalis potiùs quam pro caducis rebus carnalis pugna, decebat: sive quòd nefarios homines quàm multos ad se, ob impunitatem scelerum vel quæstum avarum, confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat: sive divina justitiâ alias quas ipsa novit ob caussas, nostros plectente: quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseque Dominus Papa in quodam ab eis castello obsessus, cum expugnata jam jamque munitione, necessitate coactus, communionem eis priùs interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum cum honore reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.

Et hoc & superiori anno frugum penuria facta est, non modica.

Werinharius frater meus Augiensis monachus, admodum doctus, & religioni veræ deditus, juvenis, cum alio monacho Liuthario, studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinationem clàm pro Christo aggreditur, literis remissis licentiam Abbatis postulans & impetrans. Et sequenti tempore, Richardus Renaugiensis Abbas, & Henricus idem Augiensis monachus hoc exemplum sequuti, relictis omnibus, idem propositum aggrediuntur.

Imperator Henricus magno apud Triburiam conventu habito, filium æquivocum Regem à cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector justus futurus esset subjectionem promitti fecit. Ad quem conventum cum Conradus dudum Bajoariæ Dux venire nolens, cum expeditis militibus Regi rebellare moliens, Hungaris se adjungere tentasset, & Carentani fines invasisset: quibusdam inibi quæ priùs habuerat possessionibus suis, ab Imperatore privatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam legati Andreæ Regis Hungarorum, pro pace pactoque, cum suffragante Ratisponense Episcopo immensam pecuniam, suæque provinciæ partem, & ad expeditiones omnes, præter Italicam, suos ituros promitterent; Imperator ea se accepturum fide data spondens, eos remisit.

Hadamuta de Nuinburgo Abbatissa venerabilis, quæ locum suum priùs penè dilapsum, intra & extra laudabiliter recuperatum in optimum deduxerat statum, aliam pro se designans, & sororibus piè admonitis, ultimum valedicens, 4. Cal. Novemb. feliciter, ô utinam, decessit. Hazelinus etiam Babinbergensis Episcopus infamis, moriens, locum dedit.

Per idem tempus Conradus dudum Dux ab Andrea Rege Hungarorum gratanter susceptus, ei, ne allegatum cum Imperatore fœdus perficeret, dissuasit, & auxilio ejus quandam Carentani partem, quorundam etiam Primatum qui eam possidebant machinatione, alijs expulsis primoribus invasam cœpit. Imperator verò in Bajoariam veniens, Ducatum ejusdem provinciæ filio suo æquivoco tradidit. Sicque in eadem commorans provincia, natalem Domini in villa

villa Ottinga egit, ibique Babinbergensis Ecclesiæ præsulatum consobrino suo Adelberoni donavit.

1054 Deinde habito Ratisponæ colloquio, per Alemanniam transiens, & furibus infestus nonnulla eorum conventicula exuri jubens, Turegi Quadragesimam inchoavit, & per ripales Rheni Urbes paulatim descendens, Mogontiæ Paschale festum celebravit, ubi Theodbaldus Othonis ad eum de Galliis veniens, & miles ejus effectus, auxilium suum illi pollicitus est.

Dominus Papa cum apud Beneventum divino intentus servitio diu demoratus, tandem instante Paschali tempore, Romam ægrotans reversus esset, invalescente in dies languore, glorioso exitu, cunctis prius benedicens, & admonitis valedicens, sanctoque Petro peccata sua confessus, & devotè se illi commendans, 16. Calend. Majas obijt, & in basilica S. Petri juxta sepulchrum sancti Papæ Gregorij, sepultus, miraculis claruisse memoratur.

Gotefridus iterum contra Imperatorem tyrannidem invasit, Italiamque latenter adiens, Beatricem Bonifacij quondam Marchionis viduam uxorem accepit.

Finis Chronici Hermanni Contracti, Quæ sequuntur Continuatoris ejus esse videntur, quem deinceps integrum subijcimus.

Herimannus, Wolferadi Comitis filius, ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in Aleshusan prædio suo defunctus ac sepultus est. Werinherus & Lintherus in Hierosolymitano itinere defuncti sunt.

Conventus ab Imperatore Moguntiæ factus est, in quo Gebehardus Eistetensium Episcopus ab Episcopis electus, Romamque missus, ibique honorificè susceptus, insequenti Quadragesima, in Cœna Domini, CLIV. Papa ordinatus VICTORIS secundi nomen accepit.

1055 Imperator natalem Domini Goslare celebravit, ac deinde expeditionem in Italiam paravit, & diem sanctum Paschæ Mantuæ egit, diem autem Pentecostes Florentiæ, ibique coram eo, à Domino Papa generali Synodo habita, multa correcta sunt. Imperator Adalbertum capitali sententiæ adjudicatum, per interventum Episcoporum dimisit.

Eodem tempore quinquaginta aut eo amplius armati milites à Normannia latenter per mare transeuntes, Nortmannis contra Imperatorem auxilium præbere cupientes, à Picentibus civibus capti, atque ad Imperatorem delati.

Imperator Othonem Novariensem Episcopum Constantinopolim misit, ubi pro Michaële nuper defuncto, quandam fœminam, totius regni monarchiam tenentem, invenit, quæ illum sequenti anno, suis etiam legatis adjunctis, amicitiam pactumque confirmandum Imperatori remisit.

Beatrix Imperatori ad deditionem veniens caussa mariti sui, quanquam data fide, tenetur, filiusque ejus puer Bonifacius hac caussa venire veretur. Sed non multis interpositis diebus cum Imperator ibidem moraretur, idem puer moritur. ***Imperator prædictam Beatricem inde abduxit captivam, quippe multum molestè ferens, Duci Gotefrido esse copulatam.***

Gebehardus Ratisponensis Episcopus & Welfus Dux licentiam repatriandi ab Italia impetraverant, militesque eorum illis (ut ajunt) ignorantibus, contra Imperatorem conjuraverunt. Quo tempore Welfus Dux suis & omni populo admodum flebili morte præventus, apud Altorfense cœnobium sepultus est.

Obitus VVelphonis Carinthiorum Ducis.

Arnoltus Episcopus Nemetensis moritur.

Imperator de Italia per Bajoariam rediens, natalem Domini apud castrum Turegum celebravit, ibique Othonis Marchionis filiam, æquivoco suo filio desponsavit.

Gebehar-

Anni mūdi. Gebehardus Ratisponensis Episcopus, ab Imperatore de conjuratione contra se facta, victus, primùm in castro *Ulsilingino*, dein in *Stofola*, per aliquod tempus sub custodia tenetur.

Conradus ab Imperatore Nemeti pro Arnoldo Episcopo substituitur.

Herimannus Agrippinæ urbis Archiepiscopus, obijt, pro quo Goslare prius præpositus, in Archipræsulatum successit.

Imperator diem sanctum Paschæ * celebravit.

Eodem anno Sclavi, qui & Liutici dicuntur, terminos Saxonum insectantes, quàm plurimos eorum Principes cum Wilhelmo Marchione peremerunt.

Henricus Imp. Domino Apostolico ad se tempore autumnali invitato, cùm in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingravescente infirmatus, obijt anno ætatis suæ 39. regni vero 18. Imperij 15. indictione decima. Qui inde asportatus, Nemetumque translatus, in Ecclesiæ sanctæ Mariæ, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, juxta patrem matremque, sepultus: & filius ejus Henricus quartus, septimum ætatis annum habens, pro eo regni jura suscipiens, à primoribus matri Imperatrici educandus, est commendatus.

1057 ¶ HENRICUS Rex natalem Domini Ratisponæ celebravit, 7. Cal. Majas.

Immensitas nivis & pruinæ magnam partem vinearum perdidit.

Romæ Victor II. decessit: in cujus locum Fridericus, frater Gotefridi Ducis, dudum beati Leonis Papæ Archidiaconus, tunc autem temporis monasterij S. Benedicti Abbas, 155. Papa ordinatus, STEPHANUS nonus est nominatus.

Otho Dux Alemannorum obijt, cujus ducatum Rudolphus accepit.

Hoc anno lapides miræ magnitudinis, mixti grandine, de cœlo ceciderunt, & nonnulli hominum fulmine perierunt.

Romæ Stephanus Papa obijt. Romani autem accepta pecunia, quendam Joannem contra Canones elegerunt, qui sine consecratione per aliquot dies sedens, à Godefrido Duce expellitur, atque Florentinæ civitatis Episcopus, 156. Papa substitutus NICOLAUS secundus est vocatus.

Eodem tempore Henr. August. Episcopus apud Imperatricem summum consilij locum habuit, quod nonnullis regni Principibus, ejus insolentiam non ferentibus, multum displicuit.

1059 Hoc anno magna mortalitas hominum & pestis pecorum facta est.

Orto inter Mediolanenses & Ticinenses bello, multi ex utraque parte ceciderunt.

Rodolphus Alemannorum Dux, Mathildam, Henrici Regis sororem, duxit uxorem.

Fuldis Eberhardus, Abbas decessit: cui Sigefridus successit.

Andreas Pannoniæ Rex, cùm priùs pacem pactumque per legatos cum Henrico Rege confirmasset, etiam sororem ejus minorem, filio suo adhuc puero, sponsam obtinuit.

1060 Henricus Galliarum Rex obiit, & filius ejus adhuc puer, regnum cum matre gubernandum suscepit.

Liudpaldus Mogontien. Archiepiscopus decessit; cui Sigefridus Fuldis Abbas successit.

Conradus Nemetensis Episcopus moritur: in cujus locum Einhardus promovetur.

Mathildas soror Regis obijt.

Henricus Palatinus Comes in amentiam versus, cum sub specie religionis, quasi seculum derelinquens, in monasterium *Ephtirnacha* se contulisset, inde abstractus conjugem suam occidit.

Et hoc anno, sicut in priori, mortalitas multos extinxit. Hyems satis dura & nivosa, & plus solito prolixa, frumenti vinique maximum attulit damnum.

Andreas Rex Pannoniarum, cùm à fratre suo regnum sibi circumquaq; vastans, multas injurias perpessus fuisset: tandem febre pulsatus, omnes thesauros suos in castrum Medilhecka, nec non & filium suum Henrico Regi per Tiedbaldum Comitem transmisit.

Magna fames multos consumpsit.

Gebehardus Ratisponensis Episcopus obijt: cui Otho successit.

Cunradus qui Carentanis solo nomine Ducis præfuit, moriens locum dedit: cujus Ducatum Bertholdus Suevigena accepit.

Romæ Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera Henrico Regi

transmiserunt, eumque pro eligendo summo Pontifice, interpellaverunt. Qui ad se convocatis omnibus Italiæ Episcopis, generalique conventu Basileæ habito, eadem imposita corona, Patrititus Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium, Parmensem Episcopum, summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem. Interim dum hæc aguntur, Anshelmus Episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, Apostolicam sedem sibi usurpavit. *Anni mũdi.* 1061

Burkardus & Wezil de *Zolorin* occiduntur.

Ecclesia Nemetensis dedicatur, & Agnes Imperatrix, depositis regalibus vestimentis, sacro velamine circundata.

Sexto idus Februarij, terræmotus, fulgura & tonitrua facta sunt: pestilentia & mortalitas subsequuta multos extinxit. 1062

Henricus Rex apud Trajectum Frisiæ urbem, diem Paschæ cum matre Imperatrice egit.

His diebus Hanno Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopus, adnitentibus quibusdam regni Principibus, Henricum Regem cum lancea & alijs Imperij insignibus, à matre Imperatrice vi arripuit, secumque Coloniam adduxit.

Parmensis Episcopus dudum electus, Romam consecrandus adijt: cui cum Romani armati occurrerent, ingressumque prohiberent, multitudo illorum à militibus ejus occiduntur, & in Tyberi submerguntur, cæteri fugantur.

Tempore veris, medio Mense Aprili, per quatuor dies hyems sæva, ventosa & nivosa, aves & pecora frigore extinxit, arborum & vinearum maximam quoque partem perdidit. 1063

Engilhardus Episcopus de *Magdiburg* obijt: cui frater Coloniensis Archiepiscopi successit.

Henricus Augustensis Episcopus obijt: cui Imbricus successit.

Eodem anno quædam mulier juxta Constantiam infantem, duo capita nec non & cætera membra adusque clunes duplicia habentem, peperit.

Henricus Rex natalem Domini Coloniæ celebravit, diem Paschæ autem Leodij. 1064

Synodus Mantuæ.

Henricus Rex natalem Dñi, Goslare, diem autem Paschæ Wormatiæ celebravit. 1065

Domus regalis Goslari concremata est: quod & factum est, 6. Cal. Aprilis, indictione tertia, & ibidem accinctus est gladio, anno regni sui nono, ætatis autem suæ decimoquarto, & Dux Gotefridus scutarius ejus eligebatur.

Pataviensis Episcopus obijt: cui Altmannus Imperatricis Capellanus successit.

Hoc tempore Sigifridus Mogonciacensis Archiepiscopus, Wilhelmus Trajectensis Episcopus, & Guntharius Babinbergensis Episcopus, Otho Ratisponensis Episcopus, cum magno apparatu & comitatu Hierusalem proficiscentes, in eo itinere à paganis multa sunt perpessi: nam & bellum cum eis inire sunt coacti. In eadem via Guntharius obijt: cui Ricimannus simoniacè successit.

Multi nobiles civili bello perierunt. 1066

Henricus Rex natalem Domini* Pascha autem apud Trajectum egit.

Eberhardus Treverensis Archiepiscopus, 17. Cal. Maij, sabbato sanctæ Paschæ, completis à se ipsius diei officijs, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace. Cui Conradus Coloniensis præpositus, electus à Rege, succedere debuit, sed à clero & civibus Trevirensibus refutatus est. Unde quidam Comes, de militia Trevirensi, nomine Theodoricus, eundem Conradum Trevirim tendentem, comprehendit, & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum eum ter per quoddam præcipitium dejecissent, & nihil sibi nisi brachium collidere possent, unus ex illis pœnitentia ductus, ab eo veniam impetravit. Alius autem volens eum decollare, maxillam ejus tantùm abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr, ad Dominum migravit, Calend. Junij, sepultus ad abbatiam quandam Doleiam. Tres autem milites mortis illius authores, digna ultio postmodum subsequuta est: nam unus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alij duo manus suas lacerantes, ad claustra inferni descenderunt.

FINIS.

CHRO-

IV.

CHRONICON RERUM GESTARUM

Post Hermanni Contracti obitum, Henrico Quarto Romanum Imperium gubernante, ab anno Domini M.LIV., usque ad ejus seculi finem, annis continuis quadraginta sex:

AUCTORE

BERTOLDO PRESBYTERO CONSTANTIENSI, & Pœnitentiario Apostolico, ejus ævi συγχρόνῳ.

Typis nunc primùm excusum.

DE AUCTORE HUJUS APPENDICIS, CENSURA.



CUM ab amplissimo viro D. Francisco Rechburgero, tribuno plebis Basiliensis, hancce ad Hermannum appendicem, primùm accepissem: diligente quidem manu eam transcriptam offendi, verùm plane ἀνεπίγραφον καὶ ἄτιλον, ut auctoris nomen divinando mihi vestigandum fuerit. Perlecta igitur rerum in ea contentarum serie, illico deprehendi, Scriptorem hunc ei ævo fuisse contemporaneum, quo ingens istud inter Pontifices Romanos & Henricum quartum Imp. schisma, de Episcoporum investituris obortum, Christianorum Rempub. multis annis periculosè exercuit; quando alij (ut diversa sunt hominum judicia) excommunicationis fulmine spreto, Henrici partes tutabantur: alij de Pontificum auctoritate persuasi, religioni sibi ducebant, ei qui Apostolicam imò Christi vicariam sedem teneret, refragari. Ac in isto tam ferali orbis dissidio auctorem hunc Pontificiæ caussæ propugnatorem acerrimum egisse, liquet: unde ab Episcopo Ostiensi, Pontificis in Germania legato, anno 1084. Constantiæ, non solùm Presbyterij honores, sed & principali nomine potestatem accepit, resipiscentes, hoc est à Cæsaris partibus ad Pontificis factionem desciscentes, per injunctam pœnitentiam in Catholicorum gremium recipiendi. Hinc quoque Pontificis dicto parentes, catholicos, S. Pet. fideles, milites Christi & Ecclesiæ propugnatores: reliquos Imp. faventes, schismaticos, hæreticos, excommunicatos, Guibertistas ac Henricianos subinde appellat. Idem quoque unà cum Gebhardo è Zeringensibus Ducibus Episcopo Constantiensi (cui postea Papæ legatus abiens, in confirmandis Catholicorum animis, suas per Germaniam partes demandaverat) ei prælio interfuit, quod anno 1086. ab Henrico contra Pontificios, Suevos maximè, in Ostrofrancis infeliciter commissum est. Ex quibus omnibus arbitror me non ineptè conijcere, hunc eum esse, quo & Cuspinianum usum esse constat, Bertoldum eum appellans, dum in Henrico quarto sic inquit: Si quis acta Henrici quarti copiosiùs videre cupiverit: is adeat Annales Bertholdi, qui Hermannum Contractum continuavit: qui abundè nimium de eo scripsit, sed illi malè affectus. Quæ Trithemius de ipso memoriæ prodidit, subijcere placuit.

BERNOLDUS Presbyter Ecclesiæ Constantiensis in Suevia, natione Teutonicus, vir devotus, & in Scripturis Sanctis studiosus & eruditus, atque in disciplina secularium literarum sufficienter instructus, ingenio clarus & comptus eloquio, reliquit studij sui nonnulla opuscula, quæ tamen ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt. Hic ad utilitatem Ecclesiasticæ Reipub. composuisse dicitur volumen, quod prænotavit, Ordinem Romanum. Claruit temporibus Henrici quarti, anno Domini 1060.



BERTOLDI PRESBYTERI CONSTANTIENSIS CHRONICON, A HERMANNI CONTRACTI OBITU INchoatum, & ad annum Salutis M. C. usque perductum.

ANNO M.LIII.

IMPERATOR cum Domino Papa nativitatem Domini Wormatiæ agit. Ubi cùm Papa (ficut dudum cœperat) Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens, exegisset: demum Imperator plæraque in ultra Romanis partibus, ad jus suum pertinentia, pro Cisalpinis, illi quasi per concambium tradidit, eique contra Nordmannorum violentiam propulsandam, auxilia delegavit. Ea siquidem gens à temporibus prioris Heinrici Imperatoris, in partes Calabriæ, Samniæ, Campaniæque confluxit. Et quia indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incursiones audacter prœliando, auxiliabatur, primò gratanter accipitur. Postea verò pluribus eorum ad uberem terram concurrentibus, viribus adaucti, ipsos indigetes, & res eorum violenter possedêre. Unde Dominus Papa cum plurimis Teutonicorum rediens, post Pascha contra Nordmannos exercitum movit. Sed exercitu ejus partim fugato, partim occiso à Nordmannis: ipse Papa in quodam castello ab eis obsessus, cum expugnata jam munitione necessitate coactus, communionem eis priùs interdictam, reddidisset: acceptus ab eis, Beneventum cum honore tamen reducitur, ibique ne rediret aliquandiu detinetur.

Cambium inter Papam & Imperatorem.

Normanni in Calabria.

Imperator Henricus habito conventu apud Triburiam, filium æquivocum Regem à cunctis eligi, eique post obitum suum, si Rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit.

Heinricus IV. Rex Romanorum.

Hazilinus etiam Babenbergensis Episcopus infamis moritur.

M. LIV.

IMperator Adalberonem consobrinum suum, in villa Otinga, ubi nativitatem Domini egit, Babenbergensi Ecclesiæ præfecit.

Dominus Papa tandem, instante Paschali tempore, Romam reversus, ægrotans, glorioso exitu, cunctis prius benedicens & admonitis valedicens, sanctoque Petro peccata sua confessus, & devotè se illi commendans, XVI. Kal. Maij obijt, & in Basilica S. Petri juxta sepulchrum S. Gregorij sepultus, miraculis claruisse memoratur. Pro quo Gebehardus, Victor II. nominatus, Papa CLV. sedit tribus annis. Huic subdiaconus toxicum in calicem misit, quem cum ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur: statimque toxicator à Dæmonio arripitur. Ita ergo causa manifestata, Dominus Papa calicem cum sanguine Dominico cuidam altari jussit includi, & pro reliquijs in perpetuum conservari. Deinde cum populo ad orationem tamdiu prosternitur quousque Subdiaconus à Dæmonio liberaretur.

Victor secundus Papa.

Herimannus, Wolferadi Comitis filius, ab infantia omnibus membris contra-

Hermannus Contr. moritur in Alschhusa.

ctus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in *Aleshusen* prædio suo defunctus, ac sepultus est.

Balduinus Imperatori rebellat.

Godefridus clam ingressus Italiam, Dominam Beatricem, viduam Bonifacij Marchionis, sibi in conjugium copulavit.

M. L V.

IMPERATOR Italiam visitat, & prædictam Beatricem inde abduxit captivam, quippe multum moleste ferens, Duci Gotefrido esse copulatam.

Welph Dux Carinthiorum obijt.

M. L VI.

Berengarius Turoni damnatus.

VICTOR Papa misso Hildebrando tunc Archidiacono, sed postea Apostolico, Synodum Turonis generalem collegit, in qua Beringarius Andegavensis Ecclesiæ Canonicus, à quo Beringeriana hæresis denominatur, synodaliter & præsentialiter pro eadem hæresi examinatur. Qui cum se defendere non posset, hæresim suam coram omnibus anathemisavit & abjuravit, secundum formam, quam sancta & universalis synodus Ephesina præscripsit.

M. L VII.

Heinrici III. Imp. mors.

HEINRICUS Imperator filium suum jam Regem factum, Principibus regni commendans, obijt III. Non. Octob. pro quo Heinricus filius ejus admodum puer, cum matre sua Agnete cœpit.

Stephan. IX Papa.

Romæ post Victorem, Fridericus frater Godefridi, dudum beatæ memoriæ Leonis Papæ Archicapellanus, ex clerico Monachus factus, postea Abbas in monte Cassino promotus, Stephani noni nomen adeptus, Papa CLVI. præfuit IX. mensibus. Hic omnes Romanos clericos ab Ecclesiastico conventu separavit, qui post interdictum beati Leonis Papæ, incontinentes extiterant. Sic enim piæ memoriæ Petrus Damiani, Cardinalis Episcopus suis in literis testatur.

M. L II X.

Benedictus septimestris Papa.
Nicolaus II. Papa.

ROMÆ post Stephanum quidam Benedictus contra canones privata quorundam gratia ordinatus, sine consecratione mensibus VII. præfuit Ecclesiæ: qui à Godefrido Duce expellitur, & Gerhardus Florentiæ Episcopus, secundus Nicolaus vocatus, Papa CLVII. præfuit annos ferè tres. Qui constituit, ut qui tunc à Simoniacis essent gratis promoti, ministerio suo permitterentur uti. Deinceps autem quicunque à Simoniacis ordinarentur, nihil tali promotione lucrarentur. Hunc etiam Papa Petrus Damiani, piæ memoriæ Episcopus, ad corrigendam juxta Canones clericorum incontinentiam, provocavit.

M. LIX.

Fridericus & frater ejus de Glichberga, Heinrico Regi rebellant.

M. LX.

Berengarij dogma damnatum.

ROMÆ Nicolaus Papa generali synodo præsidens, Berengarium præsentialiter & synodaliter pro hæresi sua iterum examinavit: qui tandem quasi conversus, libros suos hæreseos coram Synodo concremavit, & eandem hæresin, ut prius jurando anathemisavit.

M. LXI.

Concilium Basiliense.
Chadelo Parmensis, Antipapa.

ROMÆ Nicolao Papa defuncto, VI. Calend. Augusti, Romani Heinrico Regi, ejusdem nominis quarto, coronam & alia munera mittentes, de summi Pontificis electione Regem interpellaverunt. Qui generali Concilio Basileæ habito, imposita corona à Romanis transmissa, Patricius Romanorum est appellatus. Deinde communi omnium consilio, Romanorumque Legatis eligentibus, Chadelo Parmensis Episcopus VII. Calend. Novembris, Papa eligitur, & Honorius appellatur, papatum nunquam

quam possessurus. Sed vigesimo septimo die ante ejus promotionem, Lucensis Episcopus, nomine Anselmus, à Normannis & quibusdam Romanis Papa CLVIII. ordinatus, Alexander vocatur, sedit annos XII. Qui satis strenuè Simoniacam hæresin destruxit, & ministris altaris cum conjugibus coire, juxta Canonum statuta, cum excommunicatione interdixit, ipsosque laicos clericorum incontinentium officia audire, per bannum prohibuit: sicque clericorum incontinentiam satis prudenter refrenavit. Hujus autem constitutionis maximè fuit auctor, Hildebrandus tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, hæreticis maximè infestus.

Sacerdotib. conjugium interdictum.

M. LXII.

HIS temporibus fames magna fuit.

Magna dissensio facta inter Imperatricem Agnetem, & Gundbarium Babenbergensem Episcopum.

M. LXIII.

HEINRICUS Rex exercitum in Pannoniam movens, Salomonem, filium Andreæ Regis, in regnum Patris sui restituit.

Expeditio Vngarica.

Heinricus Augustensis Episcopus obiit, pro quo Imbrico.

Cædes magna Goslare contigit in Ecclesia Rege præsente.

M. LXIV.

DOMUS Regalis Goslare concremata est, eodem anno ab incarnatione Domini M.LXV. quando & Pascha celebratum est VI. Calendas Aprilis, in qua die & Christus resurrexit, tertio die Paschalis Hebdomadæ, IV. Calend. Aprilis, indictione tertia.

Rex Heinricus anno regni sui Nono, ætatis suæ XIV. accinctus gladio, in nomine Domini.

Pataviensis Episcopus obiit, cui Altimannus Imperatoris Capellanus successit.

Hoc tempore Sigefridus Maguntinensis Archiepiscopus, & Gundbarius Bambergensis Episcopus, & Otto Ratisponensis Episcopus, & Wilbehelmus Trajectensis Episcopus, cum magna multitudine Hierosolymam profecti, in eo itinere à Paganis multa sunt perpessi. Nam & bellum cum eis inire coacti sunt. In eodem itinere Gundharius obiit, cui Ricimannus Simoniacè successit.

Germanorum in terram sanctam expeditio.

M. LXV.

MULTI nobiles bello civili perierunt. Cometæ sunt visi, in octava Paschæ, VIII. Cal. Maij, & per triginta dies apparuêre.

Eberhardus Treverensis Archiepiscopus, XIII. Calend. Maij, Sabbato Sancto Paschæ, completis à se ipsius diei officiis, ipsis Sacerdotalibus vestibus indutus, requievit in pace. Cui Cuonradus Coloniensis præpositus debuit succedere, sed à civibus non est electus. Unde quidam Comes, nomine Theodoricus, eundem Cuonradum ad Urbem Treverorum tendentem, comprehendit, & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus necandum commisit. Qui dum eum tunc per quoddam præcipitium dejecissent, & nil sibi nisi brachium collidere possent: unus ex illis pœnitentia ductus, ab eo veniam impetravit. Alius verò volens eum decollare, maxillam ejus tantùm abscidit, & sic ipse dignus Deo martyr ad Dominum migravit. Passus est autem Cal. Junij, anno ab incarnatione Domini, M.LXVI. regni verò Heinrici X. sepultus apud Abbatiam, nomine Dolejam. Tres autem milites mortis hujus servi Dei authores, digna ultio postmodum subsequuta est: nam unus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alij duo manus suas lacerantes, ad claustra inferni descenderunt.

Conradi electi Treverensis fatum.

M. LXVI.

UDO post interfectum Conradum præsul Treverensis constituitur.

Nuntij Heinrici Regis.

Item Cometa visus est.

Petrus Damiani Præsul Ostiensis.

His temporibus venerabilis Petrus Damiani, ex heremita Cardinalis Episcopus, multa conscripsit, & incontinentiam Sacerdotum satis rationabiliter in Scriptis suis confutavit, ordinatos autem à Simoniacis, ut ajunt, nimium clementer tractavit.

Hugo Bizantiensis Archiepiscopus obiit, cui ejusdem Ecclesiæ Canonicus à fratribus electus, à Rege substituitur.

Einhardus Spirensis Episcopus, in itinere Romano obiit, cui Henricus successit.

M. LXVII.

SAXONIA civili laborat discordia.
Nortmanni adire Romam voluerunt hostiliter.

Burchardus Halberstatensis Episcopus Leuticorum gentem viriliter devastavit.

M. LXVIII.

HEINRICUS Rex adolescentiæ suæ errore seductus, legitimæ conjugis adeò obliviscitur, & tam nefandis criminibus involutus esse diffamatur, ut etiam Principes ejus eum regno privare molirentur.

Totus ille annus pluvialis.

M. LXIX.

PAX & reconciliatio in populo, in nativitate Domini apud Goslare, regali edicto, sub Sacramento sunt confirmatæ.

Heinricus Rex gentem Leuticorum devastat.

Dedo Marchio Saxonicus Regi Heinrico rebellat: sed postmodum coactus ad ditionem venit.

Udalricus Abbas Augiensis obiit: pro quo Meginhardus.

Constantiæ Episcopus Romaldus obiit: cui Carolus per Simoniacam hæresin in Episcopatum successit.

Godefridus Dux inter seculares excellentissimus, & in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lacrymarum facillimus, in erogatione eleemosynarum largissimus, in vigilia nativitatis Domini satis laudabili fine requievit.

M. LXX.

FRANCIA civili laborat discordia.

Bavarus à Cæsare Ducatu privatus.

Otto Dux Bajoariæ, Regi Heinrico rebellat, & Magnus filius Ottonis Ducis Saxoniæ aquilonialis: sed Rex prædictum Ottonem, cùm legitimè ad satisfactionem vocatus, nollet venire, Ducatu privavit.

Meginhardus sponte dereliquit Augiensem Abbatiam: post quem quidam Rudbertus, indignè eidem Abbatiæ Præfectus, dignè postmodum est expulsus.

Hyems ventosa & pluvialis.

M. LXXI.

WELF Dux Bajoariæ efficitur.

Heinricus Rex multas insidias passus, viriliter omnes transivit.

Bavarus Cæsari supplex.

In Pentecoste, Otto jampridem Dux Bajoariæ, cum sociis suis Regi Heinrico ad ditionem venit sua sponte: anno incarnationis Domini M. LXXI. regni autem Heinrici decimo quinto, ætatis verò vicesimo, indictione nona, tertia feria ejusdem hebdomadæ, XVIII. Calend. Julij.

Carolus qui Constantiensem Episcopatum Simoniacè adquisivit, quique thesauros ejusdem Ecclesiæ, utpote sacrilegus fur, in suos usus dispersit, habito consilio Moguntiæ, ex præcepto Papæ Alexandri, prædictus Simonis discipulus, nondum consecratus deponitur: quippe cùm à clericis Constantiensibus ibidem accusatus, objecta negare non posset: cui successit in Episcopatu Otto.

M. LXXII.

HEINRICUS Rex penè sine difficultate bellorum sibi reluctantes superavit.

Petrus Damiani piæ memoriæ Cardinalis Episcopus, jamdudum mundo cruci-

crucifixus, migravit ad Dominum, VIII. Calend. Martij: cui Dominus Geroldus, revera monachus, scientia scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, in Episcopatum successit.

Adalbertus Haminburgensis sive Bremensis Archiepiscopus obiit: cui Leomarus successit.

Rex multa sibi munitissima castella construxit in partibus Saxoniæ & Thuringiæ, & multas sibi munitiones injustè usurpavit: unde multorum animos contra se excitavit.

M. LXXIII.

RUDOLFUS Dux Alemanniæ, & Bertolfus Dux Carinthiorum, & Welph Dux Bajoariæ, à Rege Heinrico discesserunt: quia aliis subintroeuntibus consiliariis, suum consilium apud Regem non valere perspexerunt.

Principum aliquot à Cæsare discessio.

Theodoricus Comes pœnitentia ductus pro facinore, quod in Conradum Treverensium præsulem deputatum commisit, licet multa pericula obstarent, ardenti tamen fide cum aliis multis Hierosolymam cœpit ire. Qui cum mare navigio intrarent, subita tempestate circumventi, statim obtenebrata die, quò irent incerti, cœlesti lumine sæpiùs exhilarantur. Deinde non jam mortem in periculis timentes, sed vitam æternam præmeditantes, marinis fluctibus emundati à peccatorum sordibus, migraverunt ad Dominum, XIII. Calend. Martij: quippe Theodoricus Comes, Wideroldus, Marquardus, cum aliis CXIII.

Romæ Alexander Papa decessit: pro quo venerabilis Hildebrandus, Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, communi omnium consilio expetitur Papa constituendus. Quo audito, ipse Archidiaconus se viribus esse imparem tanto honori, imò oneri, reputans, inducias respondendi petiit, & sic fuga elapsus, aliquot dies ad vincula S. Petri occultatus, latuit. Sed tandem vix inventus, & ad Apostolicam sedem vi perductus, Papa CLIX. septimo Calend. Maij ordinatur, & Gregorius VII. appellatur: cujus prudentia, non solùm in Italia, sed etiam in Teutonicis partibus, refrenata est Sacerdotum incontinentia: scilicet, quod prædecessor ejus in Italia prohibuit, hoc ipse in tota Ecclesia Catholica prohibere studuit.

Hildebrandus, qui & Gregorius 7. Pontifex.

Totu Thuringia & Saxonia Regi Heinrico rebellant, propter prædictas munitiones & alia multa, quæ contra voluntatem ejusdem populi Rex in eorum regione fecit inconsultè.

Thuringi & Saxones Cæsari rebelles.

Eggehardus tandem Abbas Augiensis efficitur, & à prædicto Papa Romæ consecratur.

Eckhardus Comes à Nellenburg.

M. LXXIV.

HEINRICUS Rex absentibus sui regni Principibus eo pacto pacificatur cum Saxonibus, ut munitiones prædictæ destruerentur, propter quas seditio orta est, quæ & postea sunt destructæ.

Rudolfus Dux & cæteri reconciliantur Regi.

Hoc tempore legati sedis Apostolicæ in Alemanniam ad Regem venêre, pro ipsius Regis moribus corrigendis, in quorum manus se Rex ipse, sub correctionis sponsione, commisit, suumque auxilium Domino Apostolico, ad deponendos Simoniacos, firmissimè promisit. Ipsi etiam Regis consiliarij omnes res Ecclesiarum injustè acquisitas, se reddituros coram ejusdem legatis, sub Sacramento promisêre: quippe qui easdem res à Simoniacis emerint, consilio suo eosdem indignos ad Ecclesiasticum honorem adjuvando. His ita dispositis, legati sedis Apostolicæ redierunt.

Pontificis ad Cæsarem legatio.

Hermannus Marchio, filius Bertoldi Ducis, Cluniaci vitam angelicam arripiens, perfectissimè adhuc adolescens, uxore & unico filio, & omnibus quæ possederat derelictis, verè monachus, migravit ad Dominum, VII. Calend. Maij.

Hermannus Zæringensis, Bertoldi 1. filius, moritur.

M. LXXV.

HEINRICUS Rex nativitatem Domini Argentorati fecit: expeditionem in Saxoniam [illegible]avit.

Hermannus Babenbergensis Episcopus, à clericis suis pro simoniaca hæresi accusatus, à Papa deponitur, cui Rudbertus substituitur.

Gregorius

Synodus Romana.

Gregorius Papa in prima hebdomada Quadragesimæ synodum Romæ collegit, in qua caussam Episcopi Spirensis, sed Simoniaci, examinavit: qui ipsa die cùm examinaretur caussa ejus Romæ, id est VI. Calend. Martij infirmatus est Spiræ, sed deinde 4. Calend. Martij miserabiliter expiravit, quando & à Gregorio Papa definitam suæ damnationis sententiam in Romana synodo excepit.

Cœlibatus Sacerdotum approbatus.

In eadem synodo decretum est à Gregorio Papa, ut clerici aliquem Sacrorum ordinum, gradum, & officium pretio adepti, deinceps in Ecclesia non ministrent, nec Ecclesiam pretio acquisitam aliquis retineat, nec deinceps alicui Ecclesiam vendere & emere liceat. Deinde ut à clericali officio cessent, quicunque se per incontinentiam reprehensibiles exhibent. Item, ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos prædictas Apostolicas institutiones contemnere percipiat.

Rex Wormatiæ Pascha celebravit.

Post Pentecosten exercitum in Saxoniam promovit, in qua expeditione innumerabilis multitudo VI. Idus Junias, juxta flumen nomine Unstrut / utrinque ceciderunt, & multi ex Saxonibus Regi ad deditionem venerunt.

Detuinus Leodiensis Episcopus decessit: cui Henricus successit.

Aimo venerabilis Coloniensis Archiepiscopus miræ sanctitatis, requievit in pace, II. Nonas Decembris: cui Hiltolfus impar genere & moribus, successit.

M. LXXVI.

REX nativitatem Domini Goslare celebravit, ibique quosdam jurare compulit, ut filium ejus post ipsum eligerent ad regnum.

His temporibus Heinricus Rex per Simoniacam hæresin sanctam Ecclesiam fœdare non cessavit, scilicet pro pretio Episcopatus, Abbatias, & alia hujusmodi investiendo, & inter alia crimina etiam excommunicatis communicando.

Greg. Pontifex capitur.

Cincius quidam Romanus civis, Gregorium Papam, die nativitatis Domini, Missarum solennia celebrantem, comprehendit: quem ita comprehensum quidam ex militibus ejusdem Cincij occidere destinavit: sed cùm gladium supra caput ejus vibraret, nimio terrore correptus, corruit, nec incœptum ictum explere potuit.

Cincius autem Papam in turrim suam captum deduxit, quæ postea statim à Romanis penitus dilapidatur, & Papa prudenter eripitur, qui & suo captori vix à Romanis vitam impetravit.

Cæsari Imperij fasces abrogati.

Cùm autem Rex jamdudum sæpe à Papa præmonitus, se corrigere nollet, & Papa in admonendo nihil proficeret: ad ultimum mandavit ei, quòd in Romana synodo proxima eum excommunicaturus esset, nisi resipisceret: Quæ legatio in octava nativitatis Domini ad Regem pervenit. Unde Rex in septuagesima apud Wormatiam colloquio facto, & alio in Lombardia apud Placentiam, omnesque quos potuit obedientiam prædicto Papæ exhibendam, abjurare fecit: & missa legatione ad Romanam synodum, quæ in proxima Quadragesima celebrata est, ipsum Apostolicum ab Apostolica sede contumaciter jussit descendere. Sed missi ejus turpissimè in synodo tractati, vix à Romanis, adjuvante Papa, evaserunt. Ipsum autem Regem, synodo judicante, fidelitate hominum, regno & communione privavit, & omnes ei ad regnum juratos, juramento absolvit. Omnes Episcopos, qui Regi sponte contra Papam faverunt, officio & communione privavit: reliquis autem, qui inviti eidem conspirationi intererant, usque ad festivitatem sancti Petri, inducias dedit.

Conventus Imperij Oppenheimij.

Godefridus Dux, filius Godefridi Ducis, particeps immò autor supradictæ conspirationis turpiter à quodam coquo, per posteriora, cùm ad necessarium sederet, vulneratus, ante medium noctis expiravit. Item, Wilhelmus Trajectensis Episcopus, multa in Apostolicum conviciatus, subitanea morte, absque Ecclesiastica communione, post Pascha multatur: cui Conradus subrogatur. Jam omnes penè Principes regni à communione Heinrici se sequestrârunt.

Mense igitur Octobri colloquium apud Oppenheim à Principibus regni colligitur, cui legatio sedis Apostolicæ interfuit. Ibi Heinricus in purificatione S. Mariæ tunc proxima, se præsentandum Domino Papæ apud Augustam, firmissimè promisit. Nam & illuc Dominum Apostolicum ipse cum Principibus regni invitavit.

Frater

Frater Kadalaus ex seculari militia conversus, ad Oppenheimense colloquium legationem Papæ detulit, quam eidem, multum ægrotante Papa, in remissionem peccatorum omnium imposuit. Expleta igitur legatione, frater Kadalaus suscepto monachi habitu, sub Evangelica perfectione requievit in pace.

M. LXXVII.

Regnum Poloniæ.

DUX Poloniæ se in Regem coronavit.

Maxima nix totum regnum ante Calend. Novemb. anni prioris, usque in VII. Calend. Aprilis anni præsentis obtinuit.

Henr. Cæsar Pontifici reconciliatus.

Heinricus Rex dictus, propriæ caussæ diffidens, & idcirco generalem autoritatem subterfugiens, furtivè Italiam contra Papæ præceptum & consilia Principum, intravit, & Apostolico ad condictum diem Augustam tendenti, ante purificationem sanctæ Mariæ Canisij obviavit: ubi & ab eo per inauditæ humiliationis simulationem, utcunque potuit, non regni sed communionis tantum concessionem, vix demum extorsit: dato tamen prius Sacramento, ut de objectis criminibus ad judicium Papæ satisfaceret, nec Papæ & alicui ejus fideli usquam eunti & redeunti, aliquam inferre molestiam consentiret. Hoc autem juramentum nec XV. dies observavit, captis venerabilibus Episcopis, Geraldo Ostiensi, & Anselmo Lucensi. Unde & Papa missis legatis Principibus regni declaravit, se parum profecisse in eo, quòd illum in communionem receperit, cum simoniaci & excommunicati non minus tunc foverentur ab eo, quàm pridem. His ergo auditis, Principes regni generali colloquio apud Forcheim 3. Idus Martij habito, egregium Rudolfum Ducem sibi in Regem sublimârunt, quem 7. Cal. Aprilis, ubi eo anno medium Quadragesimæ occurrit, coronârunt.

Rudolphus Rinfeldensis Rex Romanorum.

Maxima autem nix, quæ eo anno tamdiu totam terram obtexit, in electione novi Regis resolvi tandem incœpit.

Seditio Moguntiæ.

In die autem consecrationis ejus, per suggestionem simoniacorum clericorum, maxima seditio Moguntiæ orta est: ita ut etiam palatium irrumpere vellent, & religiosissimos clericos & monachos occidere. Sed dextera Dei milites novi Principis, licet inermes, ita protexit, ut nullum, ne unum ex suis perderent: ex adversariis autem plus quàm centum partim ferro, partim aqua necarentur. Quibus etiam pro homicidiis hujusmodi, à legatis Apostolicæ sedis talis pœnitentia imposita est, ut singuli aut XL. dies jejunarent, aut quadraginta pauperes semel pascerent, nec tamen Ecclesiasticam communionem quasi homicidæ vitarent.

Rudolfus Rex post consecrationem in Sueviam secedens, regnum sibi subjugavit: interim Heinricus Longobardiæ morabatur. Ad quem Cincius civis Romanus, secum ducens captum venerabilem Cumanum Episcopum, nomine Reginaldum, Papiam venit: quippe remunerari volens à Heinrico, eò quòd in servitium hunc modò Episcopum, & in præterito anno Dominum Apostolicum, captaverat. Sed ibi subitanea morte præventus, debitam remunerationem accepit, quam tot sacrilegiis promereri non timuit.

Heinricus audita promotione Rudolphi, auxilium Papæ contra illum imploravit, licet supradictum Ostiensem Episcopum in captione adhuc teneri permiserit. Unde & Papa illi respondit: Se non posse ejus interpellationi satisfacere, quamdiu apud illum sanctus Petrus in legato suo ligatus teneretur. Frustrata ergo supplicatione sua, animum in tyrannidem convertit, nec jam regnum per justitiam, sed per violentiam obtinere cogitavit.

Vlricus de Lentzburg. Comes.

Rex autem Rudolfus apud Augustam gloriosissimum Pascha celebravit, cum legatis Apostolicæ sedis, ex quibus unus, religiosissimus scilicet Abbas Bernhardus, Romam dirigitur, sed ab Uldarico, Comite de Lentzburg, Henrici complice, captus & prædatus, annum penè dimidium in captivitate mansit, quem Cluniacensis Abbas de manibus Henrici vix demum eripuit.

Conventus Imperij Eslingæ.

Rex autem post Pascha generale colloquium apud Ezzelingen cum Principibus regni collegit, quo soluto, ipse cum admodum paucis, ad obsidendum quoddam castellum perrexit. Sed ecce ex improviso æmulus ejus Henr. cum maxima multitudine Bohemorum

morum & Bajoariorum advenit, quos cum rebus Ecclesiarum de repente sibi comparare potuit. Quibus libentissimè Rex cum ipsis paucis, quos eo tempore habuit, obviasset, si non Principes ejus hoc in aliud tempus differendum cautiùs judicassent. Heinricus igitur accepta occasione, omnia circumquaque præda, ferro, & igne non cessavit devastare. Nam fautores ejus ex Bohemia, homines libentiùs quàm pecudes prædabantur, ut eos usque ad satietatem suæ libidinis inhumanæ prostituerent, & posteà inhumaniùs eos Cynocephalis devorandos venderent.

Rex autem Rudolfus, celebrata Pentecoste apud cellam S. Aurelij, legatum quendam ad Apostolicum direxit, & ipse in Saxoniam properavit.

Eo tempore Heinricus imposita sibi corona apud Ulmam, interdictum regnum usurpavit: ubi & prædictum Comitem Uldaricum de Lentzburg, ut optimè promeritum, inbeneficiavit, eò quòd venerabilem Abbatem Bernhardum, Apostolici legatum, adhuc in captione cruciaret.

Wercellensis quoque Episcopus, depositi Regis Cancellarius, cum omnibus suis sequacibus, colloquium generale circa Calendas Maij in Runcalibus condixit, ut si aliquo modo posset, Gregorium Papam deponeret: sed ipse ad eundem terminum absque Ecclesiastica communione, vitam simul & Episcopatum heu miserabiliter deposuit, quo ille Papam nefaria præsumptione statuit deponere. Non multò post ejus interitum, præfectus Romanæ Urbis, indefessus miles S. Petri contra schismaticos, à quodam fautore Heinrici crudeliter occiditur: ad cujus corpus in parvo tempore, plus quàm viginti miracula contigerunt, ut fidelium virorum relatione didicimus.

Imbrico Augustensis Episcopus, qui in præterito Pascha Rudolfo Regi fidelitatem juravit, nil de perjurio curans, Heinrico advenienti adhæsit, & apud illum quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, ut sacræ oblationis perceptio, in judicium ei proveniret, si Dominus ejus Heinricus regnum sibi injustè usurparet. Post hanc temerariam perceptionem, parvo quod supravixit usque ad mortem, nunquam se sanum de lecto levavit. Nam circa Calendas Julij absque Ecclesiastica communione defunctus est.

Item Sigehardus Aquileiensis Patriarcha in auxilium Heinrico contra bannum Apostolici, armatu manu veniens, in amentiam vertitur, apud Ratisponam, & ex ipso itinere repentina morte intercipitur: sicque domum, non sine aliquibus suorum funeribus, in corpore & anima mortuus, reportabatur.

Augusto mense jam penè transacto, Heinricus cum schismaticorum multitudine procinctum in Saxoniam promovere decrevit: cui Rudolfus Rex cum Saxonibus usq; Herbipolim obviam processit, & eandem Urbem, sibi rebellantem, obsedit. Quò dum fideles ejus ex Suevia properarent, in Heinricum ejus æmulum offenderunt: qui à facie eorum secedens, plus quàm centum homines in una Ecclesia sibi resistentium, concremavit, sicque ultra Rhenum fugiens, ab incœpto itinere fideles Regis divertere non potuit.

Eo tempore Papa utrique Regi, ex parte S. Petri præcepit, ut treugas ad invicem facerent, & adventum ejus ad Teutonicas partes, pro dirimenda lite non impedirent, sed debitum consilium & auxilium ad hoc iter ei præberent. Legatis autem suis, qui adhuc in Teutonibus partibus morabantur, præcepit, ut ex duobus Regibus illum excommunicarent, qui prædictæ legationi non obediret: obedientem verò ex parte S. Petri in regno confirmarent, quod & non multò post factum est: scilicet in die sequenti post festivitatem sancti Martini, Goslare, Heinrico pro inobedientia iterum excommunicato, Rudolfo pro obedientia in regnum sublimato. Nam Heinricus prædictam legationem Papæ nec suscipere dignatus est, nec animum ad treugæ compositionem, sed ad tyrannidis crudelitatem intendit.

Henricus denuò excommunicatur

Geraldus venerabilis Ostiensis Episcopus, de quo suprà commemoravimus, jamdudum seculo vivus, mundo crucifixus, de hujus vitæ ergastulo liberatus est, IX. Idus Decembris.

Agnetis Augustæ obitus.

Agnes religiosissima imperatrix, jam XX. annis in viduitate Deo devotissimè serviens, nec filio suo Henrico contra Apostolicam sedem in aliquo consentiens, Romæ requievit in pace, sepulta Romæ in Ecclesia sanctæ Petronellæ.

Heinri-

M. LXXIIX.

HEINRICUS iterum Apostolicæ sedi de sua quasi injusta damnationeconqueritur: unde Gregorius Papa facto Concilio mense Martio (in quo Concilio facta est exceptio quarundam personarum de Heinriciana excommunicatione, & hoc utique ad tempus, id est uxorum, filiorum, servorum & reliquorum, qui non scienter vel saltem non libenter excommunicatis sociantur) idoneos legatos iterum destinavit, qui facto generali colloquio, causam regni justè determinarent: & omnes synodali sententia damnavit, quicunque impedirent, ne colloquium fieret. Quod Rudolfus libentissimè voluit fieri: Henricus autem, utcunque potuit illud impedire, non cessavit. Nam contra Apostolicum præceptum maxima multitudine flagitiosorum adunata, procinctum in Saxoniam paravit, cui Rex Rudolfus apud Struvæ cum exercitu obviavit: & illo fugato, ipse campum victoriæ obtinuit, VII. idus Augusti. Occubuit tamen ibi ex parte Rudolfi, Wecel, venerabilis Magideburgensis Episcopus, & Wormatiensis Episcopus captus est. Infinita autem multitudo utrunque occubuit: plures tamen & excellentiores ex parte Heinrici.

Conflictus Rudolfi cum Heinrico

Eodem tempore, cum Alemanni facto exercitu ad dominum suum Regem Rudolfum properarent, penè XII. millia conjurati populi transitum Neccari fluvij illis prohibentia, partim occiderunt, plurimos autem misericordiùs castigando, eunuchiazaverunt, deindequandam munitionem inimicorum facto impetu occupaverunt Rudolfo ergo in Saxoniam reverso, Heinricus de repente recollectis viribus, Alemanniam præda, ferro & igne, circa festum Omnium Sanctorum, devastavit, terram videlicet Catholicorum Ducum Bertoldi atque Welfonis, & aliorum sancti Petri fidelium penitus dissipare aggressus est. Tunc quoque parum minus quàm centum Ecclesiæ in illa expeditione violatæ sunt.

Heinricus Sueviam populatur.

Eodem etiam tempore ex parte Rudolfi Bertoldus Carinthiorum Dux, piæ memoriæ, & Heinricus Marchio, obijt in pace.

Bertoldi I. Zeringiæ Ducis obitus.

Facto autem alio Concilio Romæ, X. Cal. Decemb. utriusque Regis legati, licet non eadem veritate in synodo juravêre, quod Domini eorum non impedirent colloquium pro causa regni statuendum. Unde & Papa ea vice inter eos judicare non potuit: quamvis bene sciret, cui parti magis justitia faveret. In synodo ista Beringarius Andegavensis Canonicus, ut ab hæresi sua resipisceret, synodaliter convenitur, eique induciæ usque ad proximè futuram synodum dantur.

M. LXXIX.

GREGORIUS Papa synodum Romæ, mense Februario, collegit, in qua Beringarius jam tertiò convictus, hæresin suam abjuravit, & anathemizavit, quæ asserit: Corporales res in altari positas, non verè, sed figuratè tantum, in corpus & sanguinem Domini transire.

Berengarij palinodia.

In eadem synodo Henricus Aquileiensis Patriarcha Papæ juravit: Nulli se deinceps communicaturum, quem sciret à Papa excommunicatum. In hac synodo Papa Presbyteros deinceps in fornicationem lapsos, absque spe recuperationis, deposuit, & scriptum quod dicitur sancti Udalrici, ad Papam Nicolaum, de nuptijs Presbyterorum, & capitulum Paphnutij de eadem re, imo omnia sacris Canonibus adversa, damnavit. In hac synodo Legati Regis Rudolfi super Heinricum proclamaverunt, eò quòd totum regnum confundere, & sanctam Ecclesiam conculcare non cessaret. Iterum ergo Papa legatos suos pro causa regni determinanda, ad Teutonicas partes destinavit, videlicet venerabilem Petrum Albanensem Episcopum, Petrum inquam illum, qui jamdudum Florentinum Episcopum, nomine Petrum, probavit Simoniacum: quippe per medium ignem transiens absque læsione. Unde & igneus cognomine, Albanensem episcopatum promeruit obtinere: cum quo Udalricus Paduanus Episcopus in legationem destinatur. Legatus autem Henrici, Legatos Papæ (priusquam abirent) in eadem synodo jurejurando securos fecit, de conductu & obedientia Domini sui. Item legatus Rudolfi de obedientia Domini sui juravit in synodo. Legati ergo sedis Apostolicæ in Teutonicam terram pervenientes, obedientiam Rudolfi, & in obedientiam Heinrici indubitanter probaverunt: quod & postea cùm redirent, Papæ viva voce protestati sunt.

In hac æstate venerabilis Abbas Massiliensis Bernhardus, vir plenus charitate requievit in pace, XIII. Calendas Augusti.

Doctor Adalbertus, facto verboque disertus, jam XXX annis mundo crucifixus, & in fine ad Evangelicam perfectionem perductus, migravit ad Dominum, tertio nonas Decembris.

M. LXXX.

Henr. à Rudolfo in fugam actus

ITERUM Heinricus post Epiphaniam cum exercitu in Saxoniam venire disponens, à Rudolfo, sexto Calendas Februarij, fugatur, nec tamen à cœpta tyrannide compescitur. De qua expeditione Rudolfus statim legatum Romam ad synodum direxit.

Idem à Pontifice anathemate ictus.

Guibertus Antipapa

Gregorius Papa synodum Romæ, mense Martio, collegit, ad quam de Teutonicis partibus prædictæ sedis Apostolicæ Legati redierunt, & omnimodam Rudolfi obedientiam, & Heinrici inobedientiam Domino Apostolico renunciaverunt: unde ipse in fine synodi Heinricum deposuit, ipsumque cum omnibus suis fautoribus anathemizavit, & Rudolfum Apostolica auctoritate in regia dignitate confirmavit. Unde æmulus ejus congregata multitudine omnium schismaticorum sive excommunicatorum, apud Brixinam legitimum Papam abjuravit, & Guibertum Ravennatem quondam Episcopum, sed jam triennio à Papa Gregorio irrecuperabiliter depositum & anathemizatum, sibi non in Papam, sed in hæresiarcham, elegit. Deinde apud Maguntiam conventu facto, eandem ipsam electionem, à quibuscunque potuit, confirmari fecit.

Rudolfi Regis interitus.

Jam autem mediante Octobri, Heinricus expeditionem in Saxoniam iterum parans, à militibus Rudolfi itinere unius diei fugatur: quamvis in eadem congressione Rudolfus Rex piæ memoriæ occubuerit. Ille inquam alter Machabæus, cùm inter primos hostium instaret, in servitio sancti Petri occumbere promeruit: & postea uno die superstites, omnibus suis ritè ordinatis, ad Dominum migrasse non dubitatur, idibus Octobris. Regnavit autem tres annos & dimidium. De cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, & maximè pauperes doluerunt. In cujus, animæ commendationem, Saxones innumerabiles Eleemosynas fecerunt. Erat enim proculdubio pater patriæ, servantissimus justitiæ, indefessus propugnator sanctæ Ecclesiæ. Sepultus autem est apud Merseburg gloriosissimè.

Eodem die decessionis ejus, in Longobardia milites prudentissimæ Ducis Mathildæ fugantur ab exercitu penè totius Longobardiæ, apud Vultam prope Mantuam.

Ipsa quoque die Giselbertus religiosissimus Presbyter & Monachus: & Rudolfi Regis ad Papam legatus, Longobardiæ requievit in pace.

His temporibus Henricus totam Italiam adeò conturbavit, ut nullus securè ad limina Apostolorum posset ire, qui non prius abjuraret, quod ad Papam Gregorium diversurus non esset.

M. LXXXI.

Henr. Italiã cum exercitu ingreditur.

HEINRICUS post obitum Regis Rudolfi, Veronam in Pascha venit, & inde ad invadendam Romam, cum suo non Apostolico, sed apostata Guiberto utputa Domini Apostolici non semel perjuro & anathemizato, profectus, sed macte reversus est.

Hermannus Lucelburgensis contra Henricum Rex creatus.

Eodem tempore Principes regni Teutonicorum, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones & Comites, conventu facto, Hermannum nobilem virum, sibi in Regem elegerunt: qui statim eodem conventu aciem contra fautores Heinrici direxit: ipsi enim electionem ejus impedire volentes, eodem tempore maximam multitudinem contraxerant. Sed novo Rege ex improviso irruente, omnes penitus aut cæde prostrati sunt, aut irrevocabiliter fugati: licet regijs militibus, se insequentibus, non parvo præstarent numero. Quapropter Rex de divino auxi-

no auxilio tali Triumpho certificatus, eadem nocte in campo victoriæ castra metatus est, & postea ad subjugandum sibi regnum digressus est. Electus est autem ante festum S. Laurentij, & in sequente die, post festum ejusdem Sancti, de inimicis triumphavit, in confinio Bajoariæ, in loco qui dicitur Hostette: postea in Saxoniam consecrandus discessit.

M. LXXXII.

HERMANNUS Rex nativitatem Domini gloriosissimè celebravit Goslare. Ibi etiam in festo S. Stephani eò quòd Patronus ejus fuerit, Regiæ dignitatis unctionem & coronam, Principibus regni annitentibus ab Episcopis solenniter accepit.

Novi Regis inauguratio.

Heinricus autem in Italiam assumpto apostata suo Guiberto, iterum Romam invisurus, proficiscitur, adunata multitudine schismaticorum: ibique ea æstate moratus, penè incassum laboravit: nisi quod milites suos quibusdam castellis, ut facerent guerram Romanis, imposuit, quia eum nec hac vice Romam intrare permiserunt. Ignem quoque in domum sancti Petri per quendam traditorem immittere voluit: Sed Dei misericordia protegente, non potuit. Cogitavit enim ut de improviso portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis, ad incendium restinguendum concurrerent: unde ignem domibus quibusdam sancto Petro contiguis immitti fecerunt. Sed Dominus Apostolicus huic versutiæ obviavit. Nam primùm viso incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda transmisit, ipseque solus fiducia sancti Petri fretus, facto signo crucis contra incendium, ignem progredi ulterius non permisit.

Heinricus iterum in Italiam.

Igitur Heinricus capto venerabili Episcopo de Sutria, aliisque nonnullis, suoque apostata Guiberto in Tiburtina urbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam revertitur.

Hermannus autem Rex multùm de adversitate sedis Apostolicæ dolens, eamque de manu Heinrici liberare volens, expeditionem in Italiam paravit; unde & de Saxonia in Sueviam venit.

M. LXXXIII.

HERMANNUS Rex nativitatem Domini in Suevia, cum Principibus regni satis honorificè celebravit. Inde cùm exercitum in Longobardiam movere vellet, molesta sibi legatio de Saxonia venit: quippe quòd Otto Dux, prudentissimus miles obierit, quem in Saxonia pro Capitaneo omnium suorum reliquit, in cujus obitu maximum schisma futurum non dubitaret, nisi hujusmodi schisma anticipare maturaret. Hac ergo necessitate postposita expeditione, Saxoniam festinanter redire compellitur.

Iterum Heinricus cum multitudine schismaticorum sive excommunicatorum, ante Pentecosten Romam impugnaturus aggreditur: sicque Guibertum Ravennatem, perjurum, depositum & anathemizatum, apud sanctum Petrum inthronizavit, non per Ostiensem, & Albanensem, & Portuensem Episcopos, qui hoc privilegium habent, ut & Papam consecrent: sed per Mutinensem & Ariminensem Episcopos: utpote jam multis annis depositos & anathemizatos.

Guibertus Antipapa in sedem locatus.

Statim ergo juxta sanctum Petrum quendam monticulum, nomine Palatiolum in castellum, eique milites multos, ut impugnarent Romanos, imposuit, qui eum Transtyberinas urbis regiones nullo pacto intrare permittebant. Multi tamen jam ex Romanis consenserant, partim pretio inducti, partim multis promissionibus seducti, omnes autem æqualiter jam triennij impugnatione nimium fatigati. Quid plura? omnes penè Romani, præter Principem Salernitanum, hoc laudaverunt, ut Papa Gregorius synodum in medio Novembri colligeret Romæ, cujus synodi statuta de

cauſa regni, nec Heinrico nec Romanis, imò nulli penitus, liceret prævaricari. Heinricus quoque ituris ad illam ſynodum & redituris, ſecuritatem jurejurando fecit. Unde & Papa omnes religioſos Epiſcopos & Abbates ad ſynodum literis ſuis vocavit.

Reverſo ergo Heinrico Longobardiam, milites ejus quos in caſtello prope ſanctum Petrum dimiſit, repentina mors penè omnes invaſit. Inter quos & Udalricus Goſcezehim, abſque Eccleſiaſtica communione, heu miſer, interijt, auctor hujus ſchiſmatis & incenſor conſpirationis. Ex quadringentis autem militibus, qui in illo caſtello pro cuſtodia dimiſſi ſunt, vix triginta gladium ſancti Petri, ut ajunt, conceſſa vita, evaſerunt: ipſum autem caſtellum à Romanis penitus ſolo adæquatum eſt.

Heinricus ergo Ravennate ſuo interim Ravennam tranſmiſſo, ad prædictam ſynodum profectus eſt, quò & legati Teutonicorum Principum ire debuerant: ſed ab Heinrico in via apud forum Caſſij capti & ſedati ſunt, circa feſtum ſancti Martini: licet omnibus ſynodum illam petentibus ſecuritatem juramento promiſerit. Unde & Romani multa contra Heinricum murmurare cœperunt. Erant autem religioſiſſimi Monachi & clerici, quos in captivitate fecit cruciari: cum quibus & Ottonem venerandum Oſtienſem Epiſcopum captivatum, videlicet, ad ipſum ab Apoſtolica ſede tranſmiſſum. Multi tamen ex Francigenis ad illam ſynodum, tam Epiſcopi quàm Abbates pervenerunt. Meliores autem Epiſcopi & Domino Apoſtolico magis neceſſarij, id eſt, Hugo Lugdunenſis, Anshelmus Lucenſis, Reginaldus Cumanus, ſpecialiter à Heinrico ad ſynodum pervenire prohibiti ſunt. Dominus tamen Papa ſynodum tribus diebus ſolenniter celebravit, & ne Heinricum iterum ſpecialiter anathemizaret, vix à ſynodo exoratus: omnes tamen excommunicavit, quicunque aliquem ad ſanctum Petrum & Papam venientem, impedirent quoquomodo.

Synodus Romana ſuper negotio regni

Sed jam advenit terminus, ad quem Romani, neſciente Papa, hoc Heinrico ſe effecturos juraverant, ut aut Gregorius Papa eum incoronaret: aut alius, quem ipſi illo expulſo, eligerent. Quod juramentum licet in præterita æſtate factum fuerit: omnes tamen intimos Papæ uſque ad terminum penè latuit.

Romanorum cavillum.

Adveniente ergo termino, Romani Papæ de juramento manifeſtaverunt, dicentes: Se hoc juraſſe, non ut Papa ſolenniter regali unctione incoronaret, ſed tantùm ſimpliciter, ut ei coronam daret. Annuit ergo Papa eorum votis, ut eos à juramento abſolveret, videlicet Heinrico; ſi vellet cum juſtitia: ſin autem cum maledictione, coronam daret. Unde Romani mandaverunt, ut veniret ad accipiendam coronam cum juſtitia, ſi vellet: ſin autem, de caſtello ſancti Angeli per virgam ſibi demiſſam à Papa reciperet. Sed Heinrico utrumque recuſante, alium legatum illi dixêre, qui eos bello defenderet, ſi neceſſe eſſet. Se bene attendiſſe quid juraverint, nec ſe amplius eo juramento detineri obnoxios. Igitur Domino Papæ multò firmiùs, quam pridem, conſilio & auxilio adhæſêre.

Heinricus autem multò inſtantius pro eis ſua parte applicandis, nunc minando, nunc promittendo, laboravit: multùmque tempus circa Romam moratus, huic negotio invigilavit.

His temporibus piæ memoriæ Stephanus, quondam Rex Ungarorum, qui ſeipſum cum ſua gente ad fidem Chriſti convertit, poſt quadrageſimum obitus ſui annum, miraculis claruit.

Salamon Rex Ungarorum, ſed regia dignitate indigniſſimus, prædicti Heinrici cognatus, à conpatriota ſuo, nomine Ladislao, regno privatus, incarceratur, & ille pro eo regia dignitate ſublimatur.

Beringarij obitus.

Beringarius, novæ hæreſis de corpore Domini auctor, eo tempore deficiens abijt in locum ſuum: qui licet eandem hæreſin ſæpiſſimè in ſynodo abjuravit, ad vomitum tamen ſuum canino more non expavit redire. Nam & in Romana ſynodo canonicè convictus, hæreſin ſuam in libro à ſe deſcriptam, combuſſit, & abjuratam anathemizavit, nec tamen poſtea dimiſit.

Schiſma imperij ſeptenne.

Sed jam ſeptennio totum Romanum Imperium civili bello, nimio ſchiſmatis diſſidio, laboravit: alijs quidem Domino Apoſtolico, alijs autem Heinrico faventibus, ob hoc utrinque totum regnum præda, ferro & igne miſerabiliter devaſtantibus: pauciſſimi Catholici Epiſcopi ex parte Apoſtolici remanſerunt, qui

& à

& à propriis sedibus expulsi, suis gregibus providere non permittebantur. Quapropter omnes penè religiosi, sive Clerici sive Laici, in aliqua Monasteriorum latibula hujusmodi mala declinaverunt: ne videlicet devastationem sanctæ Ecclesiæ cernerent, cui in nullo adminiculari possent. Satius enim illis videbatur, ut saltem seipsos delitescendo salvarent, quàm pro alijs incassum laborando, cum eisdem perirent.

Eodem autem tempore in regno Teutonicorum tria monasteria cum suis cellulis, regularibus disciplinis instituta, egregiè pollebant: quippe cœnobium S. Blasij in nigra sylva, & S. Aurelij, quod Hirsaugia dicitur, & sancti Salvatoris, quod Schafhusin dicitur, id est navium domus. Ad quæ monasteria mirabilis multitudo nobilium & prudentium virorum hac tempestate in brevi confugit, & depositis armis Evangelicam perfectionem sub regulari disciplina exequi proposuit: tanto inquam numero, ut ipsa monasteriorum ædificia necessariò ampliarint: eò quòd non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaque monasteriis nec ipsa exteriora officia per seculares, sed per religiosos fratres administrantur, & quantò nobiliores erant in seculo, tantò se contemptibilioribus officijs occupari desiderant, ut qui quondam erant Comites & Marchiones in seculo: nunc in coquina & pistrino fratribus servire, & porcos eorum in campo pascere, pro summis computent delitiis. Ibi nempe & porcarij & bubulci præter habitum iidem sunt, qui Monachi. Tanto autem charitatis ardore omnes fervent, ut quilibet eorum, non tam suum quàm alienum desideret profectum, & in exhibenda hospilitate insudant tam mirabiliter, ac si se perdidisse æstiment, quicquid pauperibus Christi & hospitibus non erogaverint.

Monasteriũ S. Blasij. Hirsaugiense. Schafhusianum.

M. LXXXIV.

HERMANNUS Rex nativitatem Domini in Saxonia celebravit. Æmulus autem ejus in Romanorum finibus hyemavit, ibique Guibertum Ravennatem suum, Romam venturum expectavit, ut ab eo apud S. Petrum incoronaretur, eòquod Gregorium Papam ad Henricum flectere non posset, ut eum nisi legitimè reconciliatum, incoronare vellet.

Reginaldus Cumanus Episcopus, scientia & religione clarissimus, & ob hoc Gregorij Papæ adjutor studiosissimus, migravit ad Dominum, VI. Cal. Febr.

Welpho Dux Bajoariæ, civitatem Augustam, à quodam Sigefrido, nec nominando Episcopo, cum Bajoarijs invasam, viriliter eripuit, eamque legitimo pastori Wigoldo subjugavit.

Augusta Vindelicorũ.

Sigefridus Moguntiensis Archiepiscopus, Gregorio Papæ per multas tribulationes adjutor indefessus, requievit in Pace.

Regina Anglorum obiit, uxor Willehelmi Regis, qui totam terram Anglorum, Romano Pontifici tributariam fecit, nec aliquem in sua potestate aliquid emere aut vendere permisit, quem Apostolicæ sedi inobedientem deprehendit.

Decessus reginæ Angliæ.

Rex Ungarorum Latislaus, parti Catholicorum assentaneus, æmulum suum Salemonem de carcere relaxatum, Ratisponam ad uxorem suam ire permisit, licet ingratam. Nam nec illa nec ille conjugale fœdus ad invicem eatenus servaverant: imò contra Apostolum, se ipsos fraudare non timuerunt. Erat autem ipsa soror Henrici sæpè nominati, quæ & ab ipso jam diu Ratisponæ sustentabatur, etiam antequam maritus ejus captivaretur.

Regni Hungariæ æmulus Henrici Cassororum.

Heinricus Aquileiensis Expatriarcha, non semel Domini Apostolici perjurus & excommunicatus, in corpore & anima moritur.

His temporibus Constantinopolitanus maximam pecuniam Heinrico quondam Regi transmisit, ut Ruodbertum Wiscardum, Ducem Calabriæ & Apuliæ, conjuratum militem Domini Papæ, in ultionem ejusdem Regis, bello appeteret. Nam Ruodbertus jamdudum fines Constantinopolitanorum invasit, iterumque illuc expeditionem movere disposuit: sed Heinricus acceptam pecuniam, non in procinctum contra Ruodbertum, quod juramento promisit: sed ad conciliandum sibi vulgus Romanum, expendit, cujus adjutorio Lateranense palatium, feria quinta ante Palmas, cum suo Ravennate Guiberto, intravit. Nobiles autem Romani præter admodum paucos, cum Domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & XL. obsides ei dederunt. Papa autem in

in castellum S. Angeli se recepit, omnesque Tyberinos pontes, & firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate.

Henricus Cæs. imperiali diademate Romæ insignitus.

In die resurrectionis Dominicæ, Heinricus à Hæresiarcha suo Ravennate, coronam non gloriæ, sed confusionis, accepit. Nam hujusmodi coronator, juxta attestationem Sanctorum Patrum, non benedictionem quam perdidit, sed damnationem quam habuit, suo coronato imposuit. Erat enim ipse Ravennas Archiepiscopus, & omnimodam obedientiam Romano Pontifici juravit, quam & nonnullo tempore fideliter exequutus est: sed non multò post spreto juramento, singulari contumacia contra Apostolicam sedem erigitur. Unde ab Apostolica sede & ab Episcopis totius Ecclesiæ in Romana synodo, post Canonicas inducias, irrecuperabiliter deponitur & anathemisatur, nec hoc semel, nec in una synodo, sed in omnibus synodis quotquot jam sexennio Romæ celebratæ sunt. Hic ergo in perjurio ita inveteratus, & pro eodem sæpiùs irrevocabiliter depositus & anathemisatus, sedem Romani Pontificis cui obedientiam juravit, pro manus anathematizatorum, utpote sui similium præterito anno invasit: legitimo pastore adhuc eidem sedi præsidente: nempe Mutinensis & Aretinus, Exepiscopi, cum reliquis excommunicatis eum ordinaverunt. Qui etiamsi Catholici essent, & Apostolica sedes pastorem non haberet, nullum tamen eidem sedi Pontificem ordinare possent. Hujus enim ordinationis privilegium solis Cardinalibus, Episcopis, Ostiensi, Albanensi & Portuensi, à sanctis Patribus est concessum, nec aliquibus alijs conceditur, ipsis hoc adimplere valentibus. Sed hi libentiùs omnia extrema paterentur, quam tam sacrilegæ ordinationi, tanquam superbissimæ præsumptioni miscerentur, quem & ipsi cum Domino Apostolico, synodali judicio canonicè damnârunt. Ergo Mutinensis & Aretinus cum reliquis hæreticis, Ravennatem illum non in Romanam Patriarcham, quod nullo modo potuerunt: sed in damnatissimum hæresiarcham promoverunt, ut quantò altiùs inter ipsos emineret, tantò majoris damnationis privilegium possideret. Quapropter & Heinricus ab eodem incoronatus, damnationem ejus hæreditasse non dubitatur. Similiter & omnes quicunque aliquid, quod à Domino Papa suscipiendum esset, à prædicto hæresiarcha quasi susceptum, usurpaverunt. Morabatur autem Heinricus in Lateranensi palatio cum Ravennate suo: nec à fidelibus Papæ per civitatem ad sanctum Petrum transire permittebatur, sed in ipsa Paschali hebdomada fideles aggreditur, in qua congressione XL. penè inter mortuos & vulneratos perdidit, nam reliqui fugerunt; ex parte autem Domini Papæ, nec unus cecidit.

Digressio in Guibertum Antipapam.

Hermannus autem Rex Pascha celebravit in Saxonia, ubi & maximæ treugæ inter fideles Domini Papæ, factæ sunt, quæ & in toto Teutonicorum penè regno, non multò post confirmatæ sunt.

Heinricus Imp. à Duce Calabriæ Romæ profligatus.

Robertus Wiscardus Dux Nortmannorum, in servitium sancti Petri, post Calendas Maij Romam armata manu invasit, fugatoque Heinrico, totam urbem Gregorio Papæ rebellem, penitùs exspoliavit, & majorem ejus partem igni consumpsit, eò quòd Romani quendam ejus militem vulneraverunt. Deinde acceptis obsidibus à Romanis, & in castello sancti Angeli, quod domum Theodorici dicunt, reservatis, ipse ad recuperandam terram sancti Petri reversurus, in brevi plurima castella & civitates Domino Papæ recuperavit. Heinricus autem Ruoberto resistere non valens, ad partes Teutonicorum satis festinanter revertitur.

Eodem tempore milites prudentissimæ Dominæ Machtildæ in Longobardia contra fautores Heinrici & inimicos sancti Petri viriliter pugnaverunt, è quibus Episcopum Parmensem & sex Capitaneos, cum alijs ferè bonis militibus centum, ceperunt. Equos etiam plus quàm quingentos & loricas plurimas, & omnia tentoria inimicorum pleniter potiti, victoriam habuerunt.

Imp. in Germaniam reversus Suevos adoritur

Heinricus verò circa Calend. Augusti expeditionem in Sueviam paravit, sed Suevis sibi obviantibus pugnare noluit, quamvis eum erectis vexillis pluribus diebus ad pugnam provocaverint, & ex suis plus quàm centum occiderunt & captivaverunt. Nam prope Licum flumen castrametatus est, cujus ripa munitus, ab hostibus non facile potuit invadi. Suevi autem ex altera parte fluminis in conspectum ejus castrametati sunt, satis à ripa separati, ne hostibus facultatem transvadendi interclusisse viderea-

derentur,sed frustra. Nam Heinricus transire noluit,& potiùs non præsumpsit,qui & post discessum Suevorum timens insidias eorum, unũ penè diem ripam relinquere pertimuit. Tandem Heinricus Ratisponam revertitur, inde ultra Rhenum Moguntiam proficiscitur. Nihilominus & Suevi ultra Rhenum Burgundiam cum expeditione proficiscuntur, & quoddam castellum Bertoldi * Ducis, † filij Regis Ruodolphi à fautoribus Heinrici obsessum, viriliter eripuerunt. Nam quibusdam rapidissimis fluminibus transuadatis & potius transnatatis, adeò obsessores castelli, licet adhuc longè positi, perterruerunt, ut reliquis papilionibus, equis & loricis, ab obsidione passim diffugerent, nec deinceps in illa expeditione, Suevis terram eorum, ferro, præda & incendio vastantibus, resistere præsumerent. Erepto ergo castello congruis alimentis in annum præmunito, destructisque quibusdam inimicorum munitionibus, Suevi cum pace in sua rediere.

** Bertholdi Ducis Sueviæ, cujus Pater Bertholdus de Zeringen obiit, ut supra, anno 1078.*

† i. generi.

Interim Heinricus congregata multitudine schismaticorum, Wecilonem clericum, Halverstatensis Episcopi fugitivum, Moguntinensi Episcopatu remuneravit: eò quòd illi in omni pertinacia contra Dominum & sanctum Petrum, indefessus cooperator adfuit. Qui ipse jam dudum anathemisatus, & ab anathemisatis electus, nihilominus etiam ab anathemisatis, juxta Pelagium Papam non consecratus, sed execratus est. Nam juxta beatissimos Patres Innocentium, Leonem atque Gregorium, nihil nisi damnationem & maledictionem à damnatis accipere potuit.

Dominus autem Papa collecta Synodo, iterum sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham, & Heinricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod & in festo S. Joannis Baptistæ præterito jamdudum Romæ fecit, cùm Heinricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiaam legati sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus, in terra Teutonicorum usque quaque divulgârunt.

Pontificis in Henricum dira in Germania divulgata.

Ostiensis quoque cùm in Alemannia moraretur, sanctæ Constantiensi Ecclesiæ jamdudum viduatæ Catholicum pastorem ordinavit, scilicet Gebehardum Bertoldi Ducis filium, nobilem quidem genere, sed nobiliorem in monachica conversatione. Hunc sanè invitum, imò multum ejulantem ac reclamantem, Constantiensibus clericis & laicis petentibus & laudantibus, undecimo Calend. Januarij, Episcopum consecravit, quem pridie, id est festo sancti Thomæ, cum aliis clericis Presbyterum fecit: inter quos & horum Chronicorum Scriptorem in eadem solenniter in Presbyterum promovit, eique potestatem ad suscipiendos pœnitentes ex Apostolica authoritate concessit.

Gebhardus de Zeringen Episcopus Constantiensis.

Auctor de seipso.

M. LXXXV.

HERMANNUS Rex nativitatem Domini Goslare celebravit, ad quem præfatus Ostiensis Episcopus post Epiphaniam pervenit in Saxoniam, & colloquio interfuit quòd Saxones contra Heinrici fautores condixerunt, ut hoc illis probarent, se jure Heinricum vitare ut excommunicatum. Quod & facto colloquio, decimo quinto die post Epiphaniam, firmissimè probaverunt: ea videlicet ratione, quia Romanus Pontifex illum eis à se in Romana Synodo anathemisatum, literis denunciavit. Adversarij autem eis objecerunt: quòd Papa eum nequiverit excommunicare, eò quòd expoliatus non potuerit vocari, judicari, sive damnari. Ad hæc Saxones responderunt: se judicium sedis Apostolicæ nec debere retractare, nec posse: hoc cum illo potius tractandum, qui illum damnaverit, non cum Saxonibus, quòd damnationi ejus non interfuerint, qui sedis Apostolicæ judicio nullam retractationem sed obedientiam debuerint. Ita ergo soluto colloquio discessum est ab invicem.

Eo tempore Hildensheimensis Episcopus, cum suis sequacibus manus Saxonum vix evasit, eò quòd contra commune votum totius Saxoniæ Heinricianis se admiscuerit. Pro eadem etiam culpa Comes Theodoricus eodem tempore occisus est,

 à nostræ

à nostræ partis fautoribus. Præfatus quoque sedis Apostolicæ legatus, prædicto Episcopo cùm nollet resipiscere, officium penitùs interdixit.

Quendelburgensis Synodus contra Henricum à Pontificiis indicta.

Hermannus Rex in Quintilineburg Pascha celebravit, ubi & legatus Domini Apostolici in ipsa Paschali hebdomada, generalem synodum cum Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, S. Petri fidelibus, solenniter celebravit. Interfuit autem huic synodo, Gebehardus reverendissimus Juvaniensis Archiepiscopus, item venerabilis Hartungus Magideburgensis Archiepiscopus, cum suis suffraganeis. Item suffraganei Moguntiæ sedis de Saxonia. Nam Wirceburgensis & Wormatiensis, Augustensis quoque & Constantiensis de Alemannia, quique ipsi canonica necessitate impediti, venire non potuerunt, per legationem suam se sancto Concilio repræsentaverunt, seque per omnia ejusdem Synodi statutis assensuros, mandaverunt. Rex etiam Hermannus cum suis Principibus eidem Synodo interfuit.

Acta & decreta Synodalia.

Cùm ergo omnes juxta Ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta sanctorum Patrum, de primatu sedis Apostolicæ, quòd nulli unquam liceat ejus judicium retrectare, & de ejus judicio judicare. Quod de totius Synodi publica professione laudatum & confirmatum est: & hoc utique contra Heinricianos, qui fideles S. Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem Domini Papæ Gregorij, super Heinricum cum illis retrectare præsumerent.

Quidam autem Babenbergensis clericus, nomine Gunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum ascripsisse, non aliunde concessum hæreditasse, videlicet, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico convictus est, per illud Evangelicum: *Non est discipulus supra Magistrum.* Cùm enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne major à minore judicetur: quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit, quem omnes catholici pro Domino & magistro venerantur?

In eadem Synodo ordinatio Wecilonis, Moguntini invasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti Curiensis, imò omnes ordinationes & consecrationes excommunicatorum, penitus irritæ judicatæ sunt, juxta decreta sanctorum Patrum Innocentij, Leonis primi, Pelagij, atque ejus successoris Gregorij primi.

Item secta prædicti Wecilonis ejusque sociorum, sub anathemate damnata est, quæ asserit, seculares suis rebus exspoliatos Ecclesiastico non subjacere judicio, nec excommunicari posse, pro suis excessibus: quæque excommunicatos absque reconciliatione recipi posse, contendit.

Statutum est autem ibi, ut quicunque ab Episcopo suo, nec officio nec communione privato, excommunicatus esset, etsi injustè: nullatenus tamen reciperetur ad communionem, nisi absolutus Ecclesiastico more. Similiter & pro sacrilegio excommunicatos decrevit sancta Synodus non recipiendos, absque solita reconciliatione, & nisi dudum, quæ sacrilegè sibi vendicaverant, reddidissent.

In eadem Synodo, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, perpetua, juxta decreta sanctorum Patrum indicta est continentia.

Item statutum est, ne laici pallas altaris & sacra vasa contingant.

Item, ne laici decimas sibi vendicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, nisi concessione legitimorum possessorum.

Item, ut vernum jejunium in prima ebdomada quadragesimæ, æstivum in Pentecoste semper celebretur.

Item, ne quis caseum & ova comedat in Quadragesima.

Item synodali judicio confirmata & laudata est, ordinatio Domini Gebehardi Constantiensis Episcopi, imò omnia quæ præfatus sedis Apostolicæ legatus, cùm esset Constantiæ, ordinavit.

Item, ibi mota est quæstio, de consanguinitate Regis & uxoris suæ. Unde & Rex in media Synodo surrexit, seque de hac re judicium sanctæ Synodi, per omnia observaturum professus est. Sancta autem Synodus hanc causam in præsenti canonicè examinari non posse judicavit, eò quòd legitimi accusatores non essent.

In

Henrici Imp. fideles excommunicati.

In fine autem synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est, in Guibertum hæresiarcham, sedis Apostolicæ pervasorem, & in Apostatas S. Petri, Hugonem Albanensem, Joannem Portuensem Expiscopos, Petrum Excancellarium. Item in Leomarum Bremensem, Utonem Hildinesheimensem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basiliensem, Huzmannum Spirensem, Exepiscopus. Item in Wecilonem Moguntinum invasorem, Sigefridum Augustensem, Nortbertum Curiensem, in hos inquam, & in omnes eorum complices, inevitabilis sententia anathematis promulgata est.

Moguntina synodus Henricianorum.

Sed hi omnes adversarij Ecclesiæ Dei, in tertia hebdomada post finitam synodum, suam Moguntiæ collegerunt non synodum, sed conciliabulum: in quo umbratilem sententiam excommunicationis, contra fideles S. Petri deprompserunt, utpote nequaquam illos excommunicare valentes, sed apertissimè se ipsos à communione Catholicorum sequestrantes, ut non tantùm judicio sanctæ Ecclesiæ, sed & proprio eorum judicio sicut omnes hæretici, à Catholicis essent separati: Sedes quoque Catholicorum Episcoporum viventium, temeraria cupiditate cœcati, sibi vendicare non timuerunt.

Fames, pestis & aquarum inundationes in Italia.

Deus autem omnipotens suis fidelibus per se ipsum auxiliari non cessavit, suumq; judicium super inimicos sanctæ Ecclesiæ mirabiliter exercuit. Nam totam penè Italiam, in qua potissimum excommunicati furebant, tam magna fames obtinuit, ut homines non tantùm immunda quæque, sed etiam humanam carnem manducarent. Quam famem inaudita mortalitas subsequuta est, ut nec tertia pars hominum remaneret, sed deficiente colono, maxima pars terræ in solitudinem redacta est. Padus quoque fluvius Longobardiæ, ripas suas excedens, multa castella, villas, imò circajacentes regiones penitus submersit, & inhabitabiles reddidit. Ipsa etiam capita schismaticorum eo tempore heu miserè abiere in locum suum, videlicet Parmensis & Rhegiensis Exepiscopi, Thedaldus Mediolanensis non Archiepiscopus, sed antichristus. Adalbertus & Reginherus Marchiones, & Comes Boso, & alij innumerabiles, quorum factione tota penè Italia contra Dominum Papam & S. Petrum se erexit. Hi quoque Mathildam prudentissimam Ducem, & fidelissimam S. Petri militem, multis injuriis affecerunt in Italia. Illis autem divina animadversione de medio sublatis, ipsa suam potestatem recuperavit, & sanctæ Dei Ecclesiæ in omnibus adminiculari non cessavit, sicque ejus prudentia Mutinensi Ecclesiæ & Regiensi atque Pistoriensi Catholici Pastores ordinati sunt.

Gregorij Pont. mors.

Sed jam Deus omnipotens famulum suum Gregorium Papam volens diutius laborare, imò pro laboribus suis dignè remunerare volens, de hujus vitæ ergastulo eũ vocavit. Nam aliquanto tempore graviter corpore infirmatus, sed in defensione justitiæ usque ad mortem firmissimus, Salerni diem clausit extremum. De cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, & maximè pauperes, doluerunt. Erat enim Catholicæ religionis ferventissimus institutor, & Ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sanè ut Ecclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem & morum sanctitate & ordinis dignitate præemineret: quod illum late non poterit, quicunque ejusdem Apostolici registrum diligenter perlegerint. Postquam autem in gubernatione sedis Apost. imo totius Ecclesiæ duodecim annos, & unum mensem, legitimè decertavit: tandem ex hac luce, anno incarnationis Dominicæ, M.LXXXV. Indict. octava, VIII. Cal. Jun. subtractus, supernæ vocationis βραβεῖον accepisse non dubitatur, sepultus Salerni in Ecclesia S. Matthæi, quam ipse eodem anno dedicavit.

Guibertus Roma exactus.

Sed Guibertus hæresiarcha multùm de obitu ejus lætabatur, licet parum prosperitatis suæ parti in eo lucraretur. Nam omnes Catholici post mortem Domini Apost. non minus quàm ante, eidem hæresiarchæ restiterunt, ipsumque de Roma Ravennam repedare compulerunt.

Eodem tempore quidam ex Saxonibus à fidelitate S. Petri Apostatantes, & à Rege eorum Hermanno turpiter declinantes, Henricum Regem toties abjuratum receperunt, existimantes, se nihil deinceps mali ab eo passuros, sed optata pace eo regnante se fruituros. Res autem in contrarium devenit. Nam ipse statim recepta potestate, pristinam tyrannidem in illos exercere non desiit: unde & ipsi versa vice turpissimè eum fugaverunt, & de finib. eorum multo cum dedecore expulerunt; Episcopi autem Saxoniæ, & quidã ex Principibus, cum Rege corũ Herem. in fidelitate S. Petri permanserunt, potiusq; honores

suos

suos relinquere, quàm excommunicatis communicare delegerunt: qui tamen postea à Saxonibus ad proprias sedes revocati sunt, postquam Saxones Henricum inde expulerunt, sicut prædiximus.

M. LXXXVI.

HERMANNUS Rex nativitatem Domini celebravit in Saxonia. Hoc tempore multæ cædes, prædæ & incendia facta sunt, inter fautores Henrici, & fideles sancti Petri, propter eandem etiam discordiam nondum sedes Apostolica legitimum Pastorem habere potuit.

Heinricus contra Saxones exercitum VI. Cal. promovit. Sed Saxones ei cum magna multitudine obviam venientes, macte eum repedare compulerunt.

Eo tempore Palatinus Comes Heremannus & Otto Constantiensis Exepiscopus ex parte Heinrici, absque Ecclesiastica communione heu miserabiliter periere. Ex parte autem Catholicorum, reverendissimus Anselmus Lucensis Ecclesiæ Episcopus, jam dudum mundo crucifixus, migravit ad Dominum, XV. Cal. Aprilis.

Principes Bajoariorum, Duci suo Welphoni in Pascha reconciliati, à Henrico discesserunt, eumque cum eodem Duce & reliquis Alemannorum Principibus, armata manu Ratisponæ invaserunt, & ne discedere posset, multo tempore eum ibi detinuerunt.

Roberti Calabriæ tyranni decessus.

Rubertus Dux Nordmannorum per Calabriam atque Siciliam, post multarum terrarum invasionem, post multorum pauperum & divitum oppressionem, cujus avaritiæ nec Calabria, nec Sicilia suffecit, quin & transmarina regna sibi subjugare contra fas & jus anhelaverit, viam universæ carnis arripuit.

Colloquium Pontificiorum prope Wirtzburg.

His temporibus fideles S. Petri Principes Suevorum, cum Saxonibus & Bajoariis generale colloquium, post festum Apostolorum, prope Wirceburg condixerunt, quod Henricus congregata multitudine schismaticorum interturbare voluit. Sed Suevis supervenientibus resistere non valens, ad tempus eis locum dedit. Ipsi autem Herbipolim ad obsidendos fautores Henrici processerunt, & adjunctis Saxonibus eandem sepi circumdederunt. Interim Heinricus exercitum viginti pene millium, pedites & equites congregavit, & ad civitatem liberandam jam quinque septimanis obsessam, aciem direxerunt. Quo audito, fideles S. Petri soluta obsidione obviam ei duobus miliaribus, non tam multitudine sua, quam misericordia Dei & justitia S. Petri, non tam armis quàm virtute S. Crucis confisi, processerunt. Unde & crucem altissimam in quodam plaustro erectam, & rubro vexillo decoratam, usque ad locum certaminis secum deduci fecerunt. Welph quoque Dux cum sua legione, & Magedeburgensis legio relictis equis, pedites incedebant. Cùm autem jamjam congressuri essent, omnes in terram prostrati cœlum oratione penetraverunt, quam pro eis ibidem reverendissimus Magedeburgensis Archiepiscopus cum multis lachrymis & gemitibus effudit.

Cæsarianorum clades in Franconia

Igitur in nomine Domini congressi, incredibilem hostium stragem fecerunt, ita ut novem nimium altæ congeries cadaverum ibi viderentur, præter illos, qui campos & sylvas fugitantes occubuerunt. Heinricus autem in primo impetu congressionis, dissimulato habitu, primus inter primos terga vertens, omnia vexilla sua nostris derelinquens, usque ad Rhenum satis accelerato pervenit. Sed nostri eum longo tempore insequuti, tandem magnam prædam de hostibus reportaverunt: ipsius sane scrinia cum vestimentis Regalibus, item nescio quot capellas Episcoporum, cum aliis innumerabilibus, nostri acceperunt. In illa ergo congressione quot millia adversariorum occubuerint, nondum explorare potuimus. Ex parte autem fidelium S. Petri, non nisi quindecim homines mortuos invenire potuimus, licet diligentissime perquireremus, & de ipsis quindecim non nisi tres in loco certaminis obiere, reliqui aliquot diebus postea vixerunt. Inter mortuos & vulneratos non nisi triginta reperire potuimus ex nostris. Et hoc utique nulli humanæ virtuti, sed potius divinæ ascribendum est, cum fideles S. Petri vix decem millia habuerint, adversarij autem etiam viginti millia excessisse referantur. Itaque nostri per misericordiam Dei victoria potiti, in campo certaminis ea nocte castrametati sunt, & in crastinum ad obsidionem Urbis reversi, absque sanguine eã ceperunt. Deinde Wirceburgensi Episcopo cum magnis laudibus civium, clericorum & laicorum in sedem suam restituto, congruoque militum præsidio civitati imposito, ipsi

Wirzeburgum à Pontificiis captum.

cum

cum magna gloria & lætitia singuli in sua redierunt. Factum est autem hoc prælium insequenti die, post festum sancti Laurentij, videlicet in anniversaria die, quando & Heremannus Rex cum Suevis Bajoarios devicit.

Ego quoque ipse, qui hæc Chronica ab M. LIV. anno Dominicæ incarnat. hucusq; perduxi, de prædicto prælio, non tam aliorum relata, quàm quæ ipse vidi & audivi, ad laudem & gloriam Dei, fidelibus annunciare curavi. *Author hujus Chronici interfuit huic pugnæ.*

Reverendissimus Abbas de Cella S. Blasij, nomine Giselbertus, migravit ad Dominum, VI. Idus Octob. cui venerabilis Udo, ejusdem monasterij Prior, in Abbatiam successit. *Vdo Kiburgensis, Abbas Sanctoblasianus.*

Conradus Comes, frater Heremanni Regis, sed indefessus fautor Heinrici, in fine tamen (ut ajunt) reconciliatus Ecclesiæ, in Hierosolymitano itinere obijt.

Beatus Anshelmus quondam Lucensis Episcopus, ipso eodem suæ depositionis anno, innumerabilibus cœpit miraculis coruscare, qui post obitum venerabilis Papæ Gregorij VII. fideles S. Petri contra tyrannidem Heinrici, adhuc in carne vivens, multùm incitavit, sed multò plus post obitum suum miraculis coruscans, eosdem contra eundem persistere confortavit, unde & pars Heinrici de die in diem cœpit deficere, Catholici autem in fidelitate S. Petri non cessaverunt proficere. Heinricus tamen prope nativitatem Domini, quoddam castellum in Bajoaria obsedit, & ut ajunt in eadem obsidione nativitatem Domini voluit celebrare. Quo audito Welph & Bertoldus Duces, non cum magna multitudine Suevorum S. Bajoariorum derepente supervenientes, de obsidione eum discedere non permiserunt: nisi prius accepta securitate ab ejus Principibus, ut colloquium fieri promitteret, in quo diutina regni discordia, quoquo modo tandem idoneum finem accipere posset. Accepta ergo securitate, locum ei cum pace discedendi concesserunt, sicque ipse in vigilia nativitatis Domini compulsus est, festum suum alibi celebrare: Duces autem ad sua cum pace & lætitia rediere, statimque cum reliquis regni Principibus prædestinatum colloquium ad Oppenheim, in tertia hebdomada quadragesimæ communiter condixêre.

M. LXXVII.

HERMANNUS Rex nativitatem Domini in Saxonia celebravit.

Bertoldus Comes, sancti Petri fidelissimus miles, contra schismaticos strenuissimè dimicans, occubuit. Interim Henricus omni ingenio & dolo quibus potuit, prædictum colloquium ne fieret, efficere voluit: sed fideles sancti Petri, illo nolente, imò Heinrico eis periculum belli intentante, ad condictum terminum convenêre. Ipse verò justitiam solito more subterfugiens, & rationabili etiam consilio suorum acquiescere nolens, adesse contempsit: unde & omnes penè suos contra se murmurare, & nonnullos eorum ab eo discedere fecit, nostri autem cum pace ad sua rediere.

Sed necdum sedes Apost. legitimum pastorem habere potuit, eò quòd Guibertus Ravennas hæresiarcha, periurus & anathemisatus, eandem sedem factione Heinrici, jam octo annos infestaverit. Et si enim ipse illam cum pace nequiverit obtinere, adeo tamen per organa diaboli prævaluit, ut jam biennio sedes Apost. pastorali gubernatione caruerit. Unde cùm omnes catholici meritò dolerent, tandem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopi, & reliqui catholici de clero & populo, cum auxilio Nordmannorum desiderium ejusdem Ecclesiæ Cardinalem & Cassinensis monasterij Abbatem, Papam CLX. ordinaverunt, eique Victoris tertij nomen indiderunt. Qui statim post electionem suam missis usque quaque literis, se juxta decreta sanctorum Patrum declaravit incessurum. Judicium quoque sui antecessoris piæ memoriæ Gregorij Papæ super Heinricum & omnes ejus fautores confirmavit. Consecratus est autem exeunte Majo mense apud S. Petrum, à Cardinalibus Episcopis, Ottone Ostiensi, & Petro Albanense, cum reliquis Cardinalibus. Guibertus verò hæresiarcha non magis ab incœpta perversitate cessavit, imò se apud S. Mariam ad martyres, quam Rotundam dicunt, incastellavit. Dominus autem Papa in insulam, quæ inter duos pontes sita est, se recepit. *Victor tertius Papa.*

Principes quoque regni Teutonicorum, fideles inquam S. Petri, generale colloquium cum Henr. & fautoribus ejus, in Cal. Augusti, prope Nemetensem civitatem habuerunt, eiq; adjutorium suum, ad obtinendum regnum, si de excommunicatione exire vellet, fideliter promiserunt. Ille autem in solita sua obstinatione persistens, necse profiteri excom- *Germaniæ principum colloquium, de extinguendo publico regni incendio.*

excommunicatum dignatus eſt, licet hoc in faciem ſibi à noſtris inſtanter probaretur. Unde & noſtri nullam pacem & concordiam cum eo habere ſtatuerunt. Quapropter expeditionem ſuam ſuper ipſos in octavam S. Michaelis proximè venturam, indixit. Noſtri autem eandem expeditionem octo diebus præventuros, ſeque ei in loco congregationis, cum quantis poſſent, obviam ituros condixerunt.

In prædicto colloquio literæ Domini Papæ recitatæ ſunt, in quibus & ſuam promotionem Principibus regni denunciavit, & judicium ſui anteceſſoris piæ memoriæ Gregorij Papæ ſuper Heinricum & fautores ejus, apertiſſimè confirmavit.

Latislaus Rex Ungarorum miſſa legatione ad idem colloquium, ſe in fidelitate S. Petri perſeveraturum declaravit, & fidelibus S. Petri cum XX. millibus equitum contra ſchiſmaticos ſe affuturum, ſi neceſſe foret, promiſit. Prædicta tamen expeditio utrinque ad illum terminum remanſit.

Salomon quondam Rex Ungarorum, ſed à Latislao jamdudum regno privatus, & in exilium expulſus, dum quiddam fortiter contra Regem Græcorum molitur, poſt incredibilem hoſtium ſtragem & ipſe viriliter occubuit.

Eodem quoque tempore quidam ſchiſmaticus, qui Patavienſem Epiſcopatum, vivente adhuc legitimo paſtore jamdudum invaſit, de hac vita diſcedens, certiſſimum ſuæ damnationis exemplum reliquis ſchiſmaticis dereliquit. Cùm enim jam in extremis jaceret, ſeque ad æternam damnationem jamjam abiturum non dubitaret: apparuit ei ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus, ut tantò evidentiùs culpam ſciret, quam apud inferos luere deberet. Rogavit tamen eum, ut ei culpam indulgeret, ipſumque ab excommunicatione ſolveret. Rogavit quoque circum aſtantes, ut eum de Epiſcopatu eveherent, nec eum in Epiſcopatu ſepelirent. Sed hæc verba aſtantibus quaſi deliramenta videbantur. Ipſe autem ſanæ mentis proteſtatus, itidem rogitare non ceſſavit, ſed incaſſum: nam ante Eccleſiaſticam abſolutionem morte præventus eſt. Nonnulli tamen, qui tam periculoſæ morti ejusdem ſchiſmatici aderant, compuncti ſunt, qui & poſtea ad legitimum paſtorem redeuntes, veniam & abſolutionem conſecuti ſunt.

Victoris Papa obitus.

Romæ Victor Papa jam pluribus annis, & in eadem infirmitate ordinatus, poſt quartum menſem ſui Pontificatus, diem clauſit. Unde multùm lætatus eſt hæreſiarcha Guibertus, cum ſuis ſequacibus. Heinricus quoque eo tempore licet infirmus, expeditionem in Saxoniam cum Beheimenſibus promovit. Sed S. Petro ſuos fideles protegente, inglorius nimis inde cum celeritate rediit. Nam Heremannus Rex eum cum tanta multitudine Saxonum inſequutus eſt, ut facilimè ipſum cum omnibus ſuis obtineret, ſi non dolo Eggeberti Comitis evaſiſſet. Hic nempe Comes gloriæ Domini ſui Heremanni Regis multùm invidens, inimicos ſanctæ Eccleſiæ, de manibus ejus dolo ſuo maluit liberare, quàm de eisdem cum Domino ſuo penè absque periculo, in honorem Dei & ſancti Petri, triumphare: & hoc utique ideò, quia concepit animo Dominum ſuum regno privare.

M. LXXXVIII.

HEREMANNUS Rex nativitatem Domini in Saxonia celebravit, ubi & Eggebertus Comes ſe regnum affectare manifeſtavit, ſed incaſſum. Nam Principes regni ei aſſentiri noluerunt, imò tantò firmiùs Domino Regi deinceps adhærere cœperunt.

Bertoldus Doctor egregius, in ſacris literis apprimè eruditus, in ſenectute bona, plenus dierum, migravit ad Dominum, 4. Id. Martij.

His temporibus Piſani & Genuenſes, & alij multi ex Italia, Africanum Regem Paganum, hoſtiliter invaſerunt, & deprædata ejus terra, ipſum in quandam munitionem compulerunt, & eum deinceps Apoſtolicæ ſedi tributarium effecerunt.

Dux Welph civitatem Auguſtam recuperavit, capto ejusdem Epiſcopatus invaſore Sigefrido.

Hugo Comes de Egensheim, Alſatiam jam dudum ab inimicis occupatam, invaſit, & ſibi recuperare tentavit.

Metenſes Brunonem illius ſedis pervaſorem, penitùs à civitate expellunt, ſeque nullum deinceps, niſi legitimum paſtorem recepturos, juramento firmaverunt, qui eo tempore in Tuſcia detinebatur in captione.

In

In Saxonia piæ memoriæ Burchardus Halverſtatenſis Epiſcopus, in Cauſa S. Petri firmiſſimus heu occiditur. Sed nihil differt, an febris an gladius nos mittat ad Dominum. Migravit autem ad Dominum, VIII. idus Aprilis.

Guibertus autem hæreſiarches nondum ab invaſione ſedis Apoſtolicæ ceſſavit, nec Heinricus Imp. ipſius veternoſam tyrannidem contra fideles S. Petri deponere voluit, quos tamen vincere non potuit.

Romæ Cardinales, Epiſcopi, & reliqui de Clero & populo Catholico, Ottonem Oſtienſem Epiſcopum, religione & eruditione celebrandum, Papam CLXI. ordinaverunt, eique nomen ſecundi Urbani indiderunt, quarto idus Martij. Qui ſtatim inſequenti die miſſis literis omnibus Catholicis, & ſuam ordinationem omnibus declaravit, & ſe in omnibus veſtigia ſui prædeceſſoris piæ memoriæ, Gregorij Papæ obſervaturum denunciavit. *Vrbanus 2. Papa.*

Wigoldus Auguſtenſis Epiſcopus, poſt recuperationem ſuæ civitatis, & captionem Sigefridi Pſeudoepiſcopi ſui ſupplantatoris, & ipſe diem clauſit extremum.

Hezel fideliſſimus miles S. Petri, & advocatus S. Mariæ * Augienſis cœnobij monaſterium, in honorem S. Gregorij, in proprio allodio conſtruxit, in quo ipſe demum Monachus factus, migravit ad Dominum, Cal. Junias. **al. Auguſtenſis.*

Eodem tempore quidam Guiberti hæreſiarchæ diſcipulus, videlicet Wormatienſis Pſeudoepiſcopus, qui illam ſedem per ſchiſmaticos, non conſecratus ſed execr[a]tus, invaſit, tandem reſipiſcens, & ad Catholicam Eccleſiam rediens, Epiſcopatum dimiſit, ſeque ad pœnitentiam in Hirſaugienſi monaſterio contradidit. Sic utique ante triennium & alius ejuſdem Guiberti diſcipulus, Metenſis inquam Pſeudo Epiſcopus, pœnitentia ductus, Epiſcopatum dimiſit. Quem ſtatim Bruno (cujus ſuperius mentionem fecimus) non minus ſacrilegè invaſit. Nam per ſchiſmaticos intravit, vivente adhuc legitimo illius ſedis paſtore Heremanno, qui potius in captione detineri, quàm in ſchiſmate pro Epiſcopo honorari, catholicè delegit.

Gebehardus venerandæ memoriæ Juvavienſis Archiepiſcopus, in cauſa S. Petri præcipuus, qui ſchiſmaticos publicè dictis & ſcriptis confutare conſuevit, de hac luce ſubtractus, XVII. Cal....... magnum mœrorem Catholicis dereliquit.

Bernhardus Conſtantienſium magiſter ſcholarum, vir erudítiſſimus, in cauſa S. Petri ferventiſſimus, in Saxonia ſub monaſtica profeſſione migravit ad Dominum.

Wecilo Moguntienſis & Megenhardus Wirceburgenſis Pſeudoepiſcopi, inter ſchiſmaticos eruditione præcipui, abſque Eccleſiaſtica communione in locum, miſerè ſed non miſerabiliter, abiêre.

Saxones à fidelitate S. Petri diſcedentes, Heinricum, quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex Catholicus ab eis in Lotharingiam ſeceſſit, ibique non multò poſt viam univerſæ terræ arripuit: anno Dominicæ incarnationis MLXXXVIII. regni verò ejus VII. Indictione XII. & in patria ſua Metis honorificè ſepelitur. *Hermanni Regis diſceſſus.*

Iterum Saxones, factione Eggiberti Marchionis, Heinrico rebellarunt, eumque abbatis ſibi regalibus inſignibus, de obſidione cujuſdam munitionis, in quendam montem turpiter fugârunt, ibique eum biduana obſidione ad confeſſionem anathematis, & expeditionem reconciliationis, compulerunt. Eo ergo pacto accepta pace diſceſſit, ſed à ſolita tyrannide non receſſit.

Eggehardus Abbas Augienſis, etſi non adeò religioſus, in fine tamen laudabiliter converſus ut ajunt, diem clauſit extremum: cui ſucceſſit Udalricus.

M. LXXXIX.

IN vigilia nativitatis Domini, Eggibertus Marchio, Heinricum & omnem ejus exercitum, cum paucis militibus, à quibuſdam religioſis confortatus, viriliter invaſit, eumque de obſidione cujuſdam ſui caſtelli, ubi ille natalem Domini celebrare diſpoſuit, turpiſſimè fugavit. In hac invaſione, ex parte Heinrici, Leomarus Bremenſis Archiepiſcopus, & Bertaldus Comes capiuntur. Loſanenſis non tam Epiſcopus quàm Antichriſtus, dum fortiter vult agere, occiditur. Ipſe autem Heinricus perditis regalibus *Henrici clades & fuga è Thuringia*

insignibus, vix de manibus insequentium eripitur, sicque usque ad Babenberg, de Thuringia fugiendo, tandem pervenit, ibique inglorius solemnizare compellitur. Eggebertus autem Marchio, castello suo & castris inimicorum penè absque sanguine potitus, captis quoque pluribus & occisis, gratiarum actiones Deo & sancto Petro referre non cessavit, quibus & se deinceps puriori fidelitate adhæsurum destinavit.

Heremannus Metensis Episcopus atque catholicus, post longam captionem ad Episcopatum suum revertitur, & à multis gratanter recipitur. Bruno autem ejusdem episcopatus temerarius invasor, ab omnibus despicitur. Nam & ipsi Henrico pro turpissimis moribus suis, multùm displicuit, licet ei quondam eundem Episcopatum vendiderit. Hac ergo necessitate idem Bruno constrictus, Episcopatum dimittere, & ad patrem suum Adalbertum Comitem, in Catholicorum partem, repedare compellitur.

Gebehardus Constant. Episcopus Pontificis in Germania Legatus.

Dominus Papa Vrbanus his temporibus Romæ in insula, quæ inter duos pontes sita est, morabatur, decretalemque epistolam venerabili Gebehardo Constantiensi Epicopo, 14 Cal. Maji direxit, in qua ei Episcopalem potestatem super Clerum & populum Augiensis Insulæ, præter Monachos concessit, data etiam authoritate, ut Abbatem inibi vice sua ordinaret: Item & apud Augustam sive curiam Episcopos constituere procuraret. Nempe in tota Alemannnia, Bajoaria, Saxonia & alijs vicinis regionibus prædicto Gebehardo Episcopo vicem suam commisit, ut ordinationes improbandas improbaret, roborandas roboraret. Sententiam quoque anathematis, à prædecessore suo Papa Gregorio promulgatam, ea discretione confirmavit, ut in primo gradu Ravennatem hæresiarcham, cum Heinrico Rege anathemisaret. In seundo gradu, eorum fautores, qui eisdem armis, pecunia, consilio, obedientia faverent, quique ab eisdem & ab eorum fautoribus Ecclesiasticos ordines & honores acciperent. In tertio autem gradu, eorum communicatores posuit, quos etsi non excommunicaret, adeò tamen eos externa communione commaculatos asseruit, ut in Catholicam societatem sine absolutione & pœnitentia, recipi non deberent, videlicet, qui excomunicatis salutatione, osculo, oratione, convictu, & ignoranter communicassent. Ordinatos verò in excommunicatione, sed non simoniacè ab Episcopis quondam catholicè ordinatis, ut in adepto ordine persisterent, sine promotione, permisit: si tamen hoc eorum probitas & Ecclesiæ utilitas flagitare videretur, aliquantum etiam ad superiores ordines promoveri concessit, sed hoc rarissimè, & cum summa necessitate.

Guibertus autem hæresiarches ejusque complices, in parte Regis eorum Henrici, anathematicas ordinationes facere non cessârunt, ipsasque suis sectatoribus non nisi carissimè venditas, impenderunt. Unde & malum excommunicationis in tantùm propagatum est eo tempore, ut Catholici vix se ab eorum contagio possent illæsos custodire. In Teutonicis partibus, quatuor Episcopi in Catholica communione perstiterunt, videlicet Wirceburgensis, Pataviensis Wormatiensis, Constantiensis, sed & Metensis Episcopus, quorum confortamento reliqui Catholici schismaticis à principio restiterunt.

In Germania quatuor tantum Episcopi Catholici.

Hugo Comes in Egesheim jugulatus.

Hugo Comes de Egensheim, indefessus miles S. Petri, sed nimium credulus Strazburgensi Pseudo Episcopo, à servientibus ejusdem Episcopi, occiditur, in cubiculo ipsius, cum ipso ad dormiendum collocatus, secundo non Septembris.

Bonizo piæ memoriæ Sutreiensis Episcopus, sed inde pro fidelitate S. Petri jam dudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes & exilia, à Placentinis Catholicis, pro Episcopo recipitur: sed à schismaticis ejusdem loci, effossis oculis & truncatis omnibus penè membris, martyrio coronatur.

In Alemannia Otto Comes, impudentissimus adulter, & pro adulterio à Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei judicio turpissimè decollatur à militibus Ludovici Comitis, cujus uxorem publicis nuptijs, eo vivente, sibi nefandissimè copulavit: qui apud monasterium, in prædio ipsius constructum, à suis sepultus, jussu Constantiensis Episcopi ejicitur, & ut scriptum est, ad sepulturam asini deputatur. Milites quoque ejus, opes ipsius diripuerunt, & tam allodium ejus quàm frodum, non hæredes ejus sed extranei, possederunt, juxta quod in maledictionibus Judæ prophetatur: *Et diripiant alieni labores ejus.* Sic utique & post mortem suam in sepultura & direptione rerum suarum, evidentissimè indicavit, quàm efficaciter sententiam excommunicationis exceperit.

Matildis Italiæ Comitissa Welphoni IV Bavariæ Duci nubit.

In Italia nobilissima Dux Machtildis, filia Bonifacij Marchionis, sed vidua Gode-

fridi

fridi Ducis, Welphoni Duci, filio Welphonis Ducis, conjugio copulatur: & hoc utique non tam pro incontinentia, quàm pro Romani Pontificis obedientia, videlicet, ut tantò virilius S. Romanæ Eccleſiæ contra ſchiſmaticos, poſſet ſubvenire. Qui ſtatim maritum ejus impetere voluerunt, ſed cum ei reſiſtere non poſſent, treugas uſque in Paſcha ab eo per interventum conjugis ejus impetraverunt. Heinricus Rex dictus, multùm de prædicto conjugio triſtatur: qui iterum in Saxoniam cum expeditione profectus, ſine honore reverti compellitur.

Petrus piæ memoriæ Albanenſis Epiſcopus in cauſa S. Petri ferventiſſimus, migravit ad Dominum. Hic eſt ille Petrus, qui Petrum Papienſem, Florentini Epiſcopatus invaſorem, per judicium ignis ſimoniacum eſſe probavit. Unde & deinceps illum ſancta Eccleſia igneum cognominavit. Nam magnam pyram fiducialiter ingreſſus, absque omni læſione pertranſijt, ut & flammæ veſtes ejus ſurſum ventilarent, nec tamen illas, nedum illum, aliquo modo læderent. Unde & prædictus Papienſis Petrus ab Alexandro Papa deponitur. Alter autem Petrus pauperrimi monaſterij tunc Monachus, in Albanenſem Epiſcopatum ſublimatur. Erat enim tantæ ſanctitatis, conſtantiæ & fidei, ut vix aliquis ſui temporis ei potuerit comparari. Hic ergo de hac vita diſcedens, magnum mœrorem Catholicis reliquit.

Dominus Papa Urbanus generalem ſynodum CXV. Epiſcoporum collegit, & Eccleſiaſtica ſtatuta ſuorum prædeceſſorum Apoſtolica authoritate confirmavit. Guibertus autem hæreſiarches à Romanis turpiter expellitur, & ne amplius Apoſtolicam ſedem invadere præſumat, juramento promittere compellitur. *Synodus*

Sed jam aliquantulum diuturna regni diſcordia inter Catholicos & ſchiſmaticos tepeſcere cœpit, ut non jam bellum ad invicem, ſed pacem componere ſaniùs judicarent. Quapropter Duces & Comites, fideles S. Petri cum Heinrico colloquium habuerunt, eique ſuum conſilium & auxilium ad obtinendum regnum firmiſſimè promiſerunt, ſi Guibertum hæreſiarcham vellet dimittere, & ad Eccleſiaſticam communionem per Catholicum paſtorem remeare. Quam quidem conditionem nec ipſe multùm reſpuit: ſi tamen in hoc ei Principes ſui aſſentiri vellent, videlicet Epiſcopi, qui ſe cum Guiberto deponendos eſſe non dubitaverunt, eò quòd in ejus parte ordinationem imò execrationem perceperunt. Hi ergo ei penitus hac vice diſſuaſerunt, ne S. Eccleſiæ reconciliaretur. *Pacis formula Heinrico oblata.*

Dominus Papa Conſtantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per Legatos ſuos abſolvit: Item, literas Philippi Regis Francorum, debitam ei ſubjectionem promittentis, ſuſcepit.

M. XC.

In Bajoaria fideles S. Petri jam adeò contra ſchiſmaticos invaluerunt, ut in Salzburgenſi Epiſcopatu Catholicum ordinarent Archiepiſcopum, quem ſtatim religioſiſſimus Patavienſis Epiſcopus, & Urbani Papæ legatus, cum Wirceburgenſi & Friſingenſi Epiſcopis ſolenniter, conſecravit.

Heremannus piæ memoriæ Metenſis Epiſcopus, & Bertoldus Dux Alemanniæ, filius* Ruodolphi Regis, in fidelitate S. Petri, Majo Menſe diem extremum clauſêre, magnumque mœrorem Catholicis, & exultationem ſchiſmaticis reliquêre. Soror quoque præfati Ducis, Regina Ungarorum, eodem menſe obijt. *Berchtoldi 2. Zeringenſis mors.* **i. gener.*

Ex parte autem excommunicatorum, Lutoldus Dux Carinthiorum inopinata morte præripitur, cùm nuperrimè contra fas & jus, repudiata propria uxore, aliam ſuperinduxerit, Guiberto quidem hæreſiarcha hoc ei concedente.

Eggebertus quoque Marchio de Saxonia, in cauſa S. Petri ſtrenuus, dolo cujuſdam Abbatiſſæ à Quintileninburc, ſororis inquam Heinrici Regis (ut ajunt) per inſidias occiditur.

Dominus Papa Urbanus, generalem ſynodum cum Epiſcopis diverſarum Provinciarum, per Legatos ſuos in Toloſana civitate, circa Pentecoſten collegit, ibique multa in Eccleſiaſticis cauſis, quæ corrigenda erant, correxit. In qua ſynodo Toloſanus Epiſcopus, de illatis criminibus canonicè expurgatur, & legatio pro reſtauranda Chriſtianitate, in Toletana civitate, Rege Hiſpanorum ſupplicante deſtinatur. *Concilium Toloſanum.*

Welpho Dux Italiæ, multa incendia & damnationes à Heinrico Rege, hoc in anno *Heinricus Imp in Italia arma circumfert.*

Longobardiam ingreſſo, patitur. Sed adhortatu Dominæ Machtildis ſuæ chariſſimæ conjugis, eidem Heinrico reſiſtere, & in fidelitate S. Petri perſiſtere, viriliter contendit.

Hoc anno magna fames multas regiones repente afflixit, quamvis non magna ſterilitas præceſſerit terræ.

Adalberto reverendæ memoriæ wirceburgenſis Epiſcopus, unus de antiquioribus Epiſcopis, in cauſa S. Petri ſtrenuiſſimus, Guibertum & ejus complices, poſt multa pericula, perſequutiones & exilia, quæ pro Chriſto libentiſſimè paſſus eſt, in bona confeſſione diem clauſit extremum, in prædio ſuo quod *Laubac* vocatur.

M. XCI.

DOMINUS Papa eo tempore in partibus Campaniæ morabatur, & ab omnibus Catholicis debita reverentia colebatur, videlicet à Conſtantinopolitano Imperatore, & à Philippo Francorum Rege, alijsque diverſorum regnorum Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus: excepto teutonicorum regno, ubi multi ex Catholicis, in partem excommunicatorum, avaritia decepti, ſponte ſua ſe transtulerunt.

Romani quoque turrim Creſcentij, quæ eatenus Domino Papæ obediebat, dolo captam, diruere tentaverunt. Dominus autem Papa facilè Romam cum exercitu intrare, & rebellium contumaciam domare potuiſſet, ſi non magis cum manſuetudine cauſam ſuam agere delegiſſet.

Mantua à Heinrico capta.

Eo tempore Mantuani diuturna obſidione à Heinrico Rege jam per annum contriti, à Domino ſuo welphone Duce diſceſſerunt, & ſe ac civitatem ſuam ſuo devaſtatori tradiderunt.

Guibertus iterum Romæ receptus.

Romani quoque Guibertum hæreſiarcham, quem jamdudum expulerunt, iterum Romam intrare, & ſanctam Eccleſiam, ſuis non benedictionibus ſed maledictionibus infeſtare permiſerunt.

Capuani Nordmannos de Capua expulerunt, quibus jam multo tempore, ſub pluribus Apoſtolicis & Regibus, ſubjecti fuerunt. Unde & Nordmanni eos circumquaque uſq; ad murum civitatis, præda & incendio devaſtaverunt.

Dominus Papa Urbanus generalem ſynodum Beneventi collegit, & ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham, & omnes ejus complices, ſynodali judicio confirmavit.

Fridericus Comes & Marchio, tertio Cal. Julias requievit in pace.

Gulielmi Hirſaugienſis Abbatis mors & præclarè facta.

Novorum cœnobiorum plantationes

Willehelmus piæ memoriæ Hirſaugienſis Abbas, in cauſa S. Petri ferventiſſimus, & in monaſtica religione ſtudioſiſſimus, utpote multorum pater monaſteriorum, III. Non. Julij migravit ad Dominum. Hic primùm Hirſaugienſe monaſterium, tam in ædificijs quàm in regularibus diſciplinis mirabiliter exaltavit, ipſumque privilegio ſedis Apoſtolicæ, ſub Gregorio Papa, in perpetuum libertavit. Plura etiam monaſteria ex integro uſque quaque conſtruxit, duo quidem in Nigra ſylva, unum S. Georgij, alterum S. Gregorij, item aliud ad Duplicem aquam propè Danubium, item aliud in wirceburgenſi Epiſcopatu, in loco qui Camberg dicitur. Scaphuſenſe quoque monaſterium & Petrishuſenſe in ripa Rheni, jamdudum ædificata, regularibus diſciplinis inſtituit. Sed & alia quàm plura in diverſis Regionibus, tum per ſe, tum per ſibi ſubjectos, & de novo fecit, & jam facta regularibus diſciplinis inſtituit. Hic etiam multa monumenta ſui naturalis ingenij nobis reliquit. Nam naturale horologium, ad exemplum cœleſtis Hemiſphærij excogitavit. Naturalia ſolſtitia ſive æquinoctia, & ſtatum mundi, certis experimentis invenire monſtravit. Quæ omnia quidam ejus familiaris, etiam literis mandare curavit. Multas etiam quæſtiones de Computo, probatiſſimis rationibus enodavit. Hic in Muſica peritiſſimus fuit, multaque illius artis ſubtilia, antiquis Doctoribus incognita, elucidavit. Multos etiam errores in cantibus deprehenſos, ſatis rationabiliter ad artem correxit. In Quadruvio ſanè penè omnibus antiquis videbatur præeminere. Sed ante hæc omnia, in illo ſtudium monaſticæ deſtrictionis prævaluit: in quo totus adeò efferbuit, ac ſi nunquam aliud aliquid ſtudij habuerit. Erat enim miræ ſanctitatis, ſanctæ ſimplicitatis, ferventiſſimæ charitatis, Deus vivus, & ſeculo crucifixus. Quem Dominus in ſenectute bona, ad æternam patriam revocavit, cui ipſe à juventute in hac peregrinatione indefeſſo labore ſervivit.

Bern-

Bernhardus quoque Constant. Magister scholarum, cujus obitum supra notavimus, multa nobis sui ingenij momumenta reliquit, multaque pro Catholicis contra schismaticos sui temporis eleganti ssime scripsit: & primùm quidem ad quosdam suos amicos, de judicio Gregorij Papæ VII. super schismaticos, & de sacramentis extra Ecclesiam usurpatis. Postea etiam ad venerabilem Hartungum Magideburgensem Episcopum de eadem causa magnum librum luculentissimum composuit, ex persona sanctæ Ecclesiæ, in quo testimonijs Sanctorum Patrum omnes insidiosas cavillationes eorundem schismaticorum prudenter annullasse videtur. Sed in eisdem Scriptis nimio zelo ductus, alicubi modum excessisse notatur: videlicet, ubi agit de sacramentis schismaticorum. Negat enim omnino, ab eis & ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici, ita ut ab illis ordinatos si resipiscant, iterum ordinandos censeat. Sed hoc sacratissimo Niceno concilio, æquè ut Evangelia venerando, repugnat, quòd Clericos ex Novationis conversos, cum ordine recipi, non iterum ordinari præcepit. Item Africani Patres, de Clericis Donatistarum conversis, statuisse leguntur. Item Greg. Papa primus, Maximum Salonitanum præsumptorem, excommunicatum, & ab excommunicatis ordinatum, cum ordine recepit, non utique iterum ordinavit. Hoc sanè illi nullatenus facerent, si nullum eos Ordinationis sacramentum extra Ecclesiam accepisse putarent. Item B. Anastasius Papa scribens ad Anastasium Imperatorem asserit, quod ordinatos ab Achacio, licet anathemisato, nulla portio læsionis attingeret, quantum ad integritatem sacramentorum. Item B. Augustinus in multis suis Scriptis, & præcipuè in libro contra Donatistas, de Baptismo invictissimè probat; Ecclesiastica sacramenta extra Ecclesiam & haberi posse & dari, sed perniciosè, tam danti quàm accipienti. Hæc autem summatim tetigimus, ut in prædictis Scriptis lectorem cautum faceremus, ne præproperè alicui sententiæ assentiatur, quam tam authenticis S. Patrum sententijs adversari depræhendat. Cæterùm si quis hæc pleniùs nosse desiderat, scriptum cujusdam ad eundem Bernhardum, de eadem quæstione directum, diligentissimè perlegat, in quo testimonijs S. Patrum evidentissimè docebitur, quid sancti Patres de illa quæstione censuerint sentiendum. Verùm idem venerabilis Bernhardus in ista, sicut & beatus Cyprianus in rebaptisationis sententia non pertinaciter contra Ecclesiam egerunt, sed utcunque, nimium contra schismaticos zelantes, aliquantulum regulam Ecclesiasticam excesserunt.

Digressio. Num schismaticorum sacramenta sint efficacia.

Altmannus sanctæ recordationis Pataviensis Episcopus, in causa S. Petri, & in Ecclesiastica religione studiosissimus, post multa pericula, tribulationes & exilia, quæ pro Christo sustinuit, in senectute bona migravit ad Dominum, VI. Idus Augusti. Hic in Episcopatu suo tria cœnobia Clericorum, juxta regulam S. Augustini communiter viventium instituit, & tertium in Frisingensi Episcopatu, in allodio Welphonis Ducis per Clericos suos ædificavit, & regularibus disciplinis instituit. Hic fuit tantæ sanctitatis continentiæ & religionis, ut reverendissimo Papæ Gregorio, sanctoque Lucensi Episcopo, imò omnibus religiosis reverendus esset & amabilis: Schismaticis verò & sceleratis odiosus & formidabilis. Unde in obitu suo bonis magnum mœrorem, malis verò magnam reliquit exultationem.

Welph Dux Bajoariæ in Augusto mense Longobardiam ingreditur, ut Heinrico Regi reconciliaretur, si ipse vellet permittere, ut Apostolica sedes, à Guiberto hæresiarcha invasa, canonicè disponeretur, nec non si eidem Duci filioque ejus Welphoni, cæterisque eorum fautoribus bona eorum reddere vellet, quæ eis injustè ablata forent. Quam conditionem ille noluit adimplere. Unde & Dux in Alemanniam non tardavit redire. Multi tamen ex Alemannis Heinrico Regi reconciliati sunt, & excommunicationem sedis Apostolicæ communem sibi cum Heinrico fecere. Dux autem iterum multos contra Heinricum ejusque fautores incitavit, ut etiam novum Regem eligere decernerent, si quorundam pigritia sive malevolentia eos non impediret.

His temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solùm in Clericis & Monachis religiosissimè commorantibus, verùm etiam in Laicis, se suaque ad eandem communem vitam devotissimè offerentibus: qui etsi habitu nec Clerici nec Monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares meritis fuisse creduntur: se enim servos eorundem pro Domino fecerunt: imitantes eum, qui non venit ministrari, sed ministrare, qui & suos sectatores ad majoritatem, per servitij exhibitionem, docuit pervenire: nempè ipsi abrenunciantes seculo, se & sua ad congregationes tam Clericorum quàm Monachorum regulariter viventium, devotissimè contulerunt,

Vita rerumque communio etiam inter laicos.

tulerunt, ut sub eorum obedientia communiter vivere, & eis servire, mererentur. Quapropter invidia diaboli contra eorundem fratrum probatissimam conversationem quosdam æmulos incitavit, qui eorum vitam malevolo dente corroderent, quamvis ipsos ad formam primitivæ Ecclesiæ communiter vivere viderent. Unde Dominus Papa Urbanus illorum conversationem ab ipsis Apostolis plantatam: sed ab eorum successoribus latissimè propagatam, decreti sui Apostolica authoritate firmatam, ipsumque decretum Prælatis eorundem fratrum, his verbis denunciare curavit.

Quosdam (inquit) *accepimus morem vestrorum cœnobiorum corrodentes, quo laicos seculo renunciantes, & se suaque ad communem vitam transferentes, regendos obedientia suscipitis. Nos autem eandem conversationem & consuetudinem, sicut oculis nostris inspeximus, laudabilem, & eo pro perpetua conversatione dignissimam, quo in primitivæ Ecclesiæ formam impressa est, judicantes, approbamus sanctam, & Catholicam nominamus, & per præsentes literas Apostolica authoritate confirmamus.*

Non solùm autem virorum & fœminarum innumerabilis multitudo, his temporibus se ad hujusmodi vitam contulerunt, ut sub obedientia Clericorum sive Monachorum, communiter viverent, eisque more ancillarum, quotidiani servitij pensum devotissimè persolverent, in ipsis quoque villis filiæ Rusticorum innumeræ, conjugio & seculo abrenunciare, & sub alicujus Sacerdotis obedientia vivere studuerunt: sed etiam ipsæ conjugatæ, nihilominus religiosè vivere, & religiosis cum summa devotione non cessaverunt obedire. Hujusmodi autem studium in Alemannia potissimum, usque quaque decenter effloruit. In qua Provincia etiam multæ villæ ex integro se religioni contradiderunt, seque invicem sanctitate morum prævenire, incessabiliter studuerunt. Sic utique Deus sanctam suam Ecclesiam in periculosissimo tempore mirabiliter consolari dignatus est, ut de multorum conversione gauderet, quæ de excommunicatorum aversione jam diu non cessavit dolere.

In Teutonicis partibus caro cum sanguine pluit, & bufones cum piscibus à cœlo ceciderunt, ut multi probabiles viri se vidisse testati sunt.

Zwifaltē

In Alemannia ad * aquam duplicem propè Danubium sanguis de panibus effluere videbatur. Quæ singula aliquid novi in regno portendere, à quàmpluribus etiam religiosis credebatur.

Juduitha piæ memoriæ Marchionissa, nobilis genere, sed nobilior sanctitate, uxor quondam Heremanni religiosissimi Marchionis, migravit ad Dominum, quinto Cal. Octobr. Ipsa enim cum marito suo religiosè vixit. Post cujus obitum XIX. annos in viduitate & sancta conversatione permansit: demum ad Dominum Papam Salernum pervenit, ibique sub ejus obedientia discessit.

Adalheida Taurinensis Comitissa, XIV. Cal. Jan. obijt.

M. XCII.

DOMINUS Papa natalem Domini in terra sancti Petri, extra Romam, celebravit. Nam Guibertus Hæresiarcha, ita se prope domum S. Petri incastellavit, ut non facilè absque humani sanguinis effusione expelli inde potuerit. Heinricus quoque impius Imperator in Longobardia jam Biennio morabatur, ibique circumquaque terram Welphonis, Italici Ducis, præda, ferro, & incendio, devastare non cessavit, ut eundem Ducem, & prudentissimam ejus uxorem à fidelitate S. Petri discedere, sibique adhærere compelleret, sed frustra. Nam Dux in sua sententia perstitit, ipsique satis viriliter restitit. Sed & pater ejusdem Ducis, Welpho Dux Bajoariæ, eundem Heinricum, ante proximam nativitatem Domini mirabiliter confudit, quem ad colloquium pervenire prohibuit, quod idem Heinr. & Rex Ungar. condixerant, ad quod etiam penè jam convenerant.

In Alemannia quidam laicus communem vitam more Apostolorum professus, qui se & sua ad monasterium S. Salvatoris contradidit, ibique diu debitam obedientiam exhibuit, de repente cœpit apostatare, seque & sua de prædicto Monasterio sacrilegè non timuit abripere. Quapropter Dominus Papa Urbanus missis literis venerabili Gebehardo

hardo Constantiensi Episcopo, ex Apostolica authoritate præcepit, ut eundem Apostatam canonicè vocaret, & mucrone anathematis à membris Christi penitùs amputaret, nisi citiùs de eadem Apostasia & sacrilegio resipisceret.

Iterum Principes Alemanniæ, ad defensionem S. Matris Ecclesiæ contra schismaticos unanimiter convenerunt, sibique ad hoc negotium exequendum fratrem Constantiensis Episcopi, Bertoldum Ducem totius Sueviæ, constituerunt, qui nondum aliquem Ducatum habuit, etsi jamdudum nomen Ducis habere consueverit.

Bertoldus 2. Zeringius Dux Sueviæ.

Magna fames, totam Saxoniam occupavit, quæ & Principes illius Provinciæ, in alias regiones eo anno ad tempus discedere, coegit. Unde & generalis conventus fieri non potuit, quem Principes Alemanniæ cum Saxonibus habere voluerunt.

In Longobardia Conradus filius Heinrici Regis, bona Adelheidæ Taurinensis Comitissæ invasit, quæ ejusdem Comitissæ nepos, filius Friderici Comitis habere debuit. Hic autem Comes sub habitu seculari, more S. Sebastiani strenuissimus miles Christi fuit, videlicet Ecclesiasticæ religionis ferventissimus amator & Catholicæ pacis indefessus propugnator. Hunc venerabilis Papa Gregorius, hunc beatus Anshelmus Lucensis Episcopus, quasi unicum filium amaverunt. Hunc clerici & monachi imò omnes religiosi ferventissimè dilexerunt. Hic in fidelitate sancti Petri contra schismaticos usq; ad mortem studiosissimè certavit, in cujus etiam festo, de hujus vitæ ergastulo ereptus, eidem in cœlesti Patria creditur associatus. Erat autem filius Dominæ Sophiæ & Ludovici Comitis, quæ erat matertera Comitissæ Machtildis, quæ cum Domino suo VVelphone Duce in Italia contra schismaticos multùm laboravit. Obiit autem prædictus Comes, in præterito anno, id est Dominicæ incarnationis M.XCI. Indict. XIII. tertio Kal. Julias, in festo S. Petri, & in crastinum, i. in solennitate S. Pauli, sepelitur. Hujus ergo filium ex nepte Dominæ Adelheidæ susceptum, Heinricus Rex cum filio exhæredare proposuit, terramque ejus hostiliter invadendo, ac circumquaque devastando, etiam Fructuariensi monasterio multa mala intulit.

Fridericus Comes Taurinensis.

In Bajoariam venit Saltzburgensis Episcopus Dimo, qui Pataviensi Ecclesiæ jamdudum viduatæ, ordinavit Episcopum nomine Udalricum, sanctæ Augustensis Ecclesiæ Præpositum, eumque in ipso die Pentecostes, cum ipso Constantiensi & VVormatiensi solenniter consecravit: hocque magnam fiduciam dedit Catholicis, ut in fidelitate sancti Petri persisterent, & schismaticorum vesaniæ indefessiùs obsisterent.

In Ungaria his temporibus multa prodigia contigerunt, ut audivimus. Nam quidam mons se in Danubium præcipitavit, unde fluvius ille alveum suum mutare coactus, circumjacentes terras longè lateque vastavit. Item in sicca terra lacus magnus alibi emersit, & in alio lacu mons quidam derepente apparuit. Fluvius quoque nomine Thizalia, per triduum sanguineus fluxit. Sed & terræmotus ibi inauditus factus est, ita ut homines ejus impetum stando sustinere non possent. Tonitru quoque maximum à seculis inauditum, homines ibi terruit, quod supra terram transire, & sub terra redire sentiebatur, eadem via.

Prodigia in Vngaria.

In Alemannia Cuno Comes de VVulfelingen, strenuissimus miles S. Petri, diem clausit extremum Idib. Octobris, & in monasterio, quod ipse cum fratre suo Comite Luitolfo in proprio allodio fundaverant, honorificè sepelitur, ejusque bona frater ejus Lutolfus hæreditario jure possedit, etsi jamdudum seculari militiæ abrenuntiaverit. Nec hoc utique fecit ea intentione, ut ad seculum rediret, sed potiùs ut prædictum monasterium eisdem bonis melioraret.

Cuno & Luitolfus Comites de Wülflingen. Zwifalten cœnobium Sueviæ.

In hoc anno quatuor Presbyteri, non parvi nominis inter suos & religionis, ex Suevia peregrinantes Hierosolymam profecti sunt, qui post multas tribulationes & angustias, in ipso itinere cùm redirent, in bona confessione satis feliciter obiêre: Quorum unus, qui S. Mariam quotidiano officio singulari devotione venerari consuevit, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, in ipso mari priusquam moreretur, per navim, Deo ordinante, portari meruit, ibique à quarto consacerdote suo, qui solus ex illis quatuor adhuc supererat, honorificè sepelitur, ipseque sepultor ejus non multò pòst itidem defungitur.

Beatrix, soror Friderici Marchionis, & uxor quondam Bertoldi Ducis, tandem

per diuturnam infirmitatem à Domino misericorditer castigata, & examinata, felicissimè diem clausit extremum, VII. Kal. Novembris, & in civitate Leucorum ab Episcopo loci honorificè sepelitur.

Contentio de Episcopatu Constantiensi.

Dominus Udalricus, qui Abbatiam S. Galli, & Aquileiensem Episcopatum non intrando per ostium, obtinuit, per quendam monachum sui monasterij, Gebehardum Constantiensem Episcopum supplantare conatus est, cui investituram ejusdem Episcopatus, à Heinrico impetravit. Sed cùm eundem supplantatorem ante natalem Domini inthronisare vellet, à Constantiensibus receptus non est: imò non sine contumelia repedare compulsus est.

Terræmotus circa Schafhusiam.

Magnus quoque terræmotus in eodem Episcopatu, apud cellam S. Salvatoris eo tempore noctu contigit. Unde & paucis tunc innotuit, præter quosdam religiosos viros & fœminas, quibus eadem nocte nondum somnus obrepsit. Hunc terræmotum Catholici, juxta Evangelium, divinam iram portendere, pro supradicta præsumptione non dubitarunt.

M. XCIII.

DOMINUS Papa Urbanus natalem Domini extra Romam, in terra S. Petri, celebravit, eò quòd nondum Romam absque armata manu intrare potuerit: Guibertistis quidem & excommunicatis multùm adhuc ibi prævalentibus, nec facilè se absque violentia inde expelli permittentibus. Ipse verò Guibertus eo tempore, cum Imperatore suo Heinrico in Longobardia morabatur, & quicquid potuit cum ipso contra Ducem Welphonem & ejus uxorem Machtildam S. Petri filiam, machinabatur.

Venerabilis Wernherus Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus, post multos conflictus contra schismaticorum tergiversationes, tandem in fidelitate S. Petri, diem extremum clausit. Qui solus tunc in Saxonia Catholicæ communionis Episcopus remansit. Unde & Catholicis magnam tristitiam, & excommunicatis magnam lætitiam obeundo reliquit. Obiit autem satis feliciter, tertio Idus Januarij.

In Alemannia per diversa loca, multi ignes per aërem simul ferri videbantur, in octava Epiphaniæ, in summo mane. Qui utique ignes multa incendia, non multò pòst per illam terram latè grassantia, significare non dubitabatur: Nam Dux Welfo, & Comes Udalricus de Brigantio, & alij quàm plures, omnimodis se invicem incendiis devastare aggressi sunt.

** fortè quæ nunc Gravenhausen dicitur.*

Sigefridus Abbas Scaphusensis de Alemannia, Cellam * Nobiliacum dictam, à Richardo Massiliense Abbate impetravit, locumque sibi suisque fratribus ibi præparavit, quò ad tempus secedere posset, si fortè in suo monasterio propter excommunicationem persistere nequisset. Nam illa veternosa excommunicatio, quam piæ memoriæ Gregorius Papa, super Guibertum & ejus complices, fecit, jam adeò majores atque minores in Alemannia contaminavit, ut quique religiosi se inter eos (salva catholica communione) perduraturos desperaverint.

Nobilissima Comitissa Sophia, vidua Ludovici Comitis, mater piæ memoriæ Beatricis Ducis, & Friderici Marchionis, in senectute bona, cum jam multos filiorum videret, diem clausit extremum.

Imperator à Conrado filio desertus.

In Longobardia prudentissimi milites S. Petri, Welpho Dux & uxor ejus Machtilda, jam triennio contra schismaticos viriliter dimicantes, tandem multùm contra ipsos (Deo opitulante) confortati sunt. Nam Cuonradus filius Heinrici Regis à Patre discessit, & Welphoni Duci reliquisque fidelibus S. Petri, contra Patrem cum suis adjuvit. Civitates quoque de Longobardia, Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia, contra Heinricum in viginti annos conjuraverunt, qui omnes prædicto Duci fideliter adhæserunt. Transitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt, ut fautores Heinrici ad ipsum non possent proficisci.

Augustenses, Episcopum quem Heinricus illis dedit, expulerunt, ipsique sibi Catholicum pastorem canonicè elegerunt, qui Eporegiensem Episcopum, in castello, quo transitus Alpium custoditur, captivavit, quod ipse illi facere deliberavit.

Metensis Ecclesia & Tullensis & Virdunensis, ab obedientia Egilberti Treverensis excommunicati discesserunt, eique non amplius obedituras, apertissimè mandaverunt.

daverunt. Quorum Metensis, refutato Episcopo, quem Heinricus eis dare voluit, ipsi sibi canonicè catholicum pastorem elegêre, eumque à Gebehardo Constantiensi Episcopo, sedis Apost. legato, consecrari fecêre, sexto Cal. April. in medio quadragesimæ.

Dominus Papa Urbanus generalem Synodum C. penè Episcoporum, in quadragesima ex diversis Provinciis, in Apulia congregavit, & diversis Ecclesiarum necessitatibus, Synodali provisione competenter succurrere curavit.

Conradus Imp. F contra Patrem Rex Rom. creatus.

In Longobardia Cuonradus filius Heinrici Regis à Patre dolo circumvenitur & captivatur, sed Dei misericordia inde ereptus, à Mediolanensi Archiepiscopo, & reliquis fidelibus S. Petri, in Regem coronatur, annuente Welphone Duce Italiæ, & Mathilda ejus charissima conjuge. Sed & Pater ejusdem Ducis, Welpho Dux Bajoariæ, non multò post ad eundem noviter coronatum Regem, in Longobardiam venit, eique cum filio suo fideliter adhærere sategit. Heinricus verò Pater Regis, in quandam munitionem se contulit, ibique diu absque Regia dignitate moratus, nimioque dolore affectus, seipsum (ut ajunt) morti tradere voluit: sed à suis præventus, ad effectum venire non potuit.

Cœnobium S. Petri in nigra sylva.

In Alemannia Dux Bertoldus monasterium novum, in honorem S. Petri in prædio suo in Nigra sylva à fundamentis extruxit, multisque bonis ditavit. Sed & omnia bona alterius monasterij, quod ejusdem Ducis Pater, in alio loco ædificavit, ille ad illud transtulit. Hoc ergo monasterium frater ipsius Ducis Gebehardus Constantiensis Episcopus, & Apostolicæ sedis legatus, sua consecratione initiavit: alterque Gebehardus Hirsaugiensis Abbas, regularem disciplinam monachorum dudum ibidem instituit. Hæc autem consecratio facta est in Kal. Augusti, cum est statio ad vincula S. Petri, quorum etiam magnam partem venerandus Abbas Sigefridus de cella Salvatoris, eidem loco contulit, & multas aliorum sanctorum reliquias. In eadem etiam consecratione, Abbas illi loco eligitur, ejusque dispositioni & monachi & extructio loci, cum omnibus ad illum pertinentibus, liberè committitur, ipseque locus Apost. sedi specialiter subjacere destinatur.

Biblingen cœnobium, Comitum Kirchbergensium opus.

Item in Alemannia Hartmannus Comes, & frater ejus Otto, novum monasteriũ in proprio allodio, in loco ubi Danubius & Ilaris fluvius conveniunt, in honorem S. Martini construxerunt: quod idem prædictus Constantiensis Episcopus, in mense Septembri, sua consecratione initiavit, sed venerabilis Otto, Abbas de S. Blasio regularem disciplinam ibidem instituit.

S. Georgii cœnobium.

Eodem etiam tempore idem Episcopus prædicto Abbati, aliud monasterium, non longè multum inde, in honorem S. Georgij, consecravit. Quem locum & quæque ad illum pertinentia, quidam nobilis homo Cuonradus & frater ejus, ad S Blasium absque omni conditione tradiderunt, & prædictum Abbatem, ut Dei servitium in eodem loco institueret, rogaverunt, quorum votis idem Abbas annuere non cessavit.

Hoc tempore uxor egregij Comitis, nomine Weliga, magni Ducis Godefridi filia, satis laudabiliter cum viro suo in seculo conversata, diem clausit extremum & apud Hirsaugiense monasterium, quod ipsa potissimum instituit & amavit, satis honorificè sepelitur.

Ecclipsis Solis.

Signum in Sole factum est, VIII. Cal. Octob. ante meridiem, ut circulus quidam in illo appareret, & ipse sereno cœlo obscurissimè luceret. Sed hoc magis quidam Ecclipsin quàm signum fuisse putaverunt: præcipuè cum Luna esset vicesima octava ea die. Nam egregius calculator Dominus Heremannus Contractus, etiam in vigesima septima Luna Ecclipsin accidisse scribit, anno Domini M.XXXIII.

Pontificiorum conventus Vlmæ habitus.

Gebehardus Constantiensis Episcopus, & Apostolicæ sedis legatus, VVelphonem Ducem Bajoariæ per manus in militem accepit, sicut & proprium fratrem Bertoldum Ducem Alemanniæ jamdudum fecit. Cum quibus & reliquis Alemanniæ Principibus magnum conventum apud Ulmam habuit, in quo conventu firmissimè laudatum est, ut Constantiensi Episcopo omnimodè secundùm statuta canonum obediretur, & ut Duci Bertoldo & Comitibus secundùm legem Alemannorum obsecundaretur. Deinde firmissimam pacem tam Duces quàm Comites, tam majores quàm minores se observaturos, à VII. Cal. Decemb. usque in Pascha, & à Pascha in duos annos juraverunt, videlicet omnibus monachis suis conversis & clericis, catholico Episcopo subjectis, Ecclesiis, & earum atriis, & doti earum, mercatoribus, & omnibus eodem juramento obligatis, excepto Arnoldo invasore Constantiensis Ecclesiæ, & omnibus ejus fautoribus.

Hanc

Hanc pacem ſinguli Principes qui convenerunt, unusquisque per poteſtatem ſuam usquequaque viritim jurare fecerunt.

Alfonſus Hiſpaniæ Rex Cluniacenſium Mæcenas.

His temporibus Rex Hiſpaniæ Aldefonſus in fide Catholicus, & in conſervatione Cluniacenſis Abbatis obedientiarius, ſæpiſſimè contra Paganos, pro Chriſtianis viriliter dimicavit, multasque Eccleſias, jamdudum penitus devaſtatas, in priſtinum ſtatum reſtauravit. Ipſe etiam Cluniaci majorem Eccleſiam à fundamentis ædificavit, ad cujus Eccleſiæ ædificationem infinitam pecuniam Cluniacum direxit, qui etiam jamdudum ſe ibidem monachum feciſſet, ſi Dominus Abbas ad tempus eum ſub ſeculari habitu retinere non ſatiùs judicaret.

In Longobardia venerabilis Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus, in cauſa S. Petri ſtudioſiſſimus, & qui nuper Cuonradum Regem incoronavit, ſatis laudabilem fecit finem, magnumque mœrorem fidelibus S. Petri reliquit.* Cui venerabilis Arnoldus de porta argentea in Epiſcopatu ſucceſſit.

M. XCIII.

DOMINUS Papa Urbanus nativitatem Domini Romæ ſolenniter celebravit, quamvis plures Guibertini in Urbe adhuc latuerint, quos Dominus Papa abſque militari manu non facile potuit appellere. Maluit ergo eorum injuriam ad tempus tolerare, quàm Romanos cives armata manu inquietare. Guibertus autem hæreſiarcha cum Imperatore ſuo apud Veronam eo tempore fuit, ſeque libenter papatum deſerere ſimulavit,* ſi alio modo pax in Eccleſia recuperari non potuerit.

Praxedis Imperatricis fuga.

Uxor hujus Imp. jam diu multis injuriis laceſſita, multisque annis ne aufugeret cuſtodita, tandem ad Welphonem Ducem Italiæ aufugit. Quæ apud ſuos tot & tanta, tamque inaudita mala ſe paſſam conqueſta eſt, ut etiam apud inimicos miſericordiam ſe inventuram non dubitaret, nec in hac utique ſpe decepta eſt. Nam Dux & uxor ejus Machtildis gratanter eam ſuſceperunt & tractaverunt.

Iudinta Ducissa Bavariæ moritur.

Judinta uxor Ducis Welphonis Bajoariæ, jam diu infirmata, & ea caſtigatione non parum meliorata diem clauſit extremum, quarto Non. Martij, & apud monaſterium, quod maritus ejus in honorem S. Martini in proprio allodio conſtruxit, à Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, honorificè ſepelitur. Ad quod monaſterium maritus ejus Dux, Capellam ipſius tradidit, quæ in auro & argento & pretioſiſſimis paramentis, mille libras penè valuit, idemque monaſterium in poſſeſſionibus centum penè manſis melioravit, ſicque melioratum & de ſua poteſtate emancipatum, S. Petro ſub jure tributario contradidit, ut Apoſtolicæ ſedi deinceps principaliter ſubjaceret, & ſub ejus defenſione, ut alia libera monaſteria, jure perpetuo polleret.

Dominus Papa Romæ prope S. Mariam novam, in quadam firmiſſima munitione morabatur. Sed Guibertini turrim Creſcentij obtinentes, adhuc liberum viatoribus

Abbas S. Petri à Guibertinis Romæ captus.

tranſitum ad Papam, per pontem Tyberis, nondum permiſerunt. Nam Abbatem quendam de Cella S. Petri in Alemannia, à Gebehardo Conſtantienſium & à fratre ejus Duce Bertoldo ad Papam directum, dum per illum pontem tranſire vellet, in captione detinuerunt.

Fœdus quorundam Principum contra Henricum.

Welpho Dux Bajoariæ firmiſſimam pacem cum Alemannico Duce Bertoldo & reliquis Alemanniæ Principibus initiavit, usque Bajoariam imò usque ad Ungariam propagavit. Francia quoque Teutonica & Alſatia eandem pacem, ſuis partibus ſe obſervaturas, juramento decreverunt. Hæc tamen pax in Alemannia maximè invaluit, eò quòd Principes ejus, quisque in ſua poteſtate juſtitiam facere non ceſſaverit, quod reliquæ Provinciæ nondum facere decreverint. Et præcipuè Dux Bertoldus ad faciendam juſtitiam in Ducatu Alemanniæ adeò exarſit, ut in obſervatione juſtitiæ omnes prædeceſſores ſuos penè vicerit, & de hoc omnium ora pio rumore compleverit.

Magnam tamen difficultatem adhuc in illis partibus, ſancta mater in devitatione excommunicatorum perpeſſa eſt, quas utique vix devitare poſſet, ſi non jamdudum Dominus Papa ſententiam excommunicationis quodammodo cum Apoſtolica authoritate temperaſſet. Nam multos ipſo more prædeceſſoris ſui venerabilis Papæ Gregorij, de excommunicatione ſecluſit, videlicet viatores, ruſticos, ſervos & ancillas, uxores & filios, quos tamen perverſa voluntas eodem vinculo excommunicationis non aſtrinxerit.

Gebehar-

Gebehardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus, magnam Synodum Constantiæ, in hebdomada majore ante Pascha, cum Abbatibus & Clericis innumerabilibus, & cum prædictis Ducibus, & reliquis Alemanniæ Principibus canonicè celebravit, ibique multa, quæ corrigenda erant, correxit. Ibi etiam incontinentiam Presbyterorum & violentiam Simoniacorum adeò prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi contra fas & jus ministrare præsumpsissent. Statuit etiam ibi juxta statuta S. Patrum, ut jejunium Martij in prima hebdomada quadragesimæ, & jejunium Junij in hebdomade Pentecostes semper celebretur. Item statuit, ut tam in hebdomada Pentecostes quàm in hebdomada Paschali, tres tantùm dies festivè celebrarentur. Nam usque ad illud tempus Constantiensis Episcopatus morem comprovincialium non est sequutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & unum diem tantùm in Pentecoste observando: quamvis utræque septimanæ ejusdem observationis esse debuerint, & quamvis alij Episcopatus penè omnes prædictam constitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc inquam ipse in proprio Episcopatu, & ex Episcopali authoritate & ex Apostolica legatione, canonicè potuit instituere. Nam legatus fuit sedis Apostolicæ, per totam Teutonicam terram usquequaque. *Constantiensis conventus ordinum Alemanniæ.*

Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ à marito suo discessit, ad Constantiensem Synodum pervenit. Quæ se tantas tamque inauditas fornicationum spurcitias, & à tantis passam fuisse conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillimè excusaret, omnesque catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret.

In hac Synodo venerabilis Abbas Sigefridus de cella S. Salvatoris super Dudonem obedientiarium suum se proclamavit, qui se & bona sua ad aliud monasterium liberè contradidit: sed non multò pòst sacrilegè, se & sua inde penitus abalienare tentavit. Unde sancta Synodus juxta statuta canonum judicavit, ut vir ille absque omni contradictione ad obedientiam Abbatis sui rediret, eique cum suis bonis jure perpetuo humiliter subjaceret, & de transacta inobedientia juxta præceptum Abbatis dignam pœnitentiam exequi studeret. Sicque factum est, ut Synodus faciendum esse judicavit.

In Bajoaria magna mortalitas grassabatur, adeò ut in Ratisponensi civitate infra duodecim hebdomadas octo M. D. illa mortalitate intercepti numerentur. Sed & alias Provincias eadem mortalitas afflixit, non tamen adeò ut Bajoaria. *Pestis.*

In Teutonicis partibus multa prodigia facta sunt. Nam & homines se ipsos suspenderunt, & lupi multos manducaverunt. Et hoc ex divina ultione factum non dubitatur, eò quòd legem divinam neglexissent, & excommunicatione maculari nõ timuissent. Fulmina quoque de cœlo multùm homines terruerunt. Nam in monasterio apud Utenburzon majus crucifixum & sedilia monachorum (utpote non regulariter viventium) à fulmine dissipata sunt. Item in Basiliensi Ecclesia majori, fulmen contrivit trabem, crucifixi sustentatricem, videlicet quod cum excommunicatis ibidem multi convenissent.

Hoc tempore Magister Manegoldus de Lutenbach, monasterium canonicorum apud Marbach instituere cœpit, seque unum eorundem canonicorum, communiter & regulariter viventium, esse voluit. *Cœnobium Marbach in Alsatia superiore.*

In Nigra sylva, in loco qui de sancto Blasio cognominatur, monasterium in honorem ejusdem sancti, à fundamentis cœpit ædificari, III. Idus Septembris. Nam Dominus adeò illum locum exaltavit, totque illuc ad conversionem venire fecit, ut necessariò ampliora ædificia instituere debuerint. Ipsa quoque die incœptionis hujusmodi ædificationis, Dominus Otto venerabilis Abbas, ejusdem loci priorem Dominum Hartmannum, in orientale regnum, in Marcham Ungaris collimitaneam, cum aliis confratribus suis direxit, ad novam Abbatiam in Episcopatu Pataviensi, in loco qui Cotewich dicitur, instituendam. Erat autem in illo loco cœnobium clericorum regulariter viventium, qui tamen hoc à Domino Papa, & per Papam à proprio eorum Episcopo impetrârunt, ut deposito habitu clericali fierent monachi. Quapropter Dominus Abbas de S. Blasio ex præcepto Domini Papæ & ex Episcopi postulatione, in eodem loco Abbatiam instituere disposuit, fratresque suos illuc ad hoc exequendum direxit. *S. Blasius Hercynij nemoris fit monasterium.* *Cotewvich cœnobium.*

Heremannus juvenis bonæ indolis, & advocatus Augiensis, per insidias (heu crudeliter) à servis Augiensis Ecclesiæ, dum ad Ecclesiam causa orandi vellet

vellet ire, in fruſta conciditur, VII. Cal. Octob. & in monaſterio apud S. Georgium, quod ejus Pater in proprio allodio conſtruxit, honorificè ſepelitur.

Venerabilis Presbyter Percherus, multorum ſanctimonialium proviſor religioſiſſimus, migravit ad Dominum, ſecundo Cal. Octob. magnumque mœrorem reliquit, tam viris quàm fœminis. Sed & alij innumerabiles Presbyteri in Teutonicis partibus obierunt, qui ſuos parochianos in magno periculo ejuſdem mortalitatis dimiſerunt. Nam adeò maxima mortalitas uſque quaq; graſſabatur, ut in una villa plusquàm mille quinquaginta homines infra ſex hebdomadas mortui numerarentur. Sed & in una die, & in una villa plus quàm XL. alicubi mortui ſunt. Ipſa quoque cœmiteria Eccleſiarum adeò ſepulturis impleta ſunt, ut homines ibi mortuos ſuos ſepelire non potuerint. Unde in pluribus locis facta prægrandi foſſa extra cœmiterium, omnes ſuos mortuos in illam conjecerunt. Hæc autem mortalitas non ſolùm Teutonicos, ſed & Franciam, Burgundiam, Italiam uſque vexabat, quæ tamen ſapientibus non adeò deteſtanda videbatur. Nam maxima multitudo cum pœnitentia & confeſſione & probabili fine diſceſſerunt, quem infirmitate detenti ſibi poſt aliquot dies proventurum præſcierunt. Quippe omnes penè infirmi ad certitudinem obitus ſui ſe præparaverunt, quod alio tempore vix ſancti facere potuerunt. Ipſi etiam ſuperſtites à ſecularibus vanitatibus, i. à jocis, tabernis & aliis hujusmodi ſuperfluis abſtinere ſtuduerunt, & ad confeſſionem & pœnitentiam currere, ſeque Sacerdotibus commendare non ceſſaverunt. Unde maxima multitudo eadem mortalitate ſatis probabiliter obière.

Peſtis ſæviſſima.

In Galliarum civitate, quam Oſtionem vulgariter dicunt, congregatum eſt generale Concilium, à venerando Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo, & ſedis Apoſt. legato, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus diverſarum Provinciarum, XVII. Calend. Novemb. in quo Concilio renovata eſt excommunicatio in Heinricum Regem, & in Guibertum ſedis Apoſt. invaſorem, & in omnes eorum complices.

Synodus Gallica.

Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus eſt, eò quòd vivente uxore ſua, alteram ſuperinduxerit. Item Simoniaca hæreſis & incontinentia Sacerdotum ſub excommunicatione damnata eſt. Item, monachis interdictum eſt in eodem Concilio, ne parochialium Sacerdotum officia in parochiis uſurpent. Hæc inquam omnia ibi ſunt conſtituta, & Apoſtolica legatione firmata.

Adalbertus Comes de Calva, juvenis bonæ indolis, obiit tertio Non. Decembr.

Adelbertus Comes in Kalvve.

In Alſatia Magiſter Manegoldus de Lutenbach, mirabiliter Eccleſiaſticam religionem, jam dudum in illis partibus extinctam, Deo miſerante, reaccendit. Nam invaleſcente apud illos diuturna mortalitate, omnes penè majores & militares illius Provinciæ, ad ipſum catervatim convenêre, & de excommunicatione per poteſtatem ipſi à Domino Papa conceſſam, abſoluti, & de reliquis eorum peccatis accepta pœnitentia per eum abſolvi non ceſſaverunt. Hi omnes Domino Papa Urbano deinceps fideliter obedire decreverunt, unde & officia Simoniacorum & incontinentium Presbyterorum, penitus recipere noluerunt. Hujus autem obedientiæ Dominus Manegoldus maxima cauſa fuit: unde & magnam invidiam ſibi apud perfidos excitavit, quàm tamen pro minimo reputavit, quia pro Deo contemni etiam glorioſiſſimum eſſe non dubitavit.

M. X C V.

DOMINUS Papa Urbanus jamdudum de Roma profectus, natalem Domini in Tuſcia glorioſiſſimè celebravit: in qua Provincia Piſanus Epiſcopus nomine Dagobertus ei ſtudioſiſſimè ſervivit, quem ipſe jamdudum Archiepiſcopali pallio & poteſtate ſublimavit, quod eatenus Piſanenſis ſedis Epiſcopus habere non conſuevit.

Piſana ſedes Archiepiſcopali dignitate aucta.

Heinricus autem Rex dictus, eo tempore in Longobardia morabatur, penè omni Regia dignitate privatus. Nam filius ejus Cuonradus, jamdudum in Regem coronatus, ſe ab illa penitus ſeparavit, & Dominæ Mathildæ reliquisque fidelibus S. Petri firmiter conjunctus, totum robur paterni exercitus, in Longobardia obtinuit.

Welpho filius Welphonis Ducis Bajoariæ, à conjugio Dominæ Mathildis ſe penitus ſequeſtravit, aſſerens illam à ſe omnino immunem permanſiſſe: quod ipſa in perpetuum reticuiſſet, ſi non ipſe prior illud ſatis inconſideratè publicaſſet. Unde Pater ipſius in Longobardiam nimis irato animo pervenit, & fruſtrà diu multumque pro hujusmodi

jusmodi reconciliatione laboravit. Ipsum etiam Heinricum sibi in adjutorium ascivit contra Dominam Machtildam, ut ipsam bona sua filio ejus dare compelleret, quamvis non dum illum in maritali opere cognosceret. Unde diu frustra laboratum est.

Dominus Papa Deo & S. Petro prosperante, jam penè ubique prævaluit, & in media Longobardia in civitate Placentina, inter ipsos schismaticos, & contra ipsos generalem synodum condixit, ad quam Episcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Bajoariæ, aliarumque Provinciarum, Canonica & Apostolica Authoritate missis literis convocavit.

Synodus Placentina.

Facta est autem hæc synodus, circa mediam quadragesimam Placentiæ, ad quam synodum multitudo tam innumerabilis confluxit, ut nequaquam in qualibet Ecclesia illius loci posset comprehendi. Unde & Dominus Papa extra Urbem in campo illam celebrare compulsus est. Hoc tamen non absque probabilis exempli authoritate. Nam primus legislator Moyses, populum Dei in campestribus, legalibus præceptis, Deo jubente, instituit: & ipse Dominus non in domibus, sed in monte & in campestribus discipulos suos Evangelicis statutis informavit. Missas quoque nonnunquam extra Ecclesiam satis probabiliter, necessitate quidem cogente, celebramus, quamvis Ecclesias earum celebrationi specialiter deputatas non ignoramus.

Acta & statuta synodalia.

In hac synodo Praxedis Regina jamdudum à Heinrico separata, super maritum suum Domino Apostolico & sanctæ synodo conquesta est, de inauditis fornicationum spurcitijs, quas apud maritum passa est. Cujus querimoniam Dominus Papa cum sancta synodo satis misericorditer suscepit, eò quòd ipsam tantas spurcitias non tam commisisse, quàm invitam pertulisse, pro certo cognoverit. Unde & de pœnitentia pro hujusmodi flagitijs injungenda, illam clementer absolvit, quæ & peccatum suum sponte & publicè confiteri non erubuit.

Ad hanc synodum Philippus Rex Galliarum legationem suam direxit, seque ad illam iter incepisse, sed legitimis socijs se impeditum fuisse, mandavit. Unde inducias sibi usque in Pentecosten apud Dominum Papam synodo intercedente impetravit. Dominus autem Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, ad eandem synodum vocatus, ab officio suspenditur, eò quòd ipse non venerit, nec legatum cum Canonica excusatione illuc pro se direxerit.

Imp. Orientis Latinorum auxilium contra Saracenos implorat.

Item legatio Constantinopolitani inprimis ad hanc synodum pervenit, qui Dominum Papam omnesque Christi fideles suppliciter imploravit, ut aliquod auxilium sibi contra Paganos pro defensione S. Ecclesiæ conferrent, quam Pagani jam penè in illis partibus deleverant, qui partes illas usque ad muros Constantinopolitanæ civitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium Dominus Papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent, se illuc, Deo annuente, ituros, & eidem Imperatori contra Paganos pro posse suo, fidelissimum adjutorium collaturos.

Hæc autem inter alia in illa synodo constituta sunt, ut ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas & odium ex corde, & quotlibet mortale peccatum, dimittere nollent. Item, ut nullus Presbyter aliquos ad pœnitentiam reciperet, nisi cui proprius Episcopus hanc curam commisisset. Item ut quilibet ritè ad confessionem venientibus Eucharistiam non denegemus, quos solo corpore non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum sacramentis communicare, cognoscimus.

In hac quoque synodo hæresis Simoniacorum penitus damnata est, ut quicquid & in sacris ordinibus, & in Ecclesiasticis rebus, data & promissa pecunia acquisitum simoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires habuisse & habere judicaretur. His tamen qui non simoniacè & nescienter à Simoniacis ordinati sunt, misericordia in servando ordine concessa est: qui verò scienter ab hujusmodi ordinati sunt, cum suis ordinatoribus irrecuperabiliter damnati sunt.

Item hæresis Nicolaitarum, i. incontinentium Subdiaconorum, Diaconorum, & præcipuè Sacerdotum, irretractabiliter damnata est, ut deinceps de officio se non intromittant, qui in illa hæresi manere non formidant, nec populus eorum officia nullo modo recipiat, si ipsi Nicolaitæ contra hæc interdicta ministrare præsumant.

Item hæresis Beringeriana jam ab antiquo sæpissimè anathemizata, iterum da-

mnata est, & sententia Catholicæ fidei, contra eandem firmata, videlicet, quòd panis & vinum, cùm in altari consecrantur, non solùm figuratè, sed etiam verè & essentialiter in corpus & sanguinem Domini convertantur.

Item in Guibertum hæresiarcham, sedis Apostolicæ invasorem, & in omnes ejus complices sententia anathematis synodali judicio, cum ardentibus candelis iterum promulgata est. In hac synodo quatuor millia ferè Clericorum, & plus quàm triginta millia laicorum fuisse perhibentur.

In hac synodo constitutum est, ut pro crismate & baptismo & sepultura nihil unquam exigatur. Item ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur, sc. primum in hebdomada quadragesimæ, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium verò & quartum in Septembri & Decembri solito more fiant.

Huic synodo reverendissimi antistites interfuerunt, de Bajoaria quidem, Dimo Saltzburgensis Archiepiscopus, & Udalricus Pataviensis Episcopus, ejus suffraganeus. De Alemannia verè Gebehardus Constantiensis Episcopus, qui & Arnolfum Mediolanensem Archiepiscopum diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione Domini Papæ, Mediolani consecravere. Ipse quoque Dominus Papa Udalricum Augiensem Abbatem eo tempore consecravit, qui itidem prædictæ synodo interfuit, cui in præsentia Constantiensis Episcopi, omnem Episcopalem potestatem, in clerum & populum Augiensis Insulæ interdixit, quam dudum Constantiensi Episcopo concessit. Abbas tamen ille non multò post de illa potestate se intromisit. Unde querimonia facta ab Episcopo, Dominus Papa illum missis literis ab hujusmodi præsumptione, iterum compescuit.

Pontificis & Conradi Regis congressus.

Conradus Rex filius Heinrici, Domino Papæ Urbano, Cremonam venienti, obviam progreditur, eique stratoris officium exhibuit, quarto Idus Aprilis. Deinde, fecit ei fidelitatem juramento, de vita, de membris, & de Papatu Romano. Dominus autem Papa in filium S. Romanæ Ecclesiæ recepit illum, eique consilium & adjutorium ad obtinendum regnum, & ad coronam Imperij acquirendam, coram populo firmissimè promisit, salva quidem justitia illius Ecclesiæ & statutis Apostolicis, maximè de investituris in spiritualibus officijs à laico non usurpandis.

Welpho Dux Bajoariæ, cum filio suo welphone tandem de Longobardia in Alemanniam rediit, multumque de restitutione Heinrici in regnum, quamvis de anathemate non absolutum, cum Principibus regni frustra laboravit; nam & fautores Heinrici, non facilè ejus persuasioni crediderunt: catholici autem excommunicationem & perjurium incurrere timuerunt, si reciperent Henricum, quem sub excommunicatione communiter abjuraverunt.

Conradi Regis nuptiæ.

Cuonradus Rex cum regio apparatu in Tusciam Pisas perrexit, ibique sponsam suam, filiam Rogerij Ducis de Sicilia, adhuc admodum parvulam, cum inaudita pecunia sibi oblatam, recepit.

Synodus generalis Claromontana.

Dominus Papa rebus in Longobardia bene dispositis, in Gallias marino itinere cœpit divertere, & ad S. Mariam ad Podium, in assumptione ipsius pervenit, synodumque ad montem Clarum, in octavam S. Martini, Apostolica authoritate condixit, ad quam diversarum Provinciarum Episcopos, missis literis canonica vocatione invitavit.

Monasteriū Canonicorū regularium prope Tullū.

Lutolfus sanctissimi Leonis Papæ filius, sanctæque Tullensis Ecclesiæ decanus, monasterium Clericorum, quod Canonicum Romani cognominant, propè eandem civitatem construxit, in quo Clericos secundum regulam S. Augustini vivere professos congregavit, quibus & præpositum ejusdem professionis præfecit: quem Episcopus loci in Abbatem eidem congregationi solenniter consecravit. Est enim consuetudo in illis partibus, ut præpositi congregationum hujusmodi, Abbates nominentur, & in Abbates consecrentur, hoc tantùm excepto, quod baculos non portant. Dominus quoque Papa Urbanus eidem loco privilegium fecit, in quo firmissimè decrevit, ut Clerici illius loci regulam sancti Augustini in perpetuum custodiant, & deinceps libertatem eligendi Abbatis semper obtineant. Est autem illud monasterium in honorem sancti Leonis Papæ specialiter constructum, & Ecclesia in ejusdem Apostolici honorem dedicata. Datum est hoc privilegium in Longobardia, venerabili Lutolfo, à Domino Papa, anno Dominicæ incarnationis M. XCV.

Lutolfus

Lutolfus ditiſſimus Marchio de Orientali regno, in cauſa S. Petri fideliſſimus contra ſchiſmaticos, diem clauſit extremum. De cujus obitu quantum Catholici doluerunt, tantum adverſarij S. Eccleſiæ gaviſi ſunt.

Heinricus etiam Palatinus Comes, multum & ipſe dives, ſed Apoſtolicæ ſedi non adeò obediens, viam univerſæ terræ arripuit, divitiasque multas à multis ſibi inutiliter diripiendas dereliquit. *Henrici Comitis Palatini mors.*

In Gallijs ad Clarum montem generalis ſynodus à Domino Papa, in octava ſancti Martini congregata eſt, in qua XIII. Archiepiſcopi, cum eorum ſuffraganeis fuerunt, & CCV. paſtorales virgæ numeratæ ſunt. In hac ſynodo Dominus Papa eadem ſtatuta, quæ & in præterita ſynodo Placentina confirmavit, inſuper & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eò quòd propria uxore dimiſſa, militis ſui uxorem ſibi in conjugium ſociavit. Ibi etiam aliam ſynodum, in tertiam ſubſequentis quadrageſimæ hebdomadam Turonis celebrandam denunciavit. *Claromontana ſynodus*

M. XCVI.

DOMINUS Papa Arelati diem Dominicæ nativitatis, cum diverſarum Provinciarum Epiſcopis, glorioſiſſimè celebravit. In his locis ex parte ſchiſmaticorum Wirceburgenſis Epiſcopus ad Apoſtolicum pervenit, ejusq; miſericordiam conſequutus eſt, ita tamen ut eadem miſericordia à Legatis Papæ in Teutonicis partibus perficeretur eidem.

In tertia hebdomada quadrageſimæ Dominus Papa ſynodum celebravit, cum diverſarum Epiſcopis Provinciarum, in civitate Turonenſi, ubi iterum ſuorum præteritorum ſtatuta Conciliorum, generalis ſynodi aſſenſione roboravit, & non multò poſt Epiſcopum Strazburgenſem, de excommunicatione reſipiſcentem, recepit in communionem, ita tamen ut de illatis criminibus ſe expurgaret. *Synodus Turonenſis.*

His temporibus maxima multitudo de Italia, & omni Gallia & Germania Hieroſolymam contra Paganos, ut liberarent Chriſtianos ire cœpit, cujus expeditionis Dominus Papa maximus author fuit. Nam & in præteritis ſynodis ſtudioſiſſimè omnes de hac expeditione promovit, eamque eis in remiſſionem omnium peccatorum faciendam, firmiſſimè commendavit. Omnes quoque qui ſe ad hoc iter devoverunt, ſigno crucis ſe ipſos in veſtibus notare fecit, quod etiam ſignum quibuſdam in ipſa carne notatum apparuit. Unde & à quamplurimis Dei ordinatione & inſpiratione ipſum iter incœptum fuiſſe credebatur. Nimium tamen ſimpliciter innumerabilis multitudo popularium iter illud arripuit, qui nullo modo ſe ad tale periculum præparare noverunt & potuerunt. Unde & eorum non parva pars occubuit, quæ terram Ungarorum ſatis imprudenter devaſtare præſumpſit: reliqui verò ſubſequentem multitudinem Rex Ungariæ terram illam intrare non permiſit, cujus etiam non parva pars ad introitum Ungariæ occubuit. Non erat autem mirum quòd propoſitum iter ad Hieroſolymam explere non potuerunt, quia non tali humilitate & devotione (ut deberent) illud iter adorſi ſunt. Nam & plures apoſtatas in comitatu ſuo habuerunt, qui abjecto religionis habitu, cum illis militare propoſuerunt. Sed & innumerabiles fœminas ſecum habere non timuerunt, quæ naturalem habitum in virilem nefariè mutaverunt, cum quibus fornicati ſunt, in quo Deum mirabiliter ſicut Iſraeliticus populus quondam, offenderunt. Unde poſt labores, pericula & mores, tandem cum Ungariam non permitterentur intrare, domum macte cum magna triſtitia cœperunt repedare. *Chriſtianorum in terrâ ſanctâ generalis expeditio.*

Hoc anno in quibuſdam civitatibus Judæi magna cæde trucidati ſunt, ab his qui Hieroſolymam petierunt, ita dico, ut apud Spiram fugientes in Palatium Regis & Epiſcopi, etiam repugnando vix ſe defenderent, eodem Epiſcopo Johanne illis auxiliante. Qui etiam poſtea ab hoc ira commotus, & pecunia Judæorum conductus, quoſdam fecit obtruncari Chriſtianos. Item apud Wormatiam Judæi perſequentes fugiendo Chriſtianos ad Epiſcopum properabant, qui cùm non aliter illis ſalutem niſi baptizarentur, promitteret, inducias colloquij rogaverunt. Et eadem Epiſcopi cubiculum intrantes, noſtris foras expectantibus, quid reſponſuri eſſent, diabolo, & propria duritia perſuadente, ſeipſos interfecerunt. *Iudæi vim patiuntur.*

Philippus Rex Galliarum jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem Domino Papa, dum adhuc in Gallijs moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit, & abju- *Rex Galliæ in piorum communione receptus*

abjurata adultera, in gratiam receptus est, seque in servitium Domino Papæ satis promptum exhibuit.

Dominus Papa bene dispositis rebus in Gallia, post reconciliationem Regis Galliarum, & post multa concilia, tandem in Longobardiam cum magno triumpho & gloria repedavit, & exaltationem S. crucis, apud Hortarium, prope Papiam, solenniter celebravit, multosque Episcopos & Principes in suo Comitatu habuit.

Sigefridus piæ memoriæ Schafusensis Abbas, vir magnæ prudentiæ & admirabilis benevolentiæ V. Calend. Novemb. ad Dominum migravit, omnibusque fidelibus tam laicis quàm spiritualibus, magnum mœrorem in sua discessione reliquit. Cui venerabilis Gerhardus in ordine successit, quarto Non. Novemb.

Wernherus Comes obijt. tertio Idus Novembris.

Luitfridus sanctæ recordationis Abbas de monasterio S. Martini, jam penè triginta annis mundo crucifixus, & soli Deo vivus, in senectute bona, videlicet plenus dierum, diem clausit extremum, secundo Cal. Maij.

M. XCVII.

DOMINUS Papa tandem ad Apostolicam sedem, cum magna gloria & tripudio reversus, nativitatem Domini Romæ cum suis Cardinalibus gloriosissimè, celebravit: quippe tota Romana Urbe penè sibi subjugata, præter turrim Crescentij, in qua adhuc latitabant Guibertini.

Azzo Marchio, pater Ducis Welphonis Bavariæ moritur.

Azzo Marchio de Longobardia, pater Welphonis Ducis de Bajoaria, jam major centenario, ut ajunt, viam universæ terræ arripuit, magnamque guerram suis filiis de rebus suis dereliquit. Nam Welpho Dux omnia patris sui bona, utpote matri suæ donata, obtinere voluit: sed fratres ejus de alia matre procreati, noluerunt se penitus exhæredari: unde & aditum ei in Longobardiam prohibuerunt, cùm iret ad possidendum.

Henricus Italia pulsus.

Domina Machtildis egregia Dux & Marchionissa, devotissima S. Petri filia, magnum sibi nomen ubique eo tempore acquisivit. Nam ipsa penè sola cum suis contra Henricum & hæresiarcham Guibertum, complicesque eorum, jam septennio prudentissimè pugnavit, tandemque Heinricum de Longobardia satis viriliter fugavit: & ipsa recuperatis suis bonis, Deo & S. Petro gratias referre non destitit. Heinricus verò cum paucis Ratisponam devenit, & ibidem totam æstatem, & circa castrum Nurenberg satis privatè moratus, tandem Nemetum migravit, itidem ibi satis privatè diu moratur.

Interim Dux Welpho Bajoariæ Longobardiam profectus est, ad possidendam hæreditatem patris sui Azzonis Marchionis, qui nuper defunctus est. Sed filij ejusdem Marchionis de alia conjuge, prædicto Duci totis viribus restitêre. Unde idem Dux adjutorium Heinrici Ducis Carentini & fratris ejus Aquileiensis Patriarchæ, coactus adsciscere, fratres suos hostiliter invasit, sicque hæreditatem patris de manibus eorum, ex magna parte sibi vendicavit.

Vlricus Comes Brigantiæ.

Udalricus Comes præclarissimus, in causa S Petri contra schismaticos propugnator ferventissimus, heu satis immatura morte, sed cum bona confessione diem clausit extremum, & apud Brigantium, ubi ipse monasticam vitam instituit, honorificè sepelitur, VI. Calend. Novembris.

M. XCVIII.

DOMINUS Papa Romæ natalem Domini celebravit, maximamque pacem in ipsa urbe & ejus finibus firmissimè composuit, ibidemque Paschalem solennitatem cum magna gloria itidem celebravit. Sed æmulus ejus Guibertus in partibus Ravennæ eo tempore demoratus, quandam munitionem perdidit: in qua ipse spem suam maximè habuit, videlicet castellum nomine Argentum, quod Pado imminet, & omnes per Padum transeuntes distringere potest.

Gerhardus venerabilis Abbas Schafhusensis, pro humilitate locum suum, annuente Domino Papa, dimisit, & ab ipso concessionem, ut alius eidem loco Abbas præficeretur, impetravit. Sed magna calamitas illum locum pastore destitutum, subsequuta est: ita ut ex fratribus multi illum locum desererent, & seculares bona illius loci sibi sacrilegè vendi-

vendicarent. Unde & Abbas ibidem ordinari diu non potuit, juxta quod Dominus Papa fieri disposuit. Advocatus etiam ipsius loci Comes Adalbertus, munitionem quandam ibi propè firmavit, & bona Abbatiæ sibi sacrilegè vendicavit. Quapropter Monachi cum crucibus & reliquijs & Litanijs suppliciter ad eandem munitionem processerunt, sed à militibus Comitis partim occisi, partim vulnerati, sed omnes malè tractati, domum redière & repedare compulsi sunt: quippe crucibus & reliquijs particulatim disruptis, & per campum heu miserabiliter dissipatis. Hinc ille Comes tam Clericis quam Laicis multum erat abominabilis. Sed & ipsi Monachi Dei judicio hoc meruisse, à quàm plurimis judicabantur, eo quòd Abbatem suum non benè tractaverint, cumque à se absque competenti ratione non tàm dimiserint, quam expulerint.

Adalbertus Comes de Nellenburg.

Manegoldus venerabilis præpositus Canonicorum apud Marbach degentium, à Heinrico Rege diu in captione detentus est: eo quòd schismaticis contra Ecclesiasticam authoritatem obedire noluerit; unde & tota Ecclesia longè lateque condoluit.

Godefridus Dux, nepos magni Ducis Godefridi, Ruobertus filius Balduini Comitis, Bohemundus filius Ruoberti Ducis Calabriæ atque Siciliæ, Raimundus Comes de S. Ægidio, item Otto Strazburgensis Episcopus & Comes Hartmannus de Alemannia, hi inquam omnes & alij quamplures, cum innumerabili multitudine, jamdudum Hierosolymam tendere cœperunt, & Nicea civitate & Antiochia, alijsque civitatibus de potestate Paganorum ereptis, & præcipuè Patriarcha Hierosolymitano in locum suum restituto, usque propè Hierosolymam, cum multis præliis atque victoriis pervenerunt. Unde & Dominus Papa ad eandem multitudinem suam legationem direxit, videlicet venerabilem Theobertum Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, qui & illis in omnibus Apostolica vice adesset, & Ecclesias in locis, unde Pagani expulsi sunt, instauraret. Sed Constantinopolitanus Rex huic dispositioni impedimento fuit, qui se omnimodè à nostrorum adjutorio subtraxit. Nam civitates illas, quas nostris de manibus eripuerunt, ille penitus incendio devastare, & Paganis reddere non timuit, iterque Hierosolymitanum per suam potestatem omnibus peregrinis omnino prohibuit.

Hoc anno factum est mirabile signum in cœlo. V. Cal. Octobr. ut tota penè illa nocte, magna pars cœli sanguinea appareret. Nec rubor ille tantùm in uno loco permansit, sed omnes partes cœli pervagavit, multique quasi Solis radij de eodem rubore videbantur procedere.

M. XCIX.

DOMINUS Papa natalem Domini Romæ cum magna pace celebravit. Nam & castellum S. Angeli cum alijs munitionibus in sua potestate detinuit, omnesque æmulos suos in civitate, cum Dei adjutorio satis viriliter aut placavit, aut vi perdomuit. Synodum quoque suam in tertia hebdomada Romæ celebrandam post Pascha, missis literis usquequaque denunciavit.

Guibertina factio Romæ extincta.

Rapoto Palentinus Comes de Bajoaria, pertinacissimus fautor, imò caput eorum qui Apostolicæ sedi & Catholicæ unitati hactenus adversati sunt, diem clausit extremum. Item Cuonradus Trajectensis non Episcopus sed schismaticus, turpiter à quodam occisus interiit, quem ipse deprædari præcepit.

Romæ Dominus Papa generalem synodum CL. Episcoporum & Abbatum, & Clericorum innumerabilium, in tertia hebdomada post Pascha, collegit: in qua synodo confirmatis suorum antecessorum statutis, etiam sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcham, & omnes ejus complices, iteravit. Statuit quoque ibi ne communicare præsumerent, qui concubinas haberent, nisi prius eas omnino dimitterent. De Hierosolymitano itinere multùm rogavit ut irent & fratribus suis laborantibus succurrerent.

Generalis synodus Romæ.

In Alemannia tandem post multa pericula Abbas in Schafhusensi monasterio ordinatus est, nomine Adalbertus, qui de prioris Abbatis quasi expulsione infamatus, ita se judicio S. Ecclesiæ expurgavit, ut ab Episcopo per obedientiam, quam regulæ debuerit, interrogatus, se innocentem de illo crimine profiteretur. Ordinatus est autem à venerabili Gebhardo Constan. Episcopo, & sedis Apost. legato, in nativitate S. Joan. Baptistæ.

Luitolfus Comes bonæ memoriæ, jam diu æger pedibus, sed in causa sancti Petri contra schismaticorum pravitatem propugnator indefessus, tandem ex seculari dignitate, in Monachicam religionem transmutatus, feliciter migravit ad Dominum, XV. Kal. Sept. in monasterio, quod ipse in proprio allodio de proprijs fundavit, & in quo se ipsum Monachum fecit, honorificè sepelitur.

Luitolfus Comes de Achalm, sive de Vülfingen

Pascalis post Urbanum Pontifex.

Romæ venerabilis Papa Urbanus, hujus nominis secundus, postquam sedem Romanam XI. annos & V. menses gubernavit, post multas tribulationes, tandem IV. Cal. Augusti, de hac luce migravit. Post cujus obitum Dominus Pascalis, qui & Regengerus in ordine CLXII. Papa ordinatur, & hoc ex divina revelatione factum ubique divulgabatur. Ordinatus est autem à Clero & populo, post discessum sui prædecessoris, die decima sexta.

Adelbertus Comes piæ recordationis, in fidelitate S. Petri contra schismaticos jam ex antiquo studiosissimus, & demum ex Comite Monachus factus, feliciter diem clausit extremum, X. Cal. Octob. & in monasterio, quod ipse de proprijs construxit, in quo Monachicum habitum suscepit, honorificè sepelitur, sc. Hirsaugiæ, præsidente Domino Gebehardo Abbate.

M. C.

DOMINUS Pascalis Papa nativitatem Domini Romæ cum magna pace celebravit, & per literas suas, venerabili Gebehardo Constantiensi Episcopo, in Teutonicis partibus Apostolicas vices commendavit, quas & ab antecessore ejus jam multis annis obtinuit.

Abbas S. Georgij interficitur.

In Alemannia venerabilis Abbas Manegoldus, de monasterio S. Georgij à monacho suo in eodem loco heu miserabiliter occiditur, & sibi quidem ad perpetuam salutem, sed Monacho ad certissimam damnationem. Occisus est autem XV. Calend. Martij, ubi eo anno fuit cœptum jejunium: supervixit tamen usque in Sabbatum, cum magna devotione suum amplectens martyrium. Nam XII. Calend. Martij diem clausit extremum.

Jam multùm penè ubique sententia excommunicationis cœpit tepescere, ut etiam quidam religiosi, qui usque ad hoc tempus in illa causa erant ferventissimi, à Catholicis discederent, & inter excommunicatos promoveri non timerent. Sed Sancta Ecclesia in sedis Apostolicæ obedientia circa excommunicatos nihilominus perstitit, quæ post apostasiam Judæ reliquos Apostolos etiam firmiùs cum Domino perstitisse cognovit.

Scafusiensis quondã Abbas fit custos Dominici sepulchri.

Gebehardus venerabilis Abbas, qui dudum Schafhusensem Abbatiam pro Deo dimisit, & hoc cum authoritate Domini Urbani Papæ, Hierosolymam cum exercitu Christianorum petijt, qui post multos labores civitatem obtinuerunt, & prædicto Abbati sepulchrum Domini custodiendum commiserunt.

Otto Strazburgensis schismaticus, de Hierosolymitano itinere reversus, sed de schismate (ut putabatur) non emendatus, diem clausit extremum.

FINIS.

HEN-

V.

HENRICI IMP. EJUS NOMINIS IV.

Ducis vero Bojorum VII. vita, à quodam ejus temporis conſcripta.

ITEM

Ejuſdem ad diverſos Epiſtolæ.

AUTORIS PROOEMIUM.



QVIS dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, ut lugeam non excidia captæ urbis, non captivitatē vilis vulgi, non damna rerum mearum, sed mortem Henrici Imperatoris Aug. qui spes mea & unicum solatium fuit, imò ut de me taceam, qui gloria Romæ, decus Imperij, lucerna mundi extitit? Erit posthac mihi vita jucunda? erit absq; lachrymis dies aut hora? aut tecum? ô dulcissime, potero illius mentionem habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictavit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forsan impatientiam doloris mei redarguis, & ut fletum meum reprimam, ne forte ijs, qui de morte Imperatoris gaudent, innotescat, instruis. Rectè me doces, fateor: Sed non possum imperare mihi, quin doleam, non possum me continere quin lugeam, licet in me furorem suum exacuant, licet me membratim discerpere cupiant: dolor timere nescit, dolor illatas pœnas non sentit. Nec ego solus mortem ejus lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum Imperium deflet, hanc in commune divites & pauperes, præter insidiatores potentiæ vitaque ejus, lugent. Nec mihi privata doloris causa est, publicam lamentari cladem pietas me cogit. Nam illo recedente, justitia terras reliquit, pax abijt, fraus in locum fidei subintravit, chorus laudantium Deum conticuit, solennitas officij divini siluit, vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum non auditur: quia qui hæc omnia solenniter ordinavit, non invenitur. Monasteria patronum suum, claustra patrem amiserunt, quibus quid commodi quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, cùm extinctus ea non tenet. Ergo claustris omnibus vera dolendi causa subest: Nam cum illo sepulto gloria eorum sepulta est. Heu Moguntia, quantum decus perdidisti, quæ ad reparandam monasterij tui ruinam talem artificem amisisti? si superstes esses, dum operi monasterij tui, quod inceperat, extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi Monasterio contenderet, quod ille à fundo fundatum usque mira mole & sculptili opere complevit, ut hoc opus super omnia Regum antiquorum opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus preciosis & sericis vestibus illi monasterio contulerit, difficile est credere, nisi cui contingit & videre. Vobis quoque ô pauperes, vel maxima causa dolendi est: nam nunc demum pauperes facti estis, cùm paupertatis vestræ consolatorem amisistis: ille vos pavit, ille manibus suis lavit, ille nuditatem vestram texit: non ante januam, sed ante mensam ejus Lazarus jacuit: nec micas, sed Regias delicias expectavit. In ipsa mensa famem & fœtorem ulcerosi non abhorruit, cum minister mensæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obstiparet. In cubiculo ejus cæci, claudi, & diversis morbis confecti jacebant: hos ipsemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat, nec abhorrebat vel ejus lectum, quem ægritudo compulerat usque ad sordidandum lectum: iter ejus pauperes præcedebant, comitabantur, sequebantur, quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipsemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat. Sed & per curtes suas usquequaque stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum & obitum ipse scire voluit, ut & defuncti memoriam ageret, & in ejus locum alterum subrogatum nosset. Sed quando sterilitas anni famem induxit, multa millia pavenda suscepit, verè memor verbi Dominici præcipientis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, cùm hæc bona, quæ enumeravimus, se habuisse, & nunc non habere, recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit ubi æger cubet, vel quid alimenti postulet? quis amplius ijs misericordiæ officijs inservit, quibus Henricus Imperator inservivit? O virum pietatis & humanitatis laude insignem! imperavit mundo, pauperes illi: mundus illi, pauperibus ipse ministravit. Hæc de bono misericordiæ in pauperes, quos multum amavit: & quod ab hominibus abscondi non potuit, non pro dignitate facti, sed pro facultate ingenij primò locuti (quis enim scire posset, quæ solo Deo teste peregit?) de alijs quoque virtutibus quibus claruit, aliqua dicamus: Nam omnia dicere non sufficimus. Nemo miretur, si luctui mortis ejus vitæ quoque ejus læta gesta immisceam, cùm hic mos dolentium sit, ut cùm extinctum amicum lugent, totam ejus retro vitam & mores in argumentum doloris sui edisserant. Itaque juvat me de eo scribere, juvat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viveret gaudium meum fuit. Ille modò personam Imperatoris, modò tanquam militis gerebat: ex uno gerendæ dignitatis, ex altero documentum præbens humilitatis. Tam subtilis ingenij tanq; magni consilij fuit, ut dum sententia Principum vel in causa decernendi juris, vel in tractandis

regni

regni negotiis hæſitaret, ipſe citò nodum ſolveret, & quid æquius, quid utilius eſſet, tanquam ex ipſius arcano ſapientiæ ſumptum, edocent. Intendebat aliorum verbis, ipſemet pauca loquebatur: nec prius ad ſententiam erumpebat, ſed aliorum expectabat. In cujus vultum aciem oculorum ſuorum fixiſſet, ejus animi motus perſpiciebat, videbatque tanquam lynceis oculis, ſive adverſum ſe cor odij, ſeu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quod in turba Procerum cæteris eminentior, & major ſeipſo videbatur, & quòd in vultu terribile quoddam decus præferebat, unde intuitus aſpicientium tanquam fulmine reverberaret, cùm inter domeſticos ſuos, & raram turbam, vultu placidus & ſtatura æqualis appareret. Non ſolùm potentes Imperij ſui metuebant eum, ſed & Reges Orientis & Occidentis adeò fama ejus perterruit, ut ante tributarij ſint facti, quàm victi. Ipſe Rex Græciæ ut metum diſſimularet, amicitiam ejus expetebat, & quem futurum hoſtem timuit, muneribus ne fieret hoſtis, prævenit. Teſtatur hoc aurea tabula Spirenſis altaris, tam artis novitate, quàm metalli pondere miranda, quam Rex Græciæ dum Imperatoris votum & ſtudium circa Spirenſe monaſterium fervere cognoſceret, nobile donum & tam eo qui miſit, quam cui mittebatur, digniſſimum tranſmiſit. Sed & Rex Africæ quia potentiam Imperatoris timuit multùm, ejus fiſco multum addidit. Oppreſſores pauperum oppreſſit, raptores in direptionem dedit, contra ſe contumaces, contraque ſuam potentiam ſe levantes, adeò retudit, ut in poſteris eorum Regiæ vindictæ veſtigia vel hodie compareant: quo nimirum facto & ſuis in præſenti, & Imperij rebus in futurum providit, ut diſcant non diſturbare pacem, non armis Imperium vexare. Hic velim abrumpere ſtylum: nam ventum eſt ad factiones, ad fraudes & ſcelera, de quibus vera ſcribere periculum, falſa crimen eſt: hâc lupus, hâc canis urget. Quid igitur faciam? eloquar an ſileam? manus incipit & dubitat, ſcribit & renuit, notat & delet, ut penè ignorem, quid velim: ſed turpe eſt inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput absq; manibus pinxiſſe. Pergam igitur, ut cœpi, conſtans & ſecurus inde, quòd fides tua ea mihi perſpecta eſt, ut hæc Scripta nulli detegas, aut ſi qua foras exierint, autorem non prodas.

HENRICI IMP. EJUS NOMINIS IV. DUCIS VERO BOJORUM VII. VITA.



CUM Imperator Heinricus, de quo nobis ſermo eſt, Patri ſuo glorioſiſſimo Imperatori, tertio Henrico, adhuc puer ſuccederet in regnum (nam illo parvulo Pater naturæ conceſſit) regno priorem ſtatum adhuc tenente, non bella pacem diſturbabant, non claſſica quietem rumpebant, non rapina graſſabatur, non fides mentiebatur. Adhuc juſtitia ſui vigoris, adhuc poteſtas ſui juris erat. Hunc beatum regni ſtatum Agnes Imperatrix Sereniſſima, virilis ingenij fœmina, multum juvit, quæ unà cum filio Rempublicam pari jure gubernavit. Sed quoniam ætas immatura parum timori eſt, & dum metus languet, audacia creſcit, pueriles anni Regis multis ſuggerebant animum ſceleris. Igitur quisque nitebatur majori ſe æqualis, aut etiam major fieri: multorumque potentia ſcelere crevit. Nec legis metus ullus erat, quæ ſub Rege parvulo parvulam authoritatem habebat, & ut omnia licentius facere poſſent, primò puerum matre ſpoliabant, cujus maturam ſapientiam, graveſque mores metuebant, illud cauſantes, non decere regnum adminiſtrari à fœmina, cùm multæ Reginæ legantur adminiſtraſſe virili ſapientia. Sed poſtquam Rex puer de ſinu matris abſtractus in manus Principum nutriendus venit, quicquid illi præſcribebant faciendum, ut puer fecit: Quem volebant, exaltavit, quem volebant, depoſuit, ut Regi ſuo non tam miniſtraſſe, quàm imperaſſe meritò dicantur. Cùm regni cauſam tractabant, non tam Regi, quàm ſuæ cauſæ conſulebant: Idque præcipuum eis fuit in omnibus quæ agerent, ante omnia ſuum quæſtum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quòd eum quaſi ſub ſigillo ſervandum in puerilibus actis ſuæ poteſtati relinquebant, ut & ſic elicerent ab eo, quod affectabant. Sed cùm in eam ætatis & ingenij metam evaſiſſet, ut quid honeſtum, quid turpe, quid utile, quid non, diſcernere poſſet, retractans quæ ſuggeſtione Principum inductus geſſiſſet, multa quæ geſſerat, damnavit: & ipſe judex ſui factus, ex iis mutanda mutavit. Prohibebat quoque bella, violentiam & rapinas. Nitebatur pullam pacem & juſtitiam revocare, neglectas leges reſtituere, & ſceleris licentiam reſecare. Quos

Quos aſſuetos ſceleri, per edictum coercere non potuit, per cenſuram legis & jus curiæ, mitius tamen quàm culpa exigeret, correxit. Quod illi non juſtitiam ſed injuriam putantes, & qui per omne nefas ruebant, frena pati reſpuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel privatum facerent, conſiliis incumbebant, non recolentes ſe debere civibus ſuis pacem, regno juſtitiam, Regi fidem. Igitur Saxones, gens dura, bellis aſpera, tam præceps ad arma quàm audax, vendicans ſibi prærogativam laudis ex incepto furoris, repentè ſuper Regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos confligere periculoſum exiſtimans, vir elapſus vitam laudi, ſalutem fortunæ prætulit. Itaque videntes inceptum ſuum votis non reſpondiſſe, oſſa filij Regis: nec dum enim Imperator factus erat; (ô inhumanam mentem , ô probroſam vindictam!) effodêre. Qua utraque injuria graviſſima Rex commotus, exercitum contra illam gentem duxit, conflixit, vicit: Vicit inquam, aciem contra ſe inſtructam, non obſtinationem erectam. Nam licet eos in pugna congreſſos vinceret, victos fugaret, fugatos perſequeretur: licet bona eorum devaſtaret, munitiones everteret, & omnia quæ victori libent, faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum cùm inde digreſſus, reparato in brevi exercitu, eos invaderet, diffidentes viribus ſuis, utpote in priori bello graviſſimè contuſis, quod ſaluti proximum erat, ſe dedidêre, ſperantes Regem ſola deditione contentum gratiam ſuam facilè donaturum. Sed longè præter ſpem evenit: nam Rex eos exilio addictos, in alienas terras miſit, ubi dura cuſtodia conſtricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alij fuga elapſi, alij propter pecuniam à cuſtodibus dimiſſi, dum ad Patriam & Domum ſuam repedaſſent, recenti conjuratione ſe invicem obligabant, ut parati eſſent antè mori, quàm denuo deditioni ſubjici. Sed & validior eorum conjuratio facta eſt, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bavarorum, Suevorum, data & accepta fide, illis conglutinati ſunt, qui Regem bellis undique pulſarent. Videntes autem Regem bellis tangi poſſe, non dejici: vexari, non ſuperari: quippe cujus robur adhuc erat inexpugnabile: ut vires ejus extenuarent, confictis conſcriptisque ſuper eo criminibus, quæ peſſima & immundiſſima potuit odium & livor excogitare, & quæ mihi ſcribenti & tibi legenti nauſeam pararent, ſi ea ponerem, vera falſis miſcentes, apud Romanum Pontificem Gregorium ſeptimum eum deferebant: non decere tam flagitioſum, plus notum crimine quàm nomine, regnare: maximè cùm ſibi Regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ ſuum jus in conſtituendis Regibus reddi: providerent Apoſtolicus & Roma ex conſilio Principum, cujus vita & ſapientia tanto congrueret honori, Qua ſurreptione deluſus Apoſtolicus, ſimul & honore creandi Regis, quem ſibi fallaciter obtulerant, impulſus, Regem banno innodavit, & Epiſcopis aliisque regni Principibus, ut à communione excommunicati Regis ſe retraherent, denunciavit: ſe citò venturum in Teutonicas oras, ubi de negotiis Eccleſiaſticis & potiſſimum de regno tractaretur. Quin etiam & hoc addidit: abſolvit omnes à juramento, qui fidem Regi juraverant, ut contra eum impelleret abſolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant, tam inefficaciter quàm illicitè factum quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum refellere. Mox & Epiſcopi, tam illi quos amor, quàm quos timor in partem Regis traxerat, metuentes ordini ſuo, ab ejus auxilio ſe pleriq; retrahebant: quod & major pars Procerum factitabat. Tum verò videns rem ſuam in arcto ſitam, inito tam occulto quam aſtuto conſilio, ſubitum & inopinatum iter in occurſum Apoſtolici arripuit, unoq; facto duo peregit, ſcilicet & banni ſolutionem accepit , & ſuſpectum ſibi colloquium Apoſtolici cum adverſariis ſuis ipſe medius intercepit. Pro impoſito ſibi crimine parum reſpondit: Quia ad accuſationem inimicorum ſuorum, etſi vera fuiſſet, non ſibi reſpondendum aſſeruit. Quid vobis profuit hoc egiſſe, ut banno illigaretur, cùm de banno ſolutus potentia ſua potenter utatur? Quid vobis profuit, eum fictis criminibus accuſaſſe ? cùm accuſationem veſtram facili reſponſo, ut ventus pulverem, diſſipaverit? Imò quæ dementia vos contra Regem veſtrum & orbis rectorem armavit? Nihil conjurata veſtra malignitas proficit, nihil peragit. Quem Dei manus in regno firmavit, veſtra dejicere non poterit. Ubi fides, quam illi juraſtis? Quare beneficiorum, quæ Regia liberalitate contulit in vos, obliti eſtis? Utimini vel adhuc ſano conſilio, non furore: pœniteat vos incepti, ne fortior vobis ſuperveniens

vincat

vincat vos, & pedibus suis conculcet vos, & ea vindicta feriat, quæ futuris seculis demonstret, quid Regia manus valeat. Saltem vos, ô Episcopi, videte ne pereatis de via justa, videte ne transgressores fidei promissæ fiatis: alioqui quid consequatur vos ipsi nostis. Igitur Rex ab Apostolico digressus, benedictione pro maledictione accepta, Rudolfum Ducem super se Regem creatum invenit. Qui audita regressionis ejus fama, ante paratus ad fugam quàm ad pugnam, ante pulsus quàm victus, in Saxoniam fugit. Facile est regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum sit, virum in rebus bellicis exercitatum & strenuum tunc fugisse: quia sæpe justior & victrix causa fortes in metum mittit & in fugam. O avaritiam, pestem pessimam, quæ bonos mores transvertit, & sæpe ipsas virtutes ad vitia trahit. Iste Rudolfus Dux eximius, vir magnæ autoritatis & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique spectatus in omni genere virtutum: Iste, inquam, avaritia quæ vincit omnia, victus, & supplantator Domini sui factus, fidem incerto postposuit honori. Fuere tum qui dicerent, ab Apostolico eum immissum, nec unquam tantæ virtutis virum magis avaritiæ quàm consilio cessisse. Et hoc in argumentum sumebant, quòd Apostolicus tacuit, dum post absolutionem Regis Rudolfus regnum invasit, juxta illud Comici: Qui tacet, satis laudat. Itaque Rex cedente Rudolfo, cujus caput, si deprehensus esset, vindex gladius dignè rotaret, Bavariam, Sueviamque invasit, & conjurationis adversum se socios vastavit, munitiones eorum fregit. Nec tamen pro injuriæ suæ materia se vindicabat, sed sciens in ultione freno uti, longè infra metam culpæ cohibebat habenas vindictæ. Sed Rudolfus ut dedecus fugæ virtutis facto recompensaret, Wirtziburgensem civitatem obsedit, ubi tamen fraude magis quàm virtute pugnatum est. Nam cùm Rex ad propellendum hostem exercitum convocasset, instructa amborum partium acie, & primis inter se prælia miscentibus, quidam equites Regiæ partis mercede conducti, qui se Regis lateri quasi fidi clientes applicuerant, subitò in ipsum arma verterunt: sed ære munito corpori livorem, non vulnus inflixerunt. Heu miserrimi, quibus precium & sceleris causa fuit & necis, quos uno in loco & crimen involvit & vindicta. Nam eos tot vindices dextræ in frusta concidebant, ut in eis humani cadaveris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, spargitur rumor, Regem interfectum: quo rumore perterritus exercitus fugit, hostis insequitur. Et quoniam in equis equitum salus, solis peditibus miserabile fatum incubuit. Ideoque victoria quanto major, tanto minoris tituli fuit. Sic hostis Urbe capta, impositoque præsidio, in Saxoniam regressus est. Quid improbe tibi profuit, vel indiscreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ Urbis, cùm nec Urbe diu, nunquam autem regno potiaris? Rex enim brevi pòst tempore cum exercitu reversus, ereptam Urbem recepit. Nam ij, quibus Provincia Urbis tuendæ tradita fuerat, ex Urbe profugerant. Postea Saxoniam cum exercitu sæpius ingressus, aut victor aut æqua manu recessit. Sed ad ultimum reversus, tam notanda quàm felici victoria vicit; magnumque mundo documentum datum est, ut nemo contra Dominum suum consurgat. Nam abscissa Rudolfi dextera dignissimam perjurij vindictam demonstravit, qui fidem Domino suo Regi juratam violare non timuit, & tanquam alia vulnera non sufficerent, ad mortem accessit etiam hujus membri pœna, ut per pœnam agnosceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quòd tam victor, quàm victus exercitus: nimirum hoc ordinante desuper divina clementia, ut post ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternæ cædis. Sed gens dura nec damno monita est, nec signo, quin potius ut obstinatione vinceret, quod manu non poterat, Hermannum novum sibi Regem constituit, qui & ipse novo modo periit. Nam cùm Saxones eum de terra sua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo displicuit, reversus in Patriam suam, portans inane nomen Regis, ad Hermannum Trevirensem Episcopum se contulit, quem etiam ad ausum sentiendi contra Regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia Regis, qui alendus fuerat non ex suis, sed ex opibus alienis? Quadam die cùm iter ageret, incidit animo suo jocus ille, ut ad castellum quò ituri erant, sub specie hostium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendentium inesset, tentarent. Quàm mirabilem viam, quàm inopinam sæpe invenit quod futurum est ut fiat? Cumque portam absque claustris & absque custode repertam irrumperent, aliis qui intus erant raptis armis viriliter contrà procurrentibus, aliis latebras enerviter quæritantibus,

iantibus, fœmina sexu, fœmina non animo, quæ in turrim evaserat, molarem in caput Regis demisit: Et sic ille manu fœminea, ut mors ejus turpior esset, occubuit. Sed ut hoc dedecus dealbarent, fœminæ factum in virilem personam ex composito transtulerunt. Post hanc Regum fortunam in creatione Regum diu hæsitatum est, & casus præteriti metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, & Ecbertum Marchionem ad ambitum regni forti manu impulit, qui tamen in morte serò didicit, quòd alter ex alterius damnis instrui possit. Urbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam Regis prospero ire cursu videbat, in partes ejus se converterat, præsumens fiduciam & ex loci sui firmitate & ex Regia subventione. Quod indignè ferentes Saxonum Proceres, Urbem obsidione vallabant. Marchio verò Ecbertus, qui spe potiundi regni intumuerat, ut se accommodaret ad id quod affectabat, majori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, præmissaque multitudine cum paucis ipse sequebatur. Quem deviantem à publica via, ne fortè incideret in hostes (quis enim tam potens qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat?) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quàm occulta judicia tua Deus, quàm miro ordine & abscondis quæ facturus es, & aperis quod abscondisti! Jam meridianus ardor Solis equos equorumque sessores urebat, & ut fit, sitim æstus accendebat. Præterea tam gravis sopor fessis obrepsit, ut colla somno languida penderent, & equi frenis non fessi liberam viam carperent. Haud procul in recessu saltus solitarium molendinum conspexere, quò divertentes sopori se dedêre, misso interim molendinario, qui de villa potum sitientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis utre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obvios habuit, qui erant occultè fideles Regis, licet adversæ partis. A quibus interrogatus unde prodiret, quò tenderet, cur tam anhelus properaret, nesciens celare quod sciebat, hospitem suum & causam itineris indicavit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se quid agerent, quid periculi, quidque præmij, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem Regis ferirent: occasionem illam non frustra sibi oblatam: maximam virtutem per maxima discrimina probari: incitatis alternatim animis, immissis equis ad molendinum properabant. Sed pervenerunt ante votis quàm equis. Incepta est pugna, quæ diu dura fuit & dubia, quia virtute pares & numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, & hostis ferocissimus non in acie sed in molendino peremptus turpiter jacuit. Felix nimiùm es, & multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quàm fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille Conventus Procerum confusus, procinctum solvit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaque res Regis in altiorem & feliciorem statum se quotidie promovebant: adversariorum autem ejus deorsum vergebant, & omne eorum inceptum in turpem exitum desinebat. Cùm ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione Regum; iterum se convitiis armaverunt, & eum apud Apostolicum præter alia multa & nefanda criminati sunt, quòd Reges Christianissimos, quos ipsi non sine authoritate Apostolici creassent, ille ob crimen suum extorris à regno factus, occidisset, regnum sanguine usurpasset, igne, præda, ferro cuncta vastasset, & tyrannidem suam adversus Ecclesiam & Regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno, ut ipsi jactabant, illigavit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eò quòd non rationis sed arbitrii, non amoris sed odij esse videretur. Cernens autem Rex Apostolicum ad hoc tendere, ut se regno privaret, nec alia sua obedientia contentum, nisi ut regno renuntiaret, ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa obsecro, Rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut Ecclesiasticum caput de suo culmine deiicias, & in reddenda injuria te reum facias. Injuriam pati felicitatis est, reddere criminis. Quærebat itaque Rex causas & occasiones qualiter eum eijceret, inventumque est eum Romanam sedem olim abjuratam insedisse: quam idcirco abjuraverit, quia ad eam dum Archidiaconus esset, adhuc vivente Domino suo per ambitionem aspirare voluerit. Utrùm hæc vera sint an falsa, parum comperi: alij asserebant, alij figmentum esse dicebant: utrisque Roma fuit in argumentum: his, quòd Roma mundi Domina nunquam patere-

pateretur tale nefas: illis, quòd ea cupiditatis ancilla facilè permitteret ob precium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cùm incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quicquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit, ardua curvavit, factiones dissipavit, in cujus adventu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, & Regi suo velut hosti portas præcludebat. Unde Rex justa commotus indignatione, urbem obsidione (qua res postulabat) occlusit, & qui sibi aditum, illis exitum negavit. Missi circumquaque qui castella frangerent, villas everterent, bona diriperent: Provinciæque nocuit foris, quod Roma se clauserat intus. Foris bella, intus metus erat, undique machinæ surgebant: hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contra qui in urbe erant, tela, saxa, præustas sudes, ignemque jactabant, interdum egressi, cominus committebant, utrinque fortiter pugnatum est: hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadam die cùm exercitus uterque pugna æstuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, nec speculator (ut fortuna voluit) vigilaret, unus ex scutarijs propius ad murum, ut pila legeret, accessit. Cumque erectis & intentis auribus explorasset, intus neminem adesse (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adjutus & animi confidentia, & corporis levitate, manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit. Tum verò cùm jactatis circumquaque oculis neminem videret, inter spem & metum positus, toto corporis motu socijs innuebat, vixque se à clamore, cùm tardius innuentem attenderent, abstinebat. Qui raptis armis & scalis properantes, citiusque (ut ajunt) dicto murum superantes, captam urbem ferò defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur jam Rex reclusum portarum aditum, ubi & sequens à præeunte tardaretur, & præcedens à sequente premeretur: sed in ultionem temerariæ præclusionis jussit, ut fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, quò totus exercitus æquato junctoque latere se simul immergeret. Igitur ubique mors, ubique luctus erat. Roma contremuit, dum impulsa turrium altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romam præsumptionis suæ pœnituit, & quæ prius meruisse poterat, ut à Rege donis honoraretur, nunc ingenti pecunia apud Regem vix obtinuit, ne tota subverteretur. Mox sedatis omnibus, Rex causam cur venisset, in publicum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit. Multis hoc ita factum confessis, Clementem Papam ad electionem omnium instituit: à quo ipse communi omnium favore consecratus Imperator, & patricius factus, Romæ se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam, continuit. Nec prætereundum, quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamavit, & ipsa Roma asserit. Imparator consueverat quoddam oratorium orationis causa frequentare, & nullum diem, quin veniret, prætermittere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, ubi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hanc ejus consuetudinem dum quidam profanæ mentis attenderet, seu propria seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataque de laqueari tabula, quæ caput Imperatoris recta despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper observabat, dum Imperator staret ad orandum in loco quo consueverat. Tamen ille avidus alieni exitij, sed nescius sui, cùm pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco moverat) cum pondere infelix ipse pondus illæso Imperatore cecidit. Per totam Romam citò res innotuit, & plebs quæ non facilè sedari potest, dum mota fuerit, invito Imperatore semianime corpus per rupes per saxa tractum in frusta discerpsit. Tum verò cuncti rem signo non eventui assignantes, fide & animis Imperatori devinctiores facti sunt: & inimicum consilium non solùm illi fideles firmavit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: sicque dum nocere studuit, profuit. Denique Imperator omnibus Romæ compositis, impositoque urbi præsidio, ne ei fidem mutaret, novæ dignitatis apicem gerens, in Teutonicum regnum reversus est. Sed nulla fortuna longa est. Nam hi, quos Imperator Romæ præ-

fidio impofuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat enim æftas) nc uno quidem fuperftite mortui funt. Tunc Roma jugo præfidij fublato, compos arbitrij fui facta ad ingenium redijt, & refumptis adverfus Imperatorem armis, pulfo Apoftolico alium conftituit. Nam ille prior Gregorius à vita difcefferat. Quod ubi Imperatori compertum effet, iterum adverfus Romam exercitum promovit. Sed in Italiam veniens, cùm Legati à Roma pactum pacis ferentes occurrerent, & cùm inimici moliminis fama fequeretur, relicto in Italia filio Conrado, jam tum regni fui hærede defignato, regreffus eft, fcilicet qui fe graffanti Mathildi, & penè totam Italiam fibi vendicanti, opponeret, & regnum quod futurum erat fuum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, cùm infurgant in parentes ipfi filij? unde fecuritatem fibi quis promittat, cùm nec ab eo tutus fit quem genuit? Ceffent jam connubia: nemo fibi optet hæredem: hæres tuus erit hoftis tuus. Nam non folùm te domo tua prædijfque fpoliat, fed & vita fpoliare feftinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob caufam relictum diximus, à Mathilde perfuafus, (quem enim aftutia fœminea non fubvertat, aut decipiat) junctus inimicis patris, coronam fibi impofuit, regnum invafit, profanavit jus, & ordinem confudit, impugnavit naturam, quærebat patris fanguinem: quia non nifi fanguine Patris regnare potuiffet. Quod ubi ad hoftes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filij, præcipuè fœminam Ducem facti. Mittebant properè legatos, qui ftimulum animo novi Regis adjicerent, & adderent oleum camino, qui per fe, fed contra fe fidem & opem perpetuam jurarent. Quanquam dudum fe tam filio quàm patri nunquam obtemperaturos conjuraffent. Imperator autem ad hanc famam tametfi intus doluit, in gravitate tamen fua fe foris tenuit: & non fuam fed filij fortunam conqueftus eft. Cùm autem eum ab incepto revocare non poffet, non tam fuam injuriam, quàm exemplum injuriæ per ultionem tollere quærens, filium exhæredare, & fratrem ejus Henricum adhuc puerum in regnum promovere cogitabat. Igitur multis procerum conventibus habitis, Imperator fuper filio fuo Conrado conqueftus eft. quia additus hoftibus, regnum invafiffet, & quòd patrem non folùm regno fed & vita privare conaretur: injuriam fuam publicam effe debere, vel fi nullum ea moveret, faltem hoc Reipubl. caufa præftarent, ut per vim neminem & fcelus regnare paterentur: tranfferrent potius electionem in minorem filium fuum, quàm jure major amififfet. Pleri que contra nitebantur, magis utentes ingenio quàm jufto & vero. Multi autem publico bono faventes, fententiæ votoque Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in unam fententiam coëuntibus, & concordi favore approbantibus, Imperator minorem filium, invafore prius ex decreto curiæ dijudicato, hæredem regni fui conftituit: à quo, ne & ipfe abiret in viam fratris fui jufjurandum accepit, videlicet ne unquam fe vel de regno, vel de prædiis patris eo vivente (nifi fortè ex confenfu ipfius) intromitteret. Jam tum murmur & metus erat, inter duos fratres inteftina bella fore, magnamque regni cladem futuram. Sed qui omnia difpenfat, hunc metum letho majoris filij fuftulit, & ut regnum in unam concordiam redire poffet, occafionem dedit. Quibus ita tranlactis, hoftes Imperatoris detruncato toties capite non habentes cui adhærerent, pactione fubacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domefticam fecuritatem caftra converterunt. Igitur ut ubique pax & tranquillitas effet, convocatis ad curiam Primatibus, pacem per totum regnum fub juramento firmari fecit. Et ad inhibenda mala quæ fiebant, gravem pœnam in transgreffores decrevit. Quod quidem pacis decretum quantum miferis & bonis profuit, tantum perverfis & potentibus nocuit: illis copiam, iftis egeftatem & famem intulit. Nam qui in milites bona fua diftraxerant, ut multo milite ftipati procederent, & alijs armorum copia longè præftarent, hi dum fibi licentia rapinarum erepta eft (quod pace illorum dictum fit) egeftate laborabant, cellaria eorum penuria & fames poffidebat. Qui nuper fpumeo ferebatur equo, contentus effe cœpit vel ruftico jumento. Qui nuper non aliam veftem quærebat, nifi quæ rubeo murice tincta arderet, bene fecum actum ajebat, fi nunc veftem quam natura fuo colore tinxiffet, haberet. Gaudebat aurum non fe jam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret uti. Denique quicquid vanitatis, quicquid fuperfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magiftra refecabat. Oppida in ripis pofita, quibus

quibus prçda navium victum præbebat, nauta securus, esuriente oppiduli præside, præteribat. Mira res, nec minus ridicula. Alij injurias suas injurijs vindicant, hic peccator suas pace vindicabat. Cùm autem Domini cum satellitibus suis per aliquot annos hac lege stringerentur anxij, quòd non liceret eis uti libertate perversitatis suæ, iterum adversus Imperatorem murmur movebant, iterum super ejus factis sinistrum rumorem seminabant. Quid illud (rogo) est, quod admisit? Nempe hoc erat, quòd scelera prohibebat, quòd pacem & justitiam revocabat, quòd jam latro viam non obsedit, quòd sylva suas insidias non occultavit, quòd nautis mercatoribusq; liberum erat suam ire viam, quòd vetitis rapinis raptor esuriebat. Cur, obsecro, vobis non aliunde nisi ex rapto vivere placet? Reddite agris, quos ex agro depulistis armis: coæquate numerum satellitum ad mensuram facultatum, recolligite prædia vestra, quæ stultè sparsistis, ut multos armatos haberetis, & redundabunt omnibus bonis horrea & cellaria vestra: nec erit ampliùs necesse aliena tollere, cùm quilibet ex proprio possit abundare. Sic fit, ut nec Imperator crimine denotetur, nec bellum in regno moveatur. Sic fit, ut & corpori satisfacere habeatis, & animas vestras (quod felicissimum) est salvetis. Sed nihil ago, asinum ad lyram voco: Consuetudo mala aut nunquam aut vix tollitur. Igitur assueti rapinis, ut occasionem repetendæ consuetudinis invenirent, movendis iterum bellis animum intendebant, iterum æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam rem filium ejus maximè idoneum existimabant. Itaque ut suggestioni locum invenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum secum abducebant, conviviorum illecebris inescabant, jocis in dissolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facienda quæ adolescentia suadet, secum trahebant. Denique ut fit inter adolescentes, quodam sodalitatis glutino vincti sunt, ut etiam fidem dextramque mutuis sacramentis darent. Cùm ergo eum multis dolis irretitum decipi posse considerarent, quodam die inter alia tanquam ex obliquo patrem ejus in mentionem adducebant: se mirari, quòd tam durum patrem pati posset: nihil eum à servo differre, cùm omnia quæ servi sunt, toleraret; patrem ejus senem esse, & moderandis regni habenis invalidum: Si investituram regni usque ad obitum ejus differret, haud dubium quin alter illud sibi præriperet: illum multos fautores habiturum propter invidiam & odium patris sui: se autem omnium vota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula possidere, maximè cùm patrem ejus excommunicatum & Ecclesia dudum rejecerit, & Proceres regni reprobaverint. Nec sibi observandum, quod incautè juraverit, imò tum demum se sanctificasse, si juramentum excommunicato juratum irritum faceret. Pater verò de filio nihil mali suspicatus, familiaritatem ejus cum majoribus regni probavit, sperans eos sibi postmodum tanto fidelius & validius auxilium ad obtinendum regnum laturos, quanto prius invicem in amore magis coaluissent. Quid multa? statim illectus & abstractus à concupiscentia, malignæ suggestioni (ut semper seductilis est adolescentia) nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris observans tempus recedendi à patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quosdam Saxonum rebelles, qui per legatos obviam Imperatori missos pactioni insistebant, repentè abstractis ab eo multis, deseruit, proculdubio deserendus ab ijs, qui sibi ut desertor fieret, persuaserunt. Missis Imperator post eum legatis, tam lacrymis quàm mandatis revocavit, obtestans eum, ne senem patrem contristaret: imò ne patrem omnium offenderet, ne se sputis hominum exponeret, ne se fabulam mundo faceret. Insuper meminisset, qua se sibi cautione obligasset: hostes esse non amicos, insidiatores non consultores, qui sibi talia suggessissent. Ille prorsus abnuit, & se non ulterius secum partem habiturum, quia excommunicatus esset, asseruit. Ita sub specie causæ Dei suam causam egit. Illico Bavariam, Sueviam, Saxoniam percurrit, Proceres convenit, attraxit omnes (ut sunt ingenia novarum rerum cupida) & subintravit in regiam potestatem, tanquam sepelisset patrem. Mox castellum Norinberch minax obsedit, ubi quanta virtute pugnatum sit, clades utriusque partis argumento fuit. Sed obsessis quanto minus spei, tanto plus animi inerat: & nisi Imperator sceleri parcens, castellum tradere præcepisset, adhuc ibi cassa obsidione laboraret, excepto si sola fames quæ cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit contra filii factum paternitatis affectum: non attendit injuriam sed naturam: maluit oppidum tradi, quàm filij discrimine liberari:

maluit ejus injurias tolerare, quàm vindicare. Igitur oppidani oblata qualem vellent pactione, oppidum tradiderunt: dimissoque exercitu, Rex Ratisbonam se contulit, ut eam dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi fixaque fide immobilem faceret. Quod ubi comperit Imperator (sedit enim tunc in urbe Wirziburgensi) reputans filium vel in itinere vel in urbe comprehendi posse, tam præcipiti tamque tacito cursu vestigia ejus sequebatur, ut iter ejus non antè, donec modica turba suorum, transito Danubio; ad urbem immissis equis ruerent, præsciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam & inopinatam rem, ex urbe profugit. Cur fugis non fugiendum? cur fugis patrem tuum: sequitur te, non persequitur, sequitur, inquam, non ut hostis, sed ut pater: non ut perdat, sed ut servet: sequitur ut turbatam ex te Rempublicam in quietum statum restituat, & tuis rebus in futurum prospiciat. Missis illico Rex nuncijs per Bavariam & Sueviam, sparsum exercitum recolligit: Quæ res Imperatorem coegit, ut & ipse exercitum cogeret. Igitur exercitus uterque ad fluvium cui Regino nomen, se sibi opposuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor consedit. Cumque potentiores utriusque partis, tanquam tanti dissidij mediatores convenirent, qui ex parte Imperatoris erant, persuasibilibus illecti verbis, & multis magnisque pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant: & nisi domesticam fraudem præsensisset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur quod faciendum fuit, sceleri fortunæque cedendum putavit, & ad similitudinem David, ne filius parricida fieret fugit. Quàm mirabiliter gratia Dei operatur? quàm evidenti signo nos docet, si doceri vellemus, si cæcum cor non haberemus? Cogitans Imperator, quòd inimici sui via qua venerat, persequerentur eum, ad Ducem Bohemiæ divertit. Qui quamvis nuper eum in arcto non benè reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, & usque in Saxoniam deduxit: ubi quamvis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis usque ad Rhenum honorificè deductus est. Unde hoc? nisi quòd manus Domini erat cum eo, & invisibilem Ducem habebat, qui eum securum per tela, per hostes ducebat? Hoc miraculo monitus es, ô fili Imperatoris, si moneri posses, ut disceres venerari patrem tuum, non persequi, quem venerati sunt, cum in manus eorum venisset, etiam inimici. Sed durius moneberis, cùm ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cùm autem Imperatoris fuga cognita esset, eventus ille multos ab eo seduxit, multumque rebus filij sui accedere, suis autem decedere fecit. Continuò Rex ut faventem sibi fortunam urgeret, curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, invitavit Proceres, accersivit multos, ut cunctis innotesceret, quia Dominus rerum esse vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, convocatis necessariis suis, venire disposuit, volens rationem ponere, rectè ne secum an secus actum esset. Quod cùm agnovissent adversarij ejus, metuentes sibi & causæ suæ, si veniret ille, tam armatus multitudine, quàm ratione, hanc fraudem Regi suggerebant, ut obvius patri sumpto valde pœnitentis vultu culpam fateretur, & gratiam expeteret: dolere se, quòd malignæ suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inveniret. Et si sic occasionem fraudis invenire posset, uteretur illa: Sin autem, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte cùm venisset ad patrem, pater credulus verbis & lachrymis filij, irruit super collum ejus, flens & deosculans eum, gavisus instar illius Evangelici patris, revixisse filium qui mortuus erat, & inventum qui perierat? Quid multa? condonavit filio tam pœnam quàm culpam: & hoc fuit illi injuriam filij vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, juxta illud Comici: pro magno peccato filij, paululum supplicij satis est patri. Post hæc patrem sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei, quemadmodum sibi suggestum fuerat, ut dimissa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent: nihil esse, cùm ipsi coijssent in concordiam, quod illi resisteret: vastari omnia, si pergerent ea copia. Placuit consilium patri: bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissaque multitudine, non plus quàm trecentis viris ad curiam filio Comite pergebat. Ventum est ad nocturnam mansionem: ibi se filius obsequio patris totum impendebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, avidus recompensare damnum oblectationis diu intermissæ: sed nescius, illam oblectationis noctem ultimam esse. Mirum, fraudem vimque tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namque die cùm appropinquarent Moguntiæ, venit nuncius subor-

natus

natus qui diceret, Bavaros & Suevos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse. Tunc filius suggessit Imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciam hominum nullis Regi frenis: diverteret potius ad castellum quod juxta erat, dum ipse conveniret eos, & à sententia incœpti deduceret, & ad eum ob requirendam ejus gratiam, secum adduceret. Fecit Imp. uti filius suggesserat, divertit ad castellum: non cernens laqueum doli, quem texerat pulchra species mendacis fidei. Cùm autem Imp. cum paucis intrasset, occlusa porta, fidelibus ejus adjutus negabatur, detectaque fraude, qui receptus est ut Dominus, tentus est ut captivus: Itaque appositis Patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reversus filius, tanquam rem virtutis egisset, cum magna jactantia retulit, quo ingenio Patrem comprehendisset. Tum verò curia plausu lætitiaque resonabat: & nefas justitiæ, fraudem virtuti asscribebant. Statim misso legato, Patri mandavit, ut si vitam servare vellet, absque mora sibi crucem, coronam & lanceam, cæteraque regalia transmitteret: & munitiones quas firmissimas tenebat, in manum ejus transferret. Nec ille cunctabatur omnia quæ jussus est facere, nec imperium pluris habebat quàm se. Sed non in hoc satis fecisse videbatur, nisi & ipse coram veniret, & in conspectu omnium Imperio renunciaret. Venit ergo non suæ potestatis, sed in comprehensione adductus: Solus coram eis, qui dudum coram se steterant, stetit: nec orationis libertatem habens, ut captivi fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea Imperij renunciatione, non quod voluntas habuit, sed quod necessitas coëgit, respondit: se videlicet Imperio renunciare, non vi coactum sed propria voluntate inductum, sibi jam defecisse vires ad moderandas regni habenas, non se ejus jam cupiditate teneri, quod longo usu didicisset, habere plus molestiæ quàm gloriæ: tempus esse, ut honore cum onere deposito, provideret animæ suæ: tantùm filius caveret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset, & illum facere & se pati. Multos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitus & lachrymas commovit: filium autem ad miserationem nec ipsa natura movere potuit. Et cùm caderet ad pedes filij, orans, ut recogitaret in se saltem jus naturæ, nec vultum nec animum ad Patrem reflexit: Cùm ipse potius ad Patris pedes advolvi debuisset, eò quòd illi regnum (cujus hæres ab ipso designatus fuerat) impatiens moræ, præripuisset. Præterea veniam precabatur ab omnibus, quos unquam injustè læsisset: Sed & pedibus Apostolici legati advolvitur, orans & obsecrans, ut se à banno solveret, & communioni Ecclesiæ redderet. Laici misericordia moti, veniam dabant: Legatus autem Domini Apostolici absolutionem negabat, asserens non hoc suæ potestatis esse: oportere ab ipso Apostolico absolutionis gratiam eum expectare. Quid multa? abrenuntiata Imperiali dignitate privatus discessit, & ad quandam civitatem, quam filius victui illius permiserat, recessit. Quàm impotens potentia mundi, quàm instabilis! Sed nec potentia dicenda est, quæ ad omnia quæ vult efficax non est, & quam qui assequitur, amittere potest. His ita transactis, finitaque curia, Rex superiores Rheni Regiones & Urbes pertransiit, & ut res postulabat, hos beneficio, illos injuria sibi subjecit. Cùm autem intrasset Alsatiam, ibi fortuna ejus aliquantulum hæsit, ibi pugnam tam infelici eventu, quàm imprudenti gessit incepto. Nam cùm in villa Rufach: quæ multitudine prævalet & armis, satellites ejus superbè grassarentur, frequentia civium injuriam prohibebat: nec enim dum injuria modum excederet, patiens esse poterat. Audito tumultu, Rex properabat, non ut injuriam prohiberet, sed juvaret, non ut pugnam sedaret, sed amplius commoveret. Quæ res totius villæ turbam excivit: ruit irrevocabile vulgus, fœmina cum viro, servus cum Domino, ignavus cum forti: & ut plerumque fit, animum injuria ministravit. Incepta pugna, incepta est fuga. Nam qui Regiæ partis erant, cùm viderent impetum furentis turbæ, & rem in arcto sitam, considerantes in virtute sua cladem, in sola fuga salutem, qui poterant fuga vitam servabant. O infelicem eventum, ô dedecus regni: fugiente Rege, regalia insignia vulgi præda facta sunt. Resipisce tandem Rex bone, resipisce, & supernam iram in hac forte tua recognosce. Judicium iræ Dei est, ut fugeres, qui Patrem fugasti: insignia perderes, quæ Patri abstulisti. Sed his postea receptis, interveniente pacto pacis & gratia veniæ. Regem sententiam mutare fecit altum vulnus injuriæ, ut majori robore collecto, villam incendio prædaque vastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sæviret. Sed quod in se fortuna tantum ausa est, ex Patris consi-

lio prodisse suspicatus, novas injuriarum cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset obstaculi materia, vel ad comprehensionem ejus, vel ad expulsionem animum intendit. Itaque Leodij, ubi eum fidem & fortunæ suæ receptaculum invenisse audierat, Pascha sibi celebrandum statuit, ut & ipsum, si fieri posset, comprehenderet, & ab Episcopo qui sui honoris æmulum recepisset, injuriam expostularet. Cumque Pater audisset, quòd filius Leodij Pascha celebrandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit: Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum an mandatum DEI præstantius, magisque tenendum sit, respondebis, nisi à vero deductus sis, similem esse jumentis, qui cœlestia terrenis, humanis divina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere Patrem tuum, quàm verbum ipsius Dei, honora Patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: Isti honori tuo non provident, sed invident: Isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter pervenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sanè, ut peccatis meis exigentibus (quæ sententia adversariorum meorum est) abjecerit me DEUS, ne regnem: attamen tuum non erat, in abjectionem meam operam dedisse, & regnum quod tibi paraveram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant ac devovent: ipsi pagani abhorrent, & qui Deum nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immaturam ætatem decepit, cùm etiam senes & fixum animi statum ad malum mala consilia nonnunquam inflectant? Fortuna mea alieni potius, quàm tui sceleris est: Nam tu in manibus suadentium eras, non ille in tuis. Si autem injuriam addideris, non jam excusari poteris, cùm & factam crimen esse scias, & infectam non facere queas. Audivi enim, quòd Pascha Leodij celebrandum decreveris: Quo in loco fides & pietas Episcopi me recepit, cùm non esset, qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: cujus profectò beneficiis in me te decet Regia liberalitate respondere: tantoque certior de ejus fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic, nisi te forte domo receperit, me secum in festivitate Paschali retinendum decrevit. At dicis, dignum & conveniens esse, ut ea festivitas nos jungat, potius quàm dividat: te velle, te cupere, ut ibi tecum agam dies Paschalis lætitiæ: quod quidem & ego admodum cuperem, si non esset, quod timerem. Neque enim non possum non timere eos, quos mihi vitam permisisse pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maximè in turba, ubi tanto difficilior est periculi cautio, quanto major sceleris occasio. Inde est, quòd ex medio eorum qui me oderunt, longè recessi, & in extremis regni tui finibus me contraxi: ut vel secessu loci tutus sim, vel si fortuna mea postulaverit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere possim. Precor ergo ut causa Patris tui Paschalem curiam alibi disponas, & in domo ejus, qui me humanitatis gratia recepit, cùm non liceat Imperatorem, saltem hospitem esse sinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quòd in solennitate Dominicæ resurrectionis incerta hospitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod postulo, maximas grates habeo: Sin autem, malo villicus esse in externis regnis, quàm ludibrio haberi in regnis quondam meis. Hanc legationem Patris aure surda audivit filius, nec à sententia sua deduci potuit. Quamobrem cùm jam instante Pascha Pater recedere vellet, Episcopus & Henricus Dux (qui & ipse ab Episcopo fuerat invitatus) eum recedere prohibebant: Non se posse pati, ut in tanta festivitate è tectis hominum sylvas peteret latebrasque ferarum: illum quidem absque causa destitutum Imperio, sed non amicorum obsequio: si pace frui permitterentur, nihil se magis quàm pacem velle: sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille verò ne eis materia cladis esset, cedere quàm manere utilius asserens, tandem eis cùm importunius instarent, consensit, & ut postulabant mansit. Jamque multus equitatus faciem Regis longè præcedens ad pontem fluvij qui vocatur Mosa, venerat, & alterius ripæ crepidinem filius prædicti Ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longè per opportuna loca in insidiis locaverat. Qui ut pugnam provocaret, nunc equum in rectam cursus lineam immisit, nunc in orbes flexit & reflexit, & si pares numero confligere secum auderent, inquisivit. Nec mora, transierunt ad eos totidem ex parte Regis, mixtique inter se vario

reflexu,

reflexu, nunc pugnam inferebant, nunc fugam agitabant. Interim unus & alter transito ponte sociorum numerum latenter auxit, & rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod videns filius Ducis terga cum suis vertit, non tam ut fugeret, quàm ut falleret: nec tam ut fugiens periculum vitaret, quàm ut sequentes in periculum deduceret. Hi autem qui ex adversa ripa erant, visa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes fugientes persequebantur, ignari futuræ sortis & fraudis quæ latebat. Postquam enim ventum est ad locum, ubi dispositæ fuerant insidiæ, exurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo metuque turbante, nil rationis in armis habentes, in fugam se retorserunt. Sed quid profuit avertisse pectora, & vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi truncati, multi occisi sunt: victorque cruentus non alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem verò ubi fugax multitudo se coarctaverat, tanto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se movere potuit. Sed multò plures fluvius absorbuit, quàm ensis hausit. Nam cùm hostis à tergo premeret, impellente metu se in fluvium præcipitabant, & attoniti confusique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miseriam vel maximam, cùm pons multitudine prægravatus repentè corruit, & fluvius homines equosque pariter involvit. Nulli locus erat evadendi: nulli profuit ingenium natandi. Nam aut armorum pondere, aut inhærentium connexione fatigatus in profundum trahebatur. Quod malum ut scelestius esset, in ipsa die parasceve contigit, crevitque magnitudo sceleris ex reverentia temporis. His ita transactis, Rex inter Coloniam convertit. Sed cùm illa quoque aditum sibi præclusisset, in villa quæ dicitur Bonna, Dominica tantum Paschæ peracta, Moguntiam festinus rediit. Et sparsis ubique legatis, querimoniam ad Proceres in hunc modum direxit: si per invasionem regnum occupassem, tamen resistentes potestati nostræ retunderem, in quantum possem. Nunc autem cùm in sumpta regni dignitate vestris paruerim præceptis, ausus est quispiam impunè in publicam contumeliam regnum & nos armis vexare. Cùm enim Leodium ituri, ubi nobis curia Paschalis habenda fuerat, ad fluvium Mosam venissemus, Episcopus Leodiensis & Dux Henricus, de quorum fide & obsequij devotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posuerunt, & nostros inscios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant. Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quàm inultum dimittere. Igitur constrictus & eventus asperitate & temporis articulo Coloniam diverti. Quæ cùm me recipere satis superbè refutaret, apud villam Bonnam sanctum diem Paschæ utcunque peregi. Cui unquam Regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solùm me petit hæc contumelia, vos despecti estis: isti præsumptores decreta vestra authoritatem habere nolunt, sua tantùm statuta firma esse volunt: denique in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt, Regem quem constituistis, destituere parant, ut nihil eorum quæ vos decernitis, ratum sit. Igitur hæc injuria mea regni potius est, quàm mea. Nam unius capitis licet summi dejectio, reparabile regni damnum est. Principum autem conculcatio, ruina regni est. An hæc impunè feremus? & ex ignobili patientia nostra magis tumebit eorum superbia? Absit, ut qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti: pauca dixisse sat est: desides animi prolixæ cohortationis stimulo opus habent. In strenuis causa magis ad incitamentum facit, quàm verba. Quia igitur contra tam superbos hostes R. P. viribus utendum est, expeditionem vobis & rogando præcipimus & præcipiendo rogamus, cujus collectioni tempus Calendas Julias, locum Wirziburgensem Urbem præfinimus. Cùm ergo audisset Henricus Dux, & Colonienses cum Leodiensibus, quòd super se Rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, Urbes firmabant, & ad resistendum pari voto studioque se accingebant. Sed & Imperatorem consiliis & precibus urgebant, ut Imperialem dignitatem, quam non ratione convictus, sed vi ferroque mortem intentante coactus dimisisset, resumeret, se sibi nec armis defore nec animis: multos illum in brevi fautores habiturum, quia multi multum abominarentur tam insolitum facinus & inhumanum. Quorum importunitati hac ille ratione reniti cœpit, impossibile esse amissum imperium armis repetere, quod possessum armis retinere nequivisset: illud sibi non esse tanti, ut multorum exitio recipiendum existimaret: beatius sibi & tutius

tutius fore, ut privatus, licet indignè dejectus, viveret. Sic utrinque data redditaque ratione, cùm instare non desinerent, ne benignitatem circa se removeret à se, nec ad integrum consensit, nec abnuit, providusque futuri, præcipites eorum animos spe dubia suspendit. Igitur primò Coloniam, quæ primum impetum latura fuerat, vallo turribusque muniebant, & congestis belli stipendiis, impositoque præsidio periculum suum fortibus animis expectabant. Sic & alias Urbes quas invadendas credebant, munitione, machinis, & robore militum firmabant. Sed & edictum sub comminatione crudeli ubique spargebant, ut adversus exercitum in magna superbia super se venturum parati essent, & Patriam, libertatem, vitamque defenderent, nec sinerent uxores suas corruptionis ludibrio substerni, vel agros in alienos Dominos distrahi. Jam Rex Rhenum cùm exercitu valido transierat, & primò Coloniam, quæ quasi caput inter alias Urbes eminebat, magno impetu invasit, putans se sibi membra facilius subijcere posse, contrito tam valido capite. Sed res longè præter spem evenit. Nam cruenta repulsa retroacti, procul locatis castris Urbem obsidione vallabant. Magis autem dixerim, obsessores ab obsessis obsessos. Nam præreptis sibi navibus, quæ per Rhenum descendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quasi quadam obsidione constricti laborabant. Interim ut Urbem ab obsidione liberarent, totius Patriæ robur undique coibat. Sed Imperator tam cruentum facinus detestatus, pugnam obnixè dissuadebat: cur eis tantus ardor pellendæ obsidionis inesset: quæ non nisi magna sui clade pelli posset: tollerent omnem sollicitudinem capiendæ Urbis, quæ & ex firmitate murorum & ex forti milite tutissima, & omni victus genere esset opulentissima, accedente & Rheni beneficio, qui per naves delicias quas appeterent, invito obsessore subministraret: sinerent potius eos in cladem suam furere, & in expugnabilem Urbem, unde vulnera tantùm cæsosque reportarent, impugnare: sinerent eos latè vastare, dum ruris copia consumpta, esurire inciperent: sinerent eos grassari, dum equos viresque labor enervaret: fore ut victoria sibi parvo constaret, si paululum tolerantia & opportunitate temporis uti voluissent. Sic Imperatoris hortatu à pugna revocati, hostiles tantum excursus observabant, & ignaros loci passim cædentes metum hosti, ne longius evagaretur, incutiebant. Omnia verò quæ prædixerat Imperator, evenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum perrumpere, tormentis turres deijcere, infecto negotio, vulnera tantùm & funera ad castra reportabant. Sed nec ulterius progredi latitante in insidiis hoste præsumebant: homines & equi exhausti tam alimentorum penuria quàm laboris improbitate, viribus deficiebant. Nam agris in circuitu vastatis, nihil reperiebant. Accessit his malis etiam morbus, quem fœtor castrorum (ut fieri solet) aëre vitiato concitaverat, qui non solùm vulgus, sed ipsos Principes aut ægritudine confecit, aut letho rapuit. Hujusmodi rerum adversitate fatigati, quid facturi essent ambigebant, quia volentes mori, occasionem pugnæ non inveniebant: aut si reditum pararent, certi quòd hostis à tergo premeret, exercitum suum fuga spargendum metuebant. Qua tempestate mentis dum fluctuarent, subitò fama veniens, nubila tantæ perturbationis in serenum convertit. Retulit enim, Imperatorem mortis debitum persolvisse. Ad quam famam primò hæsitabant. Sed cùm nuncius extremum munus, Patris annulum videlicet & gladium, cum mandatis filio portans venisset, tanta lætitia oborta est, ut voces gratulantium minimè sedari possent. Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: Proceres plangebant, vulgus lamentabatur, ubique gemitus, ubique planctus, ubique vox dolentium audiebatur: ad exequias illas viduæ, pupilli, denique totius Patriæ pauperes conveniunt: deflent se orbatos Patre, fundunt in corpus lacrymas, deosculantur largas manus, vix avellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deserebant, ibi vigiles lacrymis & orationibns vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam opera misericordiæ fecisset in se: quanquam mors ejus plangenda non fuit, quam bona vita præcessit, qui fidem rectam, spem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis suis tenuit, quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem puduit, qui tota cordis aviditate Dominici corporis cibum sumpsit. Felix es Imperator Henrice, qui tales excubias, tales intercessores tibi parasti, qui nunc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in ma-

nus

nus pauperum abſcondiſti: turbulentum Regnum pro tranquillo, defectivum pro æterno, terrenum pro cœleſti mutaſti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat, nec adverſarius invideat. Ergo continendæ ſunt lacrymæ, ſi contineri poſſunt: huic tuæ felicitati debetur tripudium, non luctus; exultatio, non planctus; voces gratulantium, non dolentium. Poſt hunc rerum eventum hi qui contra regiam majeſtatem bellum ſuſceperant, mortua ſpe ſua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam Regis deditione, pecunia, quoque modo quisque poterat, recurrebant.

Ecce habes de geſtis, de expenſis in pauperes, de fortuna, de obitu Imperatoris Henrici, quæ ſicut non poterant absque lacrymis à me ſcribi, ſic non poterunt absque lacrymis à te legi.

HISTORIÆ DE VITA HENRICI IV. Imperatoris Finis.

EPISTOLÆ ALIQUOT HENRICI IV. IMP. AUG. AD PONTIFICEM ROMAN. ET ALIOS Principes.

HENRICUS DEI GRATIA REX, ANNONI, Colonienſi Archiepiſcopo, gratiam, ſalutem, dilectionem.

IN maximis negotiis maximis maximorum opus eſt conſiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, ut rei cui bene cupiunt, bene conſulere & velint & poſſint. Quia in cujuslibet rei profectu, nec facultas ſine voluntate, nec voluntas ſine facultate proderit. Quod utrunque tu fideliſſime, ut arbitramur, æqualiter poſſides, vel ut verius dicamus, licet maximo tibi maxima non deſit facultas, major tamen adhuc maxima facultate (ſi te bene novimus, ſi fidem tuam diligenter notavimus) in noſtram & Regni utilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis in futuris creſcit ſpes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus ne ſpes noſtra major ſit fide tua: quia de nullius Regni Principum vel Epiſcoporum fidelitate, quàm de tua majora ſperamus, ſicut hactenus nō modò in præteritarum rerum exhibitione, verùm etiam in ſperandarum promiſſione tua gaviſi ſumus. Adſit igitur hoc tempore opportuna tua cum facultate voluntas, quam non modò noſtra, verùm & omnium Epiſcoporum fratrumque tuorum, imò totius oppreſſæ Eccleſiæ exoptat neceſſitas. Non etiam hanc oppreſſionem ignoras, tantùm vide ne oppreſſæ Eccleſiæ te ſubtrahas, ſed Regno & ſacerdotio condoleas: quo utroque ſicut hucuſque Eccleſia eſt exaltata, ita nunc heu humiliatur viduata. Nam unus dum utrunque ſibi vendicavit, utrunque diſſipavit, nec in uno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te ſuſpendamus, accipe quem dicimus, Hiltebrandum ſcilicet, monachum habitu quidem, dictum Apoſtolicum, non paſtoris cura ſed invaſoris violentia Apoſtolicæ ſedi præſidentem, & de ſede pacis catholicæ, pacis unitæ vincula diſſipantem, ut tibimet in promptu eſt ſcire. Ut enim de pluribus pauca referamus, Regnum ac ſacerdotium Deo neſciente ſibi uſurpavit, in quo piam Dei ordinationem contempſit, qui non in uno ſed in duobus duo, id eſt Regnum & ſacerdotium, principaliter conſiſtere voluit: ſicut ipſe Dominus Salvator in paſſione ſua de duorum gladiorum ſufficientia typica intelligi innuit. Cui cùm diceretur: Ecce Domine, duo gladii hic: reſpondit, ſatis eſt: ſignificans hac ſufficiente dualitate ſpiritualem & carnalem gladium in Eccleſiam eſſe gerendum, quibus omne nocivum foret amputandum, videlicet ſacerdotali ad obedientiam Regis

pro Deo, Regali verò gladio ad expellendos Chriſti inimicos Chriſti exterius, & ad obedientiam ſacerdotii interius, omnem hominem docens fore caſtigandum, ut ita de alia in aliam charitate tenderetur, dum nec Regnum ſacerdotij, nec ſacerdotium Regni honore privaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica inſania confuderit, tu ipſe noſti, ſi ſcire voluiſti. Nam nullum ejus judicio licet eſſe ſacerdotem, niſi qui hoc à faſtu ſuo emendicaverit. Me quoque, quem Deus in Regnum, non autem illum vocavit ad ſacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, quia ipſe me Regem non conſtituit, Regno privare ſtuduit, minitans Regnum animamque mihi tollere, quorum neutrum conceſſit. Hæc & iis ſimilia cùm ſæpius in noſtram, ut ipſe noſti, contumeliam, ſtruxerit, non tamen adhuc ſufficere credit, qui de die in diem nova, exquiſita confuſionis genera nobis ingerit, ut in noſtris nunciis noviter argumentum dedit. Nam charta exponere non ſufficit, qualiter eoſdem noſtros nuncios tractaverit, quàm indignis modis affecerit, quàm crudeliter eoſdem incarceraverit, & carceratos nuditate, frigore, fame, ſiti ac plagis contriverit, ſicque demum ad exemplum per medium civitatis circumductos omnibus ſpectaculum præbere juſſit, ita ut eundem cum Decio tyranno inſanire, & ſanctos affare credas & dicas. Unde ne pigeat, chariſſime, communi noſtrum, ſcilicet meæ & coepiſcoporum tuorum petitioni ſatisfacere, ut in Pentecoſten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias Principibus, & quid agendum ſit, doceas: rogatus per dilectionem coepiſcoporum, monitus per Eccleſiæ utilitatem, obligatus per vitæ noſtræ & Regni totius honorem.

Henricus Dei gratia Rex univerſæ S. Rom. Eccleſiæ, clero & populo, gratiam, ſalutem & omne bonum.

HÆC fides firma & inconcuſſa creditur, quæ ſemper & eadem & præſenti & abſenti ſervatur, nec diuturna ejus, cui debetur, abſentia, nec longi temporis tædio immutatur. Et de alia Epiſtola: Exurgite in eum fideliſſimi, & primus in fide, ſit primus in ejus damnatione. Non autem ut ſanguinem ejus effundatis, dicimus: quippe cùm major ſit ſibi poſt damnationem pœna vita quàm mors. Sed ut eum, ſi nolit deſcendere, cogatis, & alium communi omnium Epiſcoporum & veſtro conſilio à vobis electum, in Apoſtolicam ſedem recipiatis, qui quod iſte in Eccleſia vulneravit, curare velit & poſſit.

Henricus non uſurpativè, ſed pia Dei ordinatione Rex, Hiltebrando non jam Apoſtolico, ſed falſò monacho.

HANC talem pro confuſione tua ſalutationem promeruiſti, qui nullum in Eccleſia ordinem prætermiſiſti, quem confuſionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca & egregia loquamur: Rectores Sanctæ Eccleſiæ, videlicet Archiepiſcopos, Epiſcopos vel presbyteros non modò non tangere; ſicut Chriſtos Domini, non timuiſti, quin ſicut ſervos, neſcientes quid faciat Dominus eorum, ſub pedibus tuis calcaſti: in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparaſti, quos omnes nihil ſcire, te autem ſolum omnia noſſe judicaſti: qua utique ſcientia non ad ædificationem ſed ad deſtructionem uti ſtuduiſti: ut jure hoc beatum Gregorium, cujus nomen tibi vendicaſti, de te credamus prophetaſſe dicentem ſic: Ex affluentia ſubjectorum plerumque animus Prælati extollitur: exiſtimat ſe plus omnibus noſſe, cùm ſe videt plus omnibus poſſe. Et nos quidem hæc omnia ſuſtinuimus, dum Apoſtolicæ ſedis honorem conſervare ſtuduimus. Sed tu humilitatem noſtram timori fore intellexiſti: ideoque in ipſam Regiam poteſtatem, nobis à Deo conceſſam, exurgere non timuiſti, quàm à nobis auferre auſus es minari: quaſi nos à te Regnum acceperimus: quaſi in tua & non Dei manu ſit Regnum vel Imperium, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus nos ad Regnum, te autem non vocavit ad ſacerdotium. Tu enim his gradibus aſcendiſti: ſcil. aſtutia & fraude, quodque mona-

monachica profeſſio abominatur, pecunia favorem, favore ferrum, ferro ſedem pacis adiſti, & de ſede pacis pacem turbaſti, dum ſubditos in prælatos armaſti, dum Epiſcocos noſtros à DEO vocatos, tu non vocatus ſpernendos docuiſti: dum laicis miniſterium eorum ſuper ſacerdotes uſurpaſti, ut ipſi deponant vel condemnent, qui ipſos de manu Domini per impoſitionem manuum Epiſcoporum docendos acceperant. Me quoque licet indignus inter Chriſtianos ſum ad Regnum vocatus, te teſte, quem ſanctorum Patrum traditio Soli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide (quod abſit) exorbitaverim, deponendum aſſeruit: cùm etiam Julianum Apoſtatam prudentia ſanctorum Epiſcoporum non ſibi, ſed Soli Deo deponendum commiſerit. Ipſe verò quid verus Papa beatus Petrus clamat? Deum timete, Regem honorificate. Tu, inquam, quia Deum non times, me conſtitutum ejus inhonoras. Unde beatus Paulus, ubi angelo de cœlo alia ſi prædicaverit non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim, Si quid vel ego vel angelus è cœlo præter id, quod evangelizavimus, vobis evangelizaverit, anathema ſit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium Epiſcoporum noſtrorum judicio damnatus, deſcende, vendicatam tibi ſedem Apoſtolicam relinque, alius in ſolium beati Petri aſcendat, qui nulla violentia religionem palliet, ſed beati Petri ſanam doctrinam doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia cùm omnibus Epiſcopis noſtris tibi dicimus deſcende, deſcende.

Henricus Imp. Romano Pontifici Paſchali.

SI illa inter nos pax eſſet & concordia, quæ inter noſtros olim & tuos fuit anteceſſores, quæ inter nos etiam & Nicolaum & Alexandrum, viros catholicos & religioſos Romanos Pontifices, plena charitate & integra devotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: ſed diſtulimus expectantes, & recognoſcere deſiderantes, ſi in beneplacito Dei ſit, nobis in charitate & amicabiliter poſſe convenire, & Eccleſiam ſuam noſtris temporibus, noſtro labore ipſo cooperante in ſtatum redire unitatis priſtinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teſte, deſideravimus, tamen cognita nimia eorum auſteritate qui in Romana erant Eccleſia, non utile nobis viſum eſt, vel competens, eos de hac cauſa convenire: quia magis videbantur nos proſequi odio & indignatione, quàm zelo juſtitiæ, vel etiam quàm velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum Eccleſiæ. Effectus hoc probat: quia cùm ipſi Regnum hæreditario jure nobis collatum tempore religioſorum virorum Romanorum Pontificum pacificè à nobis diu poſſeſſum contra nos commovere ſtuderent & armare, multa inde orta eſt ſtrages populorum, tam corporum quàm etiam, quod magis dolendum eſt, animarum. Nunc quoque filius noſter, quem tam vehementer dileximus, ut uſque ad ſolium Regni noſtri exaltaremus, eodem veneno infectus, conſilio quorundam perfidiſſimorum & perjuratorum ſibi adhærentium, inſurgit in nos; poſtpoſitis omnibus Sacramentis quibus ſe nobis obligaverat; poſthabita omni fide & juſtitia, tantùm ut Eccleſiarum bona & Regni liberè valeant perdere, rapere, & inter ſe dividere. Et cum multi nobis perſuadeant, abſque dilatione in eos vi & armis eſſe ulciſcendum, maluimus tamen adhuc differre; ut tam in Italico quàm in Teutonico Regno ſciatur manifeſtè, quòd nec noſtræ ſit voluntatis, nec culpæ, ſi tandem inuiti & coacti in eos inſurrexerimus, quæcunque mala vel infortunia vel populorum ſtrages inde evenerint. Præterea quia audivimus, te hominem diſcretum, Deum timentem, charitati inſudantem, ſanguinem hominum non ſitire, rapinis & incendiis non gaudere, unitatem Eccleſiæ ſuper omnia diligere, conſilio & ſuggeſtione Principum noſtrorum mittimus tibi nuncium iſtum cum legatione noſtra. Per hanc quippe volumus cognoſcere, ſi eſt tibi voluntati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos uniri tibi, ſalvo nobis honore Regni & Imperii & totius noſtræ dignitatis, ſicut & avus & Pater noſter aliique anteceſſores noſtri habuerunt, ſervato etiam tibi à nobis honore Apoſtolicæ dignitatis, ſicut anteceſſores noſtri, tuis anteceſſoribus ſervaverunt, & nos præfatis pontificibus. Quod ſi placuerit tibi, paternè nobiſcum agere, & eam quam mundus dare non poteſt, pacem integrè nobiſcum componere, mitte nobis familiarem nuncium tuum, cum privatis literis tuis & ſecreta legatione, cum hoc nuncio noſtro, ut hoc modo indubitanter poſſimus cognoſcere omnem de hac re certitu-

titudinem voluntatis tuæ. Qua cognita, mittemus tibi de majoribus Principibus noſtris, quales & nos tibi mittere, & te deceat à nobis recipere, ad tantam rem componendam, per quos excluſa omni ambiguitate manifeſtè poſſis cognoſcere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus ſecretè. Præterea quæ hîc inſcripta non ſunt, commiſimus huic fideliſſimo noſtro nuncio, quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quàm ſcriptis credas.

Epiſtola Henrici Regis ad Hiltebrandum.

CUM hactenus à te eà quæ ſunt patris, expectarem, tibique in omnibus magna fidelium noſtrorum indignatione obedirem, recepi à te viciſſitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ Regnique noſtri pernicioſiſſimus hoſtis eſſet. Nam cùm primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa ſede Apoſtolica debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes, longius inde progrediens, Regnum Italiæ peſſimis artibus alienare tentaſti: neque hoc contentus, in reverendiſſimos Epiſcopos, qui nobis velut dulciſſima membra uniti ſunt, manum mittere non timuiſti, eoſque ſuperbiſſimis injuriis acerbiſſimiſque contumeliis contra divina & humana jura, ut ut ipſi agunt, exagitaſti: quæ omnia cùm ego quadam patientia diſſimularem, tu hoc non patientiam ſed ignaviam exiſtimans, in ipſum caput inſurgere auſus es, mandans quæ noſti, ſcilicet, ut tuis verbis utar, quòd aut tu morereris, aut mihi animamque Regnumque tolleres.

Henricus Rex Regi Celtarum.

PRINCEPS clariſſime, & omnium in quibus poſt Deum ſperamus fideliſſime: primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miſerias neceſſarium duxi, & etiam genibus veſtris advolui, ſi licet ſalva majeſtate Imperii. Primum quidem eſt, quod non ſolùm vobis, ſed totius Chriſtianæ profeſſionis hominibus graviſſimum, ac intollerabile arbitramur, quòd de Apoſtolica ſede, unde uſque ad memoriam noſtri temporis ſalutifer fructus conſolationis, dulcedinis & ſalvationis animarum oriebatur, modò perſecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur: nec ponunt ullum modum ſententiæ, tantùm ut ſatisfiat voluntati indiſcretæ. Hujus voluntatis ſuæ intemperantia adeò uſque nunc abuſi ſunt, ut nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proveniat penſantes, per ſe & per ſuos omnibus modis in nos invehantur, cùm obedientiam & omnem ſubjectionem debitam ſæpe obtulerim Apoſtolicæ ſedi: ſi tamen honor debitus & reverentia, ſicut anteceſſoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportunius ſignificabo vobis, ſi quando optati colloquij copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odii ſui inflammatione, cum parum viderent ſe proficere, contra ipſum jus naturæ laborantes, quod ſine maximo cordis dolore, ſine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremiſco, filium meum, Abſolon inquam dilectiſſimum, non ſolùm contra me armaverunt, ſed etiam tanto furore animaverunt, ut inprimis contra fidem & ſacramentum, quod ut miles Domino juraverat, Regnum meum invaderet, Epiſcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & perſecutores meos ſuſtineret: ad ultimum, quod maximè vellem taceri, aut ſi taceri non poteſt, vellem non credi, omnem affectum naturæ abjiciens, in ſalutem & animam meam intenderet, nec quicquam penſi haberet, quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignominiæ ſuæ ſummam aſpiraret. In hac tanta mali ſui machinatione, cum eſſem in pace & in aliqua ſalutis meæ ſecuritate, in locum qui Confluentia dicitur, in ipſis Dominici adventus ſanctiſſimis diebus ad colloquium evocavit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cùm vidi, illico ex paterno affectu tactus, intrinſecus dolore cordis mei ad pedes ſuos procidi, admonens & obteſtans per fidem, per ſalutem animæ, ſi pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipſe nullam conquireret maculam honori & nomini ſuo, quia culpæ patris vindicem filium eſſe nulla divinæ legis conſtituit ſanctio. At ille tam pulchrè, imò miſerrimè inſtitutus ad malitiam, quaſi abominabile & execrabile ſcelus cœpit deteſtari. Et procidens ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari: in reliquum ut miles Domino,

ut

ut patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum promisit cum lacrymis, si modò sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cùm promtissimè annuissem, & deliberationi suæ & consilio Principum hoc tantùm mancipandum promisissem, in præsenti nativitate se producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quàm fidelius posset acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum, promisit in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ & gentili observanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat. Et ecce quidam fideles verissimè me deceptum affirmant, & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Revocatus autem filius meus, & iterum à me instantissime admonitus, sub ejusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice. Cùm ergo ad locum qui Binga vocatur, pervenissem, jam existente die Veneris ante nativitatem, numerus armatorum suorum jam satis augebatur, jam fraus ipsa de se detegebatur, & filius ad me, Pater, inquit, nobis secedendum est in vicinum castellum: quia Moguntinus Episcopus in suam civitatem non admittet vos, quamdiu in banno eritis. Nec vos inpacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic Nativitatem cum honore & pace agatis, quoscunque placuerit vobis, vobiscum habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis utrisque laborabo, quia causam vestram meam existimo esse. At ego, mi inquam fili, judex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie Deus, quomodo te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inservierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, solus conscius es. Ille autem tertiò sub ejusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit. Sic postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifestè rei ostendit eventus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit: custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi quæ voluerit Rex potentissimus. Cùm ergo ipso sacratissimo die Nativitatis suæ omnibus Redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam ut taceam opprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem, præterea famem & sitim, quam perferebam ab illis quos injuria erat videre & audire, ut etiam taceam, quod est gravius, me olim satis felicem fuisse: illud nunquam obliviscar, illud nunquam desinam omnibus Christianis conqueri, quòd illis sanctissimis diebus sine omni Christiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo missus venit ad me quidam Princeps Wigebertus; dicens, nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine ulla contradictione omnia Regni insignia redderem ex voluntate & Imperio Principum. At ego etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei Regni terminus esset, nollem Regno vitam commutare: quia vellem nollem sic agendum, & sicut definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eò adducturus, sub multa frequentia armatorum suorum me abductum ad villam quæ dicitur Engilzaim, fecit me ad se adduci, ubi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inveni, nec ipsum filium cæteris mihi meliorem reperi: & quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me Regnum & omnia Regalia exfestucare, simili modo & ipsi omnes minabantur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium fieri posse. Tunc ego inquam, quia de sola vita mea agitur, qua nihil pretiosius habeo, ut saltem vivens pœnitentiam exhibeam Deo, quicquid imperatis faciam. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem, Apostolicæ sedis legatus qui ibidem aderat, (non dico qui omnia hæc audiverat) respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publicè confiterer, me iniustè Hiltebrandum persecutum esse, wigbertum ei iniustè suppposuisse, & injustam persecutionem in Apost. sedem & omnem Ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum magna contritione animi prostratus cœpi per Deum, per ipsam conscientiam orare ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præsentia omnium Principum, cùm innocens essem, vellem ex judicio omnium me expurgare, & in quo culpabi-

lem me recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiam & satisfactionem, quo ordine iuberent, quærere, & in Principibus Regni de fidelibus nostris, quoscunque obsides vellent, dare. At idem legatus locum & diem mihi abnegavit, dicens: aut tibi totum debere determinari, ac nulla spes mihi esset evadendi. In tanto tribulationis articulo, cùm interrogarem, si confitere omnia quæ imperabantur, an confessio mea, ut justum est, veniam & absolutionem consequeretur: ibi legatus dixit, non esse juris sui me absolvere: Si vellem, inquit, absolvi, Romam irem satisfacere Apostolicæ sedi. Sic desolatum & spoliatum (nam & castella & patrimonia, & quicquid in Regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserant à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cùm aliquo tempore commoratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, ut ibidem eum expectarem, superveniens quorundam fidelium meorum legatio præmonuit, ut siquidem ad monitum ibidem remanerem, fore aut in perpetuam raperer captivitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuncio satis tunc vitæ meæ diffisus, illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros, & in fide Regni constantes semper inveni. Horum cæterorumque Regni fidelium consilio usus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias. Fiducialius quidem propter mutuum consanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem propter tanti Regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac injuriis propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etsi inter nos non essent, vestra tamen & omnium Regum terræ interesset, injuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.

Henricus Dei gratia Rom. Imp. Aug. Henrico filio suo.

SI ea nos debita affectione tractasses qua deberes, lubentissimè tecum loqueremur, & paterna tibi manderemus: verùm quia longè alius quàm paternæ affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequimus aliter tecum loqui, quàm quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omni affectione devotionis promisisti, nos ducere Moguntiam coram Principibus, & inde nos securissimè reducere quocunque vellemus. Hac fiducia cùm tecum amanter & indubitanter ascenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepisti: ubi nec paternæ lacrymæ, nec Patris mœror, nec tristitia, qua ad pedes tuos aliorumque advolvebamur, te commovit ad misericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum & custodiendum traderes, ubi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulsi sumus ferme venire usque ad ipsum mortis articulum. Ante captivitatem abstulisti nobis Episcopatus, & quicquid de honore Regni potuisti, & prædia nostra: & ipsam familiam: in captivitate verò quicquid residuum erat, ut lanceam & crucem & omnia regalia insignia vi & timore mortis, ut ipse bene scis, & omni ferme notum est Christianitati, à nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cùm hoc tibi de nobis non sufficeret, postea semper ubicunque fuimus, modis omnibus quibus potuisti, nos persequi non cessasti, ut vel perderes, vel de Regno expelleres. Verùm nos satis mirari non possumus, qua ratione vel occasione tam obstinatè facias, cùm de Domino Papa & Romana Ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos enim nuncio Domini Papæ, & Romanæ Ecclesiæ te præsente parati fuimus & sumus obedire, & omnem debitam obedientiam & reverentiam ei coram & semper exhibere, & consilio Principum & spiritualis Patris nostri Henrici, Cluniacensis Abbatis, aliorumque religiosorum virorum de statu Ecclesiæ & honore Regni libentissimè agere. Te ergo rogamus pro honore Regni & tua & paterma devotione, & per autoritatem Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, ut de injuria nobis illata, & de his quæ nobis vi & injustè abstulisti, justitiam facias. Rogamus etiam, ut cùm nil rationis tibi sit, quare nos persequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, imò permittas nos pacificè & quietè vivere, ut integrè & cum tranquillitate possimus omnia suprà dicta agere. Recognosce etiam, & tecum cogita quia Deus justus judex est, cui commisimus causam nostram & vindictam: cujus etiam judicia

sunt

ſunt occulta, velut abyſſus multa. Quoniam quantumcunque ſuper afflictionem & infortunia glorieris, & ſuper humilitatem te extollas, forſitan de ſede ſancta ſua inter me & te gratuita miſericordia aliud jam definivit, intercedente juſtitia, quàm tu ipſe cogites & diſponas. Quod ſi nulla alia vel reverentia vel interceſſio nobis valet, opto ut juſtitiam conſequi poſſimus, vel ut tuæ perſecutionis impetus ceſſet. Ad hoc idem Romanum pontificem, & ſanctam univerſalem Romanam Eccleſiam appellamus.

Henricus Dei graia Rom. Imp. Aug. Archiepiſcopis, & cæteris Saxoniæ Principibus, ac etiam reliquo populo, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

COnquerimur DEO omnipotenti, & Dominæ meæ ſanctæ Mariæ, & beato Petro, Principi Apoſtolorum, Patrono noſtro, & vobis Principibus omnibus, quia injuſtè & inhumanè & crudeliter in illa confiſi fide, qua dubitare non debuimus, tractati ſumus, & tam honore Regni quàm prædiis omnibus, quæ habebamus contra divinum & humanum jus, ad infamiam & vituperium Regni, ita expoliati ſumus, ut nihil penitus præter vitam nobis relictum ſit. Ubi cùm ferme omnes eſſetis, magna pars veſtrûm viſa eſt dolore contriſtari: ſed proh dolor, nihil nobis contulit veſtra triſtitia, quin in nobis ſibi ſatisfaceret voluntas inimicorum odioſa. Et quia conſilio & rogatu filij noſtri, fide & ſecuritate vitæ & honoris primùm ab eo accepta, fiducialiter & deſideranter Moguntiam in præſentiam legati Romani & Principum tenderamus, ut eorum diſpoſitione ageremus tam de ſtatu Eccleſiæ & honore regni, quàm de ſalute animæ noſtræ, ipſe non eſt veritus in hac voluntate & obedientia nos contra datam fidem capere, & uſque ad articulum mortis ferme ducere: non auſi ſumus ita nos illi credere, ut injuria & contumeliis nos pro voluntate ſua, ſicut prius, valeat tractare. Quapropter multum vos rogamus, & obnixè precamur, ut pro timore Dei & honore regni, & honeſtate veſtra, dignemini ſtudere, quomodo de injuria in manibus veſtris nobis illata, per vos poſſimus recuperare juſtitiam. Nos autem pro conſilio veſtro, & aliorum qui nos odio non habent, religioſorum virorum parati ſumus, tam filio noſtro, ſi in aliquo eum offendimus, quàm alicui in regno libenter rationem dare. Præterea ſicut Domino Papæ in præſentia legati ſui & veſtra obedire parati fuimus, ita nunc parati ſumus, ei omnem debitam reverentiam & obedientiam ſyncero corde & devotione præſentialiter exhibere, & tam conſilio veſtro quàm ſpiritualis patris noſtri Henrici, Cluniacenſis Abbatis, aliorumque religioſorum de ſtatu Eccleſiæ & honore regni quantum in nobis eſt diſponere. Cùm ergo ad hæc omnia parati ſimus, rogamus vos & obnixè precamur, quatenus pro DEO & honore regni & veſtro inſtanter moneatis filium noſtrum, cùm nulla ei ſecundum præfatam ſententiam adverſum nos reſidua ſit occaſio, à modo deſiſtat nos & fideles noſtros perſequi, & pacificè & quietè vivere permittat, ut ſuprà dicta integrè & cum tranquillitate perficiantur. Quod ſi noluerit, rogamus vos per autoritatem Rom. Eccleſiæ, cui nos committimus & honorem regni, ne ſuper nos & fideles noſtros veniatis, quia manifeſtum eſt, non eum divinæ legis zelo, vel Romanæ Eccleſiæ dilectione, ſed concupiſcentia regni, patre injuſtè eo privato, hoc incepiſſe. Apud quem ſi interpellatio veſtra nullaque alia interventio ad præſens prodeſſe poterit, appellamus Rom. Pontificem, & ſanctam vniuerſalem Rom. ſedem & Eccleſiam.

Henricus Dei gratia Imp. Rom. Aug. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus Comitibus, cæteriſque regni Principibus gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

ROgamus filium noſtrum, & vos multùm precati ſumus, ut dimiſſo exercitu ordinaretur, quomodo poſſemus convenire, ut de iniuria noſtra & pace componenda ad honorem regni poſſit dignè & decenter definiri. Placuit vobis remandare, unde nobis longè gravior priori oritur querimonia, quòd dimiſſa obſidione Coloniæ vultis ſuper nos & fideles noſtros ſub ſpecie colloquij cum exercitu venire, datis induciis octo dierum, quæ nunquam datæ ſunt homini alicuius conditionis, ut bene ſcitis, uſque ad hanc

hanc diem pro legitima definitione alicujus minoris negotij, nedum pro tanta re, ſecundum legem divinam vel humanam, vel etiam ſecundum uſum hominum. Oportet enim nos habere, ſi vobis placeret, ſaltem tales inducias, intra quas poſſimus convocare, & precibus invitare, ad hanc eandem cauſam, Moguntinum, Trevirenſem, & Bremenſem, Archiepiſcopos; Friſingenſem, Auguſtenſem, Curienſem, Baſilienſem, Epiſcopos; Ducem Magnum cum Duce Theodorico, & Ducem Bohemicum & Comitem Flandrenſem cum Comite Burgundiæ, & aliis qui ad præfatum negotium, ut bene ſcitis, ſunt valde neceſſarij. Quapropter (ſicut prius) rogamus & obnixè precamur, quatenus pro Deo & anima veſtra & pro appellatione Domini Rom. Pontificis Paſchalis & Rom. Eccleſiæ, & pro honore regni, dignemini apud filium noſtrum efficere, ut dimiſſo exercitu ceſſet nos perſequi; & ordinetur, quomodo ſecurè & abſque ambiguitate poſſimus nos cum cæteris ſuprà dictis ad agendum de noſtra injuria & pace in regno componenda, quietè & pacifice convenire. Quòd ſi nullatenus ceſſare voluerit, proclamationem inde fecimus, & ſemper facimus DEO & S. Mariæ, & beato Petro, patrono noſtro, & omnibus Sanctis, & omnibus Chriſtianis, & vobis maximè, omni devotione precantes, ut dignemini ceſſare eum perſequi ad perſecutionem tantæ injuriæ, & vos eum imitari. Appellavimus, & tertiò appellamus Dominum Rom. Pontificem Paſchalem, & ſanctam univerſalem ſedem & Rom. Eccleſiam. Quòd ſi hoc tantum nobis, & ad hoc, ut ipſe ceſſet nos perſequi, prodeſſe non poterit, committemus nos omnipotenti Patri & Filio, ſanctoque Spiritui paracleto, & beatæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Petro & Paulo & ſancto Lamberto omnibusque ſanctis, ut divina miſeratio, omniumque Sanctorum interceſſio humilitatem noſtram reſpicere, noſque contra tantum tamque injurioſum Imperium defendere dignetur,

AMEN.

EPISTOLARUM HENRICI IV. Imperatoris Finis.


VI.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI, DE GESTIS FRIDERICI

Primi Cæsaris Augusti, Libri duo, nunc demùm accuratè recogniti & à mendis repurgati.

HOS Ænobarbicæ historiæ libros, ab Ottone Frisingensi Episcopo, Friderici primi Cæsaris Augusti, patruelis jussu atq; subsidio scriptos, ab ejusdem auctoris Chronico non aliam ob causam separandos duxi, quàm ut eos Scriptores qui Cæsarum historiam contexuerunt, in unam & quidem interruptam aciem collocare possem: cujusmodi sunt auctores Hermannum subsequentes, qui vel unius ætatis res memorandas, vel unius aut alterius Cæsaris vitam & res gestas singulariter tradiderunt. Cui ordini, quoniam Chronicon minimè congruit, quippe quod compendiosam narrationem contineat rerum memorabilium, quæ à mundi primordio per continuum seculorum decursum, ubique terrarum contigerunt, quales sunt, imperiorum, regnorum & illustrium Rerumpublicarum initia, progressus, jactationes, ruinæ: religionis Christianæ & Ethnicæ incunabula & propagationes: hominum sanctitate, eruditione ac opibus celebrium ætates, &c. idcirco dandus quidem ei in hoc syntagmate locus fuit, ne prætermissum, de industria neglectum videri potuisset: à fronte autem locandum, ne (ut dixi) continuam reliquorum seriem interrumperet. Affert enim maximè lumen memoriæ ordo. Atque id mihi tantò magis licere existimavi, quòd neque hi cum Chronicorum libris semper conjuncti reperiuntur. Nam è duobus manuscriptis exemplaribus Chronici Ottonis, è Tigurina bibliotheca mihi communicatis, neutrum hosce Ænobarbicæ historiæ libros continebat. In hisce porrò Ottonis & Radevici continuatoris ejus libris accuratè recognitis, loca quædam ex sententia Præstantiss. Jurisconsultorum Fr. Hotomanni & P. Pithœi, restituta sunt. Auctarij vice, Ottonis genus hic subjicere libuit.

Ottonis Episcopi genus.



FRIDE-

FRIDERICUS DEI GRATIA

Romanorum Imperator semper Augustus, dilecto patruo suo Ottoni Frisingensi Episcopo, gratiam suam, & omne bonum.



HRONICA quæ tua sapientia digessit, vel desuetudine inumbrata in luculentam erexit consonantiam, à dilectione tua nobis promissa & transmissa cum ingenti gaudio suscepimus, & post bellicos sudores interdum delectari in his, & per magnifica gesta Imperatorum, ad virtutes informari præoptamus. Ea vero quæ ab ingressu regni à nobis gesta sunt, ad petitionem tuam breviter compilata, notitiæ tuæ libenter commendaremus, nisi quòd ad similitudinem priorum gestorum, quæ ab excellentissimis viris edita sunt, magis dici possunt umbra quàm facta. Tamen quia tuum præclarum ingenium humilia extollere, & de parva materia multa scribere novit, plus confisi tuis laudibus, quàm nostris meritis, tantillum hoc, quod in Romano orbe per quinquennium fecimus, paucis perstringere curamus.

Epitome primi quinquennij Regni Friderici primi.

POST *primam unctionem Aquisgrani, & acceptam coronam Teutonici regni, generalem curiam* Merseburg *in Pentecoste celebravimus: ubi Rex Danorum Petrus ad curiam nostram vocatus venit, & hominio ac fidelitate nobis facta, coronam Regni de manu nostra suscepit. Deinde Cicensem Episcopum Wicmannum ad Archiepiscopatum Magdeburgensem transtulimus. Et quanquam multæ lites & controversiæ inter nos & Romanam Ecclesiam inde fuissent, ad ultimum tamen quod à nobis laudabiliter factum fuit, auctoritas Apostolica confirmavit. Post hæc expeditionem Romam movimus, & valida manu Longobardiam intravimus. Hæc quia propter longam absentiam Imperatorum ad insolentiam declinaverat, & suis confisa viribus aliquantum rebellare cœperat, nos animo indignati, omnia ferè castella eorum, furore debito & justo, non militum, sed servientium destruximus. Mediolanenses versuti & superbi verba sine fide nobis dederunt, & ut nostra concessione super Cumas & Laudam dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiserunt: sed cum nec prece, nec precio flectere nos possent, & cum ad terram eorum venissemus, à terra copiosa sua declinantes, tres dies in solitudine nos duxerunt, quousq; tandem contra voluntatem eorum juxta Mediolanum ad miliare Teutonicum castrametati essemus. Ibi dum ab eis mercatum quæreremus, & ipsi nobis eum negarent, nobilissimum castrum eorum Rosatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat, capi, & incendio destrui fecimus. Ibi milites nostri usque ad portam Mediolanensium iverunt, & multos vulneraverunt, & multos ceperunt. Hinc inde ortis inimicitiis inter nos & illos, fluvium Ticinum versus Novariam transeuntes, pontes duos, quos ipsi armaverant & incastellaverant, violenter occupavimus: quos post transitum totius exercitus nostri destruximus. Inde tria castra eorum fortissima, Minimam videlicet, Gailardam & Trecam destruximus. Et natale Domini cum maxima jucunditate celebrato, per Vercellas & Taurinum euntes, Padum transivimus. Inde Chairam maximam & munitissimam villam destruximus, & civitatem Astam incendio vastavimus. Deinde Terdonam civitatem munitissimam natura & arte, obsedimus. Et post tres dies Burgo capto, ipsam arcem cepissemus, nisi nox & maxima tempestas nos cohibuisset. Tandem post multos assultus, multas cædes, & miserabilem stragem illorum, & non modicum damnum nostrorum, arcem per deditionem occupavimus. Quendam Principem Græcorum, qui à Marchione Malaspina captus erat, liberavimus. Destructa Terdona, Papienses ut gloriosum post victoriam triumphum nobis facerent, ad civitatem nos invitaverunt. Ibi in corona, & maxima lætitia, & ingenti servitio civitatis tres dies deduximus. Deinde directo tramite per Longobardiam in Romaniam & Tusciam euntes, Sutrium usq; pervenimus: ibi Dominus Papa cum tota Ecclesia Romana gaudenter nobis occurrit, & consecrationem nobis paternè obtulit, suaq; gravamina quæ à Romano populo passus erat, nobis conquestus est. Sic nos quotidie simul euntes & simul hospitantes, dulciaq; miscentes colloquia, Romam usq; pervenimus, Romani nuncios suos ad nos miserunt, & maximam pecuniam pro fidelitate eorũ ac*

servitio, tria quoque à nobis juramenta exquisierunt. Inde cum Domino Papa & Cardinalibus consilio inito, quia Imperium tenere nolumus, & sacramenta vulgo præstare non debuimus, ut omnes dolos & machinamenta eorum declinaremus, Octaviano Cardinale conducente, maxima pars militiæ nostræ nocte per portam parvulam juxta S. Petrum intravit, & sic monasterium sancti Petri praoccupavit. Manè facto, Dominus Papa cum tota Ecclesia ad basilicam S. Petri nos præcessit, & ad gradus cum maxima processione nos suscepit: & Missa celebrata ad altare S. Apostolorum Petri & Pauli, in honore S. Mariæ virginis, quia sabbathum erat, benedictionem coronæ Romani Imperij largiter super caput nostrum effudit. Quo ritè facto & peracto, dum omnes nimio labore & æstu confecti, ad tentoria rediremus, & cibum caperemus, Romani de ponte Tyberino prosiluerunt, & in monasterio S. Petri, duobus servis nostris occisis, & Cardinalibus spoliatis, Papam capere intẽdebant. Nos verò deforis strepitum audientes, armati per muros irruimus, & tota die cum Romanis conflictum habentes, eorum penè mille occidimus, & in Tyberi submersimus, & captivos deduximus, donec nox nos & illos diremit. Manè facto, quia victualia nobis defecerant, assumpto Papa & Cardinalibus, cum triumpho victoriæ læti discessimus: & omnibus castris & munitionibus quæ circa urbem erant, in potestatem nostram deditis, usque Albam venimus, & per aliquot dies ibi cum Papa morati sumus. Inde venimus Spoletum, & quia rebellis erat, & Comitem Guidonem Guerram, & cæteros nuncios nostros in captivitate tenebant, assultum ad civitatem fecimus. Mirabile & inscrutabile judicium Dei. A tertia usque ad nonam munitissimam civitatem, quæ penè centum turres habebat, vi cepimus, igne videlicet & gladio: & infinitis spoliis acceptis, pluribus igne consumptis, funditùs eam destruximus. Inde euntes versus Anconam, Palæologum nobilissimum Principem Græcorum, & Maroducum socium ejus, cum cæteris nunciis Constantinopolitanis obvios habuimus. Qui ut in Apuliam iremus, & hostem utriusque Imperij Guilhelmum potentia virtutis nostræ conterere vellemus, infinitam pecuniam nobis dare spoponderunt. Quia verò militia nostra propter multos labores & bella nimis attrita fuit, placuit magis Principibus redire, quàm in Apuliam descendere. Sicque nobis redeuntibus, & Græcis cum superbia multitudinis suæ, & copiosa pecunia in Apuliam euntibus, Palæologus post adeptum Barum, & munitionem destructam obiit, & Wilhelmus congregato exercitu repentè in Græcos irruit, & paucis captis, cæteris occisis, omnem pecuniam asportavit. Nos verò cum maxima victoria à Deo nobis præstita, qualem cum mille octingentis militibus conquisitam prius nunquam audivimus, Veronam usque pervenimus. Qualiter illi in præcipitio cujusdam montis nobis insidias posuerint, & qualiter à nobis occisi, & duodecim suspensi sint, tu audisti. Scis etiam in ordine, quam inter fratrem tuum Ducem Austriæ & Ducem Bajoariæ concordiam fecerimus, & quàm gloriosè Fridericum in Coloniensi Archiepiscopatu sublimaverimus. Hæc pauca paucis comprehensa, illustri ingenio tuo dilatanda & multiplicanda porrigimus.

OTTO-



OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI PROLOGUS, AD FRIDERICUM PRIMUM, CÆSAREM AUGUSTUM.



MNIVM qui ante nos res gestas scripserunt, hæc (ut arbitror) fuit intentio, virorum fortium clara facinora, ob movendos hominum ad virtutem animos, extollere: ignavorum vero obscura facta, vel silentio supprimere, vel, si ad lucem trahantur, ad terrendas eorundem mortalium mentes, promendo ponere. Vnde hoc tempore scribentes quodammodo judico beatos, dum post turbulentiam præteritorum, non solum pacis inaudita reluxit serenitas: sed & ob victoriosissimi Principis virtutes, tanta Romani Imperij pollet auctoritas, ut & sub ejus Principatu gens vivens, humiliter silendo conquiescat, & barbarus quique, vel Græcus, extra terminos ipsius positus, auctoritatis ejus pondere pressus, contremiscat. Fateor, dum ante aliquot annos priorem Historiam terminassem, spiritusque peregrini Dei ad sumenda contra gentes quæ Orientem inhabitant arma, totam pene Hesperiam afflasset, pro pacis jucunditate, quæ orbi momentanee tunc arriserat, stylum vertere cogitaram, jamque scribere cœperam: sed quo instinctu nescio, tanquam animo futura præsagiente, finemque inspiciente, cœptum projeci Opus. Sic tanquam à nolente seu nesciente, præsenti tempori propositi implendi negocium reservatum fuisse æstimo, dum firma quies (si tamen rebus caducis aliqua fides adhibenda est) sub strenuissimo Principe in Romano Orbe expectatur. Quod autem dixi, illo in tempore spiritu peregrini Dei Occidentales populos afflatos, nemo sic intelligat, ac si quisquam à nobis peregrinus Deus [illegible] utetur: sed ab illo scripto, quod illis in diebus in multis Galliæ locis lectitabatur, nos hoc dictum mutuasse sciat, quod tale fuit: Tibi dico L. pastor corporum primo Elemento materiæ tuæ sylvæ, quem inspiravit spiritus diei peregrini Dei. *In cujus scripturæ tenore quodam verborum involucro de expugnatione Regiæ Vrbis, nec non antiquæ Babylonis, & ad instar Cyri Regis Persarum, vel Herculis, totius Orientis triumphus præfato Lodovico Francorum Regi promittebatur. Vnde talia ibidem dicta reperta sunt:* Cùm perveneris ad costam tetragoni sedentis æterni, & ad costam tetragonorum stantium æternorum, & ad multiplicationem beati numeri per actuale primum cubum, surge ad eam quam promisit angelus matris tuæ visitare; & non visitavit, & pertinges ad ea usque ad penultimum primum: cujus cùm ascenderit promissor, deficit promissio propter optimam mercem: & figentur vexilla tua rosea usque ad extremos labores Herculis, & aperietur tibi porta civitatis B. Nam erexit te sponsus Arthemonem, barcha cujus penè cecidit, in capite cujus triangulare velum, ut sequatur te qui præcessit te. Tuum ergo L. vertetur in C. qui dispersit aquas fluminis, donec pertransirent illud, quæ student in procuratione filiorum. *Quod scriptum tantæ auctoritatis à probatissimis & religiosissimis Galliarum personis tunc putabatur, ut à quibusdam in Sibyllinis libris repertum, & ab aliis cuidam Armenio divinitus revelatum affirmaretur. Sed quisquis fuit ille Propheta seu Trotannus qui hoc promulgavit, videat si in futuro adhuc aliqua expeditione implendum expectetur: aut tanquam jam non impletum conculcandum Gallicanæ levitati, quod fidem aliquam habere potuit, imputetur. Hoc tantum sciens, quod non sine rationis proportione spiritus ille omnes pene Occidentales in peregrinationē mittēs, spiritus peregrini Dei tam à nobis, quā ab illo vocatus est. Sicut enim juxta quorundā in Logica notorū positionem, cùm non formarum, sed subsistentium proprium sit prædicari seu declarari: genera tamen & species prædicamēto transūpto ad causā prædicari dicuntur. Vel, ut cōmuniori utar exēplo, sicut albedo clara, mors pallida, eò quòd claritatis altera, palloris altera causa sit, appellatur, utq;*

Spiritus peregrini Dei.

Ratio nominis.

dicitur, Eurus fundit aquas: sic & causam dicti considerantes, spiritum peregrini Dei dicimus, qui, ut tot & tanti propter Deum peregrinandi habitum assumerent, causa fuit. Cum igitur rebus in melius mutatis, post tempus flendi, tempus ridendi, post tempus belli, tempus pacis advenerit: indignum ratus sum, Augustorum clarissime Friderice, cæterorum Regum seu Imperatorum gestis enumeratis, tua silentio supprimere: imò, ut verius dicam, dignissimum putavi priorum virtutibus tua sicut auro gemmam supponere. Inter omnes enim Romanorum Principes tibi penè soli hoc reservatum est privilegium, ut quamvis à prima adolescentia bellicis desudasse cognoscaris officiis, obscœnum tibi nondum vultum fortuna verterit. Sic etiam temperans in prosperis, fortis in adversis, justus in judiciis, prudens & acutus in causis esse cognosceris, ut non solùm ex convictu hæc tecum coaluisse, sed tanquam divinitùs inspirata, & à Deo tibi ob universale totius orbis emolumentum concessa videantur. Hanc ergo tuæ nobilitati offero historiam, ab omnium bonorum datore Deo postulans & petens, ut tuo bono principio melior finis apponatur. Sed antequam tuorum gestorum seriem attingam de avo, patre, patruoque tuo quædam summatim prælibare cogitavi: ut sic quasi quodam filo, narrationis descendens, per clara, clariora quæ de tua persona dicenda fuerint, appareant. Si qua verò ex aliis regnis Ecclesiastica, secularisve personæ gesta incidenter interserta fuerint, ab hujus negocii materia aliena non putabuntur, dum omnium regnorum vel gentium ad Romanæ Reipubl. statum, tanquam ad fontem recurrat narratio. Nec si à plana historia, dictione ad evagandum opportunitate nacta, ad altiora velut philosophica acumina attollatur oratio, præter rem ejusmodi æstimabuntur, dum & idipsum Romani Imperij prærogativâ non sit extraneum, rebus simplicioribus altiora interponere. Nam & Lucanus, Vergilius, cæteriq; Urbis Scriptores, non solùm res gestas, sed etiam fabulosas, sive more pastorum, vel colonorum summissius, vel Principum Dominorumque orbis altiùs narrando, stylum tamen frequenter ad intima quædam Philosophiæ secreta attingenda sustulerunt. Sic enim non solùm hi, quibus rerum gestarum audiendi seriem inest voluptas: sed & illi quos rationum ampliùs delectat subtilitatis sublimitas, ad ejusmodi legenda seu cognoscenda trahuntur. Ac proposita historia Deo auctore tale sumatur exordium.

OTTO-



OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI, DE GESTIS FRIDERCI I. CÆSARIS AUGUSTI, LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Qua occasione Hiltebrandus ab Imperatore abjectus, & Guibertus in locum ejus subrogatus sit.

CUM sub Imperatore Henrico, qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, Imperium gravissimè scissum fuisset, parteque maxima Optimatum Principi suo rebellante, tota penè Regni latitudo ferro, flamma fœdaretur: Gregorius septimus, qui tunc Urbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eò vehementiùs indignatione motum suscepit Imperium, quo nunquam ante hæc tempora hujusmodi sententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Bajoariæ civitatem Brixinoram, in ipso Pyrenæo, haud procul à valle Tridentina sitam, coadunatis Episcopis, Princeps curiam magnam celebravit. Ubi omnibus advenientibus, injurias sibi à Romana Ecclesia irrogatas affectuosè conqueritur, quod videlicet ipso inconsulto (qui tanquam Rex & Patricius primus in electione suæ Urbis Episcopi esse deberet) Romani sibi Pontificem præfecissent, cùm à patre suo Imperatore plures ibidem quasi sine electione intronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eò faciliùs contra Romanam Ecclesiam inclinari poterant, quò & laici secularis honoris consideratione accensi, & Episcopi consilio clericorum suorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati Principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis cassanda judicatur, Guibertusque Ravennatensium Archiepiscopus, Clemens vocatus, assensu Principis, urbis Episcopus creatur, Gregoriusque VII. ab ipsis Pseudomonachus, vel necromanticus appellatus, exsufflatur. Unde communi consilio prænominato Pontifici scriptum convitiis & detractionibus plenum dirigere præsumpserunt, inter cætera dicentes: *Sicut hactenus solebas dicere, quod nullus nostrum esset Episcopus, ita scias quòd nulli nostrûm deinceps eris Apostolicus.*

Henr. 4. Cæsarum primus piorum Communiõe summus. Anno 1076.

Guibertus Ravennas antipapa. Anno. 1080.

CAP. II.

Quomodo Imperator Italiam ingressus, Gregorium urbe fugavit.

POST hæc Princeps militem copiosum colligens, Italiam ingreditur, ad Urbemque usque progressus, Romani populi favore, pulso Gregorio, Guibertum ibidem ponẽs, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Venerabilis autem Sacerdos persecutionem fugiens, ad tutiora montana Tusciæ, in terram Comitissæ Mathildis, quæ Imper. consanguinea fuit, se contulit: ibiq; per aliquot dies manens, sententiamq; anathematis renovans Epistolis quæ multis in locis habentur, Principes Regni adversus Imperatorem suum cõcitavit. Deinde Campaniam seu Apuliã ingrediens, in municipia Nortmannorum, qui nuper Roberto Guiscardo Duce, Provincias illas, indigenis necatis vel ejectis, seu servituti subactis, irruperant, se recepit, ibique diem mortis expectavit.

Anno 1084.

Dira Gregoriana in Henricum repetita.

CAPUT III.

Quomodo Robertus Guiscardus cum Romanis Campaniam & Apuliam occupavit.

Imperij Nortmannici in Apulia ortus.

ROBERTUS iste ex mediocri stirpe in Nortmannia, ex eorum militum ordine, quos Vavassores vulgò ibi dicere solent, in plaga quam Constantiam indigenæ dicunt, editus, cum Rogerio fratre tam patri, famis tempore, morem (ut ajunt) gerens, quàm ob locorum sterilitatis molestiam à natali solo progressus, multo tempore multas Provincias opportuniorem ad inhabitandum terram quærens, oberravit: unde & ab oberrandi circuitu, patria lingua *Guiscardus*, tanquam oberrator vel gyrator appellatus est. Cum ergo non paucis (ut dictum est) diebus, multarum regionum gyrator existeret, à citeriori Italia, quæ modò Apulia, seu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Longobardis possessam, inertis plebis inhabitatione tanquam industriæ defensionis vacuam inveniret, remissis in Galliam nunciis, expositaque locorum idoneitate, ac gentis inertia, ad expugnationem earum Provinciarum consocios invitavit. Et ne multis detinear, virtute, dolo, arte, ignavi populi victor existens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad ultimum possessor inventus est. Reliquit autem Rogerio fratri ex parte sui Comitatum Siciliæ tenendum: ipse verò Ducatum Apuliæ cum Calabria sibi retinuit. Hujus filius, qui multa postmodum tam in Græcia, quàm in cæteris Orientis partibus fortia & gloriosa gessit opera, Boimundus fuit. Fratris verò sui Rogerij, Rogerius, qui postmodum Regium nomen usurpavit, natus erat: hujus qui in præsentiarum est Guilhelmi Pater. Sed hæc hactenus.

Guiscardi nomen.

CAP. IV.

De rebellione Saxonum.

Anno 1087. Castrum Hartzburg.

CIRCA idem tempus Saxonum gens inquietissima more suo Principi rebellans, castrum quoddam Harzburg dictum, ob ejusdem gentis oppugnationem, ab Imperatore in ingressu Provinciæ in loco munitissimo fundatum, cū Ecclesia pariter, in qua congregatio Canonicorum fuit, funditùs delevit. Occasio tamen hujus rebellionis non tantùm ex prædictæ gentis instabilitate, sed ex Principis lascivia ortum sumpserat. Dum enim prædictus Princeps in juvenili adhuc positus ætate, toto Regno silente, Dominumque suum humiliter portante, præfatam terram ingressus fuisset, juveniliter dixisse fertur: Se mirari, nullum per totum Imperij ambitum inveniri, in quo vires suas exercere posset: idque non virtuti, sed ignaviæ deputabat. Quod dictum, non secundum naturam generis sui, percusso aere mox transiit, sed tam efficaciter in mentibus plurium radices figens germinavit, ut tota in brevi Provincia illa adversus ipsum commota, & in unum corpus coadunata, innumeris populis & gentibus letifera pocula ministraverit. Discant ergo Principes Orbis in summo positi, omnium summum creatorem suum præ mente habendo, moderantiam servare, ut juxta Ciceronem, quantò majores sunt, tantò se gerant submissiùs. Optimè enim à Physicis fallaciam complexionum considerantibus, dictum cognoscitur: *Melius ad summum est, quàm in summo.* Cùm n. homo, natus ad laborem, brevi vivens tempore, natura tanquam ex multis composita ad dissolutionē tendente, nunquam in eodem statu manere valeat, si in summo fuerit, mox eum declinare oportebit. Cujus rei causa paulisper philosophari liceat. Etenim,

Henrici Cæs. vox insolens.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

CAP. V.

Excursus Philosophicus, vel potius Theologicus.

QUICQUID est, genuinum est, aut nativum. Sicut autem genuinum non potest esse non simplex, &, ut ita dixerim, non singulare, non solitarium: ita nativum non potest esse non compositum, non conforme, non concretum. Primò ergo videamus quid genuinum, quid nativum appelletur, ut exhinc notum sensus verborum facilius appareat. Genuinum dicitur tanquam generans, & non genitum, id est, carens generatio-

neratione. Nativum velut natum, aut genitum, deſcendens à genuino. Unde Plato: *Eſt igitur, ut mihi videtur, in primis dividendum, quid ſit quod ſemper eſt, carens generatione: quid item quod gignitur, nec eſt ſemper.* Et Boetius:

----qui tempus ab ævo Ire jubes.

Generationem verò largè accipimus, pro ingreſſu in quamlibet proprietatem: vel (ut manifeſtius loquar) pro quolibet ingreſſu de non eſſe ad eſſe. Unde Ariſtoteles: *Ex oppoſitis fiunt generationes.* In omni enim nativo, negatio prior eſt affirmatione. Genuinum eſt igitur carens generatione, carens principio, quale apud nos unum tantùm invenitur, æternitas videlicet, ſoli divinitati accommoda. Non enim tria apud nos, quæ Plato poſuit, inveniuntur principia, ſed unum tantùm, Deus Pater, ex quo omnia: Deus Filius, per quem omnia: Deus Spiritus Sanctus, in quo omnia. Et hi tres ſicut nec tres Dii, ita nec tria principia, nec tria æterna, ſed unum principium, & unum æternum. Sola ergo Divinitas principio carens, ſimplex eſſe neceſſariis probatur rationibus. Quicquid enim componitur, ab alio componi neceſſarium eſt: nulla enim res, ſicut ſe non gignit, ita nec ſe componit. Quod autem ab alio componitur, ab alio eſſe neceſſe eſt. Divinitas verò ab alio non eſt: ab alio componi ergo nequit. Simplex igitur eſt. Unde Boetius in tertio libro de Conſolatione: *Quòd ſi natura quidem ineſt, ſed ratione diverſum, cum de rerum Principe loquamur Deo, fingat qui poteſt, quis hæc diverſa conjunxerit.* Hæc eadem divina eſſentia, eò quod nec actu, nec natura conformem habeat, ſingularis eſſe probatur. Quod ex intuitu naturalium facilius conſideratur. Cùm enim ad contemplanda celſa divinitatis attollimur, eò quod intellectus noſter in quo ſedeat non habet, tanquam de re incerta palpitantes, melius negando quàm affirmando: id eſt, quid non ſit, quàm quid ſit, conſpicimus. In nativis igitur omnem naturam ſeu formam, quæ integrum eſſe ſubſiſtentis ſit, vel actu & natura, vel natura ſaltem conformem habere neceſſe eſt. Verbi gratia: Humanitas Socratis actu & natura conformis eſt humanitati Platonis, dum ſecundum omnes partes, & omnimodum effectum (quod quidam formam ſubſtantiæ, & ſubſtantiam formæ vocant) tam in iſto, quam in illo inveniatur. Unde quamvis Socrates & Plato ratione partiendi in numerum veniant, ut duo dicantur homines: tamen ratione aſſimulandi, unus poſſunt dici homo. Subſtantialis namque ſimilitudo non ſolùm ſubjecta conformia, ſed & eadem & unum dici facit, juxta illud: *Participatione ſpeciei, plures homines, unus.* Et ſecundum quod ſoliti ſumus dicere, Idem vinum bibitur hìc, quod Romæ. Partes autem hic voco eas formas, quæ ad componendam ſpeciem aut in capite ponuntur, ut generales: aut aggregantur, ut differentiales: aut eas comitantur, ut accidentales. Omnis quippe diffinitio alterius eſt, & alteri convenit. Nam formæ eſt, & ſubſiſtenti convenit. Jam ex his, ut arbitror, patet quod dixi, humanitatem Socratis ſecundum omnes partes, & omnimodum effectum humanitati Platonis conformem eſſe: ac ſecundum hoc Socratem & Platonem, eundem & unum in univerſali dici ſolere. Si enim altera rationalis, altera eſſet mortalis: nec tota eſſet in iſto, nec tota in illo, ſed aliam partem iſta, aliam partem caperet illa. De effectu quoque clarum eſt, quòd ſicut hæc illum rationalem ſeu mortalem, ita illa hunc rationalem ſeu mortalem facit. Concretio etiam in naturalibus non ſolùm coadunatione formæ & ſubſiſtentis, ſed ex multitudine accidentium, quæ ſubſtantiale eſſe comitantur, conſiderari poteſt. Verbi cauſa, Humanitas quæ eſt integrum eſſe hominis, & ex multis (ut oſtenſum eſt) formis compoſita, ad hoc ut ſubjectum informet, riſibilitatem, cæteraque trahit accidentia. Sunt aliæ formæ ſubjectum integrum informantes, quæ naturam tantum conformem habent. Eſſe quippe ſolis, etſi non actu, natura conformem habere noſcitur. Quare quamvis plures Soles non ſint, ſine repugnantia, tamen naturæ plures eſſe poſſunt. Patet igitur ex oppoſito per negationem, quòd divina eſſentia nec conformis eſt, nec concretioni ſubjacet. Quare, ut verba naturalia in divinam vertantur prædicationem, ſicut ſimplex, ſic & ſingularis & ſolitaria dicatur: ut ſimplex contra compoſitionem, ſingularis contra conformitatem, ſolitaria dividat contra concretionem. Nec igitur actu, nec natura conformis eſt, quia nec fuit, nec eſt, nec eſſe poterit alius Deus, alius *Pſalm. 86.*
creator, alius omnipotens. Unde Pſalmiſta: *Deus quis ſimilis tibi?* Concretionem non recipit, cum nec ſubjectum quod informet, habeat, nec aliquam comitantiam accidentiū admittat. Quare nec ſubſtantia propriè dici poteſt. Subſtantia enim poteſt quodammodo

modo subjectum vocari: forma verò nullo modo subjectum esse potest. Hoc verò cum juxta Philosophum, nec passionibus, nec motui subjiciatur, ex hoc aut ex illo constans, sed quicquid est, unum est & ideo verè est, & fortissimum, nullo nitens, multo melius forma dicitur. Omne namque esse, ex forma est. Non est ergo hoc & hoc, sed hoc tantum pulcherrimum & fortissimum. Si enim conforme haberet, pulcherrimum dici non posset. Si subjecto nitens, comitantia accidentium ageret, fortissimum non esset. Quare pulcherrimum & fortissimum est, nullo nitens: & ut optimè à prædicto Philosopho dictum est, nec diffinitioni, nec divisioni, multò minus demonstrationi, vel resolutioni apta est verè. Cùm enim superveniens genus quo componatur, non habeat, diffinitionem non admittit. Divisionis sectionem quomodo reciperet, quæ omnibus in quas dividi posset speciebus caret? Demonstrationi quoque qualiter pateret: quæ velut omnium Principium & primum, primiora, veriora, notiora super se habere non potest? Unde necessariò ex simplicitatis, singularitatis, solitaritatis, ut ita dicam, natura, resolutionis necessitudinem excludit; ut jurè solum externum, invariabile, incommutabile & sit, & naturaliter esse credatur. Cætera namque si qua sint, quæ variationem non suscipiunt, ut angeli, non ex propria natura, sed ex opificis sui gratia, à cujus invariabilitate ipsi invariabiles denominantur, hoc habere probantur: ut secundum hoc, cùm dico: Deus est invariabilis, angelus est invariabilis, non alia in secunda, quam in prima propositione prædicetur invariabilitas, sed eadem. Verbi gratia: Cùm dico artificem humanum & opus humanum: non aliam & aliam prædico humanitatem; sed hoc quod de artifice substantivè, de opere prædico denominativè. Velut cùm dico: Socrates ridet, pratum ridet: non aliam de Socrate, aliam de prato prædico proprietatem, sed eandem quam de Socrate propriè, de prato impropriè vel transumptivè enuncio. Quod considerans Boetius ait: *Tropus nullius est proprietatis.*

Ostenso de divina essentia, juxta judicium negationis, cùm nec composita, conformis, concreta dici possit, simplicem, singularem, solitariam eam quoquo modo compræhendi: nunc qualiter omne nativum compositum, conforme, concretum intelligatur, dicendum restat. Omne quippe quod natum est, ab alio sine dubio originem sumit. Nihil enim à se nasci potest. Quod autem ex alio est, principium non est: ergo est hoc & hoc: ergo simplex non est, compositum est igitur. Non enim hic ad effandum de Theologica & ineffabili generatione seu nativitate attollimur: sed tantum de ea, quæ à Philosophis genitura, à nobis factura, seu creatura dici solet, disputationem instituimus. Sed notandum, quod compositio alia formarum, alia est subsistentium. Formarum ex formis, subsistentium ex subsistentibus. Nulla enim forma subsistentium, nec subsistens formarum compositionem admittit. Nam tanta diversitate, esse, & id quod est, sejunguntur, ut nec quod est, esse sui, nec esse ejus quod ipso est, compositionem admittat: & cùm sub nullo genere conveniant, compositionemque (ut dictum est) alterum alterius non admittat, alterum tamen sine altero esse nequit. Hæcque talis diversissimorum, ut ita dixerim, compactio, concretio potius oppositorum, quàm compositio similium vocatur. Compositio igitur alia, ut dictum est, formarum, alia est subsistentium. Formarum autem aliæ compositæ, aliæ simplices. Simplices, ut albedo: compositæ, ut humanitas. At simplices in compositione compositæ venire possunt. Nulla autem simplex per se in naturalibus subjectum informare valet, sed tantùm compositam informantem comitatur. Omnem igitur formam ad hoc ut integrè subsistentem informet, compositam esse necesse est, & esse hoc & hoc. Subsistentes quoque ex subsistentibus constare, nulli dubium est. Omne enim corpus ex corporibus constat. Nec inconveniens arbitrantur Philosophi, sicut quantitatem in immensas quantitates, sic & corpus in infinita secare corpora. Nullum itaque subsistens simplex, nulla forma quæ sit integrum esse, potest esse non composita. Sed sciendum est, quòd subsistens aliud suscipit conjunctionem partium, aliud non. Corpus suscipit, spiritus non: quare & spiritus simplex esse videtur. At hoc videndum est, simplicitatem quandoque contra compositionem tantum, quandoque contra compositionem simul & concretionem dividere. Unde Boetius in octava regula libri Hebdomade: *Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est.* Non enim in hac regula diversitas inter id quod est, & quo est, quæ in secunda regula, in qua dicitur: Diversum est esse, & id quod est, assignata est, notatur:

sed

ſed potius ea diverſitas formarum, qua ſubjectum alio eſt, & alio aliquid eſt. Verbi gratia, ut corporeitate eſſe, colore aliquid eſſe dicitur. Sic & ſpiritus creatus, cùm alio ſit, alio ſapiens ſit, quamvis copulatione partium carens, ſimplex eſſe videatur: tamen quia formam ex formis compoſitam habet, & ex concretione hujuſmodi formæ & ſubſiſtentis plenariè, ſimplex dici non poteſt. Omne igitur nativum compoſitum. De conformitate & concretione ſuprà probatum eſt, quòd videlicet ex ſubſtantiali ſimilitudine conforme, ex eo quòd ſubjectum informet, multitudinemque poſt ſe accidentium trahat, concretũ dicatur. Inter omnia verò nativa nihil magis compoſitũ invenitur, quàm homo: qui non ſolùm ex eſſe compoſitum habet eſſe, vel ſubſiſtentem ex ſubſiſtentibus, ſed & ex oppoſitis compactus ſubſiſtentibus, oppoſitorum ſubſiſtentium juncturam, & eorundem diverſarum ſubſiſtentiarum compoſitionem recipit. Quare haud mirandum, ſi ex tota & tanta compoſitione compactus, facilius reſolutioni ſubjacet. Item cum juxta Boetii nonam regulam, Omnis diverſitas diſcors, ſimilitudo appetenda ſit, & quod appetit aliud, tale ipſum eſſe naturaliter oſtenditur, quale eſt illud hoc ipſum quod appetitur: tanto vehementius ad diſſolutionem tendimus, quantò diſſidentius ex oppoſitis partibus conſtamus. Verbi cauſa: Corpore ex quatuor Elementis compacto, igne ſurſum, terra deorſum, aqua & aere quaſi è regione diſtrahentibus, ſibique hoc modo partibus diſſidentibus: quid inæqualius eſſe poterit? Idipſum etſi non ſenſus, ratio tamen in compoſitione formæ percipit. Accedit ad hoc, quòd non ſolùm forma ſubſtantiale eſt eſſe ex formis compoſita: ſed quòd ipſæ formæ componentes, nunc naſcentes, nunc occidentes, neque unquam in exiſtendi conditione conſtanti & rata perſeverantes, ſubjectum quieſcere non permittunt. Unde decedentibus aliis, aliæ ſemper ſine intervallo ſuccedunt. Quem celerrimum fluxum formarum, cùm ſequatur fluxus morarum, tempus tam acutum emergit, ut ejus inſtans vix, vel nunquam conſpici queat. Bene ergo à tam mutabilitate naturæ, quàm moræ conſiderantibus, dictum eſt: Melius eſt ad ſummum, quàm in ſummo: quia cùm amplius quo creſcat non habeat, decreſcere neceſſe eſt. Sicut autem à Medicis præcipitur, ut bonæ habitudines, cùm in ſummo fuerint, ſolvantur: ſic non immeritò à probatis animarum medicis ſuadetur, ut mens, quæ rerum proſperitate in ſummo poſita elevari aſſolet, malorum intuitu reprimatur. Unde eſt illud: *In die bonorum ne immemor ſis malorum.* Sed jam ad propoſitum redeamus. *Eccleſ. 11.*

CAP. VI.

De Saxonibus bello gravi ſuperatis, & quòd Guelfo Dux Noricorum, & Rudolfus Dux Suevorum rebellare cœperunt.

IGITUR Saxonibus à capite ſuo diſſidentibus, ex omnibus Regni viſceribus, Princeps ad debellandos eos, fortem & magnum militem cogens, inſtauransque exercitum prædictam Provinciam ingreditur. Fuerunt in comitatu ejus quatuor magni Duces, ſinguli cum ſingulis legionibus, Zuendebaldus Dux Boemoeum, Guelfo Dux Noricorum, Rudolfus Dux Suevorum, Gotefridus Dux Lotharingiorum, & alii Principes, Comites, Nobileſque innumerabiles. Ita juxta fluvium, Unſtruot dictum, publico bello commiſſo, cruenta Rex potitus victoria rediit. Non multò poſt tempore, duo præfati Duces Guelfo & Rudolfus, qua occaſione, dubium, Principi rebellantes, Saxonibus junguntur. Gotefridus autem Lotharingiæ Dux, Orientalem expeditionem aggreſſus, Hieroſolymis Ducatum populi Dei tenens, ibidem in pace quievit.

CAP. VII.

Quòd idem Rudolfus inſtinctu Gregorij Rex creatur, & paulo pòſt in prælio occiditur.

AT ROMANUS Pontifex Gregorius, qui jam (ut dictum eſt) Principes adverſus Imperatorem concitabat, omnibus ut alium crearent, latenter & manifeſtè ſcribebat. Igitur Rudolfus Dux Suevorum ab eis Rex factus, diadema à Romana Eccleſiea accepiſſe traditur, cum hujuſmodi ſcripto. *Rudolfus adverſus Henricum Cæſar renunciatus. Anno 1077.*

Roma

* alij, Petra.

**Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.*

Hujus Rudolfi filiam quidam ex nobiliſſimis Regni Optimatibus, Bertolfus nomine, de caſtro Zeringen, habuit. Non multo pòſt tempore, Rudolfus in publico bello à fidelibus Imperatoris necatur, & in Eccleſia Merſeburg cultu regio ſepelitur. Fertur de Imperatore, quòd cùm pacatis paulisper his ſeditionum motibus, ad prædictam Eccleſiam Merſeburg veniſſet, ibique præfatum Rudolfum velut Regem humatum vidiſſet, cuidam dicenti, cur eum qui Rex non fuerat, velut regali honore ſepultum jacere permitteret? dixerit: Utinam omnes inimici mei tàm honorificè jacerent. Occiſo Rudolfo, gener ejus Bertolfus Ducatum Sueviæ, tanquam à ſocero ſibi conceſſum, uſurpat.

CAPUT VIII.

De Comite Friderico, quòd gener Imperatoris factus, Ducàtum Sueviæ obtinuerit.

Fridericus à Hohenſtauffen Sueviæ Dux.

EA tempeſtate Comes quidam Fridericus nomine, ex nobiliſſimis Sueviæ Comitibus originem trahens, in caſtro Stoyphe dicto coloniam poſuerat. Hic cùm eſſet conſilio providus, armis ſtrenuus, ad curiam Imperatoris aſſumptus, per multos dies ibidem militarat, ſtrenuiſſimique ac nobiliſſimi militis officium implens, in omnibus periculis ſuis viriliter Imperatori aſtiterat. Videns Princeps ergo Reipublicæ tam dubium ſtatum, vocato ad ſe ſecretò præfato comite, ſic eum alloquitur: Virorum optime, quem inter omnes in pace fideliſſimum, & in bello fortiſſimum expertus ſum, cerne qualiter Romanus orbis tenebris involutus, fide vacuus, juxta quod dicitur:

Ultima cœlicolûm terras Aſtræa reliquit.

ad auſus nefarios, factaque nefandiſſima concitatur. Nec parentibus reverentia, nec Dominis debita ſubjectio ſervatur: Sacramenta quæ tam jure poli, quàm jure fori Principi à milite publicè exhiberi ſolent, contemnuntur: factioſaque juramenta, quæ contra leges divinas & humanas in angulis fiunt, diabolo inſtigante, pro ſacroſanctis habentur; nullis legibus, nullis divinis ſanctionibus honor impenditur. Cùm enim omnis poteſtas à Deo ſit, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Aſſurge igitur huic tam peſſimo morbo, atque ad debellandos Imperii hoſtes viriliter accingere. Neque enim priorum meritorum tuorum immemor exiſto, nec futurorum ingratus ero. Filiam quippe quam habeo unicam, tibi in matrimonio ſortiendam tradam, Ducatumque Sueviæ, quem Bertolfus invaſit, concedam.

Bertolfus Zeringenſis Sueviæ ducatum abdicare coactus anno 1081. Tigurum.

Sic itaque prædictus Fridericus Dux ſimul Suevorum, & gener Regis factus, ad propria rediit: & ne multis morer, Bertolfum tandem pacem petere coegit: quod tamen quidam ſub filio ſuo Friderico factum tradunt. Conditio autem pacis talis fuit, ut Bertolfus Ducatum exfeſtucaret, ſic tamen quòd Turegum nobiliſſimum Sueviæ oppidum à manu Imperatoris ei tenendum remaneret. Hoc oppidum in faucibus montium verſus Italiam ſuper lacum unde Lemannus fluvius fluit, ſitum, Imperatorum (ſeu Regum olim colonia fuit, tantæque, juxta majorum noſtrorum traditionem, auctoritatis, ut Mediolanenſes, ſi quando ab Imperatore ad tranſalpina vocarentur judicia, ibi diſcuti, vel judicari de jure deberent. Unde ex ejuſdem tam in rebus, quàm honoribus abundantia, in ipſius porta ſcriptum dicitur:

Nobile Turegum multarum copia rerum.

A prædicto etiam Lemanno fluvio, unde Lucanus:

Diſeruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Alemanniæ nomen.

tota illa Provincia Alemannia vocatur. Quare quidam totam Teutonicam terram Alemanniam dictam putant, omneſque Teutonicos Alemannos vocare ſolent, cùm illa tantum Provincia, id eſt Suevia, à Lemanno fluvio vocetur Alemannia, populique eam inhabitantes ſolummodo vocentur Alemanni. Bertolfus iſte, quamvis in hoc negocio Imperio ſimul & juſtitiæ ceſſerit, tamen ſtrenuiſſimus ac fortiſſimus fuiſſe traditur. Unde & adhuc ab antiquioribus de ipſo dicitur, quòd ſi quando nuncius aliqua triſtia ipſi apportans, ſecundum quod fieri aſſolet, hæſitare voluiſſet, dixerit: Dic, dic: ſcio enim quòd ſemper læta triſtia, vel triſtia præcedunt læta. Quare tantundem mihi eſt primò audire nubiloſa, cum poſtmodum auditurus ſim ſerena, quàm primò auditis ſerenis, pòſt auditurus ſim nubiloſa. Magnifica vox, & viro forti digna, qui nativorum volubi-

volubilitatem sine literis, naturali percipiens ingenio, nec in diebus bonorum immemor malorum, elevatus: nec in diebus malorum immemor bonorum, fuit fractus. Fridericus autem Ducatum Alemanniæ exhinc sine contradictione habuit, ac strenuè diebus nõ paucis rexit.

CAP. IX.

Quòd post genitos sibi filios Fridericum & Conradum, diem obiit.

SUSCEPIT verò ex nobilissima compare sua Agnete duos filios, Fridericum & Conradum: & ipse post multa virtutum suarum insignia, in senectute bona diem ultimum claudens, in monasterio Laureacensi, in proprio fundo constructo, humatus est. At suprà nominatus Bertolfus, vacuum exhinc nomen Ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit. Omnes enim usque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes. Nisi quis Ducatum esse dicat, comitatum inter Juram & montem Jovis, quem post mortem Wilhelmi Comitis, filius suus Conradus ab Imperatore Lothario suscepit: vel à Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat: in aliis tamen rerum & honoris non parva pollentes magnificentia.

Friderici Sueviæ D. liberi.

Zeringensibus unde Ducum nomen.

CAP. X.

De uxore ejus Agnete, quòd Leopaldo Marchioni nupserit, & quòd defuncto Imperatore filius ejus Henricus potenter regnum obtinuit.

MORTUO Alemannorum Duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam, frater suus Henricus, Imperatoris Henrici filius, in sua suscepit, eamque Leopaldo Orientali Marchioni (quod aliàs à nobis plenius dictum est) in uxorem dedit, filiis ipsius Friderico quindecim, Conrado duodecim annos habentibus. Porrò Fridericus qui major natu erat, patri in Ducatum successerat. Circa idem tempus Imperator Henricus apud Leodium Belgicæ urbem, diem obiit. Sepultisque ibidem intestinis ejus, corpus in Galliæ civitatem Spiram deportatur: ibique in Ecclesia beatæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, quam ipse miro & artificioso, sicut hodie cernitur, construxerat opere, juxta patrem, avum, Imperatores, cultu regio sepelitur: eique in regnum successit filius suus Henricus, in ordine Imperatorum quartus, Regum verò quintus. Hic armis strenuissimus, totum Imperium ita in brevi suæ subjecit ditioni, ut & omnes in Romano orbe positi, subjectionis jugum humiliter portarent, & vicini dominationem ejus suspectam habentes, metu obrigescerent.

Henrici 4. Imp. obitus, anno 1106.

Henricus V. Cæsar.

CAP. XI.

Quomodo apud Barum Comitem Reinaldum cepit, & abduxit.

QVOT ergo, & quanta tam Romæ, quàm in Italia fortia gesserit, quia in priori dicta sunt historia, supersedemus. Hoc tantùm ad præsens ponere sufficiat, quòd cum in summo statu positus, omnibus Gallicanis trepidantibus, castrum Barum contra opinionem multorum, assultu cepisset, ibique Comitem Reinaldum comprehensum, captivum abduxisset, juxta ejusdem Comitis arcem Munzun dictum, castrum posuit. Quam in altissimo monte sitam, naturaque locorum munitissimam, dum nulla arte, vel vi capere valeret, patibulum erigi præcepit, dicens: quòd nisi velociter castrum redderetur, Comitem ipsum suspendio perimeret. Oppidani usque in alterum diem inducias petunt. Illa in nocte comitissa filium genuit. Itaque oppidani convenientes, infantulo recenter genito, sacramento fidelitatis astringuntur. Manè facto, cum Imperator ad deditionem castri oppidanos exposceret, dominoque illorum Comite coram ducto, suspendium interminaretur, ipsi responderunt: Se propter mortem illius castrum reddere nolle, præsertim cum novum Dominum, quem illa nocte uxor ejus sibi peperisset, haberent. Qua de re inflammatus Princeps, prædictum Comitem ad patibulum trahi jussit. Cumque à Principibus qui aderant, ne id faceret, rogaretur, ipso-

Munzun arx Burgundiæ.

Reinoldus Burgundiæ Comes captus anno 1113.

que in propofito perfeverante, à quibusdam ut faltem divina animadverfione à cœpto *Pfal. 114.* defifteret, turbato præ ira oculo, refpondiffe fertur: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Tandem tamen irrationabili motu defervefcente, cunctorum precibus Auguftus inclinatus, à mortis fententia animum revocavit, prædictumque Comitem fecum captivum ducens, ad familiaria domicilia rediit.

CAP. XII.

Quòd in nuptiis apud Moguntiam Regnum fciffum eft: & de Geftis Friderici Ducis.

Anno 1114. NON multo pòft tempore, ipfo in civitate Galliæ Moguntia nuptias cum multorum Principum adftipulatione magnificè celebrante, Imperium (ut alibi à nobis profufiùs dictum eft) fcinditur. Quæ fciffura illo tempore tam gravis fuit, ut præter Fridericum Ducem, fratremqne fuum, & Gotefridum Palatinum Comitem Rheni, vix aliqui ex Principibus fuerint, qui Principi fuo non rebellarent. Quot & quanta ergo Fridericus Sue- *Maxima vis Regni Germanici ad Rhenum.* vorum Dux nobiliffimus vel Imperatore præfente, vel in Italia morante, ftylo tunc digna gefferit, quia in multorum adhuc habentur memoria, fummatim dicemus. Ipfe enim de Alemannia in Galliam transmiffo Rheno, fe recipiens, totam provinciam à Bafilea usque Moguntiam, ubi maxima vis Regni effe nofcitur, paulatim ad fuam inclinavit voluntatem. Nam femper fecundum alveum Rheni defcendens, nunc caftrum in aliquo apto loco ædificans, vicina quæque coegit: nunc iterum procedens, relicto priore, aliud munivit: ut de ipfo in proverbio diceretur: *Dux Fridericus in cauda equi fui femper trahit caftrum.* Erat autem prædictus Dux in bellis fortis, in negociis ingeniofus, vultu & animo ferenus, in fermone urbanus, donisque tam largus, ut ob hoc multitudo maxima militum ad eum conflueret, feque ad ferviendum illi ultrò offerret.

CAP. XIII.

Quomodo Moguntiam obfedit, & quomodo de ipfis & fuo Archiepifcopo triumphavit.

IGITUR omnibus circa Rhenum, ut fuprà dictum eft, ad nutum fuum inclinatis, Moguntino Archiepifcopo Alberto, omnium illius temporis Regni Principum verfutiffimo & locupletiffimo, eò quòd prædictæ factionis caput & auctor fuerat, bellum indixit. Vaftatisque cunctis in circuitu, tandem & ipfam civitatem cum infinita multitudine militum ac plebis obfidione cinxit. Eft autem prædicta civitas magna & fortis, *Moguntia.* fuper Rhenum pofita, & ex ea parte qua Rhenum attingit, fpiffa & populofa, & ex alio latere, rarum habitatorem habens, vacua: muro tantum forti, non paucas turres habenti, circundata. Porrecta in immenfum longitudine, in lato anguftior, neceffitas locum fignavit. Nam ex ea parte qua Galliæ contigua eft, monte mediocriter in altum fublato, artatur, ex alio verò latere, qua Germaniam refpicit, Rheno: unde fit, quòd circa Rhenum nobilibus templis & ædificiis veftita fit, & verfus montem vinetis, aliisque ufibus expofita. Vulgus quod cum Duce in obfidione fuit, ex illa parte qua rara eft civitas, prædandi gratia eam affultu capere voluit. Timens autem nobiliffimus Dux, fi irrationabili plebis furori talis daretur licentia, fanctorum fortè loca direptioni & flammæ exponi: ne voluntas illorum effectui manciparetur, fummopere laboravit. At Epifcopus civitatis, fidei Ducis non rectam recompenfationem reddens, directis de civitate ad ipfum in dolo nunciis, treugam poftulat: diem quando, & ubi conveniant petit, fe ad gratiam Imperatoris velle venire promittit: ficque Ducem exercitum dimittere, obfidionem folvere, ac ita cum paucis ad propria redire perfuadet. Epifcopus folutam obfidionem & dimiffum cernens exercitum, apertis portis, cum magna Ducem infequens militia, ex improvifo invafit. Dux cum fuis, quos adhuc de tanto exercitu ha- *Moguntinenfium clades.* bebat, tunc primò dolum fentiendo, non, ut affolet arma ex improvifo arripientibus accidere, mente turbatus, fed ex præfentia hoftium amplius ad virtutem animatus, arma fumit, in hoftem ruit: viriliterque pugnantibus Alemannis, tandem ex parte Francorum Comes Emicho, qui cæterorum primipilarius erat, lethali fauciatus vulnere, occubuit. Qua de re fracti animo Franci, terga verterunt, præfidioque fugæ fe committunt.

tunt. Quos fortiſſimus Dux inſecutus, occiſis plurimis, & captis, reliquos uſque ad portas civitatis cum Epiſcopo ſuo triumpho potitus, fugavit. Cives qui parentes & amicos in illa cæde amiſerant, tanta cordis amaritudine affecti erant, ut pene in proprium Epiſcopum, velut hujus concuſſionis auctorem, irruerent.

CAP. XIV.

Qualiter idem Dux caſtrum Limburg ab obſidione liberavit, & de ejus conjugio.

IDEM etiam Dux illuſtriſſimus, alia vice dum prædictus Albertus Epiſcopus cum Lothario Saxonum Duce, aliisque Principibus, in magna & valida militum manu caſtrum Limburg, in territorio Spirenſi ſitum, obſidione clauſiſſet, & jam oppidanis fame & inedia aſtrictis, caſtrum pene ad deditionem coegiſſet, militem colligens, ſupervenit, prædictosque Principes obſidionem ſolvere fecit. Fertur prætaxatos oppidanos, dum fame laborarent, quid facto opus eſſet conſilium iniiſſe. Dumque alij & alij ſic & ſic conſulerent, Ulricum quendam de Horningen, natione Alemannum, vi mentis, corporisque proceritate inſignem, dixiſſe: melius fore ut pingues monachi (nam monachorum cœnobium in eodem caſtro poſitum erat) ederentur, quàm caſtrum propter ciborum inopiam hoſtibus traderetur. Quo dicto cognito, monachi perculſi, cibaria quæ repoſita habebant, publicaverunt, cunctosque ibidem manentes milites, uſque ad liberationem caſtri, in his quibus poterant alimentis paverunt. Quid plura? Prætaxatus Dux, ut breviter dicam, per omnia patrem induens, tam fidus Principi miles, tam utilis avunculo amicus extitit, ut ſua virtute honorem Regni labefactatum, viriliter contra hoſtes tamdiu decertando ſuſtentaret, donec membra à capite diffidentia, ad gratiam Principis veniendo, ad cor redirent. Accepit autem Henrici Noricorum Ducis filiam in uxorem, ex qua poſtmodum Fridericum glorioſiſſimum, qui in præſentiarum Imperator eſt, & Juditham, quæ modò in Matthæo Lotharingiorum Duci copulata noſcitur, genuit.

Friderici junioris Sueviæ Ducis coniunx & liberi.

CAP. XV.

Ubi Imperator Henricus mortuus, & ſepultus.

IMPERATOR Henricus, revocatis in pacem qui erant ei oppoſiti Principibus libere potitus Imperio, apud inferius Trajectum, Friſiæ urbem, in Pentecoſte curiam celebravit: ubi morbo correptus, rebus humanis exemptus, ſepultisque ibidem interioribus, per ripam Rheni ad ſuperiora deportatus, in civitate Spira patribus ſuis appoſitus eſt. Ac Imperatrix Mathildis Henrici Regis Anglorum filia, regalia in poteſtate ſua habebat. Quam prædictus Albertus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus ad ſe vocavit, falſisque promiſſionibus ad ſibi tradenda regalia induxit.

Henrici V obitus anno 1125.

CAP. XVI.

Lotharius Dux Saxonum in Imperatorem eligitur, qui mox hæredes Henrici perſequitur, & Noricum caſtrum ab ipſo obſidione cingitur.

IGITUR Albertus (nam id juris, dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiſcopi ab antiquioribus eſſe traditur) Principes Regni in ipſa civitate Moguntina tempore autumnali convocat, malorumque à Duce Friderico ſibi illatorum haud immemor, cum prædictus Dux ad Regnum à multis expoſceretur, ipſe Lotharium Ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis induſtria omni honore dignum, plus familiari rei, quantum in ipſo erat, quàm communi commodo conſulens, in Regem à cunctis qui aderant Principibus eligi perſuaſit. Quæ res laudabiliter facta, graviſſimæ tamen ſciſſuræ ſeminarium denuò fuit. Nam prædictus Princeps conſilio ejuſdem Alberti Moguntini Epiſcopi, juxta quod dicitur:

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo,

nondum odio in hæredes Imperatoris Henrici ſatiati, Fridericum Ducem, fratremque ſuum Conradum perſequitur. Cujus rei gratia caſtrum Noricum, ubi ipſi præſidia poſue-

Lotharius Saxo Rex Roman.

Noriberga.

posuerant, & tanquam jure hæreditario possidebant, adjuncto sibi Boemorum Duce Ulrico, & Bajoariorum Henrico, obsidione clausit. Dux autem Boemorum, eò quòd Barbari qui cum ipso venerant, nec Deum timentes, nec hominem reverentes, omnia vicina depopulando, nec etiam Ecclesiis parcerent, à Principe post aliquod tempus redire permissus est.

CAP. XVII.

Fridericus & Conradus fugato Lothario, oppidum muniunt.

Noriberga obsidione liberatur.

ITAQUE Fridericus Dux, fraterque suus Conradus militem colligunt, ac data oppidanis die ac signo, ipsi quadam die cum militia sua castro appropinquant. Quod videntes oppidani, læticiam cordis dissimulare non valentes, in voces magnas & cantus, prorumpunt. Princeps tutius judicans alio in tempore præfatum, castrum obsidione cingere, quàm infidæ fortunæ fidei se incautè committere, obsidionem solvit, ac per Babenberg transiens, in civitatem Herbipolim se contulit. Oppidani cum ingenti clamore descendentes, castra jam vacua irruunt, & si qua ibi remanserant, diripiunt, Dominosque suos cum magna lætitia suscipientes, in castrum ducunt, Duces oppidum ipsum victualibus, aliisque necessariis muniunt: sicque Regem insequentes, illo in civitate manente, Tyrocinium, quod vulgo nunc Turniamentum dicitur, cum militibus ejus extrà exercendo, usque ad muros ipsos progrediuntur. Post hæc Rhenum transeunt, in Spirensique civitate, cujus populus eos, ob fidelitatem Imperatorum, qui ibidem humati sunt, tanquam ejusdem sanguinis consortes devotè susceperat, præsidia collocant. Qua Princeps, juncto sibi Alberto Moguntino, obsidione circundata, multos ibi dies consumens, prævalere tunc non potuit.

CAP. XVIII.

Quomodo iidem Duces Henricum Noricorum Ducem ex Alemannia fugaverunt.

Bavarus Friderico Suevorum Duci bellum movet.

PORRO Henricus Noricorum Dux, suprà nominati Henrici Ducis filius, ob gratiam Principis, cujus filiam Gertrudim noviter in uxorem duxerat, Friderico Duci, haud memor affinitatis, quæ ex copula sororis suæ Judithæ inter ipsos erat, bellum indicit. Coadunatoque ex Bajoaria non parvo milite, Alemanniam ingressus, non longè à Danubio super fluvium Werenza dictum, tabernacula locavit. Quo comperto, sæpe dicti Duces & ipsi militem colligunt, nec longè ab eo castrametantur. At Dux Noricorum missis exploratoribus, quod hostium robur sit, inquirit. Quibus redeuntibus, & ea quæ viderant enarrantibus, suos consuluit, quidque facto opus sit, requirit. Illi, incautum fore si hostes expectentur judicantes, fugam consulunt. Tanta ergo cum festinatione Norici, hostes tanquam sibi jam imminentes declinaverunt, ut pontis angustias suspectas habendo, in infidis prædicti amnis procellis, qui ex multitudine imbrium plus solito excreverat, incautè se committerent, ipsoque non tam transuadando, quam transnatando periculosè transmisso, ad propria cum rubore remearent.

CAP. XIX.

Quomodo Fridericus insidias ejusdem Ducis evasit.

Henricus Bavariæ Dux.

ALIO inde tempore prædictus Dux Henricus Alemanniam ingressus, ad propria ibi domicilia se contulit. Erat enim natione Alemannus, ex antiqua & nobilissima Guelforum familia originem trahens, ac per hoc multas possessiones ex ea parte, qua Pyrenæos montes attingit Alemannia, jure hæreditario habens: vir per omnia laudabilis, tam animi, quàm generis nobilitate insignis, in hoc solo facto tantùm reprehensibilis. Missis itaque legatis ad Fridericum Ducem Suevorum, eum amicè tanquam sororis suæ maritum monet, ut ad gratiam Principis redeat: durum esse dicens, quempiam quantumcunque magnum, vel probum Principem, totius Imperij pondus solum sustinere. Addit etiam, hujus negocij se, si monitis ejus acquiescere vellet, fidum fore mediatorem. Ubi ergo, & qua die simul conveniant, oreque ad os de hoc familiariùs confe-

riùs conferant, monaſterium quoddam Zuifalten dictum, conſtituitur. Dux Fridericus nil perperam expectans, ad prædictum locum cum paucis venit. Ille verò non ſimpliciter ambulans, quo loco nocte cubare vellet, latenter exploravit. Itaque Sole ad inferius hemiſphærium deſcendente, cum tenebroſis mentibus tenebrarum opportunitas ſe offerret, cubiculum in quo Dux jacebat, circundatur, & quòd non amicus, ſed ut hoſtis advenerit, re & voce aperitur. Quid faceret, quò ſe verteret? arma corriperet? ſed penè nullum quo juvaretur habuit. Fugeret? ſed nullum cubiculi meatum ſciens, fugæ præſidium non invenit. Dolum itaque cognoſcens, ad divinæ tantum gratiæ ſe vertit adjutorium. Qua opitulante, per abdita quædam cubiculi penetralia tunc ſibi primò quaſi cœlitùs oſtenſa, Eccleſiam introivit, turrim quæ Eccleſiæ contigua erat, aſcendit. Hoſtes cubiculum irrumpunt, & non invento Duce, clauſtra etiam monachorum ingrediuntur, cunctas officinas ipſorum ferro perſcrutantur. Phœbo ab inferis redeunte, ſuperioremque aëris regionem illuminare incipiente, vicini quique fideles Ducis, jam teterrimo cognito facto, aggregatim in adjutorium ejus advolant. Hoſtibus adhuc ſecretiora clauſtri rimantibus, ignemque minantibus, Fridericus ſuos de turre adventare proſpiciens, jam ſecurus factus, Henricum Ducem expoſcit, eumque ſic affatur: Contra fas, bone Dux, feciſti, qui me in pace vocatum, pacis non ferens ſigna, inimicum te potiùs quàm amicum oſtendiſti. Nec te ab hoc facto propriæ famæ revocavit honeſtas, nec carnis, qua conjungimur, affinitas. Ne autem malum pro malo reddere videar, te tanquam amicum fideliter admoneo, ne fideles meos, quos undique adventare cerno expectes. Excuſatur à quibuſdam hoc factum Ducis, non ſolùm ex hoc, quòd eo in tempore inimici fuerunt, juxta illud:

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

ſed ex eo, quòd pro fidelitate Regni, & Reipublicæ quiete, Principi eum tradere, pacemq; Imperio inſtaurare volens, hoc fecerit.

CAP. XX.

De expeditione Lotharij in Boemiam.

DISSENSIO igitur inter Fridericum Ducem, Lothariumque Imperatorem penè per decem annos protracta, Imperium quieſcere non permiſit. Qualiter autem ad ultimum pacatum fuerit, & quot, & quanta virtutum inſignia Lotharius reliquerit, in priore hiſtoria dictum ſufficiat.

Verùm ſilentio præterire nolumus, quòd prædictus Princeps adverſam nimis circa Regni primordia fortunam ſenſit. Quidam enim Otto Moraviæ Comes, Ducatum Boemiæ affectans, Principem adiit, eique magnam pecuniam promittens, ad hoc ut Boemiam ſecum intraret, ibique eum Ducem crearet, inclinavit. Quod Ulricus, qui eundem Ducatum fortè habebat, impedire volens, nullo Principem obſequio à cœpto revocare potuit. Igitur Rex Saxoniam intrans, militem inſtaurat: ducensque ſecum Ottonem, clauſtra ſylvarum, quæ Boemiam & Saxoniam ſejungunt, hyemali tempore ingreditur. Dux Boemiæ Ulricus in ipſis ſylvarum abditis locis, ſeptis undique ſylvis, ſuper amniculum quendam caſtra poſuit. Rex cum ſuis propter nimietatem nivium à recta via exorbitans, ac per devia ſylvarum oberrans, ad prædictum amnem fortè venit, ſuis viæ labore nimio & inedia exhauſtis quieſcere volentibus. Barbari turbatum cernentes amnem, hoſtes in proximo eſſe præſentiunt. Ex improviſoque ſupervenientes, Saxones, qui in prima acie erant, jam per nives deambulando fatigatos invadunt, ac paucis per fugam elapſis, quibuſdam captis, cæteros crudeliter occidunt. Videns hoc Princeps, ſuiſque ex anguſtia viarum nullum præſidium ferre valens, ſæviſſima mentis amaritudine percuſſus, rerum tamen quas ab adoleſcentia geſſerat, ac antiquæ virtutis memoria, quaſi cœleſti rore repletus, in collem quendam cum paucis, quos adhuc reſiduos habebat, ſe recepit. Quem præfatus Dux ſuis in circuitu poſitis, magnarumque arborum jactu & clauſura reditum negantibus, tanquam clauſum tenuit. Tandem Henrico Saxoniæ Marchione, qui de ſorore Ducis natus, cum Rege advenerat, mediante, ad pedes Imperatoris ſatisfactionem offerens, humiliter Dux venit, hominiumque ſibi cum ſacramento fidelitatis exhibens, Ducatum ab eo ſuſcepit, captivos reddi-

Lotharius in Bohemiâ fuſus anno 1126.

reddidit: ſicque Princeps portatis ſecum eorum qui nobiliores erant, funeribus, cum multo mœrore rediit.

CAP. XXI.

Qui Principes ibi occubuerint, & de ſecundis nuptiis Friderici.

Initium odij inter Saxones & Bohemos.

INTER cæteros Nobiliſſimus Marchio Saxoniæ Albertus captus fuerat. Tanta verò ſtrages Saxonum, & præcipuè Nobilium & Illuſtrium virorum ibi facta fuit, ut perpetui odij inter Saxones & Boemos fomes tunc accenſus, nondum extinctus ſit. Otto quoque qui hujus concuſſionis auctor fuerat, ambitionis ſuæ pœnas luens, ibidem necatus eſt. Sed ut dicitur,

Flebile principium melior fortuna ſequetur,

ſic & hunc Principem melior fortuna ſecuta, ad tantum apicem provexit, ut ſedatis omnium tempeſtatum motibus, cum triumpho & victoria de Italia rediens, in ipſis montibus vivendi fecerit finem. Verùm Fridericus Dux, mortua uxore ſua Juditha, diſſenſionis tempore, Friderici Comitis de Sarbur, fratris Alberti Epiſcopi, filiam Agnetem in uxorem duxit, ab eaque Conradum, qui Palatinus Comes nunc Rheni eſſe noſcitur, & Claritiam Ludovici Thuringiæ Comitis uxorem, accepit.

CAP. XXII.

Quòd mortuo Lothario Conradus Rex creatur, & quis Alberto Moguntino ſucceſſerit.

Conradus Suevus Cæſar renunciatus Anno 1139.

DEFUNCTO Imperatore Lothario, ac in monaſterio Lutre, quod in ejus proprio fundo ſitum eſt, humato, Principes Regni apud Galliæ oppidum Confluentiam, ubi Moſella Rhenum influit, conveniunt, & de eligendo Principe conſilium ineunt. Igitur Conradus Friderici Ducis frater, ab omnibus qui aderant, expoſcitur, ad regnumque levatus in palatio Aquis coronatur. Quod eò facilius fieri potuit, quòd Imperatoris Henrici odium in mentibus plurimùm jam deferbuerat, Albertusque Moguntinus Archiepiſcopus, jam recenter vivendi finem fecerat. Acceſſit etiam ad hujus negocii promotionem, quòd Henricus Noricorum Dux, pro nota ſuperbiæ, penè omnium, qui in expeditione Italica cum Lothario Imperatore fuerant, odium contraxerat. Itaque Fridericus Dux Moguntiam, quæ tunc paſtore ſuo orbata vacabat, venit: omnesque tam clericos, quàm laicos ad hoc ut Albertum juniorem, uxoris ſuæ, quam ſecundò acceperat, fratrem eligerent, induxit, Principe ad hoc corroborandum aſcito. Qui patruum ſuum ſeniorem Albertum non exuens, non bene gratus beneficiorum extitit, nec plenè fidum Principi ſuo ſe exhibuit. Qualiter verò Henricus Dux Noricorum, prædictæ ſublimationi Principis contradixerit, & quem finem ipſe ſortitus fuerit, quomodo etiam Princeps tam de ipſo, quàm de multis aliis triumphaverit, in priori hiſtoria dictum ſufficiat.

CAPUT XXIII.

Qualiter ſoror Gertrudis Reginæ ſociata eſt Manuel Græcorum Imperatori.

CIRCA idem tempus, Joannis Regiæ urbis Imperatoris apocriſiarii, Viri Clariſſimi, Romanorum Principem adeunt, tam confœderationis vinculum ob Rogerij Siculi inſolentiam, inter duo Imperia, Heſperiæ videlicet & Orientis, renovare cupientes: quàm in hujus rei argumentum aliquam regalis ſanguinis puellam filio ſuo in uxorem dandam, poſtulantes. Princeps comparis ſuæ ſororem potiùs illò deſtinavit: in hujusque rei confirmationem venerabilem Herbipolenſem Epiſcopum Embriconem, virum prudentem & literatum, in Græciam miſit: Joanne jam mortuo, ſedenteque in urbe filio ſuo prædicto Manuel. Qui omnia ſapienter & ſolerter ordinans, nuptias, proxima poſt Epiphaniam hebdomada, in urbe Regia celebrari cum faſtu & decore regio perſuaſit. Et ipſe non paucis ibi diebus ad promotionem hujus, & aliorum Regni negociorum manens, dum remigando ad patriam redire cogitaret, multis Græcorum Xeniis honoratus & oneratus, apud Aquileiam vita deceſſit. Super his autem negociis,

ciis, inter utrumque Principem hujusmodi directæ inveniuntur Epistolæ. Quæ ne omnes ponerentur, compendium in causa fuit.

Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Joanni eadem gratia Constantinopolitano Imperatori, Salutem, & dilectionem fraternam, amicitiam, honorem, & gloriam.

Conradi Epistola ad Græcorum Imperator.

Ut parentes nostri, videlicet Romanorum Imperatores antecessores nostri, ad antecessores vestros, scilicet Regnum & populum Græcorum constituerunt, constituo: & sicut servaverunt, conservabo. Non est gens, Regnum, aut populus, qui non noverit, nostræ Romanæ Reipub. vestram novam Romam & dici & fore filiam, ex hujus radice ramos, & fructus ejus processisse: propter quod hæreditatem, quæ à matre debetur filiæ, constituimus, æternamque volumus, & eò ampliùs, quòd quæ matri debetur, filiam velle cernimus, scilicet ut auctoritas materna præcinat consilio, auxilio, respondeat autem gloria & honore filiastina dilectio. Sint ergo res utriusque communes, utriusque amicus idem, idem inimicus, sive in terra, sive in mari: & cognoscat ac timeat matris virtutem & valentiam, qui non honoraverit filiam, sive Nortmannus, sive Siculus, sive quis alter quicunque, ubicunque. Neque enim obliti sumus, vel ego, vel Principes nostri Imperij, quoscunque hostium nostrorum incursus, vel invasiones in Imperium, & magnificentiam Romanam. Sed cum divina clementia subveniet, retribuemus unicuique ipsorum secundum multitudinem ipsorum malitiæ. Videbit ergo, & audiet universa Regnorum latitudo, quàm facili manu prosternentur latrones, qui insurrexerunt in utriusque Imperij nostri Monarchiam: quia cooperante Deo, si alas excutiemus, hostem modò volitantem capiemus, & cordis ejus eviscerabimus audentiam, quæ modò extollitur contra utriusque Imperij nostri honorem & gloriam. Conservamus igitur quæ justa & amicabilia sunt ad vos, eadem vos ad nos: & tanto studiosius, quantò per conjugium sororis dilectissimæ coniugis nostræ, Imperatricis videlicet nobilissimæ, & filij tui confœderati sumus propinquius. Verum quia de nostris hilarescere successibus, dilectionis & nobilitatis tuæ credimus experientiam, quid post discessum prudentissimorum apocrisiariorum tuorum, in generali & solenni curia cum universis Imperij nostri Principibus celebrata, cui eos interesse voluimus, Deo auxiliante actum sit, tibi sicùt unicò fratri nostro, & amico dilectissimo dignum duximus intimare. Noveris igitur, quod omnes qui Imperium nostrum offendisse videbantur, cooperante Deo, potenter in nostro Imperiali jure inclinavimus, eosque in plenitudinem gratiæ nostræ suscipientes, universas Imperij nostri partes abundanti pace ditavimus. Ad hoc Francia & Hispania, Anglia, Dania, cæteraque Regna Imperio nostro adjacentia, quotidiana legatione sua, cum debita reverentia & obsequio nos frequentant, ad ea quæ Imperij nostri mandata sunt, se prompta esse tam obsidibus, quàm sacramentis affirmantes. Nolumus etiam latere discretionis tuæ prudentiam, quod Dominus Papa, totaque Apulia, Italia & Longobardia, de die in diem adventum nostrum desiderant: & ut nostra eis Imperiali subveniamus potentia, cum omni devotione expostulant. Hujus rei gratia dilectissimum & præcordialem Imperij nostri Principem Embriconem, venerabilem Herbipolensem Episcopum amicum tuum, ad exquirendam Domini Papæ voluntatem, Romam direximus. Cognita verò ipsius circa nos voluntate, communicato Principum nostrorum consilio, ea quæ ad utriusque Imperij nostri honorem spectant, per charissimos & prudentes nuncios nostros, Robertum scilicet Principem Capuanum, illustrem utique virum ac nobilem, nobisque fidelem, nec non Albertum dilectum Capellanum nostrum, & in fide constantem, tuæ significamus Nobilitati. Hos igitur tanquam nos audias, & quæ tibi dixerint, sicut decet Excellentiam tuam, & sicut de te speramus & credimus, ad effectum perducas, & honestos & idoneos apocrisiarios tuos, unà cum nunciis nostris sine dilatione ad nos remittas. Prætereà de Rutenis, qui ad contemptum Imperij nostri occisis hominibus nostris, pecuniam nostram sibi usurpaverunt, sicut convenit in causa amici, & propinqui tui, & sicut nobis scripsisti, ita facias. Militibus quoque Imperij nostri Alemannis scilicet, qui apud te sunt, sicut decet excellentiam tuam, benignus existas. Nihilominus etiam te rogamus, ut hominibus Imperij nostri, Teutonicis videlicet, qui Constantinopoli morantur, locum in quem ad honorem Dei Ecclesiam ædificent, concedas, tum respectu divinæ remunerationis

Favorem, auxilium & συμμαχίαν pollicetur.

Affinitas inter Imperatores inita.

Imperij occidui statũ refert.

Germanis exercendæ religionis locum concedi petit.

tum & interventu ac petitione noſtræ dilectionis. Recordari quoque debet tua diſcretio, quòd nos in literis prioribus per præfatum Capellanum noſtrum tuæ nobilitati præſentatis, hoc idem à te pro Dei amore & honore petivimus: quia ſi ipſe qui dat ſalutem Regibus, fuerit in medio noſtri, certum eſt quod non gaudebunt inmici noſtri. Datum XVIII. Kal. Ratiſponæ, in Chriſto feliciter, Amen.

CAP. XXIV.

Exemplar literarum tunc temporis hinc inde miſſarum.

Ioannes in Chriſto Deo, fidelis Rex Porphyrogenitus, ſublimis, fortis, Auguſtus, Comnenos & Imperator Romanorum, ad nobiliſſimum fratrem & amicum Imperij mei.

NOBILISSIME & dilecte amice Imperij mei Rex, Litera tuæ nobilitatis fraterni affectus ſignum, ad noſtram delata manſuetudinem per prudentiſſimum apocriſiarium nobilitatis tuæ, multa nos lætitia replevit. Nam bona tuæ nobilitatis voluntas, & cognationis, & amicabilis affectio & dilectio, quam demonſtraſti, & per literas, & per verba, & per opera ipſa erga Imperium noſtrum: noſtram conſequenter pietatem tota tam, toto animo ad tuum amorem pertraxit. Quare etiam diverſos fideliſſimorum & familiariſſimorum hominum ſuorum ad tuam nobilitatem emiſit, recommunicare per eos volens nobilitati tuæ totis de cauſis, propter quas & mandaſti, & ſcripſiſti ei. Vult enim in Deo in omnibus amice ſapere, & cognationabiliter, & fraternè ad tuam voluntatē, & omnia agere ſecundum quod videtur ei, quæ ad honorem ſunt nobilitatis tuæ. Quia verò prudentiſſimus Dux Venetiæ Petrus Polanus mediator à nobilitate tua in his cauſis aſſumptus eſt, ſicut vir bonus & fidelis ambabus partibus: & hoc nobis placere dignum viſum eſt. De cauſa Apuliæ & Longobardiæ, prudentiſſimis apocriſiariis noſtris, quæ à nobis viſa ſunt, juſſimus. Nam & ſi quidam horum ad ſuſceptionem magis nobiliſſimæ cum DEO futuræ nurus Imperij mei, miſſi ſunt, tamen etiam communiter eis notum Imperij mei velle. De cauſa quæ facta eſt in Ruſſia, ſicut Imperio meo ſcripſiſti, ſicut convenit Imperio meo facere in cauſa amici & propinqui ſui, ſic & feci. Sed de caballariis nobilitatis tuæ, quod ſcripta tua nominatim comprehendebant, & magis de eo qui defecit in viventibus ex eis, ſic fecit Imperium meum, ut ſcripſiſti. Vale nobiliſſime amice Imperij mei Rex.

Dux Venetus inter Græcos & Latinos pacis arbiter.

Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, chariſſimo fratri ſuo E. Porphyrogenito Comneno, Illuſtri & glorioſo Regi Græcorum, Salutem, & fraternam dilectionem.

Nobilitatis tuæ literas, ut à tanto, & tam charo amico noſtro Serenitati noſtræ tranſmiſſas, gratanter excepimus: & viſo earundem tenore de incolumitate & ſublimitate tua admodum gaviſi ſumus. Sed auditis à Νικηφόρῳ tuæ dilectionis prudenti apocriſiario, præter illa quę in literis continebantur, quibuſdā verbis duris, & (ut verum fateamur) ab omni retro tempore inauditis, & noſtræ majeſtatis, ultrà quàm lingua explere valeat, perturbata eſt manſuetudo, & eſt admirata univerſa Imperij noſtri latitudo. Unde vel à quo hoc tam amarum verbum proceſſerit, miramur: præſertim cum inter cætera hujus mundi Regna, Græcorum Regnum omni ſapientia & diſcretione hactenus floruit. Si enim idē nuncius tuus Νικηφόρος unicum filium noſtrū Henricū in præſentia noſtra morti dediſſet, ad majorem iram Majeſtatis noſtræ animum provocare non poterat. Cumque jam per triduum in hoc * acerbo laboraſſet, & rigorem noſtri animi nullo ingenio, nullaque ſapientia ad ſuam voluntatem inflectere potuiſſet: vix tandem quarto die aliis verbis dulcioribus excellentiam noſtram exhilaravit, noſtræque furore indignationis mitigato, nobilitatis tuæ voluntatem nobis aperuit. Et quoniam ita nunc eſt, & eſſe debet, quòd tu amicorum amiciſſime, uxorem accipies dilectiſſimam filiam noſtram, ſororem videlicet nobiliſſimæ conthoralis noſtræ, volumus ut inſit æternum fœdus perennis amicitiæ, quam videlicet amicitiam præſenti apocriſiario tuo ore & manuſcripto firmari juſſimus, ita videlicet, ut & amici amicorum tuorum, & inimici ſimus inimicorum tuorum. Proinde certa ſit prudentia tua, quod ſi tuæ Nobilitati undecunque aliqua moleſtia vel injuria fuerit illata, non hanc tibi tantùm, ſed

**for. arcendo.*

Fœdus inter Imperatores ſancitum.

sed etiam nobis factam jure dilectionis reputamus: quoniam virtutis tuæ nobilitas, & maximè generosi sanguinis, quo in pignus perpetuæ dilectionis confœderati sumus, propinquitas nos invitat, ut te tanquam filium charissimum, totius ulnis charitatis amplectamur, & cuncta quæ tibi placita sunt, libenti animo faciamus. In qua re justum arbitramur, ut eandem amicitiam nobis & Imperio nostro firmari facias, ut completis omnibus honorificè, utrique Imperio debitus honor exinde deferatur, & pax, & nomen Christi per universum mundum inde magnificetur. Porrò de quingentis militibus, quos nobilitas tua petiit, hoc tibi respondemus, quòd non solùm quingentos, sed etiam duo, vel tria millia, si necesse habueris, tibi mittemus: & quod majus est, antequam detrimentum aliquod honoris tui pati videremus, elaborata totius Imperij nostri fortitudine, in propria persona tibi, sicut præcordiali filio, & fratri charissimo, deficere & deesse non possemus. Præterea scripsit nobis tua Nobilitas, quòd magnos & charos nuncios sinceritati tuæ mitteremus: in quo voluntati tuæ acquievimus: quoniam quos chariores habuimus, Excellentiæ tuæ transmisimus: scilicet, charissimum præcordialem nostrum Embriconem, venerabilem Wirtzburgensem Episcopum, illustrem & magnum Imperii Principem, qui est cor nostrum, & anima nostra: necnon dilectissimum nostrum Robertum Illustrem & Nobilem Principem Capuanum. Misimus etiam quasi utrasque manus nostras Germanos duos fratres, scilicet fratrem Bernonem virum sapientem & religiosum, & fratrem ipsius Riwinum, qui nobis valde charus est & familiaris & nobilis: & honorandum Principem Imperij nostri Rogerium Illustrem Comitem de Adriano, cujus fidem & constantiam sæpius experti sumus: & Gualterum fidelem nostrum. Istis itaque ea quæ in literis non continentur, industriæ tuæ referenda commisimus: quorum verbis fidem adhibeas, & quæ tibi dixerint, tanquam à nobis dicta credas. De Ruthenis verò, pro quibus patri tuo divæ recordationis Joanni Imperatori, per fidelissimum Capellanum nostrum Adalbertum, & per Comitem Alexandrum de Gravina scripsimus, & de loco in quo nostris Teutonicis ad honorem DEI Ecclesiam ædificari volumus, & de nobilibus Baronibus Apuliæ, Alexandro videlicet Clarimontis, Philippi de Surre, & Henrico Comite, & Senne Pustel, ille noster præcordialis Wirtzburgensis Episcopus, & cæteri familiares nostri voluntatem nostram tibi referent, quibus tanquam nobis credas. Super his omnibus fidelem apocrisiarium tuum Nikephorum, licet in principio legationis suæ nos conturbaverit, tibi attentiùs commendamus, & quia constanter perduravit, ut eum remunere's, rogamus. Vale.

Legati imperiales ad Græcos.

CAP. XXV.

De Friderico juniore, & de his quæ gessit apud Wolfrateshusen.

CREVERAT Fridericus, Friderici strenuissimi Ducis filius, militiæque cingulum jam sumpserat, nobilis patris futurus hæres nobilior. Igitur bonæ indolis virtutem non dissimulans, educatus, ut assolet, ludis militaribus, ad seria tandem tyrocinandi accingitur negocia, adhuc patre vivente, terramque suam plenariè tenente. Nam & Comitem quendam nobilem Henricum de Wolfrateshusen hostem denuncians, Baioariam cum magna militum copia ingreditur. Norici & maximè Comites, & Nobiles, velut tyrocinium celebraturi, quod modò nundinas vocare solemus, in prædicti Comitis castro se recipiunt. Itaque strenuissimus superveniens adolescens, Noricos ante murum stantes, ipsumque armatos expectantes, non ut jocando, sed ut rem seriam agendo, viriliter aggressus est, diuque & fortiter utrisque pugnantibus, tandem ut hostes castro se reciperent, coegit. Versis in fugam Noricis, ac ex angustia portarum artati, Comes quidam Conradus de Dachowe tunc Nobilis Comes, postea Dux factus Croatiæ & Dalmatiæ, qui incautus extra remanserat, ab hostibus capitur. Sicque adolescens præfatum ducens Comitem, ad propria cum victoria revertitur. Cumque à multis sibi suaderetur, ut pecuniam magnam ab eo extorqueret, ipse ex innata sibi nobilitate, pravorum declinavit consilia. Nam sicut fortiter captum, sic eum liberaliter dimissum, ad propria redire sine pecuniæ exactione permisit.

Frid. Barbarossæ tyrocinia.

Conradus à Dachou Comes capitur.

CAP.

CAP. XXVI.

Quomodo etiam Bertolfum Ducem superavit.

Frid. Zaringium bello persequitur. Anno 1138.

POST hæc Conrado Duci, supradicti Bertolfi Ducis filio, bellum indicit: captoque suprà memorato Alemanniæ oppido Turego, præsidia ibidem posuit. Dehinc junctis sibi etiam quibusdam de Baioaria nobilibus, præfati Ducis terram cum magna manu militum introivit, atque ad ultima penè Alemanniæ procedens, ad Zaringen usque ejusdem Ducis castrum pervenit, nullo sibi obviante, vel resistere valente. Non multò post etiam arcem ipsius quandam, quæ cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis esse videtur, cepit & expugnavit: ac contra multorum opinionem, fortissimum & ditissimum Ducem tam acriter debellavit, ut ad patrem, patruumque suum supplicem eum venire, ac pacem petere cogeret. Hæc & alia tam ardua in ipsa puerili ætate gessit negotia, ut non immeritò cum multorum stupore, de ipso dici posset illud Evangelii: *Quis putas puer iste erit?*

Luc. I.

CAP. XXVII.

Quomodo instinctu Arnoldi, Romani adversus suum Pontificem concitantur, & senatoriam dignitatem instaurare moliuntur.

Arnoldus Brixianus Anno 1139.

HIS diebus Arnoldus quidam religionis habitum habens, sed eum minimè, ut ex doctrina ejus patuit, servans, ex Ecclesiastici honoris invidia urbem Romam ingreditur: ac senatoriam dignitatem, equestremque ordinem renovare ad instar antiquorum volens, totam penè urbem, ac præcipuè populum, adversus Pontificem suum concitavit. Unde & ad eorundem temeritatis, vel potius fatuitatis corroborationem, ab eis ad Principem destinatum, tale scriptum invenitur.

CAPUT XXVIII.

Epistola Romanorum ad Regem.

Excellentissimo atque præclaro Urbis & Orbis totius Domino, Conrado Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto, Senatus populusq; Romanus, Salutem, & Romani Imperii felicem & inclytam gubernationem.

REGALI excellentiæ per plurima jam scripta nostra facta & negocia diligenter exposuimus: quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra imperiali Corona exaltanda, & omni modo augenda, quotidie decertamus. Ad quæ quia regalis industria, ut postulavimus, rescribere dignata non fuit, plane tanquam filii & fideles de Domino & Patre satis miramur. Nos enim quicquid agimus, pro vestra fidelitate & honore facimus. Et quidem Regnum & Imperium Romanorum, vestro à DEO regimini concessum, exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini & Justiniani, qui totum orbem vigore senatus, & populi Romani suis tenuêre manibus, reducere, senatu pro his omnibus DEI gratia restituto, & eis qui vestro Imperio semper rebelles erant, quique tantum honorem Rom. Imperio subripuerant, magna ex parte conculcatis, quatenus ea quæ Cæsari & Imperio deberentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus, atque studemus. Et ob hujus rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & justitiam omnibus eam volentibus observamus, fortitudines, id est, turres & domos potentum urbis, qui vestro Imperio unà cum Siculo & Papa resistere parabant, cepimus, & quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam verò subvertentes solo coæquavimus. Sed pro his omnibus quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus, Papa Franjipanes, & filii Petri Leonis, homines & amici Siculi, excepto Jordano nostro, fidelitate in vestra vexillifero & adjutore, Tolomeus quoque, & alii plures undique nos impugnant, ne liberè ut decet, imperialem regio capiti valeamus imponere Coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima

damna

damna sustineamus, pro vestro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque nos à vobis proinde præmium, sicut à patre, accepturos, vosque in eos sicut in Imperij hostes vindictam daturos. Cùm tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur ne spes ista nobis deficiat, nec Regia dignitas nos vestros fideles & filios despiciat. Neque si in regalibus auribus aura sinistra de senatu & nobis flaverit, in eam intendat, aut respiciat: quia qui de nobis vestræ altitudini mala suggerunt, de vestra & nostra, quod absit, dissensione lætari volunt, & utrosque, ut soliti sunt, callidè opprimere moliuntur. Sed circa hæc ne fiat, regalis prudentia, ut decet, solicita sit & provida: reminiscaturque vestra solertia, quot & quanta mala papalis curia, & dicti quondam cives nostri Imperatoris, qui fuerunt ante vos, fecerint: & nunc deteriora vobis cũ Siculo facere tentaverunt: sed nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis ab urbe, sicut pessimos hostes Imperij, ut sunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis celeriter vigor: quoniam quicquid vultis in urbe obtinere, poteritis: & urbe breviter ac succinctè loquamur, potenter in urbe, quæ caput mundi est, ut optamus, habitare, toti Italiæ ac Regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius & meliùs quàm omnes ferè antecessores vestri, dominari valebitis. Sine mora ergo precamur, ut veniatis, & interim de statu vestro, quem semper desideramus salubrem & prosperum, de his regalibus literis ac nunciis nos lætificare dignemini sumus enim per omnia vestræ voluntati semper obtemperare parati. Sciatis præterea, quia pontem Milvium extra Urbem parum longè per tempora multa pro Imperatorum contrario destructum: nos, ut exercitus vester per eum transire queat, ne Petrileones per castellum sancti Angeli vobis nocere possint, ut statuerant cum Papa & Siculo, magno conamine restauramus, & in parvi temporis spacio muro fortissimo, & silicibus, juvante Deo, complebitur. Concordiam autem inter Siculum & Papam huiusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam & annulum, Dalmaticam & mitram, atque sandalia, & ne ullum mittat in terram suam legatum, nisi quem Siculus petierit: & Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento vestro & Romani Imperii, quod Dei gratia vestrum existit. Hæc omnia solicitè vestra animadvertat, optime Rex, prudentia.

Papalis curia Imperatoribus infesta.

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, super hostes
Imperium teneat, Romæ sedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Iustinianus,
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul,
Ut Christus jussit Petro solvente tributum.

Nos de cætero Legatos nostos, precamur, ut benignè recipiatis, & quod vobis dixerint credatis: quia scribere cuncta nequivimus: sunt enim nobiles viri, Guido senator, Jacobus filius Sixti procuratoris, & Nicolaus eorum socius.

At Christianissimus Princeps huiusmodi verbis sive næniis præbere aures abnuit: quinimò venientes ad se ex parte Rom. Ecclesiæ viros magnos & claros, quorum unus Guido Pisanus, ejusdem Curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum suorum postulantes honorificè suscepit, & honestè dimisit.

CAP. XXIX.

De diversis præliis per expeditionem Hierosolymitanam sopitis.

EA tempestate, ubique terrarum bellorum turbine orbem replente, fermeque totum Imperium seditionum motibus involvente (nam & in Alemannia inter prædictum adolescentem Fridericum, & prænominatum Ducem Conradum, hoc dissensionis malum agitabatur: in Bajoaria inter Henricum, Leopaldi Marchionis filium, ejusdem terræ Ducem, & item Henricum Ratisponensem Episcopum, gravissimum bellum excitatum indies augmentabatur: in Belgica Gallia viris magnis & egregiis Alberone Treverorum Archiepiscopo, & Henrico Namurcense Comite debellantibus, omniaque præda & incendio commiscentibus, maximum Reip. dispendium expectabatur: Polonia quatuor fratribus, tribus cum quarto pro Ducatu contendentibus, maximam effusionem sanguinis minabatur) cæteris quoque Imperii Provinciis hujus

mali non extorribus, repentè per dexteram excelſi, tanta facta eſt mutatio, ut ſopitis omnibus his bellorum tempeſtatibus, in brevi totam terram quieſcere, & innumerabiles ex Gallia & Germania contra inimicos crucis, crucibus acceptis, militiam profiteri cerneres. Sed antequam hujus tam inauditæ mutationis hiſtoriam attingamus, pauca de priori turbulentia præmittenda ſunt.

CAP. XXX.

Qualiter caſtrum Regis Vngariæ Boſan, quod & Bresburg, captum & requiſitum ſit, & de Boritio.

Poſonium Vngariæ.

IGITUR eo tempore quo prædictus Henricus Noricorum Dux cum prænominato Henrico Ratiſponenſium Epiſcopo, civibusque ſuis, ac Styrenſi Marchione Odoacro graviſſimam guerram agitabat. Quidam milites de Orientali marchia egreſſi, Pannoniam latenter ingrediuntur, ac noctu caſtrum Boſan, quod & Bresburg, quod olim Imperator Henricus obſidione cinxerat, ex improviſo aggreſſi, capiunt: quibuſdam comprehenſis, nonnullis occiſis, aliis per fugam elapſis. Quod audiens Rex Ungariæ Gerza, Beli Regis Filius, præmiſſis quibuſdam Comitibus ſuis, qui quare, vel qualiter hoc factum fuerat, inquirerent: ipſe eoſdem ſubſecutus, ad liberationem caſtri cum magna Ungarorum properat multitudine. Comites qui præceſſerant, ab oppidanis, cujus rei cauſa tam gravem Regi intulerint injuriam, ſolerter percunctantur. Qui reſponderunt: Se nec pro Romanorum Principe, nec pro Duce ſuo hoc feciſſe, ſed pro Domino ſuo Boritio. Erat autem Boritius Colomanni quondam Regis Ungariæ filius, prædictum Regnum Ungariæ (ut in prioribus Chronicis dictum eſt) jure hæreditario repetens, ac ob hoc adipiſcendum, utroſque Principes, Romanorum ſcilicet ac Græcorum, frequenter ſollicitans, multosque ex militibus noſtris ad favorem ſuum pecunia inducens. Igitur Rex Ungariæ ſuperveniens, caſtraque ponens, oppidum cinxit, diverſis inſtrumentis, tormentorumque generibus adhibitis, ac ſagitariis oppido circumfuſis. Teutonici, eò quòd Dux in ſuperioribus Bajoariæ partibus moraretur, Princeps verò in remotis Regni maneret locis, cum nullum liberationis ſuæ ſolatium haberent, de facienda cum Ungaris pace pertractare incipiunt. Ita ne multis morer, mutuò colloquentes, accepto à Rege ſub jurejurando promiſſo trium millium librarum in pondere, caſtrum ſibi reddunt, ipſique ad propria redeunt. Rex autem Ungarorum damnum ſibi à Teutonicis illatum graviter ferens, Ducem Noricum habens ſuſpectum, hoſtem denunciat, exercitumque maximum per totam Regni ſui latitudinem colligit. Sed antequam de egreſſione hujus gentis dicamus, breviter quædam de ipſius terræ ſitu, nationisque ritu prælibanda videntur.

CAP. XXXI.

De ſitu Vngariæ, & more gentis.

HÆC enim Provincia, eò quòd circumquaque ſylvis & montibus, & præcipuè Apennino clauditur, ex antiquo Pannonia dicta, intus planicie campi latiſſima, de curſu fluminum & amnium conſpicua, nemoribus diverſarum ferarum generibus plenis conferta, tam innata amœnitate faciei læta, quàm agrorum fertilitate locuples eſſe cognoſcitur, ut tanquam paradiſus Dei, vel Ægyptus ſpectabilis eſſe videatur. Habet enim pulcherrimum, ut dixi, naturaliter ſpectaculum, ſed ex barbarie gentis mœnium vel ædium rarum ornatum, terminosque non tam montium vel ſylvarum, quàm curſu maximorum fluminum ſeptos. Attingitur ab Oriente ubi Sowa famoſus fluvius Danubio recipitur, Bulgaria: ab Occidente, Moravia & Orientali Teutonicorum Marchia: ad Auſtrum, Croatia, Dalmatia, Hiſtria, vel Carinthia: ad Septentrionem, Boemia, Polonia, Rutenia. Inter Auſtrum & Orientem Roma: inter Aquilonem, & item Orientem, Pecenarorum & Falonum, maximam venationum copiam habente, ſed vomere ac raſtro penè experte Campania. Crebras verò Barbarorum irruptiones paſſa, haud mirum, ſi moribus, aut lingua agreſtis manet & inſulſa. Nam primo (quod alibi latius à nobis dictum eſt) Hunnorum, qui juxta Iordanum ex incubiis & meretri-

Vngariæ limites.

Vngari Barbari.

meretricibus orti fuerant, direptioni patuit: postmodum Avarorum crudis & immundis carnibus vescentium conculcationi: ad ultimum Ungarorum, à Scythia egressorum, qui & adhuc eam incolunt, relicta est possessioni. Sunt autem prædicti Ungari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus & lingua Barbari & feroces, ut jure fortuna culpanda, vel potius divina patientia sit admiranda, quæ, ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris tàm delectabilem exposuit terram. In hoc tamem Græcorum imitantur solertiam, quod nullam rem magnam sine crebra & longa consultatione aggrediuntur. Denique cum vilissima in vicis, vel oppidis ibi, i.ex cannis tantùm, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æstatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam Regis sui singulis ex primoribus sellam secum portantibus conveniunt, ac de suæ Reip. statu pertractare & discutere non negligunt: hyemis algore in domiciliis, qui habent, id ipsum facientes. At omnes sic Principi suo obsequuntur, ut unusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed & occultis susurris lacerare nefas arbitretur. Hinc est, ut cum prædictum Regnum per LXX. vel amplius divisum sit Comitatus, de omni justicia ad fiscum Regium duæ lucri partes cedant, tertia tantum Comiti remaneat, nullusque in tam spacioso ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habere audeat. Quòd si aliquis ex Comitum ordine Regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoque non justè infamatus fuerit: quilibet infimæ conditionis lixa, à curia missus, eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diversa tormentorum genera trahit. Nulla sententia à Principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur: nulla accusato excusandi licentia datur: sed sola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando verò exercitum Rex ducere voluerit, cuncti sine contradictione quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, novem decimum, vel etiam septem octavum, vel infrà, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, cœteris pro cultura terræ domi relictis. Qui verò de militum ordine sunt, nulla occasione nisi gravissima, domi remanere audebunt. At in ipsa Regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud eos Principes dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes penè tetri, tetris in armis procedunt: nisi quod jam ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, vel ab eisdem etiam geniti, quandam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes, Principes tantùm & hospites nostros in pugnandi peritia, armorumque splendore imitantur. Sed de prædictæ gentis ritu hæc dicta sufficiant.

Vngarorum corporis habitus.

Terræ cultus.

Politia.

Militandi mos.

CAP. XXXII.

De pugna habita inter Regem Vngariæ, & Ducem Henricum.

IGITUR Rex ad portam Mesiam, LXX. pugnatorum millia, vel amplius habens, erupit: in campoque inter portam præfatam, & fluvium Litahe, qui Teutonica lingua Virvelt & Lervelt, quod nos *vacantem campum* dicere possumus, castra posuit. Dux etiam cum suis non longè ex altera parte ejusdem fluvij, qui Imperij Romani, & Regni illius ex uno Danubij latere (nam ex altero Maraha fluvius) limes est, suos convocans, itidem castrametatur, missis exploratoribus, qui statum hostium diligenter inquirendo edi scerent. Altera die Rex in prædicto campo ad quandam ligneam Ecclesiam accidit, ibique ab Episcopis (nam eousque in puerilibus annis positus, nondum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta, armis accingitur. Post hæc acies ordinat, milite instaurat, positis in capite duabus alis, in quibus sagittarij, quatenus vim hostium eminus repellerent, erant, & è regione una magna acie, cui avunculus suus Bela Dux præerat, in propria legione (ut ajunt) plus quàm XII. millia equitum retinens. Dehinc fluvium Litahe ex improviso exploratoribus Ducis non bene, propter quod missi erant, observantibus, transvadando permeat, apposito mox in vicinis igne: Dux itidem acies instituerat, & jam quid facto opus esset consultabat, frustra exploratores, qui aut dolo, aut pigritia tardabant, expectans. Cumque alij pugnandum, nonnulli ex alio latere amnis Viscahe, super quem residebat, à termino ad duo tantum Teutonica milliaria distantem, expectandum, atque robur hostium melius explorandum consuluere: subitò fumus apparens,

Leita & Marca fl.

Vngariæ & Austriæ limitanei.

Vischa fl.

parens, ignis & hostium certum signum dedit: quibusdam ex nostris putantibus ac dicentibus, ab hostibus in fugam versis propria castra ignibus data esse. Itaque Dux (est enim manu fortis, mente audax, sed moræ impatiens) subitò arma corripit, & secus quàm disciplina militaris & ordo exposcit, nō pedetentim incedens, sed præcipitanter advolans, in hostem ruit, suis gregatim adventantibus, & dirupto legionum ordine confusè venientibus. Denique ex præpetis cursus nimia velocitate, sagittariorum impetum, qui in duabus præcedentibus alis positi erant, prævenit: ac illas cum duobus Comitibus, qui eisdem præerant, fermè funditus delevit. Post hæc illas duas magnas acies, Regis scilicet & avunculi sui Ducis impegit: ex Regis legione nullo egrediente, sed tanquam in modum sylvæ fixa immobiliter manente. Jamiam Ungari de fuga cogitabant, dorsaque vertere volebant: & ecce Teutonici, qui in posterioribus alis Ducem suum sequebantur, fugam ineunt, Duce ignorante, vel ea quæ fiebant, ex pulveris multitudine, qui illis in partibus siccitatis tempore maximus esse solet, conspicere non valente. Barbari tunc primò vires sumunt, Ducique tanquam à suis destituto circumfunduntur. Dux tunc demum terga hosti dare compellitur, ac tam pugnacis dextræ, quam pulveris aerem obducentis beneficio belli periculis exemptus, in vicinum oppidum Viennis, quod olim à Romanis inhabitatum Favianis dicebatur, declinavit. Ungari usque ad prædictum fluvium tantùm Viscahe hostes persequentes, ad propria redeunt. Cecidit in hoc prælio virorum nobilium & illustrium pars magna, vulgi verò multitudo innumerabilis, major tamen, ut dicitur, ex Ungaris. Cujus rei, & tam dedecoris facinoris ultio nondum facta, Deo opitulante, à victrice præsentis Imperatoris dextra futura expectatur.

Bavari & Austrij prope Posoniū fusi.

Vienna Austria.

CAP. XXXIII.

Quomodo Rogerius triremes in Græciam destinat, captis atque expugnatis quibusdam civitatibus ac arcibus, captivos abducens.

CIRCA idem tempus Rogerius Siculus, aptatis in Apulia, Calabria, Sicilia, triremibus & biremibus, quas modò galeas seu sagittas vulgò dicere solent, aliisque navibus bellicis onerariis, classem in Græciam destinat, præfectis eis Ducibus strenuis, & in navali prælio gnaris. Armatis itaque navibus Græciæ fines ingrediuntur, ac Mutino sine impedimento, gravique negocio capto, ad Gurfol usque fortissimum Græciæ castrum procedunt. Quod dum nulla capere vi prævalerent, ad dolos & ingenia se vertunt. Igitur præmissis quibusdam, ut dicitur, qui se quempiam mortuum humandi gratia deferre simularent (est enim in prædicta arce castri, sicut Græcis mos est, congregatio clericorum seu monachorum,) idem castrum irruunt, arcem occupant, Græcis ejectis, præsidiisque suis ibidem locatis. Inde ad interiora Græciæ progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant: ac maxima ibidem præda direpta, opifices etiam qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris illius, suique Principis gloriam, captivos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliæ metropoli collocans, artem illam texendi suos edocere præcepit: & exhinc prædicta ars illa prius à Græcis tantùm inter Christianos habita, Romanis patere cœpit ingeniis. Sed ut ad id, unde paulisper digressi fuimus, stylus redeat, de pacis serenitate, quæ post hanc orbis conflictationem, contra multorum opinionem subitò reluxit, breviter aliqua dicenda essent.

Apuli apud Græcos arma circumferunt.

Ars sericaria in Italiam.

CAP. XXXIV.

Quomodo auctoritate sedis Apostolicæ transmarina expeditio persuasa est.

EUGENIO in Urbe Roma sedente, Conrado in eadem, Ludovico in Occidentali Francia regnantibus, imperante in urbe Regia Manuel, Hierosolymis Falcone, Ludovicus dum occultè Hierusalem eundi desiderium haberet, eò quòd frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præventus fuerat, diutius protelare nolens propositum, quibusdam ex Principibus suis vocatis, quid in mente volveret, aperuit. Erat illo in tempore in Gallia cœnobij Claravallensis Abbas quidam, Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia, literarumque scientia præditus,

D. Bernardus Abbas Claravallis.

prædictus, signis & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eoque, quid de hac re fieri oporteret, tanquam à divino oraculo consulendum decernunt. Vocatur præfatus Abbas, consiliumque ipsius super prædicti exposcitur Principis voluntate. Ille de tam grandi negocio, ex propriæ auctoritatis arbitrio responsum dare frivolum judicans, ut ad Romani Pontificis audientiam & examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negocium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla revolvens, quod videlicet Urbanus hujusmodi occasione transmarinam Ecclesiam, duasque Patriarchales sedes, id est Antiochiam, & Hierosolymam, ab obedientia Romanæ sedis scissas, in pacis nnitatem receperit, votis prædicti Regis pro dilatando Christianæ religionis ritu annuit: auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos, ut Propheta, vel Apostolus habebatur, concessa. Unde ejus scriptum tale ad Regem, Principesque suos, directum invenitur.

Consulitur Pontifex de sacra expeditione.

CAP. XXXV.

Epistola Eugenij Papæ super prædicta re.

Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, charissimo filio Ludovico Illustri & glorioso Francorum Regi, & dilectis filiis Principibus, & universis Dei fidelibus per Galliam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUANTUM prædecessores nostri Romani Pontifices pro liberatione Orientalis Ecclesiæ laboraverunt, antiquorum relatione didicimus, & in gestis eorum scriptum reperimus. Prædecessor etenim noster felicis memoriæ Papa Urbanus, tanquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios, de diversis mundi partibus solicitare curavit. At ipsius siquidem vocem ultramontani, & præcipuè Francorum Regni fortissimi & strenui bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore succensi convenerunt: & maximo congregato exercitu, non sine magna proprij sanguinis effusione, divino eos auxilio comitante, civitatem illam, in qua Salvator noster pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius sepulchrum, passionis suæ nobis memoriale dimisit, & quamplures alias, quas prolixitaem vitantes memorare supersedimus, à paganorum spurcitia liberarent. Quæ per gratiam Dei, & patrum vestrorum studium, qui per intervalla temporum eas defendere, & Christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, usque ad nostra tempora à Christianis detentæ sunt, & aliæ urbes infidelium ab ipsis viriliter expugnatæ. Nunc autem nostris, & ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno dolore & gemitu proferre non possumus, Edissa civitas, quæ nostra lingua Rohais dicitur, quæ etiam ut fertur, cum quondam in Oriente tota terra à paganis detineretur, ipsa sola sub Christianorum potestate Domino serviebat, ab inimicis crucis Christi capta est, & multa Christianorum castella ab ipsis occupata, ipsius quoque civitatis Archiepiscopus cum clericis suis, & multi alij Christiani ibidem interfecti sunt, & sanctorum reliquiæ in infidelium conculcationem datæ sunt, & dispersæ. In quo quantum Ecclesiæ Dei, & toti Christianitati periculum immineat, & nos cognoscimus, & prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namque Nobilitatis & probitatis indicium fore cognoscitur, si ea quæ patrum strenuitas acquisivit, à vobis filij strenuè defendantur. Veruntamen si (quod absit) secus contigerit, patrum fortitudo in filiis imminuta probatur. Universitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus atque præcipimus, & in peccatorum remissionem injungimus, ut qui Dei sunt, & maximè potentiores & Nobiles, viriliter accingantur: & infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptum lætatur, sic occurrere, & Ecclesiam Orientalem tanta patrum vestrorum, ut prædiximus, sanguinis effusione, ab eorum Tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captivorum millia con fratrum nostrorum, de ipsorum manibus eripere studeatis, ut Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per universum mundum laudatur, integra & illibata servetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Matathias, qui pro paternis legibus conservandis, seipsum cum Fliis & Parentibus suis morti

Successus belli sacri sub Vrbano Papa.

Edessa Syria.

expo-

exponere, & quicquid in mundo possidebat, relinquere nullatenus dubitavit: atque tandem divino cooperante auxilio, per multos tamen labores tam ipse, quàm sua progenies de inimicis viriliter triumphavit. Nos autem vestrorum quieti, & ejusdem Ecclesiæ destitutioni paterna sollicitudine providentes, illis, qui tam sanctum, tamq; pernecessarium opus & laborem, devotionis intuitu, suscipere & perficere decreverint, illam peccatorum remissionem, quàm præfatus prædecessor noster Papa Urbanus instituit, auctoritate nobis à Deo concessa, concedimus & confirmamus: atque uxores & filios eorum, bona quoque & possessiones sub sanctæ Ecclesiæ, nostra etiam & Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam Apostolica prohibemus, ut de omnibus, quæ cum crucem acceperint, quietè possederint, nulla deinceps quæstio moveatur, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur. Præterea, quoniam illi qui Domino militant, nequaquam in vestibus preciosis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, vel aliis quæ portendant lasciviam debent intendere: Prudentiam vestram in Domino commonemus, ut qui tam sanctum opus incipere decreverint, ad hæc non intendant: sed in armis, equis, & cæteris, quibus infideles expugnent, totis viribus studium & diligentiam adhibeant. Quicunque verò ære premuntur alieno, & tam sanctum iter puro corde inceperint, de præterito usuras non solvant: & si ipsi, vel alii pro eis occasione usurarum astricti sunt sacramento vel fide, Apostolica eos auctoritate absolvimus. Liceat eis etiam terras sive cæteras possessiones suas (postquam commoniti propinqui, sive Domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint) Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, vel aliis quoque fidelibus, liberè, sine ulla reclamatione, impignorare. Peccatorum remissionem & absolutionem juxta præfati prædecessoris nostri institutionem, omnipotentis Dei, & beati Petri Apostolorum Principis auctoritate, nobis à Deo concessa, talem concedimus, ut qui tam sanctum iter devotè inceperit & perfecerit, sive ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito & humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium remuneratione percipiat. Datum Vetrallæ, Kalend. Decembris.

Indulgentia & immunitates militũ belli sacri.

CAPUT XXXVI.

Quomodo prædicatione Bernardi Claravallensis Abbatis, Rex Franciæ cum suis principibus cruces acceperunt.

IGITUR ut ad narrationis seriem redeamus, Bernardus Abbas venerabilis, concessa sibi Apostol. sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, ac excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis: tandem curia generalis apud Verzelacum Galliæ oppidum, ubi B. Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt, indicitur: convocatis ex diversis Galliæ Provinciis Optimatibus, virisque illustribus. Ibi Ludovicus Francorum Rex, crucem, à prætaxato Abbate, cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est, cum Theodorico Flandrensi, & Henrico Theobaldi Blesensis filio, Comitibus, aliis de Regno suo Baronibus, virisq; Nobilibus.

Anno 1146.

CAP. XXXVII.

Quomodo ad prædicationem cujusdam Rudolphi, Orientalis Franciæ ex magna parte eandem militiam professa est, & de persecutionem contra Judæos.

INTER hæc * Rudolphus Monachus, vir quidem religionis habitum habens, religionisque severitatem solerter imitans, sed literarum notitia sobriè imbutus, eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur: multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Wormacia, Spira, Argentina, aliisque vicinis civitatibus, oppidis seu vicis, ad accipiendam crucem accendit. Hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quod Judæi in civitatibus oppidisque passim manentes, tanquam Christianæ religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ, Germaniæque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Judæis hac

**Radulphus.*

hac tumultuosa seditione necatis, multi sub Principis Romanorum alas tuitionis causa confugerent. Unde factum est, ut non pauci ex ipsis hujusmodi immanitatem fugientes, in oppido Principis, quod Noricum, seu Norenberg appellatur, aliisque municipiis ejus ad conservandam vitam se reciperent.

Iudæi injustè zelo necati. 1146.

CAP. XXXVIII.

Dehortatio Claravallensis Abbatis ab hac re.

AT præfatus Claravallensis Abbas hujusmodi doctrinam præcavendam docens, ad Galliæ, Germaniæque populos nuncios, seu literas destinavit: in quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit, Judæos ob scelerum suorum excessus, non occidendos, sed dispergendos fore. Unde & Psalmographi testimonium induxit, in 57. Psalmo dicentis: ***Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos.*** Et item: ***Disperge illos in virtute tua.***

CAP. XXXIX.

Quomodo idem Abbas Regi Conrodo, & multis Principibus crucem accipere persuasit, & de obitu senioris Friderici Ducis.

IGITUR innumerabilibus in Occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum Orientale Francorum Regnum aggredi disponit: tam ob hoc, ut animum Principis Romanorum, sacræ exhortationis verbo, ad accipiendam crucem emolliret: quàm ut Rudolfo, occasione Judæorum crebras in civitatibus seditiones populo contra Dominos suos moventi, silentium imponeret. Audiens hoc Princeps, generalem curiam in Nativitate Domini apud Spiram civitatem celebrandam indixit. Quò veniens prædictus Abbas, Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque Principibus, & viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in publico, vel occulto faciendo miracula. Moguntiam quoque veniens, Rudolfum in maximo favore populi morantem, invenit. Quo accersito, præmonitoque, ne contra monachorum regulam, per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem ad hoc eum, ut sibi promissa obedientia, in cœnobium suum transiret, induxit: populo graviter indignante, & nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente.

Conradus belli sacri tesseram accipit.

Inter hæc Fridericus Dux nobilissimus, in Gallia manens, gravi infirmitate detinebatur, acrem in mente contra Dominum, & fratrem suum Conradum regem, indignationem gerens, quòd filium suum Fridericum, quem ipse tanquam primogenitum, ac nobilissimæ prioris comparis suæ filium unicum committendo ipsius gratiæ, cum filio suo parvulo * ex secunda uxore, totius terræ suæ hæredem fecerat, crucem permiserat accipere. Quem prædictus Abbas visitandi gratia adijt, & benedicens ei, in orationes recepit. Ipse tamen vim doloris non sustinens, non multis pòst diebus vivendi finem fecit, ac in monasterio quod sanctæ Walpurgis vocatur, in terminis Alsatiæ sito, humatus est: successitque ei in Ducatu filius suus Fridericus.

Friderici 3. Sueviæ Ducis obitus.

** fortè secundum uxorem*

CAP. XL.

Quòd multi de Principibus, & innumerabilis multitudo apud Ratisbonam cruces acceperunt, & quòd Saxones contra alios paganos expeditionem professi sunt.

POST hæc Princeps Bajoariam ingreditur, ibique mense Februario generalem curiam celebravit, ducens secum vice Claravallensis Abbatis, Eberacensem Abbatem Adam, virum religiosum, & honestè eruditum. Qui Missarum solennia ex more celebrans, invocataque Sancti Spiritus gratia, ambonem ascendit: ac lectis Apostolicæ sedis & Claravallensis Abbatis literis, brevi exhortatione facta, penè omnibus qui aderant, præfatam militiam profiteri persuasit. Neque enim persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, vel artificiosæ juxta præcepta Rhetorum orationis circuitus insinuatione egebat: cunctis qui aderant, ex priori rumore excitatis, ad accipiendam crucem ultrò accurren-

currentibus. Accepere eadem hora crucem tres Episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Pataviensis, & Dux Noricorum Henricus, frater Regis, de ordineque Comitum, Nobilium, Virorum Illustrium innumerabiles. Tanta etiam (mirum dictu) prædonum & latronum advolabat multitudo, ut nullus sani capitis hanc tam subitam, quàm insolitam mutationem, ex dextra excelsi provenire non cognosceret, cognoscendo, attonita mente non obstupesceret. Guelfo quoque, Henrici prioris Ducis frater, de nobilissimis Regni Optimatibus, in ipsa nativitatis Dominicæ nocte, in propria villa Bitengou, eandem militiam cum multis professus fuerat. Sed & Dux Boemorum Labeslaus, & Styrensis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illustris Comes Bernardus, non multò pòst, cum magno suorum Comitatu, cruces accepere. Saxones verò, quia quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent, ad Orientē proficisci abnuentes, cruces itidem easdem gentes bello attentaturi assumpserunt: à nostris in hoc distantes, quòd non simpliciter vestibus assutæ, sed à rota subterposita, in altum protendebantur.

1146.

CAP. XLI.

Epistola Claravallensis Abbatis, super hac re.

Exhortatio ad capessendam militiam sacram.

EXEMPLAR autem Epistolæ Claravallensis Abbatis, in Orientale Francorum Regnum destinatæ, tale est:

Dominus & Patribus charissimis, Archiepiscopis, Episcopis, & universo clero, & populo Orientalis Franciæ & Bajoariæ, Bernardus Claravallensis vocatus Abbas, spiritu fortitudinis abundare.

Sermo mihi ad vos de negocio Christi, in quo est utique salus vestra: nec dico ut excuset indignitatem personæ loquentis auctoritas Domini, excuset & consideratio propriæ utilitatis. Modicus quidem sum, sed non modicè cupio vos in visceribus Christi Jesu. Ea mihi nunc ratio scribendi ad vos, ea causa, ut universitatem vestram literis audeam convenire. Agerem id libentiùs viva voce, si ut voluntas non deest, suppeteret & facultas. Ecce nunc fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, copiosæ salutis. Commota est siquidem & contremuit terra, quia cœpit Deus cœli perdere terram suam. Suam, in qua visus est, & annis plus quàm triginta homo cum hominibus conversatus est. Suam utique quam illustravit miraculis, quam dedicavit sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt. Et nunc peccatis nostris exigentibus, crucis adversarij caput extulere sacrilegium, depopulantes in ore gladij terram benedictam, terram promissionis. Propè est, si non fuerit qui resistat, ut in ipsam Dei viventis irruant civitatem, ut officinas nostræ redemptionis evertant, ut polluant loca sancta agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum (proh dolor) religionis Christianæ sacrarium inhiant ore sacrilego, lectumque ipsum invadere & conculcare conantur, in quo propter nos vita nostra obdormivit in morte. Quid facitis viri fortes? quid facitis servi crucis? Itane dabitis sanctum canibus, & margaritas porcis? Quam multi illic peccatores, confitentes peccata cum lachrymis, veniam obtinuere, postquam patrum gladijs eliminata est spurcitia paganorum? Videt hoc malignus, & invidet: dentibus frendet, & tabescit. Excitat vasa iniquitatis suæ, ne ulla quidem jam pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando fortè (quod Deus avertat) obtinere valuerit. Veurm id quidem omnibus seculis deinceps inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum: specialiter autem generationi huic pessimæ infinita confusio, & opprobrium sempiternum. Quid tamen arbitramur fratres? Nunquid abbreviata est manus Domini, aut impotens facta est ad salvandum, quòd ad tuendam & restituendam sibi hæreditatem suam exiguos vermiculos vocat? Nunquid non potest mittere angelorum plus quàm XII. legiones, aut certè tantùm dicere verbo, & liberabitur terra? Omnino subest ei cum voluerit, posse. Sed dico vobis, tentat vos Dominus Deus vester. Respicit super filios hominum, ut si forte sit qui intelligat, & requirat, & doleat vicem ejus. Miseratur enim populum suum Deus, & lapsis graviter providet remedium salutis. Considerate quanto ad solvendos vos artificio utitur, & obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, & confidite peccatores. Non vult mortem vestram, sed ut convertamini, & viva-

& vivatis: quia sic quærit occasionem non adversum vos, sed pro vobis, &c. In quibus & circa eandem, oratorum more vel ordine, versatur materiam. Et quòd Judæi non sint occidendi, ratione probat & auctoritate. Unde est illud: Beatam dixerim generationem, quam apprehendet tam uberis indulgentiæ tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino, & verè Jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in universum mundum, & ad signum vitæ convolant universi. Quia ergo fœcunda est terra vestra virorum fortium, & robusta noscitur juventute referta: sicut laus est vestra in universo mundo, & virtutis vestræ fama replevit orbem, accingimini & vos viriliter, & felicia arma corripite. Et de Judæis sic: *Deus,* inquit Ecclesia, *ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*: vivi quidam apices nobis sunt, repræsentantes jugiter Dominicam passionem: & plura alia in hunc modum.

1147.

CAP. XLII.

Quòd hujus rei occasione, subitò pax incredibilis facta est.

IGITUR non solùm ex Romano Imperio, sed etiam ex vicinis Regnis, id est, Occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus, hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repentè sic totus penè Occidens siluit, ut non solùm bella movere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.

CAP. XLIII.

Quomodo Conradus Rex filium suum Henricum socium Regni legit, & coronari fecit, & de filio Ducis Henrici.

AT Conradus Romanorum Rex Principes convocans, in oppido Orientalis Franciæ Franconefurt (quod Latinè vadum Francorum dici potest, eò quòd Carolus ad debellandos Saxones, cum Francis proficiscens, vadum illò Mogi fluminis, qui Moguntiæ Rheno illabitur, invenisse dicitur) generalem curiam celebrat: ibique filio suo Henrico adhuc puero, per electionem Principum Rege constituto, in palatio Aquis cum Dominica medianæ Quadragesimæ, Regem inungi ac coronari jubens, Regni participem legit. Ad prædictam curiam Henricus, Henrici (de quo suprà dictum est) Noricorum Ducis Filius, qui jam adoleverat, venit, Ducatum Noricum, quem patri suo non justè abjudicatum asserebat, jure hæreditario reposcens. Quem Princeps multa prudentia & ingenio inductum, usque ad reditum suum suspendens, quietè expectare persuasit.

Francofurtum.

Henricus Conradi F. Rex Romanorum creatus Anno 1147.

CAP. XLIV.

Quòd Rex Conradus in transmarinam expeditionem procinctum movit, subsequente eum Rege Francorum cum suis.

ITAQUE hyemalis algoris austeritate detersa, cum Veris benigna humiditate ex telluris partu flores & herbæ procrearentur, camporumque viriditas lætam terræ faciem monstrans, orbi arrideret: Conradus Rex à Norico castro cum suis procinctum movens, per Danubium iturus, Ratisponæ naves ingreditur, ac in Ascensione Domini, in Orientali Marchia, juxta Burgum, qui Ardacher vocatur, castra ponens, suos qui jam adventabant, duobus seu tribus diebus expectavit. Inde usque ad terminos fermè Regni sui procedens, non longè à fluvio Viscahe mansionem locavit: celebrataque ibi sancta Pentecoste, cum universis penè copiis suis Litahe transiens, in Pannonia tentoria fixit, aliis per Danubium navigantibus, aliis per terram euntibus. Tantam autem post se multitudinem traxit, ut & flumina ad navigandum, camporumque latitudo ad ambulandum vix sufficere videretur: quem Francorum Rex Ludovicus, non multò post cum suis subsecutus est, ducens secum ex nostris Lotharingos, quorum Principes seu Primores erant, Stephanus Metensis, Henr. Tullensis Episcopi, Reginaldus Munzunensis, Hugo Waidemontensis Comes, & de Italia Amedeum Taurinensem, fratremque ejus Guilhelmum Marchionem de Monte-Ferrato avunculos suos, & alios quamplures.

Christianorum in Syriam expeditio.

Verùm quia peccatis nostris exigentibus, quem finem prædicta expeditio sortita fuerit, omnibus notum est: nos qui non hac vice tragœdiam, sed jucundam scribere proposuimus historiam, aliis, vel aliàs hoc dicendum relinquimus. Qualiter etiam Saxones, vicinas, ut dixi, gentes aggressi, Principibus inter se discordantibus, ad propria remeaverint, à memoria eorum qui adhuc supersunt, nondum excidit. Attamen ne Friderici Principis, qui in præsentiarum est, fortuna, quæ ei ab adolescentia etiam in periculis gravibus, usque ad præsentem diem nunquam ad plenum nubilosum vultum ostendit, silentio tegatur, unum de omnibus & pro omnibus, quæ nobis in eadem via acciderunt, casum
1147. ponere volui.

CAP. XLV.

Brevis narratio de eventu hujus expeditionis.

PERMEATA magno labore, viarumque difficultatis dispendio, post Pannoniam Bulgaria, emensaque transmisso Hebro superiore Thracia, cum jam per aliquot dies in locis fertilissimis per inferiorem Thraciam, cum multa mentis lætitia ambulantes, Urbi Regiæ accederemus, VII. Idus Septembr. id est, proxima ante nativitatem Beatæ Mariæ feria, vallem quandam juxta oppidulum Cherevach dictum, campi viriditate lætam, amniculi cujusdam medio decursu conspicuam attingimus. Cujus loci amœnitate capti omnes, illic tentoria figere, jucundumque Dei genitricis semperque virginis ortum cum magna jucunditate celebraturi, ea die ibidem pausare disponimus, solo cum suis Duce Friderico, avunculoque ejus Welfone (nam Lotharingiorum legio nondum se nobis junxerat) in latere cujusdam montis è regione juxta nos castrametante.

Proponticū mare. Erat in vicino mare Proponticum, quod modò brachium Sancti Georgij ab indigenis dicitur, duoque super littus ejus, unde mercatum expectabamus, oppida parva, & natura salubria. Hoc mare olim Hellespontiacum, à nota Phrixis & Helles fabula, vel Proponticum, velut antè Ponticum dicebatur, eò quòd à Pontico mari duorum maximorum fluminum Tanais & Danubij impetu propulsum, quasi tenuiter fluens, ut volunt, in Adriatico seu Tyrrheno mari, juxta Trojam antiquam recipiatur. Fateor, toto expeditionis tempore nunquam lætiora habuimus tabernacula, nunquam, quantum ad sensus judicium, majorem ambitum occupaverant tentoria. Et ecce circa vigiliam matutinam nubecula quædam parva exorta, imbrem mitem produxit, quem subitò

Germanorũ castra gravi tempestate jactata. tantus pluviarum, ventorumque impetuosus turbo subsecutus est, ut concussis & solutis, seu ad terram dejectis tebernaculis, gravissimè qui post matutinorum laudes lectis nos receperamus, excitaret: clamor totum vicinum replens aerem, attollitur. Amniculus enim an ex refluxione proximi maris, imbriumve multitudine, an ex cataractis ruptis in Cœlo, ex supernæ majestatis ultione, tantum intumuerat, ex tumoreque præter morem inundaverat, ut totum cooperiret exercitum. Quid ageremus? Divinam id animadversionem potius quàm naturalem inundationem esse considerantes, amplius attoniti fuimus. Ad equorum tamen robur convolamus, unusquisque prout poterat, amnem transire gestiens. Videres alios natantes, alios equis adhærentes, alios ut periculum effugerent, per funes miserabiliter trahi: alios in flumen inordinatè ruentes, ex eo quod aliis impræmeditatè implicarentur, demergi, populosque quod possent prætergredi æstimantes, fluminis ictu abripi: cautibus opprimi, vique gurgitum absorptos, animam reddere in flumine. Nonnullos natandi indoctos, ubi natantes apprehendissent ut evaderent, tenere: sicque astrictos defatigare, donec resupini cessantibus brachiorum remigiis, utrique submersi suffocarentur. Aliqui ergo de nobis in tentoria Friderici Duci, quæ sola ab hac perniciosa clade penitùs illæsa manebant, nos transtulimus, ibique sacra Missarum solennia audientes, non cum gaudio, sed cum multa amaritudine cordis, nostrorum luctum & gemitum audientes, *Gaudeamus*, cecinimus. Denique alij amnem cum magno timore ac labore transmeabant, alij adunatis rhedis, alijsque quæ habere poterant instrumentis adhibitis, contra impetum aquæ quasi desperati repagulum ponebant, transitum inundationis præstolantes. Quantum verò damnum tam in personis quàm in rebus & utensilibus ad tam longam viam necessariis, exercitus noster ibi acceperit, dicere non oportet. Cerneres sequenti

die, cùm mitigatis aquis, terrarum facies appareret, omnibus nobis hac & illac diſperſis, tam triſtiſſimum tabernaculorum noſtrorum aſpectum, quàm perendie poteras videre lætiſſimum: ut non immeritò quanta divinæ celſitudinis eſſet potentia, quamque humanæ jucunditatis nihil firmi habens, velox momentum, luce clarius appareret. Sed de his hactenus.

CAP. XLVI.

De Giliberto Pictavienſi Epiſcopo, quomodo à ſuis clericis ſuper doctrina ſua pulſatus eſt.

FUIT illis in diebus in Aquitania Galliæ, civitate Pictavis, Epiſcopus Gilibertus nomine: hic ex eadem civitate oriundus, ab adoleſcentia usque ad ultimam ſenectutem, in diverſis Galliæ locis Philoſophiæ ſtudium colens, re & nomine magiſtri officium adminiſtrârat, noviterque ante hos dies ad culmen pontificale in præfata civitate ſublimatus fuerat: conſuetus ex ingenii ſubtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cum quadam vice, conventum de ſua diœceſi clericorum magnum celebrans, ſermoni, quem fortè gratia exhortandi habebat, quædam de fide S. Trinitatis interſereret: à duobus Archidiaconis ſuis Arnaldo & Calone, tanquam contra Catholicæ normam Eccleſiæ doctrinam, inſtituens, ad ſummi Pontificis, Romanæque ſedis examen, interpoſita appellatione, vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio ab Urbe in Gallias tendenti, Senis civitate Tuſciæ occurrunt. Quibus Romanus antiſtes au itis, cauſaque viæ cognita, breviter reſpondit: Se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eò quòd propter literatorum virorum copiam ibidem manentium, opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoſcere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac conſulto Bernardo ſuprà memorato Abbate, eum in commodum cauſæ ſuæ adverſus Epiſcopum inclinant.

Gilbertus Porretanus.

CAP. XLVII.

Quomodo Abbas Claravallenſis contra eum inductus eſt, & de Petro Abailardo.

ERAT autem prædictus Abbas, tam ex Chriſtianæ religionis fervore zelotypus, quam ex habitudinali manſuetudine quodammodo credulus, ut & magiſtros qui humanis rationibus, ſeculari ſapientia confiſi, nimium inhærebant, abhorreret: & ſi quicquam ei Chriſtianæ fidei abſonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet. Ex quo factum eſt, ut non multò ante hos dies ipſo auctore, primò ab Epiſcopis Galliæ, pòſt à Romano Pontifice Petro Abailardo, ſilentium impoſitum fuerit. Petrus iſte ex ea Galliæ provincia, quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens. (Eſt enim prædicta terra clericorum, acuta ingenia & artibus applicata habentium, ſed ad alia negocia penè ſtolidorum ferax, quales fuerunt duo fratres Bernardus & Theodoricus viri doctiſſimi) is, inquam, literarum ſtudiis, aliiſque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit: ſed tam arrogans, ſuoque tantùm ingenio confidens, ut vix ad audiendos magiſtros ab altitudine mentis ſuæ humiliatus deſcenderet. Habuit tamen primò præceptorem Rozelinum quendam, qui primus noſtris temporibus in Logica ſententiam vocum inſtituit, & pòſt ad graviſſimos viros Anshelmum Laudunenſem, Guilhelmum Campellenſem Cataulani Epiſcopum migrans, ipſorumque dictorum pondus, tanquam ſubtilitatis acumine vacuum judicans, non diu ſuſtinuit. Inde magiſtrum induens, Parrhiſius venit, plurimùm in inventionum ſubtilitate non ſolùm ad Philoſophiam neceſſariarum, ſed & pro commovendis ad jocos animis hominum utilium valens. Ubi occaſione quadam ſatis nota, non bene tractatus, monachus in monaſterio S. Dionyſij effectus eſt. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior, in tantum, ut poſt aliquod tempus ab obedientia Abbatis ſui ſolutus, ad publicum prodiret, docendique rurſus officium aſſumeret. Sententiam ergo vocum ſeu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiſcuit. Quare de S. Trinitate docens & ſcribens, tres perſonas, quas ſancta Eccleſia non vacua nomina tantùm, ſed res diſtinctas, ſuiſque proprietatibus diſcretis, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis uſus exemplis, inter cætera dixit:

Petrus Abelardus Britannus.

Abelardi de Trinitate error damnatus.

dixit: *Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Ob hoc Suessionis provinciali contra eum synodo sub præsentia Romanæ sedis legati congregata, ab egregiis viris, & nominatis magistris, Alberico Remense, & Leutaldo Novariense, Sabellianus hæreticus judicatus, libros quos ediderat, propria manu ab Episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate, eò quòd disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. Hæc sub Ludovico seniore Francorum Rege facta sunt.

CAP. XLVIII.

Epistolæ prō ejus condemnatione ad summum Pontificem, & ejusdem pontificis responsiva.

POST hæc dum rursus pluribus diebus legeret, maximamque post se sociorum multitudinem traheret, sedente in urbe Roma Innocentio, in Francia verò Ludovico, superioris Ludovici filio regnante, ab Episcopis, abbateque Bernardo denuò ad audientiam apud Senonas evocatur, præsentibus Ludovico Rege, Theobaldoque Palatino Comite, & aliis nobilibus, de populoque innumeris. Ubi dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, Apostolicæ sedis præsentiam appellavit. Episcopi verò, simul & abbas, missa ad Romanam Ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur capitulis, damnationis ejus sententiam in literis reportaverunt, quarum exemplar hoc est:

Reverendissimo Domino, & dilectissimo Patri, Dei gratia summo Pontifici Innocentio, S. Remensis Archiepiscopus, Jozelinus Suessionis, Guilhel. Catalaunensis A. Abanensis Episcopi, debitæ subjectionis voluntarium obsequium.

Auribus occupatis ad plurima, verbum facimus breve de prolixo negocio, pro eo maximè, quòd idipsum pleniùs & diffusius continetur in literis Domini Senonensis. Petrus Abaïlardus Christianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere: ascendit usque ad cœlos, & descendit usque ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis & mirabilibus super se. Scrutator majestatis, hæresum fabricator, jamdudum fecerat librum de S. Trinitate, sed sub legato Romanæ Ecclesiæ, igne examinatus est: quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Hiericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreses qui dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis. Deniq; jam extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quòd liber suus in curia Romana habet, ubi caput suum reclinet: hinc confortatus & confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis usquequaque. Propterea cùm in conspectu Episcoporum super his eum argueret Abbas Claravallensis, zelo justitiæ & fidei armatus, ille nec confessus est, nec negavit, sed à die, à loco & judice, quem ipse sibi elegerat, sine læsione, sine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, sedem Apostolicam appellavit. Episcopi qui propter hoc unum convenerant, vestræ reverentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt, sed tantummodo capitula à sanctis olim Patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus serperet, adjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum qui sibi credat, habet: necesse est ut huic morbo celeri medicina occurratis.

Serò enim medicina paratur,
Cùm mala per longas convaluere moras.

Processimus nos in hoc negocio quousque ausi sumus. Tuum, beatissime pater, est de cætero providere, ne aliqua hæreticæ pravitatis macula decor Ecclesiæ contaminetur. Tibi commissa est Sponsa Christi, ô amice Sponsi, Tuum est eandem uni viro Virginem castam exhibere Christo.

Rescriptum verò Innocentij tale:

Innocen-

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Senonensi, Reinaldo Remensi Archiepiscopis, eorumq; suffraganeis, & charissimo in Christo filio Bern. Claravallensi Abbati, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Testante Apostolo, sicut unus DEUS, una fides esse dignoscitur: in qua tanquam immobili fundamento, præterquam nemo aliud potest ponere, firmitas Catholicæ Ecclesiæ inviolata consistit: Inde est, quòd beatus Petrus Apostolorum Princeps, pro eximia hujus fidei confessione audire meruit: *Tu es*, inquam, *beatus Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* *Matth. 16.* Petram utique firmitatem fidei, & Catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans. Hæc siquidem est inconsutilis tunica Redemptoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam dividere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum. Verùm Apostoli Duces Dominici gregis, & eorum successores Apostolici viri, ardore charitatis, & zelo rectitudinis succensi, fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprij sanguinis effusione plantare non dubitaverunt. Demum cessante persecutorum rabie, imperavit ventis, & facta est in Ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circuit, quærens quem devoret, ad expugnandam sinceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam subinduxit. *Hæreses in Conciliis damnatæ.* Contra quas veri Ecclesiarum rectores viriliter insurgentes, eorum prava dogmata cum ipsorum auctoribus condemnarunt. In magna namquè Nicæna synodo, Arrius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana synodus Manichæum hæreticum debita sententia condemnavit. In Ephesina synodo Nestorius condignam sui erroris condemnationem recepit. Chalcedonensis quoque synodus Nestorianam hæresin & Euthicianam cum Dioscoro, & ejus complicibus, justissima sententia confutavit. Martianus præterea licet laicus, Christianissimus tamen Imperator, catholicæ fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo Papæ Joanni scribens, adversus eos qui sacra mysteria profanare contendunt, inter cætera sic loquitur, dicens: *Nemo clericus vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publicè conetur in posterum tractare. Nam injuriam facit judicio Reverendissimæ synodi, si quis semel judicata, & rectè disposita revolvere, & iterum disputare contendit: & in contemptores huius legis tanquam in sacrilegos pœna non deerit. Igitur si quis clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum removebitur.* Dolemus autem, quoniam sicut literarum vestrarum inspectione, & missis à fraternitate vestra nobis errorum capitulis cognovimus, in novissimis diebus quando instant periculosa tempora, M. P. Abailardi perniciosa doctrina, & prædictorum hæreses, & alia perversa dogmata Catholicæ fidei obviantia, pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, quòd in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, & in tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse pastores, qui novi hæretici studeant calumniis obviare, & immaculatam sponsam uni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque qui in cathedra Sancti Petri, cui à Domino dictum est: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, *Luc. 22.* licet indigni, residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & universa ipsius Petri dogmata, sanctorum Canonum auctoritate, cum suo auctore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque errores sui sectatores & defensores, à fidelium consortio sequestrandos, & excommunicationis vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani XII. Kalend. Augusti.

CAP. XLIX.

De apologetico ejusdem Petri, & super quibus capitulis putabatur, & obitu ejus.

PETRUS damnationem sui dogmatis à Romana Ecclesia confirmatam cognoscens, ad Cluniacense cœnobium se contulit, Apologeticum scribens, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit: Ne juxta Boetianum illud, procemiis nihil afferentibus, tempus teratur, ad rem ipsam veniendum est, ut in-

ut innocentiam meam ipsa rerum veritas potius quàm verborum excuset prolixitas. Hæc autem pauca de multis contra eum posita sufficiant capitula.

Quòd Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia.

Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.

Quòd Spiritus sanctus sit anima mundi.

Quòd Christus non assumpsit carnem, ut nos à jugo diaboli liberaret.

Quòd non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt. Ipse verò non multis pòst diebus, coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem vitam finivit cœnobio.

CAP. L.

De studio Giliberti, & de quibus impeteretur capitulis.

IGITUR ut ad id à quo digressa fuit, & redeat oratio, prætaxati archidiaconi adscito sibi tantæ auctoritatis & æstimationis viro, Abbate Bernardo, Episcopum Gilibertum eadem qua prædictum Petrum via damnare attentabant. Sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subiiciens, magisque illorum ponderi, quàm suo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictaviensis, pòst Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anshelmus & Radulphus Laudunenses germani fratres, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subitò ferulæ subducta, à scientia haud censura morum, vitæque gravitate discordante: non jocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicârat. Hinc erat, ut tam gestu quàm voce pondus servans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque primò Antisiodorus, pòst Parrhisius vocatus est. Erant inter cætera quæ illi obiiciebantur, de divina majestate quatuor capitula:

Dogmata Porretani.

Quòd videlicet assereret divinam essentiam non esse Deum.

Quòd proprietates personarum non essent ipsæ personæ.

Quòd theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione.

Quòd divina natura non esset incarnata. Et præter hæc alia minora, id est:

Quòd meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Christum.

Quòd Ecclesiæ sacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, nisi salvandum. & cætera in hunc modum.

CAP. LI.

Quibus testibus convinci putabatur posse.

ITAQUE præsidente cum Cardinalibus Episcopis, aliisque viris venerabilibus, & eruditis in jam dicta civitate Parrhisius, summo Pontifice Eugenio, prædictus Episcopus Gilibertus consistorio præsentatur, de his capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de parvo ponte, vir subtilis & Parrhisiensis Ecclesiæ Canonicus recenter factus: Hugo de Campo florido, Cancellarius Regis, asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio ejus ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione, viros magnos, & in ratione differendi exercitatos, pro argumento juramentum afferre.

Testes adversus Porretanum producti.

CAP. LII.

Subtilis ejusdem responsio.

IBIDEM dum hincinde multa sibi obiicerentur, pluriumque impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, intra cætera dixisse traditur: *Audacter confiteor patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc.* Cujus dicti obscuritatem tanquam verborum prophanam novitatem, tam impatienter magister Johelinus Suessionensium Episcopus excepit, ut juxta proverbium, medium vitando incurreret

curreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Auguſtini legerat, vel fortaſſis lectam intellexerat, qua de eodem altiſſimo loqui geſtiens ſecreto, inter cætera dicit: *Sic aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum eſſe. Quod enim eſt, ad ſe dicitur: pater autem ad filium, & Dominus ad ſervientem creaturam.* Ait ergo prædictus Epiſcopus: *Quid eſt quod dicis, Eſſe Deum nihil eſt?* Erat quippe quorundam in Logica ſententia, cùm quis diceret, Socratem eſſe, nihil diceret. Quos præfatus Epiſcopus ſectans, talem dicti uſum haud præmeditatè ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium penè auditorum ab illo in ſe retorſit ſpicula. Poſt hoc ſedato clamore, cùm à circumſtantibus rogaretur Epiſcopus Gilibertus, ut quare in Theologia perſonas intantum diſtingueret, aperire vellet, breviter reſpondit: *Quia omnis perſona eſt per ſe una.* Et ita non ſine magno multorum qui aderant ſtupore, conventus ea die ſolvitur.

Alia rurſus die in cauſam ductus, pulſatuſque de novitate dictionis, eò quòd in proſa de S. Trinitate tres perſonas tria ſingularia vocaverit: N. Rothomagenſis Archiepiſcopus cauſam aggravavit, dicens: Deum potiùs debere dici unum ſingulare, quàm tria ſingularia: nō tamē ſine multorū ſcandalo, cum Hilarius in libro de Synodis dicat: *Sicut duos Deos dicere profanum eſt, ita ſingularem & ſolitarium dicere ſacrilegium eſt.* Et idem in eodem: *Nihil ſolitarium ex divinis ſacramentis ad ſuſpicionem audientium, & ad occaſionem blaſphemantium proferamus.*

CAP. LIII.

Excurſus Theologicus.

EPISCOPUS verò Pictavienſis in præfatis dictis ſuis ſe habuiſſe ſimplicem ſenſum teſtabatur, affirmans per ſingularia non Theologicas perſonas, ſed ipſorum excellentiam intellexiſſe, ſecundum quod antonomaſicè Paulum ſolemus vocare Apoſtolum, vel glorioſam Dei genitricem, Virginem ſingularem: eò quòd nec eſt, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet ſimul ſit mater & virgo. Ea rationis proportione trium perſonarum excellentiam ſe conſideraſſe, cùm tria ſingularia diceret, aſſerebat: cum nec ſit, nec fuerit, nec futurus ſit talis pater, qui ſcilicet ſit pater & Deus: atque in eundem modum talis filius, talis Spiritus Sanctus. Quia verò perſonam in Theologia tanquam rem per ſe unam, prænominatum virum intellexiſſe diximus, in ipſius ſenſum pauliſper introire libet, quatenus ejuſdem judicium dictionis facilius poſteris pateat. Ad cujus intelligentiam hæc diviſio præmittenda videtur. In naturis proprietas ſubſtantialis, alia univerſalis, alia eſt ſingularis, vel individualis, vel particularis. Individualis alia perſonalis, alia non. Perſonam autem à perſonalitate, quaſi denominativè ſumptam, voco: non quam Græci ab anteponendo πρόσωπον, Latini à perſonando dicunt: ſed eam quam Boetius in libro de Perſona & natura, contra Euticen & Neſtorium diſputans, à Græcis ὑπόστασιν, non Etymologiam vocis, ſed rei rationem ſecutus, perſonam vocávit, ſecundum hoc & ſic eam diffiniens: *Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia.* Univerſalem verò dico, non ex eo quòd una in pluribus ſit, quod eſt impoſſibile: ſed ex hoc, quòd plura in ſimilitudine vivendo, ab aſſimilandi unione univerſalis, quaſi in unum verſalis dicatur. Qualis eſt à plurium ſimilitudine major corporeitas, minor animalitas, minima vel ultima humanitas ſignificata: Unde Boetius: *Species eſt forma individuorum, & ultima ſimilitudo: poſt hanc enim non ſimilitudo, ſed diſſimilitudo potiùs occurrit:* Ex quo patet alterum membrum, quare videlicet ſingularem, individualem, vel particularem dixerim proprietatem, eam nimirum, quæ ſuum ſubjectum non aſſimilat aliis, ut humanitas: ſed ab aliis dividit, diſcernit, partitur, ut ea quam ficto nomine ſolemus dicere Platonitas, à dividendo individua, à partiendo particularis, à diſſimilando ſingularis dicta. Nec opponas, quòd potius à dividendo dividuam, quàm individuam dici oporteat. Nam cum ſuum ſubjectum non ſolùm ab aliis dividat, vel diſſimilet, ſed etiam in ſua individualitate & diſſimilitudine tam firmiter manere faciat, ut nec ſit, nec fuerit, nec futurum ſit aliud ſubjectum, quod ſecundùm ejuſmodi proprietatem illi aſſimilari queat, meliùs individuum privando, quàm dividuum ponendo vocatur: ejuſque oppoſitum quod dividendo pluribus communicat,

cat, & communicando dividit, rectiùs dividuum dici debet. Sed notandum, quòd individuum & singulare non sunt ad se convertentia: nam omne individuum singularia sed non omne singulare individuum: hæc enim albedo singulare est, sed non individuum. Denique in naturis nullum simplex individuum esse potest. Item non omne individuum personale, sed omne personale individuum, secundùm præmissam subdivisionem, qua dictum est, Individuum aliud personale, aliud non: quod ex anteposita personæ diffinitione facilius patebit. Cùm enim omne esse ex forma sit, quodlibet subsistens rem & nomen à sua capit forma: item cum omnis diffinitio alterius sit, & alteri conveniat, non sine rationis via altero pro altero uti licet. Persona ergo à suo esse, quod ficto nomine personalitas dici potest, vocabulum trahit: sed in diffinitione individua substantia tantùm persona non dicitur, nisi cum adjunctione rationalis naturæ. Cujus rei causa videndum est apud Græcos, qui dicendi inopes non sunt, aliud οὐσίαν, aliud οὐσίωσιν, aliud ὑπόστασιν vocari. At nos οὐσίαν, essentiam, οὐσίωσιν subsistentiam dicere possumus, ὑπόστασιν ex Latini eloquij penuria uno non valentes verbo exprimere. Nam cum tam apud nos, quàm apud illos substantia, vel hypostasis à substando notetur, in hoc est differentia, quòd nostra substantia ad cuncta quæ substant, est vaga: eorum verò hypostasis ad ea tantùm, quæ in rationali substant natura, est accommoda. Quare Latinus Interpres, cùm verbum ex verbo non posset exprimere, maluit sensum ex sensu retinendo, personam potius quàm substantiam transferre. Unde & personæ prædicta adhibetur diffinitio: Persona est rationalis naturæ individua substantia. Patet igitur quòd non omne individuum est persona, quia non omnis individua substantia est rationalis natura: sicut esse hujus Berilli singularis, vel (ut consortio rationis utar) ipse Berillus vel est individuum, vel individua substantia, non tamen rationalis natura: quamvis etiam si rationalis naturæ esset, tamen nondum plenariè Berillus individua substantia dici posset. Neque enim individuam substantiam dicere solemus eam rem singularem, quæ cum alia itidem re singulari, ad aliquod totum constituendum convenire valens, non est per se una. Nam per se unum est, quod nec actu, nec natura potest, potuit, poterit cum alio ad constituendum aliquod totum concurrere. Ex quo fit, ut hæc anima quæ substantia est, & rationalis naturæ, tamen quia hoc modo non est per se una, vel individua, eò quòd cum hoc corpore ad constituendum hunc hominem conveniat, non videatur dici persona: cum (secundùm quod ostensum est) ab ea removeatur diffinitio hæc, Persona est rationalils naturæ individua substantia. Quare & diffinitum: juxta Logicorum regulam, A quocunque diffinitio & diffinitum. Hic leo etiam, quanquam præfato modo res sit per se una & individua: tamen quia rationalis natura non est, secundùm strictam personæ acceptionem, persona dici nequit. Restat ut hic angelus, & hic homo tantùm plenariè in naturalibus personæ vocentur. Prædictus ergo Episcopus duas in naturalibus regulas ponens, quæ tales sunt: *Diversorum subsistentium diversas esse subsistentias: Diversarum personarum diversas esse personales proprietates*: unam à Theologia exclusit, alteram admisit. Priorem enim, qua totidem dicuntur subsistentiæ quot subsistentes, cum ab orthodoxis inter Arrium & Sabellium dividentibus, tres personæ & una credatur essentia, penitùs amovit: alteram admittens, cùm nulla personalis proprietas in S. Trinitate Patris sit quæ Filij, vel econverso. Ex quo personam à præmisso naturalium usu, non ab eo quod πρόσωπον vocatur, ad Theologiam transsumptam asserebat, illud Hilarij frequenter inducens, *Absit ut idem nunc se Patrem, nunc se Filium larvari similitudine mentiatur*: inde eas personas & iam per se unas dicebat. Quòd autem alio patrem dixit, aliò Deum esse, nec tamen hoc & hoc, hunc sensum habuit: Deus in Substantia prædicatur, pater Ad aliquid: quæ diversa prædicamenta esse etiam in Theologia, ex libro Boetij, quem de S. Trinitate scripsit, batur: nec propter hoc rectè concludi, Si est alio Pater, alio Deus: ergo est hoc & hoc: cùm hoc non rectè concludatur, nisi prius concesso, quòd utraque de Deo prædicentur in substantiam: ut cùm dicimus, Deus est bonus, sapiens, omnipotens. Hæc enim cum prædicentur in substantiam, si diversa essent, proculdubio Deus esset hoc & hoc: Cùm verò idem sit, Deum esse sapientem, quod bonum, ut benè contra usum naturalium liceat dicere, Est sapientia bonus, bonitate sapiens: ac si ita in naturalibus procederem, Hæc margarita est albedine candida, candore alba; non est hoc & hoc, sed est hoc.

Quæ ratio interpretādi hypostasin personam.

Quid

Quid senserit posui, quid sentiendum sit, judicent alij. Sed hæc hactenus. Nunc ad historiæ seriem redeamus.

CAP. LIV.

Qualiter causa Episcopi usq; ad generale Concilium dilata est, & de hæretico Per eum.

DUM ita per aliquot dies, jam sæpe dictus Episcopus coram summo Pontifice de fide sua in civitate Parrhisiis discuteretur: sentiens Papa, utpote vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad universale Concilium adjudicavit. Erat enim in proxima medianæ quadragesimæ dominica, apud illius Galliæ metropolim Remis generale indictum Concilium: tam ex eo quòd prætaxatus Papa persecutionem populi sui declinando, in Galliis morabatur: quàm ob hoc, quòd quidam penè laicus, hæretici honorem in vaccis populorum affectans, examini Ecclesiæ reservandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Galliæ, id est, circa Britanniam & Guasconiam, eò quòd remotis ibi à corde Franciæ populis, simplicitas, vel potius (ut ita dixerim) stulticitas, cui facilè error obrepere solet, abundat, verbum prædicationis assumpserat, eumque tanquam DEI filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens: quod ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus, *Per eum*, &c. *Blasphemia obscuri cujusdam concionatoris.*

CAP. LV.

De condemnatione ejusdem Eum, & de gestis concilii, ad quod nuncii Henrici junioris Romanorum Regis venerunt.

Concilium Rhemense.

IGITUR voluente tempore, cum eadem mediana quadragesima adveniret, dumque à Turcis populi dispersi Hierusalem tendentes per altum navigaremus æquor, in basilica Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, Remis, præsidente summo Pontifice Eugenio, sedit Concilium, productus fuit ibi, ut fingere liceat, cum scriptulis suis prædictus Eum, vir rusticanus, & illiteratus, nec hæretici nomine dignus, ac pro contumaci fatuitate, vel fatua contumacia sua puniendus, Sigerio Abbati S. Dionysij, qui Regni negocia ob absentiam regis in Occidentali Francia, juxta illius cœnobij prærogativam, administrabat, commissus, ab eoque arctæ custodiæ mancipatus, vitam in brevi finivit. Venerunt ad prædictum Concilium cum Bulla Aurea nuncii junioris Romanorum Regis Henrici, tam de sublimatione sua ad Imperium Romano Pontifici significantes, quàm de tribus fratribus Poloniæ, qui ejecto quarto & seniore, Ducatum intra se diviserant, ac de Episcopis illius provinciæ, qui super hoc patri ipsorum juramentum præstiterant, querimoniam facientes. Famæ quoque malum, omnibus motabilibus velocius, juxta illud:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

immensitatem soli ex naturæ suæ celeritate transvolans, de expeditionis nostræ eventu certa promens indicia, in auribus oréve omnium ibi versabatur.

CAP. LVI.

Quomodo Episcopus Gilibertus post Concilium discussus est, & responsio ejusdem: & qualiter Gallicani Episcopi convenientes, fidem suam in scripto digesserunt.

ITAQUE finita synodo, salutiferisque ad innovationem seu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum capitulis, prudentiores & viciniores, ad causam Episcopi Giliberti terminandam reservantur. Decursa medianæ quadragesimæ hebdomada, sacroque Dominicæ passionis tempore inchoante, Episcopus Pictavinus, manente adhuc summo Pontifice Remis, rursus ad judicium trahitur: in cubiculo ubi *Porretanus ad dogmatis sui discussionẽ vocatur. Anno 1148.*

urbis Episcopus cum senioribus sedit, vocatur: & ab eo quid de fide sanctæ Trinitatis sentiat, subtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum Patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eandem se quam illi fidem tenere asserebat. Cumque hujuscemodi sermone, seu legendi prolixitate dies detineretur, tanquam tædio affectus Romanus inquit antistes: Multa frater dicis, multa, & ea fortassis quæ à nobis non intelliguntur, legi facis. Sed simpliciter à te cognoscere velim: anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris unum Deum, credas esse Deum? Qui diutina collatione fatigatus, minùs præmeditate respondit: Non. Quod dictum mox ab ejus ore raptum notarius excepit, scribens in hunc modum: Episcopus Pictaviensis scripsit & dixit, quòd divina essentia non est Deus. In Commentario enim super Boetium de Trinitate, ubi auctor Theologica à naturalibus prædicamenta discernens, inter cætera posuit, Substantia qua Deus est, iste apposuit, non quæ Deus est: id est, ut non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in hæc verba conventus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spatium, cum nocte sequente, amicos suos ex Cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit.

In crastino ipso denuò coràm summo Pontifice in causa posito, recitatur scriptum: cujus ut ab eo reddatur ratio, exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserebat. Dicebat enim hoc nomen *Deus*, quandoque in designatione naturæ, quandoq; in designatione personæ unius etiam poni. In designatione naturæ, ut cùm dicitur, *Deus tuus unus est*: personæ, ut cùm dicitur, *Pater est Deus, Filius est Deus*: personæ & unius tantùm de tribus, ut ibi, *Ascendit Deus in jubilatione*: quod de persona filij dictum esse nemo ambigit. Quare & ajebat se, divinitatem esse Deum, in illo tantùm sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo verò absolutè concedere non audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen Deus accommodatur: ne videlicet si indeterminatè profiteretur divinitatem esse Deum, id est, quamlibet personarum: cogeretur sine determinatione concedere quicquid de qualibet personarum, & de essentia: sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam filii, ita divinam essentiam indeterminatè incarnatam, passam confiteretur. Ex qua absurditate facilè sensus hæreticus, juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans, & genita, & eadem seipsam genuisse. Quòd autem inter naturam & personam non Mathematica abstractione, sed Theologica consideratione, quoquo modo divideret ratio, & ratione, & auctoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet juxta Arrium, sicut personarum, ita & pluralitatem admitteret essentiarum: vel secundum Sabellium, ad essentiæ singularitatem, Christianæ fidei religio pluralitatem restringeret personarum, hac Theodereti contra Sabellium utens auctoritate: *Oportet ergo desiderantem spirituales divitias, & volentem Christianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne fortè aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & personam idem esse intelligit, aut in divisionem Arrij incidit, aut in confusionem Sabellii.* Et illa Hilarii, *Discerne igitur ô hæretice, spiritum Christi ab spiritu Dei, & excitati à mortuis Spiritum Christi à Spiritu Dei, Christum à mortuis excitantis. Et quæro nunc, in Spiritu DEI utrum naturam, aut rem naturæ significatam existimes? Non idem est enim natura, quod naturæ res est. Sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem ignis, & quod ipsius ignis est: & secundùm hoc non idem est Deus, & quod DEI est.* Item quòd non natura, sed Filij persona carnem suscepisse credenda sit, hac auctoritate Toletani Concilii ostendit: *Solum verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non unitate divinæ naturæ: id est, id quod est proprium filii, non quod commune Trinitati.* Quam auctoritatem cum determinare vellet Claravallensis Abbas, aliqua verba quæ Cardinalibus displicerent, protulit: Episcopo Pictavino dicente, *Et hoc scribatur.* Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino. Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat convocavit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictavino Episcopo imponebantur capitula, fidem suam in hunc modum, ipse cum aliis, & alij cum ipso exposuerunt.

Psal 47.

Confessio Episcoporũ Galliæ, de mysterio adorandæ Triadis.

Credimus simpliciter naturam divinitatis esse DEUM, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit DEUS, & DEUS divinitas. Si verò dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate DEUM esse, & alia hujusmodi: credamus non nisi ea sapientia

quæ

quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi magnitudine quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: non nisi ea unitate, qua ipse est, unum esse, non nisi ea divinitate Deum, quæ est ipse, id est, seipso sapientem, magnum, æternum, unum Deum.

Cùm de tribus personis, Patre, Filio, Spiritu Sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam fatemur esse: & econverso, cùm de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam, esse tres personas profitemur.

Credimus solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, & hujusmodi alia à Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.

Credimus ipsam divinitatem (sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas) incarnatam, sed in Filio esse.

CAP. LVII.

Quòd Cardinales Romanæ Ecclesiæ de hoc indignati sint, & oratio eorum contra Papam Eugenium, & quomodo tandem hæc contentio finem habuerit, & quomodo Gilibertus Episcopus evaserit.

QUOD Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer Cardinalium Senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tanquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici suo dicerent: Scire debes, quòd à nobis, per quos tanquã per Cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à privato universalis Pater effectus, jàm deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere: nec privatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanæque curiæ culmen ex officij tui necessitudine curare & observare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia; qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanæ sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præjudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super Capitulis quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finituræ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpote Alexandria vel Antiochia, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negocium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri valeret auctoritate: quinimò, juxta antiquorum Patrum instituta vel exempla, Romano servaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia usurpare audent, quod etiam remotioribus & majoribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ novitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas. Quos Romanus Pontifex Blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitatève facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reverentia respondit: Se, vel Dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis diffinisse: sed quia ab Episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur: idcirco quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret, exposuisse: Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquievit, ita tamen, ut præfatum scriptum tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ, sponsæ suæ providit, ne vel summa membra à capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum & discretarum personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ, aliquod judicij pondus à sede Romana reportans, schismatis non parvi occasio esset.

Romanenses indignantur ipsis inconsultis factũ in fidei negocio determinationem.

Hæc pauca ex multis de illius concilij agenda dixisse sufficiat: hoc tamen apposito, quòd de tribus Capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuit. Nec mirum. In quarto enim non multum ab aliis discordabat Episcopus Gilibertus, cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in filio: iste personam Filii incarnatam,

non sine sua natura. De prædicatione personarum quid diffinirent, cùm ejus usum quidem, quid scilicet propriè prædicari diceret, ab aliis magistris etiam in naturalibus alienum non haberent. De proprietatibus, an personæ essent, tam ob prædictam causam, quàm ob Theologicas rationes, quæ hinc inde habentur, suppressum est. De primo tantùm Romanus Pontifex diffinivit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret: néve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantùm, sed etiam nominativi. Unde adhuc à probatioribus ejusdem Episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicendo. Episcopus verò præmissam summi Pontificis sententiam reverenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam diœcesim remeavit.

Utrum autem prædictus Abbas Claravallensis in hoc negocio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tanquam homo deceptus fuerit, vel Episcopus tanquam vir literatissimus propositum astutè celando, Ecclesiæ judicium evaserit, discutere, vel judicare nostrum non est. Quòd enim sancti & sapientes viri, corruptibili carne circundati frequenter in talibus fallantur, & novis & antiquis probatur testimoniis. Nam ut de illo taceam, quod Beatus Gregorius sancto David, in quem Spiritus Domini directus asseritur, ad patriam, à qua à filio propulsus fuerat, revertenti, à servo Miphiboset cum xeniis occurrenti surreptum inducit, exemplo, Christianis temporibus Beatus Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, tam eximiæ, ut mortuum quoque suscitaret, sanctitatis, adversus Joannem Chrysostomum, cujus hodie in Ecclesia viget memoria, tam acriter ab æmulis induci potuit, ut eum in propria civitate declinans, communicareque nolens, etiam populum sibi commissum, quantum in ipso fuit, contra illum concitaret. Quod in priori nostra ex Tripartita sumptum historia pleniùs dictum est. Hactenus ista.

CAP. LVIII.

De exercitu nostro, & Rege Francorum, ubi in transmarinis applicuerit, & quando Hierosolymam venerit, & de rege Conrado, & de præfato rege Ludovico, qualiter & ubi se invicem viderint.

DUM hæc & hujusmodi aguntur in Gallia, exercitus noster (ut suprà dictum est) navigandi labore dispersus, pelagus operiebat, quolibet prout poterat & quando, diversa per loca litus attingere conante. Nam Ludovicus Francorum Rex juxta Antiochiam, patrui comparis suæ Principis terram, circa mediam Quadragesimam applicuit, in eo loco qui portus S. Simeonis vocatur: aliis ex nostris apud Ptolemaidam, quæ & Achon, aliis apud Tyrum & Sidonem, in Sarepta oppido Sidoniorum, non sine naufragii metu, optatum portum capientibus: nonnullis ipsum naufragium passis, quibusdam aquis absorptis, cæteris seminudis evadentibus. Illi ergo qui tam maturè applicuerant, circa Palmas civitatem sanctam intravere, Dominicam passionem, sanctamque resurrectionem, singula loca ubi hæc facta sunt, circumeundo, ac (ut dicitur) oculo ad oculum videndo, cum multa cordis devotione celebrantes.

Conradus Cæs. Hierosolymam venit Anno 1148.

At Conradus Romanorum Princeps, habens adhuc in Comitatu suo ex principibus Ortlibum Basiliensem Episcopum, Arnaldum Cancellarium suum, Fridericum Ducem Suevorum, Henricum Ducem Bajoariorum, Guelfonem Ducem, aliosque Comites, virosque illustres & nobiles, in ipsa Paschali hebdomada Ptolemaidæ applicans, ac post paucos dies Hierosolymam veniens, in magna cleri & populi jucunditate, cum ingenti honore suscipitur. Mortuus tùnc fuit in Comitatu regis vir clarissimus Fridericus Ratisponensis Ecclesiæ advocatus, ac ad urbem sanctam deportatus, & in cœmiterio militum templi non longè ab antiquo templo Domini sepultus. Rex per aliquot ibi dies in palatio Templariorum, ubi olim regia domus, qua & templum Salomonis, constructa fuit, manens, & sancta ubique loca peragrans, per Samariam & Galilæam Ptolemaidam rediit, omnes adventantes quos poterat milites, pecunia ad remanendum inducens. Convenerat enim cum rege illius terræ, & patriarcha, militibusque templi circa proximum Julium, in Syriam ad expugnationem Damasci exercitum ducere. Qua de re multa largè dispersa pecunia, militem quem tunc poterat collegit. Rex etiam Franciæ Ludovicus idem pro posse suo sectans, de Antiochia reversus, apud Ty-

rum

rum manebat. Ambo itaque inter Tyrum & Ptolemaidam, in loco qui Palma nomen à re sortitus appellatur, mense Junio, circa nativitatem S. Joannis Baptistæ conveniunt, de die, loco, ubi, & quando exercitus instauraretur, ordinantes. Nondum tamen ex tot & tantis attritionibus fastus inter eos regalis decoctus conquieverat. Unde quem & proventum & eventum hæc quoque Damascena sortita fuerit expeditio, alias, & fortassis ab aliis, dicenda erunt.

Conventus Regum in Syria.

CAP. LIX.

De reditu regis Conradi, & quòd Fridericum Ducem ante se remiserit.

EXPLETA verò hac expeditione, Principes ad propria redire disponunt: Romanus quidem per Græciam, alter verò per Calabriam & Apuliam. Itaque Conradus Romanorum Princeps, naves apud Ptolemaidam ingressus, ac per æquor navigans, fratrem & amicum suum Manuel, Regiæ Urbis Principem, in Achaiæ seu Thessaliæ finibus inveniens, adiit: cum eoque tanquam ex longa via fatigatus, laboribusque fractus, & non modica infirmitate correptus, per aliquot temporis spatium quievit. Ibi de reditu ordinans, Fridericum Ducem Fratris sui Filium, ad cognoscendum, vel potius ad corroborandum Imperij statum præmisit. Qui per Bulgariam, Pannoniamque iter faciens, mense Aprili ad propria rediit, & illic quosdam ex propriis ministerialibus suis pro bono pacis, boni judicis exercens officium suspendio peremit. Porrò patruus suus Rex, transactis aliquot quibus in Græcia quieverat diebus, habens secum prædictum Basiliensem Episcopum, & Cancellarium Arnaldum, fratremque suum Noricorum Ducem Henricum (nam Guelfo Dux per Calabriam & Apuliam reversus fuerat) per Illyricum, Dalmaticumque remigans æquor, in propriis Imperij sui finibus apud Polam Histriæ civitatem applicuit: ibique sonipede insidens, ac per Aquileiam transiens, in Juvania (quæ nunc Saltzeburga dicta Bajoariæ metropolitana sedes esse noscitur) Pentecosten celebravit, expletis ab eo, quo idem festum in Pannoniæ finibus egerat, duobus annis. Inde Ratisponæ cum magna Principum frequentia curiam celebravit.

Conradi in Germaniam reditus. Anno 1149.

CAP. LX.

Excursus ad excusandum eventum illius expeditionis.

PORRO quia nonnulli ex pusillis Ecclesiæ fratribus scandalizati mirantur, mirando scandalizantur, de prætaxatæ nostræ expeditionis labore, quòd tam arduo & bono inchoata principio, tam humilem, & non bonum exitum acceperit, ipsis hoc modo respondendum videtur. Nihil verè dici bonum potest, illo solo excepto, qui non aliunde, sed ex se habens quod est, & verissimè esse, & verissimè bonus esse dicitur, juxta illud, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Cætera verò ab eo, non ex ipsius essentiæ sectione, sed ex ejusdem bonitatis denominatione bona dicuntur. Quicquid autem in naturalibus bonum vocatur, aut id fit simpliciter, aut secundùm quid. Sed si simpliciter fit, tunc datum naturæ dicitur, sicut concessum gratiæ donum, juxta illud: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Ipsum verò datum naturæ, quod simpliciter bonum diximus, velut in civili facultate generalissimum, per donum gratiæ, tanquam per differentiam, ad constituendam quodammodo speciem, informatur: secundùm quod aliqua dicimus justa, sobria. Cùm ergo aliqua simpliciter in nativis bona dicuntur, proculdubio bonum naturæ intelligitur. Unde dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: quomodo lapis & lignum erit bonum. Cùm autem ad ejus proximam speciem descendimus, universalitate generis per specificam differentiam, quam donum gratiæ diximus, ad rationalem restricta naturam, illam tantùm solemus dicere justam vel sobriam: nunquam verò lapidem, sicut bonum sic vocamus sobrium vel justum. Denique ut verbis Boetij in libro Regularum utar, qui bonum generale, justum speciale ponens, adnectit; Nec species descendit in omnia, i. ut de omnibus quæ supponuntur generi, prædicetur. Ita ex opposito dicere

Luc. 18.

Iacob. 1.

Gen. 1.

licet, quòd genus ad ea tantùm ad quæ ſpecies prædicatione ſua non contrahatur. Iuxta Logicorum enim regulam: *Methodus à genere ad deſtruendum, à ſpecie valet ad conſtruendum.* Sicut ergo cùm ſimpliciter aliquid bonum dico, naturæ datum quod velut univocè de ſuis ſpeciebus prædicatur, intelligo: ſic cùm ſecundum quid aliquid bonum aſſero, utilitatem potius quàm naturæ fontem intueor. Quo uſu ejus acceptio ad infinita æquivocatur. Hinc dicimus equum bonum ex uſu vectigandi, veſtem bonam ex utilitate induendi, alimentum bonum ex emolumento nutriendi. Item eadem ratione quod alteri ſpeciei bonum, alteri aſſeritur malum. Verbi gratia, Iuſquiamum alit paſſerem, necat hominem. Eadem quoque res alia conſideratione ejuſdem ſpeciei contentis, vel etiam eidem ſingulari erit bona, & erit non bona. Unde & ſolemus dicere, bonum eſt iſti calorem febrilem ſentienti bibere aquam: bonum eſt illi propter infirmitatem ſtomachi, juxta Apoſtolum, modico vino uti. Nec ex hoc ſequitur, ſi ſecundum quid bonum, iſti vel illi ſimpliciter eſſe bonum: ſicut non ſequitur; ſi Æthiops eſt albus dente, ergo eſt albus: vel econverſo, non eſt niger dente, ergo non eſt niger. Quod etiam ex divinæ paginæ uſu patet. Velut cum dicimus: Non erat bonum Judæis, vel Judæ Chriſtum tradere, vel crucifigere, etſi nobis eſſet bonum. Sicut verò in humana Philoſophia album habere dentem, non aufert Æthiopi eſſe nigrum: ſic in divina pagina malum Judæorum non demit univerſitati paſſionem Chriſti non eſſe bonam.

Ex quo fit à ſimili propter eandem cauſam, de prædicta noſtra expeditione, quòd ſi non fuit bona pro dilatatione terminorum, vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum ſalutem animarum: ſic tamen ut bonum, non pro dato naturæ, ſed pro utili ſemper accipias. Et ex eo uſu hæc emergat ſubdiviſio, ut (ſicut ſuprà diximus) bonum quandoque ſimpliciter dici, quandoque ſecundum quid: & quando ſecundum quid dicitur, ad diverſum uſum utilis æquivocari: ita hoc bonum idem utile, quandoque ſimpliciter, quandoque ſecundum quid vocari. Quamvis ſi dicamus, Sanctum illum Abbatem Spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam, laſciviamque noſtram ſalubria mandata non obſervantes, meritò rerum, perſonarumve diſpendium deportaſſe, non ſit à rationibus vel antiquis exemplis diſſonum: quanquam & Spiritus Prophetarum non ſemper ſubſit Prophetis. Qualiter verò prædictus bonus vir ei libro, quem Eugenio Papæ de Conſideratione ſcribens ſuper hac re, ad excuſationem ſui Apologeticum interſeruerit, curioſus rerum indagator invenire poteſt.

CAP. LXI.

Quomodo, & quibus Epiſtolis idem Rex à Papa Eugenio exceptus ſit.

QUOMODO autem Eugenius Papa Romanorum Principem de tam gravi tribulatione redeuntem, paternis conſolationum verbis exceperit, ſuper annotatum eſt.

Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto Filio, Conrado Dei gratia Romanorum Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cōſolatoria, ob infauſtū belli ſacri eventum.

Cùm in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, ſicut nec proſperis elevari, ita nec frangi adverſis, confidentes de divina miſeratione, debemus: quia Dei & hominum mediator admiranda diſpenſatione conſuevit omnem filium quem recipit, adverſitatibus flagellare: ut dum ipſum per amorem ad æterna præmia vocat, præſens mundus ejus animum perturbationes quas ingerit, à ſeipſo repellat: tantoque faciliùs ab hujus ſeculi amore recedat, quantò magis impellitur, dum vocatur. Quod in Iſraelitico populo, Moyſe vocante & Pharaone ſignatur. Moyſes namque tunc ad vocandum miſſus eſt, cum Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenus alter vocando pertraheret, alter impelleret ſæviendo, ut plebs in ſervitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel impulſa moleſtiis moveretur. Hoc itaque rationis debito incitati, diſcretionem tuam commonemus, & exhortamur in Domino, quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter ſupportes, & in eo ſpem tuam conſtituas, qui quem vult permittit affligi, & confidentes in ſe, miſericorditer liberare

liberare consuevit. Si enim patientiam & humilitatem in adversis perfectè tenueris, per desertum hujus vitæ, sub protectione columnæ nubis & ignis, id est patientiæ solatio, & charitatis ardore intrepidus perduceris. Quia igitur personam tuam vera charitate diligimus, & de te valde confidimus, si post tuum reditum sine dilatione, de his quæ ad honorem Sanctæ Ecclesiæ & Regni spectare noscuntur, tecum mutuis potuissemus tractare colloquiis, nobis utique gratum fuisset. Verùm quia id nobis temporis qualitas denegavit, & de tua salute sumus solliciti, quosdam de fratribus nostris, postquam te ad Longobardiæ partes, auctore Domino, incolumen pervenisse accepimus, sicut per venerabiles fratres nostros, Artuvicum Bremensem Archiepiscopum, & Anshelmum Havelburgensem Episcopum tibi significavimus, ad tuam serenitatem duximus destinandos, ut affectum & benvolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, & quod de te audire cupimus, ipsorum relatione nosceremus. Quibus dedimus in mandatis, ut tibi tanquam charissimo filio nostro, & Catholico Principi, atque speciali Romanæ Sanctæ Ecclesiæ defensori, ipsius Ecclesiæ statum & nostrum exponerent. Qui siquidem in Tusciam usque progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse noverunt, longitudinem viæ, & difficultatem itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiam redierunt. Cæterùm quia statum tuum, & dilecti filij nostri Henrici junioris Regis, quem post discessum tuum paterno affectu diliximus, & in posterum actiones ejus prosperari in Domino præoptamus, cognoscere cupimus, cum fratres nostri propter æstatis fervorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum Francone latorē præsentiū, & Apostolica scripta tuam Excellentiam visitantes, Nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, quatenus ea quæ circa te & ipsum geruntur, & statum Regni, per eundem Franconem nobis studeas intimare, & hoc tempore devotionem quam erga matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam geris, ostendas, ut nostro respondere affectui congruè videaris, & B. Petri Apostolorum Principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tusculano 8. Kal. Iulij.

De statu Regni certior fieri cupit.

CAP. LXII.

De obitu Henrici junioris Regis, & Hartliebi Trajectensis Episcopi, & Arnaldi Coloniensis Episcopi.

CIRCA idem tempus Filius Regis Henricus, quem ipse, ut suprà dictum est, per electionem Principum Regem ordinaverat, diem obiit, habens adhuc alium fratrem parvulum nomine Fridericum.

Regis Henrici obitus anno 1150.

Ea quoque tempestate in inferiori Trajecto Frisiæ Urbe, Hartliebo ejusdem Ecclesiæ Pontifice obeunte, grave schisma ibidem oritur: quibusdam Fridericum Adulfi Comitis filium, aliis Hermannum Ecclesiæ S. Gereonis in suburbio Coloniensi sitæ præpositum, in illius Ecclesiæ Præsulem eligentibus. Illi verò qui Hermannum elegerant, alios præoccupantes, Principem apud Noricum castrum adeunt, ab eoque investituram regalium suscipiunt. Quos altera pars in civitatem Galliæ Spiram subsecuta, inducias ab eo usque ad proximos dies Rogationum in palatium Noviomagense accepit. Inter hæc Arnaldus quoque Coloniensis Archiepiscopus, vir ad omnia Ecclesiastica & secularia negocia inutilis, vitam finivit.

Cōtroversia de Episcopatu Trajectensi.

Igitur Conradus Rex tam de subrogatione Coloniensis, quàm super determinatione illius controversiæ, quæ in Trajectensi Ecclesia agitabatur, examen laturus, inferiores Rheni partes adiit, habens secum ex Bajoaria Ottonem Frisingensem, ex Saxonia Albertum Misnensem Episcopos. Cumque ad Bobardiam villam regalem, in territorium Treverorum super Rhenum positam venisset, legatos obvios habuit, nunciantes; Arnaldum Cancellarium suum in præfata Coloniensi Ecclesia electum esse, sed eum hujus rei assensum usque ad adventum ipsius distulisse. Quod verbum gratanter Rex accepit, ac inde extra viam paulisper digrediens, duas arces fortissimas, quarum altera super Mosellam Cohina, altera super Rheni littus posita, Rinecca dicebatur, expugnavit: in Cohina præsidia ponens, alteram igni tradens. Ibi prænominatum Coloniensem electum excipiens, cum eoque ad inferiora descendens, capellam operosam, quam ille non

non longè à Colonia in proprio fundo conſtruxerat, à prædictis quos ſecum duxerat Epiſcopis, conſecrari fecit. Inde naves ingreſſus, ac per Rhenum remigans, Coloniam Agrippinam venit, cum maximo cleri ac populi tripudio ſuſceptus. Igitur finita, ut aſſolet, proceſſionis ſolennitate, Rex in Principali B. Petri Eccleſia ſedens, Arnaldum renitentem valde & reclamantem, Pontificatus ſimul & Ducatus Regalibus inveſtit, ſicque ad Noviomagenſe palatium Trajectenſium cauſam judicaturus venit.

Trajectenſes Fridericum in civitate non ſine faſtu habebant, Hermanno ejecto. Itaque conductum primò de perſonarum incolumitate petentes, cum magna multitudine navium à Rheno per Walfluvium, qui ab eo ſciſſus ipſius brachium eſſe noſcitur, veniunt. Quos Rex in cauſa ponens, ad pacemque cum adverſariis ſuis, ſine litis conteſtatione revocare volens, cùm hoc modo procedere non poſſet, tandem eis juris diſtrictionem obtulit. Illi viaticum redeundi poſtulaverunt, dicentes: Se eò quod cauſa ipſa tanquã Eccleſiaſtica ad Eccleſiaſticum judicem, i. ad aures ſummi Pontificis tranſlata eſſet, reſpondere coram cincto judice non poſſe. Contra quos, utpote adverſus Romanum Principem agentes majeſtatis reos, quia in continenti propter præſtitum commeatum ulciſci non valuit, acerba Rex uſus conqueſtione: mox etiam pro hujus temeritatis debita vindicta ſumenda, ad civitatem ipſorum proceſſiſſet, niſi quod propter quorundam Noricorum Comitum inſolentiam, in eandem revocabatur Provinciam.

Trajectẽſes à Cæſare ad Papam provocantes, majeſtatis rei.

CAP. LXIII.

Conradus Rex ad inferiores Rheni partes proficiſcitur, & quomodo poſt auditam cauſam Trajectenſium, Bajoariam ingreſſus eſt, & ibi omnibus bene compoſitis Babenbergæ diem obiit.

IGITUR proximam Pentecoſten in Confluentia, ubi & nuncios Regis Hiſpanorum jam diu ſecum moratos dimiſit, ſub Corona incedendo celebrans, Bajoariam ingreditur: Ratiſponæque curiam habens, duos ex cardinalibus Romanæ ſedis legatos, Iordanum ſcilicet, & Octavianum obvios excepit. Poſt hæc Palatino Comite Ottone ob filiorum ſuorum exceſſus proſcripto, vicinum ejus caſtrum Chelcheim dictum, rapido Danubij fluminis ambitu clauſum, obſidione cingit, eumque ad hoc ut unum filiorum ſuorum obſidem daret, coegit. Inde in Gallias rediens, Trajectenſium negotium revocatis omnibus ad ſubjectionem Hermanni, cum Imperij honore terminavit: ac ne aliquis in poſterum ejus facti ſcrupulus haberetur, à Romana ſede ratihabitionem obtinuit. Ipſe verò non multò pòſt omnibus bene in Gallia & Germania compoſitis, cum etiã jurata expeditione in proximo Imperij Coronam accepturus eſſet, non ſine ſuſpicione quorundam, quos ex Italia habuit, medicorum, quaſi ex Rogerij Siculi metu ſubmiſſorum, morbo corripitur: ſicque tamen tanto non fractus infirmitatis dolore, curiam celebraturus Babenberg venit: ubi cum multorum planctu raptus, prioris fortitudinis in ultimo diſcrimine retinens animum, proxima à capite jejunij ſexta feria, id eſt. XV. Kal. Martij vitam finivit: Regalia Duci Friderico, cum unico ſuo item Friderico, commendans. Erat enim tanquam vir prudens de filio ſuo adhuc parvulo, ne in Regem ſublimaretur, quaſi deſperatus: idcirco & privatæ & Reipublicæ meliùs profuturum judicabat, ſi is potiùs qui fratris ſui filius erat, ob multa virtutum ſuarum clara facinora, ſibi ſuccederet. Volentibus verò familiaribus ſuis, juxta ejus (ut aſſerebant) petitionem, eum ad Laureacenſe monaſterium deferre, ibique in proprio fundo juxta patrem humare, Babenbergenſis Eccleſia hoc contumelioſum ſibi fore judicans, non permiſit: quinimo convenientiſſimum & honeſtiſſimũ & Eccleſiæ illi, & Imperio decernens, juxta tumbam Imp. Henrici, ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Eccleſiæ in loca ſancta levatus, pro ſancto habetur, Regio cultu eum ſepelivit.

Kelhaim.

Conradi Cæſ. deceſſus 1152.

Hæc & alia, Auguſtorum invictiſſime, Excellentiæ tuæ ſcribuntur: quædam tibi ut tibi, quædam tibi, ſed non ut tibi: quæ acutus clericorum tuorum diſcernere debebit oculus. Verùm quia juxta quod propoſui, decurſis ſummatim avi, patris, patruique tui, non ſine aliqua tui mentione factis, ad tua principaliter geſta venimus, huic primo Volumini, quieſcendi pauliſper cauſa, finem imponere liceat: ut ad ea quæ de tua dicenda erunt magnificentia, faciliùs reſumatur ſpiritus.

LIBRI PRIMI FINIS.

OTTO.

OTTONIS FRISINGENSIS PROLOGUS, IN SECUNDUM LIBRUM, DE GESTIS FRIDERICI IMP. AUG.

NON *sum nescius, Imperatorum, seu Regum decus, dum gestorum tuorum magnificentiam prosequi conor, crebrescentibus victoriis stylum materiæ succubiturum. Inter duo tamen, ut ita dixerim, mala, melius fore judicavi, minus dicendo à materia Opus superari, quàm cuncta tacendo gloriosa facta silentio tecta deperire. Verùm quia priorem libellum usque ad regni, seu imperii tui ortum, in obitu gloriosissimi patrui tui Conradi regis, terminavi: huic secundo Operi de tui principatus gloria contenturo, tale Deo favente, imponatur initium.*

CAP. I.

De electione Friderici Ducis Suevorum (qui fuit fratruelis Conradi Regis) ad Imperium.

ANNO ab urbe condita M. D. CCC. ab incarnatione verò Domini M. CLII. decedente ab hac luce vernali tempore, id est, sexta feria proxima (ut dictum est) post caput jejunii, in civitate Babenbergensi, piissimo Rege Conrado, III. Nonas Martii, id est, tertia feria post *Oculi mei*, in oppido Franconefurt, de tam immensa transalpini Regni latitudine, universum (mirum dictu) Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in unum corpus coadunari potuit. Ubi cum de eligendo Principe Primates consultarent (nam id Juris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogativa) tandem ab omnibus Fridericus Suevorum Dux, Friderici Ducis filius petitur, cunctorumque favore in Regem sublimatur.

Electio Friderici anno 1151.

CAP. II.

Ratio quare in eum tam facilè consenserit universitas Principum.

HUJUS consultationis summa, in illamque personam tam unanimis assensus ratio, ut recolo, hæc fuit. Duæ in Romano orbe apud Galliæ, Germaniæve fines famosæ familiæ hactenus fuere: una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istæ, ut inter viros magnos, gloriæque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem æmulantes, Reip. quietem multotiens perturbârant. Nutu verò Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis, sub Henrico quinto factum est, ut Fridericus Dux pater hujus, qui de altera, id est, de regum familia descenderat, de altera Henrici scilicet Noricorum Ducis filiam in uxorem acciperet, ex vaque Fridericum, qui in præsentiarum est & regnat, generaret. Principes ergo non solùm industriam ac virtutem jam sæpe dicti juvenis, sed etiam hoc quòd utriusque sanguinis consors, tanquam angularis lapis, utrorumque horum parietum diffidentiam unire posset, considerantes, caput regni eum constituere adjudicaverunt: plurimùm Reip. profuturum præcogitantes, si tam gravis & diutina inter maximos Imperii viros, ob privatum emolumentum simultas, hac demum occasione, DEO cooperante, sopiretur. Ita non Regis Conradi zelo, sed universitatis (ut dictum est) boni intuitu, hunc Fridericum, ejus filio item Friderico adhuc parvulo præponere maluerunt. Hac consideratione & ordine electio Friderici celebrata est.

Fridericus & Gibellinorum & Guelforum sanguinis consors.

CAP. III.

Quòd post acceptam fidelitatem à Principibus, Aquisgrani consecratur, secumq; Fridericus Monasteriensis Episcopus.

ASTRI

1152. *Aquensis inauguratio novi Cæsaris.*

ASTRICTIS igitur omnibus qui illò confluxerant, fidelitate & hominio principibus, cum paucis, quos ad hoc idoneos judicavit, cæteris in pace dimissis, Rex cum multa jucunditate quinta feria naves ingreditur: ac per Mogum & Rhenum navigans, in villa regali Sinciche applicuit, ibi equos ascendens, in proximo sabbato Aquisgranum venit. Sequenti die, id est ea Dominica qua *Lætare Hierusalem* canitur, ab Episcopis à Palatio in Ecclesiam Beatæ Mariæ semper virginis deductus, cum omnium qui aderant applausu, ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, aliis cooperantibus coronatus, in sede regni Francorum, qui in eadem Ecclesia à Carolo Magno posita est, collocatur: non sine multorum stupore, quòd in tam parvo temporis spatio, non solùm tanta Principum, seu de Regno nobilium confluxerat multitudo, sed & quòd de Occidentali Gallia, ad quam nondum hujus facti rumor pervenisse putabatur, nonnulli advenerant. Nec prætereundum æstimo, quòd dum finito unctionis sacramento, diadema sibi imponeretur, quidam de ministris ejus, qui pro quibusdam excessibus gravibus, à gratia sua adhuc privati, sequestratus fuerat, circa mediam Ecclesiam ad pedes ipsius se projecit, sperans ob præsentis diei alacritatem, ejus se animum à rigore justitiæ emollire posse. Ipse verò mentem in priori severitate retinens, & tanquam fixus manens, constantiæ suæ omnibus nobis non parvum dedit indicium, dicens: non ex odio, sed justitiæ intuitu illum à gratia sua exclusum fuisse. Nec hoc etiam sine admiratione plurium, quòd virum juvenem, tanquam senis indutum animo, tanta flectere à rigoris virtute ad remissionis vitium non potuit gloria. Quid multa? Non illi misero intercessio principum, non arridentis fortunæ blandimentum, non tantæ festivitatis instans gaudium suppeditare poterant, ab inexorabili inexauditus abiit.

Sed & hoc silentio tegendum non erit, quòd eadem die, in eadem Ecclesia, Monasteriensis electus, item Fridericus, ab eisdem à quibus & Rex, Episcopis, in Episcopum consecratur, ut revera summus Rex & sacerdos præsenti jucunditati, hoc quasi prognostico interesse crederetur: quia in una Ecclesia, una dies duarum personarum, quæ solæ novi ac veteris Instrumenti institutione sacramentaliter unguntur, & Christi Domini ritè dicuntur, vidit unctionem.

CAP. IV.

Qui legati ad Urbem, & in Italiam destinati sint, & quò Rex divertit.

PERACTIS omnibus quæ ad coronæ decorem spectabant, Princeps in palatij secreta se recipit, vocatisque prudentioribus, seu majoribus ex numero Principum, de statu Reip. consultans, legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, Urbem ac totam Italiam destinandos disponit, de promotione sua in Regnum significaturos. Mittuntur itaque Hilinus Treverensis electus, & Eberhardus Babenbergensis Episcopus, viri prudentes, & literati. Dehinc Trajectensium contumaciam, qua (ut superius dictum est) in patruum suum Conradum Regem usi fuerant, ulturus, inferiores Rheni partes adiit: ipsisque pecuniaria pœna multatis, ac Herimano Episcopo confirmato, ad superiora remeando, sanctum pascha Coloniæ Agrippinæ celebravit. Inde per Guesfaliam transiens, Saxoniam intravit.

Trajectenses mulctati.

CAP. V.

Quomodo litem duorum consanguineorum de Regno Daciæ deciderit.

ERAT illo tempore in Regno Danorum inter duos consanguineos, Petrum scilicet qui & Suevus, & Guvotonem de Regno gravis controversia. Quos Rex ad se venire præcipiens, curiam magnam in civitate Saxoniæ Martinopoli, quæ & Merseburg, cum multa Principum frequentia habuit. Eò præfati juvenes venientes, ejus se mandato humiliter supposuerunt, eorumque ad ultimum causa, judicio seu consilio primatum, sic decisa fuisse dicitur. Guvoto relictis sibi quibusdam provinciis, regium nomen per porrectum gladium abdicaret. Est enim consuetudo Curiæ, ut regna per gladium, provinciæ per vexillum à Principe tradantur, vel recipiantur. Petrus verò accepto ab ipsius manu regno, fidelitate & hominio ei obligaretur. Ita corona regni per manum Prin-

Conventus Mersenburgicus.

Regalium tradendorũ ritus.

Principis sibi imposita, in die sancto Pentecostes ipse coronatus, gladium Regis sub corona incedentis portavit. Gualdemarus etiam qui ejusdem sanguinis particeps fuit, Ducatum quendam Daniæ accepit. 1152

CAP. VI.

Quomodo Rex controversiam, quæ in Magdeburgensi Ecclesia orta fuit, terminaverit, & quòd Ungaris bellum indicere voluerit.

CIRCA idem tempus Magdeburgensis Ecclesia, quæ Saxoniæ metropolis esse dignoscitur, pastore suo viduata, ad electionem faciendam resedit. Dumque alii ejusdem Ecclesiæ præpositum Gerardum, alii Decanum eligerent: divisis hinc inde personis, Regem adhuc in Saxonia morantem, adire disponunt. Quos dum multis modis ad unitatem, & vinculum pacis Princeps reducere satageret, ac proficere non valeret, alteri parti, id est, Decano cum suis persuasit, ut Guicmannum Cicensem Episcopum, virum adhuc juvenem, sed nobilem eligerent: eique accersito, regalia ejusdem Ecclesiæ concessit. Tradit enim Curia, & ab Ecclesia, eo tempore quo sub Henrico quinto de investitura Episcoporum decisa fuit inter regnum & sacerdotium controversia, sibi concessum autumat, quòd obeuntibus Episcopis, si fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrij esse, Episcopum quem voluerit, ex primatum suorum consilio ponere: nec electum aliquem ante consecrandum, quàm ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat. Rex omnibus in Saxonia benè ordinatis, cunctisque Principibus illius provinciæ ad nutum suum inclinatis, Bajoariam ingreditur, ac Ratisponæ Norici Ducatus metropoli, in festivitate Apostolorum in monasterio sancti Emmeranni, (nam major Ecclesia, cum quibusdam civitatis vicis conflagraverat) coronatur. Ad eandem curiam legati ad Eugenium Papam, Urbem, ac cæteras civitates Italiæ directi, læta reportantes redeunt. Ibi etiam Princeps, eò quòd omnibus in proprij Imperii finibus ad ejus voluntatem compositis, virtutem animi quam intus gerebat, extrà ferri disponeret, Ungaris bellum indicere, ipsosque ad Monarchiæ apicem reducere volebat. Sed cum assensum super hoc Principum, quibusdam de causis latentibus, habere non posset, ad effectum tunc perducere ea quæ volvebat mente, non valens, ad opportuniora tempora distulit.

Ius Imperatoris, oborta de Episcopatu concertatione. NB.

CAP. VII.

Quomodo propter litem duorum Ducum terminandam, apud Herbipolim curiam celebraverit, & ibi expeditionem in Italiam juraverit.

ERAT verò multa serenissimi Principis anxietas, cum omnia prosperè in Regno agerentur, qualiter controversia quæ inter ejus carnem & sanguinem, id est, Henricum patruum suum, & itidem Henricum avunculi sui filium, Duces, de Norico Ducatu agitabatur, sine sanguinis effusione terminari posset. Fuit namque Henricus iste Henrici quondam Norici Ducis filius, quem (ut alibi dictum est,) Conradus Rex à Bajoaria ejectum, in Saxonia manere compulerat, Ducatumque ipsius primùm Leopaldo Marchionis Leopaldi filio, ac deinde fratri ipsius huic Henrico concesserat. Rex ergo prædictam litem judicio vel consilio decisurus, utrique autumnali tempore mense Octobri in civitate Herbipoli curiam præfigit: quò dum alteri, id est, Henrici Ducis filius veniret, alter se absentaret, iterum & iterum vocatur. In eadem curia exulibus Apuliæ, quos Rogerius de solo natali propulerat, lachrymabiliter conquerentibus, ac ad pedes Principis miserabiliter se projicientibus, expeditio Italica tam pro afflictione horum, quàm pro corona Imperii accipienda, paulò minus quàm ad duos annos jurata est.

CAP. VIII.

Quòd Gerardus Magdeburgensis Præpositus Guicmannum Cicensem Episcopum Romæ accusavit: & Epistola Papæ super hoc.

Q Porrò

1152. PORRO Gerardus præpositus Romam pergens, Eugenium Papam adiit, eique causam Magdeburgensis Ecclesiæ aperiens, Guicmannum à Principe (ut suprà dictum est) per electionem alterius partis ibi locatum, multis modis de intrusione accusavit. Hanc rem quàm gravissime Romanus Pontifex exceperit, tam ex literis, in quibus nonnullis Episcopis, qui pro eo ob amorem Regis Romanæ Ecclesiæ scripserant, respondit, quàm ex Cardinalium, qui postmodum ad transalpina directi sunt, viva voce percepimus. Literarum autem talis tenor fuit:

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Eberhardo Saltzburgensi, Artwico Bremensi, & Hillino Treverensi Archiepiscopis, Eberhardo Babenbergensi, Hermanno Constantiensi, Henrico Ratisponensi, Ottoni Frisingensi, Conrado Pataviensi, Danieli Pragensi, Anshelmo Havelburgensi, & Burckardo Eistadensi Episcopis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ad quosdam Germaniæ Episcopos monitoria, de negotio litis Magdeburgensis.

Literas quas pro causa Magdeburgensis Ecclesiæ vestra nobis prudentia delegavit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem & cognitione earum stupore nimio, & admiratione repleti sumus, eò quòd longè aliud in eis quàm vobis ex officio Pontificatus immineat, perspeximus contineri. Cùm enim in Ecclesiæ vertice sitis ex divina providentia constituti, ut de medio ejus quæ fuerint nociva propellere, quæ utilia debeatis attento studio conservare, in causa ista, sicut ex suggestione literarum vestrarum nobis innotuit, non quod expediat Ecclesiæ Dei, quod sacrorum canonum sanctioni concordet, quod exinde à cœlesti arbitrio approbetur, sed quod terrenis Principibus placeat, attendistis: & qui eorum animos à sua minus recta debuistis deflectere intentione, atque ubi esset via Domini, demonstrare. Non persuasistis quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israel: quinimò ipsis, ut ait Propheta, parietem ædificantibus, vos (quod sine grandi animi rancore vix dicimus) linivistis illum luto absque paleis. Non ita sentiebat Princeps Apostolorũ, qui ex fidei suæ confessione, ut totius Ecclesiæ fundamentum esset, accepit: sed comminantibus seculi filiis, & Apostolis, si prædicarent in nomine Jesu mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute respondit: *Oportet obedire Deo magis quàm hominibus.* Vos autem ne à terrenis videamini Principibus dissentire, illi causæ favorẽ vestrũ impenditis, cui & Ecclesiasticæ auctoritas constitutionis, & supernæ voluntatis examen pro certo creditur obviare. Cùm enim translationes Episcoporum sine manifestæ utilitatis & necessitatis indicio, divinæ legis oraculum non permittat: cùm etiam multò amplior, quàm in aliis electionibus cleri & populi eas debeat prævenire concordia: in facienda translatione de venerabili fratre nostro Guicmanno Cicensi Episcopo, nihil horum est, sed solus favor Principis expectatur: & nec inspecta necessitate illius Ecclesiæ, nec considerata utilitate personæ, clero nolente, imò (ut dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum dicitis Ecclesia supplantandum. Super quo tantò amplius admiramur, quantò persona illa, cujus gravitatis sit atque scientiæ, ab anteactis agnovimus, ac perinde quantum Ecclesiæ illi sit utilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur quicunque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quæ in fundamento meruit Ecclesiæ collocari, sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut à sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deviare: per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti favorem ulterius non præstetis, & apud charissimum filium nostrũ Fridericum, quem Deus hoc tempore pro servanda libertate Ecclesiæ in eminentiam Regni evexit, afficere vestris exhortationibus studeatis, ut & ipse à sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros Canones, contra Regiæ dignitatis officiũ, eidem causæ favorem suum ulterius nõ impendat: sed Ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis Ecclesiis Regni à Deo sibi commissi, liberam facultatem, quem voluerit secundum Deum eligendi, relinquat, & electionem ipsam postmodum favore suo, sicut decet majestatem Regiam, prosequatur. Nos enim, si quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem, & sacrorum Canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Datum Signiæ XVI. Kalend. Septemb.

CA-

1153.

CAP. IX.

Quomodo per duos Cardinales assensu Principis, quidam Episcopi depositi sunt, & de duobus Ducibus Henricis.

AT Rex in proximo Pascha Babenberg coronam gestans, duos Cardinales, videlicet Bernardum presbyterum, & Gregorium Diaconum ad depositionem quorundam Episcoporum, ab Apostolica sede destinatos, secum habuit. Proximam dehinc Pentecosten Vormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ sedis Archiepiscopum, virum pro distractione Ecclesiæ suæ frequenter correptum, nec correctum, per eosdem Cardinales deposuit, ac Arnaldum Cancellarium suum per quorundam ex clero & populo, qui illuc venerant, electionem, ei subrogavit. Ad prædictam curiam prænominati Duces, ambo Henrici pro Ducatu Norico, ut dictum est, contendentes venerunt: sed altero quòd legitimè vocatus non fuerit, prætendente, debitum finem negotium ibi habere non potuit. Iidem etiam Cardinales permissu Principis Burckardum Eistetensem senio gravem, de inutilitate causantes, itidem submovere. Dumque post hæc in Magdeburgensem & quosdam alios sententiam ferre cogitarent, à Principe inhibiti, & ad propria redire jussi sunt.

Moguntinus exautoratur Anno 1153.

CAP. X.

Quòd mortuo Eugenio, Anastasius subrogatur, & quòd Cardinalis Gerardus insolenter agere volens, prohibitus & in via mortuus est, & Guicmannus in Episcopatu confirmatus.

EA tempestate Eugenius Papa, vir justus, & religione insignis, ab hac luce transiens, Anastasio homini veterano, & in consuetudine illius Curiæ exercitato, sedem reliquit. A quo dum Cardinalis quidam Gerhardus nomine, ad terminandam Magdeburgensis electi causam missus fuisset, ac Principem in eadem civitate natale Domini celebrantem adiisset, cum quædam ibi secus illius nutum tractare vellet, indignationem ejus incurrens, infectis negotiis pro quibus venerat, mundatis sævioribus, ingloriè redire coactus, in via etiam vita decessit. Verùm Princeps missis ad Anastasium cum Guicmanno nunciis, non solùm facti sui ratihabitionem, sed etiam pallium obtinere eum fecit: non sine quorundam scandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipsorum ore audierant. Exhinc non solùm in secularibus, sed & in Ecclesiasticis negotiis disponendis, auctoritas Principis plurimùm crevit.

Anastasius 4. Papa.

CAP. XI.

Quòd legatos in Græciam destinaverit, & quòd Henrico Saxonum Duci Ducatus Baioariæ adjudicatur, & quòd Rex in Italiam procinctum movit.

CIRCA idem tempus, mense Septembri, Principes, majoresque Bajoariæ à Rege Ratisponæ convocantur, sed nihil ibi de bono pacis in illa provincia, propter duorum Ducum litem, terminari poterat. Rex tamen quia non multò antè hæc per Apostolicæ sedis legatos, ab uxore sua ob vinculum consanguinitatis separatus fuerat, pro ducenda alia pertractans, ad Manuel Græcorum Imperatorem tam pro hoc negotio, quàm pro Guilhelmo Siculo, qui patri suo Rogerio noviter defuncto, successerat, utriusque Imperii invasore debellando, in Græciam legatos destinandos ordinat: sicque primatum suorum consilio, Anshelmus Hamelburgensis, & Alexander Apuliæ quondam Comes, sed à Rogerio cum cæteris ejusdem provinciæ nobilibus, ob suspicionem dominandi propulsus, eandem legationem suscipiunt.

Proximo dehinc mense Decembri utrique Duces, Henricus, itidem & Henricus, in civitate Spira, Principis adsistunt judicio: sed iterum altero de legitima vocatione se excusante, res protelatur. Itaque Fridericus dum jam ferè per biennium ad decidendam litem duorum principum, sibi (ut dictum est) ex propinquitate sanguinis tam

1154. affinium laborasset: tandem alterius instantia, qui in paternam hæreditatem, à qua diu propulsus fuerat, redire cupiebat, flexus, imminente etiam sibi expeditionis labore, in qua eundem juvenem militem, sociumque viæ habere debuit, finem negotio imponere cogebatur. Proinde in oppido Saxoniæ Goslaria curiam celebrans, utrosque Duces, datis edictis, evocavit. Ubi dum altero veniente, alter se absentaret, judicio Principum alteri, id est, Henrico Saxoniæ Duci, Baioariæ Ducatus adjudicatur.

Bavaria Henrico Saxoniæ Duci adjudicatur.

Post hæc Princeps de Saxonia in Baioariam se recipiens, ac inde per Alemanniam transiens, anno Regni sui tertio, in Campania Lici fluminis termino Baioariæ, contra civitatem Augustensem, circa principium mensis Octob. militem in Italiam iturus collegit, finitis ex quo jurata fuerat primò expeditio, duobus annis. Nec illustrem animum à tam illustri facto, ex recenter prolata in tam magnum Imperii Principem sententia, & ex hinc obortum non parvum aliorum Principum murmur revocare poterat: quin omnia quæ retrò erant, tanquam floccipendens, Deo se committendo in anteriora extenderetur. Per Brixinoram itaque & vallem Tridentinam transiens, emensis Alpium angustiis, in campestribus Veronensium, juxta stagnum Gardæ, castrametatur. Ubi dum de processu ad ulteriora cum Principibus consilium iniret, primò cœli Principem conciliandum decrevit. Denique miles per claustra montium transiens, ob difficultatem locorum victui necessaria invenire nequiens, dum penuriam magnam, quod in exercitibus molestum esse solet, pateretur, nonnulla sacra loca violarat. Ad hæc, quamvis prædictam necessitudinis excusationem habere viderentur, expianda, Rex à toto exercitu collectam fieri jubet; & sic non modicam coadunatam pecuniam per quosdam religiosos viros, duobus Episcopis, Tridentino scilicet & Brixinorensi remittendam, ac per singula sanctorum loca, quæ damnum passa fuerant, dividendam statuit: pulchrè communi utilitati consulens, pulchrè rectoris officium implens, ut maxima adorsurus negotia, ante omnia rectorem & plasmatorem omnium, sine quo nihil benè inchoatur, nihil prosperè consummatur, placandum, ejusque offensam à populo suo avertendam intenderet.

Fridericus Cæsar in Italiam movet, Anno 1154.

CAP. XII.

Quomodo apud Roncalias quibusdam Episcopis regalia abjudicata sint.

INDE castra movens in campo Roncaliæ super Padum, non longè à Placentia, mense Novembri resedit. Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotienscunque ad sumendam Romani Imperii coronam, militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes qui in ejus Comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuò ad præsentiam Regis, aliorumque Principum, vel virorum illustrium evocatur: sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate Dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe secuto, non solùm laicorum feuda, sed & quorundam Episcoporum, id est, Hartuici Bremensis, & Ulrici Halberstatensis regalia personis tantùm, quia nec personis, sed Ecclesiis perpetualiter à Principibus tradita sunt, abjudicata fuere. Sed quoniam hujus terræ mentio habita est, de ipsius situ ac ritu, & à quibus prius inhabitata, quóve nomine dicta, à quibus postmodum possessa, quo censeatur vocabulo, paucis absolvam.

Mos priscus Cæsare apud Roncalias castrametante.

NB.

CAP. XIII.

De situ Italiæ, & more gentis ejusdem. Item de situ & superbia Mediolani, & de consuetudine & justitia Regni, atque de diversis querimoniis ad Principem delatis.

Italia termini.

HÆC Pyrenæo, seu Apennino altissimis & scopulosissimis alpibus in oblongum ductis, hincinde septa, tanquam eorundem, vel potius ejusdem montis umbilicus: utve deliciarum hortus, à Tyrrheno mari usque ad Adriatici æquoris oram protenditur, habens ad Septentrionem Pyrenæas (ut dictum est) Alpes: ab Austro Apenninum, qui

modò

modò mutato nomine mons Bardonis vulgò dicitur: ab Occidente Tyrrhenum, ab Oriente Adriaticum æquor. Padi vel Eridani fluminis, quem unum inter tria Europæ flumina famoſiſſima Topographi ponunt, cæterorumque omnium decurſu irrigua, ſoli dulcedine, cœlique temperie: frumenti, vini & olei ferax: intantum ut arbores fructiferas, præcipuè caſtaneas, ficeta, & oliveta inſtar nemorum educet. Romanorum Colonia ulterior Italia olim dicebatur, tribus diſtincta Provinciis, Venetia, Æmilia, Liguria: quarum primæ Aquileia, ſecundæ Ravenna, tertiæ Mediolanum metropoles fuere. At in ipſo Apennino, ubi & Urbs Roma ſita eſſe noſcitur (quæ modò Tuſcia vocatur, eò quòd Apennino incluſa, Urbem quoque ipſam in ſinu ſuo contineat) interior Italia jure dicta eſt. Illa verò quæ poſt emenſionem montium Campania excipitur, unde & à re nomen trahens, Campania adhuc dici ſolet, ac uſque ad Farum, brachium maris, navibus ob ſyrtes importunum, Siciliam à ſolido ſejungens, producitur. Nam Sicilia Europam terminans, Sardiniæ, cæterisque Italiæ Inſulis adnumeratur. Olim citerior Italia, vel major Græcia vocabatur, nunc Apulia vel Calabria dicta. Quamvis aliqui hanc & mediam pro una reputantes Italia, citeriorem ſeu majorem Græciam dicere maluerint Italiam, non tres, ſicut præmiſſum eſt, ſed duas tantùm, ulteriorem & citeriorem ponentes Italias. Nonnulli tamen prædictas Alpes Apenninum & Pyrenæum eadem montana eſſe volunt, eò quòd circa eas partes, qua Ianua civitas in navalibus præliis ſatis exercitata, ſuper Tyrrhenum æquor ſita eſt, conveniendo, prædictam claudant Provinciam: in argumentum ſuæ aſſertionis inducentes, quòd Pannonia, juxta Iſidorum, tanquam Apennino clauſa nomẽ accepit, quam non Apenninus, qui mons Bardonis, ſed Pirenææ attingunt Alpes. Patet, ut arbitror, cur hanc terram duorum montium, vel ejuſdem, ſupra umbilicum dixerim. Barbarorum verò incurſionibus, ac dominationi, qui à Scanzia Inſula cum Alboni Duce venientes, Pannonias primò inhabitarunt, ſubjacere incipiens, ab eiſdem, eò quòd ad augendum exercitum, fœminis reflexis ad mentum crinibus, ſicque virilem & barbatam faciem imitantibus, & idcirco Longobardis à longis barbis vocitatis, & ipſa Longobardia adpellari conſuevit. Ex quo contingit, ut circa Hexarchatum Ravennatenſem artatis antiquis ejuſdem Provinciæ incolis, ea pars Italiæ quæ antea Æmilia dicebatur, nunc Romaniola, quod diminutiuum à Roma tractum noſcitur, vulgò uſque hodie dici ſoleat. Veruntamen Barbaricæ depoſito feritatis rancore, ex eo forſan quòd indigenis per connubia iunctis, filios ex materno ſanguine, ac terræ aerisve proprietate aliquid Romanæ manſuetudinis & ſagacitatis trahentes, genuerint, Latini ſermonis elegantiam, morumque retinent urbanitatem. In civitatum quoque diſpoſitione, ac Reip. conſervatione, antiquorum adhuc Romanorum imitantur ſolertiam. Denique libertatem tantopere affectant, ut poteſtatis inſolentiam fugiendo, Conſulum potius quàm imperantium regantur arbitrio. Cumque tres inter eos ordines, id eſt capitaneorum, valvaſſorum, & plebis eſſe noſcantur, ad reprimendam ſuperbiam, non de uno, ſed de ſingulis prædicti Conſules eliguntur, neve ad dominandi libidinem prorumpant, ſingulis penè annis variantur. Ex quo fit, ut tota illa terra intra civitates fermè diviſa, ſingulæ ad commanendum ſecum diœceſanos compulerint, vixque aliquis Nobilis, vel vir magnus, tam magno ambitu inveniri queat qui civitatis ſuæ non ſequatur Imperium. Conſuerunt autem ſinguli ſingula territoria, ex hac comminandi poteſtate, Comitatus ſuos appellare. Ut etiam ad comprimendos vicinos materia non careant, inferioris conditionis iuvenes, vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium Opifices, quos cæteræ gentes ab honeſtioribus & liberioribus ſtudiis, tanquam peſtem propellunt, ad militiæ cingulum, vel dignitatum gradus aſſumere non dedignantur. Ex quo factum eſt, ut cæteris orbis civitatibus, divitiis, & potentia præemineant. Iuvantur ad hoc non ſolùm (ut dictum eſt) morum ſuorum induſtria, ſed & Principum in tranſalpinis manere aſſuetorum abſentia. In hoc tamen antiquæ Nobilitatis immemores, Barbaricæ fecis retinent veſtigia: quòd cum legibus ſe vivere glorientur, legibus non obſequuntur. Nam Principem, cui voluntariam exhibere deberent ſubjectionis reverentiam, vix aut nunquam reverenter ſuſcipiunt: vel ea quæ ſecundum legum integritatem ſanciverit, obedienter excipiunt, niſi ejus multi militis aſtipulatione coacti, ſentiant auctoritatem. Ob ea frequenter contingit, ut quamvis civis lege flectendus, adverſarius armis cogendus ſecundum leges ſit: ipſum tamen, quem ut proprium Principem mitem ſuſcipere oportebat, ſæpius jura propria expoſcentem, hoſtiliter excipiant. Ex quo duplex Reipub. naſcitur detrimentum, ut Princeps ad ſubjugationem, civis in colligendo exercitu diſtrahatur: & civis, non ſine magno rerum ſuarum diſpendio, ad obedientiam Principis compellatur.

1154 — *Diviſio.* — *Longobardia.* — *Romãdiola.* — *Comitatus tractus ſunt uniiuris ditioni ſubjecti.* — *Italorum erga Cæſares contumacia.*

1154. pellatur. Quare eadem ratione qua populum super hoc incusat temeritas: sic Principem apud Deum & homines excusare debebit necessitas.

Mediolanum

Inter cæteras ejusdem gentis civitates Mediolanum primatum nunc obtinet, inter Padum & Pyrenæum sita. Ticino & Adua ab eodem Pyrenæo nascentibus, ac in Pado se recipientibus,& ob hoc sinum quendam fertilissimum in modum insulæ facientibus media posita, ritè Mediolanum vocatur: quamvis nonnulli ex quodam portentuoso sue, unam medietatem setas,& alteram lanam habente, è fundatoribus Mediolanum dictam putent. Hæc ergo non solùm ex sui magnitudine, virorumve fortium copia, verum etiam ex hoc, quòd duas civitates vicinas, in eodem sinu positas, id est, Cumam & Laudam ditioni suæ adjecit, aliis (ut dictum est) civitatibus celebrior habetur. Porrò ut in rebus caducis ex arridentis fortunæ blandimento fieri solet, rebus secundis elata, in tantum elationis extumuit audaciam, ut non solùm vicinos quosque infestare non refugiat: sed & ipsius Principis Majestatem non reformidando, ejus aula fuerit incurrere recenter offensam. Quod quibus de causis exordium sumpserit, breviter aperiam. Interea quædam de justitia regni dicenda videntur.

NB. Iura Cæsarum Italiam ingredientiū. Fodrum regale.

Mos enim antiquis, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus est tempora, ut quotiescunque Reges Italiam ingredi destinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmittant, qui singulas civitates seu oppida peragrando, ea quæ ad fiscum regalem spectant, quæ ab Accolis Fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, ut Principe adveniente plurimæ civitates, oppida, castella, quæ huic justitiæ vel omnino contradicendo, vel integraliter non persolvendo, reniti conantur, ad solum usque prostrata, proterviæ suæ documentum posteris ostendant. Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur justitia, ut Principe Italiam intrante, cunctæ vacare debeant dignitates & magistratus, ac ad ipsius nutum secundum scita legum, jurisque peritorum judicium, universa tractari. Tantam ei quoque judices terræ recognoscere dicuntur jurisdictionem, ut ex omnibus quæ terra producere solet, usui necessarijs, exceptis vix bubus & seminibus, ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantum necesse fuerit militi profuturis, ad regios usus suppeditare æquum arbitrentur.

Vacatio dignitatum.

Igitur Rege apud Roncalias per quinque, ut ajunt, dies sedente, & ex Principum, ac de universis penè civitatibus Consulum seu Majorum conventu curiam celebrante, diversa hinc inde diversis ex querimoniis emersere negotia. Inter quæ Guilhelmus Marchio de monte Ferrato, vir nobilis & magnus, & qui penè solus ex Italiæ Baronibus civitatum effugere potuit Imperium, simul & Astensis Episcopus, gravem uterque super Astensium, alter, id est, Marchio super oppidanorum Kairæ conquestionem facientes insolentia. Neque enim multum ad Principis triumphi titulum, respectu ipsius gestorum fortium, facere arbitramur, si de castellis, rupibus, oppidis, villisque magnis, quæ ab ingressu suo non solùm militari ordine, sed etiam armigerorum tumultuationis assultu subversa sunt, diceremus, ad majora festinantes. Aderant etiam Cumanorum seu Laudensium consules, de attritionis suæ diutina miseria, lachrymabilem super Mediolanensium superbia facientes querimoniam, præsentibus duobus consulibus ejusdem civitatis, Oberto de Orto, & Gerardo Nigro. Princeps igitur his de causis superiores Italiæ partes aditurus, per Mediolanensium fines transire volens, prædictos consules tanquam viæ Duces futuros, & de idoneis tabernaculorum locis dispposituros, secum retinuit. Venerunt etiam ad eandem curiam legati Januensium, qui non longè ante hæc ipsa, captis in Hispania inclytis civitatibus, & in sericorum pannorum opificio prænobilissimis, Almaria & Ulyxibona, Sarracenorum spoliis onusti redierant, leones, struthiones, psitacos, cum cæteris pretiosis muneribus Principi præsentantes.

CAP.

CAP. XIII. 1154.

Quibus occasionibus Rex in Mediolanenses arma converterit.

FRIDERICUS ergo ad superiora (ut dictum est) ulterioris Italiæ, profecturus, à Roncalijs copias ducens, in territorio Mediolanensium castra, posuit. Dumque à prænominatis consulibus per arida, ubi nec stipendia inveniri, nec ex mercatu haberi possent, circunduceretur loca: indignatione motus, jussis primò ut ad propria redirent consulibus, in Mediolanenses arma convertit. Accessit ad hujus indignationis cumulum, quòd ex maxima imbrium effusione totus exacerbatus fuisse dicitur exercitus, ut ex hac duplici inediæ videlicet & cœli inclementiæ molestia, cuncti prout poterant Principem adversus eos concitarent. Alia itidem huius commotionis causa non parva fuit, quòd Princeps temeritatis illorum in hoc tumorem præsenserat, quòd non solùm civitates quas destruxerant, reædificari pati nollent, quinetiam ad iniquitatis illorum assensum, ipsius nobilem & incorruptum hactenus animum pecunia inclinare ac corrumpere satagebant. Rex castra de aridis locis movens, ad fertilia ipsius territorii habitacula non longè à civitate se transferens, militem lassatum refecit.

CAP. XIV.

Quædam oppida ac castra Mediolanensium evertuntur, & de Novaria suoque Comite.

ERAT in vicino oppidum quoddam satis populosum Rosatum, ubi Mediolanenses *Rosatum opp.* circiter quingentorum equitum armatorum præsidia locaverant. Iubentur ergo equites ad civitatem redire, direptisque omnibus usui necessaiis, ipsum oppidum flammæ datur. Ibi quidam ex equitibus Principis usque ad portas Mediolanensium progressi, quibusdam vulneratis, quosdam cepere. Mediolanenses non solùm damno præsentium, sed & metu futurorum stupefacti, Gerardi Consulis, tanquam huius mali auctoris, domum, Principis iram mitigaturi, diruunt. At Princeps hujus rei nihil pensi habens, ad Ticinum usque amnem, majores his clades irrogaturus, procedit. Is amnis à Pyrenæo, *Ticinus fl.* ut suprà ostensum est, surgens, & Padum seu Eridanum juxta Papiam, quæ exhinc Ticinum vocatur, influens, Insulam Mediolanensium ab Occidentali latere cingit. Ibi duos pontes ligneos, quos ipsi ob incursum in Papienses & Novarienses construxerant, ac ob illorum impetum reprimendum propugnaculis munierant, occupat, transmissoque per eos milite ignibus tradit. Denique tria ipsorum castra munita & decora, id est Mummam, Gailardam, Tricam, quæ ad expugnationem Novariensium in ipsorum territotio firmaverant, expugnata cremantur. Est autem Novaria civitas non magna, sed ex quo ab Imperatore Henrico olim eversa reædificari cœpit muro novo, & vallo non modico mu- *Novaria.* nita, Comitem habens in sua diœcesi Guidonem Blanderatensem, qui præter morem Italicum, totum ipsius civitatis territorium, vix ipsa civitate excepta, Mediolanensium possidet auctoritate: inhiantibus adhuc Mediolanensibus, ut & hanc simul & Papiam, sicut alias absorbeant civitates. Facta est hæc victoria Mense Decembri, nataleque Domini circa prædictorum excidium castrorum à Principe cum magna celebratur alacritate.

CAP. XV.

De subversione Kairæ & Astæ, & de treuga militum.

POST hæc Princeps per Vercellum & Taurinum transiens, transuadato ibi Pado ad inferiora versus Papiam iter reflectit. Verùm oppidani Cairæ, simul & Astenses cives, eò quòd præcepta Principis de exhibenda Marchioni suo Gulhelmo de Monte ferrato justicia minimè paruissent, tanquam rebellionis rei hostes judicari proscribuntur. Ad quorum puniendam contumaciam dum Rex exercitum ducit, illi relictis munitionibus velut viribus suis diffidentes, ad vicina montana diffugiunt. Rex primò Cairam veniens, inventis sufficienter victualibus, per aliquot ibi dies *Caira nunc Chiera & Asta urbes in Subalpinis.* mansit. Turres quæ non paucæ ibidem fuere, destruxit, oppidumque succendit. Inde Astam procedens, vacuamque non opibus sed habitatore reperiens civitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam & direptioni dedit. Antè verò quàm abinde castra moverentur, consilio sapientum Rex habito, propter crebras

1155 quæ in exercitu ortæ fuerant seditiones, aliqua militi in posterum profutura ordinare disponit. Non solùm ergo edicto dato, sed & à singulis majoribus & minoribus sacramēto præstito, legem dedit, ne quis infra castrorum ambitum gladium ad quodlibet commilitonis nocumentum portare auderet, adijciens pœnam, ut quicunque hanc treugam violando, quempiam de sociis vulneraret, manu mutilaretur, vel etiam capite obtruncaretur. Hacque tam sapienti, quàm necessaria lege data, de cætero juvenilium irrationabilis impetus animorum conquievit.

Edictum de pace castrensi.

CAP. XVI.

De Terdona, & quare obsessa sit, & de ejus situ, atque præsidiis, & quomodo obsessa ac impugnata, qualiterve à suis defensa fuerit.

FUIT non longè ab eo loco civitas Terdona, natura & arte munita, Mediolanensibus amica, ipsisque contra Papienses fœdere juncta. Igitur Papiensibus conquerentibus plus à Terdona se quā à Mediolano molestari, eò quòd quamvis civitas Papia in sinu quidem Mediolanensium posita, robur, tamen comitatus sui ultra Ticinum fluvium habeat, isti nullo montis seu fluminis objectu expositum, jussa est à Principe à Mediolani contubernio recedere, Papiæque sociari. Quod dum facere recusaret, dumque magis seditiosè & inimicè, quàm pacificè & amicè Regibus, civitati adhærere delegisset, tanquam majestatis rea, & ipsa inter hostes Imperij adnumerata proscribitur. Princeps Terdonensium sicut & Astensium vindicaturus insolentiam, ab Asta castra movens, in marchia quadam, quæ Busca dicitur, tentoria fixit. Ibi per aliquot dies moram faciens, quosdam ex militibus cum fratre suo Conrado, Bertolfo Burgundionum Duce, Ottone vexillifero suo, ex Bajoaria Palatino Comite præmittendos, situmque civitatis exploraturos decrevit. Qui transmisso amne, qui Tanera vulgò dicitur, usque ad ipsam civitatem decurrentes, ac omnia circumspicientes, non longè ab ea super prædictum amnem metantur castra. Tertia dehinc luce Rex suos insecutus, altera fluminis ripa tabernacula fixit, suis ex prædicti amnis inundatione, qui ex subita imbrium multitudine plus solito excreverat, iungi non valens. Attamen non multo pòst fluvio aliquantisper mitigato, transuadandi labore suis adjunctus, ad civitatem properavit. Primoque assultu suburbia muro, turribus suffulta, cepit & expugnavit, civibus vix ad superiorem civitatis arcem se recipiendi, ex noctis, quæ jam incumbebat, & supervenientis tempestatis beneficio, facultatē habentibus. Est autē Terdona penè in pede Apennini montis, ex ea qua Apēninus & Pyrenæus, ut suprà dictum est, iunguntur, parte sita, Campaniam Papiæ seu Mediolani tanquam è specula prospiciens. In monte terete, scopulosam faciem in prærupto laterum prætendente, posita: turribus, & præcipuè una lateritia, à Tarquinio Superbo olim facta, quæ & Rubea nunc ab indigenis dicebatur superba: in declivo montis suburbio, ex murorum ambitu, ac turrium celsarum, populique multitudine, cujusdam amniculi per medium transeuntis insignis.

Terdonenses à Friderico proscripti.

Terdonæ situs.

Princeps Nobilis, capto (ut dictum est) suburbio, arcem ipsam seu civitatem obsidione clausit. Erat autem prædicta arx non solùm suis viribus, sed etiam Mediolanensium fortitudine, & vicinorum Baronum, quorum unus Marchio Opitius, cognomento Malaspina fuit, præsidiis munita, obque tantæ opis confidentiam, ad propellendam Principis iram instrui ausa. Initiata est hæc celebris Terdonæ obsidio mense Februario incipiente, post caput jejunii proxima quadragesimæ hebdomada. Receptis igitur ad angustias arcis Terdonensibus, tantaque multitudine velut uno carcere inclusis, mons ipse circumquaque à Principe, ne ullus effugiendi pateret miseris aditus, obsidione vallatur: Principe ipso ex Occidentali parte, Henrico Duce Saxoniæ in suburbio, quod Meridiem versus Apenninum respicit, Papiensibus in Campania, quæ contra Papiam seu Mediolanum ad Orientem vel Aquilonem extenditur, residentibus. Nec mora, machinæ, diversorumque tormentorum genera fabricantur, sagittarii, balistarii, fundibularii arcem circunseptam observant. Tentabat omnia virtus Principis, & ubi infirmiora arcis videbat loca, valentiori urgebat manu. At Terdonenses artissimis septi claustris effugii locum non habentes ex despe-

Terdona obsessa anno 1155.

desperatione audaciam sumunt. Nulla enim (ut ait ille Historiographus) promptiorem bello militem reddit, quàm necessitas præliandi ex prærupto periculorum. Urgentur jaculis, urgentur balistis, quodque his gravius est, propria remordentur conscientia: eò quòd proprio Principi rebellando, quicunque ex eis deprehensi fuissent, patibuli, quod in præsentiarum erectum cernebant, expectabant supplicium. Sicut enim est magna miseris tyrannicæ obviantibus immanitati consolatio, conscientiæ spes: sic è converso tali Principi, qui non solùm legitimus judex, sed & primus Præsul dici potest, reluctari conantibus, miseriæ miseriam cumulat, contra conscientiam debitæ sententiæ metus. Crebris tamen excursionibus, quasi nullo timoris periculo urgerentur, militem in castris manentem lacessebant, iuvenilesque animi, laudis (ut assolet) avidi, virium suarum experientiam utrobique capessebant: illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus. Nec hoc sine utriusque partis damno. Nam & ex nostris duo Nobiles juvenes, Kadolus ex Bajoaria, & Joannes de Saxonia, pluribus sauciatis, necantur. Ex illis verò, exceptis his quos occisos, vel vulneratos intus celabant, nonnulli vivi deprehensi, ligni supplicio in oculis omnium pœnas meritas luebant. Ferunt quadam die lapidem vi tormenti ex balista, quam modò *margam* vulgò dicere solent, propulsum, ad superiora mœniorum loca conscendisse, ex collisione parietum tribus fractis frustis, tres simul milites armatos inter majores civitatis, juxta principalem Ecclesiam de suæ Reipublicæ statu consultantibus stantes, uno ictu percussisse, necique dedisse. 1155.

Marga tormenti bellici genus.

Quia verò castra Papiensium majorem incursum cæteris sustinebant, junguntur eis ex Imperio Principis Guilhelmus Marchio de monte Ferrato, & quidam alij ex Italicis Baronibus. Erat enim ex ea parte puteus seu fons, quo solo poterant oppidani uti: & idcirco Papiensibus prohibentibus, illisque suprema necessitudine, cujus proprium est periculorum discriminis immemorem esse, audacter decertantibus, major, imò quasi quotidiana instabat conflictatio. Nam amniculus, qui medius (ut suprà ostensum est) percurrebat suburbium, ex ruina turrium, cæterorúmve mœnium, à proprio alveo excussus, ne in ipsorum usum etiam feculentus provenire posset, à Duce Saxoniæ, suisque acriter servabatur. Videns Princeps plus cupito obsidionem produci, (anhelabat enim ad accipiendam orbis & urbis Monarchiæ coronam) non solum turres machinis quati, sed etiam inusitato satis utens artificio, cuniculos versus turrim Tarquinij, quæ Rubea dicebatur, fieri jubet: ut sic ad turrem ipsam per ipsos subterraneos meatus procedentes, fundamento læso, eam ruinæ darent. Nam cùm prædicta civitas non in modum aliarum civitatum vallo seu fossa, sed præruptis undique propè interclusa rupibus, naturali præsidio muniatur: ex illa tantùm parte aliquantisper remissior, hispidæque rupis firmamento carens, prædictæ turris munimentum, magnique fossati robur, tanquam hujus suæ imbecillitatis adjumentum, artificialiter admisit. Oppidani, non sine quorundam ex nostris proditionis suspicione, ingenium præsentiunt, commentisque usi, juxta fundamentum turris & ipsi cuniculos faciunt: sicque quibusdam ad eversionem turris procedentibus, suffocatis, cæteri à cœpto desistunt. Post hæc Rex naturam naturæ ope vincere volens, id est, ut naturæ præsidiis septos per inopiam cogeret potus, prædictum fontem humanis usibus inutilem facere disponit. Injiciuntur ibi hominum, pecorum fœtida & putrescentia cadavera. Sed nec sic repelli poterat misera oppidanorum aviditas. Aliud itidem invenitur ingenium. Incutiuntur prædicto fonti ardentes faculæ, sulphureas & piceas flammas ferentes: sicque aquæ ipsæ, humanis usibus deinceps inutiles, amaricantur.

Terdonenses aquatione prohibiti.

CAP. XVII.

De invasione cujusdam castri.

ERAT in vicinio castrum quoddam Mediolanensium N. vocitatum, natura & ingenio munitum. Finiunt in castris, cernentibus Terdonensibus, scalæ, cæteraque pro ascendendis muris instrumenta utilia, oppidanis arbitrantibus ad ipsorum hæc fieri nocumentum. Deliguntur gnari quique & fortes de equitum ordine viri, præfectisque sibi duobus Ducibus, Bertolfo Duce, & Ottone Palatino Comite, ad præ-

prædictumque castrum eo tempore quo noctis beneficio propositum celari poterat, properatur. Nec mora, jactis ad murum scalis, ad superioris convexa tendunt, castrum ingrediuntur, ac sine dubio cunctis sopore depressis, voto potiti fuissent: nisi ex præmatura clamoris concitatione oppidani excitati, ad fugamque parati, vix tandem fiducia sumpta, ad arma convolassent.

CAP. XVIII.

De audacia cujusdam scutiferi, & de miserabili conquestione Terdonensium.

Militis cujusdam spectata virtus.

NEC prætereundum erit, de cujusdam præruptæ audaciæ stratoris virtute, qui dum tædio longæ obsidionis affectus, cæteris assiliendi arcem exemplum dare vellet, gladio tantùm & clypeo, parvaque (ut id genus hominum solet) securi, quæ sellæ ab eis alligatæ portantur, usus, aggerem qui turri Rubeæ præjacet, aggreditur, viamque securi qua pedem figeret, faciens, montem ascendit. Non illum crebri lapidum ictus, qui à machinis Principis contra turrim, vi tormentorum propellebantur, deterrere: non eum jaculorum, seu saxorum ab arce ad modum imbrium, non interpolati jactus revocare poterant: ad turrim usque jam semidirutam processit, ibique viriliter dimicando, militem etiam armatum ad terram ictibus dejecit, atque inter tot periculorum discrimina illæsus, ad castra redire potuit. Quem Rex ad se vocatum, militari cingulo ob tam præclarum facinus, honorandum decrevit. At ille cum se plebeium diceret, in eodemque ordine velle remanere, sufficere sibi conditionem suam, honestè donatum, ad propria redire permisit contubernia.

Sed ut ad id unde digressi sumus, redeamus. Urgentur aquis amaricatis oppidani, intolerabili potus inedia, gravi sitis molestia. Appropinquabat Paschale Festum, & Princeps religionis intuitu quatuor diebus, id est à quinta cœnæ Domini feria, usque ad proximæ Paschalis hebdomadæ secundam feriam, ab arcis impugnatione cessandum statuit. Itaque proxima dehinc feria, id est, ea die qua passio Domini in Parasceve à cunctis Christicolis celebratur, clerici & monachi cum oppidanis inclusi, vestibus sacris induti, cum crucibus, thuribulis, cæterisque Christiani ritus ornamentis, portis apertis egressi, ad tentoria Principis venire cupiebant. Quos Rex de longè prospiciens, missis in occursum Episcopis virisque literatis, cur, & ad quid venirent, inquisivit. At illi, Terdonæ nos ajunt, infelix portio, ad pedes regalis Excellentiæ venire desiderabamus, calamitates deploraturi, quas sustinemus non merito nostro, sed perditæ civitatis, perditissimorumque civium contagio. Nunc autem quia ad præsentiam non admittimur Principis, liceat interim pedibus vestræ provolvi benignitatis, obnixè postulantes; ut humanitatis gratia nos homines animadvertendo, humanæ miseriæ tanquam vestram sortem in nobis recognoscatis. Neque pro condemnata civitate, nec pro civibus majestate reis preces afferimus. Quos ô utinam nunquam nostri vidissent oculi, nunquam eis sors junxisset, quorum nobis sors tam futura fuerat obnoxia. Nunquid insons cum sonte, cum nocente innocens, innoxius cum reo, pari pœna ab æquo judice plectendus erit? Vallamur claustrorum diuturnitate, quatimur tormentorum acerbitate, sitis infesta ariditate, piceas ac sulphureas, usibusque humanis ineptas, aquas haurire cogimur: unde (quod magis dolendum est) non nobis hoc sacro sancto Dominicæ passionis tempore Deo servire licet, quia nec libet. Astantes enim sacris altaribus, sagittarum terremur spiculis, saxorum percellimur ictibus: sicque semper ad omnem etiam naturalem motum pavidi, à mentis tranquillitate tanquam amentes circumferimur. Non securi in lectulis, non in oratorio imperculsi, animum ex periculorum instantia distractum, ad offerendum Deo sacrificium pacis colligere pacificum non valemus. Quid fecimus? quid luimus? Nunquid Mediolano associati, rea contra Papiam arma tulimus? Nunquid ex fœdere seditiosæ cvitatis iram Principis incurrimus? At nos hactenus armorum ignari, ne dicam cum factiosis, sed nec ullis mortalibus confœderati, soli Deo armis spiritualibus, non carnalibus instructi militare consuevimus. Sine nostro consilio miles armatur: nobis inconsultis, imò ignorantibus in prælio certatur: Consulum, majorumque civitatis hæc est dispositio, illorum nutu hæc geruntur, Procerũ motus (ut dicitur) hæc cuncta sequuntur. Ad nos nihil spectat,

Cleri Terdon. lamentabilis supplicatio.

ſpectat, niſi Eccleſiaſticarum excubiarum ſollicitudo, pro Regum cæterorumvè in ſublimitate poſitorum tranquillitate ad Regem Regum Deum quotidiana efflagitatio. At dicet aliquis, Ex hoſtis contubernio & tu judicaris hoſtis. Sis ejus in pœna ſocius, cujus fuiſti in malefactis ſocius. Nam tangens picem coinquinatur. Cum perverſo manens pervertitur. Dicit enim Pſalmiſta: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.* [1155.] [Pſalm. 17.] Nunquid noſtro magis arbitrio, quàm divina providentia civibus his commanendi neceſſitudine, non ex malefaciendi aſſenſione adjuncti ſumus? Nunquid non cum Babylonicis, qui affectu, non loco fugiendi ſunt, nos non Babylonici in uno ſepto eſſe poſſumus? Poſſum cũ malefactore eſſe, nec tamẽ malefactoris ſocius, vel amicus jure dici. Poſſum neceſſitatis lege ſic perſonæ jungi, ut perſonæ non jungar vitio jure naturæ in homine: naturam ſic hominis diligere, ut naturæ abhorream caſum. Nam qui ex inducto Sapientis, vel Pſalmographi teſtimonio, ſcilicet quòd ex contubernio bonorum bonus, ex conſortio malorum malus fiat, probare nititur: non ſic auctoritatem notabit, quaſi non de quodam ſic, & de quodam non ſic, ſed de omni ſic & ſemper accipiatur: verùm etſi de quodam ſic & de quodã nõ ſic, nõ tamẽ de omni ſic vel ſemper, ſed ut frequentius dictum putet. Quem uſum in naturalibus non Mathematicorum, ſed Phyſicorum ſequuntur artes. Nec ritè pice tangi ex commanendi, ſed conſentiendi dicetur ratione. Quamvis & alium prædictæ auctoritati, Prophetiæ præcedentia & conſequentia generent ſenſum, ut non de nobis, ſed de Creatore hæc aſſerantur, qui ſcilicet, ſicut ſancto ſanctus apparet, miſericorditer eum juſtificando: ſic perverſo perverſus putatur, juſtè illum puniendo, ea locutione, vel proportionis ratione, qua linea recta curvo parieti appoſita, irrationali ſenſus opinione, non recta videtur. Unde & alibi ab eodem Propheta dicitur: *Quàm bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde.* Et hic ſubſequenter adnectitur: *Quoniam tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* [Pſalm. 72.] Imitetur Princeps terræ Principem Cœli, & ſi in eadem civitate cum ſuperbo humilis inveniatur, non tamen cum ſuperbo humilis puniatur. Miſeremini ergo Domini & Patres conditionis noſtræ, reſpicite in nobis quæ geſtamus ſtigmata Chriſti: & quos ad pietatem non flectit noſtræ calamitatis acerbitas, inclinet ſaltem character Domini. Sed heu mortalium ſortem. Commenta Papiæ luis Terdona, non tua delicta. Accuſas de malefactis Papia Terdonam, cùm tu ſi comparationem diſſimulando qualitatum admittis, pejus feceris. At inquies, improbæ civitati, ſuaque contumaci ſuperbia vicinos, quoſque prementi fœdere nexa, ab æquo Principe jure pœnas ſubire debes. Eſto. Mediolano aſſociata eſt Terdona. Quare non illius gratia, ſed tuo metu; non ut per illius potentiam imperaret, ſed ut per ejus vires à tua excuteretur violentia. Senſi rem meam (inquit Terdona) agi, dum paries proximus, Lunellum dico, arderet, ſub Mediolani confugi alas. Mediolanum judicas, quòd Cumas legitima occaſione deſtruxerit. Teipſam non reſpicis, quæ Lunellum Imperiale oppidum, magna & robuſta equitũm manu ſtipatum, Palatini Comitis tui habitatione inclytum, oppidanis ipſis ad colloquium pacis dolo vocatis, fraudulenterque captis, ad ſolum uſque ſine cauſa proſternere non timueris. Factus eſt ille inter Italiæ Proceres Nobiliſſimus inquilinus tuus, qui debuit eſſe Dominus. Reddit tibi nunc vectigal, cui tu Principis vicem gerenti vectigal perſolvere ſolebas. Videat Princeps, & animadvertat qua honeſtate ſui, Imperiive honore ipſius lateri judicium de Italis laturus aſſideat. Vectigalis tuus conſideret, quo decore ſecuris, quo rei in Italia jure plectendi ſunt, ante ipſum deferatur, qui ſub tuis modò militat ſignis. Iudicetur igitur à juſto rerum arbitrio æqua lance, primò Ticinum, ejuſque exemplo cæterarum Italiæ Urbium corrigantur exceſſus. Sed quid ad nos de talibus?

Tractent fabrilia fabri.

Nos miſerum vulgus, nos Dei tantùm ſervitio mancipati, noſtram intueamur ſortem. Nihil ad nos de tyrannis terræ, atq; ô utinam felix nimium prior ætas, atque aurea Saturni redirent ſecula, ut colonus terræ ſarculo, ligoneque & raſtro, non cum naturæ conſorte, ſed cum terra pugnaret: ſicque ordo Deo ſacratus, orationibus obſecrationibus liberè invigilare poſſet. Pereat qui ad cruentandum hominum genus arma extulit, qui beluina feritate hominem ſe non recognoſcens, humanum ſanguinem primò fudit. Ad nos redeamus. Nihil fecimus, alienas ob culpas plectimur. Nobis quæſumus pietas parcat Principis, & ſi miſerrimæ non vult ignoſcere civitati, nos ſaltem inermes jam ex fœtore peſtilentiæ morbidos, & jam morti propinquos, libertati datos,

datos, de tam gravibus claustris exire permittat. Hæc dicunt: & manus ad cœlos tendentes, lachrymisque obortis rigantes genas, cum magno ejulatu ad pedes eorum qui missi fuerant, se prosternunt.

II. 5.

CAPUT XIX.

Quòd multis malis attriti Terdonenses de pace cogitant.

COGNITIS his Princeps animum quidem intus ad misericordiam flexum præsensit, sed dissolutionis suspicionem vitans extrà eum in prioris severitatis constantia servavit, illis ut ad arcem redeant jussis. Condescendebat miseræ Cleri sorti, sed subridebat superbi populi fortunæ, quem hoc indicio quasi desperatum, & desolationi proximum animadvertebat. At oppidani nondum tot malis victos se fingentes, infra quatuor dies, quibus pro Christiani cultus devotione Principem hostibus pacem dedisse diximus, baleare tormentum instruunt, ignorante Principe, ac eos treugam datam observare æstimante. Finito ut dictum est, quatriduo, oppidani rursus machinis pulsantur. Illi suo quod fecerant vim tormenti propellentes, unum etiam quo magis infestabantur, quatiendo frangunt. Quo fine mora reparato, acrius solito urgentur. Tot impulsionum, ac maximè sitis defatigatione fracti, ultimaque desperatione correpti Terdonenses, tandem de reddenda per deditionis præsidium pertractant arce.

CAP. XX.

De eversione civitatis, & quomodo Rex apud Papiam triumphum agens coronatur, & inde in Tusciam iter, & quomodo Rex ad Urbem tendens, Romanum Pontificem obvium habuit, & de Arnaldo schismatico.

Terdona igne deletur.

IGITUR tertia post Paschalem solennitatem hebdomada, mense Aprili, animabus solùm ex miseratione & mansuetudine Principis saluti & libertati datis, civitas primò direptioni exposita, excidio & flammæ mox traditur. Eripitur ibi de gravi qua tenebatur captivitate, quidam ex Græcorum Proceribus, quem Opitius cognomento Malaspina, malè propter pecuniæ exactionem ceperat, asperisque locis inclusum in ipsa arce tenebat. Videres miseros oppidanos, cum jam securitate concessa, de miseris claustrorum ergastulis ad liberam prodirent aeris temperiem, funebri facie tanquam de bustis egredientes imitari, in semet prætendentes, quod dicitur omnium miserabilius esse, claudi obsidione.

Fridericus Papiæ coronatur.

Peracta victoria, Rex à Papiensibus ad ipsorum civitatem triumphum sibi exhibituris invitatur, ibique ea dominica qua *Iubilate* canitur, in Ecclesia S. Michaelis, ubi antiquum Regum Longobardorum palatium fuit, cum multo civium tripudio coronatur. Deductis ibi cum magna civitatis lætitia & impensa tribus diebus, inde per Placentiam transiens, juxta Bononiam Pentecosten celebrat, ac ibidem transcenso Apennino citeriorem Italiam, quæ modò Tuscia vocari solet, perlustrat. Illic Pisanos viros in Insulis, & transmarinis civitatibus potentes obvios habuit: eisque ut naves contra Guilhelmum Siculum armarent, in mandatis dedit. Circa idem tempus Anselmus Havelburgensis Episcopus à Græcia reversus, Ravennatensem Archiepiscopatum per cleri & populi electionem, simul & ejusdem Provinciæ exarchatum, laboris sui magnificam recompensationem à Principe accepit.

Anshelmus Ravennatensis Archiepiscopus.

Igitur Rex ad Urbem tendens, circa Viterbium castrametatur. Quo Romanus Antistes Adrianus cum Cardinalibus suis veniens, ex debito officij sui honorificè suscipitur, gravique adversus populum suum conquestione utens, reverenter auditus est. Prædictus enim populus, ex quo Senatorum ordinem renovare studuit, multis malis Pontifices suos affligere temeritatis ausu non formidavit.

Arnulfus Brixiensis ἑτεροδιδάσκαλος.

Accessit ad hujus seditiosi facinoris argumentum, quòd Arnolfus quidam Brixiensis, de quo suprà dictum est, sub typo religionis, & ut Evangelicis verbis utar, sub

ovina

ovina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi animis præmolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit, imò seduxit multitudinem. Arnaldus iste ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemque Ecclesiæ clericus, ac tantùm lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat. Vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio quàm sententiarum pondere copiosus. Singularitatis amator, novitatis cupidus: cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona. Is à studio à Galliis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens. Clericorum ac Episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantùm adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse. Cuncta hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de sacramento altaris, baptismo parvulorum non sanè dicitur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem Ecclesiam perturbaret, laicisque terræ illius prurientes erga clerum aures habentibus, Ecclesiasticas malitiosè exponeret paginas, in magno concilio Romæ sub Innocentio habito, ab Episcopo civitatis illius, virisque religiosis accusatur. Romanus ergo Pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit: sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad transalpina se contulit: ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit. Comperta verò morte Innocentij, circa principia pontificatus Eugenii, Urbem ingressus, cùm eam contra Pontificem suum in seditionem excitatam invenisset, viri sapientis haud sectatus consilium, de hujusmodi dicentis, *Ne in ejus ignem ligna struas*, amplius eam in seditionem excitavit: proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatus maturitatis consulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine & integritate, totum orbem terræ suum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, reformandum equestrem ordinem docuit. Nihil in dispositione Urbis ad Romanum spectare pontificem, sufficere sibi Ecclesiasticum judicium debere. In tantum verò hujus venenosæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solùm nobilium Romanorum, seu Cardinalium diruerentur domus, & splendida palatia: verum etiam de Cardinalibus reverendæ personæ, inhonestè sauciatis quibusdam, à furenti plebe tractarentur. Hæc & his similia cum multis diebus, id est, à morte Celestini, usque ad hæc ab eo incessanter & irreverenter agerentur tempora, cumque sententia pastorum justè in eum, & canonicè prolata, ejus judicio tanquam omnino auctoritatis vacua, contemnerentur: tandem in manus quorundam incidens, in Tusciæ finibus captus, Principis examini reservatus est, & ad ultimum à Præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne à stolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, in Tyberim sparsus. *Arnulfus Romæ igne crematur.*

Sed ut ad id, unde digressus est stylus, redeat, junctis sibi in Comitatu rerum apicibus, ac per aliquot dies unà procedentibus, quasi inter spiritalem Patrem & Filium dulcia miscentur colloquia, & tanquam ex duabus principalibus curiis una Repub. effecta, Ecclesiastica simul & secularia tractantur negotia.

CAP. XXI.

De legatis Romanorum, & eorum legatione, & quale responsum à Principe acceperint. Item qualiter hortatu summi Pontificis Leoninam urbem, & Ecclesiam sancti Petri Princeps occupari fecerit.

At Romanorum cives de Principis adventu cognoscentes prætentandum ipsius animum legatione adjudicarunt. Ordinatis ergo legatis industriis & literatis, qui eum inter Sutrium & Romam adirent, accepto prius de securitate viatico, sicque præsentatis regalis excellentiæ consistorio viris, taliter adorsi sunt.

1155.

Romanorum absurda & insolentia à Cæsare postulata.

Urbis legati nos, urbis non parvum momentum, Rex optime, ad tuam à senatu populoque Rom. destinati sumus excellentiam. Audi serena mente, benignis auribus, quæ tibi ab alma orbis Domina deferuntur urbe, cujus in proximo, adjuvante DEO, futurus es Princeps, Imperator, & Dominus. Pacificus si venisti, imò quia ut arbitror, venisti, gaudeo. Orbis Imperium affectas, coronam præbitura gratanter assurgo, jocanter occurro. Cur enim suum visitaturus populum non pacificè adveniret, non gloriosa munificentia respiceret, qui indebitum clericorum excussurus jugum, ipsius magna ac diutina expectatione præstolatus est adventum? Revertantur opto pristina tempora, redeant rogo inclytæ urbis privilegia, orbis urbs sub hoc Principe recipiat gubernacula, refrenetur hoc Imperatore, ac ad urbis reducatur Monarchiam orbis insolentia. Tali rector Augusti sicut nomine, sic induatur & gloria. Scis quòd urbs Roma ex senatoriæ dignitatis sapientia, ac equestris ordinis virtute & disciplina, à mari usque ad mare palmites extendens, non solùm ad terminos orbis dilatavit, quinetiam insulas extra orbem positas orbi adijciens, principatus illic propagines propagavit. Non illos procellosi fluctus æquorum, non hos scopulosæ & inaccessibiles rupes Alpium tueri poterant, Romana virtus indomita cuncta perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longè positis à nobis Principibus nostris, nobili illo antiquitatis insigni, Senatum loquor, ex inerti quorundam desidia neglectui dato, dormitante prudentia, vires quoque minui necesse fuit. Assurrexi tuæ, ac divæ Reipub. profuturum gloriæ, ad sacrumsanctum urbis senatum, equestremque ordinem instaurandum, quatenus hujus consiliis, illius armis, Romano Imperio, tuæque personæ, antiqua redeat magnificentia. Nunquid hoc placere non debebit tuæ nobilitati? Nonne etiam remunerabile judicabitur tam insigne facinus, tamque tuæ competens auctoritati? Audi ergo Princeps, patienter & clementer pauca de tua, ac de mea justitia, prius tamen de tua quàm de mea. Etenim:

Ab Jove Principium.

Hospes eras, civem feci. Advena fuisti ex transalpinis partibus, Principem constitui. Quod meum jure fuit, tibi dedi. Debes itaque primò ad observandas meas bonas consuetudines, legesque antiquas, mihi ab antecessoribus tuis Imperatoribus idoneis instrumentis firmatas, ne barbarorum violentur rabie, securitatem præbere: officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio adclamandum erit, usque ad quinque millia librarum expensam dare, injuriam à Repub. etiam usque ad effusionem sanguinis propellere, & hæc omnia privilegiis munire, sacramentique interpositione propria manu confirmare.

Ad hæc Rex tam superbo quàm inusitato orationis tenore, justa indignatione inflammatus, cursum verborum illorum de suæ Reipub. ac Imperij justitia, more Italico longa continuatione, periodorumque circuitibus sermonem producturum interrupit, & cum corporis modestia, orisque venustate regalem servans animum, ex improviso non improvisè respondit.

Friderici responsum extemporaneũ.

Multa de Romanorum sapientia, seu fortitudine hactenus audivimus, magis tamen de sapientia. Quare satis mirari non possumus, quòd verba vestra plus arrogantiæ tumore insipida, quàm sale sapientiæ condita sentimus. Antiquam tuæ proponis urbis nobilitatem, divæ tuæ Reip. veterem statum ad sydera sustollis. Agnosco, agnosco, ut & tui Scriptoris verbis utar: fuit, fuit quondam in hac Rep. virtus. Quondam dico, atque ô utinam tam veraciter, quàm libenter Nunc dicere possemus. Sensit Roma tua, imò & nostra vicissitudines rerum. Sola evadere non potuit, æterna lege ab auctore omnium sancitam cunctis sub lunari globo degentibus sortem. Quid dicam? Clarum est qualiter primò nobilitatis tuæ robur ab hac nostra urbe translatum sit ad Orientis urbem regiam, & per annorum curricula, ubera delitiarum tuarum Græculus esuriens suxerit. Supervenit Francus, verè nomine & re nobilis, eamque quæ adhuc in te residua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoscere antiquam tuæ Romæ gloriam, senatoriæ dignitatis gravitatem, tabernaculorum dispositionẽ, equestris ordinis virtutem & disciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Nostram intuere Remp. Penes nos cuncta hæc sunt. Ad nos simul omnia hæc cum Imperio dimanârunt. Non cessit nobis nudum Imperium: virtute sua amictum venit, ornamenta sua secum traxit. Penes nos sunt consules tui: penes nos est senatus tuus: penes nos est miles tuus. Proceres Francorũ ipsi te consilio regere, Equites Francorũ ipsi tuam ferro injuriam propellere debebunt. Gloriaris

riaris me per te vocatum eſſe, me per te primò civem, pôſt Principem factum, quod tuum erat à te ſuſcepiſſe. Quæ dicti novitas quàm ratione abſona, quàm veritate vacua ſit, æ- 1155.
ſtimationi tuæ, prudentumque relinquatur arbitrio. Revolvamus modernorum Imperatorum geſta, ſi non divi noſtri Principes Carolus & Otto, nullius beneficio traditam, ſed virtute expugnatam Græcis ſeu Longobardis, Urbem, cum Italia eripuerint, Francorumque appoſuerint terminis. Docet hæc Deſiderius & Berengarius tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam Principibus innitebaris. Eos à Francis noſtris non ſolùm ſubactos & captos fuiſſe, ſed & in ſervitute ipſorum conſenuiſſe, vitam finiſſe, vera relatione didicimus. Cineres ipſorum apud nos reconditi, evidentiſſimum hujus rei repræſentant indicium. Sed dicis, Vocatione mea veniſti. Fateor, vocatus fui. Redde cauſam quare vocatus fuerim. Ab hoſtibus pulſabaris, nec propria manu, Græcorumve mollitie liberari poteras. Francorum virtus invitatione adſcita eſt. Implorationem potius quàm vocationem hanc dixerim. Imploraſti miſera felicem, debilis fortem, invalida validum, anxia ſecurum. Eo tenore vocatus, ſi vocatio dicenda eſt, veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps uſque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis ſi poteſt clavam de manu Herculis. Siculus in quo confidis, fortè hæc faciet? Ad priora reſpiciat exempla. Nondum facta eſt Francorum, ſive Teutonicorum manus invalida. Deo largiente, vitaque Comite, & ipſe temeritatis ſuæ quandoque capere poterit experimenta. Iuſticiam tuam, quam tibi debeam, exquiris. Taceo quòd Principem populo, non populum Principi leges præſcribere oporteat. Prætermitto quòd quilibet poſſeſſor poſſeſſionem ſuam ingreſſurus, nullum conditionis præjudicium pati debeat. Ratione contendamus. Proponis, ut mihi videtur, trium ſacramentorum exactionem. De ſingulis reſpondeo. Dicis me debere jurare, ut leges anteceſſorum meorum Imperatorum, eorum privilegiis tibi firmatas, & bonas conſuetudines tuas obſervem. Apponis etiam, quòd patriæ uſque ad periculum capitis, tuitionem jurem. Ad iſta duo ſimul reſpondeo. Ea quæ poſtulas, aut juſta ſunt, aut injuſta. Si injuſta ſunt, nec tuum erit poſtulare, nec meum concedere. Si juſta, recognoſco me hæc & debendo velle, & volendo debere. Quare ſuperfluum erit voluntario debito, & debitæ voluntati ſacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam juſticiam infringerem, qui quibuslibet infimis etiam quod ſuum eſt, ſervare cupio? Quomodo patriam, & præcipuè Imperii mei ſedem, uſque ad periculum capitis non defenderem, qui & ipſius terminos non ſine ejuſdem periculi æſtimatione, quantum eſt in me, reſtaurare cogitaverim? Experta eſt hoc Dania nuper ſubacta, Romanoque reddita orbi, & fortaſſe plures Provinciæ, pluraque ſenſiſſent regna, ſi præſens negocium non impediſſet. Ad tertium venio Capitulum. Affirmas pro pecunia quadam juramentum præberi à mea deberi perſona. Proh nefas. A tuo Roma exigis Principe, quod quilibet lixa potius petere deberet ab inſtitore. A captivis hæc penes nos exiguntur. Num in captivitate detineor? Num vinculis hoſtium urgeor? Nonne multo & forti ſtipatus milite inclytus ſedeo? Cogetur Princeps Romanus contra ſuam voluntatem cujuslibet præbitor eſſe, non largitor? Regaliter & magnificè hactenus mea cui libuit, & quantum decuit, & præcipuè benè de me meritis dare conſuevi. Sicut enim à minoribus debitum ritè expetitur obſequium: ſic à majoribus meritum juſtè rependitur beneficium: hunc quem alibi à divis parentibus meis acceptum ſervavi morem, civibus cur negarem? Urbemque meo introitu lætam non facerem? Sed meritò non juſta injuſtè petenti, cuncta juſtè negantur.

Hæc dicens, & non ſine condigna mentis indignatione orationem terminans, conticuit. Porro quibuſdam ex circumſtantibus inquirentibus ab his qui miſſi fuerant, an plura dicere vellent, pauliſper deliberantes in dolo reſponderunt, ſe prius ea quæ audierant, concivibus ſuis referre, & tunc demum ex conſilio ad Principem redire velle. Sic accepto commeatu, à curia egredientes, ad Urbem cum feſtinatione revertuntur. Rex dolum præſentiens, conſulendum ſuper hoc negocio patrem ſuum Romanum Pontificem decernit. Cui ille: Romanæ plebis fili, adhuc melius experieris verſutiam. Cognoſces enim in dolo eos veniſſe, & in dolo rediſſe. Sed Dei nos adjuvante clementia, dicentis: Comprehendam ſapientes in aſtutia ſua, prævenire eorum poterimus verſutas inſidias. Maturatò igitur præmittantur fortes & gnari de exercitu juvenes, qui Eccleſiam beati Petri: Leouinumque occupent caſtrum. In præſidiis equites noſtri ibi ſunt, qui eos cognita voluntate noſtra, ſtatim admittent. Præter-

1155. ea Octavianum Cardinalem presbyterum, qui de Nobilissimo Romanorum descendit sanguine, fidelissimum tuum, eis adjungemus. Sicque factum est. Eliguntur proxima nocte penè usque ad mille armatorum equitum lectissimi juvenes, summoque diluculo Leoninam intrantes urbem, Ecclesiam beati Petri, vestibulum & gradus occupaturi, observant. Redeunt ad castra nuncii hæc læta reportantes.

CAP. XXII.

Quomodo Rex in eadem Ecclesia sancti Petri Coronam Imperij acceperit: & de excursu Romanorum, & clade ac victoria Imperatoris.

SOLE orto, transacta jam prima hora, præcedente cum Cardinalibus & clericis summo Pontifice Adriano, ejusque adventum in gradibus præstolante, Rex castra movens, armatus cum suis per declivum montis Gaudii descendens, ea porta quam auream vocant, Leoninam urbem, in qua beati Petri Ecclesia sita noscitur, intravit. Videres militem tam armorum splendore fulgentem, tam ordinis integritate decenter incedentem, ut rectè de illo dici posset: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*: & illud Machabæorum, *Refulsit Sol in clypeos aureos & æreos, & resplenduerunt montes ab eis.* Mox Princeps ad gradus Ecclesiæ, beati Petri veniens, à summo Pontifice honorificè susceptus, ac usque ad confessionem beati Petri deductus est. Dehinc celebratis ab ipso Papa missarum solennibus, armato stipatus Rex milite, cum benedictione debita Imperii Coronam accepit, Anno Regni sui IV. Mense Junio, XIV. Kalend. Julij. cunctis qui aderant, cum magna lætitia acclamantibus, Deumque super tam glorioso facto glorificantibus. Interim à suis pons, qui juxta castrum Crescentij ab urbe Leonina usque ad ingressum ipsius extenditur Urbis, ne à furente populo celebritatis hujus jucunditas interrumpi posset, servabatur. Peractis omnibus, Imperator cum Corona solus quum phaleratum insidens, cæteris pedes euntibus, per eandem qua introierat portam, ad tabernacula quæ ipsis muris adhærebant, revertitur. Romano Pontifice in palatio, quod juxta Ecclesiam habebat, remanente.

Cant. 6.
1. Mach. 6.
Fridericus Romæ consecratur, Anno 1155.

Dum hæc agerentur, Romanus populus cum Senatoribus suis in Capitolio convenerant. Audientes autem Imperatorem sine sua adstipulatione Coronam Imperij accepisse, in furorem versi, cum impetu magno Tyberim transeunt: ac juxta Ecclesiam beati Petri procurrentes, quosdam ex stratoribus, qui remanserant, in ipsa sacrosancta Ecclesia necare non timuerunt. Clamor attollitur. Audiens hæc Imperator, militem ex æstus magnitudine, sitisque ac laboris defatigatione recreari cupientem, armari jubet. Festinabat eò amplius, quò timebat furentem plebem in Romanum Pontificem Cardinalesque irruisse. Pugna conseritur ex una parte juxta castrum Crescentij cum Romanis, ex altero latere juxta piscinam cum transtyberinis. Videres nunc hos istos versus castra propellere, nunc hos illos ad pontem usque repellere. Adjuvabantur nostri, quòd à castro Crescentij saxorum ictibus, seu jaculorum non lædebantur spiculis. Mulieribus etiam quæ in spectaculis stabant, suos, (ut ajunt) adhortantibus, ne propter inertis plebis temeritatem tam ordinatum equitum decus, ab his qui in arce erant, prædictis modis sauciaretur. Dubia itaque sorte dum diu ab utrisque decertaretur, Romani tandem atrocitatem nostrorum non ferentes, coguntur cedere. Cerneres nostros tam immaniter quàm audacter Romanos cædendo sternere, sternendo cædere, ac si dicerent: Accipe nunc, Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum. Hæc est pecunia, quam tibi Princeps tuus pro tua offert Corona. Sic emitur à Francis Imperium. Talia tibi à Principe tuo tibi redduntur commercia, talia præstantur juramenta. Prælium hoc à decima penè diei hora usque ad noctem protractum est. Cæsi fuerunt ibi, vel in Tyberi mersi penè mille, capti fermè ducenti, sauciati innumeri, cæteri in fugam versi, uno tantùm ex nostris (mirum dictu) occiso, uno capto. Plus enim nostros intemperies cœli, æstusque illo in tempore maximè circa urbem immoderatior, quàm Romanorum lædere poterant arma.

Romanorum contra Imp. insurgentiũ clades.

CA-

1155.

CAP. XXIII.

Imperator regressus ab urbe, quò diverterit, & quid fecerit. De eversione Spoleti. De legatis & muneribus Græcorum, & quos Imperator remiserit.

FINITO tam magnifico triumpho, Imperator ad castra redijt, ibique & se & suis, fessa lectulis recipientibus membra, nocte illa conquievit. Altera die cùm mercatum à civibus amaricatis habere non posset, laborantem ciborum inedia militem ad superiora duxit, ac paulisper ad campi planitiem procedens, tentoria locavit. Dehinc juxta montem Soractem, in quo beatum Sylvestrum olim persecutionem fugientem tradunt latuisse, Tyberim transuadans, in quadam valle campi viriditate amœna, cujusdam amnis cursu conspicua, non longè à civitate Tyburto, militem tam crebris laboribus defatigatum, aliquantum quiescere permisit. Adventabat toti Ecclesiæ, & præcipuè Romanæ urbis Pontifici & Imperatori venerabile festum Petri & Pauli. Ea ergo die Missam Adriano Papa celebrante, Imperator coronatur. Tradunt Romanorum ibi Pontificem inter missarum solennia cunctos, qui fortasse in conflictu cum Romanis habito sanguinem fuderant, absolvisse: allegationibus usum, eò quòd miles proprio Principi militans, ejusque obedientiæ astrictus, contra hostem Imperij dimicans, sanguinem fundens, jure tam poli quàm fori, non homicida, sed vindex affirmetur. Inde castra movens, inter urbem & Tusculanum resedit.

Soracte mons.

Miles justo bello sanguinem fundens.

Jam tempus imminebat, quo Canis, ad morbidum pedem Orionis micans, exurgere deberet. Et vicinis stagnis, convernosisque, ac ruinosis circa urbem locis tristibus erumpentibus & exhalantibus nebulis, totus vicinus crassatur aer, ad hauriendum mortalibus lethifer, ac pestilens. Urgebatur hoc incommodo in urbe civis, hoc tempore ad montana consuetus fugere: in castris miles, tanta desuetus aeris intemperie. Nec dubium quin civis ad obedientiam Pontifici, ad deditionem Principi suo venisset, si miles extrà tantum incommodum pati potuisset. Verùm innumeris hac cœli corruptione in morbos gravissimos incidentibus, Princeps dolens ac nolens, suisque tantùm morem gerens, ad vicina montana transferre cogitur tabernacula. Itaque proximum ascendens Apenninum super Nar fluvium, de quo Lucanus:

Aer Romanus sub Sirio pestilens.

Sulphureas Nar albus aquas,

tentoria fixit, circa Tyburtum à Romano Pontifice relictis sibi captivis, divisus. Ibi per aliquot dies manens, acceptoque prudentum consilio, corruptum quem biberant aerem pharmacis propellendum, exercitum quantum poterat recreavit.

Peractis ibi aliquot diebus, cùm Fodrum à vicinis civitatibus, & castellis, & oppidis exquireretur, Spoletani indignationem Principis incurrunt. Dupliciter enim peccaverant, cùm DCCC. librarum facti essent obnoxij, partim defraudando, partim falsam monetam dando. Adauxit hujus indignationis cumulum, quòd Guidonem Comitem, cognomento Guerram, inter omnes Tusciæ proceres opulentiorem, de Apulia in legatione Imperatoris ad ipsum redire volentem, in sua civitate hospitatum comprehendere, captumque tenere ausi sint. Quodque his peius erat, præceptum Principis, eum relaxari jubentis, contempserunt. Imperator ergo plus de captivitate proceris sui, quàm de fraudatione pecuniæ motus, in Spoletanos transtulit arma. Illi murorum ambitu, altissimarumque turrium muniminis multitudine non contenti, extra muros cum fundibulariis & sagittarijs egressi, occurrendum Principi putantes, quos poterant percutiebant, & quos poterant figebant. Videns hoc Princeps, Ludus ait hic puerorum, non virorum videtur concertatio. Dixit: suosque fortiter in adversarios ruere jubet. Quo sine mora facto, vallorumque obstaculis, tanquam plano ex ferventium animorum fortitudine transmissis, cæduntur Spoletani, ac aliquandiu viriliter resistentes cedere coguntur. Urbis refugio se recipere volentibus, miles qui à tergo imminebat, simul recipitur, fortuna juvante virtutem. Civitas direptioni datur, & antequam asportari usui hominum profutura possent, à quodam apposito igne concrematur. Cives qui ferrum flammamque effugere poterant in vicinum montem seminudi, vitam tantùm servantes, se

Causa excidii Spoletani.

 recipiunt.

1155. recipiunt. Portendebatur conflictus iste à tertia usque ad nonam. Nullus in illa concertatione privatus Principe strenuior: nullus nec gregarius miles ad sumenda arma promptior: nullus ad periculorum exceptionem nec conductitius eo paratior. Denique ea ex parte qua majoris Ecclesiæ Pontificalem sedem versus ex convexo montis inaccessibilior civitas videbatur, ipse non solùm suos ad assultum adhortatione urgebat, minis cogebat, verùm etiam aliis exempla præbebat, non sine maximo periculo montem in propria persona ascendens, eamque irrupit. Transacto Spoletanorum excidio, Princeps ea nocte ibi victor remansit. Postera die, eò quòd ex adustione cadaverum totus in vicino corruptus aer intolerabilem generaret nidorem, ad proxima exercitum transtulit loca, duobus diebus ibi manens, donec igni residua in usus exercitus, non miserorum Spoletanorum cederent spolia.

Post hæc ad maritima Adriatici æquoris loca procedit exercitus. Ibi in confiniis Anconæ Imperator castra ponens, Palæologum (quod nos veterem sermonem dicere possumus) nobilissimum Græcorum, regalisque sanguinis procerem, & Marodocum egregium virum ex parte Principis sui Constantinopolitani venientes, muneraque non parva deferentes obvios habuit. Quibus auditis, causaque viæ cognita, per aliquot dies secum detinuit. Dehinc accepto Principum, qui cum ipso erant consilio, Guibaldum Corbeiensem, simul & Stabulensem Abbatem regalem, virum prudentem, ac in curia magnum, in Græciam, legatione ipsius ad Regiæ urbis Principem functurum, destinavit.

CAP. XXIV.

Quomodo exules Apuliæ terram suam receperant, & quomodo Imperator propter nimiam intemperiem aeris multis extinctis, invitus ad transalpina ire cogitur, & quibus viis singuli Principes redierunt.

Imp. Apuliam in fidem accipit.

INTER hæc Princeps Capuæ, Andreas Apuliæ Comes, cæterique ejusdem provinciæ exules, Campaniam & Apuliam cum legatione Imperatoris ingredientes, civitates, castella, cæteraque quæ olim habebant municipia, sine contradictione recipiunt: accolis terræ putantibus Imperatorem è vestigio ipsos subsecuturum. Ac Princeps diu cum proceribus, majoribusque de exercitu consultans, plurimùm ad inclinandos animos eorum, ut in Apuliam descenderent, laboravit. Verùm excandescente amplius in exercitum canis rabie, vixque aliquibus residuis, qui æstus fervore, & aeris intemperie corruptionem non sentirent, sauciatis quoque de civitatum castellorum, oppidorum expugnatione pluribus, nonnullisque extinctis, non sine cordis amaritudine ad transalpina redire cogitur. Igitur signo dato, cunctis ad patriam licentia repedandi conceditur. Intrabant alij naves per Adriaticum æquor, ac insulam, quæ modò Venetia dicitur, ad propria reversuri. Inter quos Primates fuere, Peregrinus Aquileiensis Patriarcha, Eberhardus Babenbergensis Episcopus, Bertolfus Comes, Henricus Carentanorum Dux, Odoacer Stirensis Marchio. Alii ad Occidentales partes Longobardiæ, nonnulli per montem Jovis, alij per vallem Moriannæ transituri carpebant iter. Complures adhuc Imperatori adhærebant. Fridericus itaque victor inclitus, triumphator, ab Anconensium territorio castra movens, per Senogalliam, ubi Senones Gallos olim Romani mansisse autumant, Fanum & Imolam transiens, Apennino transmenso, in plano ulterioris Italiæ juxta Bononiam super Rhenum resedit. Inde per planam Italiam transmisso, juxta Beati Benedicti cœnobium navibus Eridano ad campestria Veronensium revertitur, circa principia mensis Septembris.

Idem exercitum dimittit, in Germaniam reversurus.

CAPUT XXV.

De dolo Veronensium ad pontem super Athesim. Item de insidiis eorum in arcto montis: quomodo item victi & capti.

EST

EST autem antiqua Veronensium consuetudo, & quasi longinquo Imperatorum utuntur privilegio, ut Principes Romanorum seu ad urbem ex transalpinis partibus venientes, seu inde redeuntes, ne per ipsorum civitatem veniendo depopulationi subjaceant, paulisper sursum à civitate per pontem navibus ab eis factum, Athesim transeant. Hunc morem Veronenses fraudulenter secuti, pontem quidem ex navibus fecerant, sed ex ligamentorum tenaculis tam debilem, ut potius muscipulam quàm pontem diceres. Alio itidem commento pernitioso usi fuerant. Ex superioribus amnis partibus validas lignorum strues in plures congesserant fasces, quatenus per hoc hujus rei ignarum deciperent militem: id est, ut postquam altera pars transiret, altera ponte per hæc diabolica machinamenta dirupto remaneret, ipsi in alteros irruerent, inciderunt iniqui in foveam, juxta scripturam quam fecerunt. Denique nutu Dei, saluti Principis exercitusque sui prævidentis, factum est, ut & miles periculosè, sine damno tamen, transiret, & prædictæ strues supervenientes ponte diruto quosdam ex hostibus, qui exercitum subsecuti fuerant, eodem quo venerant meatu reverti se putantes, interciperent. Qui mox omnes sicut traditores trucidati sunt. Ea nocte fessus laboribus in vicino resedit miles.

1155.

NB.

Erant in imminenti fauces montium, saxumque fortissimum propè in declivo rupis inaccessibilem servans viam. Oportebat per de subtus exercitum transire. Talis est enim ibi natura locorum. Ex una parte labitur Athesis fluvius invadabilis, ex altera præerupta montis præcipitia viam stringunt, & vix semitam artissimam faciunt. In hac arce quodam, Alberico Nobili Veronensium equite auctore, latrunculorum prædandi causa convolaverat multitudo. Igitur adventante exercitu, quidam ex eis, qui ea die qua Athesis transmissa est, transire cupiebant, pacificè ex industri dolo angustias à latronibus transpedare permittuntur. Venientibus sequenti luce aliis, latrones ad saxorum moles currunt, transmeandi facultatem præpediunt. Principem ea latere non poterant. Erant adhuc in comitatu suo duo Veronensium civium Illustres equites, qui eum ad Urbem prosecuti, ac inde usque ad præsentem locum secuti fuerant, Garzabanus & Isaac. Hos Princeps ad prædictos latrones destinandos putavit, ut ita communicato concivium suorum consilio, à cœpta facilius desisterent malitia. Illi eos nec audire, sed ictibus propellere. Imperator rursum aliis eò destinatis, illos ab incœpto desistere jubet. At illi in pertinaci obstinatione sua remanentes, lapides itidem jactare cœperunt, dicentes: Imperatorem ibi nunquam transiturum, nisi à singulis equitibus loricam vel equum haberent, & insuper non modicam pecuniam à Principe. Audiens hæc Imperator, Dura est inquit, hæc conditio, durum est latroni Principem tributa persolvere? Quid faceret? quo se verteret? flumen transvadaret? ad transvadandum aptus natura renitente non erat. Ingenio transiret? pons dirutus fuit. Civitatem versus descenderet? sed & ibi mons ad flumen se stringens, clausuram fecerat, quam Veronensium præsidia observabant. Ad consueta priorum virtutum se vertit insignia. Oportebat enim, qualicunque prædictam arcem expugnari ingenio. Iubet sarcinas deponi, tentoria quasi erigi, ac si eadem ibidem nocte figenda forent tabernacula. Hic inquit, tanquam patriæ nobis arridente vestibulo, tot decursis periculis laborum nostrorum consummationem hic habebimus. Sic suos alloquens, ac si illo Vergiliano uteretur:

Insidiæ in Veronensium claustris Imperatori structæ.

O socij, neque enim ignari sumus antè malorum,
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
Forsan & hæc olim meminisse juvabit.

omnes armari jubet. Deinde vocato Garzabano & Isaac, de situ locorum, quove aperiri possit via ingenio, inquirendo solerter edoceri petit. At illi: Cernis eam quæ super arcem dependet rupem, eminentia sua terribilem, & fragosis locis, saxorumque asperitate quasi inaccessibilem? Illam nisi fortè ab eis observetur, si incautis præcidere poteris, propositum tenebis. Nec mora, mittuntur cum Ottone vexillifero quasi ducenti lectissimi juvenes armati. Illi per devia sylvarum & montium, per concava & confragosa Alpium oberrando loca, tandem cum multo sudore ad prædictam perveniunt rupem. Quæ dum quasi ferro abscissa, nullum ascendendi aditum

Otto de Witelsbach.

1155.

Insidiatorum latibulum expugnatum.

tum militi offerret, curatur alius, ut socium dorso levet, alius ad erigendum commilitonem suum humeros præbet, post hæc de hastis facientes scalam (nam gravabatur admodum hac naturali ut ita dicam scala armatus eques) cuncti ad summitatem perveniunt rupis. Exeritur ab Ottone Imperatoris vexillum, quod ab eo prius latenter gestabatur. Hoc signo tanquam victoriam præsagiente, clamor & cantus attollitur: exercitus qui in valle manebat, ad assultum properat. Latrunculi hujus rei incauti, putabant enim prædictam rupem cunctis mortalibus inpermeabilem, solis avibus perviam fore, viso quòd ex infernis & supernis urgerentur locis, desperatione corripiuntur, fugamque moliuntur: sed fugæ locus non erat. Quicunque enim ex eis præcipitij præsidio se committeret, ex collisione hincinde saxorum confractus, membratimque discerptus, antequam ad solum perveniret, animam in inani ponebat. Tanta erat saxi eminentia, tanta fuit hispidæ rupis scabrosa malitia. Quid plura? Uno autem solo, qui cavernosis locis absconsus, delitescens mortem evasit, cæteri omnes obtruncantur, duodecim cum Alberico captis, ac ad supplicium reservatis. Erant penè omnes qui deprensi in vinculis tenebantur, equestris ordinis.

Supplicium

Præsentatis igitur prædictis viris Principi, ad patibulique supplicia adjudicatis, unus ex eis inquit: Audi Imperator Nobilissime, miserrimi hominis sortem. Gallus ego natione sum, non Lombardus, ordine quamvis pauper eques, conditione liber, casu non industria his latronib. adjunctus, pro resarcienda, familiaris rei penuria. Promiserunt se ducturos me ad loca talia, ubi mea posset relevari inopia. Credidi miser, consensi credulus, ductus sum ab iniquis, & seductus ad hæc infortunia. Quis enim in quolibet mortalium tam præcipitatæ mentis speraret insaniam, tam furentis animi expectaret audaciam? Quis à proprio cliente has suo Principi urbis & orbis dominatori necti crederet insidias? Parce Princeps, parce misero, parce miserabiliter seducto. Hunc solum Imperator gloriosus de cæteris sententia mortis eripiendum decrevit: hoc ei tantùm pro pœna imposito, ut funibus cervicibus singulorum appositis, ligni supplicio commilitones plecteret. Sicque factum est. Non illis miserrimis profuit multa quam pro vita redimenda promittebant pecunia. A districto judice patibulo appensi sunt. Cæteri omnes, qui per declivia montium dispersi jacebant, ut cunctis transeuntibus temeritatis suæ præberent documenta, in ipsa via in cumulos acti. Fuerunt autem, ut dicitur, quasi quingenti.

CAP. XXVI.

De felici exitu Principis in Bajoariam.

Botzen.

PRINCEPS transitis locorum angustijs, jam cunctis emensis periculis, nocte illa in Tridentinorum territorio castra lætus locavit. Dehinc per Tridentum, vallemq; Tridentinam transiens, ad Bauzanum usque pervenit. Hæc villa in termino Italiæ, Bajoariæque posita, dulce vinum, atque ad vehendum in exteras regiones, naturale Noricis mittit. Inde multis se ad propria dispergentibus domicilia, per Brixinoram iter agens, ad Bajoariæ planitiem eodem fermè quo inde egressus fuerat tempore, vertente anno rediit. Hæc de expeditionis processu & proventu pauca de multis enarrasse sufficiat. Neque enim cuncta ibi fortiter gesta à nobis ea ordinis integritate, stylique urbanitate dici poterant, ac si oculis nostris illa vidissemus. Nam antiquorum mos fuisse traditur, ut illi qui res ipsas prout gestæ fuerunt, sensibus perceperant, earundem scriptores existexent. Unde & historia ab ἱστορεῖν, quod in Græco videre sonat, appellari consuevit. Tantò enim quisque ea quæ vidit & audivit, pleniùs edicere poterit, quantò nullius gratia egens, hac illaque ad inquisitionem veritatis non circumfertur dubiè anxius, & anxiè dubius. Durum siquidem est scriptoris animum, tanquam proprij extorrem examinis, ad alienum pendere arbitrium.

Historiæ etymon.

CA-

1155.

CAP. XXVII.

Imperator Patruum ſuum hortatur ad tranſigendum cum Duce Saxoniæ.

IGITUR conſummato feliciter viæ labore, Princeps ad familiaria remeans domicilia, alloquitur in confinio Ratiſponenſium Patruum ſuum Henricum Ducem, ut ei de tranſactione facienda cum altero Henrico, qui jam (ut dictum eſt) Ducatum Bajoariæ judicio Principum obtinuerat, perſuaderet. Cui dum ille tunc non acquieſceret, iterum diem alium, quo eum ſuper eodem negotio per internuncios conveniret, in Bajoaria verſus confinium Boemorum conſtituit. Quò Princeps veniens, Labezlaum Ducem Boemiæ, Albertum Marchionem Saxoniæ, Hermannum Palatinum Comitem Rheni, cum aliis viris magnis obvios habuit. Tantus etenim eos qui remanſerant, ob ipſius geſtorum magnificentiam, invaſerat metus, ut omnes ultrò venirent, & quilibet familiaritatis ejus gratiam obſequio contenderet invenire. Quantum etiam Italis timorem incuſſerit factorum ejus memoria, ex legatis Veronenſium perpendi poteſt, quod in proximo, DEO largiente, pleniùs dicendum erit. At cum multis modis ad tranſigendum, nos, qui mediatorum ibi vice fungebamur, operam daremus, infecto adhuc negotio, inſalutati ab invicem ſeparati ſunt.

CAP. XXVIII.

Quomodo apud Ratiſponam Henricus in poſſeſſionem Bajoariæ Ducatus mittitur, & de controverſia inter Moguntinum Archiepiſcopum, & Hermannum Palatinum Comitem de Rheno, & qualiter Ratiſponenſis Epiſcopus Hardevicus in gratiam Principis redierit. Item de legatis & excuſatione Veronenſium, ac eorundem reconciliatione, & qua ſatisfactione Moguntinus Archiepiſcopus, & Palatinus Comes in pacem redierint.

POST hæc mediante Octobre, Imperator Ratiſponam Norici Ducatus metropolim, curiam celebraturus ingreditur, habens ſecum Henricum, Henrici Ducis filium, in poſſeſſionem ejuſdem Ducatus mittendum. Hæc civitas ſuper Danubium, qui unus trium famoſiſſimorum fluminum in Europa à Topographis dicitur, ex ea parte qua prædicto amni duo navigabilia, Regnus ſcilicet & Naba, illabuntur flumina, poſita, eò quòd ratibus opportuna bonaque ſit, vel à ponendo ibi rates, Ratisbona, vel Ratiſpona vocatur: Bajoariorum quondam Regum, modò Ducum ſedes. Venerunt ad eam curiam Arnaldus Moguntinus Archiepiſcopus, & prædictus Hermannus Rheni Palatinus Comes, uterque alter de altero querimoniam facientes. Denique manente in Italia Principe, totum penè tranſalpinum Imperium ſeditionibus motum, ferro, flamma, publicisque congreſſionibus turbatum, abſentiam ſui ſenſit præſulis. Inter quos duo hi Principes tantò ad nocendum efficaciores, quantò fortiores, totam penè Rheni provinciam, & præcipuè Moguntinæ civitatis nobile territorium præda, cæde, & incendiis commaculârant. Igitur ſedente ibi in publico conſiſtorio Imperatore, jam ſæpe nominatus Henricus Dux poſſeſſionem ſuam, patrumque ſuorum recipit ſedem. Nam & proceres Bajoariæ hominio & ſacramento ſibi obligantur, & cives non ſolùm juramento, ſed etiam ne ullam vacillandi poteſtatem haberent, vadibus obfirmantur.

Conventus Imperii Ratiſpona.

Henricus II. privignus Hen. X. Dux Bavariæ.

Impetitur ibi Hardevicus, qui noviter per electionem cleri & populi, & metropolitani ſui conſecrationem, Pontificatum ejuſdem civitatis acceperat. Regalia ſiquidem, quæ juxta rationes curiæ, nulli Epiſcoporum, militi, antequam de manu Principis ſuſcipiantur, tradere licet, ipſe hujus rei neſcius, impræmeditatè morante adhuc in Italia Principe tradiderat, ob ea in cauſam poſitus, dum & factum inficiari, qualitatemve facti defendere nequit, compoſitionis incurrit noxam. Cæteri quoque qui

NB. Hartvicus Ratiſponenſis Epiſcopus mulctatus.

1155. qui ab eo susceperant, quique juxta suam conditionem & sortem, in plusvé minusvé, consimili pœna damnantur. Est enim lex curiæ, quòd quisquis de ordine Principum Principis sui iram incurrens, compositionem persolvere cogatur, centum librarum debitor existat: cæteri minoris ordinis viri, sive ingenui, sive liberi, vel ministri, decem.

Veronensium purgatio.

Ad eandem curiam Episcopus Veronensis à populo suo ad Imperatorem destinatus venit, habens secum prædictos duos equites, Garzabanum & Isaac. Qui cum præsentiæ Principis admissus fuisset, inquit: Princeps gloriosissime, fidelissimi tui Veronenses ad tuam destinaverunt nos magnificentiam. Neque enim ego, qui ejusdem civitatis quamvis indignus Episcopus vocor, prius hanc legationem suscipere volui, donec omnibus in majore Ecclesia congregatis, tanquam DEO teste, ea quæ ore proferebantur, corde se tenere unanimiter assererent. Denique credendum non est, populum animi virtute præstantem, rerum abundantia pollentem, pastorem animarum suarum deceptionis bajulum facere. Alium invenire poterant fraudis idoneiorem ministrum. Præterea hi mihi collegæ juncti sunt, quorum tu fidem in negotiis, fortitudinem in præliis, proxima tua expertus es expeditione. Crede ergo Domine, crede quod dicimus. Populus tuus Veronensis, tuus est peculiaris populus, tibi tanquam Domino & Imperatori fideliter devotissimus, & devotè fidelissimus. Audierunt dum per eorum fines transires, quosdam latrunculos angustias viarum observare ausos fuisse: cognoverunt etiam te eosdem debita animadversione punisse. Audivit hæc Verona & lætata est. Non reputat suos cives Majestatis tuæ insidiatores. Absit ut suos cives putet, qui latrocinio inserviunt. Audivit rursum, unde non mediocriter indoluit, hujus te rei suspicionem de tua habere civitate. Ad hoc missi sumus. Quicunque hoc Tuæ insinuavit Serenitati, criminator fuit, aliena felicitate lividus. Delatorem eum scias, non cognitorem. Nunquid non sacramento fidelitatis tibi obligata est Verona? Nunquid cum ab ea recederes, in tua non remansit gratia? Offenderetné sub bonæ fidei pallio per fidem Verona Principem, quæ hoc modo lædere non solet æqualem? Visne amplius? Sed si his credere non placet allegationum rationibus, excusat se super hoc facto Verona. Famam purgare, innocentiam probare, judicio curiæ parata est coram Tuæ Majestatis excellentia. Recipiat ergo bonus Princeps devoti populi sui purgationem innocentiæ, & convertat indignationis suæ aculeos contra Mediolanensium & Romanorum superbiam. Hac legatione accepta, Imperator cum Principibus consilium capit. Postea sicut cognovimus, in gratiam recepta est Verona. Nam & magnam pecuniam dedit, ac militiam quam habere posset, contra Mediolanenses ducere sacramento firmavit.

Verona Cæsari reconciliata.

Tractus Rheni anno 1156.

Inde ad partes Rheni se conferens, proximum natale Domini Vormatiæ celebravit. Ea namque regio, quam Rhenus Nobilissimus fluvius, ex trium Europæ nominatissimorum fluviorum unus, intersecat, ex una ripa Galliæ, ex altera Germaniæ limes, in frumento & vino opima, venationibus & piscationibus copiosa. Habet enim ex parte Galliæ vicinum Vosagum & Ardennam, ex parte Germaniæ sylvas non mediocres, barbara adhuc nomina retinentes: in transalpinis manentes Principes diutissimè servare potest. Ad hanc curiam Arnaldus Moguntinus Archiepiscopus, & Hermannus Palatinus Comes venientes, de hoc quòd absente Principe terram illam (ut suprà dictum est) præda & incendio perturbârant, in causam ponuntur: ambobusque cum complicibus suis reis inventis, alteri ob senij morumque gravitatem, & Pontificalis ordinis reverentiam parcitur, alter pœna debita plectitur. Denique vetus consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut si quis nobilis, ministerialis, vel colonus, coram suo judice pro hujusmodi excessibus reus inventus fuerit, antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suæ ignominiam, nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus aratri rotam de Comitatu in proximum Comitatum gestare cogatur. Hunc morem Imperator servans, Palatinum istum Comitem, magnum Imperij Principem, cum decem Comitibus complicib. suis, canes per Teutonicum milliare portare coëgit. Hoc tam districto judicio per totam transalpini Imperij latitudinem promulgato, tantus omnes terror invasit, ut universi magis quiescere, quàm bellorum turbini inservire vellent. Accessit ad hujus tam magni boni augmentum, quòd Princeps circumquaque non impigrè discurrens, nonnullorum raptorum castra, munitiones, receptacula diruit, quosdam comprehensos capitali sententia plectendo, alios patibuli tormen-

Portati Canis pœna, pacis turbatoribus inflicta.

tormento torquendo: sola Bajoaria, propter prænominatum litem, hujus gratiæ particeps nondum fieri meruit. 1156.

CAP. XXIX.

De obitu Arnaldi Coloniensis Archiepiscopi, & quòd Princeps prænominatos Duces ad concordiam revocare satagebat, & de nuptiis Imperatoris cum Beatrice, Reinaldi filia, Herbipoli celebratis: & quare. Item de legatis à Græcia reversis, & quare Græcorum legati ad præsentiam Imperatoris non admitterentur.

EODEM anno inter Pascha & Pentecosten Arnaldus Coloniensis Archiepiscopus, vir honestus, suæque Ecclesiæ reparator, diem obiit. Imperator ad Bajoariam rediens, dies Pentecostes in quodam castro Ottonis Palatini privatus erat. Proxima dehinc feria tertia, non longè à civitate Ratispona patruum suum Henricum Ducem alloquens, ad transactionem cùm altero itidem Henrico faciendam tunc demum inclinavit. Præponebat hoc Princeps omnibus eventuum suorum successibus, si tam magnos, sibique tam affines Imperii sui Principes, sine sanguinis effusione in concordiam revocare posset. Sequenti dehinc hebdomada, in civitate Orientalis Franciæ Herbipoli, regio apparatu, multa Principum astipulatione, juncta sibi Beatrice Reinaldi Comitis filia, nuptias celebrat. Reinaldus iste de antiqua & Illustri Burgundionum prosapia originem trahens, illius Burgundiæ Comes dicebatur, quæ olim à Rudolfo Rege Imperatori Henrico Conradi filio, cum testamento relicta, regnum erat. Hæc eadem Provincia est, à qua Conradus Dux, ejusque filius Bertolfus Duces vocari consueverunt. Quæ verò hujus disceptationis caussa fuerit, paucis absolvam. Mos in illa qui penè in omnibus Galliæ Provinciis servatur, remansit, quòd sẽper seniori fratri, ejusq; liberis, seu maribus, seu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas, cæteris ad illum tanquam ad Dominum respicientibus. Ex qua consuetudine factum est, ut Guilhelmus qui dicebatur puer, hujus ex parte patris consanguineus, Conradi verò Ducis sororis filius, rerum summam dum adhuc viveret, illa in Provincia haberet. Quod fraude suorum rebus humanis exempto, Reinhaldo Comiti jure hæreditario Dominium cessit. Actum est hoc sub Henrico V. seu Lothario II. Verùm prædictus Comes nimis justitiæ suæ confisus, erat enim homo lenis, & ex nimia lenitate remissus, curias Principis adire neglexit. Ex quo factum est, ut indignatione motus Princeps, prædictam terram Conrado Duci concederet, sicque uterque vicina sibi vendicaret loca. Longa itaque concertatione intantum ut etiam in campo congressu publico ab eis pugnaretur, penè usq; in præsentiarum deducta est hæc controversia: donec recenter ab Imperatore, sicut cognovimus, eo tenore decisa est: Quòd Bertolfus prædicti Conradi filius, in negocii transactionem, tres civitates inter Iuram & montem Iovis, Losannam, Gebennam & N. accepit, cæteris omnibus Imperatrici relictis. Protenditur etenim hæc Provincia penè à Basilea, id est, à castro quod Mons Biliardi vocatur, usque ad Isaram fluvium, de quo Lucanus:

Nuptiæ Imperatoris Frid.

Reinaldus Burgundiæ Comes.

Burgundia qua occasione Zaringensibus concessa.

Burgundiæ amplitudo.

---hi vada liquerunt
Isaræ,---

junctam habens dominatui suo eam terram, quæ propriè Provincia vocatur, & ab eo flumine porrigitur usque ad ea loca, quà Rodanus mari recipitur, & Arelatum civitas sita est. At Reinaldus iste Simonis Lotharingiorum Ducis filiam ducens, ab ea tantùm hanc puellam suscepit, ipsamque, non multò pòst moriens, secundum prædictum morem, totius terræ suæ hæredem reliquit. Quam Imperator (ut ostensum est) in matrimonio sortitus, non solùm Burgundiam, sed & Provinciam Imperio jam diu alienatas, sub uxoris titulo (ut postmodum plenius dicetur) familiariter possidere cœpit.

Ad eam curiam Guibaldus Corbeiensis Abbas, à Græcia rediens, venit. Nam legati Græcorum, qui cum eo ad Imperatorem destinati fuerant, apud Iuvaniam relicti, præsentiæ Principis non admittebantur. Cujus rei ratio hæc fuit. Cùm ab eo circa Anconam recessissent, literas quasdam sigillo suo clausas per surreptionem acceperant. Igitur redeunte ad transalpina Principe, Græci Campaniam simul & Apuliam

1156. liam ingrediuntur, ostensisque imperialibus literis, maritima sibi à Principe concessa fuisse mentiuntur: sicque indigenas quosque non solùm auctoritate Imperatoris terrendo, sed & auro corrumpendo, totam Provinciam ad suam ditionem inclinant. Inde Barrum usque procedentes, arcem ubi Guilhelmi præsidia posita erant, expugnant. Mortuus fuit ibi Palæologus, & ad terrram suam deportatus. Adjuvabantur non solùm Exulum, videlicet Principis Capuani, Andreæ Comitis, aliorumque qui noviter terras suas receperant auxilio: sed & Roberti Cavillensis cujusdã Comitis, magni de terra illa viri, quem per pecuniam sibi allexerant. Præterea totus penè populus in civitatibus oppidisque manens, eò quòd jamdiu Guilhelmi hujus, patrisque sui Rogerii tyrannide premeretur, tanquam de jugo tam gravi liberari optans, illis adhærebat. Diffamabatur non solùm per vicinas regiones, sed & ad nos usque pervenit, Guilhelmum vel vitam finisse, vel ex vi morborum sensum amisisse: Græcos jam omnes illas possidere Provincias. Audivit hoc Princeps, indignationeque motus consultabat diutissimè, an prædicti legati, qui ex parte Principis sui Manuel advenerant, præsentiæ suæ admittendi, vel tanquam traditores puniendi, vel contemptibiliter facultatem redeundi accepturi forent. Tandem inclinatus quorundam precibus, audientiam eis præstare disponit, & ob hoc dies eis in Norico castro, Mense Julio, præscribitur.

Græci Italiam armis doloque invadunt.

CAPUT XXX.

Quare expeditionem contra Mediolanenses indixerit, & exemplar literarum de hoc. Item de guerra Papiensiũ & Mediolanensium.

IPSE verò quamvis Guilhelmum odisset, nolens tamen Imperii sui limites tyrannica Rogerii rabie usurpatos, ab exteris eripi, expeditionem illic jurari fecit. Non multo tamen pòst, ex quo cognovit Guilhelmum, fusis Græcis, Apuliam & Calabriam recepisse, consilium mutavit, & ad compescendam Mediolanensium contumaciam iram convertit. Unde ejus tale scriptum ad Principes destinatum invenitur:

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto patruo suo Ottoni Frisingensi Episcopo, gratiam suam & omne bonum.

Quia divinæ providentiæ clementia, Urbis & orbis gubernacula tenemus, juxta diversos eventus rerum, & successiones temporum, sacro Imperio & divæ Reip. consulere, debemus. Cùm enim ea quæ necessitatis causa instituta fuerint, cessante necessitate, cessare debeant: expeditionem, quam proximè Wirtzeburg propter invasionem Græcorum in Apuliam jurari præcepimus, post fugam eorum tibi, cæterisque Principibus relaxamus, ut ad alia Imperij negocia promptiores eos invenire possimus. Verùm quia Mediolanensium superbia jamdiu caput contra Romanum Imperium erexit, & modò sua fortitudine totam Italiam subvertere, vel suo nititur Dominio subjugare: ne & tanta præsumptio nostro tempore prævaleat, vel gloriam nostram plebs improba usurpare, vel conculcare valeat, futuris casibus viriliter occurrere, & ac destructionem eorum omne robur Imperij excitare intendimus. Ex judicio igitur Principum expeditionem contra Mediolanum à proxima Pentecoste ad annum juratam tibi indicimus, quàm intimè rogantes & præcipientes, quatenus ad eam nobiscum peragendum, à vigilia Pentecostes ad annum, Ulmæ nobis indubitanter occurras: certus, quòd nec te, nec aliquem Principum nostrorum montem Apenninum transire cogemus.

Denique Princeps ad transalpina rediens, sicut Francis præsentia sua pacem reddidit, sic Italis absentia subtraxit. Nam non solùm Apulia & Campania hujus mali, ut ostensum est, particeps fuit, sed ulterior Italia, absentiam sui sentiens Principis, immunis ab hoc turbine esse non potuit. Mediolanenses siquidem mox reædificata Terdona, Papiensium renovant bellum, duobus super Ticinum fabricatis pontibus, fines

Mediolanensium ferocia.

fines eorum irrumpunt, oppidum quoddam Vigevenum (ubi multi ex ipsis simul cum Marchione Gulhelmo fuerunt) obsidione vallant, ac tandem artificiosè ad deditionem coactos, pacem petere & obsides dare compellunt. Sed cùm duras nimium pacis conditiones audissent, rursus rebellare tentabant Papienses. Igitur Mediolanenses per pontes quos fecerant transmeantes, Lunellum reædificant, totumque penè territorium Papiensium crudeliter depopulantur. 1156.

CAP. XXXI.

De schismate Coloniensis Ecclesiæ propter electionem Friderici & Gerardi. De morte Boritij, & legatis Græcorum. De contentione Coloniensis cleri coram Principe.

EA tempestate, defuncto (ut dictum est) Arnaldo Coloniensi Archiepiscopo, Ecclesia illa ad electionem faciendam conveniens, gravissimè scissa est: Præpositis & Abbatibus Gerardum Bunnensem præpositum, majoris verò Ecclesiæ canonicis, qui tunc temporis præposito & decano carebant, Fridericum Adolfi Comitis filium, eligentibus. Itaque Imperatore mense Julio, in Norico castro, ubi Græci ejus Majestati præsentandi erant, morante, utræque istæ partes causam suam Principi ostensuræ veniunt. Non longè ante hæc tempora Græcorum Princeps cum Boritio contra Ungaros copias mittens, magnum sui detrimentum accepit exercitus, intantum, ut & Boritius à quodam qui secum venerat Cumano, qui & Scytha, sagitta transfixus necaretur. Ea propter prædicti nuncij, non solùm ob firmandum connubium ad Imperatorem venerant, sed etiam ad indicandam suam de Ungaris, auctoritate Principis, injuriam, in utroque frustrati sunt. Nam & Imperator aliam sibi (ut prædictum est) in matrimonio junxerat, & expeditio contra Ungaros (postulabant enim eam proximo Septembri fieri) tam celeriter fieri vel ordinari non poterat. Admittuntur tamen ejus conspectui, scripta recipiuntur. Remittitur cum eis Stephanus capellanus Imperatoris, per quem Princeps de illius Principis voluntate amplius cognoscat. Sed de Græcis dicta hunc teneant locum. Procedunt Colonienses, advocatos exposcunt, de sua utrique electione per triduum coram Principe decertant & conrixantur. Tandem Princeps utrorumque auditis allegationibus, consilio & judicio quos secum habebat Episcoporum, aliorumque Principum, prædictam causam ad curiam Ratisponensem, ubi consilium pro terminanda duorum Ducum lite publicari debuit, producendam decrevit.

De Coloniensi Pontificatu concertatio.

CAP. XXXII.

De transactione duorum Ducum. De pace facta in Bajoaria, & de decisione litis inter Colonienses.

IGITUR mediante jam Septembre, Principes Ratisponæ conveniunt, ac per aliquot dies præsentiam Imperatoris præstolabantur. Dehinc Principe patruo suo in campum occurrente, manebat enim ille ad duo Teutonica milliaria sub papilionibus, cunctis Proceribus, virisque magnis accurrentibus, consilium quod jamdiu secretò retentum celabatur, publicatum est. Erat autem hæc summa (ut recolo) concordiæ. Henricus major natu, Ducatum Bajoariæ per VII. vexilla resignavit. Quibus minori traditis, ille duobus vexillis Marchiam Orientalem cum Comitatibus ad eam ex antiquo pertinentibus, reddidit. Exinde de eadem Marchia cum prædictis Comitatibus, quos tres dicunt, judicio Principum, Ducatum fecit: eumque non solùm sibi, sed & uxori cum duobus vexillis tradidit: néve in posterum ab aliquo successorum suorum mutari posset, aut infringi, privilegio confirmavit. Acta sunt hæc anno Regni ejus V. Imperij II. Itaque ad civitatem, juxta quod præoptaverat, inter patruum & avunculi sui filium terminata sine sanguinis effusione controversia, lætus rediit, ac statim sequenti die in publico residens consistorio, ne Bajoaria ulterius totius Regni quietis immunis esset, treugam proxima Pentecoste ad annum jurari fecit. Porrò tanta ab ea die usque in

Transactio de Ducatu Bavariæ. Marchia Austriæ Ducatus titulo insignitur.

1155. præsentiarum toti transalpino pacis jucunditas arrisit Imperio, ut non solùm Imperator & Augustus, sed & Pater patriæ jure dicatur Fridericus. Enimvero antequam hæc Curia terminaretur, præsentatis sibi iterum de Coloniensi Ecclesia utrisque partibus alteram electionem, eam videlicet quæ à Canonicis majoris Ecclesiæ facta fuit, validiorem judicans, Fridericum Adolfi Comitis filium, de regalibus investit, sicque eum à Romano Pontifice consecrandum ad Urbem misit.

Fridericus à Dassile Archiepiscopus Colon.

Tanta sunt quæ de Tuæ Majestatis virtutibus dici possent, Augustorum optime, quòd si simul sine interpolatione insipienter effundantur, scribentis præfocare possent animum. Quare huic secundo Operi terminus detur, ut ad ea quæ dicenda restant, tertio locus severtur Volumini.

Hucusq; Otto Episcopus Frisingensis Chronica illa deduxit.

LIBRI SECUNDI FINIS.



VII.

RADEVICI ECCLESIÆ FRISINGENSIS CANONICI, DE Rebus Gestis Friderici I. Romanorum Imperatoris, continuatæ ad Ottonem historiæ, libri duo:


Nunc primùm diligenter recogniti, ac multis in locis emendati.

Accessit Vetusti Scriptoris Appendix ad Radevicum, XI. annorum annales complectens; unà cum quibusdam Epistolis.

RADEVICI CANONICI FRISINGENSIS IN SUAM APPENDICEM PROOEMIUM.

Viris Prudentissimis, pace & militia exercitatis, ULRICO & HENRICO, Sacri palatij uni Cancellario, alteri Notario, RADEVICUS sanctæ Frisingensis Ecclesiæ Professione Canonicus, ordine Diaconus, licet indignus, simul cum intellectu spiritu pietatis abundare.

INTERROGANS *generationem pristinam, & diligenter investigans patrum memoriam, multis experimentis invento, humanarum rerum nihil firmum, nihil perpetuum: sed dies hominis velociùs transire, quàm à texente tela succiditur, & vitam ejus velocius umbra aut vento declinare. Quod cum multis & magnis clarum sit experimentis, etiam præsentis Operis pagina suum nobis exinde præbet documentum, quæ ab auctore suo felicis memoriæ, venusti sermonis inchoata, ipso (proh dolor) infausta morte prævento, nostræ parvitati, velut abortiva, & quasi de Domini sui funere rapta, ejus jussu, pariterq; serenissimi & divi Imperatoris Friderici nutu, fovenda & promovenda committitur. Parendum ergo tam magnis præceptoribus deliberavi, malens potius de rudis informitate sermonis subire judicium, quàm de perfida desidia, seu deside perfidia notari, si tam clari ac magni viri, mihique charissimi Domini, tam præclaræ materiæ cœptum Opus & memoriale, pariter cum illo in interitum atque oblivionem passus fuissem venire. Et vestræ quidem prudentiæ potissimùm labor iste debebatur, apud quos exacta fides historiæ reperitur: sed præjudicantibus vobis in hac parte diversarum occupationum curis, non tam vacat ad scribendum distractos animos applicare, quàm scriptis aliorum accusationem, vel debitam laudationem accommodare. Quidam enim, ut ait Josephus, non quòd rebus interfuerint, sed incertos & incongruos narrantium sermones auribus colligentes, oratorum more perscribere solent. Qui verò præstò fuerunt, aut vincentis Principis obsequio, aut odio eorum qui victi sunt, contra fidem rerum falsa confirmant. A quorum parte utrinq; me beatum æstimo, qui in his quæ audivi, non passim quorumlibet relatorum rumusculis sum me perpessus abrumpi: nec in his quæ per me cognovi, gratia Principis, seu favore meæ gentis falsum quippiam addidi. Si quis autem superioris Operis facundiam, habita collatione cum arido nostri ingenii eloquio contulerit, veniam placatus tribuat. Fateor equidem, quòd tenuis mihi spiritus est, ad excitandam minutam tibiam, nec dum ad implendam superioris auctoris venerabilis præsulis tam magnificam & copiosam scribendi & dicendi tubam. Sed ubi eloquentiæ & styli me superat pondus, sensus & integra veritas rerum gestarum, Deo propitiante, exæquabit. Vos itaq; ambos in hoc Opere præceptores, testes & judices eligo: rogans, ut exactum à me laborem sine contumelia suscipiatis, & qui rebus ipsis tanquam familiares & conscij secretorum interfuistis, si quid corrigendum est, ad regulam veritatis emendare, si quid parum, aut superfluè dictum est, vel radere, vel superaddere, quantum satis est, non pigritemini. Ego etenim revera, nisi vestra fretus ope ac studio, sub hoc fasce succumberem. Frustra per me conatus tanti Imperatoris gesta attingere, cujus si quis magnitudinem animi & Imperij cum annis conferat, ætatem ultrà putet. Ita enim latè & magnificè per orbem terrarum arma circumtulit, tantum operum pace, belloque gessit, ut qui res ejus legerit, non unius, sed multorum facta Regum seu Imperatorum arbitretur.*



RADEVICI FRISINGENSIS Canonici Appendicis ad Ottonem, de Reb. gestis Friderici Imp. Aug. Lib. I.

CAP. I.

De procinctu contra Polonos. De situ terræ, & more illius gentis.



ORDINATO in Alemanniæ partibus summa prudentia Imperio, tota terra illa jam inusitatam & diu incognitam tranquillitatem agebat. Ea denique pax in Germania erat, ut mutati homines, terra alia, cœlum ipsum mitius, molliusque videretur. Imperator autem tanta quiete non ad otium, non ad voluptatum illecebras abutebatur. Indignum siquidem ratus est, si exercitatum bellicis negotiis animum sine utilitatibus Imperij per desidiam dissolvi pateretur. Anno itaque ab incarnatione Domini M. CLVII. mense Augusto contra Polonos procinctum movet. Est autem Polonia, quam modo Sclavi inhabitant, sicut placet his qui situs terrarum descriptionibus notant, in finibus superioris Germaniæ, habens ab Occidente Oderam fluvium, ab Oriente Istulam, à Septentrione Ruthenos & mare Scythicum, à Meridie sylvas Boemorum. Terra utique naturalibus firmamentis munitissima, natio tam propria feritate, quàm vicinarum contiguitate gentium penè barbara, & ad pugnandum promptissima. Ajunt enim ejus maris, quod illius terræ litus alluit, tales esse provinciarum habitatores, qui famis tempore semet devorent: & cum perpetuis rigeant algoribus, ideoque nullam possint agriculturam in quibusdam locis exercere, venationibus & moribus dediti sunt. Omnes autem piraticam exercent, & insulas Oceani, Hyberniam & Britanniam, Daciam quoque inquietam, licet in alio litore reperiantur. Talium (ut assolet) nationum vicinia, nonnihil atrocitatis tanquam de rubiginoso ferro cariem sibi Poloni affricuere. Unde nec Principibus suis fidem, nec natura propinquis debitam inveniuntur gratiam conservare.

Germania pacata.

Polonia descriptio.

Anno 1157.

CAP. II.

Quæ causa fuerit illius expeditionis.

AT hujus expeditionis hæc ratio fuit. Boitzlaus, Cazimerus, & tertius item Lobizlaus, qui Gertrudem neptem Imperatoris, filiam Leopaldi Marchionis Austriæ sortitus fuerat uxorem, totàm terram funiculo hæreditatis tenere debebant: majore natu, quem ultimo posuimus loco, nomen & honorem Ducis habente. Quo à fratribus per vim cum regalis sanguinis uxore projecto, & ad Conradum Romani Imperij tunc Principem perfuga profecto, & clementer recepto: missa ad prænominatos tyrannos crebra legatione, ut in pristinum statum fratrem reciperent, Rex spretus est, Ducisque exilium usque ad obitum Regis duravit. Divo autem Principe Friderico rerum summam gubernante, pari modo mandatum ejus floccipendere sibi impunè arbitrabantur. Cessit verò his secus ac rati sunt. Nam & altioris spiritus, & acrioris ingenij Principem, multiplicatæ injuriæ ulterius dissimulare facinus non sinebant. Accessit

Belli Polonici causa.

ſiquidem ad hæc, quòd vel debitum fidelitatis ſacramentum offerre, vel ſolitum ſingulis
1557. annis tributum quingentarum marcarum, publico ærario inferre jam deſueverant, talibusque indicijs apertè ſe ab Imperio deſciviſſe, & non clanculam, ſed evidentem rebellionem moliri proteſtabantur.

CAP. III.

Quomodo Imperator Poloniam intraverit, & quid ibi fecerit.

IMPERATOR ergo cum magnis copiis Poloniam, quamvis arte & natura admodum munita ſit, ita ut priores Reges ſeu Imperatores vix magna difficultate ad fluvium Oderam perveniſſent, fretus ope divina, quæ viſibiliter exercitum præceſſit, clauſuras illorum, quas in anguſtis locis præciſa denſitate ſylvarum fecerant, & magna mole ingenioſè obſtruxerant, penetravit, & XI. Kalend. Septembris prænominatum amnem, qui ex illa parte totam Poloniam quaſi murus ambit, & profunditate ſui gurgitis omnes excludit aditus, præter opinionem incolarum, cum magno exercitu tranſuadavit. Tantum enim omnes tenebat tranſeundi deſiderium, ut alii natandi, alii quodlibet inſtrumentum fors obtuliſſet, eo pro navicula utendo tranſirent. Quo viſo, Poloni de tam improviſo malo perculſi, & vehementer exterriti, cùm jam nihil præter exitium ſui, & deſtructionem terræ ſupereſſe viderent,

Polonia à Friderico vaſtata.

quamvis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum videlicet, Parthorum, Pruſchorum & Pomeranorum, maximum collegiſſent exercitum, in ſola fuga ſpem vitæ conſtituunt: adeò deſperatione correpti, ut proprium ſolùm, propriam patriam ſuis manibus incendendo vaſtarent, inſuper & arces ac munitiones deſtruerent. Inter quas munitiſſima caſtra, Glogovia videlicet, & Bitum, quæ prius ab hoſte capta non fuerant, ne à noſtris ibidem præſidia ponerentur, cremaverunt. Imperator fugientes inſecutus, & territorium Epiſcopii, quod vocatur Vratislavia, tranſcurrens, in Epiſcopatum Poſnanienſem totamque terram etiam ipſe igne & gladio depopulatus eſt, indignum æſtimans eis parcere, qui in ſeipſos tam crudeles hoſtes inventi fuiſſent.

CAP. IV.

Quomodo Dux eorum ad deditionem venerit.

BOLEZLAUS Dux rebus ſuis ultimum fatum cernens imminere, cum totam terram, populumque ſuum periclitari, & propè eſſe ad interitum cerneret: Barones & Principes noſtros tum per nuncios, tum in propria perſona conveniens, multis precibus, multis lachrymis, multis quoque promiſſionibus, ut ſub jugum Romanæ ditionis, & in gratiam Principis recipi mereretur, poſtulavit. Salutare ſecutus conſilium, ante intolerabilem calamitatem rebellionis mutare ſententiam: debere autem dedignari Dominos humiliores, non eum cujus in poteſtate ſit Romanum Imperium. Imperator jamdudum edoctus hanc Nobilitatem:

parcere proſtratis, & debellare ſuperbos.

præmaturam, ſubitam, & à Deo datam nolens cruentare victoriam, Ducem ad deditionem recipiendum decrevit.

CAP. V.

De conditionibus pacis, & reditu Imperatoris.

ITAQUE in prædicto territorio Epiſcopatus Poſznanienſis, circa partes Criſguuæ, præfatus Dux pedibus Imperatoris provolutus, interventu Principum, hoc tenore in gratiam receptus eſt. Primò juravit pro ſe, & pro omnib. Polonis, quòd frater ſuus Exul ad ignominiam Romani Imperii non fuerit expulſus.

Polonus Cæſari reconciliatus.

Deinde pollicitus eſt dare duo millia marcarum Imperatori, & Principibus mille, Imperatrici XX. Marcas auri, Curiæ C C. Marcas argenti, ob eam negligentiam, quòd ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Iuravit quoque Italicam expeditionem. Deinde juravit, ut in proxima nativitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire

nire deberet, juxta judicium & sententiam Polonorum & Boemorum, super querimonia fratris sui expulsi plenariè responsurus. Sicque jurata Principi fidelitate, sicut mos est, & de supradictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre Ducis, & aliis Nobilibus, gloriosam adeptus victoriam, Deo Duce feliciter Augustus revertitur. Ipse tamen Dux dolis plenus, & acerbam dominationis cupidinem mente gerens, jamiam suis promissionibus (ut postmodum patuit) moliebatur insidias. Nam nec ad Curiam venit, nec sufficientes pro se Procuratores misit: Italicam quoque expeditionem, violato sacramento, mentitus est. 1157.

CAP. VI.

De indignatione Principis adversus Græcorum legatos.

NON multo pòst apud Herbipolim civitatem, Constantinòpolitani Imperatoris legati coram Principe cum muneribus suam peragunt legationem: quia tamen verba eorum in quibusdam fastum regalem, & Græcum in subornato sermone videbantur sapere tumorem, Imperator eos despexit: & nisi in melius commutata sententia commodiùs sibi prospexissent, si fieri poterat salvo nunciorum privilegio, dissimulationem agente Principe, propè fuit, ut à quibusdam ignominiosum & ærumnosum accepissent responsum. Placatus tamen multis eorum precibus & lachrymis Imperator, veniam insuper his donavit: accepta sponsione, quòd deinceps spernentes ampulosa, non nisi eam quam deceret Romanum Principem, & Urbis ac orbis Dominatorem, reverentiam suis salutationibus apportarent. Indulgentiam & gratiam consequuti Fridericum Ducem Sueviæ filium Conradi Regis, adhuc adolescentulum, in præsentia sua gladio accingi, & militem profiteri postulant, & impetrant. Amita siquidem sua Hirena Imperatrix Constantinopolitana, & antea & nunc, multis & magnificis eundem puerum visitaverat largitionum muneribus, idque legatis in mandatis dedisse traditur, ne quando nisi completo negocio in Græciam reverterentur: astipulante sibi cum magno favore proprio marito, ob gratiam & antiquam amicitiam cum patre pueri Rege Conrado habitam.

Periculum legatorum Græci Imp.

Fridericus Conradi Cæs F. gladio accingitur.

CAP. VII.

De legatis Regis Angliæ & ejus muneribus, & exemplar literarum ejusdem.

IBIDEM tunc affuere etiam Henrici Regis Angliæ missi, varia & preciosa donaria, multo lepore verborum adornata, præsentantes. Inter quæ Papilionem unum quantitate maximum, qualitate bonissimum perspeximus. Cujus si quantitatem requiris, non nisi machinis, & instrumentorum genere, & adminiculo levari poterat: si qualitatem, nec materia, nec opere ipsum putem aliquando ab aliquo hujusce apparatu superatum iri. Literas quoq; mellito sermone plenas pariter direxerat. Quarum hic tenor fuit:

Præcordiali amico suo Friderico, Dei gratia Romanorum Imperatori invictissimo, Henricus Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegavensis, Salutem, & veræ dilectionis concordiam.

Excellentiæ Vestræ quantas possumus referimus grates, Dominantium Optime, quòd nos nunciis vestris visitare, salutare literis, muneribus prævenire, & quod his charius amplectimur, pacis & amoris invicem dignatus estis fœdera inchoare. Exultavimus & quodammodo animum nobis crescere, & in majus sensimus evehi, dum vestra promissio, in qua nobis spem dedistis in disponendis Regni nostri negociis, alacriores nos reddidit, & promptiores. Exultavimus, inquam, & tota mente Magnificentiæ Vestræ assurreximus, id vobis in sincero cordis affectu respondentes, quòd quicquid ad honorem vestrum spectare noverimus, pro posse nostro effectui, mancipare parati sumus. Regnum nostrum, & quicquid ubique nostræ subjicitur ditioni, vobis exponimus, & vestræ committimus potestati, ut ad vestrum nutum omnia disponantur, & in omnib. vestri fiat voluntas Imperii. Sit igitur inter nos & populos nostros dilectionis & pacis unitas indivisa, commercia tua: ita tamen ut vobis qui dignitate

1157. præeminetis, imperandi cedat auctoritas, nobis non deerit voluntas obsequendi. Et sicut Vestræ Serenitatis memoriam vestrorum excitat in nobis munerum largitio, sic vos nostri quoque reminisci præoptamus, mittentes quæ pulchriora penes nos erant, & vobis magis placitura. Attendite itaque dantis affectum, non data, & eo animo quo dantur excipite. De manu beati Jacobi, super qua nobis scripsistis, in ore Magistri Heriberti, & Guilhelmi clerici nostri verbum posuimus, teste Thoma Cancellario apud Norhant.

CAP. VIII.

De nunciis diversarum nationum, & de curia apud Bisuntium celebrata, & nunciis Adrianæ Papæ. 1

ADERANT præterea diversarum nationum, utpote de Dacia, Pannonia, Italia, seu de Burgundia, diversæ legationes, quarum portitores se mutuò videntes, atque certatim munera & supplicationes afferentes, singuli singulis stuporem pariter & admirationem addidere. Mense Octobri mediante, Imperator apud Bisuntium curiam celebraturus, in Burgundiam iter aggreditur. Est autem Bisuntium una metropoleos ejus tertiæ partis, in quas Imperator gloriosus Carolus Magnus suum inter tres filios suos, omnes regio nomine gaudentes, divisit Imperium: sita super amnem Touba. In qua 2
civitate penè omnibus Proceribus terræ illius adunatis, multis quoque exterarum gentium, utpote Romanis, Apulis, Tuscis, Venetis, Italis, Francis, Anglis & Hispanis, per legatos suos Imperatoris adventum præstolantibus, festivissimo apparatu, & solenni favore excipitur. Tota siquidem terra eundem fortissimum cognoscens, & clementissimum, amore pariter & timore permixto, novis illum fascibus honorare, novis laudibus attollere satagebat.

Vesontium Burgundiæ.

At priusquam ad ejus Provinciæ negocia, seu ordinationem stylus se porrigat, de legatis Romani Pontificis Adriani, ad quid venerint, & quomodo recesserint, quia & auctoritas ejus partis major, & causa gravior, dicendum nobis erit. Prolixitatem hujus narrationis non causabitur, qui materiæ pondus, ac temporis, quo hæc tempestas 3
protracta est, & protrahitur, diuturnitatem diligenter considerabit. Personæ nunciorum erant Rolandus Tit. S. Marci presbyter Cardinalis, & Cancellarius S. Romanæ Ecclesiæ, & Bernardus Tit. S. Clementis presbyter Cardinalis, ambo divitijs, maturitate & gravitate insignes, & penè omnibus alijs in Romana Ecclesia auctoritate majores. Causa verò adventus eorum speciem sinceritatis videbatur habere: sed fermentum & occasionem malorum latuisse, postmodum evidenter deprehensum est. Principe ergo die quodam à strepitu, & populi tumultu declinante, in cujusdam oratorij privatiore recessu, prædicti nuncij in conspectum ejus deducti, ab eoque ut oportebat, sicut qui boni se nuncij bajulos assererent, benignè & honestè recepti sunt. Exordium autem sermonis illorum in fronte ipsa notabile comparuit, quod tale fuisse dicitur: Salutat vos beatissi- 4
mus Pater noster Papa Adrianus, & universitas Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ. Ille ut Pater, illi ut Fratres. Paucisque interpositis, literas quas ferebant protulere. Quas & aliarum quæ in hac turbulentia hinc inde discurrebant, rescripta literarum, idcirco huic Operi interserere curavi, ut quivis lector, qui in partem declinare voluerit, non meis verbis vel assertionibus, sed ipsarum partium propriis scriptis tractus & vocatus, liberè eligat, utri parti suum velit accommodare favorem. Tenor denique literarum talis erat.

CAP. IX.

Exemplar literarum ejusdem.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Friderico il- 5
lustri Romanorum Imperatori, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Expostulatoria ob non vindicatam contume-

IMperatoriæ Majestati paucis retroactis diebus recolimus scripsisse, illud horrendum & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intentatum, Excellentiæ Tuæ ad memoriam

moriam revocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quòd absque digna severitate vindictæ usque nunc transire passus sis, tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. Londonensis Archiepiscopus, dum à sede Apostolica remearet, à quibusdam impijs & scelestis (quod sine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: qualiter etiam in ipsa captione prædicta, viri impietatis, semen nequam, filii scelerati, in eum & in suos evaginatis gladijs violenter exarserint, & eos ablatis omnibus, quàm turpiter atque inhonestè tractaverint: & Tua Serenissima Celsitudo cognoscit, atque ad longinquas & remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantius exurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam maledictorum, laudem verò bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desævire oportuit impiorum, & gravissimè conterere præsumptores. Tu verò ad ipsum ita dissimulasse diceris, sævitiam neglexisse, quòd eosdem non est quare pœniteat commisisse reatum: quia impunitatem sacrilegii quod gesserunt, jamiam sentiunt invenisse. Cujus quidem dissimulationis & negligentiæ causam penitus ignoramus: quoniam nos in aliquo Serenitatis Tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus nostrum animum non accusat: sed personam tuam sicut charissimi & specialis filii nostri & Principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, syncera semper dilexerimus charitate, & debitæ tractavimus benignitatis affectu. Debes enim gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter & quam jucundè alio anno mater tua Sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris: & qualiter imperialis insigne Coronæ libentissimè conferens, benignissimo gremio suo, tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere: nihil prorsus efficiens quod Regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus implevisse, sed si majora beneficia Excellentia Tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesiæ Dei & nobis per te incrementa possint, & commoda provenire, non immeritò gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus quod in contumeliam universalis Ecclesiæ & Imperij tui noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris, suspicamur utique ac veremur, ne fortè in hanc dissimulationem & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quòd suggestione perversi hominis zizania seminantis, adversus clementissimam matrem tuam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & nosipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem.

1157. liam Pontificis legatis illatam.

Ob hoc igitur, & ob alia omnia negocia quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus & charioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros, Bernhardum S. Clementis presbyterum, Rolandum S. Marci presbyterum Cardinalem, & Cancellarium nostrum, viros utique religione, prudentia & honestate conspicuos, Serenitati Tuæ de latere nostro, ad præsens duximus destinandos: Excellentiam Tuam rogantes attentiùs, quatenus eos tam honorificè quàm benignè recipias, honestè tractes, & ea quæ ipsi super hoc, & super aliis, ad honorem Dei & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam & exaltationem Imperii pertinentia, ex parte nostra, Imperatoriæ proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque ulla hæsitatione suscipias, & ipsorum verbis tanquam si ea contingeret nos proferrè, fidem non dubites adhibere.

CAP. X.

Qualiter Imperator talem legationem Papæ graviter tulerit, & literæ per ambitum Imperij super hoc directæ.

TALIBUS literis lectis, & per Reinaldum Cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis, magna Principes qui aderant, indignatione commoti sunt: quia tota literarum continentia non parum acedinis habere, & occasionem futuri mali jamiam fronte sua præferre videbatur. Præcipuè tamen universos accenderat,

1157. derat, quòd in præmissis literis inter cætera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Romano Pontifice collatam, & insigne Imperialis Coronæ de manu ejus Imperatorem suscepisse: nec ipsum pœnitere, si majora beneficia de manu ejus suscepisset, habita consideratione, quanta Ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa & commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quòd à nonnullis Romanorum temere affirmari noverant, Imperium Urbis, & Regnum Italicum donatione Pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idque non solùm dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Unde de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est:

Imperatoria contra Pontificem stomachationis causa.

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Pòst homo fit Papæ, sumit quo dante Coronam.

Talis pictura talisque superscriptio Principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles Imperii delata, cum vehementer displicuisset, amica prius invectione præcedente, laudamentum à Papa Adriano accepisse memoratur, ut & scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi & discordandi præbere posset materiam.

His omnibus in unum collatis, cùm strepitus & turba inter Optimates Regni de tam insolita legatione magis ac magis invalesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt unum de legatis: A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium? Ob hoc dictum eò processit iracundia, ut unus eorum, videlicet Otto Palatinus Comes de Baioaria, ut dicebatur, propè exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fridericus auctoritate præsentiæ suæ interposita, tumultum quidem compescuit: ipsos autem legatos securitate donatos, ad habitacula deduci, ac primo manè via sua proficisci præcepit: addens in mandatis, ne hac, vel illac, in territoriis Episcoporum, seu Abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, reverterentur ad Urbem. Ipsis itaque sine efficacia revertentibus, id quod factum fuerat ab Imperatore per universum Regni ambitum providè literis declaratur, quarum hic tenor fuit.

Pontificis legati cum indignatione dimissi.

Cum divina potentia, à qua omnis potestas in Cœlo & in terra, nobis Christo ejus Regnum & Imperium regendum commiserit, & pacem Ecclesiarum Imperialibus armis conservandam ordinaverit: non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestræ, quòd à capite S. Ecclesiæ, cui Christus pacis ac dilectionis suæ characterem impressit, causæ dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum, manare videntur. De quibus, nisi Deus avertat, totum corpus Ecclesiæ commaculari, unitatem scindi, inter Regnum & Sacerdotium schisma fieri pertimescimus. Cùm enim nuper in Curia Bisuntij essemus, & de honore Imperij & salute Ecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt legati Apostolici, asserentes, se talem legationem nostræ afferre Majestati, unde honor Imperij non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die adventus sui honorificè suscepissemus, & secunda (ut mos est) ad audiendam legationem eorum cum Principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem Apostolicis literis conscriptam nobis præsentaverunt, quarum tenor talis erat: Quòd præ oculis mentis semper deberemus habere qualiter Dominus Papa insigne Imperialis Coronæ nobis contulerit, neque tamen pœnitentia moveretur, si majora Excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ unitatem Ecclesiæ & Imperii confovere debuit, quæ vinculo pacis utrunque colligare studuit, quæ ad utriusque concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solùm Imperialis Majestas debitam indignationem concepit, verùm omnes Principes qui aderant, tanto furore & ira sunt repleti, quòd sine dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sententia damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. Porrò quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, & schedulæ sigillatæ, ad arbitrium eorum adhuc scribendæ, quibus (sicut hactenus consuetudinis eorum fuit) per singulas Ecclesias Teutonici Regni conceptum iniquita-

Frid. ad Imperii ordines de Pontificis arrogantia conquestio.

1157.

quitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare, nitebantur: ne ultrà procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Urbem eos redire fecimus. Cumque per electionem Principum, à solo Deo Regnum & Imperium nostrum sit, qui in passione Christi Filij sui duobus gladijs necessariis regendum orbem subjecit, cumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit, *Deum timete, Regem honorificate*: quicunque nos Imperialem Coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit. Quia verò hactenus honorem ac libertatem Ecclesiarum, quæ jamdiu indebitæ servitutis jugo depressa est, à manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus: universitatem vestram super tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus: sperantes ne honorem Imperij, qui à constitutione Urbis, & Christianæ religionis institutione, ad vestra usque tempora gloriosus & imminutus extitit, fidei vestræ indivisa sinceritas, tam inaudita novitate, tam præsumptuosa elatione imminui patiatur: scientes omni ambiguitate remota, quòd mortis periculum antè vellemus incurrere, quàm nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere.

Imperialis dignitas per electores à Deo, non à Pontifice. *1.Pet.2.*

CAP. XI.

De negocijs in Burgundia bene gestis.

HIS ita gestis, Fridericus ad ordinanda Imperii negocia in Regno Burgundiæ animum intendit. Cumque Burgundia aliquando per se fortes Reges habuisset, & per eos suis gentibus præcepta dare solita fuisset, ex appetitu libertatis, quæ (ut dicitur) res inæstimabilis est, jamdudum insolentiam & desuetudinem induerat obsequendi. Ea itaque terra, quæ non nisi multo labore, ac bellico sudore subigenda putabatur, ita Deo ordinante, paruit, quòd nisi alia in Regno disponenda inevitabiliter Imperatorem retraxissent, familiariter & cum paucis usque Arelatum sedem Regni Burgundiæ procedere potuisset. Denique (quod modò viventium excedit memoriam hominum, aliquando contigisse) Stephanus Viennensis Archiepiscopus, & Archicancellarius de Burgundia, & Erachus Archiepiscopus, & primas Lugdunensis, & Odo Valent. Episcopus, & Ganfredus Avinionensis, & Silvio magnus Princeps & præpotens de Claria, tunc ad Curiam venientes, Friderico fidelitatem fecerunt atque hominium, & beneficia sua de manu illius reverenter susceperunt. Arelatensis autem Archiepiscopus, & alii omnes Archiepiscopi, Episcopi, Primates, & Nobiles venissent, idemque fecissent, nisi mora Principem adeundi compendio suæ brevitatis præstitisset impedimentum. Missis tamen per honestos valde, & industrios nuncios literis, omnimodam subjectionem, & debitam fidelitatem Imperio Romano compromiserunt. Ludovicus quoque Rex Francorum usque * Duinum occurrerat ad colloquium Imperatoris, sed eo versus Alemanniam iter agente, cœptum non processit. Directis autem uterque Principum nunciis, Imperator quidem Cancellario suo prænominato Reinaldo, & Comite Udalrico de Lenzeburg, Rex verò etiam suo Cancellario magistro Alderico, sese per illos mutuò salutarunt. Reliquum * legationis, ut videbatur quidem utilitati, re autem vera, regali potius fastui studere utrinque videbatur. Nam sicut egomet (referente venerabili Viro Henrico Trecense Episcopo) cognovi, Ludovicus audito quòd strenuè partibus illis Fridericus prævaluisset, pertimuit, nec jam ad colloquium, quod suspectum habebat, sed ad bellum se ratus proficisci, clanculum non parvas copias collegerat, adeò quòd IX. Episcopos cum sua militia una nocte in Trecensi civitate tunc hospitasse memoratus Præsul memoraret. Cumque tota terra illa non minimo metu nutaret, ipsa trepidatio nobis pro victoria putabatur.

Burgundiæ Principes homagium Cæsari præstant.

** al. Divionum.*

** al. relationis.*

CAP. XII.

Quòd Poloni fidem & Sacramenta mentiti sunt: & de nuncijs Gaisæ Regis Ungariæ, & fratre ejus Stephano.

1158. REVERSUS de Burgundia Imperator, rebus feliciter gestis, prædiisque conjugis suæ Imperatricis, de qua suprà dictum est, ad arbitrium suum dispositis, in Saxoniam iter flectit, diesque nativitatis Domini in civitate Magdeburg celebravit, experimentum accipiens de Polonis, qui (ut præfati sumus) suis negociis tunc finem facere debuerant, quòd ipsi avaritia pariter & ambitione cæcati, de promissis fidem & sacramenta vile quid judicarent. Deinde in Bajoariam tendens, Ratisponæ Curiam magna cum frequentia Principum, in octava Epiphaniæ agit. Ibi inter cæteros qui tunc crebri aderant, etiam Regis Ungariæ Gaisæ legati affuere. Siquidem frater ejus nomine Stephanus, quorundam criminationibus Regi delatus fuerat, quasi ad Regnum aspiraret, atque in ea re avunculum amborum, Belum virum valde prudentem, ac ad innovandas res idoneum, suasorem habere putabatur, pro eo quòd honorificentius habito adolescenti, per studia colendi, ferociæ visus est nutrimenta suggerere. Rex autem suspectum habens tantum fratris honorem, & pejora re ipsa de illo veritus, non tam ipsum quàm amicos & familiares ejus jam apertè insimulans, omnia facta seu dicta eorum in crimina vertebat: multisque adversus fratrem vulgatis, pluribus ad contestandum subordinatis, per insidias necem fratris dicebatur adoptare. Is antehac compertum habens, quòd Romanum Imperium totius orbis esset asylum, fugiens ad Imperatorem evasit, ærumnasque suas, ac erga se Germani crudelem acerbitatem, lachrymabili conquestione deploravit: criminationumque suarum invidiam diluendo, ficta quæ adversum se dicebantur asserere, & purgationis suæ fidem omnibus constare: nunquam calumniatores defore, dum extet cui persuadeatur: iniquissimum esse quòd fratri non sufficeret paterno eum Regno expulisse, nisi de capite quoque suo, & vita innocentissima supplicium sumeretur.

Conventus Imperij Ratisponæ 1158.

Regis Vngari frater ad Imperatorem profugus.

Tali deprecatione permotus Fridericus, missis in Ungariam legatis, de restitutione juvenis cogitabat, Imperialem precibus adjungens dignitatem & auctoritatem. Rex itaque adversus fratrem, duos de Optimatibus Regni sui dirigit ad Curiam, Episcopum Gervasium de Castro ferreo, & Comitem Heidenricum, viros opulentos, & copia dicendi satis instructos, per quos & objecta diluere, & de fratris ejectione invidiam in eum qui passus erat, retorquere satageret: prosequens injurias & peccata plurima in se admissa: Regni consortio secum illum participasse, solo nomine se illo priorem tantum fuisse, quamdiu germanitatis jura inter se inviolata mansissent. Deinde pravorum consilia secutum, quæ ad pessima studia lubricam in adolescente ætatem impellebant, ita factum, quemadmodum in corpore, ubi semper dum aliqua pars tumescit, suaque corruptione totum corpus debilitat & inficit, ex quo curari desperatur, rescindi oportere. Bellum ultrò inferentem, postquam superatus sit, queri quòd injuriam facere nequivisset: fugam ipsum simulasse, in Regno manere licuisse, donec odia omnium & inimicitias adeò contra se firmaverit, ut velut crudelem hostem, & Regni insidiatorem pellendum arbitrarentur, antequam facinoribus suis illud cruentari, & Principatus ejus Monarchiam scindi ac dilacerari contigisset.

Imperator partibus auditis, cùm videret rem eò venturam, quòd aut in communi dividendo, aut in uniuscujusvis condemnatione litem opus esset terminari, conferens quoque in corde suo plurium negociorum occupationes, ad opportuniora tempora decisionem hujus litis placuit protelandam. Itaque rogatus ab adolescente, per Venetias illum transmittit in Græciam. Legatos quoque Regis, acceptis ab eis muneribus fermè ad mille talenta, simulque eos sua liberalitate honoratos, ad Principem suum cum pacis legatione remeare concessit.

CAP. XIII.

Quomodo apud Ratisponam Labezlaus Dux Bôemorum ex Duce Rex creatur, & quomodo etiam Ottonem Frisingensem Episcopum, & Henricum Austriæ Ducem concordarit.

IN eadem Curia Dux Boemorum Labezlaus, vir ingenio validus, viribus præpollens, consilio, manu, audaciaque magnus, cujus antehac industriæ, obsequij, multa præcesserant experimenta, maximeque nuper in expeditione Polonica magna virtus claruerat, adeò ut ob merita sua omnibus charus esset, ab Imperatore, ac Imperij primis,

Bohemia Regni titulo decorata.

primis, ex Duce Rex creatur, anno ab incarnatione Domini MCLVIII. Suscepto itaque privilegio de usu diadematis, aliisque regni insignibus, lætus revertitur, & ad Italicam expeditionem Rex pariter cum Imperatore fastu regali profecturus accingitur. Ibidem etiam patruos suos, Ottonem Frisingensem Episcopum, & Henricum Ducem Austriæ dissidentes, eò quòd præfatus Antistes Germano fratri, prædia Ecclesiæ illicitè sibi usurpare volenti, omnino contradiceret, in pristinam pacem, & fraternam concordiam revocavit. 1158.

CAP. XIV.

Qualiter Fridericus Imperator partes Rheni peragraverit, & quomodo consiliis religiosorum ad expeditionem contra Mediolanenses se præparaverit.

HIS in Bajoariâ peractis, Fridericus Ribuariorum fines ingreditur, inferioresque Rheni partes peragrans, nullos sibi dies otiosos transire passus est: eos se ratus perdidisse, in quibus non aliquid de utilitatibus Imperii, de jure & justitia inter omnes gentes conservanda disposuisset. Inde fuit quòd tam valido cis Alpes Imperio ita providè consuluisset, ferocitatem tantarum gentium, tanto consilio, ac sine armis delinisset, ut quod dictu mirum est, jam non regni Rector, sed unius domus, unius Reipub. paterfamiliâs haberetur. Post celebratum apud Ecclesiam Sancti Gauberti Pascha, rursus ad superiores Vangionum partes iter reflexit: ac in domum regalem, quam apud Lutra ædificaverat, divertens, domui suæ, & familiaribus negotiis ordinandis aliquot dies indulget. Instabat jam tempus quo Reges ad bella proficisci solent, ipseque in proximo ad transalpina exercitum ducturus, primò omnium in Deo spem suam reponens, ascitis religiosis, & probatis in Sanctitate viris, tanquam divinum eos oraculum consultabat, atque illorum persuasionibus Ecclesiis Dei multa donaria Imperiali largitate dispergebat: Quibus in negotiis specialem habebat Præceptorem, & salutis animæ suæ fidum Secretarium Hartemannum Brixinorensem Episcopum, virum qui tunc inter Germaniæ Episcopos singularis Sanctitatis opinione, & austerioris vitæ conversatione præeminebat. Hoc ad se adscito, de secretis suis piis se Pontificis submisit devotè consiliis, religiosi ac Christianissimi Principis officium exercens, quatenus iturus ad bellum, spiritalibus armis antè muniret animam quàm corpus: antè cœlestibus se disciplinis præstrueret, quàm ad pugnam iturum militem militaribus instruere præceptis curaret. Causas autem belli exponens, dum eas justas tam memoratus Antistes quàm reliqui Sacerdotes cognovissent, ne dignitas Imperialis ab indignis imminueretur, & sic pax & tranquillitas Ecclesiarum turbaretur, salutaribus mandatis præmonitum & præmunitum ad proficiscendum contra rebelles animârunt.

Hartmannus Brixin. Episcopus Cæsaris confessor.

CAPUT XV.

Recapitulatio de legatis Romani Pontificis, & exemplar literarum Adriani Papæ.

CUM hæc agerentur, legati sedis Apostolicæ Rolandus & Bernhardus reversi, quantas injurias sustinuerint, in quo periculo fuerint, exponunt, gravibus graviora adjicientes, ut in ultionem eorum quæ se pertulisse dixerunt, Romanæ Urbis Episcopum provocarent. In hoc negotio clerus Romanus ita inter se divisus est, ut pars eorum partibus faveret Imperatoris, & eorum qui missi fuerant, incuriam seu imperitiam causarentur, quædam verò pars votis sui Pontificis adhæreret. Unde de hac tempestate dictari, sicut suprà diximus, lectorem non nostris verbis niti volumus, sed ponentes Epistolas hincinde directas, ex eis colligat quam partem tueatur, cuive fidus velit permanere, Nobis autem indulgentiam petimus, qui potius utramque personam, sacerdotalem scilicet, & regalem reverentia debita veneramur, quàm temerè de altera judicare præsumamus. Exemplar itaque literarum à summo Pontifice ad Archiepiscopos & Episcopos super his directarum tale fuit.

Quoties aliquid in Ecclesia contra honorem Dei & salutem fidelium attentatur, fratrum & Coepiscoporum nostrorum, & eorum præcipuè qui Spiritu Dei aguntur cura debet existere, ut ea quæ malè gesta sunt, gratam Deo correctionem debeant invenire. Hoc

Pontificis ad Germaniæ Episcopos Epistola.

1158. Hoc autem tempore, quod absque nimio mœrore non dicimus, charissimus filius noster Fridericus Romanorum Imperator, tale quid egit, quale temporibus antecessorum suorum non legimus perpetratum. Cùm enim nos duos de melioribus fratribus nostris, Bernhardum Tit. S. Clementis, & Rolandum Cancellarium nostrum Tit. S. Marci presbyteros Cardinales, ad ipsius præsentiam misissemus, ipse cùm primùm ad ejus præsentiam pervenerunt, alacriter visus est eos recepisse. Sequenti verò die cùm redirent ad eum, & literæ nostræ in ejus auribus legerentur, accepta occasione cujusdam verbi, quod ipsarum literarum series continebat, *insigne videlicet coronæ beneficium tibi contulimus*, in tantam animi commotionem exarsit, ut convitia quæ in nos & legatos nostros dicitur conjecisse, & quàm inhonestè ipsos à præsentia sua recedere, ac de terra sua velociter exire compulerit, & audire opprobrium, & lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius præsentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de Regno vestro ad Apostolicam sedem accedat, per omnes fines ejusdem Regni custodes dicitur posuisse, qui eos qui ad sedem Apostolicam venire voluerint, violenter debeant revocare. Super quo facto licet aliquantulum perturbemur, ex hoc tamen in nobis ipsis majorem consolationem accipimus, quòd ad id de vestro & Principum consilio non processit. Unde confidimus eum à sui animi motu, consilio & persuasione vestra facilè revocandum. Quocirca fratres, quoniam in hoc facto non solùm nostra, sed vestra & omnium Ecclesiarum res agi dinoscitur, charitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, quatenus opponatis vos murum pro domo Domini, & præfatum filium nostrum ad viam rectam quàm citius reducere studeatis: attentissimam sollicitudinem adhibentes, ut à Reinaldo Cancellario suo, & Palatino Comite, qui magnas blasphemias in præfatos legatos nostros, & matrem vestram sacrosanctam Romanam Ecclesiam evomere præsumpserunt, talem & tam evidentem satisfactionem faciat exhiberi: ut sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendit, ita etiam satisfactio multos ad viam rectam debeat revocare. Non acquiescat idem filius noster consiliis iniquorum, consideret novissima & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Justinianus, & alii Catholici Imperatores incessisse noscuntur. Exemplo siquidem & imitatione illorum, & honorem in terris, & felicitatem in cœlis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eum ad rectam semitam reduxeritis, & beato Petro Apostolorum Principi gratum dependetis obsequium, & vobis, & Ecclesiis vestris conservabitis libertatem. Alioquin noverit antedictus filius noster, ex admonitione vestra, noverit ex promissionis Evangelicæ veritate, quòd Sacrosancta Romana Ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocunque ventorum turbine quatiatur, in sua firmitate, protegente Domino, in seculum seculi permanebit. Nec autem, sicut nostis, deceret eum tam arduam viam absque vestro consilio attentasse. Unde credimus, quòd auditis admonitionibus vestris facillimè poterit ad frugem sanioris studii, sicut vir discretus, & Imperator Catholicus revocari.

Conqueritur de injuria legatis suis illata.

Petit ut Imp. à proposito suo abducant.

CAP. XVI.

Quid Episcopi Alemanniæ rescripserint.

HIS literis, talique legatione præcepta, Præsules Alemanniæ communicato in unum assensu & consilio, sedi Apostolicæ in hæc verba rescribunt: Quamvis sciamus, & certi simus, quòd Ecclesiam Dei fundatam supra firmam petram, neque venti, neque flumina tempestatum possint dejicere: nos tamen infirmiores & pusillanimes siquando hujusmodi contigerint impetus, concutimur, & contremiscimus. Inde nimirum graviter conturbati sumus, & conterriti super his, quæ inter vestram sanctitatem, & filium vestrum devotissimum Dominum nostrum Imperatorem, magni mali, nisi Deus avertat, seminarium præbitura videntur. Equidem à verbis illis quæ in literis vestris continebantur, quas per nuncios vestros prudentissimos & honestissimos, Dominum Bernardum, & Dominum Rolandum Cancellarium, venerabiles presbyteros Cardinales, misistis, commota est universa Resp. Imperii nostri, aures Imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neque aures Principum sustinere: omnes ita continuerunt aures suas, quòd nos, salva gratia vestræ sanctissimæ paternitatis, ea tueri propter sinistram

ſiniſtram ambiguitatis interpretationem, vel conſenſu aliquo approbare, nec audemus, nec poſſumus, eò quòd inſolita & inaudita fuerunt uſque ad hæc tempora. Literas autem quas nobis miſiſtis, debita cum reverentia ſuſcipientes & amplectentes, commonuimus filium veſtrum Dominum noſtrum Imperatorem, ſicut juſſiſtis, & ab eo reſponſum, DEO gratias, accepimus tale, quale decebat Catholicum Principem in hunc modum: Duo ſunt quibus noſtrum Regi oportet Imperium, leges ſanctæ Imperatorum, & uſus bonus prædeceſſorum, & Patrum noſtrorum. Iſtos limites Eccleſiæ nec volumus præterire, nec poſſumus: quicquid ab his diſcordat, non recipimus. Debitam patri noſtro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperii noſtri coronam divino tantùm beneficio aſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde quod ſupereſt, cæteris ſecundùm ordinem Principibus, recognoſcimus, regalem unctionem Colonienſi, ſupremam verò, quæ imperialis eſt, ſummo Pontifici, quicquid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, à malo eſt. Cardinales in contemptum Dilectiſſimi & Reverendiſſimi Patris noſtri, & conſecratoris, à finibus terræ noſtræ coëgimus non exire. Sed cum his, & pro his quæ & ſcripta, & ſcribenda ferebant in dedecus & ſcandalum Imperii noſtri, ultra eos prodire pati nolumus. Introitum & exitum Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus, vel pro ſuis neceſſitatibus rationabiliter cum teſtimonio Epiſcoporum & Prælatorum ſuorum Romanam ſedem adeuntibus. Sed illis abuſionibus, quibus omnes Eccleſiæ Regni noſtri gravatæ & attenuatæ ſunt, & omnes penè clauſtrales diſciplinæ emortuæ & ſepultæ, obviare intendimus. In capite orbis Deus per Imperium exaltavit Eccleſiam, in capite orbis Eccleſia (non per DEUM ut credimus) nunc demolitur Imperium. A pictura cœpit, ad ſcripturam pictura proceſſit, ſcriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non ſuſtinebimus: coronam antè ponemus, quàm Imperij coronam unà nobiſcum ſic deponi conſentiamus. Picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur, ut inter Regnum & ſacerdotium æterna inimicitiarum monumenta non remaneant. Hæc & alia, utpote de concordia Rogerij & Guilhelmi Siculi, & aliis quæ in Italia facta ſunt conventionibus, quæ ad plenum proſequi non audemus, ab ore Domini noſtri Imperatoris audivimus. Abſente autem Palatino Comite, & in præparatione expeditionis in Italiam præmiſſo, à Cancellario ibidem adhuc præſente aliud non audivimus, niſi quod humilitatis erat & pacis, præter quòd eis pro periculo vitæ, quod à populo imminebat, pro viribus ſuis aſtiterit, cunctis qui ibi aderant, hujus rei teſtimonium ei perhibentibus. De cætero ſanctitatem veſtram ſuppliciter rogamus & obſecramus, ut noſtræ parcatis infirmitati, ut magnanimitatem filii veſtri, ſicut bonus paſtor, leniatis ſcriptis veſtris ſcripta priora ſuavitate mellita dulcorantibus, quatenus & Eccleſia DEI tranquilla devotione lætetur, & Imperium in ſuæ ſublimitatis ſtatu glorietur: ipſo mediante & adjuvante, qui mediator Dei & hominum factus eſt, homo Chriſtus Jeſus.

1158.

Imperatoris ad querelas Pontificias reſponſum.

Admonetur Pont. ut Cæſaris iram mitiget.

CAP. XVII.

Quòd procinctum movens apud Auguſtam, & nuncios Romani Pontificis audivit.

FELICITER ergo procinctum movens, ac apud Auguſtam Rhetiæ civitatem ſuper ripam Lici fluminis caſtra ponens, confluentem ex diverſis partibus militem per ſeptem dies operitur. Interea Romanus antiſtes de adventu Principis certior effectus (nam legati ejus, videlicet Reinaldus Cancellarius, & Otto Palatinus Comes, quorum ſuprà meminimus, jamdudum Italiam intraverant) in melius mutato conſilio, ad leniendum ejus animum nuncios mittit, Henricum videlicet Cardinalem presbyterum Tit. S. Nerei & Achillei, & Jacinctum Cardinalem Diaconum ſanctæ Mariæ in ſchola Græca, viros prudentes in ſecularibus, & ad curialia negotia pertractanda prioribus miſſis multò aptiores.

CAP. XVIII.

De legatis Principis, quos miſit in Italiam.

VERUM antequam horum iter & negotia proſequamur, non ab re eſt de præfatis regalium nunciorum perſonis & geſtis pauca de multis prælibare. Inerat utique

1158.

Encomium Ottonis Witelspachij, & Reinoldi Comitis à Dasfele imperialis Cancellarii.

his præclaris viris personarum spectabilitas gratiosa, generis nobilitas, ingenium sapientia validum, animi imperterriti: quippe (ut aliàs de quibusdam dicitur) quibus nullus labor insolitus, non locus ullus asper, non armatus hostis formidolosus. Nullius sibi delicti, nullius libidinis gratiam faciebant. Laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Ætas juvenilis, eloquentia mirabilis, propè moribus æquales; præter quòd uni ex officio & ordine clericali necessaria inerat mansuetudo & misericordia: alteri, quem non sine causa portabat, gladij severitas dignitatem addiderat. His moribus, talibusque studiis sibi laudem, imperio gloriam, & utilitates non modicas, domi, militiæque peperêre, adeò quòd tunc temporis penè nihil ingens, nullum exquisitum virtutis facinus in ea expeditione gestum est, in quo hos heroas, aut primos, aut de primis non compererim extitisse.

CAP. XIX.

Quomodo præcursores Imperatoris in Italia castrum Rivola in deditionem accipiunt, & juramentum quale Imperatori facere promiserint Episcopi, atque aliæ civitates.

Rivola arx.

ITAQUE in primo suo ingressu in Italiam, castrum quod Rivola vocatur, super Clausuram Veronensium situm, natura loci inexpugnabile, in deditionem accipiunt: existimantes præsidio ejusdem in tam strictis locorum faucibus nostros clementiorem aditum veniendi & redeundi invenire. Excepti cum magna frequentia & honorificentia Episcopi civiumque Veronensium, tam illic quàm in aliis civitatibus fidelitatem Imperatori, & adminiculum expeditionis, tactis sacrosanctis Evangeliis, promitti fecerunt, viamque venturo Imperatori præparantes, ejus adventus fidi & utiles præcursores extitere. Sane hæc est forma sacramenti, in qua omnes juraverunt.

Formula sacramenti fidelium imperij.

Ego juro quòd amodò in antea ero fidelis Domino meo Friderico Romanorum Imperatori contra omnes homines, sicut jure debeo Domino & Imperatori, & adjuvabo eum retinere coronam Imperij, & omnem honorem ejus in Italia, nominatim & specialiter civitatem illam, & quicquid in ea juris habere debet, vel in omni virtute Comitatus vel Episcopatus N. Regalia sua ei non auferam ibidem, nec alibi, & si fuerint ablata, bona fide recuperare & retinere adjuvabo. Neque in consilio ero neque in facto, quod vitam, membrum, vel honorem suum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum ejus, quod ipse mihi fecerit, per se, vel Epistolam suam, aut per legatum suum, de facienda justitia, fideliter observabo & illud audire, vel recipere, vel complere nullo malo ingenio evitabo. Hæc omnia observabo fide bona, sine fraude. Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.

CAPUT XX.

Quomodo legati Principis ab Italis recepti, & quid patraverint, & cur Otto Comes palatij in Guilhelmum quendam Ravennatensem nobilem manum miserit.

A Verona per Mantuam iter agunt, & venientes Cremonam, celebre colloquium, & si mavis, curiam tenuere, occurrentibus eis ad eam civitatem Archiepiscopis Ravennate & Mediolanense, & de suffraganeis eorum XV. Episcopis, necnon Comitibus, Marchionibus, Consulibus, & primis omnium circa jacentium civitatum: idque veraciter asserere potero, multis ante hæc Regibus denegatam eam quam tunc probitate sua evicerunt isti legati Principis magnificentiam & gloriam. Inde per Romaniolam & Æmiliam iter agentes, exarchatum Ravennatem visitant, nusquam segnes, nusquam incauti peragere, quæ negotiis Principis, ac Regni utilitatibus profutura novissent. Inde per Ariminum versus Anconam tendunt. Compererant enim Logothetam seu Palæologum, cum aliis nunciis Constantinopolitani Imperatoris ibidem morari: specie quidem, quò adversus Guilhelmum Siculum largitione pecuniæ milites, qui solidarij vocantur, colligerent: re autem vera, ut civitates maritimas (quod sæpius antehac attentatum novimus) seu vi, seu dolo, sub Græcorum redigerent ditionem. Cumque Ravenna exeuntes, non longè adhuc à civitate processissent, obvios habuêre non paucos de melioribus terræ, qui ad præfatos Græcorum legatos iérant, & cum ipsis collo-

Græcorum insidiæ in marchia Anconitana.

Solidarii, mercenarii milites.

colloquium familiare tenuerant. Qua de re commoti & in iram versi, pro eo quòd se despexisse, & Græcos spe lucri sibi præposuisse viderentur, Otto palatii Comes, nec suorum paucitate, nec illorum remoratus numerositate, gladio exerto in meliorem & Nobiliorem omnium Ravennatensium, nomine Guilhelmum, cognomento Maltraversar, manum misit, seque eum captivum abducturum comminatus est: omnibus aliis præ timore & pavore silentibus, & non contradicentibus. Magna & miranda præfati Comitis animositas, quem nec copiosus ejusdem Nobilis viri comitatus terruit, nec vicinæ civitatis metus permovit, quin ut legatus Imperii, ubi ratio postulabat, auctoritate Imperiali uteretur. Tandem lenioribus verbis, & multa supplicatione mitigatus & placatus, ceptum iter peregit: ac contra Græcos, qui (ut diximus) apud Anconam tunc morabantur, profecturus, non parvam militiam collegit, & prope civitatem castra posuit. Evocati s itaque ad se, verbis minacibus, & valde gravibus adorsi sunt: qua temeritate sine Principis conscientia talia præsumpsissent, non se ignorare Danaûm insidias, & Græcam astutiam, simulata humilitate maleficia voluisse, callidissima fraude composita, in amicos deputasse, quod contra inimicos struxisse putabantur. Cùmque manifestis indiciis hostes Romani Imperii convincantur, non aliud superesse, quàm ut pro crimine læsæ majestatis de ipsis omnibus supplicium sumatur.

1158.

Ottonis Wittelspachii magnanimitas.

Talibus invectionibus perterriti Græci, atque animo consternati, multa supplicatione verba excusationis depromunt, partemque suam quibus possunt argumentis purgare conantur. Nequaquam se ignorare legem Juliam Majestatis, quæ in eos qui contra Imperatorem, vel Rempub. aliquid moliti, suum vigorem extendit. Verùm ab hac suam ipsorum conscientiam se se beatos facere, ficta pro veris non recipienda. Magis eos credere debere benignitatibus & obsequiis sæpissimè à Græcis in nostros experimento probatis. Testis horum sit Alemannia tota, testis pietatis sit ipse Imperator, nunc Princeps Orbis terrarum, qui hæc aliquando viderit, & re ipsa expertus fuerit. Æquitas in vivos, misericordia in mortuo, honor in Principem, munificentia in Optimates: hæc esse affectus sui erga nostros probationes certissimas, fictisque criminationibus veriores. His & similibus se cum magna mentium contritione, Græcis de objectis excusantibus, dum nulla fraudis deprehendi potuissent indicia, acceptis ab eis magnificis muneribus, in Græciam eos pacificè remigrare concedunt, ipsique Mutinum revertuntur.

Græcorum legati graviter increpati domum mittuntur.

CAP. XXI.

Qualiter se legati erga nuncios Romani Pontificis habuerint, & quid iisdem Romanis in via acciderit.

HISDEM diebus Henricus & Iacinctus, suprà dicti nuncii Adriani Papæ, Ferrariam venerant, auditoque quòd legati Imperatoris Mutinum redissent, non sperantes ipsos sibi occurrere, humilitatis formam præbentes, quod insolitum antea fuerat, ad eos pergunt: expositaque causa legationis, quòd scilicet ea quæ pacis essent, & honori Imperio, in mandatis haberent, dimittuntur. Iam verò adventum illorum per omnes partes illas, ubi arta montium transituri erant, fama nuntiaverat, multosque mortalium rerum alienarum cupidos id contra eos animaverat, quòd penè neminem latebat, Majestatem Imperialem Romanis infensam existere, quodque vitio aviditatis quisque ardebat, ac si regiæ voluntati obsequeretur, temerarius intendebat: sperans, in hoc casu latrocinium honestiori nomine posse palliari. A Ferraria itaque Veronam, à Verona per vallem Tridentinam iter agunt, habentes secum gratia majoris securitatis, venerabilem Episcopum Tridentinum Albertum. Sed prævaluit auri sacra fames, quæ quos arripuit, nil unquam honestum, nil moderatum sentire, vel appetere permittit. Nam Fridericus & Henricus Comites, quorum in illis partibus non parum poterat violentia, tam Cardinales quàm Episcopum captos, spoliatos in vinculis ponunt, donec Romanus quidam datus in obsidem, Nobilis vir, Germanus Iacincti, Episcopum autem evidenter divina potentia liberavit. Hanc tamen immanitatem Henricus Nobilissimus Dux Bajoariæ & Saxoniæ, ob amorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & honorem Imperii, non multò post probè vindicavit. Namque & vadem eripuit, & Comites multis malis attritos, ad deditionem & satisfactionem coegit.

CAP. XXII.

Quæ verba nuntii Romani apportaverint, item excuſatoriæ literæ Adriani Papæ.

FRIDERICO igitur, ut jam dictum eſt, caſtra in campeſtribus Auguſtæ civitatis metato, ad ſuam eoſdem legatos admittit præſentiam, eisque clementer receptis, cau- 1
ſam adventus exquirit. Illi reverenter, ac demiſſo vultu, voce modeſta, tale ſuæ legationis aſſumunt Principium.

Legati Papæ Cæſarem exacerbatū mitigaturi.

Præſul Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Veſtræ Excellentiæ devotiſſimus in Chriſto Pater ſalutat vos, ſicut chariſſimum & ſpecialem Sancti Petri Filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres noſtri, clerici autem veſtri, univerſi Cardinales, tanquam Dominum & Imperatorem Urbis & orbis. Quanta dilectione Sancta Romana Eccleſia amplitudinem & honorem Imperii veſtri amplectatur, quam ſine conſcientia peccati veſtram ſatis invita ſuſtinuerit indignationem, & ſcripta præſentia, & in ore noſtro poſitæ vivæ vocis officium declarabit. Poſt hæc verba literas efferunt, quæ venerabili Ottoni Friſingenſi Epiſcopo ad legendum, ſimul & interpretandum datæ ſunt, viro utique qui 2
ſingularem habebat dolorem de controverſia inter Regnum & Sacerdotium. Exemplar literarum hoc eſt.

Ex quo univerſalis Eccleſiæ Curam, Deo (prout ipſi placuit) diſponente, ſuſcepimus, ita in cunctis negotiis Magnificentiam Tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore noſtro, & veneratione ſedis Apoſtolicæ debuiſſet accendi. Unde ſine grandi admiratione non ferimus, quòd cum audito ex ſuggeſtione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuiſſe commotum, duos de melioribus, & majoribus fratribus noſtris, Rolandum ſcilicet Cancellarium tit. S. Marci, & Bernhardum tit. S. Clementis presbyteros Cardinales, qui pro Tuæ Majeſtatis honore in Romana Eccleſia ſolliciti ſemper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitio- 3
ne ad tuam præſentiam deſtinavimus, aliter quàm Imperialem decuerit honorificentiam, ſunt tractati. Occaſione ſiquidem cujuſdam verbi, quod eſt, Beneficium, tuus animus (ſicut dicitur) eſt commotus, quòd utique nedum tanti viri, ſed nec cujuſlibet minoris animum meritò commoviſſet. Licet enim, hoc nomen, quod eſt Beneficium, apud quoſdam in alia ſignificatione, quàm ex impoſitione habeat, aſſumatur: tunc tamen in ea ſignificatione accipiendum fuerat, quàm nos ipſi poſuimus, & quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto eſt editum, & dicitur beneficium apud nos, non feudum, ſed bonum factum. In qua ſignificatione in univerſo Sacræ Scripturæ corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, ſed velut ex benedictione, & bono facto ipſius gubernari dicimur, 4
& nutriri. Et Tua quidem Magnificentia liquidò recognoſcit, quòd nos ita bene & honorificè Imperialis dignitatis inſigne tuo capiti impoſuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quòd quidam verbum hoc, & illud ſcilicet, Contulimus tibi inſigne Imperialis Coronæ, à ſenſu ſuo viſi ſunt ad alium retorquere: non ex merito cauſæ, ſed de voluntate propria, & illorum ſuggeſtione, qui pacem regni & Eccleſiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, Contulimus, nil aliud intelleximus, niſi quod ſuperius dictum eſt, impoſuimus. Sanè quod poſtmodum perſonas Eccleſiaſticas à debita Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ viſitatione, ut dicitur, revocare juſſiſti, ſi ita eſt, quàm inconvenienter actum ſit, tua, Fili in Chriſto chariſſime, diſcretio, ut credimus recognoſcit. Nam ſi aliquid apud nos amaritu- 5
dinis habebas, per nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum, & nos honori tuo curaviſſemus, ſicut filii chariſſimi, providere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filii noſtri Henrici Bajoariæ & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus noſtris Henricum tit. S. Nerei & Achillei, & Iacinctum S. Mariæ in Coſmidin Diaconos Cardinales, prudentes ſiquidem & honeſtos viros, ad tuam præſentiam deſtinavimus, Celſitudinem Tuam monentes & hortantes in Domino, quatenus eos honeſtè, & benignè recipias, & quod ab eis ex parte noſtra Tuæ Magnificentiæ fuerit intimatum, à ſinceritate cordis noſtri noverit Tua Excellentia proceſſiſſe, ac per hoc cum eiſdem filiis noſtris, mediante jam dicto filio noſtro Duce, ita Celſitudo Tua ſtudeat convenire,

Pontifex verba ſua blandè interpretatur.

1158.

venire, ut inter te ac matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, nullius discordiæ seminarium debeat remanere.

CAP. XXIII.

Quomodo Imperator legatis Pontificis reconciliatus fuerit.

Pontificis & Cæsaris reconciliatio

LECTIS, & benigna interpretatione expositis literis, Imperator mitigatus est, clementiorque factus, quasdam causas alio loco memorandas, quæ seminarium discordiæ præstarent, si non congrua emendatio interveniret, legatis per capitula distinxit. Quibus ad nutum Principis, & per omnia bene respondentibus, præsulemque Romanum in nullo Regiæ dignitati derogare, sed honorem ac justitiam Imperii semper illibatam conservare pollicentibus, pacem & amicitiam tam summo Pontifici, quàm omni clero Romano reddidit, eamque signo pacis & osculo, absentibus per præsentes destinavit. Sicque hilariores facti legati, donatique regalibus muneribus, divertunt in civitatem.

CAP. XXIV.

De nunciis Regis Daciæ, petentes investituram suo Regi mittere.

Regnum Daniæ imperii feudum.

EODEM loco, iisdemque diebus nuntij Regis Daciæ nuper electi, Principis adeunt præsentiam, postulantes quatenus investituram de regno suo Regi mittere, ac electionem de ipso factam ratihabitione confirmare dignaretur. Exaudivit eos Imperator, præbito & accepto ab eis sacramento jurisjurandi. Post reditum suum de Italia, infra XL. dies Regem ad curiam venturum, & Regni administrationem de manu Principis, debitæ fidelitatis interposita securitate, suscepturum.

CAP. XXV.

Quot & quibus viis exercitus montana transivit, & quomodo Brixienses primo impetu attriti sunt.

INTEREA confluente ad ipsum undique versus copioso exercitu, nuntij diversorum Principum aulam replevere, quibus locis singuli eorum cum singulis exercitibus, per arctiora montium loca transirent, Imperatorem consultantes. Tantæ siquidem erant auxiliariorum copiæ, quòd plurium viarum meatus vix eos præ multitudine sustinere potuisset, videlicet Francorum, Saxonum, Ribuariorum, Burgundionum, Suevorum, Bajoariorum, Lotharingiorum, Boemorum, Ungarorum, Carentanorum, & cum his aliæ nonnullæ Celticæ seu Germanicæ nationes: viri fortes, bellatores, infinitæ multitudinis, vario armorum apparatu: juventus valida, & ad bellorum motus imperterrita. Fridericus habito consilio, & provida circumspectione usus, hoc modo eis vias, & Alpium transitus censuit distribuendos. Dux Austriæ Henricus, & item Henricus Dux Carentanus & simul cum eis copiæ Ungarorum, fermè DC. sagittarij electi, pariterque Comites & Barones illarum terrarum, per Canalem, & forum Julij, atque Marchiam Veronensem. Dux Bertolfus de Zaringen, vel potius Burgundiæ, cum Lotharingis, per viam Julij Cæsaris, quæ modò mons Jovis vocatur. Multa pars Francorum, Ripariolorum, ac Suevorum per Clavennam, & lacum Cumanum. Princeps ipse habens in Comitatu suo Regem Boemiæ, Ducem Sueviæ, videlicet Fridericum filium Regis Conradi, fratrem suum Conradum Palatinum Comitem de Rheno, Fridericum Coloniensem, Arnaldum Moguntinum, Hellinum Treverensem Archiepiscopos, cum Episcopis Conrado Eistetensi, Daniele Pragensi, Hermanno Verdensi, Gebehardo Herbipolensi & Abbatibus regalium cœnobiorum, videlicet Fuldensi, Augiensi. Taceo Marchiones, Comites clarissimos, & valde potentes, quorum nomina si coner perstringere, delicato seu pigro lectori onerosus existam. His omnibus stipatus agminibus, imò divino Comitatus præsidio, divus Augustus Alpium fauces felici procinctu cepit urgere. Jam angustias montium lætus exierat exercitus, jam in planis Italiæ campestribus castrametati fuerant, primaque venientium impetum Brixia temerè in locis munitis,

Frid. in Italiam secunda expeditio.

1158. munitis, & militum suorum fortitudine confisa, armis ausa fuit excipere. Sed momento temporis laceratis ejus viribus, subacta est. Primò à Rege Boemorum graviter attrita: deinde in adventu Principis, datis LX. vadibus, simulque non modica pecunia, in deditionem pactionis recepta.

CAP. XXVI.

Quomodo pacem in exercitu Princeps jurari fecerit, & de legibus pacis.

RESIDENTE Augusto, & ex diversis civitatibus Italiæ venientem militem præstolante, consilio inito, commodè & religiosè satis, prius de pacis quàm de belli tractat negotiis. Conventum ergo Principum cogens, leges pacis in exercitu conservandas tales constituit:

Leges Castrenses. Statuimus, & firmiter observari volumus, ut nec miles, nec serviens litem audeat movere. Quòd si alter cum altero rixatus fuerit, neuter debet vociferari signa castrorum, ne inde sui concitentur ad pugnam. Quòd si lis mota fuerit, nemo debet accurrere cum armis, gladio scilicet, lancea, vel sagittis: sed indutus lorica, scuto, galea, ad litem non portet nisi fustem, quo dirimat litem. Nemo vociferabitur signa castrorum, nisi quærendo hospitium suum. Sed si miles vociferatione signi litem commoverit, auferetur ei omne suum harnascha, & eiicietur de exercitu. Si servus fecerit, tondebitur, verberabitur, & in maxilla comburetur, vel Dominus suus redimat eum cum omni suo harnascha.

Qui aliquem vulneraverit, & hoc se fecisse negaverit, tunc si vulneratus per duos veraces testes, non consanguineos suos, illum convincere potest, manus ei abscindatur. Quòd si testes defuerint, & ille juramento se expurgare voluerit, accusator si vult, potest juramentum refutare, & illum duello impetere.

Si quis homicidium fecerit, & à propinquo occisi vel amico, vel socio, per duos veraces testes non consanguineos occisi, convictus fuerit, capitalem sententiam subibit. Verùm si testes defuerint, & homicida se juramento expurgare voluerit, amicus propinquus occisi duello eum potest impetere.

Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto & armis, si quis eum læserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit, si quis eum læserit, pacem non violavit.

Miles qui mercatorem spoliaverit, dupliciter reddet ablata, & jurabit quòd nescivit illum mercatorem. Si servus, tondebitur, & in maxilla comburetur, vel Dominus suus reddet pro eo rapinam.

Quicunque aliquem spoliare Ecclesiam vel forum viderit, prohibere debet; tamen sine lite: si prohibere non potest, reum accusare debet in curia.

Nemo aliquam mulierem habeat in hospitio: qui verò habere præsumpserit, auferetur ei omne suum harnasch, & excommunicatus habebitur, & mulieri nasus abscindetur.

Nemo impugnabit castrum, quod à curia defensionem habet.

Si servus furtum fecerit, & in furto fuerit deprehensus, si prius fur non erat, non ideò suspendetur, sed tondebitur, verberabitur, & in maxilla comburetur, & eiicietur de exercitu, nisi Dominus redimat eum cum omni suo harnasch. Si prius fur erat, suspendetur.

Si servus aliquis culpatus non in furto fuerit deprehensus, sequenti die expurgabit se judicio igniti ferri, vel Dominus juramentum pro eo præstabit. Actor verò jurabit, quòd aliam ob causam non interpellat eum de furto, nisi quòd putat culpabilem.

Si quis invenerit equum alterius, non tondebit eum, nec ignotum faciet, sed dicet Marscalco, & tenebit non furtivè, & imponet ei onus suum. Quòd si ille qui amisit equum, in via deprehenderit oneratum, non deiiciet onus illius, sed sequens ad hospitium, recipiet equum suum.

Si quis verò villam, vel domum incenderit, tondebitur, & in maxillis comburetur, & verberabitur.

Faber

Faber non combu ret carbones in villa, sed portabit ligna ad hospitium suum, & ibi comburet: quod si in villa fecerit, tondebitur, verberabitur, & in maxillis comburetur. 1158.

Si quis aliquem læserit, imponens ei quòd pacem non juraverit, non erit reus violatæ pacis: nisi ille probare possit duobus idoneis testibus, quòd pacem juraverit.

Nemo recipiet servum qui sine Domino est: quod si fecerit, reddet in duplo quicquid ille abstulerit.

Quicunque foveam invenerit, liberè fruatur ea. Quòd si ablata fuerit ei, non reddet malum pro malo, non ulciscetur injuriam suam, sed conqueretur Marscalco justitiam accepturus.

Sed si mercator Teutonicus civitatem intraverit, & emerit mercatum, & portaverit ad exercitum, & cariùs vendiderit in exercitu: Camerarius auferet ei omne forum suum, & verberabit eum, & tondebit, & comburet in maxillam.

Nullus Teutonicus habeat socium Latinum, nisi sciat Teutonicum: sed si habuerit, auferetur ei quicquid habet.

Si miles militi convitia dixerit, negare potest juramento: si non negaverit, componet ei X. libras monetæ, quæ tunc erit in exercitu.

Si quis invenerit vasa plena vini, vinum inde extrahat ita cautè, ne vasa confringat, vel ligamina incidat vasorum, ne ad damnum exercitus totum vinum effundatur.

Si castrum aliquod captum fuerit, bona quæ intus sunt auferantur: sed non incendatur, nisi fortè hoc Marscalcus faciat.

Si quis venatus fuerit cum canibus venaticis, feram quam invenerit, & canibus agitaverit, sine alicujus impedimento habebit.

Si quis per canes leporarios feram fugaverit, non erit necessariò sua, sed erit occupantis.

Si quis lancea vel gladio feram percusserit, & antequam manu levaverit, alter occupaverit, non occupantis erit: sed qui occiderit eam, sine contradictione obtinebit.

Si quis birsando feram balista vel arcu occiderit, ejus erit.

Hanc treugam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, datis pro se dextris firmaverunt, & Violatores pacis Pontificalis officii severitate coercendos promiserunt.

CAP. XXVII.

Adhortatio Principis post adunatum exercitum.

IAM totus exercitus tam cisalpinus, quàm transalpinus convenerat: jam multitudo prudentium, & in lege doctissimorum in unum coierant, omniumque aures intentæ erant, quas ad partes, vel in quas nationes in primis eos bellicus labor, & voluntas Principis invitaret. Tunc Imperator, conjuncta cum hilaritate juvenili regia severitate, ut & timeri pariter & amari mereretur, unde exaudiri posset, constitisse, & pro concione hujuscemodi usus oratione, memoratur.

Imperatoris ad milites oratio. Regi regum magnas nos, & ingentes debere gratias cognoscimus: cujus dum complacuit ordinationi, ut quasi minister ejus, & vestri regni gubernacula regeremus, tantam nobis in vestra probitate atque prudentia fiduciam donavit, quòd in multis experimentum vestri habentes, salvo nobis benignitatis vestræ præsidio, simul & consilio, quæcunque occurrerint, quæcunque Rempub. Romani Imperii turbare ausa fuerint, facilè reprimenda putemus. Imperii inquam Romani, cujus apud nos ministerium, auctoritatem penes vos, qui Optimates regni estis, recognoscimus. Nemo nos pro libitu nostro bella gerere putaverit, quorum & eventus varius est, & quæ Comitum suorum videlicet fame, siti, vigiliis, denique diversis mortibus horrenda & formidolosa non ignoramus. Non ad prælium nos accendit libido dominandi, sed feritas rebellandi. Mediolanum est, quod patriis vos laribus excivit: quod charis liberorum & conjugum vos amplexibus abstraxit: quod hos omnes labores, sua irreverentia & temeritate, capitibus vestris induxit. Iustam vobis belli causam fecerunt, qui legitimo Imperio rebelles inveniuntur. Suscipietis itaque bella ipsa non cupiditate, vel crudelitate, sed pacis studio, ut malorum audacia coerceatur, & boni disciplinæ suæ debitum fructum inve-

1558. inveniant. Quod ſi per deſidiam, aut ignaviam dedecus à Mediolano vindice gladio non proſequeremur, jam indubitanter eum ſine cauſa portaremus: nec tam eſſet in hoc noſtra laudanda patientia, quàm negligentia vituperanda. Miniſtri ergo juſtitiæ, ſuffragium veſtrum juſtè poſtulamus, ut temeritas adverſariorum careat effectu, & Imperii ſtatus ad noſtra deductus tempora, noſtro miniſterio debitum ſortiatur honorem. Non inferimus, ſed depellimus injuriam. Cumque juſtum bellum ſit, quod ex edicto ſuperioris poteſtatis geritur, agite nunc univerſi, ſummam militiæ laudem conſecuturi, de meritis & laboribus fructum congruo tempore recepturi, obedientiam Reipublicæ utilitatibus exhibete: quicquid vobis utiliter imperatum fuerit, pro viribus obtemperate: divina ſiquidem opitulante miſericordia, non ſegnes, non degeneres invenire nos debet inimica civitas in conſervando, quod anteceſſores noſtri Carolus & Otto titulis Imperii addidere, primique de ultramontanis; ille inter Occidentales, hic inter Orientales Francos, & ad regni terminos dilatandos adjicere curaverunt.

Mediolan. ad dicendam cauſſam citat.

Dixerat, verbumque Augusti ſtrepitus, clamor, favorque totius exercitus proſequitur, & divina quædam alacritas militibus incidit, ſalutis datori vota, ac Friderico Imperatori fauſta quiſque patria voce adclamantes. At ſapientes, & legum periti perſuadent, Mediolanenſes licet improbos & infames, judicis tamē officio per legitimas inducias citandos eſſe, ne violentia eis illata, vel contra jus in abſentes prolata ſententia videretur. Legitimas verò inducias dicunt judicis edictum unum, mox alterum, & tertium: ſeu unum pro omnibus, quod *peremptorium* nominatur: quod & factum eſt.

CAP. XXVIII.

De nunciis Mediolanenſium, & immutatione atque commotione quæ in civitate facta eſt.

Mediolanenſes hoſtes iudicati.

ITAQUE Mediolanenſes cùm viderent univerſam vim belli ſuis imminere capitibus, eligunt quos ad Curiam mittant legatos, viros eruditos, & in dicendo acerrimos. Qui cum ſe pœnalibus, & ſtricti juris actionibus conveniri viderent, neque Principem pactione multæ pecuniæ poſſe deliniri, ſuffragio Optimatum fruſtra quæſito, pacisque infecto negotio, ad ſuos revertuntur. Imperator aſtipulantibus judicibus, & primis de Italia, contra Mediolanenſes condemnationis proferens ſententiam, hoſtes eos judicat, omnique apparatu ad obſidionem civitatis accingitur.

Vilis plebecula ingenium bellica tempeſtate ingruente.

Quibus rebus apud Mediolanum compertis, permota civitas, atque immutata urbis facies erat, ex ſumma lætitia, atque laſcivia, quæ diuturna eis requies pepererat, repentè omnis triſtitia invaſit. Feſtinare, trepidare ſuo quiſque modo & metu, pericula metiri. Ad hæc mulieres quibus ſuæ Reip. magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat, afflictare ſeſe, manus ſupplices ad Cœlum tendere, miſereri parvos, omnia pavere. Fuere tamen plerique (ſicut alibi de quibuſdam dicitur) qui ſe & Remp. obſtinatis animis perditum irent. Nam ſemper in civitatibus, quibus opes nullæ ſunt, qui æs alienum ſolvere non poſſunt, bonis aliorum & quieti invident, nova exoptant, odio ſuarum rerum omnia mutari ſtudent, ſeditionibus ſine cura aluntur: quoniam (ut dicitur) egeſtas facilè habetur ſine damno. Præterea juventus, quæ magis manuum labore victum quærens inopiam tolerabat, publicis largitionibus excita, urbanum ocium ingrato labori prætulerat. Unde factum eſt, ut multitudine hujus vulgi prævalente, Reip. juxta ac ſibi conſulerent, ac libentius animis belli eventum expectarent, nobilioribus & melioribus metu talium ſilentio addictis. Et hæc quidem in civitate.

CAP. XXIX.

Quomodo Fridericus ad obſidionem Mediolani properans Abduam tranſivit.

FRIDERICUS autem per aliquot dies operiens, expectabat ſi fortè Mediolanenſes pœnitudo ſalubris ab incepto rebellionis revocaret, ſi fortè cladis & periculorum conſideratio eos propoſitum mutare perſuaderet. Paratus etenim erat ſerenus Principis animus potiùs correctis veniam præſtare, quàm poſt deſtructionem Provinciæ, cum damno multorum, de perdito populo triumphare. Illis igitur in priori pertinacia

1158.

bacia permanentibus, cunctis comitatus agminibus, incipere obsidionem acriter statuit, castraque movens usque ad flumen Abduam processit. Is fluvius Cremonensium ac Mediolanensium fines medius dirimens, sæpissimè atroces eorum contra sese incursus inhibuit, & tunc quidem propter linquentes in Alpibus nives, non mediocri inundatione excreverat, ruptisque pontibus omnino transuadandi opportunitatem exercitui denegare videbatur. Aderant quoque in ulteriore fluminis ripa pugnacissimi de Mediolanensibus circiter mille equites armati, qui se ope & adminiculo inundantis fluminis facilè vada pontesque defendere posse arbitrati sunt. *Abdua fluvius.*

Verùm contra audaces non est audacia tuta.

Nempe frustrati sunt, cùm ex improviso Rex Boemiæ, & Conradus Dux Dalmatiæ, cum suis parvipendentes periculum, aquis se dederint, & quamvis difficillimè, & non sine clade suorum, ut perterriti tamen alveum furentis amnis transuadaverint, vel potius transnataverint. Numerus eorum quos aquarum vehementia involvit, involvendo submersit, circiter ducentos æstimabatur. Mediolanenses postquam Regem præter spem & opinionem suam transisse cognoverunt, ante pugnam fuga disiecti, & ad civitatem reversi sunt: sarcinæ relictæ, & præda universa à nostris direpta. Has primitias belli, primosque conatus infaustos Mediolanensibus nonnulli asperius auspicati sunt, rerum exitus ex principio metientes. Boemos reliquus exercitus secutus, pars refectis pontibus, pars insano gurgiti se immittentes, tam se, quàm sarcinas transposuere. *Primitiæ belli Mediolanensibus infaustæ.*

CAP. XXX.

Quomodo castrum Tretium ab Imperatore expugnatum sit.

ERAT non longè ab eo loco castrum quoddam Mediolanensium, Tretium appellatum, in planitie campestri, mediocri eminentia paululum in altum sublatum: quod una parte jam dictus fluvius Abdua alluebat, altera muri fortissimi ambitu, turrisque fortitudine muniebatur, pontem firmum, & ad transmeandum copiosæ militiæ habilem, suis continuans suburbiis. Augustus commodum ratus ad transitum suorum, si præfatum castrum suæ subigeret potestati, obsidione cingit, oppugnat, & in brevi expugnat. Castellani enim disciplina militum & ingenio conterriti, paulisper quidem primos sustinere impetus: deinde cum nullum locum fugæ, nullum de civitate præsidium sperarent, scientes quòd pro vita res illis erat, dextras postulant, accipiunt, munitionem dedunt; plurimi pendentes, quòd in tam adversa fortuna personarum salutem lucrati fuissent. Fridericus locatis ibidem præsidiis, ad obsidionem civitatis acies instruit. *Tretium castrum.*

CAP. XXXI.

De morte Comitis Ekeberti, & aliorum nobilium, & quomodo Imperator ob hoc iratus placatus fuerit.

PROGREDIENTE autem eo in hostilem terram, quidam de exercitu malæ affectatæ laudis avidi, prævenire alios, & de virtute certando alter alteri superior inveniri desiderabant. Inter quos erat Comes Ekebertus de Butene, vir nobilitate, divitiis & virtute animi ac corporis insignis, cum quibusdam aliis Nobilibus, & regalis familiæ militibus. Isti coeuntes in unum, circiter mille equites armati, sperantes se aliquid memorabile facturos, ad civitatem properant, & penè usque ad portam assultum faciunt, viri digni pro fortitudine, qui meliore fortuna usi fuissent. Nam etsi cœptum casus invidit, tamen non qualiter cesserit, sed quid decreverint attendendum. Excipiuntur siquidem valida hostium multitudine: certatur hastis primò, deinde strictis ensibus dimicatur, vixque in conflictu discerni poterat ex qua parte quisque pugnaret, permixtis viris, & propter angustias permutatis: visum pulvis obortus & excitatus ad instar noctis excæcabat, vocis autem intellectum magnitudo, & diversitas confundebat. Neque enim fugæ, vel persecutioni locus erat, sed qui inter primos stetissent, aut cadendi, aut occidendi necessitatem habebant, quia refugere non dabatur. Nam & posteriores utriusque partis in fronte suos urgebant, nullumque inter dimicantes bello vacuum *Cæsar aliquot turmarum temeraria excursio.*

1158. *Ecbertus Comes de Butenheim prælio cæsus.* vacuum intervallum reliquerant. Cùm autem hostium multitudo, nostrorum animos & peritiam vinceret, jamque tota acies pelleretur, prædictus Comes Ekebertus, uni suorum qui dejectus fuerat, opem ferre cupiens, subitò equo prosilit, militem liberat, jamque vincentes hostes penè solus perturbat, & ad vallum usque civitatis persecutus est. Fugiebant eum universi, neq; vim hominis, neq; audaciam sustinentes. Verùm profectò fata virũ persequebantur, quæ ab homine vitari non possunt. Multitudine quippe adversariorũ undique circumfusus, ad terram lancea prostratus est, & detracta galea atque thorace, capite cæsus, nemine succurrente, quòd locus intercludebat auxilium ferre cupientem. Ægrè itaque Nobilissimus Comes, & vir regalis sanguinis perimitur, magnam de se querelam non tantum apud suos, sed etiam apud exteros relinquens. Dictum tamen memini à quibusdam, vivum eum captum, & intra civitatem atrociter decollatum. Occisi sunt ibidem quidam alii Nobiles, quorum unus erat Joannes Dux, & major de Exarchatu Ravennatensium, & Regii milites N. & N. capti quidam, cæteri ad castra revertuntur.

Militum inconsulta temeritas à Cæsare reprehensa. Revertentes autem milites interminatio Principum, & Imperator iratus, hujusmodi oratione corripuit: Mediolanenses omnia cum deliberatione faciunt, atque prudentia, fraudes & insidias componendo, eorumque dolos fortuna persequitur. Nostri verò, quibus ob disciplinam & consuetudinem obediendi rectoribus fortuna famulatur, nunc contrariò peccant. Non immeritò ita vincuntur, depelluntur, quia omnium pessimum est, præsente Imperatore sine rectore dimicare cùm etiam vincere sine præcepto Ducis, infamiæ sit. Scituros esse ait, omnes qui de cætero arroganter egerint, vel minimum quid præter ordinem moverint, legum severitate se in eos vindicaturum. Circumfusa verò agmina Principem pro commilitonibus obsecrabant, paucorumq; temeritatem condonari cunctorum obedientiæ precabantur: emendaturos esse peccatum præsens futuræ compensatione virtutis. Placatus Imperator est precibus, simul & utilitate multitudinis, facto indulgendum putans, multa monens, ut post hæc prudentius agerent. Ipse verò quemadmodum se in adversarios ulcisceretur, jam provocatus arctiùs cogitabat.

CAP. XXXII.

Quo ordine, & quot legionibus contra Mediolanum transivit: & de adventu Principis Mediolanum.

ITAQUE postera die quæ lucescit in VIII. Kalend. Augusti, Fridericus ad obsidionem civitatis ducens exercitum, omnes copias suas in VII. legiones partitur, præficiens *Agminum militarium ordo.* singulis de Principibus rectores ordinum, quos antiqui centuriones, hecatontarchos, seu chiliarchos appellare consueverunt, cum signiferis, aliisque disciplinæ & ordinis custodibus. Præmissi autem milites cum stratoribus viarum ibant, qui aggerum maligna corrigerent, ac devia complanarent, obstacula præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Circum Aquilam & signa alia, tubicines & cornicines. Servi singulorum agminum cum peditibus erant, mulis aliisque jumentis advehentes militum sarcinas. Hos sequebantur qui expugnandis civitatibus machinas & cætera tormenta portarent. Omnium verò agminum postrema erat mercenaria multitudo. Ordinato taliter militum itinere, præmonitisque diligenter ne quis ordinem deserat, Martio quodam spiritu repleti, cum valido clamore divinum implorant auxiliũ. Deinde otiosè & cum omni decore progredientes ambulant, suum quisque ordinem velut in bello custodiens. *Cant. 6.* Quemcunque huic negotio veluti liberum spectatorem contigit affuisse, hunc ego experientius intelligere puto, quod dicitur; *Pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Mediolanum obsidetur. Peracto itinere Fridericus cum omni exercitu, circiter C. millia armatorum, vel ampliùs, Mediolanum pervenit: ibique positis castris, quamvis promptos ad bellum, milites continebat, ne quid ea die attentarent. Illi verò qui de civitate fuerant egressi, stabant armati super vallum, nihil omnino strepentes, dubium, Principis advenientis aspectus, utrum hanc reverentiam, & hujus silentii disciplinam, an metum universis incusserit. In gyrum ergo è regione portarum distribuens exercitum, instruebat obsidionem.

1158.

CAP. XXXIII.

De situ civitatis, & moribus civium Mediolanensium.

DE civitatis ipsius situ ac moribus cum superiore Libro mentio fuerit, id adjiciendum videtur, quòd campi planitie undique conspicua, natura loci lætissima, ambitus ejus super centena stadia circumvenitur. Muro circumdatur, fossa extrinsecus latè patens aquis plena, vice amnis circumfluit, quam priori anno primitùs ob metum futuri belli, multis invitis & indignantibus, consul eorum providè fecerat. Turrium proceritati non tam ut aliæ civitates, studet. Nam in multitudine atque fortitudine tam sua, quàm sibi confœderatarum civitatum, confidentes, impossibile arbitrati sunt, à quoquam Regum seu Imperatorum suam civitatem posse claudi obsidione. Unde factum est, ut civitas hæc inimica Regibus ab antiquo fuisse dicatur, hac usa temeritate, ut semper rebellionem Principibus suis moliens, schismate Regni gauderet, & geminorum potius dominorum, quàm unius super se justè regnantis affectaret Principatum, ipsa levis & utriusque ridens fortunam, nec in hac, nec in illa parte fidem haberet. Hujus rei si quis exempla desiderat, ad Leoprandum, qui gesta Longobardorum subnotavit, recurrat.

Mediolanenses turbulenti ingenii.

CAP. XXXIV.

De excursu Mediolanensium, & quomodo, & à quibus excepti sint repulsi.

DIVISIS (ut dictum est) inter Principes exercitus portis civitatis singuli eorum festinare, parare vallo, sudibus, palis, aliisque propugnaculis castra munire, propter improvisos hostium excursus, decertabant. Neque enim vineis, turribus, arietibus, aliorumque generum machinis tantam civitatem attentandam putabant, sed longa potius obsidione fatigatos ad deditionem cogi, vel si foras propter fiduciam multitudinis erupissent, prælio superatum iri. Oppidani non segnius ea quæ necessaria forent, procurare, munimenta castrorum disturbare, crebris excursibus exercitum attentare, sagittariis & fundibulariis plerosque sauciare. Erat in extrema parte exercitus Conradus Palatinus Comes de Rheno, germanus Imperatoris, & Dux Suevorum Fridericus cum Suevis, cæterisque ipsorum commilitonibus obsidionis agentes negotia circa portam sibi destinatam. Mediolanenses opportunum rati, vel pro eo quòd pauciores aliis agminibus, & juniores ætate, vel quòd sequestrati à fortitudine exercitus auxilium invenire non possent, eos invadere statuunt, sperantes facilè se aut plenum de illis triumphum reportare, aut forti aliquo patrato facinore vitam pacisci pro laude. Itaque post occasum Solis, cum præter vigiles tantùm, totus miles fessa labore corpora somni quiete recreanda speraret, apertis portis cum pugnacissimis egressi, disjectis custodibus, usque ad jam dictorum heroum castra excurrunt, oppugnant, sauciant. Alemanni ubi hostes adventare senserant inopinata re ac improvisa primò perculsi, alter apud alterum formidinem simul & tumultum facere: deinde alius alium appellare, hortari, arma capessere, venientes excipere, instantes propulsare: clamor permixtus hortatione, strepitus armorum ad cœlum ferri, tela utrinque volare, pro ingenio quisque, pars cominus gladiis, pars pugnare lapidibus, seu alterius generis missilibus. Non procul abhinc Rex Boemorum castra fixerat. Is ex quo bellicum clamorem accepit, decernit laborantibus sociis auxilio fore debere. Quanta ergo poterat velocitate, suos arma capere, equos ascendere jubet: ipse cum electis militibus & tibicinis, & tympanistris præire. Non eos morabantur vinearum aggeres, seu maceriæ, non asperitas & insolentia loci retinebat. Ea verò consueti Sclavorum equi facilè evadere. Nostri ubi ex sono tubarum & tympanorum amici Regis adventum cognovere, animosiores & lætiores effecti, resistere, hortari se invicem ne deficerent, neu paterentur hostes jam jam fugituros vincere. Aderant Boemi, tum demum maxima vi certatur, maximo clamore cum infestis signis concurritur. Rex ipse cominus acriter instare, laborantibus succurrere, hostem ferire, strenui militis, & boni Regis officia simul exequebatur. Oppidani ubi vident contrà ac rati erant, se in medios hostes devenisse, nec impetum

Mediolanensium eruptio

Prælium.

1158. Regis sustinere posse, terga vertunt. Nostri fugientibus instant, & usque ad angustias portarum persecuti, in reliquum tempus pacem sibi de incursionibus illorum peperere. Hostium quidam occisi, plurimi capti, magna pars vulneribus confecti.

CAP. XXXV.

De assultu nostrorum in portam.

QUIA verò tam superbæ civitatis tam famosam obsidionem se non meminit ætas nostra vidisse, pro eo quòd non solùm Alemannici, sed & Italici Regni vires ibi adunatæ fuerant, quisque gloriosus, ac laudis avidus alius alium in aliquo egregio facto, unde sibi nomen faceret, prævenire satagebat. Igitur Otto Palatinus Comes de Bajoaria, cujus jam sæpe mentio habita est, cum duobus fratribus suis, Friderico & Ottone juniore, aliaque sibi conjuncta militia, ad portam quam ipsi vallaverant, diligentius hostium conamina observabant. Quadam ergo die dum otiosè ipsos agere, rarosque circa portam custodes aspexissent, visum est eis tentandam fortunam. Ergo propinquante vespera, clanculum milites armari jubent, servosque ignem cum aridæ materiæ fasce præparatum habere, quatenus dato signo pariter ex improviso procurrerent, & pontem ac portam ipsam, si fieri posset, exurerent. Parent dicto, atque ad nutum præcipientium subitò prosilientes, usque ad propugnacula pontis super aggerem disposita venerunt, ignemque sicut præcepti fuerant, haud segniter injecerunt. Populus civitatis tumultu excitatus, improviso metu, incerti quid potissimùm facerent, trepidare, cum erumpentibus flammis propugnacula & aggeres concremari cernerent, timere ne aridum nactæ fomitem citius volitando non solùm pontes & portam, verùm ipsam civitatem pessundarent. Clamor ergo ac tumultus per civitatem varius agitatur, curruntque permixti inermes & armati, prohibituri incendium. Concurritur infesto Marte, certatur magnis viribus ab utrisque, obscuram noctem, incendium, & faculæ, tedæque ardentes illuminabant, fragor percutientium, gemitus percussorum, voces adhortantium hinc inde variè resonabant. Hi, ut cœptum eorum efficaciam obtineret; illi ut ignem restinguerent, nostrosque à porta propellerent, summa vi conabantur. Comites ipsi Duces prælij in hoc certamine, sicut & in aliis multis, omnibus se periculis prostituentes, sicut optimi bellatores fortitudinem corporis, ac animi magnitudinem adeò sub oculis omnium clarere fecerunt, ut de eorum virtute etiam hostis judicaret, & quivis spectator testis fieret. Multo autem labore consumpto, liteque in horam noctis protracta, miles ad castra revertitur. Sauciati utrinque plurimi, verùm atrocitatem cladis beneficium noctis imminuebat. Alii asserunt, hoc negotium clara die consummatum.

Cæsarianorum assultus

CAP. XXXVI.

De eruptione Mediolanensium contra Henricum Ducem Austriæ, & clade eorum.

NEC minùs populares Mediolanenses turpe habentes, si remissiùs in nostros agerent, ubi tempus & locum invenerunt, non cum valida quidam manu, sed per paucos sive sagittarios, sive fundibularios, incautos sauciando, temeritatis atque audaciæ suæ magnitudinem ostentare conabantur. Et illi quidem qui ad superiores conflictus venerant, moderatiùs agere: alii verò tanquam non experti, per singula momenta excursiones moliri. Ad portam itaque quam observabat Henricus Dux Austriæ, vir nobilitate generis & animi clarissimus, patruusque Imperatoris, dum sæpius hanc exercerent iniquitatem, non dignum ratus facinus hoc sine ultione præterire, ad correctionem & ejus vindictam, accepta opportunitate accingitur. Igitur universis, quos secum habebat, armatis, auxiliariis Ungarorum copiis in sagittando optimis, cum cætera heroum, qui sibi sociati fuerant, cohorte assumptis, omni conamine oppugnationem portæ disponebat. Non hoc latere poterat Mediolanenses, quippe molitiones nostrorum præsentientes, ignominiam judicabant, si pares, imò plures multitudine, minori animo, venientibus non occurrerent. Per turmas ergo & cohortes suas egressi, committunt se, seque mutuò maxima vi cædunt, sauciant, capiunt, fugant. Tum

Tum spectaculum horribile, sequi, fugere, occidi, capi, equi atque viri afflicti, ac multi vulneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati: niti modò, ac statim concidere. Postremò omnia constrata telis, armis, cadaveribus, & infecta sanguine tellus. Ex parte oppidanorum iterum malè pugnatum est: ipseque Dux, cujus ibi probitas mirificè probata est, haud dubiè victor, eos intra mœnia fugavit, & à solita in posterum eruptione compescuit. Inter alios qui de Mediolanensibus eo prælio ceciderunt, occisus est quidam de Nobilissimis illorum, nomine Statius, quem (ut tunc fama fuerat) Regulum super se creare cogitaverant: auditaque morte ejus, tota civitas luctum assumpsit, corpusque mortui cum vivis, quos de nostris habebant, & copiosa pecunia commutantes, redemerunt, & regalibus exequiis honorando sepelierunt.

1158. *Conflictus alius.*

CAP. XXXVII.

De temeritate cujusdam Mediolanensis, & probitate Comitis Alberti.

ILLUD etiam non ab re est memorare, quòd quidam ex oppidanis vir in oculis suis sibi placitus, progressus versus castra Imperatoris, velut imperitiam equitandi nostris exprobrans, quædam superba prolocutus est, & quemlibet fortissimum, ac equitandi peritissimum ad singulare certamen provocavit: cœpitque vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, modò strictis habenis in gyrum, ut huic negotio mos est, revocare: moxque varios, perplexosque per anfractus discurrere. At qui contrà steterunt, multi quidem dedignabantur. Erat autem inter eos, ut assolet, etiam qui timeret. Quosdam verò non inconsulta movebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere, & cum his in discrimen venire, quos neque vincere magnum sit, & vinci cum dehonestamento periculosum, non fortitudinis, sed insipientiæ videri. Cùm autem diu nemo procederet, multaque ille nostrorum timiditati illuderet, Nobilis Comes Albertus de Tyrol, ad omnem virtutis commendationem idoneus, inermis & palefrido sedens, solo clypeo accepto & hasta, præfato Liguri obviam venit: eumque tripudantem, & vana jactantem dejecit, cadentemque dedignatur occidere, contentus ad laudem, quia visus est potuisse. Ita nostros ultus Comes Albertus, nihil glorians, ad suos revertitur, vir minimæ jactantiæ, & qui semper manu quàm lingua promptior inveniri volebat. Ita inter nostros Principes contra Ligures varium pro virtute & gloria certamen indies habebatur.

Albertus Comes Tyrolis.

CAP. XXXVIII.

Quomodo Imperator civitatem gyraverit, & de turri quæ vocabatur Arcus Romanus.

INTER hæc Princeps ipse impiger omnia quæ ad cladem & eversionem civitatis erant, providere, muros modò cum paucis, modò cum multis & lectis militibus circuire, ubi muros aggrederetur explorare, omni modo tentare, si posset inclusos ad congressionem & pugnam provocare. His circuitionibus alteram partem civitatis, quæ necdum obsidione adeò fuerat subacta & artata, quin pecora eorum extrà pascerentur, civibusque intrandi & exeundi pateret aditus, ita compescuit & cohibuit, ut tum demum cervicem dimitterent, & quale esset obsidione claudi experimento addiscerent. Euntem in gyro Imperatorem arbitrantes ad assultum faciendum venire, in civitate tumultus exoritur, ingens trepidatio, tympanorum crepitus, tubarum sonitus, fortes ad arma, mulieres & invalidi senes ad lamenta. Nemo tamen extrà progredi ausus, ad defensionem tantùm civitatis armata juventus, & imperterrita ad modum Coronæ consistebat, sed nec ad portam, ubi militia Principis obsidionem celebrabat, excursiones facere, dubium an metu, an reverentia Imperatoris cohiberentur. Erat non longè à vallo, id est, quantum arcus jacere potest, quasi turris quædam fortissima, ex quadris lapidibus solito opere compacta. Mirabilis autem fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus saxis, aut quæ homines ferre posse crederentur: sic autem manibus artificum formata, ut quatuor columnis sustentata, ad similitudinem Romani operis, vix aut nunquam in ea junctura compaginis appareret: unde & Arcus Romanus appellatus est; sive ab antiquo aliquo Romanorum Imperatore, ob decorem &

Arcus Romanus.

1158. memoriam in fornicem triumphalem erecta; sive (ut in gestis Longobardorum reperitur) ad expugnationem & cladem civitatis ab uno Rege nostrorum fuerit fabricata. Erant in ea virorum receptacula & cœnacula XL. lectorum, vel amplius capacia: collectis ibi tam in armis, quàm in victualibus; quæ ratio necessitudinis ad obsidionis tempus desiderabat. Ibi Ligures sua præsidia locaverant duplici ratione, ut & hostibus usui non esset, cum exinde quicquid in civitate ageretur, velut è specula facilè videri, itemque quid in castris fieret, quidque exercitus strueret, ipsis continuo denunciari posset. Fridericus versis in contrarium rationibus, hanc expugnare statuit: verùm cùm nec instrumentis, sive machinis, aut aliquo tormentorum genere pro firmitudine sua pulsanda videretur, triplici ordine jaculatorum & sagittariorum eam vallat: tantaque illorum erat & magnitudo, & in feriendo peritia, quod non dubiè mortem appeteret, quisquis in propugnaculis appareret. Summa ergo necessitate coacti, dextras petunt, & ut sibi parceretur, rogabant: acceptaque fide publica, munitionem tradunt, & recedunt. Exinde nostris arx illa usui.

CAP. XXXIX.

De crudelitate Cremonensium & Papiensium contra Mediolanenses.

Vicini in Mediolanenses suam odii acerbitatem effundunt.

NEMO in hac obsidione majori studio, majorique atrocitate, quàm Cremonensium & Papiensium desævit exercitus, nullisque obsidentium obsessi se magis ac illis offensos & infensos præbuere. Longissimis siquidem simultatibus & discordiis inter Mediolanum & has civitates agitatis, multis millibus hominum hincinde vel occisis, vel dura captivitate afflictis, territoriis præda & incendio vastatis, cum se in Mediolano, quod propriis viribus & auxiliariis civitatibus prævalebat, ad plenum vindicare non potuissent, opportunum tempus adepti, injurias suas ultum iri decernunt. Itaque non ut cognatus populus, non ut domesticus inimicus, sed velut in externos hostes, in alienigenas, tanta in sese invicem sui gentiles crudelitate sæviunt, quanta nec in barbaros deceret. Vineta, ficeta, oliveta Mediolanensium pars radicitùs evellunt, pars excidunt, alii corticibus abrasis ignibus idoneam præparare materiam. Quando gladiis inter se res agereturr, & mutuo casu vel hac, vel illac quispiam infelix caperetur, hi qui extra in conspectu hostium, aut mucronem jugulo condere, aut spiculo configere: qui verò intus, ne crudelitate inferiores invenirentur, captum per membra dividere, forasque suis miserabile spectaculum projicere. Et tale quidem conlatinorum inter se commercium fuit.

CAP. XL.

Quomodo Mediolanenses variis modis attriti, suadente Guidone Comite, tractaverint de pace. Item oratio exhortatoria ejusdem de illa re.

IAMQUE plurimis malis attriti Mediolanenses. Crescebat autem in civitate cum fame desperatio, & in dies singulos utrumque malum amplius accendebatur. Erat nempe collectum ex toto territorio infinitum vulgus, diversusque erat victus, cùm potentiores quidem amplius haberent, infirmiores autem penuriam deplorarent. Quippe fames super omnes clades habetur. Nam ut ait quidam: *Quod reverentia dignum est, in fame negligitur.* Huc accessit ultio divinæ animadversionis, totamque penè civitatem morbus, aut pestilentia vexabat. Urgentibus itaque pariter fame, ferro, peste, populus ad deditionem commotus est: jamque illorum multitudo profugere cogitabat. Qui verò acrioris ingenii erant, seditionibus operam dabant, dicentes, pro libertate patriæ, & honore civitatis vitam se morte velle commutare. His inter se diffidentibus, quidam ex illis, quibus sanior mens erat, qui pacem malebant quàm bellum, decrevere, ut concione habita, populum ad considerationem communis utilitatis provocarent, & magnitudine periculorum à rebellione deterrerent. Hujus auctor negotii dicitur fuisse Guido Comes Blanderatensis, vir prudens, dicendi peritus, & ad persuadendum idoneus. Is cùm esset naturalis in Mediolano civis, hac tempestate tali se prudentia & moderamine gesserat, ut simul quod in tali re difficillimum fuit, & Curiæ charus, & civibus

civibus suis non esset suspiciosus. Aptus ergo qui ad transigendum fidus mediator haberetur, & pro concione hujuscemodi usus sermone commemoratur. 1158.

Suasoria ad Mediolanenses, ut sese dedant Imperatori.

Si vestræ Reipub. hactenus fidem servavi, si statum & honorem Mediolani stare incolumem ac inconcussum optavi, feci quod debui. Tanta mihi gratia ab ineunte ætate, tanta mihi vestra benevolentia exhibita sunt beneficia, quòd ad gratiarum actiones imparem & insufficientem me cognosco, nisi forte bonæ conscientiæ, bonæ voluntatis obsequium aliquod mihi apud vos meritum pepererit. Harum rerum vestra fretus probitate, fiducialiter vos testes exhibeo. Unde non vereor in tali rerum articulo à quoquam bono notari, etiam si præter libitum suum, ac secus quàm suo rapitur desiderio quipiam à nobis audierit. Beatum enim me æstimo ab his, quibus vacuos esse decet, qui de rebus dubiis consultant. Hæc sunt (ut ait quidam) odium, amicitia, ira atque misericordia: ubi illa officiunt, haud facilè animus verum providet. Vestra dignitas, fama atque fortuna, hucusque non in obscuro, sed in excelso fuit, vestraque facta cuncti mortales novere. Sed decebat in maxima fortuna minimam esse licentiam. Novimus quos & quot Reges Mediolanum sua constituerit auctoritate: novimus quos, & quot adepto regno propulerit. Sed profectò in omni re fortuna dominatur: ea (ut dicitur) cunctas res pro libitu magis quàm pro vero celebrat, obscuratque. Paululum hæc fortuna immutata est. Mobilis enim est, ejusque constantia volubilem esse, ac minimè permanentem. Tendamus cum rota, forsitam qui modò infimus axe teritur, elevatus rursus ad castra feretur. Sensit mecum qui dixit, Heus, omnium rerum vicissitudo est. Scio qui dicant: Libertas res inæstimabilis est: Pulchrum pro libertate pugnare. Fateor, attamen id in principio decere fieri: semel autem subditum, & qui multo tempore paruisset Imperio, jugum excutere, malæ mortis cupidum, non libertatis amatorem videri. Validissima lex est tam feris bestiis, quàm hominibus præfinita, potentioribus cedere, quique armis vigent, his obedire victoriam. Divinæ quoque ord inationi resistit, qui potestati resistit. Timendum ergo non solùm vos Imperatori, sed etiam Deo resistere. Grave quidem confiteor, post longum otium, post longam libertatis consuetudinem, jugum, frenumque portare. Sed consoletur ignominiam subjectionis, dignitas Imperii, ac nobilitas imperantis. Meliores nobis fuerunt patres nostri & majores, fide, probitate, cæterisque bonis æque vel amplius nobis gloriam, honorem, libertatemque affectarunt: Imperio tamen transalpino resistere non potuerunt. Subeant nobis pro exemplo Carolus magnus, & Otto primus ex Teutonicis Imperator. Ea propter tametsi varia belli discrimina jam in parte sitis experti, optimum tamen est ante intollerabilem calamitatem mutare sententiam, dumque licet, salutare sequi consilium. In Clementia Principis magna spes nobis sita est, qui non in finem irascetur, si non ad finem usque insolentes ipsi fueritis. Brevi autem quamvis armis perrumpi claustra murorum non possint, fames atque pestilentia pro illis pugnabit. Versentur obsecro in conspectu cujusque, filii, conjuges & parentes, quos paulo pòst, nisi mutata sententia, aut bellum, aut fames absumet. Non ignavia, sed consideratione periculorum me quisquam hæc suadere crediderit. Ipse ego pro populo meo, pro civitate mea mori paratus sum, impendamque libenter in cædem pro salute vestra sanguinem meum.

Fortunæ vis.

CAP. XLI.

Quomodo Mediolanenses in gratiam sint recepti, & de conditionibus pacis.

POSTQUAM dicendi finem fecit, alius voce, alius nutu, aut assentire, aut contradicere. Vicit tamen imprudentiam consilium saniorum. Unanimes itaque facti per Consules & Primos civitatis, primò Regem Boemiæ, Ducemque Austriæ conveniunt: dehinc mediantibus illis alios Principes, eosque ad Imperatorem de pace supplicaturos dirigunt. Princeps pro regali mansuetudine, pro humanitate naturali, cives civitati, civitatem civibus servare cupiens, gratum habebat cognito populum de pace sentire, consilioque habito, cùm videret omnium animos summa alacritate id appetere, de pacis pacto & conditione pertractat. Quod tale fuisse, scriptura exinde facta declarat, Cujus exemplar hoc est.

1158.

Pacis conditiones Mediolanensibus dictæ.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Hæc est conventio, per quam Mediolanenses in gratiam Imperatoris redituri sunt, & permansuri.

Cumas & Laudam civitates ad honorem Imperii relevari non prohibebunt, & amodò non impugnabunt, nec destruent, & à fodro & viatico, & ab omnimoda exactione se ibidem per omnem eorum ditionem continebunt, & ultrò se non intromittent, ut sint liberæ illæ civitates, sicut Mediolanenses ab ipsis sunt liberi: excepto respectu juris Ecclesiastici, quod habent ad Archiepiscopum, & Ecclesiam Mediolanensem.

Omnes Mediolanenses communiter à minoribus usque ad majores, ab annis XIIII. & suprà, usque ad annos LXX. fidelitatem Domino Imperatori jurabunt, & sine malo ingenio, & observabunt.

Palatium imperiale ad honorem Domini Imperatoris arbitratu bonorum elevabunt, & cum debito honore bona fide observabunt.

Pecuniam pro emendatione injuriarum Domino Imperatori, vel Dominæ Imperatrici, sive Curiæ promissam, statutis temporibus persolvent, hoc est, tertiam partem infra XXX. dies, ex quo hæc pactio confirmata fuerit: aliam verò tertiam partem infra octavam beati Martini: tertiam autem residuam partem infra octavas Epiphaniæ. Hisque sic persolutis, nullis privatis teneantur promissionibus. Pecuniæ promissæ summa hæc est. Novem millia marcarum argenti sive auri, vel monetæ ejusdem æstimationis & precii.

Pro his tantum prætaxatis capitulis, bona fide complendis & conservandis CCC. obsides dabunt capitaneos, vavassores, populares, quales approbati fuerint à Domino Archiepiscopo Mediolanensi, & Comite Blandratensi, & Marchione Gulhelmo Montisferrati, & tribus consulibus, si hæc Domino Imperatori placuerint, juramento astrictis, ad hanc electionem fideliter faciendam. Obsides verò in partibus Italiæ omnes serventur, præter L. vel pauciores, per interventum Regis Boemorum Labeslai, & aliorum Principum, ultra montes, si Domino Imperatori placuerit, deferendos. Quibus autem commissi fuerint obsides in Italia, jurent in præsentia Mediolanensium ad hæc prædestinatorum, quòd præfixo tempore transacto infra octo dies ex quo requisiti fuerint à Mediolanensibus, eos eis liberè reddant, ut illi securè eos habeant, si prætaxata capitula ab eis observata fuerint. Tres verò Principes Alemanniæ dextras dabunt, quòd obsides illi qui ultra montes deferentur, si qui erunt, eodem pacto fideliter reddentur.

Consules verò, qui nunc sunt ex auctoritate & concessione Domini Imperatoris, usque ad Kalend. Februarii proximè venturas perseverent, & pro consolatu suo Domino Imperatori jurent. Venturi verò Consules à populo eligantur, & ab ipso Imperatore confirmentur, quorum medietas ad ipsum veniat, dum in Longobardia fuerit: alibi autem eo existente, duo ad eum ex Consulibus veniant, & juramento facto, officium consulatus sui à Domino Imperatore recipiant, pro se & sociis suis facturis idem juramentum Domino Imperatori coram communi suæ civitatis. Si autem legatus à Domino Imperatore destinatus fuerit in Italiam, eadem coram ipso & per ipsum fiant.

Legati verò Domini Imperatoris in Italiam directi, si civitatem adierint, in palatio sedeant, & placita ad eos delata ad honorem Imperii diffiniant.

Antequam castra ab obsidione moveantur, captivi omnes reddantur in potestatem Regis Boemi, qui & securitatem per se & honestos Principes eis faciat, quòd captivos illos Domino Imperatori reddat, si eis Dominus Imperator pacem fecerit cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Cumanis, Laudensibus, Vercellensibus, non solùm autem Mediolanensibus verumetiam confœderatis eorum, Terdonensibus, Cremensibus & Insulanis: salvo honore Domini Imperatoris, & illibatis amicitiis Mediolanensium, & in suo statu permanentibus. Si verò pax ei cum prædictis civitatibus facta non fuerit, captivi veteres eis reddantur, nec ob id gratia Domini Imperatoris ipsi & amici eorum priventur.

Regalia, veluti monetam, telonium, pedaticum, portus, comitatus, & alia similia, si qua sunt, commune Mediolanensium dimittet, & ultra se non intromittet, & si quis per

per violentiam hæc obtinere voluerit, & juſtitiam inde coram Domino Imperatore, vel nuncio ejus facere noluerit, Mediolanenſes vindictam de eo pro ſua poſſibilitate ſument in perſona & poſſeſſione, & regalia Domino Imperatori reſtituent ſine fraude & malo ingenio. 1158.

Hoc pacto & ordine Dominus Imperator Mediolanenſis Cremenſes cum CXX. marcarum emendatione in gratiam ſuam recipiet, & eos, & amicos eorum in plena Curia publicè à Banno abſolvet, & captivos eorum omnes, veteres & novos, eis reddet, ſtatim poſtquam obſides Imperatori dederint, & captivos tam veteres quàm novos in manum Regis Boemorum reddiderint.

Datis autem obſidibus & captivis, altera die vel tertia, exercitus ab obſidione recedet, & Dominus Imperator Mediolanenſes, & eorum res clementer tractabit.

Commune Mediolani præfatas conditiones ſervabit plenariè, bona fide, ſine fraude, & malo ingenio, quantum non permanſerit per juſtum impedimentum, & per parabolam Friderici Romani Imperatoris, vel nuncii ejus, aut ejus ſucceſſoris.

Collectam prædictæ pecuniæ liceat modò facere Mediolanenſibus ab his, quos in ſua ſocietate habere conſueverant, præter Cumanos, Laudenſes, & eos qui de Comitatu Sefrenſi fidelitatem Domino Imperatori nuper juraverunt.

CAP. XLII.

Ubi Mediolanenſes ad conſpectum Principis admiſſi ſint, & qualiter.

TALIBUS pacis conditionibus utrinque receptis, Mediolanum in gratiam reditura, hoc ordine, taliqne ſpecie fide publica accepta, cum ſuis ad Curiam venit. Inprimis clerus omnis, & quique fuerant Eccleſiaſtici ordinis miniſtri, cum Archiepiſcopo ſuo, prælatis crucibus, nudis pedibus, humili habitu: deinde Conſules, & Majores civitatis item abjecta veſte, pedibus nudis, exertos ſuper cervices gladios ferentes. Erat autem ingens ſpectaculum, validiſſima conſtipatio, multorumque qui mitioris ingenii erant, commiſeratio: cùm viderent paulò antè ſuperbos, & de factis impiis arrogantes: ita nunc humiles eſſe, ac tremere, ut miſeranda eſſet (quanquam in hoſte) tanta mutatio. Omnis denique militia, loca ubi tantum ſtare poſſent prævenerant, Imperatori & Principibus quantus ad ſpectaculum locus ſufficeret, & venientibus vix conceſſo neceſſario tranſitu.

Divus ergo Auguſtus placido eos vultu intuens, ait lætum ſe eſſe, cùm tam claram civitatem, tantumque populum Deus commonuerit, uti aliquando pacem malint quàm bellum, quodque ſibi dempſerint acerbam eos perſequendi neceſſitatem: ſeque malle devotis & volentibus, quàm coactis imperitare. Atque hoc, ſi eis à principio placuiſſet, mali nihil perpeſſos, plurima verò accepiſſe bona. Quoniam autem divinæ placuerit ordinationi, vim & gratiam Imperij eos experiri, ſtudendum illis eſſe, quò facilius errata ſuperent, pœnitudinem eos facti habere, vinci ſe poſſe citiùs obſequio quàm bello, prælium incipere quemvis etiam ignavum poſſe, cæterùm finem penes victores eſſe.

Ad hæc illi ſummiſſo vultu, ſupplici voce, pauca pro delicto ſuo verba faciunt, ſe non hoſtili animo, nec ad oppugnandum Imperium arma cepiſſe, ſed terminos patrum ſuorum jure belli omnino ſuos factos, vaſtari à ſuis gentilibus pati nequiviſſe. De cætero ſi modò ſibi parcatur, velle eniti, ut malorum metu liberi, propenſius erga ſe benevolentia imperialis & gratia conſervetur. *Mediol. ſupplices veniā petunt.*

CAP. XLIII.

De reconciliatione Mediolanenſium, & quanta utriſque lætitia.

RECITATIS mox quæ in ſcriptum redactæ fuerant conditionibus pacis, cum aſſenſus ac favor omnium acceſſiſſet, pacem, dextraſque accipiunt, ſignumque Imperialis vexilli, in civitate receptum pro indicio victoriæ erigitur. Immenſa lætitia continuò in caſtris, gaudium in civitate, gratulatio circa captivos, quos ad pedes Imperatoris magno ac longo ordine venientes, noti & propinqui præ gaudio multis lachrymis obortis excipiunt, miſerantes in eis vultus pallidos, ſordidum habitum, *In gratiam recipiuntur, pace confirmata.*

1158. fœdam macilentiam, eos quos imberbes & juvenes noverant, modò senio, canitie, & carcerali squalore ignotos. Quanta lætitia, quantusque concursus, dum pater filium, frater fratrem, generum socer, affinis cognatum diu perditum invenit, inventum gratulabunda voce salutat, amplexatur: alius alium lætus appellans, familiari secum alloquio confabulatur. Quòd si de Regum antiquorum fastu quicquam in mansueto ac pio fuisset Principe, hujus diei lætitiam inter solennitates reliquas semper celebrem apud Italos constituisset. Actus est hic triumphus VI. Idus Septembris.

CAP. XLIV.

Quomodo post actum triumphum Imperator plures ex Principibus ad propria redire permisit.

Modœtia oppidum restitutum.

PRINCEPS Romanus à Mediolano castra movens, apud Modoicum, sedem Regni Italici coronatur. Quam Ecclesiam jamdudum à Mediolanensibus subactam, ac ferè destructam, pristinæ libertati reddidit, sedemque propriis expensis magnificè reparari præcepit. Cumque in subactione tantæ civitatis ex maxima parte motus Italorum repressos speraret, magnam partem exercitus cum suis Optimatibus ad propria redire permittit. Inter quos primus erat Rex Boemorum, Dux quoque Austriæ cum copiis Ungarorum, Arnoldus præsul Moguntinus, Dux Bertolfus Burgundiæ, Comites & Marchiones, magnaque pars nobilium. His cum summa alacritate dimissis, ipse ad ordinanda cætera Italiæ negotia animum intendit.

CAP. XLV.

Qua de causa Fridericus quosdam Veronensium hostes judicaverit, & de damno eis illato. Item de Ferraria, & ejus obsidibus.

JAM verò tantus pavor totam terram occupaverat, atque formido, ut palam quidem nemo rebellaret, occultè autem concepta corde malitia plerique illorum non carerent. Quidam enim de Veronensibus dum castrum regale Garda vocatum, Turisindus civis eorum cum suis fautoribus occupasset, id Imperatori reddere jussi, cum omnimodis detrectarent, hostes judicati sunt, suæque temeritatis nonnullos civium Veronensium socios & consentaneos habuere. Quocirca Imperator eò versus descendens, infra Veronam fluvium Athesim inopinatò transuadavit, eorumque territorium, quod longo tempore inviolatum, nullum hostem metuerat, pervagatus, aliquantisper militem agros vastare, castella diripere atque inflammare permisit. Rectè quidem, quò & hostibus rebellandi metum incuteret, ac eorum qui in hac parte immunes essent, saluti

Æstatis siccitas Friderici rebus commoda.

consuleret. Denuò revertens, sicut & antea Athesim vado transivit, nullo pontis vel navigii egens adminiculo. Tanta siquidem cœli clementia, tanta erat terræ fertilitas, tanta maximorum fluviorum ariditas, & contracta violentia, ut elementa ipsa fortitudini divi Imperatoris famulari, ejusque favere votis dicerentur. Unde factum est, ut iisdem diebus cum de civitatibus universis obsides exhiberentur, ac Otto Palatinus Comes de Bajoaria, Ferrariam ad id negotium promovendum destinatus fuisset, alveum quo se Padus ad munimentum civitatis partitur, absque navibus transmeans, improvisus ac inopinatus supervenit, ordinatisque ad votum omnibus rebus, XL. vadibus acceptis, rediit. Ea res finitimos plurimos exterrens, incredibilis visa est, eò quòd Ferraria Pado ibidem instagnante, & paludes impermeabiles faciente, munimento locorum fidens, omnem viciniam suam intrepida ac superba rideret atque despiceret. Dehinc cum Eridani fluenta ad disponenda regalia prædia domus Methildis transmearet, turbam calonum, meretricum & lixarum, quæ se exercitui plurima immiscuerat, militumque animos effœminare poterat, antiquorum Imperatorum exemplo propellendam ac deterrendam decernit.

CAP. XLVI.

De ædificatione novæ Laudæ. De Curia apud Roncalias celebranda.

INTER

INTER hæc cum tota Italia sub silentio ageret, & bellorum inquietudinem pacis tranquillitate commutasse videretur, Fridericus deperisse sibi ratus tempus, in quo aliquod magnificè monimentum præstitisset, novam civitatem Laudensibus fabricare adorsus est: ubi si fortè Mediolanenses pristinas inimicitias refricando clades suas inciderent, ab eorum incursu securiores existerent. Maxima ergo providentia, maximo pietatis obsequio, juxta fluvium Abduam locum elegit, ex omni parte fluminis ambitu munitum, uno tantùm aditu muro & vallo sepiendo. In cujus civitatis fabrica ingentes sumptus expendens, liberalitatis suæ singulare præbuit argumentum. Deinde generalem Curiam omnibus Italis civitatibus, & primoribus apud Roncalias in festo Beati Martini celebrandam indicit: ubi & leges pacis promulgaret, & de justitia Regni, quæ multò jam tempore apud illos obumbrata in desuetudinem abierat, pernecessaria sapientum collatione dissereret, diuque obsoletam elucubraret. 1158.

CAP. XLVII.

De Constantinopolitano Imperatore, & quomodo insidias suorum evaserit.

CIRCA idem tempus, Manuele Constantinopolitano Imperatore circa partes Antiochiæ contra Turcos cum exercitu morante, unus de servis palatii Caniclinus videlicet, quem nos Cancellarium dicere possumus, Principi suo fraudem molitus est. Tres siquidem audacissimæ temeritatis juvenes, infinita corruptos pecunia, ad occidendum Imperatorem pellexerat. Ipseque statuta die quando id facinus patrari debuerat, ad occupandum apud Urbem simul cum imperiali palatio Imperium, magnis instructus copiis præstolabatur. Tantum Regis periculum cum imperatrici per occultum indicem revelatum fuisset, illa magnitudine sceleris perterrita, quàm velocissimè marito proditionem significat. Sicque detecto dolo, comprehensis sicariis, prævento criminis auctore, & capto, de omnibus condigna sumuntur supplicia. Caniclinus etenim primò effossis oculis, lingua perforato gutturi transmissa, sine miseratione miserabili morte vitam finivit.

DE

DE REBUS GESTIS Friderici Imperatoris Liber Quartus, qui secundus est Appendicis Radevici, à Curia Roncaliæ, terminans in concilio Papiensi.

CAP. I.

Quomodò Fridericus ad celebrandam Curiam in campestribus Roncaliæ castrametatus est.

Placitum Roncaltense.

IAM dies placiti affuit, quæ Romanum Principem ad campestria Roncaliæ, sicut fuerat condictum, invitabat. Veniens ergo cum multo Comitatu, super littus Eridani tentoria ponit, Mediolanensibus, Brixiensibus, & compluribus aliis in altera parte fluminis è regione castrametantibus. Confluunt ex omni Regni partibus cum magna frequentia Archiepiscopi, Episcopi, multique alii Ecclesiastici viri: Duces, Marchiones, Comites, & Proceres, Consules, & civitatum judices. In quibus quanta fuerit diversitas & linguarum, & nationum, varietas tabernaculorum demonstravit. Quorum quidem dispositionem, quia non casus, sed ordo rationis, & ratio ordinis omni licet tempore designare consueverit, hoc tamen loco negligenter transeundam non putavimus.

CAP. II.

De dispositione tabernaculorum exercitus.

Castra metandi ratio.

NEMPE antiquam Romanæ militiæ consuetudinem Romani miles Imperii adhuc observare solet, ut videlicet quotiescunque in hostilem terram intraverint, castrorum primò munitioni studeant. Quæ quidem neque iniquo loco erigunt, neque inordinatè describunt, sed in plano & campestri, & siquidem inæquale solum fuerit, quoad fieri potest, complanatur. Dimensio autem sæpissimè vel in orbem, vel in quatuor angulos designatur. Nam & fabrorum & opificum multitudo, & mercatorum copia, quæ quantum usus poscit, sequitur exercitum, cum suis papilionibus, ac ergastariis, aut suburbiorum, si in quadro: aut si in gyro, ambitus eorum extrinsecus muri faciem præfert. Intus autem castra vicis aptè distinctis dirimunt, plateasque & portas assimilant, tam jumentis aditu faciles, quam ipsis si quis urgeat, intrò currentibus sufficienter latas, ut quasi repentina quædam civitas existat. Medio autem Ducis vel Principis tabernaculum, templo simillimum, circaque rectorum & primatum, ut quemque decet suo ordine: armisque septi, milites per contubernia cum decore & lætitia in tentoriis agunt, & militiæ disciplina, pacis otio, velut in procinctu positi, exercentur. His ita dispositis, castra Ligurum, & eorum Italorum, qui aliud litus Padi insederant, pons medius infra biduum jussu Principis confectus, cum castris nostrorum continuavit.

CAPUT III.

Qui Principes affuerint in illa Curia, & de triduana consultatione. Item oratio Imperatoris per Interpretem ibidem habita.

Catalogus Principum in conventu Roncalia.

PORRO qui Principes & Optimates eidem Curiæ interfuisse à nobis visi sunt, ut meminimus, isti fuerunt. De cismontanis, Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, Eberhardus Babenbergensis Episcopus, Conradus Eistetensis, Daniel Pragensis, Gebehardus Herbipolensis, Hermannus Verdensis. De ultramontanis, Guido Cremensis, Cardinalis Diaconus, sedis Apostolicæ legatus, Pelegrinus Aquileiensis Patriarcha, N. Mediolanensis Archiepiscopus. Episcopi, Taurinensis, Albanensis, Eporegiensis, Astensis,

Astensis, Novariensis, Vercellensis, Terdonensis, Papiensis, Cumanus, Laudensis, Cremonensis, Placentinus (Parmensem infirmitas mortalis domi tenebat) Regiensis, Mutinensis, Bononiensis, Mantuanus, Carsidonius, Veronensis, Omneboncnsis, Brixiensis, Pergamensis, Concordiensis. Ravennas Exarchatus eo tempore, Anselmo nuper defuncto, Metropolitano carebat. 1158.

His omnibus cum frequentia laicorum Principum, Ducum videlicet, Marchionum, Comitum, & universarum in Italia civitatum consulibus atque judicibus, Fridericum circumstantibus, solis Episcopis, cum paucis admodum Principibus consilii sui participibus, injungit, quatenus divini timoris consideratione de salubri consilio in Italiæ rebus ordinandis ita secum deliberent, ut Ecclesiæ Dei pacis tranquillitate gaudeant, & jus regale decusque Imperii debito provehatur honore. Totum triduum hæc consultatio absumpsit. Quarta demum die Serenissimus Imperator in concionem venit, sedensque in eminentiori, unde ab omnibus videri poterat & audiri, circumsedente eum Corona venerandorum, quos prænominavimus, heroum, per Interpretem elocutus est.

Imperatoris concio.

Cùm placitum sit ordinationi divinæ, ex qua omnis potestas in Cœlo & in terra, Romani nos Imperii gubernacula tenere, non immeritò quæ ad statum ejus dignitatis pertinere noscuntur, quantum Deo propitio valemus, prosequimur. Cumque imperialis majestatis hoc esse non ignoremus officium, ut studio nostræ vigilantiæ, ac pœnarum metu improbi & inquieti coerceantur, boni subleventur, atque in pacis tranquillitate foveantur: ita novimus quid juris, quid honoris tam divinarum, quàm humanarum legum sanctio culmini regalis Excellentiæ accommodaverit. Nos tamen Regium nomen habentes, desideramus potius legitimum tenere Imperium, pro conservanda cuique sua libertate & jure, quàm, ut dicitur, omnia impunè facere, hoc est, Regem esse, per licentiam insolescere, & imperandi officium in superbiam, dominationemque convertere: Deo favente, mores non mutabimus cum fortuna: quibus initio partum est, his artibus retinere curabimus Imperium. Sed nec per nostram desidiam quemquam ejus gloriam & Excellentiam imminuere patiemur. Quia ergo vel bello, vel pace clarum fieri licet, nec refert utrum melius sit patriam armis tutare, seu legibus gubernare, altero alterius auxilio indigente: bellorum motibus propitia divinitate sedatis, ad leges pacis negotia transferamus. Nostis autem, quòd jura civilia nostris beneficiis in summum provecta, firmata, ac moribus utentium approbata, satis habent roboris: Regnorum verò leges, in quibus quod antè obtinebat, postea desuetudine inumbratum est, ab imperiali remedio, vestraque providentia necesse habent illuminari. Sive ergo jus nostrum, sive vestrum in scriptum redigatur, in eius constitutione considerandum est, ut sit honestum, justum, possibile, necessarium, utile, loco temporique conveniens. Ideoque tam nobis quàm vobis, dum jus condimus, cautius prævidendum est: quia cùm leges institutæ fuerint, non erit liberum judicari de eis, sed oportebit judicare secundùm ipsas.

Regis officium.

CAP. IV.

Subsequens favor Episcoporum, & eorum responsio ab Archiepiscopo Mediolanensi prolata.

HIS dictis, magnus favor omnium prosequitur admirantium & stupentium, quòd qui literas non nosset, quique parum adhuc suprà adolescentem ageret ætatem, in oratione sua tantæ prudentiæ, tantæque facundiæ gratiam accepisset: surgentesque unus post unum, sicut ejus gentis mos est, seu ut Principi suum quisque manifestaret affectum, & propensiorem circa eum devotionem, seu ut suam in dicendo peritiam, qua gloriari solent, declararet, primò Episcopi, deinde Proceres terræ, pòst Consules, & missi singularum civitatum, totam diem illam facundissimis sermonibus in noctem usque produxerunt. Porrò una omnium sententia hæc erat, à Mediolanensi Archiepiscopo prolata.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Verè dies hæc

dies

1158. dies gratiæ, dies est lætitiæ, qua in medio populi sui victor inclitus, triumphator pacificus, non belli minas intentans, non crudele aliquid vel tyrannicum intonans, sed pacis leges disquirens, in medio populi sui mitissimus residere dignatur. Felix tandem Italia post multa secula inventa, quæ modo Principem invenire meruisti, qui nos homines imò proximos, ac fratres recognoscat. Tu nimirum es, ô Clarissime Princeps, & singularis orbis & Urbis Imperator, qui licentiam primò homini indultam, jamque diu abrogatam, rursus in usum, ac in veræ sententiæ consuetudinem revocasti, ubi dictum est: *Crescite, & multiplicamini, & dominamini piscibus maris & volatilibus cœli.* Quantos, ô Italia, passa es Reges, imò tyrannos, qui hoc tibi mandatum per contrapositionem interpretarentur, versa vice dominantes hominibus, imò prementes quosque bonos & sapientes, rationeq; utpote rationales, uti cupientes, pisces maris, lubricos scilicet, rapaces & cœno voluptatis deditos, & altum inaneque sapientes demulcerent, & iniqui iniquos in suis impietatibus contra jus fasque confoverent. Novimus qualia aliquando simus passi imperia: injusta, superba, crudelia. Novimus iniqua dominatione nihilominus insontes sicut sontes circumventos. Meminimus sine extanti crimine factas proscriptiones locupletium: magistratus, sacerdotia nefaria turpique conventione commutata, & alia multa, quæ libido dominantium imperaret, nostris sub oculis irreverenter perpetrata. Gaudeamus ergo & exultemus, & demus gloriam Deo, post tam turbidi temporis tempestatem, serenum nobis pacis diem illuxisse. Dum tibi Serenissimo Domino nostro placet Imperium tuum per innocentiam servare potius, atque tueri, quàm per scelus crescere, & per sanguinem subjectorum incrustari. Domineris ô Augustissime Imperator, piscibus maris & volatilibus Cæli. Nam & divinum judicium superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. De nobis fidelibus tuis, de populo tuo consultare placuit tuæ potentiæ super legibus & justitia, atque honore Imperii. Scias itaque omne jus populi in condendis legibus tibi concessum. Tua voluntas jus est, sicuti dicitur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem, cum populus ei, & in eum omne suum Imperium & potestatem concesserit.* Quodcunque enim Imperator per Epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel edicto præceperit, legem esse constat. Profectò secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda: ut videlicet omnibus debeas imperare, qui omnium nostrum sustines onera tutelæ.

Friderici iustitia & æquitas collaudata.

Gen. 9.

Friderico novi iuris condendi potestas tributa. NB

His finitis ea die in vesperam protracta Curia solvitur. Fuere etiam qui ibidem in publico facta Imperatoris carminibus favorabilibus celebrarent.

CAP. V.

Quomodo singulis diœcesanis singulos judices præfecerit. Item quomodo regalia Itali in manus Principis resignaverint, & quibus ea denuò habere concesserit.

SEQUENTIBUS diebus plena atque solenni Curia, judicio & justitiæ à manè usque ad vesperam intentus, querimonias & proclamationes tam divitum, quàm pauperum diligenter audiebat. Habensque quatuor judices, videlicet Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, & in lege doctissimos, legumque in civitate Bononiensi Doctores, & multorum auditorum Præceptores: cum his, aliisque legisperitis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat, discutiebat & terminabat negotia. Videns autem multitudinem eorum qui cruces bajularent: is enim Italorum mos est, ut habentes querelas crucem manibus præferant, misertus illorum, ait mirari se prudentiam Latinorum, qui cum præcipuè de scientia legum glorientur, maximè legum invenirentur transgressores: quamque sint tenaces justitiæ sectatores, in tot esurientibus & sitientibus justiciam evidenter apparere. Divnio itaque usus consilio, singulis diœcesanis singulos judices præposuit: non tamen de sua civitate, sed vel de Curia, vel de aliis civitatibus: hac eos commutans ratione, ne si civis civibus præficeretur, aut gratia, aut odio leviter à vero posset averti. Sicque factum est, ut de tanta querulorum multitudine vix ullus superfuisset, qui non aut plenam de lite victoriam, sive justiciam, aut competentem cum adversario transactionem se gauderet reportare. Deinde super justicia regni, & de regalibus, quæ longo jam tempore seu temeritate perva-

Iurisconsulti imperiales

Mos ferendi crucem.

pervadentium, seu neglectu Regum Imperio deperierant, studiose differens, cùm nullam possent invenire defensionem excusationis, tam Episcopi, quàm primates & civitates uno ore, uno assensu, in manum Principis regalia reddidere, Primique resignantium Mediolanenses extitere. Requisitique de hoc ipso jure quid esset, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Consultatus, Monetas, Telonia, Fodrum, Vectigalia, Portus, Pedatica, Molendina, Piscarias, Portus, omnemque utilitatem ex decursu fluminum provenientem: nec de terra tantùm, verumetiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisque omnibus in fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores usus est liberalitate, ut quicunque donatione Regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio, & regni nomine idipsum perpetuò possideret. Ex his tamen qui nullo jure, sed sola præsumptione de regalibus se intromiserant, XXX. millia talentorum, plus, minusve reditibus publicis per singulos annos accessere.

1158. *Fridericus jura fisci regii vindicans.*

Annuum vectigal fisci regii auctũ.

CAPUT VI.

Quòd Princeps magistratus civitatum ordinare debeat, & quòd obsides acceperit ab omnibus.

PRÆTEREA & hoc sibi ab omnibus adjudicatum atque recognitum est, in singulis civitatibus potestates, consules, cæterósve magistratus assensu populi per ipsum creare debere, qui fideles simul & prudentes, & Principi honorem, & civibus patriæque debitam justitiam nossent conservare. De his autem omnibus fideliter, & sine fraude recipiendis & observandis, ab omnibus civitatibus, & sacramenta præstita, & vades pro libitu Imperatoris exhibiti sunt. Consequenter pax in communi juratur eo tenore, ut nec civitas civitatem, nec homo hominem impugnaret, nisi hoc à Principe sibi foret imperatum.

Ius creandi magistratus urbium

CAP. VII.

De legibus quas Imperator promulgaverat, videlicet de feudis, & pace non violanda.

AD ultimum de jure feudorum, quod apud Latinos scripto nondum sufficienter expressum fuerat, & penè omnes eam beneficiorum justitiam in injustitiam converterant, leges promulgavit, quarum capitula præsenti annotatione subjecimus.

Feudorum jura. Libro feud. 2, tit. 55.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Imperialem decet solertiam ita Reipub. curam gerere, & subjectorum commoda investigare, ut Regni utilitas incorrupta permaneat, & singulorum status jugiter servetur illæsus. Quapropter cùm ex prædecessorum more universali curiæ Roncaliæ pro tribunali sederemus, à Principibus Italicis, tam rectoribus Ecclesiarum quàm aliis fidelibus Regni, non modicas accepimus querelas, quòd beneficia eorum & feuda, quæ vasalli ab eis tenebant, sine Dominorum licentia pignori obligaverant, & quadam collusione* nomine vel libelli vendiderant: unde debita servitia amittebant, & bonorum Imperii nostræ felicis expeditionis complementum minuebant.

**for nomine libelli.*

Habito igitur consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum & Comitum, simul etiam Palatinorum, judicum, & aliorum Procerum, hac edictali lege, DEO propitio perpetuò valitura, sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima judicare, sine permissione majoris Domini ad quem feudum spectare dinoscitur. Unde Imperator Lotharius tantùm in futurum cavens, ne fieret promulgavit. Nos autem ad pleniorem Regni utilitatem providentes, non solùm in posterum, sed etiam hujusmodi prius illicitas alienationes perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente, emptori bonæ fidei de precio actione contra venditorem competente. Callidis insuper quorundam machinationibus obviantes, qui precio accepto, quasi sub colore investituræ, quam sibi licere dicunt, feuda vendunt & in

Feudi alienatio prohibita.

Libellarium contractum videtur innuere.

1158 & in alios transferunt, ne tale figmentum, vel aliud ulterius in fraudem hujus nostræ constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus: plena auctoritate nostra statuentes, ut venditor & emptor, qui tam illicita contraxisse repertus fuerit, feudum amittat, & ad Dominum liberè revertatur: scriba verò qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officii, cum infamiæ periculo manum amittat.

Præterea si quis infeudatus major quatuordecim annis, sua incuria vel negligentia per annum & diem steterit, quod feudi investituram à primo Domino non petierit, transacto hoc spatio, feudum amittat, & ad Dominum redeat.

Feudū amittit, qui requisitus servitium non præstat.

Firmiter etiam statuimus, tam in Italia quam Alemannia, ut quicunque indicta publicè expeditione vocatus à Domino suo, ad eandem expeditionem spatio competenti venire supersederit, vel alium pro se Domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium reditus feudi unius anni Domino non ministraverit, feudum quod ab Episcopo, aut ab alio Domino habet, amittat: & Dominus feudi in usus suos illud redigendi omnibus modis habeat potestatem.

Principalia feuda sunt individua.

Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cætero non dividatur: aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur: ita ut omnes qui partem feudi habent jam divisi, vel dividendi, fidelitatem Domino faciant: ita tamen ut vasallus plures Dominos non compellatur habere, nec Dominus feudum sine voluntate vasallorum ad alium transferat.

De vasalli filio Dominū offendente.

Insuper si filius vasalli Dominum offenderit, Pater à Domino requisitus, adducat filium ad satisfaciendum Domino, vel à se filium separet: alioquin feudo privetur. Si verò pater vult eum deducere ut satisfaciat, filius autem contemnit, patre mortuo in feudum non succedat, nisi prius Domino satisfecerit: parique modo vasallus pro omnibus suis domesticis satisfaciat.

Illud quoque præcipimus, ut si vasallus de feudo alium vasallum habuerit, & vasallus vasalli Dominum Domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius Domini sui hoc fecerit, quem sine fraude antea habuit, feudo privetur, & ad Dominum suum à quo ipse tenebat, revertatur: nisi requisitus ab eo, paratus fuerit satisfacere majori Domino quem offendit: & nisi vasallus, idemque Dominus à suo Domino requisitus, eum qui majorem Dominum offendit, requisierit ut satisfaciat, feudum amittat.

Lites quomodo disceptandæ.

Præterea si de feudo inter duos vasallos sit controversia, Domini sit cognitio, & per eum controversia terminetur. Si verò inter Dominum & vasallum lis oriatur, per * pares curiæ à Domino sub debito fidelitatis conjuratio terminetur.

** Patres.*

Illud quoque sancimus, ut in omni sacramento fidelitatis, Imperator nominatim excipiatur.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, universis suo subjectis Imperio, hac edictali lege in perpetuum valitura jubemus, ut omnes nostro subjecti Imperio, veram & perpetuam pacem inter se observent, & ut inviolatum inter omnes fœdus perpetuò servetur.

Alia constitutio, de pace tenenda & firmanda.

Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Vavassores, omnium locorum rectores, cum omnium locorum Primatibus & plebeiis, à XVIII. Anno usque ad LXX. jurejurando obstringantur, ut pacem teneant, & rectores locorum adjuvent in pace tuenda atque vindicanda, & in fine uniuscujusque quinquennij omnium sacramenta de prædicta pace tenenda renoventur.

Si verò quis aliquod jus de quacunque causa, vel facto contra aliquem se habere putaverit, ad judicialem redeat potestatem, & per eam sibi competens jus assequatur.

Vindicta violatæ pacis.

Si quis verò temerario ausu prædictam pacem violare præsumpserit, si civitas est, pœna C. librarum auri Cameræ nostræ inferenda puniatur: oppidum verò XX. libris auri multetur. Duces autem & Marchiones & Comites L. libras præstent. Capitanei verò & majores vavassores XX. libris auri puniantur. Minores autem vavassores, & omnes alij prædictæ pacis violatores VI. libras auri inferre compellantur, & damnum pacis secundum leges resarciant.

Injuria seu furtum legitimè puniatur.

Homicidium, & membrorum diminutio, vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur.

Judices verò, & locorum defensores, vel quicunque magistratus ab Imperatore, vel

1158.

vel ejus poteſtate conſtituti, ſeu confirmati, qui juſtitiam facere neglexerint, & pacem violatam vindicare legitimè ſuperſederint, damnum omne, & injuriam pacis reſarcire compellantur: & inſuper ſi major judex eſt, ſacro ærario in pœnam X. libras auri præſtet, minor autem pœna trium librarum auri multetur. Qui verò ad prædictam pœnam perſolvendam inopia dignoſcitur laborare, corporis ſui coertionem cum verberibus patiatur, & procul ab eo loco quem inhabitat, quinquaginta miliaria per quinquennium vitam agat.

Conventicula quoque, & omnes conjurationes in civitatibus & extrà, etiam occaſione parentelæ, inter civitatem & civitatem, & inter perſonam & perſonam, ſive inter civitatem & perſonam, omnibus modis fieri prohibemus, & in præteritum factas caſſamus, ſingulis conjuratorum pœna unius libræ auri percellendis.

Epiſcopos quoque locorum Eccleſiaſtica cenſura violatores hujus ſanctionis, donec ad ſatisfactionem veniant, coercere volumus.

Receptoribus etiam malefactorum, qui prædictam pacem violaverint, & ementibus, noſtræ indignationi ſubiiciendis, & eadem pœna feriendis.

Præterea bona ejus publicentur, & domus deſtruantur, qui pacem jurare & tenere noluerit, & leges pacis non ſervat.

Exactiones Eccleſiaſticæ damnatæ.

Illicitas etiam exactiones, maximè ab Eccleſia, quarum abuſio jam per longa tempora inolevit, per civitates & caſtella omnimodis condemnamus, & prohibemus: & ſi factæ fuerint, in duplum reddantur.

Item ſacramenta pupillorum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inviolabiliter cuſtodiantur. Per vim autem, vel injuſtum metum, etiam à majoribus, maximè ne querimoniam maleficiorum commiſſorum faciant, extorta ſacramenta, nullius eſſe momenti jubemus.

Ad hæc qui allodium ſuum vendiderit, diſtrictum & jurisdictionem Imperatoris vendere non præſumat: & ſi fecerit, non valeat.

CAP. VIII.

De controverſia Cremonenſium & Placentinorum. Item de controverſia pro Modoico.

Diſceptatio Cremon. & Placentinorum.

CREMONENSES & Placentini inter eos qui ſibi coram Principe litem commovebant, acriùs cæteris ſeſe experiebantur. Nam cùm inter has duas civitates non longe à ſe poſitas, niſi quòd Pado interfluente ſeparantur, propter contubernium Mediolanenſium, antiquæ ac diutinæ manſerint diſcordiæ: acceſſerat tunc, quòd Cremonenſes cum Imperatore ad curiam venientes, Placentinorum militia egreſſa ad certamen provocaverat, quod modò vulgò *Turneimentum* vocant. Ibique hincinde aliqui ſauciati, alii capti, quidam occiſi ſunt. Ob hanc rem dum adverſus ſe invicem accuſationem proponerent, Cremonenſibus ſe dum eſſent in obſequio & in Comitatu Principis, hoſtiliter invaſos: nec tam ſe quàm regiam fuiſſe læſam majeſtatem: ſuam injuriam magnitudine Principum curæ eſſe debere: penes Imperium eſſe, ut Placentini velut hoſtes Reip. pro impietatibus in ipſos, pro perfidia & temeritate in Imperatorem, graves pœnas reddant: Placentinis autem non adverſus Principem, ſed contra infeſtiſſimos hoſtes ſe veniſſe, qui cùm in terminis ipſorum multa iniqua fecerint, rapinis & incendiis omnia permiſcuerint, querimoniæ modò calumnioſæ, quòd injuriam paſſi ſint, allegantibus, Fridericus partibus proſequendi copiam dedit: ſufficienterque auditis, quæ ab utriſque dicerentur, animadvertit Placentinos minus idoneè objecta purgare: præſertim cùm in plurimis rebus dolus eorum & perfidia in Regnum jam antea foret deprehenſa. Itaque contra ipſos ſententia judicum procedit, tandemque hac mulcta in gratiam recipiuntur, ut præter non parvæ pecuniæ donationem, vallum civitatis egregium, quod iiſdem annis pro defectione ab Imperatore feciſſe inſimulabantur, replendo æquarent, turreſque univerſas deſtruerent. Quod & factum eſt, dignaque in Placentiam ſeditioſam civitatem, pro modo delicti ultio exerta, rebellionis metum reliquis civitatibus incuſſit. Ibi quoque Fridericus Auguſtus de proprietate Modoici, ubi ſedes Regni Italici (ut dictum eſt) eſſe dinoſcitur, contra Mediolanenſes cauſam aſſumens, ſelectis arbitris glorioſè, juſtitia media, de lite triumphavit.

Placentini mulctati.

Modœtia Imperio vindicata.

1158.

CAPUT IX.

De nunciis Imperatoris in Sardiniam & Corsicam missis, & de Januensibus subactis.

Genuenses Imperatori malè fidi.

APUD Roncalias rebus bene gestis, & utilitatibus Imperii sapienter ordinatis, Fridericus conventum dimisit: atque proximioribus ordinatis, ad ulteriores terras, & in insulas maris Regium Regiæ procurationis animum protendit. Itaque electos nuncios, Episcopum videlicet Conradum Eistetensem, & Comitem Emichonem, in Sardiniam & Corsicam dirigit, commendans eos Pisanis & Januensibus conducendos, pro eo quòd hæ duæ civitates maximum in Tyrrheno mari viderentur habere Principatum. Verùm quamobrem eadem legatio sine efficacia remanserit, coniicient hi, quibus notum est, in quantis emolumentis Pisanis atque Januensibus insula Sardinia prostituta sit. Unde non incongruè putatur, illorum astu, & falsis occasionibus iter nunciorum fuisse impeditum. Nam & Januensibus vicem redditurus, adventum suum Augustus cominans, finibusque eorum accedens, mira celeritate ac facilitate eos deterruit, & ad pacis pacta confugere compulit, quæ fuêre hujusmodi. M. marcas argenti publico ærario persolvere, & à muri, quem orsi fuerant, fabrica cessare. Non autem ab re putatur hunc illis cœlitùs incussum fuisse terrorem, atque formidinem, ne multos sua temeritate ad defectionem invitarent. Nam salutis spem Januensibus certam, & contra venientibus hæsitationem natura loci præstare maximè poterat, quæ civitatem ita ex omni parte vallaverat, ut vel propter eminentium Alpium prærupta & invia, vel Tyrrheni maris, quo litus ipsum alluitur, fluctibus ad eam nec perveniri facilè fuerit. Augustus autem nullo horum motus, etiam cum natura certare non diffidebat, ut quod illa situ loci inexpugnabile fecerat, ipse magnitudine animi, ac virtute superandum putaret.

CAP. X.

Quomodo Imperator natale Domini apud Albam celebrans, nuntios pro colligendo fodro undique direxit, & de terra Mathildis.

HIS gestis, Fridericus pro recreando milite, in opimis, & nondum bello tactis Italiæ locis hyemare statuit, proximumque natalem Domini apud Albam civitatem celebrans, nuntios pro colligendo fodro per totam Tusciam, & maritima, atque Campaniam direxit. De Principibus quoque ad ordinandos in civitatibus Consules seu potestates, alium aliò dimittit: adjunctis eis Cartulariis, qui de regalibus quæ fisco accesserant, certam summam, & plenam notitiam reportarent. Reditus quoque Imperiales, quæ dicuntur domus Mathildis, à Duce Guelfone, seu ab aliis distractos & dispersos, congregavit: quos postmodum eidem nobilissimo Principi adunatos & melioratos, liberali restitutione noscitur reddidisse. Quorum prædiorum magnitudinem, ejusque terræ copiosam opulentiam, qui ripas Eridani pervagati sunt, non ignorant.

CAP. XI.

De morte Ottonis Episcopi Frisingensis.

ROMANUS Imperator, etsi in aliis omnibus secunda fortuna usus fuerit, in morte tamen nonnullorum Principum, per idem tempus ejus sævitiam & cæcitatem expertus est, quorum ut apud posteros nulla celebretur memoria, nobilitas generis, mentis prudentia, & egregiæ tam animi quàm corporis virtutes non permittunt. In numero quorum primus fuit Otto Frisingensis Ecclesiæ venerabilis præsul, hujus *Historiæ auctor, & feliciori fine futurus consummator, nisi (ut quidam incusant) fata virtutibus invidissent. Et quia tam in hujus præclari viri nece, quàm in conflagratione Frisingensis Ecclesiæ, patria mea duplici contritione attrita est: nemo me accuset, si vel patriæ miserias, vel amantissimi Domini & nutritoris mei flebilem interitum prolixiore narratione prosequar, sed dolori veniam tribuat, considerantibus nobis civitatem nostram ad tantum felicitatis gaudium processisse, eandemque ferè ad ultimos

*Operis.

casus

casus inclinatam. Si quis autem, ut ait quidam, durior misericordiæ sit judex, res quidem tribuat historiæ, lamenta verò scriptori. 1158.

Anno ergo ab incarnatione Domini M. CLIX. indictione VII. regnante serenissimo Imperatore Friderico, Anno Imperii ejus III. Regni V. memoratus antistes ab hac luce, Deo vocante, migravit. Is primò velut cœlitùs, & à Deo missus cùm eandem Ecclesiam reperisset omnibus ferè bonis destitutam, distractas facultates, collapsa palatia, familiam attritam, religionis monasteriorum nullam vel parvam memoriam, ope divina tandem ipsam in eum locum reduxerat, ut clero religionem, familiæ libertatem, facultatibus copiam, ædificiis decorem ab hac luce subtractus restituisset, ejusque cura, labor, meritum circa sedem & gentem suam perinde fuerat, ac si non tam instaurator, quàm fundator illius extitisset. Huic negotio præstabat adminiculum & opem, tum genus viri, tum probitas, tùm conversationis æstimatio. Nempe Imperatorum Henrici IV. nepos, sororius quinti Henrici, Conradi Regis frater uterinus, Friderici Imperatoris Augustissimi hujus, qui jam feliciter regnat, patruus: ex clarissimo Regni Principe Leopaldo Marchione Patre, & Matre Agnete, Filia Henrici IV. Imperatoris: pariter cum fratribus suis germanis, Conrado Pataviensi Episcopo, Leopaldo Duce Bajoariæ, & Henrico Duce Austriæ, necnon & sororibus Gertruda, Ducissa Boemiæ, & Bertha Ducissa Polonorum, ac Ita Marchionissa de Monteferrato * N. Imperatricis Hispaniæ genitrice: de tanta, inquam, tamque illustri parentela proles ipsa nobilissima traxit originem.

Ottonis Frisingensis Episcopi genus & cognati.

** al. Consobrina Imperatrice Hispaniæ Gerdrude.*

Literali scientia non mediocriter aut vulgariter instructus, inter Episcopos Alemanniæ vel primus, vel inter primos habebatur, intantum, ut præter sacræ paginæ cognitionem, cujus secretis & sententiarum abditis præpollebat, Philosophicorum & Aristotelicorum librorum subtilitatem, in topicis, analyticis, atque elenchis, ferè primus nostris finibus apportaverit.

Doctrina.

Ob ea & aliarum multarum privilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentiæ, quàm eloquio fretus facundissimæ linguæ, cùm sæpius in causis Ecclesiæ coram Regibus & Principibus constantissimè ageret, & exinde sibi gloria laudem, laus invidiam, ut assolet, non modicam peperisset, laqueos adversantium imperterritus declinavit, & obloquentium ora sine læsione probè probus evasit.

Gloria Comes invidia

Sane vivendi modum juxta Cisterciensis ordinis religionem instituerat: ibique in monasterio Morimundensi primò Abbas, eousque probatus & electus inventus est, ut meritò sibi diceretur; *Amice ascende superius.* Episcopus factus, transcurso juventutis fervore, ac sopito lubricæ ætatis incentivo, oleum peccatoris declinans, & justitiam suam in conspectu hominum & favore facere parvipendens, DEO potiùs, quem conscientiæ & corda non fallunt, placere satagebat, attendens illud Evangelicum; *Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua.*

Vita religiosa institutũ.

Luc. 14.

Unde factum est, ut si quid ex conversatione mundana pulverulentiæ contraxisset, in præsenti, lingua detrahentium, quæ ut gladius acutus, raderetur atque purgaretur: siquidem supradicto Principe Friderico Patruo suo in Italicam expeditionem iter agente, cùm & ipse, sicut necessarius & perutilis Imperij negotiis, ire debuisset, nutu divino contigit ipsum iter detrectare, ut Vir religiosus inter manus fratrum orantium potiùs, quàm inter strepitum præliantium expirans, dicere posset, *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus, &c.*

Matth. 6.

Benignè verò ab Imperatore dimissus, multis gemitibus commissam sibi suæ benignitati commendavit Ecclesiam, ac quodam spiritu Prophetico de fine suo præscius, ne post mortem suam ipsam aliquo modo gravaret, & libertate electionis (ut jam sæpius anteactis temporibus in aliis Ecclesiis factum dicebatur) eam nullo modo privaret, postulavit. Accepta de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reversus est. At cum aliquibus de morte sua, seu per visiones, seu per somnia revelatum fuisse, referentibus & commonentibus quibusdam religiosis, cognovisset: salutatis fraterna charitate media quàm intimè fratribus, & vale dicto, occasione visitandi Cisterciense capitulum, viam carpit, & jamdudum languore ac debilitate corporis invalidus, laborioso itinere, nihil tamen adhuc suis, qui secum erant, metuentibus, ad prænominatum Morimundense monasterium pervenit. Ibi per aliquot dies lecto cubans, & jam de obitu suo nequaquam dubius, dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter cætera quæ sollicitus de salute sua prævidebat, etiam hunc codicem manibus suis offerri præcepit, eumque literatis & religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Gilberti (ut patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium

1158. *Ottonis obitus Anno 1158.*

corrigeretur, seque Catholicæ fidei assertorem, juxta sanctæ Romanæ, imò & universalis Ecclesiæ regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis Sacrosanctis mysteriis, in medio multitudinis Sanctorum tam Episcoporum quàm Abbatum, Domino Spiritum reddidit. Felix utique, & pro meritis suis divino munere donatus, ut antea raptus sit, quàm unicam suam, dilectam suam, Ecclesiam videlicet, cui ipse speciali & intimo amore connexus erat, in favillam & cinerem conversam vidisset, & subversam. Cùm autem adhuc vivens locum sepulturæ suæ fratribus digito præmonstrasset, extra Ecclesiam in loco humili, ubi scilicet ab omnibus fratribus calcari debuisset, huic ejus ultimæ voluntati obviandum putabatur, & intra septa Ecclesiæ juxta majus altare honorificè tumulatus est, ejusque sepulchrum à cunctis fatribus honore ac veneratione dignum habetur. Ego autem qui hujus operis Principium, ejus ex ore adnotavi, finemque ejusdem, jussu Principis, perficiendum suscepi, & manu mea ipsius extrema lumina clausi, hoc Epitaphium composui, & tumulo seu cœnotaphio ejus inscribi feci:

Epitaphium.

Libram Phœbus subiit cum falcitenente,
Luci nox prævaluit die decrescente,
Vita minus habuit morte prævalente,
Otto quando corruit raptus, heu repentè.
Hic, si gradum consulis, præsul dignitate.
Formam: decens, habilis, juvenis ætate.
Genus: alta nobilis Regum majestate.
Mores: commendabilis mira probitate.
Monachum se præbuit, si religionem,
Ideas asseruit, si positionem.
Virgo, cujus meruit intercessionem,
Ejus ad quem genuit agat mentionem:
Cujus frequens otium in Philosophia,
Majus exercitium in Theologia,
Fœdus sibi mutuum cum philologia,
Nunc sit ei speculum summa Theoria.
Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu Frisingia, orba viro tali,
Cui tot privilegia dono speciali,
Jugi querimonia debes lamentari,
Hujus in te studio studium vigebat:
Grata disceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio nemo non videbat:
Fraus, & cavillatio latens non latebat.
Hic sacrum Ecclesiæ sublimavit cultum.
Ipse dedit strepere logicum tumultum:
Hoc in ejus cinere totum est sepultum:
Talem nemo plangere potest satis multum.
Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis assignabit?
Quis ad consequentiam tropos revocabit?
Heu qualem sententiam schola vento dabit?
Quid rerum compactio sagax, dum rimatur,
Mathesis abstractio quid, dum contemplatur,
Quòd nihil privatio per hunc dum probatur,
Quid ambarum actio morte scire datur,
Hujus necem patria justè dedignata
Clara dolens atriar rectore privata:
De se bene meritum cernens in favilla,

1159.

Ivit in interitum pariter & illa.
Tantas ad exequias turba populorum
Pias fundat lachrymas, mœſtum ducens chorum.
Ac preces continuas, & lamenta quorum
Illum ſalvet, animas qui beat juſtorum. Amen.

ALIUD METRUM.

Quicquid in orbe beat præclaros & meliores,
Præſulis Ottonis mirè cumulavit honores.
Si proavi, vel avi probitas, ſacer ordo, poteſtas
Deberent mortis furias cohibere moleſtas,
Non moriturus erat præclarè præditus illis.
Heu talem communibus acceſſiſſe favilis,
Quàm facunda viri vox, qualis Philoſophia,
Hortatu Regum docet edita Chronographia.
Luxit eum patria propria comitata ruina.
Propitietur ei Deus, & pia virgo Maria.

CAP. XII.

De conflagratione Friſingenſis Eccleſiæ.

OTTONE Epiſcopo X. Kalen. Octobris, quod eſt circa ſolſtitium brumale, defuncto, paucis pòſt menſibus Non. Aprilis, quæ tunc fuit Dominica Palmarum, & eſt circa ſolſtitium æſtivale, hora maturina, civitas Friſingenſis penitùs & penitùs incendio conflagravit, adeò quòd (ut taceam de majoribus Eccleſiis, quæ cum ornamentis ſuis perierunt, ſedeque ipſa, & palatio) nec una quidem de minoribus capellis & oratoriis ſuperfuit. Domus etiam & officinæ Canonicorum, & domus militum, exceptis valde paucis, Crematæ ſunt. Hæc Eccleſia eo tempóre in tali ſtatu fuerat, quòd rebus, ædificiis & divitiis omnibus penè conlateralibus, & vicinis Epiſcopatibus aut major erat, aut æqualis. Cleri probitate tam inſignis, ut in ejus honeſtate & diſciplina, in liberalitate, in literarum ſcientia rari pares, meliores & ſuperiores in Orbe Romano nulli haberentur.

Urbis Friſingenſis conflagratio Anno 1159.

CAP. XIII.

Quæ prodigia hanc cladem præceſſerint, & quòd Albertus Ottoni ſucceſſerit.

HANC Friſingenſis civitatis multiplicem cladem, & ærumnoſi eventus caſum, nonnulla prodigiorum indicia præceſſerant. Quadam enim vice in die Circumſionis Domini, dum ad Miſſam ſolennem presbyter altari majori aſſiſteret, & jam ſacri ſecreti ultimum reſolviſſet ſilentium, calix cum ſanguine ita prorſus everſus, & ſuper altare in conſpectu omnium effuſus eſt, ut nec ſtilla ſuperfuiſſet. Sed prudentiſſimus Epiſcopus omine tali nil proſperum auguratum eſſe præſciens, jejuniis & litaniis divinam animadverſionem præveniri atque placari perſuaſit. Per idem quoque tempus monſtra quædam quadrupedia, aliaque fantaſmata de nocte viſa ſunt, tam à clericis veracibus, quàm à laicis, hincinde volare. Feræ beſtiæ, utpote vulpes & lepores Paſtoſaria Eccleſiæ ac officinas Canonicorum ingreſſæ, velut domeſticæ, laqueum ſibi captionis imponi non abnuebant. Pueri ac puellulæ per mediam civitatem ſæpius proceſſionem agentes verasq; litanias imitantes, jocis ſuis gravia ſeria portenderunt. Nam & ſequenti anno locus ipſe, ubi major Eccleſia, & Cathedralis ſedis fabricanda erat, fulmine ictus, Cœleſti igne conflagravit. Ulululæ, upupæ, bubones toto anno in tectis funebria perſonantes, lugubri voce aures omnium repleverunt. Piloſi, quos Satyros vocant, in domibus plerumque auditi. Hujus ruinæ ac deſolationis, talibus indiciis Prophetatæ, præfata Friſingenſis Eccleſia divina opitulatione, & per ſubrogationem piiſſimi Paſtoris Alberti, qui ipſam in præſentiarum gubernat & regit, reſtaurationem expectat, ejusque induſtria ſublevari ſperat, & reſpirare.

1159.

CAP. XIV.

De exustione Spirensis Ecclesiæ, & morte aliorum Episcoporum ac Principum.

EODEM etiam anno insignis illa Ecclesia, & Regium opus apud Spiram civitatem similiter igne consumpta est, & desuper continuitate muri rupta, ruina molesta plerosque, sicut tunc fama fuit, involvit.

Illustrium aliquot virorum decessus.

Iisdem diebus Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, cujus superiore Libro mentio habita est, tertio Pontificatus sui anno, cum multorum luctu diem suum clausit extremum, carnesque ejus, & viscera apud Papiam posita, ossa verò ad civitatem Coloniensem deportata sunt. Vir Nobilis & literatus, quique mansuetudine ac benignitate sua longè lateque multorum in se provocarat affectum.

Anselmus Ravennæ metropolitanus, qui multis diebus in Imperii obsequiis, & fidelitate probatus fuerat, vir prudens & literatus ante Mediolanum defunctus est.

Herbipolensis quoque Antistes, Gebehardus, revisendæ patriæ amore illectus, dum benignè ab Augusto dimitteretur, paulò post septimum diem reditus sui ad civitatem suam, morbo correptus obiit: exemplo suo docens, quòd longas manus mortis, nec terra securior, nec convictus delicatior faciet declinare.

Tunc etiam Conradus Croatiæ atque Dalmatiæ Dux, natione Noricus, de castro Dachowa oriundus, apud Pergamum finem vivendi fecit: ejusque corpus in terram suam deportatum, in monasterio Schiren sepultum est. Cujus liberalitas, & in multis probata periculis animi magnitudo meruit, ut subtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud posteros non deleatur. Nobiles quoque complures, & milites strenuissimos, quorum nomina mihi scribenti non occurrunt, aut varius belli eventus, aut morborum vis per idem tempus idem tempestatis turbo involvit.

CAP. XV.

Quòd Romanus Pontifex iterum occasiones quæsivit adversus Imperatorem Fridericum.

Novi dissidii semina sparsa.

FRIDERICO in hybernis agente, Adrianus Romanæ Urbis Antistes quorundam instinctu, ea quæ jam inter ipsum & Imperatorem apud Augustam sopita fuerant, refricare cœpit, & denuò meminisse, modò nuntiorum suorum injuriam, modò eorum, qui pro colligendo fodro directi fuerant insolentiam, & castellanorum suorum gravamen incusans, se pro bonis mala suscepisse, Imperatorem beneficiis suis ingratum existere. Proinde occasionem quærens, cùm audisset quòd regalia Principi tam ab Episcopis & Abbatibus, quàm à civitatibus & Proceribus recognita fuere, literas in fronte quidem leniores, diligentiùs verò consideratæ, acriori commonitione plenas, super hoc negotio dirigit: easque quidam indignus, & vilis nuntius præsentans, antequam recitatæ fuissent, disparuit. Qua de re commotus, caloreque juvenili ad vicem rependendam accensus, meditationem concipit, non quidem per abjectam, sed per honoratam illi respondere personam. Jam antea missus fuerat ad sedem Apostolicam Episcopus Vercellensis, amicam deferens petitionem, quatenus Guidonem Nobilem juvenem, filium Comitis Guidonis Blanderatensis, cujus suprà mentionem fecimus, quem loco Anselmi Princeps in Ravennate Ecclesia subrogari fecerat, ibidem confirmaret & ordinaret. Nam idem juvenis infrà sacros ordines adhuc existebat, & clericus Romanæ Ecclesiæ pridem factus, ac in subdiaconum à Papa Adriano consecratus, non nisi ejus conniventia & assensu in aliam Ecclesiam transferendus putabatur. Cùm autem hoc à Romano Pontifice, volente in irritum revocare quod factum fuerat, negaretur, mittitur denuò Hermannus Verdensis Episcopus in idipsum, ejusque negotium item effectu caruit. Quod si quis pleniùs scire desiderat, Epistolas utrinque directas consulat, quorum talia scripta inveniuntur.

CAP. XVI.

Rescriptum Imperatoris Friderici ad Papam pro confirmatione electi Ravennensis.

Frideri-

1159.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus Adriano Romanæ Ecclesiæ venerabili Pontifici.

DILECTO & fideli nostro Anselmo, bonæ, memoriæ Ravennensis Ecclesiæ venerabili Episcopo defuncto, ne Curia nostra diutius tanto careret Principe, operam dare curavimus, loco ejus talem subrogari personam, quæ pro tempore ad resarcienda Ecclesiæ illius damna, & ad nostram peragendum servitium apta videretur. Ante omnia autem præ oculis mentis habentes & aure non surda audientes, quod scriptum est, *Honore invicem prævenientes*: filium Comitis Blanderatensis, quem vos in clericum Romanæ Ecclesiæ, & filium nostra petitione assumpsisse recordati sumus, vicissim ad honorem vestrum & S. Romanæ Ecclesiæ altiùs sublimari intendimus: in eâ præsertim Ecclesia, quam post Sanctam Romanam Ecclesiam, aut maximam, aut unam de maximis habemus, nostræque voluntatis proposito, divina favente clementia, in electione illius personæ, concorditer & voluntariè universa Ravennas convenit Ecclesia, præsentibus viris honestissimis, legato nostro & vestro, hinc Jacincto Cardinali, inde Hermanno Verdensi Episcopo. Scientia autem & moribus in personam præfati electi unà cum genere convenientibus, propter reverendum vestræ paternitatis testimonium, commendabilior & acceptior eadem persona nobis jam facta est, quam utique etiam diligi à vobis & honorari gaudemus, & volumus: ea tamen ratione & ordine, qua patres filios suos solent diligere, quos suo tempore & manumittunt, & domui suæ providere permittunt. Et quidem decentissimum est, Sanctam Romanam Ecclesiam, tanquam matrem omnium Ecclesiarum, filios, qui sunt fructus ventris, aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei, per domos & familias distribuere: quibus etiam nostrum Imperium, tanquam ab utero & gremio matris nostræ progredientibus, debeat & velit congruum honorem impendere. Proinde altiori consideratione vestra perpendat discretio, quid in hac causa tam vestræ, quàm nostræ majestati & honestati conveniat.

Commendatoria pro electo Præsule Ravennatensi.

Rom. 12.

CAP. XVII.

Epistola responsiva Adriani Papæ ad Imperatorem.

Adrianus servus servorum Dei, charissimo in Christo Filio Friderico, Illustri Romanorum Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem.

QUALITER superni conditoris intuitu, & tam Excellentiæ Tuæ, quàm dilecti filii nostri Guidonis Blanderadensis Comitis interventu, dilectum filium Guidonem subdiaconum nostrum, ejusdem Comitis filium, olim in familiaritatem, & in nostrum consortium recepimus, qualiter etiam intuitu probitatis ejusdem, atque pro honore & utilitate Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tanquam si in diaconum jam fuerit ordinatus, Ecclesiam ei specialiter assignaverimus, & nos profectò memores, & à serenitatis tuæ memoria non credimus excidisse. Nunc autem honestatem ipsius considerantes, & provectum scientiæ, si ei vita Comes fuerit, attendentes: intelligentes etiam quanta per eum, ac per Nobiles, & potentes parentes ipsius, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ adhuc potuerint commoda provenire, & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana Ecclesia ipse valeat, vita generi concordante, conscendere, cum à sede Apostolica in subdiaconatus officium sit promotus, & ei tanquam si jam Diaconus esset, sicut superius dictum est, à nobis sit Ecclesia specialiter assignata: communicato fratrum nostrorum consilio, à nostro latere tam pretiosum pignus, juxta petitionem Excellentiæ Tuæ, non potuimus removere. sed ipsum opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana Ecclesia ad honorem ejusdem Ecclesiæ & Imperii intendimus ordinare: ut vel in ea, prout divina gratia proposuerit, quandoque ad sublimiora conscendat: vel exinde ad alterius Ecclesiasticæ fastigium dignitatis ipsum contingat, auxiliante Domino, pervenire. Convenientius siquidem est: ut qui filius & clericus est Romanæ Ecclesiæ, ab ejus gremio non recedat, & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem inde provideat altiora. Ipsa etenim viros & moribus & scientia adornatos, præditos honestate, & sanguinis Nobilitate præclaros, ad se libenter evocat, & eos aliunde

Ravennatensis confirmatio à Pontifice recusatur.

1159. aliunde consuevit admittere, non se talibus, cum ipsos in gremio suo habeat, facilè spoliare. Quia igitur hoc decentius esse conspicimus, & honorabilius existere arbitramur, confidentes etiam Imperatoriæ majestati hoc potiùs debere placere, & gratum atque acceptum esse, postulationem tuam in hac parte non duximus admittendam: credentes atque sperantes, quòd ex quo nostram super hoc cognoveris voluntatem, tu ipse nostram intentionem & propositum commendabis.

CAP. XVIII.

De simultate orta inter Principem, & Urbis Romæ Episcopum.

Simultas inter Pontificem & Imp.

Videantur Epistolæ ad calcem Radevici.

PRINCEPS ergo & ipse accepta occasione, suam hoc modo solatur indignationem. Jubet notario, ut in scribendis chartis nomen suum præferens, Romani Episcopi subsecundet, & dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cùm antiquitùs in usu esset communi, à modernis, ob quandam personarum reverentiam & honorem, putatur immutatus. Ajebat siquidem Imperator, aut Papam debere servare suorum antecessorum ad personam imperialem scribendi consuetudinem: aut se ipsum antiquorum Principum morem in suis Epistolis oportere observare. Hæc itaque causa sermonum & nunciorum, majorem inter eos simultatis fomitem ministravit, intantum, ut quædam literæ deprehensæ dicerentur, à sede Apostolica directæ, quæ Mediolanenses, & quasdam alias civitates, rursus ad defectionem hortarentur. Hujus negotii veritatem tenor subjectarum Epistolarum declarabit, quæ à diversis personis hincinde missæ sunt.

CAP. XIX.

Epistolæ de hoc à diversis transmissæ.

Venerabili Patri & Fratri, & amico charissimo Eberhardo, Dei gratia Babenbergensi Episcopo, Henricus eadem gratia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis tit. S. Nerei & Achillei, Salutem in Domino.

SICUT virtus imperatoria ex eorum qui sibi assistunt, discretione monstratur, ita & ipsi quorum munitur consilio, propriæ conscientiæ & honestati debent attendere: quia & ipsorum honor sic ad Dominos spectare videtur, sicut & Domini detrimentum in eos proculdubio refunditur, & redundat. Eapropter, dilecte Pater, & venerande frater, & amice charissime, vestram non tam docemus, quàm monemus prudentiam, ut imperialis dignitatis Excellentiam, quantum in vobis est, in ea quæ ad pacem sunt, & ad honestatem spectant, jugiter suadeatis. Subtiliùs enim & sinceriùs in his quæ ad Deum pertinent, & justitiæ libertatem, ratio & discretio vestra intelligit & cognoscit, quàm alii Principes, quantumcunque Nobiles sint, qui tamen Sacros Canones, & ea quæ olim à Patribus disposita & ordinata sunt, non noverunt. Interfuistis ipse, sicut unus ex nobis fidelissimus mediator, eis, quæ cum Domino Imperatore de pace Ecclesiæ & ipsius ordinata sunt in Alemannia, & eis, quæ altera die nos secum fidelissimè, & ipse nobiscum benignissimè de eadem pace tractavimus. Nunc autem ex literis illis quas Celsitudini Suæ post reditum meum, Domino meo placuerit destinare, quæ videlicet nec stylum, nec antequam consuetudinem imperialium literarum obtinebant, timemus multum, ne sit in diversa mutatus, & alia modò sibi sit facies, sensusque diversus. Replevit cor meum amaritudine, & faciem meam confusione mutatio hæc: quicquid honoris, & jucunditatis, & gloriæ apportaveram mecum, ex literis illis videtur esse sepultum, atque obnubilatum. Ideò, dilectissime frater, & amice charissime, Episcopalis dignitas, & sacerdotii ordo, in quo vos providentia divina constituit, moveant discretionem vestram, & instruant, ut ad honorem Dei stetis & vestrum, pro honestate & libertate Ecclesiæ ut in antiquis limitibus Ecclesiæ integritas conservetur, ne temporibus vestris novis consiliis honestas usque modò turbata turbetur. Satis turbatum est, quicquid secundum consilium vestrum putabamus efficere: & dicimus vobis, quàm diu per homines rerũ divinarum ignaros negotia portabuntur, stabiliri pax incepta non

non poterit. Sed ſi præſentia veſtra, & Domini præpoſiti Magdeburgenſis ſummam de pacis labore ſuſceperit, zelus Dei & ſcientia, qua præeminetis uterque, finem pacificum ad honorem Dei & Eccleſiæ, & Imperatoris noſtri gloriam, per induſtriam veſtram, & ſtudium veſtrum facillimè poterit obtinere. Alioquin ſi tempore iracundiæ repertus non fuerit, qui reconciliationi intendat, & in cujus verbis poſſint iſta ſcandala complanari, res ipſa forſan aliud exiget, & quod hodie integrum eſt, major vehementia neceſſitatis dirumpet. 1159.

ALIA.

Eidem Henrico, Eberhardus Babenbergenſis Eccleſiæ eadem gratia Epiſcopus, ſi quid eſt, orationis & ſervitii omnimodam devotionem.

Literis veſtræ paternitatis lectis & relectis, admirari ſatis non potui, quod eſſet illud verbum, imò quod eſſet illud væ, de quo ſcripſeratis mihi, cùm adhuc à me prorſus eſſet abſconditum. Quæritans autē inveni quod volui, & unde multum dolui, teſte Deo, & multum doleo. Audivi, & conturbatus, & triſtatus ſum. Contremuerunt omnia oſſa mea, adhæſit cutis oſſibus meis. Et quidem intellexi, & cognovi, quòd bono ſemini, non meo, ſed veſtro, pacis & concordiæ conſilio, inimicus homo ſuperſeminaverit zizania. Omnia mala à bonis principiis orta ſunt. Sicut in ſacro eloquio: *Paravit Dominus vaſa mortis, & ſagittas ardentes efficit*: ita & in imperialibus geſtis ac dictis, ſimul ac ſcriptis pleraque reperiuntur, quæ alios ſeducunt, alios ædificant. Annales quandoque revolvuntur, apices imperiales recitantur, fortè in ea forma, quæ illi ætati & tam bonitati, quàm ſimplicitati temporum illorum competebat, hominibus tunc in directum loquentibus, neque numerum numero commutantibus, neque perſonas præpoſterantibus. Nunc verò mutata ſunt omnia. Sed non expalleſcat aurum, nec mutetur color optimus, nec diſpergantur lapides ſanctuarii in capite omnium platearum. Si qua exorbitatio conſuetudinis modernæ facta eſt, his exemplis facta eſt, & hac occaſione, quia flamma ſopita, denuò quodam vento reſuſcitata eſt per literas, quas Dominus Papa nuper direxit Domino Imperatori, ſuper ea quæſtione, quæ vertitur inter Brixienſes & Pergamenſes, de contentione duorum caſtrorum: quas quidam pannoſus, & velut hoſtis & inſidiator, Domino Imperatori deſpectivè quodammodo obtruſit, & ultra non comparuit: quæ videbantur duriores, & quaſi interdicti vim in ſe continentes, ne Dominus Imperator cauſæ illius judicium ſibi aſſumeret. Hæc autem ſcribo vobis, non ut quæram palliare quæ pallianda non ſunt: ſed ut vos, & alii prudentes & timentes Deum, facilius morbo ſubveniatis, cauſa morbi cognita. Hinc inde dicimus, & ſcribimus quotidie: Venite, venite: veniemus, veniemus. Sedemus, ſalva multa Veſtræ Sanctitatis reverentia dictum ſit, ſedemus, & oſcitamus. Sedemus inquam, ut ait quidam in Romana Repub. nocte diem, die noctē expectantes, & jam prudentes & ſcientes perimus. De me dico vobis, ut tutis loquar auribus: Nolo mali nuncii eſſe Bajulus, neque veniam ut audiam vel referam amaras hiſtorias. Verba verbis obviant,

Psal. 7.

Monet de cauſis offenſis Cæſaris.

----quaſi pila minantia pilis.

Ubi eſt ſapientia? ubi prudentia in Regno & Sacerdotio? Separet nos Deus ab his de quibus dicitur, *Omnis ſapientia eorum devorata eſt*. Non dicatis nobis ultrà, Venite, ſed potius vos claves habentes ſcientiæ, nos prævenite, non invitati venite, & docete filios veſtros non in amaritudine ſpiritus, ſed in lenitate, & multa manſuetudine. Parcat illis Deus, qui oleum quaſi camino addentes, inter Patrem & Filium, inter regnum & ſacerdotium ſeminant diſcordias. Inſipiens factus ſum, vos coegiſtis me. Veniant, pro Deo nuncii boni, portantes pacem, tanquam ſcientes & docentes nos inſtare opportunè, importunè. More ſolito ſcribantur literæ, adjuvante Dominò. Flebile principium, medium, finis, ſcilicet vertetur in gaudium. Dominus Imperator ſuperveniente nuncio veſtro, propter quædam ſecreta negotia ſubitò à caſtris diſceſſit. Ideò ego meis inſinuationibus certum reſponſum ab eo elicere, neque vos literas ejus in continenti habere potuiſtis. Qualis ſit vos ſcitis. Diligentes ſe diligit, aliis alienum ſe facit: quia nondum perfectè didicit etiam inimicos diligere.

Psal. 107.

CA-

1159.

CAP. XX.

Alia Epistola ejusdem ad Romanum Pontificem.

Monitoria, ad sopiendas gliscentis incendii scintillas.

CUM & tacendi & loquendi tempus sit, quando commune instat periculum, desperationis potius quàm religionis est servare silentium: omnium est conclamare, in unum concurrere, ac ferre præsidium. Quando autem impetus hostilis, aut incendium ingruerit civitati, præsertim eorum interest, qui vigiles civitatis sunt, eos qui in arce sunt, ipsum quoque patremfamilias, expergefacere ad subveniendum in necessitatis articulo. Hac officii mei consideratione, & specialis debiti, quo teneor multis rationibus, S. Romanæ Ecclesiæ, ego licet minimus Episcoporum, qui nec sum dignus vocari Episcopus, tam impudenter, quàm imprudenter exclamo ad vos, reverendissime Pater & Domine, hoc in tempore quo nobis infirmioribus videtur imminere, quod multùm pertimescimus, periculum. Et quidem ab illa olla, quam succensam ab Aquilone vidit olim Propheta, ignis quidam per scintillas occultas cœpit erumpere: sed adhuc in fumo est, & (Deo gratias) nondum in flammam eluxit. Inter vos Domine, & Filium vestrum Dominum nostrum Imperarorem verbotenus adhuc aliquid perturbationis est. Timendum valde & metuendum, ne verba verbis obviantia, sua collisione flammam tandem excutiant, quæ se latiùs diffundat in Sacerdotio & regno, quod Deus avertat. Ipse filius vester, sicut nostis, Dominus noster est: vos autem quomodo Christus, Magister & Dominus. Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde, cur hoc facitis, aut dicitis? Optamus tantùm & rogamus ea quæ ad pacem sunt. Quod si liceret salva reverentia, verba singula trutinare, & rationem singulorum exigere, in insipientia dico, non ut arbitror, expediret: quia potiùs ignis sine mora discutiendus est, quàm de igne, qua de parte venerit disceptandum. Supra me esse scio quæ loquor, sed in simplicitate cordis mei coram eo qui super omnes & secretorum est conscius, hæc loquor, & ex quo cœpi semel, loquar adhuc vobis confidenter, tanquam Patri & Domino. Omissis illis quæ aliter & aliter secundum varias auditorum & Interpretum mentes possunt accipi, dignetur ex integro scribere vestra paternitas placidè ac benignè Filio vestro Domino nostro Imperatori & ad se paterno affectu eum revocare promptum ad exhibendam vobis omnem reverentiam. Samuel David suum amplectatur, nec dimittat à se præparari, ut nulla scissura chlamydis fiat, quatenus Deus honoretur, & Ecclesia Catholica tranquilla devotione lætetur.

Ierem. 1.

CAP. XXI.

Qua occasione Mediolanenses iterum tumultuari cœperunt, & ab Imperio deficere.

INTEREA cùm de Curia Optimatum ad singulas civitates bini vel plures pro constituendis potetistabus & Consulibus, à Principe destinati fuissent, contigit Reinaldum Cancellarium, & Ottonem Palatinum Comitem de Bajoaria, sæpe jam memoratos, Comitemque Gozwinum Mediolanum devenisse, id negotium in ea civitate, sicut & in cæteris, jussos promovere. Populus ergo in seditionem conversus, ad domos ubi legatos manere suspicabantur, mox procurrere, contumeliosa & superba perstrepere, lapidibus, aliisque missilibus crepitare. Nec ab eo tumultu vel Comes Blanderatensis, qui & ipse affuit, vel reliqui Nobiles eos avertere poterant. Nam & in ea civitate, & penè in aliis Italiæ Urbibus, non Procerum, sed vulgi motus hæc cuncta sequuntur. Id ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti & ocio adversum. Aliquantæ etiam Nobilitatis parti, studio talium rerum incitatæ, tumultus ipse, & res novæ satis placebant. Legati ergo, quorum quidam intra muros urbis erant, improviso metu incerti, ignarique quid potissimum facerent, trepidare, cùm nec resistere armatis & multis, ipsi pauci & inermes possent, & portæ antè clausæ fugam prohiberent. Comites autem, quos & ipsi magis infensos habebant, extrà hospitatos ea res minus terruit, qui sine mora comperto tumultu, illæsi intactique recessere. Altero die tam Episcopus, quàm Cancellarius infecto negotio, eos evestigiò subsequuntur. Ita Mediolanenses violatâ pace, ruptis sacramentis, contaminato fœdere quod

Mediolanum novo tumultu ab Imperio deficit.

quod etiam apud barbaros legatos jus gentium conſtituit, defectionis iteratæ venenum, quod corde conceperant, quod occultis machinationibus confla verant, hac te me ritate diſcooperire non verentur. 1159.

CAP. XXII.

De nunciis Græcorum, & Regis Franciæ, ac Regis Angliæ, Regis quoque Ungariæ, ad Imperatorem miſſis.

EODEM tempore, vel potius iiſdem diebus, legati Conſtantinopolitani Imperatoris, ad curiam venturi, fidem publicam expetebant. Namque pro morte wilbaldi Abbatis Stapulenſis, qui in Græciam miſſus ibi vita deceſſerat, ſeſe ſuſpectos haberi metuebant. Nuncij quoque Ludovici Regis Francorum, & Henrici Regis Angliæ, cùm poſt unos mox alij ſuperveniſſent, uterque Fridericum in partem ac favorem ſui Principis inclinare multis verborum delinimentis, atque muneribus concertabant. Inter hos ſiquidem Reges, ex eo tempore quo inter Ludovicum, & thori ſui ſociam factum eſt divortium, eaque præfato Anglorum Principi ſuperbis adhæſit nuptiis, ſive occaſione dirimendorum inter ſe finium, ſive quodam alio latentiore zelo, continuæ ſimultates & diſſenſiones ortæ ſunt, magnumque ſibi credidit auxilium acceſſiſſe, quiſquis eorum ſibi Romani Principis conciliare potuiſſet auctoritatem. * Rex quoque Ungarorum fama ſola Mediolanenſium comperiens temeritatem, honorabiles nuncios, & literatos, magiſtrum Matthæum, & magiſtrum Primogenitum ad curiam deſtinavit, ſuos denuo auxiliarios plures quàm prius ſponte ſua Principi promittens. Hos ſingulos & reſponſo prudenti exhilaratos, & regalibus donatos muneribus, Auguſtus expedivit, & ad ſuos Principes remeare conceſſit.

CAP. XXIII.

Conqueſtio Friderici de Mediolanenſibus fœdifragis.

FRIDERICUS in villa quæ vocatur Antimiacum, feſtivitatem Luminum celebrante, cum multi ad eum Heſperiæ Proceres confluxiſſent, dolos atque crudam Mediolanenſium ſuperbiam omnibus notiſſimam in medium commemorat, exhibens vultum juſti doloris, ſimul & regalis indignationis indicem.

Exclamare, inquit, cogimur, ô Proceres, in auribus veſtris, contra crimen perduellionis, contra ſcelus læſæ majeſtatis, in quo civitas impia, gens nequam, populus ſceleratus, Mediolanenſes dico, jam non ſemel, ſed ſæpenumerò deprehenſi inveniuntur. Factum ipſum vobis adhuc recens exponerem, ſi tamen non exinde non ſolùm veſtræ, verumetiam omnium qui in orbe Romano ſunt, aures tinnirent. Injuriam quam nobis, imò vobis, & Imperio ſuperbia & præſumptio perverſiſſimorum hominum iniquè ingeſſit, occulto DEI judicio eò tendere videtur, ut hi qui in ſuam, & multorum perniciem debacchantur, multorum quoque condemnatione, & imperiali auctoritate, legumque vigore competenter debeant compeſci. Ubi fides illa, quam ſe Mediolanenſes adhuc inviolatam, & inter cæteras civitates virginali quadam caſtimonia inlibatam habere gloriati ſunt? Ubi juſtitia, quam in conſervandis legibus ſpecialiter ſe hactenus habuiſſe jactaverunt? Convenient eos modò non nos, ſed fides fracta: experientur adverſus ipſos ſacramenta irrita facta, fœdus ruptum, leges legatorum, non ſolùm nobis & vobis, verumetiam barbaris debita integritate, & ſanctiſſima reverentia conſervandæ. Quocirca, ſi verè ego de vobis audeo prædicare fidem, juſtitiam, fortitudinem, abominationem deſolationis, ſtantem in medio veſtræ terræ, quæ hactenus larvali quodam terrore omnes concutere ſolebat, reſpicite, atque communibus viribus communem hoſtem non tam noſtrum, quàm veſtrum proterendum aſſurgite. Conſulite Romano Imperio, cujus etſi nos caput, vos membra, nobis in hoc negotio, ut libet, vel milite, vel Imperatore utimini DEO propitiante, illorum præſumptionem reiteratam, iterata vindicta eouſque proſequetur, ut quod in noſtram injuriam, & Romani gloriam Imperij commiſerunt, ea coertione reprimatur, ne pravis & ſeditioſis creſcat ſpes, & ne crimen eorum inultum maneat, qui nec vobis veritatem, nec nobis reverentiam

Mediolanenſium perfidia graviſſimè incuſata.

1159. & fidem servavere: abusi clementia nostra, abusi patientia: qui pro pœnitentia pertinaciam, pro simplicitate duplicitatis confusionem induere non erubuerunt. Talia perorantem omnes excepere, ac velut impetu quodam divino incitati, alius alium in respondendo antecapere cupiebat: hoc recti consilii arbitrantes, ne quis extremus remanere videretur. Erant ibi absque laicis optimatibus Episcopi, Eberhardus Babenbergensis, Albertus Frisingensis, Conradus Eistetensis, Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis. De ultramontanis, Papiensis, Vercellensis, Hastensis, Dertonensis, Placentinus, Cremonensis, Novariensis. Qui omnes dum singuli Imperatori singulari favoris studio diverso modo placere voluissent, hanc tamen sententiæ unius identitatem, per os & facundiam Placentini Episcopi, proferebant.

CAP. XXIV.

Responsio Principum, & invectiva oratio contra Mediolanenses.

Principum suffragio in Mediolan. vindicta decernitur.

Ezech. 28.

EXCELLENTIÆ Vestræ, Princeps post Deum nobis charissime, super injuria Mediolanensium, qua decet gravitate, & animi indignatione condolemus. Sed quia scimus sinceritatem vestram, & animam vestram in hac parte à culpa custoditam, omnipotenti Deo gratias agimus, qui de malis Mediolanensium multa vobis ad gloriam operari poterit, & ex illorum superba crudelitate, ac crudeli superbia vestram mansuetudinem, vestram dignissimam humilitatem amplius enitescere procurabit. O cruda superbia, ô infelix arrogantia, quæ de Cœlo Angelum, de paradiso hominem præcipitasti. Timeo quòd Mediolanensibus pestis hæc fatale debeat exitium præparare. Parum secavit ab hoc vitio tumoris, de quo dictum est: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in delitus Paradisi Dei fuisti.* Parum & ille, cui concessum est ex omni ligno paradisi comedere. Tu quoque non magis hac illi, cui & hæc, & multa alia de illis dicta quadam proportione similitudinis possunt assignari. Ille inter Angelos primus, & Lucifer appellatus: tu inter Urbes Italiæ prima, inter orbis una de primis. Ille in delitiis paradisi, tu in delitiis hujus mundi nullius indiga fuisti. Ille plenus sapientia, & perfectus decore, tu cum multos habeas & sapientes, & Philosophos, timeo ne illis competenter dicatur, Et omnis sapientia eorum devorata est. Novimus maximas civitates & antiquas, Babylonem, Niniven, bello subactas, factas ad ultimum delubra draconum, habitacula struthionum. Tibi certè cras quoque fiet idem, ut nisi resipueris, in ædibus tuis lugubri voce respondeant ululæ, saltent pilosi. Absit tamen hoc, avertat hoc à te Deus. Cupio equidem ego in hac parte potiùs loqui mendacium, quàm verus Propheta inveniri. Tibi Serenissimo Domino nostro fideliter suggerendum putamus, ut pro injuria Mediolanensium officium vindictæ bonus judex bono animo studeas adimplere. Nec enim frustra sunt instituta, potestas Regis, arma militis, & ungula carnificis, disciplina dominantis, & severitas boni patris. Habent, ut ait quidam, ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & mali coercentur, & boni quietè inter malos vivunt. Falluntur Mediolanenses, si putant modò in te falli, quod dicitur:

An nescis longas Regibus esse manus?

Venisti, & vicisti. Nec minus tibi facile est victos vincere, quàm prima fronte rebellantes sine difficultate superasse. Idem tibi Imperium, idem corporis & animi robur, eadem militiæ virtus, eadem devotio militantium. Solùm tibi restat disquirere, qua vindicta, qua pœna percellendi sint, qui totiens legibus, ac legitimo Imperio contradicunt. Quamvis autem extraordinaria pœna jure coercendi essent, imperialis clementia hanc moderationem decenter tenebit, ut non sicut illi meruerunt, sed sicut te decet, injuriam persequaris. Non plus apud te valeat Mediolanensium scelus, quàm tua dignitas; ne magis iræ tuæ quàm famæ, quàm justitiæ consuluisse videaris. Nam si digna pœna pro factis eorum quæritur, si magnitudo sceleris ventilatur, novo consilio hoc eget, & ut verum fatear, nostra ingenia exuperat. Quare his adversus eos utendum censeo, quæ legibus comparata sunt, bonumque Imperatorem, & justum judicem declarabit cum inimicis, antè legibus, quàm armis decertare. Dixerat, ejusque sententiam & Augustus ipse, & Optimates universi commendant.

CAP.

1159.

CAPUT XXV.

Mediolanenses in causam ponuntur, insipiens quoque eorum responsio.

Mediolanenses citati Friderici iram magis acuunt.

ITAQUE proponuntur edicta, iterumque Mediolanenses in jus per legitimas citantur inducias Die statuta, Friderico apud villam regiam, quæ vocatur Marnica, commorante, per legatos suos Mediolanenses se præsentant, videlicet per Archiepiscopum suæ civitatis, & per alios quosdam multæ quidem eloquentiæ, parvæ sapientiæ. Unde & Archiepiscopus sive vera, sive simulata infirmitate, societati illorum se subtraxit. Illi autem dum arctiùs de præstitis sacramentis, deque aliis pacis pactionibus, de fœdere violato convenirentur, cùm aliud non potuissent, responderunt: *Juravimus quidem, sed juramentum attendere non promisimus.* Digna responsio, ut moribus oratio consonaret, & qui pravè ac perfidè vivere & facere consueverant, aliter ac perfidè & pravè loqui non potuissent, ut vitam flagitiosam sermo inlotus comitaretur. Cumque hæc & alia multa vitio procacitatis verba protulissent, infecto pacis negotio discedunt, aliusque illis dies præfigitur.

CAP. XXVI.

Fridericus denuò transmontanos ascivit.

Germaniæ Proceres in Italiam revocati.

INTER hæc videns Imperator Mediolanensium superbiam non nisi in manu gravi & forti posse compesci, cùm (ut suprà memoravimus) dimisso exercitu, ipse cum paucis remansisset, auxilia ultramontanorum contra reprobam civitatem accienda reputavit. Itaque missis nunciis Imperatricem advocat, & Ducem Bajoariæ Henricum, aliosque tam Episcopos, quàm Proceres Imperii, commonens eos fidelitatis suæ, ne desertores Regni pro tanta temeritate de impunitate lætentur: velle se probare ipsorum benevolentiam circa statum Imperii conservandum, impetumque inimicorum cohibendum. Illi accepta legatione, alacri animo se ad novam in proximo vere accingunt expeditionem.

CAP. XXVII.

Qualiter se ad futurum bellum Fridericus præparaverit.

INTER hæc Fridericus nil apud se remissum, nihil apud hostes tutum pati. Impigrè, prudenterque suorum, & hostium res pariter attendere; explorare, quid boni utrinq;, aut contrà esset. Itaque dimisso exercitu, cum paucis territoria provinciæ circuit, militem novum & auxiliarios percensuit: castella & munitiones, utpote Verrucam, Serra longa, Lou, & cætera quæ in terra illa magis inexpugnabilia, nec aggressione facilè capi videbantur, suscepta, in discrimen hostium, & ad suorum præsidium sapienter providit. Novam Laudam toto tempore Quadragesimæ summo studio communit, vallum immensum extruit, portas & propugnacula disponit. Opportunum ratus futuri belli negotiis, si in tam vicina civitate, utpote XX. miliaribus à Mediolano distante, magnam multitudinem bellatorum subitò & locare posset, & invenire. Deinde usque Cumam progrediens, honorificentissimè recipitur: fœdus & auxilium poscit & accipit.

CAP. XXVIII.

De insulanis in fœdus receptis, & quomodo Placentiam ingressus sit.

EST autem in lacu Cumano insula divitiis abundans, hominibus bellicosis referta, quæ nisi valde cruenta victoria à quoquam capi difficile putabatur. Erat autem amica Mediolanensibus, & multo tempore per fœdus conjuncta. Princeps propter commeatum venientium ad se, ac redeuntium, optimum ratus eo membro corpus insidiosæ civitatis mutilare, concepta spe atque fiducia, insulam se, vel sicut hostem infestum contra hostes, vel (si hoc elegerint) tanquam benignum Imperatorem ad

1159.

Lacus Comensis insula ad officium redacta.

socios & amicos intraturum, comminatur. Nec mora, cum paucis quos secum habebat, naves ingressus cœpit remigare. Insulani dum Principis spiritum, simul & audaciam cognovissent, divino quodam timore concussi, obviam navigio pergunt, pacem petunt, cum magno plausu & alacritate venientem excipiunt, fidelitatem jurant, muneribus honorant. Satisque fidelis in posterum nobis gens illa reperta est. Idque prospectum singulari consilio Principis, ut homines illi insulani feri, ac piratica rabie assueti, in tam strictis viarum faucibus usui & opportunitati nostrorum recuperarentur. Quid amplius mirandum in hac victoria? An Principis magnanimitas? quòd tantam rem hoc modo attentare non metuit: an felicitas? quòd adeò periculosam sine periculo devicit. Sed utrunque mirabile, quòd & aggredi ausus, & quòd tanta felicitate ac facilitate gloriosum complevit triumphum. Simili modo apud Placentiam factum est, quæ & ipsa Mediolanensibus confœderata, propter diversas causas invisa videbatur, & defectionis opinionem dudum incurrerat. Unde etiam (ut suprà memoravimus) jure possessionis jussi fuerant vallum replere, turresque deponere, ut minitando magis quàm puniendo reprimerentur perturbandæ civitatis auctores.

Pecunia Regia à Placentinis intercepta.

Eodem quoque tempore egressi fuerant de Placentia latrunculi, & nuncios Principis, qui de Genua promissam ferebant pecuniam circiter D. talenta, ex insidiis circumvenerunt, & memoratam pecuniæ quantitatem diripuerunt. Ob hæc & alia fraudis experimenta, cum eos, sicut indubitanter rerum novarum cupidos, Augustus suspectos haberet, cum paucis tamen sine pavore civitatem ingreditur. Dominicam Palmarum debito festo peragit, cæteraque quæ ibidem peragenda fuerant, congruè ordinavit, pecuniamque direptam vix à civibus exoratus recepit.

CAP. XXIX.

Quomodo exercitum reviserit, & de Eberhardo Episcopo Babenbergensi.

ANNO Dominicæ incarnationis M. CLIX. Fridericus Pascha apud Mutinam celebravit: festoque terminato, in territorium Bononiense, ubi tunc manebat exercitus, demigrans, adventu suo universos lætificavit. Nempè à die quo cinis super capita fidelium poni solet, usque tunc, semel tantùm ad exercitum venerat, supradictis negotiis occupatus. Dimiserat tamen loco suo venerabilem virum Eberhardum Babenbergensem Episcopum, qui venientes, & negotia habentes audiret, causasque eorum diligentii examinatione terminaret.

Eberhardi Bambergensis auctoritas.

Erat enim idem Episcopus religione & scientia præditus, vitæque purioris institutionibus instructus. Cumque ad fidem Imperii, & honorem, præ cæteris diligentiam habere cognitus esset, apud quamplurimas terras opinio de eo celeberrima pervulgata est. Ejusque studium circa scripturæ sensus, ac quæstionum discussionem tam attentè versabatur, ut inter prælia commanens, diversas & ingentes curas, earum sedula meditatione solaretur. Cùm autem omnes Episcopos, seu cujuslibet ordinis Ecclesiastici viros Imperator diligeret, eosque ampliori honore dignos duceret, specialiter tamen memorati viri, sicut prudentissimi, nitebatur consilio, eumque dignum æstimavit, in cujus arbitratu & discretione operas suas locaret, & onus simul ac honorem communicaret.

CAP. XXX.

Quomodo ex sententia judicis Mediolanenses hostes pronunciantur. Item de Legatis Romani Pontificis, & responsione Principis.

Mediolanenses læsæ majestatis rei judicati.

IAM dies aderat, quæ Mediolanensibus tertiò vel quartò præfixa fuerat. Tum Imperator convocatis judicibus & legisperitis, qui in ea civitate frequentes aderant, citari jubet Mediolanenses. Cùm autem nemo compareret qui absentiæ illorum causam rationabilem ederet, tanquam contumaces, rebelles, & Imperii desertores, severitatis sententiam excipiunt, hostes pronunciantur, res eorum direptioni, personæ servituti adjudicantur. Ejusque rei occasione in audientia Principis satis disputatum est, luculenterque expressum, quæ pœna excipere debeat, qui defectionis aut læsæ majestatis rei forent deprehensi. Præter alios Principes nobiles atque sapientes,

inter-

interfuere huic collationi & negotio, sedis Apostolicæ legati, videlicet Octavianus tit. Sanctæ Ceciliæ presbyter Cardinalis, Henricus tit. S. Nerei & Achillei, Wilhelmus Cardinalis Diaconus, antea Papiensis Archidiaconus, & Guido Cremensis Diaconus Cardinalis, missi à Papa Adriano: quorum itineris causas, simulque nunciorum Senatus populique Romani, rescriptum literarum venerabilis viri Eberhardi Babenbergensis Episcopi, subter annotatum continet, quod tale est: 1159.

Reverendißimo Patri & Domino Eberhardo, Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis gratia Dei si quid est, cum oratione qualicunque servitium devotißimum.

Scio Pater Sanctissime, sacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus, & animæ mihi salutem, & corpori quietem concupiscere. Ut autem noveritis quoad compati vos mihi oporteat, dico vobis, quòd jam tædet animam meam vitæ meæ, duo ferens onera in animo meo gravissima, quòd & cinctus ducor quò nolo, & quamdiu durare debeat ignoro: vestris & aliorum fidelium orationibus adjuvari desiderans, ut ab illis separer quibus juravit Dominus in ira sua: *Si introibunt in requiem meam.* Super hæc tempora periculosa instare videntur, & propè est, ut inter Regnum sacerdotium moveatur discordia. Et quidem Cardinalibus à Domino Papa ad Dominum Imperatorem transmissis, Domino videlicet Octaviano & Domino Wilhelmo quondam Papiensi Archidiacono, post lene principium, & ingressum quasi pacificum capitula durissima proposita sunt, verbi gratia: Nuncios ad Urbem ignorante Apostolico, ab Imperatore non esse mittendos, cum omnis magistratus inibi B. Petri sit, cum universis regalibus. De dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ Coronæ. Episcopos Italiæ solùm sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere Domino Imperatori. Neque nuncios Imperatoris in palatiis Episcoporum recipiendos. De possessionibus Ecclesiæ Romanæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ, Ficorolu, totius terræ comitissæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente est usque Romam, Ducatus Spoletani, Insularum Sardiniæ, Corsicæ. Domino autem Imperatore super his justitiam & consilium constanter offerente, si & ipsi justitiam vellent facere & recipere, illis verò recipere tantùm volentibus, & non facere hac ratione, quòd Dominum Apostolicum causæ subjicere, ac judicio sistere non possent: & econtrariò Domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in verbo veritatis sibi compromissa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis sine communi consensu non recipiendis: de Cardinalibus quoque sine permissione imperiali liberè per regnum transeuntibus, & regalia Episcoporum palatia ingredientibus, & Ecclesias Dei gravantibus; de injustis appellationibus, & cæteris quampluribus brevitatem superantibus; cum Apostolicus per nuncium & literas Cardinalium prædictorum, ex consensu Imperatoris submonitus, Cardinales alios ad hæc omnia complananda requisitus, his qui aderant nunciis suis, & Curiæ Principibus nollet adjungere: unitatis & concordiæ verbum diu desideratum, peccatis nostris exigentibus, evacuatum est. Et dum hæc agerentur, nuncii Romanorum supervenientes, & ea quæ pacis sunt rogantes, bene recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamen Cardinalium Dominus Imperator nuncios ad Dominum Papam, & ad Urbem missurus est, ut cum Apostolico, si ipse voluerit, primo loco pax fiet: sin autem, cum Senatu & populo Romano. Dominus Imperator in magna est gloria, Dominam Imperatricem, & Ducem Bajoariæ & Saxoniæ, cum aliis superventuris Principibus, & copiis exercitus expectans, & quosdam de melioribus ex Mediolano Brixia in vinculis retinens. Valete.

Psal. 95.

Pontificis gravißima postulata ab Imperatore.

Imperator ad hæc verba Cardinalium tale dedit responsum: Quamvis non ignorem ad tanta negotia, non ex animi mei sententia, sed ex consilio Principum me respondere debere, sine præjudicio tamen sapientum, hoc usque consultatione respondeo. Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano Præsule, quid tibi & Regi? Consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire; quid tibi & possessioni? Nuncios nostros non esse recipiendos in palatiis Episcoporum asserit. Concedo, si fortè aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro palatiū. Si

Friderici responsum ad Pontificis postulata.

1159. autem in nostro solo & allodio sunt palatia Episcoporū, cùm profectò omne quod ædificatur, solo cedat, nostra sunt & palatia. Injuria ergo esset, si quis nuncios nostros à Regiis palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore ad Urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus inibi Beati Petri sit, cum universis regalibus. Hæc res fateor, magna est & gravis, graviorique & maturiori egens consilio. Nam cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim, speciem tantùm dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac sine re, si urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

CAP. XXXI.

Quorum consilio contentio hæc decidenda fuerat, & responsum Principis de hoc.

Imp. arbitrorum judicio se offert.

HÆC Augusto, & his similia præfatis capitulis argutè respondente, consilium initur, ut ex parte summi Pontificis Cardinales sex, & ex parte Principis sex Episcopi religiosi, prudentes, & qui Deum timeant, eligantur, tantorum negociorum hincinde cognitionem accepturi, tantamque litem congruo fine decisuri. Verùm (ut suprà taxatum est) ex parte Romanorum etiam hoc consilium dicitur fuisse evacuatum. Super hoc quoque capitulo audi Epistolam Imperatoris directam Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo in hunc modum.

Quandoquidem fidelitatis tuæ constantiam, quam pro consuetudine exhibere soles Imperio, frequenter experti sumus, quæ apud nos sunt, discretioni tuæ significamus, & prudentiæ tuæ consilium advocamus. Venerunt siquidem ad nos duo Cardinales à Papa missi, ad hoc, ut inter nos & illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quòd Papa illam requireret pacem atque concordiam, quæ inter Papam Eugenium, & nos facta fuerat & scripta. Nos respondimus, quòd pacem quidem inviolabiliter hucusque tenuissemus, de cætero autem neque eam tenere, neque ea teneri vellemus, quomodo ipse prior eam violasset in Siculo, cui ipse sine nobis reconciliari non debuisset. Adjecimus tamen, quòd omnem justitiam dare & accipere parati essemus, sive secundum humana, sive secundum scripta divina. Si verò justitia gravis videretur, consilio Principum & Religiosorum, pro amore Dei & Ecclesiæ, libenter nos supponeremus. Placuit verbum nostrum Cardinalibus. Dixerunt tamen, nisi prius cognita Papæ voluntate, super hoc se nihil posse vel audere. Missis nunciis verbum nostrum cognovit Papa, mandavitque sicut prius, aliam se nolle concordiam, quà illam quæ inter Papam Eugenium, & nos facta fuisset. Nos supradicto modo hoc recusavimus, & in præsentia, & testimonio omnium Teutonicorum & Longobardorum Episcoporum, & laicorum Principum, & Baronum, & vavassorum, omnem justitiam atque consilium obtulimus, & ut nos acciperemus justitiam. Præsentes ibidem fuere Romanorum civium legati, qui cum indignatione mirabantur super his quæ audierunt. Mandavit enim Papa nova & gravia, & nunquam prius audita, quæ sine consilio tuo, & aliorum fidelium Imperii pertractari non possunt. Hæc discretioni tuæ communicavimus, ut si qua tibi super his occurrerint, nosse veritatem non sit inutile. Rogamus etiam, ut si necesse fuerit, & nos tibi mandaverimus, ad nos pro tanto negotio venire non differas.

Recusat Papa.

CAP. XXXII.

Quomodo Mediolanenses castrum Tretium expugnaverint, & funditus destruxerint.

AT Mediolanenses novarum turbarum non jam in occulto, sed apertissimè tale sumunt principium. Nondum finita solennitate Paschali, omnibus copiis suis adunatis, egressi sunt, oppidum Tretium, ubi Fridericum jam in priori adventu milites suos locasse memoravimus, vi capere properantes: quoniam perniciosa videbatur obsidio, Principe intra provinciam existente. Jam enim intra civitatem cupidine castri potiundi, machinas, aliaque quæ incepto usui forent, præparaverant. Ita conatus eorum, & delicta occultio latuere. Quæ postquam ex sententia instruunt, de improviso cum magna multitudine oppidum circumveniunt, ac quidam eorum murum modò suffodere, modò scalis aggredi cupere, pars eminus glande, aut lapidibus seu jaculis

 1159

jaculis pugnare. Milites Romani tumultu perculsi, arma alii capere, pars territos confirmare, quidam in proximos saxa devolvere, tela eminus missa emittere, pauci in pluribus minus frustrati, si Ligures propius accessissent. Omnia aspera, omnia fœda, atrocitate utrinque præliantium, periculum anceps, victoria primò in incerto erat: per totum enim triduum continuè pugnatum est. Verumenimverò castellani die noctuque vigiliis ac jejuniis, laboreque fatigati, impetum hostium diutius sustinere non poterant, cum hi per vices & successiones alter alteri laboranti succurrerent: istorum verò nullus loco quem uti defenderet, acceperat, cedere potuisset. Defessis itaque omnibus & exhaustis, atque languidis, ubi locum hostibus introeundi dederunt, Ligures cuncti erupere, oppidani universi vel occisi, vel capti. Porrò in suos proprios gentiles, quos ibidem reperere, antequam in nostros insaniebant: nec ulla fuit eis in conlatinos miseratio. Nostri autem ob Imperatoris reverentiam, seu metum, captivati servati sunt circiter octoginta milites de regia clientela. Sed nec hosti triumphanti usquequaque læta cessit victoria, quampluribus ex illis cæsis, & lethali vulnere sauciatis. Ita Tretium, Mediolanensium prius municipium, ab ipsis captum, crematum, & funditùs destructum est.

CAP. XXXIII.

Quomodo Fridericus ad vindicandum regni injuriam animum intendit, & quomodo variis modis Mediolanenses afflixerit.

HÆC audiens Fridericus, paulisper mœstus, iram cohibuit, indignationem dissimulavit, impetum militum continuit: Curiam autem antedictam apud Roncaliam gloriosè celebravit, & ibidem copiosam multitudinem bellatorum collegit. Deinde cum maxima cura ultum ire injurias festinat, & toto apparatu, toto exercitu in Liguriam irruit, agros inflammat, vastat, vineas demolitur, ficus exterminat, omnesque fructiferas arbores aut succidi, aut decorticari præcepit, totamque regionem depopulatur: statuens non antè obsidere civitatem, quam penuria necessariorum affligerentur. Aut enim tunc inopia victualium coactos ultrà supplicaturos, aut si ad finem usque in eadem pertinacia duravissent, obsidione inclusos fame consumendos, vel ad deditionem cogendos arbitrabatur, multoque faciliores ad affligendum fore, si post intervallum temporis, iterum atque iterum anxius incubuisset. Itaque omnes eorum extrùs asservari præcepit, frumenti, aliarumque rerum eis auferens commercium: edictumque proposuit, qua pœna ferirentur transgressores, quóve præmio donari debuissent, qui venditores harum rerum proderent. Mediolanenses autem omnium rerum tametsi copiam intus habebant, metu tamen futuræ obsidionis vehementiùs afficiebantur: & cùm jam cibaria ipsa ad modicam mensuram venderentur, ampliorem eis cupiditatem movebat, quòd jus edendi liberum non haberent, ac velut omnia defecissent, ægrè ferebant. Interdum quoque assumptis secum bellatoribus, Imperator usque ad civitatem profectus est, æstimans eos aliquid ausuros, quo vel publico congressu eos protereret, si contrà venissent, vel si excurrere attentarent, item à calamitate alieni non remanerent. Quod & factum est: nam inconsultè ad ostentationem suarum virium egressos, facto in eos impetu prævenit, compluresque ex eis cepit, & occidit.

Mediolanenses infesto exercitu petiti.

CAP. XXXIV.

De clade Mediolanensium.

CUM QUE super tali negotio Imperator cum exercitu ultra Mediolanum processisset, Mediolanenses cum D. equitibus occultè ad novam Laudam in die sancto Pentecostes venientes, prædam pecorum abegêre. Episcopo verò Mantuano Carsidonio, & Marchione Garnerio de Ancona, cum sufficiente militia eos insecutis, cùm audissent voces clamosas paucissimorum Alemannorum, Mediolanenses territi, & in fugam versi, quosdam occisos, XVI. captos de suis melioribus ibidem perdiderunt. Iustè autem eos divina ultio persecuta est, ut qui sanctissimo diei debitam reverentiam & honorem exhibere contempserunt, ipsi cum dispendio atque dedecore reverti cogerentur. Quadraginta continuis diebus terram hostium vastatio tenuit: interque

1159. *Mons S. Ioannis.* cæteras arces, turres, & munitiones, quæ vel opere vel natura munitæ erant, quoddam castrum, quod mons S. Joannis vocabatur, usque ad id tempus expugnabile habitum, obsessum, & brevi tempore captum est. Paulatim igitur reprobo capiti propria membra intantum mutilata sunt, & præcisa, ut inter multa oppida, & plurima castella, vix duo tunc ipsis residua remanserint.

CAP. XXXV.

De clade Brixiensium.

HISDEM diebus Brixienses, & ipsi quoque novis rebus studentes, comitatum Cremonensium deprædationis & latrocinandi causa ingrediuntur. Erant quippe Mediolanensibus amicitia & societate conjuncti. Iam autem antea Cremonenses præmoniti à suis exploratoribus, non imparati inveniuntur, sed ex insidiis erumpentes improvisos invadunt. Resistentes paulisper mox in fugam vertunt, prædam eripiunt, equites LXVII. pedites ferè CCC. partim occidunt, partim captivos abducunt. Imperator post vastationem hostium Laudam pergit, ibique Italicum exercitum dimittit, copias militum, qui de transmontanis expectabantur, ibidem præstolaturus.

CAP. XXXVI.

Quomodo Mediolanenses contra vitam Principis cum quodam consilium inierint.

AT clades quidem Mediolanensium in pejus quotidie procedebant, cum in facinus magis accenderentur adversis, & populum in urbe fames jam acrior possideret. Non enim spe victoriæ major pars eorum, sed desperatione salutis ferocius movebantur: nec eos videntes tot mala cœpti pœnitebat; sed cæci & amentes facti etiam in personam Christianissimi Principis ausi sunt conspirare: obliti, quòd juxta legem ejus facti, pœnam animæ amissionem sustinet, & memoria rei post mortem damnatur. Itaque quendam qui se stultum, & mente captum simularet, inveniunt, eumque ad castra Friderici dirigunt, qui tunc apud Laudam morabatur, ut quovis modo violentas manus Imperatori injiceret. Erat autem hic homo tam magnus corpore, tantusque viribus, ut non sine causa tantam audaciam concepisse videretur. Animatus itaque multis blandimentis, multisque promissionibus, ad novum facinus, ad scelus maximum accingitur. Laudam pergit, castra ingreditur, & stultitiam seu furiam maniæ simulans, ut id genus hominum solet, potius jocis & ludicris celebratur, quàm à tentoriis excludatur. Porrò tentoria Friderici tunc vicina fuerant, & penè super litus Aduæ locata, cujus loci ea facies, isque situs erat, ut labentem inevitabiliter, aut convexum obrueret præcipitium, aut subterlabentis fluminis vorago esset exceptura. Præfatus ergo diem aptum & horam servans, *Friderici Imp. periculum.* quando Imperatorem solum posset invenire, ut conceptum facinus ad effectum perduceret, quodam manè primo diluculo egredientem de cubiculo tentorii, ut more suo coram sanctorum reliquiis orationum suarum Deo munia persolveret, conspicatur: seque optatum tempus ratus adeptum accurrit, scelestas manus injicit, & modò trahendo, modò portando versus præcipitium contendere cœpit. potiusque esset forsitan nefario propositio, nisi divina miseratio ad defensionem divi Principis manum extendisset. Namque dum hoc modo ille trahendo, iste renitendo, uterque pro viribus conaretur, accidit ut funibus quibus tabernacula suspenduntur, implicati, ambo caderent ad terram. Iamque vociferantis Principis clamor auditus, cubicularios exciverat, qui accurrentes scelaratum monstrum comprehendunt, & multis malis affectum, eodem loco præcipitatum dimergunt. Talis tunc de illo opinio fuerat. Nos tamen audivimus eundem verè furiosum fuisse, & innocenter vitam perdidisse.

CAP. XXXVII.

Quomodo Mediolanenses novam Laudam nocte per quosdam incenderint, & de insidiis cujusdam per toxicum.

Medio-

1159.

Incendiarii à Mediolanensibus subornati

MEDIOLANENSES tantum se facinus frustra suscepisse dolentes, subsequenter aliud intendunt. Octo de suis precio ad cremandam Laudam conducunt. Quorum unus dum nocte intempesta promissum implere vellet, ac ædibus ignem injecisset, invenerunt eum vigiles, & comprehensum dum propositum confessus fuisset, manè facto eum patibulo contra Mediolanum erecto suspenderunt. Quidam etiam se mentitus monachum, explorator, & eorundem criminum obnoxius, simili modo vitam finivit. Non multò pòst à quodam divino monitore literas Imperatori allatas accepimus quendam venisse in Italiam, sive Hispanum, sive Arabem Saracenum, ætate senem, facie deformem, & luscum, discipulos vel socios penè XX. habentem, malis consiliis, & arte venefica prioribus multo potentiorem, eumque mortis contemptorem, pariter cum suis sequacibus, magnum se munus consecutos arbitrantes, si gloriam & nomen sibi perpetuum, Principis sanguine comparassent. Preciosa ipsum quasi munuscula laturum, medicinas, annulos, gemmas, frena, calcaria, venenatis furfuribus circumlita, adeò violenter & efficaciter toxicata, ut mortem non evaderet Imperator, si vel manu nuda ea attigisset. Sicam quoque latentem juxta femur gestare, ut si quo impedimento veneni facinus non procederet, ea ad peragendum nefarium propositum uteretur. Talibus acceptis, cum paucis communicato consilio, venturum magum jubet observari. Venientem ergo, ubi certis indiciis quæ delata fuerant, Princeps vera esse cognovit, hominem asservari præcepit: & perquirens cujus hortatu ad tantum facinus esset præcipitatus, promisit quòd vera dicenti remitteret omne supplicium, sin falsa promere maluisset, corpus ejus tormentis absumeret. Ille & verbera, & quæstiones diridens, insuper comminatus est, si quid ipse mortale pateretur, Imperatorem continuò sine dubitatione secum moriturum. Sed deceptus valde est. Nam Princeps minas ejus contemnens, cum de sociis & auctoribus sceleris nullum ab eo potuisset extorquere documentum, tantam pestem, tantique sceleris fabricatorem, sicut meritus erat, crucis patibulo donavit. Deoque salutis conservatori uberes gratias egit, quòd tam validi malefici virus & insidias declinasset.

Veneficus Imperatoris vitæ insidiastruens.

CAP. XXXVIII.

De adventu Imperatricis, & Ducis Bajoariæ in Italiam, Ducis quoque Guelfonis.

INTEREA Beatrix Imperatrix, Dux Bajoariæ & Saxoniæ Henricus, Conradus Augustensis Episcopus, uti decretum erat, milites scribere, properè commeatu, stipendio, armis, aliisq; utilibus iter incipere. Profectique cum magno exercitu paucis diebus in Italiam veniunt, suoque adventu nostris lætitiam, hostibus metum incutiunt. Erat enim idem Princeps Filius (ut suprà dictum est) Henrici Ducis & Gertrudis Filiæ Lotharii Imperatoris. Qui à primis cunabulis patre & matre orbatus, ubi primùm adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multò maximè ingenio validus, non se luxui, neque inertiæ corrumpendum, sed (uti mos Saxonum est) equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare: & cùm omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esset. Ejus studium (ut de quodam dicitur) modestiæ, decoris, sed maximè severitatis erat. Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Esse quàm videri bonus malebat. Ita quò minus appetebat gloriam, eò magis illam assequebatur. In omnibus gloriosis plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Is recepto ab Imperatore (ut suprà dictum est) Ducatu Bajoariæ, ubi naturam & mores hominum cognovit, multa cura, multo consilio, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut treuga per totam Bajoariam firmata, bonis vehementer charus, malis maximo terrori esset: adeò ut absentem velut præsentem timendo, leges pacis quas sanxerat, nemo sine pœna capitis auderet infringere. Qui cum suos milites regiis conjunxisset, in brevi spatio novi veteresque coaluere, virtusque omnium facta est æqualis. Nam & non multo pòst avunculus Imperatoris, Guelfo Princeps Sardiniæ, Dux Spoleti, Marchio Thusciæ, & ipse novum adducens exercitum, cum multo apparatu advenit: suoque adventu nostris spem triumphi, adversariis fiduciam paciscendi donavit. Ita duo viri sanguine conjunctissimi, utpote unus eorum alterius fratris filius, diversis inter se virtutibus certabant. Guelfo dando, sublevando, ignoscendo: Dux Henricus severitate, & malorum perni-

Henricus Bavariæ & Saxoniæ Dux.

Guelfo Sardiniæ Princeps.

1159. pernicie gloriam adeptus est. Illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Guelfo negotiis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset, magnas potentias affectabat, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Dux Henricus, studium modestiæ decoris prætendens, non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed pro pacis negotiis absens simul præsensque pugnabat. Ita memoria nostra ingēti virtute, diversis moribus fuere hi viri duo, Dux Henricus, & Dux Guelfo, quos quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium, quin utriusque naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem, valdeque jucundum, ut in his duobus clarissimis viris nostra tempora suum Catonem in uno, in altero suum Cæsarem invenissent. Redeo autem unde digressus sum.

CAP. XXXIX.

Hortatu Cremonensium Cremenses hostes judicantur.

Caussa belli inter Cremonam & Cremam.

Cremenses Imperii hostes judicati

CREMONENSIUM cum Mediolano discordia perpetua utrosque adeò urgebat, ut hostiliter sibi invicem incubantes, non antè manus ab armis reducendas putarent, quàm vel una alteram prorsus absumeret, vel superior saltem inventa superaret. Freti ergo tunc opportunitate temporis, Fridericum ad destructionem Cremæ civitatis hortantur, promissis XI. millibus talentorum. Hujus rei tali occasione sumunt Exordium. Crema cùm esset de comitatu & diœcesi Cremonensium, ejusque Ecclesiæ tam in spiritualibus quàm in secularibus regenda foret arbitrio, spontanea se temeritate à suo capite abruperat, & (quod nefas erat) hostibus sociata, cum Mediolanensibus filia matri rebellare cœperat. Super hoc schismate conventa coram Principe, nec citatione legitima, nec vadibus quos dudum dederat, cogi poterat, ut adversum se experientibus judicio sisti curarent. Qua de re pro absentiæ contumacia, ac contumaci absentia contra se sententiam tristem excipiunt, hostesque judicantur.

CAP. XL.

Crema obsidione cingitur, & quomodo ibidem pugnatum sit.

Ioel. 1.

Crema obsidione clausa.

Crema descriptio.

COLLECTA ergo valida manu Augustus, ita quod exercitus ejus eas copias, quas in obsidione Mediolani habuerat, superare videretur, partem unam cum Cremonensibus contra Cremam dirigit, ipse cum reliquis iterum ad depopulandos Ligures agrum Mediolanensium ingreditur, & cum militia Alemannorum terram totam pervagatur hostilem: completumque est & ibi illud quod dicitur: *Residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruci comedit eruca.* At Cremonenses cum auxiliariis, & magnis copiis ad oppugnandam Cremam venientes, acriter civitatem obsidione vallant, summis viribus impugnant. Oppidani fortiter resistunt de muris, & antè muros equis, & ad terram validè certatur. Ibi Garnherus Marchio Anconæ magnam viri fortis in ea pugna gloriam consecutus, de nostris occiditur. Alii quoque quam plures tam de nostris, quàm de illis ibidem aut occiduntur, aut graviter sauciantur. Erat autem Cremæ situs in loco plano & campestri, opere & manu satis liberaliter accuratus, naturæ beneficio in quadam sui parte paludoso se defendens ambitu. Cæterum præter fossata ingentia & profunda, aquis plena, duplici muro excelso circundata, omnes aditus & assultus facilè arcere valuit. Cives civitatis bellatores audacissimi, & quia cum suis contubernalibus, videlicet Mediolanensibus & Brixiensibus, secundis rebus propensibus usi, in atrocitatem, insolentiam ac arrogantiam irritati. Circumvallata itaque civitate, hostium excursus diligenter custodiebantur, & machinæ, aliaque ad oppugnationem profutura sedula præparatione disponuntur.

CAP. XLI.

De legatis Senatus populique Romani, & de his qui ad eos missi.

CUMQUE hæc apud Cremam agerentur, nuntii de nobilioribus Romanæ Urbis ex parte Senatus, populique Romani ad Curiam veniunt, omni devotione omnique reveren-

reverentia suum promittentes obsequium. Rogare ne pro iniquitate paucorum malorum & de plebe multos bonos & Nobiles velit pessundare. Se esse quorum occasione acceperit, ut Imperator Urbis & orbis nominetur. Fridericus, eò quòd in priori expeditione severiùs cum illis egerat, indulgentiùs eorum accepta legatione, benignum illis dedit responsum: & per aliquot dies secum commoratos, regaliter donavit & absolvit: mittens cum eis legatos, Ottonem sæpe jam dictum palatii Comitem, & magistrum Haribertum Aquensem Præpositum, virum prudentem, & in negotiis regni longa eruditione exercitatum: dans hoc in mandatis, ut & ea quæ cum populo Romano, seu de stabiliendo senatu, seu de recipiendo Præfecto agenda forent, terminarent, & cum Romano Pontifice, si hoc eligeret, de prænotatis capitulis finem facerent, & concordiam stabilirent. Qui venientes ad Urbem, cum honorificè tam à populo, quàm à Senatu recepti essent, interque ipsos, & summum Pontificem crebri nuntii mediatores dirigerentur, molientibus illis more suo antiquum Romanæ Urbis fastum, regales se in nullo passi sunt inferiores inveniri, imò & ad se sæpius veniri, quàm ut illis occurrerent, obtinuerunt. 1159.

CAP. XLII.

De his quæ ibidem, & circa Urbem Mediolani patrata fuerint, & quomodo à Mediolanensibus contra Principem malè pugnatum est.

FRIDERICUS interim in Liguria degens, ordinabat ut aliquam cladem Mediolanensibus qui omnes ad civitatem confugerant, seque intus communierant, inferret. Itaque cum Papiensium pugnacissimis consilium iniit, ut ad civitatem impetum faciant, seque ab hostibus fugari patiantur, ipsum ex insidiis circumuenturum persequentes. Nec multum tunc opinione deceptus est. Mediolanenses enim cùm eorum impetum sensissent (ja m enim prædam abigere cœperant) strenuè eos persequuntur, eosque resistentes acriùs cædunt. Iam parum aberat à vera fuga his qui simulato metu cessuri erant: declinaverant n. paulisper à loco insidiarum. Tum Fridericus cohortatus suos, à tergo & ex improviso jam alacres, & penè victores hostes invadit, auxilioque suis, quos jam pelli acceperat, optatus advenit. Mediolanenses qui propè iam se victoriam adeptos putabant, videntes se circumuentos undique à Regiis equitibus, nec ullum sibi fugæ præsidium superesse, adversus omnia imparati, occidi, capi, equi atque viri afflicti. Tum spectaculum horribile campis patentibus, cum medii hostium nec pugnare, nec fugam inire permissi, sine misericordia cæderentur. Postremò omnia quà visus erat, constrata sunt telis, armis, cadaveribus, aut mortuorum, aut ad mortem sauciatorum. Verum qui numerus occisorum, aut eo prælio captivorum fuerit, Augustus ipse suis literis declarat, scribens ad Albertum Frising. Episcopum. Ait autem inter cætera: Præterea ad consolationem tuam de præsenti statu nostro aliqua tibi scribimus, quia honorem Imperii, & nostram prosperitatem te diligere non dubitamus. Inter alia igitur magnificavit Dominus facere nobiscum, & fecit. Unde facti sumus lætantes, & maximas Deo gratias agentes. Maximam enim multitudinem Mediolanensium tradidit Deus in manus nostras, ita quòd Idus Julii, qua data divisio Apostolorum celebrari solet, DC. de fortioribus civitati captivos in vinculis abduximus, centum & ferè quinquaginta per campos & itinera viarum interfecti sunt. De submersis verò, & de vulneratis modus non fuit, neque numerus. Sic cum victoria ad novam civitatem Laudam reversi fuimus.

Mediolan. stratagemate clade affecti.

Numerus cæsorum.

CAP. XLIII.

De obitu Adriani Papæ, & schismate Romanæ Ecclesiæ.

EA tempestate Adrianus Papa in Kalend. Septembr. apud Anagniam diem clausit extremum, & 2. Non. Septembr. in Ecclesia beati Petri, præsentibus clero, senatu, populoque Romano, honorificè tumulatus est, regalibus nunciis adhuc ibi existentibus. Post cujus obitum Cardinales in seditionem conversi, gemina electione scindunt unitatem, quibusdam eligentibus Octavianum tituli Sanctæ Cecilia presbyterum Cardi-

Schisma Pontificum.

1159. Cardinalem, cui nomen dederunt Victor: aliis Rolandum tituli Sancti Marci presbyterum Cardinalem, & Romanæ Ecclesiæ Cancellarium, cui nomen imposuerunt Alexander. Verùm ut hujus negotii tractatus perpetua seu continua decurrat oratione, paulisper alia interim prosequemur pro magnitudine causæ, suo loco his diutius immoraturi.

CAP. XLIV.

Quòd Imperator in propria persona ad obsidionem Cremæ venerit, & quomodo diversis modis ibi pugnatum sit.

Arctior Cremensis obsidio.

IMPERATOR aliam parans profectionem, ad devastandos fines Mediolanensium, cùm in partem processisset, & pabulatores, in toto territorio nec equis annonam invenire potuissent, reversus cum toto exercitu, ad obsidionem Cremæ pergit. Tum demum perituram civitatem metus invasit, magnaque tristitia habitatores ejus occupavit. Erant autem & intus & foris universa plena tumultus, multaque bellica instrumenta & in oppido, & contra oppidum fabricabantur. Erantque deinceps quotidiana eorum officia, hi quidem excursus, isti verò assultus moliri, magnaque vi omnibus ibi diebus certatur. Nam ad portas ubi quisque Principum curabat, eò acerrimè niti, neque alius in alio magis quàm in se spem habere, pariterque oppidani similiter agere, omniaque ad defensanda mœnia utilia vario ingenio præparare, diffidentiam rei dissimulare interdumque prospera fortuna, interdum dolor eorum ad multa facinora incitavit audaciam.

CAP. XLV.

Quomodo absente Imperatore graviter pugnatum sit.

Acris pugna.

QUADAM denique die dum exploratum fuisset, Fridericum pro visenda consorte regni Imperatrice, quæ in vicino castro nomine Sanbassan morabatur, è castris exisse: ad portam quam regalis familia servabat, penè cum sexcentis erumpunt equitibus; magnoque prælio inito, cum diu Marte pari utrinque nihil aliud quam occiderent, tellus cruore manaret, nostrique quamvis tam pudore, qàm virtute summa vi resistere conarentur: illud tamen efficere non potuerunt, ut hostium manus ea die gradum retro dedisset: graviter fortiterque illa die pugnatum est. Nam si credere fas est, rivuli campestres peremptorum & sauciatorum vulneribus sanguine infecti ac provecti, imbre cruoris augmentum acceperunt. Vespere facto utrinque disceditur, illis intra septa, istis intra munimina muralis aggeris se recipientibus.

Rediens Augustus, cùm de pertinaci hostium audacia comperisset, indignatione simul & ira permotus est, ut qui jam penè in supremis se potiùs humiles ac supplices exhibere deberent, incursiones facerent, & victores suos ipsi turbare non metuerent, ærumnosa obsidione inclusi. Iam enim sæpenumero in eruptionibus suis, aut machinis flammas iniicere, aut turres destruere, aut lethali vulnere aliquos de nostris sauciare moliti sunt, nullumque specimen audaciæ, aut ostentationis fuit, quod illi futurorum ignari prætermitterent: & dum jam inclinata putaretur eorum superbia, de patratis facinoribus tumidi gloriabantur. Erat autem videre miseriam, quando hi qui foris, occisorum amputatis capitibus, eis quasi pila ludebant, & à dextra in lævam rejectis, crudeli ostentui & ludibrio habebant: qui verò in oppido, inhonestum arbitrantes si quid minus auderent, captivos nostrorum sine misericordia super muros membratim discerpendo, miserabile præbebant spectaculum.

Immanitatis exempla.

CAP. XLVI.

De pœna quam Princeps in captivos eorum exercuit. Item de insania Cremensium.

EA calamitas paulisper Friderico tristitiam, & dignam indignationem comparavit. Qui ubi impetum insanientium continere non poterat, ac sævientium furorem reverentia Principis non cohibebat, placuit in contumaces vindictæ severitatem exercere: ut quos non correxit lenitatis patientia, saltem indubitati supplicii pœna coerce-

coerceret. Jubet ergò de captivis eorum vindictam accipere, eosque pro muris juſſit appendi. Contumax autem populus nimis de pari volens contendere, etiam ipſe quoſdam de noſtris in vinculis poſitos, eodem modo traxit ad ſupplicium, eosque cruce ſuſpendit.

1159. *Friderici in Cremenſes indignatio.*

Tum Fridericus: Etiámne perituri contra nos ipſa vos noſtra excitavit humanitas, & lenitate noſtra vobis aluiſtis audaciam? Jam quidem vobis pugnantibus aliquandiu pepercimus, captivos veſtros miſerati fuimus, vadibus noſtris fidem ſervavimus, inviti muris veſtris machinas admovimus, ſemper cædis veſtræ cupidos milites continuimus. Iſta omnia ſpernitis, & nefaria temeritate nos ad excidium veſtrum, ad interitum filiorum, ſeu nepotum veſtrorum provocatis. Utar ego jam deinceps belli legibus, contendam cum pertinacia veſtra minimè parcens, qui vobis ipſis parcere noluiſtis.

Hæc dicens vehementer iratus, quòd in forte captivorum conſtituti, æquales cum victoribus conditiones ſibi ponerent, voce præconis declarari juſſit, ne ulterius ad ſe profugerent, néve fidem ſperarent: nulli enim eſſe parcendum, cunctis autem viribus dimicarent, quantum poſſent ſaluti ſuæ conſulerent: jam enim ſe omnia jure belli geſturum. Itaque obſides eorum numero XL. adduci jubet ut ſuſpendantur. Tum interim adducuntur captivi quidam de nobilibus Mediolanenſium ſex milites, qui deprehenſi fuerant, ubi cum Placentinis perfida miſcebant colloquia: nam (ut ſuprà dictum eſt) Placentia Principi etiam tunc ficta devotione, & ſimulata adhærebat obedientia. Erat autem unus de captivis qui ducebantur, nepos præſulis Mediolanenſis, vir dives, & cujus conſilio Ligures univerſi plurimùm niterentur. Hos quoque, contempta multa pollicitatione pecuniæ, Duci jubet ad ſupplicium, ſimilisque his qui & prioribus vitæ finis extitit.

CAP. XLVII.

De varia illorum miſeria, & miſerabili eorum conqueſtione.

JAMQUE ad civitatis perniciem machinæ plurimæ admovebantur, jam turres in altum extructæ applicari cœperant. Tum illi ſumma vi atque pertinacia reſiſtere, atque à muris turres arcere, ſuisque inſtrumentis validis ſaxorum ictibus noſtras machinas impellere. Effrenatis verò animis Princeps obſiſtendum putans, obſides eorum machinis alligatos, ad eorum tormenta (quæ vulgò *mangas* vocant, & intra civitatem novem habebantur) decrevit objiciendos. Seditioſi, quod etiam apud barbaros incognitum, & dictu quidem horrendum, auditu verò incredibile, non minus crebris ictibus turres impellebant: neque eos ſanguinis & naturalis vinculi communio, neque ætatis movebat miſeratio. Sicque aliquot ex pueris lapidibus icti, miſerabiliter interierunt. Alii miſerabilius adhuc vivi ſuperſtites, crudeliſſimam necem, & diræ calamitatis horrorem penduli expectabant. O facinus. Videres illinc liberos machinis annexos, parentes implorare, crudelitatem & immanitatem aut verbis, aut nutibus objectare, econtrà infelices patres pro infauſta prole lamentari, ſeſe miſerrimos clamare, nec tamen ab impulſionibus ceſſare. Conſolatus eſt autem eos etiam aliquis eorum, ita dicens:

Cremenſium extrema contumacia.

O beati quibus mori bene, quàm malè vivere continget: ne timeatis mori, qui magna mala morte effugituri eſtis. Si viri fortes pro libertate certantes eſſemus, non oporteret nos quoque ſuper hoc aut cunctari, aut expectare monitorem. Nam mors quidem libertatem animis præſtat, valdeque Beati qui pro patria mortui, immortalitatis ordinem jam receperunt. Quàm multi noſtrorum anteceſſorum hac lege, talique conditione, alii torti, tamque igne quàm verberibus excruciati, obierunt: alij verò ſemeſi à beſtiis, ad ſecundum eorum cibum vivi ſervati ſunt. Miſeriores nos vobis ſumus, qui adhuc vivimus, qui ſæpe mortem optantes non accipimus. Dum enim quiſque noſtrorum ſecum reputans crudelem ſeu barbarorum, ſeu gentilium ſuorum ſervitutem, videre conjuges ad turpitudinem duci, alius revinctis manibus, vocem filii patrem implorantis exaudiet: alius verò infelices ſenes ad cineres patriæ videbit aſſidere. Hæc, inquam, quiſquam noſtrorum conſiderans, aſpicere Solem durabit, etiamſi vivere abſque periculo poſſit? O utinam omnes fuiſſemus mortui, priusquam civitatem noſtram Cremonenſium manibus videremus excindi: priusquam patriam ſanctam Papienſium impietate funditùs erui conſpiceremus.

1159. Adhuc eum orare cupientem omnes interpellebant, & effrenato quodam impetu ad jaciendum incitabantur: hoc speciem esse fortitudinis, rectique consilii existimantes, hostibus stuporem mentis, admirationemque audaciæ relinquere. Pauci quidem rationi cedentes, filiis consulere voluissent: alios autem liberorum cædis amor invasit, malorum quæ subditi hostibus passuri fuerant, cogitationem habentes pro solatio necessitatis accedere. Et Crema tunc temporis taliter affecta, seu potius afflicta fuerat.

CAP. XLVIII.

Quomodo Mediolanenses de obsidione cujusdam castri fugati sunt.

AT Mediolanenses arbitrantes Fridericum circa obsidionem Cremæ sollicitum, aliis laborantibus non posse succurrere, egressi cum turmis suis penè XXX. millia hominum, oppidum quoddam versus lacum Cumanum, Manerbe vocatum, obsidione cingunt, aggeres instruunt, machinas admovent, omnibusque modis eversionem castri accelerare nituntur. Verùm Comes Gosvvinus, qui tunc Comitatum Seprenensem & Martusanum jussus à Principe, satis providè administrabat, missos suos ad Curiam dirigit, hostiumque conamen denunciavit, quid facto sit opus consulit: se quoque copias quantas possit collecturum, si ab exercitu aliquod sibi militiæ supplementum destinetur. Imperator continuò quingentos equites armatos eò dirigere decernit. Comes etiam de suis colligens auxilia, non modicum coadunavit exercitum. Jamque compositis rebus, Mediolanensibus se ostendere, minitari, neque prælium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere, neque copiam pugnandi facere donec qui è castris expectabatur miles superveniret. Rati Ligures, id quod negotium poscebat, Imperatorem laborantibus suis auxilio venturum, & indubitatum prælium futurum, obsidionem dimittunt, fugamque ineuntes ad civitatem evadere festinant. Comes ut videt eos jam fugam cepisse, magna illos vi à tergo urget, fugientibus instat, cædit, capit, copiosam prædam diripit: reliqui amissis omnibus profugi, multique saucii, vix intra civitatem revertuntur.

Minerbium oppidum.

CAP. XLIX.

Quomodo Placentini perfidia sua hostes pronunciati sunt.

INTER hæc Placentini multis argumentis detecti sunt, studio rerum novandarum niti cum Mediolanensibus inire conciliabula, frumentum, aliaque usui necessaria clanculum illis providere, quinetiam aliquos de suis Cremensibus in auxilium destinasse. Imperator satius existimans habere detectos inimicos, quàm fictos amicos, pro eo quod ut dicitur: *Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus*, eosdem pro perfidia sua, ut levissimos, nec in hac, nec in illa parte fidem debitam habentes, hostes pronunciat.

Placentini hostes declarati.

Verùm res exigit, ut ad schisma Romanæ Ecclesiæ, unde digressi sumus, scribendo redeamus. Porrò in hoc negotio lectorem admonitum esse cupimus, ut non de nostro dicto vel scripto veritatem hujus rei metiatur, sed quid rectius sit, quisve (ut ita dixerim) justiùs induit arma, ex collatione omnium Scriptorum, quæ undique media discurrere, proprio disquirat judicio. Nos enim si alterutrius partis res vel attolleremus, vel extenuaremus, à proposito decidere videremur. Nec utique sanum esset corpus velquum historiæ, si hanc partem velut principale membrum domestici favoris morbus haberet.

CAP. L.

Recapitulatio de schismate Romanæ Ecclesiæ, & quando unus consecratus sit, & de hoc Epistola ejus.

DIVISIS, ut suprà dictum est, in electione Romani Pontificis Cardinalibus clero ac populo Romano, cùm à suis consentaneis & sequacibus alter, id est, Octavianus in prima Dominica mensis Octobris: alter, id est Rolandus, in XVIII. die mensis Septemb. in Episcopum consecratus fuisset, uterque literas, quarum tenor subjectus est, ad declarandam rem per mundi partes destinavit.

Victor

1159.

Victor servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & charissimis filiis Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & cæteris Principibus, & egregiæ familiæ Imperiali, in sacratissima Curia Domini Friderici, Serenissimi ac Invictissimi Romanorum Imperatoris commorantibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Quàm & inquantum & Ecclesiastici status decorem, & honorem Romani Imperii, & nobilitatem omnium bonorum hactenus sincerè dilexerimus, & quæ mutuæ charitates sint invicem frequenter exhibitæ, nequaquam credimus à vestræ magnitudinis excidisse memoria. Nunc autem tantò propensioris dilectionis efficaciam vobis & Imperio cupimus exhibere, quanto DEO auctore ad majorem conscendimus dignitatem. Quapropter universitatem vestram, de qua plenè confidimus, plurimùm deprecamur, ut pro Beati Petri Apostolorum Principis reverentia, & antiquæ dilectionis constantia, quæ inter nos inviolabiliter perseverare dinoscitur, Dominum Imperatorem invictissimum commonendo rogetis, quatenus Imperio sibi à divina clementia commisso, & Ecclesiæ DEI, Sponsæ Jesu Christi, cujus advocatus & defensor divinitus est constitutus, providere & subvenire non tardet, ne in tanta discordia adversariorum malitia nequiter prævalere, navicula Beati Petri procellis & tempestatibus suo tempore quassari, & decus imperiale valeat aliquatenus obnubilari. Insuper universitati vestræ dignum duximus intimandum, qualiter ad Apostolatus officium Domino concedente vocati fuerimus. Felicis memoriæ Papa Adriano prædecessore nostro viam universæ carnis ingresso, in Beati Petri basilica tumulato, convenimus omnes de electione summi Pontificis tractaturi. Post longam verò collationem & diutinam deliberationem, divina tandem inspirante clementia, electione venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum, presbyterorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cleri quoque Romani petitione, ejusdem populi assensu, etiam senatoriæ dignitatis honoratorum, insuper capitaneorum, ad summum Pontificatum, annuente Deo, canonicè sumus electi, & in sede Apostolica collocati, ac deinde prima Dominica mensis Octobris benedictionis consecrationem, & nostri officii accepimus plenitudinem. Quocirca universitatem vestram humiliter deprecamur, quatenus nos apud ipsum precib. adjuvetis, à quo omnis est potestas & honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi quondam Cancellarii, per conspirationem & conjurationem contra Ecclesiam DEI & Imperium, Wilhelmo Siculo astricti, qui die XII. post electionem nostram se fecit intrudi, quod à seculis non est auditum, ad vos scripta pervenerint, tanquam mendacio plena, & à schismatico & hæretico destinata respuatis, & aures vestras nequaquam illis ullatenus præbeatis. Data Signiæ, V. Kalend. Novembris.

Victor suæ electionis seriem narrat.

Petit se Imperatori commendari.

CAP. LI.

Quando Rolandus consecratus sit, & de hoc Epistola ejus pro sua parte.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gerardo Episcopo, & dilectis filiis Canonicis Bononiensis Ecclesiæ, & legis Doctoribus, cæterisq; magistris Bononiæ commorantibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Æterna & incommutabilis providentia conditoris, sanctam & immaculatam Ecclesiam à suæ fundationis exordio, ea ratione voluit & ordine gubernari, ut unus ei pastor & institutor existeret, cui universi Ecclesiarum Prælati absque repugnantia subjacerent, &

1159.

membra tanquam suo capiti cohærentia, ei se mirabili quadam unitate conjungerent, & ab ipsa nullatenus dissiderent. Qui verò Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit dicens; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi*, ille proculdubio Ecclesiam suam, cujus ipsi Apostoli magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur, sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar naviculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuò faciet permanere. Unde & quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui à nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos lucis, cùm sint satanæ, inconsutilem Christi tunicam, quam utique ipse quidem, ex persona Psalmographi, à leonibus petit & à framea erui, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent: Christus tamen auctor & caput Ecclesiæ, eam velut unicam sponsam suam provida gubernatione tuetur, & navem egregii piscatoris, licet sæpius quatiatur, à fluctibus non permittit naufragium sustinere. Porrò cum antecessor noster bonæ memoriæ Adrianus Papa Kal. Septemb. Anagniæ debitum naturæ soluisset, & de terris ad cœlum, de imis migrasset, Domino vocante, ad superna, eo Romam adducto, & II Non. Septemb. in Ecclesia Beati Petri, præsentibus ferè omnibus fratribus satis honestè (sicut moris est) tumulato:

Electio Alexandri.

cœperunt fratres & nos cum eis secundum Ecclesiæ consuetudinem, de substituendo Pontifice in eadem Ecclesia studiosius cogitare, & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minimè congruentem, omnes quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octaviano scilicet, Joanne de S. Martino, & Guidone Cremense (Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram sicut est loquimur veritatem) concorditer atque unanimiter convenerunt, & nos assentiente clero ac populo in Romanum Pontificem elegerunt.

Raptum clamydis Pontifici a Victori impingit,

Duo verò, Joannes & Guido, quos prænotavimus, tertium Octavianum nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebant. Unde & ipse Octavianus in tantam audaciam, insaniamque prorupit, quod mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiæ, Odo prior Diaconorum induerat, tanquam arreptitius à collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportavit. Cæterùm cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu divino succensus, mantum ipsum de manu eripuit sævientis. Ipse verè ad quendam Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat, & paratus, ilicò flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, ut mantum quem fraudulenter secum portaverat, festinanter afferret. Quo utique sine mora delato, idem Octavianus abstracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus, aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem capellani, & cujusdam clerici sui ambitiosus assumpsit, & ipse idem, quia non erat alius in hoc opere capellano & clerico extitit coadjutor. Verùm ex divino credimus judicio contigisse, quòd ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus posteriora tegebat. Et cùm ipse idem hoc emendare studiosiùs voluisset, quia capitium manti extra se raptus non poterat invenire, collo fimbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei quodammodo videretur. Sicque factum est, ut sicut tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ, ita ex transverso & obliquo mantum fuerit in testimonium suæ damnationis indutus. Quo facto, portæ Ecclesiæ, quæ firmatæ fuerant, reserantur, & armatorum cunei, quos (sicut ex re apparuit) pecuniæ largitione conduxerat, evaginatis gladiis cum immenso strepitu cucurrerunt, & pestis illa mortifera, quia Cardinales Episcopos non habebat, armatorum caterva militum vallabatur. Fratres verò facinus tam immensum, & à seculis non auditum ex insperato videntes, & formidantes, ne à conductitiis militibus trucidarentur, sese in munitionem Ecclesiæ nobiscum pariter receperunt: ibique novem diebus continuis, ne exinde liberè exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sanè populo incessanter & jugiter acclamante, & in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de custodia fuimus illius munitionis erepti, sed in artiori & tutiori loco apud Transtyberim nos idem senatores, recepta inde pecunia, posuerunt. Cumque moram ibidem fermè per triduum fecissemus, universo populo tantam proditionem, atque malitiam de cætero nullatenus sustinente, senatores cum Nobilibus & populo venientes, nos & fratres nostros per urbem magnificè & honorificè cum immensis laudibus & præconiis, campanis etiam in transitu nostro pulsantibus, conduxerunt, & sic tandem à violentia persequentis erepti, & nostræ redditi libertati,

Alexannri consecratio.

sequenti die Dominico venerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinensi, Hubaldo Hostiensi, Bernhardo, walthero, Julio & B. Episcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, judicibus, advocatis, scri-

scriniariis, primicerio, & schola cantorum, nobilibus etiam, & quadam parte de populo urbis, apud Nympham, non longè ab urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, & sicut in Romana Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Regno magnificè fuimus ac solenniter coronati. Cæterùm prædictus Octavianus cum pro consecratione, imò execratione sua, dum & in urbe esset, & postquam latenter urbem exivit, multos Episcopos convocasset, nullum prorsus præter unum Ferentinatem videlicet Episcopum, habere potuit, pro sua temeritate & vesania confirmanda. Quosdam tamen Episcopos imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam verò pecuniis & blanditiis allicere voluit: sed nil, Domino impediente, profecit. Unde nec adhuc invenire potest, licet omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat præsumptionis & impietatis auctorem. Verùm memorati Joannes & Guido, cæcitatis tenebris obvoluti, quoniam scriptum est: *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnet*, nec sic à sua præsumptione damnabili resipiscunt, sed eundem Octavianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia venerantur, & eum relicta unitate Ecclesiæ præsumunt usque adhuc tanquam idolum aut simulacrum adorare. Ipse autem Antichristi tempora præfigurans, usque adeò erectus est supra se, ut etiam in templo Dei sederit, ostendens se tanquam sit Deus, & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, non sine multa lachrymarum effusione, corporeis oculis inspexerunt. Sanè nos infirmitatem nostram, & virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Dominum jactamus cogitatum, sperantes & de Christi misericordia pleniùs confidentes, quòd Ecclesiam sanctam suam, pro qua ipse idem in substantia nostræ mortalitatis apparuit, ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet in tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione sedata, nihil erit quod jam ei possit obsistere, ubi unicus ejus sponsus voluerit nubilosa quæque & noxia propulsare. Nunc igitur quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate & religione vestra plenam habemus fiduciam, vestris & universalis Ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adjuvari: charitatem vestram per Apostolica scripta rogantes, & commonentes attentiùs, ut sicut viri Catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in devotione ac fidelitate matris vestræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiliter persistentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quòd si præfatus vir impietatis, ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea, sicut respuenda sunt, respuatis, & tanquam vana ac sacrilega contemnere & abjicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quòd nos supranominatum Octavianum, apostaticum & schismaticum in octavo die à consecratione nostra (hunc enim terminum ei resipiscendi, & ad unitatem matris Ecclesiæ redeundi, præfiximus) tanquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus præsumerent, non dicimus consecrationis, sed execrationis imponere, & de communi fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis, & cœtu clericorum in Ecclesia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo auctore diabolo condemnavimus.

1159.

Proverb. 18.

Petit, ut se Pontificem agnoscant, Victorem detestentur.

CAPUT LII.

Epistola Cardinalium unius partis.

Venerabilibus in Christo fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus, Præpositis, Prioribus & cæteris Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, Imarus Tusculanus Episcopus Prior Episcoporum, Joannes tit. S. Sylvestri & Martini, Guido Cremensis tit. S. Calisti, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinales, Rimundus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via lata, & Sy. S. Mariæ in Dominica, & Sublacensis Abbas, perpetuam in Domino salutem.

Ex quo contra honorem Ecclesiæ DEI & Imperii amicitia inter Dominum Papam Adrianum, & Wilhelmum Siculum apud Beneventum facta est, dissensio & discordia non modica inter Cardinales Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non sine causa oborta est,

1159.

Corrupti à Siculo Cardinales.

est, nobis scilicet, qui honorem & dignitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, & Imperii nullatenus diminui volebamus; amicitiæ quæ facta fuerat in detrimentum Ecclesiæ & Imperii, nequaquam consentientibus: aliis verò qui pecunia & multis promissionibus obcœcati, jam dicto Siculo tenebantur astricti, conventionem ipsam taliter (ut diximus) fabricatam, nequiter defendentibus, & quàm plures in partem sui erroris attrahentibus, nostro conatui & voluntati totis viribus pertinaciter resistentibus. Proinde

Iidem Cæsari insidias struentes.

procedente tempore cùm jam fama ferret Imperatorem Italiam intrasse, & plurimam ejus partem suæ potestati subjugasse, prædicti fratres Siculo astricti, Dominum Papam solicitare ac circumvenire omni sagacitate cœperunt, qualiter aliqua occasione assumpta Dominus Imperator, & omnes sequaces ejus excommunicationi subderentur, & nos ad id faciendum unà cum eis juramento astringeremur. Nos autem econtrà diximus, potiùs Siculum excommunicandum, qui omnia jura Ecclesiæ tam Spiritualia, quàm temporalia violenter abstulerat, quàm Imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & Imperij jura fideliter laborabat recuperare, & Ecclesiam de servitute ad libertatem reducere. Hoc audientes fautores Siculi, à jam dicto consilio cum rubore siluerunt. Eo igitur consilio, nostro studio, & exacta diligentia taliter cassato, & exinde venerabili fratre nostro Octaviano, tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, nunc Apostolicæ sedis Pontifice, unà cum fratre wilhelmo presbytero Cardinali S. Petri ad vincula, ad imperialem celsitudinem legationem fungente: Dominus Papa cum sibi consentientibus supradicti wilhelmi fautoribus urbem egressus, Anagniam venit. Ubi tunc demum manifesta conspiratione omnes præfati wilhelmi fautores in præsentia Domini Papæ sacramento firmaverunt, personam Imperatoris excommunicationi subjiciendam, & extunc in antea ejus honori & voluntati usque ad mortem immutabiliter contraire: & si contingeret Dominum Papam vita decedere, neminem se nisi de illis qui conjuraverant, in Pontificem eligere. Circumpositos insuper Episcopos, ne alicui electo in quem Siculi secta consentiret, in consecratione manus imponerent, juramento nihilominus constrinxerunt. Postmodum jam sæpedicto patre nostro Adriano Anagniæ Kalend. Septemb. defuncto, omnes illuc convenimus: & cùm de corpore sive ibidem tumulando, sive Romam deferendo, non parva contentio oriretur, tandem Romam corpore deportato, prius in verbo veritatis tale pactum unanimiter fecimus, & scripto mandavimus, quale nunc sequitur:

Conventio Cardinaliũ super electione novi Pont.

In nomine Domini Amen. Convenerunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & promiserunt sibi invicem in verbo veritatis quod de electione futuri Pontificis tractabunt secundum consuetudinem istius Ecclesiæ, scilicet quòd segregentur aliquæ personæ de eisdem fratribus, qui audiant voluntatem singulorum, & diligenter inquirant, & fideliter describant, & si Deus dederit quòd concorditer possimus convenire, bene: sin autem, nullus procedat sine communi consensu, & hoc observetur sine fraude, & malo ingenio. Tali pacto in verbo veritatis firmato, post humatum Corpus in Ecclesia Beati Petri, ad eligendum Pontificem convenimus: & juxta prædictam consuetudinem personas, quæ singulorum voluntates diligenter inquirerent, & audirent ac describerent, segregavimus. Sed cùm propter conspirationem adversæ partis electio lentè procederet, tertia die ferè transacta, ad hoc tandem deventum est, quòd XIV. Cardinales ex adverso, qui sacramento constricti tenebantur: Rolandum Cancellarium nominaverunt. Nos autem IX. numero, qui nefandi juramenti exortes eramus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum presbyterum Cardinalem, virum utique honestum & religiosum, ad regimen Apostolicæ sedis, & ad concordiæ & pacis unitatem inter Ecclesiam & Imperium reformandam ac conservandam dignum & utilem esse cognoscentes, eligimus. Cùm res taliter ageretur, & partem contrariam pactum quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitùs transgredi volentem sentiremus: pactum supradictum illis ad memoriam reducentes, auctoritate Dei omnipotentis, & omnium sanctorum, atque nostra, eis penitùs interdiximus, ne absque communi consensu omnium, sicut in pactione continetur, ullatenus aliquem inmantarent: & Rolandum Cancellarium eadem auctoritate ne susciperet, nihilominus prohibuimus. Qui dum verba & ammonitiones nostras vilipenderent, & Rolandum Cancellarium manto festinarent induere, nondum tamen illo induto: nos illorum malitiæ potiùs contraire quàm consentire volentes, & quod malè conabantur, minimè permittentes, ad petitionem populi Romani, electione universi cleri, assen-

assensu etiam totius ferè senatus, & omnium capitaneorum, Baronum, Nobilium, tam infra urbem quàm extra urbem habitantium, nostrum electum manto induimus, & intronizatum in sede beati Petri collocavimus, inde ad palatium ejusdem, acclamante universo populo, hymnum Deo decantante clero, & omnibus solenniter adimpletis, honorificè deduximus. Adversæ verò partis Cardinales retrocedentes, in castrum beati Petri se contulerunt, ibique per dies octo, & amplius inclusi permanserunt. Inde postmodum per senatores educti, extra urbem secesserunt, & XII. posteà die, quod à seculo non est auditum, in castro nomine Cisterna, intra Aritiam & Terracinam, Rolandum Cancellarium immantaverunt, & in sequenti Dominica execraverunt: ac continuò mittentes nuncios per universam Italiam, Episcopis, ne ad consecrationem nostri electi venirent, penitùs dissuaserunt, minantes illis excommunicationem & depositionem in perpetuum. Qui tamen in prima Dominica mensis Octobris, auctoritate Dei honorificè consecratus est. Rem qualiter facta est, vestræ fraternitati insinuavimus, nihil præter veritatem adnectentes, teste Deo, qui falli non potest, & si Angelus de Cœlo aliud evangelizaret, à veritate penitùs aberraret. Veruntamen multa quæ facta sunt omittentes, ista prout brevius possumus, vobis significamus, ne prolixiore pagina aures vestras oneraremus. Hæc itaque animadvertat vestra fraternitas, quam devotissimè obsecramus, & admonemus, & modis omnibus quibus possumus exhortamur in Domino, quatenus neque per sermonem, neque per Epistolam à vestro sensu moveamini, sed in veritate nobiscum firmi & immobiles permaneatis. 1159.

CAP. LIII.

Item Epistola Cardinalium alterius partis.

Friderico Dei gratia, glorioso, Illustri, Magnifico & sublimi Romanorum Imperatori, Gregorius Sabinensis, Hubaldus Hostiensis, Julius Prænestinus, Bernardus Portuensis, Waltherus Albanensis Episcopi: Hubertus tit. S. Priscæ, Joannes tit. Sanctorum Joannis & Pauli, Henricus tit. S. Nerei & Achillei, Ildebertus tit. Basilicæ XII Apostolorum, Joannes tit. S. Anastasiæ, Bonadies tit. S. Chrysogoni, Albertus tit. S. Laurentii in Lucina, & Wilhelmus tit. S. Petri ad vincula presbyteri, Oddo S. Gregorii ad velum aureum, Rom. S. Luciæ in septa Solis, Jacinctus S. Mariæ in Cosmidin, Oddo S. Nicolai in carcere Tullii, Arde S. Theodorici, Bo. Sanctorum Cosmæ & Damiani, C. S. Adriani P. S. Eustachii, & Jo. Diaconi Cardinales, voluntate & Spiritu in Domino congregati, Salutem, & gloriosam de inimicis victoriam.

Quanto Excellentiæ Vestræ major à Deo collata est & attributa potestas, & quanto subliminiorem inter mortales dignitatis locum constat vos obtinere, tantò amplius imperialem convenit majestatem, Sacrosanctam Rom. Ecclesiam specialem & unicam matrem vestram, in omnibus honorare, & ei semper, & præsertim necessitatis tempore salubriter atque utiliter providere. Quid autem diebus istis in eadem Ecclesia Romana contigerit, & quàm inauditū facinus ab his quos filios reputabat, aliquantis diebus transactis fuerit perpetratum, dignum, imò dignissimum est nos imperiali Celsitudini Nostris literis aperire. Nuper siquidem cùm Dominus noster, bonæ memoriæ Adrianus Papa, Kalend. Septemb. apud Anagniam debitum naturæ solvisset, & de terris ad cœlum, de imis migrasset vocante Domino ad superna, tres falsi fratres, Octavianus scilicet, & Joannes de sancto Martino, & Guido Cremensis, qui à nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos lucis, cùm sint satanæ, &c.

Et infrà. Ad hæc noverit sublimis gratia vestra, quod Otto Palatinus Comes, occasione de intrusione Octaviani suscepta, præfatum Dominum nostrum, & nos omnes plurimùm infestavit, & Ecclesiam Dei nisus est scindere, & multipliciter absque rationabili causa turbare. Campaniam siquidem, & patrimonium beati Petri cum intruso & apostatico Octaviano violenter intravit, & terram ipsam studuit ei quibuscunque modis subjugare. Nos itaque, & tota Ecclesia Dei nobiscum Majestatem Vestram suppliciter exoramus, ut tam violenta intrusione ita sicut est intellecta, & diligenter inspecta, qualiter vobis ad salutem animæ vestræ, & honorem Imperii super tanto negocio

Petunt, ut Imperator Alexandri partes suscipiat.

1159. gotio sit procedendum, diligenter attendatis. Considerate & advertite, qualiter circa Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & circa unicum sponsum ejus Dominum nostrum Jesum Christum, sine quo nec regnum potest aliquis obtinere terrenum, nec acquirere sempiternum, oporteat vos habere, & qualiter eam ab impugnatoribus & præsertim ab schismaticis & hæreticis, ex imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnibus, ac tueri. Nos si quidem vos sicut specialem defensorem & Patronum Ecclesiæ Romanæ modis omnibus honorare intendimus, atque ad augmentum gloriæ vestræ, quibus modis possumus, cum Deo aspiramus. Rogamus autem, & instantius supplicamus, ut matrem vestram Sanctam Romanam Ecclesiam diligatis, & honoretis, & ad pacem, & tranquillitatem ipsius, quibus modis imperialem convenit Excellentiam, intendatis, & tantam præfati invasoris atque schismatici iniquitatem nullatenus foveatis.

CAP. LIV.

Quòd pro terminando schismate Princeps ad se utrasque partes invitavit.

FRIDERICUS ancipiti malo novi schismatis permotus, consilio Principum decrevit dare operam, ne quid exinde seu status Ecclesiæ, seu Resp. Imperii detrimenti caperet. Audiens itaque utrumque electum in Episcopatus ordinem consecratum, alterum ab altero excommunicationis sententia condemnatum, sine judicio Ecclesiæ controversiam terminari posse non putavit. Auctoritatem autem congregandi Concilii, exemplo antiquorum Imperatorum, verbi causa, Justiniani, Theodosii, Caroli, sibi congruere putans, litisque decisionem legitimam esse non posse, nisi partibus hincinde congregatis considerans, ad citationem amborum, venerabiles viros, & prudentes, Danielem Pragensem, & Hermannum Verdensem Episcopos dirigit, cum literis, quarum exemplar hoc est.

Antipapæ ad litis cognitionem à Friderico evocati.

CAP. LV.

Epistola Imperatoris ad Rolandum, & cæteros Cardinales de hoc.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Rolando Cancellario, cæterisque Cardinalibus, qui eum elegerunt Romanum Pontificem, Salutem, & omne bonum.

Quoniam divina præordinante clementia, Romani Imperii gubernacula suscepimus, oportet ut in omnibus viis nostris ipsius legem custodiamus, cujus munere, cujus voluntate dignitatis nostræ apicem adepti sumus. In hoc itaque sacratissimo proposito constituti, cum omnibus Ecclesiis in Imperio nostro constitutis debeamus patrocinari, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tantò propensiùs debemus providere, quantò ipsius cura & defensio à divina providentia creditur nobis esse commissa speciali ùs. Ea propter de discordia, quæ in substituendo Romanum Pontificem inter vos suborta est, plurimùm dolemus, timentes ne occasione hujus schismatis Ecclesia Christi sanguine redempta debeat dilacerari, præsertim cùm robur Ecclesiæ foris titubare videatur, quoniam unitas ipsius scissura domestica interius dilaniatur. Vt autem huic pesti competens & Deo gratum exhibeamus remedium, religiosorum virorum consilio generalem Curiam & conventum in octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam. Ad quam evocavimus totius Imperii nostri & aliorum regnorum, scilicet Angliæ, Franciæ, Ungariæ, Daciæ, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & viros religiosos, ac Deum timentes, quatenus remoto omni seculari judicio, hoc tam magnum Ecclesiæ negotium Ecclesiasticarum tantùm personarum sententia ita sopiatur, ut & Deo debitus exinde honor deferatur, & Ecclesia Romana sua integritate & justitia non possit à quoquam privari, vel status urbis, quæ caput Imperii nostri est, inquietari. Proinde eruditioni vestræ mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & totius Ecclesiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eandem Curiam sive conventum veniatis, Ecclesiasticarum personarum sententiam audituri & recepturi. Testis enim nobis est Deus, quia in hac Curia nec amore, nec odio alicujus personæ quicquam aliud quærimus, quàm honorem Dei, & Ecclesiæ suæ unitatem. Quòd si ad tam celebrem Ecclesiæ conventum

tum

tum examinationis causa venire volueritis, charissimi Principis nostri & Ecclesiæ Catholicæ Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, Patres & Episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus, unà cum Comite Palatino, consanguineo nostro, aliisque legatis nostris, securum vobis conductum præstabunt. Si verò justitiam Dei & Ecclesiæ in tam solenni conventu recipere nolueritis, videat Deus, & judicet. Nos autem ipsius favente gratia, qui dat salutem Regibus, justiciam Dei, quæ nullum magis quàm Imperatorem Romanum decet, prosequemur. 1160.

CAP. LVI.

Item Epistola Principis de eadem re, ad Episcopos transmontanos.

PORRO literæ quibus ad tantam discussionem transmontanos Episcopos invitavit, istæ pro exemplo sufficiant.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Herimanno Brixiensi Episcopo salutem, & omne bonum.

Quòd in passione sua Christus duobus gladiis contentus fuit, hoc in Romana Ecclesia, & in Imperio credimus mirabili providentia declarasse, cum per hæc duo rerum capita & principia totus mundus tam in divinis, quàm in humanis ordinetur. Cumque unus Deus, unus Papa, unus Imperator sufficiat, & una Ecclesia Dei esse debeat, quod sine dolore dicere non possumus, duos Apostolicos in Romana Ecclesia habere videmur. Defuncto itaque Adriano Papa, in Kalend. Septembris, Cardinales, qui columnæ immobiles esse videbantur, quibus sancta & universalis firmissimè inniteretur Ecclesia, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, & unitatem Ecclesiæ scindentes, duos Pontifices elegerunt, & ambos consecraverunt. Pro tanta namque & tam perniciosa Ecclesiæ jactura, tota nimirum Italica Ecclesia conturbatur, & dissensiones schismate orto in capite, jam in inferiora membra defluxisset, & totum Ecclesiæ corpus defœdasset, nisi nos consilio & auxilio religiosorum virorum, qui Spiritu Dei aguntur, tam impudicæ iniquitati justiciæ rigorem opposuissemus. Ne itaque in tantæ discrimine discordiæ universalis Ecclesia periclitari possit, Romanum Imperium, quod ad remedium tam perniciosi morbi divina clementia providit, universorum saluti debet sollicitè providere, & ne tanta mala in Ecclesia Dei præemineant, futuris casibus solerter obviare. Coadunatis itaque in unū omnibus Episcopis, tam Italicis, quàm Teutonicis, cæterisque Principibus, ac viris religiosis, qui zelum Dei & Ecclesiæ habere videbantur, quòd facto opus esset diligenter investigavimus, ex decretis Romanorum Pontificum, & statutis Ecclesiæ veraciter accipientes, quòd exorto schismate in Romana Ecclesia ex duorum Apostolicorum dissensione, ambos vocare, & secundum sententiam & consilium orthodoxorum litem decidere deberemus. *Imperatoris officium oborto de Pontificatu dissidio.* Ex consilio itaque omnium qui aderant Episcoporum, cæterorumque Principum, Curiam solennem, & generalem conventum omnium Ecclesiasticorum virorum, in octava Epiphaniæ Papiæ celebrandam indiximus, ad quam ambos qui se dicunt Romanos Pontifices vocabimus, omnesque Episcopos Imperii nostri, & aliorum regnorum, Franciæ videlicet, Angliæ, Hispaniæ, atque Ungariæ, ut eorum in præsentia nostra justo declaretur examine, quis illorum regimen universalis Ecclesiæ de jure debeat obtinere. *NB.* Quia verò ad unitatem Ecclesiæ reformandam sapientia admodum nobis necessaria est, ut ea nequaquam carere valeamus, dilectionem tuam attentissimè rogamus, & rogando commonemus, quatenus pro fidelitate Ecclesiæ & Imperii, ad prædictam Curiam omni occasione remota venias, ut in adventu tuo unitas & pax, & tranquillitas Ecclesiæ reformetur. Interim autem prædictæ scissuræ in neutram partem assensum tuum declines, nec tanquam justam & rationabilem aliquatenus recipias. Data Cremæ, X. Kalend. Novembris.

CAP. LVII.

De calliditate Cremensium contra nostros.

IAM verò ad ea quæ apud Cremam gesta sunt, res exigit ut revertamur. Cremenses, ut suprà dictum est, tam in vadibus, quàm in captivis suis malè affecti, cùm ab excursi-

1160.

Muscipula & occulta foveæ oppugnantibus structa.

cursibus & audacia temere paululum quievissent, alio ingenio, alioque commento nostros fallere cogitant, & subvertere. Quædam enim instrumenta fabricant, muscipulis quidem simillima, sed pro qualitate humani corporis fortiora, eaque per vias circa vallum dispergunt, quibus ignari multi hærentes, aut capi facilè poterant, aut occidi. Item fossas quàmplurimas hincinde desuper levi operimento contegunt, quas illapsi similiter aut capiebantur, aut occidebantur. Ejusmodi & alii multi latrocinales doli, tam ad rapinas, quàm ad incendia machinarum cum assiduè fierent ab his qui intra munitionem erant, Fridericus & calliditate simul & audacia eorum magis irritabatur. Et quia penuria civitatem capere desperasset, abundabant enim frumento, iterum consilium ad vim atque arma cōvertit, omnibus agminibus id maximè cupientibus, qui jam longæ obsidionis tædio affecti, variisque laboribus attriti, mœrore tenebantur, bellumque quoquo modo finiri optabant. Sextus enim jam mensis erat ex quo civitas obsessa fuerat, hyemsque pluviosa, & gelu asperrima illo anno plus solito inhorruerat.

CAP. LVIII.

De expugnatione Cremæ per machinas.

Turres oppugnatoria.

ITAQUE admotis omnibus machinis, ad occupandam civitatem hortatur exercitum, turresque in excelsum erectas, variaque materia undique tectas, ut & pondere stabiles essent, neque ignibus expugnarentur, super aggeres collocat, jaculatoribus & sagittariis, militumque fortissimis plenas. Qui cùm non conspicerentur, ipsi eos qui vel super murum astarent, vel in civitate deambularent, facillimè cernerent, telisque appeterent: cùm illi neque à vertice venientes sagittas facilè declinare, neque ulcisci possent, quos non viderent. Quoties autem ignito ferri pondere, & adunco, quo levius hæreret, machinas attentabant, qui desuper erant aquis ignem restinguendo, uncos autem & hamos ferri contis proceris & sudibus dissolvendo, conatus eorum in irritum revocabant. In his enim falces alligarant, ut si quid de materia, quæ contra ictus machinarum turribus alligata fuerat, ignis corrupisset, statim abscinderent. Et Cremenses quidem ita resistebant, quamvis multi in dies singulos occumberent, contraque parum mali hostibus facerent.

CAP. LIX.

De ultimo & atrocissimo certamine patrato.

Generalis asperrimaque Cremæ oppugnatio anno 1160.

ET quoniam ad finem hujus obsidionis tendimus, ad alia properantes, ultimum prælium, & maximum, paulisper attingere libet, pro eo quòd & atrox, & vario eventu gestum est. Imperator cernens oppidanos neque se ipsos misereri, neque civitati parcere velle, generalem aggressionem fieri statuit. Electis ergo de singulis agminibus viris fortissimis, intra machinas turrium eos collocat, variis quidem locis, alios superiores, alios inferiores: ut dum inferiores civitatem per murum ingressuri pontes applicarent, superiores eos jaculis & sagittis, quo minus ab hostibus læderentur, defenderent. Erant turres ipsæ nimia proceritate mirabiles, supra C. pedes in altum erectæ, multorum hominum per singula diversoria capaces. Reliquum exercitum circa muri ambitum distribuit, præcipiens, quando pontes admoveri cepissent, ipsi quoque singuli contra quem starent locum aggredi, murumque vel transcendere vel irrumpere conarentur. Ipse quidem utrinque ita disposuit. Civitatis autem populus postquam oppidum undique videret circundatum, armisque omnia conlucere, tubicines quoque universorum agminum & signiferos congregatos, ut signo dato undique eos invaderent, non segniter se & ipsi communiunt, magnaque audacia super muros, & in suis machinis (quas *gattas* appellant) operiuntur: ut cum admoverentur pontes, ipsi eos vel occuparent, vel dejicerent, murumque scalis ascendere nitentes, vario modo deterrerent, magna tunc animi facinora demonstrantes, ne vel in extremis calamitatibus deteriores nostris viderentur. Iam pontes, licet maxima difficultate admoti fuerant, jam tota acies in muro pedem ponebat. Tum Cremenses callidè se intra suas machinas occultantes, primos quidem & de subtus, & suprà graviter excipiunt, posteriores autem tormentorum ictibus deterrent, acies pro muris pugnantium dissipant, & qui scalis, aliisque instru-

1160.

instrumentis ascendere nitebantur, impulsi devolvebantur à muro. Sed neque nostris virtus in rebus adversis, nec Cremensibus sævitia defuit. Nempe unus militum nostrorum nomine Bertolfus de Arach, qui cum primis de ponte saltu in civitatem devenerat, circundatus undique ab hostibus, dum pugnando se fortissimum ostendisset, multosque solus usque ad magnam partem civitatis persecutus fuisset, à quodam retrò longa securi prostratus est. Nam anteriori parte per medios ruentem, universi vitabant, audaciam hominis metuentes, pariter & admirantes. Quem tandem cùm occidissent, unus eorum crudeliter in mortuum sæviens, cutem capitis (ut dicebatur) abstraxit, & prius decentissimè capillatam galeæ suæ affixit, ipse turpis & indecentissimus: nec viri fortitudine permotus, nec humanæ conditionis sortem miseratus. Alium quoque præcisis manibus ac pedibus (grave ludibrium) per plateas serpere permiserunt. Porrò qui murum transcendere conati sunt, quamvis singillatim digni essent memoria, omnium tamen fortissimus demonstratus est Otto palatii Comes de Bajoaria, qui sæpius muro repulsus, sæpiusque ante alios inceptum opus revertens, virtute fortitudinis suæ toti huic ornamento fuit calamitati. Non tamen impunè, nec longum Cremenses hac fortuna usi sunt. Nam de prominentia turrium nostrarum diversis missilibus tot ea die vel occisi, vel vulnerati sunt oppidanorum, quòd muro anteriore pulsi, intra munitionem, quæ secundo muro erat accincta, confugerent, & tunc primò rebus suis desperarent.

Bertolfi de Arrah virtus.

Cremensium crudelitas.

CAPUT LX.

Qualiter Imperator propter excidium Cremæ, Concilii diem prolongaverit, & quorum Consilio Cremenses de pace tractaverint.

IMPERATOR videns excidium civitatis vicinum esse, jam enim vires eorum, & audaciam, labor, metus & calamitas fregerant, Concilium quod in octava Epiphaniæ celebrandum fuerat, distulit, animumque totum ad subversionem civitatis laxavit. Iam autem valida juvenum manus collapsa fuerat, multique in dies singulos jaculis & sagittis occumbebant, cum, ut dictum est, ipsi contrà nihil mali nostris facere possent. In tantis ergo rerum angustiis, consilio necessitatis adhibito, Peregrini Aquileiensis Ecclesiæ Patriarchæ, simulque Henrici Ducis Bajoariæ, & Saxoniæ colloquium expetunt, petentibusque locus & hora datur, quando sapientiores & majores civitatis se dictorum heroum conspectui præsentarent. Mane facto, designata statione, cùm pars utraque adesset, Patriarcha vir eruditus, plurimisque virtutibus adornatus, & cui præter officii auctoritatem magna facundiæ gratia inerat, prior ad eos ita orsus memoratur.

CAP. LXI.

Exhortatio Aquileiensis Patriarchæ, & responsio Cremensium.

SIQUIDEM non viderem vos ad sentiendum quæ pacis sunt, esse incitatos, neque populi Cremensis puriorem, sincerissimamque vos partem, nunquam processissem ad vos, neque consulere confisus essem. Supervacua enim, ut ait quidam, est de utilibus oratio, quando omnium habitatorum conspirat ad deteriora consensus. Quia verò aliquos quidem ætas malorum belli nescios facit, quosdam verò inconsiderata spes libertatis, nonnullos quoque avaritia succendit, paucorum bonorum consilio providendum est, quemadmodum ipsi ab hoc errore corrigantur. Quod si ab initio suscepti belli provisum non est, sera saltem pœnitentia corrigat excessum: ut qui in portu præcavere tempestatem noluistis, vel inter medias procellas, pro tempore rebus fractis consulatis. Subeat vobis, si non civitatis jam perditæ, jamque subversioni proximæ, saltem miseratio filiorum vestrorum adhuc superstitum, atque conjugum. Parcite reliquiis hominum, si parcere noluistis charis adytis paternorum mœnium. Experti feritatem Germanorum, virtutem & magnitudines corporum, ne dubitetis eos spiritus gerere majores corporibus, & animis contemptrices mortis habere. Breviter vobis quod sentio edam. Placet ut victori Principi colla subdatis, expedit ut universam salutem vestram in deditione, non in armis reponatis. Si enim spreta pace in defectione perseverantes eritis, haud dubiè majoribus quàm passi estis periculis subdemini.

Cremenses ad pacem invitati.

His

1160. His dictis dolorem quem corde habebant, paulisper supprimentes, respondent: Se non adversus Principem, sed contra gentiles suos Cremonenses arma sumpsisse, olimque sibi decretum neque his, neque illis, sed soli Deo & Imperatori servire voluisse, & in multis clarere, mortem eos indebitæ servituti prætulisse, fœdus cum Mediolanensibus pepigisse, idque donec Deo placuerit, inviolatum custodisse. Iram se divinam pro peccatis suis perferre: fortunam Imperatoris prævalere. Nam habentes armorum abundantissimum apparatum, & alimentorum nullam penuriam, manifestissime Deo spem salutis auferente, perdidisse. Rogare autem ne gentilibus suis, Cremonensibus inimicissimis pœnas, sed soli Principi cogantur præstare. Optare se bello finem imponere, virtutem Imperatoris se effugere non posse.

CAP. LXII.

De conditionibus pacis cum Cremensibus, & triumpho Principis.

Pacis capita. COGNITO jam nominati Principes quòd pacem cuperent, bellique tædio affecti essent, verbum eorum Curiæ perferunt. Placuit: de conditionibus pacis agitur, diffinitur, & sine contradictione ab oppidanis recipitur. Erat autem pactum tale, quòd Cremenses civitatem dederent, ipsique vita sibi indulta cum conjugibus ac liberis quovis eundi facultatem haberent: de rebus suis quantum quisque semel humeris efferre posset, secum exportaret. Mediolanenses verò & Brixienses, qui ad præsidium ejusdem civitatis intraverant, relictis ibidem armis, & omnibus suis, vitam sibi pro lucro existimarent. Quibus omnibus tandem VI. Kalend. Februarii completis, ipsum castrum, egressis inde quasi XX millibus hominum diversi generis, flammis traditum, & militibus ad diripiendum permissum est. *Crema flammis deleta.*

Peracto excidio, divus Augustus toto exercitu jucundante, lætam victoriam acturus Papiam divertit. Ubi verò eum appropinquare nunciatum est, omnis multitudo civitatis obvia per vias & plateas, cum senibus & juvenibus, cum conjugibus & liberis præstolabatur, & quò transiens divertisset, ejus majestatem, vultusque lenitatem omnium generum vocibus prosequebatur: benemeritum triumphatorem, & salutis datorem, solumque dignum Romanum Principem appellari. Tota civitas veluti templum variis ornamentis decorata erat, & diversis odoribus aromaticis plena redolebat. Cùm autem vix per circumstantium multitudinem ad Ecclesiam venire potuisset, antequam in palatio se reciperet, omnipotenti Deo, qui dat salutem Regibus, pro adepto triumpho vota solvit, & gratulatoria sacra celebravit. Conventum quoque, quem in octava Epiphaniæ habendum statuerat, in eadem Ticinensium civitate in Purificatione S. Mariæ decrevit peragere. Porrò de subacta, vel potius subversa Crema, statim imperiales literæ per ambitum regni diriguntur in hunc modum.

CAP. LXIII.

Epistola Imperatoris de victa Crema.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Scire credimus prudentiam vestram, quòd tantùm divinæ gratiæ donum, ad laudem & gloriam nominis Christi, honori nostro tam evidenter collatum, occultari vel abscondi tanquam res privata, non potest. Quod ideò dilectioni vestræ ac desiderio significamus, ut sicut charissimos & fideles, vos participes honoris & gaudiorum habeamus. Proxima siquidem die post conversionem S. Pauli, plenam victoriam de Crema nobis Deus contulit, sicque gloriosè ex ipsa triumphavimus, quòd tam miseræ genti quæ in ea fuit, vitam concessimus. Leges enim tam divinæ, quàm humanæ summam semper clementiam in Principe esse debere testantur.

CAP. LXIV.

De Concilio apud Papiam, & exhortatione Principis ad Episcopos.

TEMPUS erat quo Concilium Papiæ indictum, celebrandum fuerat, idque de universis regni partibus, videlicet cisalpinis & transalpinis in unum collecti Archiepiscopi,

scopi, & Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati pendula expectatione operiebantur. 1160.
Tum Augustus commonens omnes jejuniorum & orationum subsidiis Ecclesiæ Catholicæ causam DEO commendari, cum sacerdotibus, & omni populo auxilium divinum fida sanctorum intercessione poscebat. Deinde convocato in unum concilio, cùm resedisset, ait ad Episcopos. Quamvis noverim officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis: (hoc enim & Constantinus, & Theodosius, nec non Justinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otto Imperatores fecisse memorantur) auctoritatem tamen diffiniendi hujus maximi & summi negotij, vestræ prudentiæ, vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt, non est nostrum de vobis judicare, tales vos, & taliter in hac causa hortamur habere, tanquam solius Dei de vobis expectantes judicium.

Imperatoris auctoritas in Concilio cogendo.

Lis de Pontificatu ab Ecclesiasticis dijudicanda.

Cùm hæc dixisset, ipse se concilio subtraxit, examen totum Ecclesiæ & Ecclesiasticis, quæ ibi innumerabiles erant, committens personis. Erant autem circiter quinquaginta Archiepiscopi & Episcopi: Abbatum & præpositorum non erat præ multitudine æstimatio. Legati quoque diversarum terrarum aderant, spondentes quicquid à synodo decretum foret, indubitanter à suis recipiendum.

CAP. LXV.

Quod concilium pro Victoris parte sententiam dederit.

Residentibus itaque Episcopis, & clero universo VII. diebus causa ventilata est, tandemque Domino Octaviano, qui cum præsens advenisset, & haberet qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, & pro ipso concilium sive curia dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobato, qui citatus legitimè concilio se præsentare contumaciter abnuisse dicebatur. Sæpius autem lectorem admonitum esse cupimus, ut in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed literis & scriptis, quæ ad manus nostras venerunt, & huic Operi inserendæ visæ sunt, innitatur, suo servans arbitrio, quando de hac controversia, & litis decisione, conciliique judicio sufficienter sibi fides facta videatur.

CAP. LXVI.

Epistola canonicorum S. Petri Romæ, pro parte Victoris.

Invictissimo & gloriosissimo Domino suo Friderico Romanorum Imperatori, & semper Augusto, & venerabilibus patribus in Christi nomine congregatis, fratres qui Romæ sunt, basilicæ S. Petri Principis Apostolorum Canonici, Angeli magni consilii præsentiam, & Spiritus sancti consolantem gratiam.

Patres sanctissimi, quos Deus elegit ad consolationem mœrentium, & delinquentium correctionem, sicut ait Apostolus, corrigite inquietos, consolamini pusillanimes, intendite precibus nostris, & ad dolorem nostrum leniendum consolationis manum extendite. Tanta est enim tam diffusa mœròris nostri materia, ut unde debeamus exordium sumere, difficulter possimus invenire. Verùm quia materia doloris est & mœroris, à luctu & mœrore ordiri decrevimus. Attendite ergo & videte, si est dolor sicut dolor noster, cùm videamus matrem nostram Romanam Ecclesiam, quondam fulgentem, à filiis suis, imò alienis, quia mentiti sunt ei, quos enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt eam, contumeliosè evisceratam, & membris ex parte mutilatam, in cœno jacentem, contumeliam, jacturamque suam nec sentientem. Unde cum Hieremia plorante suæ Hierusalem destructionem, plorantes dicimus: *Non crediderunt Reges terræ, & universi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem.* Verè Hierusalem erat Mater nostra Romana Ecclesia, quæ cunctis ad se venienti-

 bus

1160. tibus & quærentibus pacem dabat. Nunc autem & dolentes dicimus, ut olim illa, Peccatum peccavit nostra Hierusalem, propterea instabilis facta est. Nec immeritò propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus, erraverunt cæci in plateis, facies Domini divisit eos. Et verè. Vultus enim Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Unde plurimo rubore diffundimur. Verè peccatum peccavit hoc tempore nostra Hierusalem, invidia & odio, & iniquitatibus multis, quæ quia per omnia longum est enarrare, ad ostendendam Romanam electionem, & causam discordiæ declarandam propositum convertemus.

Domino igitur Papa Adriano felicis memoriæ, prima vigilia Kalend. Septembris viam universæ carnis ingresso, convenit ilicò maxima multitudo, cum quibus & senatores affuerunt, quorum consilio Corpus Romam delatum est. Inter Cardinales verò contentione crescente, convenit tandem inter eos ut Romam redirent, & concordem electionem facerent de aliquo Cardinalium. Quod si non possent, quærerent extraneam personam. Quod si nec sic possent convenire, ab electione quiescerent, donec invenirent idoneum virum, quem corditer eligere deberent. Et hoc unanimiter ab omnibus confirmatum est. Post hoc autem statim Romam redierunt, Dominus Octavianus, & quidam alii accesserunt ad obsequium defuncti. Quidam verò alii præmiserunt auctorem scelerum Bosonem primogenitum Satanæ, ut munitionem Beati Petri occuparet, cujus custodes fidelitatem ei juraverant, Domino Papa Adriano vivente, eumque postea subsequentes eandem munitionem conscenderunt. Dominus autem Tusculanus palatium ascendit. Dominus Octavianus & Dominus Rolandus Cancellarius ad domos nostras venerunt, & quidam alii. Vocati autem isti ab illis qui munitionem observabant, responderunt, se nunquam ascensuros in munitionem: Bosonem verentes, ne sicut eis relatum fuerat, à juratis Bosonis caperentur. Et Dominus Cancellarius, Vadam, inquit, & eos ad vos descendere faciam. Ivit cum eo Diaconus de Carcere, nec redierunt, & sic per biduum de loco ubi electionem facerent, convenire nequiverunt.

Tandem die sabbati descendentibus illis de munitione, ascenderunt omnes post altare Beati Petri, & cœperunt de electione tractare. Cumque convenire non possent, dixerunt isti qui concordiam & pacem Ecclesiæ desiderabant: Date nobis electionem, & eligemus unum de vobis, aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis unum: & noluerunt. Surrexit tandem velut iratus Otto, Diaconus S. Georgij, & Adebaldus Crassus, Cardinalis S. Apostolorum, & Joannes Neapolitanus, & accepto manto voluerunt immantare Dominum Rolandum Cancellarium, sed saniore & meliori parte Cardinales ex parte DEI omnipotentis, & beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli, atque totius Ecclesiæ auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterum eum immantare attentaverunt, nec potuerunt, & Cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt: per eos tamen non stetit quin immantaretur. Cæterùm clerus Romanus, qui in Ecclesia beati Petri pro electione summi Pontificis convenerat, audito clamore, cucurrerunt, circumdantes Dominum Ottonem, qui erat cum Cardinalibus juxta altare beati Petri, & clamaverunt omnes dicentes, Dominum Octavianum eligite, per quem solum Ecclesia pacem potest habere. Tunc petitione populi Romani, & electione totius cleri, consentiente & desiderante universo capitulo basilicæ beati Petri, Dominus Octavianus Cardinalis à saniori parte Cardinalium electus est, & manto indutus, ac in sede beati Petri positus, absque omni contradictione, cantantibus omnibus, *Te Deum Laudamus*, in jubilo. Deinde sicut mos est, Domini Cardinales, & clerus Romanus totus qui præsens erat, & qui postea confluxerat, populique Romani pars maxima pedes ejus osculati sunt. Quod videns Dominus Rolandus Cancellarius, & qui ei sicut dicebatur, juramento erant astricti, nec clamaverunt, nec aliquo modo contradixerunt, sed inclinato capite redeuntes, munitionem quasi spe sua frustrati conscenderunt. Tunc Domini Cardinales, clerus, judices, scriniarij, senatores, populus Romanus Dominum electum signis bandonis præcedentibus, ad palatium usque cum jucunditate perduxerunt, Romano more clamantes: *Papa Victore S. Pietro l' elegge.* In crastinum autem quidam de clero Romano ascenderunt munitionem, & osculata manu Domini Cancellarii, cœperunt eum & qui cum eo erant, rogare, ut paci Ecclesiæ provideret. Quidam autem de Diaconis curiæ respondit eis velut indignans: Heri pedes Domini Octaviani, qui fratrem suum Dominum Cancellarium exuit manto, & se induit, estis osculati, & modò ve-

dò venitis ad nos? Et Dominus Cancellarius, Noli, ait, Domine Cardinalis, dicere quod verum non est. Dominus Octavianus nunquam exuit me manto, quia nunquam indutus fui. Sicque per totam hebdomadam illam Domino Cancellario & suis in Ecclesia beati Petri morantibus, nono die descendentes trans Tyberim, eo die & altero commorantes XI. exierunt, & pervenerunt ad cisternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos insequentes. Justè cisternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas; cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione Domini Victoris, induerunt Cancellarium stolam & pallium erroris, in destructionem & confusionem Ecclesiæ, ibique primùm cantabant, *Te Deum laudamus.* Quis vestrûm ô sanctissimi patres audivit talia? Quantum in eis est, biceps hodie facta est Romana Ecclesia. Nunc tacendum nobis est, ut Dominus Otto Palatinus Comes, & Dominus Guido Comes de Blanderata, & Dominus Heribertus præpositus, viri prudentissimi, Imperatoriæ Majestatis legati, vicem accipiant referendi, quid in Domino Cancellario & suis repererint. Qui cum nota retulerint Domini Episcopi, Domini Imperatoris legati, quid hinc inde humilitatis & veritatis cognoverint, pleniùs poterunt enodare. In Urbe quoque cùm Romanus clerus ad Ecclesiam beati Petri, ipsis præsentibus conveniret, quid de facto isto persenserint, quoniam præsentes esse credimus, referant ipsi, & ad hoc comprobandum duos de fratribus nostris Petrum Christianum Ecclesiæ nostræ decanum, & Petrum Guidonis camerarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, sanctitati vestræ transmittimus, ut de his omnibus veritatis testimonium etiam viva voce perhibeant. In cœna Domini estis, in qua redemptionis humanæ sacramenta peregit. Duos gladios Apostoli se habere professi sunt, quos & vos habetis, quid in eis, & per eos agere debeatis, nullus vestrûm ignorat. Ibi dictum est à Christo, *Satis est.* Et nos qui Christi vestigia sequi debemus, vobis Dominis nostris dicimus, huic operi finem facientes, *Satis est.* Omnipotentis sapientia patris, qui novit & potest unire vota & voluntates omnium, doceat vos omnes, & uniat ad confusionem Babylonicam destruendam, & simoniam de Ecclesia propellendam, & pacem toti mundo desiderabilem in integrum reformandam. 1160.

CAP. LXVII.

Actio concilii verbis simplicibus posita.

ACTIO Concilii, quæ verbis simplicibus in scriptum redacta, item ponenda videbatur.

Hæc sunt capitula, quæ in Concilio Papiæ super electionem Domini Papæ Victoris canonicè probata sunt. Dominus Octavianus, & nemo alius, Romæ in Ecclesia beati Petri, petitione populi & consensu, ac desiderio cleri, à Cardinalibus manto indutus est solenniter, & præsente Cancellario, & non contradicente, in cathedra beati Petri collocatus est, & à Cardinalibus, & clero Romano, *Te Deum laudamus*, solenniter ei cantatum est, & nomen ei Victor impositum est. Ibi multitudo cleri & populi Romani venit ad pedes ejus. Tunc Scriniarius secundum antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum, voce magna clamavit ad populum dicens: Audite cives Romani, & cœtus reipublicæ. Secunda feria pater noster Adrianus mortuus est, & proximo sequenti sabbato Dominus Octavianus Cardinalis S. Ceciliæ in Romanum Pontificem electus & immantatus est, & in cathedra beati Petri collocatus est, & Papa Victor est nominatus. Placet vobis? Respondit magna voce clerus & populus, Placet. Secunda & tertia vice interrogatus populus si placeret, clara voce respondit, Placet. Deinde cum bandis, & aliis papalibus insignibus Dominus Papa cum laudibus in palatium deductus est. *Testimonia ex parte Victoris.* I.

His itaque ritè peractis, capitulum beati Petri statim venit ad pedes ejusdem Papæ Victoris, & obedivit, ac debitam ei reverentiam exhibuit, clerus & populus, multitudo magna similiter obedivit. Sequenti verò die proxima rectores cleri Romani acceden-

1160. cedentes ad Dominum Cancellarium, & ad Cardinales qui cum eo erant, voluerunt cognoſcere ſi immantatus eſſet, ſicut quidam dicebant: & non invenerunt eum immantatum, neque aliqua ſpecie dignitatis variatum: & habito cum eo & Cardinalibus ſuis colloquio, cognoverunt ab ore ejus & ſuorum, quòd nunquam fuerit immantatus, & quòd hoc ei falsò imponebatur. Quo audito & cognito, rectores ad pedes Domini Papæ Victores venerunt, & obedientiam, & reverentiam exhibuerunt. De omnibus ſuprà dictis capitulis teſtes fuerunt, Petrus Chriſtianus Decanus baſilicæ beati Petri, & omnes fratres ejus, & duo Rectores cleri Romani, Blaſius ſcilicet presbyter, & Manerius presbyter, & ſeptem Archipresbyteri Romanæ urbis, & quatuor alij tam Diaconi, quàm Subdiaconi.

Deinde Prior Lateranenſis & ſui Canonici obedierunt.

Clerici de Patriarcha S. Mariæ majoris obedierunt.

Abbas de Patriarcha S. Pauli per ſuos nuntios obedivit, & in ſignum obedientiæ de bonis Eccleſiæ ſuæ illi miſit.

Abbas de Patriarchia S. Laurentij cum ſuis monachis obedivit.

Abbas Cirengij obedivit.

Abbas S. Sylveſtri cum ſuis monachis obedivit.

Abbas S. Alexii in monte Aventino cum ſuis Monachis obedivit.

Abbas S. Blaſij cum ſuis monachis obedivit.

Conventus S. Sabeæ obedivit.

Conventus S. Mariæ in Capitolio obedivit.

Conventus monachorum S. Coſmæ & Damiani obedivit.

Abbas S. Valentini obedivit.

Magiſter fratrum templi Hieroſolymitani in monte Aventino cum ſuis fratribus obedivit.

Cardinalia S. Marcelli obedivit.

Clerici de Cardinalia ſanctorum Apoſtolorum obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Petri ad vincula obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Sylveſtri obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Sixti obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Sabinæ obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Sabilinæ obediverut.

Cardinalia S. Ciriaci apud thermas Diocletiani obedivit.

Clerici de Cardinalia S. Mariæ trans Tyberim obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Mariæ in porticu obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Nicolai in carcere obediverunt.

Monaſterium S. Agathæ obedivit.

Archipresbyter S. Apollinaris obedivit.

Archipresbyter S. Triphi obedivit.

Archipresbyter S. Bartholomæi obedivit.

Eccleſia S. Celſi obedivit.

Eccleſia S. Mariæ in monaſterio obedivit.

Eccleſia S. Mariæ in palaria obedivit.

Eccleſia ſancti Salvatoris de Curte obedivit.

Archipresbyter ſancti Vincentij cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſanctæ Katharinæ cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſancti Thomæ de Parione obedivit.

Archipresbyter ſanctæ Anaſtaſiæ cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſancti Salvatoris de campo cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſanctæ Mariæ in monte celſo cum ſuis obedivit.

Et multæ aliæ Eccleſiæ & Monaſteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Poſt promotionem Domini Victoris, Canonici beati Petri miſerunt ad Rolandum Cancellarium Canonicos ſuos, qui viderent an eſſet immantatus, ſicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Unde bis miſſi inquiſitores, bis retulerunt eum non eſſe immantatum, nec aliqua promotionis ſpecie variatum. Sequenti verò die, ut omnis dubitatio tolleretur, miſerunt Canonici quoſdam de ſuis, ut menſæ Cardi-

Cardinalium qui interant, intereſſent, & viderent ſi ſaltem in menſa locum digniorem ſolito obtineret, aut etiam benedicendo menſam primus eſſet, vel aliquo modo inter Cardinales loco, vel dignitate, ſeu veſte dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo ſenſerunt eum promotum, vel mutatum. Atque in hunc modum perſcrutati ſunt Canonici ſtatum Cancellarij per ſingulos continuos octo dies. 1160.

2. Baſſo & Joannes de Romano dicunt: Poſtquam Cancellarius ſedente Domino Victore in cathedra, in munitionem ſe recepit, Joannes Phizutus clericus, & Joannes de bucca lata laicus, voluerunt immantare Cancellarium, qui cum injuria repulit eos dicens: De me non facietis ridiculum, ibi eſt Papa: ite ad eum, & obedite ei.

3. Presbyter Blaſius, & presbyter Manerius rectores Romani, dicunt ſe cum tribus aliis rectoribus cleri, ſequenti die poſt promotionem Domini Victoris acceſſiſſe ad Cancellarium, & ad omnes Cardinales qui cum eo erant, & non viderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum: & antequam diſceſſiſſent, audierunt duabus vicibus ab ore Cancellarij, quòd nec erat, nec fuit immantatus. In præſentia etiam ipſorum rectorum qui ibi erant, teſtificatus eſt Otto Cardinalis de Carcere, quòd Dominus Octavianus nullam violentiam, vel injuriam intulit Cancellario.

4. Item dixit Otto: Pro nihilo adſcribitur hoc Domino Cancellario, quia nullus ei mantum abſtulit, quia nunquam habuit. His omnibus ita peractis & cognitis, rectores iſti iverunt ad Dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt clero, ut ei obediret. Quod & factum eſt.

5. Presbyter Barro, & presbyter Joannes Capellani de Cardinalia Cancellarii, dixerunt, ſe ſequenti die poſt promotionem Domini Victoris ad Cancellarium acceſſiſſe, & dixiſſe ad eum ſic: Audientes vos eſſe immantatum gaudebamus, & nunc quia aliter videmus, dolemus. Qui dixit eis, Pro me nolite gaudere vel dolere, quia ego nec fui, nec ſum immantatus: ite & obedite ei quem videtis immantatum. Hæc verba taliter ab ore Cancellarii proceſſiſſe commiſit presbyter Barro, & presbyter Joannes, quibuſdam ex noſtris clericis præſentibus, ut jurent in animabus eorum ita verum eſſe.

6. Clerici de Cardinalia S. Chryſogoni dixerunt, ſe ſequenti die poſt promotionem Domini Victoris acceſſiſſe ad Cardinalem ſuum, qui erat cum Cancellario, & interrogaſſe eum dicentes, Omnes clerici vadunt ad pedes Domini Papæ, quid faciemus & nos? Qui reſpondit: Ite ad eum ſicut alii.

7. Multi ex noſtris dicunt vidiſſe Cancellarium undecimo die ab Urbe exiſſe, ſine manto, ſine ſtola, ſine albo equo, & ſine omni habitus munitione, cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio uſque ad Ciſternam.

8. Joannes de Romano dicit: audiviſſe Joannem Neapolitanum, & Bonandiem, & quoſdam alios Cardinales dicentes apud Ciſternam: Quoniam modò ſumus ſine paſtore, & ſine capite, faciamus nobis Dominum: & poſtea immantaverunt eum, & cantaverunt ei, *Te Deum laudamus*, apud Ciſternam.

9. Joannes de S. Stephano, & Wolferaminus dicunt, ſe audiviſſe, quòd Papa Adrianus dixit ad eos cùm de Urbe exiret: Octavianus, inquit, quem ego miſi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenſes: ſed ego mandavi Mediolanenſibus, ut non curent de eo, ſed fortiter ſe habeant, tam ipſi quàm Brixienſes, contra Imperatorem: & ego cum eis diſpoſui, quòd Imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum Cardinalibus ita diſpoſui, quòd Octavianus non erit Papa poſt mortem meam.

10. Gimundus & Wolferaminus dicunt, ſe audiviſſe ab ore Epiſcopi Sabinenſis, quòd libenter rediret ad Dominum Victorem: ſed ita adjuratione eſt aſtrictus, quòd ſine perjurio non poteſt.

11. Epiſcopus Aletrinus in præſentia Domini Guidonis Cremenſis Cardinalis, & Gimundi, & Joannes Gajetani, & aliorum multorum, dixit: Non poſſum ad Dominum Victorem venire, quia talem ſecuritatem feci Cancellario, & ſuis apud Anagniam, quòd non poſſum ad eos venire uſque ad Kal. Poſt Kalend. autem veniam: interim tamen habeo eum pro Domino, & paſtore meo. Itaque Kalend. tranſactis, cum infirmitate teneretur, miſit Domino Victori obedientiam per clericum quendam, quem habemus præſentem.

De omnibus ſupradictis capitulis teſtimonium perhibuerunt prædicti rectores cleri Romani, & VII. Archipresbyteri ſuprà memorati, & alii multi honeſti & religioſi

1160. clerici Romani, & Petrus Urbis Præfectus, & Stephanus de Tebaldo, & Stephanus Nortmannus, & Joannes de S. Stephano, & Joannes Gajetanus, & Wolferaminus de Gidocica, & Gimundus de domo Petrileonis, & multi alii illustres Romani & nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt, & tractaverunt.

CAP. LXX.

Qualiter Fridericus ratihabitione confirmavit electionem Victoris, eumq; intronizavit.

Confirmato & recepto taliter in papatu Victore, defertur ad Principem sacerdotalis concilii sententia. Qua venerabiliter suscepta & approbata, Victor ad Ecclesiam vocatur & magna solennitate, & frequentia cleri ac populi suscipitur, ipsique ut summo Pontifici, & universali Papæ acclamatur. Divus quoque Imperator consuetam ei reverentiam, sicut Constantinus beato Sylvestro humiliter pro foribus Ecclesiæ exhibuit: & manu ejus accepta usque ad sedem deduxit, & intronizavit. De reliquis quæ ibidem acta sunt exemplaria literarum subnotata consule.

CAP. LXXI.

Epistola Imperatoris super his directa.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilectissimo suo Eberhardo venerabili Saltzburgensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus, Alberto Frisingensi Episcopo, Hartmanno Brixinensi, & Romano Gurcensi, totique Provinciæ Saltzburgensi, gratiam suam, & omne bonum.

Si sacro Concilio Papiæ interfuissetis, omnia quæ ibidem, vel in Romana Ecclesia facta sunt, oculata fide cognoscere possetis. Ne autem ab his qui pravis delationibus & mendaciis jam ferè totum orbem resperserunt, veritas possit obnubilari, vel vestra sinceritas trahi in contrarium, quantò breviùs possumus, seriem totius rei, sine aliqua falsitatis commixtione, mera veritate vobis significare dignum duximus. Luce clarius constat, quòd Papa Adriano adhuc vivente, Rolandus Cancellarius, & quidam Cardinales non

Matth. 5. attendentes illud Dominicum, *Sit sermo vester, est est, non non*, conspiratione facta cum Wilhelmo Siculo, prius ab eis excommunicato, & cum cæteris hostibus Imperii, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne fortè per mortem Papæ Adriani tam ini qua factio evanesceret, juramenti vinculo invicem sese constrinxerunt, ut defuncto Papa nullus alius ei substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis conveniisset. Hac de causa duodecimo die post electionem Domini Victoris Papæ, eo sedente in sede beati Petri, jam dicti conspiratores egressi ab Urbe ad Cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viventium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum Cancellarium erexerunt, dicentes: hunc esse Simonem Petrum, qui Apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria invasione attingere præsumebat. Quòd hæc conspiratio facta fuerit, & ille jam dictus Rolandus per eam hoc modo intraverit, non est fictitium, sed religiosis viris ab illo qui facit manifesta consilia cordium, mirabiliter est declaratum. Dum hæc Romæ agerentur, & nos quid super tanto schismate agendum esset, viros religiosos, Archiepiscopos videlicet & Episcopos consultaremus, supervenerunt, quasi missi à Deo, Tarentasinus Archiepiscopus, Abbas Claravallensis, Abbas Moremundensis, & alii Abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus: qui recepto à nobis verbo, dum Mediolanum pro investiganda eorum voluntate redirent, acceperunt ab eis tale responsum: Domini Patres, nos tenemur astricti juramento Domino Papæ & Cardinalibus, quòd non debeamus redire ad gratiam Imperatoris sine eorum voluntate, & ipsi econtrà sine nostra voluntate nullam pacem facere possunt. Responderunt eis Abbates: Vos de cætero non tenemini Domino Papæ; quia mortuus est, & illi statim subjunxerunt: Si mortuus est Papa, nos ideo non sumus absoluti: quia nihilominus tenemur Cardinalibus,

& ipsi

& ipsi tenentur nobis. Hæc prædicti Patres Abbates in responsis à Mediolanensibus 1160.
testificati sunt coram multis religiosis viris. Præter hæc multa experimenta factæ conspirationis per literas in via deprehensas accepimus, sicut nuncius iste plenius vidit & audivit. Sanè ex Concilio orthodoxorum, sicut alia vice meminimus vobis mandasse, generalem conventum religiosorum Papiæ indiximus, ad quem ambos qui se dixerunt Romanos Pontifices, non ad judicium seculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examen Ecclesiæ, per duos venerabiles Episcopos, Verdensem videlicet & Pragensem, convocavimus. Alter verò, eò quòd puriorem haberet conscientiam, Dominus Victor videlicet, judicio Ecclesiæ ultrò se obtulit: altero videlicet Rolando contumaciter renitente & dicente, quia cùm ipse omnes deberet judicare, ipse à nullo vellet judicari. Habito itaque venerabili Concilio, in quo Patriarcha Aquileiensis, & multi Archiepiscopi, & Episcopi religiosi convenerant, per octo continuos dies maxima gravitate, diligentissima examinatione, remota omni laica persona, tractatum est, quis ex duobus summi Pontificatus apicem de jure deberet obtinere. Post longam itaque deliberationem, quia illa nefandissima conspiratio Deo & Ecclesiæ admodum odibilis, manifestis indiciis non solùm probata, verùm in facie totius Ecclesiæ eorum positæ revelata est: & in Domino Victore nihil reprehensibile inventum est, nisi quòd pauciores numero Cardinales omnino à conspiratione illa exortes, cum pro bono pacis inter regnum & sacerdotium conciliando, elegerunt: & invocata S. Spiritus gratia, Ecclesia Dei Rolandum Cancellarium conspiratorem & schismaticum, discordias & lites, & pejuria bona esse evangelizantem, condemnavit, & Dominum Victorem Papam in Patrem spiritalem & universalem Pontificem confirmavit. Quem nos Ecclesia Duce secuti approbamus, & universalis Ecclesiæ Patrem & Rectorem, cooperante divina clementia, fore denunciamus. Hoc itaque factum divinis suffultum præsidiis, & in Apostolica stabilitate supra petram, Christum videlicet firmiter fundatum, à vestra beatitudine, pro pace totius Ecclesiæ & salute Imperii approbari, & ab omni Ecclesia Vestræ Sanctitati commissa teneri & conservari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ, XV. Kalend. Martii.

CAP. LXX.

Epistola præsidentium Concilio hincinde directa.

RESCRIPTUM generale à synodo præsidentibus per partes mundi directum hoc est:

Quia sedis Apostolicæ turbatio, Christianorum animos admodum sauciavit, nos qui ad resecanda schismata, & pacem Ecclesiæ reformandam Papiæ fuimus congregati, qualitatem causæ, modumque negotii & Sacri Concilii dispensationem universitati vestræ plenariè duximus intimandum: quatenus per scripta præsentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam fortè conceperant, vehementer expellant, & amodò per Scripta schismatica non seducantur. Cùm igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum universitas in nomine Domini consedisset, causa per VII. dies continuos, omni remoto seculari judicio, legitimè & canonicè agitata, ac diligenter inspecta, sufficienter & canonicè in conspectu Concilii per testes idoneos est comprobatum, Dominum Papam Victorem, & nullum alium in Basilica beati Petri à saniori parte Cardinalium, petitione populi, & consensu ac desiderio cleri fuisse electum, & solenniter immantatum: quòd præsente, & non contradicente Rolando quondam Cancellario, in Cathedra beati Petri fuerit collocatus, & quòd ibi ei à Cardinalibus & clero Romano, *Te Deum laudamus*, gloriosè decantatum, & inde ad palatium cum bandis, & aliis papalibus insignibus est deductus: & clerus & populus secundùm consuetudinem interrogatus per Scriniarium, si placet? tribus vicibus clara voce respondit, *Placet.* Pobatum est etiam, quòd Rolandus XII. die post Domini Victoris promotionem ab Urbe egressus, apud Cisternam, in qua Nero Imperator quondam ab Urbe profugus latitavit, primò est immantatus. Probatum est, quòd in secundo die post promotionem Domini Victoris, Rolandus interrogatus à Rectoribus & clero Romano, ac clericis de sua Cardinalia, si Domino Victori esset obediendum, expressè confessus est: se nunquam fuisse immantatum, & expressè dixit: Ite, & obedite ei, quem

1160. quem immantatum esse videtis. Super his capitulis fuerunt testes, & sub stola tactis Sacrosanctis Evangeliis juraverunt. Dominus Petrus Christianus Decanus Basilicæ beati Petri, & in persona sua, & omnium fratrum suorum. Iuraverunt etiam venerabeles Archipresbyteri, & Rectores cleri Romani, Blasius & Manerius presbyteri, Joannes presbyter gentilis, Aimeradus Archipresbyter, Berardus Archipresbyter, Joannes Archipresbyter, Benedictus Diaconus, magister Ptolemæus Archipresbyter, magister Gerardus & Nicolaus, & alii honesti clerici Romani. Præterea Petrus illustris Urbis Præfectus, Stephanus de Thebaldo, Stephanus Normannus, Gimundus de domo Petrileonis, Joannes de Stephano & alii Principes & Nobiles Romani, qui ad vocationem Serenissimi Imperatoris venerant, in conspectu Concilii super jam dictis capitulis, ex maxima parte testimonium similiter perhibuerunt, & jurare voluerunt. Sed nos quia religiosorum presbyterorum multorum testimonium sufficiens & abundantissimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles Episcopi Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, & Otto Palatinus Comes, & magister Heribertus præpositus, quos Dominus Imperator ex consilio XXII. Episcoporum & Cisterciensis & Claravallensis Abbatum, aliorumque religiosorum tunc præsentium, Romam delegaverat, ut partes ante Concilii præsentiam Papiam evocarent, in conspectu Concilii testimonium perhibuerunt, quòd Rolandum Cancellarium & partem ejus trinis edictis per intervalla peremptoriè & solenniter, ad præsentiam Ecclesiæ Papiæ congregandæ, remoto omni seculari judicio, vocaverunt, & quòd Rolandus Cancellarius, & sui Cardinales viva voce, & ore proprio judicium vel examen aliquod Ecclesiæ se nolle recipere manifestè dixerunt. Vidimus etiam scripta Henrici Pisani Cardinalis ad Dominum Imperatorem directa, in quibus expressè continebatur quòd nullum vellent Ecclesiæ subire judicium, vel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto Cardinalis S. Nicolai de carcere Tulliano, qui tempore concilii, & antè apud Januam morabantur, & Joannes Anagninus Cardinalis, & Joannes Piozutus S. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant per octo dies, à concilio toto sunt expectati, & per literas & nuncios Concilii sunt vocati, & contempserunt venire. Ex his igitur omnibus sufficienter instructi, & veritate hinc inde plenariè declarata, placuit reverendo Concilio, ut electio Domini Victoris, qui tanquam agnus mansuetus & innocens venerat, Ecclesiæ judicium humiliter suscepturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitùs cassaretur. Et factum est ita. Electione itaque Domini Victoris, remoto omni seculari judicio, Sancti Spiritus gratia invocata, confirmata atque recepta, Christianissimus Imperator post omnes Episcopos, & post omnem clerum ultimus, consilio & petitione Concilii electionem Domini Victoris recepit, & approbavit: & post eum omnes Principes, & innumerabilis hominum multitudo, quæ præsens erat, tribus vicibus interrogata si eis placeret, respondit cum gaudio magna voce, *Placet*. Sequenti die proxima, id est prima sexta feria Quadragesimæ, Dominus Victor cum processione ab Ecclesia S. Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat ejus hospitium, ad Catholicam Ecclesiam gloriosè deductus est. Ibi religiosissimus Imperator ante januas Ecclesiæ eum suscepit, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & appprehensum per manum usque ad altare conduxit, & pedes ejus est osculatus: & nos omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Abbates, & omnes Principes cum universa multitudine quæ præsens erat, pedes Apostolicos sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est Sabbato, habito generali Concilio, Dominus Papa & nos cum illo, Rolandum Cancellarium schismaticum, & ejus principales fautores, accensis candelis anathematizavimus, & tradidimus eum satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestræ prudentiam volumus non latere, manifestè esse deprehensum quòd Rolandus Cancellarius, & ejus sequaces quidam Cardinales, vivente adhuc Papa Adriano conjuraverunt. Fuit autem tenor conjurationis, quòd si eis viventibus Papam Adrianum mori contingeret, Cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem conjuratione esset astrictus. De cætero ex parte Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omniũ Sanctorũ & virorũ orthodoxorum, qui divino intuitu ad rescindenda schismata convenerũt, universitatẽ vestrã humiliter imploramus & monemus in Christo, ut ea quæ Ecclesia Dei

Papiæ

Papiæ congregata, ad honorem creatoris & sponsæ suæ matris vestræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tranquillitatem, & ad salutem omnium Christianorum fideliter ordinavit, vos omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: orantes, ut Redemptor noster Christus Jesus universalem Pontificem & Papam nostrum Victorem, de cujus Sanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conservet, & præstet ei omnimodam tranquillitatem & pacem, ita quòd per eum Deus omnipotens honoretur, & Ecclesia Romana, omnisque Christiana religio gratum Domino accipiat incrementum. Ut autem omnis actio pleniùs legentibus elucescat, dignum duximus, ut omnium nostrûm consensus & nomina subscribantur. 1160.

Ego Peregrinus Aquileiensis Patriarcha cum meis suffraganeis interfui & consensi.

Ego Arnaldus Archiepiscopus Moguntinus cum XIV. suffraganeis interfui & consensi.

Ego Artuicus Bremensis Archiepiscopus cũ suffraganeis meis interfui & consensi.

Ego Hellinus Treverensis Archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi.

Ego Reinaldus Coloniensis Archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi.

Ego Wickmannus Magdeburgensis Archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi.

Bizuntinus Archiepiscopus per legatum & Episcopum Basiliensem consensit.

Arelatensis Archiepiscopus consensit.

Lugdunensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit.

Viennensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit.

Henricus Rex Anglorum per literas & legatos suos consensit.

Rex Ungarorum per literas & legatos suos consensit.

Rex Boemorum consensit.

Rex Danorum consensit.

Guido electus Ravennas consensit.

Episcopus Firminus consensit.

Episcopus Ferentinus consensit.

Mantuanus consensit.

Pergamensis consensit.

Faventinus consensit.

Abbatum verò & Archipresbyterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit & consensit.

Longobardorum inæstimabilis multitudo interfuit & consensit.

Universi ferè Principes Romani Imperii, tam Teutonici, quàm Italici, tam in Urbe, quàm extra Urbem interfuerunt, & assensum cum ingenti desiderio præbuerunt.

CAP. LXXI.

Epistola Babenbergensis Episcopi de eadem re.

Reverendissimo Patri & Domino Eberhardo Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis gratia Dei si quid est, tam devotum, quàm debitum cum oratione servitium.

Convenientibus in unum Papiæ Episcopis circiter L. diuque ventilata quæstione Papatus, cùm dilatio primò penè omnibus complacuisset, usque ad majorem rei notitiam, & aliud generalius Concilium: prævaluit tandem pars Domini Victoris justificata ab altera parte multis modis: quia conjuratio contra Imperium, factum illud præcesserat: quia Domini Victoris immantatio prior, illa posterior, quo solo Innocentius Anacleto prævaluit, cum Anacletus plures & maximæ scientiæ & auctoritatis haberet electores. Deinde quòd ad hostes Imperii pars illa se transtulerit, obligata Siculo, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, per sacramentum, quod sanæ doctrinæ adversari videtur, & cùm subditos à juramentis fidelitatis debitè absolvat, & servire Imperatori prohibebat quoscunque, & sic discessioni viam præparet, quod pessimũ est: sicut opere ipso clarescit, & scriptis undique per Italiam directis tam civitatibus quàm Episcopis. His malis principiis finem deteriorem promittentibus, perpetuam videlicet discordiam inter regnum & sacerdotium, & discessionem ab invicem, dum pars illa

illa cum omni securitate conductus, nec venire voluisset, nec etiam procuratores pro se 1160. mittere ad subeundum judicium, & excipiendam sententiam, Dominum Victorem recipimus, spe pacis & concordiæ inter regnum & sacerdotium: longo tamen examine præmisso, de tempore & ordine electionis suæ. De his qui ejus electioni consenserunt primitùs, & postmodum retrò abierunt, Cardinalibus numero novem, testificante super his omnibus capitulo beati Petri & clero Romano, scriptis & viva voce nuntiorum sub jurejurando. Nuntius Regis Francorum promisit pro eo neutrum se recepturum, usque dum nuntios Imperatoris recipiat. Nuncius Regis Anglorum idem velle, & idem nolle promisit, tam in his, quàm in aliis. Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis, Bisuntinus, per literas, & per nuntios consenserunt. Solus Treverensis de regno nostro superest in parte illa de numero Archiepiscoporum, qui non consenserit: ejus tamen suffraganei omnes consenserunt. Usque ad vos solùm perventum est. Angelus magni consilii dirigat vos secundum beneplacitum suum, & custodiat vos in omnibus viis vestris. Præter hæc præpositus multa manifestabit vobis, quæ non licet ad præsens homini loqui. Congaudete mihi, qui dimissionem accepi, & ad propria redeo.

CAP. LXXII.

Epistola cujusdam religiosi viri ad Episcopum Saltzburgensem, de eadem re.

Domino suo in Christo reverendo Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo, frater Henricus, dictus Præpositus de Bertherfgaden, cum devotis orationibus debitæ subjectionis obsequia.

Si cuncta quæ audivimus & vidimus, scribere deberemus, non chartam, sed volumen facere videremur. Verùm summam eorum quæ de duorum electione Romanorum Pontificum acta sunt, breviter Paternitati Vestræ notificamus. Curia quæ in octavis Epiphaniæ Papiæ fuerat indicta, usque in sextam feriam proximam ante caput Jejunii, quia in destructione Cremæ Dominus Imperator detinebatur, est dilata. In qua considentibus Domino Patriarcha, Archiepiscopis, & diversarum terrarum ferè quinquaginta Episcopis, legatis quoque Regis Franciæ, & Archiepiscoporum, Arelatensis scilicet, Lugdunensis, Viennensis, Bisuntini, atque Treverensis, & Ravennatis electi, Cardinales & clerici, qui pro parte Victoris aderant, in medium processerunt, & utriusque seriem electionis exposuerunt. Super qua continuis quinque diebus ab Episcopis, & aliis prudentibus viris copiosè disputatum cùm fuisset, sexta tandem die in publico consistorio electionis capitula denuò proposita sunt, & singula à Canonicis Ecclesiæ beati Petri, & Rectoribus Romani cleri, sacramento super sancta quatuor Evangelia præstito, confirmata. Pars autem altera nec ipsa venit, nec responsales, qua de causa nescimus, conventui direxit. Recitatæ sunt insuper literæ quamplures bullatæ ab Alexandro, & Cardinalibus qui cum ipso sunt, Episcopis & civitatibus Longobardiæ directæ, sed à fidelibus Domini Imperatoris captæ, ex quarum tenore machinationes eorum, & molimina contra Imperium patenter sunt deprehensa. Unde quia dilatio non parvum tam Ecclesiæ, quàm Imperio videbatur minari periculum: præsertim quia non erat qui prædictis assertionibus contradiceret, cum utraque nimirum pars non ad Curiæ, sed ad Ecclesiæ fuisset examinationem vocata: Episcopi parti Victoris, quæ ipsum XI. diebus antequam Alexander immantaretur, immantatum fuisse, & in sede beati Petri, adversa parte præsente, absque reclamatione sedisse, præstito (ut dictum est) sacramento probaverat, assensum præbuerunt: & eundem Victorem ut Apostolicum in Ecclesia solenniter suscipientes, solitam ei reverentiam exhibuerunt. Facta sunt hæc Domino Imperatore & fidelibus Imperii annitentibus propter causas memoratas. Quapropter ipsemet eidem confirmato Pontifici, ante fores Ecclesiæ descendenti, consuetum detulit honorem. Secunda verò post hæc die, sæpe jam dictus Dominus Victor, celebrato synodi officio, alterius partis Principem cum quibusdam suis fautoribus Episcopis scilicet, Hostiense & Portuense, eò quòd consecrationis manum eidem præsumpserant imponere, Cardinalibus etiam Henrico Pisano, Joanne Neapolitano, & Jacincto, anathematis vinculo, extinctus candelis innoda-

nodavit. Excommunicavit autem Henricum Pisanum idcirco quòd mandato ejus magister Raimundus Cardinalis despoliatus, & atrociter cæsus fuerit. Præpositum etiam Placentinum, quia Dominum Tusculanum armata manu invaserit, & despoliatum, multis contumeliis affecerit, simili sententiæ involvit. Wilhelmum prætereà Siculum, atque Mediolanenses pro invasionibus Ecclesiarum & Imperii, ad canonicam vocavit satisfactionem. Interfuerunt his omnibus Metropolitani, Dominus Patriarcha, Moguntinus, Coloniensis, Magdeburgensis, Bremensis, cum nonnullis suffraganeis suis, & maxima pars Episcoporum Longobardiæ, quorum plurimi affectuosum & plenarium prædictæ confirmationi tribuerunt assensum. Dominus verò Patriarcha, & quidam alii, salva in posterum Catholicæ Ecclesiæ censura, propter memoratas Imperii necessitates obedierunt. Absentes omnes quos prænotavimus Archiepiscopi, pro se & suis suffraganeis plenariè consenserunt, excepto Treverense, qui cum iter cepisset, infirmitate præpeditus, excusatorias tantummodo literas direxerat. Præsentes autem ejus suffraganei Tullensis & Verdunensis pro se & consuffraganeo suo Metense in integrum spoponderunt. Domini Babenbergensis, Patavienis & Ratisponensis Patriarcham sunt imitati. Pro confirmandis omnibus quæ facta sunt, mittuntur legati, Dominus Coloniensis in Franciam, Verdunensis in Hispaniam, Pragensis in Ungariam. Si interim alia scripta, quorum quædam vidimus, meram de his veritatem minus continentia, ad manus vestras devenerint, sciat Sanctitas Vestra, quòd ut pro parte potuimus, sinceram de his veritatem significavimus, plenius autem præsentes insinuabimus. 1160.

CAP. LXXIII.

De Archiepiscopo Juvaviense, quare tam crebras literas acceperit, & de vita ac moribus ejusdem.

QUARE autem tam crebræ literæ Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo super gestis Concilii directæ sint, hæc fuit causa. Cùm ad concilium iter cepisset, & jam per forum Julii, & per Marchiam Veronensium usque ad civitatem Vicentinorum pervenisset, gravi correptus infirmitate, gradum sistere, domumque redire coactus est. Sanè quum tanti viri fecimus mentionem, de vita & moribus ejus quædam memorabimus, quæ quamvis ut lucerna super candelabrum posita, in domo nostræ Provinciæ clarissimè lucere, ab his tamen qui longè positi sunt, invida bonis fama difficilius subtrahet, si scribendo celebretur. Erat autem idem vir venerabilis, ætate maturus, sacræ paginæ literis decentissimè instructus, fide præcipuus, religione singularis. Humanitate & pietate adeò communis, ut verè dicere posset: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* In largitionibus liberalis, in Eleemosynis & suscipiendis peregrinis studiosus, in tantum, ut sumptus in obsequium pauperum monasteriorum & peregrinorum quotidie expensus, non solùm palatio suo, verùm etiam toti Episcopio videretur onerosus. Ipse tamen hujusmodi pondere minimè gravabatur, cùm hæc incommoda bonæ famæ, quam ipse tamen minimè affectabat, & æternæ retributionis mercede compensaret. Pauperum squalores minimè abhorrebat, à leprosis se tangi & contrectari passus est, quin etiam ipse eos interdum tangere, manusque eorum osculari non verebatur. Nec sufficere credidit, si in ministerio pauperum, famulorum uteretur officiis, nisi ipsemet habitu succinctus, manibus suis interdum cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam non solùm lavandis manibus, sed & pedibus infunderet. Cumque non solùm in verbo perfectam doctrinam, verùm etiam in opere consummatæ disciplinæ præberet exemplum, meritò de eo dicebatur, quod olim de quodam Sanctorum: *Quia hic est qui quale habet verbum, talem habet vitam: & qualem habet vitam, tale habet verbum, quomodoque docet, agit: & quæ agit, hæc docet.* His & aliis plurimis virtutibus, & divinæ gratiæ donis, plures quidem ad sui imitationem, universorum autem ad dilectionem sui provocârat affectum, Sed hæc hactenus

1.Cor.9.

CAP.

1160.

CAP. LXXIV.

De legatis ad Græciam deſtinatis.

COMPOSITIS ita rebus & geſtis Concilii, miſſis quoque legatis, ut ſuprà dictum eſt, ad Reges, Hiſpaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Boemiæ & Ungariæ: ad Imperatorem quoque Græcorum Manuel nuncios dirigit, videlicet Henricium Ducem Carentanum, fortem & exercitatum in bellicis conſiliis virum, & Henricum ſacri palatii Notarium, omnique probitate & induſtria præditum, ac Neimerium filium Petri Polani Ducis Venetorum, jamdudum in captivitate ſua tentum, ſed abſolutum, reſponſa portantes (ut dicebatur) ſuper petitione Conſtantinopolitani Principis de Pentapoleos maritimis in Apulia, & quibuſdam ſecretioribus conſultationibus, contra Wilhelmum, Rogerii Siculi filium, & in regno ſucceſſorem. Cernens autem totam Longobardiam continuis duorum annorum expeditionibus graviter attritam, cum exercitus in crebris contra hoſtes excurſibus & rapinis, nec etiam amicis parcere potuiſſet, pauliſper terram ipſam quieſcere & reſpirare utile judicavit, donec recepta cultura novas futuro anno calamitates ſuſtinere, novumque faciliùs & recipere & enutrire poſſet exercitum.

CAP. LXXV.

Quòd Imperator iterum Principes abire permiſerit.

Copiæ Germanicæ laudib. & muneribus ornatæ dimittuntur.

ITAQUE dimiſſurus exercitum, advocans ad ſe Proceres, & de militia meliores, magnam illis ait ſe habere gratiam pro benevolentia & fidelitate, qua erga ſe utendo perſeveraſſent. Laudabat etiam in unoquoque bonos mores, & fortitudinem, quam præliando in multis magniſque periculis monſtraſſet. Quòd eos neque hoſtium multitudo, nec magnitudines civitatum, vel audacia inconſulta, & immanitates efferæ adverſantium, à conſueta animi virtute terruiſſent. Magnam quoque hujus rei ſibi fore diligentiam, quòd debitis præmiis & honoribus virtutes eorum vellet honorare, qui militiæ ſocii fuiſſent, nec ullum eorum qui plus aliis laboraſſet, juſta viciſſitudine cariturum. Eos etiam quos noverat fortiter aliquid & egregium in bello feciſſe, nominatim ſingulos appellans conlaudabat. Deinde aurum & argentum, vaſa ex argento & auro facta, itemque veſtes precioſas, beneficia feudorum, aliaque donaria largiter & regaliter diſtribuebat. Omnibus autem hoc modo exhilaratis & donatis, ut quiſque ſe meritum præbuerat votis, & laudibus cum magno favore ab univerſo exercitu factis, quo quemque conveniret, dimittit: ipſe verò cum paucis in Italia remanſit. Quia verò hujus Operis libellos numerum Evangelicum excedere non propoſuimus, priuſquam huic quarto Volumini terminum demus, ex quo actus & geſta bellorum Sereniſſimi Principis ſummatim perſtrinximus, mores quoque, cæteraſque vitæ illius partes & ſtudia circa regni adminiſtrationem pauliſper proſequamur.

CAP. LXXVI.

De forma & moribus Friderici, & ejus variis ædificiis.

Sidonius Apoll.

IGITUR divus Auguſtus Fridericus, ut de Theodorico quidam ſcribit, & moribus & forma talis eſt, ut & illis dignus ſit agnoſci, qui eum minus familiariter intuentur. Ita perſonam ſuam Deus arbiter & ratio naturæ, conſummatæ felicitatis dote ſociata cumularunt. Moribus hujuſcemodi: ut laudibus eorum nihil, ne Imperii quidem fraudet invidia. Forma corporis decenter exacta: ſtatura longiſſimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus: flava cæſaries, paululum à vertice frontis criſpata.

Friderici corporis forma.

Aures vix ſuperjacentibus crinibus operiuntur, tonſore pro reverentia Imperii pilos capitis & genarum, aſſidua ſucciſione curtante. Orbes oculorum acuti & perſpicaces, naſus venuſtus, barba ſubrufa, labra ſubtilia, nec dilatati oris Angulis ampliata, totaque facies læta & hilaris. Dentium ſeries ordinata, niveum colorem repræſentant. Gutturis & colli non obeſi, ſed parumper ſucculenti, lactea cutis, & quæ juvenili rubore ſuffundatur. Eumq; illi crebrò colore non ira, ſed verecundia facit. Humeri pauliſpper prominentes.

1160.

tes. In succinctis ilibus vigor. Crura suris fulta turgentibus, honorabilia, & bene mascula. Incessus firmus & constans, vox clara, totaque corporis habitudo virilis. Tali corporis forma plurima & dignitas, & auctoritas tam stanti quàm sedenti acquiritur. Valetudine satis prospera, præter quòd interdum febre ephemera corripitur. Bellorum amator, sed ut per ea pax acquiratur. Ipse manu promptus, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide receptis. Si actionem diuturnam forinsecus perquiras, antelucanos basilicarum & sacerdotum suorum cœtus, aut solus, aut minimo Comitatu expetit, eosque tam grandi sedulitate veneratur, ut omnibus Italis erga Episcopos & cleros servandi honorem & reverentiam, ipse formam & exemplum tribuerit. Officiis divinis tantam præbet venerationem, ut omnem horam qua coram ipso DEO psallitur, competenti veneretur silentio, nec ullus interim eum audeat de quolibet sollicitare negotio. Peractis votis, & post missarum solennia, divinis consignatus reliquiis manè reliquum curæ Regni administrandi deputat. Si venationibus exercetur, in equis, in canibus, accipitribus, cæterisque ejus generis avibus, instituendis, spectandis, circumferendis, nulli secundus. In birsando ipsemet arcum tendit, spicula capit, implet, expellit. Eligis quod feriat, quod elegeris ferit. In convivio talis disciplina, abundantia regia, ut nec sobrietas temulentiam, nec fames frugalitatem possit incusare. Cùm ludendum est, regiam tantisper sequestrat severitatem: ejusque temperamenti est, ut sit remissio non minans, austeritas non cruentans. Erga familiares suos in proferendo alloquio non minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax. Scripturas & antiquorum gesta sedulò perquirit. Eleemosynas in ministerio pauperum plerunque ipse manu sua distribuit. Pecuniarum suarum decimam Ecclesiis & Monasteriis fideliter dividit. In patria lingua admodum facundus, Latinam verò melius intelligere potest quàm pronunciare. Vestitu patrio utitur, nec profuso, aut petulanti, sed nec plebeio: cui magis hoc decorum, ut in castris suis potius Martis pompa radiet quàm Veneris. Qui cùm in ampliando regno, & subigendis gentibus tantus existat, ut in prædictis occupationibus assiduè versetur, opera tamen plurima ad regni decorem & commoditatem pertinentia, diversis in locis inchoavit, quædam etiam consummavit, & maximam providentiæ partem obsequio pietatis impendit. Palatia siquidem à Carolo magno quondam pulcherrima fabricata, & Regias clarissimo opere decoratas, apud Noviomagum, juxta villam Inglinheim, opera quidem fortissima, sed jam tam neglectu quàm vetustate fessa, decentissimè reparavit, & in eis maximam innatam sibi animi magnitudinem demonstravit. Apud Lutra domum regalem ex rubris lapidibus fabricatam non minori munificentia accuravit. Etenim ex una parte muro fortissimo eam amplexus est, aliam partem piscina ad instar lacus circumfluit, piscium & altilium in se continens omne delectamentum, ad pascendum tam visum, quàm gustum. Hortum quoque habet contiguum, cervorum & capreolorum copiam nutrientem. Quorum omnium regalis magnificentia, & major dictu copia operæ pretium spectantibus exhibet. In Italia quoque apud Medoicium, Laudam, & in alijs locis ac civitatibus, in renovandis palatijs, ædibusque sacris, tantam liberalitatis magnificentiam declaravit, ut totum Imperium tanti Imperatoris & munere & memoria in perpetuum fungi non desinat. Reges Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Boemiæ atque Ungariæ, quamvis suspectam semper ejus haberent potentiam, sibi adeò per amicitiam & societatem devinxit, & ad suam voluntatem sic inclinatos habet, ut quoties ad eum literas vel legatos miserint, sibi cedere auctoritatem imperandi, illis non deesse voluntatem obsequendi denuncient. Imperatorem Constantinopolitanum Manuel, ultrò amicitiam & societatem ejus expetentem, cum sese, sicut antecessores sui, Romanorum appellaret Imperatorem, flexit, ut se non Romæ, sed Neoromæ vocet Imperatorem. Et ne multis morer, toto Regni sui tempore nihil unquam duxit melius, nihil jucundius, quàm ut Imperium urbis Romæ sua opera, suoque labore pristina polleret & vigeret auctoritate.

Virtus. *Pietas.* *Dexteritas.* *Temperantia & comitas.* *Regales structura.* *Lutrense palatium.* *Constantinopolitanus nova Romæ Imperator.*

Hæc à glorioso Principe acta sunt usque ad præsentem annum, qui ab incarnatione Domini millesimus centesimus sexagesimus, Regni autem ejus septimus, Imperii quintus numeratur, multa adhuc in Regni gubernaculis feliciter acturo, tandemque apud Regem Regum cum piissimis Principibus æterna percepturo præmia meritorum.

EPILOGUS OPERIS.

HOS de latissimis gestorum tuorum pratis, Augustorum optime, tam dilectus patruus tuus Otto Episcopus, quàm nostræ humilitatis diligentia flores legit, unde hujus Opusculi coronam texeremus: plura quæ de te sciuntur & referuntur, peritioribus & magis domesticis relinquentes. Quæ si cuiquam invisa fuerint, aut ea despicabilia judicaverint, nos tamen obedientiæ nostræ fructus consolabitur, qua præcipienti paruimus. De qualitate autem Operis, vos dilectissimi Domini mei videritis, quos in hoc Opere arbitros elegimus, & correctores. Vobis enim adjudicandum erit quod editis: per vos judicandum quod delendum duxeritis.

Finis librorum Radevici de Gestis Friderici Imp. Augusti.

APPENDIX VETUSTI SCRIPTORIS

ad Radevvinum, quæ una cum Epistola sequente in vetustiori exemplari eadem omnino manu adscripta erat: ad supplendam reliquam Friderici Imperatoris historiam, Ottoni & Radevico annexa.

Carcanum

ANNO ab incarnrtione Domini M. CLX. apud oppidum quod vocatur Carcer, ab Imperatore contra Mediolanenses grave prælium habitum est: & cum jam Latinis qui secum erant fugientibus, victus videretur, strenuè vicit. Cæsi penè quingenti ex parte adversa, de nostris tantùm quinque.

Eodem anno vel proximo, Arnoldus vir grandævus & prudens, Archicancellarius, & Moguntinus Archiepiscopus, de Ecclesia sancti Jacobi per incendium exire coactus, à suis ministerialibus crudeliter necatus est.

Anno ab incarnatione Domini M. CLXII. Mediolanum denuò novo genere obsidionis clausum, etiam castris in gyro ejus constructis.

Anno M. CLXIII. Mediolanum captum, & funditùs eversum est. Goizo Rex Ungariæ moritur.

M. CLXIV. dissentientibus inter se fratribus Goizi & Filio ejus parvulo, puer Imperatorem datis quinque millibus marcarum suæ parti adjungit.

Veronenses, Vincentini, Paduani, Tarvisini rebellant.

Octavianus moritur, Guido substituitur.

Eberhardus Saltzburgensis Archiepiscopus venerabilis obiit, Conradus Pataviensis Episcopus substituitur: Conrado Robertus, Roberto Albanus Frisingensis Canonicus.

Hartwicus Ratisponensis Episcopus mutilus, Hartmannus Brixinensis Deo dignus Episcopus obierunt.

Anno ab incarnatione Domini M. CLXVI. apud Wirzeburg in Pentecoste Curia celebratur, ubi conjuratio fit ab Imperatore & Principibus qui aderant tam secularis, quàm Ecclesiastici ordinis, quòd Paschalis semper Papa habeatur; & eo mortuo, nullus nisi de sua parte eligatur. Similiter post mortem Imperatoris, nemo sibi substituatur, nisi juraverit se eandem partem defensurum. Solus Albertus Frisingensis tunc jurare noluit. Nam Conradus Moguntinus jam ut hostis præjudicatus fuerat. Eodem anno Albertus Frisingensis diu renitens, coactus juravit obedire Paschali pro conscientia, quandiu Imperium partem ejus foveret, & quandiu regalia habere vellet.

Ipso itidem anno Imperator circa festum sancti Petri descendens Ungaros qui antè promissam pecuniam ex majori parte mentiti fuerant, denuò jurare coegit. Ubi Rex Boemorum quendam de regulis Ruthenorum suæ præsentiæ obtulit, ejusque illum ditioni subdidit. Fames valida per totam terram.

M. CLXVII. Imperator circa autumnum Italiam intravit: ibique cooperante Cancellario suo Christiano, Paschalem per iterata sacramenta confirmavit. Hoc ejusdem instinctu

inſtinctu Cancellarii appoſito, quòd nullus eorum unquam abſolutionem ejus juramenti expeteret, oblatam nunquam reciperet.

Eodem anno Dux Auſtriæ Henricus, & Otto palatii Comes major in Græciam deſtinati, ſine effectu, præter quòd magnificè donati ſunt, revertuntur.

Henricus Dux filiam ſuam Regi Ungariæ conjugio copulavit.

Inter Saxones & Ducem Bavariæ Henricum grave bellum agitatur.

M.CLXVIII. Imperator Ravennates, Faventes & Bononienſes graviter attritos ad deditionem coegit.

Chriſtianus apud Moguntiam Domino Conrado ſuperponitur.

Juvavia jamdudum propter Alexandrum ab Imperatore proſcripta, crematur: dubium an hoſtium patratu, an proprio caſu.

Conradus frater Imperatoris pro recuperanda gratia, quam dudum ineptè amiſerat, Italiam intrat, ſed ſine effectu revertitur.

Welfo ſenior & Henricus Burgravius & Fridericus Palatinus Comes Hieroſolymam petunt.

M.CLXVIII. Ungarus, ſibi auxilium præſtante Henrico Duce Auſtriæ ſocero ſuo, bellum movet Græcorum Imperatori, pro eo quòd fratrem ſuum regnum affectantem ſuſcepit & fovit, conjugio filiæ ditavit.

Eodem anno Imperator Anconam obſidet, capit. Intereaque Romam præmittit Reinoldum Colonienſem, & Chriſtianum Moguntinum cum copiis. Quibus inter Tuſculanum & Urbem, Romani cum exercitu occurrunt, committunt, vincuntur, & ad internecionem cæduntur. Ceciderunt ibi de Romanis ferè novem millia: capti ferè tria. Subſequitur eos Imperator, Leoninam urbem & porticus Eccleſiæ Sancti Petri cremat. Eccleſiam à Romanis incaſtellatam capit, & evertiſſet, ſi non religionis intuitu peperciſſet. Poſt hæc in Longobardiam iter flectit.

Cremonenſes, Brixienſes, Mediolanenſes ad locum ſuum reverſi: Laudenſes, Pergamenſes, Mantuani hoſtibus Imperii confœderati rebellant.

Eodem tempore peſtilentia gravis exercitum invaſit, & ex maxima parte extinxit. Mortui ſunt tunc de Principibus Reinoldus Colonienſis, Daniel Pragenſis, Eberhardus Ratiſponenſis, Conradus Auguſtenſis, Gotefridus Spirenſis, Hermannus Verdenſis, N. Cicenſis, Epiſcopi. Fridericus Filius Regis Conradi, Welfo junior, Berengareus de Sultzbach, de Baronibus innumerabiles.

Imperator cladem ſuorum, rebellionem Italorum, literis per omnem Imperii latitudinem declamat.

Ratiſponenſi Epiſcopo Chuno ſucceſſit, Auguſtenſi Hartwicus.

Non minus autem & in Urbe peſtis eadem deſævit: adeò, ut dicebatur, quòd mulieres maritis viduatæ, ab exteris civitatibus expetere connubia cogerentur.

*Rolandus, qui & Alexander, denuò Urbe cedit. Nam hoc eodem anno de Francia reverſus, fretus, quibusdam de nobilioribus Romanis & Guilhelmo Siculo, ſedem Lateranenſis Patriarchiis inſederat.

Imperator periculoſo itinere de Italia revertitur.

Non multo pòſt, Guido quoque à fidelibus Imperatoris Romæ locatur.

Conradus Juvavienſis conſtanter cum Rolando perſeverans defunctus eſt: eique Adilbertus, filius Regis Boemici ſororius ejus, ſubrogatur.

Inter hæc noviter electi Epiſcopi, ut conſecrationem ſuam à Chriſtiano Moguntino recipiant, ab Imperatore compelluntur.

Guido, qui & Paſchalis, moritur, & in baſilica B. Petri Romæ ſepelitur, à Romanis, præter Centios, Joannes Albanenſis Epiſcopus eligitur, & Calixtus tertius nuncupatur.

Ludovicus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ invicem guerrant: ab Imperatore de pace inter ſe facienda precibus conveniuntur, adjunctis minis ex parte Regis Francorum. Nam inter Imperatorem & Regem Angliæ fœdus & amicitia fuit, data filia ſua in uxorem Henrico Duci Bavariæ & Saxoniæ.

Hartwicus Auguſtenſis, à Chriſtiano conſecratus ordines celebrat. Albertus Friſingenſis jam quaſi liber & liberatus à ſchiſmate per mortem Guidonis, ſimiliter.

Eodem anno Rex Hieroſolymorum de Saracenis glorioſè triumphavit.

M.CLXX. Imperator natale Domini in Alsatia egit. Circa purificationem S. Mariæ, *Norimberh* Curiam celebrat, ubi Regem Boemiæ qui offenderat, de facili in gratiam recepit. Albanum Pataviensem electum à suis ab Episcopo perturbatum, spe tantùm in Episcopatum restituit, effectu minimè. Nam offensus erat ei propterea, quòd à Christiano consecrari abnuit. Ob hanc etiam causam Chunonem Ratisponensem electum graviter ibidem tractavit, & Curiam ei de hoc verbo usque in proximam Pentecosten præsignavit: quatenus aut ordines à Christiano reciperet, aut Episcopatum dimitteret.

Intrante Quadragesima Cisterciensis & Claravallensis Abbates Imperatorem conveniunt super schismate eiq; sugerũt, ut Babenbergensem Episcopum cum eis Romam destinet: quod & factum est. Sed propter Longobardorum insolentiam negotium ipsum tunc provectu caruit. Nam Episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est.

Circa idem tempus Saltzburgensis electus, ab Ulrico Patriarcha Aquileiensi consecratus est, invito Imperatore.

Pascha in Alsatia celebratum est.

EPISTOLA ἀνεπίγραφος.

Narratio de periculis atque laborib. expeditionis Asiaticæ Friderici Imp. deque ejusdem morte. Anno 1190.

CREDENTES Sanctitatem Vestram esse cupidam circa notitiam rerum ab Imperatore gestarum, ea quæ vidimus, & manibus tractavimus, sine adulterinæ falsitatis admixtione succincta brevitate vobis scribere curavimus.

Cognoscat itaque Vestræ Santitatis discretio, quòd ab amantissimo Rege Ungariæ Bela honorificè recepti, & benignè ab ipso & humaniter tractati, statim cum regnum Græciæ intravimus, in manus furum & latronum incidimus, nulla in Græcis fide reperta. Nam contra communem non violandorum legatorum legem, Episcopum Monasteriensem & Comitem Rubertum ceperant: unde cum magno labore per partes Bulgariæ procedentes, post longam viæ nostræ moram (capta prius civitate Philipoli & destructa, & famoso castro Verm. destructo, & tota circumjacente regione gladio devastata: capta etiam nobili civitate Andrinopoli, & circumjacentibus civitatibus: captaque inexpugnabili civitate Timotico à Duce Sueviæ, & infinitis de habitorib. villæ occisis: destructo etiam quodam castro, nomine Maniceta, à militibus nostris & paucis de exercitu: ubi circiter sex millia Græcorum perierunt igne & gladio: captis quoque complurimis castris, & facta magna strage Græcorum, cum etiam fame perirent: acceptis etiam à Constantinopolitano Imperatore idoneis obsidibus, redditis etiam nobis nuntiis Soldani & filiis ejus, quos ad nos missos antè ceperant) in festo Paschæ cum omni prosperitate rerum & personarum, brachium S. Georgii transivimus. Sed postmodum quæ à prædicto Impe. nobis jurata & promissa sunt, nequaquam sunt observata.

Deinde procedentes per partes Philadelphiæ, usque Laodiciam pervenimus in manu forti, omni die armata militia exercitus Christi. Inde proficiscentes feria sexta ante diem Rogationum, propter graminis & aquæ defectum, & propter diætam solito longiorem, inæstimabile damnum in equis passi, venimus ubi fluvius Mandra oritur: & cùm adhuc essent circa nos nuntii Soldanii & filii ejus, qui magna Domino Imperatori munera attulerant, & sub fidei certa pollicitatione pacem nobis firmissimam promisissent: invenimus tamen ibi in magna copia Turcorum acies contra nos ordinatas, qui ad mortem nostram missi fuerant. Sed Deo auctore & Duce, sub sanctæ crucis vexillo, diluculo feria secunda quæ prima erat Rogationum dies, in ore gladii eos vicimus, magna eorum facta strage, transeuntes eadem die fauces & angustissima montium versus Susopolim In quibus partibus in angusto quodam transitu, in vigilia Ascensionis Domini nostri magnam Turcorum multitudinem occidimus. Et quia jam equorum defectum sensimus, qui vulnerati fuerant & occisi, & propter frigiditatem segetem & herbam non invenimus, cum jam fame artari inciperemus, nec à nuntiis Soldani aliquod inveniremus consilium, à via regia quam Imperator Emanuel ire solebat, eò quòd esset deserta & longissima versus Iconium, & tota montibus clausa, necessitate coacti ad sinistram declinavimus.

In

In die Ascensionis Domini summitates montium, per quos erat nobis transitus, occupantes per montes asperrimos & viam angustissimam contra spem omnium hominum, cum summa difficultate, & magna rerum & personarum jactura, eadem die in planicie Finimini descendimus. Turci enim ex omni parte quasi Corona totum cinxerant & impugnabant exercitum: & Dux Sueviæ cum Duce de Mair, & Marchione de Badin, & aliis nobilibus & sagittariis à tergo remanserant, ad tuendum præcedentes: qui cum præmissis eorum equis, pedites descendere deberent, tanta fuit Turcorum instantia cum sagittis & fundis, & lapidibus, quòd nostri ab invicem divisi sunt, positi in magno necessitatis articulo, & Dux Sueviæ vulneratus est, uno superiori dente penitùs excusso & medietate inferioris. Quam plures etiam milites ex nostris vulnerati sunt, unus solus occisus est. Saumarii multi cum pecunia, vestibus, vasibus perditi sunt. Sed de Turcis plurimi occisi sunt. Turcorum verò vires suprà quàm dici potest quotidie augebantur. Nam statim Ducem Sueviæ cum suo exercitu, & Ducem de Finimini cum suo exercitu, Ducem de Ferma cum suo exercitu in occursum habuimus, cum infinito aliorum numero. Quibus omnibus coadunatis à mane usque ad vesperam, per omnes sequentes dies conflictum habuimus, & Deus semper posuit victoriam in manibus nostris: multis tamen vulneratis ex nostris, & multis equis occisis. Post diem verò Ascensionis, proxima Dominica, Fridericus de Hunlitra eos insequendo de equo cecidit, & fracta cervice obiit. Sequenti autem die apud Finiminum castrametati sumus: ubi cum circa vesperam castra nostra Turci aggrederentur, ita ut de quibusdam hospitiis spolia jam raperent armatis, nos in fugam eos convertimus, & ex eis ceciderunt plus quàm sex millia Turcorum: inter quos trecenti septuaginta quatuor de melioribus totius Turciæ occisi sunt, & nullus de nostris interiit: sed & equi multi occisi. Et resonabant montes ex clamore plangentium, & nox divisit nos ab invicem.

Incepit autem inter nos fames valida regnare. Vinum autem & farina ex toto defecerat, & ego cum aliis equinas carnes comedi. Defecerant autem equi fame, & nec annonam, nec segetem invenimus: & Turci die ac nocte cum tanto nos artabant exercitu, quòd nulli extra castra licebat exire. Item feria quarta ante diem Pentecostes magnam eorum multitudinem occidimus.

Post sanctum verò diem Pentecostes, invenimus Melich magni Soldani filium, & acies contra nos dispositas, & Turcorum multitudinem, circa quadringenta millia equitum, qui totam ut locustæ repleverant terram, contra quos victrices aquilas in nomine Christi à fronte ereximus, nec famem nec vulneratorum defectum sentientes. Et cùm vix sexcenti equites essemus, sub signo vivificæ crucis eos vicimus, & convertimus in fugam, ubi Melich filius Soldani ab equo dejectus est, & quatuor nominatissimi Principes ejus occisi sunt, & alii quàm plurimi. Ibi etiam quiddam accidit dignum memoriæ: Sanctus Gregorius eadem die sicut & prius, quasdam acies nostras à Ludovico de Helffenstein præcedere visus est, impendens auxilium exercitui nostro. Ipse enim Ludovicus sub jurejurando publicè confessus est, & sub religione suæ peregrinationis, coram Domino Imperatore & exercitu. Sed & ipsi Turci postmodum nobis retulerunt, se quasdam acies vidisse, candidis amictas vestibus & equis albis.

Eadem die sequentes Melicum, qui fugerat versus Iconium, post tantam victoriæ gloriam vix circa noctem venimus ad hospitium, nullumque reperimus: fueruntque homines & pecora sine cibo & potu, & quodammodo incidimus in vitæ desperationem. Nam equi qui prius remanserant, famæ & ob viæ longitudinem ferè omnes mortui sunt. Inde proficiscentes summo diluculo, cùm jam essemus prope Iconium ad miliare, accessimus viciniùs, & invenimus aquam, ubi mansimus tota feria quarta.

Sequenti verò die recepimus nos juxta quendam hortum amœnissimum clausum muris apud ipsam civitatem Iconii: ubi etiam duo nobilissima palatia Soldani destruximus. Et quoniam ultimæ vitæ necessitas imminebat, eò quòd fames nos maxima invasisset & vix haberemus jam circa quingentos milites in equis, nullumque superesset procedendi vel redeundi consilium, ipsa cogente necessitate & docente, militiam nostram in duas divisimus partes, feria sexta post Pentecosten directa via procedentes, ad capiendam civitatem: ubi (quod mirabile & credibile dictu videtur)

divino auxilio Dux Sueviæ, cum sibi adjunctis sex, occupavit civitatem, in ore gladii habitatoribus ejus occisis. Et Dominus Imperator interim manens à tergo, contra alios Turcos in campo pugnavit. Et cùm essent circa C C. millia equitum, virtute Altissimi eos expugnans, fugæ reddidit. Nec indignum memoria. Civitas enim Iconium in magnitu dine æquatur Coloniæ: ubi captis spoliis mansimus à feria sexta usque ad feriam quartam: donec Soldanus qui se & suos in castra receperat, timore mortis artatus, viginti obsides ad electionem nostram dedit, quos adhuc captivos tenemus: quia fidem promissam non tenuit.

Inde monentes castra proximo sabbato, directa via versus Jarandinum ivimus, ubi Kalendis Junii hospitati sumus. Et intempestæ noctis silentio tantus factus est terræmotus, quod putabamus super nos Turcorum acies irruisse: quod credidimus fuisse præsagium mutationis circa Dominum Imperatorem. Nam cùm inde procederemus, ivimus Caleph, ubi tantam asperitatem & difficultatem viæ in transitu montium invenimus, quòd summa jactura rerum vix pervenimus Caleph, in Dominica die, quæ fuit vigilia Barnabæ Apostoli.

Eodem die cùm Dominus Imperator per quoddam compendium transiret in convallibus montium, quandam rapidissimam aquam* salvumque eum recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio, post infinitos & intolerabiles labores quos per mensem jam erat passus, & vellet balneari in eadem aqua, & ita se refrigerare vellet natando, Dei judicio, casu lacrymali & inopinato submersus est. Cujus reliquias debita veneratione nobiscum portamus: & usque Tursoch famosissimam civitatem pervenimus, versus Antiochiam inde procedentes, maximamque rerum nostrarum spoliationem passi sumus, & continuè per sex hebdomadas laboravimus victualium penuria, eò quòd venalia non invenirentur.

Hæc de multis periculis nostris, licet pauca vobis scribere curavimus: de cætero expectantes solatium à misericordia Dei.

Epistola Adriani Papæ ad Fridericum,

Cujus etiam videtur mentio fieri apud Radevicum lib. I. Appendicis ad Ottonem

E Chronicis Jo. Naucleri, qui se eas in Hirsaugiensi cœnobio, Spirensis diœcesis, reperisse testatur.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei Friderico Romano Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem.

LEX divina sicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quòd B. Petro & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non quantam deberes exhibere reverentiam videris. In literis enim ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis à te promissa & jurata quomodo eum observes, cùm ab iis qui Dii sunt & filii excelsi omnes (Episcopis videlicet) homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis, & manifestè factus nobis contrarius, Cardinalibus à latere nostro directis non solùm Ecclesias, sed & civitates regni tui claudis? Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum à nobis consecrationem & Coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus.

AD HANC EPISTOLAM FRIDERICUS sic rescripsit.

Fride-

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Adriano Ecclesiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ cœpit Jesus facere & docere.

LEX justitiæ unicuique quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc Regno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet primogenitoribus nostris & Regni dignitatem suscepimus & coronam. Numquid tempore Constantini Sylvester, Regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed ejus pietatis concessione, libertas restituta est Ecclesiæ, pax restituta est: & quicquid Papatus vester Regalis habere dignoscitur, largitione Principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici scribimus, jure antiquo & nomen præponimus, & ad justitiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Revolvite Annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus illic invenitur. Ab iis autem qui DEI sunt, per adoptionem & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? Cùm ille noster & vester institutor, ab homine Rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persolvit, & exemplum vobis dedit ut ita faciatis, doceat vos dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Aut igitur regalia nostra nobis dimittant, aut, si hæc utilia judicaverint, quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari persolvant. Cardinalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent civitates, quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cùm autem viderimus eos, quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam inuritis, cum hujusmodi quæstiones religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Provideat itaque paternitas vestra, ne dum talia movet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. Non enim non possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam, usque ad sedem Petri reptasse videmus. Paci Ecclesiæ bene semper providentes, bene semper valete.

FINIS.

VIII.

CHRONICON VETUS RERUM

Moguntiacarum, ab anno ſalutis M. C. XL. usque ad M. CC. L. perductum:

AUTORE

Conrado, incertæ ſedis Epiſcopo.

Acceſsit Privilegium civibus Moguntìnenſibus ab Adalberto Archiepiſcopo conceſſum, Anno Domini M. C. XXXV.

In Moguntiacum Chronicon

προθεωρία.

PRÆSENS *hic rerum Moguntiacorum Commentarius, è vetusto Codice Moguntiæ quondam transcriptus, ejusdem Ecclesiæ brevem & concisam* 110. *annorum historiam complectitur: quorum postremus cum Anno Christianæ* ἐποχῆς 1250. *congruit. Enarrat autem primùm, in quantas illa pace florens opes ac divitias antiquitùs excreverit: thesaurum illius & Ecclesiasticæ supellectilis, hoc est instrumentorum vestiumque sacerdotalium, cultum ac pretium recensendo. Subiicit deinde, quomodo subsequentibus temporibus post Henrici Archiepiscopi insidiosam submotionem, & Arnoldi aulæ Imperialis apud Fridericum Barbarossam, Cancellarii suffectionem, eius denique cædem, Ecclesia simul & civitas Moguntina opibus attrita ac insigni clade affecta fuerit, urbe perduelli ac seditiosa Friderico Augusto gravissimas pœnas dante: præterea quam varias eadem metropolitana sedes iniquioris fortunæ jactationes perpessa sit, in diuturnis & perniciosis schismatibus, partim inter illius Ecclesiæ Proceres, partim inter summos Pontifices & Fridericum secundum Imp. temporibus invicem succedentibus obortis. Ac prioris illius calamitatis, & gravissimæ vindictæ Moguntinis à Cæsare irrogatæ, Ligurinus libro* I. *meminit, sic canens:*

Turribus hæc eadem quondam murisque superba,
Penè fuit toto sedes notissima Regno:
Donec ob infandum detestandumque furorem,
Strata luit meritas occiso præsule pœnas.
Inde ruinosis deformis & horrida muris
Testatur justas offensi Principis iras.

Cogitandum verò relinquo, num auctor hujus libelli haberi queat, Conradus Archiepiscopus Coloniensis, qui (teste hoc eodem Chronico) circa annum salutis 1249. *ad Moguntinum Pontificatum postulatus, sed Romana sede electionem ejus repudiante, non admissus fuit. Visum est igitur Apographum privilegii civium Moguntinensium, foribus Ecclesiæ S. Mariæ ad gradus Moguntiæ olim insculptum, ad Conradi Chronicon* εἰς τὰ προσγινόμενα *continuandum, eidem subnectere: sic ut in hocce opusculo epitome sit historica sequentium Archiepiscoporum.*

Privilegium.

Adalbertus Dux Lotaringiæ: eligitur Anno Domini	1109

Intercidunt.

Adalbertus Comes Sarbrugensis,	1137
Marcolfus Aschafenburgensis præpositus,	1141

Conradi Chronicon.

Henricus cognomento Felix,	1142
Arnoldus à Salenhofen,	1153
Rudolfus Zeringius,	1160
Conradus Comes Palatinus à Witelspach, sede pulsus,	1161
Christianus Comes de Buche Thuringus,	1164
Conradus Comes Palat. de Witelspach restitutus,	1182
Sigfridus Baro ab Eppenstein,	1200
Sigefridus Baro ab Eppenstein, prioris patruelis,	1230
Christianus præpositus Moguntinus,	1249
Gerardus Comes Sylvestris,	1251



CHRONICON
Vetus rerum Maguntiacarum;

Auctore

CONRADO EPISCOPO.

VENERABILI PATRI, DOMINO THEODORICO Abbati, & Fratribus C. Ludovico priori, Joanni, Rudolpho Sacerdotibus, C. presbyter, Episcopali nomine indignus, gaudia electis Dei ante mundi exordia præparata.

SOLENT plerunque res olim gestæ, si scriptis non fuerint commendatæ, sic oblivionis conculcari pede, ut nulla de ipsis à posteris memoria habeatur: cùm tamen earum notitia posset fortè fore aliis causa cautelæ, & instrumentum evadendi pericula vel vitandi. Quod si non fit, saltem legentibus & audientibus tædium tollitur, dum ea quæ transierunt, eis quasi quædam recentia renascuntur: unde fit ut ex hoc in admirationem ducantur vel stuporem, vel certè ad passionis gemitum provocentur. Scripturus itaque vobis jacturam & oppressionem, qua annis jam C. cœpit ruere Ecclesia Moguntinensis, ipsius invoco gratiam, cujus ea quæ sustinuit, & adhuc sustinere non desiit, mala, judicio est oppressa. Igitur ut ejus miserabilior calamitas quam patitur, & flebilior elucescat, prius quibus honorib. claruit, quibus divitiis & ornatibus referta fuerit, succinctè & breviter differemus.

Ecclesia Moguntinensis ornatus & opes.

Erant ibi purpurarum pretiosarum tantæ copiæ, ut diebus festivis totum monasterium, cùm sit tamen longum & latum, intrinsecus tegeretur, & tamen adhuc superfuerunt. Erant tapetia & dorsalia mira picturæ varietate distincta, quæ operis subtilitate & pulchritudine animos intuentium admiratione delectabant. Præter ista erant & alia, quæ super pavimentum templi, & scamna, & coram altaribus sternebantur. Erant pallæ altarium auro intextæ pretiosæ. Inter quas tres erant præcipuæ, quarum una æstimabatur posse valere marcas C. alia LX. atque aliæ non minoris vel parum minoris poterant æstimari. Erat in casulis Dalmaticis subtilibus & cappis sericeis & purpureis auro & gemmis intextis pretiosus & copiosus thesaurus. Inter quæ sex cappæ præcipuæ erant, quarum una æstimata est ad LX. marcas (sic enim & obligari poterat) aliæ quinque minoris erant æstimationis: ex iis duas ego vidi, quarum una vetustate fuit sic consumpta & attrita, quòd alicui usui non valebat: data ergo est igni, & reddebat tres marcas auri cum dimidia. Alia quæ adhuc recentior videbatur, vendita est cum una palla altaris: quid pro his acceptum fuerit, vel quò devenerit venditum acceptum, penitus ignoratur. Inter casulas autem sic de quolibet colore duo paria: duæ nigræ aurifrigiatæ, & ejusdem operis duæ Dalmaticæ, & duo subtilia, latis aurifrigiis ornata: & hæc omnia valde bona. Item duæ casulæ de samito albo, & ejusdem fili Dalmaticæ duæ; subtilia duo cum auro ornata: omnia valde bona. Item duæ casulæ de rubeo samito, & tot Dalmaticæ, & subtilia aurifrigiata valde bona. Item duæ casulæ de viridi samito, & tot Dalmaticæ & subtilia aurifrigita valde bona. Item duæ casulæ de croceo samito,

Sacrarum vestium pretium.

tot Dalmaticæ,& subtilia valde bona. Una inter cæteras erat casulas ante paucos dies violacea,latis & magnis aurifrigiis, longa & larga,aureis lunulis & sideribus insertis: quæ tanti erat ponderis propter aurum, ut plicari non posset, & in ipsa vix aliquis poterat, nisi valde robustus, divina mysteria celebrare. Vestiebantur tamen illa Pontifices & Prælati festis præcipuis cantaturi. Sed post Evangelium cantato offertorio, factis oblationibus,illam deponentes,flexibiliorem sumentes, in illa divina perfecerunt. Item multæ tunicæ diversorum colorum, videlicet rubei, viridis & violacei coloris, virgulatæ,crocei,albi, quibus utebantur ministri altarium & acolyti & chrismatis portatores. In Albis,cingulis humeralibus,stolis,& cæteris ornamentis, paucis credenda copiosa diversitas. Erant infulæ vel thiaræ XVIII. auriphrygiatæ, chirothecæ valde bonæ, XVI. annuli Pontificales boni & magni, de robino unus & impositis aliis gemmis minutis, de Smaragdo unus, de Sapphiro unus, de Topazio unus. Baculi pastorales duo vestiti argento. Caligæ octo, & tot sandalia. Hæc de vestimentis.

Thesaurus Ecclesiasticus.

Nunc de ornatu & thesauro Ecclesiæ,& primò de pertica audiatis. Erat pertica argentea concava deaurata, quæ tantum præcipuis festis, ut in Passione, Pentecoste, in dedicatione Ecclesiæ, in festo patroni gloriosi confessoris beati Martini, in nativitate Salvatoris, ante altare dependebat: in qua vascula suspendebantur, quædam eburnea, quædam argentea, formarum diversarum, omnia reliquiis plena. In horum omnium *Smaragdus ingens.* medio fulgebat Smaragdus suspensus catenis aureis duabus, habens quantitatem & spissitudinem dimidii peponis magni, & per omnia similitudinem habens peponis, & ipse concavus: huic solebat aqua infundi cum duobus vel tribus pisciculis parvis: & deposito desuper operculo, cùm movebantur pisciculi, simplices & vetulæ lapidem vivere affirmabant. Erant thuribula X. argentea deaurata, & unum aureum habens auri mar- *Thuribula & acerræ.* cas tres, & acerræ XI. inter quas una erat de lapide integro onychino concavo, habens similitudinem vermis horribilis, id est, ut bufonis: concavitas ejus patebat in dorso, ubi & circulus argenteus cum literis Græcis ambiebat. In fronte hujus acerræ, quia caput habebat simile vermi monstroso, erat lapis topazius valde pretiosus, magnitudinem habens dimidij vitelli ovi: in oculis ejusdem acerræ duo robini: quos Carbunculos vocant. Adhuc eadem acerra habetur hic, sed gemmæ non. Item erant duæ grues argenteæ concavæ, quæ solebant poni juxta altare hinc & hinc, & dorso patebant, impositis carbonibus & thure vel thymiamate boni odoris fumum per guttura & rostra emittebant. Erant autem grues tantæ magnitudinis cujus vivæ. Erant libri qui *Libri.* pro ornatu super altare ponebantur, ut Evangeliorum, Epistolarum, plenariorum, &c. aliqui vestiti ebore sculpto, alii argento, alii auro & gemmis. Erant pelues quatuor ar- *Pelues.* genteæ, Urcei diversarum formarum, quos manilia vocant, eò quòd aqua sacerdotum manibus funderetur ex eis, argenteam quædam habentes formam leonum, quædam *Candelabra.* draconum, avium vel gryphonum, vel aliorum animalium quorumcunque. Erant candelabra magna duo quæ juxta altare ponebantur argentea, & alia minora quæ super altare ponebantur, quibus rotæ supponebantur latæ propter stillicidia candelarum, *Corona.* nescio quot. Erat corona magna pendens in choro ad similitudinem ejus quæ adhuc pendet ad sanctum Albanum, & una in medio templi, atque aliæ tres minores ante al- *Cruces.* tare sancti Martini, omnes ex argento diligentiùs fabricatæ. Erant cruces argenteæ portatiles, miræ pulchritudinis, quarum duæ in Palmis, duæ in Paschate, duæ in hebdomada paschæ, duæ in Rogationibus, duæ in die Ascensionis Domini ferebantur: X. per totum. Erat & una crux tantæ longitudinis, ut totum brachium magni viri, in qua erant sanctorum reliquiæ multæ & magnæ. In medio verò continebat de ligno Dominicæ crucis ad quantitatem digiti. Ad longitudinem verò palmæ virilis; vestita erat hæc crux auro purissimo, & gemmis pretiosis & multis. Erat & alia crux lignea auro optimo vestita, in qua imago erat aurea Domini crucifixi, quæ imago cujuslibet communis hominis magnitudinem excedebat, concava, sed multum spissa, cujus venter plenus erat reliquiis & gemmis pretiosissimis. Dicebatur autem nec Romanum Imperium meliores habere. Hæc crux poterat dissolvi membratim in juncturis, primò in talo, in genubus, in femore, in humeris, in cubito, in manibus, in collo, ubi corpori inhærebat: cætera pars corporis, dorsum scilicet & venter pariter cohærebant: & hoc ideò, ut commodiùs & securiùs posset in arca sibi ad hoc deputata specialiter reservari. Hæc raro ponebatur, nisi fortè præsente Rege, vel alio magno Principe, & in festis Paschæ, vel natalis Domini, & Pontifice hoc jubente. Cùm autem hoc fieri oportebat, tunc in loco valde eminenti in templo super trabem, ubi nulli alieno patebat accessus, à ministris fidelibus locabatur. In hujus imaginis capite loco oculorum erant duæ

duæ gemmæ, quas carbunculos vocant, tantæ magnitudinis ut duo vitelli ovorum: qui in tenebris coruscabant. Huic cruci inscriptus erat versus iste;

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

Et nota quod una libra habet duas marcas auri. Sic ergo erant mille & ducentæ marcæ auri probatissimi. Nec silendum arbitror, pro speciali hujus auri examinatissimo valore, crux ipsa proprio nomine censebatur: vocabatur autem Benna.

Calices & patenæ.

De indumentis quotidianis, crucibus, calicibus, ampullis, attinentibus, & thuribulis mentionem facere propter multitudinem non bene possum. Sed quia de calicibus dicimus, subiit memoria quod fueram jam oblitus. Erant calices XII. argentei, omnes deaurati, ejusdem ponderis cum patenis, scilicet de tribus marcis, dempto calice qui pertinebat ad majus altare, & is cæteros dimidia marca præcellebat: cuilibet calici erant speciales ampullæ argenteæ, & pyxis argentea ad hostias deputata. Præter hoc calices erant tres aurei. In uno horum poterat celebrari, qui etiam suas habuit ampullas & pyxidem ad hostias ex auro purissimo & margaritis, & peram ad corporalia filis aureis insertis, miri operis & decoris. Habebant etiam calices alij suas peras ad corporalia ex purpura & auriphrigiis adornatas. Erant fistulæ quinque ad communicandum, argenteæ, deauratæ. Erant colæ argenteæ novem, per quas vinum poterat colari si necesse fuisset: præter eam quæ attinebat calici aureo, & hæc aurea erat. Hoc aureo calice solus Pontifex vel Prælatus Ecclesiæ majoris in summis festivitatibus utebatur. Alii duo calices tantæ erant quantitatis, quòd cum ipsis divina mysteria nequaquam poterant celebrari: erat enim unus major altero. Minor habebat cum patena marcas auri electissimi XVIII. in cujus pede per circuitum pretiosi erant lapides valde, & in patenæ circuitu limbus ejusdem operis ambiebat, & ipse quidem gemmis pretiosis non carebat. Calix major quot marcas auri habuerit, nescio: certum autem est, quòd spissitudo ejus erat digiti, & per totum, tam in pede quam supra, gemmis erat pretiosissimis adornatus. Habebat etiam idem calix duas ansas, quæ poterant manus replere levantis, sicut solent habere mortarii, in quibus piperata & salsa præparantur. Hujus patena talis erat latitudinis & spissitudinis, quod ipsi congruebat, & ipsa gemmis per circuitum decorata: hic calix habebat altitudinem unius ulnæ, & capere poterat dimidium sextarium vini. Nec ab omni homine poterat levari à terra commodè. Nullus me in hoc scripto arguat obsecro falsitatis. Nam Ecclesia ipsa & sedes ab omnibus Regibus & Imperatoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, liberis, &c. & omni populo venerabilis habebatur, propter Pontificum sanctitatem, cleri devotionem, civium pietatem, qui tamen in rigorem pessimum, & superbiam modò & duritiam sunt conversi. O Moguntia felix, tot bonis inclyta; si tu mutares gentem rationis ac honoris egentem.

Unde tantæ opes ecclesiæ.

Igitur quum, sicut jam suprà dictum est, sic Pontifices se haberent, & clericalis disciplina optimè servaretur, ita ut plebs clero, clerus Prælatis obedientiam & reverentiam exhiberent, invicem honorantes, invicem diligentes præsidente tunc quodam Henrico Archiepiscopo viro utique pacifico & benigno, ac multis virtutibus dotato: diabolus, qui hoc ferre non valebat, ipsi venerabili viro, quia veritatis ac pacis amator erat, lites & incommoda excitavit. Nam quia semper ei erat cordi, ut clerus honore debito gauderet, populus justitia regeretur, terra pace publica exultaret: Ecce accusatur apud Papam, quòd somnolentus & inutilis haberetur. Quod vir venerabilis ut cognovit, solennes nuntios pro sua excusatione ad summum Pontificem decrevit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem quendam Arnoldum clericum, quem ipse Archiepiscopus ad præposituram majorem promoverat jam recenter, tanquam eum qui non posset esse immemor beneficij tam noviter consecuti, & propterea eidem jam præposituram sancti Petri etiam contulerat: insuper & Camerarium constituit civitatis Maguntinensis. Erat autem idem Arnoldus miri ingenij & facundiæ, atque congestor pecuniæ infinitæ. Is itaque veniens ad curiam Romanam, Pontificatumque ambiens Maguntinensem, primùm sibi Cardinales pecunia favorabiles acquisivit: deinde duos specialiter pecunia corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodum consummaret, cum illis familiarius pertractabat.

Henricus, cognom. Felix Mogunt. Præsul Anno 1141.

Pont. Moguntinus apud Papam insidiosè accusatus.

Tandem

Tandem ab illis instructus & de se certificatus, cœpit in suum Dominum accusationis jacula dirigere, quem venerat excusare. Breviter tantum in sua processit audacia, & effecit, ut duos legatos destinari peteret hujus rei cognitores & judices: obtinuitque eosdem duos quos corruperat. Tandem tractu temporis multa intervenerunt facta, quæ sicut scribentibus esset onerosum, ita legentibus tædiosum. Veniunt ergo legati Wormatiam, Henricus Episcopus citatus comparet, nihil prætendere poterat pro se, quòd admittere vellent judices sive legati suprà dicti. Præsidentes autem judicio, in loco qui Neuhusen vocatur, Henricum laudabilem virum ab Episcopatu amovent Maguntinensi.

Arnoldus de Salenhofen, submoto Henrico, sedem Mogunt. occupat.

Arnoldum substituunt: dicebatur autem quòd Fridericus Imperator huic negotio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis vir Henricus tam manifesta perversitate turbatus, ipsos perversos alloquitur in hunc modum: Si ad sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio Spiritus, & evisceratio mentis, & evacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Jesum Christum tanquam judicem justissimum: vos cito ad ejus tribunal, ibi mihi coram summo judice me responsurum exhibeo. Non enim justè, nec secundum Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit, judicastis. At illi: Quum tu præcesseris, nos sequemur. Hæc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ M.C.V. Dominus Henricus abiit ad quoddam claustrum Cisterciensis ordinis, non monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens.

Numerus hic fallit. Dodechinus ad annum 1153. refert.

Arnoldus non moram faciens, quum fuisset, ut moris est, ab Imperatore regalibus investitus, Maguntiam venit, ibique solenniter est susceptus. Post annum ferè & dimidium venerabilis Henricus Præsul defunctus, Deo ad quem appellaverat, totum processum lachrymabiliter assignavit. Arnoldus autem primordia sui consecrans Præsulatus, purpuram optimam de almaria tollens, sibi fecit vestes, tunicam, lorcotium & mantellum, ut in Imperatoris Curia gloriosior appareret. Sed omnipotens Deus non diu sustinuit istud nefas. Orta est enim dissensio valde gravis inter ipsos cives Maguntinenses. Nam una pars dolebat vehementer, venerabilem virum Dominum Henricum ab Episcopatu amotum: alia gloriabatur & superbiebat Arnoldum substitutum. Erat enim oriundus de ipsa parte civitatis quæ *Selehofen* nominatur. Tam gravis autem crescebat de die in diem invidia inter cives, ut tribus diebus in septimana congrederentur, & per plateas cum gladiis, & fustibus, ac contis, cuspidibus, & lanceis invicem se mactarent, caderentque hinc & hinc tanquam oves occisionis. Nec se Arnoldus interponere curavit pro pace & concordia reformanda: sed suos fautores potius contra partem adversam animavit. Propter quod accidit ut pars illa de Selehofen, quam fovebat & animabat Arnoldus, majus monasterium occuparet, illoque pro castro uteretur contra adversarios. Durabat hæc dissensio dies multos, & clerus graviter oppressus contemptus habebatur: quia jam copia majoris Ecclesiæ eis concedebatur ad divinum officium exequendum, non nisi pro illorum libitu laicorum, qui illud temerè occupaverant: & jam quidem multi venerabilem Henricum conqueruntur mortis debitum exolvisse. Rem refero fratres omnibus illius seculi notissimam. Mors venerabilis Henrici multis innotuit: pervenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Episcopatu eum amoventes se promiserant sequuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt: Ecce præcessit, suo tempore nos sequemur. Et ecce transiit tempus breve, & ambo uno die moriuntur: Nam unus sedens in sede in naturæ, ut purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam ejecit, & animam miserabiliter exhalavit: alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quasi seipsum devorans, expiravit. O Deus ultionum, Domine Deus ultionum, hoc est, justum exercens judicium, & in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Audita sunt hæc in terra nostra & fama celebri divulgata, nec à quoquam aliud dicebatur, quàm: *Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici justè injuriam vindicavit.* Sic isti dies suos clauserunt.

Funestus Mogunt. civium tumultus.

Nemesis divina in falsos judices.

Crescebat autem in malum vehementius odium & pugna civium prædictorum. Iam conducuntur de foris auxiliatores milites ab utraque parte, pervenitur jam ad majores. Nam quidam Comites promissionibus attracti huic prælio se immiscuerunt. Tractatur

ab

ab utraque parte de sumptibus acquirendis: & pars quam fovebat Arnoldus, festinatum consilium invenerunt, & ut mutuo acciperent de Ecclesiæ ornatu, secretum habere tractatum. Iam integritas ipsius ornatus in parte est non modicè vulnerata. O Cardinales Cardinales, pacem de terra accepistis, & ut homines se invicem interficiant, vos fecistis. Quodcunque mali provenit, quæcunque fuerint homicidia perpetrata, vestra est in causa perversitas, vestra est iniquitas operata, ut veniat super vos omnis sanguis qui effusus est, & deinceps effundetur. Ecce in omni terra non est qui huic malo velit occurrere ad sedandum, sed crescit & intumescit mare istud plenum frementium bestiarum, ventis afflantibus utique ex inferno. Jam se immiscet Arnoldus, qui cùm esset Archiepiscopus loci, fautores plurimos acquisivit in propriæ civitatis interitum & jacturam, nolens parcere, ut quidam ei imponebant, nec sexui, nec ætati. Propter quod consilium pars adversa ut in mortem sui Domini armarentur, iniit. Longo ergo & secretissimo habito tractatu, in proposito scelere se invicem adhortantes, se roborant & conjurant, tacent & abscondunt quicquid pro sua sit malitia perpetrandum. Sed nihil opertum quod non reveletur. Per plures n. admonitus Arnoldus est præmonitus, ut se cautius observaret. Qui fertur suis monitoribus respondisse: Canes Maguntinenses mordere non norunt, nec aliquid valent quàm latratibus deterrere: à corde carentibus timeantur. Erat quidam Abbas in claustro Eberbach ordinis Cisterciensis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus sæpe literis arguit, & imminentia pericula intimavit. Erat quædam sancta virgo nomine Hildegardis, quæ per spiritum vidit ipsum Arnoldum citius moriturum: scripsisse quoque dicitur ei in hæc verba: *Pater prospice tibi, canibus enim sunt funes abstracti, qua insequuntur te.* Non autem acquievit monitis aliquorum.

Cardinales tumultus causa.

Factiosorum conspiratio in Archiep. Moguntinũ

Hildegardis fatidica.

Accidit ut in vigilia Joannis Baptistæ, post prandium, de quodam oppido Bingen civitati Maguntinensi appropinquaret, ac se in claustro monachorum juxta muros civitatis, ad S. Jacobum in monte specioso (sic enim dicitur) se locaret: & ecce Maguntinenses usque in crastinum sese armant, & constituunt, ut quum in ipso die Joannis audita fuerit campana, quilibet sit paratus: & factum est ita. Venit dies, & maturius solito prandent omnes, pulsatur campana, & à maximo usque in minimum universa civitas congregatur. Præsul Arnoldus se jam dederat quieti, & audito campanæ sonitu, ultrà quàm credi possit, vehementer expavit, & timor irruit super eum, amissoque rationis gubernaculo, quid posset facere ignorabat. Obstruxit autem repagulum & lapidibus & lignis quibus poterat, januas omnes monasterii memorati. Turba autem turbata ex adverso omnes portas & fenestras, vel quoscunque alios exitus observabat, ne evaderet quem quærebant. Iam ignem ad officinas admovebant: vix & cum multa difficultate monachi recessum obtinuerunt: & dum monasterium fumo plenum, flammisque per circuitum premeretur, ipse Præsul turrim monasterii ascendens, misericordiam deprecatur, & si quem offendisset verbo vel facto, satisfacturum se suppliciter pollicetur. Sed turba, vis[illegible] Pontifice, clamare cœpit furiosè, nec poterant supplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi vel audiri: sed admoto igne ad turrim in qua stabat, ipsum de turri descendere compellebant: flamma jam monasterio dominatur. Videns ergo monachos obtenta securitate abscedere, tentat si fortè & ipse cum eis & inter eos possit evadere. Assumpto itaque habitu monastico occultari tentat, ut & ignem qui invaluerat, & gladium evaderet quem timebat. Apertis Ecclesiæ valuis cum monachis ferè abscesserat: sed à quodam est cognitus & detentus infelix. Quidam primò gladium vibrans, collo Episcopi immersit. Alter in fronte ejus percutiens, mucrone ab aure usque ad aurem superiorem partem capitis ad inferius divisit. Sicque actum est, ut alii contis, alii fustibus, alii gladiis, alii lapidibus mactantes, solo tenus præcipitarent. Iacentem sic & vulneribus & sanguine deformatum, vulgus nequam & perversum vestibus spoliarunt, quidam anulos de digitis abstulerunt. Reliquiæ quædam quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablatæ. Hæc autem circa horam nonam parum ante vesperas sunt peracta, nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, ut saltem occisus in loco traderetur debito sepulturæ. Sic ergo jacebat in campo super fossam civitatis, ubi canum & luporum transitus habebatur, desiderantes eum & ab hujusmodi bestiis devorari. Tribus dieb. sic nudus toto corpore manens, veniunt aliquæ maledictæ fœminæ, caseorum, & ovorum atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxisq;

Cœnobium S. Iacobi.

Arnoldus Moguntinus a seditiosis civibus mactatus. Anno 1160.

dentes Pontificis contuderunt: aliæ verò stipides ardentes, & titiones fumantes ejus gutturi infixerunt, adjicientes linguis & labiis maledicta. Post diem tertium canonici S. Mariæ ad gradus, jam incognoscibilem & fœtentem, furtim sublatum deferunt in ipsam Ecclesiam, lachrymosis suspiriis sepeliendo.

Epiphonema de facinoris indignitate.

O furiam Maguntinam, ô maledicta gens, dura corde, gens immitis, gens intractabilis, gens indomabilis, gens iniqua, invisa cœlo & terræ: impia in Deum, seditiosa in invicem, temeraria in sancta pace: quam nemo neminem honorantem honoret, nemo neminem amantem amet, nemo, &c. Væ tibi infelix Maguntia, quæ propriũ patrem mactas, ut te in superbiam ponas, & parias genimina viperarum. Acta sunt hæc millesimo centesimo sexagesimo. O Cardinales, hujus rei vos estis initium. Venite ergo venite, haurite nunc, & ferte Architriclino vestro diabolo, eique offerte cum ea quam deglutistis pecunia etiam vosmetipsos.

Rudolfus Zeringius à civibus occiso successor datus.

Perpetrato hoc scelere, aliud sibi curare satagunt, nullam clericis quorum intererat eligendi potestas, licentiam concedentes. Assumptoque quodam Rudolpho, cognomine *Clobelauch*, fratre Friderici Ducis Zeringiæ, in sedem collocant, adhuc occisi Præsulis sanguine fumigantem. Hoc autem factum est, ut possent ultionem imperatoriam quam meruerant, evitare. Erat enim idem Rudolphus vir potens, amicus ipsius Imperatoris, consanguineus, propinquus. Hic pro investitura regalium, & consecratione sua, ac pallio acquirendo, quod est Pontificalis honoris insigne, consultans ac pertractans, quando sumptus non habentur in promptu, unde possint res hujusmodi acquiri, quibus in honore suo acquisitis dignitas obtineri, & obtenta valeret conservari: ei ad nutriendum ignem sumptuosæ ambitionis, quasi lignorum struem, secretiores consiliarii consilia subministrant. Thesaurus Ecclesiæ nimius & inutilis perhibetur: quid enim grues argenteæ ad fumigandum altare? posset & Ecclesia tota thurificari thuribulis cupreis abundanter. Item ad quid calices aurei & gemmati tantæ quantitatis, ut in eis non valeant divina mysteria celebrari? Hæc & similia consilia placuerunt. Quæ eò poterant faciliùs & citiùs adimpleri, quò percusso Pastore grex dispersus, jam abierat vagabundus. Rudolphus ergo jam dictus Episcopus nominatur, disponensque itineri suo, brachium ab illa magna cruce, de quo suprà mentionem fecimus, quæ *Benna* vocabatur, ad usus necessarios amputavit: fideliter promittens se reparaturum brachium æqualis ponderis & valoris, si peracto negotio prosperum iter ei faceret Deus. Proficiscitur versus ROMAM, sed prævolaverat fama ad Curiam, quæ facta fuerant manifestans: & Papa tactus dolore cordis intrinsecus de morte crudelissima Archiepiscopi, & de infamia intrusionis Rudolphi per manum laicam, & eorum maximè qui crimen homicidii perpetrarunt: ipsam intrusionem, intrudentes cum intruso excommunicationis anathemate condemnavit. Rudolphus Clobelauch ad Curiam non pervenit, inque via diem clausit extremum, proculdubio ejus crucifixi occisus brachio, cujus ipse brachium amputaret.

Rudolfus à Pontifice repudiatus.

Thesauri Ecclesiastici dissipatio.

De thesauro hoc sciatur, quòd qui olim affluxit, nunc velociùs avolavit. Magna ejus pars Imperatori creditur affluxisse, pars ab aliis ablata, pars Judæis pignore obligata, pars furtim subtracta: dispersi sunt lapides sanctuarii, non quidem in capita platearum, sed in bursas furantium.

Pœna in Moguntinos perduelles.

Quæ vindicta sequuta sit mortem Domini Arnoldi, hic credimus non tacendum. Ab Imp. proscripti perpetuo exilio, sunt damnati, hi scilicet, qui manu nephanda ipsum facinus perpetrarunt: ipsa civitas omnibus juribus & libertatibus ac privilegiis perpetuò est privata. Murus & fossatum, & aliæ turrium munitiones sententialiter condemnata, & destructa funditùs & eversa: ita ut civitas ipsa deinceps lupis & canibus, furibus & latronibus pateat pervia, nec unquam reædificandi habeat facultatem: insuper & plebs ipsa perpetua infamia subjaceat, totius deinceps exors gratiæ & honoris. Destructæ etiam sunt munitiones ipsius Ecclesiæ in diversis locis, & Ecclesia multipliciter afflicta.

Conradus Palatinus de Witelspach Archiepisc. Mog.

Successit post hoc Dominus Conradus, Imperatoris consanguineus, de Bavaria oriundus. Sed suscitavit diabolus inter Imperatorem & Archiepiscopum immortales inimicitias: quia erat adhuc misera Ecclesia Maguntinensis amplius castiganda. Causam hujus discordiæ longum esset enarrare, ideò prætermitto: nam & præsentem materiam non contingit. Dominus itaque Conradus Imperatoris non habens gratiam, Exul & pro-

& profugus fugit, Romam venit, ibique Imperatori quicquid mali poterat fabricavit Papa pro quadam causa Imperatorem excommunicavit, ortumque est grave schisma, inter Ecclesiam seu clerum & Imperium. In his omnibus, Dominus Conradus fuit Imperatori adversarius capitalis. Sic ergo iterum Ecclesia Maguntinensis Patris spiritualis est solatio destituta. Non erat qui clericos in ipsa dioecesi ordinaret, chrisma consecraret, poenitentes admitteret, moniales velaret, capellas & Ecclesias consecraret. Hæc omnia mala ob venerabilis Henrici ab Episcopatu amotionem, cujus suprà memoriam fecimus, pullularunt. O misera Ecclesia Maguntinensis, quid pateris? ô lugubre & amarum poculum, quod tibi ira Dei miscuit ad potandum.

Moguntia iterum Pastore orbata.

Videns Dominus Fridericus Imperator durum sibi fore, & contra Papam & Archiepiscopum certamen gerere, Domino Conrado adversarium suscitavit. Instituit ergo Dominum Christianum, suæ quidem Curiæ Cancellarium, loco Domini Conradi Bavari, virum utique miræ prudentiæ, in rebus ambiguis & arduis subtilissimi consilii & velocissimi inventorem. Erat etiam vir miræ patientiæ in adversis. Nulla in prosperis superbia extollebatur: vultus benignitate omnibus gratiosus, & aliàs honestis moribus adornatus. Hunc ergo quia tam Ecclesiasticarum quàm secularium personarum favorem cognovit habere, constituit Episcopum Maguntinensem. Duravit hoc schisma annis XVIII. Tandem Dominus Christianus se interponens inter Papam & Imp. ambos ad concordiam revocavit. Actumque est de Episcopatu Maguntinensi ut Dominus Christianus Archiepiscopatum Maguntinensem obtineret pacificè & quietè: & Dominus Conradus *Saltzburgensem Archiepiscopatum accipiens gubernaret. Erat enim in ipsa Ecclesia àpuero enutritus. Quieverunt mala per tempus modicum, & Dominus Christianus obiit. Obiit autem juxta Romam. Graviter ægrotanti, vicinus erat summus Pontifex, qui Episcopum ut proximaret, paternis literis hortabatur. Quumque Papa ad Archiepiscopum pervenisset, sed languor in tantum prævaluerat, ut Patri Sancto assurgere non valeret, Facta ergo confessione summo Pontifici, de manu ejus communicationem sanctam accepit, aliaque Ecclesiæ Sacramenta, & Dominus Papa facta & dicta indulgentia in pace abiit, & Dominus Christianus Deo animam reddens, mortem obiit. Audita morte Domini Christiani, Imperator intimè doluit, & universa ejus Curia, & omnes quotquot intellexerunt, gravibus suspiriis sunt turbati. Rursum etiam misera Ecclesia Maguntinensis, plorans ploravit, quòd dolor ejus renovatus est.

Christianus Comes de Buche Archiep. Mogunt. Anno 1164.

**rectius, Sabinensem.*

Anno sal. 1182.

Post hæc Principes quidam Dominum Conradum *Saltzburgensem Archiepiscopum, Imperatoris recuperata gratia reformant, ita ut ipse Imperator eundem Archiepiscopum Conradum ad Maguntinensem Ecclesiam redire postularet, quod ipse Dominus Conradus maximo desiderio affectabat. Suscipitur ergo Dominus Conradus in Ecclesia Maguntinensi tanquam fuisset Angelus Dei. In continenti autem postea gravem ponebat exactionem in clerum, & mirati sunt universi, & omnes qui audiebant dicebant: Qualis est hic, qui tributarium facit clerum? Sed convaluit hæc pressura, & ex in hoc suis deinceps successoribus relinquebat.

**Sabinensem. Conradus in Archiep. restitutus.*

Modico tempore pòst Imperator Fridericus, dum transiturus esset rivulum parvulum, qui pedibus poterat transmeari, impetu aquæ quasi submersus est. Ipse dicebatur fuisse aliquantum gravis venerabili viro Domino Henrico Archiepiscopo, & ad ipsius depositionem occultè consilium ministrasse. Huic filius suus Henricus sextus successit, quievitque terra à prœliis.

Friderici Barbarossæ mors. Anno 1190.

Iam sperabat Ecclesia Maguntinensis post tot calamitates, miserias, pressuras, jacturas, ærumnas, fletus & vulnera, in statum surgere potiorem, & Pastoris proprii protectione & præsentia consolari. Sed adhuc divina hoc ultio non admisit: nam ignis egressus de foro fœni, quem veniens ventus ab Oriente detulit super templum, combustaque Ecclesia, & libri multi & boni, privilegia quoque multa, & valde utilia sunt consumpta, etiam pars ornatus magna, partim ignibus devorata, partim per asportationem subtracta.

Summi templi Mogunt. conflagratio.

Venerabilis autem Pontifex Dominus Conradus novam monasterii fabricam inchoavit, sed non consummavit. In his omnibus nec clerus à suis se lasciviis temperavit, nec laici à sua malitia respirarunt. Post paucos annos ventus veniens ab Occidente, pinnaculum templi dejecit. Erat autem ligneum, & super ciborium antiquum collo-

Prodigiosus turbo.

collocatum. Cum tanto autem impetu in ipsam structuram ventus irruit occidens, ut quasdam trabes in Rhenum mitteret, quasdam ultra Rhenum ad miliare juxta villam *Hocheim* in aere deportaret. Certissimum à multis famabatur, quòd non ventus sed diabolus hoc fecisset. Erant enim trabes quercinæ & abiegnæ quantitatis illius, quæ in torcularibus solent esse. Ego memor sum istud ultimum accidisse. In omnibus his non est aversa ira Domini, sed adhuc manus ejus extenta.

Expeditio in terram sanctam anno 1196. Imp. Henricus 6. moritur, Anno 1198.

Post hæc iter cœpit idem Archiepiscopus transfretare, & de manibus Saracenorum eripere terram sanctam, atque restituere cultui Christiano: seipsum & alios multos cruce signavit, mare transivit, ferè tribus annis militans Domino in partibus transmarinis. Circa finem anni tertii Henricus moritur Imperator: heu, heu; væ terræ de partibus Hierosolymitanis. Redit Archiepiscopus, terram reperit desolatam incendiis & rapinis. Nusquam enim ubi Rex non est gubernatur vel potens, non potest à populo pax haberi. Desideratur ab omnibus Conradi Archiepiscopi adventus, & ecce venit desideratus, & terram invenit præliis & incendiis conturbatam, studebatque omni desiderio pacem terris, & quietem Provinciæ reformare: & hoc fecisset, si mortis debitum non solvisset. Gravi enim ægritudine fatigatus, & cùm de die in diem se convalescere speraret, subitò & insperata morte præventus Deo Spiritum reddidit, M. CC.

Anno 1200.

Audita morte Archiepiscopi, Dux Bavariæ filius fratris ejus omnem thesaurum & ornatum quem in casulis, & infulis, & cappis habuit copiosum, & Ecclesiæ donare disposuerat Maguntinensi abstulit violenter: quod tamen Deus non reliquit inultum. Nam & ipse Dux post multum temporis interfectus, turpiter interiit: neque corpori Christi participans, neque regno, ut existimatur. Equidem justè satis superque satis, ut qui beatum Martinum debito sibi decore spoliaverat & ornatu, ipse quoque cœlesti ornatu & gloria privaretur. O Altitudo & profunditas judiciorum justi judicis Dei, terribilis in consiliis super omnes filios hominum. Imperator abierat, & surgunt duo Reges pro Imperio litigantes: non est qui à malis imminentibus se abscondat. Maguntinensis Archiepiscopus non est, & duo pro eò, quis eorum fiat major, decertant. Ex utraque parte amici & fautores promissionibus & muneribus acquiruntur. Et turpe est dicere, ipsi clerici electores simoniæ vitio maculantur, & multiplicantur mala super terram, & scinditur Ecclesia Maguntinensium. Qui uni adhærent, cum eò recedunt: alii remanent cum altero. Sufficere poterat ad desolationem terræ unum schisma: sed funes peccatorum dupliciter circumplexi, difficilius dissolvuntur.

Schisma in Imperio & Pontificatu Mogunt.

Pervertunt cuncta simul hæc duo schismata juncta
Regum, Pontificum, nec novit amicus amicum.

Una pars quæ remanserat canonicorum, cum suo electo excommunicatur. Sed ipsi hanc excommunicationem se simulantes ignorare, divina celebrare non omittunt. Duravit hæc contumacia annis VIII.

Sigifrid. ab Eppenstein Pontificatu Moguntino potitur. Anno 1208. Otto 4. Imp. Anno 1209

Contigit post hæc ut Rex Philippus, qui fovebat hanc partem interdictam, occideretur in civitate Bambergensi, & hæc pars debilitata est, atq; fautores alterius Episcopi, qui de civitate exierant, convaluere. Anno Domini millesimo ducentesimo octavo. Principes post mortem Philippi Regis in Othonem conveniunt, qui fuerat adversarius Philippi pro Imperio, cujus parti etiam Papa favebat. Iste Otho maturavit ad Papam venire pro imperiali consecratione solenniter proficiscitur, consecratur: post annum excommunicatur. Eique filius Henrici Imperatoris, Rex Siciliæ Fridericus, suscitatur à Papa: redeunt mala, surgunt incendia, spolia reviviscunt. Fridericus venit de Apulia contra Ottonem: post annos aliquot Otho moritur, Fridericus dispositis prout melius potuit rebus, Romam proficiscitur, in Imperatorem consecratur: Anno Domini 1220. ab Honorio Papa. Quo mortuo, Gregorius Papa succedit. Hic etiam Fridericum excommunicavit. Lætantur prædones, & exultant lictores capta præda: convertuntur vomeres in gladios & falces in lanceas: non est qui in latere non deferat chalybem, & lapidem in præparationem incendii, & in exustionem. Omnia mala confluunt, specialiter super Ecclesiam Maguntinensem, & maximè circa partes Rheni de civitate Spirensi usque Coloniensem.

Fridericus 2. Imperator Anno 1220.

Sigefridus 3. ab Eppestein, Archiepiscopus Moguntinus. Anno 1230.

Post mortem Domini Siphridi Archiepiscopi Maguntinensis senioris, succedit Dominus Siphridus, fratris ejusdem filius: hic duobus annis laudabiliter vixit: sed quia elati cordis

cordis erat & superbiæ magnæ, nimis se contra Fridericum Imperatorem erexit: non quidem ut divinam, sed papalem gratiam obtineret. Gravi etenim infamia non solùm apud Papam, sed apud omnes homines laborabat. Hic ergo vultum & animum leonis induens, Leo factus est, & cœpit orphanos & viduas facere, villas comburere, civitates destruere, homines devorare, terram in desertum deducere, & Papæ mirificè complacere. Et quia jam inquisitionis literas contra Episcopum dederat, ex iis factis fratrem venerabilem appellabat. Hic Siphridus Episcopus malum opus operatus est, qui per flammam ignis terram depauperavit, & thesauros Ecclesiæ ablatos, prædonibus dispersit, dedit raptoribus: justitia ejus non manet in seculum seculi. Is itaque Lantgravium Thuringiæ in Regem eligi procuravit: sed brevi vivens tempore, & regnum & animam resignavit.

Cæs. Henricus Thuringa Lantgravius.

Interea Gregorius Papa moritur, sedes vacat annis duobus vel tribus. Huic autem Papa succedit Innocentius quartus, qui in Concilio Lugdunensi contra Fridericum Imperatorem depositionis sententiam promulgavit. Mortuo Lantgravio Rege, Wilhelmus Comes Hollandiæ in Regem eligitur, tantùm ab Archiepiscopis Moguntinensi & Coloniensi. Post breve tempus Dominus Siphridus Archiepiscopus etiam rebus valedicit humanis, abiens in regionem longinquam, nec tamen ideo cessant mala.

Wilhelmus Hola[illegible] contra Fridericum Rex designatus Anno 1247.

Convenerunt ergo fratres Ecclesiæ Maguntinensis tractantes de patre futuro, persuasi qui posset ipsam tot & tam gravibus oppressam miseriis, & tanto tempore jam plorantem, paternis affectibus consolari: & concorditer in venerabilem virum Dominum Conradum Coloniensem Archiepiscopum vota sua transtulerunt: postulantes à sede Apostolica, ipsum sibi præfici in Pastorem: sed heu heu, hoc non poterat obtineri: non est hæc postulatio admissa, sed electio capitulo restituta. Et ne Archiepiscopus Coloniensis ægrè ferret suum desiderium non completum, ipsi legationis dignitas est commissa. Consedere rursum fratres Ecclesiæ Maguntinensis, eligunt suum præpositum nomine Christianum, qui à cunabulis fuerat in ipsa Ecclesia enutritus. Eadem die est à legato, qui tunc erat præsens, confirmatus, & à Rege regalibus investitus, die Petri & Pauli. Omnia hæc acciderunt uno anno, scilicet quod Dominus Coloniensis est postulatus: quòd factus est legatus, quòd Dominus Christianus factus est Episcopus, & consecratus; quod pallium est assecutus. Omnes religiosi, & qui Deum præ oculis habere credebantur, super hujus hominis promotione gaudebant, sperantes pacem rebus dari maximè, quia idem bellicis rebus non fuerat assuetus: etiam qui negotio fuerant inimici, congratulantur ei. Sed non stetit diu in Episcopatu: accusatur enim apud Papam, quòd omnino inutilis esset Ecclesiæ, & quod evocatus ad expeditiones Regis invitus veniret: hoc autem verum erat, eò quòd fierent incendia, sectiones vinearum, devastationes segetum. Dicebat etenim, nequaquam decere alia sacerdotem. Sed quicquid deberet per gladium Spiritus, quod est verbum Dei, omnimodè se promptum asserebat, & voluntarium servitorem. Quumque ejus prædecessorum sequi vestigia moneretur, respondit: scriptum est, *Mitte gladium in vaginam.* Ob hoc in odium Regis & multorum incidit laicorum. Qui omnes eum accusantes, apud Papam obtinuerunt, eum ab Episcopatu omni submoveri. Cessit ergo Anno Domini M. CC. LI. Substitutus est autem ab eodem legato adolescens Subdiaconus, Gerhardus nomine, filius Comitis Conradi, qui dicebatur Sylvester Comes. Hunc autem substituit Cardinalis presbyter & legatus, inductus à quodam Henrico Archiepiscopo* Herburgdunensis, qui socius erat ipsius legati: nec tamen hoc ipse Henricus Archiepiscopus consuluit, sine causa: acceperat enim occultè C C. marchas pecuniæ numeratæ à Gerhardo, quem idem Archiepiscopus institui procuravit. Nihil opertum quod non reveletur. Præter has autem C C. marchas factæ sunt destructiones multæ Ecclesiæ Maguntinensis.

Christianus 2. Archiepisc. Moguntinus Anno 1249.

Digna vox Episcopo.

Matth. 26.

Pius Pontifex exauctoratur [illegible]. Gerardus comes Sylvester en. Archiepiscopatum.

** forte [illegible], Ebroicensis.*

Privi-

Privilegium civibus Mogutinensibus Concessum, anno Domini M.C.XXXV.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Adalbertus Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Apostolicæ sedis legatus. Quòd hujus mundi cursus & gloria mutabilitati assiduè subjecta sint, multorum exemplo didicimus. Sive prospera extollatur, vel adversa dejiciatur, cujusdam sapientis consolatione admonemur, dicentis: quòd viri sit prudentis privilegium nil magni ducere transitorium. Novit ubique tam præteritorum quàm præsentium conscientia, quæ vel quanta in me fecerit Dei misericordia. Cognoscat etiam quæso futurorum per me successio, quantos ex alto prosperitatem comitentur casus & dejectio. In medio etenim prosperitatis meæ cursu, Henricus quintus, ut nostis, Imperator, post multa beneficia, non nisi propter Romanæ Ecclesiæ obedientiam, carceris etiam mihi captivo tenebras intulit & latibula. Ibi profectò longo moratus tempore, primi Pastoris omnium consolationem, dicentis: Si quid patimini propter justitiam, beati, reduxi memoriæ. Memini etiam in mœrore Isaiam incarceratum, in sectionem serræ servatum. Danielem innocentem de lacu leonum liberatum. Denique post multas tribulationes contritos corde visitans ex alto Deus, corda fidelium Moguntinensis metropolis ad hoc permovit, ut suum conarentur liberare captivum. Tam diu itaque clerus, Comites, liberi cum civibus & familia, præfato Imperatori Henrico insistentes, elaboraverunt, donec me tandem, datis obsidibus charis filiis & propinquis, corpore ex toto attenuatum, vix semivivum, sicut fideles filii patrē in sua receperūt. Sed quā cautè, quā honestè, quā justè obsides haberentur, sine mœrore nemo loqui poterit. Nam alij membris truncati redierunt, alij fame, alij exilio deputati, alij nuditate & corporis ægritudine præoccupati, perierunt. Hæc & his similia fideles Moguntinensis civitatis cives, pro justitia passi sunt. Quæ verò in defensionem civitatis suique honoris pertulerunt, satis omni regno patet.

Pet. Henricum quintum Imperatorem hic accipiendus Henricus quintus Rex.

Mihi igitur cogitanti, quid eorum bonis & tantis recompensarem meritis, occurrit, ut sicut ipsi pariter meo communicaverunt labori: sic omnium aliquid conferrem honori & utilitati. Communicato ergo primorum consilio clericorum, dico Comitum, Liberorum, familiæ & civium, habitantes infra ambitum muri civitatis præfatæ, & manere volentes, hoc jure donavi, ut ad nullius Advocati placita vel exactiones extra murum expeterentur, sed infra sui nativi juris essent, sine exactoris violentia: quia cui tributum tributum, cui vectigal vectigal gratis, nullo exigente, persolverentur?

Vt autem hæc donatio rata & inconvulsa ad Pastores transeat, sigillo nostro confirmantes, subscriptis testibus, signari jussimus. Huic quidem primæ traditioni interfuerunt, viri venerabiles, Bruno Spirensis Episcopus, Boco Wormatiensis, Emrico Herbipolensis. Anshelmus majoris Ecclesiæ Præpositus, Cezolfus Decanus, Richardus cantor, Arnoldus Præfectus civitatis, Fridericus Comes de Arnsburg, Hermannus de Wintzenburg, Sigbret & Fridericus Comites de Sarenburcke, Comes Goswinus de Statloch, Comes Bertoldus de Nuringen, Comes Gis. de Utensberg, Udalricus de Hattstein, Regenbuldus & Gerlacus de Isenberg, Soltgolt de Nidda, Wiger de Haselstein, Waltherus de Husen. Ministeriales Embricho & filius ejus, Embricho vicedominus, Ruthardus de Waldere, Iutfridus, Orto, Reinhardus, Dudo, Hertwicus, Dudo, Ernestus villicus, Ruthardus, Walboto.

Secundæ autem confirmationi interfuerunt, Henricus majoris Ecclesiæ & S. Victoris Præpositus, Albertus, Henricus custos, Hartmannus Decanus, Gusbertus Præpositus, Wilhelmus Comes de Lutzenburg, Dux Fridericus. Item Præfectus civitatis Arnoldus, Arnoldus Comes & frater ejus. Rupertus de Lutzelnburg, Comes Hermannus de Salmis, & frater ejus Gerlacus, Comes Gerhardus & frater ejus, Henricus de Bercbach, Henricus de Katzenelnbogen, Damnus & Sigebodo de Bucho. Ministeriales Embrico vicedominus de Geysenheim, Meniga Camerarius civitatis, Dudo frater ipsius Camerarii, Dudo Scultetus, Obrot de Richelhein, Arnoldus. Item Arnoldus, Hilperich, Hermannus. Officiales Folpertus, Elo frater ejus, Ruthardus, Wernherus, Engelwurt, Dudo. Facta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1135. indict. 12. & confirmata regnante Domino Lothario Imperatore, ejusdem nominis tertio, anno regni eius 9. Imperii verò 2. feliciter, Amen.

FINIS.

IX.

DE REBUS IN INSUBRIBUS ET EUGANEIS, HOC EST, LOMBARDIA & Vicina Marchia Tarvisina gestis,

circa ea tempora, quibus Fridericus secundus Romani Imperii clavum tenuit, usque ad Annum Christi, M. CC. LXX. libri tres;

Auctore

N. SANCTÆ JUSTINÆ PADUANÆ MONACHO.

Typis nunc primum evulgati.

DE PRÆSENTI
Scriptore commonefactio.

ETSI mei inprimis consilii fuerit, aliquot Germaniæ Scriptores, qui jam inde ab Henrici quarti ævo gentis illius res memorabiles à novercantis vetustatis injuria vindicarunt, præsenti volumine coagmentatos in Doctorum oculos proferre: fuere tamen rationes nonnullæ, quibus me non usque adeò præter instituti rationem egisse arbitror, quòd hunc exoticum incogniti nominis auctorem, Insubrum potiùs quam Germanorum res persequentem, in domesticorum consortium admiserim. Desideranti namque mihi de Friderici secundi gloriosissimi Imperatoris vita & gestis Scriptorem quempiam veterem, qui ad perpetuam Cæsarum historiam concludendam, præcedentibus ritè subjici posset, nec tamen quoquam occurrente, nisi fortè P. de Vineis, aliorum sumptu excusum cum invidia mihi vendicare voluissem: equidem Scriptor hic, à Nobili Viro Gotfrido à Raming, Germanicæ antiquitatis indagatore diligentissimo, amico optimo, peropportunè mihi communicatus fuit, quem & hocce historicorum choro neutiquam indignum judicavi. Scilicet, quod facinora narret, quæ & in Friderici secundi tempora inciderunt, quibus monachus hic æqualis fuit: quæque ab Augustalibus vicariis, Vberto marchione Palavicino in Lombardia, ac Comite Ecelino ejus nominis tertio, in Marchia Tarvisina, pro Imperii Majestate tutanda, sunt patrata. Ecelino præsertim (comite præpotenti, dicto de Romano, à quodam in Euganeis oppido (cujus nomen ea tempestate non solùm ob virtutem & felicitatē bellicam, sed & ob immanitatem universæ togatæ Galliæ formidabile extitit) genus & proavos ad Germanos referente. Tradunt enim Ecelinum quendam, Alberici viri apud Saxones equestris filium, cum Ottonis tertij Imperatoris copiis, equitum magisterio fungentem, in Italiam pervenisse, ibique ob permulta spectatæ virtutis specimina, fidaque summo Principi præstita obsequia, castro Onaræ ac comitatu Bassani, in prædicta Marchia sitis, cum multis jurisdictionibus, clientelis & privilegiis, donatum fuisse, unde posteritas ejus in summam opum ac virium amplitudinem excreverit. Cæterum quomodo hæc eadem tristissimo fato Ecelini tertij & fratris ejus Alberici, opibus ac fortunæ successibus ad summam libidinem & crudelitatem abutenti bus, subitò conciderit, præsens historia docet: idemque Iovius in vita Ecelini, quem Actiolinum tyrannum nominat, eleganter & prolixè narravit. Proin Onarianæ Domus genealogiam, è Petro Gerardo Paduano, qui Ecelini σύγχρονος, illius ortum vitamque, sed lingua vernacula scripsit, depromptā, subnectere visum est, ad præsentis historiæ telam rectiùs percipiendam.

Quoniam verò nomen Auctoris in Ramingiano exemplari (quod in antiquis codicibus non est insolens) nusquam expressum reperiretur: oportuit utique ex contextu aliquam de ipso conjecturam facere. Arbitror autem, me tum ex aliorum locorum liberatione, tum verò ex eo, qui sub anno 1236. habetur, rectè colligere, Scriptorem hunc S. Iustinæ Paduanæ monachum extitisse. Sic enim ibi disertè scribit: Abbas Andreas (*intelligite S. Iustinæ*) fecit fieri dormitorium NOSTRUM, cum Capitulo, &c. *Verùm id candido lectori dijudicandum relinquo.*

FAMILIA ONARIANA, BASSANI COMITUM.

- Albericus Saxo — Ecelinus cognomento Teutonicus, Bassani Dominium dono nactus.
  - N. de Onara, Jeremias de Limena Paduanus, maritus.
  - N. de Onara, Jacobus de corvo Tarvisinus, maritus.
  - Ecelinus d' Onara cognomento Balbus. Auria de Baone Paduana conjunx.
    - Ecelinus cognomento monachus. Uxores: 1. Agnes Estensis. 2. N de Deslemanino. 3. Cecilia Baonia. 4. Adelheidis Comitissa de Mangano: unde ex uxore,
      - ¶ *Tertia.* Agnesa d' Onara - Ansedisius, Paduæ præfectus. Antonius de Guidoti.
      - ¶ *Quarta.* Palma, Albertus de Baone.
      - Æmilia, Albertus Comes Vicentinus.
      - Sophia, Saliniguerra Estensis.
      - Ecelinus tertius, natus anno 1194 sine liberis in carcere obiit, anno 1259.
      - Beatrix de castello novo, uxor
      - Albericus — Margarita
        - Adelheidis, Reinaldus Estensis.
        - Joannes, Albericus, Romanus, Ecelinus, Hugolinus, Cormalsc⁹ — in frusta concisi.
        - Griseida, Amabilia — unà cum matre combustę
      - Cunissa, Richardus Comes
    - Cunissa d' Onara, Tixo de campo S. Petri.
      - Gerardus de campo sanctopetrino.
      - Tixo junior.



RERUM IN LONGOBARDIA ET VICINA Tarvisina Marchia gestarum,

Liber Primus.

EOrum quæ ab initio mundi facta sunt usque nunc, notitiam minimè haberemus, nisi proborum virorum diligentia descripsisset: in quibus vitia & scelera malorum hominum arguuntur, virtutes verò bonorum & opera laudabilia commendantur. Historiographorum itaque vestigia pro nostro modulo imitantes, quædam quæ nostris temporibus facta sunt in partibus Marchiæ vel Lombardiæ, seu etiam extra fines Italiæ in præsenti Opusculo decrevimus sub compendio literis declarare: ut posteriores hæc legentes præteritorum memoria instruantur, quid circa præsentia vel futura eligere debeant vel vitare. Sed cùm sit omnibus manifestum, quòd concordia parvæ res crescunt, discordia verò maximæ dilabuntur; Patet igitur quòd concordia est totis viribus eligenda & discordia modis omnibus evitanda.

I. *Qualiter Azzo Marchio Estensis in Verona suos adversarios superavit.*

Azzo Estensis Marchio ab Ecelino & Monticullis Verona eiicitur.

ANNO itaque Domini, M. CC. VII. cùm Vir Illustris Azo Marchio Estensis de voluntate partium Comitis, videlicet sancti Bonifacii & Monticullorum, civitatis Veronæ regimen suscepisset, & prudenter in suo regimine se haberet: Monticulli, favore Ezelini de Romano, qui vitam terminavit in hæretica pravitate, facta conjuratione contra eum Azonem Marchionem, de Verona ipsum subitò ejecerunt. At ille, utpote Vir magnanimus & astutus, tantum dedecus vindicare intendens, amicis suis undique congregatis, in manu valida ivit Veronam, parte Comitis S. Bonifacii præbente sibi auxilium & favorem. Ezelinus econtra, collecta multitudine bellatorum, in subsidium Monticullorum perrexit Veronam. Et factum est prælium equestre maximum in brayda Veronensi: in quo pars Marchionis & Comitis adversarios strenuè superavit. Mantuani verò conducti pecunia, communiter cum Carotio venerunt in auxilium Marchionis. Unde Monticulli cum omnibus adhærentibus sibi nimio terrore perterriti, octavo die intrantis Septembris, noctu civitate dimissa fugerunt, salvare personas solummodò cupientes. Hoc fuit initium malorum, non solùm prædictæ civitatis, sed & Marchiæ Tervisinæ & Lumbardiæ. Ex tunc Marchio & Comes Bonifacius toto tempore vitæ suæ Veronæ Dominium habuerunt. Monticulli verò arcem Gardæ capientes, in ea se fortiter munierunt.

Pugna inter Ecelinum Monachum & Marchionem Estensem.

Qualiter Monticulli fuerunt capti.

ANNO Domini M. CC. VIII. Monticulli viriliter Burgum Piscariæ intraverunt, & per districtum Veronæ frequentissimè discurrentes, incendiis & rapinis omnia devastabant. Tunc Marchio & Comes cum exercitu magno Piscariam undiqúe obsederunt, & tandem captos Monticullos in compedibus posuerunt.

De Ottone Imperatore coronato, confestim excommunicato à Papa Innocentio tertio.

Otto quartus Cæsar.

ANNO Domini M. CC. IX. circa hæc tempora Otto Dux Saxoniæ in Regem Alemanniæ electus, descendit de Alemannia, & venit in Lombardiam cum exercitu copioso. In cujus adventu terribili, tremuit Italia nimio pavore concussa. De mandato itaque istius Monticulli sunt à vinculis absoluti. Iste in omnibus utebatur consilio Eccelini & Saliniguerræ: Marchionem verò & ejus amicos habebant. Perrexit igitur Romam, & apud S. Petrum est à Papa Innocentio coronatus. Quo facto, exaltatum est cor ejus, & sprevit summi Pontificis admonitionem pariter & mandatum. Papa verò Innocentius statim eum publicè anathematis vinculo innodavit: & ab illa hora ejus cœpit inclinari superbia, donec paulatim ad nihilum est redactus: & quantò fuit gradus altior, tantò gravior casus est sequutus.

De promotione Domini Arnaldi Abbatis.

EODEM Anno Dominus Stephanus Abbas S. Justinæ, in mense Majo, desiderio arctioris vitæ resignavit Abbatiæ & in Venda vitam heremiticam duxit, ibique in pace quievit. Cui successit Abbas Arnaldus, religione laudabilis & discretione compunctus, & in universa morum honestate præclarus.

Qualiter Otto est à Rege Franciæ superatus.

ANNO Domini M. CC. X. Reversus est Otto Imperator in Alemanniam, excommunicationis vinculo innodatus: & congregato exercitu maximo perrexit adversus Philippum Regem Francorum, cui associati sunt quidam Principes, Regis Franciæ proditores. Sed Francigenæ suæ antiquæ memores probitatis, unanimiter contra inimicos impetum facientes, incredibilem de Imperatoris exercitu victoriam habuerunt. Caussa verò hujus prælii dicitur hæc fuisse, quia Imperator dicebat Regem Franciæ liberaliter promisisse civitatem sibi Parisios se daturum, si Otto unquam Romanum Imperium obtineret. Rex verò considerans, se incautè illam promissionem fecisse, decrevit potiùs tam arduam quæstionem belli esse judicio terminandam.

De ascensu Friderici in Alemanniam, & de ejus electione in Imperatorem futurum & Regem Alemanniæ.

Fridericus 2 Cæsar.

ANNO Domini M. CC. XI. istis temporibus Fridericus adolescens, Rex Siciliæ, filius quondam Henrici Imperatoris & Reginæ Constantiæ, quæ fuit filia Rogerij Regis Siciliæ, de mandato magnifici Papæ Innocentij per Lombardiam cum auxilio Marchionis Estensis ascendit in Alemanniam confidenter. Quem ita gratissimè Prælati & Principes Alemanniæ susceperunt, quòd pauci remanserunt de Principibus cum Ottone. Tandem ipsum in Regem Alemanniæ & in futurum Imp. concorditer elegerunt.

De morte Marchionis Estensis Azonis.

ANNO Domini M. CC. XII. sicut placuit ei qui aufert spiritum Principum, Azo Marchio Estensis, & Comes S. Bonifacii, de hac vita, in mense Novembri, & in civitate Verona, sub paucorum dierum spatio sunt subtracti. Unde potuit congruè dici de ipsis: Gloriosi Principes terræ, quomodo se in vita sua dulciter dilexerunt, ita & in morte minime sunt separati. Reliquit autem Marchio Estensis duos filios, Aldrenandinum jam adolescentem, & Azonem infantulum cum propria genitrice. Similiter Comes S. Bonifacii reliquit duos filios, Ricardum majorem, & minorem nomine Gulielmum.

Azonis Estensis mors & liberi.

Qualiter Mediolanenses à Cremonensibus sunt devicti.

ANNO Domini M. CC. XIII. Mediolanenses, qui partem Ottonis fovebant, cum exercitu infinito super districtum Cremonensium irruerunt. Quibus Cremonenses,

qui exaltationi Principis Friderici summo desiderio affectabant, apud castrum Leonis viriliter occurrerunt, incœptoque bello in die Pentecostes Mediolanenses terga vertentes, militum & peditum non modicam quantitatem simul cum Carrotio amiserunt. Ex illo itaque tempore fama Cremonensium est per populos divulgata: virtus etiam eorum & audacia tanti triumphi est præconio plurimùm augmentata.

De obsidione arcis Estensis.

EODEM anno, cùm nobilis Marchio Aldrenandinus nollet communitati Paduæ subjacere, Paduani arcem Estensem cum machinis obsederunt. Videns autem Marchio Aldrenandinus se non posse amicos suos, qui obsidebantur, commodè adjuvare, pariterque sciens, quòd durum est contra stimulum calcitrare, coactus juravit, sicut civis communi Paduæ in omnibus obedire: & sic exercitus ad propria remeavit.

Aldrenandinus, Azonis F. Marchio Estensis.

De pace partium Veronæ.

PER idem tempus, cum Monticulli sex annis & duobus mensibus extra Veronam fuissent, potestas Paduæ Marinus Zeno & Paduani communiter compositionem inter ipsos & partem Comitis tractaverunt, & circa festum beati Martini introduxerunt eos pacificè.

De repressione intempestivæ audaciæ Monticullorum.

ANNO Domini M. CC. XIV. Monticulli non considerantes, quòd in omni negotio temporis est opportunitas observanda, intempestivè cœperunt contra partem Comitis calcitrare. Pars verò Comitis expulsa potestate communi, Peccorarium suum civem in potestatem constanter elegit: virum utique sapientem & politica scientia decoratum. Monticulli autem impares viribus se videntes, tunc temporis sub adversariis humiliter quieverunt.

De obsidione turris Baybæ.

ANNO Domini M. CC. XV. in mense Octobri, Paduani turrem Baybæ obsederunt, sed superveniente inundatione nimia pluviarum, obsidionem dimittere sunt compulsi, ibique jacturam in rebus & personis non modicam sunt perpessi.

Inimicitia inter Venetos & Patavinos.

De morte Aldrenandini Marchionis Estensis.

EODEM tempore cùm Marchio Aldrenandinus, de Comitibus Celanæ, qui partem Ottonis fovebant in Marchia Anconitana, nobiliter triumphasset: in ipso fervore juventutis naturæ legibus satisfecit. Ille fuit ita magnanimus, quòd subiisset omne periculum pro gloria & potentia obtinenda. Tunc remansit in honorabili domo Estensi Azo frater ejus, puer parvulus, multis debitis & angustiis oneratus.

Aldrenandinus Marchio Anconæ moritur.

Azo quintus Estensis.

Eodem etiam tempore in mense Novembri factum est Romæ Concilium generale sub Papa Innocentio tertio, viro magnifico & prudenti, cujus magnanimitas & constantia super alios homines excellebat.

Synodus Romæ.

De origine fratrum Prædicatorum & Minorum.

CIRCA hæc tempora divina providentia protrusit ad ortum de misericordiæ suæ thesauris duo magna luminaria, ordinem videlicet Prædicatorum & fratrum Minorum, quos Deus in firmamento Ecclesiæ stabilivit, & per ipsorum doctrinam lucidam & apertam & honestæ conversationis splendorem, totum mundum errorum tenebris involutum mirabiliter illustravit. Horum Ordinum præceptores fuerunt, viri probatissimi, & multiplici decore virtutum plurimùm insigniti, Dominicus scilicet & Franciscus: qui quasi duæ tubæ Moysi dormientem mundum in vitiis & peccatis terribili prædicationis clangore, ad pugnam contra hostem triplicem excitârunt. In omnem quippe terram exivit sonus eorum, & usque ad fines orbis eorum verenda religio est brevi tempore dilatata. Unde tum consideratione vitæ sanctissimæ, multis miraculis approbatæ, tum intuitu doctrinæ cœlestis, qua corda hominum rigaverunt, meritò tam ab Ecclesia triumphante, quàm militante sunt in sanctorum numero computati.

SS. Dominicus & Franciscus.

De obitu Innocentii Papæ, & Honorij electione.

Honorius 3. Pontifex.

ANNO Domini M.CC.XVI. obiit Innocentius Papa tertius apud Perusium: cui successit Honorius Papa tertius.

De obsidione Damiatæ.

ANNO Domini M. CC. XVII. in istis temporibus transivit mare Christianorum maxima multitudo, in subsidium terræ sanctæ: & habito prudentum consilio, Christiani cum navibus infinitis in manu valida intraverunt Ægyptum, & Damiatam munitissimam civitatem multo tempore viriliter obsederunt.

De collectione exercitus Saracenorum contra Christianos.

ANNO Domini M. CC. XVIII. cùm vidisset Soldanus Babylonis Christianos Damiatam instantissimè obsidere: protinus Reges Saracenorum de Syria & Arabia & aliis provinciis, in suum auxilium convocavit, & exercitus Christianorum cepit undique viriliter impugnare; excepto, quòd iter fluminis eis non poterat prohibere. Regebat autem tunc Christianos Joannes Rex Hierosolymitanus, vir strenuus, & forma præ filiis hominum speciosus, & magister Pelagius S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

De victoria Damiatæ.

ANNO Domini M. CC. XIX. istis temporibus post longam & laboriosam obsidionem exercitus Christianorum obtinuit Damiatam, quæ est in Ægypto super fluenta Nili, qui à Mose Geon in Genesi appellatur.

De Federico Imperatore coronato.

Friderici augustalis inauguratio.

ANNO Domini M. CC. XIX. Federicus secundus Rex Siciliæ & Apuliæ, & Dux Sueviæ descendens de Alemannia ivit Romam, & ibi accepit coronam Imperii à Papa Honorio, in die beatæ Ceciliæ: deinde in Regnum Apuliæ intravit, interfectis & expulsis rebellibus, ipsum sibi feliciter subjugavit. Ipse de montibus Siciliæ per gravia bellorum pericula deposuit Saracenos, & transferens eos in Apuliam, fecit ipsos in civitate Nucera communiter habitare.

Qualiter amissa est Damiata.

ANNO Domini M. CC. XXI. cùm exercitus Christianorum ad superiores partes Ægypti expugnandas transisset, inundatione Nili subitò est circumfusus. Cumque Christiani nec procedere possent nec redire valerent, aquis & exercitu Saracenorum undiq; circumsepti, coacti sunt pro redemptione sua reddere Damiatam: dimissique à Saracenis ad propria cum tristitia sunt reversi. Porrò Ægyptii lætati sunt de profectione eorum, quod timor eorum incubuerat super eos.

De apparitione cometæ, & obitu Ludovici Regis Franciæ.

ANNO Domini M. CC. XXII. apparuit cometa in mense Septembri. Tempore subsequenti obiit Ludovicus Rex Franciæ, qui multum pro Ecclesia laboravit contra Comitem Tolosanum fautorem hæreticorum & audacissimum defensorem: cui successit in Regno ejus filius Ludovicus.

De terræmotu magno.

ANNO Domini M. CC. XXIII. in die natalis Domini, inter sextam & horam nonam, per totam Italiam factus est maximus terræmotus: sed super omnes urbes Italiæ civitas Brixiensis incredibiliter conquassata maximum damnum sustinuit, in rebus, domibus & personis.

De obsidione Ferrariæ.

Comes S. Bonifacii sub specie pacis comprehenditur.

ANNO Domini M.CC.XXIV. Azo Marchio adolescens & Ricardus Comes S. Bonifacii cum Veronensibus & Mantuanis Saliniguerram in Ferraria obsederunt. Sed quum ille esset callidus & astutus, Comiti sub compositionis specie intrare Ferrariam persuasit: capiensque ipsum & omnes qui secum erant ingressi, ab obsidione Ferrariam liberavit. Post modicum verò tempus facta compositione, Comes fuit à vinculis absolutus.

Qualiter

Qualiter Federicus habuit regnum Ierosolymitanum.

CIRCA hæc tempora mortua Constantia Imperatrice, filia Regis Arragonum, de qua Regem Alemanniæ Henricum habuit Imperator Federicus, ipse Isabellam, filiam Joannis Regis Ierosolymitani, accepit uxorem: de qua genuit Conradum, quem dilexit tenerissimè super omnes: & sic regnum Ierosolymitanum occasione hujus matrimonii est adeptus.

De proditoribus Veronæ, qui dicti sunt quatuor viginti.

ANNO Domini M. CC.XXV. multi viri Nobiles & potentes ex parte Comitis S. Bonifacii corrupti pecunia Saliniguerræ, Monticullis adhærentem Virum Clarissimum, Comitem scilicet Ricardum cum sua parte de Verona subitò expulerunt: & tunc primò pessimus Ezelinus adjungens se prædictis, incepit habere Dominium in Verona. Mantuani verò Comitem cum amicis suis sub protectione alarum suarum amicabiliter receperunt, ipsumque in præliis modis omnibus adjuvabant. Tandem post multorum malorum perpetrationem facta fuit compositio inter Comitem & adversarios, mediantibus rectoribus Lombardiæ.

Ecelinus terræ Veronæ Dominium invadit.

De primo adventu Federici in Lombardiam, postquam fuit coronatus.

ANNO Domini M. CC. XXVI. cùm Federicus Imperator esset magnificatus divitiis & gloria, & clarissima copia filiorum super omnes Augustos à Carolo citra, qui fuerant inter eum, aspirare cœpit modis omnibus ad Dominium Lombardiæ: & pacificè de Apulia venit in Lombardiam, & tam Cremonæ quàm etiam Ravennæ colloquium habuit cum amicis, volens amacibiliter Lombardorum animos mitigare. Sed Mediolanenses cum multis aliis civitatibus in sua duricie permanserunt, ejus verba pro nihilo reputantes.

De Papa Gregorio & Federico Imperatore discordibus inter se.

ANNO Domini M. CC.XXVII. obiit Honorius Papa tertius: cui successit Gregorius nonus Episcopus Ostiensis. Iste sub pœna excommunicationis Imperatori præcepit, ut pro recuperatione terræ sanctæ mare transiret, secundum Magnificentiam Imperatoriæ Majestatis. Imperator autem de hoc negotio intromittere se nolebat: veruntamen ne præceptum Apostolicum omnino spernere videretur, cum exercitu galearum in Syriam navigavit, & taliter cum Soldano pepigit Babylonis, quòd ipse Jerosolymam & quasdam alias civitates reddidit Christianis.

Gregorius 9. Papa.

Audiens itaque Papa Gregorius, quod tam potentissimus Imperator admodum pyratæ mare transisset, in quo tremendum nomen Romani Imperii apud Barbaras nationes minui & deprimi videbatur, eum excommunicationis vinculo innodavit: & mox misit exercitum in Apuliam, ut eam Ecclesiæ subjugaret. Quod audiens Imperator, velociter in Apuliam est reversus. Tandem facta est concordia inter eos, & cessavit quassatio præliorum.

Caussa excommunicationis Friderici Imp. NB.

Eodem anno Dominus Bonifacius Vidonis de Vizardo de Bononia potestas Paduæ: & eo tempore fuit nix maxima per totum mundum.

De venerabili Arnaldo Abbate S. Justinæ.

ANNO Domini M. CC.XXVIII. venerabilis Abbas Arnaldus fecit fieri fossatum, & induxit aquas fluvii, qui est S. Justinæ, ibique fecit optima molendina. Hoc fuit opus egregium, & à fratribus monasterii diligenter memoriæ commendandum.

Rivus in S. Justinæ cœnob. ductus.

Eodem anno circa festum S. Prosdocimi, obiit Jordanus Episcopus Paduanus: cui successit Dominus Jacobus Archipresbyter Ecclesiæ majoris: vacuit autem Episcopatus aliquot mensibus.

Per idem tempus mortuus est Jacobus, filius Dalesmanini: de cujus malitiosa calliditate timebant plurimùm Paduani, ne statum Paduæ perturbaret: sed ejus defectum fratres ipsius & filii studiosissimè suppleverunt, cum Ecelino lupo rapacissimo Paduam tradiderunt.

De victoriis Regum Hispaniæ contra Saracenos.

CIRCA hæc tempora, Clarissimi Reges Hispaniæ per diversa bellorum pericula & infinitos labores, Saracenos de Hispaniæ finibus expulerunt. Nam fortissimus

Hispalis. Corduba.

Rex Castellæ obtinuit Sybillam Nobilissimam civitatem, quam Julius Cæsar dicitur condidisse, & Hispalim nominasse: & Cordubam, de qua Seneca moralis Philosophus, & insigis Poeta Lucanus originem habuerunt. Inclytus verò Rex Arragonum Valentiam & Majoricam jure prælii acquisivit. Saraceni autem de antiquis sedibus effugati, navigio in Africam transierunt. Tunc temporis potentia Regis Africæ, qui dicitur Mamolinus, non solùm est per Reges Hispaniæ diminuta, sed etiam per vasallum ipsius, Regem sc. Tunicii, qui contra eum viriliter rebellavit. Civitas autem Tunicium juxta unam paludem, de ruinis famosissimæ Carthaginis circiter decem miliaria longè à Carthagine, quæ mari adjacet, est constructa.

Tunetum Africa.

De destructione castri Gogii.

Godigo castrum Eceli ni.

ANNO Domini M. CC. XXIX. Paduani in mense Majo castrum Gogii destruxerunt, & aliquantulum humiliaverunt superbiam Ecelini.

De captione Comitis S. Bonifacii.

Tumultus Verona contra S. Bonifacii Comitem.

ANNO Domini M. CC. XXX. circa festum Sancti Petri, Ricardus Comes S. Bonifacii, cum omnibus majoribus suæ partis est captus à suis adversariis in Verona. Quod audiens Ecelinus, filius Ecelini hæretici de Romano, concitus perrexit Veronam, ut adderet ignem camino, & inexorabilis discordiæ fomitem ministraret. Communiter verò Paduani, miserunt legatos Veronam, rogando, ut Ecelinum & partem suam, ut Comitem & alios incarceratos à vinculis relaxarent. Sed ipsi hoc facere noluerunt. Unde Paduani & Azo Marchio Estensis, qui super hoc negotio ferventissimus existebat, confœderati cum Mantuanis, cum exercitu maximo super Veronenses equitaverunt: & in mense Septembri portum & Elegniacum destruxerunt. Tunc Saliniguerra & Ecelinus & Comes de Tiraulo cum populo Veronensi, qui ad defensionem locorum venerant prædictorum, fugam arripientes Veronam quam citius redierunt.

Comes Tirolis.

De morte B. Antonii confessoris, & liberatione Comitis S. Bonifacii, & commotione Regis Henrici de Lombardia.

Liberatus S. Bonifacii Comes. Henricus, Friderici F. in patrem seditiosus.

ANNO Domini M. CC. XXXI. in mense Junio, migravit B. Antonius, de ordine fratrum Minorum, cujus Sanctitas totam Italiam illustravit.

Eodem anno, in Septembri, mediantibus rectoribus Lombardiæ, Comes cum sua parte est à vinculis & de inimicorum manibus liberatus.

Eodem anno, ad petitionem Regis Henrici, filii Federici Imperatoris, Mediolanenses & alii audientes Imperium, legatos in Alemanniam direxerunt, & cum eo contra Imperatorem societatem firmissimam statuerunt. Concepit enim Rex dolorem, & peperit iniquitatem contra proprium genitorem: ideò, quòd videbatur, quòd Imperator plus eo puerum Conradum diligeret & foveret.

Qualiter Imperator Federicus incarceravit filium suum.

ANNO Domini M. CC. XXXII. Federicus Imper. in mense Martio, dum de Apulia vellet in Histriam navigare, impulsus vi ventorum venit Venetias, & inde in forum Julii transmeavit: ibique facta compositio inter ipsum & Ecelinum, in detrimentum Marchionis Estensis & Comitis S. Bonifacii & totius Marchiæ, & etiam Lombardiæ: sicut postea patuit per effectum. Ascendit autem in Alemanniam Imperator, & capto filio proprio, Rege scilicet Henrico, misit eum in Apuliam, ibique fecit ipsum usque ad diem mortis sicut proditorem in carcere custodiri, ideò quòd confœderatus fuerat cum Lombardis: constituitque in locum ejus Conradum, quem tenerrimè diligebat.

De mirabili exaltatione fratris Joannis de ordine Prædicatorum.

Ioan. Dominicanus Lõgobardis pacem suadet.

ANNO Domini M. CC. XXXIII. frater Johannes de ordine Prædicatorum in tanta reverentia est habitus ab hominibus, Marchiæ, & etiam Lombardiæ, quòd ejus jussion Paduani, Veronenses, Brixienses & Mantuani, cum carociis, & aliarum civitatum maxima multitudo in Campania Veronensi in simul pacificè convenerunt. Et ibidem in die Sancti Augusti sententias super quasdam quæstiones coram omnibus populis auctorisabiliter promulgavit, sed cito ejus potentia expiravit: nam quasi post unum mensem quicquid ordinaverat ad nihilum est redactum.

De hyeme asperrima,

ANNO Domini M. XXXIV. fuit hyems asperrima, & vineæ, ac ficus & oliveta præ nimio frigore sunt extincta.

De Regina Ungariæ.

ANNO M.CC.XXXV Beatrix quondam Aldrenandini Marchionis Estensis filia, Andreæ Regi Ungariæ est matrimoniali fœdere copulata: quàm Azo Marchio patruus ejus condecenti apparatu & honorabili societate ad tanti Regis præsentiam destinavit. Hoc autem matrimonium filiis Regis, Belæ scilicet & Colomanno, displicuit: vehementer timebat enim ne Pater senex filios de juvencula generaret.

Andreæ Ungariæ Regis nuptiæ cum Beatrice Estensi.

Eodem anno magnanimus Tixo de campo S.Petri obiit, amicus intimus Marchionis & inimicus constantissimus Ecelini.

De morte Episcopi Mantuani.

ANNO Domini M.CC.XXXVI. Vir Nobilis & venerabilis Guidotus Episcopus Mantuanus in monasterio S.Andreæ, in diebus Rogationum, ab advocatis crudeliter est interfectus. Contra quos insurrexerunt communiter Mantuani, & destructis eorum Domibus & turribus ipsos de Mantua cum suis fautoribus expulerunt. At illi confugere Veronam ad Ecelinum: qui erat refugium omnium pessimorum. Comes autem S.Bonifacii toto tempore guerræ Mantuam viriliter gubernavit contra Imperatorem & contra perfidum Ecelinum, & strenuè se gessit in omnibus & constanter. Tunc Federicus Imperator in mense Augusto persuasione Cremonensium & Ecelini descendit de Alemannia cum exercitu copioso, venitque Veronam, & vastatis Mantuanis, in Lombardiam pertransivit.

Fridericus cum exercitu in Italiam venit.

Per idem tempus honorabilis Abbas Arnaldus fecit fieri dormitorium nostrum cum Capitulo, & Cameris infrapositis & adiacentibus, simulque Cameras palatii cum aula fecit optimè restaurari.

NB.

Qualiter Imperator Federicus cepit Vicentiam.

ANNO Domini M. CC.XXXVI. prædicto, cum Marchio & Paduani communiter Rivaltam, quæ est super Athesin obsiderent, Ecelinus & Veronenses miserunt pro Federico Imp. qui tunc erat in partibus Lombardiæ. Qui subitò veniens cũ militia Teutonicorum & Ecelinas cum populo Veronensi, impetuosè Vicentiam invaserunt, eamque capientes in festo Omnium Sanctorum, crudeliter combusserunt. Paduani verò nimio terrore peterriti, ad propria sunt reversi. Adepta itaque hac victoria, Imperator statim in Alemanniam est regressus, relictis in Marchia pro negotiis Imperii pertractandis Comite *Gevehardo de Saxonia & Comite Simeone Theatino.

**alii hunc Comitem Gebhardum Suevum ajunt fuisse.*

De fuga Illustris Beatricis, Reginæ Ungariæ.

HIS temporibus mortuo Andrea Rege Ungariæ, & regnante Bela filio ejus pro eo, Imperator suos legatos ad Regem Ungariæ destinavit. Tunc Beatrix Regina, cùm esset gravida, timore sui crudelis privigni, junxit se in reversione societati Imperialium legatorum, induta veste virili: & sic deluso Rege, qui eam faciebat cum summa diligentia custodiri, in Alemanniam latenter confugit, peperitque ibi filium, quem Stephanum appellavit: quo nato, ad paternam Domum protinus est reversa cum dulcissima sua prole.

Qualiter Proditores tradiderunt Paduam Ecelino.

ANNO Domini M.CC.XXXVII. cum civitas Paduana pacifico statu gauderet, & copia populi, & militia strenui, divitiis etiam & gloria esset plurimum decorata: pater proditionum & scelerum, humani sc. generis inimicus, misit in corda quorundam Magistratuum, ut traderent eam nuntiis Imperatoris & Ecelino de Romano, quem Paduani solebant detestari & persequi veluti lupum. Malum igitur quod corde conceperant, opere perpetrarunt, de lupo Pastorem ovium subitò facientes, in suam & patriæ suæ perniciem & gravamen. Nam Ecelinum Paduæ inimicum, in mense Febr. venire fecerant & civitatem & populum in ejus manibus crudelissimis tradiderumt.

Padua Ecelino tradita Tarvisium.

Tarvisi-

Tarvisini autem videntes, se quasi solos in Marchia remansisse, coacti se ac sua Ecelini Domino subdiderunt. Marchio etiam Estensis, Imperatoris nuntiis, amicorum destitutus auxilio, se subjecit. Postquam autem Ecelinus sub occasione Imperii obtinuit Paduæ Dominatum, statim Optimates civitatis cum filiis suis in exilium destinavit: quos omnes postea tradidit Principi Federico: qui mittens eos in Apuliam, fecit eos in duris carceribus & caveis subterraneis custodiri, ubi ex magna parte miserabiliter perierunt. Domnum & Jordanum, quem Paduani quasi Patrem Paduæ appellabant, perfidus Ecelinus in carcere alligavit.

Alia Friderici in Italiam expeditio.

Eodem etiam tempore tyrannus videns Abbatem Sanctæ Justinæ tam Nobilitate originis, quàm potentia dignitatis suffultum, scientia & moribus decoratum, Deo & hominibus gratiosum, conatus est de ipsius captione tractare. Quod præcognoscens Abbas, Ferrariam primò fugit, postmodum in montis silice latuit, usque ad adventum Augusti. In mense itaque Septembri Imperator Federicus cum exercitu de Alemannia in Lombardiam descendit: cui occurrit venerabilis Abbas apud Veronam, & ab ipso vultu alacri est receptus, & duobus mensibus cum decenti societate castra Cæsaris est sequutus, & ob ipsius præsentiam Federici, omnes Barones Marchiæ convenerunt, & de ipsorum consilio cepit Imperator tractare de pace cum Mantuanis, ut ipsis subactis, faciliùs alios adversarios Imperii subjugaret.

Qualiter Imperator de Mediolanensibus triumphavit.

Victoria Imperatoris ad Curtem novam.

FACTA igitur pace inter Imperatorem & Mantuanos & Comitem Sancti Bonifacii, qui Mantuam obtinebat: obsidio longo castri Sancti Bonifacii est soluta. Tunc Imperator cum exercitu maximo intravit districtum Brixiæ, destruendo omnia incendiis & rapinis. Tunc etiam Montemclarum Nobilissimum subvertit. Mediolanenses verò amicis undique congregatis cum exercitu infinito in auxilium Brixiensiũ venientes, castra sua non longè ab exercitu Romani Principis posuerunt. Cùm autem Mediolanenses reverterentur, nihil mali penitus suspicantes: Imperator cum militia subitò pervenit ad eos, apud Curtem novam: & facto impetu contra ipsos, multos ex eis cepit, & plures occidit. Garrotium quoque ipsorum & potestatem, filium Ducis Venetiarum, similiter apprehendit. Circa festum igitur beati Andreæ Imperator prædictum triumphum de Mediolanensibus est adeptus. Tunc temporis in exercitu habuit Elephantem, ad quem videndum confluebant populi Lombardiæ.

De obsidione Brixiæ,

Brixia ab Imp. frustra tentata.

ANNO Domini M.CC.XXXVIII. Comes Gevehardus de Saxonia, nuntius Imperatoris, venit Paduam, & pietate commotus super justis querelis Abbatis Sanctæ Justinæ, suum monasterium Abbati restituit, removens inde custodes & procuratores, quos ibi posuerat Ecelinus. Cùm & Mediolanenses pacem habere cum Imperatore conditionaliter postularent: Imperator noluit eos recipere, nisi omni conditione remota: & hac de caussa in contumacia permanserunt. Unde Imperator ad debellandum eos exercitum validum præparavit: sed primò disposuit amicos eorum aggredi Brixienses. Et ita eodem anno Imperator obsedit Brixiam, à medio Julio usque ad festum S. Michaelis: sed civibus viriliter se defendentibus, confusus inde recessit.

Istis temporibus Ecelinus fugato de Marchiæ finibus Marchione, obsedit Montagnanam, quam nullo modo potuit obtinere. Paulò pòst marchio reassumptis viribus, recuperavit Estem, & eam fortiter communivit.

De adventu Federici Imperatoris ad civitatem Paduæ.

Pontificis in Imperatorem dira.

ANNO Domini M.CC.XXXIX. circa conversionem Sancti Pauli, venit Paduam Imperator, fecitque residentiam in monasterio Sanctæ Justinæ, duobus mensibus, à Dominica Quinquagesimæ, usque ad quindecim dies post Pascha. Tunc temporis admonitione præmissa, Papa Gregorius, in Dominica olivarum, publicè ipsum Romæ excommunicationis vinculo innodavit. Summus namque Pontifex per experientiam cognoscebat animum Imperatoris esse proclivem ad opprimendam Ecclesiam, si posset sibi subjicere Lombardiam. Unde statim post excommunicationem virum prudentissi-

dentissimum & constantem Gregorium scil. sedis Apostolicæ tunc notarium, Legatum Italiæ ordinavit. Qui veniens Mediolanum populi trepidantia corda refovit, & amicos dissolutos Mediolanensium exhortatione vivifica roborans, ad pugnandum pro libertate viriliter inflammavit. Et ne videretur verbotenus tantum alios ad pericula invitare, ipse personaliter quousque vertebat se Imperator ad fideles Ecclesiæ impugnandos, seipsum strenuè opponebat. Interea dum Imperator in prædicto monasterio resideret, & imperatrix filia Regis Angliæ noente mansionem haberet: memoratus Abbas curialitatis & largitatis amator, Augustum donis gratissimis honoravit. Obtulit namque ei & duo plaustra ita pretiosissimi vini, ac si esset de vineis Engaddi, XXX. modios hordei, & viginti quatuor plaustra fœni. Sturiones etiam maximos, duo tapetia pretiosa, & solium cum suo apparatu, & scabello subpedaneo artificiosissimè insignita ei dedit, quæ sibi fecit de partibus Ferrariæ apportari. His & aliis donis & encæniis tam Augustum, quàm curiales frequentissimè honoravit.

Xenia Imperatori oblata.

Qualiter Guecillus de Camino & Albricus de Romano rebellaverunt.

POST hæc cùm Imperator adhuc Paduæ moraretur, in mense Maio, Guicillus de Camino & Albricus de Romano frater Ecelini confœderati, viriliter Tarvisium intraverunt: fugatoque Jacobo de Mora, qui tunc ibi pro Imperio præsidebat, rebelles contra tam metuendum Principem extiterunt. Sequebatur namque Imperator in omnibus consilium Ecelini, Marchioni & aliis Principibus bona promittendo, & semper eis mala de consilio nequissimi inferendo. Cujus etiam maligna suggestione obsidis nomine accepit filium unicum Marchionis, & filiam unicam Albrici, Marchionis filio matrimoniali vinculo copulata. Procurabat enim modis omnibus perfidus Ecelinus, Marchionem & ejus amicos repellere ab Imperatoris servitio & mandato, ut Imperiali fretus auxilio & favore, posset eos destruere penitus & delere.

Albericus, Ecelini frater, Imperatori rebellat.

His diebus circa Pascha obiit Dominus Jacobus Episcopus Paduanus: vacavitq; de facto Episcopatus XVII. annis.

Eodem anno in Principio Januarii fuit ecclipsis Solis.

Qualiter Marchio & omnes amici ejus rebellaverunt.

IN mense prædicto, postquam Marchio & omnes amici sui viderunt animum Augusti inclinatum ad complendum omnia desideria Ecelini, exposuerunt se magno periculo, à mandatis imperialibus penitus recedendo. Imperator autem relicto Tibaldo Francisco potestate Paduæ, & vicario totius Marchiæ, præcipiens ei, ut mandatis Ecelini in omnibus obediret, transivit in Lombardiam & congregans exercitum, quædam castra Bononiensium devastavit: & his peractis, in Apuliam protinus properavit. Ipse verò Marchio, arcem Estensem, Baonem, Cerrum.... & per obsidionem obtinuit Callaonem: & sic incœpta est guerra periculosa per Marchiam universam. Imperator de cætero in cunctis civitatibus Italiæ omnes amicos Marchionis Estensis & Comitis S. Bonifacii cœpit habere exosos pariter & suspectos: partem verò Saliniguerræ & Ecelini ubique incœpit diligere & amplecti.

Theobaldus Franciscus Imp. Vicarius in Marchia Tervisiana.

Estensis à fide Imperatoris desciscit.

NB.

De obsidione Ferrariæ & ejus captione.

ANNO Domini, M. CC. XL. circa conversionem S. Pauli, cometa versus Occidentem apparuit. In illis diebus etiam cùm jam vir magnanimus Philippus scil. Episcopus Ferrar. contra sapientissimum Saliniguerram, qui dominabatur Ferrariæ, pro Ecclesia rebellasset, & Bragantinum & Bondenum viriliter occupasset: Veneti cum exercitu magno, & Bononienses, & Mantuani, & multa militia Mediolanensium, cum Domino Gregorio de Montelongo, sedis Apost. legato, venerunt in auxilium Marchionis & obsederunt Ferrariam: quam post menses quatuor sub quadam compositionis specie habuerunt. Nihilominus tamen Saliniguerram captum Dux Jacobus Thepolus Venetias secum duxit, ubi usq; ad diem mortis suæ fuit in carcere custoditus. Sequenti tempore in mense Augusto, audiens Imp. mortuum esse Paulum Traversarium Dominum Ravennæ, amicum intimum Marchionis, exivit de Apulia cum exercitu, & venit, & obsedit Ravennam. Qua capta, accessit Faventiam, & eam obsedit octo mensibus cum instantia obstina-

Cometes.

Saliniguerra Ferrariæ tyrannus capitur.

obstinata. Eodem anno Jacobus de Carraira captus est in castro Agnæ, à Tibaldo Francisco: in medio Augusto accepit sententiam capitalem. Insequenti mense advocatus captus in castro Brentis, similiter est à Tibaldo punitus.

De obsidione Faventiæ, & obitu Gregorii Papæ, & Tartaris.

ANNO Domini, M. CC. XLI. post longam obsidionem cepit Faventiam Imperator. In eadem æstate, Pisani ceperunt duos Cardinales & multos Prælatos, qui per mare Tyrrhenum in navibus Januensium pergebant Romam ad summum Pontificem.

Celestinus Papa.

Non multo tempore post prædicta transacta, obiit Papa Gregorius nonus, & vacavit sedes Apostolica multis diebus: sed tandem Papa Celestinus, Mediolanensis natione, fuit electus: qui post electionem vix decem & octo vixit diebus.

Circa hæc tempora effera gens Tartarorum, gladio, incendiis & rapinis totam Ungariam subitò devastavit. Tunc Rex Bela vix eorum manibus evasit, fugiens ad maritima Sclavoniæ festinanter.

De Papa Innocentio quarto, & de superbia Federici Imperatoris, qui conabatur Ecclesiam subjugare.

Innocentius 4. Pont.

ANNO Domini M. CC. XLII. Cardinales post multa consilia elegerunt Dominum Sinibaldum Cardinalem de Comitibus Levaniæ, natione Januensem: qui appellatus est Innocentius Papa quartus. Iste quæsivit ferè duobus annis habere pacem cum Imperatore, volens finem imponere tantis malis. Sed cùm Imperator ferè totam Italiam possedisset, in superbiam elevatus, verba quidem blanda dicebat: sed Romanam Ecclesiam deprimere modis omnibus satagebat. Superbiæ quippe spiritu inflammatus proponebat ædem ejus auferre, jurisdictiones, & possessiones villarum & castrorum, quibus erant ab imperio prædotata: & taliter volebat humiliare superbiam clericorum. Et licet ipse versipellis esset plurimùm & astutus: tamen quòd ex abundantia cordis os loquitur, istam sacrilegam voluntatem non poterat occultare. Unde contra se odium Prælatorum in toto Imperio non modicum excitavit.

Hoc anno, in mense Martio, populosa Montagnagna est divino judicio concremata. Quod audiens Ecelinus, ipsam festinanter in manu valida occupavit.

De destructione castri sancti Bonifacii, & de prima audacia contra nobiles & potentes.

Comes de Panego & alii nobiles ab Ecelino capite multati.

ANNO Domini M. CC. XLIII. Galvano Danza vicario in Marchia existente, castrum S. Bonifacii à Veronensibus est destructum: sub eodem etiam Comes de Panico civis Veronensis est Paduæ decollatus, multique viri nobiles & præclari accusati de proditione, Veronæ sunt ab Ecelino diversorum tormentorum generibus interfecti. Et tunc primò tyrannis assumpsit majorem audaciam, ita nobiles & potentes sicut ignobiles & pauperes puniendi.

Hostiglia castrum Veronensium.

Eodem anno nobilissimum castrum Ostillæ à Mantuanis funditus est destructum.

Qualiter Innocentius Papa dimissa Roma Januam navigavit.

ANNO Domini M. CC. XLIV. circa festum S. Joannis Baptistæ, magnanimus Innocentius Papa providens se illudi ab Imperatore verbis & promissionibus fraudulentis, sciensque esse scriptum, quòd ars deluditur arte: finxit se habere Colloquium cum Augusto, & tunc latenter & cautè veterem Galliam intravit, & sic ad Januensem urbem navigavit. Imperator hoc audiens, timens tanti viri sagacitatem, est non modicum conturbatus. Papa circa festum sancti Lucæ per terras Comitis Sabaudiæ in Galliam pertransivit, figensque sedem suam apud Lugdunum, statim misit per universum orbem, ad convocandum Prælatos & Principes ad Concilium generale.

De Concilio Lugdunensi, & de sententia depositionis Federici Imperatoris data ab Innocentio Papa.

Pontifex Lugdunum concedit.

ANNO Domini M. CC. XLV. circa festum sancti Joannis Baptistæ, factum est Concilium maximum Lugduni, ad quod citatus Imperator personaliter, ire contempsit

psit. Unde propter contumaciam ejus & innumerabilia mala quæ fecerat contra Ecclesiam, Innocentius Papa residens in Concilio de assensu & consilio Prælatorum & totius concilij protulit contra Federicum depositionis sententiam, justè pariter & constanter. Forma itaque sententiæ prolatæ à summo Pontifice ita fuit. *Volentes,* inquit Apostolicus, *divinam sententiam præponere sententiæ nostræ, denunciamus, Federicum à Deo excommunicatum & depositum ab omni honore Imperij & Regni. Addentes verò sententiam nostram divinæ sententiæ, excommunicamus Federicum, & deponimus ab omni honore Imperii atq; Regni.*

Fridericus à Pontifice exauctoratus.

De Imperiali colloquio Veronæ celebrato, & de Lantgravio Rege Alemanniæ constituto contra Federicum.

DUM prædicta fierent apud Lugdunum, Imperator veniens Veronam cum filio suo Conrado, & cum quibusdam suis Principibus Alemanniæ & Baronibus Lombardiæ sibi faventibus, solenne colloquium celebravit. Quo facto, simulans se simul cum Conrado filio suo velle ad Concilium properare, ivit usque Taurinum: ubi primò audivit contra se depositionis sententiam promulgatam. Tunc reversus est Cremonam, ibique negotia Imperii ordinavit. Pòst in Apuliam quàm citiùs est reversus, & Conradum velociter in Alemanniam destinavit.

Sagacissimus verò Innocentius Papa direxit in Alemanniam nuncios, ad monendum Principes, ut eligerent aliquem strenuum virum ad Imperium gubernandum. Tunc illi convenientes ad tantum negotium peragendum, elegerunt virum Catholicum, strenuum, nobilem, sapientem, benignum & constantem Lantgravium de Thuringia, DEO & hominibus gratiosum. Ille autem electioni de se factæ assensum præbuit, constanter paratus, intuitu divinæ Majestatis, omne periculum pro Ecclesia & Republica sustinere. Et sic contra Federicum potentissimum suscepit alacriter & audacter Regni Alemanniæ diadema.

Henricus Thuringiæ Lantgr. Rom. Rex.

De Lantgravij Regis Alemanniæ victoria contra Conradum, Federici filium.

ANNO Domini M.CC.XLVI. Lantgravius Rex Alemanniæ congregavit exercitum copiosum, adversus Conradum filium Federici. Cui ille in manu valida occurrit audacter. Inito igitur certamine, Conradus amissa multitudine militum, vix cum paucis evasit, quem nisi sceleratus Dux Ungariæ suscepisset, immemor patris sui, à Federico per Assassinos interfecti, Lantgravius eum de Alemannia effugasset. In prædicto igitur prælio & aliis negotiis Ecclesiæ in Teutonia pertractandis, Legatus sedis Apostolicæ erat, vir magnanimus Philippus Episcopus Ferrariensis: cujus audacia & sagacitas circumspecta tam in captione Ferrariæ, quàm in factis Alemanniæ potest ore omnium commendari. Iste namque pro Romana Ecclesia subire pericula & labores minime recusavit. Ipse dixit patri suo & matri, *Nescio vos*, & fratribus suis similiter. Quia patrem & matrem & etiam parentelam contempsit, & capi ab Imperatore sustinuit patienter, eligens in tantis angustiis Ecclesiæ, Deo, & summo Pontifici potiùs obedire, quàm parentum carnalium amore à tramite recedere veritatis.

Qualiter Ecelinus cepit Abbatem S. Justinæ.

EODEM anno factum accidit lacrymosum, plenum compassione pariter & dolore. Nam Ecelinus Satanæ minister, diaboli carnifex, potator humani sanguinis, sitibundus inimicus Ecclesiæ, hæreticorum refugium, malitiæ sedulus adinventor, manum misit ad desiderabile membrum Ecclesiæ, id est Abbatem sanctæ Justinæ de Padua, capiendum: virum utique justum, honestum, bonis moribus informatum, & clero & populo attestante plurimùm reverendum. In die igitur sancti Briccii, eum cum fratre carnali capi præcepit, ipsumque inclusit in carcere tenebroso, faciens eum velut proditorem Imperii cum diligentia custodiri.

Eodem tempore Albricus & Nicolaus de Lendenaria, viri nobiles & potentes, & sicut rosæ inter milites Marchiæ refulgentes, accusati de proditione, multis ab Ecelino afflicti tormentorum generibus, defecerunt.

De morte Henrici de Egna, in civitate Veronæ.

Henricus de Igna nepos Ecelini, præfectus Veronensis.

ANNO Domini M. CC. XLVII. in mense Februario, factum magnæ audaciæ accidit in Verona. Nam cùm Henricus de Egna, filius sororis nequissimi Ecelini, gereret prædictæ regimen civitatis: quidam miles Veronensis, nomine Joannes de Scamarolla accusatus de proditione, ante tribunal ejus vinctis pedibus assistebat. Cui cùm Henricus diceret: Joannes, scias esse impossibile quòd evadas: ille gladium de caliga latenter educens, irruit in eum, quem in capite graviter vulneravit, ita quòd vix diebus XV. supervixit. Tunc satellites Potestatis ipsum protinus occiderunt. O mira stupendaque audacia, & ore omnium divulganda? Quis enim non potuit meritò admirari, hominem vinctum, solum, armatis hominibus circumseptum, invasisse juvenem bellicosum, fortem, strenuum & terribilem inimicis? Patet itaque illud proverbium esse verum, quòd qui vult mori, Regem potest occidere.

De morte Lantgravij Regis.

HOC tempore Lantgravius Rex Alemanniæ diem clausit extremum: de cujus morte Ecclesia est turbata. Federicus verò plurimùm est erectus.

Qualiter capta est Parma.

EODEM anno, in mense Maio, venit Federicus de Apulia in Lombardiam cum magno apparatu, pro quibusdam negotiis peragendis & disponendis, perrexit versus Taurinum, ubi dum moram faceret, bellicosus Encius filius naturalis, cum exercitu Cremonensium ivit ad obsidendum quoddam castrum Brixiæ, nomine Quinorianum. Tunc habita opportunitate consanguinei Papæ Innocentij & amici eorum, qui fuerunt de Parma expulsi, & Placentiæ residebant, subitò congregati, in manu forti Parmam de assensu populi in medio Junio intraverunt, & Potestate occisa, partem Federici inde protinus expulerunt. In quorum auxilium Dominus Gregorius de Monte longo Legatus sedis Apostolicæ cum Mediolanensibus & Placentinis, & Comes sancti Bonifacij cum Mantuanis Parmam velocissimè intraverunt, ipsamque velociter munientes, ad defensionem fortiter se paraverunt. Quo audito, Federicus cum exercitu infinito, & cum Ecelino, qui perrexerat ejus auxilium, festinans cum militia maxima venit, & castrametatus est juxta Parmam, faciensque ibi civitatem, quam Victoriam appellavit, statuit se firmiter nullo modo discessurum, nisi per mensem caperet civitatem. Federico igitur impugnante, & Ecclesia cum suis fidelibus Parmam totis viribus defendente, tempus sex mensium est elapsum, & asperitate hyemis cogente, militia civitatum ex utraque parte est reversa. Federicus verò remansit in Victoria, cum modica quantitate exercitus, expectans futuram æstatem, & animo cupienti, in quo credebat se Parmam sine dubio expugnaturum: Sed

Victoria oppid. proximè Parmam à Friderico conditum.

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Qualiter Victoria est capta à Parmensibus.

ANNO Domini M. CC. XLVIII. Federico in Victoria residente, in medio Februario, Legatus & Parmenses inito consilio, de civitate unanimiter exiverunt, irruentesque in Victoriam, ipsam sine mora ceperunt, captamque protinus cremaverunt. Federicus verò versus Cremonam fugam arripiens, vix evasit: dimissis ibidem divitijs infinitis. Parmenses autem multis captis & occisis de ipsius exercitu, Carotium etiam à Cremonensibus habuerunt.

Imperatoris periculum.

De Regis Gulielmi electione.

CIRCA hæc tempora Innocentius Papa negotia Ecclesiæ peragens vigilanter, Legatum in Alemanniam destinavit, citavitque Principes, ut eligerent in Regem virum aliquem idoneum & potentem. Cujus præceptis protinus obsequentes, elegerunt Comitem Guilhelmum de Holandia in Regem, & futurum Imperatorem, virum utique probum & exercitatum, militibus decoratum.

Qualiter Ludovicus Rex Francorum mare transivit, & obtinuit Damiatam.

ANNO Domini M. CC. XLIX. Ludovicus Rex Francorũ cruce signatus mare transivit in subsidium terræ sanctæ, & cum magno exercitu & infinita navium multitudine intra-

intravit terram Ægypti. Cujus fortitudine perterriti Ægyptij, Damiatam (quæ in Prophetis Memphis vocatur) protinus reliquerunt: & ex tali modo eam habuit sine gladio & sagitta.

De Regis Encij captione.

EODEM anno in Principio Junij, bellicosus Rex Encius, filius Federici, captus est, à Bononiensibus cum militia copiosa: quapropter Bononienses sunt usque sydera elevati. Unde Mutinenses necessitate compulsi, se Bononiensium Dominio subdiderunt.

[*Entius, alias Heintz Friderici F. capitur.*]

In istis diebus tres filii Jacobi de Dalesmanino sunt capti ab Ecelino, & variis tormentis afflicti: tandem jussu ipsius in platea Paduæ sunt crudeliter trucidati.

Eodem anno Federicus castrum Montis silicis, circa festum sancti Joannis Baptistæ tradidit Ecelino. Decimo verò die, exeunte Septembri, Burgus Estensis traditus fuit ei, per quendam sceleratum virum, nomine Vitalianum de Arelda. Arcem autem post mensem obtinuit, eam priùs cum multis machinis impugnando. Tandem propter famem omnia castra obtinuit Marchionis.

[*Estensis Marchio ditione sua ab Ecelino exutus.*]

Qualiter Rex Franciæ Ludovicus Damiatam reddidit Saracenis.

ANNO Domini M. CC. L. circa Pascha Ludovicus Rex Francorum, cùm versus Babyloniam properaret, à Saracenis cū suo exercitu est conclusus: & cùm neq; procedere neq; redire valeret, Soldano se reddidit Babylonis, amisso priùs in bello Comite Roberto fratre suo, cum maxima militum quantitate. Rex itaque pro redemptione sua Damiatam reddidit Saracenis, dimissusque ab eis rediit in Syriam, & reædificata Cæsarea Palestinæ, in Franciam est reversus, cum ignominia suæ gentis totiusque populi Christiani. Saraceni autem considerantes tam præterita quàm futura, Damiatam funditus diruerunt, vel everterunt, ne de cætero esset occasio & receptaculum præliorum.

Qualiter Parmenses à Cremonensibus sunt devicti.

IN istis temporibus Cremonenses amicis undique congregatis equitaverunt in manu valida contra Parmam. Quibus Parmenses impares viribus & numero non longè à civitate audaciter quidem, sed minùs providè occurrerunt. Sed (sicut vulgò solet dici, paucos quidem valet Omnipotens adjuvare, sed frequentius multitudo vincere consuevit) Parmenses non potuere, à Domino non adjuti, inimicorum impetum sustinere: sed versus Parmam velociter fugientes, amiserunt militum & peditum simul cum Carotio non minimam quantitatem.

[*Parmensium clades.*]

Eodem anno, in festo sancti Bartholomæi, Guilelmus de Campo sancti Petri jussu Ecelini fuit in platea Paduæ crudeliter interfectus.

De morte Federici Imperatoris.

SUB prædicto annorum curriculo, potentissimus Federicus, in die sancti Lucæ, vitam amisit in Apulia; descenditque ad inferos, nihil secum deferens, nisi seculum peccatorum.

De reversione Innocentii Papæ in Lombardiam.

ANNO Domini M. CC. LI. Innocentius Papa post mortem Federici, factis Alemanniæ cum Prælatis & Principibus ordinationibus, circa Pascha exiens de Lugduno, venit ad Januensem civitatem, ubi omnes Magnates Lombardiæ, qui viam Ecclesiæ sectabantur, ei in reverentiam occurrerunt. Deinde venit Mediolanum, & recuperata Laudensi, transiens per Lombardiam festinanter, Perusium properavit.

Per idem tempus populus Placentinus furore contra suos milites concitatus, auxilium Cremonensium imploravit: & expulsis militibus, Obertum Palavicinum in suam perniciem elegit in Dominum & Rectorem.

De Rege Conrado.

EODEM anno Conradus, filius Federici, descendens de Alemannia, venit Veronam, & cum auxilio Ecelini, in mense Decembri intravit in mare, in portu Texanæ, & navigans in Apuliam, eam cum insula facillimè obtinuit, secundum suæ beneplacitum voluntatis.

De obitu Principis Rainaldi, filii Marchionis.

PER idem tempus mortuus est Rainaldus in Apulia, filius Marchionis Estensis, quem pro obside acceperat infelicissimus Federicus. Reliquit autem filium & filias, quas habuit de quibusdam puellis nobilibus de Apulia, dum in carcere satis curialiter teneretur. Marchio autem naturali amore inductus, fecit cautè filii sui dulcissimos fructus sibi de Apuliæ partibus apportari: & faciens ipsos legitimos tam per sedem Apostolicam, quàm per Regem Alemanniæ Gulielmum: puerum, cui nomen erat Obizo, qui patris imaginem tam in colore quàm in membrorum dispositione, manifestissimè exhibebat, omnium suorum bonorum firmiter constituit & declaravit hæredem.

Obizo, Azonis Marchionis nepos.

De Patriarcha Gregorio, & morte Comitis S. Bonifacii.

ANNO Domini M. CC. LII. Dominus Gregorius de Monte longo, qui multis annis in Lombardia fungens officio legationis, tam feliciter quàm fideliter & prudenter pro Romana Ecclesia laboravit, ordinatus Patriarcha Aquileiensis à Papa Innocentio, in mense Januario Forum Julii est ingressus.

Sequenti mense, videlicet Februario, Ricardus Comes sancti Bonifacii, qui cùm permultum pro Ecclesia contra Federicum & Ecelinum perfidum laboravit, cum esset Brixiæ, viam universæ carnis est ingressus. Reliquit autem unum filium parvulum, nomine Ludovicum. Brixienses verò non immemores ejus commendabilis probitatis, eum cum honore maximo sepeliri studiosissimè curârunt. Mense verò Maio, filii & nepotes nobilis Gulielmi de Carturio, post multa genera tormentorum, jussu Ecelini sunt Paduæ interfecti.

De sceleribus perfidi Ecelini de Romano.

HOC anno circa finem Augusti, Ecelinus humani generis inimicus, suggestione dæmonum & hominum malignorum, credens firmiter, contra se omnes milites & electos populares Marchiæ conjurasse: extraxit mortiferum gladium irrevocabiliter de vagina, incipiensque à Carnorolo milite Veronensi, quem conjurationis Principem asserebat, tam in Verona quàm in Padua, Vicentia & in tota Marchia inauditam stragem & occisionem hominum perpetravit: ubique luctus erat, ubique dolor & tristitia, ubique dira mortis imago. Catervatim milites & majores natu in foro gladijs necabantur: membra frustratim præcidebantur, & rursum collecta & imposita rogis, igne supposito cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, & proprijs manibus trucidabat. His sceleribus credebat quilibet se obsequium præstare tyranno. Et tamen isti qui hoc faciebant, post paucos dies in similem mortis gladium seu laqueum incidebant. Filij nobilium & aliorum civium oculis privabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, ubi moriebantur famis horribili cruciatu. Matronæ nobiles & delicatæ, & virgines speciosæ, fame, peste, injuriis & afflictionibus inauditis in custodijs tabescebant. Quotidie diversis generibus tormentorum indifferenter tam majores quàm minores à carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantium in tormentis, die noctuq; audiebantur de altis palatijs: quæ dolorem & horrorem maximum hominibus inducebant: nullusque publicè audebat plorare super his malis: sed quilibet vitam & victoriam, etsi non corde, saltem verbis affectuosis, Ecelino nequissimo Domino affectabat. Illum justum, illum bonum, illum sapiẽtem & amatorem status Marchiæ, omnes adulatoriè conclamabant. Nec tamen ista dicentis ferocitatem animi ejus poterant mitigare: sed erat ei sicut populus, sic sacerdos: sicut laicus, ita religiosus: sicut senex & imbecillis, ita puer adhuc balbutiendo in verba prorumpens. Nulli ætati, nulli sanctitati, nulli probitati parcebat. Semper eodem vultu, eodẽ modo, eadem instantia nimiæ crudelitatis opera perpetrabat, & quasi semper à capite incipiens, quotidie sine labore, sine conscientiæ remorsione magna tormenta & inexcogitata, corporibus hominum infligebat. Non remansit in tota Marchia progenies aliqua, generosa vel etiam popularis, quæ ab ipso vel ex toto, vel ex parte maxima non sit crudeliter lacerata. Milites ferè omnes sunt gladio & aliis suppliciis interfecti: studiosi mercatores, judices sapientes, Prælati reverendi, claustrales devoti, canonici honorati, speciosi

Ecelini in Imperii desertores crudelitas.

ciosi juvenes & strenui radicitus sunt deleti: substantijs eorum ablatis & dispositis secundum tyrannicam jussionem. Serpens insuper callidus & astutus omnes pulchras domos & turres, & loca juxta portas & pontes in civitatibus constituta emere studiosissimè procurabat, & post paucos dies vitam simul & precium venditoribus auferebat. Ipse bona Episcopatuum, Abbatiarum, Canonicatuum, & ferè omnium Ecclesiarum, in suis sceleratis operibus consumebat. In diebus ejus cessavit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, & devotio fidei est extincta. Visitare etiam sancta loca publicè homines non audebant: nam accusatores ab ipso erant in populo constituti, qui vigilanter & sollicitè observabant, ne quid in dicto vel facto, vel aliquo contra tyrannum pestiferum tractaretur. Accusatus autem à talibus insidiatoribus, etiam de levissima culpa in aculeo levabatur, totaque ejus familia captivitate perpetua damnabatur. Defensor nullus in angustiis apparebat, accusatorum verò erat numerus infinitus. Residere sub Ecelini tyrannide intolerabile: effugere, impossibile videbatur: quòd nequissimus dæmon fossatis magnis districtum suum circumdederat, & super ipsa fecerat speculas, quas Marchiani *muras* appellabant, in quibus erant die noctuque speculatores, qui nec intrare nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehensus fuisset, sine audientia oculis vel pedibus & manibus privabatur, nec aliqua eum poterat excusatio liberare. Talis erat status commorantium in Marchia: tale siquidem erat Dominium Ecelini. De crudelitate itaque perfidi Ecelini pauca perstrinximus: nam exprimere ex toto ipsius malitiam vix posset facunda loquacitas Tullii vel Maronis.

De carceribus perfidi Ecelini.

ANNO Domini M. CC. LIII. Ecelinus nullas nisi sanguine fuso gaudens habere vias, tam in Verona quàm in Marchia universa vehementer iterum manum ad incarcerandum & occidendum extendit, implevitque civitates & castra multitudine captivorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem & sitis angustia, proh dolor, quælibet immunda miseri comederunt, ac urinam cum aviditate inopinabili bibere cogebantur. Et non parvum impendere beneficium putabatur, qui urinæ suæ potum dignabatur sociis impartiri. Fœtor etiam intolerabilis & aër corruptus, calorque nimius & tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ecelini, quòd captivi vix poterant respirare. Multique his de causis Spiritum exhalabant. Præterea tanta erat in his hominum miserabilium multitudo, quòd ita unus alium comprimebat, quòd nec jacere poterat aliquis nec sedere. Corporis verò debilitas nullo modo super pedes consistere promittebat. Clamor autem lugentium, & dicentium, *Væ, Væ*, ac percussiones manuum ita horridæ personabant, quòd non carceres manufacti, sed ergastula infernalia, & penè inflictus à dæmonibus meritò putabantur: quia ibi nulla requies, nulla consolatio, nulla species redemptionis à malis illatis & imminentibus habebatur. Mors ibi summo desiderio quærebatur, ut finem imponeret tantis malis. Moriens enim in tali statu, vivente felicior credebatur. In mortis verò articulo constituti, confiteri cum sacerdotibus, & rerum suarum disponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebant itaque quotidie corpora extincta de carceribus tenebrosis, nec permittebant aliquem sepeliri, nisi priùs evidentissimè probaretur, quis esset vel unde, qui beneficium debebat consequi sepulturæ. Et ex hoc custodes carceris faciebant fieri publica instrumenta, ut indubitanter possent tyranno sollicitè omnia inquirenti ostendere mortuorum numerum & virorum. Sed quòd longum esset singula scelera tyranni nefandissimi enarrare, sufficiant hæc pauca de plurimis esse dicta: satisque sit, nos & enormibus crudelitatibus non subtrahere veritatem, & in multis fastidium evitare.

FINIS LIBRI PRIMI.

RERUM PER LONGOBARDIAM & VICINAM TARVISINAM MARCHIAM GESTARUM,

Liber secundus.

De morte Regis Conradi, & de introitu Papæ Innocentii in Apuliam.

ANNO Domini M. CC. LIV. cùm Rex Conradus duobus Annis Regnum Apuliæ tenuisset, die duodecimo, exeunte Maio, Regnum simul & vitam amisit. Post cujus decessum Innocentius Papa in manu valida intravit in Apuliam, & sedem suam fixit apud Neapolim. Ad cujus præsentiam omnes Principes Apuliæ convenerunt, Manfredus etiam Princeps Tarenti, filius Federici, eidem subjectionem & devotionem in omnibus deferentes. Cùm igitur caput magnifici Innocentii nubes excedere videretur, sicut placuit ei, in cujus manibus sunt omnes fines terræ, & qui etiam multitudines montium contemplatur, decimo die intrantis Septembris, apud Neapolim naturæ legibus satisfecit: cui successit Alexander quartus, qui prius erat Episcopus Hostiensis.

Alexander 4. Pontifex.

Dum autem magnificus Innocentius esset in mortis articulo constitutus, jamque illum versiculum frequenter repeteret: *Domine propter iniquitatem corripuisti hominem:* Manfredus naturalis filius Federici, impatiens contra Dominum sedis Apostolicæ jam rebellis effectus, magnam stragem militum Ecclesiæ apud Fogiam perpetravit. Audita igitur morte Innocentij & substitutione Alexandri, cum majore audacia cepit Ecclesiam in Apulia expugnare, vires ejus quotidie subvertendo. Cujus audacia ac sagacitate mirabili Apuli pavefacti, à devotione Romanæ Ecclesiæ discedentes, Principi humiliter adhærebant. Papa itaque Alexander ordinatus capitaneus, cum militia infinita, qui deberent contumaciam & processum Principis cohibere, exiens de Neapoli, ad partes Campanię properavit. Manfredus autem opus inceptum consummare intendens, armis, muneribus & ambagibus exercitum Ecclesiæ ita debilitare curavit, donec ipsum de Regno turpiter & effœminatè coëgit exire: taliter, quòd totius Regni paterni obtinuit Principatum, in præjudicium Ecclesiæ & gravamen.

De transitu venerabilis Arnaldi, Abbatis sanctæ Justinæ.

ANNO Domini M. CC. LV. cùm vir devotissimus Abbas Arnaldus honestatis forma religionis monasticæ speculum & exemplar, octo annos & tres menses in carcere tenebroso & in vinculis consummasset, circiter septuagesimum vitæ suæ annum, die decimo intrantis Februarij, qui tunc fuit primus dies Quadragesimæ, apud Astum feliciter migravit ad Dominum. Imminente verò hora migrationis ejus, quæ fuit circa diluculum (sicut fratres Minores viri devotissimi nobis fideliter retulerunt) multi in castris imminentibus constituti, viderunt manifestè ignea signa ad instar duarum facularum, quæ super carcerem ejus tamdiu steterunt, donec illa sancta & Deo dilecta anima carnis vinculo est soluta: significativa sanè, sicut firmiter arbitrantur, illa duo signa fuerunt duplicis laureolæ, qua vir beatus est à Domino in cœlesti curia inter martyres & virgines coronatus. Corpore siquidem & animo fuit virgo, sicut Sacerdotes, quibus confitebatur, liquidò profitentur: nam neque verbo neque facto unquam dehonestavit in vitio lasciviæ sui animi puritatem. Martyr verò potest dici, quòd patienter & innocenter sustinuit longam carceris passionem. In ipsa autem carceris angustia constitutus, tam custodum quàm se visitantium ita quadam lenitate mansuetudinis attrahebat, ut ab omnibus meritò amaretur. Nam cùm in eodem anno, quo de hac vita erat exiturus, nullum proprium habuerit servientem, ab omnibus enim fuerat derelictus propter immanem rabiem sævientis tyranni, qui præceperat, ne aliquis ei ad manducandum aliquid exhiberet, nisi panem atrum & aquam brevem

vem: nihilominus tamen cuſtodes carceris pietate commoti, omnia ei occultè humanitatis obſequia exhibebant. Ad tanti autem viri venerabiles exequias celebrandas, in die obitus convenit utriusque ſexus non minima multitudo hominum, & cum reverentia & honore corpus ejus ſanctiſſimum ad fratrum Minorum Eccleſiam deferentes, ſepulturæ devotiſſimè tradiderunt. Multi verò tam viri quàm mulieres pias lacrymas effundebant, reminiſcentes viri Dei compaſſionem & dulcedinem & animi lenitatem: multique dicebant, ipſi eſſe potiùs congaudendum, quòd eſſet à tantis anguſtiis liberatus, & paradiſi gaudiis frueretur. Poſt quinquaginta verò dies ab ejus obitu, viſum fuit fratribus Minoribus, quòd ejus corpuſculum in ſepulchrum paratum decentiùs deberet transferri. Procuraverunt autem noctis ſilentio homines conductitios adhibere ad hoc negotium peragendum, extimantes corpus putridum & penitùs tabefactum odorem intolerabilem exhalare. Aperientes itaque loculum, quo pia membra tenebantnr incluſa, & nulla putredinis & corruptionis videntes veſtigia, præter quandam albedinem ad modum lanuginis circa palpebras oculorum, admirationem maximam habuerunt, & cunctos de domo ad hoc miraculum convocantes, unanimiter Deum laudaverunt, qui in ſanctis ſuis eſt mirabiliter glorioſus. Poſt hoc in ſepulchro condigno parato beati viri corpus reverendiſſimè condiderunt.

De Tridentinis, qui rebellaverunt contra Ecelinum.

EODEM anno circa principium Aprilis, Tridentini graviſſimum jugum tyrannidis Ecelini à ſuis cervicibus excuſſerunt. Ad quos opprimendos validum exercitum per vallem Suginam feſtinanter direxit, qui multa caſtra & villas eorum tam incendiis quàm rapinis crudeliter devaſtavit. Eodem tempore Ecelinum de Egna, filium ſororis ſuæ, conjecit in vinculis, & Ciramontem fratrem variis tormentis & fame peremit. Qui ergo fratri & nepotibus non pepercit, non erat mirum, ſi ſuper extraneis nulla miſericordia movebatur.

De commotione Brixiæ.

ANNO Domini M. CC. LVI. in menſe Martio, inſtigante venenatiſſimo colubro Ecelino, Brixia eſt civili diſcordia perturbata. Pars Eccleſiæ ſuccubuit: pars verò Ecelini obtinuit dominatum. Tamen in hoc victores fuerunt aſtuti, quòd tyrannum crudeliſſimum civitatem ingredi minimè permiſerunt: ad regimen Brixiæ Guſolinum ſuum civem, patriæ amatorem protinus eligentes. Ecelino verò jam cum exercitu Montem Clarum ingreſſo, perſuaſerunt redire Veronam, verbis & promiſſionibus ejus ferocitatem animi, ad internetionem ſuper parati, ſagaciter mitigantes.

Eodem anno Ecelinus, cui proprium erat nunquam parcere nec miſereri, Bontraverſum ſuum ſocerum cum filiis ſuis cepit, & in carcere graviſſimo famis cruciatu peremit. *Ecelinus ſocerū in carcere perimit.* Si cauſa quæritur captionis: breviter reſpondemus, quòd omnibus quos volebat tyranus occidere, titulum proditionis generaliter opponebat.

Qualiter legationis officium commiſſum eſt venerabili viro Philippo Archiepiſcopo Ravennati.

CIRCA hæc tempora, cum inæſtimabili crudelitate nequiſſimi Ecelini (ut hyperbolicè loquar) admiraretur cœlum, turbaretur terra, horreret infernus, commoverentur Reges & Principes nationum: Alexander Papa precibus Marchionis Eſtenſis & aliorum Magnatum Marchiæ inclinatus, qui contra tam efficaciſſimum inimicum auxilium Eccleſiæ implorabant, de conſilio Cardinalium officium legationis Lombardiæ & Marchiæ, nec non & Romaniolæ commiſit, Viro Magnifico & prudenti, Domino ſc. Philippo Ravennati: injungens ei ſpecialiter in mandatis, ut ad reprimendam contumaciam perfidi Ecelini, qui à bonæ memoriæ Papa Innocentio tanquam hæreticus fuerat condemnatus, deberet modis omnibus laborare. At Archiepiſcopus contra hoſtem Eccleſiæ, invictum pariter & aſtutum, onus legationis ſuſcipiens, de clementia divina confiſus, inſtanter cœpit cum amicis Eccleſiæ pertractare, qualiter inſuperabilis tyrannidis Ecelini poſſet impetum cohibere. Sed multis hinc inde propoſitis in colloquiis civitatum, in fine omnibus ferè impoſſibile videbatur, quòd aliquis

quis poſſet tyranno ita potenti, aſtuto & ditiſſimo reſiſtere, niſi divina gratia ſuffragante Archiepiſcopus itaque ſciens nihil eſſe impoſſibile apud Deum, ad miſericordiam Dei dirigens oculos intellectus conſtanter, cepit per ſe & per alios crucem Domini prædicare, admonens omnes, orationibus & gemitib. Domini Clementiam exorare: ut non diutius ſuſtineret, quòd Eccleſiæ ſuæ perfidus hæreticus inſultaret. Tunc multi, quorum corda gratia divina perfuderat, ſignum vivificæ crucis devotiſſimè ſuſceperunt, & ad deprehenſionem tyranni animos attollentes, divinum auxilium orationibus, obſecrationibus & gemitibus inenarrabilibus quotidie poſtulabant.

Crux contra Ecelinum publicata.

Qualiter Ecelinus contra Mantuanos exercitum præparavit.

INTEREA dum hæc agerentur ex parte Legati humiliter & devotè, ex oppoſito ſuperbiſſimus Ecelinus in arma furens, ad delendum Mantuanos cœpit cum ſumma inſtantia exercitum præparare. Præſentabantur equi, menſurabantur clypei, loricæ & galeæ producebantur. Magnus fuit numerus militum: pedites & baliſtarii ſollicitè in campo Martio requiſiti ſagittas: lanceæ & gladii acuebantur: ſunt etiam vexilla victricia renovata. Clamorque maximus fiebat quotidie dicentium populorum: Mantuam, Mantuam properemus: quòd ſola Mantua impedit Dominum noſtrum totius habere Dominium.

Mantua Ecelini armis petita,

De Aſtrologis Ecelini, & de vaſtatione Mantuanorum.

CONVOCAVIT inſuper ad ſe cœleſtium corporum ſollicitus explorator, Aſtrologos & Divinos: præcipiens eis ſupputare menſes, ſydera contemplari, & ſigna cœli conſideratione acutiſſima perſcrutari: ut indubitanter ſcire poſſet, quando foret tempus ad movendum exercitum opportunum. Tunc illi tam metuendi Principis Imperiis obſequentes, diligenter inveſtigaverunt Solis Lunæque curſum, planetarum motum, & ſignorum effectus: & artis peritia illuſtrati, diem & horam & punctum evidentiſſimè invenerunt. In quibus invictiſſimus Princeps de felici proceſſu ſecurus, adverſus Mantuanos iter arriperet in inſtanti. At ille dictis eorum incumbens, in hora præfixa movit exercitum cum magnifico apparatu. In cujus auxilium venit Vbertus Palavicinus, vir callidus & aſtutus, cum Cremonenſibus & Placentinis, & aliis Eccleſiæ inimicis. Et inſimul congregati, quaſi leones rugientes ad prædictæ diſtrictum Mantuæ intraverunt, & omnia quæ erant in agris ſuccidendo, evellendo & comburendo uſque ad lacus marginem penitus deſtruxerunt. In iſtis anguſtiis Mantuanorum, ſolus Marchio Eſtenſis cum Ferrarienſibus & Bononienſibus in eorum auxilium eſt profectus.

Vbertus Palavicinus Ecelini ſocius.

Qualiter Legatus introivit in Marchiam per paludes; & de Padua glorioſiſſimè triumphavit.

DUM igitur Ecelinus circa Mantuanorum diſtrictionem inſiſteret vehementer, Legatus ſeptiformis Spiritus gratia illuſtratus, ſub pœna excommunicationis omnes Marchianos qui effugerant Dominium Ecelini, tam de Verona quàm de Padua, Vincentia & Tarviſio: omneſque cruce ſignatos inſimul congregavit. Cui Venetorum reverenda communitas baliſtariorum & peditum, navium & victualium contulit auxilium opportunum. Ferraria etiam in ſubſidium Legati quingentos pedites deſtinavit. Omnibus itaque apud turrim Baybæ congregatis, Legatus in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, prædicatione ſalubri & dulci alloquutione eos confortans, intravit navem, & omnes idem facientes proſpero curſu uſque ad Corrigiolam pervenerunt. Quorum adventum ut audivit Anſedifius poteſtas Paduæ, ſtatim præcepit omnes meatus claudi aquarum, ut deficiente aqua in alveo fluminis, naves eorum in ſicco penitus remanerent. Et confeſtim cum militia & populo undiquaque collecto Plebem Saci intravit, ibique diſpoſuit inimicorum impetum cohibere. At illi caſtro Conchadalbari expugnato, & combuſto Burgo Capitis ſylvæ & etiam Bubulentæ villas & Burgos circumſtantes cœperunt plurimùm perturbare: omneſque illorum fortitudinem metuebant. Tunc Anſedifius admirans illorum audaciam ſuorumq;

auda-

audaciam, dimissa Plebe saci Paduam est reversus, intendens tantùm civitatem sollicitè custodire.

Legatus itaque utpote vir in multis expertus, videns Potestatem præ timore nimio territam Plebem saci vilissimè reliquisse: non fuit contentus tantùm strenuè occupasse, sed habito Concilio sapientum disposuit usque Paduam cum exercitu properare. Summo igitur diluculo, die Lunæ duodecimo exeuntis Januarii, clangore tubarum exercitu excitato, armisque viriliter ab omnibus apprehensis: Legatus ante se deferre fecit almæ crucis vexillum, quod sequuti sunt omnes: omnes animo confidenti de cœlo auxilium postulantes. Et iter felicissimum accipientes, omni supellectile præter arma in navibus derelicta, per viam pontis S. Nicolai, circa horam sextam Paduam velocissimè pervenerunt. Cùm autem ad portam pontis curvi venissent custodes, de turri & aggeribus Burgorum jacula jacientes, illos ingredi fortiter prohibebant. Tunc strenui bellatores mortis periculum contemnentes, descenderunt in aquam fluminis & repentes manibus & pedibus per aggerem superius ascenderunt, & sic de Burgis civitatis fugientibus adversariis, gloriosam victoriam sunt adepti.

Tunc Legatus divino spiritu inflammatus, aspirare cœpit ad expugnationem tam clarissimæ civitatis, fecitque die illa & nocte sequenti Catum firmissimum præparari, ad supponendum ignem in porta pontis, quæ dicitur Altinatus. Et quum jam Legatus nova haberet, Ecelinum cum exercitu in præcedenti Dominica aliquantulum à Mantua separatum, & ad redeundum Veronam paratum, festinanter die Martis, circa horam nonam fecit Catum versus portam impelli, ignem ad comburendum ipsam citissimè ministrari. Quo facto, divino suffragante spiritu porta cum domo imminente à flamma velociter est accensa. Tunc cœpit resonare clangor populorum, cohortantium se ad pugnam, clangorque tubarum, balistarii quoque fortes & frequentes dirigebant sagittas contra illos qui de muro jacula dimittebant. Interiores itaque combustione portæ non modicum sunt perterriti, exteriores verò audaciores effecti, scalas muris undique apponentes, circa horam vespertinam super civitatis muros viriliter ascenderunt. Tunc Ansedisius videns captam esse ab adversariis civitatem, cum militia fugam arripiens, per portam Sancti Joannis egressus, concitè Vicentiam properavit. Victores autem paucos occidentes, & quasi neminem capientes, spoliare civitatem toto conamine sunt aggressi. Tunc aperti sunt carceres tenebrosi: rupta sunt vincula & catenæ: hinc egrediuntur turbæ hominum moribundæ, inde procedunt Matronæ Nobiles, trepidæque puellæ, squalore macieque confectæ. Exeunt postremò Nobiles pueri excæcati pariter & castrati, quorum miserandus aspectus ad piarum lacrymarum effusionem oculos intuentium provocabat. Nullus itaque viribus hominum attribuat victoriam tam fortissimæ civitatis, sed soli Deo, qui est in suis perfectis operibus gloriosus: cujus mediante virtute, famelici saturatos, & inermes armatos viriliter devicerunt.

Pontificis legatus Ecelino Paduam eripit.

Ansedisius Padua fugatus.

Præter hæc tantam gratiam contulit virtus divina Legato, ut infra quatuor dies non solùm castrum Ecelini, quod erat in angulo civitatis, sed etiam omnia castra quæ erant in Paduano districtu, in plano quàm in montibus constituta, ei custodes Ecelini protinus reddidere, præter castrum Montis silicis, castrumque inexpugnabile Calaonis. Fama fuit præclaræ istis victoriæ per universam Italiam divulgata. Ecclesia ex hoc est virtute roborata: Sacerdotes de Legati constantia glorificabant, omnesque ipsumque prædicabant laude dignum, qui hostem invictissimum vicit, & insuperabilem superavit. Ipse namque divina virtute suffultus, stultam esse sapientiam Salinguerræ in facto Ferrariæ comprobavit, Nunc verò in expugnatione Paduæ, Astrologiam & sortilegia Ecelini esse vanissima, luce clarius demonstravit.

De summa crudelitate Ecelini, cum audivit Paduam esse captam.

INTEREA dum hæc Paduæ feliciter agerentur, superbissimus Ecelinus à Mantuæ vastatione revertens fluenta Mintii cum exercitu pertransibat. Et ecce occurrit ei velox nuntius veniens à Verona, qui occultè cum timore maximo ei captam esse Paduam ab adversariis nunciavit. Tunc ille inæstimabili dolore ac furore commotus, jussit exercitum festinanter fluvium pertransire: cursusque deinde usque Veronam sine inter-

intermissione aliqua agitari: sicque de duabus diætis unam conficiens, omnibus admirantibus & festinationis causam ignorantibus, velociter Veronam pervenit, ubi fit omnibus manifestum, Paduam ad manus inimicorum penitus devenisse. Auditis his rumoribus Paduani cœperunt inconsolabiliter lamentari: tum pro uxoribus & filiis, & filiabus, & substantiis, de quorum statu in discrimine tanto erant incerti: tum quod videbant se in manibus tyranni crudelissimi constitutos. Tunc insatiabilis homicida & draco venenosus addens afflictione afflictis, præter aliquos sceleratos præcepit capi omnes penitus Paduanos, quorum numerus ad duodecim millia hominum pertingebat, ipsosq; compedibus alligatos includi fecit in carceribus tenebrosis: quos omnes fame & aliis suppliciis miserabiliter interfecit. Iterum præcepit, quòd si aliquis Paduanus in fuga fuisset deprehensus, continuò manibus & pedibus privaretur. Multi itaque tali pœna puniti jacebant in agris & viis prostrati: ad quorum horrendos rugitus validosque clamores nullus propter timorem tyranni commotus misericordia flectebatur. Tunc etiam Ansedisium sororis suæ filium, gravissimis catenis compedibus alligavit, imponens quòd non bene Paduam custodivisset. Sed crudelis & impie tyranne, cur Deo non attribuis Paduæ captionem, contra quem nulla potest sapientia & scientia prævalere? Non enim in multitudine bellatorum & fatali constellatione, in quibus confidis, obtinetur victoria præliorum: sed divinæ voluntatis arbitrio omnia disponuntur. Saltem ad hoc credendum, ô pessime hominum, te inducat, quòd per populum contemptibilem & egenum, quem pro nihilo reputabas, divino judicio subitò Paduam munitissimam amisisti: quod per anni spatium posse fieri minimè credidisses. Si tota consurrexisset contra te militia Gallicana, tu credebas inimicos ab ingressu Marchiæ prohibere, fluvios desiccando. Sed Dominus militiam tuam in caput tuum convertit, eos siccis pedibus ad Paduana mœnia perducendo. Desine itaque minister Satanæ, desine adversus mundi opificem insanire: sciens, quòd durum est, contra Omnipotentis stimulum calcitrare.

Ecelini in Paduanos Veronæ inventos, crudelitas.

Ansedisius ab Ecelino avunculo duriter habitus.

Post mensem autem à captione Paduæ, cùm civitas aquarum beneficio plurimùm indigeret, quòd in districtu Vicentino tyrannus fecerat claustra, ne versus Paduam emanarent: Legatus ad destruendum prædicta obstacula cum exercitu properavit. Quod quum audisset Potestas Vicentiæ, occurrit eis audaciter cum militia Vicentina. Et inito certamine, Potestas & multi cum eo Nobiles Viri in prælio ceciderunt, omnesque alii turpiter sunt fugati, fractisque claustris aquarum, Legatus cum exercitu Paduam est reversus.

De seditione exercitus Legati.

POST hæc circa introitum Augusti, Legatus cum magno exercitu versus Vicentiam equitavit, pervenitque ad Burgum custodiæ, ubi est antrum mirabile ad videndum: ibique sunt exortæ inter Principes contentiones & quæstiones diversæ. Principia fuerunt ista, quòd Bononienses, de quibus erat in exercitu tam militum quàm peditum maxima multitudo, versi in seditionem, dixerunt: Se nolle ultra procedere: imò volebant ad propria remeare. Videns autem Legatus in exercitu esse dissensiones multimodas animorum, quas non poterat mitigare, Paduam protinus est reversus. Bononienses autem qui cum magno fervore venerant in Marchiam ad Legatum, inventis frivolis occasionibus ignominiose ad patriam redierunt.

Tumul t us erroq ue in texerc ue in gati pitu le- ficii. onti-

Qualiter Ecelinus venit cum exercitu circa Paduam.

HIS cognitis Ecelinus audacior effectus, rursum in arma furens, ad recuperandum Paduam vesana mente aspirans, prece & precio de totius Lombardiæ finibus, ubi fautores habebat, militibus & balistariis congregatis, cum ingenti multitudine bellatorum contra Paduam est profectus. Cujus terribilem adventum Legatus & Marchio cognoscentes, & pugnandum campestri prælio cum tyranno impares viribus se videntes, fossatum circa Burgos Paduæ, à parte occidentali cum summa festinatione fieri præceperunt, ad furientis Ecelini impetum cohibendum. Et concitè

Vene-

Venetias, Ferrariam & Mantuam nuntios dirigentes, collegerunt in unum militum & peditum non modicam quantitatem. Patriarcha etiam Aquileiensis cum decenti societate in eorum venire auxilium festinavit. Castrametatus est autem Ecelinus cum valido exercitu juxta fossatum, direxitque frequenter suas acies copiosas ante mœnia civitatis, ut intrinsecos ad prælia provocaret. Sed ipsi cautè dimiserunt eum ad suum libitum insanire. Nam circa quinque millia hominum in suo exercitu dicitur habuisse. Legatus verò & Marchio cum Prælatis & Sacerdotibus, & Levitis nunquam ad duo millia pervenerunt. Legatus autem Vir Constantissimus, ut ad civitatis defensionem cives pavidos animaret, in monasterio Sancti Benedicti, juxta fossatum, die noctuque suam constituit mansionem, aliis Principibus intra muros Paduæ residentibus præ timore.

Padua ab Ecelino obsessa.

Videns tandem tyrannus furibundus se contra civitatem non posse in aliquo prævalere, nec ad montem Silicem sibi patere accessum, ubi castrum fortissimum à suis custodibus tenebatur, Veronam frustratus suo desiderio est reversus: nec addidit ultra fines Paduæ cum exercitu introire: imò Paduani frequenter loca ei subdita viriliter impugnabant.

Solvitur Paduana obsidio.

Tunc temporis, tertio die intrantis Augusti, Dominus Joannes Episcopus Paduanus, veniens à Romana Curia, ubi postoralem promeruit dignitatem, à clero & populo Paduano honorabiliter est susceptus, & à porta prati usque ad majorem Ecclesiam processionaliter est deductus.

De reconciliatione Brixiæ.

ANNO Domini M. CC. LVII. exhortatione pariter & præcepto legati sedis Apostolicæ, frater H imerardus de ordine Prædicatorum, vir venerabilis, & tam in Theologia quàm Physica scientia plurimùm eruditus, Grifollinum Brixiæ potestatem & alios Optimates ita dulci & facunda eloquentia mitigavit, quòd illi, qui de parte Ecclesiæ in prædicta civitate fuerant vinculati, à vinculis absoluti, & suis sunt possessionibus restituti. Quo facto, Legatus exponens se magno periculo, propter insidias malignorum, latenter de Mantua cum paucis Brixiam est profectus, & ibidem aliquot diebus residens, ita suo dulci colloquio Brixiensium animos reconciliavit, quòd ipsi similiter promiserunt more solito in devotione Ecclesiæ permansuros. Quod audiens Ecelinus & Palavicinus Ecclesiæ inimici, frustrati spe sua, sunt non modicum conturbati.

Eodem anno Papienses primò, & Placentini secundò jugum Vberti Palavicini à suis cervicibus viriliter excusserunt. Nam sicut Ecelinus in Marchia, ita ille super partem Federici in civitatibus Lombardiæ tyrannidem exercebat.

Papienses & Placentini Cæsariarorum jugum excutiunt.

Per idem tempus castrum montis Silicis, & castrum altissimum Calaonis reddita sunt Marchioni à custodibus Ecelini. Et sic ejus potentia de Paduano districtu est penitus extirpata.

NB.

Sub præcedenti annorum curriculo Albricus de Romano, qui multos annos inexorabilem discordiam habuerat cum fratre suo Ecelino, Dei & hominum inimico, inventis quibusdam occasionibus ab Ecclesiæ devotione recedens, confœderatus est cum eodem. Civitatem autem Tarvisium in suam retinuit potestatem.

Albricus de Romano Ecelino fratri reconciliatus.

De discordia in electione.

DUM prædicta tam in Lombardia quàm in Marchia gererentur, interfecto à Frisonibus in bello Rege Alemanniæ Guilelmo: convenerunt Principes ad electionem more solito faciendam. Cùm igitur tractarent de Principe idoneo eligendo, humani generis inimicus seminavit zizania inter eos. Nam quidam Comitem Ricardum, fratrem Regis Angliæ, Regem Alemanniæ elegerunt: alii verò vota in Regem Castellæ penitus transtulerunt. Comes autem Ricardus ascendit in Alemanniam festinanter, & de assensu quorundam Principum capiti suo regni Aleman-

Richardus Anglus & Alphonsus Hispanus Rom. Reges electi.

Alemanniæ diadema imponi curavit. Vterque verò electus suos legatos ad Romanam Curiam destinavit, pro confirmatione à summo Pontifice impetranda. Sed Dominus Papa in partem aliquam declinare, ne fortè pax Ecclesiæ turbaretur, de consilio Cardinalium, sub specie deliberandi, distulit super quæstione tantorum Principum definitivam sententiam promulgare.

Qualiter pars Ecclesiæ suos adversarios in Brixia superavit.

ANNO Domini M.CC.LVIII. cum multi clarissimi viri de Brixia exaltationem Sanctæ Matris Ecclesiæ affectantes, tyrannidem adversæ partis patienter per Biennium tolerassent: tandem sicut viri strenui & elati, sese periculo exponere potiùs elegerunt quàm vehementissimè continuè cruciari. Timebant enim quotidie, ne à suis adversariis in manus perfidi Ecelini Brixia traderetur. Tunc latenter ad Legatum & Marchionem, qui tunc erant Paduæ, pro exercitu ordinando contra pestiferum Ecelinum nuntios direxerunt: ipsos attentiùs exorantus, ut parati essent eis præstare subsidium in die præfixo, in quo suos disposuerat invadere inimicos. At illi eorum precibus libentissimè annuentes, in tempore assignato magnificè in eorum auxilium perrexerunt. Prædicti verò fideles Ecclesiæ ut potentes viri, providi, & experti, timentes plurimum, ne pars adversa eorum deprimeret audaciam per aliquam conjecturam, & habita occasione pessimum Ecelinum & Palavicinum in suum auxilium convocaret: duobus diebus ante terminum constitutum, secundo scilicet die exeuntis Aprilis, circa Solis occasum, arma subitò rapientes, more leonum audaces, inimicos viriliter invaserunt, eosque per totam noctem fortiter expugnantes, antè horam tertiam diei sequentis, plenissimam de ipsis victoriam sunt adepti, & ferè omnes autores scelerum. Scrifolinum etiam potestatem Brixiæ capientes, eos in vincula conjecerunt. Comes itaque Sancti Bonifacii, egregiæ indolis adolescens, paternæ probitatis impiger imitator, audiens Brixienses esse sub armis, cum parte militiæ Mantuanæ in amicorum auxilium continuò est profectus. Post verò tres dies Legatus & Marchio in manu valida Brixiam intraverunt, & ibidem tamdiu steterunt, donec omnia fuere disposita, secundum beneplacitum amicorum.

Cæsarianorum pars Brixiæ opprimitur.

Hæc itaque audientes Ecelinus & Palavicinus, pariter tremuerunt. Expalluit eorum facies & abiit intellectus, omnesque eorum fautores per totam Lombardiam capita in terram præ tristitia dejecerunt. Tota enim spes illorum & desiderium erat Brixiam obtinere, quòd per ipsam vires resumere & inimicos deprimere, totiusque assequi sperabant Dominium Lombardiæ. Dominus autem, secundum Propheticum sermonem, signa faciens irrita divinorum, & vertens hariolos in furorē, idololatriam Ecelini & Palavicini, qui planetas & signa cœli pro Numine venerabantur, suæ potentiæ brachio prostravit pariter & confudit. Non enim Omnipotens planetis contulit Deitatem, nec eorum motibus suam potentiam alligavit, sed in se retinuit plenitudinem potestatis. Reputandi ergo sunt fatui & insani, qui totam spem suam in constellationibus posuerunt, & Creatorem omnium contra se non timent quotidie suis sceleribus provocare. Dominus igitur sit nobis adjutor, & non timebimus quid nobis faciant Mars, Jupiter & Saturnus.

In Pseudo-astrologos sarcasmus.

De commotione Cremæ.

FACTIS itaque Brixiæ prosperè ordinatis, Legatus perrexit Mediolanum, ut sedaret Mediolanensium discordias cavillosas. Cùm igitur circa hoc plurimùm laboraret, magnum infortunium accidit Mediolanensibus, eorum exigentibus dissensionibus & peccatis. Nam quum per multorum annorum circumvolutiones Cremæ Dominium habuissent, & propter hoc inter ipsos & Cremonenses inexorabilis discordia extitisset, ex qua multa millia hominum ex utraque parte, in diversis bellorum congressionibus, perierunt; his tamen temporibus Crema taliter est ad manus Cremonensium devoluta. Quidam namque potens de Cremonensibus, contra quosdam suos adversarios ex eodem oppido zelo malitiæ concitati, Cremonenses & Palavicinum in suum auxilium vocaverūt, & expulsa parte adversa, se simul cum patria Cremonensium Dominio subdiderunt.

Quæ-

Qualiter Paduani Teutonicorum militiam superaverunt.

EODEM tempore, tertio scilicet die Julij exeuntis, Marchio & militia Paduana in campestribus Bassiani, militiam Teutonicorum, soldum recipientium à perfido Ecelino, viriliter prostraverunt, magnamque prædam de ipsorum spoliis habuerunt. In istorum quippe impetuosa virtute tyrannus maximè confidebat, quorum fretus auxilio & tutela, nefanda & inaudita scelera toto Dominij sui tempore audactissimè perpetravit. Et quid mali non operatur auri fames penitus execranda? Isti enim probatissimi Teutonici, animarum suarum & corporum stolidissimi venditores, ita erant Ecelini pecunia excæcati, quòd nec sententia excommunicationis, nec terrore non parcentium gladiorum avelli ab Ecelini horribili obsequio potuerunt. Unde à victoribus velut oves occisionis sunt meritò reputati.

Paduanorũ victoria contra Ecelinũ.

Qualiter Januenses à Venetis sunt superati.

HIS temporibus cùm Januenses Venetorum animos graviter offendissent in civitate Acconitana, quæ Antiquitus Ptolemaida dicebatur, ubi communiter negociatores dictarum urbium habitabant: Veneti ulcisci suas injurias cupientes, & pro nihilo maris pericula & expensarum magnitudinem reputantes, dummodo valerent se de adversarijs vindicare, classem in manu valida in Syriam direxerunt: & tam navali prælio quàm campestri Januenses viriliter expugnantes, captis multis navibus bellicis, & reliquis in fugam conversis, eversa simul turre munitissima, & in vastitate hostili, cunctis eorum domibus desolatis, ipsos de civitate Acconitana penitus expulerunt.

Qualiter Ecelinus habuit Brixiam, & de captione Legati.

PROPTER innumerabilium inundationem malorum, absorbentium intellectum, horreret animus temporum nostrorum calamitates & ruinas persequi seriatim. Viginti enim anni sunt vel circa, quòd occasione sedis Apostolicæ ac Imperialis, sanguis Italicus effunditur velut aqua, & contra Romanam Ecclesiam tyrannorum perfidia debacchatur. Et nunc cum putabamus perniciosorum hominum potentiam aliquantulum diminutam, rursum prosperitate inopinabili confortati, ad sydera extolluntur. Denique cùm legatus cum exercitu Brixiensium & militia Mantuana Palavicino & Cremonensibus occurrisset, qui suggestione perfidi Ecelini duo castra Brixiæ invaserant, juxta flumen Olei constituta: tunc Ecelinus, qui usque in senectam & senium à malitia non cessavit, undique militia congregata, subitò de oppido Piscariæ, in noctis crepusculo iter arripuit, in summo diluculo, die Veneris, secundo exeuntis Augusti, transiens Oleum, exercitui Cremonensium se adjunxit.

Ecelinus cũ Palavicino exercitum jungit.

Audiens autem Legatus vires hostium augmentatas, sed incrementi nesciens quantitatem: habito consilio sapientum, voluit in castrum Gambaræ cum exercitu introire, & sic in tuto loco amicorum auxilium expectare. Sed vicit hoc salubre consilium temeritas multitudinis, obstinatè dicentis: potius esse dimicandum cum hostibus, quàm ad latibula divertendum. Ignorabant enim tam Legatus quàm alij, utpote malè custodientes vias, per quas transire poterant inimici, Ecelinum cum universa militia Marchiana, in nocte præcedente personaliter advenisse. Dum igitur diversi diversa sentirent (nam fortissimos quoque milites subita bella conturbant) Ecelinus & Palavicinus flumen Olei velociter transeuntes, contra fideles Ecclesiæ acies continuò direxerunt. Et tunc incœperunt acies Ecelini prius absconditæ, dilatari, & ejus vexilla mortifera recognosci. Cernentes igitur persequutores Ecclesiæ Legatum & Brixienses comparatione sui habere militum paucitatem, sine dilatione ipsorum exercitum terribiliter invaserunt. Tunc Brixienses inopinabilem inimicorum multitudinem intuentes, perterriti vehementer, in fugam protinus sunt conversi, captaque est ex eorum populo maxima multitudo, & (quod non sine dolore dicimus vehementi) captus est Legatus, & cum eo Episcopus Veronensis, nec non potestas Mantuæ, ac multi alij probi viri. Brixienses qui remanserant ad custodiam civitatis, & qui de castris ad urbem confugerant,

Legatus Papæ in Ecelini potestatem devenit.

fugerant, timore subitaneo excæcati, sine ictu gladij & sagittæ, sævissimo omnium tyranorum Ecelino scilicet & Palavicino, Brixiam protinus tradiderunt. Multi verò nobiles & etiam populares, & Episcopus cum Clero civitate relicta fugerunt à facie inimici, salvare personas in tanto discrimine solummodo cupientes.

Brixia Ecelino restituitur.

Porro de tam subita Brixiæ amissione & de captione Legati, viri constantissimi & fidei fervore accensi, qui assiduè pro Ecclesiæ libertate contra tyrannorum rabiem, ab adolescentia usque ad senectutem exponendo se diversis periculis, laboravit. Nonnulli plurimùm conturbati cœperunt & conqueri vehementer & mirari, quòd divina providentia tanto tempore permittit Ecclesiam sic affligi, & impios validè prosperari. Sed absque dubio istas querelas parvitas fidei introducit. Cùm enim sciamus sanctissimum Josiam occisum à sagittarijs Pharaonis, Petrum Paulumque Neronis Imperio interemptos, & (ut de hominibus taceamus) cùm Dei Filium cognoscamus crucis ignominiam pertulisse, parvæ fidei à nobis sunt meritò existimandi, qui felices putant tyrannos & urbium subversores, quia prosperitate istius seculi & delitijs perfruuntur: cùm continuus successus temporalium æternæ damnationis indicium esse comprobetur. Sed & in præsenti legimus maximos tyrannorum miserabilem exitum habuisse. Nam Cyrus, post dominium Orientis à Regina Scytharum legitur decollatus: veneno Babylonico magnus perijt Alexander, & Cæsar Senatorum gladijs est confossus. Et nunc non est manus Domini abbreviata, ut salvare nequeat servos suos sed peccatis hominum exigentibus permittit aliquanto tempore insanire, & Ecclesiam suam in tribulationum turbine fluctuare. Dimissis itaque dubitationibus de regimine Creatoris, jactemus nostrum in Dominum cogitatum, qui post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymationem exultationem infundit.

Qualiter inter Cremonenses & Ecelinum discordia est exorta.

ANNO Domini M. CC. LIX. Postquam Brixia miserabiliter ab hostibus est subacta: Ecelinus impatiens consortis, nullum volens habere parem, Marchionem Palavicinum & Cremonenses, quos habuerat socios & in belli discrimine & in tam excellenti victoria, à Dominio captæ urbis paulatim exclusit, & sic ipse solus Brixiam & ejus districtum obtinuit, præter castrum Urceorum, quod fideles Ecclesiæ viriliter defendebant. Tandem Cremonenses multis injurijs ab eo sæpius stimulati, se cernentes delusos, & nullam utilitatem, ut sperabant, de tanta victoria consequutos, contra tyrannidem nequissimi Principis vehementissimè sunt commoti: & persuadentes Bosoni de Doaria, civi Cremonensi nobili & potenti, qui exosam habebat malitiam Ecelini, Marchio Palavicinus & Cremonenses vehemens odium, quod quotidie conceperant contra hominem sceleratum, verbis & factis evidentissimè ostendere incœperunt. Statimque deliberato consilio ad Marchionem Estensem & Mantuanos nuncios dirigentes, pacem & societatem inter se firmissimam statuerunt, quòd unanimiter contra tyrannum crudelissimum dimicarent, sibi invicem ardenti animo promittentes. Mediante autem insuper industria Bosonis de Dovaria, qui vigilanti studio cogitabat, qualiter posset Leonem indomitum & ferocissimum edomare antiquissima illa & inexorabilis discordia Mediolanensium & Cremonensium est sedata: factaque fuit cum summo gaudio utriusque civitatis pax firmissima inter eos. Namque prudentissimus Boso modis omnibus procurabat, omnem viam contrahendi amicitiam & augmentandi vires, præcludere Ecelino. Sicque factum est Domino cooperante, qui novit investigabili modo electos deprimere, & de luto fecis erigere, de salute propria desperantes, quòd pars maxima Lombardiæ corde voluntario adversus inimicum Dei & hominum conjuravit. Et meritò hoc à Domino est provisum, ut essent manus omnium contra eum, cujus manus impiè genus hominum afflixerunt. Ipse namque turbavit terram, concussit regna, interfecit populos, & civitates plurimas desolavit. Nam quasi hortus voluptatis erat Marchia Tarvisina, priusquam ejus tyrannidi subderetur. Sed postquam fuit ab eo afflicta, comparationem

Simultas inter Palavicinum & Ecelinum.

In Ecelinum conspiratio.

ne prioris ſtatus, videtur eſſe quaſi heremi ſolitudo. Teſtantur hoc ruinæ civitatum, villarum pariter & caſtrorum. Nec ei ſufficere videbatur regionem ſibi ſubditam diſſipare, ſed Legatos mittebat ad exteras nationes, ut contra Romanam Eccleſiam & ejus fideles Reges orbis & Principes concitaret. Nuntij namque ipſius ſolliciti & veloces per diverſas Provincias diſcurrebant: nunc ibant ad curiam maximi Federici: nunc ad Principes Alemanniæ, ad ſeditionem & diſcordiam excitandam: nunc ad Regem Ungariæ, pro amicitia obtinenda: nec non ad fortiſſimum Regem Caſtellæ pergebant, qui regnum Italicum ſeminator diſcordiæ promittebat: ut ſi fieri poſſet totum mundum adverſus Eccleſiam provocaret. Cor ſiquidem impijſſimi Ecelini, erat continuè quaſi mare fervens, quod quieſcere nunquam poteſt. Nil enim mali putabat eſſe actum, cùm quid ſupereſſet agendum. Unde modis omnibus aſſiduè cogitabat, cum inſtantia vehementi addere malum malo, & iniquitatem ſuper iniquitatem apponere, quàm timens ne tempus ſibi deficeret, ad ſuas machinationes & doloſitates inopinabiles opere adimplendas. His ita breviter exaratis, ad deſcribendum tyrannidis ejus exitum accedamus.

Ecelini turbulentum ingenium.

Qualiter captus fuit perfidus Ecelinus.

ANNO itaque revoluto poſtquam Brixiam obtinuerat, Ecelinus circa principium Septembris, ipſe congregavit exercitum copioſum, proceſſitque de Brixia in manu valida, & caſtrametatus eſt in campeſtribus Urceorum, & omnia quæ circa prædictum caſtrum in agris fuerant, devaſtavit. Quo audito, Cremonenſes amicis undique convocatis, exiverunt unanimiter & contra eum, & juxta Sucinum caſtrum ſuum tentoria poſuerunt. In quorum auxilium Mantuani & Ferrarienſes cum Marchione Eſtenſi magnificè ſunt profecti. Mediolanenſes etiam contra lupum rapaciſſimum venire communiter promiſerunt. Cùm ergo eſſent in ſimul congregati, cœperunt præparare ſe ad pontes ſuper flumen Olei fabricandos, ut poſſent venientibus Mediolanenſibus tranſire ad tyrannum perfidum invadendum. Interea dum hoc facere molirentur: Ecelinus, cui mille artes inerant milleque modi nocendi, ſuis machinationibus & perſuaſionibus fraudulentis quoſdam Magnates Mediolani corruperat, ſuum populum odientes, qui firmiter promiſerunt ei ſuam tradere civitatem, & pro hujus rei ſecuritate proprios etiam filios ipſi obſides tradiderunt. Quorum promiſſionibus incumbens tyrannus cupidus dominandi, cor ſuum in ſuperbiam elevavit; quod erat ruinæ præſagium imminentis. Et de nocte conſurgens, de campeſtribus Urceorum juſſit populum redire Brixiam feſtinanter. Ipſe verò cum octo millibus hominum equeſtrium, in quibus erant tria millia electorum militum, velociter quaſi aquilæ volantes ad eſcam, per pontem Palla Zoli, flumen Olei pertranſivit: veniensque ad Aduam fluvium, ipſum ſimiliter inceſſu principali transvadavit. Ibique occurrunt patriæ proditores: quibus aſſumptis verſus Mediolanum ire cum ſummo gaudio miniſter diaboli feſtinabat, à quo, peccatis exigentibus, ſicut bos ad victimam ducebatur. Ipſo itaque Mediolanum pergente, econtra Martinus de Laturo, vir ſapiens & aſtutus, totius populi Mediolanenſis Capitaneus & defenſor, de Mediolano cum exercitu erat egreſſus, & in Cremonenſium auxilium veniebat. Præcurrens igitur nuncius, quem Bergomenſes quidam amici Eccleſiæ direxerunt, nuntiavit Martino tremendum adventum fortiſſimi Ecelini. Qui quum audiſſet, quòd crudeliſſimus prædo ad obtinendum Mediolanum cum exercitu adveniret, obſtupuit vehementer, revertensque velociſſimè, verſus Mediolanum (Domino faciente, ſine quo fruſtra vigilant qui cuſtodiunt civitatem) pervenit, ante peſſimum Ecelinum. De Martini verò ſtrenuiſſimi viri ſubitaneo adventu exterriti ſunt patriæ proditores. Alij verò cives tanti viri præſentia roborati, ad reſiſtendum tyranno ſe viriliter paraverunt. Et ſic diſſipatum eſt conſilium malignorum.

Caſtrum Orci in territorio Brixienſi.

Ecelinus Mediolanū petit, proditorio eam occupaturus.

Mediolanenſis proditio extinguitur.

Videns itaque perditionis filius ſuas inſidias denudatas, & aliter ſibi quàm exiſti-

existimaverat accidisse: ad invadendum nobilissimum Burgum Modoitiæ se convertit. Sed Burgenses armis assumptis ipsum intrare minime permiserunt. Castrum etiam Tritij voluit occupare: sed & inde penitus est repulsus. Burgum tamen dicti loci obtinuit, ipsumque crudeliter concremavit. Tandem necessitate compulsus Vicum-mercati intravit, ibique sævissimus prædo terrarum suam infelicem constituit mansionem.

Cognoscentes igitur Cremonenses & Mantuani & eorum socij notissimum volatum temerarij Ecelini, unanimiter moventes castra, usque ad flumen Aduam ejus vestigia sunt sequuti: fingentes tentoria juxta locum per quem transivit insatiabilis homicida, fecerunt cum summa diligentia pontes & vada fluminis custodiri, ne aliquo modo serpens tortuosus posset absque periculo ad propria remeare. Mediolanenses etiam ex alia parte validum exercitum congregantes, in prælium procedere disponebant. Sed hoc eorum animos ad bellandum promptissimos referebat, quòd capitaneos & vavassores de crimine proditionis suspectos habebant. Quorum impetium Ecelinus plurimùm, expavescens, maximè cùm videret se à proditoribus quotidie derelinqui: à Burgo, in quo erat conclusus, non permittebat suos milites longiùs evagari: Sed nec ibidem diutius poterat residere: ne omnino deficientibus victualibus, famis angustia exercitus premeretur.

His ita se habentibus conturbati sunt Nobiles Brixiæ: robustos Veronæ obtinuit tremor: obriguerunt omnes milites Ecelini, tam animosi Teutonici quàm Latini. Tunc etiam terrefactus est corde draco venenosus, cernens se ab inimicis undique coarctatum: nimioque timore territus non erat ausus cum Mediolanensibus dimicare, ipsorum multitudinem pertimescens: sed versus ad Aduam unde venerat, deliberato consilio direxit subitò iter suum. Sperabat namque unum de duobus, licet inimici starent ex adverso, aut viam sibi gladijs aperire, aut fortè per medias acies bellatorum fugæ remedium invenire. Cùm igitur ad pontem Aduæ pervenisset, invenit ipsum ab adversarijs occupatum: & dum ad expugnandum pontem suos fortiter hortaretur: quidam sagittam dirigens in incertum, eum in pede graviter vulneravit. Qua percussione plurimùm est turbatus, tum quòd inveteratus erat dierum malorum: tum quòd in tanto periculo constitutus, præ dolore vulneris non poterat limpidè cogitare, quid esset expediens, quid nocivum. Impugnatione itaque pontis dimissa, tremebundus homicida, magis cogitans de fugæ præsidio, qum de acie ordinanda, festinanter ad vadum fluminis properavit, ipsumq; velociter nullo impediente exercitu pertransivit.

Pugna inter Ecelinum & Mediolanenses.

Tunc Marchio Palavicinus, & Nobilis Boso de Dovaria cum Cremonensibus, similiter illustris Marchio Estensis cum Mantuanis & Ferrariensibus ipsum viriliter invaserunt, ejusque aciem fortissimam irrumpentes, terribilem Leonem cum magno impetu rapuerunt. Electi autem milites ejus multitudini adversariorum resistere non valentes, in fugam protinus sunt conversi, & sic manus hostium evaserunt. Auctores verò fugæ Brixienses dicuntur principaliter extitisse. Multi autem capti sunt de ipsius exercitu, pauci verò gladio perierunt. Tunc revera exultaverunt victores capta præda, quando electorum armorum & equorum, & prædosæ suppellectilis spolia dividebant. Supremum verò & inæstimabile gaudium erat cunctis, quod carnifex diaboli erat captus, qui nec viris grandævis; nec mulieribus & prægnantibus, nec infantibus & balbutientibus unquam voluit misereri.

Ecelinus saucius in prælio capitur.

Postquam autem rumor insonuit per exercitum, quòd captus erat perfidus Ecelinus: à vocibus clamantium populorum, à strepitu concurrentium equorum & clangore tubarum, terra tremere videbatur. Omnes quippe certatim currebant, ad diaboli monstrum & Satanæ spectaculum intuendum. Ista itaque victoria triumphalis, à cunctis populis recolenda, die sabbato, quarto exeuntis Septembris, in quo festum Cosmæ & Damiani martyrum celebratur, prope fluvium Aduam est parata. Ibi

Ibi perierunt arma bellica Ecelini: ibi bellorum sæva tempestas, jubente Domino, conquievit. Tunc omnipotens aures suæ ineffabilis misericordiæ inclinavit, ut audiret gemitus compeditorum, & filios interemptorum ab ergastulis liberaret. Piè siquidem istam memorialem, in qua verè cœlorum catarractæ apertæ, & viscera misericordiæ Dei nostri largiter affluxerunt, debet omnis Italia, imò universi qui Christiana professione censentur, meritò celebrare, in qua Dominus operatus est salutem in medio Lombardiæ caput malorum cum suis satellitibus mirabiliter prosternendo. Tunc verè percussit Dominus detestabilem Philistæum, abstulit opprobrium grandissimum de populo Christiano. Et licet David Propheta prohibuerit, ne Saulis & Jonathæ occiso annunciaretur in Geth, & in compitis Ascalonis: causam tamen rationabilem assignavit, ne scil. Philistinorum filiæ lætarentur, & augeretur cultus abominabilis idolorum. Stragem tamen Ecelini securè audiat omnis terra & plenitudo ejus, Insulæ & habitatores earum, ut divinæ Majestatis potentia ubique ore omnium prædicetur: cui victoria ista est totaliter adscribenda, non viribus hominum aut effectibus planetarum. Quia non salvaverunt de tanto periculo Ecelinum augures cœli, castra ejus sequentes: qui contemplabantur sydera & supputabant menses, ut ei ventura certissimè nunciarent. Sed revera parcendum est eis, quòd tam gravissimo prælio imminente, adæquare planetas, accipere Astrolabium, & studere in tabulis Astronomiæ minimè potuerunt: vel fortè in tam gravi discrimine pugnæ plus in equorum velocitate, quàm in planetarum auxilio confidebant. Et ne aliquis ignarus istius negotij valeat dicere in futuro magistrum scelerum de talibus non curasse: tota Marchia in testimonium deducatur, quæ vidit in ejus curia plures Astronomos magnificè honoratos: magistrum scilicet Salionem Canonicum Paduanum, & Riprandinum Veronensem. Guidonem de Bonato Astronomum Foroliviensem, Paulum etiam Saracenum cum barba prolixa: qui de Baldach venit, à remotis videlicet finibus Orientis: qui tam origine quàm aspectu & actu esse alter Balaam à nobis meritò videbatur.

Sarcasmus.

Ecelini Astrologi.

De morte perfidi Ecelini.

CUM Ecelinus (ut prædictum est) in manus hostium incidisset, & esset in prælio graviter vulneratus, Succinum à Cremonensibus est deductus: ibique post paucos dies, cùm ferè septuaginta esset annorum, nullamque prolem haberet, deficiens mortuus est in pessima senectute. Et hac animadversione adeò est dignè punitus, ut in morte oblivisceretur sui, sacramenta Ecclesiastica detestando, qui dum viveret immemor fuit Dei. In prædicto verò castro corpus ejus est traditum sepulturæ. Ejus autem animam infelicem, onustam pondere peccatorum, dæmones absque dubio rapuêre, & eam in profundum inferni, ubi est tumultus tormentorum & nulla redemptio, projecere. Istæ fuit finis vitæ tyrannidis Ecelini. Istæ verò fuerunt civitates super quas exercuit tyrannidem inauditam: Verona, Vicentia, Padua, Tarvisium, Feltrum, Tridentum & Brixia. Omnia enim castra Episcopatus * Cenetensis suæ subdidit potestati. Padua verò & Tridentum ante mortem ipsius ab ejus iniquis manibus evaserunt. Per triginta quatuor ferè annorum curriculum, excluso Comite S. Bonifacij cum suis amicis Veronam obtinuit violenter: & tandem civitatis potentia exaltatus, excellentis Principis Federici amicitiam acquisivit: cujus fretus virtute, cunctam sibi Marchiam subjugavit. Ipsius quippe maligna instigatione Imperator potentissimus Federicus, cui præbuit iste tyrannus introitum in Italiam per Veronam violenter concussis viribus totius Imperij Lombardiam voluit obtinere: cujus rei causa inter Romanam Ecclesiam & Imperium inexorabilis discordia est exorta, propter quam multa millia hominum in diversis mundi partibus, perierunt: horum malorum caput, medium & finis extitit perfidus Ecelinus.

Ecelini potentia in Marchia Tarvisina.

**forte Cenetensis.*

Qualiter post ruinam perfidi Ecelini facta est pax in Marchia universa.

FAMA igitur prædictæ victoriæ per Urbes Italiæ decurrente, omnes populi de ruina ty-

na tyranni mirabiliter exultabant, divinæ virtutis potentiam collaudantes. Non fuit ita generalis lætitia & commune tripudium à multis retro temporibus in civitatibus Lombardiæ. Tunc Vicentini his rumoribus excitati, confestim suos cives, qui fugerant à facie terribilis Ecelini, & Paduæ residebant, ut redirent Vincentiam rogaverunt: & sic omnes ad propria sunt versi. Similiter Feltrensis Episcopus & fideles Ecclesiæ cum eo ad suam civitatem pacificè redierunt. Gens autem potentissima Venetorum, quam divina clementia fecit sæpissimè de suis hostibus triumphare, audiens tyrannum horribilem corruisse, gavisa est vehementer: statimque assumptis Tarvisinis, qui effugerant rabiem tyrannorum, Ecelini scilicet & nequissimi Albrici, ad invadendum Tarvisium exercitum destinavit. Ecelinus namque toto tempore suæ tyrannidis, tumore superbiæ nimium excæcatus, frequenter Venetos multis injurijs lacessivit. Sed ipsi viri astuti, & donis sapientiæ ac prudentiæ præ cunctis populis Italiæ prædotati, tacitè dissimulando tempus congruum expectabant, in quo possent tyranno pro meritis respondere: & ipsorum expectatio non est suo desiderio defraudata. Ipsorum namque virtutis potentia & consilio Padua est devicta, & postmodum ab impetu Ecelini viriliter est defensa.

Veneti post Ecelini mortem vindictam injuriarum ejus moliuntur.

Albricus itaque de Romano, fraternæ impietatis impiger imitator, impar quidem fratri ratione dominij, sed eidem in malitia coæqualis, audiens Ecelinum in suis malitijs comprehensum, obstupuit vehementer, & cum suis (multorum malorum quæ fecerat Tarvisinis memor, quos crudeliter ejiciendo de civitate bonis omnibus spoliavit, quosdam ipsorum ignominiosè suspendit, varijsque modis occidit, alios autem cæsos gladio jacere fecit insepultos in medio platearum) non fuit ausus inimicorum expectare adventum: sed cum uxore & filijs noctu Tarvisium dereliquit, & ad castrum sancti Zenonis confugiens, ibi munitione loci confisus, suam arctissimam constituit mansionem. Hoc audito, Tarvisini simul cum exercitu Venetorum ad civitatem protinus accesserunt, & à civibus suis gratanter & pacificè sunt recepti. Omnia verò castra Marchiæ, tam in planicie quàm in montibus constituta, suis civitatibus in brevi tempore reddita sunt à custodibus Ecelini. At ista namque omnia feliciter peragenda strenuè se gerebat tam populus quàm militia Paduana: pariterque præsentia & persuasio sanctissimi Patris Gregorij Patriarchæ Aquileiensis, qui tunc erat Paduæ maximum auxilium conferebat: cujus magnanimitatem & prudentiam circumspectam in arduis negotijs, summis periculis, tota Italia est experta. Veronenses autem cum longo tempore fuissent crebris bellorum tempestatibus conquassati, habere pacem cum parte Comitis plurimùm affectabant: Unde audientes casum nefantissimi Ecelini, gavisi sunt vehementer, quòd erepti erant de tam gravissima & longissima servitute. Accidit namque Veronensibus quod dicit Job: quòd dum nimis timuerunt pruinam, irruit super eos nix, imò grando & glacies infernalis: & dum quærerent equi fortitudinem declinare, in dentes leonis sævissimi incurrerunt. Horribilis enim tyrannus, quem ipsi exaltaverant supra modum, ita crudeliter afflixit illam nobilissimam civitatem, quòd vix in ea ullum nobilem militem dereliquit: populum etiam ejus potentissimum, gladio, fame, igni, diversisque supplicijs vehementer attrivit. Nam in uno die ferè ducentos Veronenses fecit simul cum ipso carcere igne circumposito concremari. Post continua itaque supplicia atque dolores, tandem Veronenses cœlitus recepta desideratissima libertate, omni dilatione postposita, custodes tyranni de munitionibus expulerunt, & apertis carceribus tenebrosis, cunctos captivos utriusque sexus protinus dimiserunt. Statimque ad Comitem S. Bonifacij Mantuæ commorantem, & ad reliquos cives nuncios dirigentes, ut ad sua redirent, eos amicabiliter hortabantur. At illi post longum exilium natalis dulcedine soli perfrui cupientes, ad dilectam civitatem lætanter & pacificè redierunt. Sublata namque de medio discordiæ materia, in tota Marchia pax tranquilla & dulcis concordia subitò est effecta. Sicque patuit per effectum, quòd solus filius perditionis pacem & salutem omnium excludebat. Nam ut suum Dominum augmentaret pariter & firmaret, ubicunque poterat studiosè venenum odij & dissensionis inter populos effundebat. Suspecta quippe ty-

Tarvisium in Venetorũ ditionem concedit.

Ecelini custodes Verona ejiciuntur.

pe ty-

pe tyranno erat dilatio charitatis: putabat enim non diu ſuum Dominium permanſurum, ſi cives invicem ſe amarent.

De qualitatibus terribilis Ecelini.

CONGRUUM duximus in hoc opuſculo nefarij Ecelini breviter exprimere qualitates, ut ex hiſtoriæ monumento etiam poſteris ad cavendum doloſam aſtutiam tyrannorum, munimen & ſubſidium præbeatur. Nam talium verſutia & calliditas deteſtanda ſub prætextu magnanimitatis & probitatis in exordio ſuæ tyrannidis frequenter apud miſeros populos occultantur: ſed cùm potentiæ culmen fuerint aſſequuti, elati poteſtate malitiam ſibi inſitam affligendo ſubditos, manifeſtant. Iſtum quippe modum ad decipiendum miſeros homines, tenuit magiſter ſcelerum Ecelinus. Dum enim ſicut civis in ſtatu degeret militari, acer quidem erat in hoſtes: erga tamen amicos lenis & tractabilis videbatur. In promiſſis quoque ſatis erat fidelis, in propoſito ſtabilis, in verbis maturus, in conſilio providus, & in omnibus factis ſuis miles egregius apparebat. Sed poſtquam Marchiæ dominium eſt adeptus, ſtatura corporis (quæ mediocris fuit) eadem permanente, repentè in virum alterum eſt mutatus. Nam in facie auſterus eſt effectus. Talis namque apparebat in vultu, qualis erat in actu. In modo loquendi terribilis, in inceſſu ſuperbus: ſolo intuitu homines teterrebat. Ab amore ſatis abſtinuit mulierum: ſed viros ab uxoribus ſeparabat & eos cum alijs de facto contrahere compellebat. Latrones odio habuit & prædones, ſed illorum ſupplebat officium, omnes indifferenter ſpoliando pariter & mactando. Valdè ſuſpicioſus fuit: ſemper namque in deteriorem partem facta & verba indifferentja exponebat. Omnino fuit immiſericors: crudelitate namque ſuperavit ſævitiem omnium tyrannorum. Inimicus erat paucis & bellorum civilium ſedulus excitator. Callidiſſimus exactor erat in pecunia congreganda: largus autem nummorum effuſor, pro militibus congregandis & potentia dilatanda. Spoliator fuit Eccleſiarum: Clericorum verò & religioſorum crudeliſſimus interfector. Prælatis præbendas Eccleſiarum ad libitum ſuum, quibuſcunque volebat, ac ſi eſſet ſummus Pontifex, conferebat. A fide namque Catholica fuit penitus alienus. Ob hoc ſicut perfidus hæreticus ab Eccleſia eſt damnatus. Quinquaginta quinque millia hominum ferè ejus occaſione ac juſſu, gladio, fame, & tormentis crudeliſſimè perierunt. Quandam enim ſitim & famem ſe pati putabat, niſi carnes civium laniari, & ſanguinem humanum videret profundi. Inter cætera verò ſua nefanda facinora, quæ tot & tanta fuerunt, quòd ad hoc homines ea pro fabulis reputabant: quòd hominis modum excedere videbantur. Hoc etiam voluit non deeſſe. Nam ipſe ſicut hoſtis naturæ humani generis propagationem voluit prohibere, caſtrando viros uxoratos & infantes, proh pudor etiam mulieres. Multis etiam fæminis naſum cum ſuperioribus labijs & ubera fecit crudeliter amputari: nihilominus natos eorum lactantes privabit lumine oculorum. Et ne quis dicat, ipſum contra inimicos tantummodo talia perpetraſſe: ſciat quilibet, quòd nunquam benignus, nunquam fuit finaliter alicui manſuetus: ſed cogitatio ejus ſemper circa intentionem hominum verſabatur, & qualiter eos affligeret quotidie diſponebat. Ad amaritudinem namque animos hominum perducebat diverſimodè, die noctuque vanis & inutilibus eos laboribus & inauditis ſupplicijs affligendo. Nam palatia pulcherrima & ampliſſima ſibi fieri cum ſumma inſtantia faciebat, quaſi ſemper eſſet victurus, in quibus tamen nunquam voluit habitare: necnon caſtra & turres in ſummis montibus & civitatibus conſtruebat, ac ſi crederet ſe ab inimicis quotidie obſideri. Hæc autem omnia ad oſtentationem ſuæ potentiæ, & ad terrorem & admirationem hominum faciebat, & ut famam ſui nominis ita imprimeret in mentes ſingulorum, ut eam nunquam valeret unquam oblivio abolere.

Ingenium & mores Ecelini tyranni.

Qualiter Palavicinus obtinuit Brixiam, & de evaſione Legati.

CUM poſt ruinam perfidi Ecelini cunctæ civitates, quæ fuerant ejus ſubditæ dominationi ad concordiam & pacem redijſſent: ſoli Brixienſes in ſua duritia remanſerunt, partem extrinſecam redire ad propria minime permittentes. Tunc Marchio Palavicinus cupidus dominandi, ſperans propter diſcordiam partium ſe poſſe Brixiam obtinere, quaſi amicabilis mediator utrique parti doloſis promiſſionibus, quòd eas ad concordiam reduceret, repromiſit. Igitur poſt multas etiam ambages dominium Brixiæ, peccatis Brixienſium exigentibus, aſſequutus: ſtatim cœpit Ecelini veſtigia imitari, partem ejus fovendo, & fideles Eccleſiæ intrare civitatem nullatenus permittendo. Legatum etiam Romanæ Eccleſiæ, venerabilem virum Archiepiſcopum Ravennatem ab Ecelino in Brixia in vinculis derelictum, quaſi hæres malitiæ Ecelini præcepit cum ſumma diligentia cuſtodiri. Pro cujus deliberatione Dominus Papa ſollicitus vehementer, tam Palavicino quàm Brixienſibus literas deſtinavit. Sed ipſi Apoſtolica mandata repudiantes, Legatum dimittere noluerunt. Legatus autem videns eorum animos obſtinatos, habito ſuorum conſilio ſervientium, quodam ſero cuſtodibus credentibus ipſum cum ſerviente in conclavi more ſolito fabulari: alligavit funem firmiter ad columnam, & emittens ipſum per feneſtram alti palatij, in quo tenebatur incluſus, fune manibus apprehenſo, illæſus ad terram deſcendit. Et cum extra civitatem latenter exiſſet, ſuper equum præparatum aſcendens, uno tantùm contentus Comite verſus Mantuam fugam arripuit feſtinanter. Taliter vir magnanimus, Domino auxiliante, manus evaſit hominum perfidorum.

FINIS LIBRI SECUNDI.



RERUM IN LONGOBARDIA ET VICINA TARVISINA MARCHIA GESTARUM,

Liber Tertius.

De obsidione & interfectione infelicissimi Albrici.



ANNO Domini M.CC.LX. Cùm Albricus de Romano, ut prædictum est, morte perterritus Ecelini Tarvisium dimisisset, & in fortissimum castrum sancti Zenonis cum militibus Teutonicis & alijs suis fidelibus consedisset: Tarvisini, Paduani & Vicentini simul instantissimè obsederunt, introitum & exitum ei penitus prohibentes. Et quatuor mensium obsidione peracta, obsessi milites & alij populares gratiam invenire inimicorum in tanto periculo cupientes, primò castrum, deinde partem castri munitissimam & ipsum facinorosum cum uxore, & filijs, & filiabus in manus hostium tradiderunt. At illi non immemores ejus malitiæ detestandæ, absque mora eum cum uxore, ac sex filijs & duabus filiabus, ut ejus facinora exigebant, morte crudelissima perierunt. Iste quippe tyrannus crudelitate ac malitia ita fuit Ecelino per omnia coæqualis, ut determinatè nequeat definiri, cui de duobus potissimum crudelitatis & impietatatis palma valeat assignari. Et sanè Albricus præire fratrem in flagitijs videbatur, quòd ejus insatiabilem libidinem matronarum & virginum multitudo non potuit satiare. Quandocunque enim videbat matronas nobiles & virgines speciosas, in earum concupiscentia exardescens, quàm citiùs poterat eas ad suam deduci libidinem faciebat. Tantus verò metus tyranni nequissimi milites plebemque oppresserat Tarvisinam, ut nec etiam quòd timerent auderent ostendere manifestè: sed gemitibus & suspirijs ferebant gravissimam servitutem, & timore mortis prohibebantur pro libertate aliquid cogitare. Cor quippe Albrici durum non minis cedebat, nec precibus movebatur: inverecundum erat ad turpia, inhumanum ad humana: in exigenda vindicta crudelitatem habens tigridis & leonis. Nulla super afflictos misericordia movebatur, nec mulierum lamentis, nec fletibus parvulorum poterat emolliri. Et ut ejus maxima crudelitas breviter declaretur, per quod valeat ejus summa nequitia recognosci: dum quadam die suspendi quosdam milites præcepisset, antequam eorum guttura laqueis stringerentur, uxores eorum adesse præcepit, ad tam horribile spectaculum intuendum: quarum capillos, cernentibus viris, fecit præcidi, vestesque jussit à mammillis inferiùs amputari, & in continenti ante oculos miserabilium mulierum mandavit maritos earum in patibulo elevari. Quo facto, statim expulit miseras de Tarvisio sic turpiter denudatas, Venetiasque nullo præcedente ductore, coëgit quantocyus properare.

Albrici miserabilis interitus.

Ejus libido & crudelitas.

O infelix humana conditio, & nescia futurorum? quid in crastinum gloriaris, nesciens quid superventura pariat dies tibi, & ad quem finem rota fatorum volubilis te devolvat? Ecce in spatio undecim mensium duorum fratrum sydera tangentium, quibus cæteris circumspectis in magna parte orbis de facili non possent similes

NB.

les inveniri, vita simul est & potentia terminata. Ubi nunc est Eccelini superbia effrænata? ubi acies militum ordinatæ? ubi armatorum ei astantium multitudo? ubi obscœna voluptas delicatissimi Albrici: quæ dum esset ab ipso expleta: non satietatem sed famem ei parere videbatur. Meritò, inquam illud corpus lubricum, igne luxuriæ inflammatum, postquam gladijs est in frusta concisum, à populo Tarvisino in platea civitatis est voraci flamma consumptum, & sic caruit sepultura. Quid prædictis tyrannis profuit superbia? & divitiarum jactantia quid contulit eis boni? Transierunt verò ista omnia tanquam umbra. Tota namque ipsorum progenies à victoribus radicitus est deleta: & lactanti parvulo, flavisque puellis ardens ira hostium non pepercit: & possessiones eorum amplissimæ sunt ad extraneos devolutæ. Pereat itaque cum sonitu tyrannorum memoria: & dominus vindicans sanguinem servorum suorum, quem crudeliter effuderunt, & aspiciens lachrymas viduarum, compatiensque gemitibus oppressorum, permanet in æternum. Legitur sanè quòd Magi Pharaonis in signo tertio defecerunt: sic domus nobilissima & potentissima *de Romano*, arte diabolica nimiùm exaltata, in tertio gradu suæ altitudinis cecidit & defecit, nec adjiciet ut resurgat. Magna quippe fuit in avo istorum, major in patre, maxima extitit in duobus prædictis fratribus & famosa. Sed quod negatum est summis, diutius permanere, in illis cecidit, qui tumore inflati superbiæ, nunquam se casuros à culmine potentiæ cogitabant. Nullus igitur de sui status securitate præsumat.

Familia de Romano deleta.

De mirabili modo pœnitentiæ, qui habuit initium in Italia, & postea est diffusus per diversas Provincias Europæ.

SUb præcedenti annorum curriculo, cùm tota Italia multis esset flagitijs & sceleribus inquinata quædam subitanea compositio & à seculo inaudita, invasit primitùs Perusinos, Romanos postmodum, deinde ferè Italiæ populos universos. In tantum itaque timor Christi irruit super eos, quòd nobiles pariter & ignobiles; senes & juvenes, infantes etiam quinque annorum, nudi per plateas civitatum; opertis tantummodem pudendis, deposita verecundia, bini & bini processionaliter incedebant: singuli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu & plorato se acriter super scapulis usque ad effusionem sanguinis verberantes, & effusis fontibus lacrymarum, ac si corporalibus oculis ipsam Salvatoris cernerent passionem, misericordiam Dei & genetricis ejus auxilium implorabant: suppliciter deprecantes, ut qui in innumeris pœnitentibus est placatus, & ipsis, iniquitates proprias cognoscentibus, parcere dignaretur. Non solùm itaque in die, verum etiam in nocte cum cereis accensis in hyeme asperrima, centeni milleni, decem millia quoque per civitates & Ecclesias currebant, & se ante altaria humiliter prosternebant, præcedentibus eos sacerdotibus cum crucibus & vexillis. Similiter in villis & oppidis faciebant: ita quòd à vocibus clamantium ad Dominum, resonare videbantur simul campestria & montana.

Flagellantiũ ritus & superstitio.

Siluerunt tunc temporis omnia Musica instrumenta & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio pœnitentium lugubris audiebatur ubique, tam in civitatibus quàm in villis: ad cujus flebilem modulationem corda saxea movebantur, & obstinatorum oculi se à lachrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantæ devotionis fuerunt minime expertes, sed in cubiculis suis non tantùm populares, sed etiam matronæ nobiles & virgines delicatæ cum omni honestate hæc eadem faciebant. Tunc ferè omnes discordes ad concordiam redierunt: Usurarij & raptores malè ablata restituere festinabant, cæterique diversis criminibus involuti, peccata sua humiliter confitentes, se à suis vanitatibus corrigebant. Aperiebantur carceres, dimittebantur captivi, & exules redire ad propria sunt permissi. Tanta enim opera sanctitatis & misericordiæ tam viri quàm fœminæ ostendebant, ac si timerent quòd divina potentia ipsos vellet igne cœlesti consu-

consumere, vel jactura terræ subitò absorbere aut concutere vehementissimo terræmotu seu alijs plagis, quibus divina justitia se ulcisci de peccatoribus consuevit. Super ista verò pœnitentia repentina, quæ ultra etiam fines Italiæ per diversas Provincias est diffusa, non plùm viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur: cogitantes, unde tantus fervoris impetus perveniret: maximè cùm iste modus pœnitentiæ inauditus non fuisset à summo Pontifice institutus, qui tunc Anagniæ residebat: nec ab alicujus prædicatoris vel auctorizabilis personæ industria vel facundia persuasus: sed à simplicibus sumpsit initium: quorum vestigia Docti pariter & Indocti subitò sunt sequuti. Sed revera Spiritus sancti gratia, quæ nescit tarda rerum molimina, imò repente ubi vult spirat, cor unius hominis sui amoris igne succenso, exemplo illius cæteros inflammavit.

Quod Princeps Manfredus & Palavicinus prohibuêre suos subjectos solenniter pœnitere.

PRINCEPS Manfredus naturalis filius Federici, qui regnum Siciliæ & Apuliæ usurpavit, & auctoritate propria capiti suo imposuit diadema, tam in præjudicium Romanæ Ecclesiæ, quàm gravamen & oppressionem Conradini Ducis Sueviæ, filij Regis Cunradi, inhibuit potenter per omnes partes opulentissimi sui regni, ne aliquis tali flemmate pœnitentiæ uteretur, crudelem mortem transgressoribus comminando. Timebant enim ne sub forma hujus novitatis processus posset suæ tyrannidis impediri. Promulgavit itaque hoc crudelitatis edictum non solùm in Apulia, sed etiam in Marchia Anconitana, & in magna parte Thusciæ, quam sibi jure prælij acquisivit. Extulerat siquidem cornu superbiæ prædicti Principis tam adversus Deum, quàm adversus homines, victoria triumphalis, quàm de parte Ecclesiæ, quæ Florentiam obtinebat, incredibiliter est adeptus. Florentini namque qui frequenter de suis triumphaverant inimicis, coram militia Principis, quam in auxilium Senensium destinaverat, cùm essent ultra LXX. millia bellatorum, eorum peccatis exigentibus miserabiliter corruerant. Illi autem qui de bello evadere potuerunt nimium perterriti Florentiam deserentes: ad quam occupandam inimicorum exercitus properabat, ad Lucanam urbem quantocyus contulerunt. Taliter Princeps cum sua parte illam potentissimam obtinuit civitatem, & cum ipsa pariter ferè sibi totam Tusciam subjugavit. *Edictum contra flagellantes.*

Marchio etiam Palavicinus non segnis dicti Principis imitator, tam Cremonæ quàm Brixiæ vel Mediolani, & ubicunque potuit suæ tyrannidis officium exercere, prohibuit terribiliter fieri solennis pœnitentiæ laudabilem novitatem. Suspecta sunt quippe tyrannidi opera pietatis, & malè agentibus omnino sunt lucis opera odiosa. Formidabat enim tyrannus astutus ne ipse suum amitteret Principatum, si cives divina gratia inspirati redirent ad concordiæ unitatem, & partem extrinsecam ad propria revocarent. Gaudium siquidem & securitas tyrannorum est discordia civitatum. Non solum autem duo prædicti Principes, iniquitatis filij & magistri renuerunt accipere disciplinam: sed etiam quidam alij, qui fideles Ecclesiæ videbantur, non cum tanta devotionis efficacia, ut debebant, donum cœlestis gratiæ perceperunt. Multi quippe videntur habere vocem Jacob humilem & suavem: sed manus eorum hispidæ & nocivæ manibus Esau esse similes comprobantur.

De bello quod Ungariæ Rex & Rex Bohemiæ pro Ducatu Austriæ & Styriæ habuerunt.

CUM prædicta in partibus Italiæ gererentur, Bela Rex Ungariæ viribus totius potentiæ suæ concussus, ad inimicandum contra Regem Bohemiæ consanguineum suum se magnificè præparavit. Exorta namq; fuerat contentio inter eos, propter Ducatum Austriæ & Styriæ, quem Rex Bohemiæ dicebat ad se totaliter pertinere, quòd neptem Ducis Austriæ duxerat in uxorem, ad quam erat paterna hæreditas devoluta. Rex verò

verò Ungariæ econtra rationem aliam proponebat. Denique cum sola vexatio Tartarorum dare intellectum illi plenariè debuisset, quorum nimis expertus fuerat rabiem metuendam: ipse tamen postposita sollicitudine se ab imminenti eorum impetu defendendi, adversus dictum Regem arma infeliciter arripuit triumphi gloriam habitura. Congregansque exercitum de diversis nationibus copiosum, in quo fuerant centum millia equitum armatorum, castrametatus est juxta quendam fluvium in extremis finibus regni sui. Tunc Rex Bohemiæ, tam propria fretus virtute, quàm Principum Alemanniæ, qui magnum ei auxilium præbuerant, processit illi obviam, cum ingenti multitudine militum electorum, & ex opposito fixit castra super fluvium memoratum: multum tamen minoris numeri erat militia Bohemorum & Teutonicorum comparatione partis adversæ: sed non inferioris audaciæ & virtutis. Cum igitur ambo Reges in castris aliquot dierum spatium permansissent, & mediante fluvio congrediendi copiam non haberent: tandem quidam milites animosi ex utroque exercitu quietis impatientes prælium commiserunt. Et in primo quidem congressu multi nobiles ex parte Regis Bohemiæ ceciderunt, quorum ruina miserabilis valde accendit Regis animum ad vindictam de adversarijs faciendam. Cùm igitur utraque pars fortiter dimicaret, multitudo Cumanorum, qui venerant in auxilium Regis Ungariæ, quorum erat confidentia in arcubus & sagittis more Occidentalium nationum, non valens Teutonicorum & Bohemorum præcipitem impetum sustinere, in fugam protinus est conversa. Ex Barbaris itaque & Ungaris multi gladio sunt occisi, plurimi verò in fluvio sunt submersi. Rex igitur Ungariæ videns suas acies dissipatas, armis projectis cum suo exercitu fugam accipit festinanter. Victores autem non destiterunt persequi fugientes, donec eorum castra, referta omnibus necessarijs intraverunt: ibique ultra modum spolijs hostium sunt ditati. Post damna itaque rerum & immensam stragem exercitus, Rex Ungariæ per experientiam recognoscens ita Reges & populares vanitati & diversis casibus subjacere: legatos continuò ad hostes direxit, quæ pacis erant humiliter postulando. Cujus petitioni Rex Bohæmiæ nec non Principes Alemanniæ, interpositis quibusdam conditionibus, assensum viriliter præbuerunt. Et sic inter illustres Reges post alterna vulnera præliorum, sunt pacis fœdera copulata.

Prælium inter Ungaros & Bohemos.

De obitu Papæ Alexandri, & de electione Urbani.

ANNO Domini M.CC.LXI. cùm summus Pontifex Alexander sex annis & dimidio Romanam Ecclesiam gubernasset, die septimo exeunte Majo, vitæ suæ cursum in civitate Viterbio pacificè terminavit. Iste toto tempore sui regiminis nullum constituit Cardinalem. Nam cùm quidam de Cardinalibus ædificare Sion in sanguinibus affectaret, quidam verò vellent viros idoneos promovere: ipse licet haberet plenitudinem potestatis, timore scandali neutram partem voluit exaudire. Post cujus obitum Cardinales numero octo, de summo Pontifice eligendo magnam inter se discordiam tribus mensibus habuerunt. Tandem septiformis Spiritus gratia illustrati, die tertio, exeuntis Augusti, reverendissimum virum Patriarcham Jerosolymitanum, natione Gallicum, qui tunc temporis erat in Curia pro negotijs terræ Sanctæ, concorditer eligerunt, qui Urbanus quartus nomine est vocatus. Iste quarto mense sui Pontificatus numerum Cardinalium ampliavit, præclaros viros vita & scientia insignitos ad tam sanctum collegium promovendo. De quorum numero divina providentia faciente, extitit vir benignissimus, Simeon de Monte silice, Canonicus Paduanus, quem tam forma corporis quàm nobilitate generis, & gratiosis moribus & multiplici scientia, divina gratia decoravit.

Urbanus IV. Papa.

Qualiter Veneti Constantinopolim amiserunt.

CIRCA hæc tempora quidam Græcus nomine Palæologus (quod interpretatum Latina lingua, dicitur vetus sermo) post mortem Vatacij & filij ejus, per tyrannidem ferè totius Græciæ obtinuit principatum. Iste in primo potentiæ suæ progressu Gulielmum

mum Francigenam, Principem Bithyniæ & Achaiæ, sibi cum exercitu infeliciter occurrentem, gravi prælio superavit, ipsumque vivum capiens, in carcere tenebroso reclusit: sperans per ipsum totius terræ principatum leviter obtinere. Hac igitur elevatus victoria Palæologus, aspirare cœpit ad Imperium Romaniæ, & diligentissimè cogitabat, qualiter urbem Constantinopolim posset invadere, quam gens Catholica Venetorum sola cum infinitis expensis, periculo & labore maximo defendebat. Credebat namque firmiter Palæologus, Constantinopoli acquisita, omnes mairs Insulas & civitates in terra firma constitutas, à Latinis & Venetis maximè jure belli possessas, se breviter habiturum. Igitur cùm vehementer laboraret, ut propositum suum effectui manciparet, sciens vir callidus & astutus, quòd labor improbus omnia vincit, pariter & cognoscens, quòd pecuniæ obediunt omnia, maximè quòd homines necessarijs indigentes per idoneas personas, mediante pecunia & promissionibus fraudulentis, corrupit quosdam impios homines in urbe Constantinopoli habitantes; qui firmiter promiserunt ei tempore opportuno tradere civitatem. Cùm igitur hæc omnia inter Palæologum & proditores erant secretissimè ordinata, potestas Venetorum de Imperatoris consensu, cum multitudine bellatorum bellicas naves ascendit, & ad damnificandum hostes, versus mare Ponticum navigavit. Tunc patriæ crudelissimi proditores videntes urbem defensoribus spoliatam, habita opportunitate, circa mediam noctem, die septimo Julij exeuntis, unius portæ occisis custodibus, militibus Palæologi gloriosè urbis aditum præbuerunt: expletis quinquaginta octo annis, quod eam viriliter invaserant Francorum Principes & gens inclyta Venetorum. Tum itaque Græci Constantinopolim sunt ingressi, sicut patres eorum famosissimam Trojam, ita ipsi Urbem regiam protinus succenderunt. Tunc Imperator Balduinus, cui capta urbe remanserat tantùm magni nominis umbra, milites & populus civitatis tantæ multitudini resistere non valentes, cum parvulis & mulieribus naves protinus ascendere, & prospero cursu ad Insulam Nigripontis dante Domino, pervenerunt: Veruntamen propter nimiam hominum multitudinem & victualium paucitatem, multi utriusque sexus oppressi diræ famis angustia, in navibus, antequam portum attingerent, perierunt.

Constantinopolis à Latinis amissa.

Cum audissent autem Januenses, æmuli Venetorum, quòd Palæologus Constantinopolim invasisset, alacres sunt effecti: statimque pacis fœdere violato, quod de mandato summi Pontificis inter ipsos & Venetos erat factum, societatem cum Palæologo contra Venetos statuerunt. Exinde gens Venetorum, ut possent resistere tam efficacissimis inimicis, magnis laboribus & expensis cœpit vehementer affligi. Oportebat namque ipsos classem cum multitudine bellatorum, ad defensionem Insularum quas tenebant, singulis annis in Græciam destinare. Licet autem excelsum verticem exultationis, de acquisitione regiæ urbis, Græci extulissent: tamen tanta erat in mari potentia Venetorum, quòd nisi Januenses Græcis auxilium præbuissent, non sine magno tremore in mari Jonio, vel Ægæo Venetorum exercitui tota Græcia occurrisset. Longè quippe sunt Græci ab illo florido statu, in quo decennali bello Trojana mœnia in ultionem raptæ Helenæ, subverterunt: nec non à strenuitate, quæ sub Alexandro invictissimo Rege Macedonum, Regibus Asiæ subjugatis, totius obtinuerunt Imperium Orientis. A Philosophiæ insuper disciplinis sunt nimium elongati, in quibus ita studiosi antiquitùs extiterunt, quòd in artium liberalium scientia cunctos populos excellebant. Sanè postquam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ recesserunt, multis sunt adversitatibus conquassati, multisque etiam existunt erroribus & falsis opinionibus involuti. Unde cùm sint tam morum probitate quàm scientia, nec non disciplina sanctæ matris Ecclesiæ, quæ est caput & magistra fidelium omnium, denudati, meritò vilissimi & abjecti à cunctis fermè gentibus reputantur. Nam qui solebant Orientalium regionum Imperium obtinere, facti sunt præda omnium circumstantium nationum: quasi enim quælibet gens eorum spolia obtinuit & Imperium laceravit. Nonne Saraceni & Turci, & aliæ Barbaræ nationes omnem regionem à flumine Eufrate, citra, Syriam videlicet & Ciliciam, Arabiam & Ægyptum eorum Imperio abstulerunt? Novissimè autem temporibus nostris, eorum peccatis exigentibus, Francorum Principes, Veneti & Lombardi capta Constantinopoli, & multis alijs eorum civitatibus & Insulis expugnatis, de ipsorum spolijs plurimùm sunt ditati. Unde Græci ærumnarum suarum congeriem intuentes, gemendo possunt diere: quid nisi præda sumus omnium populorum.

Recentis Græciæ infelicitas.

De Principis liberatione.

TEMPORIBUS istis Palæologus Guilielmum Principem Bithyniæ & Achaiæ, quem in bello ceperat, abire permisit: castro Malvasiæ, & quibusdam alijs locis munitissimis ab eo receptis. Princeps autem confœderatus cum Venetis, terra marique Palæologum totis viribus impugnabat.

Qualiter filius Regis Ungariæ factus est civis Ravennatis.

ANNO Domini, M. CC.LXII. in hoc tempore illustris juvenis Stephanus, magnifici Andreæ Regis Ungariæ, & nobis Reginæ Beatricis generosa propago, cùm diutius expectasset in curia Marchionis Estensis manendo, quò frater suus Bela Rex Ungariæ ad misericordiam flecteretur, ut ei saltem aliquam particulam regni latissimi assignaret, videns quod nihil proficeret, memorato Rege in sua duritie permanente, duxit uxorem Traversariam, filiam Guilielmi, filij Pauli Traversarij, civis Ravennatis nobilissimi, ad quam erat paterna hæreditas devoluta. Fratris itaque perfidia impellente, nolentis habere in regno consortem, compulsus est tanti Regis filius fœminam longè se minorem, licet ditissimam, ducere in uxorem. Excusare autem Regem Belam tunc quidam conabantur, dicentes: quòd Rex benignè fratrem tractasset, nisi uxor ejus * Astari Græcorum Principis filia impedisset, quæ Regem à clementia modis quibus poterat assiduè retrahebat. Dicebat namque Regi præfata Regina, Latini generis inimica: Nequaquam filius Lombardæ simul cum filijs meis regnum Ungariæ possidebit. Et sic Rex nimis credulus hujuscemodi verbis uxoris, permansit in odio fraterno finaliter obstinatus. Sed tali excusatione minimè regia majestas ab iniquitatis infamia liberatur: imò verissimè potest dici, quòd Rex tam ditissimus in hac parte perniciosum crudelitatis exemplum in toto orbe terrarum, cum periculo suæ animæ, & regni discrimine, Regibus, & Principibus, & cunctis hominibus dereliquit; fratri suo unico, innocenti, victum & vestitum crudeliter denegando, & comitatus & dignitates alias suis militibus & cubicularijs largiendo. Unde sicut pro peccato Adæ, qui voci suæ obedivit uxoris, plus quàm divino præcepto terra fuit in ejus opere maledicta: ita forsitan ob hanc prædicti Regis perfidiam, divina justitia faciente, quæ nullum relinquit piaculum impunitum, adversus præfatum Regem duplex tribulatio consurrexit, Tartarorum videlicet & Bohemorum, qui regnum ejus gladijs, incendijs & rapinis plurimum vastaverunt. Nam qui injustè alium deprædatur, justo Dei judicio tandem incidit in manus alterius deprædatoris.

** forte rectius, Lascaris.*

Qua de causa Obizo à Marchione ardentissimè amabatur.

Obizonis Estensis nuptiæ

ANNO Domini M. CC. LXIII. cùm Azo illustris Marchio Estensis dolorem amarissimum, qui ex morte sui unigeniti filij acciderat, temperasset, tenens pro illo dulcissimum nepotem, divino munere sibi collatum, virginem nobilissimam, natione Januensem, de progenie scilicet magnifici Papæ Innocentij, prædicto suo nepoti tradidit in uxorem, cujus nuptias cum magna claritate Ferrariæ celebravit. Mirabantur plurimi tunc temporis, quòd Marchio postposito illustri Stephano filio suæ neptis, sc. Reginæ Beatricis, & filijs naturalibus quamplurimis, ferventissimè amorem sui pectoris abundantiùs effuderit in nepotem. Sed revera hoc animum Marchionis ad nimium amorem pueri specialiter inclinavit, quòd puer Obizo Rainaldum quærentibus exhibebat. Tam enim in moribus quàm in facie relucebat in ipso sui nobilissimi genitoris imago.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Unde benignissimo Principi, quasi adhuc suus charissimus filius vivere videbatur, cum ejus expressam cerneret imaginem in nepote. Oculi quippe Marchionis grato spectaculo dilectæ imaginis pascebantur: ita ut amore præsentis, absentis filij desiderium temperaret. Rivulus namque amoris præcipui, qui corde Marchionis in Rainaldum dum viveret, defluebat, ad irrigandum paternis beneficijs ejus clarissimam prolem totaliter inundavit. Obizo autem egregiæ indolis puer non ingratus avo benignissimo existebat, à quo sciebat se cum summo studio, quasi de paterno pulvere suscitatum. Sed speculum

culum suæ gratissimæ faciei Marchionis vultu sæpissimè repræsentans, ejus curas & sollicitudines minuebat. Istius namque pendebat in collo, oculis, amplexibus & colloquiis mellifluis dulcedinem amoris de ipsius pectore hauriebat. Et sic inter pijssimum avum & dulcem nepotem erat suavissimum & frequens certamen amoris.

De beneficijs quæ Deus misericorditer contulit Marchioni.

CUM divinæ pietatis opera minimè sint celanda, quòd ejus operatio nostra est instructio: decrevimus breviter persequi beneficia quæ Dominus misericordiæ contulit Marchioni, non solùm eum periculis liberando, quibus velut mole inundantium aquarum fuit undique circumfusus, sed etiam ipsum triumphare de hostibus evidentissimè faciendo, nec non inopinabile donum gratissimæ sobolis de fructu sui incarcerati filij ipsi benignissimè largiendo. Iste siquidem amabilis Princeps qui post decessum unigeniti filij, privatus filiorum munere putabatur, pro uno extincto filio duplicis prolis præmio est dotatus. Et ut divina erga ipsum clementia mirifica videretur, de terra hostili, scilicet de Apulia, gaudium insperatum gratiæ sobolis emanavit, unde amara mors dilecti filij sibi extitit nunciata. Noluit namque Dei clementia, quòd vir catholicus, & multiplicis virtutis gratia decoratus, masculinæ prolis munere privaretur: sed ejus immensum desiderium adimplevit reparando mirabiliter in nepote, quod in filio miserabiliter corruisset. Ille siquidem qui de pulvere Phœnicis extincti alium Phœnicem mirabiliter reparat secundum speciem formamque prioris, effecit ut de nobili Rainaldo in carcere custodito, & secundum communem existimationem pro mortuo reputato, procederet inclyta proles, quæ verè posset dicere Marchioni: Respice in faciem nepotis tui, & vide utrum sit in nepote non filij expressa imago.

Non solùm itaque divina bonitas hoc acceptabile donum contulit Marchioni, sed etiam illum multoties de maximis periculis liberavit, tam de manibus videlicet magnifici Federici, qui totam ferè Marchiam Teutonicis, Saracenis & Appulis adimplevit, ut ipsum velut capitalem inimicum imperij expugnaret: quàm de continuis insidiis Eccelini & simultatibus Albrici, & astutijs callidi Saliniguerræ. Isti namque unanimiter quasi leones rugientes ad prædam ipsum modis omnibus deglutire ac penitus conterere conabantur. Quorum gravissimos impetus vir strenuus, Domino adjuvante, compescuit, calliditatis eorum evitavit insidias & consilia nequissima dissipavit: in his omnibus servando animi constantiam & à veritatis tramite nullatenus declinando. Licet enim unicum ejus filium iniquus Imperator in carcere detineret, & tam ipsius dimissionem quàm alia excellentia beneficia ipsi promitteret, ut sic illustrem virum à devotione Romanæ Ecclesiæ removeret: constantissimus Princeps, velut columna immobilis, & murus impenetrabilis nec metu periculorum territus, nec imperialium promissionum dulcedine delectatus, sed Deo se totum committens, obsequijs Ecclesiæ avelli non potuit: sed stabilis & fidelis adjutor Ecclesiæ, in tribulationibus & angustiis usque ad finem permansit. Et ideò misericors Dominus meritò eum ab adversarijs custodivit, & ipsum de intumescentis maris fluctibus ad portum salutis dirigens, de inimicis suis fortissimis fecit eum videre mirabilem ultionem. Vidit namque excellentissimum Federicum imperiali honore privatum, astutum Saliniguerram incarceratum, tumidum Eccelinum facta clava mactatum, & lubricum Albricum in conspectu suo horribiliter trucidatum. Isti siquidem iniquitatis Principes, quasi quatuor venti pestiferi, furentes in Catholicam domum Estensem totis viribus irruerunt, ut eam funditus dissiparent: sed eorum impulsione non cecidit, quod sanctæ matri Ecclesiæ adhærebat, quæ super petram solidissimam est fundata. His itaque spirare desinentibus statim est tranquillitas subsequuta, & sic requiem habuit Marchio à suis efficacissimis inimicis. Nullus igitur fidelis homo elevetur prosperis, nec frangatur adversis. Novit enim Dominus quando vult superbos deprimere & humiles exaltare.

De venerabili virgine Beatrice, Sorore Marchionis Estensis, quæ in monte Gemulæ requiescit.

ACCIDIT ad laudem nobilissimæ domus Estensis, quod non solùm est illustrium virorum præclaris operibus decorata, sed etiam ex ipsa processit generosa propago

Beatrix, Azonis Marchionis soror, monialis devota.

insignium fœminarum, quæ carnis concupiscentiam simul cum mundo vincentes, & de mundi Principe viriliter triumphantes, ad regna sydera, sicut piè creditur, feliciter pervenerunt. Prima quarum extitit nobilissima virgo re ac nomine Beatrix, soror prædicti Marchionis, quæ cùm esset mira pulchritudine corporis & virtute multipliciter decorata, mundum cum sua pompa contempsit: mortalem sponsum accipere recusavit: ad castos amplexus æterni sponsi, forma præ filijs hominum speciosi, cupiens pervenire. Hoc itaque sanctissimum propositum virginis devotissimæ illustris frater ejus & amicorum turba, & multitudo nobilium matronarum, amore præsentium, immemores futurorum, nitebantur modis omnibus impedire: nunc mundi gloriam, nunc nobilis sponsi connubium, dulcissimæ prolis felicitatem castæ virgini proponentes: pariterque suæ domus ruinam, amicorum tristitiam, & inimicorum gaudium ex tali mutatione consequi asserebant. His & hujusmodi verbis ad decipiendum compositis gloriosè virginis animum conabantur à bono proposito revocare. Sed virgo prudentissima septiformis spiritus gratia illustrata, quæ linguas infantium disertas efficit, eorum verba, quandam habentia speciem veritatis, sed existentia minime, pro nihilo reputabat, & quòd soli Deo serviendum esset, quòd quicquid aliud agatur in hac vita, amittatur, argumentis efficacissimis ostendebat. Propositum itaque, quod virgo sapiens corde conceperat, fructuosis affectans operibus adimplere, ad montem qui Jemula nuncupatur, ubi est oratorium ad honorem B. Jo Baptistæ constructum, cum quibusdam alijs honestis virginibus, eandem cum ea intentionem habentibus, protinus convolavit: ibique in sancta conversatione indesinenter permanens, totam Italiæ suæ sanctitatis candore illustravit. Fama igitur longè lateque de conversatione pretiosæ virginis discurrente, cœperunt multæ clarissimæ virgines ex longinquis etiam partibus, quasi columbæ accipitrem fugientes, ad prædictum locum accedere, cupientes tantæ virginis instrui disciplinis, & ejus sanctæ conversationis exemplis & colloquiis devotissimis informari. De quarum siquidem adventu illustris virgo divinæ majestati gratias referebat, lacrymosis precibus deprecans creatorem, ut qui de diversis regionibus hujusmodi virgines congregaverat, ad gloriam sui nominis, & honorem eas custodire in sanctæ religionis observantia dignaretur.

Cœnobium novum ad montem Gemula.

De salubri itaque consilio prudentissimæ virginis Beatricis, omnes prædictæ virgines quandam Desideratam sororem in Abbatissam elegerunt concorditer, quæ tam sanctissimo collegio deberet viriliter providere. Sub cujus regimine cum quanta humilitatis obedientia, patientia & charitate duxerit, angelicam vitam virgo devota in terris, nimium prolixum esset singula enarrare. Sed prout nobis sanctæ virgines retulerunt, quæ hujus pijssimæ virginis meruerunt habere consortium, breviter dicimus, quod tam verba quàm facta virginis gloriosæ erant discretione condita, honestate plena, bonitate conspicua, & Deo & hominibus gratiosa: ita quòd per mores honestos & gestus corporis ordinatos, ac propter ejus utiliter & piè prolata, ab omnibus credebatur, quòd Deus veraciter in ejus cordis thalamo habitaret. Cumque multo tempore his prædictis & alijs virtutibus refulgens virgo clarissima in divinis obsequiis & disciplinis regularibus permansisset: Rex cœlestis, qui ejus speciem concupivit, ejus sanctissimam animam de vitæ præsentis ergastulo misericorditer liberavit, ut ornaret cœlestem curiam ejus beato consortio. Cujus radianti exemplo præsens Ecclesia extitit mirificè illustrata. Sanctissimum autem corpus ejus in prædicto cœnobio reverendo in arca lapidea est honorificè cum aromatibus collocatum, ubi in magna veneratione usque ad præsens tempus habetur.

De illustri Beatrice filia Marchionis.

Beatrix Azonis filia monialis pia.

Cœnobium S. Martini prope Ferrariam.

POST decessum venerabilis virginis Beatricis plurimis elapsis annorum curriculis, altera Beatrix, præfati filia Marchionis, virgo pulcherrima, omnium oculis gratiosa, divini amoris igne succensa, amitæ suæ vestigia cupiens pro viribus imitari, ornamentis depositis pretiosis, religionis habitum intrepida mente suscepit. Quàm cùm nobilissimus pater ejus attentasset à bono proposito revocare, virgo constantissima doni cœlestis gratia illustrata, verba patris & aliorum, & omnem mundi gloriam parvipendens, religionem laudabiliter inceptam de virtute in virtutem quotidie procedendo, gloriosissimè decoravit, & in monasterio beati Martini, quod ipsius causa juxta Ferrariam est constructum, cœlibem vitam ducendo, cum multis honestis virginibus,

ginibus, illius exemplo ibidem ad gloriam Dei congregatis, de humani generis inimico viriliter triumphavit, vitæque cursum feliciter consummando, beatissimam animam suo reddidit Creatori. Istæ namque virgines gloriosæ, quasi duæ olivæ fructuosa pietatis opera producentes, & quasi duo candelabra virtutum exemplis radiantia circumquaque, non minus domum gloriosam & laudibilem suis meritis redditerunt, quàm ejus strenui Marchiones, pro fama & potentia dilatanda se varijs periculis bellorum exponentes. Illorum enim corruptibiles triumphi velut umbra velociter transierunt: istarum verò beatitudo, honor & gloria triumphalis nullo unquam termino finiuntur.

De obscuratione Solis.

SUB præcedenti cursu annorum, die quinto intrantis Augusti, cum esset Luna vigesima septima, fuit ecclipsis Solis ante horam aliquantulum vespertinam.

De obitu nobilis Azonis Marchionis Estensis.

ANNO Domini M. CC. LXIV. cùm illustris Azo Marchio Estensis de suis & Ecclesiæ inimicis feliciter triumphasset, & Ferrariæ satis pacificè moraretur, sicut placuit omnium Creatori, qui vitæ & morti singulariter dominatur, invasit eum multiplex infirmitas corporalis. Cumque viribus corporis destitutus diem ultimum sibi cerneret imminere, providens vir expertus, quòd status regionum solet in morte Principum permutari, amicos fideles fecit undique convocari, & charissimum nepotem suum, quem in testamento hæredem instituerat, eis affectuosissimè commendavit. Deinde sermonem dirigens ad nepotem, prudenter eum monuit per viam incedere æquitatis: sapientum obedire consilijs, amicos rectè diligere: in omnibus strenuè se habere, & à sanctæ matris Ecclesiæ devotione nullatenus declinare. Hæc, inquit, monita mea salutifera, dilectissime fili Obizo, observando, attestatione operum comprobabis, te verè processisse de genere nobili Estensium Marchionum. Hunc siquidem modum egregium, ad quem custodiendum mea persuasio te inducit, tenuit magnificus pater meus, cujus probitatem & potentiam circumspectam non solùm Italia, sed etiam latitudo Rom. Imperij est experta: à cujus vestigiis frater meus Aldrenandinus magnanimus deviavit: sed in tantum se ac sua exposuit pro domus nostræ gloria dilatanda, quòd etiam meipsum adhuc infantulum de brachijs rapuit genitricis, ejus pias lacrymas parvipendens, & & me simul cum toto patrimonio Florentinis fœneratoribus obligavit. A quibusdam accepit ad exercitum conducendum pecuniam, ut rebelles Ecclesiæ Romanæ in Marchia Anconitana & in Apulia expugnaret, de quibus divina gratia favente strenuè triumphavit. Ego autem patris mei ac fratris vestigia imitatione digna, pro viribus subsequutus, pro defensione domus meæ ac omnium amicorum, & pro S. Ecclesiæ Romanæ honore, quam conabatur iniquus Imp. in miserabilem redigere servitutem, me audacter exposui, magnis laboribus & periculis infinitis. Nec amor filij mei unigeniti me à proposito revocavit: sed communem utilitatem præferens speciali, expedire potiùs judicavi ipsum solùm periclitari, quàm oppressionem totius Ecclesiæ & omnium amicorum mortem & exterminium tolerare. Dominus autem in quo fuit spes mea à juventute mea, & in quem jactavi semper meum cum fiducia cogitatum, me à periculis maximis liberavit, & mei cordis tristitiam misericorditer sublevando, mihi pro dilecto filio contra spem omnium, nepos dilectissime, te donavit. Viriliter itaque age fili mi, & cor tuum in Deo principaliter confortetur, consequenter etiam in auxilio fidelium amicorum: & sic eris in cunctis prospere agens, & pijssimus Dominus in te supplebit per gratiam quod in tenera ætate nequiveris adimplere. Hæc itaque verba, quæ dum sospes eram solebam tibi fili Obizo, prolixiùs enarre, nunc breviter comprehendi, ut ista mea ultima commonitio menti tuæ altiùs imprimatur: ut cognoscas quid post meum discessum vitare debeas, quid amplecti.

Exhortatio Azonis moribundi, ad nepotem hæredem.

Igitur cùm his & alijs hujuscemodi dictis Catholicus Marchio, firmissima columna Ecclesiæ, ac turris fortitudinis contra faciem tyrannorum, tutumque refugium & dulce umbraculum amicorum, domestica negotia præcavens in futurum providè ordinasset, susceptis devotissimè Ecclesiasticis sacramentis, die XIII. exeuntis Februarij, ætatis suæ quinquagesimo octavo anno, in civitate Ferrariæ, nocte Dominicæ diei, viam

Azonis Estensis obitus

est universæ carnis ingressus: cujus corpus cum fletu & planctu maximo in prædicta civitate est traditum sepulturæ, nihilque pertinens ad honorem tam magnifici Principis fuit in pompa funeris prætermissum.

De apparitione Cometæ, & obitu Urbani Papæ & electione Clementis Papæ.

INSEQUENTI æstate post prædicta, stella terribilis, quæ dicitur Cometa, cum magno fulgore apparuit, & in confinio Aquilonis & Orientis habens principium sui ortus, versus Occidentem suos minaces radios dirigebat. Cujus apparitio incœpit in Julio, duravitq; usq; ad principium mensis Octobris. Cursu itaque prædicti syderis consummato, Urbanus Papa quartus, cum tribus annis & uno mense, & tribus diebus B. Petri naviculam in fluctibus hujus procellosi seculi gubernasset, apud Parisios de medio est sublatus. Post cujus obitum quatuor mensibus & quinque diebus elapsis, Cardinales Papam Clementem quartum concorditer elegerunt.

Clemens IV. Papa.

De Rege Angliæ à Principibus suis capto.

TEMPORIBUS istis nefandum præsumptionis scelus est in regno Angliæ perpetratum. Principes namque Britanniæ facta conspiratione in Regem suum manus impias injecerunt, & ipsum simul cum filijs & fratre suo Comite Ricardo, in custodiam posuerunt. Fama itaque tanti facinoris cùm ad aures summi Pontificis pervenisset: Legatum protinus à latere suo in Angliam destinavit. Sed & Ludovicus Rex Francorum tam naturali pietate quàm precibus uxoris, quæ soror erat Reginæ Anglorum, super calamitate Regis Angliæ ad misericordiam inclinatus, pro compositione inter prædictum Regem & Principes faciendam, magnificè laboravit. Qualiter autem inter prædictos Reges affinitas est contracta, breviter duximus declarandum.

Raimundi Provinciæ Comitis liberi.

Raimundus nobilis Comes Provinciæ masculum post se filium non reliquit, sed quatuor filias habuit generosas, quas elegantia formæ ac morum grata suavitas ita reddidit gratiosas, quòd ad legitimos illustrium Regum amplexus accedere meruerunt. Quarum duæ Regi Franciæ & ejus fratri Carolo sunt matrimoniali fœdere copulatæ: dictusque Carolus pro dote uxoris obtinuit Provinciæ comitatum. Aliæ verò duæ Regi Angliæ ac ejus fratri, Comiti scil. Ricardo conjugali vinculo sunt astrictæ. Et sic occasione istius affinitatis inter duo prædicta regna quædam amicitia est exorta, quæ inter se antiquitus discordiam habuerunt.

De Saracenis, qui ex Africa in Hispaniam transiverunt.

EODEM anno, de consilio pessimi Saraceni, Regis videlicet Granatæ, tributarij Regis Castellæ, maximus exercitus Saracenorum ex Africa in Hispaniam subitò transfretavit, multisque Christianis peremptis, loca plurima in finibus Hispaniæ occupavit. Ad quorum impetum reprimendum, magnificus Rex Castellæ cum exercitu valido perrexit Sibiliam festinanter, commissoque frequenti prælio magnam de Saracenis multitudinem interfecit: & (quòd varius est eventus bellorum) de Hispanis etiam plurimi ceciderunt.

De adventu Regis Caroli in Italiam.

Apuliæ regnum Carolo Provinciæ comiti à pontifice traditur.

ANNO Domini M. CC. LXV. cùm per decennium Princeps Manfredus supra memoratus Romanam Ecclesiam & ejus fideles per se ac suos sequaces fermè in tota Italia graviter afflixisset: summus Pontifex de consilio Cardinalium, Catholicum Principem Carolum Comitem Provinciæ, fratrem videlicet Christianissimi Ludovici Regis Franciæ, & Alphonsi illustrissimi Comitis Tholosani, ad suscipiendam coronam regni, exoratorijs literis invitavit. At ille, utpote vir strenuus & magnanimus cupiens Ecclesiæ in tantis angustijs subvenire, & opulentissimi regni dominium obtinere: assensum præbuit Apostolicæ voluntati: & ad aggrediendum tam ardum negotium incœpit se magnificè præparare. Eo etiam tempore Romani multis dissensionibus & bellis civilibus conquassati, sperantes per tam potentem virum in viam pacis & semitis dirigi

gi æquitatis, ipsum elegerunt in suum perpetuum Senatorem. Quòd officium gratanter excepit, & ad regimen Urbis Romanæ vicarium suum cum cohorte militum protinus destinavit. Tunc temporis Mediolanenses cum amicis Ecclesiæ ad recipiendum illustrem Comitem Carolum, se viriliter præparaverunt. Econtra Cremonenses cum amicis suis, Manfredi rupti pecunia, iter Comitis ad Urbem Romanam impedire modis omnibus conabantur. Comes autem perficiendi velociter opus incœptum desiderio inflammatus, sciens, quòd mora trahit ad se periculum, & quod varietas temporum mutationem inducit aliquando animorum: cum electa manu militum de partibus Galliæ per mare Tyrrhenum ad Romanum portum pervenit: primo scilicet anno pontificatus beati Papæ Clementis. Ad cujus adventum Romani mirabiliter sunt gavisi, eique obviam unanimiter procedentes, ipsum in Urbem cum triumphali gloria, honore regio deduxerunt.

Carolus Apuliam occupaturus Romã venit.

His auditis, Manfredus obstupuit vehementer videns novum Regem gradatim ad profectum venire, & res ei prospere ad vota succedere: pariterque considerans magnum sibi periculum imminere, si robur exercitus venientis in ejus auxilium expectaret: cœpit modis omnibus nobilissimo Principi insidias præparare, sollicitè procurando tam per Assasinos, quàm per alios sceleratos, quibus dona præcipua promittebat, ut gladio vel veneno auferret de medio Ecclesiæ defensorem. Sed quum videret frustra se insidiarum retia relaxare, devotum Principem Domino protegente: immensas acies militum in fines cœpit infundere Romanorum, ut importunitate ostentationis suæ potentiæ, illustre prælium provocaret. At Princeps circumspectus insidias tyranni prudenter videbat, & ejus insultus armis quandoque strenuè cohibebat: siquidem secum in urbe Romana non magnam fidelium militum quantitatem habebat. Non enim perfectè confidebat de militia Romanorum: quòd plures illorum munera tyranni accipere consueti: & ideò prudenter differebat in aperto campo cum paucis militibus occurrere infinitis, ne incautè se bellorum discrimini exponendo, sibi perniciem acquireret, & causam præberet hostibus triumphandi. Expectabat autem animo scienti exercitum sibi de Francia & alijs Galliarum partibus repromissum. Quatuor itaque mensibus elapsis ab ejus ingressu in Italiam, sua nobilissima uxor cum multis ad Romanum portum applicuit, & inde in urbem, cum ingenti gloria est deducta. Posthæc in eodem anno exercitus magnus Francorum, habens introitum per Sabaudiam, in media hyeme transivit per mediam Lombardiam, fidelibus Ecclesiæ victualia exercitui exhibentibus copiosè: inimicis verò non audentibus comparere: & circa festum nativitatis Domini ad urbem Romanam pervenit, ubi eos Rex Carolus cum summo desiderio expectabat.

Francorum exercitus in Italiam.

De pace Brixiensium inter se.

HIS temporibus Brixienses pacem inter se fecerunt, & à dominio Marchionis Palavicini & Cremonensium recedentes, Mediolanensibus & Bergomensibus & Mantuanis Ecclesiæ fidelibus adhæserunt. Tunc Cremonenses munitissima castra Brixiensium juxta flumen Olei constituta, scilicet Caneum, Pontem vicum, Quintianum & Urceos, quæ in suam redegerant potestatem: suos in eis ponendo custodes, funditùs subverterunt.

Qualiter Rex Carolus regnum Siciliæ obtinuit, & Manfredum occidit.

ANNO Domini M.CC.LXVI. postquam Rex Carolus vidit se Francorum Principum præsentia & Gallicana militia roboratum, movit exercitum suum ab urbe Roma, & in manu forti arripuit iter ad regnum Siciliæ obtinendum. Transivit itaque flumen Ceperani, & in primo impetu civitatem S. Germani obtinuit, de victis militibus & fugatis.

Eodem tempore quidam Magnates Apuliæ à Principe recedentes, Regi Carolo adhæserunt. Princeps autem Manfredus accepto gustu audaciæ militiæ Gallicanæ, suorũ quoque Magnatũ inopinata inconstantia, doluit vehementer: statimq; per universas partes regni nuncios destinavit, præcipiendo, ut omnes milites & viri bellatores, qui erant in locis opportunis ad custodiã constituti, protinus ad eum apud Capuã convenirent. Existimabat n. se ibidẽ posse Regis impetũ cohibere, maximè propter profunditatẽ fluvij secus Capuã comeantis. Rex aũt movit procinctũ versus Capuã festinanter: sed cũ percepisset, quod juxta Capuã fluvius erat innumerabilis: lõgè superiùs à Capua dictũ fluviũ pertrãsivit.

Princeps autem cùm de Regis transitu cognovisset, videns se viribus imparem, nondum suo exercitu congregato, versus Beneventum, dimissa Capua, properavit. Habebat autem secum præter milites Teutonicos, Catalaunos, Lombardos, Tuscos, & innumerabiles Saracenos. Nam quòd manu larga thesauros auri & argenti militibus ad se confluentibus effundebat, viri bellicosi ad eum tanquam ad magnificum Principem undique concurrebant, interdictum & excommunicationem Ecclesiæ penitus contemnentes. Et quòd rectoris ad exemplum subditi componuntur, omnes qui ejus parebant imperio, ita erant ipsius impijs operibus conformati, quòd licet Christiani nomine dicerentur, voluntate tamen & opere censeri poterant Saraceni. Unde justo Dei judicio ipse tyrannus & omnes impietati ejus faventes, in uno campo simul sunt collecti, ut pariter punirentur, quos idem facinus & intentio pestifera inquinabat.

Pugna inter Manfredum & Carolum Andiovinũ.

Rex itaque Carolus, cùm audisset Principem de Capua recessisse, existimans eum fugere, insequutus est ejus vestigia, invenitque ipsum cum exercitu magno in planitie Beneventi ad præliandum magnificè præparatum. Cùm igitur mutuis aspectibus uterque exercitus cominus se vidisset, milites principis cognoscentes Regis exercitum labore itineris fatigatum, cum clamore valido inceperunt Francigenas ad prælium provocare. Rex itaque confestim suos Principes ad consilium provocavit, & cunctorum est judicio definitum, bellum esse minime differendum, quod cum tanta clamoris importunitate adversarij postulabant. Ex belli namque dilatione duplex Regi videbatur accidere nocumentum, quòd inde sc. hostes audaciam assumebant, & quòd exercitus eorum quotidie augebatur. Tunc Rex providus diligenter suas acies præparavit: in cujus exercitu præter Francigenas erant multi milites Italici, Campanici & Romani. Similiter & Princeps duxit suas acies ex adverso, ponens ex latere multitudinem Saracenorum, quòd sagittis adversarios stimularent. Cùmque primæ acies ex utraque parte ad prælium processissent & viriliter dimicarent, & hinc & inde multi caderent vulnerati, Rex de sublimi equo prospiciens, vidit milites suos ferè ab hostium multitudine superari. Tunc omnipotentis auxilio invocato, cum sua terribili acie irruit super hostes, quasi impetus tempestatis: Domino verò auxiliante, cui facile est in manibus paucorum concludere infinitas acies Principis, terga verterunt, & tanta multitudo de ipsius exercitu est prostrata, quòd campum celabant oculis corpora occisorum, multi etiam Principes & milites sunt capti: reliqui verò sunt in fugam conversi, amissa omni fiducia resistendi.

Manfredus Apuliæ princeps occũbit.

Ibidem etiam ipse Princeps Manfredus occubuit, hostium gladiis interfectus: cujus corpus in capite pontis Beneventi Rex Carolus fecit honorificè sepeliri. Uxor autem ejus, quæ filia erat Cumani Principis Græcorum, capta fuit, dum anxiè disponeret, audita morte mariti, cum suis filijs in Græciam transfretare. Et cùm fuisset hoc Regi Carolo nunciatum, fecit eam simul cum filijs in quodam castro recludi, & ibidem cum diligentia custodiri.

Post divulgationem itaque istius victoriæ triumphalis, Cremonenses ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ revertentes, legatos Apostolici humiliter susceperunt, & durissimum Uberti Palavicini jugum à suis cervicibus excutientes, eum exire de finibus suis coëgerunt: & sic pars extrinseca Cremonensium ad propria est reversa. Tunc prædictus tyrannus, qui habuerat dominium Cremonæ, Mediolani, Brixiæ, Placentiæ, Papiæ & Dertonæ nec non Alexandriæ, secessit ad quædam castra in montibus constituta, ibiq; suam constituit mansionem.

Qualiter Rex Carolus rebelles in Tuscia expugnavit.

ANNO Domini M. CC. LXVII. Rex Carolus regno subacto Siciliæ venit, Viterbium, ad revocandum Papam Clementem, & ibidem est ab eo vicarius Imperij constitutus. Cujus mandata cæteræ civitates Tusciæ humiliter receperunt: Pisani verò & Senenses, Burgenses quoque Podij Bonici, præcepta summi Pontificis & Regis penitus contempserunt. Tunc contra prædictos rebelles Rex Catholicus movit procinctum: Senensium districtum vastavit. Castrum autem Podij Bonici, in quo de tota Tuscia inclusa erat militem rebellium multitudo, longa obsidione devicit. Posthæc Pisanos in sua duritia persistentes, in manu valida est aggressus, eorum portum succendit, turres evertit & in mare projecit, omnesque fines Pisanorum circumiens, villas, castra & omnia eorum bona penitus dissipavit.

De adventu Conradini ex Alemannia.

CUM prædicta in partibus Tusciæ agerentur, Conradinus filius Regis Conradi, Romanorum, Pisanorum, Senensium, Papiensium & Veronensium literis & nunciis excitatus, ad recuperandum paternum regnum cœpit cordis desiderium ardentissimè applicare. Tunc Principes Alemanniæ, de quorum amicitia confidebat, ad colloquium invitavit: post multa hinc & inde proposita, est tandem majorum consilio definitum, quòd ipse sine mora deberet in Italiam proficisci. Protinus egregius adolescens cum auxilio amicorum exercitum congregavit, descendensque de Alemannia venit Veronam, comitantibus eum Duce Bavariæ avunculo suo, Comite de Tiraulo, qui matrem ipsius duxerat in uxorem. Mansit itaque Veronæ tribus mensibus, nihil viriliter agens, quòd nec commodum amicis tulit, nec damnum intulit inimicis. In prædicto igitur spacio temporis, præ defectu pecuniæ venditis equis & armis, magna pars exercitus ad propria remeavit. Similiter Dux Bavariæ ac Comes de Tiraulo ipso relicto ad sedes proprias sunt reversi.

Conradini Suevi in Italiam expeditio.

Fama itaque de adventu Conradini in Apuliam discurrente, Saraceni habitantes in Nuceria rumore hujusmodi confortati, quòd graviter Francorum dominium tolerabant: cœperunt contra Francigenas rebellare, regionem circa se positam crudeliter deprædantes. Accidit etiam Carolo tunc temporis alia pestis bellica improvisa. Nam Fridericus juvenis animosus, frater Regis Castellæ & illustris Henrici senatoris Romanorum, cum navali exercitu Siciliam introivit, & quædam loca munita per tyrannidem occupavit. Eo verò tempore Rex in Tuscia rebelles fortiter impugnabat: & tempore illo uxor Regis apud Neapolim diem clausit extremum.

Qualiter Conradinus de Verona perrexit Papiam.

ANNO Domini, M. CC. LXVIII. Illustris Conradinus exiens de Verona cum electa manu militum, fluvium Mintianum & Oleum transvadavit, & per districtum Cremonæ Papiam perrexit, nullo audente ipsius tansitum impedire, licet tota Lombardia, præter Veronam & Papiam, favere Regi Carolo videretur. Cumque in civitate Papiæ moram aliquot mensibus traxisset, tandem cum auxilio Papiensium ad terras Marchionis Careti transivit, ibique in mari Tyrrheno Pisanorum navibus præparatis, navem conscendit, & ad Pisanum portum prospero cursu pervenit. De isto itaque lubrico cursu Conradini homines mirabantur. Multi quoque ejus egressum & progressum in reprehensionem Regis Caroli, miris laudibus extollebant. Sed Deus omnipotens, qui usque in tertiam & quartam generationem visitat iniquitatem patrum in filijs imitantibus malos patres, aliter quàm putabant homines, de adolescentulo disponebat.

Qualiter Rex Carolus Conradinum & Romanos gravi periculo superavit.

CUM igitur famæ testimonio Conradinum venisse Pisas, fuisset per Italiam declaratum, de Lombardia, Tuscia & alijs regionibus confluxit ad eum militum maxima multitudo, qui potentiam Regis Caroli deprimere, & Conradinum sublimare pro viribus affectabant. In illis diebus circa Pascha Rex dimisso Marschalco cum militia in Tuscia, in Apuliam est reversus, & Saracenorum discursum, ædificatis circa Nuceriam munitionibus, coarctavit.

Post Regis itaque discessum insurrexit Conradinus contra Lucanos, eorumque districtum vastavit, & Mareschalcum sibi cum Regis militia occurrentem, strenuè superavit.

Eodem tempore illustris Henricus, frater Regis Castellæ, fungebatur in urbe honore Senatoriæ dignitatis. Iste tanto superbiæ spiritu erat plenus, quòd etiam dominium fratris sui Regis Castellæ, nullo modo poterat sustinere. Unde relicta Hispania, vagabundus per diversas Provincias discurrebat. Denique cum in præcedenti tempore Romanam curiam pro suis negotijs visitasset, Romani tunc eum in Senatorem elegerunt. Licet igitur iste consanguineus Regis Caroli esset, quòd pater suus frater fuerat matris Regis: ex certis tamen simultatibus inter eos, modis omnibus exaltationem Conradini, & Regis interitum procurabat. Consilio itaque istius acquisierat partem maximam Romanorum odientium Regem: hac de causa, quòd thesauros argenti & auri manu largiflua eis minime tribuebat. Quid plura? Senator prædictus & Romani Conradinum

Henricus Castellæ Regis frater, Carolo infestus.

cum

cum suo exercitu convocantes, ipsum in Urbem contra mandatum summi Pontificis induxerunt. Firmata itaque conjuratione inter eos, unanimiter contra Regem Carolum præliaturi egressi sunt ex urbe, Conradinus cum suo exercitu, & Senator cum eo cum multitudine militum & peditum Romanorum, & versus Apuliam properantes, castra non longè à civitate Aquila posuerunt. Rex autem in eorum occursum cum exercitu valido properavit, & nona die exeuntis Augusti in campo Palentino direxit triplicem aciem contra eos. Similiter adversarij de sua multitudine confidentes, contra Regem suas acies direxerunt: commissumque est bellum lachrymabile & horrendum, in quo proh dolor multus ex utraque parte sanguis hominum est effusus. In primò namque belli congressu duæ Regis acies terribili hostium impetu sunt prostratæ pariter & fugatæ, occiso crudeliter Marescalco, quem propter strenuitatem personæ ac ornatum armorum esse Regem Carolum existimabant. Jamque milites Conradini, quasi securi de victoria ad invadendum saumarios & detinenda occisorum spolia insistebat.

Prælium inter Conradinum & Carolum Andeovinum.

Rex autem Catholicus imminente tanto discrimine pugnæ, audire devotè Missæ officium non omisit. Quo completo, videns militum suorum ruinam, ex intimo cordis affectu invocavit Dominum prodigia facientem, & B. Virginem, de cujus auxilio (sicut ipse postmodum est testatus) plurimùm confidebat, exclamans voce vivifica, hortatus est militiam suam, dicens: O nobilis militia Franciæ, cui ab antiquis temporibus divina potentia contulit gratiam specialem triumphandi de inimicis Ecclesiæ ac nominis Christiani: nunc incumbit vobis maxima causa, contra inimicos Ecclesiæ præliandi, ut nostrorum nobilium prædecessorum vestigia imitantes, qui pro defensione Christianitatis pericula gravia pertulerunt, genti nostræ laudem & gloriam acquiramus. Et si fortè à divina processerit voluntate, quòd in isto prælio moriamur, non contristemur sicut illi, qui spem non habent: quòd cœlorum regnum obtinebimus pro mercede. Si verò sicut strenui bellatores non deficiamus à nostrorum majorum virtute, victoriã fuerimus consequuti, ex hoc subsequentur nos bellorum maxima merces, gloria scilicet triumphalis, & fama probitatis longo tempore duratura.

Caroli Galli victoria.

Postquam his & hujuscemodi verbis multum animos inflammavit, cum regali acie terribiliter ordinata more Leonis ad nullius paventis occursum, cum impetu irruit super hostes, & ex eorum multitudine multa millia virorum mira virtute prostravit, victricem manum suam Domino apponente: universos verò in præcipitem fugam convertit. Capta est autem magna multitudo: inter quos simul cum Senatore capti sunt plurimi Principes, & viri nobiles, & potentes. Proditores etiam quamplures capti sunt, qui Regem deseruerant, & adhæserant Conradino. Hos omnes transfugas regia severitas fecit subire sententiam capitalem. Conradinus verò fugiens: de bello quidem evasit: sed dum de loco ad locum tremebundus transiret: deficiente sibi consilio evadendi, tandem incidit in manus quorundam civium Romanorum, qui pro immensa pecuniæ quantitate ipsum Regi potentissimo tradiderunt. Rex autem excepit illum gaudens, ipsumque fecit cum summa diligentia custodiri. Paucis itaque diebus post bellum transactum, ingressus est Romam magnificus triumphator, & acclamante populo Romano suscepit lætanter Senatoriam dignitatem. Constituto itaque pro se in urbe vicario, & rebus prosperè ordinatis, in Apuliam est reversus, & post aliquot dies nobilem & pulcherrimum Conradinum, & coætaneum ejus Ducem scilicet Austriæ, qui venerat cum eo de Alemannia, jussit apud Neapolim publicè decollari.

Ducis Conradini fatũ.

Istis temporibus filia Ducis Burgundiæ præfato Regi est matrimoniali fœdere copulata.

Eodem etiam tempore venerabilis Papa Clemens, cum tribus annis & novem mensibus, & viginti quatuor diebus Romanam Ecclesiam feliciter gubernasset: apud Viterbium migravit ad Dominum, de tertio exeuntis Novembris.

Eodem temporis curriculo, quarto scil. die intrantis Novembris, circa mediam noctem fuit maximus terræmotus.

Qualiter Saraceni cum Tartaris pugnaverunt, & qualiter Bethogar suum dominum interfecit.

CUM prædicta fierent inter Christianos in partibus Occidentis, ferocissima gens Tartarorum post victoriam Orientis, irruit super Saracenos, vastavitque Arabiam,

biam, Syriam, ac Palæstinam, nulli ætati parcentes usque ad fines Ægypti: occisis Soldanis Damasci, Alapij & Camellæ. Tantus autem terror istas nationes invasit, quòd potentissimus Soldanus Iconij, & Rex Armeniæ minoris, & Princeps Antiochiæ multitudini eorum resistere non audentes, ipsorum se dominio subdiderunt, magnum tributum reddere promittentes. Solus igitur Soldanus Babylonis ad resistendum Tartaris se magnificè præparavit. Exivit itaque de Ægypto in manu valida, secum habens ferè CCC. millia equitum, & per desertum venit Gazaram, quæ est in finibus Palæstinæ: commisitque prælium cum Tartaris qui remanserant in Syria, & eos viriliter superavit: nec destitit persequi fugientes, donec eos de Syria coëgit exire, & trans flumen Euphratem, unde venerant, remeare. Tunc Saraceni, qui à facie Tartarorum fugerant ad deserta, ad sedes proprias sunt reversi.

Sultanus Ægyptius Scythas Syria pellit.

Post fugam itaque Tartarorum cùm Soldanus reverteretur in Ægyptum cum exercitu, relictis militibus in munitionibus opportunis, & distaret diebus quatuor à Babylone, perrexit quadam die venatum. Et dum milites ejus causa venationis discurrerent huc & illuc, & illustris quidam Princeps Soldani, nomine Bethogar, qui aspirabat ad Regiam dignitatem, videns Soldanum cum paucis militibus remansisse, eum protinus cum suis satellitibus aggrediens, interfecit: statimque cum sua militia properans Babylonem & ad Cairum, Babylonis regnum obtinuit violenter, sibi resistentibus interfectis: habuitque sub sua potestate præter regnum Ægypti, Arabiam & Syriam usque ad flumen Euphratem, in quibus Provincijs ante adventum Tartarorum plures Soldani solebant regna ditissima possidere. His itaque patratis, non fuit perfidus Bethogar contentus prædictarum dominio regionum: sed ad expugnandos Christianos totius potentiæ suæ vires convertit: congregansque exercitum copiosum, expugnavit civitates Christianorum, & castra fortissima Templariorum & Hospitaliorum. Insuper gloriosam civitatem Antiochiam instanter bellando abstulit Christianis: tantamque stragem fecit de Christianis, quanta non fuit perpetrata à tempore maximi Soldani. Ultra verò flumen Euphratem super Orientalia regna Parthorum, Assyriorum, Chaldæorum, Persarum & Medorum, & aliarum Provinciarum Tartari imperabant, interfectis Regibus & Principibus & subversis urbibus, quæ sibi resistere conabantur. Nam & civitatem Baldach inclytam & maximam invaserunt, quæ super Tigrim constituta est, de ruinis antiquissimæ Babylonis. In hac Calippus regnabat, quem reverebantur Saraceni, ut Romanum Pontificem Christiani. Hunc Tartari morte turpissima occiderunt, & cum eo Saracenorum multitudinem infinitam.

Sultanus dolosè interficitur.

Bethogar regni Ægyptij invasor, Christianos Syria ejicit.

Baldach civitas.

Qualiter Rex Carolus obtinuit Nuceriam.

ANNO Domini M. CC. LXIX. post longam obsidionem Rex Carolus obtinuit Nuceriam rebellantem. Nam deficientibus victualibus Saraceni attenuati fame, civitatem & seipsos Regis dominio tradiderunt. Rex autem evertit mœnia civitatis & Christianos rebelles, qui transfugerant ad Saracenos, & persuasione sua eos firmaverant in pertinacia rebellandi, gladio interfecit: Illam verò multitudinem infidelium regalis providentia ita dividere procuravit, quòd audaciam resistendi penitus amiserunt. Quidam autem ex eis errore infidelitatis relicto, baptismi gratiam humiliter receperunt.

His etiam temporibus Pisani & Senenses frequenti hostium insultatione afflicti, se ac sua jugo regalis potentiæ subdiderunt.

Quòd Principes Occidentis in Africam transierunt.

ANNO Domini M.CC.LXX. post lacrymosam cladem Christianorum, in partibus transmarinis à Soldano Babylonis crudeliter perpetratam, cum Romana esset Ecclesia, propter discordiam Cardinalium, tunc pastoris regimine destituta: tandem comitati Reges & Principes Occidentis, scil. Franciæ Catholicus Ludovicus, Carolus Rex Navarræ & filius Regis Angliæ inclytus Odoardus præparaverunt se magnificè, ad transfretandum in subsidium terræ sanctæ. Communi itaque consilio primò aggrediendi Regem Tunitij ditissimum disponentes, cum exercitu valido & multitudine navium copiosa in Africam transiverunt. Cumque Rex Fran. primitus applicuisset ad munitum portum fortissimæ Carthaginis, quæ est portus Africæ, & Saracenorum præsidium singulare, viriliter Carthaginem expugnavit, occisis Saracenis pariter & fugatis. Post victoriam itaque Carthaginis, lues repentina ex corruptione aeris & aquarum exercitum

Christianorum in Syriam expeditio.

Ludovici Galliæ Regis mors.

ercitum Francorum invasit: multique Principes, & milites, & populares morbo dysenteriæ perierunt. Unus etiam de filijs Regis tunc temporis letali valetudine oppressus, de medio est sublatus. Post mortem itaque dilecti filij, protinus Rex devotissimus dysenteriæ morbo correptus, videns diem sibi ultimum imminere, negotijs regni & exercitus congruè ordinatis, & effusis precibus lachrymosis coram populo ibidem congregato, sanctificatus viam est universæ carnis ingressus.

Tunetum à Christianis obsessum.

Post obitum benignissimi Regis, filius ejus Philippus, qui erat in castris cum patre. regni Franciæ obtinuit diadema: Rex autem Çardus, post Regis obitum, Capitaneus exercitus constitutus est. Rex novus illustris Philippus & Rex Navarræ moventes à Carthagine, audaciter exercitum ante muros Tunicij perduxerunt: Saracenis, qui de totius Africæ partibus convenerant in auxilium civitatis, terga vertentibus, tentorijs & tugurijs in campo cum omni suppellectile derelictis. Adhuc nondum cum exercitu suo advenerat clarissimus Odoardus. Rex autem Tunicensis considerans multitudinem Africanorum nullo modo posse sustinere impetum populi Christiani, nimio timore territus, compositionem pacis à regibus postulabat. Reges autem tum propter difficultatem urbem munitissimam capiendi, tum propter pestilentiam mortalitatis, quæ vehementer exercitum affligebat, tale pactum cum Rege Tunicij pepigerunt: quòd ipse persolveret Regibus omnes transfretationis expensas, & tributum redderet Regi Carolo filijs suis, quod ipse solebat persolvere magno Principi Federico. Super hoc additum est in pacto, quòd quandiu erit bellum contra Saracenos in partibus transmarinis, dare stipendia tribus millibus militum teneatur. Rex itaque ditissimus hæc & alia, quæ Reges Christiani petierunt, facere compromisit, & apertis thesauris suis, protinus opere adimplevit.

Dum hæc agerentur applicuit ad portum Carthaginis in classe maxima probissimus Odoardus. Postquam verò fuerunt pacis fœdera celebrata, exercitus in Siciliam remeavit: sed vento vehementi contrario existente in portu Trapani naves plurimæ sunt confractæ, in quibus magna militum multitudo est submersa.

FINIS.

RERUM

RERUM & VERBORUM, quæ in hoc I. Germaniæ Historicorum Tomo memorabilia aut alioquin notatu digna occurrunt, INDEX.

Hh

Ana-

Austria

C

D

Deus

Gisulphus

INDEX

Henricus

Licen-

Nuce-

Q

R

FINIS.



GERMANIAE HISTORICORUM, QUI POST HENRICI IV. IMPERATORIS ÆTATEM TRECENTIS ANNIS SCRIPSERUNT,

Pars altera:

Continens Dominicanorum Colmariensium fastos, Conradum Vecerium de Henrico VII. Imp. & M. Alberti Argentinensis Chronicon integrum, à Rudolpho Primo, usque ad Caroli Quarti obitum, unà cum aliis quibusdam Opusculis, nusquam antehac impressis:

CHRISTIANI URSTISII BASILIENSIS
fide & industria edita.

Cum rerum & verborum INDICE *copiosissimo.*

FRANCOFURTI,

Apud Jacobum Godofredum Seyler.

Typis HENRICI FRISII.
M DC LXX.

AMPLISSIMIS DN. CONSULIBUS ET SENATORIBUS, CIVITATUM ARGENTINENSIS ET COLMARIENSIS, Viris Nobilitate, pietate & prudentia ornatissimis, Dominis suis colendis.

CHRISTIANUS URSTISIUS MATHEMATICARUM Professor, εὐζωΐαν τε ϗ εὐπραξίαν optat.



QUEMADMODUM *in amplissimo hoc immortalis Dei theatro, viri nobilitate, prudentia, & pietate spectatissimi, non solùm infinitæ res in abditis Naturæ penetralibus latentes, quarum modum caussasq; nemo mortalium assequi potest, sed & cætera omnia quæ propalam spectari & percipi queunt, admiratione plena sunt, sic ut illorum cognitione & contemplatione hominis animus mirificè pascatur ac delectetur: ita eorum etiam eventuum inspectio & consideratio, quæ ante nostram ætatem inter mortales acciderunt, ob innumeras vicissitudines quibus hæc vita redundat, liberales mentes incredibili voluptate perfundit. Maximè verò Patriæ historiæ lectio, quæ majorum, quibus ortum nostrum debemus, quæ terræ cujus gremio fovemur & alimur, quæ Reip. cujus sub umbra requiescimus, res memorandas tradit, sic animos nostros delinit & retinet, præsertim ubi aliquod vetustatis cognoscendæ desiderium antecesſit, ut ea nunquam saturari posse videantur. Idque tantò magis præstat, quò fortioribus ipsa radiis, ad caliginosum ignorantiæ nubem depellendam, & priscæ ætatis statum ob oculos ponendum, instructa est. Eum profectò robur & æs triplex circa pectus habere oportet, quem non majorum res afficiunt, nec domesticæ antiquitatis cognoscendæ desiderium tangit.*

Hæc cùm ita sint, arbitror viri amplissimi, intelligere vos, quamobrem duos hosce libros, nunc demum è pulveribus erutos, fastos nempe Colmarienses & M. Albertum Argentinensem, vobis deberi existimarim, eosdemque nomini vestro inscribere ausus fuerim: scilicet, quòd eorum auctores, è vestris urbibus ortum nomenve trahentes, non Germanorum solùm, sed & specialiter Alsatarum, vestrarumque Rerump. res plurimas, quæ à Rudolfi Habspurgensis seculo, usque ad Caroli quarti decessum, annis amplius centum, contigere, literarum monumentis bona fide commendârunt, quarum notitia, nisi illorum opera conservata fuisset, dudum oblivione sepulta evanuisset. Cùm igitur & aliæ nationes majorum suorum egregia facinora disseminare studeant, existimavi non ingratum vobis fore, si videretis esse nonnullos, qui in nostræ gentis antiquitate proferenda & illustranda laboris aliquid impenderent, quique vestrarum Rerumpubl. Scriptores, diutius quàm par erat à tineis corrosos, perennes reddere studuissent: nihil dubitans, multos ex ordine vestro Latinæ Linguæ usu instructos, hosce, si non summæ, attamen haud aspernandæ classis auctores, attentiùs quàm exotericorum historias lecturos esse, deque rerum ab ipsis traditarum veritate omnium optimè judicare posse. ἕκαςος γὰρ κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, ϗ τούτων ἐς' ἀγαθὸς κριτής.

Oro igitur, quòd auctores hos attinet, ut eos vestra clientela non indignos, & quasi è diuturno exilio reduces factos, pro vestra virtute atque prudentia complectamini. Qui hominum cœtibus agendo magnopere prosunt, hos meritò colimus: at & iis etiam nihil officij & amoris debemus, qui ut lucubrando atque scribendo perpetuò prodesse possint, adnituntur. Siquidem sæpe dubitatum video, utrum eo beneficio, quod per negotia agendo atque egregia multa navando comparatur, an eo quod per otium contemplando atque scribendo præstatur, amplius prodesse queamus. Me verò quod attinet, quanto possum observantia à vestra amplitudine contendo, ut hocce consilium meum, quo vos librorum istorum tutores publico testimonio constituere volui, simulque laborem meum, in iis proferendis & lima anagnostica poliendis insumptum, æqui boniquè consulere dignemini. Deum Opt. & Max. precor, ut vestris Rebuspublicis benedicat, & ornamenta vobis benignè concessa, clementer adaugeat atque conservet. Basileæ Helvetiorum die S. Thomæ Apostoli, anno virginei partus M.D.XXCIV.


IN FASTOS COLMARIENSES

ὑπόμνημα.



VETUS est illud & omnium ætatum assensu comprobatum: *Dies diem docet.* Vt enim id in omnibus vitæ humanæ partibus suo modo quotidiana experientia satis comprobat: ita in eo quoque Respub. literaria verum esse comperit, quòd vel indies novi ingeniorum fœtus eduntur: vel editi quidem & elaborati quondam, sed temporum injuria, aut hominum imperitia invidiave tenebris oppressi, in lucem tandem ac vitæ theatrum producuntur. Cœpti erant hi Colmariensium fasti ante trecentos penè annos, à diligenti quodam monacho ordinis Prædicatorum, ejusdem Vrbis, operæpretium ducente, memoriam rerum, quæ vel in ea Vrbe vel circa illo ævo contigissent, inter efflorescentis suæ domus homines conservari, quas illiterati suis studiis & occupationibus intenti, negligere, ac temporum progressu oblivioni mandare solerent. Eos deinde cum sua [illegible] fastos (quod ex ipso exemplari haud obscurè animadverti potuit) alii ejusdem instituti & collegii socii locupletavere, qui tamen suis quibusdam latebris occultati, in paucorum manus hactenus devenerunt. Allatus est is mihi liber, edita Basiliensi historia, ab amico, qui eum Dn. Nicolai Brieferi Iurisconsulti, & S. Petri Basiliensis Decani, viri antiquitatis Germanicæ peritissimi, & in conquirendis hujus generis Scriptoribus industrii & solertis, fuisse testabatur. Quem cùm percurrissem, evidenter apparuit, eodem etiam Ioannem Stumpfium, in operoso illo rerum Helveticarum volumine contexendo, ante XL. annos usum esse: nec dubium, hunc illi à Briefero, ut & alia multa, communicatum fuisse. Etsi igitur priori parti, Annalibus nempe, minimi momenti res, nec ullo delectationis aut utilitatis fructu commendabiles, hinc inde aspersæ fuerint, utpote quando pluisset, quando trajectiones visæ, quando porci Colmarienses subulcum laniassent, & similia: tamen cùm de oppidorum, castrorum ac cœnobiorum in circum vicina regione ortu & incrementis, aliisque eo seculo apud Alsatas gestis, scitu non indigna & utilia, complectantur, haud aspernandos esse duxi: præsertim cum & Stumpfio usui esse potuerint, eosque in probatissimorum auctorum elencho loco non indignos judicârit. Humilibus itaque & frivolis istis rebus, quæ fastidium parere poterant, resectis, cæteris omnibus, etiam iis quæ vel levis tantum pretii esse videbantur, retentis, librum in hocce Scriptorum choro comparere volui: quod æquos & candidos omnes boni consulturos esse, confido.

CHRO-



CHRONICI DOMINICANORUM COLMARIENSIUM,

Continens Annales variarum rerum, quæ decimo tertio post Θεοφανίαν seculo, apud Alsatas maximè contingêre.

Anno Domini M.CC.XI.

Otho Imperator per totam Alemanniam excommunicatur.

M.CC.XII.

Passagium extitit puerorum.
Ordines Teutonicorum, Minorum & Prædicatorum oriuntur.

M.CC.XIII.

Regina Ungariæ occisa à Comite recitatur.
Lutoldus Episcopus Basiliensis obijt.

M.CC.XIV.

Fridericus Rex venit ad partes Alemanniæ.

M.CC.XV.

Hæretici comburuntur.
Waltherus electus Basiliensis deponitur ab honore.

M.CC.XVI.

Innocentius Papa obijt.
Otho Imperator obijt.
Ordo Prædicatorum confirmatur. *Prædicatorum ordo.*

M.CC.XVII.

Facta est expeditio transmarina à Rege Ungariæ & Duce Austriæ.

M.CC.XVIII.

Dux Zeringiæ Bertoldus obijt.
Rex Rudolfus nascitur, Calendis Maij. *Rudolfi Habspurgii natalis.*

M.CC.XIX.

Fridericus Rex pro Imperiali benedictione proficiscitur Romam.
Dux Lotaringiæ cum exercitu Alsatiam ingreditur.

M.CC.XX.

Circa hunc annum destruxit miles, Curto nomine, turrim capellæ, quæ est in Ongersheim, & ædificavit castrum ex ea. Eodem anno phreneticus factus est. *Vngersheim Alsatiæ superioris.*
Henricus filius Friderici Imperatoris in Regem Romanorum declaratur.

M.CC.XXI.

Fulco Abbas Morbacensis obijt.
Tartari Ungariam vastaverunt. Beatus Dominicus obijt.

M.CC.XXIII.

Henricus Episcopus Argentinensis obijt. Orta est pestilentia pecorum.
Ecclipsis Lunæ apparuit.

M.CC.XXVI.

Ludovicus Rex Franciæ obijt.
Fundata est sancta Trinitas in Argentina.

M.CC.XXVII.

Bertoldus Episcopus Argentinensis Berlnstein obtinuit.
Ludovicus Comes Turingiæ iter transmarinum arripuit.

M.CC.XXVIII.

Bladoltz-hei auf der Hart.

Bertoldus Episcopus Argentinensis in Bladolzheim homines Imper. devicit.
Messis terminata fuit ante festum S. Joannis Baptistæ.

M.CC.XXIX.

In Argentina Guldin crematur hæreticus. Fuit is unus de ditioribus & potentioribus civibus Argentinensis civitatis.
Conradus de Marburck prædicat.

M.CC.XXXI.

Ludovicus Dux Bavariæ interficitur. Facta est persequutio hæreticorum.

M.CC.XXXII.

S. Wilhelmus miraculis claruit.
Inchoatum est claustrum sororum in Columbaria.
Tantus fuit æstus, quòd per Julium & Augustum ova in sabulo coquerentur.

M.CC.XXXIII.

S. Elisabeta claruit. Episcopus Curiensis occiditur.
Conradus de Marburck occiditur. Tanslatus S. Dominicus.

M.CC.XXXIV.

Comes in Pfirt occisus.

Fridericus Comes Phitretarum, à filio suo, dicto Grimmel/occiditur.
Hyems frigida vineas extirpavit.
Translatæ sunt sorores ad Basileam, & obtinuerunt ordinem sororum de Columbaria.

M.CC.XXXV.

Henricus Rex accepit pueros à civitatibus.
Fridericus Imp. venit Columbariam, in multitudine camelorum.

M.CC.XXXVI.

Vini abundantia fuit, & quartale pro denario dabatur, quod brevi post vix XVI. denariis poterat comparari.

M.CC.XXXVII.

Fridericus Imperator Conradum filium suum in Regem Teutoniæ coronavit.
Gregorius IX. excommunicavit Fridericum, in cœna Domini.

M.CC.XXXVIII.

Henricus de Thun Episcopus Basiliensis obijt.
Coloniensis Episcopus obijt: & electus est frater Comitis de Hohenstraten.

Auctor de seipso.

Intravi ordinem Prædicatorum, natus anno M.CC.XXI.

M.CC.XXXIX.

Terræmotus factus est mense Septembri.

M.CC.XL.

Tartari Ungariam devastant tribus annis.

M.CC.XLI.

Ecclipsis Solis accidit, Nonis Octobris.
Gregorius Papa obijt, & vacavit sedes per triennium.

M.CC.XLII.

Destructum est castellum Bruccum.

M.CC.XLIII.

Comes Rudolfus de Habispurch miles efficitur.

M.CC.XLIV.

Innocentius Papa obijt apud Lugdunum. Bertoldus Episcopus Argentin. obijt.

M.CC.XLVI.

Henricus Lantgravius Turingiæ in Regem eligitur Romanorum.
Pugna fuit in Francfurt, die Osualdi: Conradus Rex Teutoniæ victus ab Episcopis.
Pugna fuit apud Veltchilchi prope Colmariam.

M.CC.XLVII.

Henricus Rex obijt. Fridericus Dux Austriæ occiditur.

Fratres

Fratres Prædicatores de Turego expelluntur tribus annis.

M.CC.XLVIII.

Parmenses obsessi liberantur.

Sorores de Klingental obtinuerunt ordinem.

Rubeacenses Colmarienses vicerunt, & ceperunt multos ex eis.

M.CC.XLIX.

Lutoldus Basil. Episcopus obijt, Bertoldus succedit. Nicolaus de Titinsheim obijt. *Lutoldus de Neufchastel Episcopus Basil.*

M.CC.L.

Fridericus depositus Imperator obijt.

Cunradus filius Friderici, sanctam Crucem oppidum destruxit.

M.CC.LI.

Multitudo Pastorum in Francia congregatur.

Frater Hugo Cardinalis, Legatus, cantavit primam Missam in area Prædicatorum in Argentina.

M.CC.LII.

Occisus est sanctus frater Petrus ordinis Prædicatorum apud Mediolanum.

Dominæ de S. Joanne * sub-tilia, Colmariam se transtulerunt. Visi sunt tres Soles. *Vnderlinden cœnobium.*

M.CC.LIII.

Canonizatus est S. Petrus.

In Altichilchin inventæ sunt duæ calvariæ habentes spissitudinem duorum digitorum.

Sorores ordinis Prædicatorum de Huseren apud Phaphinetum, recesserunt, quæ modò Klingentalenses dicuntur. *Huseren prope Pfaffenheim Alsatiæ.*

Innocentius Papa moritur. Sol videbatur scissus.

M.CC.LIV.

Rex Cunradus, filius Friderici Imp. obijt: Wilhelmus de Holandia succedit.

Ludovicus Rex Franciæ rediit de partibus transmarinis.

M.CC.LV.

Frater Bertoldus de ordine Minorum solenniter prædicat.

Innocentius Papa obijt, Alexander succedit.

Destructum est castrum apud S. Amarinum.

Ædificatum est castrum in valle S. Amarini, ab Abbate Theobaldo Morbacensi. Destructum autem fuit anno 1268. *S. Amarinus inter montana Vosagi.*

M.CC.LVI.

Wilhelmus Rex morte miserabili interijt, interfectus à Frisonibus.

Fames erat. Dux Bavariæ uxorem suam interfecit.

Wilihelmus librum contra Prædicatores scripsit, & omnes religiosos. A Papa damnatur, & igni traditur in die Francisci.

M.CC.LVII.

Richardus frater Regis Angliæ donis regnum obtinuit Romanorum.

In Brusbach monte Brisgaudiæ inveniebatur argentum in magna quantitate.

M.CC.LVIII.

Combustum est monasterium Basiliense, & magna pars civitatis, in vigilia Martini. *Summum templum Basil.*

Rex Franciæ vincitur à paganis.

M.CC.LIX.

Virtuosus Dominus Waltherus de Horburch fuit fraudulenter à suis consanguineis interfectus, in festo S. Jacobi in messibus. *Walterus Horburgi Dominus proximè Colmariam.*

Translatæ sunt sorores de Huseren in Werrahe vallem, quæ postea Clingintal dicebatur: eò quòd Dominus de Clingin sororibus fratrum Prædicatorum in remedium animæ suæ liberè contulisset.

M.CC.LX.

Interfecerunt Judæi in Wissenburg puerum.

Dedicata est Ecclesia fratrum Prædicatorum in Argentina.

Henricus Episcopus Argentinensis obijt.

Mulier peperit quatuor pueros in Ratsamhusen.

Civitas Rubeacum exusta est.

M. CC. LXI.

Flagellatores Teutoniam transiverunt.

Ossa Gigantea. Inventa fuerunt ossa, quæ videbantur hominum, prope castrum Hertin/ prope Basileam, magnitudinem & longitudinem nostram triginta pedum excedentia.

Fui Parisius. Fundamentum Chori nostri.

M.CC.LXII.

De Argentina fuerunt multi milites interfecti.

Ioannes Rosselman. Joannes Sultetus in Columbaria cum multis Nobilibus interfectus.

Expugnatum fuit castrum in Mülhusen.

Alsa ibidem congelata & caristia frumenti.

M.CC.LXIII.

Canonici Lutenbacenses castrum sibi vicinum per violentiam destruxerunt.

D. Waltherus de Geroltsecke Episcopus Argentinensis obijt.

M.CC.LXIV.

Cometes. Cometa apparuit in oriente, quadraginta diebus, circa Cal. Augusti, duabus horis ante ortum Solis. Fuit principio magnus & clarus, comam habens longam & latam, quæ de die in diem cœpit deficere, Soli adjungi, & ad nihilum devenire.

M.CC.LXV.

Castrum & Castellum Burcdorf, quidam ex civibus tradiderunt Comiti de Habspurch.

Aqua quæ fluit per civitatem Basiliensem & dicitur Birsich/ inundavit, & plurima devastavit.

Mappam mundi descripsi in pelles duodecim pergameni.

M.CC.LXVI.

Claustrum & Villam Luceriam ventus sive turbo pro magna parte destruxit, & pinnam templi in terram à longè deportavit.

Achilles von Altschwveiler. Frater Achilles quondam Prior, prædicator generalis, incœpit crucem ad transmarinas partes prædicare.

Scalarij & monachi milites, curiam habuerunt Basileæ.

M.CC.LXVII.

Conr. VVernherus de Hadstatt. Conradus Wernherus de Hadstat ordinem Teutonicorum ingressus. Cujus receptioni multi Nobiles ex Alsatia interfuerunt, in castro Bücheim.

Ex Alsatia plus quàm quingenti peregrinati sunt in Quadragesima ad partes transmarinas.

Ecclipsis Solis, vigilia Urbani, prædicta à fratre Godfrido Astronomo ordinis Prædicatorum in Vormatia.

Orta est stella in ortu Solis, pulchra & magna, prope Lunam, ea existente decima octava, in mense Julij XVIII. quæ magno impetu progressa de Luna versus Orientem ad medietatem hemisphærij, relinquens post se comam sive nubem albam, vel nubem incensam, & minorem sequentem, quæ pariter esse desierunt. Annus bonus & in omnibus abundans.

M.CC.LXVIII.

Hertenberg prope Herstem Episcopus Basiliensis expugnavit Hertinberch & Bladolsheim / quæ tunc erant Comitis Rudolsi.

** d. 10 Maij.* Fui in Urania, * festo Gordiani & Epimachi, cecidit Risina magna prope villam Altorf/ & secum duxit lapidem, qui habebat duodecim pedes in latitudine, & tredecim in longitudine, quæ Ecclesiam & multos penè homines deleverat cum prædicante. Septem autem vaccas & arbores multas devastavit.

Circa Columbariam non pluit duodecim septimanis, videlicet, à festo Mathiæ usq; ad festum Septem fratrum, fuitque calor maximus.

Rhenus crevit adeò quòd omnes pontes destruxit.

M.CC.

M.CC.LXIX.

Comes Rodolphus de Habiſpurch & cives Columbarienſes, expugnârunt caſtrum Richenſtein/& ceperunt duos Dominos caſtri, dictos Geſellin. Fecit & in Argentina milites plures.

Reichenſtein in Alſatia prope Reichenvveir.

Epiſcopus Baſilienſis emit à Comite Gotfrido cognato ſuo, pro CCLX marcis caſtrum Bilderſtan.

Eccleſia ſororum de ſancto Joanne in Columbaria, conſecratur.

M.CC.LXX.

In Than fotus fuit pulliculus quatuor pedes habens, ex ovo gallinæ.

Per Baſileam tranſivit quidam Stochilinus, qui dicebat ſe eſſe Conradinum, filium Regis Conradi, quem Carolus frater Regis Franciæ cum tribus nobilibus fecit decollari.

Comes Phitretarum cepit fratrem ſuum, nomine Grevelinum, & Procuratorem ſuum Luzardum de Senhen/& extorſit ab eis magnam pecuniam.

Comes Rudolphus de Habſpurc & Abbas S. Galli exercitum magnum congregantes, venerunt in Seckingen/ut civitatem Baſilienſem tribus diebus obſiderent, ſed minimè potuerunt.

Domina Comitis Gotfridi, feſto Margaretæ, filium peperit.

Ecclipſes Lunæ in crepuſculo, ſecunda feria poſt Palmarum, & Kal. Auguſti.

Rex Franciæ cum filio cruce ſignati, imperfecto opere in Tunis pariter perierunt.

Caput S. Pantali Epiſcopi Baſilienſis, qui cum S. Urſula & ſodalibus Coloniæ fuit decollatus, à viro provido atque diſcreto Abbate ..... in Baſileam delatum, ab Henrico Epiſcopo Baſilienſi receptum eſt cum magna reverentia.

Tranſlati ſunt ad fratres Friburgenſes de Baſilienſibus.

Viri duo religioſi Arnaldus & Tietmarus in ruffis cappis venerunt in Sueviam, & quædam contra fidem catholicam diſſerebant.

Gotfridus Comes de Habſpurch Dominus in Lauffenberg. Caput S. Pantal. Dominicani Friburgum.

M.CC.LXXI.

Epiſcopus Argentinenſis & Baſil. Henricus Mülhuſen obſederunt ſex diebus, circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli. Et frumentum quod vendebatur in principio obſidionis 30. ſolidis, dabatur circa finem 30. denariis, vel 17. voluntariè.

Mulhuſium.

Dominus Henricus Epiſcopus Baſilienſis emit à Comite Phitretarum Ulrico & filio ejus Comitatum Phitretarum pro mdic marcis, & ab eo in feodum receperunt.

Comitatus Phitretarũ feodum ab Epiſcopo Baſil.

Lupi in Vſ. ols plures pueros comederunt.

Fratres S. Auguſtini in Gebwilre valle, in qua ante paucos annos civitas inchoata fuerat, ſuum Capitulum celebraverunt.

Gebvviler oppidum ditionis Morbacenſis.

Comes Rud. de Habſpurc poſuit exactionem ſuper homines ſuos advocatitios & accepit ab eis XX. mille quartalia frumenti.

Milites Stelliferi expulſi de Baſilea hinc inde vagabantur.

Gregorius duodecimus electus in feſto Ægidij.

Comes Gotfridus de Laufenberck obijt.

Comes de Frauenck obijt.

Comes Rudolfus combuſſit monaſterium Grandis vallis, & plures villas.

De Richen ruſtici interfecerunt nobilem virum Wernherum militem Baſilienſem, dictum de Argentina.

VVernherus de Argentina miles.

Dominus Epiſcopus Baſilienſis dedit caſtrum ..... cum quadraginta marcarum redditibus pro caſtro Tüffenſtein/Domino de Tüffenſtein.

Tuſſenſtein caſtrum.

Mures frumenta devaſtant: cariſtia magna.

M.CC.LXXII.

Tempus nebuloſum à XV. Calendas Septembris uſque Hilarij: rarò apparuerunt Sol vel Luna. Aura temperata.

Comes Rudolfus de Habſpurc caſtrum Tüffenſtein obſedit, & funditùs deſtruxit.

Caſtrum Werra reædificatur, contra voluntatem ſororum de Ellngental/ab Epiſcopo Baſilienſi Henrico.

VVerra caſtrum Hercyniæ ſylvæ.

Johannes miles de Lanſere à ſervis ſuis occiditur.

In Wadwir & vicinis villis lupi plus quàm XL. pueros comederunt.

In caſtro Wolfach gallina quotidie penè duo ova poſuit, cum duobus vitellis.

Comes Rudolfus de Habſpurc cum exercitu veniens prope Friburgum, poſt

Bellum inter R. Habſpurgium & Epiſcopum Baſil.

feſtum

festum S.Margaretæ homines & messes nimis graviter devastavit. Volens autem cives de Nuwenburck lædere, non potuit: quòd Dominus Basiliensis affuit eis præsidio festinanter.

Post plures dies Episcopus Rhenum transiens, Comiti Rudolfo plures villas devastavit, plures etiam igne cremavit: cœmiterium Richisheim prorsus delevit.

Comes Rudolfus congregato exercitu venit prope Basileam, villam ibidem succendit, & prædam Seconium deduxit. Basilienses ipsum insequuti, ipsi nocere minime poterant vel audebant.

Sacconium opp. ad Rhenum conflagrat.

Die octava Laurentij ortus est ignis in domo quadam & totum Seconium præter Ecclesiam S.Petri, & domos vicinas quatuor, penitus concremavit. Ipso autem die venit Episcopus Basiliensis cum suis, oppidum expugnavit, & omnia quæ in eo reperit, demolitus est.

Castrum Othmarsheim cives Nuvvenburgenses igne penitus deleverunt.

Sitzenkilch

Claustrum Sickilchen exercitus Comitis Rudolfi igne supposito destruxit.

Gutnovv cœnob. mulierum juxta Neoburgum Brisg.

Claustrum Gutnowe Comes Henricus, frater Comitis Friburgensis pro ablutione redditaum suorum penitus devastavit.

Porta crucis, nunc S. Ioannis.

Suburbium Basiliense prope portam crucis, Comes Rudolfus insequente nocte Bartolomeum per flammam devoravit.

Frigus fuit magnum tribus septimanis, & præcipuè tribus diebus ante nativitatem Domini. Congelabatur enim Sacramentum Dominici sanguinis ante elevationem Eucharistiæ. Fons congelatus in Sultzmatin, & puteus in Rubiaca. Frigus autem in nativitate Domini solvebatur.

M.CC.LXXIII.

Vigilia Silvestri, rusticus quidam, Lupus nomine & re, tradidit castrum Werra Comiti Rudolfo, & captus fuit in eo Dominus de Rötenheim clericus, filius sororis Episcopi Basiliensis, & alij multi.

Homines Abbatis S.Galli acceperunt Comitem Rudolfum in advocatum.

Obijt Episcopus Curiensis, quondam frater ordinis Prædicatorum.

Busesheim contra Brisacum.

Episcopus Basiliensis ædificavit castrum in Büsesheim / & castrum ..... Marschalcus interficitur.

Circa festum S.Dominici fratres Prædicatores perfecerunt suum campanile.

Basilea obsessa.

Comes Rudolfus de Habspurc obsedit Basileam tribus diebus cum potentia magna, circa festum S.Margaretæ.

Vallis S.Gregorij à Comite Rudolfo devastatur.

In vigilia S. Laurentij deprædatus est Comes Rudolfus villam Clingin, & castrum penè ceperat, & equitavit cum exercitu prope Basileam, & cives non audebant prohibere eum.

In festo S.Mauritij factæ sunt treugæ, usque ad festum S.Galli, inter Basiliensem Episcopum, & Comitem Rud. de Habspurc.

Comes Rudolfus de Habspurc in Regem eligitur Romanorum.

Milites Stelliferi intraverunt Basileam.

Exercitus Comitis Rudolfi, quo Basileam obsidere voluerat, redit ad sua. Episcopus Basiliensis congregationem suam, qua obsidionem prohibere voluit, dimisit.

Sopita est controversia inter Prædicatores & Minores, propter hæresim quæ orta fuit in Rhetia prope Augustam.

Tempus vindemiarum fuit siccum & amœnum: parum vini crevit, quòd vineæ circa nativitatem Domini frigore perierant.

M.CC.LXXIV.

Rudolfus Basileæ honorificè receptus.

Rudolfus Rex Romanorum venit Basileam, Sabbato ad Vesperas, in octava Epiphaniæ, scilicet Idibus Januarij, G.litera Dominicali. Receptus est ab Episcopo Basiliensi, præsentibus fratribus Prædicatoribus XLII. fratribus Minoribus XXXVI. saccatis XII. & fratribus beatæ Mariæ virginis VIII. totaque multitudine civitatis, virorum pariter atque mulierum. Venit etiam Rex cum centum militibus & multis aliis, introduxit Stelliferos, cum magna gloria & honore.

Zafusenses se mutuò necaverunt.

Filiæ

Filiæ quatuor Rudolfi, feſto Purificationis, miſſam audiverunt in Presbytorio fratrum Prædicatorum, & candelas maximas obtulerunt.

Hyems calida fuit valde.

Epiſcopus Conſtantienſis obiit in quadrageſima.

In cœna Domini natus puer prope Lauffinberck habens manus & pedes anſeris, & caput monſtroſum per omnia.

Dominabus de S. Marco furatæ fuerunt reliquiæ à quodam monacho.

Decimo Calendas Aprilis fuit Paſcha Judæorum.

In clauſtro Interlacenſi exoculatus fuit quidam canonicus, à tribus converſis. *Hinderlappen in Helvetia.*

Juvenis quidam, quòd virginem vi cognovit, vivus ſepelitur in Columbaria.

Anniverſarium Domini Nicolai de Liensheim. XV. Calend. Junij tranſlata fuerunt oſſa ejus de clauſtro Jſtein/ad fratres Prædicatores, & ibidem in cœmiterio Baſileæ ſolenniter tumulata.

Baſileam venit equus venalis duorum annorum, qui altitudine viros non paucos ſuperabat. Æſtimabatur CC. marcis: venditus eſſet C. marcis.

Ceræ & mellis copia.

Sorores in Clingental vendiderunt Regi Rudolpho, quod Dominus de Clinglin in Werra dederat ad emendum.

Item feſto S. Margaretæ Comes Ludovicus de Froburck / dedit omnia caſtra ſua Regi Rudolfo, tali conditione, quòd pro eo reſtitueret univerſis. *Lud. Comes Froburgenſis cedit bonis.*

In octava S. Laurentij, G. litera dominicali, Luna duodecima, tranſlatæ ſunt duodecim ſorores de Clingental & cœperunt ædificare dormitorium cum lapidibus, magnum & pulchrum prope Rhenum Baſileæ, & intra XIII. ſeptimanas, hoc eſt feſto Martini tectum ejus vidimus conſummatum. *Primordia cœnobii Clingental Baſileæ.*

Rex Rudolfus fecit novam monetam, imprimens numiſma Regis coronati.

Henricus Epiſcopus Baſilienſis obijt, octava nativitatis Mariæ.

Feſto S. Martini cœpit vindemia.

Epiſcopus Argentinenſis præcepit advocato in Rubiaca, ut confiſcaret res Eccleſiæ Marbacenſis, & ſolveret debita, quòd Abbas & Canonici in ſolutione debitorum non poterant concordare.

Filia Regis Rudolphi, Duciſſa Bavariæ, peperit filium, circa quartum Nonas Octobris.

In Epiſcopatu Baſilienſi, in valle Suſinga, quæ eſt prope Monaſterium, reperiuntur capitones ſine viſcoſitate: & conjunguntur quatuor Epiſcopatus ibidem.

M. CC. LXXV.

Infra octavam nativitatis Domini, convenerunt Dux de Teck/Cancellarius Regis Rudolfi, Archidiaconus Baſilienſis, electus Epiſcopus, & plures alij in Baſilea, præparantes iter ad Pontificem Romanum, Gregorium Papam, ut Rex in Imperatorem conſecretur. *Cæſaris ad Papam legatio.*

Domus in Altkilch cecidit, & decem homines interfecit.

Comes Ulricus de Phitreto obiit, vigilia Purificationis. *Vlricus Comes in Pfirt.*

Infra Dominicam Paſchæ venit legatus Baſileam.

Penuria frumenti fuit Baſileæ. Quartale frumenti decem ſolidis vendebatur.

Prior Prædicatorum Baſilienſium, feſto crucis inventæ, crucem ad tranſmarinas partes prædicavit.

Rudolfus Rex in feſto Pentecoſtes in Wirceburck curiam celebravit: Regem Bohemiæ ſecundariò citavit. *Conventus Imperii Herbipoli.*

Feſto Petri & Pauli Rhenus pontem Baſilienſem deſtruxit, ſubmerſis plus minus centum hominibus.

Tertiò Nonas Augusti, ventus validiſſimus, qui vineas & arbores devaſtavit, ramos ad tria milliaria, puerum cum cunabulo in villa Herckeim deportavit.

Rudolfus Rex Friburgum obſedit, octavo Calend. Septembris.

Pridie Nonas Maij, venit Baſileam Presbyter Cardinalis de Capua, receptus à Rege & Epiſcopo Legato Lombardiæ, à clero & totius civitatis populo. *Cardinalis Capuanus Baſileæ.*

Pridie

Pontificis & Cæsaris congressus Lausannæ.

Pridie Nonas Octobris, Gregorius Papa venit Lausannam. Rex Rudolfus venit ad eum festo Lucæ, cum Regina & pene cum liberis suis universis. Rex accepit crucem & Regina, & Comes Phitretensis, & Comitissa, & pene nobiles qui ad curiam Papæ pervenerant universi. Rex plus quàm DCCCC. marcas expenderat in vestes pretiosas. Papa Regi consuluerat, ut Romam, ad festum Pentecostes, cum duobus millibus militum veniret, ut eum in Imperatorem Romanorum solenniter coronaret.

Henricus de Isna Franciscanus, Episcopus Basil.

Papa fratrem Henricum ordinis Minorum in Episcopum Basiliensem constituit & consecravit Lausannæ. Eundem legatum Teutoniæ super congreganda decima clericorum constituit, & ut XII. millia marcarum Regi Rudolfo daret, postquam montana transiret. Cruce signatis Papa dixit, ut post duos menses à festo Purificationis pariter transfretarent.

Fratres Minores quendam Abbatem Cisterciensem incarceraverunt, pœnisque maximis afflixerunt. Cistertienses Capitulo generali contra statuerunt, ne ullus Minorum recipiatur hospitio in claustris vel grangiis suis, nec Missa vel prædicatio eorum audiatur.

Sultzbach Alsatiæ.

Castellum Sultzbach in valle Gregorij, muris & fossato cingitur, festo S. Lucæ.

Henricus Episcopus Basiliensis venit Basileam, festo Dionysij, à Papa Gregorio confirmatus, prandium fecit in domo Prædicatorum. Episcopus primam suam Missam celebravit & synodum.

Supplicium falsarii

Falsarius monetæ coctus in caldario Columbariæ.

M. CC. LXXVI.

Cuntzo Textor de Senhen vixit annis CX. obiit M.CC.LXXVII.

Dux Lotharingiæ victus à Comite Gemini pontis: utrumque ceciderunt multi & equi & homines.

Milites Regis Rudolphi adversariorum multos ceperunt, plurimos occiderunt in Lombardia prope Mediolanum. Ex captivis plures decapitati, ignorantibus stipendiariis: dolentes ob hoc, diutius ibidem manere noluerunt.

Augustinenses Basileæ nidificant.

Fratres sancti Augustini de Mülhusen se transtulerunt ad Basileam.

Destructa fuit domus S. Augustini in Nüwenburg à populo, Rege minime prohibente.

Gregorius Papa XII. obijt, infra octavas Epiphaniæ.

Innocentius Papa.

Frater Petrus de Tarantasio, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Lugdunensis, in Papam eligitur, Innocentius dictus.

Carolus, Rudolfi F. nascitur.

Regina Regis Rudolphi filium peperit elegantem in Reinfelden / festo Valentini: hic breve tempus vixit.

In Turego lupa domestica peperit duos lupos rufos, duos veltres albos, & tres catulos maculosos generum diversorum.

In Olsperc Ordinis Cistercienfis soror extitit, quæ sine potu undecim annis permansit.

In Sultz prope Rubeacum decoctus fuit monetarius, servus Domini Joannis de Jungholtz.

In Lauffenberck gallus magnus ex Italia, sub cujus ventre gallina transibat.

Rex obsedit Dominum de Gleckenstein / pro eo quòd ceperat Episcopum Spirensem, pro pecunia quam pro adjutorio promiserat. Dominus de Gleckenstein se & sua in Regis tradidit potestatem.

Obitus filioli Regii.

Carolus Rudolfi Regis filius, natus festo Valentini, hoc anno. Sepultus in medio chori majoris Ecclesiæ Basiliensis: & interfuerunt exequiis ejus omnes religiosi & clerici, minores pariterque majores, milites universi, & ex civibus honestiores multi; mulieres multæ & Regina cum pluribus dominabus. Fuit & feretrum coopertum nobili Baldico, quod Ecclesiæ reliquerunt.

Frater Emundus, quondam Provincialis Teutoniæ Prædicatorum, à Rege Rudolfo mittitur ad Curiam, ad occulta negotia pertractanda.

Porcus spinosus, forte herinaceus

Regina fecit adduci in hortum Prædicatorum in Basilea porcum spinosum, ut viderent in eo Dei mirabilem creaturam.

Pridie Calendas Junij, Comes Theobaldus de Phitreto fecit curiam magnam, cui

cui interfuit Rex & Regina, Dux Lotaringiæ, & milites multi.

VII. Nonas Junij prædicavit frater Eberhardus, Ordinis Prædicatorum in Basilea, & receperunt ab eo ad partes transmarinas multi crucem Domini gloriosam.

In Rotwilre soror inclusa tres pueros uno die peperit, & quarto die quartum puerum prioribus addebat. *Fœcunda monialis.*

Rex Rudolphus ad Capitulum Prædicatorum Pisis celebratum, misit XXX. marcas.

Minores Basileæ capitulum celebrabant, & Regina X. marcas eis pro servitio ministravit.

Quarto Nonas Augusti visa sunt de dormitorio Prædicatorum lumina multa, per modum pugnantium discurrentia.

In festo Dominici præparavit Rudolfus Rex expeditionem suam contra Regem Bohemorum.

Fraga, quæ Hindber vocantur, & botros comedi in assumptione beatæ Virginis, & eodem die fructum & flores plures arbores habuerunt.

In castro Reginsperg crystallum vidi, quem levare poteram cum labore.

Adrianus Papa moritur: Joannes Papa eligitur.

Nono Calendas Octobris, obijt advocatissa Alsatiæ, filia Comitis Phitretarum, in castro Pfirtberg / uxor Conradi Wernheri; sepulta in cœmiterio S. Joannis sub tilia in Columbaria. *Advocatissa Alsatiæ.*

XV. Calend. Octob. Episcopus Basiliensis venit infirmus de curia Romana, & de familia sua novem perierunt.

Episcopus Basiliensis visitavit canonicos sancti Leonhardi, de regula sancti Augustini, & unum ex eis caussa correctionis misit ad monasterium Interlacense, secundum ad monasterium Parisiense, tertium verò Bellen, quartum misit Argentinam ad sanctum Arbogastum. Præposito verò nomen mutavit, & Priorem nominavit, & ei Procuratorem adjunxit, sine cujus licentia vel scitu de rebus monasterij nihil poterat ordinare. *Reformatur cœnobium Leonhardinum Basileæ.*

In vigilia S Clementis, infra matutinas Prædicatorum Basileæ, fuit Ecclipsis Lunæ, quam frater juvenis ejusdem Ordinis prædixit, & fratribus ostendit.

Crastino S. Catharinæ, facta est compositio inter Regem Bohemiæ & Regem Rom.

In Rinfelden Rhenus opertus extitit glacie, & via patuit cuilibet transeunti. Frigus solutum fuit festo Hilarij.

Nativitas Domini feria sexta fuit. Episcopus Basiliensis cum familia carnes comedit: qui carnes comedere nolebant, habebant pisces magnos.

M.CC.LXXVII.

Regina Teutoniæ tempore Quadragesimæ pluribus diebus cum sex tantum dominabus in claustro Clingintal morabatur.

Prope Basileam foditur argentum, & ferrum, & plumbum, & aurum invenitur in aquis.

In montibus vallis Werræ frequentaverunt Ecclesias in circulis, propter nives, die annunciationis Mariæ.

Post Pascha Regina de Rinfelden proficiscens venit Constantiam, inde Bavariam. Sequebatur autem ipsam Henricus Episcopus Basil. circa ascensionem Domini cum equis LXX. *Regina Rom. in Austriam abit.*

In Gowenstein cornua duo cervi longitudine trium pedum, ex quibus XVI. cornua processerunt.

In Urania nigromanticus quidam cum quibusdam rusticis voluit artem suam exercere pro pecunia. Interim grando vallem maximis lapidibus impetebat. Unde armata manu montes ascenderunt, & ipsum cum discipulis suis ter violenter de propriis finibus ejecerunt. *Pseudomagus.*

Comes Eberhardus civitatem Friburg in Dechtland dedit Regi Rudolfo pro tribus millibus marcis: pro qua Comes Sabaudiæ IX. millia dedisset, si Rudolfus Rex vendere sibi promisisset. *Friburgum Nuchonum à Rudolfo emptum.*

In villa Cella puella octavo anno ætatis suæ puerum peperit.

In Rosswilre / castro prope Sulz / inventa est calvaria serpentis magni, & lingua ejus vulgò Naterzunge: datur Regi Rudolfo pro clenodio: cujus vis toxicum prodere.

Regina Teutoniæ in Vienna recipitur.

In Austria Rex Rudolfus novam exactionem adinvenit, & à quolibet aratro quinque solidos postulavit.

Comitem de Hohinberck cognatum Regis Dominus Hagineck in Regis præsentia vulneravit.

Nova retia inventa prope Constantiam, per quæ pisces plurimi capiebantur.

Bellum Lotaringo illatum.

Episcopus Metensis & Argentinensis Ducem Lotaringiæ impugnant. Dux duodecim currus Episcopo Argentinensi abstulit: postea res composita est.

Episcopus Argentinensis de civibus in Sulß LXXX. marcas accipiebat, qui antecessoribus suis cum murmure vix LX. marcas solvebant.

Episcopus Coloniensis cum duodecim aliis conjurantes, impugnarunt Comitem de Gülch.

Annus in omnibus abundans, excepto lino. Quartale hordei tribus solidis: avenæ, octodecim denarijs: siligo, quatuor solidis: Triticum, sex solidis.

Viridarium S. Petri Basilien.

Canonici S. Petri Basil. aream, quæ sita est ex opposito monasterij S. Petri, plantationibus arborum repleverunt.

In Sulß quædam meretrices domesticæ à meretricibus sylvestribus baculis expulsæ.

Albertus Magnus lector Coloniæ.

Clericus vagus Basileæ serpentes capiebat, ad libitum eis utebatur, & mirabilia faciebat.

**Procurator i. Iudex.*

In Senheim Henricus * procurator Hospitale pauperum inchoavit.

Ioannes 21. Papa magus.

Joannes Papa Magus, in omnibus disciplinis instructus, religiosis infestus, contemnens decreta Concilij generalis, obijt hoc anno.

Nicolaus Papa electus est, dictus Cajetanus, diu discordantibus Cardinalibus.

M.CC.LXXVIII.

Episcopus Basiliensis & Advocatus Alsatiæ cum exercitu ad Regem Rudolfum in Austriam perrexerunt, in mense Julio.

Comes Iuliacensis occisus.

XVI. Calend. Aprilis, interfectus est Comes de Gülch / in civitate quæ dicitur Aquisgranum, cum duobus filiis, & CCC. militibus, & cum alia familia sua multa.

Rex Bohemiæ promisit, se pecuniam magnam Teutoniæ Principibus daturum, ut pro se contra Regem Rudolfum pro viribus pugnarent.

Contra Rudolfum arma ab Ottocaro sumpta.

Rex Bohemiæ X. millia militum congregavit, ut Regem Rudolfum de Austriæ finibus extirparet. Sed Domino dante Principes exercitus incœperunt fortiter discordare, & sic fuit eorum congregatio dissipata.

Dominus Papa excommunicavit omnes adversarios Regis Rudolfi, & ipsum Imperatorem publicè nominavit.

Cœnobium sub-tilia.

Sorores de sancto Joanne, ordinis Prædicatorum muro se cinxerunt, cujus altitudo pedes XX. noscitur habuisse: & quercus ex qua sedes Ecclesiæ parabantur dominarum, in circumferentia pedes XXIV. comprehendit.

Cives civitatis quæ dicitur Aquisgranum, castrum quoddam cum hominibus ceperunt, ex quibus XV. gladiis occiderunt, reliquos verò carceri deputârunt.

Horburgenses Domini.

Domini de Horburc, filij sororis Comitis Phitretarum, cognato suo reconciliantur, & in Alsatiam revertuntur.

Obijt Comes de Werde.

Rusticus quidam de Villingen candens ferrum portavit nuda manu, sine corporis læsione.

Ottocarus Bohemus in prælio occumbit.

Rex Bohemiæ pugnavit cum Rege Romanorum prope Viennam & interfectus est, ipse & cum eo XIV. millia hominum, ut communiter dicebatur.

Eckirch in valle Leboriana Alsatiæ.

Interfectus est Dominus de Echerich, & Dominus de Apiaco.

Obijt Archiepiscopus Cantuariensis, Cardinalis, ordinis Prædicatorum.

Obijt frater Probus, Provincialis de ordine Minorum.

Dominus Papa factus est perpetuus senator Romanus: & Carolus cessit ei, & reliquit ei omnia quæ habuerat & spectabant ad Sedem.

Prædicatores Colmarienses.

Dominus de Gliers vallem Sergowe deprædatur, & tres nobiles interfecit.

Festo Simonis & Judæ intravit conventus fratrum ordinis Prædicatorum in Columbariam, in domum suam. Receptus fuit à Canonicis, à Dominis S. Joan. Baptistæ, & ab

& ab univerſitate civitatis laudabiliter & honeſtè.

Deſtructum fuit Zeringen noviter ædificatum, & turris prope Briſacum, & Coliberc.

Z·ringa prope Friburgum Briſgoia.

Mures fuerunt multæ & annus in omnibus abundans.

Comes Egino de Friburc, civibus de Offenburc equos viginti prope portam civitatis abſtulit. Cives autem perſequentes congreſſi ſunt cum eo, & ex utraque parte plures vulnera acceperunt.

Comes Phitretarum cepit Abbatem de Luxovio.

Epiſcopus Argentinenſis foſſato diviſit novum caſtrum ab antiquo, in villa Rubeacenſi.

Caſtrum Rubeaquenſe.

Hyems calida fuit.

In Carinthia tanta fames extitit, ut homines carnes humanas comederent, & fame plurimi perirent.

M.CC.LXXIX.

Hoc anno Dominus Sigfridus, dictus de Gundoltzheim venit de Domino Rudolfo Rege, qui tunc temporis extitit in Vienna, retulitque de eo proſpera cum fortuna.

Scultetus hic Sigfridus ædificavit caſtrum in Hohenac, in craſtino Purificationis, Rege Rudolfo permittente. Et tertia die fracta eſt Columbarienſium melior campanarum.

Hohenac caſtrum.

Eodem tempore Papalis litera venit in Columbariam, in qua continebatur, quòd deberet perfidis Judæis, Prior provincialis Teutoniæ cum fratribus ſuis, fidem Catholicam fideliter prædicare.

Poſt Mathiæ venit advocatus Alſatiæ, Conradus Wernherus à Rege, qui tunc temporis morabatur in Vienna.

Eodem tempore dabatur in Columbaria ſiligo pro XVII. denariis, hordeum pro XVIII. denariis, avena pro XIX. den. frumentum pro XXX. denariis.

Dominus de Rapoltzſtein caſtrum Hohenac & Minnewiler cognatis ſuis abſtulit fraudulenter, & in Columbariam transferebat.

Magiſter Rudigerus de Consheim, præpoſitus Columbarienſis, vir divitiis & ſcientia clarus, obijt, circa feſtum Gregorij Papæ.

XVIII. Cal. Maij vineæ & nuces perierunt frigore.

Longitudo hæc ſumpta LX. vicibus, facit ſpiſſitudinem arboris, quæ eſt in Sigoltzheim ſupra fontem, prope curiam & capellam S. Mauritij.

Inſignis arbor.

Lantfridus de Landiſperc ſuffocatus fuit in tormento Argentinæ, in anniverſario Patris ſui, qui fuit in præcedenti triceſimo anno in eadem civitate, & in eodem die haſtiludio interfectus à Comite Friburgenſi.

Filius Regis Rudolfi major venit in Enſisheim, XIV. Calend. Junij, convocavitque ſcultetos civitatis, & deliberavit cum eis, quomodo Patri ſuo milites mitterent in armis præparatos.

Albertus Cæſ F Enſishemium venit.

Conradus de Liechtenberck Epiſcopus Argentinenſis caſtellum Durlac per ignem deſtruxit, & quæ in eo reperit, deportavit.

Durlacum Marchionum Badenſium.

Dominus de gemino ponte caſtellum proprium, nomine Coplnheim, per ignem devaſtavit. Abbatiſſa de S. Cruce obijt, octavo Idus Junij.

Craſtino Barnabæ Apoſtoli cecidit grando cum magnis lapidibus, quorum multi habebant magnitudinem ovorum; deſtruxit quasdam domos latericias, & damnum diverſis locis Alſatiæ dedit.

Per ignem Judæorum conſumitur ſynagoga.

Filius Rudolfi Regis Turicenſium eſt pecora deprædatus.

Epiſcopus Baſil. venit à Rege ex Auſtria Baſileam, & celebravit curiam magnam.

Interficitur Abbas Heremitarum fulmine, & cum eo plures monachi graviſſimè puniuntur.

Einſidlem in Helvetia.

Eijciuntur de Columbaria, qui dicebatur Sculterum interficere voluiſſe: unus ex iis poſtea fuit rotatus.

In Ongersheim fuit mulier tabernaria, de qua Physicus ejecit infra decennium tres cattas. Cœmiterium inchoatur in Wintzenheim.

VVintzenheim.

Interfectus fuit Scultetus, de Aquisgrano in Ecclesia cum quodam perfido, à procuratore Regis Rudolfi: pro eo quòd Dominum de Gülch Comitem cum suis sociis miserabiliter occidisset.

Dux Brabantiæ cum exercitu magno de voluntate Regis Rudolfi venit ad terram inferiorem, ibique dicebatur castra plurima destruxisse.

Filius Cæsaris Friburgensibus infestus.

Infra octavam Assumptionis, congregavit filius Regis Rudolfi plusquam XX. Comites & Dominos multos, & exercitum magnum, ut destrueret suburbium Friburgense, pro eo quòd juvissent Dominum suum Comitem Gebirhardum de Friburgo, qui eo tempore civitates Imperij pro suis viribus impugnabat.

Turckheim. Wüer.

Domini de Gerspergh in vigilia S. Matthæi Turinckhen ceperunt, & oppidum Wilre per ignem penitus destruxerunt.

Frigore hoc anno periêre fructus. Vindemia fuit quasi nulla: vix enim decimam partem vini quam consueverunt, protulerunt.

Clarissarum plantatio in minore Basilea.

Indultum est in Ecclesia fratribus Minoribus in serico ministrare.

Episcopus Basil. sorores de S. Clara, vel ordinis fratrum Minorum, transtulit trans Rhenum in claustrum Saccitarum. De Saccitis autem quinque recepit in ordinem Minorum: Provincialem verò eorum fecit præpositum apud canonicos S. Leonhardi: reliquis autem Saccitis prout potuit, providebat.

Episcopus Basil. in Ecclesia fratrum Prædic. Basileæ clericos consecravit.

Episcopus Colonien. vicit in prælio Dominum de Spanheim / & cepit quatuor Comites.

In civitatem Bernensem Burgundiæ aves ciconiæ noviter venerunt.

Nidermunster.

In Nidira Münster claustro nigrarum monialium, furtim sublata fuit corona crucifixi, cum reliquiis multis. Fur in brevi comprehenditur ac supplicio condemnatur.

Obijt frater Otto, dictus de inferno, frater ordinis Prædicatorum, vir devotus, Deo ac hominibus dilectus: cui Dominus conflictum Regis Bohemiæ & Regis Teutoniæ in spiritu ostendit, & Regem Bohemiæ gravissimè vulneratum.

In Zabernia plures quàm LIV. homines, muro super eos cadente, perierunt.

Baronissa de Rapoltstein.

Domina de Rapolstein / dicta de Froburch / in Paradis efficitur monialis, prope Schafusiam.

Opposuerunt se Domino Basiliensi, Dominus præpositus Maguntinus, Dominus de Röttlheim / cum militum multitudine copiosa.

In Rubiaca soror quædam fuit accusata, quòd imaginem ceream baptizasset. Cùm id ipsa negasset, ipsam ad campum duxerunt rustici, & ipsam ignibus cremassent, si fratres eam non ex eorum manibus liberassent.

M.CC LXXX.

Interfectus fuit Scultetns Johannes de Keiserspergh.

Captus est Dominus de Gerspergh / plebanus de Lagelnheim. Item captus est de Nortgassen / plebanus de Ostein.

XVI Calend. Aprilis, litera Dominicali F. Dominica, nocte quæ est ante feriam secundam, passa est Luna Ecclipsin.

Domini de Nortgassen ceperunt Dominum de Hunnewilre.

Columbarienses ceperunt clericum Domini de Gerspergh / & clericum Domini de Nortgassen & quatuor de Sulzmatin.

Interdictum Ecclesiasti cum Colmaria.

Episcopus Basiliensis venit Columbariam, petivitque à civibus, ut clericum suum Domini de Nortgassen / suæ redderent libertati. Cives autem suis precibus acquiescere noluerunt. Interdicta igitur sunt divina Columbariensibus, propter captivitatem clericorum.

Nonis Aprilis fuit Episcopus Argentinensis in Rubiaca cum C. phaleratis equis, & civitates Imperij cum eo, ut expugnaret Dominum de Lobigasse, propter captivos Argentinenses. Qui timore coactus se captivum tradidit, & reddidit captivatos.

XII. Calend. Maij, consecravit Dominus Henricus Episcopus Basiliensis ordinis fratrum Minorum, chrisma in Peris apud Cistercienses & Clericos regulares.

Inimicitia inter Rapolsteinium & Colmariam.

Dominus de Rapolstein prædam magnam de Episcopatu, de pecoribus & jumentis accepit, & plures homines interfecit.

Dominus de Rapolstein diffidavit Columbarienses, & Burgenses eorum exteriores quos poterat captivavit.

Henricus

Henricus Epiſcopus Baſilienſis emit propugnaculum, quod eſt ſitum prope Rubiacum.

Indulta ſunt Columbarienſibus divina, & incœperunt octavo Calendas Auguſti celebrare.

Dominus Baſilienſis ivit in Auſtriam ad Regem cum multis militibus.

Ceſſavit concurſus in Lebertal ad ſanctam Egidium, & factus eſt in Argentinam: eò quòd (ut dicebatur) B. Virgo miracula plurima perpetraſſet.

Fratribus Prædicatoribus in Columbaria tria altaria ſunt conſecrata. Fratres ijdem apud Turicenſes Provinciale Capitulum tenuerunt.

Fratres Minores laboraverunt ut canoniſſæ de Seconis mutarentur in ſorores S. Claræ: ſed obtinere minime potuerunt.

Minoritæ Seckingenſibus monialibus inſidiantur.

VII. Calendas Novembris fuit terræmotus.

Frater Albertus, ordinis Prædicatorum lector generalis, quondam Epiſcopus Ratiſponenſis, Philoſophus, obijt.

Alberti Magni obitus.

Comes Theobaldus Phitretenſis cepit filium fratris ſui.

M. CC. LXXXI.

Soror Helvvigis, prioriſſa ſororum in Columbaria de ſancto Joanne, obijt, VI. Idus Februarij.

Dominus de Ochſenſtein / filius ſororis Rudolphi Regis, advocatus terræ, depoſuit Sculterum Columbarienſem Sigfridum, cum multorum lætitia quos creditur, perturbaſſe.

Ochſenſteinius præſes Alſatiæ.

Aqua tranſiens caſtellum Sultze, magnum damnum ibidem fecit. In Gebweilre magna pars montis propter aquam cecidit. Et torrentes per Alſatiæ montana in vineis & agris magnum damnum intulerunt.

XII. Kal. Martij, frater Reinherus ordinis Prædicatorum, octogeſimo anno ætatis & quinquageſimo ſeptimo anno, quibus in ordine laudabiliter vixerat, & quadrageſimo tertio quibus ſororibus de S. Joanne præfuerat, & eas verbo & exemplo docuerat, in Domino requievit.

Guntrannus de Girſperc capitur fraudulenter.

Epiſcopus Argentinenſis congregata militum multitudine, Domino de Badin quoddam oppidum noſcitur obſediſſe. Epiſcopus verò Baſil. ſibi quinquaginta milites in auxilium tranſmittebat. Plures autem ex eis à Marggravio capiuntur, propter quod pax eorum priſtina reformatur.

Bellum contra Marchiones Badenſes.

Regina Rudolfi Regis in Nenna moritur, & aliquot centum equis Baſileam ducitur, ibique à tribus Epiſcopis, & ducentis mille clericis, & multitudine civitatis hominum, in vigilia S. Benedicti, cum gloria maxima ſepelitur.

Reginæ Roman. obitus.

Filia Regis Rudolfi Lombardiam mittitur, à civitatibus multis muneribus recipitur, ac filio Regis Caroli matrimonio copulatur.

Clementia filia Rudolfi.

Rex Ungariæ Chriſtianam uxorem repudiavit, Cumanam duxit, Chriſtianis odioſus efficitur, à ſuis capitur, ſed poſtea liberatur.

Dominus Simon Francigena, legatus Franciæ, Presbyter Cardinalis, eligitur in Papam, Martinusque nominatur.

Martinus 4. Pont.

Nix in vigilia Purificationis magnæ profunditatis cecidit, quæ homines, animalia ſylveſtria perturbavit, & uſque ad feſtum S. Gregorij perduravit.

Dominus de Meienhen caſtrum ſuum quod habuit Meienhen dedit in Argentinenſis Epiſcopi poteſtatem, & poſtea recepit illud feudum perpetuum, & Epiſcopus fecit eum Sculterum villæ memoratæ.

Nobilis in Meienheim infra Enſisheim.

Antiquæ mulieres obierunt, ſcilicet comitiſſa de Richenberc, Domina de Rapoltzſtein, & aliæ plures.

Comitiſſa de Reichenberg.

Confluentini Domino ſuo Epiſcopo Trevirenſi noluerunt obedire, inſuper eum occidere voluerunt.

Cives de Prumino præpoſitum ſuum gladiis occiderunt. Regique Franciæ nequiter oppoſuerunt, propter quod ex eis DLX. creditur occidiſſe.

Grando magna cecidit circa Kentzingen, XV. Kal. Junij, fecitque damnum magnum, ovesque centum vel amplius interfecit.

Domini de Gyrsperck castrum ædificârunt in monte, qui dicitur........ sed homines Episcopi Argentinensis subitò destruxerunt.

Episcopus Argentinensis congregata hominum multitudine Dominos de Rapolstein si potuisset, libentissimè perturbasset.

Quarto Kal. Augusti, Wernherus dictus Walch miles, & Cunradus miles dictus de Morgassen/ sunt à Columbariensibus interfecti.

Patriarcham Mediolanenses interfecerunt, & cum eo quingentos viros.

Hospitalarij S. Joannis conflictum habebant magnum cum Saracenis in transmarinis partibus, & pauci ex eis, multos Sarracenorum ceperunt, & plurimos occiderunt.

Multi ignobiles facti milites in Argentina.

Sorores pœnitentes de claustro suo se mutuò turpiter ejecerunt.

Inclusa de Tüblachelm se transtulit in Engintal.

Mediolanenses de civibus, quos ejecerant, quingentos vel amplius occiderunt.

Friburgum Brisgoiæ obsessum.

Nonis Octobris, secunda feria, obsedit Rex Rudolfus Comitem & civitatem Friburgensem, cum tribus exercitibus, hominum multitudine copiosa.

Mindæ fuit fratrum Prædicatorum Capitulum celebratum.

Adelnhausen juxta Friburgum

Exercitus Regis Rudolfi destruxit claustrum dominarum de Adelnhusen/ propter quod dedit eis Rex trecentas viginti marcas.

Rex Rudolfus expendit in Columbaria in victualibus infra quindecim dies, mille, ducentas marcas.

Hermaphroditus exoculatur in Brisaco, quòd violenter voluit cognoscere mulierem.

Comes Sabaudiæ Regem Rudolfum hostiliter impugnavit. Comes autem de N. Comitem Sabaudiæ læsit, propter quod Comes Regem Rudolfum desiit impugnare.

Quartali frumenti pro septendecim solidis dabatur, quartale vini, pro denariis novem.

Landsperg castrum

Festo S. Nicolai Landsperch castrum Sculteti de Columbaria, per advocatum Alsatiæ & Columbarienses obsidetur, & res ejus diripiuntur.

Vigilia Simonis & Judæ, Rex Rudolfus in Rapolstein cum suis consanguineis pernoctavit.

Omnes piscatores haleces capientes submersi, tempestate sævissima perierunt.

Interfectus fuit Dominus de Melenheim in Phaphinheim.

M.CC.LXXXII.

Hartmannus F. Regis in Rheno submersus.

Filius Rudolfi Regis, Landgravius Alsatiæ submersus fuit in Rheno, prope Rinaugiam, & sepultus fuit in Basilea à quatuor Episcopis & hominibus multis cum humana gloria copiosa.

Cives Rubiacenses, cum cæteris hominibus Episcopi Argent. deliberaverunt, ut ei amplius non servirent, nisi sub certa pecuniæ quantitate.

Nix prodigiosa.

Nix intra octavam Epiphaniæ cecidit, tantæ spissitudinis, qualis intra triginta annos in Alsatiæ finibus non credebatur cecidisse. Plures homines dicebantur in ea frigore perijsse.

Papa Martinus renovavit fratribus Minoribus & Prædicatoribus authoritatem confessiones audiendi, pariterque prædicandi.

Cives Mûlnhusenses mutuò se vulneribus affecerunt.

M.CC.LXXXIII.

Hyems calida fuit.

Rex Rudolfus filium suum Ducem Austriæ fecit.

Albertus Dux Austriæ

Rex Rudolfus emit jus seu advocatiam Dominorum de Liechtenberg/ quam habebant super civitatem Argentinensem.

Episcopus Argentinensis coegit Rubeacenses sibi reddere, quæ dederat eis suæ privilegia libertatis.

Festo Gregorij frumentum in Alsatia floruit.

Eodem festo, Episcopus Basiliensis, Episcopus Argentinensis & Rex Rudolfus adjutor

jutor eorum, obſedit Bruntrut ſex ſeptimanis, & Melan caſtrum cœpit ac deſtruxit, & Bruntrut fuit Epiſcopo Baſilienſi cum villis adjacentibus reſtitutum.

Purrentrutum obſeſſum.

Pridie Nonas Junij, interfectus fuit Friburgi venerabilis Commendator Teutoniæ ordinis, Guntrannus dictus de Biſeche, ab apoſtata ordinis ſui, Sculteti Friburgenſis filio.

Mylan caſtrum.

Omnis Apoſtata perſequutor ſui ordinis.

Tres Domini de Rapolſtein filij, viam carnis ingreſſi ſunt univerſæ.

Kalendas Junij, fraga, ceraſa, piſa matura in Alſatia vendebantur.

Fratres Minores plusquàm XXXI. virgines, & quaſdam viduas congregaverunt, & in clauſtrum Alſpach quod eis emerunt pro mille trecentis marcis, XV. Kal. Auguſti cum pompa & maxima gloria incluſerunt.

Alerſpach cœnobium prope Keiſerſbergum oppidum.

Pridie Nonas Junij, obſedit Rudolfus Rex Peterlingen.

Vigilia S. Galli, Domini Richardi de Lobigaſſe, & plures domus fratrum ſuorum fuerunt deſtructæ, ſeu funditùs demolitæ, per ſuos conſanguineos & affines.

Rudolfus Rex obſedit Paterniacum, & ædificavit circa munitiones & domos, intendens eos cogere per alimentorum penuriam tradere civitatem.

Paterniacum Sabaudiæ Comitis opp. obſeſſum.

Circa Moguntiam nutrix pueri cujusdam militis, vendidit eum Judæis, ut interficerent eum: propter quod nutrix & Judæi plures à Chriſtianis fuerunt turpiter interfecti.

Rudolfus Rex circa nativitatem Domini inter ipſum & Comitem Sabaudiæ compoſitionem fecit.

Pax inter Cæſarem & Sabaudum.

Obijt figulus in Sletſtatt, qui primus in Alſatia vitro vaſa fictilia veſtiebat.

Obijt frater Conradus Wernherus de Hattſtatt, frater ordinis Teutonici.

M.CC.LXXXIV.

Rex Rudolphus uxorem Gallicam duxit, in Romatico monte, feſto S. Agathæ, & neceſſaria miniſtravit ſupervenientibus abundanter.

Cæſaris ſecundæ nuptiæ.

Regina Regis Rudolphi venit in Columbariam in Carniſprivio, ſc. Cathedra Petri, recepta à religioſis fuit, à clericis & militibus & civibus communiter glorioſè. Cives dederunt ei expenſas pluribus diebus, & inſuper pro clenodiis centum libras.

Regina Colmariæ.

Henricus Epiſcopus Baſilienſis celebravit ordines in Columbaria, tertio Non. Mart. quatuor temporum & plurimos conſecravit.

Comes Ebirhardus, frater Epiſcopi Conſtan. & frater Comitis Gotfridi de Lauffenberch virtuoſus, obijt ante tempus.

Eberhardus Comes de Habſpurg.

Rudolfus Rex Alſatiam & Mulnhuſenſes reconciliavit, & exercitum congregavit ut Colonienſem Epiſcopum impugnaret.

Fratres Minores Capitulum generale in Argentina celebrârunt. Chorum ſuum recenter conſummatum conſecraverunt, quatuor Epiſcopos ibidem habuerunt, & illic homines plurimi convenerunt.

Henricus Epiſcopus Baſil. ordinis fratrum Minorum celebravit ordines in Columbaria, in Eccleſia fratrum Minorum, X. Kalend. Junij, & habuit in Comitatu ſuo Æthiopem indutum veſtibus albis, & nanum ſcilicet Ritter Conrad, cujus longitudo ad tres pedes minime poterat pervenire.

Nanus tripedalis.

Comes de Friburgo reconciliatus eſt cum civibus Friburgenſibus, tali conditione, quòd præter reditus quos habebat de civitate, ſingulis annis centum marcas argenti ſibi ſuisque ſucceſſoribus darent. Inſuper deberent eum antiquorum ſuorum jura liberè poſſidere.

Tranſactio inter Comitem Friburg. & oppidanos.

Fulgur in Eccleſia Sletſtatt in Eccleſia ſanctæ Fidei, tres homines interfecit.

Milites Alſatiæ, in feſto S. Jacobi ad Regem Teutoniæ in Moguntiam deſcenderunt, ut pro rebus Imperij fortiter pugnarent.

Circa Pragam Bohemiæ metropolim multi homines fame mortui.

Fames.

In Alſatia quartale frumenti pro libra, & quartale vini pro duobus ſolidis dabatur.

Chorus in Rapolswir inchoatus fuit.

Minores emerunt clauſtrum Alſpach ſororibus ſuis pro M.CC. marcis.

Mel in Alſatiæ finibus pluebat, unde multi olera ſeu fructus comedere recuſabant.

Peſtilentia in locis pluribus ſequebatur.

Comes montis Beligardi obijt, & Epiſcopatui Baſilienſi trecentarum marcarum redditus dereliquit.

Friſiorum clades.

Filius Domini Wilhelmi Regis Romanorum vindicavit ſe de Friſonibus, & interfecit ex eis mille quadringentos viros, & accepit corpus Patris ſui de eorum manibus violenter.

N. de Hohenſtein præſes Alſatiæ.

Dominus de Hohenſtein advocatus Alſatiæ, ſororibus de S. Joanne octo vini vaſa violenter abſtulit.

Dominus Conradus Wernherus exuſſit Dominis de Gyrſperc caſtrum, quod noviter conſtruxerant in monte.

Rex Arragonum & cives Meſſanæ Carolum fratrem Regis Franciæ de ſuis finibus turpiter expulerunt.

Rheni pontium ſtructura.

Ordo Prædicatorum in Seleciſtat chorum ſuum anno præcedenti conſummavit. Iidem fratres ſequenti anno ſedes in choro poſuerunt, & intraverunt.

Obijt mulier, quæ recordabatur, nullum Pontem Rheni poſt Conſtantiam transiviſſe.

XVII. Kal. Decemb. Venus & Mercurius ſimul fuerunt.

Cives Friburgenſes Comiti, Domino ſuo, pro modica emenda viginti millia marcarum tradiderunt.

Item Comes de Rapreſvvir obijt.

Wernherus Archiepiſcopus Moguntinus obijt, qui mille quingentas marcas ſuis poſteris dereliquit.

Meſſis inchoata fuit, feſto ſanctorum Petri & Pauli. Eodem die Curiam habuit Rex Rudolfus in Baſilea cum gloria Dominorum.

Vrbes ad Rhenum Cæſari denuo jurant.

Rex Rudolfus, circa Jacobi feſtum, cives Rheni civitatum, Wormatiam convocavit, juramenta primò facta, ſecundariò per juramenti vinculum confirmavit.

Rex Arragonum Petrus, Principem filium Regis Caroli cepit, & ex eis multitudinem hominum interfecit.

Papa Cardinalem legatum in Franciam miſit, qui clericorum ac religioſorum decimam Regi Carolo faceret præſentari.

Comes Reinhardus de Mümpelgart/tres de civibus ſuis cepit, qui ſe de captivitate cum XL. librarum millibus redemerunt.

Rex Rud. civitatem Herbipolenſem obſidere voluiſſet. Cives autem ei ſex marcarum argenti millia tradiderunt, quæ eum ab eis fugere coëgerunt.

Caſtra VValdeck in Suevia demolita.

Rex Rudolfus circa feſtum S. Martini, quinque caſtra ſc. Waldeche, prædonum Sueviæ, cum magna potentia dicitur obſediſſe, ea ſubitò cepiſſe, & per violentiam deſtruxiſſe.

Hohenſteinius Alſatiæ præſes. Eckirch.

Dominus de Hohenſtein advocatus Alſatiæ, caſtrum Echirc potenter obſedit, ſpacio brevi temporis expugnavit, & in poteſtatem ſibi propriam deportavit. Ideò verò dicitur expugnaſſe, quia ſuum cognatum, Johannem de Echirc, qui conſanguineos ſuos honore ac divitiis præcellebat, fraudulenter occiderunt.

Ochſenſtein caſtrum.

Poſthæc idem advocatus Alſatiæ, cum Epiſcopi Argentinenſis adjutorio Ochſenſtein caſtrum potenter expugnabat, & funditus evertebat.

Bonum vinum crevit in bona quantitate, ſed non videbatur durabile.

Ante feſtum Clementis fuit aura pulchra, dulcis & amœna, & quaſi ſine pluvia per quatuordecim ſeptimanas.

Prima Morbacenſium ſedes.

Feſto S. Catharinæ cecidit tectum Capellæ, quæ ſita eſt ſupra vineta, prope Morbacum, ubi & primitùs ſe receperant monachi Morbacenſes, & ad quem locum omnia eorum ſunt privilegia & dignitates impetrata.

Cives Columbarienſes Regi Rudolfo uno anno librarum XXX. millia tranſmiſerunt XVII. Cal..... oppoſuerunt ſe Columbarienſes Regi Rudolfo, quia triceſimam rerum ſuarum ſibi dare noluerunt.

M.CC.LXXXV.

Gebvviler oppidum ſuperioris Alſatiæ.

Kalendis Aprilis, Abbas Morbacenſis civitatem ſuam Gebwilre latenter cepit, & res eorum corpora in totum confiſcavit.

Civitas Friburgenſis in Orlandin & Bernenſis obedire Regi Rudolfo minimè voluerunt.

Civitas

Civitas Bernensis fuit ab igne penè totaliter devorata.
Papa Martinus obijt.

Instituit anguillis, mortem gustavit in illis,
Assas & Coctas martyrisavit eas.

Nonis Maij, cives Columbarienses Regi Rudolfo se primitùs opposuerunt, & per ignem Theinheim villam & quasdam alias destruxerunt.

Colmarienses Caesari se opponunt.

Circa festum Pentecostes, cives de Haginogia, advocatum terrae, filium sororis Regis Rudolfi, de castro quod est in civitate turpiter expulerunt, & postea Regi servire minimè voluerunt.

Rudolfus Rex obsedit Columbarienses, decimo octavo Kal. Julij, quinque diebus.

Colmaria obsessa, & ad officium redacta.

Cives Columbarienses, posuerunt super se CC. marcas, duoque millia marcarum & milites, qui se Columbariensibus non opposuerunt, vel in obsidione eorundem non fideliter adjuverunt, cum civibus exactionibus gravabantur.

Episcopus Argentinensis terram Ducis Lotharingiae pluries intravit, & eum enormiter spoliavit.

Domini de Wasselnheim ceperunt hospitem praedicatorum de Eginsheim, & eum ad terram Franciae transtulerunt.

Nocte Nicolai fugerunt captivi, quos Domini de Wasselnheim ceperant fraudulenter.

De potestate Rodolfi Regis fugit Judaeus captivus, qui ei mille quingentas tradere promittebat marcas.

Abbas Morbacensis dictus de Steinebrunne/ obijt circa festum Luciae, qui destructor Religionis & Dissipator enormis rerum sui Monasterij dicebatur.

Berchtoldus Abbas Morbacensis natus è dynastis à Steinenbrun.

Cives de Zovingen Rudolfum Regem pro Domino suo acceperunt.

Zofingen Ergoiae oppidum.

Petrus Rex Arragonum mortuus.

Richardus de Lobigasse quosdam milites de Basilea voluit occidere fraudulenter.

Regem Rudolfum filij ejus impetebant pro multis millibus marcarum.

Ipse autem de consilio nobilium obligavit eis quasdam Imperij civitates.

Moniales Cistertiensis ordinis de claustro Hirsin recesserunt.

M.CC.LXXXVI.

Die Paschae quidam civium Columbariensium servos Sculteti vulneraverunt, & eos in claustrum Minorum per violentiam coegerunt. Propter hoc fuerunt illi cives ejecti de civitate, & eorum domus destructae, & eorum res à judicibus confiscatae.

Sorores de S. Joanne, sub-tilia, ordinis Praedicatorum, contra libertatem Religiosorum LX. marcas dare à civibus cogebantur.

Philippi & Jacobi cives Argent. in aquis & navibus ludos exercuerunt, ad spectaculum verò venientes supra pontem se receperunt, & eo cadente plures miserabiliter perierunt.

Cadit Argentinae pons Rheni.

Rex Rudolfus obsedit oppidum Luterburg/ Episcopi Spirensis, aliquot septimanis: qui resistere Regi non valentes, se Regis gratiae tradiderunt.

Luterburg oppidum.

Episcopus Treverensis obijt.

Capella in Hugeshouen/ reaedificatur à venerabili Abbate, Conrado de Dicfere/ quae anno M. C. LXXXVI. fuerat inchoata. Ipsum autem Monasterium fuit inchoatum à Wernhero Comite de Ortlberch/ dicto de Hurnin in/ cujus longitudo octo pedum depicta communium, in eodem monasterio reperitur.

Coenobium Hugeshofen in valle Wileriana.

Rex Rudolfus misit Henricum Episcopum Basil. ordinis fratrum Minorum, ad Papam, ad diversa negotia terminanda. Papa verò Episcopum Basil. Archiepiscopum Maguntinum, praepositum verò Maguntinum sc. Divitem, Episcopum Basil faciebat.

Petrus Rich, Episcopus Basiliensis.

Domini de Liechtenberg curiam prope Liechtenberg celebrabant, ad quam per se & per alios plurimos invitabant.

Eodem tempore Legatus à latere Domini Papae missus, cum plenaria potestate Basileam venit, & Dominum Basiliensem in Episcopum electum consecravit.

Turegum exusta est pro tertia parte, propter eorum superbiam; ut per obsessum Diabolus recitavit.

Tigurum conflagrat.

Henricus Episcopus Basiliensis, factus Archiepiscopus Moguntinus, receptus est contra spem à suis subditis gloriosè.

Rudolfus

Comes VVirtenbergicus R. Regi supplex. Rudolfus Rex duo castra fortia Domini de Wirtenberck noscitur obsedisse, & ea in brevi tempore intelleximus expugnasse. Ipse etiam Dominus de Wirtenberck cognatus Regis obsessus, de castro descendit, & ad pedes advolutus, se & sua tradidit in Regiam potestatem.

Post festum S. Margaretæ nova de Friderico Imp. peregrini in Alsatiam retulerunt.

Stutgardia. Rex Rudolfus obsedit plus quàm XX. septimanis castellum, quod dicitur Stutgart / quod situm est prope Eßlingen. Et tædio affectus Rex, composuit cum Domino de Wirtenberck / & ad legatum in Spiram venire disposuit festinanter.

Sorores Pœnitentes. In die Animarum, venit Legatus Columbariam.

Commissæ sunt sorores, quæ dicuntur Pœnitentes, fratribus Prædicatoribus ad regendum.

Legatus Teutoniæ in Metim se transferebat, quia furorem Teutonicorum non immeritò metuebat.

Glacies quæ fluxit in Rheno, CXV. naves submersit, & villas aliquas devastavit.

M.CC.LXXXVII.

Legatus, à latere Domini Papæ missus, Concilium XVII. Calendas Aprilis celebrare voluisset: sed per appellationem Episcopi Coloniensis, & Episcopi Tullensis, Probi nomine, ordinis Minorum, fuit totaliter interruptum.

S. Hippolytus Alsatiæ. XVI. Calend. Aprilis, Dominus de Rapolsstein / villam S. Hippolyti cum exercitu introivit, eamque & Ecclesiam ignibus devastavit. Clericus de Ecclesia saltavit, & confractus perijt in instanti.

Honorius Papa obijt.

Dominus de Rapolsstein cum exercitu terram Gallicorum intravit, & CXX. villas exussit, eorum res totaliter deprædatus.

Sexto Idus Maij, Dominus de Baldecke uxorem duxit: & cives Columbarienses res Domini de Rapolsstein communiter invaserunt.

Rapolsteinius & Horburgensis inter se dimicant. Dominus de Rapolsstein Dominum de Horburch viriliter impugnavit, atque ad Celliſberch pervenit, ut captivos sua potentia liberaret. Dominus autem de Horburch cum balistariis de Celliſberch descendit, eique octo equos interfecit, & plus quam viginti unum equites vulneravit.

Portæ fratrum Prædicatorum in Argentina à civibus claudebantur: volebant eos cogere, ut suam per omnia facerent voluntatem.

Rudolfus Rex Rapolsstein tribus diebus obsedit, sed ab obsidione recessit: quòd eum sui morti tradere voluissent.

Episcopus Probus nomine, ordinis Minorum, fuit excommunicatus in Argentina, in dedicatione Ecclesiæ majoris, à Gordiano ordinis fratrum Minorum.

Pugna prope Pourrentrutum. Prope Brunnentrut fuerunt de hominibus Basiliensis Episcopi quidam interfecti, & plus quàm duodecim milites captivati.

Gemar. Rudolfus Rex, cum civitatibus vicinis, castrum ligneum in Gemar, ad obsidendum castrum Rapolsstein / noscitur construxisse.

Dominus de Rapolsstein homines Domini Horburch & multos de Sigolsheim cepit & sine pugna ad propria perducebat, & duo marcarum solvere potuerunt.

Episcopus Metensis contra Barensem Comitem. Episcopus Metensis omnes penè Rheni Episcopos, & omnes Dominos quos poterat pretio conducebat, & congregavit exercitum magnum, sc. quatuor millium militum & centum equos phaleratos. Omni die quinquaginta vasa vini, & septingentas libras Metensis monetæ stipendiariis ministravit, & coegit Comitem Barensem ejus misericordiam suppliciter invocare.

Consules Argentinenses cives suos equos habere bis mille præcepere.

Obijt Cuonradus de Wirtzburch / in Teutonico multorum bonorum dictaminum compilator.

Ecclipsis Lunæ fuit, undecimo Kalendas Novembris media nocte, & Iris insequenti, seu in crepusculo videbatur.

Abbatissa Seconensis, quæ & procuratrix claustri vallis Masonis, in dominam claustri montis Romatici sublimatur.

Episcopus Basiliensis. Episcopus Basiliensis terram Comitis montis Belgardi potenter intravit, pluresque

que villas devaſtavit. Comes verò de militibus Epiſcopi plus quinquaginta de nobilioribus ac ditioribus captivavit.

M.CC.LXXXVIII.

Expulit Abbas Morbacenſis omnes nobiles de caſtello Gebwilre / pro eo quòd ſe mutuò vulneraverant fraudulenter.

Regis Rudolphi filius, Lantgravius Alſatiæ, cum centum equis in curia ſororum de Columbaria ſub-tilia, requievit.

Undecimo Kal. Febr. multæ aves prope montem Bilgardis convenerunt, contra ſe pugnaverunt, & plus quàm trecentæ (ut dicebatur à pluribus) perierunt. Similiter & porci domeſtici circa eundem locum plurimi convenerunt, & ſe mutuis morſibus occiderunt.

Judæi dederunt Regi Rudolpho XX. millia marcarum, ut illis de Weſſila & de Popardia judicaret.

Circa Purificationis venit ventus, qui magnam ſylvam ſub Hohinnac radicitus devaſtavit.

Idem ventus Flandriam Oceano inundavit, ad tria magna milliaria, & plus quàm L. millia hominum interfecit.

Rex Rudolfus congregavit exercitum, ut obſeſſum caſtrum Maguntinenſi Domino Archiepiſcopo liberaret.

Obijt frater Henricus, ordinis Minorum, Archiepiſcopus Maguntinus, XIV. Kal. Aprilis. *Henrici Gürtelknopf Moguntini obitus.*

Kalend. Aprilis, Rex Rudolfus Epiſcopus Argentinenſis, & cives Argent. & Domini terræ, in Columbaria pacis fœdera juraverunt. Inter cives Argent. & fratres Prædicatores componere voluiſſent. *Regis & Alſatarum conventus Colmariæ.*

Regem Rudolfum legatus Franciæ viſitavit.

Circa Kalend. Martij tantum frigus fuit, ut infra Baſileam clauſerit glacies aquas Rheni, & vinum congelabatur in Eccleſiis, in calicibus & ampullis.

Dominus Ieronymus Cardinalis & proviſor ordinis Minorum, in Papam circa principium medium quadrageſimæ conſecratur. *Nicolaus 4. Papa.*

Uxorem Dominus de Baldecke duxit, curiam magnam in Baſilea celebravit, in qua plusquàm DCC. marcas creditur expendiſſe. *Nuptiæ D. de Baldeck.*

XVII. Kalend. Maij, nocte perierunt vites.

Judæa juvencula de antiquo Judæo in Rubiaca quatuor pueros noſcitur peperiſſe.

Dedicata fuit in Wiſſenburck area fratrum Prædicatorum. *Prædicatores in VVeiſſenburg.*

Circa Nonas Junij, obſedit Rex Rudolfus Bernenſem Burgundiæ civitatem. *Berna obſeſſa.*

Octava Epiphaniæ venit mercator Baſileam, ducens ſecum vinum Græcum ſeu Cypri, deditque bicarium illius vini pro quinque ſolidis, quartale pro libra, quod uſque ad illud tempus fuerat inauditum.

Captus eſt Dominus Archiepiſcopus Colonienſis.

Rex Rudolfus obſedit montem Beligardi, circa Kalendas Julij. *Monsbeligardi.*

VI. Idus Julij, cecidit grando magna, & fecit damnum in diverſis locis. Et fulgur exuſſit tectum caſtri, quod dicitur der Stein in Rapolſtein / & tecta in Türincheim devaſtavit.

Mulier puerum cum quatuor dentibus pariebat.

Rudolfus Rex Romanorum terram Gallicorum circa Brunnendrut plusquàm tribus ſeptimanis cum XX. millibus hominum devaſtavit. *Burgundi bello à Cæſare petiti.*

Rex Rudolfus ſecundariò Bernenſes dicitur obſediſſe. *Berna iterū obſeſſa.*

Incluſæ de Katzintal / in Amirſchwilre ſe circa feſtum Omnium Sanctorum tranſtulerunt, & moniales ſe poſtea vocaverunt. *Cœnobium in Amerſchvveir.*

Dominus Hermannus de Rapolſtein / obſedit Hohinnac caſtrum, & per promiſſiones obtinuit fraudulenter. Idem obſedit caſtrum in Winrewilre / & cum exiſtentes in eo retinere non poſſent, ſub conditionibus tradiderunt. *Hohenac caſtrum. Hercken.*

M.CC.LXXXIX.

Alſa circa Herlinkeln & alias villas vicinas, circa Epiphaniam Domini inundabat.

Epiſcopus

Conventus Egrensis.

Episcopus Curiensis à Regis Rudolfi filio captivatur.

Rex Rudolfus circa Quadragesimam in Egra civitate, prope Bohemiam curiam celebravit.

Sifridus miles, quondam Scultetus Columb. VI. Cal. Aprilis interficitur, à Susingo.

Cives Bernenses obsessi, Regi Rudolfo se sub conditione amicabili noluerunt tradere.

Rudolfus Colmariæ.

Quarto Kalend. Maij venit Rudolfus Rex Romanorum in Columbariam & duxit secum Camelum animal magnum, trium annorum, altitudinis inconsuetæ.

Eodem die venit frater Mumio, Magister Ordinis Prædicatorum, in Columbariam, festinans ire in Trevirim ad Capitulum generale. Rex verò Rudolfus ob reverentiam Magistri comedit in domo fratrum Prædicatorum, festo S. Petri martyris & prædicatoris, & fecit eis & dominabus quibusdam & dominis multis convivium magnum & bonum, & fratribus prædicatoribus inconsuetum.

Gersbergenses proscripti

Ludovicus de Honberg Comes, occisus.

Eadem die proscripsit Dominos de Gyrsperch/eò quòd occiderunt, Sifridum militem de Gundolsheim fraudulenter.

Eodem septimana occisus est, Comes de Honberch / cognatus Regis à civibus Bernensibus violenter.

Gyrsperch castrum à Calmariensibus obsidetur.

Civitas Rotvvilensis exuritur.

Cives Bernenses cum Rege Rudolfo composuerunt, & se in suam potestatem voluntariè tradiderunt.

Grando magna circa Basileam fuit, quæ frumentum, fructus & vineas devastavit.

Dominus de Baldecke, de procuratione à Rege sibi commissa, à Regis filio removetur.

In Treverim DCC. fratres venisse ad Capitulum referuntur, fratrum servi trecenti.

Castrum Ermatsbuche/D. Comitis Phitretarum, primo Kal. Maij à Dominis .... arripitur fraudulenter.

Rex Angliæ fratribus Prædicatoribus, qui venerunt in Treverim ad Capitulum generale tribus diebus abundanter necessaria ministravit.

Dockenburg.

Filius Regis Rudolfi castrum Dochinberck Abbatis S. Galli, creditur expugnasse.

In Lombardia fratres Minores habuerunt Capitulum, & venit illuc Papa Nicolaus frater ordinis ipsorum, cum fratribus DCCC.

Papa Nicolaus expellitur de Roma, quia filium Caroli in Regem, eis contradicentibus consecravit, & cum illo pars Papæ: ubi ex utraque parte plus quàm D. numero perierunt.

Episcopus Coloniensis à captivitate liberatur.

Rex Rudolfus. pro triginta libris argenti caveam in Basilea avi Psittaco comparavit.

** fortè Lotringen.*

Episcopus Metensis cepit Comites Ducis de * Lüningen.

Terræmotus factus uno die quinquies.

Cœnobium in Ammerschvveir.

Inclusæ in Katzental se in Amerschwiler transtulerunt, & ibidem claustrum construxerunt, & eodem anno in Capitulo Treverensi fratribus Prædicatoribus in Columbaria committuntur. In festo Catharinæ primam missam in area propria decantaverunt.

Nebelring factio nobilium.

Milites Alsatiæ, qui parem vestem tribus annis penè tulerant, & se Nebelringin nominaverant, ad Regis præsentiam citantur.

Inclusæ in Sun[illegible] aream in Gebwiler centum marcis comparârunt.

Sorores sub-Tilia tertiam domum claustri sui perfecerunt magnis expensis.

Hyems mirè calida.

Hyems calida. Herbæ, flores, arbores flores & folia ante nativitatem Domini produxerunt. Venatores tum fraga in Alsatia invenerunt. Picæ cum gallinis ante trium Regum protulerunt: vites floruerunt ante Hilarij: arbores folia antiqua retinuerunt, donec recentia prodierunt. Pueri in Egißheim in profluente balneabant.

M.CC.XC.

Girspergenses proscripti Cæsari se dedunt.

Rudolfus Rex dederat in purificatione suffodientibus castrum Girsperck mille nongentas libras, præter victum. Crastino Agathæ, Domini de Girsperck se & castrum Domino Advocato terræ, sine gratia commiserunt: sed semi eorum sub gratia recipiuntur.

Henricus

Henricus Dux Bavariæ, amicus fratrum prædicatorum, obijt.

Rudolfus Rex in Thuringia fuit, & in ea magnam dignitatem pretio comparavit.

Fratres Minores in Columbaria Capitulum celebraverunt, & Domini terræ eis plura ſervitia miniſtrabant.

Dux Alſatiæ Rudolfus, filius Regis Rudolfi, obijt, & in Praga Bohemorum ſepelitur. *Rudolfus Cæſaris F. moritur.*

Lector fratrum Minorum de Baſilea, fecit capi in Columbaria in Capitulo ſuo, duas Beginas & duos Beghardos, & in Baſilea plures, quos hæreticos reputabat.

Epiſcopus Curienſis obijt.

Comes Egino Friburgenſis, dederat filio ſuo, filiam Ducis Lotharingiæ in uxorem.

Conradus de Liechtenberg Epiſcopus Argentinenſis, harum nuptiarum cauſa magnam Curiam in Argentina celebravit.

Hyems calida & pluvioſa, æſtas frigida & pluvioſa.

In Burgundia prope Loſannam cecidit grando magna, cujus lapides duorum vel trium panum magnitudinem ſuperabant. Læſit novem Eccleſias parochiales, & LX. millia hominum computabantur perijſſe. *Grando portentoſa.*

Canonici de Hanoë ſe in Rhinaugiam tranſtulerunt.

Dominus de Velens congregavit exercitum, venit in Alſatiam, volens in Autumno Domino de Rapolſtein vineas ſuas extirpare. Dominus de Rapolſtein congregato exercitu, Dominum de Veldens prohibuit.

Incluſæ in Sunnheim quarto Kal. Novembris Gebwiler in clauſtrum, quod ibidem ſibi conſtruxerunt, ſe tranſtulerunt.

Rex Rudolphus in Saxonia multa laudabiliter peregit.

Rhenus quater ante nativitatem Domini inundavit.

Soldanus Babyloniæ Hieruſalem & Accon, & omnia Chriſtianorum penè totaliter expugnavit. *Hieroſolyma capta.*

Papa Nicolaus miſit in adjutorium terræ ſanctæ LX. millia peditum proprijs expenſis.

Domini de S. Joanne dederunt in Brunduſio omni volenti maria tranſire, ignem & panem & naulum & expenſas, quas pro perſona ſua annus integer requirebat.

Papa Nicolaus Regi Anglorum ſupplicavit atque mandavit, quatenus crucem ad tranſmarinas partes ſuſciperet: & ut hoc facere poſſet decimam omnium Eccleſiarum regni ſui, fecit ſibi per triennium fideliter miniſtrari. Hæc eadem faciebat Regi Francorum.

In Seleſtadio conſtruitur Eccleſia leproſorum.

M.D.XCI.

XVIII. Calend. Februarij audita ſunt tonitrua: noctu grando magna cecidit, & fulgura multa ſæpe micuerunt.

Dominus de Rapolſtein congregato exercitu, Dominum de Bergken in munitione parvula capere voluit. Exiſtentes autem in munitione Semersheim / ſe viriliter defenderunt, tres occciderunt, & multos vulneraverunt, eumque fugere coegerunt.

Ecclipſis Lunæ, XV. Kal. Martij, ante fratrum prædicatorum apparuit matutinas.

Inventa fuit in Habſtat manus integra, in modum jurantis, alio corpore putrefacto. Et cùm eam ſecundariò ſepelire voluiſſent, guttæ ſanguinis emanabant, & propter hoc eam ſecundariò ſepelire noluerunt. *Manus perjuri.*

Rex Angliæ omnes Judæos regno expulit. Cædes Aureliani. *Iudæi Anglia pulſi.*

Archiepiſcopus Colonienſis excommunicavit omnes cives & clericos ac religioſos, eò quòd cœperant eum in conflictu.

Thuricenſes M. D. Conſtantienſes M. CC. Columbarienſes D. marcas, Regi Rudolfo dederunt. Columbarienſes præter hæc mille octingentas libras expenderant pro cibariis & ſervitiis Dominorum.

Abbas Morbacenſis cum monachis ſuis, vendidit Regi Rudolfo Luceriam, pro duobus millibus marcis. *Lucerna à Rudolfo empta.*

Gregorij, venit Rex Rudolfus Columbariam.

Dominus de Girsperc gravibus conditionibus à captivitate liberatur: castrum totaliter devastatur.

Bonifacius suffraganeus Basil.

Bonifacius Episcopus Bosoniensis, ordinis heremidarum, prædicatoribus Colmariensibus, Dominica ante Lætare, festo annuntiationis, consecravit altare beatæ Virginis, versus latus superiùs: Altare in angulo Ecclesiæ beati Petri prædicatoris martyris: altare sancti Augustini.

Maritus filiæ Rudolfi Regis, mandavit Regi Rudolfo, ut quàm statim veniret ad eum Lausannam, & ut indicet Dominis Curiam Burgundiæ in Franckfurt: quod factum est.

Deinde vocatur Rex ex Franckfurt ad Lausannam, ut perficiat negotia Domini Papæ.

Dum Rex Rudolfus esset profecturus ad Principem, maritum filiæ suæ, Comes Sabaudiæ insidias fecit Regi, quem interimere volebat.

Rex Rudolfus Curiam celebravit, non ad suam per omnia voluntatem.

Dominus de Hunnawilr à Columbariensibus interfectus, & de civitate plures milites expelluntur.

Moneta Rapoltsteinica.

Dominus de Rapolstein incepit novam monetam facere, quæ penè cum denariis Friburgensibus concordabat.

Richenvvier oppidum.

Dominus de Horburc villam Richenwiller muro circumdedit & munivit.

Columbariam obsedit Episcopus Argentinensis, cum XXX. millibus pugnatorum, infra octavam nativitatis Mariæ. Columbariæ erant tria millia pugnatorum.

Ventus validus partem pontis Brisacensis, X. Calendas Octobris, destruxit.

Obijt Marggravius de Missen, juvenis virtuosus.

Crevit vinum nobile.

Gemar.

Hermannus Dominus de Rapoltstein in Gemar castrum ligneum inchoabat struere.

Episcopus Constantiensis opposuit se filio Regis Rudolfi, pro rebus quas abstulerat filio Comitis de Laufenberc violenter.

Domini de ordine Teutonicorum in Bückhein / parant se ad prælia, ut res suas à Dominis terræ defendant.

Consules Columbarienses dederunt civibus suis ligna pro domib. construendis.

Rudolfi Cæsaris mors.

Rudolfus Rex moritur.

M.CC XCII.

Cives Columbarienses præposito Argentinensi, fratri Episcopi Argent. de Liechtenberg fidelitatem & servitia juraverunt, & fideliter promiserunt.

Episcopus Metensis obijt.

Scultetus Argentinensis & Zorno cum suis congregati armis invadere voluerunt familiam Ragineck & Herbonum, propter verba quædam injuriosa.

Hyems temperata usque ad Purificationem: postea invaluit frigus, ut Rhenus Brisaci ex utraque parte pontis esset congelatus, quòd equis & bigis posset transiri.

Domini ordinis Teutonicorum, XIII. Cal. Maij, Sabbato, exocularunt duos cives Friburgenses. Junior Comes cum civibus claustrum irruentes, totaliter devastârunt.

Adolfus Roman. Rex.

Prima Maij, Electores reliqui electionem in Maguntinum tum præsentem transferunt. Maguntinus Comitem Adolfum de Nassow / cognatum suum, eligit: consentiunt reliqui. Hic statura fuit mediocri, agilis, amabilis, sciens Gallicum, Latinum & Germanicum.

Francofordenses expensas à Rege electo petunt. Maguntinus obligavit pro Rege castra ac villas, pro XX. millibus marcarum. Rex exactionem in Judæos tentavit, sed non potuit, resistente Sculteto Francfordiano.

Rex liberos matrimoniis elocat.

Equos phaleratos habuerunt, Maguntinus mille quingentos, Treverensis M. CCC.

Rex Aquisgrani coronatur.

Præsides Imperiales ex utraq; parte Rheni.

Consilio procuratorum regni, procuratores in officiis retinet. Ottoni de Ochsenstein / nepoti ex sorore Regis Rudolfi, Alsatiam, & quæ ab ea parte Rheni sunt, committit: Comiti à Katzenelnbogen / quæ ab alia parte Rheni.

Civitates fidelitatem præfectis Regis Adolfi promittunt.

Scultetus Columbariensis fidelitatem promittere recusavit; nisi advocatus Otto de

to de Dchſenſtein promittat Regis nomine, officium Sculteti ad vitam Regis; expulſos non reducere: civitatem potenter non intrare.

Advocatus hæc pollicetur, recepta fide, ne civitas Columbarienſis alteri quàm Regi Adolfo tradatur.

Rex * Arragonum moritur: devolvitur regnum ad Imperium. ** fortè, Arelatenſium.*

Adolfus Rex in Imperio omnes controverſias componit: Principes ad expeditionem hortatur. Epiſcopus Spirenſis milites & LXX. currus habuit, præter bigas. Colonienſis ducentos milites cum equis phaleratis. Maguntinus copioſam militum multitudinem. Hi cum cæteris iter dirigunt verſus Veſontium. *Adolfi in Gallos expeditio.*

Vigilia Aſcenſionis, Albertus Dux mille quingentis equitib. venit Columbariam.

Hermannus de Rapolſtein / ſecundo Nonas Junij, à civibus Argentinenſibus fuit captivatus, ad preces paupérculæ mulieris.

Dux Auſtriæ Albertus Turicenſes obſidebat. *Tigurum obſeſſum.*

Puer IX. annorum Colmariæ à Judæis interficitur.

Argentinæ vicus pelliparíorum per ignem totaliter devaſtatur.

Interfectus fuit in Rubiaco, frater Joannes ordinis Minorum.

Albertus, filius Regis Rudolfi, Dux Auſtriæ, Lantgravius Alſatiæ, Comes de Kiburg, obſedit Turegum potenter ſex diebus: poſtea diſceſſit, & obſedit caſtrum Nellenburg, quod expugnavit & fregit. *Nellenburg caſtrum.*

Epiſcopus Colonienſis reconciliatus civibus.

Fratres Minores Eccleſiam ſuam magnis & altis columnis exaltabant.

Fluentes aquas per plateas Argentinenſes, artifex invenit.

Reginæ Regis Romanorum præſentatus fuit puer nutritus inter lupos: venit illa Briſacum, vigilia omnium Sanctorum.

Dux Lotaringiæ caſtrum in Plummers ſuper balnea conſtruxit, ut defenderet balneantes à malis hominibus. *Caſtrum Plumbarienſe.*

Advocatus Alſatiæ nomine Reginæ ſingulis diebus expendit duodecim libras, Baſilienſis monetæ.

Dominus de Rapolſtein accepit à hominibus ſuis, quintam partem vini, quod creverat hoc anno: facit CCCCL. carratas.

In Hagenoia fuit torneamentum, in quo fuit miles à Scalario interfectus. *Luſus equeſtris Hagenoia.*

Adolfus Rex venit Columbariam ante nativitatem Domini, anno biſſextili B.C.

Abbas Periſienſis capitur à ſuo ſubdito ordinis converſo.

Caſtrum Ortenberg Domino Comiti de Liechtenberg Epiſcopo Argentinenſi tradebatur. Inventor ac Magiſter operis, quod in Argentina Bruſcam fluere per vicos faciebat, de eo cecidit & expiravit.

Minera auri apud Heidelberg invenitur.

Comes Henricus, frater Comitis de Friburc capitur, ac graviter vulneratur.

Prope Schafuſam atque Baſileam fuerunt inventi lapides pretioſi.

Obijt venerabilis Dominus Rudolfus de Habiſpurc, Epiſcopus Conſtantienſis, frater Comitis Gotfridi de Laufenberc, & in prandio vitam noſcitur finiviſſe. *R. de Habſpurg Epiſcopus Conſtant.*

Natus fuit hermaphroditus in valle Keiſersberch, id eſt qui membrum mulieris atque virilia continebat.

Domini de Girſperc caſtrum Froberc furtivè, expulſis habitantibus, obtinebant.

Eodem tempore, ſcilicet V. Idus Junij, ædificavit advocatus terræ, ſcilicet filius ſororis Regis Rudolfi, caſtrum in Härwille / ut caſtrum Ortenberg obſideret. *Caſtrum Schervviler*

Civis Linthart nomine de Columbaria, in vigilia ſancti Joannis Baptiſtæ, cum octo viris armata manu Incluſorium de Horburc dicitur deſtruxiſſe.

Caſtellum Watwire & Zullisheim in præcedenti anno fuere inchoata. *Watvviler Zullisheim.*

Caſtrum Ramſtein prope Sleciſtat fuit inchoatum, à præfecto terræ contra multorum hominum voluntatem. *Ramſtein prope Seleſtadium.*

Judæi Rubeacenſes ob metum Epiſcopi ſe in Columbariam tranſtulerunt, & Sanswiren in Gebwire turpiter capiuntur ab Abbate Morbacenſi.

In Rubiaca fuit interfectus .... miles dictus Zedelere, XV. Calend. Septembris, à Dominis de Lobigaſſe fraudulenter.

In Rheno prope Briſacum ſubmerſa fuit navis cum hominibus LXXX. Mercatores venientes de Friburgo verſus Briſacum, prope villam Alzinache, multa navis atque multarum genera mortua invenerunt.

Vigilia aſſumptionis beatæ Virginis, duæ naves in Rheno, una prope Argentinam, alia prope Briſacum, cum multis hominibus perierunt.

Rotvvila Item Rotwire exuritur, & multæ aves prope Briſacum frigore perierunt.

Calmaria Rapoltſteinio tradita. Scultetus Columbarienſis vocavit Dominum de Rapolzſtein nocte cum multis hominibus, & ei civitatem tradidit.

Dominus Anſelmus de Rapolzſtein fratrem ſuum Henricum ejecit de Rapolzſtein/ & eum omnibus ſuis bonis ſpoliavit.

Æſtas calita & ſicca, & vinum bonum ut dicebatur generaliter abundavit.

Colmaria obſeſſa. Rex Romanorum Adolfus, XVI. Octob. quarta ſcilicet feria, venit Rapolzwire cum hominibus multis, & obſedit magna gloria violenter, in vigilia ſancti Michaelis Columbariam.

Item Wilre caſtrum atque caſtellum non valentes ſe defendere, Regi ſe voluntariè tradiderunt.

In vigilia Simonis & Judæ caſtrum Werde faciliter expugnatur.

Pœna perjuri vita donati. De Rapolzſtein Rex Romanorum recedebat, & circumduxit Scultetum Columbarienſem in rota reſidentem, manum cum tribus digitis erectam habentem, ac perjurium demonſtrantem.

Dux Auſtriæ ſolennem Curiam fecit circa feſtum S. Martini in deſponſatione filiæ ſuæ, & talis non fuit noſtris temporibus celebrata.

In Lombardia apparuerunt in aëre duo monachi parvi, albus & niger, bonam horam ſe mutuò impugnabant, & poſtea in vallem & vaſtam ſolitudinem deſcenderunt, &c.

M.CC.XCIV.

Adolfus Rex Romanorum in Landowe / in nativitate Domini Curiam celebravit.

XVII. Kal. Februarij venit frigus tantæ fortitudinis, quòd multæ vineæ frigore perierunt: tiliæ & arbores aliæ fiſſæ fuerunt. Piſces in aquis, aves & homines in ſylvis pariter perierunt.

Abbas in Peris. Abbas Periſienſis, circa ſecundum Nonas Martij ab officio removetur.

Prædicatores in Gebvviler. Domus fratrum Prædicatorum fuit in Gebwilre recepta, & in Teutonia ſex aliæ fuerunt pariter inchoatæ.

Dux Brabantiæ obijt, & filius ejus miles efficitur, & cives Colonienſes eum ſicut Patrem ejus, pro Domino receperunt: ſed hoc Epiſcopus Colonienſis prout potuit impedivit.

Judæi Bernenſes puerum (ut dicitur) occiderunt.

Cariſtia magna fuit, & quartale frumenti pro octodecim ſolidis dabatur, & Sorores de Columbaria plusquàm trecenta quartalia, in una ſua grangia pauperibus erogaverunt, ante feſtum Mariæ Magdalenæ.

Venit circa Baſileam ventus validus, fulgura, tonitrua, pluviæ magnæ, quæ domus deſtruxerunt, & arbores magnas & fortes radicitus evulſerunt.

Circa Paſcha quidam de progenie Urſina in Eccleſia S. Petri, peregrinos undecim occiderunt.

Decanus Columbarienſis circa exaltationem ſanctæ Crucis à Sculteto Columbarienſi captivatur.

Baſilea ardet In Baſilea exuſtæ fuerunt domus penè ſexcentæ, circa exaltationem S. Crucis, & homines ferè quadraginta.

Apoſtata ordinis fratrum Prædicatorum ſorores ſub-tilia de Columbaria ſpoliavit.

Die S. Leodegarij abſtulit Ceſſo caſtrum Lobeke à ſuis Dominis fraudulenter.

Miſnia bello petita. Rex Adolfus circa adventum Domini terram Miſſinenſem potenter ingreſſus eſt. Civitas Miſſina ei ſe tradidit, caſtella duodecim expugnavit, totam terram cum magna potentia devaſtavit.

Papa

M.CC.XCV.

Papa Celestinus Papatum voluntariè resignavit.

Romanorum Rex Adolfus expugnata terra Dominorum Missinensium, iter suum versus Alsatiam dirigebat, seque præparabat ad eundum contra Regem Franciæ, ut eum de rebus propriis extirparet.

In Bara villa dæmon castrum Domini Wephimanni militis destruxit.

Rhenus qui longo tempore oppidum Brisacum ab Alsatia diviserat: isto anno pro parte ad latus montis se aliud transferebat.

Inundatio cujusdam aquæ ad oppidum Rinvelden/quod est situm super Rhenum, Claustrum Dominarum de Olsperg replevit, Molendinum earum destruxit, lapides & ligna in Rhenum cum magna violentia perducebat. *Olsperg monasterium.*

Item prope Basileam villa fuit Onolzwire nomine, quæ à Basilea tria miliaria distabat, ac in valle sita erat, quam aqua transire modica dicebatur. Pars montis in vallem cecidit, aquam obstruxit, quæ paulatim crevit, quòd supremam partem Ecclesiæ ab oculis hominum occultavit. *Onolzvveir prope Waldenburgum, sub jura monte.*

V. Kal. Augusti, Fulgur pilos procuratoris Minorum in Brisaco combussit, corpore illæso.

Dominus de Ochsenstein cognatus & procurator Ducis Austriæ, obsedit & expugnavit...... Et circa festum Mariæ Magdalenæ Zovingen cum magna hominum multitudine dicitur obsedisse. *Zofingen oppid. Ergoia.*

In Alsatiæ villa Turinchen minera plumbi vel argenti reperitur, in qua ante paucos annos Gypsum pauperes invenerunt. *Turckheim.*

Adolfus Rex Roman. circa Kalendas Augusti, cum exercitu magno terram Missinensium secundariò subintravit.

Tertio Nonas Aprilis, fuit in Brisgougia & Alsatia vehemens terræmotus. *Terræmotus.*

In Colmar uno hoc anno mortui pueri DCC. septuaginta septem.

Terræmotus in Valesia quatuordecim castra pro parte destruxit, & crucem pinnaculi turris Ecclesiæ majoris dejecit, & in diversis locis plurima devastavit.

In Curia montes scissi, petræ fissæ sunt, plures campanæ pulsaverunt, quinque castra penitus destruxit, plura verò fissa sunt, & domus multæ. Post hunc duos alij motus una septimana plurimi retulerunt.

Romæ mortalitas magna fuit, & uno die sepulturæ septem Episcopi tradebantur.

Mediocris staturæ persona regnum Teutoniæ circumibat, Imperatorem Fridericum se suis fidelibus referebat. Hic cùm in Eßlingen venisset, à civibus capitur, hæreticus esse probatur, convincitur & crematur. *Pseudo Fridericus combustus.*

Domini de Gyrsperg reconciliati Columbariam in octava Martini solenniter intraverunt.

Rex Adolfus in terram Missinensium stipendiarios transmittebat.

In Alsatiæ valle Albrechstal / in una domo, Mulier peperit una nocte duos pueros, duæ vaccæ, utraque duos vitulos, catus catulum, canis caniculum, scropha procellos plurimos pariebat.

Quinquaginta fratres ordinis Minorum senes atque lectores de Ordine pariter recesserunt dicentes, Fratres Minores de ordine S. Francisci simpliciter recessisse.

M.CC.XCVI.

Dominus de Rapoltzstein fuit à captivitate Regis Romanorum post purificationem beatæ Virginis liberatus.

Venerabilis Dominus Petrus Basiliensis Episcopus obijt, secundo Nonas Aprilis.

Item venerabilis Dominus Probus Episcopus Tullensis ordinis Minorum fratrum obijt.

Filius Marggravij Thuringiæ venit in Lombardiam, & quædam civitates eum Dominum acceperunt.

Castrum Girsperg adjutorio Episcopi Argentinensis reædificatur. *Geirsperg restauratur.*

Plures Tiliæ à fratre Bertoldo converso de Friburgo, sacrista, in Cœmiterio nostro plantatæ fideliter referuntur.

M.CC.XCVII.

Sacerdos publicè castratus.

Circa nativitatem Domini, fuerunt cuidam clerico in civitate Basiliensi virilia, propter quandam juvenculam, detruncata, & suspensa in medio civitatis.

Judæus in anno præcedenti pro furto in Sulzematin per pedes suspenditur, qui octo diebus supervixit, & se elevans super patibulum liberavit, sed præ læsione pedum fugere non poterat.

Supplicationes pestis causâ.

Cogente pestilentia atque mortalitate, Columbarienses Canonici processionem cum reliquijs indixerunt, in vigilia purificationis. Circa tertiam ad Ecclesiam homines religiosi ac clerici S. Martini convenerunt, ac Scholares & Canonici cum CXX. super pellicijs in principio processerunt: Fratres Minores eos sequebantur, cum quadraginta fratribus, deinde fratres Prædicatores hos cum triginta fratribus sequebantur; hos autem fratres Domini de Hospitali S. Joannis, cum decem personis venerandis sequebantur: sed monachi decem S. Benedicti fratres prædicatores præcedebant, & quandocunq; ad libitum sequebantur.

Ad Regem Romanorum Burgundi venientes suppliciter deprecantes, quatenus à Rege Franciæ defenderet, quia eos pro regno Arelatense sæpius infestaret. Rex verò promisit, se ante festum Mariæ Magdalenæ venturum, & eos pro viribus defensurum. Civitates verò magnæ Franciæ, ut Remis, Parisius, & aliæ quàm plures portis fortibus & muris altis muniverunt, quod usque hoc tempus confisi, de fortitudine facere contempserunt.

In capite jejunij, sc. tertio Kal. Martij, interfectus fuit Joannes miles virtuosus, dives, filius Sifridi Sculteti Columbariensis.

Inchoatum fuit Dormitorium fratrum Prædicatorum in Columbaria.

Diffidavit Episcopus Argentinensis cives Columbarienses, propter eorum Sculte-tum Dominum de Bercheim.

Mulier in Scleciſtat peperit puerum cum duobus capitibus, cum dolore.

Rex Bohemiæ filius Ottochari, Curiam ..... celebravit, qualem nunquam aliquis Regum, nec Assyrius, nec Salomon creditur celebrasse.

Episcopus Argentinensis obsedit Mersmunstere ante festum Margaretæ.

Translata sunt ossa .... militis de Rubiaca in Columbariam ad fratres Prædicatores.

In Columbaria multa nova vina bona reperiebantur, in nativitate S. Mariæ virginis gloriosæ.

Theobaldus Phitretensis præfectus Alsatiæ.

Rex Adolfus circa nativitatem beatæ virginis Mariæ, D. Theobaldum Comitem Phitretarum, Alsatiæ instituit advocatum.

Comes Phitretarum descendit ad Regem cum multitudine bellatorum.

Dominus de Liechtenberg fuit de Egenheim deprædatus.

Rex Angliæ misit præcedenti anno Regi Romanorum triginta millia marcarum, ut ei armatos viros ad rerum suarum mitteret defensores.

Vini vilitas.

Ama boni vini in Sleziſtat, pro octo denarijs vendebatur.

In decollatione Joannis Baptistæ, venit Rex Angliæ in Flandriam, cum quingentis magnis navibus, cum sex millibus militum, cum equis dextrarijs, & tulit secum multam pecuniam quinque annis exercitui copiosam. Septem enim militibus marcam quotidie quinque annis expendere potuisset.

Vas vini dabatur in Alsatia pro Deo, ut vas evacuaretur. Unum vas Rappes pro vase vacuo vendebatur. Pro conservatione vini in locis pluribus stubæ præparabantur.

Adolfi expeditio in Flandriam.

Rex Romanorum venit in adjutorium Regi Angliæ cum equis bis mille phaleratis.

Filius Conradi Wernheri de Hadiſtat, miles juvenis, rebus in adversis virtuosus, contra Regem Franciæ cum avunculo filio suo, Comitis Phitretarum, armatus proficiscitur, occiditur ab inimicis, traditus ab amicis.

Duo Reges inter divos relati.

Ludovicus Rex Franciæ canonisatur à Bonifacio Papa, & festum ejus celebrari debet in crastino Bartholomæi. Rex verò Bohemiæ canonisatus dicitur, in anno præcedente.

In Columbaria equus fuit, qui formam in se mulieris marisque comprehendit.

Dominus de Bercheim Scultetus Columbariensis quosdam de civibus expulit violenter.

Domi-

Domino præposito majoris Ecclesiæ Constantiensis fratri sc. Comitis Friburgensis, sexaginta marcas in reditibus, quas habuit in Columbaria, per violentiam auferebat. Comes ex hoc indignatus, plures ex hominibus Imperij cepit, & eorum res & corpora devastavit. Advocatus autem terræ Comes Phitretarum, injuriam sibi illatam vindicavit, acceptisque civibus Columbariensibus, alijsque hominibus, terram Comitis Friburgensis potenter ingreditur, & vallem Gloryri & alias villas pro viribus deleverunt.

Glotirthal infra Friburgum.

XV. Kal. Decemb. colligebantur rosæ in Columbaria, in horto fratrum Prædicatorum, & eodem die cecidit nix magna, & usque ad illum diem frigus modicum instabat.

In Moguntia mulier vidua mulierem viduam & ejus puerum interfecit, & in Rhenum eorum corpora deportavit: comprehenditur & crematur.

M.CC.XCVIII.

Idibus Februarij Columbarienses armati cum suis, ut res Argentinensis Episcopi devastarent. Comes Phitretarum advocatus Imperij veniens eis in adjutorium, cum multis millibus rusticorum. Vallem Sultzmatt & villam Sunthem / & alias villas Episcopi, per ignem, & tria Cœmiteria totaliter vastaverunt. Crucem quoque Sanctam cum propugnaculis expugnabant.

Episcopo Argentinensi arma illata.

Friburgenses in Ottlandin hominum decem millia congregaverunt, & ut Bernenses in rebus destruerent, processerunt. Sed cùm distarent à Berna ad unum miliare, Bernenses intellexerunt, & lætanter ac viriliter occurrerunt. Friburgenses videntes Bernenses, timuerunt, & terga vertentes fugerunt, & ea quæ secum attulerunt, reliquerunt. Bernenses multos Friburgensium ceperunt, & aliquos occiderunt.

Friburgensium Vehilandia fuga.

Dominus Hiltibrandus dapifer de Bappenheim / vir juvenis, fortis & dives, in exercitu Ducis Austriæ, in treugis occiditur fraudulenter, & quinto Kal. Maij in Columbaria apud fratres Prædicatores solenniter sepelitur.

Hiltebrandus dapifer à Bappenheim.

Dux Austriæ venit in Brisgaudiam prope Kensingen / ante festum S. Georgij cum Ungarorum Cumanorumque multitudine, volens ad electionem Regis Rom. pervenire, & ut eum deponerent, pro viribus laborare.

Intelligens hoc Adolfus Rex Romanorum cum multo meliore atque majore militia, cum multitudine copiosa hominum, ipsum velociter impedivit. Sed cùm Rex Adolfus ad exercitum Ducis, propter aquam venire non potuisset, castellum Kencingin, à Domino de Usenberc ad tempus pretio comparavit, ut ad exercitum Ducis posset quando vellet faciliter pervenire. Timens autem Dux impetum Regis, suis hæc peditibus referebat: Hac nocte me Rinaugiam præcedetis, ego autem ad vos cras veniam festinanter. Sequenti die, circa tertiam, castra propria succendit, & suos pedites sequebatur.

Castra duorum hostilium exercituum prope Kenzingam.

Comes de Hegirloch procurator Ducis occiditur.

Dominus de Hagsnech capitur fraudulenter.

Domina de Walckenstein / custos monasterij Sanctæ crucis, audiens Regem Adolfum cum armatis in Alsatiam venturum, se cum rebus suis in Columbariam transtulit, & reliquias aliquas cum casula serica ruta, carmine hexametro texta, in qua beatus Leo cœmiterium Sanctæ Crucis & Ecclesiam, consecravit, fratribus prædicatoribus sicut suis fidelibus commendavit.

Comes Phitretarum advocatus Alsatiæ claustrum Sanctæ Crucis destruxit.

Cœnobium S. Crucis.

Rex Adolfus claustrum S. Marci & Schwartzach ..... devastavit.

Episcopus verò Argentinensis claustrum Eschow. dicitur delevisse.

Cives Hagenoenses dicuntur penè omnes villas civium Argentinensium delevisse. Villam de Castineto, rivum de Schlezistat abstulerunt, ipsi autem potenter egressi Castinetum ignibus cremaverunt. Illi de Castineto de hoc doluerunt, Gallos adjutores suos vocaverunt, & potenter in Küngesheim perrexerunt, & illud per flammam totaliter deleverunt. Illi verò de Küngesheim se congregaverunt, & illis de Castineto reditum præcluserunt, cum eis pugnarunt, & ex utraque patre quinque gladio perierunt.

Rex Adolfus quarto Kal. Junij ab obsidione se Rubiacensium sepârarunt.

Rex Adolfus ab obsidione Rubeacensi in festo Barnabæ Apostoli recedebat, & se in Eginsheim transferebat.

Adolfus Alsatia decedit.

Post festum Viti & Modesti, i. XVI. Kal. Julij, Rex Adolfus ab obsidione castelli Ezins: [illegible] recedebat.

Mulier prope Columbariam virum interfecit propriis armis, secunda die Julij.

Adolfus occidit.

Festo sanctorum Processi & Martiniani Rex Adolfus interficitur.

Sanctam Crucem Episcopus expugnavit.

Castrum Gemer per ignem devastatur.

Ante assumptionem beatæ Virginis, venit in Argentinam Albertus Rex Romanorum, & recipitur ab Episcopo & Populo solenniter & lætanter.

Argentinense incendium.

In Vigilia assumptionis Mariæ exuruntur multæ domus in Argentina, & majus monasterium Mariæ virginis gloriosæ.

Mortalitas magna extitit, & comestio boum prohibebatur. Plebanus Brisacensis uno die homines XXXII. communicavit, decem inunxit, VII. flebiliter sepelivit.

Octingenti currus atque bigæ de Columbaria uno die egrediebantur, quando Rubiacum sub Adolfo Rege obsidionibus gravabatur.

Landeck castrum.

Castrum Landecke Comes Friburgensis atque cives pariter obsederunt.

Venerabilis Dominus de Lichtenberg Argent. Episcopus fecerat hoc anno, ante festum S. Michaelis milites, quos omnes vestivit ad minus triplici vestimento, scilicet tunica pretiosa Surgotum.... nobili vario Suchornam cum vario pretioso.

Pridie Nonas Decembris, Episcopus Argentinensis cum civitatibus Regis, cum exercitu terram Phitretarum Comitis intraverunt.

Conventus Imperij Norimbergæ.

Rex Romanorum in Nurenberg Curiam celebravit, circa festum sancti Martini, ad quam duo millia militum pervenerunt.

M.CC.XCIX.

Puer circiter XV. annorum, factus frater ordinis Prædicatorum, & in ordine annum & plus quam dimidium steterat in domo Columbariensi, in die sanctorum Innocentum, de consilio quorundam fratrum Minorum & auxilio eorundem ac Beginarum ipsorum, apostatavit, & se ad ordinem fratrum Minorum transferebat.

Io. Liechtenbergius advocatus Alsatiæ. *NB.*

Octava Epiphaniæ venit Columbariam Alsatiæ advocatissa cum pluribus dominabus, & Dominus Joannes de Liechtenberc, filius fratris venerabilis Episcopi Argentinensis, advocatus Regis Romanorum super terram Alsatiæ, filius sororis Rudolfi de Habspurc Romanorum Regis, de stirpe Ducum Zeringiæ, ferens in capite suo pileum ornatum auro, argento, lapidibus pretiosis, valentem plures marcas argenti: & cingulo circumdatus erat, qui ornatus erat auro, argento, lapidibus pretiosis, qui æstimatione hominum marcas valuit XL.

Abbates Murbacenses.

Obijt Abbas Morbacensis, Albertus de Walchinstein: successit Dominus Bertoldus de Hebistein.

Albertus Rex Romanorum in purificatione Curiam celebravit in Franckinfurt, sed in ea nihil consummavit, & propter hoc in tempus aliud protelavit.

Dominus Joannes de Liechtenberc, filius fratris Argentinensis Episcopi, advocatus terræ Alsatiæ, Dominam advocatissam Duci fecit de Alsatia, cum apparatu magno, in curru, quem procurator suus CX. libras retulit constitisse.

Dominus de Rinperch filium Regis Adolfi de captivitate firmissima liberavit.

Dominus Archiepiscopus Moguntinus in mensa sedens & lætus, velociter expiravit.

Episcopus Argentinensis exactionem super homines in Rubiaca posuit, & qui præcedenti anno libram dedit, isto anno marcam suo Domino præsentavit: & quot libras quilibet anno præcedenti dedit, tot marcas solvere cogebatur. Insuper Dominum Conradum Wernherum de Hadistat cogebat, Hadistat & alias res suas sibi voluntariè præsentare.

Hadstat.

Quarto Idus Aprilis, interdicta sunt divina Columbariensibus, quòd noluerunt Basiliensibus judicibus obedire.

Filius Regis Adolfi opposuit se Domino Archiepiscopo Maguntino, habens adjutores decem Principes, vicinos suos, terræ Dominos potiores.

Comes Phitretarum à Domino de Rotelnheim captivatur.

Rex Rom. Albertus abstulit civitatibus Imperij libertatem, quam habebant cives, residentes in villis, quòd Dominis suis minimè serviebant.

Festo

Festo sancti Joannis Baptistæ Columbarienses cum civitatibus Imperij cupientes Dominum de Horburc conculcare......

Dominus de Girsperg capitur.

Post festum sanctorum Processi & Martiniani, Columbarienses armati, cum Imperij civitatibus exiverunt, ut res Friburgensium & cives Friburgenses.

Bellum inter Comitem Friburgensem devastarent. *Bellum Friburgi.*

Interfectus fuit, qui Regi pecuniam deferebat.

M.CCC.

Albertus Rex Romanorum misit Dominum Petrum Episcopum Basiliensem Medicum, Romam, ut negotia quædam necessaria procuraret.

XVI. Kal. Februarij obijt Domina de Horburc, soror Comitis Friburgensis. *Domina de Horburg.*

Albertus Rex venit in Columbariam, septimo Kalendas Aprilis, receptus fuit solenniter cum religiosis & clero, & civibus universis. *Albertus Rex Colmariam venit.*

Tertio Nonas Julij, hoc est quinta die, apparuit in crepusculo in Columbaria pluribus viris ac mulieribus sub Luna majestas Dei, sedentis in cathedra, quasi in judicio, habens de ore suo ex utraque parte gladium evaginatum procedentem ac populum atrociter judicantem.

Dominus de Hagilneck castrum Hagineck / quod antecessores sui construxerunt, pro.... marcis vendidit, & dignitatem suam in extraneos transferebat. *Castrum Hageneck.*

Bonifacius Papa, ratione Jubilei omnibus venientibus Romam, tanta absolutionis beneficia contulit, quòd tantus factus fuit concursus Romam, ut sæpius una die sint egressi triginta millia hominum, pariterque ingressi, ut communiter pauperes retulerunt. *Iubilei promulgatio.*

M.CCC.I.

Circa Kalendas Junij, cœpit Albertus Rex Roman. infestare Archiepiscopum Maguntinum, Coloniensem, Trevirensem, adjutoresque eorum, & destruxit villas, castella ac castra eorum, sine condictione omnium suorum inimicorum. Civitatem Bingin obsedit potenter pluribus septimanis, & usque ad festum S. Michaelis non poterat expugnare. *Albertus electoribus spiritualibus infestus.*

Cives civitatis Bingin, sese Alberto Regi Rom. septimo & sexto Kal. Octobris, cum Cometa se inspicientibus exhiberet, tradiderunt sub conditione.

Præcedenti anno venit de Anglia virgo decora valde, pariterque facunda dicens: Spiritum Sanctum incarnatum in Redemptionem mulierum, & baptisavit mulieres, in nomine Patris, Filij, ac sui. Quæ mortua ducta fuit in Mediolanum, ibi & cremata. Cujus cineres frater Johannes de Wissenburc, ordinis fratrum Prædicatorum, se vidisse pluribus referebat. *Virgo hæresin spargens cremata.*

Juvenis in Schlecistat in parvo rivo Rheni fuit submersus: is ante modicum temporis virginem violenter defloraverat.

Plebanus de Rechinhusen Canonicus Columbariensis, fuit morte subitanea præoccupatus.

Item Vicarius in Wolrahusen fuit lancea perforatus, quòd cognovit Beginam, contra parentis & matris ac fratris voluntatem.

Dominus Joannes miles dictus de Nortgasse, contraxit matrimonium cum juvencula de Hadstat / in festo Luciæ, bona utriusque voluntate.

Sequenti die decollatus est juvenis, qui filium novercæ suæ fraudulenter occiderat, & ob hoc sibi civitas fuerat interdicta. Uxor verò ejus in Rubiaca fuerat commorata. Hæc cum maritum intellexisset in Columbaria captivatum, perijt cum dolore.

In conversione S. Pauli audita sunt tonitrua, & coruscationes plures, intra matutina fratrum Prædicatorum in Columbaria, videbantur.

Archiepiscopus Moguntinensis, Archiepiscopus Coloniensis & Archiepiscopus Trevirensis, Alberto Regi Romanorum castrum Rinsperg post Regis recessum obsederunt: quod ut Rex intellexit, revertitur, & Episcopi recesserunt. *Reinsperg castrum.*

Abbati S. Urbani ordinis Cistert. nasus abscissus à converso ordinis & duobus servit.

M.CCC.II.

M.CCC.II.

Rex Franciæ fratrem suum Carolum, quem præcedenti anno in adjutorium Papæ cum multis militibus armatis transmiserat, simpliciter revocavit. Papa verò privilegia Domini Regis Franciæ, nec non & Principum ejus cassavit, & totaliter dicitur delevisse.

In Spira cives clericos expulerunt.

In Brema cives cum clero fortiter litigabant.

Alberti Cæs. conjunx Colmariæ.

Tertia die post Philippi & Jacobi, venit Regina Regis Alberti in Columbariam, cum duabus Reginis & apparatu magno, & subitò recedebat.

Cives Bituricenses Regi Franciæ in conflictu, ut dicebatur, DCC. homines occiderunt.

Beata virgo Maria cepit in Horburch/prope Columbariam, miraculis coruscare.

Nuncij Alberti Regis Rom. de Roma venerunt & Regi clausas literas portaverunt.

Isto anno fuit generale Capitulum ordinis fratrum Prædicatorum Bononiæ celebratum.

Nocte ascensionis Domini pluit serpentes, qui vocantur Wasserkalb in Columbaria, & quibusdam aliis locis, in magna quantitate.

In Remken castello puer circiter XII. annorum interficitur à Judæis.

Steimere civis Columbariensis à nobilibus de Hunnewir occiditur.

Vitriman frater scutariorum in sacco submergitur.

Ingens Rheni exundatio.

Vigilia Osualdi, Rhenus inundavit, pontem Rheni læsit, pontem Brisacensem destruxit, montem * Augga circumdedit, claustrum sororum ordinis Cisterciensis replevit. Messem frumenti devastavit, & maximum damnum in Brisgoia pauperibus inferebat. Argentinæ Rhenus intravit cellaria multorum, & unus ex civibus Lucium magnum in suo cellario comprehendit. Basileæ eodem tempore Rhenus equorum stabula introivit, & eorum dorsa undis perfundebat. Homines de Nuwenburch in Friburgum navigio potuerunt pervenire, quod usque ad illud tempus fuerat inauditum.

** Auckheim*

Sexus in homine mutatus.

Mulier prope Bernam in villa decem annis viro cohabitat, & cognosci à viro non potuit: judicio spirituali à viro separatur. Romam proficiscens anno jubilæo Bononiæ à chirurgo cunnus ejus scinditur: egreditur virga virilis, cum testiculis. Domum reversa uxorem ducit, opera rustica facit, cum uxore congreditur, legitimè & sufficienter.

Conventus Prædicatorum.

In nativitate beatæ virginis capitulum provinciale fratrum ordinis Prædicatorum fuit in Basilea, fratre Joanne existente Priore atque definitore, solenniter celebratum. Ad hoc Capitulum pervenerunt DLXX. ibi fuerunt lectæ literæ Magistri Ordinis ipsorum, in quibus hortabatur eos suppliciter, ultrò eundum ad Barbaros seu in Græciam. Et non fuit unus inter eos inventus, qui hoc vellet facere, ad quod Ordo ipsorum principaliter fuit institutus.

NB.

In hoc Capitulo fuerunt conversi seu Begihardi, hoc est fratres non habentes domicilia, LXXX. in processione mendicantes cibaria.

Herlisheim opp.

Castellum Herlisheim prope Columbaria construitur.

Circa festum S. Michaelis, obsedit Rex Franciæ civitatem in Flandria, habuit in exercitu suo LX. millia equorum, & hominum multitudinem infinitam.

Albertus Rex Rom. obsedit Domino Archiepiscopo Treverensi civitatem, & habuit in exercitu suo quadringentos equos phaleratos, & hominum multitudinem infinitam.

Nono Kal. Februarij & sequenti, perierunt vineæ, & magna pars frumenti, &c. & non fuit frigus ista hyeme, nisi his diebus prænominatis. Nec fuit calor æstate sequenti, nisi duobus diebus, quibus fuerunt duo homines prope Rubiacam calore nimio suffocati.

Acre vinum atque debile crevit.

Eodem tempore, circa festum Martini, D. Brogilinus de Geroltsecke, cepit quatuor commendatores, i. Magistros domorum hospitalis S. Joannis, pro eo quòd emerunt castrum fratris sui, quod vendere non valebat.

In Westhusen carrata vini pro centum libris tali conditione vendebatur, ut una libra annis singulis solveretur. Eadem carrata data fuit pro viginti libris. Tertia vice fuit data pro vinea, de qua duæ libræ denariorum quotannis solvebantur.

Clericus Columbariensis & Clericus Basiliensis pro canonicatu diu litigabant. In hac

hac lite clericus Baſil. interficitur. Propter hoc judices Baſil. divina in Columbaria ſuſpenderunt.

Albertus Rex Romanorum circa feſtum Mar. Magdal. congregavit exercitum in partibus ſuperioribus, & deſcendit verſus Coloniam, devaſtavit villas & res Epiſcoporum, inimicorum ſuorum ſeptendecim ſeptimanis, id eſt uſque ad feſtum Martini, dicens velle procedere verſus Holandiam atque Flandriam, & coegit Epiſcopos componere ſecum. Rhenus tum apertus eſt, ut naves aſcendere & deſcendere poſſent.

Bellum ab Alberto Colonienſi & Trevirenſi illatum.

Domini de caſtro Girſperc Seniores, Juniores Dominos de Girſperch graviter vulneraverunt, unum occiderunt, caſtrum ceperunt, & plures de caſtro fugere coegerunt.

A feſto Thomæ uſque poſt Epiphaniam ingens frigus. Die Stephani Biſuntij Dubis fluvius congelatus fuit, & homines glaciem aſcenderunt, ſub quibus glacies fregit, ut quingenti homines promiſcui ſexus pariter perierint. Briſaci etiam Rhenus congelabatur.

Luctuoſus caſus Veſontij.

Rhenus, quem Rex Albertus aperuerat, ut omnis volens aſcendere & deſcendere, poterat: hunc milites terræ clauſerunt, ut nullus mercatorum auſus fuerit in Rheno amplius comparere.

In Spira civitate civis dives meretrices congregavit, habitum eis pœnitentiæ tribuit, & cibaria miniſtrabat.

M.CCC.III.

Die S. Antonij, capella monachorum de Barkauß/ordinis Ciſtercienſis, quæ noviter fuerat conſtructa, dicitur ſolenniter conſecrata in Columbaria.

Barkauſ.

Cives Columbarienſes jura ac conſtitutiones plurimas fecerunt, & tranſgreſſoribus pœnas pro ſingulis conſcripſerunt. Inſuper conſtituerunt, ut quicunque Deum vel B. virginem Mariam blaphemiis vel verbis turpibus dehoneſtaret, decem ſolidos ad fabricam S. Martini dare congeretur & manſione civitatis tribus ſeptimanarum privaretur.

Civis Baſil. à Domino Thuringo de Ramſtein capitur, in caſtrum ejus ducitur, Baſilinſequuntur, & ab eis caſtrum ejus velociter expugnatur atque deſtruitur, ceperunt item intra decem hebdomadas quinque caſtra fortia.

Ramſtein caſtrum.

Carolus frater Regis Franciæ Rex Siciliæ, Rex Arragonum, & Rex Franciæ confœderantur.

Frater Nibulungus converſus cum ſervis, in cœmiterio noſtro decem tilias plantaverunt.

In cœna Domini Rex Franciæ conflictum cum Flandrenſibus habuit, & amiſit quindecim millia hominum nominatorum, Flandrenſes tria millia.

Funeſtiſſ. prælium in Flandria.

Albertus filius Regis Romanorum duxit uxorem Comitis de Horngovve.

Capitulum fratrum Minorum (circa Urbanum) fuit in Columbaria ſolenniter celebratum, comparuere illic CL. fratres. Converſi ſeu Begihardi triginta, bini & terni in proceſſione per Columbariam tranſeuntes eleemoſynam mendicabant.

Henricus ſcolaris de Doſſenbach meretrices congregavit, in domum cum magna diligentia clauſit, & eis per mendicationem neceſſaria miniſtravit. Et veſtes lineas albas de filo groſſo, & pallia breviora, pro veſtibus induebat. Decem vel viginti, vel plures in una civitate in unam domum claudebat, & eis neceſſaria prout potuit miniſtravit.

Pœnitentium mulierum collegia inſtituta.

Feſto Pentecoſtes, fratres ordinis Prædicatorum de Francia, capitulum generale in Biſuntio celebraverunt, ad quod fratres CCC. pervenerunt.

Octava Jo. Baptiſtæ venit venerabilis frater Bernhardus Magiſter ordinis Prædicatorum in Columbariam.

Venerunt nuntij Alberti Regis Roman. nuntiantes ei, quod D. Papa prædicaſſet in manifeſto, quòd eſſet verus Rex Romanorum, & dilectus filius ejus.

Rex Arragonum compoſuit cum Papa, & miſit ei cathedram auream, & aureum ſcabellum ei fideliter copulato.

Cardinales de Columna, qui ſe ad Regem Arragonum contulerant, ad Regem Franciæ ſe contulerunt.

Tres Abbates Cluniacenſis, Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis à Rege Franciæ capiuntur, quod noluerunt ei contra Papam in ſuis conſtitutionibus obedire.

Papa Regem Franciæ excommunicavit.

Rex Franciæ parlamentum in feſto Joannis Baptiſtæ dicitur habuiſſe, in quo ſignificavit, Dominum Papam in pluribus articulis fidei graviter exceſſiſſe.

Solennis

Auſtriaci fiſci præſes in vincula conjectus.

Solennis procurator Regis Romanorum, qui à Rinvelden uſque in Schletſtat incluſivè dominabatur, in turrim in Enſisheim claudebatur, & rationem de ſibi creditis reddere cogebatur.

Hoc anno vinum bonum crevit.

Zur Sonnen patritij Baſil

Quarta feria poſt nativitatem beatæ Virginis, filia civis Baſilienſis, qui dicitur *de Sole*, cum magna ſolennitate filio Domini de Eptingen matrimonio copulatur.

Pax Flandris reddita.

Rex Franciæ compoſuit cum Flandrenſibus: reddidit enim eis Comitem Dominum ſuum, & filium ejus, & omnia quæ petebant voluntarius admittebat.

Romæ Papa Bonifacius obijt, ante cujus domum Rex Franciæ Ludovicus vexillum ſuum tribus diebus in ſignum victoriæ dicitur ſuſpendiſſe.

Scultetus de villa Statzhem bovem vicini ſuffurabatur: quod à vicinis non poterat occultari, nec aliquis eorum auſus fuerat propter malitiam hominis revelare. Quidam autem ex ſuis civibus majoribus Argentinenſium occultè revelaverunt: qui egreſſi Scultetum ceperunt, & in patibulum ſuſpenderunt.

Archiepiſcopus Trevirenſis propter inobedientiam Confluentinorum obſedit eos cum quingentis equis phaleratis, & coegit eos vi, ut ei in omnibus obedirent.

Capitulum generale fratrum Prædicatorum celebratum Toloſæ.

Epiſcopus Colonienſis obijt.

Domini de Girſperc caſtrum ſuum Epiſcopo Argentinenſi tradiderunt.

Herckheim ad illam.

Domini de Hadiſtat caſtrum Herinkein obſederunt, & villam igni tradiderunt.

Papa Benedictus poſt Paſcha de Roma ſe ad civitatem Peruſium transferebat.

Vom Hauß ingenui Alſatiæ.

Dominus de Domo, ... & Domini de Hadiſtat / militibus de Lobgaſſe ſuas poſſeſſiones cum potentia deſtruxerunt. Iidem Domini caſtrum Hagineck noctu cum ſcalis obtinuerunt, & totaliter ſuccenderunt.

Albertus Colmariæ.

Rex Albertus venit in Columbariam, circa feſtum Viti, & ab eis petijt marcas quadringentas.

Flandrenſes Dominum de Hengowe & Epiſcopum Trajectenſem cepiſſe, plurimi retulerunt.

Albertus Rex Romanorum mandavit militibus Alſatiæ, ut in Columbariam venirent, & eum poſt feſtum Viti in armis expediti ſequerentur.

Venerabilem Epiſcopum Baſilienſem cepit Comes Montisfortis, cauſam rationabilem non habens.

Girſperg.

Domini de Girſperc caſtrum ſuum Girſperc Domino Henrico de Rapolſtein tradiderunt tali conditione ſeu pacto, ut eis caſtrum quod dicitur der Stein / ſeu Lapis, in ſuam poteſtatem traderet, & omnes res & reditus in alios reditus tranſmutaret.

Æſtus fervens.

Annus hic calidus fuit admodum ſine pluvia: molendinis aquæ deficiebant, hinc frumentum vile, panis carè vendebatur. Botri maturi in vigilia ſancti Joannis in Alſatia videbantur.

Vir ſenex juvenculam uxorem ſuam in Rapolzwire noſcitur occidiſſe. Mater prope Turegum filium occidit, quia eam cognoſcere recuſavit.

Rhenus ob immodicum calorem tantæ parvitatis erat, ut in pluribus locis inter Baſileam & Argentinam poſſet tranſvadari.

Albertus Rex Romanorum Bohemiam cum maxima armatorum multitudine potenter intravit, ad montes auri & argenti pervenit, & inde imperfecto negotio ad propria remeavit.

Rex Bohemiæ majore multitudine armatorum in civitatibus manſit, & cum Rege Romanorum congredi non audebat.

Hyems diu duravit, ut ſtramen ovibus & alijs pecoribus comedendum præberetur.

Rhenus naves oneratas præ nimia parvitate portare non valebat.

Rex Romanorum Comitem de Wirtinberg dicitur obſediſſe.

F I N I S.

CHRO-



CHRONICI DOMINICANORUM COLMARIENSIUM,

PARS ALTERA,

Continens uberiorem narrationem rerum aliquot memorabilium, quarum in Annalibus concisa mentio fit.

Rudolfi Habspurgensis ante adeptam regiam dignitatem res gestæ.

COMES Albertus de Habspurch/ de uxore sua libros genuit..... Filia una nuptui traditur Comiti de Cussaberch/altera in claustrum dominarum de Adelnhusen prope Friburgum, ordinis fratrum Prædicatorum, collocatur, in quo vitam suam laudabiliter consummavit. Unum filium Clericum fecit, eique beneficia plurima contulit, sed juvenis de hoc seculo migravit. Duobus dignitatem dominiumque commisit, & ipse cum familia sua ad transmarinas partes transmeavit. Frater Comitis Rudolfi Longobardiam intravit, ibique capitur, & vitam suam in captivitate miserabiliter finivit. Comes Rudolfus se solum sentiens in dignitate constitutum, vidensq; vicinos suos Comites divitiis abundare; se autem respectu aliorum in paupertate constitutum: cogitavit quomodo posset divitias comprehendere temporales. Considerans etiam quòd res magnas per preces aut justitiam subitò comprehendere non valeret, deliberavit intra se, quòd vicinos suos vellet prælijs impugnare.

Natus est autem de progenie Ducis Zeringiæ, anno M. CC. XVIII,.... Cal. Maij, eodem scilicet anno, quod Dux Zeringiæ viam carnis ingreditur universæ. Erat hic vir longus corpore, habens in longitudine septem pedes, gracilis, parvum habens caput, pallidam faciem atque longum nasum, paucos habebat crines. Vir in cibo, potu & in alijs moderatus: vir sapiens & prudens, & cum maximis divitijs in summa tamen semper extitit paupertate. Multos habuit filios & filias, quos omnes constituit in magnas divitias & honores. *NB. Prosopographia Rud. Habspurgij.*

Iis temporibus vixit juvenis, dictus de Tuffenstein/ nobilis, dives, habens castrum quoddam in quo plurimum confidebat. Hujus res Comes Rudolfus libenter habuisset, si eas comprehendere potuisset. Occasione igitur arrepta cœpit juvenem oppugnare. Sed cum eum vincere per potentiam non valuisset, pacem cum eo fraudulenter fecit, & per quosdam suos familiares insidias ei posuit, & hi eum turpiter occiderunt. *Tuffensteinius Baro interemptus.*

Posthæ cæpit impugnare Comitem Gotfridum de Lauffinberck/ puerum virtuosum, filium avunculi sui, eique villas plurimas devastavit. Comes verò Gotfridus mane cum civibus suis de Lauffinberck/ Bruccum castellum adijt, apertumq; reperit, potenter intravit, & omnia quæ ibi reperit, in castellum Lauffinberck cum gaudio transferebat. Multi viri cum mulieribus corporibus tantùm evaserunt. *Anno 1242. Bruck, oppidum Ergotæ prope Habspurgum.*

Comes de Kiburck filiam Comitis de Sabaudia duxit uxorem. Videns autem se ex ea filios non habere posse, dignitates suas Episcopo Argentinensi tradidit, tali conditione (ut quidam dixerunt) quòd Comitissa quasdam res liberè possidere deberet ad tempus *Hartmannus senior, comes de Kiburg. 1244.*

vitæ suæ, & postea dignitates ad Episcoporum Argentinensium posteros devenire. Mortuo verò Comite de Kiburck / Comes Rudolfus omnes penè res & dignitates per violentiam obtinuit: cùm verus tamen hæres esse à pluribus negaretur.

Rudolfus nepos erat Hartmanni comitis è sorore.

Comites Toggij & Barones de Regensperg.

Erant in superioribus partibus nobiles Domini liberæ conditionis, filij sororis Episcopi Basiliensis Henrici, qui cives Thuricenses & Comitem Rudolfum aliosque vicinos suos (ut eis videbatur) sæpius turbaverant. Eo tempore Comes Rudolfus quibuidam hominibus de Lombardia venientibus Ducatum præstitit, ut possent in Alsatiam pervenire. Hi cùm propè dominium istorum Dominorum pervenissent, ipsis omnia quæ attulerant, abstulerunt. Comes Rudolfus super hoc indignatus, cives Thuricenses atque alios amicos & vicinos induxit, ut contra Dominos de Tokinburc juvarent, quod vellet eos fideliter vindicare. Qui gavisi, magnum sibi adjutorium promiserunt. Comes verò congregato exercitu castrum Uzinberc violenter obsedit, & res eorum alias devastavit. Domini de Tokinburc se ut poterant defenderunt, & multis septimanis viriliter tenuerunt. Et cùm multa mala passi fuissent, tandem eis victualia defecerunt, & castro derelicto cum corporibus recesserunt. Comes Rudolfus habito castro, destruxit.

Viznabergũ Toggiorũ demolitum.

Post mortem Imperatoris Friderici, Imperij res, quas quilibet Dominorum poterat, confiscavit. Obtinuit autem Comes Rudolfus de Habspurc Brisacum, & per tempus aliquod in sua tenuit potestate. Henricus Episcopus Basiliensis dixit Comiti Rudolfo, quòd Brisacum suum deberet esse, eò quòd jure hæreditario possedisset. Comes verò dixit, si vellet ei dare M. marcas argenti pro jure suo, promitteret castrum & castellum tradere in Episcopi potestatem. Episcopus verò dedit DCCCC. marcas, & sic obtinuit civitatem, quam habuit usque ad electionem Rudolfi in Regem Romanorum.

Causa belli inter Rud comitem & Episcopum Basil.

Cùm autem interim Comes Rudolfus Episcopum Basiliensem indebitè molestaret, Episcopus Basiliensis accersito Comite Rudolfo, dixit: Cognate, à vexatione mea quiesce & tibi centum marcas argenti voluntariè ministrabo. Comes per illum annum voluntariè quiescebat. Sequenti anno Comes Rudolfus Episcopum cœpit secundariò perturbare: iterum dedit centum marcas, ut eum amplius non vexaret. Et iterum à vexatione secundariò desistebat. Tertio anno petijt Comes R. ducentas marcas, eò quòd indigeret: erat enim multis debitis obligatus. Episcopus dixit: Verecundor esse de cætero tributarius.

Bladoltzheim auf der Hart. anno 1268.

Posthæc cœpit Comes Rud. Episcopum Basiliensem cognatum suum quantum potuit impugnare. Episcopus verò cum civibus Basiliensibus villam Bladolsheim / quæ sita est prope Rhenum, quæ tunc noviter munita erat fossato atque propugnaculis, potenter intravit, & omnia quæ in eo fuerant, devastavit.

Hertẽberg prope Herteniter Rhenũ & Hercyniũ nemus.

Post hæc Comes Rudolfus dominos de Tokinburc, filios sororis Episcopi Basiliensis obsedit, & efficaciter impugnavit. Episcopus ex adversum in odium Comitis Rudolfi castrum Hertimberc, noviter constructum & bene consummatum, evertebat. Deinde castrum Rinfelden / quod inexpugnabile videbatur, violenter obtinuit, & traxit in propriam potestatem.

Sacconium oppidum ad Rhenũ igne fortuitò consumitur, anno 1272.

Castellum, quod Seconis dicitur, quod tunc erat de dominio Comitis Rudolfi, ignis, casu superveniens, exceptis duabus vel tribus domibus, devastavit. Eorum enim peccatis exigentibus hoc eis creditur accidisse. Sanctus enim Fridolinus locum illum usque ad illud tempus custodierat, quod nullus Dominorum eos enormiter poterat infestare. Cives verò loci illius non confidentes in Domino suo S. Fridolino, pontem lapideum, quem ipse construxerat, destruxerunt, prædas pauperum innocentum introduxerunt, & comessationibus & luxuriis insistebant. His & similibus peccaverunt, ideo perierunt. Indignationem enim suam S. Fridolinus duobus annis ante destructionem loci, pulsationibus quas faciebat in capsa, qua ejus reliquiæ quiescunt, pluribus & multis vicibus ostendebat. Custos etiam Ecclesiæ, domina de Gliers conditionis liberæ, solennis receptatrix fratrum Minorum atque Prædicatorum & pauperum aliorum, dixit: S. Fridolinum filiabus suis Canonissis suis in somnis apparuisse, & indignationem suam sæpius ostendisse. Frater Hospitalis custos Ecclesiæ S. Fridolini, qui in Ecclesia semper jacuit eamque custodivit, infra duos annos sæpius cum se retulit audivisse.

Loco hoc destructo per ignem, venit venerabilis Dominus Henricus Basiliensis Episco-

Episcopus & domos lapideas ac muros civitatis in locis multis dejecit, & omnia quæ ibidem reperit, deportavit.

Reliquiæ S. Fridolini.

Venerabilis Domina Abatissa, de genere Comitum Phitretarum, post exustionem castelli, in claustrum & castellum redijt, reliquias sancti Fridolini reperit & accepit. Posthæc consilium inijt cum Canonissis suis, quid facere deberet, de reliquijs S. Fridolini. Tunc Canonissæ dixerunt: Si transtulerimus reliquias S. Fridolini ad locum solennem, scilicet in Basileam, tunc per violentiam Episcopus & Canonici retinebunt. Si autem fratribus Minoribus vel Prædicatoribus, vel alijs religiosis dederimus ad servandum, ab illis Episcopus auferet violenter. His consideratis dixerunt; Demus reliquias S. Fridolini alicui vicinorum Dominorum, qui claustro nostro aliquo fidelitatis vinculo astrictus teneatur. Commiserunt igitur Comiti de Habspurc, qui eas in honestam cameram collocavit: insuper in ea nocte tenebras lumine decoravit. Quæ cum per breve tempus ibidem fuissent, indignationem suam cœperunt per pulsationem suam, familiæ demonstrare. Audiens hoc Abbatissa, in Loufinberc ad Canonissarum collegium transferebat. Sed cùm & ibi per tempus aliquod fuissent, indignationem suam per pulsationem suam Canonissis suis intimabat. Tunc Canonissæ cum suis reliquiis ad claustrum proprium redierunt.

Eodem tempore Comes Rudolfus ut infestaret Dominum Basiliensem Rhenum transire non poterat: unde naves quas in curru ducere poterat, fabricari fecit. Et quando voluit cum ipsis Rhenum transivit, & hominibus Episcopi superveniens improvisè eos sæpius graviter infestavit: & post in eisdem navibus per Rhenum rediens, eas ad tutiora loca in curribus perducebat. Videns Comes Rudolfus, quòd per potentiam Episcopo Henrico resistere non valeret: militibus & civibus Episcopi occultè dona tribuit & promisit. Milites Episcopi Comitem occultè & Episcopum contempserunt. Intelligens hæc Episcopus, cum proprijs suis Comitem invadere non audebat. Sciens hæc Comes Rudolfus vias suas sine timore, quò voluit, dirigebat.

Consul Basiliensis occisus.

Comes autem cum Basileam quadam vice pertransisset, intelligens hoc Marscalcus magister civium, cives convocavit, Comitem Rudolfum prosequi faciebat. Ipse verò Marscalcus cum paucis persequitur fugientem, & cum quasi solus ad inimicos pervenisset, eum comprehenderunt, & velociter occiderunt. Post hæc liberè quò voluit, perrexit, quòd cives Basilienses, propter infidelitatem suorum, eum invadere non audebant.

Basilea à Rudolfo obsessa.

Comes Rudolfus exercitum congregavit, veniensque Basileam collem Binningen ascendit: & Basileam obsedit. & ibi cum exercitu quinque dies cum potentia morabatur. Episcopus verò cum civibus eum depellere non audebat, quod cives, quos amicos habuit, inimicos maximos reputavit. Verùm postea Comes Rudolfus milites congregavit, obsidere Basil. ex alia parte Rheni volens, ut gloriæ suæ potentiam secundariò demonstraret. Cùm autem plus quàm CCC. milites congregasset in Brisgaudia, & cùm prope Basileam potenter transitum facere voluisset, plures ex eis periculo se committere noluerunt. Comes verò se periculo commisit, cum CCC. militibus propè Basileam pertransivit, prædam secum tulit, & viam quam cœperat, adimplevit. Basilienses eum insequuntur, sed eum comprehendere non valebant.

Rudolfus Rex Romanorum renunciatus.

Anno Domini M. CC. LXXIII. venit in Basileam nuncius quidam, ab electoribus missus, dicens, se allaturum Regem omnibus. Hic cum à Basilea ad Comitem Rudolfum venisset, dixit: Electores vobis significant, quòd si volueritis filias vestras nuptui dare talibus Dominis, in Regem vos eligent Romanorum. Qui respondit: Hæc & quæcunque alia implebo. Tunc literas electionis & confirmationis omnibus patefecit. Rex his versis, suis omnibus dixit: Pacem cum omnibus habete, & omnes captivos restituite pristinæ libertati. His auditis atque visis, domini invicem loquebantur: Vivat Rex, & postea honorem Regium sibi tribuerunt. Deinde cum uxore, filijs & filiabus ad Rhenum perrexit, & cùm in Rinueldiam veniebat, cives eum velut Regem cum magno gaudio receperunt, & castrum atque castellum sibi liberè tradiderunt. Postea venit in Basileam, & illi eum laudabiliter receperunt. Post hæc venit Nüwenburg & Brisacum, & illi eum honorificè receperunt, & necessaria tradiderunt.

Neoburgum & Brisacum ad Rhenum

Has civitates & castella, Dominus Henricus Basiliensis Episcopus precio sibi com-

paraverat, vel per obsidionem obtinuerat, quæ etiam Episcopo liberè serviebant, & Comitem Rudolfum, quantum poterant, impugnabant. De hac mutatione venerabilis Dominus Episcopus Basiliensis Henricus in tantum doluit, quòd (ut dicebatur) mortis periculum incurrit. Omnes enim inimicos & persequutores Regis Deus (ut dicebatur) de hoc seculo paulatim subtrahebat.

De electione & inauguratione Rudolfi Regis Romanorum.

Somnium Baronis de Klingen.

DOMINUS de Clingen, vir liberæ conditionis, personatus, dives & devotus: vidit Principes & Electores Imperij congregatos & dicentes: Quicunque ex nobis hanc coronam levare poterit, Rex ab omnibus habebitur. Singulis autem se probantibus, nullus eorum levare potuit eam. Tandem Rudolfus de Habspurc Comes, coronam potenter elevavit, seque coronavit. Visionem hanc eventus subsequens approbavit: eligitur enim in crastino Michaëlis, anno M. CC. LXXIII. Tum igitur captivos omnes, etiam perpetuo carceri deputatos, pristinæ restituit libertati. Venit Maguntiam: hìc præsentantur ei Regalia, quæ prædecessores Reges magna pecunia non poterant obtinere. Hinc Aquisgranum. Multitudinem hominum strata publica usque ad tria milliaria vix commodè recipiebant. Occurrunt Dux Bavariæ, Saxoniæ & alij cum XX. millibus equitum. Panis modicus duobus denarijs vendebatur, sextarius avenæ pro decem Coloniensibus.

Anna de Hohenberg Sueva, uxor Rud. Regis.

Uxor Rudolfi, filia Burchardi de Hohenberc, quando Rex misit pro ea, domum regebat in Brucco, descendit per Rhenum, & venit in Buken, ad viros religiosos, providos & honestos, de domo Teutonica: à quibus honorificè recipitur, necessarijs abundanter administratis. Cives Rinfeldenses eò communiter occurrerunt, & xenia plurima detulerunt: promittentes, se ei pro posse rebus & corpore in omnibus obedire.

Basileam venit, quarto idus Octobris: magno Comitatu recipitur à civibus, Canonicis & omnibus religiosis, cum reliquijs & magna reverentia. Dantur ei expensæ & xenia multa. Descendit multis navibus ad Regem, ut cum ipso coronaretur. Columbarienses duodecim vasa vini optimi, Argentinenses sexaginta, & navem magnam plenam frumento, obtulerunt. Civitates Imperij omnes Reginam honorificè suscipiunt, munera & xenia offerentes.

Inauguratio regia Rudolfi

In vigilia omnium Sanctorum Rudolfus Rex coronatur: & tum spatio horæ apparuit nubes candida, in modum crucis formata, quæ postea in ruborem sanguinis est transformata. Cùm Principes hoc Regi retulissent, dixit Rudolfus: Si Dominus mihi vitam prosperitatemque dederit, transmarinas partes adibo, & pro peccatis meis maximis sanguinem meum consecrabo Domino Jesu Christo.

De quibusdam Rudolfi Regis liberis.

ANNO M. CC. LXXVI. puer quinque annorum filius Rudolfi Regis, acutis febribus laborabat, sed statim restitutus est sanitati. Hic jusserat vestes pauperibus elargiri, & baldicum cuidam inclusæ.

Eodem anno uxor Rudolphi filium peperit in Rinfeldia: Episcopum Constantiensem cognatum Regis, ut eundem baptizaret, vocavit. Episcopus igitur Constantiensis sabbato Paschæ missam celebravit, & baptismum benedixit. Frater Hartmannus socius Prioris Prædicatorum Basiliensium Evangelium, *Et exultet jam*, &c. decantavit. Episcopus puerum baptizavit. Alexander lector Prædicatorum Constantiensium de sacro fonte levavit. Frater Henricus alter levantium fuit, qui & Reginæ Medicus & amicus extitit. Puer hic paucis septimanis postea obijt, sepultus in choro Basiliensis Ecclesiæ. Exequiis interfuerant omnes Clerici & religiosi, milites, cives honestiores, familia Reginæ penè cum mulieribus universis. Feretrum coopertum fuit Baldichino, quod Ecclesiæ reliquerunt.

Carolus Habspurgensis infans.

Regis

Regis Ottocari ortus, adolescentia, regni primordia, conjugia.

ANNO M CC.XXX. Rex Bohemiæ Ottocarus, cujus avus Dux fuerat, in Regem sublimatur. Hic ex uno parente Teutonicus fuit. Hujus uxor cùm puerum concepisset, somnium habuit, se lupum pro puero concepisse. Hic lupus terram Bohemiæ sibi subjugavit, ac terras vicinas sua potentia devoravit. Hunc lupum deinde leo superveniens, suis unguibus dirupit, ac bona ejus occupavit.

Ottocarus nascitur.

Natus est postmodum Regi Bohemiæ filius, quem tenerrime dilexit. Hic erat juvenis pulcher, fusco colore, statura mediocriter longa, pectore magno, ore amplo, fortis, sapiens, eloquentia sapientes & Philosophos præcellens. Huic pater uxorem dedit & Marchionem in Merrhen constituit. Hic juvenis regnum patris affectans, patrem tandem regno excedere coegit. Pater auxilio Marchionum Brandenburgensium & Misenensium civitatem ...... & filium cum exercitu obsederunt. Filius ex civitate fugit, & regnum post hæc patri reliquit. Post hæc multiplicati sunt in Bohemia Teutonici: per hos Rex ingentes divitias collegit, ex auri & argenti fodinis.

Ottocarus regnum Bohemiæ occupat.

Mortuo hoc Rege, filius regnum occupavit, Teutones expellit, Nobiles impugnat, vicinos subjugat. Hinc factus invisus multis, fideles famulos paucos habebat. Hujus uxor absque liberis mortua est. Rex ter dispensationem obtinuit à Papa, ut matrimonium contraheret cum sorore Margaretha, Regina quondam Teutoniæ, moniali in claustro fratrum Prædicatorum apud Treverim. Paucis annis post per hanc Austriam possedit. Cum liberos ex ea non haberet, petijt ab Episcopis licentiam cum alia contrahendi. Cui Episcopi responderunt: *Quos Deus conjunxit homo ne separet.* Rex ei civitatem.... cum reditibus assignavit, in qua Regina quasi vidua residebat, ac paucis annis postea mortua est. Rex Cumani cujusdam duxit uxorem, cum qua multos filios & filias procreavit. Rex de uxoribus suis multas terras habuit, turres plenas auro & argento collegisse, ac hostes ferè omnes vicisse dicebatur.

Ortus & progressus belli gesti à Rudolfo Cæsare contra Ottocarum Bohemiæ Regem.

RUDOLFO Rege à civitatibus suscepto, & in Teutonia pace facta, nobiles qui erant de Regis Bohemiæ ditione, gavisi sunt multùm, sperantes à Regis Bohemiæ dominio liberari. Ex tunc literas & nuncios miserunt Regi Romanorum, rogantes suppliciter, ut ad preces ipsorum veniat, quia terras ad Imperium spectantes, quas Rex Bohemiæ per violentiam possidet, velint sui dominio subjugare.

Ottocarus contra Rudolphum se munit.

Audiens hæc Bohemiæ Rex timuit valde, & Concilio congregato, Principes literatos convocavit, scil. Archiepiscopos, Episcopos, Præpositos, Abbates & Priores. Cùm igitur ad præsentiam sui convenissent, dixit: Intelleximus nuper, quòd Comes Rudolphus de Habispurch dicat, se fortè Regem Romanorum, & dicit, se velle terras nostras, quas multiplici jure possidemus, in propriam retrahere potestatem. Hæc sustinere non debemus, insuper nobis cederet in maximum detrimentum. Rogo dilectionem vestram quatenus in fidelitatem juramento firmetis, & ut omnes meos adversarios de nostris finibus, pro viribus vestris expellatis.

Tunc omnes pariter dixerunt: Quicquid Domino Regi placuerit, faciemus. Tunc Rex dixit: Jurate ergo mihi fidelitatem: tunc omnes juraverunt. Insuper ei pueros suos obsides tradiderunt.

Rudolphus à Nobilibus Bohemiæ excitus.

Rudolphus Rex, cùm literas Nobilium Bohemiæ vidisset: subitò eis in adjutorium venisset, si Rheni regiones relinquere potuisset. Cùm autem Rex propter literas ad terram Bohemiæ se transferre minimè potuisset: quidam ex ipsis personaliter in Alsatiam pervenerunt, Regem suppliciter deprecantes, ut ad terras Regis Bohemiæ non differat venire, eò quòd sibi regionem suas restituent universas.

Rudolphus Rex Romanorum inclinatus precibus Dominorum, rogavit omnes perſonaliter milites, quos rogare poterat, inſuper omnibus ſuis præcepit, ut armati ſecum venire non differant, quia terras alias oportet eum ſubitò viſitare. Multi ſibi bona promiſerunt, ſed ſolvere minimè potuerunt. Rex terram ſuam cum paucis exivit, ſed de die in diem plures milites acquiſivit. Cùm autem Moguntiam veniſſet, dixit ad eum Dominus de Clingin: Domine, quis eſt cuſtos veſtri theſauri? Reſpondit Rex, non habeo theſaurum, nec pecuniam quàm quinque ſolidos debilis monetæ. Tum dixit ei Dominus de Clingin: quomodo ergo vultis exercitui providere? Reſpondit ei Rex: Sicut mihi Dominus ſemper providit, ſic & in hoc itinere Dominus poterit providere. Lætanter Rex proceſſit, & in extrema ſemper extitit paupertate. Proceſſit ſine contradictione, & quæ ſpectabant ad Imperium ei voluntariè tradebantur. Caſtella, munitiones, fora, quorumcunque fuerint, quæ ſe defendere non potuerunt, ditioni ſuæ ſe voluntariè tradiderunt.

Rudolfi expeditio ad occupandas Imperij terras.

Rex autem Bohemiæ non credebat, quòd rex Rudolphus auderet vel poſſet ſine contradictione terras Auſtriæ devaſtare. Si enim Rex Bohemiæ adventum Regis Romanorum veraciter timuiſſet, pontes aquarum, altitudines viarum, facillime cum paucis hominibus concluſiſſet, quo adventum Regis diutiſſimè diſtuliſſet. Cum autem Rex Romanorum ad ducem Bavariæ filiamſtrum ſuum perveniſſet, ab eo reverenter ſuſcipitur, & ei ſuisque neceſſaria abundanter & voluntariè miniſtrantur. Compoſuit etiam Rex Romanorum cum Dominis diverſis, ut ipſorum permitterent terras libere pertranſire.

Cùm hæc ad aures Regis perveniſſent Bohemiæ, doluit multùm: congregatoque exercitu, venit ad Regem Teutoniæ prope Viennam, ut eum de ſuis finibus extirparet, ſed non poterat: quia Regis Bohemiæ congregatio ex una parte Danubij morabatur: Regis autem exercitus Romanorum ex alia parte Danubij requievit.

Bohemi conſilium Cæſarem Auſtria arcendi.

Rex Bohemiæ totam ſuam fiduciam in civitatem quæ Nuenburch dicitur, poſuerat, eò quòd inexpugnabilis videretur. Eſt enim civitas in monte poſita, forti muro, turribus multis, circundata. In hanc Bohemos multos ad cuſtodiendam miſerat, eiſque victualia plurima miniſtrabat. Ordinaverat & Rex, ut ſi Vienna civitas impugnaretur à Rege Romanorum, quòd civitas Nuenburch ei in omnibus neceſſaria miniſtraret. Si cives Viennenſes ſe traderent Regi Romanorum, quòd Rex eos per civitatem Nuenburch atrociter impugnaret. Cogitaverat enim Rex Bohemiæ per ipſam totam terram Auſtriæ poſſidere.

Caſtrum Viennenſe.

Rex Bohemiæ quatuor munitiones, quæ circa muros erant civitatis Viennenſis munire propugnaculis cœpit, & caſtrum novum fortiſſimum, quod ædificaverat, in medio civitatis. Coegit & ex tunc Burgenſes, milites, Nobiles & Barones pueros ſibi dare obſides, & caſtra fortiſſima cum armis ſuis, in ſuam tradere poteſtatem. Miſit inſuper Bohemos milites armatos in civitates Auſtriæ, & victualia miſit ipſis abundanter, ut ſi contingeret Rudolphum Regem civitates aliquas obſidere, cives ſe non poſſent excuſare, quoniam civitates ſuas ſi vellent ab impugnantibus conſervare. Præ cæteris autem civitatem, quæ dicitur novum caſtrum, victualibus multis munivit, eò quòd Viennam & alias civitates ex ipſa paſcere voluiſſet. Præcepit etiam ne aliquis Rudolphum Regem Romanorum Dominum vel Regem in ſuo dominio nominaret. Præcepit & fratribus Prædicatoribus ne celebrarent in ſua poteſtate provinciale Capitulum.

Rudolphus Rex Romanorum cum duobus millibus equorum Phaleratorum Bavariam veniens, tali conditione ſe confœderavit Duci Bavariæ, ut filius Ducis filiam Regis duceret in uxorem: & filia Ducis, filio Regis matrimonio jungeretur. Quo facto tradita fuit Regi terra magna, & adjuncti ſunt ei milites mille cum equis phaleratis. Poſthæc cœpit ejus exercitus militibus augmentari, aditque Rex civitatem Viennenſem & obſedit tam potenter, ut ex una parte civitatis nullus ingredi vel egredi ſine ſua licentia commodè potuiſſet.

Vienna à Rudolfo obſeſſa anno 1276.

Rex verò Bohemiæ equitibus viginti millibus congregatis, exercitum ſuum contra Regem Romanorum ex alia parte Danubij direxit, ut eum de ſuis finibus extirparet. Milites autem Bohemiæ Regis, propter nimium timorem contra Teutonicos

nicos bellare, nullis voluerunt Regis jussionibus obedire. Rex Bohemiæ suis confidere non audebat, quòd longo tempore nobilium patres, fratres, consanguineos & affines vi sive fraudulentia pro viribus occidebat, vel ipsos de Bohemiæ finibus extirpabat. Exercitus autem Regis Romanorum cum exercitu Regis Bohemiæ libentissimè dimicasset, si eum in loco competente comprehendere potuisset.

Rege Romanorum Viennam diebus pluribus obsidente: misit Rex Bohemiæ, Episcopum de Ulmize, cum equis phaleratis multis, ut Bohemis Nuenburch civitas assinaretur, ne à Bavaris Regi Romanorum traderetur. Festinavit igitur Episcopus cum suis propter diversos timores, quòd uno die miliaria quatuordecim cucurrerunt, & ob hoc ipsis multi nobiles equi perierunt. Dux Bavariæ senior cum hæc à fide dignis audivisset, Rudolfum Regem Romanorum adijt, & hæc sibi cum gaudio revelavit. Dixit etiam Regi: Domine, rogo quatenus mihi milites trecentos assignetis, quòd insidias Episcopo de Ulmize in. f..... sylva disposui collocare: spero enim ab ipsis aliquid habiturum. Cui rex dixit, accipe quod vis, & de istis ordina sapienter. Tunc Dux acceptis militibus trecentis Rheni, quibus præ alijs melius confidebat, in sylvam prope civitatem Nuenburch collocavit, & eos prout melius poterat, occultavit. Episcopus autem sibi insidias positas intellexit, Bohemisque civitatem custodiendam tradidit: & acceptis multis ex civibus, qui sibi suisque Ducatum præberent: insidias occultè per devia fugiens, ad amicos salvus noscitur devenisse.

Dux autem in insidiis usque ad horam nonam creditur permansisse, & suos fame gravissima punivisse. Tunc milites Duci dixerunt: Ut quid hîc fame morimur? Mittatur explorator, qui de statu civitatis & Episcopi nobis possit aliquid revelare. Tunc Dux cuidam militi dixit: Ad civitatem tanquam amicus subitò perge & secreta quæ poteris investiga. Explorator ad civitatem subitò veniens, statum hominum civitatisque requirens: reversus retulit, dicens: Episcopus civitatem Bohemis commisit, civesque secum duxit, & ad propria remeavit. Consternatus Dux militibus suis dixit: Quid ergo faciemus? spe enim nostra frustrati sumus. Tunc diversi diversa consilia tradiderunt. Unus autem ex illis dixit: Domine, viam nostram dirigamus ad civitatem, & amicos nos esse simulemus: fortè recipient nos ut amicos, & sic poterimus comprehendere civitatem. Dux militi dixit: Bonum consilium dedisti, nec unquam improbis operibus defecisti.

Post hæc quidam ex sapientibus suis dixit: Domine, primò duo milites præmittantur, post eos quatuor, post quos decem, postea quadraginta, & hi omnes cives & amicos se regis Bohemiæ protestentur. Post hos exercitus subitò sequatur, ut si primi civitatem fuerint ingressi, per consequens ingredi liberam exercitus habeat potestatem. *Nova civitas seu Newstat, urbs Austriæ, est capta.* Sicut deliberaverunt, ita omnia perfecerunt. Appropinquantes autem primi nuntij civitati, clara voce pariter cantaverunt. Bohemi custodes civitatis, cum vocem cantantium audivissent, gaudio replebantur: suspicabantur enim cives & amicos suos cum lætitia redijsse. Pontes dimittuntur, portæ reserantur, pacificè salutantur, & ingredi liberè permittuntur. Quatuor autem milites sequentes benignissimè receperunt, quia prospera de suis civibus retulerunt. Milites autem decem qui quatuor sequebantur, suspecti custodibus habebantur, & portas aperire, sicut cæteris præcedentibus noluerent. Tum hi decem Bohemis custodibus verbis mendacibus referebant: Nos de vestris sumus, & Episcopum de Ulmice cum civibus ad tuta loca deduximus, & nunc ad propria remeamus. Tunc custodes portas aperuerunt, & intrare liberè permiserunt. Milites hi prædicti festinanter intrare noluerunt, sed in porta permanentes, custodes verbis fallacibus deceperunt, donec quadraginta frequentes ad civitatis mœnia pervenerant. Decem milites prædicti, cum nos adesse vidissent: custodes portæ evaginatis gladiis invaserunt, & de porta fugere coegerunt. Custodes portam reliquerunt, & ad hospitia sua fugientes, se suaque salvare cupientes, civitatem captam omnibus nunciabant. Quinquaginta milites prædicti civitatis portas violenter tenuerunt, & Ducem cum exercitu suo supervenientem, liberè intrare permiserunt. Cùm sic Dux civitatem tam potenter fuisset ingressus, & ipsam cum suis obtinuisset: cœpit per præconem hæc civibus nuntiare: *Nulli malum ex civibus in rebus vel corpore vel familiis inferetur. Bohemi tantum adversarii nostri in custodiam publicam perducantur.* Post hæc viri mulieresque

 militibus

militibus Ducis Bohemos in domibus ſuis abſconditos, oſtenderunt, & captivitati publicæ tradiderunt. Factum id anno M. CC.LXXVII.

Expugnata civitate hac, venit ad eam Rex cum exercitu ſuo, prædia diviſit, & quatuordecim diebus de rebus Regis Bohemiæ, quas in civitatem deduxerat, exercitui ſuo Rex neceſſaria tribuit abundanter.

Vienna in poteſtatem Rodolphi concedit Anno. 1277.

Per hanc civitatem obſeſſa fuit civitas Viennenſis, quòd Regi Bohemiæ non poterant commodè ſubvenire, nec Rex poterat Viennenſes à Regis Romanorum dominio liberare. Viennenſibus ſic in periculo conſtitutis, quid facere poſſent ignoraverunt. Poſtea verò deliberatione facta, cum Rege Romanorum compoſuerunt, & civitatem ſuo dominio tradiderunt, inſuper ab eis fuit donis magnis honoratus. Cum ſic Viennenſes à ſuo domino receſſiſſent, & Regem Romanorum pro domino recepiſſent: mox à Rege Bohemorum pueros, quos obſides ſibi dederant, petierunt. Rex autem reddere pueros contradicit. Tunc Viennenſes exercitu congregato, Regis Bohemiæ terminos intraverunt, & expugnatis munitionibus & civitatibus pluribus ad propria redierunt. Videns autem Rex Bohemiæ, quòd non poſſet Regi Romanorum reſiſtere, humiliavit ſe & commiſit ſe gratiæ ſuæ. Principes autem Reges ſub his conditionibus concordabantur. Debebat Rex Bohemorum filiam ſuam filio Regis Rudolphi matrimonio copulare: Regalia ſua ſicut deceret, ab ipſo recipere, & trecentos milites cum equis phaleratis in exercitu Regis ducere quando vellet.

Articuli pacis inter Rudolfum & Ottocarum Reges.

Rex Bohemiæ multis militibus, equis, veſtibus deauratis, gemmisque decoratus ſe præparavit, ut Regalia ſtatim à Rege ſuſciperet Romanorum. Hæc cum Principes Rudolphi Regis intellexiſſent: Regi cum gaudio retulerunt: Domine præparate vos, ſicut decet Regem, veſtibus pretioſis. Tunc Rex dixit: Rex Bohemiæ griſeam veſtem meam ſæpius diriſit, nunc autem ipſum mea veſtis griſea deridebit. Dein Notario ſuo dixit: Da pallium tuum mihi, ut Rex Bohemiæ meam derideat paupertatem. Adveniente Rege Bohemorum, dixit Rex Romanorum militibus ſuis: Armis veſtris induimini, dextarios veſtros loricate, & ad bellum ut melius poteritis præparate, utramque partem viæ, per quam Rex venturus eſt, proceſſionaliter occupate, & armorum Teutonicorum gloriam barbaris nationibus oſtendite.

Bohemus Auſtria cedit.

Hæc ſic ad Regis voluntatem præparatis, venit Rex Bohemiæ, cum veſtibus deauratis, & gloria regia fulgente, procedit ad pedes Regis Romanorum, humiliter ab eo ſua Regalia mendicavit. Inſuper & centum millium marcarum reditus, & quadraginta millium marcarum, quas Auſtriæ Dux habuerat, & Rex Bohemiæ de Regina Margaretha poſſederat, reſignavit. Tunc Rex Romanorum Regi Bohemiæ regnum, necnon & Regalia conceſſit, & ſe amicum ſuum intimum omnibus aſtantibus intimavit, Rege Romanorum hæc faciente, indutus veſte griſea, deſpectus & humilis apparebat, & in tripode reſidebat.

Poſt paucas ſeptimanas pœnituit Regem Bohemorum, quòd ſe ſubdiderat Regi Romanorum. Vidit enim Rex Bohemiæ, quòd Rex Rudolfus multa poſſiderat bonorum, & tamen in ſumma ſemper extitit paupertate. Propter hæc & alia Rex Bohemiæ filiam ſuam, quam filio Regis Rudolphi matrimonio copulaverat, monialem fecit, & in clauſtrum Dominarum ordinis Minorum ſolenniter collocavit. Poſt hæc Rex Bohemorum congregavit occultè decem millia Dominorum, volens occultè Regem comprehendere Romanorum. Deus autem mirabiliter hæc impedivit. Cœperunt intra ſe congregati milites diſcordare, ſe mutuo capere, plagisque maximis vulnerare. His ita geſtis, Rex Bohemiæ manifeſtè Regem Rudolphum diffidavit, congregavit Exercitum magnum, voluit cum Rege congredi, Romanorum, vel in civitate cum civibus obſidere, vel ipſum de finibus Auſtriæ turpiter extirpare.

Ottocarus jusjurandi fidem mutat. 1278.

Videns etiam Rex Bohemiæ, quòd Regem Rudolphum nec dolo nec ſapientia, nec potentia vincere potuiſſet, muneribus vincere cupiebat. Miſit enim Rex Bohemorum quibuſdam militibus Auſtriæ pecuniam magnam, ut in bello relinquerent Regem Romanorum: vel ſi poſſent, ipſum conſiliis impedirent. Promiſit & ſedecim militibus, mille marcas argenti, ſi ſibi Regem Rudolphum vivum, vel vulneribus læſum, vel mortuum præſentarent. Miſit & Ungariæ militibus pecuniam, ne ipſum

ipſum impugnarent, vel debiliter infeſtarent. Hoc & rei poſtmodum eventus probavit. Miſit & promiſit etiam Dominis Epiſcopis, Comitibus, Baronibus prope Rhenum conſtitutis, ut in adjutorium Regis Rudolfi minimè pervenirent, vel ipſum pro ſuis viribus impugnarent. Quod quidam pro ſuis viribus fecerunt, & amplius feciſſent, ſi Rex in aliquo defeciſſet. Unde & in adjutorium Regi Rudolfo tantum milites ducenti numero venêre.

Rodolfus auxilia corrogat.

Hæc audiens Rex Romanorum mandavit Principibus ſuis, Regi ſcilicet Ungariæ Duci Saxoniæ, Duci Bavariæ, militibus multis, Epiſcopo Baſilienſi & filio ſuo Alſatiæ Lantgravio, Epiſcopis diverſis, & omnibus quibus confidebat, Domino de Baldeck, quatenus cum omnibus armatis, quibus poſſent in adjutorium ſibi ſubitò pervenirent. Dixit enim: Si circa feſtum nativitatis beatæ Mariæ non veneritis, poterit mihi in maximum cedere detrimentum. Rex Ungariæ Regem Rudolfum clementer exaudivit, & ad civitatem Viennenſem, cum quatuordecim millibus hominum venit, ad prælium præparatis. Ex Auſtriæ partibus congregaverat Rex Romanorum milites multos, cum dextrarijs phaleratis. Habebat inſuper civitatem Viennenſem cum multis ad bellum præparatis. Sed in his omnibus Rex minimè confidebat, nec cum eis auſus fuit, cum Rege Bohemiæ dimicare. Sperabat enim filium ſuum venturum cum multis militibus, qui per ſe res & corpora periculo commiſiſſet. Cùm autem ad ſibi determinatum terminum milites prædicti venire non potuiſſent: turbatur Rex Romanorum ſupra modum. Erat enim intra ſe deſolatus, conſilio & auxilio deſtitutus. Præterea cives Viennenſes ad Regem venerunt, dicentes: Domine veſtri vos dereliquerunt, nec habetis homines, per quos Regi Bohemiæ reſiſtere valeatis. Rogamus vos quatenus nobis Dominum nos eligere permittatis, ne nos cum veſtra familia pereamus. Tunc Rex eos ſuppliciter deprecatur, dicens: tempus adhuc modicum ſuſtinete, ut videamus quid facere debeamus. Ex tunc juſſit caſtrum fideliter cuſtodiri. Inſuper ſervis ſuis, minoribus pariterque majoribus, ne quis alicui civium qualibet occaſione, vel ſuperbè, vel contumaciter reſponderet: poſſet enim hoc omnibus nobis evenire, in rerum & corporum detrimentum.

Epiſcopus Baſil. in militiam Auſtriacam abit.

Rege Rudolpho ſic in periculo conſtituto: congregavit Henricus Epiſcopus Baſilienſis, ordinis fratrum Minorum, vir ſapiens atque diſcretus, & Regi Rudolpho fideliſſimus amicus: Et Dominus Conradus Wernherus Advocatus Alſatiæ, dictus de Hadiſtat, exercitum centum militum optimè præparatis cum dextrarijs phaleratis. Hi duo Domini militibus ſuis congregatis in Baſilea conjunguntur. De Baſilea verò in Sueviam pariter proficiſcuntur, ibique Comes de .... cum centum militibus equos phaleratos habentes, adjungitur, & iter cœptum pariter perrexerunt. Milites iſti ſic in itinere conſtituti, Dominos plurimos timuerunt, unde & pluribus diebus in armis gravibus permanſerunt.

Rodolfus fortunam prælio tentandam ſtatuit.

Cùm autem veniſſent Viennam ad Regem Teutoniæ, gaviſus eſt gaudio magno. Interrogavit Rex, quare filius ſuus in eorum ſocietate non veniſſet: reſponderunt ei: Filius veſter cum 500. militibus eſt in procinctu veniendi. Comes verò Phirretenſis, & Comes Montis pilgardi ſunt in veniendo, cum multis militibus optimè præparatis. In ſecreto verò Regi contraria his omnibus referebant. Dixeruntque, nec filius veſter, nec aliquis amicorum veſtrorum ſubitò vobis poterit in veſtris neceſſitatibus ſubvenire. Debetis igitur deliberare, quid facere debeatis. Tunc reſpondit eis dicens: placet ut uno die quieſcatis, & ad bellum poſtea procedatis: ſufficit mihi quòd vos habeo cuſtodes capitis mei. In Deo meo confido, qui me miraculoſè ad hanc gloriam noſcitur elegiſſe, & in ea mirabiliùs confortaſſe: qui etiam nunc me per gratiam ſuam (ut ſpero) mirabiliter adjuvabit.

His dictis ſuis retulerunt: ad bellum omnes vos in craſtinum præparate, quia cum familia Regis Bohemiæ, nos oportet fortiter dimicare. Tunc tota familia Regis Rudolphi cucurrit ad Confeſſores, debita ſua ſcribebant, inimicitias remittebant, & ad communicandum prout fideliùs poterant, præparabant. Periculum enim mortis videbatur omnibus imminere. Exercitus Regis Rud. alba cruce deſuper utebatur: ſed Bohemiæ Regis exercitus crucem viridem deferebat. Rex Teutoniæ pro ſuis & pro ſe

fuerat

fuerat in timore maximo. Rex verò Bohemiæ certus de victoria fuit, unde dixit: Si quis mihi veraciter Regem Rud. cum ſuis Danubium tranſmiſiſſe, nunciârit, pecuniam viginti marcarum, voluntariè proponarem. Tertia die poſt adventum Baſil. Epiſcopi, ſcil. in vigilia S. Bartholomæi, B. litera dominicali, egreſſus eſt Rex Rud. Viennam, cum exercitu ſuo, cum Rege Bohemiæ prælium commiſſurus. Rex autem Bohemiæ cum exercitu ſuo prope civitatem venerat Viennenſem.

Bohemiæ Rex exercitum ſuum, in plures partes, ſed in tres diviſerat principales. Habuit enim multa millia peditum Cumanorum. Secundum habuit exercitum equitum & hominum diverſorum: tertium habuit exercitum equorum phaleratorum, & militum circiter nongentorum. Rex Rudolfus ſimiliter in tres partes ſuum exercitum dividebat. Habuit Ungariæ Regem cum quindecim millibus Ungarorum. Rex Ungariæ puer 18. annorum extitit, & ad prælium non pervenit, quia Rex Rud. ipſum noluit intereſſe. Epiſcopus Baſil. ſedens in dextrario phalerato decentiſſimo, armis indutus, ad bellum libentiſſimè proceſſiſſet, ſi voluntas regia permiſiſſet. Rudolfus Rex libenter vidiſſet, quòd Ungari cum Cumanis congreſſi fuiſſent: ſed eos ipſi invadere minimè voluerant. Secundum Rex Rudolfus exercitum habebat, & hunc adverſus exercitum Regis Bohemiæ dirigebat. Exercitus autem Regis Bohemiæ fortior erat, & eos retrocedere faciebat. Videns Rudolfus ſuos deficere, tertium quem habebat exercitum, ſcil. trecentos milites, habentes equos phaleratos, in quibus etiam maximè confidebat, contra Regem Bohemiæ dirigebat, & magis in Domino, quàm propriis viribus confidebat. Rex Bohemiæ videns Regem Rudolfum contra ſe venientem, ſolus adverſarios atrociter aggrediens, multos percuſſionibus ſuis graviſſimis affligebat: trecenti verò milites cuſtodes Regis, ipſum pro ſuis viribus adjuvabant. Tandem Rex Bohemiæ feſſus, ab ignobili capitur, armis propriis ſpoliatur. Tum Rex ſic diſcinctus ducitur, miles quidam inſequitur eum, dicens: ecce Rex, qui fratem meum turpiter interfecit. Licet igitur factum, extractoque gladio, Regem in facie perforavit. Qui autem Regem Bohemiæ ceperat, doluit vehementer, & ipſum libentiſſimè defendiſſet, ſi ſuis viribus potuiſſet.

Prælium atrox inter duos Reges.

Ottocarus interficitur.

Rex Rudolfus contra ſuos adverſarios fortiſſimè dimicavit, tandem vir fortis veniens, Regem percuſſionibus affligebat, ſed cum vincere non poſſet, equum Regis lancea perforavit. Tum Rex & equus pariter ceciderunt. Rex in terra jacens omni ſolatio deſtitutus, clypeum ſuum ſuper ſe poſuit, ne ſubitò ſub pedibus equorum turpiter moreretur. Poſt tranſitum caballorum, quidam volens eum à mortis periculo liberare, de terra prout potuit elevavit. Tunc Rex dixit, equum mihi velociter præparate: quem protinus aſcendit, & ſuorum auxilium fortiter invocavit. Venerunt autem ad eum de ſuis circiter 50. cum his igitur Rex à latere exercitum Regis Bohemiæ ſubintravit, atque in duas partes diviſit, & poſteriorem partem fortiter impugnavit. Anterior pars exercitus Bohemorum clamaverunt, *fugiunt*, *fugiunt*, exercitum Rudolfi decipere cupientes: ſed quantò plus illi clamoribus inſtabant, tantò magis Teutonici percuſſionibus eos infeſtabant. Poſteriorem partem Rudolfus Rex fortiter impugnabat, qui tandem timore territi fugerunt. Illis autem terga vertentibus, Ungari ſubſequuntur, pugnantes impugnant, fugientes ſequuntur, capiunt & occidunt: communiter dicebatur, quod in illo prælio 14000. occubuerunt.

Bohemorum clades.

Rex Rudolfus cum ſuis in loco prælij permanebat, donec omnes eum ſecurum de victoria referebant. Rex Bohemiæ eodem die moritur, & inteſtinis ejus expoſitis, corpus reliquum cum ſale, in fratrum Minorum monaſterium collocatur. Mortuus enim fuit in excommunicatione Papæ, propter hoc non poterat in cœmiterio ſepeliri. Fuerunt in exercitu Regis Romanorum debiles homines, clerici, Monachi, diverſarum religionum converſi, qui ſe in quoddam colliculum receperunt, finem certaminis expectantes, Dominum pro ſuis hominibus deprecantes. Hi conſideraverunt, quòd in exercitu Regis Bohemorum ſplendor & calor maximus extitit armorum. Sed exercitum Regis Rudolfi quocunque declinabat, ſemper nubes frigida protegebat. Ex hoc præſumebant, quod exercitus Regis Rudolfi adjutorio Domini debuit prævalere. Acta ſunt hæc prope Viennam, in campo dicto, Ganſerſeld, anno 1278. circa horam ſextam, in vigilia Bartholomæi.

Mortuo

Mortuo Rege Bohemorum, intravit Rex Rudolfus terram Moraviæ, volens eam totaliter devastare. Civitates communi consilio Regem Rud. pro Domino receperunt, & infra mensem, se & sua commiserunt, & fidelitatem juramento firmissimè promiserunt. Regina Bohemiæ cum Rud. Rege ita composuit, quòd filius Reginæ filiam Regis Rud. duceret uxorem, quod factum est, intra octavas S. Francisci.

Ottocari filius à Rodolfo in generũ adscitus.

In loco occisorum fœtor tantus extitit, ut plures vel infirmi, vel mortui extiterint, in ea villa habitantes. Dæmonum præterea vel spirituum illusiones multos horribiliter terruerunt. Advocatus Alsatiæ retulit, quòd venatores cervum magnum insectantes, venerunt ad Heremitam, qui XII. annis in solitudine cum uxore & liberis vixit. Hic venatoribus retulit, se vidisse animal à cingulo mulieris imaginem habens, quod dixit, Teutonica intra tres septimanas habebit Regem, qui regnabit XV. annis

De morte Reginæ Romanorum Rudolfi conjugis.

ANNO Domini M. CC. LXXXI: Regina Rudolfi Regis cœpit graviter infirmari. Propter quod accersivit consiliarium confessoremque sibi, inquiens: Mortis periculum sentio mihi breviter imminere. Rogo igitur vos, quomodo corpus & animam ad cœlum & ad paradisum Domini dirigatis. Qui dixit, omnes amicos vestros, omnes divitias hujus seculi, omnemque gloriam mundi de corde vestro, quantum potestis, à vestra memoria repellatis, ac Deo & hominibus satisfacere promittatis. Quæ dixit: libentissimè faciam. Post hæc Testamentum condidit, & elegit in Basilea, in majore Ecclesia Ecclesiasticam sepulturam. Delegit autem locum prænominatum, eo quòd Rex Rudolfus antecessoresque sui Basiliensem Ecclesiam sæpius damnificassent ac ejus Episcopos perturbassent. Ordinavit enim in testamento (ut quidam dixerunt) quòd reditus duarum præbendarum Monasterio darentur, ut sic Deo & hominibus satisfaceret.

Contulit Ecclesiæ Basil. jura patronatus in Augst & Zeiningẽ Basil. diœcesis.

Post hæc Regina moritur, exenteratur, & venter ejus sabulo & cineribus impletur: facies ejus Balsamo linitur, totumque corpus panno cereo circumdatur, ac sericis vestimentis induitur pretiosis. Caput ejus albo serico peplatur, & corona sibi superponitur deaurata. Posthæc in arcam ex fago peroptimè factam, supina, manibus super pectus positis, imponitur, & ferreo clauditur instrumento. His expletis, in Basileam cum equis XL. ducitur, & (ut credebatur) cum pecunia copiosa. Fuerunt in Comitatu suo fratres Prædicatores duo, Minorum duo, & Dominæ quas tres currus ducere potuerunt, Adjunxerunt autem se eis homines circiter quadringenti.

Rex autem mandaverat Episcopo Basiliensi, ut Reginam defunctam solenniter sepeliret. Episcopus Clericos regulares & seculares invitavit Basileam. Convenerunt igitur mille ducenti, qui omnes candelas in manibus habebant, & Reginæ in processione cum ornatu pretioso solenniter occurrunt, & ad majus monasterium pertulerunt. Tribus Episcopis ibidem divina celebrantibus, Reginæ corpus in tumba positum erigitur, & omnibus præsentibus ostenditur, & post Missam deponitur & cum fletu Nobilium sepelitur. Hoc retulerunt qui Reginæ gloriam quæsiverunt. Episcopus Clericos omnes ad prandium invitavit, & necessaria ministravit.

Augustalis funeris exequiæ Basileæ.

De Waltheri Rösselmanni Sculteti Colmariensis parentibus & incrementis.

WALTHERUS Rösselmann cerdo in villa Türincheim filium habuit Joannem Rösselmann. Hic hospitio paterno non contentus, ad Scultetum Columbariensem se transtulit, cui fideliter serviebat. Ea amoto, secundo & tertio serviebat, & interdum sub judicio præsidebat. Hic officium Sculteti desiderans, modo quo potuit, obtinebat. In officio suos exaltabat, alios supprimebat. Cùm pauperes diutius id sustinere non possent, absolutionem communiter procurabant. Huic substituitur Dominus de Racinhusen, vir pius, devotus & æquus. Jo. Rösselmann depositus, in Ensisheim ad Comitem Rudolfum de Habspurck se transtulit, ei serviens. Laborabat quomodo posset Colmariam tradere in potestatem Comitis de Habspurck.

De Razamhausen equestris familia apud Alsatas.

Post

Poſt paucos annos dixit Comiti: Domine, mittite pro conſobrino veſtro Comite Gotfrido de Lauffenberck & ſuis militibus, & venite unà ad Columbariam, & ego potenter vos intromittam. De inimicis noſtris poſt hæc pro libito faciemus. Conſenſit Comes. Johannes Röſſelmann amicis ſuis circum Columbariam commiſit, ut cùm armis adſint, &c. Johannes in vas vacuum ſe abſcondit, Columbariam clam ingreditur, in curiam Decani fertur. Sequenti die circa diluculum, Comitem Rudolfum cum ſuis, clam quibuſdam juvantibus, intromiſit. Adverſarij Johannis intelligentes hæc, aufugiunt, relictis omnibus quæ habebant, videlicet, Scultetus, Dominus de Rappoltzhuſen/ milites ſeptem, cives decem, quorum quilibet ditior erat Johanne. Horum bona confiſcabat & dividebat. Et in hac gloria Johannes pluribus annis apparebat.

Iohannes Roſſelman prodit Colmarienſes.

Anno M.CC.LXII. Dominus de Winegk, filius ſororis Domini de Horburc, cum multis militibus & terræ nobilibus, conſentientibus multis civibus, Columbarienſem civitatem intrare per potentiam voluit. Scultetus hæc intelligens, eis in dextrario occurrit feſtinanter: hunc apprehenſum in porta Steinenbruka atrociter occiderunt. Conſanguinei ſui hæc intelligentes, ſtatim egreſſi plus quàm viginti nobiles occiderunt.

Idem occiditur.

Poſt annos duodecim, Rudolfus Comes de Habſpurc in Regem eligitur Romanorum. Hic Waltherum, filium Joannis Röſſelman/ Scultetum in Columbaria fecit: Othonem de Ochſenſtein/ nepotem ex ſorore ſua, Rudolfus advocatum Alſatiæ præpoſuit. Sed Scultetus & advocatus terræ non per omnia concordabant. Advocatus jubente Rege, vel ſaltem connivente, exactiones plurimas faciebat: Scultetus & populus invitè ſolvebant. Rex Rudolfus indignatus, militibus ſtipatus, Columbariam proficiſcitur, Scultetum depoſiturus. Scultetus præmonitus civitatem clauſit, nec Regem ingredi permiſit.

Rex Columbariam potenter obſedit. Regi nunciatur, Fridericum quendam Imperatorem in partibus inferioribus affectare regnum. Rex ſibi timens, obſidionem Columbarienſem ſolvit, & cum exercitu deſcendens, Fridericum cepit & igne cremavit. Inde ad obſidionem Columbarienſem ſecundò perrexit, & ipſos cum conditionibus quibuſdam ad gratiam ſuſcepit. Scultetum Waltherum Rex depoſuit, & Stamheim Scultetum præpoſuit, & eos maximis exactionibus turbavit. Stamheim Scultetus in Columbaria reſidere non poterat: filiaſtro ſuo officium committit, & diverſa turbatio in Columbaria quieſcebat.

Colmaria à Rudolfo obſeſſa Anno 1285.

Rege Rudolfo mortuo, Waltherus Röſſelman/ quondam Scultetus, in ſumma paupertate conſtitutus, conduxit duodecim ſervos vagos & inopes, cibum & veſtes miniſtrans, per hos inſidiaturus Sculteto Stammeheim. Intelligens id Scultetus, declinavit. Waltherus Röſſelman conſilio Decani & aliorum amicorum, officium Sculteti per violentiam occupat. Poſt hæc Dominum de Hunnewilre/ militem honeſtum, juvenem, divitem, bene parentatum, & filium ejus juvenem, ſine occaſione & cauſa contra Deum, homines & juſtitiam interfecit, ejus res diripuit, plus quàm CCC. marcas inter ſuos diſtribuit. Dominos milites de Mortgaſſen/ Jſich & Dominum Ruſlarium civitatem exire compulit, & res eorum confiſcavit: Regi ſe oppoſuit, & Columbariam Anshelmo de Rapoltſtein tradidit.

Waltheri Roſſelmanni ferocia.

Bellum in Anshelmum Rapoltzſteinij Dominum.

DOMINUS de Rapolſtein carnalem fratrem liberosque fratris noſcitur habuiſſe, qui cum eo dominium debuiſſent jure hæreditario poſſediſſe. His hæreditatem dare noluit, ſed de dominio, quantum potuit, extirpavit. Is Dominus de Rapolſtein Regem adijt Rudolfum cognatum ſuum, eique factam à fratre injuriam flebiliter revelavit. Rex his auditis Dominum de Rapolſtein vocavit, eumque rogavit, ut liberis fratrum ſuorum, nec non & fratri de hæreditate paterna propriam tribueret portionem. Tunc Dominus de Rapolſtein Domino Regi taliter reſpondit: Si fratri meo liberisque fratrum meorum hæreditatem dividerem, inops ac pauper & ſine dominio remanerem. Hoc enim facere nolo, nec in hoc alicujus precibus acquieſcere.

His completis, dixit Rex Domino de Baldeche, ſuo fideliſſimo procuratori, quatenus aſſumptis civibus Columbarienſibus & Keiſerſpergenſibus, & alijs vicinis civitatum,

tatum civibus, Rapoltzstein fideliter obsideret. Hoc fideliter adimplevit. Accepit enim cives prænominatos, & Rapoltzstein obsedit : Villam Bercheim per ignem destruxit: segetes & agros depopulatus est,& vineas aliquas extirpavit, videns autem quòd cives eum non fideliter adjuvarent,ab obsidione post triduum recedebat.

Timens autem Dominus de Rapoltzstein Regem Dominos vicinos suos adjit,eosque suppliciter rogavit,ut nec eum nec suos propter aliquem infestarent. Hoc autem quidam de consilio Regis amicabiliter admiserunt. Dominus de Horburc ejus precibus acquiescere recusavit. Dominus de Rapoltzstein de hoc fuit graviter indignatus. Dominum de Horburc hostiliter impugnavit, & ejus villas, quas poterat, exurebat. Super hoc Rex fuit indignatus, in Alsatiam personaliter venit , & Rapoltzstein potenter cum indigenis obsidebat. Septem autem de adjutoribus Regis, ut dicebatur, eum morti tradere voluissent. Ordinatum enim sic fuerat, ut Regi dicebatur , quòd pecuniæ quatuor bobonibus datæ fuissent, ut tentoria sive exercitus in quatuor partibus incendissent. Hinc autem strepitu facto, Rex de obsidione subitò recessit , & se ab Alsatia separavit. Ordinavit autem quòd civitates in Cellinberg haberent equites L. qui impedirent , ne aliqui Domino de Rapoltzstein aliqua victualia seu necessaria ministrent. Posthæc mandavit Rex eidem Domino , ut civitates Alsatiæ congregaret, & in villa Gemer castrum ligneum fabricaret. Ipse autem intra octavam Petri & Pauli civitates congregavit, & castrum (ut sibi imperatum) inchoavit, & in brevi tempore consummavit. Consummato castro milites ibi reliquerunt,& ad propria redierunt. Acta sunt hæc anno Domini, M. CC. LXXXVII. *Gemar castrum.*

Dominus de Rapoltzstein intra Calendas Augusti, Galliam intravit, ibique à Domino de Blanchiberg cognato suo, pedites & equites accommodavit , nocte propè villam Sigolzheim perducebat, & ibi eos in diversis locis pro insidiis collocavit. Mane autem facto greges villæ pauci acceperunt, & velociter abierunt. Villani autem prædam insequuti , liberare pecora voluerunt. Igitur homines Domini de Rapoltzstein de insidijs egressi fuerunt, eosque comprehenderunt , & eorum plus quam CXXX. ad propria perduxerunt. Homines de Horburc videntes prædam magnam,paucos homines ducentes,sine deliberatione prædam liberare volentes,similiter capiuntur, & cum alijs deducuntur. *Anshelmi Rapoltsteinij grassationes.*

Rudolfi Regis quædam apud Moguntiam acta.

ANNO M. CC. LXXXVIII. Rege Rudolfo existente Moguntiæ , frigus veniebat in ortu Solis, atque frigus ipsum immodicè molestavit. Vidit igitur ex opposito domus in qua jacuit pristinum multis vivis carbonibus abundare. Induit se Rex sola tunica carbones vivos velociter visitavit. Hospita ignorans ipsum esse Regem, sibi loquebatur in spiritu vehementi ,dicens : Milites non debere ad mulieres pauperculas declinare. Dominus Rex mulieri dicens humiliter loquebatur : O Domina nolite propter meam præsentiam turbari : sum enim antiquus miles : & omnia mea in servitio vilissimi Rudolfi consumpsi, & contra bona promissa me patitur indigere. Mulier dixit : Sequimini Regem Rudolfum vilissimum, qui totam terram destruxit, & omnes pauperes devoravit ? Hæc meritò vos mala & alia comprehendunt. Rex Dominæ dixit : Quæ mala vobis fecit ? Mulier turpissimè Regem vituperans atque maledicens, cum magna cordis amaritudine respondebat : Ego & omnes pistores civitatis hujus præter duos, per eum depauperati sumus, quod temporibus nostris ad divitias quondam habitas non possumus pervenire. Post hæc mulier dixit: Domine, recedatis: quia hìc nos in nostris occupationibus retardatis. Rex autem propter verba mulieris recedere recusabat. De hoc mulier indignata, vas aquæ sustulit, prunas perfudit, & antiqui militis seu regis vestem enormiter deturpavit. Rex igitur fugit , & ad suum hospitium festinavit. *Rud. Rex carbonibus perfusus.*

Rex igitur cùm sederet ad mensam , dapifer sibi caput porci cum multis apponebat. Memor igitur rex beneficiorum quæ pistrix ei contulerat, ei retribuere cupiebat. Advocans rex hospitam dixit ei : Hanc scutellam cum carnibus & quartale vini recipiatis, & vicinæ vestræ de antiquo milite deferatis. Agit enim ei gratias , quòd apud suos carbones de mane fuerat calefactus. His igitur peractis , recitavit rex qualiter

piſtrix eum vituperaverat, atque maledixerat, & ad riſum omnes magnum concitavit. Piſtrix autem intellexit, quòd Rex fuerat quem vituperaverat, ultra modum doluit. Regem adijt, & ut ſibi remitteret illatam illi injuriam, ſuppliciter deprecatur. Rex autem remittere, niſi priùs eum vituperaret, ſicut priùs fecerat in occulto, non volebat. Hoc mulier fecit, & Domini ſui voluntatem fideliter adimplevit, & ad riſum plurimos provocavit.

Retulit frater Alradus, prior fratrum Argentinenſium. In Alſatia dicebatur, quòd Judæi conqueſti fuiſſent regi Rudolfo, quòd Chriſtiani plus XL. Judæos ſine cauſa turpiter occidiſſent. Chriſtiani autem conqueſti fuerunt de Judæis, quòd ſervum atque Chriſtianum in die Paraſceve in cellario, occultè atque Chriſtianis ignorantibus, occidiſſent. Judæi Regi Rudolfo, ut eis de illis de Weſela atque Popardia juſtitiam faceret, & eos à periculo liberaret mortis, & ipſorum Rabbi, id eſt ſupremum magiſtrum, cui ſchola Judæorum & honores divinos impendere videbantur, quem Rex captivaverat à captivitate carceris liberaret, viginti ſibi millia marcarum promiſerunt.

Rex Judæorum petitionem exaudivit, Judæum captivum libertati reſtituit, illos de Weſela atque Popardia in marcis bis mille condemnavit, & eos à mortis periculo liberavit. Inſuper fecit Rex Dominum Archiepiſcopum Moguntinum ſolenniter prædicare, quòd Chriſtiani Judæis injuriam maximam intuliſſent, & quod bonus Wernherus, qui à Judæis occiſus communiter dicebatur, qui pro divino à quibuſdam Chriſtianis ſimplicibus colebatur; deberet igne cremari, & cinis corporis ejus in ventum diſpergi, & ad nihilum diſſipari. In hac Prædicatione Domini Archiepiſcopi plus quàm quingenti Judæi in armis ſederunt, ut ſi aliquis Chriſtianus in contrarium dicere voluiſſet, ipſum eum ſuis gladijs occidiſſent.

Proditio urbis Colmarienſis, & ejuſdem per Adolfum Cæſarem recuperatio.

ANNO M. CC.XCIII. quarto Idus Septembris, Scultetus Columbarienſis ignorantibus Senatoribus & civibus, Anshelmum de Rapolzſtein advocat, eique civitatem tradit, intromiſſis multis armatis, ac in cœmiterium ductis. Civibus dormientibus compulſantur campanæ: concurrunt cives ad cœmiterium: pedites armatos inveniunt: terrentur: quid faciant ignorant. Cives omnes per præconem vocantur, dicentes: Adeſt nobis amicus noſter, D. Anshelmus de Rapolzſtein, volens nos corpore & rebus juvare. Intellexit enim quòd inimici noſtri vellent nos graviter perturbare. Venit igitur, ut ipſe nobis & nos ei fidelitatem juramento firmemus. Subjunxit: Levate manus veſtras & jurate, quod & fecerunt.

Videns Dominus de Rapolzſtein paucos fidelitatem juraſſe, magiſtris Zunftarum præcipit, ut ſuos ſingulos ad ſingula loca vocarent: à quibus ſingulis petunt fideliter jurari: quòd multi fecerunt inviti. Expelluntur qui id facere recuſant, milites Ruſtarius & Domini de Nortgaſſen, & ex civibus plures divites & honeſti.

Rex Adolfus Reginam Briſacum mittit: ipſe cum exercitu verſus Coloniam proficiſcitur. Cives Columbarienſes, Dominica, vigilia exaltationis Crucis in montana egreſſi, vinum ſuum nondum maturum colligunt. Dominus de Rapolzſtein villam Türckheim prædatur, pecoraque abigit in domicilium ſuum Wilre. Columbarienſes cum gaudio revertuntur, & ſe præparant, quò ampliora colligant, & ſibi proſpiciant. Rex Adolfus hæc audiens, Advocatum præmittit. Hic in Sletſtat plurimis hominibus ſecum aſſumptis, vallem Urbis, quæ ſub caſtro Hohenac eſt, ingreditur, villas Domini de Rapoltſtein ſuccendit, homines capit, pecora tollit, cum gaudio redit. In Wingenheim & Ongersheim exitum Columbarienſium præſtolatur. Columbarienſes egredi non audebant. Rex cum exercitu Rapperſchuiler obſedit, vineas deſtruit ac domos. Poſt dies decem Columbariam verſus proficiſcitur, molendinarum fluvium derivat aliò, ſingula devaſtat, præter leproſorium. Cives vallis S. Gregorij ad wilre pergunt, vinum colligunt, & ad propria deducunt. Columbarienſes licet obſeſſi, ex vernaculis viginti mittunt wilrenſibus ſubſidio. Cives Gregorianæ vallis ſecundò veniunt ad Wilre, quos incautos Wilrenſes & Columbarienſes obruunt,

Adolfus Colmariam recuperaturus proficiſcitur.

Vrbis vallis.

ruunt, occidunt & capiunt. Advocatus terræ Dominum de Berckheim/ cum D. hominibus contra Wilrenses mittit. Dominus de Berckheim vallem S. Gregorij ingressus, duas machinas magnas, lapides projicientes: & Cattum, videlicet instrumentum quo turres destruuntur, accepit, Wilre obsedit, paucis diebus obtinuit castrum, & castellum funditùs evertit. Hinc cum ejusdem machinis ad Gemer profectus, quod ex prima obsidione relictum fuit, penitus devastavit.

Adolfo Regi cum Principibus supradictis, Comitibus, Nobilibus liberæ conditionis, militibus suis Dominis servientibus, ex exercitu in obsidione sex septimanarum, vix decem homines morte naturali obierunt, etiam vix decem à persequutoribus interfecti. Coloniensis tentorium, XL. in latitudinem, centum pedes in longitudinem habuit & CC. equos phaleratos. Maguntinus, Spirensis, & Basiliensis Episcopi in eodem exercitu fuerunt, quod singulis annis habet XX. millia marcarum argenti. Comes Burgundiæ feuda sua ab eo recepit, servitiumque suum obtulit. Cui Rex respondit: Jam opus auxilio non habere, sed cùm fuerit opus, se ejus auxilia petiturum. Dux Austriæ in auxilium à Rege vocatus, respondit: Si Principes in obsidione defecerint, mihi significato, & ego veniens obsidebo quamcunque volueritis civitatem.

Unus exercitus Regis Gemar obsidebat. Secundus exercitus, videlicet, Episcopus Basiliensis & Comes Phirretarum, unam partem civitatis Columbariæ obsidebant. Tertius autem, Episcopi & Principes supradicti. Hi divitijs, gloria & honore cæteris antecellebant. In obsidione hac Regis exercitus bonis omnibus abundabat. Annus fuit calidus & siccus, vinum optimum. Basilienses exercitui quæque bona & necessaria ministrabant.

Copia Regis Adolfi Colmariam obsidentes.

Columbarienses vinum & bladum sufficientia habebant. Quartale frumenti vendebatur septem solidis: sed quartale farinæ pro libra, ob aquam molendinorum aliò derivatam. Pauperes in mortarijs frumentum triverunt, alij in molendinis specierum: alij rotis molendinorum homines adhibuerunt, & circumire cogebant. Duas molas molentes habebant monachi de Peris, quarum una Sculteto, altera Domino de Rapolstein serviebat: sed nec his farinam necessariam potuerunt ministrare. Utebatur Dominus de Rapolstein singulis diebus XII. quartalibus. Hic sex fratribus Prædicatoribus secum conclusis panem album pro sex denarijs quotidiè ministrabat. Costa autem circumferentiæ hanc longitudinem comprehendit.

Solenne tentorium Rex non erexit, nec prandia nec cœnas solennes faciebat: tantum XII. vasa vini & alia Dominis quotidie ministrabat. Captus est dapifer hæc referens in equo, Marscalcus quoque Regis, & Nobilis quidam interfectus.

Tres cives pauperes defectum diutius ferre nolentes, dixerunt: Propter Deum & justitiam periculo nos committamus, & civitatem ad verum Dominum transferamus. Consilium charis & fidis indicârunt, qui omnes approbârunt. Significant hoc Regi, qui gavisus auxilium promisit. Ex civibus ditioribus multi pauperibus consenserunt. Hi omnes Regi significant, ut per balistarios suos cogat exire Columbarienses, provocando. Cùm autem Domini civitatis fuerunt egressi, claudemus portas, & Dominos vobis committemus, ac deinde in civitatem vos mittemus sine periculo. Rex, ut cives consuluerunt, fecit: sed Dominus de Rapolstein & Scultetus præmoniti, civitatem egredi noluerunt.

Secundò mandarunt Regi, quòd domum circa diem proponerent incendere: & hominibus currentibus ad ignem, Regem intrare permitterent violenter: sed nec id successit. Audiens hoc Episcopus Argentinensis, venit cum CC. militibus, volens fideliter juvare Columbarienses. Cùmque Senatores de his deliberarent: venit communitas civitatis, clamans: Nolumus plures homines introduci.

Dixerunt pauperes sumptis armis: Ad cœmiterium conveniamus, & quod decretum fuerit, faciamus. Hoc facto, dixerunt: Claves portarum accipiamus, & cum diligentia conservemus. Decanus & Scultetus responderunt: Claves, cum volueritis, præsentabimus: volentes populi voluntatem impedire. Vulgus verbis eorum non acquievit, & ad portas urbis subitò corruerunt, claves à portarum custodibus petiverunt. Claves à custodibus perterritis subitò exhibentur.

Seditio plebis Colmar. contra primores urbem detinentes.

Habitis clavibus, ad Curiam, in qua morabatur Dominus de Liechtenberg / subitò convenerunt, violenter portas aperiunt, & Dominum quærunt. Hic turbam armatorum videns, ad Dominum de Rapoltstein declinavit, recitans quæ viderat & acciderant. Ambo perterriti ad fratres Minores divertunt, consilium ab eis quærunt, quid agendum existat. Hi verò eis consulere nequiverunt. Dominus de Liechtenberg cum decem viris, per murum civitatis quasi nudus evasit.

Post paucos dies cum XL. equitaturis ad Rapoltstein venit, volens eos fideliter adjuvare. Cives verò non crediderunt ei per omnia, sed claves fidelibus mandabant, neminem ingredi vel egredi liberè voluerunt. Dominus de Liechtenberg / timens, cives Rapperschuilre idem facturos quod Columbarienses, recessit ab eis, nec amplius eos juvare voluit. Dominus de Rapoltstein in domo Minorum se continuit, & in quibusdam angulis latitavit.

Cives Columbarienses, cùm Dominos in Curijs non invenerunt, arma & equos abstulerunt. Servi Dominorum aufugiunt, atque quò possunt sese abscondunt. Servos inventos cives comprehendunt, ac in vincula conjiciunt. Scultetus & filius cum quærentibus circumibant. Cui amicus quispiam dixit: Recedite de via, priusquam satellites Regis vos comprehendant: statimque recesserunt. Dominus de Rapoltstein vix tandem à quærentibus invenitur, capitur & custoditur.

Colmaria Adolfo traditur.

Capto Domino de Rapoltstein, claves portarum per honestum civem, dictum Rebmann, cum civitatis Dominio ad Regem transmiserunt. Quare gavisi sunt interni & externi, ac universus Regis exercitus. Dominus Episcopus Argentinensis turbatus, ad suos se transtulit festinanter.

Ipsa nocte, Dominum de Rapoltstein & cæteros captos cives, Regi, id petenti, transmittunt. Non tradito Sculteto, indignatus Rex, per præconem proclamari jussit: Centum libras habiturum, qui Scultetum præsentaret. Timens valde Scultetus, pauperis vestem induit, clam civitatem egreditur, quatuor eum præcedentibus, vel sequentibus: vergens versus munitiones Domini Argentinensis. Viam noverat optimè, & Egesheim castellum in oculis habuit. Dum usque ad tertiam horam in sylvis & devijs aberraslet, occurrit ei mulier. Hæc duobus viris præsentem esse Scultetum ostendit. Hi gavisi, eum ceperunt, Regi præsentandum. Sed milites Episcopi Basiliensis violenter Scultetum eripiunt, & in castrum Schwartzenburg transferunt. Hi duo viri Regem adituri, obvio cuidam dixerunt, quid acciderit. Hic illicò Regi nunciat: cui Rex equum pro munere confert. Posthæc prædicti duo cives Regi deferunt quid acciderit: Regisque jussu à Procuratore centum libras recipiunt.

Rosselmannus è fuga retractus.

Ab Episcopo Basiliensi Scultetum Rex postulat: Episcopus dare recusat, irregularitatis timore. Promittit Rex animam Sculteti à corpore non separare.

Perfidi Rosselmanni pœna.

Rex Scultetum vilibus personis committit, jubet ut rotæ imponatur, & perticæ imposita in castris & civitatibus erigatur, ac sic circumducatur, ut ab omni populo videatur: post vesperam deponatur, & custodiatur in cippo. Martyrium rotæ requiem reputabat. Custodes eum multis contumelijs affecerunt: ex eorum cyphis cum bibere noluerunt.

Rex bigam misit, ut Scultetum ad se deducerent: vestimenta Sculteti & rotam bigæ imposuerunt, & eum ad bigam ligatum currere post eam coegerunt. Manum ejus in modum jurantium ad stipitem ligaverunt, ut significarent, eum sæpius pejerasse.

Pater hujus dictus est Joannes Rösselman / etiam Scultetus Columbariensis. Avus ejus dictus est Waltherus Rösselman / de quibus suprà.

Anshelmus Rapoltsteinius bonis omnibus mulctatus.

Rex cum exercitu ad Gemar proficiscitur: Dominus de Rapoltstein & alij capti unà ducuntur, judicium expectatur, precibus Dominorum judicium differtur. Res Domini de Rapoltstein in tres partes dividuntur: quarum una Domino Henrico altera

altera filio fratris, tertiam ipse in suam traheret potestatem. Ob id hæredes omne jus in Gemere & hæreditatem in regiam potestatem tradiderunt.

Infra octavam sancti Martini, Dominus de Rapoltstein, in equo catenatus, & triginta vel amplius servi, duobus curribus ligati, ducebantur. Cùm Dominus de Rapoltstein Columbariam transiret, fletu & ejulatu cordis dolorem & amaritudinem indicabat. Ducuntur Brisacum, hinc in castrum Sueviæ Acheln.

Parentes & liberi Anshelmi Rapolsteinij.

Hic matrem habuit filiam Comitis de Froburg, patrum cognatum Domini de Blanckenberg / virum pulchrum, largum, mitem, benignum, omni laude dignum: hic juvenis moritur. Mater fuit longa corpore, facie pulchra, crine candido, voce dulci, amabili, decora. Hæc cum bonis suis se ad claustrum Minorum propè Schaffhusen transtulit, vitam ibidem cum sacris virginibus consummavit. Filiam habuit unicam, filios quinque elegantes. Primus dominio malè præfuit: secundus verò pejus: tertius iste Anshelmus præsidebat.

Cœnobium Paradisi.

Habebat plerunque triginta balistarios, homines tyrannos, quibus vicinos suos graviter lædebat. Recepit enim homines ære gravatos alieno, & in malitia obstinatos, dicens, quòd servus habens animam, nequaquam sibi servire posset. Ob id Deus abstulit ei corpus, res, gloriam & honorem, CCC. marcas in redditibus habebat, & tamen suos magnis actionibus gravabat. A subditis quartam partem vini auferebat. Fratrem suum Henricum & filium fratris sui, de legitimis possessionibus expulit. Hoc unum bene gessit, quòd claustrum sancti Joannis in Underlinden fideliter defendit, quòd pater ejus multis bonis, & jure patronatus sancti Martini, donaverat. Sororem suam in eodem claustro existentem, exaudivit in omnibus.

Quid Adolfus recuperata Colmaria porrò in Alsatia egerit.

REGE negotijs circa Columbariam completis, viam suam versus Gemer & Herstein dirigere volente: occurrerunt ei cives Argentinenses, ipsum suppliciter deprecantes, ut faceret pacem juramento generaliter confirmari. Ad hæc Rex dicitur respondisse: Quando locum vestrum præcessi, hoc vos rogavi: sed vos pacem habere nullatenus voluistis. Nunc igitur vos defendite, si potestis. Secundam petitionem porrexerunt, dicentes: Domine Rex, rogamus ut castellum Herstein non obsideatis, quia nobis in maximum cederet detrimentum. Rex super hoc deliberato consilio respondit: Dominus in Herstein me diffidavit, res Imperij prout potuit, impugnavit: hunc & ego teneor impugnare. Vos verò in rebus non impugnabo: dummodò res inimici mei de vestris limitibus extirpetis. Cives Regi responderunt: Muros civitatis Erstein / pro satisfactione funditus evertemus. Rex respondit: Per hoc mihi non est satisfactum, quia volo corpus inimici mei, res, & omnia quæ possidet in regiam trahere potestatem. Cives Argentinenses super his deliberaverunt, & quid sibi responderent invenire minimè potuerunt.

Argentinenses pro Ersteino apud Cæsarem intercedunt.

Quidam de consiliarijs confidentes in sua multitudine ac potentia, cæteris dixerunt: Opponamus nos ei, & possumus eum faciliter de nostris finibus extirpare. Ad hæc Scultetus: Ego explorando castra Regis fideliter circumivi & ut mihi videtur, inveni plus quàm mille dextrarios, equis minoribus minimè computatis. Habet insuper Rex singulis septimanis atque mensibus de civitatibus homines multos & si placuerit pauciores. Claudet insuper Rex Rhenum per Principes quos habet, ut ad nos nihil poterit pervenire. Insuper claudet vias nobis, quòd commodè non poterimus ingredi vel egredi civitatem. Præterea, si exercitus Regis requievit propè Herstein / nos singulis diebus visitabit, & quidquid extra muros fuerit, totaliter devastabit. Et ut mihi videtur, si obsessi rectè fuerimus, infra breve tempus in civitate ne tertia pars pauperum remanebit. Sed si multò pauciores haberet, quàm habeat, & potenter nos obsidere non posset. Hæc mala & majora nobis faceret, possessiones nostras alienis traderet, & nos sine pugna penè nostris omnibus defraudaret. Proterea Rubiacam cum paucis hominibus obsideret, & illa propter homicidium militis Zedellarij noviter factum in ea, sibi traderetur, & sic civitatem cum suis fautoribus obtineret, & fautores

Epiſcopi Argentinenſis deleret. Sic Rubiacam in perpetuum retineret.

Cùm hæc & his ſimilia ponderaſſent cives Argentinenſes, fideliter conſuluerant Domino, quòd veniam à Rege quæreret & obtineret: quia ſi non faceret, tota ſua progenies de terra breviter deleretur. Venerabilis D. Cunradus de Liechtenberg Epiſcopus Argentinenſis in arcto poſitus, Dominum de Liechtenberg & Comitem de Werde vocavit, & cum eis ad pedes Regis humiliter ſe proſtravit, ab eo veniam cum gratia poſtulavit. Rex miſericordia plenus eos hilariter exaudivit. Injunxit autem Rex Domino præpoſito, dicto de Liechtenberg, & Comiti de Werde / quòd ſecum in expenſis proprijs pergerent, donec ampliorem gratiam ab eo ac Principibus obtinerent. Hoc acto, Rex ac Principes, ac civitatum rectores pacem pro viribus ſe facturos, juramento fideliter firmaverunt.

Cauſa funeſti belli inter Galliæ & Angliæ Reges: in quo Cæſar Adolfus Anglorum partes ſequutus eſt.

REX Franciæ filiam ſuam filio Regis Angliæ deſponſavit, & ei pecuniam multam & civitatem maritimam magnam atque bonam, cum adjacentibus ſibi dedit, quando eam filio Regis matrimonio copulavit. Cùm juvenis juvenculam per tempus aliquod habuiſſet, juvencula viam carnis ingreditur, liberi poſt matrem breviter ſequebantur & pater hæres efficitur parvulorum. Cives verò civitatis quam Rex Franciæ filio Regis Angliæ cum filia tradiderat, ægrè tulerunt eſſe ſub Anglis. Rogaverunt igitur Regem Franciæ, ut dominium civitatis ſupra memoratæ, quantocyus per evictionem ad ſe redire faceret, quia vellent ei in ſolutione pecuniæ pro poſſe ſuo voluntariè ſubvenire.

Audiens hæc Rex Franciæ, Regi Angliæ, mandavit, ut civitatem memoratam, pro qua dare ſibi vellet pecuniam competentem, ſibi redderet. Gaviſus Rex Angliæ dedit Regi Franciæ civitatem, ſub certa pecuniæ quantitate. Rex Franciæ cùm civitatem traxiſſet in propriam poteſtatem, Regi Angliæ promiſſa ſolvere recuſavit. De hoc Angliæ Rex indignatus, Regem Franciæ annis pluribus infeſtavit.

Regnum Arelatenſe à Francis occupatum.

Circa idem tempus Rex Arelatenſis ſine hæredibus moritur, & hæreditas ad regnum devolvitur Romanorum. Rudolphus tunc temporis Rex extitit Romanorum, qui propter nimias occupationes, quas habuit in Teutonia, ad regnum Arelatenſe non poterat provenire, ut illud in propriam poteſtatem traheret. Intelligens hæc Rex Franciæ, mandavit Baronibus, quibus Rex regnum Arelatenſe commiſerat cuſtodiendum, ut ſibi regnum in poteſtatem ſuam darent, alioquin totum regnum cum armatis hominibus devaſtaret. Cuſtodes Arelatenſis regni Regem Franciæ ſuppliciter rogaverunt, quatenus regnum non ſuum deleret. Vellent enim voluntatem ſuam Regi Romanorum demandare, & quòd regnum contra voluntatem Regis Franciæ non poſſent per tempus aliquod retinere, quia poſſet regnum cum armatis hominibus faciliter devaſtare. Cùm hæc & his ſimilia cuſtodes regni Arelatenſis, regi Romanorum demandaſſent: ſcripſit eis, quòd ſe defenderent vel componerent ſicut poſſent, quia ſecundum temporis ſtatum, non poſſet eis in aliquo ſubvenire. Hæc audientes Arelatenſis regni cuſtodes, regnum Regi tradiderunt, tali conditione ſeu pacto, ut Regi Romanorum regnum redderet, vel cum eo pacificè componeret, temporibus opportunis. Rex autem Franciæ, accepto regno, filiam cum eo matrimonio copulavit

Fœdus inter Adolfum Cæſarem & Henricum Angliæ Regẽ anno 1296.

Audiens Rex Angliæ, quòd Rex Franciæ regnum Arelatenſe Regi Romanorum ſubtraxiſſet atque filiæ tradidiſſet: mandavit Regi Romanorum Adolfo, quòd ſi vellet eum juvare, quò civitatem quam ſibi Rex Franciæ ſubtraxerat, recuperaret: vellet eum, ut Arelatenſe regnum recuperaret, cum propria perſona, cum hominibus, cum pecunia fideliter adjuvare. Audiens hæc Rex Romanorum, gaviſus Angliæ Regi mandavit, quòd eum vellet fideliter adjuvare. Inſuper mandavit, quòd

quòd homines multos habere posset, si eis victualia ministraret. Tunc Rex Angliæ misit Regi Romanorum XXX. millia Marcarum (ut retulit qui vidit) ut hominibus armatis necessaria ministraret. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. XCVI.

Eo tempore Rex Franciæ Comitem Brabantiæ & cæteros adjutores Regis Angliæ, pro viribus impugnavit, & magna suis intulit inimicis. Veneruntque nudi bubuncs, & agros bene seminatos everterunt, & semina destruxerunt, & eos propter eorum multitudinem nullus poterat impedire.

Auditis his Rex Angliæ transfretavit, & ad partes nostras, id est, in Brabantiam ad adjuvandum suos adjutores, in die decollat. S. Joannis Baptistæ, cum quingentis navibus magnis, & sex millibus militum noscitur pervenisse. Tulit & pecuniam multis hominibus copiosam. Tulit enim secum septem millia librarum singulis diebus, quinque annis exercitui ministrandam.

Cùmque Rex Romanorum pecuniam Regis Angliæ accepisset, misit de Alsatia in civitatem milites probos, qui Gallicorum insultus pro posse impedirent. Cùmque septimanis aliquot fideliter laborassent, & impetum Gallorum fideliter impedissent: cives eos odisse ceperunt, quia filias & uxores carnaliter dilexerunt. Cives de communi consilio Regi Franciæ mandaverunt, quòd si vellet eos de inimicis suis, id est, hospitibus, quos rex Romanorum in civitatem suam ob tuitionem collocaverat, liberare, interficere vellent eos, eisque interfectis civitatem suam in ipsius tradere potestatem. Rex Franciæ respondit: Facite quod dicitis, & vestram voluntatem in omnibus adimplebo. Tunc cives dixerunt: Domine, tali die milites vestros ad nostram civitatem dirigatis, & nos hospites nostros ad vos exire faciemus, & ipsis captivatis vel interfectis, ad nostram civitatem veniatis, & eam in potestatem vestram dabimus. Cives ut prærordinaverunt, per omnia compleverunt.

In hac interfectione occisus est Domins Theobaldus, miles juvenis, virtuosus, filius filiæ Comitis Phirretarum, & filius Conradi Wernheri de Hadstat, cum alijs gloriosis.

Proditores etiam hosti invisi.

Post hæc Franciæ civitati novos præpositos atque magistratus præfecit, eisque dicebat: Omnes majores hujus civitatis, mihi non sua dederunt, & Dominum suum spoliaverunt, morte digni sunt: mihi quoque cras idem facient. Unde perfidos capiatis, resque eorum confiscetis, eosque de medio tollatis, & civitatem funditùs evertatis, & regis voluntatem subitò compleverunt.

Theobaldus Comes in Pfirt. præfectus Alsatiæ Cæsareus.

Rex Romanorum volens adjuvare regem Anglorum, in Alsatiam perrexit, D. Theobaldum Comitem Phirretarum advocatum terræ constituit, & ad inferiores partes descendere festinabat. Cùm autem in Selecistat pervenisset, dicebatur ei, quòd Episcopus Argentinensis insidias sibi posuisset, & quòd regem Franciæ juvare vellet: per partes Episcopi descendere non audebat, sed se in Brisacum transtulit, & in navi cum paucis descendit, in Germßheim pervenit, & sic de manibus Episcopi se defendit.

His gestis, mandavit rex Comiti Phirretarum advocato terræ ut regem Franciæ fideliter impugnaret, quia & ipse in inferioribus partibus eum vellet impugnare, quòd & fideliter adimplevit. Congregavit enim exercitum magnum, perrexit ad gallos, & eos atrociter infestavit. Cognati sui venerunt, eumque suppliciter rogaverunt, ut eos à suis proprietatibus non deleret, insuper quinque millia librarum Tullensium porrexerunt. Ipse eorum precibus acquievit, & ad propria redijt festinanter.

Pax inter Reges Bonifacij Pontificis auctoritate conciliata.

Rex Romanorum cùm de Alsatia pervenisset ad terram inferiorem, congregavit exercitum, ut cum rege Angliæ terrã regis Franciæ pro viribus demoliretur. Audiens hæc Papa, compassus hominibus, timens eorum occisionem, misit duos Legatos & Magistrũ

ordinis fratrum Prædicatorum, & Magiſtrum ordinis Minorum, ad Reges ſuprà memoratos, ut inter eos ad tempus facerent pacem, vel ſimpliciter concordarent. Cardinales cum duobus Magiſtris Ordinum litem Regum, quibuſdam nobilibus commiſerunt, ut ipſi infra annum compoſitionem amicabilem invenirent, quam Papa poſtea confirmavit.

Præfecti Imperialis Alſatiæ res geſtæ.

ANNO M. CC. XCVII. Comes Friburgenſis cepit ante feſtum ſancti Martini plus quàm XL. colonos Imperij fraudulenter, divites & honeſtos. Ex his fame quoſdam perire ſine omni gratia faciebat. Ex hoc Advocatus Alſatiæ Comes Phirretarum, civitatibus Imperij mandavit, quatenus ad ipſum prope Briſacum pervenirent, Imperij pauperes vindicare, & res Comitis Friburgenſis pro viribus devaſtare. Qui circa feſtum Martini plures villas fortes, quas exercitus nullus unquam invaſerat, intraverunt, & fodinas argenti deſtruxerunt, & cultores eorum coegerunt. Ad Friburgenſes venerunt, ſed eos lædere noluerunt, quòd cùm ipſis pacem habere fideliter promiſerunt.

Anno M. CC. XCVIII. circa purificationem pauperes quinque mercatores Argentinenſes Hagenoiam tranſiverunt, quos cives ceperunt, & Argentinenſibus reddere noluerunt. De conſilio autem Epiſcopi Conradi de Liechtenberg Haginoiam obſidere firmiter proponebant. Deliberatione ſuper hoc facta, miſit Epiſcopus Argentinenſis Columbarienſibus literas, continentes, quòd cives Argentinenſes Haginoiam obſidere proponerent: propterea quòd cives eorum cœpiſſent, & eos reddere noluiſſent. Ego verò quia fidelitatem eis ſervare promiſi, non eos audeo relinquere in hac parte, nec propter hoc volo imperialem invadere poteſtatem. Columbarienſes Epiſcopo mandaverunt: Amici veſtri fuimus, ſemper ſumus, & eſſe volumus, in nullo vos lædere cupientes. Si autem Dominus noſter vos lædere, & nos in adjutorium ſuum vocare voluerit, ipſum adjuvabimus diligenter, veſtram ſuper hoc indignationem minimè formidantes.

Hagenoia ab Argentinenſibus obſeſſa.

Cives Argentinenſes V. Idus Februarij, ut obſiderent Haginoiam, communiter exiverunt, & prima nocte in via media pernoctabant. Sequenti die cum hominum multitudine pervenerunt. Cùm igitur civitatem paucis diebus obſediſſent, & duo per ignem ſuburbia deleviſſent, & aliquot homines occidiſſent: tunc quidam de Hagenoia multitudinem civium Argentinenſium intraverunt, & quoſdam vulneraverunt, aliquos occiderunt, & ad propria redierunt.

Epiſcopi Argent. ſuperiores ditiones vaſtata. Sultzmat. Domus Teutonica in Suntheim. Sancta crux oppidum.

Audiens hæc Comes Phirretarum, Imperij civitates convocavit, & villas cum vallibus Argentinenſis Epiſcopi cum multis millibus devaſtavit. Vallem Sultzmattin igni tradidit. Feſto Valentini etiam Burggravius caſtrum ſuum in ejus tradidit poteſtatem. Cœmiterium in Gebliſwire deſtruxit, & vinum ex vaſis effudit, & cœmiteria Morſuilre & Chilishofen deſtruxit. Cives verò in Eginsheim ſuburbium ſuum proprium exuſſerunt. Suburbium rubeum Rabiacenſe delevit, & villam Suntheim / & domum Dominorum Teutonicorum, ſcilicet hoſpitium advocati Imperij, bubones incenderunt, & à ſuis defendere non valebant. Poſthæc ad ſanctam Crucem perrexerunt, ſylvam præcederunt, & caſtrum cum multitudine hominum obſiderunt. Poſt Triburium turrim ligneam altam fecerunt, & ad foſſatum cum violentia pertraxerunt, videntes interiores, quod caſtrum defendere non valerent, caſtrum cum quibuſdam conditionibus voluntariè tradiderunt. Poſthæc Epiſcopus Argentinenſis intellexit in Rodisheim ortam ſeditionem, venit cum hominibus ad unam portam, & una partium tradidit ſibi civitatem.

De reprobatione Adolfi Cæſaris, & electione Alberti Habſpurgenſis Ducis Auſtriæ in Regem Romanorum.

QUIDAM ex Principibus electorum Regis, ſcilicet, Archiepiſcopus Moguntinus, Dux Saxoniæ, & Dux de Brandeburc, videntes quòd Adolfus Rex Romanorum nollet

nollet regnum secundum eorum regere voluntatem, taliter sibi mutuo loquebantur. Adolfus Rex pauper est in rebus pariter & amicis: stultus est: regnum sub eo breviter deficiet, in divitijs & honore. Tunc unus eorum dixit: Necesse est ejus solutio procuretur. Alter dixit: mittamus Duci Austriæ defectus Regis, rogantes, ut ad curiam nuntios mittat, literas nostras cum defectibus Regis secum deferat, ejus absolutionem promoveat diligenter. Dicatur etiam Duci, quòd ut Rex noster efficiatur, omnes in eum pariter consentimus. Tertius dixit: sanum hoc consilium subitò compleatur. Principes hi Duci Austriæ voluntatem suam subitò transmiserunt. Dux Austriæ literis his ac nuntijs visis, gavisus est valdè.

Post hæc misit Dux Austriæ cognato suo Domino Comiti de Hegirloch literas ac nuntios, mandans sibi, quatenus ad ipsum veniret festinanter. Comes Albertus cognatus Ducis voluntatem ejus voluntarius adimplevit. Comes Albertus cùm ad Ducis præsentiam pervenisset, dicebat: Ecce Domine, adsum, quid placet vobis, faciam? Qui dixit: Cognate ecce XVI. millia marcarum pecuniam suscipias, Romam velociter pergas, & literas Principum electorum Regis, quas pro Regis electione Papæ transmittunt, ut sigillentur, promoveas diligenter. Is Romam adiit, jussaque complevit: Papæ Cardinalibusque causam pro qua venerat, recitavit. Qui (ut dixit) literas quasdam tradiderunt, & ad propria pergere permiserunt. Tenorem literarum omnis homo simpliciter ignoravit. Hæ literæ Papæ, supradictis electoribus Regis subitò transmittuntur.

Haigerlochius exauguratationis Adolfi Cæs. causâ Romam missus.

Principes his visis literis Papæ, convenerunt, & colloquium seu Curiam in festo sanctorum Philippi & Jacobi pro regni negotijs edixerunt, & Regem Adolfum, & Ducem specialiter vocaverunt.

Audiens hæc Adolfus Rex, nuntios misit ad Curiam, ut literas Ducis Austriæ seu Principum electorum Regis irritas facerent aut delerent. Cùm nuntij Regis ad Curiam pervenissent, & Papæ Regis negotia revelassent, taliter respondit: Neque Dux Austriæ neque Principes ad petitiones quas porrexerunt à me literas poterant impetrare. Si autem literas aliquas obtinuerunt, hoc per me non fecerunt: quia hoc dic me penitus ignorare, & verbis meis credatis, dicatisque securè Regi, ut veniat ad me, & ipsum in Cæsarem consecrabo. Auditis his, nuntij Regis ad propria redierunt.

Comes Albertus de Haigerloch, cognatus Ducis Austriæ, cùm literas obtentis in Curia Duci demonstrasset, & easdem postea Principibus, electoribus Regis tradidisset, civitatibus quæ sunt in Suevia damna multipliciter inferebat. Quòd cùm per tempus sustinuissent, & defendere minimè potuissent, convenerunt & conjuraverunt, fidelitatem sibi mutuam promittentes. Post hæc simul egressi, castellum quoddam pariter obsederunt, violenter obtinuerunt, & totaliter destruxerunt. Posthæc civitates audaces effectæ, res Comitis viriliter impugnabant, expugnatisque quatuor castellis, funditùs everterunt, & eum de rebus propriis fugere coegerunt.

Dux Austriæ vocatus, cum infinita multitudine Ungarorum & Cumanorum venit, qui omnes pugnare cum sagittis & arcubus consueverant. Habuit secum Australes qui armis ferreis utebantur. Igitur Rex Adolfus contra Ducem Austriæ cum magna multitudine venientem, in occursum currit, cum hominum armata multitudine copiosa. Armati reputabantur qui galeas ferreas in capitibus habebant, & qui Wambasia, id est, tunicam spissam ex lino & stuppa vel veteribus pannis consutam, & desuper camisiam ferream, id est vestem ex circulis ferreis contextam per quæ nulla sagitta arcus poterat hominem vulnerare. Ex his armatis centum, inermes mille lædi potuerunt. Habebat & multos qui habebant dextrarios, id est, equos magnos, qui inter equos communes quasi Bucephalus Alexandri inter alios eminebant. Hi equi cooperti fuerunt coopertarijs ferreis, id est, veste ex circulis ferreis connexa. Assessores dextrariorum habebant loricas ferreas, habebant & caligas, manipulos ferreos, & in capitibus galeas ferreas splendidas & ornatas, & alia multa, quæ me tæduit enarrare.

Albertus ad Imperiũ vocatus armatus comitia petit.

Prisca armatura.

Dextrarij.

Exercitus Regis invadere Ducis exercitum voluntariè voluisset, si locorum opportunitas affuisset. Dux fugiendo ab Ulma, usque Waldishut Regis exercitum dereliquit, & Rex eum persequi desistebat.

Post

Poſt hæc ſignificavit Dux Auſtriæ Principibus Electoribus qui colloquium condixerant Feſto Philippi & Jacobi prope Franckinfurt, quòd ad id propter impetum Regis Romanorum non poſſet commodè pervenire. Quapropter rogavit, ut hoc in alteram transferrent. In hoc ſubitò conſenſerunt, quia & tribus vicibus tranſtulerunt.

Exeunte Duce Auſtriæ terram ſuam, venit ad eum Dux Bavariæ, eique amicabiliter dixit: Socer meus petivit à me, quatenus eum in neceſſitatibus cum ſuis fideliter adjuvarem. Ego verò, ut me decuit, exaudivi. Rogo igitur quatenus me in hoc caſu habeatis excuſatum. Dux dixit: Frater mi, adjutores habeo multos, unde fac ſicut tibi videbitur expedire. Audiens hæc Comes Albertus cognatus Ducum, dixit conſanguineo: Scias cognate, quia ſocerum, me contradicente, non poteris viſitare. Si verò ſocerum tuum viſitaveris, tibi validè contradicam. Dux Bavariæ plus quàm CCC milites habens, ad ſocerum ſuum Adolphum Regem Romanorum verſus Alſatiam declinavit. Occurrit autem ei cognatus ſuus, Comes Albertus de Hegirloch, cum militibus multis, & Ducem cognatum ſuum capere nitebatur; Milites verò Ducis eum fideliter defenderunt. Poſt longam concertationem, Comes Albertus læſus de dextrario cecidit. Videntes ruſtici ſuum dominum cecidiſſe: ad ipſum convenerunt, multos dextrarios confoderunt, ut Doimnum ſuum à mortis periculo liberarent. Milites videntes ſe dextrarios amiſiſſe, ſubitò convenerunt, ruſticos gladiis invaſerunt, & penè CCC. occiderunt, plurimos vulneraverunt: reliqui perterriti, Ducem Bavariæ pergere, quò voluit, liberè permiſerunt. Comes verò Albertus de Hegirloch obijt cum cæteris interfectis.

Comitis Alberti de Hegerloch fatum.

Cùm Dux Auſtriæ in Waldshut oppidum perveniſſet, Rex Adolfus declinavit in Alſatiam, volens Duci viam præcludere deſcendenti. Dux audiens Regem Adolfum in Alſatiam deſcendiſſe, in Friburgum & ipſe ſubitò declinavit. Cives autem Friburgenſes ipſum intrare civitatem cum armatis hominibus renuerunt. Adolfus Rex intelligens, Ducem Friburgum perveniſſe, caſtellum Kencingen perrexit, Duci deſcendenti viam obſtructurus. Dux intelligens in Kencingen ſe Regem tranſtuliſſe: deſcendit & ipſe, ac ſua tentoria prope Regis tentoria collocavit. Exercitus ſibi mutuo loquebantur, ſed ad ſe pervenire, propter aquæ tranſitum, non valebant. Regis exercitus penuriam panis interdum patiebatur, quia civitas Briſacenſis & Columbarienſis pinſere panem ſufficientem exercitui non valebat.

Adolfus Auſtriū tranſitu prohibere conatur.
Kentzinga oppid.

Hiltiprandus dapifer de Rappinheim, vir juvenis, fortis, nobilis ac dives de exercitu Regis fratrem viſitans in treugis de exercitu Ducis: occiditur fraudulenter, circa Kalendas Maij: per Prædicatores in Columbariam ducitur, & apud eoſdem ſolenniter ſepelitur. Dominus de Berckeim, & Dominus de Hagineck, ductores bigarum ſedecim, quæ exercitui neceſſaria portabant, ab inimicis ſupervenientibus capiuntur.

Hiltebrandus de Rappenheim.

Cùm Rex Adolfus cum grandi exercitu penè diebus quatuordecim prope Kencingen acquieviſſet nihilque eſſet notabile perpetratum: emit à Domino de Uſinberch, caſtellum Kencingen, obligans ei vallem S. Gregorij, cum caſtro Blixſperg, ut poſſet habere liberum aditum ad Ducis exercitum veniendi. Audiens Dux, treugas ratione componendi petijt, & unius diei inducias impetravit. Dux circa principium noctis illius, cum militibus ſuis verſus Rinaugiam declinavit, & ipſos alij ſilenter & velociter ſequebantur. Circa diem caſtra pauperes ſuccenderunt, & poſt ſuos Dominos velociter abierunt. Ducis tabernaculis ſuccenſis, quidam ex militibus Regis, Ducis pauperes perſequi voluiſſent, ſed alij diſſuaſerunt, quia in treugis & pacis tempore receſſerant. Inſuper dicebant: Hac nocte Ducis milites quieverunt, & nos cum ad eos laſſi & diſperſi venerimus, ſine labore capient univerſos. Poſt hæc in Argentinam Dux pervenit.

Albertus fuga ſibi conſulit.

Vigilia nativitatis Joannis Baptiſtæ, cycli Lunaris VII. tres Electores Regis Romanorum, Moguntinus, Brandeburgenſis & Saxo, Moguntiæ convenerunt, campanas compulſaverunt, populum convocaverunt, quædam quæ fecerant, quædam facienda fideliter retulerunt. Aſcenderunt igitur in Eccleſiam, facies ſuas vertentes ad altare, manus ſuas elevaverunt, per Deum viventem juraverunt: quod cum ante ſex annos regnum

Albertus Auſtriacus, rex Rom. Moguntiæ deſignatus.

Regē

Rege caruerit Romanorum, nos Electores tres, ex parte nostra, & ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi vota sua transtulerunt, jure ac canonicè Adolfum de Nassovve, tunc non cognoscentes meliorem, in Regem elegimus Romanorum. Post electionem suam Adolfus Rex sapienter se tenuit, Electoribus atque prudentibus acquievit. Post breve tempus Sapientum consilia sprevit, juvenum consilijs acquievit, & regenda minimè terminavit: Divitias per se non habuit, nec amicos, qui eum vellent fideliter juvare. Electores videntes hos defectus regis, & plus quàm viginti alios: Papæ significaverunt, rogantes, quatenus ipsum nobis dare auctoritatem absolvendi, & alium confirmandi vellet. (Id obtinuerant, ut à pluribus dicebatur: nuncii verò Adolfi regis dixerunt, quòd his Papa simpliciter contradixerit.) Auctoritate igitur nobis commissa, Adolfum Regem insufficientem invenientes, absolvimus eum à regiminis dignitate, & Dominum Albertum Ducem Austriæ, in Dominum & regem eligimus Romanorum, & potestate nobis tradita similiter confirmamus, & *Te Deum laudamus* solenniter cantaverunt. Cumque Dux præsens non adesset, extra civitatem ad tabernacula perrexerunt, & ibi pannum pretiosum supra equum projecerunt, Regemque desuper sedere præceperunt, & *Te Deum laudamus* cum magna lætitia cantaverunt.

Civitatum cives hunc Regem deriserunt, & ei nullatenus parere voluerunt, eique vendere necessaria renuerunt: Regem Adolfum pro Rege tenuerunt, & ei necessaria præbuerunt, fidemque ad ipsius obitum usque tenuerunt. Post mortem Adolfi Regis, civitates Albertum Ducem Austriæ electum Regem à Principibus, subitò pro suo Domino receperunt, & in omnibus paruerunt.

Dux Argentinæ exercitum suum pro magna parte proprijs paverat expensis, ibique septimanis circiter quinque quieverat: quia neque ad dextram neque ad sinistram commodè poterat declinare. Posthæc cum paucis ad Archiepiscopum Moguntinum descenderat, & exercitus ejus eum, sicut potuit, sequebatur. Audiens Rex, Ducem cum paucis Moguntiam pervenisse, Rubeacensem reliquit obsidionem, in Brisaco Rhenum transivit, & ad inferiores partes venire, quantò plus potuit, festinavit.

Cùm Albertus Dux Austriæ de Argentina recessisset, duxit secum triginta naves bonis quibusque oneratas, quas ibi si non obtinuisset, in inferioribus partibus obtinere minimè potuisset. Civitates enim si necessaria vendere noluerunt. Obsedit autem Dux Alcinache castellum, illique se sub conditione tradiderunt, ut si infra octo dies non liberarentur, ut in potestatem Ducis liberè transferentur. Rex hæc intelligens, descendit, ut obsessos restitueret pristinæ libertati. Tanta autem fuit in Ducis exercitu caristia, quòd panis vix valens denarium, pro sex denarijs vendebatur. Rex prope Alcinache sua tentoria collocavit. Tantæ autem potentiæ ac multitudinis exercitus Regis extitit, ut Ducis exercitum facile vicisset, si eum sui dolosi (ut dicebatur) consiliarij permisissent.

Octava sancti Joannis Baptistæ, Archiepiscopus Moguntinus & Dux Austriæ in penuria fuerunt, quia civitates imperij eis necessaria vendere noluerunt. Tunc ad invicem dixerunt: aliquantulum fugiamus, ut inimicos vincere valeamus. Tunc Archiepiscopus suos armare se fecit ad dimidium miliare, ibique Ducis exercitum expectare. Dux verò suis dicebat: Præparate vos ad pugnandum atque ad recedendum. Cùmque se præparassent, recesserunt atque tabernacula succenderunt. Dux processit à loco, quo tentoria fixerat, ad dimidium miliare, volens ibi cum exercitu Regis dimicare. Videns exercitus Regis castra Ducis succensa: consiliarij subitò venerunt, Ducis gesta, secundum quod apparuerunt, fideliter retulerunt, dicentes: Dominus Archiepiscopus cum suo Comitatu hodie mane de Ducis exercitu recedebat: nunc Dux, sicut fecit in Kencingen, idem quoque facere disponit, & animam suam atque suorum cogitat à mortis periculo liberare.

Adolfus Albertum Argentina progressum insequitur.

Rex credens consiliarijs infidelibus, tanquam fidelibus acquievit, suis arma sumi præcepit, fugientes persequi fideliter adhortatur. Rex cum paucis primus paratus ad prælium, Ducem persequitur confidenter. Dux videns Regem cum paucis venientem, securus de victoria, dicebat: Exercitus meus in tres partes dividatur & Regis exercitus ad medium mei venire, sine obstaculo permittatur.

Cùm

Cùm autem in noſtra pervenerit, à noſtris circumdetur, & rex inprimis capiatur, vel velociter occidatur, equi inimicorum lanceis perfôdiantur, aſſeſſores eorum ſine læſione corporum capiantur. Sicut Dux ſuis dixit faciendum, ſic omnia fideliter perfecerunt.

Ad bellum Dux cum ſigno peregrino proceſſit, proprium verò ſuum pluribus committebat. Rex verò cum ſigno proprio dimicavit, malens ſub ſigno proprio capi vel occidi, quàm inimicis tradere ſanguinem innocentum. Cùm rex cum ſuis ad Ducis exercitum perveniſſet, & Ducis exercitum in tres partes diviſum, & ad præliandum non fugiendum conſideraſſet, dixit eum ſequentibus cum dolore: Væ amici noſtri, imò potiùs inimici manibus inimicorum noſtrorum ſine miſericordia nos tradiderunt. Si enim fugiamus, omnes perditi ſumus: ſi verò pugnaverimus, quis rei eventus eveniat, penitus ignoramus. Tunc dixit filio ſuo: recede à me, quia inimici mei non me vivere patientur. Tunc filius dixit: Pater, quocunque perrexeris, ero tecum, in mortem pariter & ad vitam. Rex cum ſignis regijs atque vexillo regis, cum militibus melioribus quos ſecum habuit, ad vexillum Ducis ſine pugna & obſtaculo pervenerunt. Occurrit primò regi ferens inſignia Ducis, quem ferociter aggreditur, & velociter interfecit. Occurrit & alter regi, qui per interfectionem regis magnam pecuniam deſeruiſſet: hic gladio regem petens, in ipſum irruit vehementer. Cùm hoc rex diutius dimicat, tandem verò ipſum vulneravit: qui de equo cecidit, & equorum pedibus conculcatur. Poſt hæc regem plures pariter invaſerunt, à quibus omnibus, ut homo deſperatus, viriliter ſe defendebat. Tandem equus regis in anterioribus pedibus vulneratur: tum rex & equus pariter ceciderunt. Poſthæc rex percutitur atque vulneratur, & ſic in Domino requievit. Dux ſuis præcepit, quòd præter regem nullus hominum læderetur, ſed tantùm equi mortis ſupplicio traderentur: quod fuerunt fideliter exequuti. Interfecti fuerunt duo millia triginta quinque, ut quidam retulerunt. Alij dixerunt, quòd equorum interfectorum fuerint tria millia computata. Ex hominibus occiſi fuerunt centum, & non amplius computati. Excoriati fuerunt ipſo die omnes equi, ut plurimi retulerunt.

Adolfus Cæſar in acie cadit, vincente Alberto.

De nonnullis ab Alberto Cæſare geſtis.

ANNO M.CC.XCVIII. Rex Romanorum Albertus, in octava Martini, in Nurenberg Curiam ſolennem celebravit, ibique Regina more debito coronatur, & penè omnes Electores præſentes extiterunt. Ibi dignitas cujuslibet Domini coram Rege ſolenniter recitatur, & quilibet Dominorum Regi in officio ſuo, ſicut debuit miniſtravit. Rex verò Bohemus cum pretioſiſſima veſte & equo, qui ad mille marcas æſtimabatur, ſedens, in cypho aureo ſibi porrexit. Audiens Rex Albertus, quòd pater ſuus Rudolphus rex in die anniverſaria ſua, ut ejus haberetur memoria, minimè contuliſſet: contulit eis L. librarum reditus, ut in altari, quod in Eccleſia eorum conſtruxerat, quotidie Miſſam dicerent aut cantarent.

Conventus imperialis Norimbergæ.

Anno M. CCC. Comes de Hollandia, vir juvenis & fortis, habens in matrimonio ſibi conjunctam juvenculam nobilem & facundam, ad menſam pariter ſederunt hilares & jucundi. Hi toxico perierunt pariter innocentes. Horum Comitatum uſurpavit Comes Hanogogiæ velociter & potenter. Hæc audiens Albertus rex Romanorum, mandavit Comiti Hanogogiæ, quòd has res contra juſtitiam poſſediſſet, & eas dari ſibi liberè poſtulabat. Comes hæc facere ſimpliciter recuſabat. His rex Albertus auditis, exercitum congregavit, & Comitem obſidere velociter cogitavit. Cùm rex prope Coloniam cum exercitu perveniſſet: quidam eum interficere voluerunt. Hæc quidam ex conſanguineis regis intelligentes, ſtatim miſerunt ei nuntium: Niſi ad nos ante prandium veneris, in prandio morieris. Hæc rex cùm audiſſet, aſcendit dextrarium & fugit velociter ad cognatos. Pauci autem ex ſuis, quos rex vocavit, velociter ſequebantur. Poſtquam ad ſuos pervenit, fuerunt inſidiæ patefactæ.

Bellum Comitatus Holandiæ causâ

His ſic geſtis, vocavit rex ſuos, eisque dicebat: Ad terram meam redire diſpono & quò eo perveniam, mihi conſulite. Qui dixerunt: cum multitudine militum poteſtis terram veſtrorum inimicorum velociter pertranſire. Rex militibus dicebat: Præparate

parate ergo vos, me ad meos cum potentia perducendum. Qui dixerunt: Domine, deficiunt nobis expensæ, & ideo vobiscum pergere non valemus. Rex dicebat: dabo vobis mille quingentas marcas, ut me ad propria perducatis. Milites dixerunt: voluntariè faciemus. Ascenderunt milites dextrarios suos, & Regem ad suos cum lætitia perduxerunt: quò cùm pervenisset, dedit militibus pecuniam quam promisit.

Cùm Regi visum fuisset, quòd Rhenum potenter teneret, & se confirmatum crederet: mandavit Archiepiscopo Moguntino, Archiepiscopo Coloniensi, atq; cæteris accipientibus telonium supra Rhenum, ne incurrerent indignationem regiæ majestatis. Episcopi Regi responderunt: telonia nostra longo tempore debitè accepimus, & antecessores nostri longo tempore receperunt, & eos Reges Romanorum minimè turbarunt. Unde & nos hæc telonia nolumus voluntariè resignare. Rex his auditis, significavit Papæ, quòd Domini Archiepiscopi supra Rhenum fluvium per telonium injustas exactiones facerent, & totam terram graviter perturbarent. Episcopos Papa corrigere tardavit. Rex tamen quomodo eos suis corrigeret, cogitavit, & de consilio suorum eos diffidavit. Non post multum temporis Rex in Moguntia coram quibusdam Principibus super futuris gravaminibus solenniter appellavit.

Albertus Principes Rheni teloniis graves arguit.

Eodem tempore filij sororis Regis & Ducis Bavariæ, scilicet Rudolfus & Otto, litigabant inter se pro dominio, & senior juniorem de paternis possessionibus expulit violenter. Tunc junior se contulit ad Regem Romanorum, senior verò confœderavit se Archiepiscopo Moguntino. Junior rogavit Regem Romanorum ut eum secundum justitiam promoveret. Dixit ei Rex: accipe tuos amicos, egoque mittam tibi de meis hominibus, & fratris obsideas civitatem: atque hanc Regis voluntatem junior adimplevit. Cùm Dux Otto civitatem diebus pluribus obsedisset, nec Dominus Archiepiscopus liberare eam potuisset: venit Rex Romanorum, civitatem potenter obsedit, & obtinuit violenter. Cumque Dux multas munitiones perdidisset, & liberare eam minime valuisset, tunc Regi res & corpus simpliciter conferebat. Rex verò inter fratres, ut placuit, dividebat. Existens autem in obsidione Rex, res Domini Archiepiscopi Moguntini potenter invasit, & dicebatur multas civitates & villas in cinerem redegisse.

Dissidium inter fratres Bavariæ Duces

Post hæc acceptis illorum Ducum hominibus, ad civitatem quæ dicitur Bingin, cum lætitia se transferebant. Quam cum obsedissent, misit eis Rex Franciæ Gallicos multos, qui civitatem viriliter impugnabant: tamen inter omnes nationes Alsatæ laudabilius faciebant. Erat hæc civitas munita valdè: habebat enim ex una parte aquam, id est Rhenum, per quem naves magnæ sine periculo non poterant pertransire. Habebat ex altera parte aquam magnam, quæ sine navibus, sine periculo non poterat pertransiri. In tertia parte sui habuit castrum forte, in lapide situm, quòd non poterat subfodi nec expugnari, sine laboribus maximis & expensis. In quarta parte habebat fossam profundam, murum fortem & altum, portam & terram quæ non poterat faciliter expugnari. Habebat homines fortes, quinque Comites & Electos eorum, qui exercitati fuerant in prælijs, & alios quingentos, qui si in campo plano fuissent, & circa se sepem habuissent, ab infinita hominum multitudine sese diutius defendissent. Rex habebat homines nimios, ita ut antiqui patres dicerent: nunquam vidisse eos talem & tantam militiam congregatam. Servorum autem pauperum, qui dicuntur bubij, tanta fuit multitudo, quòd Regi dicebant: Domine, date nobis res in civitate, & vobis eam trademus sine læsione ac detrimento in vestram potestatem. Rex hoc renuit facere, ut res inimicorum suorum ad libitum devastaret.

Albertus Moguntinum bello petit.

Binga opp.

Expugnavit Rex hanc civitatem per duo vasa concava, quæ faciebant artifices sapientes: Unum vas Cattus vocabatur, aliud Cancer. Erant hæc vasa longa, quadrata, demissa, ex omni parte laterum clausa. Versus terram nullum munimen habebant, sed versus cælum de tabulis fortibus & spissis tectum, machinarum lapides minime metuebat. Per duo vasa hæc fuit civitas faciliter expugnata. Cattus leve vas erat, & faciliter trahebatur. Cum hoc vas ad civitatem fuisset perductum, * signa quædam pro pedibus sibi fecerunt, ut ad murum per fossatum possent faciliter pervenire. Cum ad murum pervenissent, juvenes de civitate egressi Catto pedes succiderunt, & in fossatum cadere coegerunt. De hoc Rex fuit non modicum perturbatus.

Cattus & cancer instrumenta bellica.

** fortè ligna aut tigna.*

Cancer Romanus aries.

Poſt hæc Cancrum ad civitatem perduxerunt. Fuit cancer inſtrumentum magnum, forte, pariter & ponderoſum. In eo erat trabs magna, pariter longa, in una parte groſſa, in altera parte parva. In groſſiori parte ſive in capite, fuit ferro forti circumdata, & in fronte ipſius Cancri fortiſſimè colligata. Trabs hæc ſuper quædam inſtrumenta jacuit, quòd faciliter moveretur. Hic Cancer cum ad murum perveniſſet, octo in circulos qui in trabe erant, funes immiſiſſent, ex paucis ictibus pro magna parte cadere coegerunt. Uno etiam ictu turrim tetigerunt, & in tantùm læſerunt, quòd ruinam fortiſſimè minabatur. Hoſpites videntes murum cecidiſſe, timuerunt: proin omnes machinas & inſtrumenta quæ fecerant ad defendendum civitatem, velociter deſeruerunt, & in caſtrum ſe cum feſtinantia receperunt. Poſthæc cives ſe cum paucis conditionibus tradiderunt, quod & circa principium libenter feciſſent, ſi eis hoſpites permiſiſſent. Cum obſeſſa civitas fuiſſet, Scultetus hoſpitibus dixerat: Vos Domini, quid oportet nos facere? Melius eſſet ut res & corpora poſſideamus, quàm ut cum noſtris omnibus pariter pereamus. Tunc hoſpites pariter irruerant & eum miſerabiliter occiderant.

Fuerunt equi phalerati ſeu dextrarij ſeu militum, præter aliorum hominum M.MCC. in hoc exercitu numerati. Hominum tanta fuit multitudo, quòd non poterant computari. Obſeſſa eſt hæc civitas Bingin ex parte Rheni, quia totus Rhenus repletus navibus erat, & via patuit tranſeuntibus. Fuit & obſeſſa ex parte altera, qui etiam eos graviter infeſtabant. Ex parte terræ fuerunt obſeſſi per Cattum atque Cancrum, quia ſolus Cancer quingentos homines occupabat.

Anno M. CCC. II. Rex miſit ſolennes nuntios ad Papam, ſcilicet Epiſcopum Tullenſem atque ſuum Cancellarium, cum magnis expenſis, qui ante feſtum ſancti Joannis Baptiſtæ cum literis clauſis redierunt, quæ ſtatim lectæ non ſunt, quia Rex cum ſuis legere timuerunt.

Circa feſtum Mariæ Magdalenæ, Albertus Rex cum hominibus Auſtriæ, Bavariæ, Ungariæ, Bohemiæ & ſuperioris Rheni hominibus Coloniam perrexit, & res trium Archiepiſcoporum, & aliorum Epiſcoporum, ſuorum adverſariorum ad libitum devaſtavit. Dixit enim ſe Holandiam atque Flandriam breviter perventurum. Inimici Regis plurimùm vexati, cum Rege compoſuerunt, & homines cum navibus Rhenum aſcendere ac deſcendere liberè permiſerunt.

Monachi nobilis Baſil. familia.

Nuntij Regis Alberti, quos ſuperiore anno ad Papam Romam miſerat, nempe duo milites & tertius miles Clericus, in jure plurimùm verſatus, circa Purificationem redierunt, & ad Reginæ præſentiam pervenerunt. Regina verò unum ex eis. Monachum militem, feſtinanter ad Regem tranſmiſit, rogans ſuppliciter, quatenus ſubitò dignaretur ad ejus præſentiam venire. Hoc Rex ſubitò adimplevit.

Venerunt nuntij Regis Romanorum infra octavam Joannis Baptiſtæ Columbariam, dicentes, quod Papa in conſiſtorio coram pluribus millibus hominum dixiſſet, quòd Rex Romanorum eſſet verus, & in gratia ſua: & quando veniret, ſicut Rex teneretur, vellet eum conſecrare in Cæſarem.

CON-

FINIS.

CONRADI VECERII, REGII SECRETARII, DE REBUS GESTIS IMPERATORIS HENRICI VII. LIBELLUS.



ISTORIAM *quisquis aggreditur scribere, eam maximè virtutem tacitè polliceri videtur, uti fide nitatur assertio: pusillumque interest, munus ne commemorandi res gestas, integritatis suæ conscius, ultrò quis suscipiat; an publicandorum potestatem actorum Cæsaris permissu nanciscatur. Atque eo magis, quod hunc quum seligit Princeps, non illud agit, ut bonum gravemque velit efficere (quis enim præter immortalem Deum cuiquam probitatem conferat?) sed quo veracem videri injunctione mandati testetur. At historicus ut primum res memorandas commendare posteritati decreverit: primum omnium de moribus suis ipse videtur judicium facere, seque eum promittere, qui & fideliter & accurate cogitata prompturus sit. Has res ego mecum etiam atque etiam reputans, quanquam non ignorabam propensiorem illico fore lectorem ad carpenda quæque recentia, quàm comprobanda: sperare tamen cœpi fieri posse, ut quum singularem Regem describendi caussa assumptum cognovisset, institutum nostrum boni consuleret. Namque & res dignæ videbantur, quæ referrentur in literas, & extabat qui ante nos id fecisset nemo, quod equidem noverim. Tum necessitudo patriæ me vel maxime impulit, non ea quidem, ut Principis nostri facta plus æquo prædicarem: sed quæ apud varias sparsim gentes & barbaris linguis, & per partes legi compereram, in corpus libri cujuspiam Latini possem redigere, omni interim soli natalis affectione seposita: alioquin nec veterum cujusquam acceptanda esset industria: qui quum Regum res maximis voluminibus posteritati traderent, eorum ipsorum tamen quos perscribebant & clientes & populares habebantur: adeò quæ ex officio gerimus, ab iis quæ forte privatimque fiunt, distinguuntur. Nunc ad inceptum redeo.*

QUI majores Imperatori Henrico, aut omnino parentes fuerint, quamvis curiosa vestigatione cognoscere non potui: sed & uxor illi quæ cujasque fuerit, itidem prope in ambiguo est. Ipse, quod constat, Luceburgiæ Comitatum hæreditate obtinuit. Romam profectus, & Balduino fratri Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopatum confecit, & summis antistitibus ac bono cuique, sapientiæ & comitatis ingens argumentum edidit. Fuit autem olim Luceburgia Trevirorum portio, idque ut credam, propinquitate locorum adducor. Hanc postmodum Henricus Romano admotam Imperio, Ducariæ dignitatis insignib. exornavit. Situs ejus ab Arduennæ sylvæ termino, quatenus hodie appellationem obtinet, ad Mosellam fluvium, cujus amnis, Burdegalensis Ausonius carmine satis prolixè meminit, finitimarum ditionum his limitibus cingitur: Gallico, Lotaringo, Metensi, Treverico, Juliaceno, Leodio. Oppida non amplius novem: major quondam numerus. Sed eum & pia (ut ajunt) Henrici liberalitas, tribus municipiis Sareburgo, Vitelliaco &..... Trevirorum maximo templo donatis, & Gallica bella coarctarunt. Gens potiore ex parte Germanica: regione tamen Galliam spectante, ejus quoque nationis moribus linguaque utens. Hæc de Henrici origine patriaque, tametsi pauxilla, tenuitatem confesso præmittere placuit.

Regionis Lucelburgensis chorographia.

Quanquam non me præterit, circumferri jampridem libellum vernacula lingua conscriptum, de fœminæ Melyssinæ præstigiis, octavo quoque die pubetenus in anguem commutari solitæ, quam inter majores Septimi nostri connumerare nituntur. Eum ut nec approbare, ita nec refellere animus est. Cur enim non veneficia fieri posse concesserim, dum si tradantur ut veneficia. Quis enim non illa fascina legens obstupescat, neque tamen protinus tanquam conficta repudiet?

Melusinæ de Lucelburgensi prosapia.

Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo,
Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris
Aspicit: ac primò non credens corporis illas
Esse sui partes refugit —— Et
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.

Ovid Metamorph. 14.

Virg. Æn. 4. Sed à fabulante Poeta eos versus exaratos objicies? Historiam accipe:

Hæc se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit, ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis, & vertere sydera retrò:
Nocturnosque ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Alius quoque ejusdem professionis Scriptor, hunc in modum cecinit:

Lucanus 6.

Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit.

August. 16. de civ. Dei.

Liber & testimonium, quanquam non admodum diffinitum, unius è nostris Sapientibus afferre in medium. *Hæc vel falsa sunt*, inquit divus Pater Augustinus, *vel tam inusitata, ut merito non credantur. Firmissime tamen credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere quæ voluerit, sive judicando sive præstando: nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam (quia & ipsa Angelica creatura est, licet propior sit vitio, maligna) nisi quod ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla. Nec sane dæmones natura creant, si aliquid tale faciunt, sed specie tenus, quæ à Deo vera sunt creata, commutant*, &c. Quid? an non consonantia, de ortu maximorum quondam Principum aliorum, traduntur? Alexandrum nempe Macedonem, complexu Olympiæ matris draconisque, genitum, ideoque appellatum fuisse Hammonem? Scipionem Africanum & divum Augustum ejusdem superstitionis interventu conceptos? Quin & in oceani Gallici insula quadam, novem Gallicenas illas fuisse, tradunt auctores, cum aliis artibus præditas, tum vertendi se in quas formas liberet. Quibus ex locis ortam fuisse Melyssinam, non est absurda conjectatio. Sed de his alias. Certè prænobiles tum in Gallus, tum apud inferiores Germanos scio familias, & Patriæ nostræ deferentes prænomen, & in galeato imaginum apice (cujus stemmatis diligentissima ac minimè perfunctoria cura fuit veteribus) id monstrum, cuppæ balneatoriæ insidens. Sed & turrim ingentem medio civitatis nostræ sitam, paulò supra ætatem nostram bona ex parte prolapsam vetustate comperi, in qua vanitatem illam fuisse peractam, fama per manus traditur. Postremò Carolum felicissimum seculi nostri Principem nondum pubescentem, quum de nuptiarum fœdere cum Renata, Ludovici Gallorum Regis filia ineundo, tractaretur (quanquã illi larga potestas erat è subjectis aliis gentib. titulũ assumendi) totis tamẽ tabulis haud alia quàm Lucenburgiæ appellatione fuisse denotatum, non in minima gloria possum, usque adeò, ut nisi aliis vitiis supradictum opusculum laboraret, quippe in quo parum verisimilia referuntur, interdum adversa, nonnunquam dissonantia, non difficile fidem mihi faceret. Enimverò quò commodiùs ad ipsius Henrici res nostra feratur oratio, & rectum visum est & necessarium, pauca prius de statu temporum illorum supra repetere.

Melusina in quarundam familiarum insignibus.

Censura de historia Melusina.

Anno à Christo Salvatore genito, M.CCCII. Francorum Rex Philippus, cognomento Pulcher, grave adversum Pontificem maximum Bonifacium octavum conceperat odium, tum Gibellinæ factionis studiosiorem existimans, tum quod fidem temerè prævaricatum contenderet. Promisisse enim sibi paucis ante annis, cum alia quædam, tum de summa Romani Imperii potestate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeò Carolum fratrem disertè fuisse in conventis nominatum, cui id decus primùm assignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidisse ad nihilum, Alberto Austrino Teutonico principe palam nuper decretis ejus comprobato.

Philippi Galliæ Regis in Pontificem odium.

Eas Rex causas graviùs secum considerans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacii irritandi inventa. Columna gens, Romæ opibus & clientelis insignis, Octavo inter Comitiorum arcana, suffragii jure ne legeretur obstiterat. Itaque eis quoque Bonifacius, per speciem expilati thesauri Ecclesiæ, effecerat, ut & ædes & suburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales jam essent, venerando collegio excederent: Interea Stephanus ex ea gente profugus in Gallia agitans, idoneus Philippo visus est, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliusque quàm fortuna exulantium est. Ad hoc Philippus ne quid impotentiæ prætermitteret, Sacerdotales Galliarum titulos à Pontificibus antea pro decretis, proque more sanctæ matris Ecclesiæ componi solitos, ipse ordinare citra consensum præsidis Romani statuit.

Columnenses

Quæ ubi summus Antistes intelligit, gravissimè tulit injuriam pessimi exempli, id quod erat, existimans, si vel antecessorum rectè constituta temerè rescinderentur, vel autoritatem Pontificiam laicus Princeps prophanasset. Augebatur indignitas ipsius Bonifacij, supra quàm dici potest ambitiosa magnitudine animi, & contumeliarum insolentis. Itaque quo partes suæ justiores vulgo noscerentur, lege potius agere quàm armis instituit. Prælatos Gallicos majores convenire Romam universos jubet, ad publicam Synodum celebrandam. Hi ne regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad Octavum delatis, increpatur Rex primùm per literas, deinde quum castigationem contumaciæ parvipenderet, sacrorum participatione arcetur. Neque eo minus Prælatis regni ipse Lutetiam accersitis, causam quoque suam approbare nititur.

Gallus à Pontifice excommunicatus.

Pontifex ne nullam non rationem coercendi Pulchri tentaret, Flandrorum partes tueri aggreditur. Ea tum gens, quod superbius imperatum sibi diceret, Gallicum jugum detrectabat. Cum superis quoque Germanis amicitiam interiorem conjungit, jusso Alberto quibuscunque posset viribus, fines Belgarum quatenus Philippici juris essent, incursare.

Pontifex Gallo hostes conciliat.

Sed nihil ea Gallum à consilio dimoverunt. Missi clanculum in Italiam qui Campanos, si qui forsan privatas ob iras infensi essent Antistiti, corruptos auro traherent in sententiam, cæteraque comprehendendi ejus idonea maturè appararent. Neque eventus infando commento defuit, Anaginæ agens Pontifex, à Sarra Columnio Duce Gallicæ multitudinis non proviso irrumpente, summa luce circumvenitur, liberæque custodiæ traditum, oppidani immodicè [ut æquum erat] funesto scelere conturbati, triduo demum elapso, receptis animis exemerunt. Ipse Romam regressus, dum vindictæ modos altiùs investigat, morbum, ut creditur, ex ægritudine nactus, interijt.

Gallus Pontifici insidias struit.

Undecimus Benedictus Octavum, Clemens quintus Benedictum, munere summi Pontificatus insequitur. Reyterandum Gotthonem quoad privatus erat, appellabant Burdegalensem Archiflaminem. Is enim variantibus nonnihil patrum sententijs, inter alios duos Pulchro ab suarum partium Cardinalibus nominatus extiterat; quem Rex quoniam id temporis plurimùm poterat, si ita sedisset, solenniter nuncuparet. Philippus insperatæ dignationis lætitia gestiens, Reyterandum accersit, in suaque manu Papalia Comitia, prolatis Epistolis Cardinalium, reposita edocet; cæterum postulata quædam sex capitibus comprehensa, recipi sibi prius quam res confici posset, oportere. Gottho nihil minus quàm quæ jactabantur, vel sperans, vel cogitans, illudique sibi existimans, cunctari primùm: ubi serio agere Principem comperit, actis in præsens gratijs, capita se Regiæ petitionis præstiturum promittit. Data acceptaque fide placita curantur. Raymundum Cardinalis Gallici duodecim summum Ecclesiæ Romanæ Sacerdotem in gratiam Regis consalutant: Italicos statim patres, ut idem facere vellent, Epistolis, nunciisque celerrimis adhortati. Gottho ut primùm quæ ab Rege acta de se fuerant, Italis quoque probari cognovit, Senatum statim Cardineum universum, Regesque Transalpinos aliquot convenire Lugdunum jubet, ad peragenda inaugurandi solennia. Id edictum tametsi Prælatis Ausoniæ non perinde arrideret, Pontificiam aulam trans Alpes concessuram gementibus: coiere tamen in civitatem designatam non infrequentes: ibi declaratus ex more maximus Ecclesiæ Christianorum Episcopus, quintique Clementis appellationem sortitus, mox Philippum censuris [namq; id primum postulatorum caput extiterat] quibus innexum à Bonifacio diximus, exolvit, reliqua promissorum tempestivè se effecturum affirmans.

Benedictus XI.

Clementis V. in Pontificem electio.

Clemens Lugduni inauguratus.

Sed nec ea Philippus posthabenda ratus, Pictavos, in conventum accersito Clemente, de cæteris desiderij sui partibus referri jussit medium. Summa petitio erat, de abolenda in perpetuum memoria Bonifacij. Neque prætextu caruit flagitatio impudens, articulis quadraginta ingenio causidicorum excogitatis, quibus Octavi mores, præter alia facinora de hæretica impietate suggillabantur. Hic vero hærere æstuareque Clemens, quidnam consilij in re tam inexplicabili caperet. Namque inde occurrebat Sacramenti interventu firmata promissio: huic innocentia Bonifacij, qui ut

neque forſan inſons prorſus criminum haberetur, ita non ullum extare de objecto admiſſo judicium: quin exemplis, decretis, conſtitutionibuſque declaratum abundè reliquiſſe, quanto ſtudio, quantaque fide gubernacula culminis Apoſtolici procuraſſet.

Cardinalis Pratenſis Pontificis conſiliarius.

Sollicito inter has curas Quinto, opportune Nicolaus Cardinalis Pratenſis intervenit: cui, quòd arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is, ut erat ingenio ad ſubita etiam quæque moderanda dexterrimo, primùm confirmato Pontificis animo, ſcire ſe quid potiſſimum illi conſilij profuturum ſperaret, affirmat; Regias in primis ſpes ali diſſimulanter augerique placere, tum doceri cupidum Principem, quo magis rata fiant: quæ ad Bonifacij cineres attinent, videri futurum conſultius, ſi tanta res non niſi publici conſilij ſenatuſconſulto firmetur. Quam ſententiam ubi Gallus approbaverit, ſedem conventui Viennam inter Allobroges deligat, aliamve civitatem quampiam & liberam, & ad excedendum Regiis finibus opportunam. Placuit Quinto Cardinalis ſuggeſtio. Itaque de voluntate Philippi Viennam maximo Chriſtianorum conventu edicto, Octavoque de oppoſita impietate ex ſententia patrum abſoluto, ipſe ibi paucos commoratus dies Avenionem in Roberti Regis provinciam ſeſe contulit. Nunc tandem ad Henricum noſtrum deflectat oratio.

Henrici rerum primordia.

Anno à Chriſto M. CCCVIII. Rege Romanorum Alberto per inſidias nepotis occiſo, nuntiatum eſt, Principes, quorum legendi Cæſaris jus eſt, de ſufficiendo Imperatore parum conventuros. Philippus diſcordiam Germanorum cœptis ſuis optimè conducturam exiſtimans, ſecretiorum modo conſiliorum arbitros coire juſſos, de nova diſpoſitione interrogat. Veniſſe aliquando tempus ſuo quoque ſeculo exornandi regni Gallici: Sextum antea poſtulatorum caput, quod ad eum diem conſultò noluiſſet Clementi prodere, id verò nunc expromere ſtatuiſſe, de Carolo fratre ſubſtituendo in Imperium, deque ea dignitate per Senatuſconſultum in perpetuum tranſponenda in Galliam. Eſſe Clementem jam pridem in poteſtate, poſſeque rem & jure & exemplo nixam facile tranſigi. Cui enim fiat injuria, ſi vacantis Imperij permutetur conditio? Idem feciſſe Pontifices olim alios. Deniq; fatorum ſeriem convenire cum ejuſmodi propoſito, ut quemadmodum Principatus ille de Græcis quondam in Francos, ſicut ei videbatur, deque ea gente ad Italos, ac poſtremùm ad Theutones translatus crederetur, ita rurſus ad Francorum poſteritatem remigret. Movit univerſos Proceres relatio Regia, laudatoque nobilitandi Gallorum regni deſiderio, de conſilij ſententia decretum fit & ût Philippus & Carolus primo quoque tempore ante etiam quàm Germani irent in ſuffragium, Clementem numeroſo Comitatu adeant, rumore quidem diſperſo, quaſi ad perſequendam Bonifacij criminationem veniant: revera autem ut protinus quàm Avenionem inierint, Pontificem de ſexta & ad id tempus ignota petitione commonefaciant. Eam occultationem nihil fuiſſe aliud, quàm de Imperatorio apice publicè tranſponendo in Celtas. Abdere verò rem placuiſſe eatenus, quam apud Bonifacium quoque tentaviſſent, ut ne vivum regnantemque Albertum affeciſſe videretur injuria. Nec repugnaturum Clementem quantumvis audaci flagitationi, videlicet jam inſtructo exercitu veriùs quàm famulitio territum. Edicto per univerſam ditionem dimiſſo, generoſi clientes ad Regium iter apparati conveniunt, equitum ſex millia fuiſſe traduntur.

Cardinalis Pratenſis conſilium de Galli conatibus extinguendis.

Enimverò ſicuti rectè inſtitutis divinus favor arridet, ita improbe conſulta juxta Sexti Pythagorici ſententiam, funeſtus inſequitur exitus. Permanavit certè ad Pontificem quamvis latitantis conciliabuli aſtutia. Quare denuo accerſito Pratenſe, intimorum (ut diximus) omnium ſocio, ac jam ante exoſo Philippum ob inſectationem Bonifacianæ memoriæ; quæ ſi tolleretur è medio, & acta quoque illius, in quibus Cardinalatus cenſebatur, quem Octavus illi contulerat, convulſum iri verebatur, novam hujuſmodi ambiguitatem aperit. Ille ad innatam ſapientiam verſus, quam maximis itineribus, inquit, & antequam Gallicæ petitionis mentio in ſenatu fiat, nunciandum in Germania cenſeo, de ſucceſſore quam maximè maturè ſurrogando. Quum Clemens, quem igitur præcipuum crederet tantæque ſucceſſioni idoneum quæſiviſſet; Pratenſis, Eccleſiarum ne libertatis reſpectu, an ſtudio Gibellinarum partium,

partium, an consuetudinis in Urbe quondam institutæ memor, Henricum [ait] Luceburgiæ Comitem nulli Germaniæ Principum cedere arbitror, sive religionem, sive fidem, seu certè magnitudinem animi spectaveris. Neque dubium si eo celsitudinis benignitate tua provectus fuerit, nulla non re vel Pontificijs obtemperaturum jussis, vel immunitatem Ecclesiæ propugnaturum. Sanè clanculum & dissimulanter cuncta fieri oportet, ne si publico senatu in patrumque conspectu cogitata retexeris, qui Cardinales Philippo student, proditis illico rebus, vota nostra conturbent. Itaque quas ipse literas dabis in Alemanniam, pusilla modò formula placet obsignari, quasi non scriptas de rebus gravissimis. Ego seorsum prolixas de tota re alias exarabo. Juvit assertionem Cardineam Henrici quoque integritatis gloria, quam ex rebus fortiter probeque gestis fama jam pridem exorta, ad Clementem quoque pertulerat.

Henrici VII. electio.

Delatis ad Germanos Epistolis, reque intellecta, Comitiorum solennia maturantur, valuereque adeò Pontificiæ Cardinalisque literæ (qui & illud adjecerat, nisi bonis consilijs protinus obsecundarent, Cæsarei fastigij apicem, jure ne an injuria, relicto Rheno transiturum in Galliam) sed & maximè spectata virtus Henrici profuit, uti cunctorum suffragijs, ac ne uno quidem repugnante, Romani regni sceptra florenti juveni deferrentur. Autores habeo Luceburgi transacta fuisse Comitia. Quod ascribendum putavi magis, ne ignoravisse eam rem crederer, quàm ut morem locumque vetustum tam tumultuario præsertim tempore prætermissum, existimarem. Ille ut contra opinionem hominum per Celtas, perque Comitatum Pontificis renunciatus Rex fuit: Pulchellus qui jam festinabat compellare Clementem, illusum se animadvertens, domum irritus spei repetijt, nunquam postea bene de eo Pontifice sentiens.

Henrici electio à Pontifice comprobata.

Luceburgius, qui nihil minus quàm Cæsarea gubernacula sibi credendo cogitaverat, omnium primum gratias immortali Deo lectoribusque agendas censuit. Mox ad ea quæ & tempus & res & malevolorum conatus ferebant conversus, mittit in oram Narbonensem, qui à Clemente postulent, uti ratam sibi facere surrogationem pro more dignaretur. Principes legationis, Sabaudiæ Comes [nomen ut in plerisque sequentibus non traditur] & Guido Namurcæus, Flandri Comitis frater, ambo ex propinquis Regijs: hi à Clemente, totoque cœtu Cardineo comiter humaneque habiti, mense Aprili, comprobationem actorum in Germania, causa cognita impetrarunt. Decretum uti è Cardinalibus Pratensis & Fliscus prima quaque occasione in Italiam proficisci maturarent gentibusque cis Alpes habitantibus, Apostolica vice præciperent, ne quid impedimenti moraru mq; quo minus potestas novo Regi petendæ Urbis foret, astruerent, quin obedienter atque hospitaliter adventum illius curarent excipere. Sunt qui legem adjectam fuisse probationi affirment, ut intra primum biennium ad motus Italiæ compescendos, Romam solita expeditione properaret, simul ipse summos Imperatorij nominis fasces acciperet, quum tres proximè antecedentes Principes eum honorem prætermisisse constaret.

Henrici VII. prima coronatio.

Sabaudo reverso, voluntateque Clementina perspecta, conventus Aquisgranum indicitur. Coiere anno insequente ad id Concilium inter alios Proceres Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ & Comes Raynaldus. Ibi peractis solennibus, generoso vertici Regium diadema Archiepiscopus Agrippinæ, more majorum, ad octavum Idus Januarij, imposuit. Quem diem & constitutiones Ecclesiæ celebrari ob memoriam Magorum jusserunt, & tum publica lætitia celebriorem reddidit.

Prodigium.

Anno à Christo genito M. CCC. IX. ad diem VI. Idus Maij, cælum ardere visum, discurrente flammæ vortice è plaga Boreali in Meridiem. Quo typo adventum Henrici portendi Italorum multi crediderunt.

Interea Carolus Siciliæ Rex secundus, Gallicæ originis, cis fretum regnans, rebus humanis excessit. Plures huic filij, nempe major natu Carolus, Martellus cognomine, & Robertus. Martellus vivo etiam dum patre, mortem (sed filio relicto) obijt. Qua in specie, exque facto ipso, larga disputandi materia Jureconsultis est nata: Nepos ne antecedere jure possit patruum in successione avita. Sed & responsis prudentum & pontificia pronunciatione quadam Robertus annixus, compendium hæreditatis obtinuit, paternaque nece comperta, mox Avenionem properat. Ibi nullis non modis Clementis amicitia comparata, adeò promovit, ut & Rex utriusque appellaretur Siciliæ,

Robertus Siciliæ Rex.

Clementis inconstantia erga Cæsarē.

ciliæ,& quicquid præterea alieni æris patri, avoque per belli quondam tempora Ecclesia Romana crediderat, illi ferretur acceptum: summa aureorum sex millia superavisse putatur. Tantis beneficijs Robertus se obnoxium sentiens, actis ad tempus gratijs, operam curamque Clementi omnem gratitudinis ostendendæ pensandæque dignationis detulit. Hic Quintus qui Luceburgium, ut supra tetigimus, paulò ante Regem Romanum declaraverat, sive suspectam habens Henrici potentiam, sive contractæ amicitiæ Vasconico more pertæsus, Siculum Romandiolæ Comitem facit. Eamque Robertus provinciam Giliberto Zantillio Vice Comiti demandavit. Quæ res perpulchram Gibellinis Imperatorij jugi detrectandi potestatem tribuit, vel tantula rebellandi occasione gestientibus.

Henricus Italicam expeditionem indicit.

Luceburgius nihil eorum negligendum ratus, quæ ad amplitudinem Augusti Principatus pertinent, summa ope annisus est, ut quam celerrime documentum aliquod præberet, quantus & quàm propensus sibi esset animus Pontificiæ dignitatis excolendæ. Dimisso edicto per provincias, ut quisquis nobilium Augustale beneficium obtineret, die constituto vellet adesse, solennemque profectionem, Romanæ mitræ capiendæ causâ, pro conditione, proque consuetudine sua curaret exornandam. Ipse universa Germania Joanni filio demandata, cum non adeò grandi Comitatu iter ingressus, Alpibusque propinquans, Lausani constitit, reliquam exercitus partem opperiens. Eo mox legationes ex Italia salutandi causa certatim occurrunt. At Guelphorum factio in Hetruria, cis alpinaque degentium, quam semper ante hac Teutonicæ felicitati adversatam constat, in multo maximum metum incidit, & fama numerosi exercitus, & reliqua Italiæ proniore consensu. Præcipue verò Florentini, inter spem metumque ancipites, hostiliter ne an deditione fortissimum Ducem exciperent. Prævaluit tamen sententia, vi potiùs quàm abjecta formidine agendum censentium. Itaque quo vel conturbaretur inauguratio, vel lentiùs certè succederet, conscripta per totam civitatem juventute, accitisque militibus alijs voluntarijs, præsidium haud contemnendum efficiunt. Ad hoc pecuniam, frumentum cæterasque res comparant, vel stipendio, vel obsidioni necessarias. Denique fœdus cum Siculo Roberto, civitatibusque Hetruscis ac cisalpinis aliquot faciunt. Pisanorum longè diversa sententia, hi quo sese Gibellinarum partium, atque adeò Cæsarei nominis quàm maximè studiosos Henrico in ipso Italiæ ingressu comprobarent, donum Regi aureorum millia XL. submiserunt.

Florentinorum rebellio.

Henricus Lausanna in Italiam movet.

Eo veluti viatico præditus (quippe cujus ærarium, ut veris agamus, virtute esset quàm nummis instructius) Septembris exitu movit è Lausano, superatoque monte perquam arduo, Senisium vocant accolæ, Taurinum est invectus. Illinc decimo die quàm accesserat, Insubres ingreditur, ibi quoque magno apparatu acceptus, Astensium dissidia haud exilia summa cura composuit. Constabat id temporis regius Comitatus equitum duobus millibus, quum residuum perinde expectaretur. Mansit itaque apud Astam toto bimestri atque amplius, & reliquam, ut diximus, copiarum partem opperiens, & de ineunda Insubrium civitate consultans. Gnidottus Turritus sapientia atque opibus clarus, genti ea tempestate præerat. Is audito inprimis adventu, vereri cœpit, ne diversæ factionis pars [Gibellini erant violentia illius acti in exilium] occasione Germani adventantis in recuperanda dignitate uteretur. Itaque præsidium ad Urbis suæ tutelam comparat duorum millium atque amplius. Ipsi fœdus atque hospitium erat cum toto Guelphorum genere, per Italiam agentium. Sed & operam dabat quibuscunque poterat artibus, ne mœnibus reciperetur Heinricus, Gibellinæ scilicet factionis patronum, ut paulò ante scripsimus, futurum metuens. Neqne tamen obtinere potuit, quin bona civitatis pars Regis amantior, simul Cardinalis Fliscus, tum Legatus Apostolicus, Clementinaque mandata conficere cupiens, Luceburgium ultro invitarent. Rex Romanus, dolentibus Gnidotti oculis, pridie Mediolanum Dominici natalis invehitur, dieque sequente octavo, Antistes ejus diœceseos, in Ambrosij beatissimi delubro mysterijs vacantis, Henrici verticem secunda corona redimivit. Augustæ quoque quam unà secum advexerat, idem honor habitus. Affuere solennibus omnium ferè Italiæ civitatum legati, Gibellinarum modo partium, ita ut Fluentini duntaxat oratores desiderarentur. Insubrium quoque interim discordiam quanda fieri potuit

Gnidotus Turritus Mediolani præses.

Cæsar Mediolani coronatus.

cura

cura sedavit, adeò ut & Maphæum Viccecomitem cum sodalibus, & civitatis Archiflaminem, cæterosque proscriptos, reductaret in Urbem. Eò tum quoque legati frequentes civitatum Italiæ gratulatum accedunt, ita ut tota passim Ausonia, Bononiam excipio, & Paduam, vicarij Augustales dimitterentur, acciperenturque Comites.

Inter hæc Gnidottus exosus felicitatem Maphæi, quibuscunque rationibus poterat, vindicare priscam fortunam molitur. Ac in sapientia Viccecomitis infaustis cœptis fuisset occursum (namque rem omnem ordine primoribus Regiæ aulæ exposuit) maximus in civitate tumultus extitisset, non partibus modò noxius, sed & formidolosus Principi, qui jam securior, bonam exercitus partem per finitima loca neglectim dispersérat. Sunt qui dicant, Maphæum quò certiùs animum Turriti pernosceret, simulasse societatem partium accusavisseque multis modis supercilium Cæsarum, quod id genus Reipub. Principatum nomine, servitutem re ipsa præ se ferret. Satius esse æquabilem libertatem omnibus viribus propugnare, quàm ingenuos ac fortes animos Germanico jugo supponere. Reciperet modò animam, seque in priscam præfecturam ipse reponeret, nec detrectaturum populum ne nunc quoque gubernacula quondam sibi cognita. His atque ejusce modi dictis pervictum Gnidottum cuncta simpliciter credidisse, promisisseque Maphæo, & vafro adversario & restituto in gratiam, quem impensè cavendum esse, veteri docemur adagio. Illum, Gnidotto prodito, fabulam omnem denarravisse Septimo. Neque defuisse impiæ criminationi fidem, ita ut die dicta, Turritoque adesse jusso, cognitio pararetur. Sed is judicio consiliorum intellecto furtim ad Guelphos transijt.

Maphei vicecomitis exsulani calliditas.

Gnidottus ad Guelfos Mediolano aufugit.

Iisdem diebus Cremona Gnidotti exactione comperta, simul Florentinorum adducta instinctu, rebellis Henrico efficitur, sed & qui Brixianorum Gibellini erant, successibus Imperatoris auditis, Guelphos Urbe exegerunt. Idem Parmæ factum. Quibus rebus Cæsar cognitis, mittit qui eas quoque rixas consopirent, exulibus reductis in Patriam. Sed brevi post tempore Guelphica pars, Felsineorum Florentinorumque confisa præsidio, Brixia Gibellinos invicem depulit, ex professoque hostis Imperatori efficitur.

Cremona rebellat.

Anno à Christo genito M.CCCXI. mense Aprili, Imperator Henricus obsessa jamdiu Cremona Genevensem Episcopum, cognatione sibi devinctum, cum turmis ad Patavinos coercendos mittit, quos à Bononiensibus stetisse diximus. Ab eo Vicentia, quæ Paduani juris erat, bello capitur. Præsidium in arce consistens, fuga dilapsum. Ea victoria ipsos quoque Patavinos metu usque adeo perculit, ut suppliciter sese fidei in primis tradiderint, aureorum millia centum ob contumaciam pendere, Cæsareumq; præfectum recipere jussi. Idem Antistes profectus Venetias, tributum pro vetere consuetudine postulavit. Appulso honor ingens habitus, adnumerataque in tiaram Romanam, talenta Veneta mille. Eadem in civitate ipsum insigne confectum, solido ex auro, coronam varijs maximique precij gemmis adornantibus: sellam quoque argenteam, auroq; circumlitam, fabricatam ibi tradunt.

Patavini Cæsari se dedunt.

Imperiale diadema solumque.

Interea sedente ad Cremonam Henrico, obsessi, qui parum muniti erant ad obsidionem ferendam, simul Archiepiscopi Ravennatis interventu, sese sub conditione tributi pendendi, ultro dediderunt. Eidem mandatum Antistiti, muros civitatis castellaque demoliri.

Cremona deditio.

Cæsar Cremonensi bello perfecto, ad Brixiam quoque circumsidendam festinat, non aliâs pari instructus exercitu: qui parcissimè numerant, equestrium Germanorum validæ armaturæ sex millia fuisse tradunt. Namque ut rumor per transalpinas quasque provincias de Mediolano, cæterisque civitatibus subjugatis increbuit, vix dici potest, quanta & quàm fida multitudo militum certatim adflueret, pars emerendi stipendij studio: cæteri amore cuncti Regis adducti. Pro certo creditur Henricum, si in primis abstitisset, relictaque Brixia processisset in Hetruriam, non Thuscos modò, qui recentis defectionis sibi conscij, iram justissimi vindicis formidabant, sed & quantam aperire non interest, partem Italiæ sub jugum missurum: quippe qui parum provisi essent contra obsidionem quorumque nutarent jam animi, justitia clementiaque novi Regis impulsi. Sed is dum cisalpinæ pertinaciùs imminet, majorum rerum occasionem prætermisit. Adeò vincere maximos Duces promptius scire compertum est, quàm uti victoria. Quippe virtus attenuata periculis nullam non in partem de providendo circumspectat: eadem rebus sublata secundis, securaque sui, quæ futura sunt negligit.

Brixiæ obsidio.

Occasionis neglectus.

Eodem

Hetruscarum Urbium fœdus adversus Cæsarem.

Eodem anno civitates Hetruscæ, Guelpharum partium, Florentia, Bononia, Senæ, Luca, Pistorium, fœdus inter se adversum Henricum sanciunt. Florentini præsidium equitum Hispani generis CCCC. quos à Roberto acceperant, misere Bononiam, itidemque Senam & Lucam, si forte ea regione Germanus statuisset incedere. Sed & quicquid Gibellinorum in civitatibus Guelphis versabatur, exactum.

Walramus Cæsaris frater perit.

Sub hæc perstante Cæsare in obsidenda Brixia, variæ utrinque clades acceptæ: inter cæteros autem proceres, & frater Regis & equitum Magister Walramus, magnæ indolis, ictu sagittæ percussus interijt. Corpus apud divum Barnabam conditur, quod templum nondum civitate clausum fuisse, Jacobus Philosophus in supplemento autor est. Eo infortunio, sublatos paulò ante Cæsarianorum animos resedisse, ob eximij juvenis necem, Brixiani credentes, frequentiùs jam incautiusque excursare cœperunt. Etenim die quodam licentius evagantes, intercepti, fusi fugatique sunt. Cæsorum numerus ducenti. Capti ex civitatis primoribus quadraginta, inter quos Galeatius, cognomento Brusatus, obsessorum tribunus. Is quia fidem Regi non multò ante datam infregerat, quadrigarum violentia, diversam in partem miserum distrahentium corpus, perfidiæ pœnas exolvit. Cæteri captivorum securi percussi. Nihilo magis proficiente ad evincendam contumaciam exemplo severi supplicij, quin hostes cœlesti quoque favore adjuti videbantur, strue cadaverum odoreque diuturni exercitus incubantis, corrupto aere, ita ut plurimi Theutonum varios in morbos inciderint, cogerenturque aut miseri è vita excedere, aut inglorij, neque id citra discrimen, repetere Patriam. Procerum ea extinctorum tabe præcipuus Guido Namurceus, cujus supra meminimus, Flandrorum quondam tribunus in Curtracensi prælio, atque ob id rerum gestarum claritate spectatus: Quam ob luem magna purpuratorum pars Heinricum de solvenda obsidione solicitat. Illo magis intolerabilem ac minime perseveraturam necessitatem hostium, quam laborem exercitus observante: quare decedere non nisi compos voti statuit. Quibus rebus intellectis, obsessi effecti supplices, Cardinalis quoque Flisci auxilio veniam consequuti, ad diem XVI. Calendarum Octobrium, fidei Principis sese dediderunt. Rex civitate potitus, murisque protinus ac turribus demoliri jussis, tributum aureorum viginti millium, præterea obsides centum, quos ex omni civium multitudine selegisset, belli jure Imperat. Magno stetit ea victoria, nempe vix quarta exercitus parte superstite.

Lues in Cæsaris castris.

Guidonis Namurcei obitus.

Brixia deditur.

Cæsar per Longobardiam præsides constituit.

Cremonam hinc ut redijt, incepit consultare de componendis rebus in posterum. Placuit ordinata Longobardia, præsidibusque per civitates impositis, Ligures petere, Mediolanum, ut diximus, procurante Mapheo, Veronam Comite Scalari, Parmam Giliberto Corregio, Pascarino Bonoposo Mantuam. Quæ res parum salutaris postea civibus extitit: quos præfectos legum servandarum causa in præsens præposuerat, superbè, avareque postmodum imperantibus. At illis & in primis occupatio, & aureolorum copia, ut in perpetuum confirmarentur, quæ temporis causa concessa fuerant, effecerunt Guelphorum civitates ubi adventare Heinricum accipiunt, obsideri jussis itineribus Ligurum, remorari transitum illius conabantur.

Iisdem diebus Clemens de repetenda Urbe Romana ab Heinrico compellatus per literas, ipse consilio Ecclesiæ generali distentus, Pratensi Cardinali petendæ Italiæ inaugurandique Regis, singulari mandato negotium impartitum.

Cæsar Genuam pervenit.

Augustæ mors.

Cæsar ad diem undecimum Calendarum Octobrium, maximo apparatu Genuam est invectus: Principem dominumque solenni more appellantibus: mox componendæ discordiæ ratio habita. Itaque Opicino Spinulæ socijsque jampridem exulantibus confecta restitutio: Quæ res ingentem illi dilectionem civium pepererunt. Ipsi millia aureorum dono data centum, Regiæ verò conjugi viginti: Ea quum insequente mense graviter ægrotare cœpisset, res humanas reliquit. Elata tumulataque solennem inter pompam apud beatissimi Francisci cœnobium, pudicitiæ singularis religionisq; spectatæ fœmina.

Cæsar Pisas advehitur.

Anno à Christo genito M.CCC.XII. ad diem quartum Calendarum Martij, Genua profectus Henricus classe triremium triginta, Pisas advehitur. Quæ civitas nullo non genere apparatus eo vel exquisitissimo Regem accepit Dominum quoque inter publicas

blicas acclamationes consalutans. Censebatur tum in primis exercitus mille quingentis transalpinis equitibus. Præcipui Germanicorum Procerum, Archiepiscopus Trevirorum Baldevinus, cujus supra meminimus, Episcopus Eburonum, frater Barri Comitis, è propinquis Regijs: Dux Bavarus, Comes Sabaudus, uterque è propinquis regijs, Comes Foresti, Guido Viennensis Delphini frater, Henricus Flandrorum Comitis filius, Comes Viennæ, præfectus prætorio, quem nostri Aulæ magistrum appellant, vir maximi in re militari nominis.

Catalogus procerum in exercitu Cæsaris.

Eodem anno, mense Aprili, Robertus Siculus, cujus supra mentio est habita, de Romano Henrici itinere certior factus, quum nulla aliunde lacessendi Regis extaret occasio, simul ita facere ab Ursina factione jussus, Joannem fratrem mittit ad Urbem cum equitum sexcentorum præsidio: literis subinde scriptis ad civitates Hetruriæ Guelpharum partium, de submittendis opportunè Romam auxilijs. Ricardo Lunensi Comiti, quem Robertus Thuscis imposuerat, datum negotium, Latij maturè ineundi, idque cum phalange peditum duorum millium sexcentorum. Hi ad diem XVI. Calendarum Junij Romam pervecti, Ursinos conveniunt, moxque de sententia consilij, Capitolium, Hadriani molem, ac Vaticanum armatis insederunt: Petro Sabaudo Senatore urbis conjecto in vincula: Columnijs alijsque Cæsarianarum partium Lateranum, Mariam majorem, amphitheatrum, Rotundam, sanctamque Sabinam occupantibus.

Henrico insidia tenduntur.

Inter hæc Pisis Henricus equitibus bis mille & hoc amplius constipatus, rectà per Thuscos Romam contendit: Viterbium absque negotio capit, ibique dies aliquot constitit, occasionem invadendi Vaticani expectans. Postquam tempus idoneum visum est perrumpendis insidijs, Viterbio promovet, occurrentesq; Ursinos levibus prælijs vertit in fugam: simul popularibus in civitate rem strenuè gerentibus, ante diem calendarum Junij, Urbem visenda pompa introijt, protinusque de expugnandis Roberti clientum reliquijs consultat. Itaque missis, qui singula factionis præsidia deturbarent, pro certo creditur, quicquid ibi Apulorum Ibericorumque fuerat, depulsurum, nisi prælio quodam, 6. & 20. Maij die commisso, cum alij Ducum quidam, tum Leodiorum occubuisset Episcopus. Hunc enim perfractis (is erat ardor hominis) viarum custodijs, in castellum Angelicum properantem, Robertini Florali ex area per obliquum progressi, circumveniunt, fugant, funduntque. Cæsarianorum qui capti occisivè fuerant, numerus millium duorum traditur. Eburonum, quem jam ante dicebamus, antistitem, in equum ab victore raptum, vehementemque Hispanus quispiam conspicatus, cujus paulò ante fratrem Alemanni confecerant, cum non aliam fraternæ necis ultionem eventuram speraret, letali percussum vulnere, ut paucis post diebus moreretur effecit. Ejus interitu Principis, qui & virtute & auctoritate eminuisset in regia, longè maximus pavor Cæsarianos invasit, Robertinis econtrariò lætitiam tristi casu afferente.

Henricus Romam movet.

Leodiensis Episcopi mors.

Porrò Luceburgius, ne tempus omne urbanis rixis attereret, statuit absolvere res, quarum causa potissimùm urbem petiverat. Itaque de sententia Cardinalium, conventu in Lateranum, ad diem Sextilium calend. indicto, Ostiensique, Flisco & Arnoldo Cæsareas Insulas sacrato capiti imponentibus, quod felix faustumque sit, prægrandi apparatu, singularique spectantium gaudio, Augusti nomen apicemque fastigij imperialis accepit. Peracta inauguratione, Bavarus cum parte Procerum perfunctum se officio comitandi existimans, assumpto commeatu in Germaniam abijt. Ipse Tybur paucis post diebus concedens, multa ibi veneratione incolarum exceptus, Pisas repetit.

Augustalis inauguratio.

Guelphicæ civitates Hetruriæ, ubi quæ Romæ acta fuerant, deque Principe decedente intelligunt, iter illius rursum intercludere nitebantur. Ac veriti ne parum instructi copioso agmini minùs resistere valeant, socios in Urbe degentes per literas commonefaciunt, ut & novum amplecterentur consilium, & properare mox in Thuscos maturarent. Interim Cæsar Gallia repetita per agrum Perusinum exercitu infesto progreditur, cunctaque ferro atque igne davastat, Castellionem vi capit, Cortonæ, Aretijque reverenter occursum venienti, portæque apertæ: inde crebris cum Guelphica gente prælijs feliciter gestis, varijsque Florentinorum castellis eversis, agrisque vastatis, inopia pabuli proficisci compellitur. Ad eum Bonatiano in prædio (id loco vocabulum) agentem, legati à Rege Siciliæ Friderico mari deportati, donum aureorum millia viginti adferunt, fœdus amicitiamque petentes. Postulatis eorum assensum.

Cæsar Roma discedit.

Fridericus Aragonum Rex cum Cæsare fœdus icit.

Postquam Cæsar Pisas accessit, legibusque cohercere hostes aggressus, quos bello persequutus fuerat, & asperrima edicta in Thuscos Roberti partium promulgavit,

gavit, & suos invicem clientes pulchris beneficijs devinctiores effecit. Quippe Spinulæ, cujus supra mentio est habita, Marchionique Montisferrati, cum alia dignationum genera, tum jus monetæ cudendæ tribuit: tum de Roberto castigando tractatum. Causa cognita, deque consilij sententia ob læsam majestatem Romani Imperij, paterno illum regno provincialique Comitatu excidisse pronuntians. Quæ decreta postmodum defuncto Henrico, Pontifex maximus Joannes XXII. pro potestate rescidit: estque ea res in publica monumenta redacta.

Robertus Apulus majestatis reus.

Sub idem tempus Henricus Flander magister equitum Cæsaris, Pisanum agrum cum turmis circumvagari cœpit, arcemque fortissimam Petram sanctam, Florentinis & Lucensibus spectantibus, expugnavit.

Cæsar Apulum hostem bello persequi statuit.

Imperator nihil actum ratus verbosis sententijs, nisi facta consequerentur, ad hoc Hetrusco bello finem commodissimè posse imponi, si Ducem caputque damnandæ audaciæ contudisset, trajicere in Campaniam ad ipsum Robertum armis perdomandum statuit. Icto ut ante diximus, cum Friderico fœdere, missisque in Germaniam, qui supplementum legionum conscriberent, placuit uti die constituta expeditam classem in Ligustico sinu explicaret. Numerus Cæsariani exercitus ad armatorum quatuor millia traditur. Accessit eo & Genuensium Classis, triremium septuaginta, à Friderico quoque Arragone triremibus quinquaginta submissis. Pisis Cæsar nonis Augusti decessit: quo die Fridericum quoque Messana Regium trajecisse postea compertum est: eamque civitatem expugnavisse, cum oppidis aliquot alijs.

Henrici, VII. decessus.

Henricus iter per Hetruriam faciens, ubi ad Montem apertum accessit (id nomen loco tribuere accolæ) ægrotare manifestò incipit: tametsi jam inde à relictis Pisis initia morbi irrepentis animadverterat. Sed ipse qua erat integritate animique magnitudine, ne die dicta temerè abfuisse crederetur, fidei quàm valetudinis rationem habere maluit. Inter Medicamenta autem balneæ Maceratanæ indicatæ fuere. Itaque eo loci profectus,* procuratoque de Medicorum sententia corpore, sese Bonoconventum contulit: ibi mox ingravescente malo, excessit è vita, ad diem nonum calendarum Septembrium, divo Apostolo Bartholomæo celebrem, anno quàm imperium accepisset, quinto, mense octavo. Defuncto Cæsare, idquod fieri in funere magnorum Ducum assolet, luctus incredibilis omnem Comitatum perculit. Itaque familiares defecti Principe, pars Teutonicos lares repetijt, cæteri regium corpus protinus Pisas, ut vivus jusserat, singulari fide civitatis adductus, deportarunt: ibi quoque non à socijs modo, sed ab oppidanis quoque majorem in modum defletus, solenni atque exquisitissima pompa effertur.

** al. purgatoque.*

Henrici fortitudo.

Vitam instantissimi Principis, qua acceperamus (ut puto) traditione narravimus, quem non Italia modò, nullis neque adversis frangi potuisse, neque secundis efferri, manifestò cognoverat: sed & barbaros lætitia invicti Ducis extincti obtinuit. Qui eo vivo nihil prorsus rerum novarum tentare ausi, defuncto, cuncta per Italiam (ut postea constitit) miscuerunt. Neque Pisanis cæterisque Optimatibus dubium erat, nisi maturatus fuisset interitus, regnum Roberto bello ablaturum, quippe cui perexilles essent ad propugnandum copiæ: ita ut ne signa quidem crederetur collaturus, quin cognito mox Imperatoris adventu, navigio advolaturum Narbonam. Quòd si Campaniæ obtinendæ facultatem dij tribuissent, infinitum esset, quantum ille Rex & opportunitate commeatuum & innata virtute moliri efficereque potuerit.

Fridericus, cui fœdus cum Imperatore percussum paulò supra tradidimus, medio agens alto, ut excessisse Cæsarem è rebus humanis accipit, ingenti videlicet molestia animi consternatur: eratque ea constantia Henricique amore, ut quoniam videre vivum nequiverat, extinctum saltem contemplari exoptaret. Itaque Pisas non ob aliam rem navigans, prolatum corpus regium inter uberes lachrymas conveneratus, recondi difficile passus est, constantissimi Ducis amicitiam immaturè sibi deplorans ademptam. Sed & Pisanus populus Henrici imitatus judicium, quem ille socium sibi delegerat, hic Principem sortiri decrevit, ultrò ei civitatis delato Imperio. Cæterum Fridericus satius existimans parta defendere, quàm novis implicari, simul aliam sibi esse rationem quàm Lucemburgio fuerat, tuendi patrimonij successionem avitam adventitiæ civitatis procurationi, actis gratijs duxit præferendam. Pari cautela Sabaudus Henricusque,

quorum

quorum ante meminimus, usi, delatas sibi quoque civitatis habenas modestè recusarunt: ita ut tam pertinaci repugnatione Principum, Pisanos suspicio metusque haud exilis incesserit. Veteranorum Cæsaris pars multò maxima Germaniam repetijt: reliqui voluntarij nomina Pisano præsidio tribuerunt. Summa ejus Reipub. in subsidium majorum Principum, ad Ugutionem Faiolam delata est. Is & Imperatoris ante nomine præfuerat Genuæ, & magnas postmodum res pro partibus Gibellinorum patravit.

Hugo de Bucheck Comes.

Florentini non Imperatoris modò, priusquam obiret, exulumque formidine, sed & seditione interna pullulante, coacti Imperium civitatis Roberto publicè detulerunt. Ac ne libertati vetustæ nova immutatio noxia fortè fieret, legem adijciunt, ut ne supra quinquennium potestas concessa teneretur. Idem ferè reliquæ civitates Hetruriæ Guelphæ fecerunt: ita ut evidenter appareret, eo jam necessitatum Henrici perseverantia redactos adversarios, uti intra paucissimos dies sub jugum mitti potuerint. Atque jam olim variis experimentis cognitum est, cum aliis in rebus humanis, tum in bello primas obtinere partes fortunæ ludibrium. Ita magnus Alexander, tentato veriùs orbe terrarum quàm domito, sed cui jam rerum universitas propter felicitatem cœptorum destinaretur, in ipsis juventæ primordijs excessit è medio. Sic Hannibal Cannensi victoria nobilitatior quàm prudentior, occasionem capiendæ Urbis prætermisit. Scipiones in Hispania duo medijs rebus, mediisque annis res humanas reliquere. Patrum quoque nostrorum ætate, Amorates capto Byzantio Hydrunteque direpto, omnem sibi jam despondens Italiam, intercipitur. Nuper verò Britanniæ Regem Henricum, captis duabus validissimis civitatibus Galliæ, perterritisque ac consternatis absque dubitatione hostibus, sapientia non vita destituit. Qui aut cæcus dictus est, aut certè, si tantam opportunitatem providebat, neque tamen suæ fortunæ obsequebatur, excors. Hos (ut dixi) casus inter fortuita reponebat antiquitas: nos ad Deum Opt. Max. publico consensu deferimus, è cujus æquissimo arbitrio quicquid rerum humanarum vel fit vel dicitur, sumit originem.

Fortunæ ludibrium.

Varia de genere mortis opinio. Nonnulli venenum malum niveo libello inditum asserunt, quod per ineffabilia mysteria commutatum quotannis morituri que libamus. Monachos Prædicatorij ordinis, quibus ille ministris utebatur in sacrificijs, horrendi facinoris extitisse auctores, eamque rem Beneventus Imolensis, seculi ejus, in literas retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia, Cartusiensis in Fasciculo tradit, qui re delata ad Pontificem maximum, decretum causa cognita impetrarint, quo innoxius ejus veneficij Ordo universus pronunciatus fuerit. Dominicani qui Luceburgi agunt, hoc amplius, cœnobij sui auctorem non alium citant quàm Henricum: neque ergo fieri potuisse, uti tantum scelus in tam bene meritum perpetratum extiterit. Nobis potius in medio relinquere placet disputationem funestam, quàm de infandæ audaciæ fama, certam proferre sententiam.

Opinio de morte Henrici VII.

F I N I S.

HENRICI VII. IMPERATORIS, AD JOANNEM DE Elnbogen/cœnobij Waldsassensis in Nariscis, Abbatem, Epistola.

HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus: venerabili Abbati Waldsassensi, Cisterciensis ordinis, devoto suo ac dilecto, gratiam suam & omne bonum. Magnus Dominus & laudabilis valde, in excelso Divinitatis suæ solio residens, Imperium suum (quod pro meritis ejus inter nationes diversas, quasi cum gentib. à suo Creatore degenerantibus, vacillabat) transire voluit ad Romanos, ut illic prairet Imperialis excellentiæ thronus, ubi erat Sacerdotalis sedes & apostolica affutura: ita quod in eodem loco summi Pontificis & Imperatoris auctoritas reniteret. Novissimis quippe temporibus, illo translato in Germanos, postquam plures Principes ad ipsum vocatos Imperium, quorum quidam ipsius Imperij assumpsere diadema, quidam non: divina cooperante clementia, per eos ad quos spectat, in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, ritè & concorditer electi, proposuimus ad Vrbem, pro coronationis nostræ suscipiendis solenniis proficisci. Ac sanctissimum in Christo Patrem Dominum Clementem summum Pontificem requisivimus, ut ad Vrbem accedens, præfata solennia nobis ibidem tradere dignaretur. Qui cum ex certis causis, juxta nostrum immensum desiderium interesse nequiret: ne dicta coronatio ob sui absentiam impediri valeret, venerabilibus Patribus, Dominis Arnoldo S. sedis Apostolicæ legato, Leonhardo Albanensi, & Nicolao Hostiensi ac Veltrensi Episcopis, ac Francisco S. Luciæ, nec non Luca, S. Mariæ in via lata Diaconis Cardinalibus, commisit in hac parte plenariè vices suas,

cum clausula, ut si non omnes his exequendis interesse valerent, quatuor, tres, duo vel unus eorum, dictæ coronationis nostræ negotium expediret.

Verùm dictis Leonhardo & Francisco de hac luce subtractis, per dictos Dominos Cardi*nales superstites, die festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum (quem ad hoc ut poteramus, virtute dictæ commissionis, elegimus) in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, præsente Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum ac Ecclesiasticorum ordinum Vrbis, Ducumque, Comitum, Baronum, Nobilium ac Rom. populi, in numerosa caterva, oleo sacro uncti fuimus, nec non Imperiali diademate coronati, ac aliis debitis ac consuetis solenniis insigniti. Hæc autem devotioni tuæ volumus intimare, ut de nostris felicibus successibus valeas exultare. Datum Romæ, quarto Kalendarum Iulij, regni nostri anno quarto, Imperij vero anno primo.*

AUCTORIS INCERTI FRAGMENTUM HISTORICUM, M. ALBERTI ARGENtinensis Chronico in manuscriptis Codicibus præfixum.

ANNO ab incarnatione Domini DCXXXI. Dagebertus Rex monarchiam in trib. regnis, Burgundionum, Austrasiorum, superiorum Francorum sagaciter accepit, fuitque Rex fortissimus, enutritor Francorum severissimus in judicijs, & Ecclesiarum largitor, pacem in cuncto regno suo statuit. In multis regnis rumor ejus personuit: timorem universis regnis per circuitum incussit, pacificus & quietus regnum obtinuit Francorum: sancto Arnulfo Metensi Episcopo, Pipino Duce & Erchinoldo majore domus utens consiliariis: nimio amore justitiæ flagravit. Cujus temporibus, Dageberti scilicet Regis Francorum, usque ad annum quo Carolus cognomento Magnus ex Francigenis primus Imperator Romanorum factus, & per annos circiter CLXXI. fuerunt quindecim Imperatores Romanorum, quorum nomina hæc sunt. Heraclius, Constantinus, Heracleonas, Constans, Constantinus, Justinianus, Leontius, Absimarus, Philippus, Artemius qui & Anastasius, Theodosius, Leo, Constantinus cum Irene. Hinc Romanum Imperium ad Francos commigravit.

S. Osualdus Rex. Anno Domini DCXLII. in Britannia sanctus Osualdus Rex piissimus, cum regnum Anglorum & Britonum IX. circiter annis strenuè administrasset, contra Pendanum Regem pugnans, occubuit, & plurimis post mortem miraculis claruit.

Gertrudis illustris virgo. Anno Domini DCXLVI. Gertrudis virgo, filia Pipini Ducis, soror Grimoaldi, Nivelensis cœnobij mater, virtutibus claruit. Hujus soror Begga & ipsa religiosa, Angiso, sancti Arnulfi filio, nupsit. Sanctus quoque Arnulfus, cum esset in juventute Dux, genuit Angisum Ducem: Angisus de Begga uxore genuit Pipinum Ducem, qui major domus regni Francorum erat. Pipinus genuit Carolum Seniorem, & Ducem & majorem domus Francorum. *Caroli Magni genealogia.* Carolus genuit Carolomannum & Carolum Regem, postea Imperatorem cognomento Magnum, ut in sequentibus planiùs dicetur. Et hæc est genealogia Caroli Magni.

Anno Domini DCLXVIII. in Orientis partibus Constantinus hujus nominis quartus Imperator: Romanis imperat. cujus temporibus Constantinopolis septennio obsessa, nec tamen est capta. Sub eodem Constantino floruit beatus Nicolaus Archiepiscopus, qui postea apud Myream sub Justiniano minore Imperatore, anno Dominicæ incarnationis DCLXXIII. migravit ad Dominum. *S. Arbogastus & Florentius.* Eodem tempore beatus Arbogastus extitit, qui filium Dageberti à morte suscitavit: & Florentius, qui filiam ejusdem Regis à Dæmonio vexatam liberavit, Argentinæ vicissim succedentes Episcopi, claruerunt.

Anno Domini DCLXXIV. Dagebertus Rex obijt, & filij ejus duo regno substituuntur. Sigebertus cum Pipino Duce & Majore domus Regiæ, Austrasiam: Clodoveus minor cum Nanthilde Matre & Erchinoldo majore domus Regiæ, Franciam & Burgundiam accepit. Sigebertus Rex Austri, Pipino Duce defuncto, Grimoaldum filium ejusdem Majorem domus statuit. Decedente verò tempore defuncto Sigeberto Rege, Grimoaldus filium ejus parvulum, nomine Dagebertum totondit, & in Scotiam ad peregrinandum direxit, filium suum in regno constituens. Franci hoc valde indignantes, Grimoaldum capiunt, & ad condemnandum Regi Francorum Clodoveo offerunt.

offerunt. Qui in Parisius civitate carceri mancipatus, ut erat dignus morte, quod in dominum suum exercuit, valido cruciatu finivit vitam.

Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit namque Rex Clodoveus omni spurcitiæ deditus, fornicarius & illusor fœminarū, gulæ & ebrietati intentus. De morte hujus & fine nihil historia dignum recolit. Cui vicissim filij ejus Lotharius, Hildericus, Theodoricus in regno successerunt. Erchinoldo igitur defuncto, Lotharius qui tunc regnabat, Ebroinum majorem domus constituit. Qui ob nimia scelera sua à Francis accusatus, ab Hilderico, qui fratri in regno successerat, in Luxovio monasterio Burgundiæ recluditur, & Leudesius, quem Germani Luthericum vocant, filius Erchinoldi, consilio Leodegarij Augustudonensis Episcopi major domus palatij constituitur.

Rex igitur Hildericus cum per aliquot annos regnasset, à pestiferis conspiratoribus in aula, cum uxore sua prægnante, peremptus est. Leudesius verò & Luthericus cum Franciæ & Germaniæ Principibus fratrem ejus Theodericum Regem constituunt, suffragantibus sibi Didone Pictaviensi Episcopo, Leodegario Augustudonensi Episcopo & Gerino Pictavensi Comite fratre ejus.

Igitur Ebroinus de Luxovio egressus, & apostata factus, Theodoricum Regem & Leudesium persequutus, regales thesauros apprehendit, & quoscunque insidiatores suos reperit, crudeli morte damnavit. Postea in Germaniam cum suis, quasi pacis sub obtentu, pro Leudesio transmisit, ut ejus auxilio in gratiam regni pervenire potuisset, dispositis ei in itinere insidiis. Ille verò, licet cum omnimodis habuisset eum suspectum, tamen pro pace restauranda iter aggressus est. Cumque ad loca insidiarum pervenisset, Ebroinus cum suis ex improviso consurgens, Leudesio cum aliquantis militibus occiso, ipse Principatum regni violenter invasit, & cum conspiratoribus suis Leodegarium Episcopum captivum interemit, Didonem Episcopum avunculum ejus exilio damnavit.

Ebroini perfidia & immanitas.

Leudesius namque cum major domus esset, duxerat uxorem de prosapia sancti Sigismundi Regis Burgundiæ, genuitque ex ea Athicum seu Adalricum, qui patre adhuc superstite, & Hilderico regnante, uxorem duxerat Bersvvindam nomine, filiam sororis sancti Leodegarij, sororem videlicet Reginæ. Ob hanc causam consanguinitatis à præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus est, habuitque sedem in villa Regia Ehenheim / & in castro quod Hohenburg nominatur: genuitque filiam à nativitate cæcam, nomine Odiliam, quæ à sancto Herhardo Ratisponensi Episcopo, & Hildolfo Treverensi baptizata, in sacro fonte visum recepit.

Sedes Ducatus Alemanniæ.

Odilia illustris virgo.

Ebroinus igitur dum Francos crudeliter opprimeret, ab Ermenfrido occisus est, & Waranto major domus à Theodorico constituitur. Quo defuncto, Franci in diversa tendentes, vacillabant, & Berecharium quendam statura pusillum, sapientia ignobilem, consilio inutilem, majorem domus palatij oberrantes statuerunt.

Pipinus igitur Dux, filius Angisi, nepos sancti Arnulfi, decedentibus Regibus, qui jamdudum dominabantur in Austria, terram sibi vendicaverat: & consurgens commoto hoste quàm plurimo contra Theodericum Regem & Berecharium aciem dirigit: illisq; inter se decertantibus, Theodoricus Rex unà cum Berechario terga vertit, Pipinus victor extitit, & Berecharius ab inimicis suis peremptus est. Post hæc Pipinus Dux, Theoderico annuente, cepit esse in principali regimine major domus: qui multa bella gessit contra Rapotonem gentilem, contra Suevos, & quamplurimas gentes.

Theoderico decedente, Clodoveus filius ejus regnavit, post quem Hildebertus, deinde Dagebertus. Pipinus itaque dum Principatum Palatij sub prædictis Regibus annis XXVII. egregiè administrasset, mortuus est, anno ab incarnatione Domini DCCXIV.

Ejus temporib. duo Angli Presbyteri Evvaldi, dum Saxonibus prædicarent, martyrio coronati & miraculis declarati ab ipso Coloniæ tumulati sunt, anno Domini DCXXIV. Sequenti anno sanctus Willebrodus à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, genti Frisonum prædicant, virtutibus floruit.

S. Willebrodus.

Igitur Pipino mortuo, Franci Raginfredum in Principatum, majorem Palatij

latij elegerunt: qui, Dageberto Rege mortuo, cum Francis Danielem quendam clericum cæsariæ capitis crescente, in regnum statuit, atque Hilpericum nuncupavit. Eodem tempore Carolus Dux, filius Pipini, in Austria semel & iterum exercitu commoto contra Hilpericum Regem, & Raginfredum majorem domus, pro Principatu decertantibus, Hilpericus cum Raginfredo terga vertit; Carolus victor extitit. Deinde Hilperico mortuo Theodericus ei successit. Quo mortuo, Hildericus regnavit, qui tonsus & in monasterium jussu Stephani Papæ reclusus est, ut in sequentibus planius dicetur.

Carolus igitur Dux victrici manu major domus Palatij effectus est, Raginfredo deposito: cujus regiminis quarto anno, qui est à nativitate Domini DCCXVIII. Sarraceni Constantinopolim obsidentes, tandem divino auxilio fame, peste & ferro repelluntur.

S. Bonifacius primus Archiepiscopus. Mogunt.

Sequenti anno sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiæ Archiepiscopus ordinatus est, quamvis antea Moguntini Episcopi suffraganei fuerint wormatiensium Episcoporum: & auctoritate Apostolica duos in sua parochia Episcopatus fecit, Wurzeburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum, & Eistetensem cui willebaldum comprovinciales primos Episcopos ordinavit. Hic etiam Fuldense cœnobium in saltu Bochania construxit, ubi postea cum Fresonibus prædicaret, martyrij coronam adeptus, anno Domini DCCLIV. sepultus est.

Fuldense Cœnobium.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXXIII. corpus sancti Augustini Hipponensis Episcopi de Sardinia in Italiam à Luprando Rege Longobardorum translatum est Ticinum. Sequenti anno sanctus Pirminius in Augia insula serpentes fugavit, & cœnobialem vitam ibi instituens, Ethonem postea Argentinensem Episcopum, qui etiam Etthenheim cœnobium construxit, pro se Abbatem constituit, ipseque Alsatiam, Alemanniam atque Bavariam, alia constructurus cœnobia, petijt, quorum nomina hæc sunt: Althahe/Phevers (Favariás) Murbach/Schuttere/Gengenbach/Swarzahe/Wissenburg/Horenbach/Morsmünster/Nuwilre.

Augia majoris cœnob.

Ettenheim.

Cœnobia à S. Primino inchoata.

Anno Dominicæ incarnat. DCCXXXI. Beda Presbyter natione Anglicus, doctor eximius migravit ad Dominum.

Carolus igitur Dux & Major domus regni Francorum, postquam Alemanniam, Bavariam & totam provinciam Teutonicorum subegit regno Francorum, genuit Carolomannum & Pipinum: qui diviso post obitum ejus Patris regno Francorum majores domus præfuerunt: Regibus tamen in Francia, sed parva dignitate, regnantibus. Igitur Pipinus missis Romam legatis Zachariam Papam de regno Francorum & ignavis ejus Regibus consuluit: cujus auctoritate & non multò post jussu Stephani Pontificis Romani, Hilderico, qui tunc temporis Regimen Francorum tenebat, deposito, atque in monasterium detruso: Pipinus major domus, Rex Francorum electus, & Suessionis, à sancto Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo unctus est, anno Domini DCCLII.

Pipinus major domus Rex Francorum.

Gens namque Merovingorum, de qua Franci Reges creari sibi soliti erant, usque ad hæc tempora duravit: quæ licet in Hilderico finita posset videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præ se ferebat. Nam opes & potentia regni penes Palatij præfectos, qui majores domus dicebantur, & ad quos summa Imperij pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quàm ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus, responsa, quæ erat doctus, vel etiam jussus, ex sua velut potestate redderet: cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ (prout videbatur) exhibebat, nil aliud proprij possideret, quam unam præparui reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi ministrantes atque obsequium præbentes paucæ numerositatis, habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, bubus junctis & bubulco rustico more agente, trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem & omnia quæ vel domi vel foris agenda vel disponenda erant, præfectus aulæ procurabat.

Regum è Merovingis extremorum ignavia.

Quo

Quo officio tunc cum Hildericus deponebatur, Pipinus jam velut hæreditario jure fungebatur, qui honor non alijs dari consueverat quàm his, qui claritate generis opum magnitudine cæteris eminebant. Hunc cum Pipinus ab avo & patre sibi & fratri Carlomanno relictum, summa concordia divisum, sex annis sub Rege memorato tenuisset: Carlomannus amore conversationis contemplativæ succensus, operosa temporalis regni administratione relicta, in monte Cassino optata quiete perfruitur.

Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex præfecto Palatij Rex constitutus, cum per aliquot annos Francis solus imperaret: Stephanus Papa pro auxilio contra Haistulphum Longobardorum Regem poscendo, ad eum in Franciam venit, & filios ejus Carolum, ob virtutum & meritorum quantitatem cognomento Magnum, & Carlomannum Parisiis Reges inunxit, anno Domini DCCLIII.

Anno Domini DCCLIX. sanctus Othmarus, qui cellæ sancti Galli primus Abbas constitutus, XL. annis præerat, à Warino & Ruthardo, consensu Sidonij Constantiensis Episcopi, iniquè damnatus, in Denstein relegatus, migravit ad Dominum. *S. Othmarus*

Eodem anno Waifarius tyrannidem in Aquitania exercuit: cui resistens Pipinus Rex, Vasconiam seu Aquitaniam invasit, & tyrannum injustè usurpata sub Sacramento reddere coegit.

Finito Aquitanico bello, quod per continuos novem annos gerebatur, Pipinus XVII. anno regni sui apud Parisios obijt: superstitibus filiis Carolo magno, & Carlomanno, ad quos successio regni divino nutu pervenerat. Franci igitur facto generali conventu, ambos sibi Reges constituunt, ea conditione, ut totum regni corpus ex æquo partirentur. Carlomannus post administratum communiter biennio regnum, morbo decessit, & Carolus, fratre defuncto, consensu omnium Francorum Rex constituitur: qui Hildegardam de gente Suaborum præcipuæ nobilitatis fœminam, in matrimonium accepit, & tres ex ea filios genuit, quorum unus nomine Patris sui Carolus, alter Pipinus, qui postea factus est Rex super Italiam, tertius verò vocabatur Ludevicus, qui fuit Rex super Aquitaniam. Liberalibus disciplinis & mundanis legibus instruebat eos, & cum primò ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit. Tres etiam de Hildegarda filias habuit, scilicet Rudrudem, Bertam, & Giselam.

Pipini Regis obitus.

Carolus magnus Pipini F. Rex.

Carolus igitur dum per XXXIII. annos sub nomine Regis circumquaque fortia gessit bella, Romam venit propter Leonem Papam, qui à Romanis lingua præcisa & excæcatus in Saxoniam ad eum perductus fuerat: ubi Leonem de ei illatis & non probatis criminibus Sacramento purgatum sedi suæ restituit, ac temerarios juxta leges Romanas capitali sententia addixit: sed precibus ejusdem Papæ vita concessa, in exilium eos relegavit. Itaque cum tanti tamque famosi viri per totum orbem terrarum fidei probitatisve fama volavit: Romani potentissimum Romanum Imperium, imò & Papæ electionem sibi præscripserunt. Igitur precibus beatæ Leonis Papæ & Principum regni, omniumque primatum admonitus, tam Dei quàm hominum voluntati consentiens, cum magno universalis cleri plebisque tripudio, in die natalis Domini nostri Jesu Christi, anno incarnationis ejus DCCC primo, ante altare beati Petri Apostoli, Romæ à Leone Papa consecratus & unctus est Carolus Imperator, ipso Papa coronam auream capiti ejus imponente, in jubilo cordis & oris Romano clero & populo acclamante: *Carolo Augusto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori*, VITA ET VICTORIA.

Carolus M. Occidentis Imperator creatus.

Sciendum est, quod primus omnium Regum vel Imperatorum post Christi nativitatem, Carolus unctus est: bis equidem, primò in Francia cum fratre suo Carlomanno adhuc puer in Regem: deinde Romæ, in Imperatorem. Ex eo Reges & Imperatores, more antiqui Dei populi, ungi cœperunt. Notandum etiam quòd hujus nominis tertius Valentinianus, sub quo beatus Augustinus Hipponensis Doctor obiit, novissimus Augustorum fuit in Urbe Roma: post quem Hesperium cecidit regnum: & nemo creatus est Romæ Augustus, per annos circiter CCCXLVIII. usque ad Carolum magnum: ipse enim primus post Valentinianum Romæ Imperator augustus extitit.

Mos ungendi Reges. NB.

Aquisgranum sedes imperialis.

Post quem Romanum Imperium cis mare Francorum Regibus administrandum, cum Cæsaris Imperatoris Augusti nomine commissum est, usque quo deficiente in Francia & lassescente Regio stemmate, Romanum Imperium à Teutonicis Principib. administratum est, usque in hodiernum diem. Hæc civitas Roma condita est à Romulo annis DXIX. post Trojæ excidium: à conditione verò inclytæ Urbis usque ad incarnationem Domini fuerunt anni DCCLII.

Carolus factus Imperator, Galliarum fines adijt, & locum qui Aquis, ob aquarum calidarum adeptionem, traxit vocabulum, solito more venandi causa aggressus est, & perplexione sylvarum & errore viarum à sociis separatus, thermas calidorum fontium & palatia inibi reperit, quæ quondam Granus, unus de Romanis Principibus, frater Neronis & Agrippæ, construxerat: quæ longa vetustate deserta ac demolita, frutetis quoque ac veprib. occupata, pede equi quo sedit, inter saltus rivos aquarum calidarum percepit & reperit. In quo loco sub titulo & honore beatæ Dei genitricis Mariæ, fundavit Ecclesiam miri decoris, quàm auro & argento, & vario ornatu soli, æris, cancellis quoque & januis, magnificè & mirificè adornavit. Ad cujus etiam fundationis structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma, Ravenna ac Treveri devehenda curavit, nullum laborem ac sumtum recusans. Consecrationem verò ejusdem basilicæ quanta solennitate Episcoporum & Prælatorum, quanta totius regni & Imperij primatum & principum numerositate celebraverit, adscito etiam beato Leone, sanctæ Romanæ sedis præsule, series gestorum Principalium manifestè dictavit. Illius namque Ecclesiæ celeberrima dedicatio, sub præsentia metropolitanorum & Episcoporum numero CCCLXV. excepta innumerabili multitudine Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, tam Italiæ quàm Saxoniæ, tam Bavariæ quàm Alemanniæ, & utriusque Franciæ, ab omnibus est gloriosissimè solennisata. Illic igitur Domino Apostolico & omnib. prædictis nobilibus & egregiis personis congregatis, Imperator meruit ab omnibus obtinere pro nimia devotione, quam erga ipsum locum & matrem Christi habebat, ut in templo eodem sedes unctionis Regiæ locaretur, & locus regalis, & caput Galliæ trans Alpes haberetur, & in ipsa sede Reges successores & hæredes regni initiarentur, & sic initiati jure dehinc Imperialem benedictionem Romæ à Domino Apostolico, sine ulla interdictione, planiùs assequerentur. Confirmatum & sancitum est à Domino Apostolico Leone, & à Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto, quatenus ratum & inconvulsum hoc statutum & decretum maneat, ut Aquisgrani sedes regni trans Alpes habeatur, sitque caput omnium civitatum & provinciarum Galliæ. Acquieverunt universi voluntati Imperatoris, qui ad hoc solenne dedicationis ex diversis regnis, confluxerant, ac bonum & acceptum coram Deo & hominibus Apostolici & Imperatoris decretum astruxerunt, & omnium graduum Episcoporum, Abbatum quoque banno corroborari hanc petitionem universi acclamaverunt. Quàm strenuè Deo dilectus Imperator materialis gladij cingulo militiæ præcinctus, laboriosum onus sustinuerit, qui scire desiderat, in catalogo virorum fortium & in Chronicis ejusdem inveniet: tamen pauca bellorum ejus insignia adnotemus.

Aquisgranum sedes Regiæ unctionis. NB.

Christiani Hierosolymis oppressi.

Interim igitur dum bellum ageret contra Godefridum Regem Nortimannorum, apud Jerusalem inter Christicolas & paganos discordia orta est adeò magna, quòd Patriarcha, vir perfectissimæ religionis, de civitate vi expulsus, ad Imperatorem Constantinum & filium ejus Leonē, qui tunc temporis illis partibus imperabat, Constantinopolim fugiendo, cum aliis Christianis pervenerit, & ei lacrymabiliter, quæ & quanta sibi sint illata, & qualiter sepulcrum Domini & sancta loca gentes inordinatè tractent, quod universi Christi fidelibus deberet esse dolendum, enarravit.

Imperator igitur hostes sanctæ Ecclesiæ refrenandos, socium itineris adscivit Carolum magnum, literis ei cum muneribus insignibus directis. Quibus ille receptis, intellexit jam se à Deo ad hoc negotium præelectum esse, & jam usque ad Orientales famam suæ probitatis transvolasse. Hinc gaudio gavisus est valde: sed oppidò, quòd Dominicum sepulcrum à paganis, erat obsessum, condolens, lacrymari cœpit. Qui statim consilio habito, per totum Francorum regnum edicto citissimè imperat, ut omnis quicunque ad sese defendendum arma possent deferre, tam senes quàm juvenes, secum pugnaturi in paganos versus Orientales plagas inevitabiliter satagant. Alioquin quicunq; hujus edicti mandata non peregerit, ipse in vita sua & filij ejus similiter, ex Regis decreto, de capite quatuor nummos, quasi servi solvant.

Quid

Quid ultra: catervatim undique populis circumfluentibus majorem exercitum quàm antea habuisset, brevi spatio congregavit. Itaque in nomine Domini profectus, tandem cum exercitu suo Constantinopolim longo itinere fatigatus, pervenit. Postea verò fugatis quoque paganis, ad celsam Urbem, quæ vexilla crucis vivificæ, Christique passionis retinet monumenta, lætus & supplex adventans, Patriarchæ totique Christicolæ plebi cuncta prospera, Deo opitulante, solidavit. His itaque gestis Imperatorem Constantinum licentiam repatriandi Carolus magnus subrogavit, acceptis ab eo dignis ac sacrosanctis pignoribus, Sanctorum, scilicet, de spinea corona Domini octo spinas, cum roboris parte, unum de clavis Domini & de sancta cruce, & sudarium Domini, & sanctæ Dei genitricis camisiam, & cinctorium unde puerum Jesum in cunis cinxerunt, brachium senis Simeonis & alia multa: quæ omnia Deo dilectus Carolus post reditum suum Aquisgrani, cum multorum religiosorum virorum Comitatu diligentissimè recondidit.

Caroli Mag. Hierosolymitana expeditio.

Itaque magnus Imperator Carolus postquam multis laboribus diversa orbis regna innumerasque Urbes à mari usque ad mare, divinis munitus subsidijs, invincibili suæ potentiæ brachio subjugavit, & ab infidelium potestate liberavit, Christiano Imperio subdidit. Tanto igitur sudore ac gravi fatigatus labore, ut requiem sibi daret, nec amplius bellum inire proposuit. Et ecce per visum nocte intuitus est in cœlo quandam viam quasi stellatam, incipientem à mari Frisiæ, & tendentem inter terram Teutonicam & Italiam, inter Galliam & Aquitaniam, rectissimè transeuntem per Vasconiam, Basculamq; & Navarriam atque Hispaniam usque Galliciam, ubi corpus beati Jacobi tunc temporis latebat incognitum. Hæc igitur cum Carolus per singulas penè noctes conspiceret: apparuit ei beatus Jacobus, admonens, ut ad expugnandam perfidiam & visitandam memoriam ejus in Galliciam proficisci deberet: & post eum omnes populi, à mari usque ad mare peregrinantes, & delictorum suorum veniam implorantes, illuc ituri essent, à temporibus suis usque ad finem seculi. Quibus Imperator excitatus & monitus, atque promissione Apostolica fretus, coadunatis exercitibus multis, expugnare gentes Hispaniæ & Galliciæ aggressus est. Tunc prece ad Dominum & sanctum Jacobum fusa, muri confracti funditus corruerunt, sicut legitur divinitus factum de muris Jericho. Itaque Sarracenos, qui baptizari voluerunt ad vitam reservavit, eosque qui renuerunt, gladio feriendos tradidit. His auditis, cæteri Sarraceni invictissimo Carolo ubique sese in deditionem tradebant, obviamque ei tributa mittebant, & Urbes ultrò reddebant: totaq; gens in Gallicia valida & robusta, armis abjectis Imperatorem Carolum honorificè & pacificè recepit. Deinde Carolus visitato beati Jacobi sepulchro, accessit ad Petram limitarem, & infixit in mari lanceam suam, agens Deo gratias & sancto Jacobo, qui huc usque duxisset, dicens: quòd ulterius ire non posset.

Carolus Sarracenos in Hispania perdomat.

Reverso demum in Galliam Carolo magno, quidam Rex Africæ, nomine Agiolandus cum exercitu terram Hispaniæ sibi subjugavit, interfectis universis, ejectisque de oppidis & Urbibus Christianis custodibus, quos ad custodiendam terram reliquerat. His auditis, Carolus cum magno exercitu rursum proficiscitur in Hispaniam, reperitque Agiolandum in amœno prato, super fluvium quod vocatur Teja, ubi postea basilica beatorum martyrum Facundij & Primitivi ab ipso noscitur fabricata. Appropinquantibus autem Christianorum exercitibus, mandavit Agiolandus Carolo optionem pugnandi secundùm velle suum, vel viginti contra viginti, vel XL. contra qradraginta, vel centum contra centum, vel mille adversus mille, vel unum contra unum, vel duos contra duos decertantibus. Interea missi sunt à Carolo centum contra centum Agiolandi milites, & interfecti sunt Sarraceni. Deinde misit Agiolandus ducentos contra ducentos Caroli milites, & statim occisi sunt Mauri. Iterum misit Agiolandus duo millia contra duo millia, è quibus alia pars occisa est, alia terga vertit. Tertia verò die jecit sortes Agiolandus secretò, in quibus cognovit Caroli detrimentum, & mandavit ei, ut ad pugnam plenariam contra eum die sequenti veniret: quod ab utraq; parte concessum est. Tunc astiterunt quidam ex Christianis, qui sero ante diem belli arma sua bellica studiosè præparantes, hastas suas in terram fixerunt, erectas ante castra, scilicet in pratis juxta præfatum flumen; quas summo mane corticibus & fron-

Caroli conflictus cum Rege Agiolando.

dibus invenerunt vestitas: hi scilicet, qui in acie proxima palmam martyrij pro fide Christi erant accepturi. Unde ultra quàm dici fas est, admirantes, tantumque miraculum divinæ gratiæ & meritis fideique Imperatoriæ adscribentes, absciderunt prope terram: quarum radices, quæ in terra remanserunt, ex se postea magna nemora, quæ adhuc in eodem loco apparent, genuerunt. Erant autem multæ ex hastis fraxineæ. Die autem sequenti commissa est contra hostes pugna, in qua occisa sunt Christianorum XL. millia, & Dux Milo de Angulariis, Rotlandi genitor, ibidem martyrij palmam est adeptus, cum his, quarum hastæ (uti dictum est) fronduerunt. Sed & Caroli equus in eadem pugna interemptus est.

Tunc Imperator constanter permanens, cum duobus millibus Christianorum peditum & ipse pedes, cum se inter innumera hostium millia cerneret circumvallatum, evaginato gladio multos Sarracenorum trucidavit. Die verò advesperascente, tam Christiani quàm Sarraceni in castra revertuntur. Altera verò die Agiolandus in fugam versus, in Legionensium fines secessit, & triumphator Carolus in Galliam remeavit: ubi rursus multis congregatis de Imperij visceribus, videlicet CXXIV. millibus, Hispaniam ingreditur, & cum Agiolando congressus, ipsum & omnes suos prostravit: & cuncta ritè disponens, victor ad propria rediit.

Hæc bella & multò plura Rex & Imperator potentissimus per annos XLVII. in diversis terrarum partibus summa providentia atque felicitate gessit. Omnibus itaque Carolus in pace & tranquillitate compositis, coronato filio suo Ludevico, & commisso ei totius regni negotio, cum more solito Aquisgrani hyemaret, febre valida correptus decubuit, & in senectute bona viam universæ carnis ingressus est, V. Cal. Januarij, ætatis suæ anno LXXII. regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLIII. ex quo Imperator & augustus appellatus est, decimoquarto: incarnationis verbi Dei DCCC. XIV. & in Ecclesia Aquisgrani honorificè sepultus quiescit.

Caroli Mag. decessus.

Anno Dominicæ incarnationis DCC. LXXVIII. Hildegart regina uxor ejus obijt. Eodem anno Bertha mater ejus, quæ apud eum in magno honore senuerat, vita decessit, & apud maritum suum Pipinum Parisiis sepelitur.

Hildegardis Augustæ obitus.

Anno regni Caroli magni XLII. obijt, Pipinus filius ejus Rex Italiæ. Sequenti anno Carolus primogenitus ejus vita decessit. Solus Ludevvicus ad regni gubernacula remansit. Rudrudis filiarum ejus primogenita defuncta est prius quam ipse obiret. Hæc Constantino filio Irenes desponsata erat, Græcorum Imperatori. Hic Constantinus hujus nominis sextus cum matre Irene Imperium in Orientis partibus accepit, anno Dominicæ incarnationis, DCC. LXXIV. Eodem anno homo quidam fodiens in longis Thraciæ muris, invenit lapideam arcam: quam cum expugnasset, reperit virum jacentem, & conglutinatas arcæ literas, continentes hæc. *Christus nascetur ex Virgine Maria, & credo in eum. Sub Constantino Irene Imperatoribus ô Sol iterum me videbis.* Unde cognoscere possumus, nullo tempore defuisse fideles spiritu Dei plenos.

Anno Domini DCCC. XIX. corpus sancti Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis martyris Ratholdus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore sancti Genesij martyris in Augiam insulam attulit.

S. Marci corpus.

Anno Domini DCCC. LXII. Tregandus Treverensis Archiepiscopus, Lothario Regi & Gunthero Coloniensi Archiepiscopo consentiens in dejectione Tieburgæ uxoris, ejusdem Lotharij falsò accusatæ. Imò definitum est in Synodo, ad hæc machinandum collecta, quod ipsa confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso pollutam fuisse concubitu. Hanc falsam infamiam Lotharius his Episcopis composuerat, cupiens hoc modo Reginam abijcere, & waldradam, sororem Guntheri Coloniensis Archiepiscopi, quàm ipse adolescens concubinam habuerat, in regnum assumere. Quod cum judicio Episcoporum adeptus fuisset: sequenti anno Thregandus & Guntherus à Papa Nicolao Romam, pro his causis, evocati sunt, ibique omni Ecclesiastica dignitate privati & depositi sunt, & Lotharius excommunicatus est.

Mortuo Nicolao Papa, Adrianus ei successit: ad quem cum Lotharius Rex Romam venisset, & opitulante fratre Ludevico Imperatore, pro Waldrade concubinæ suæ matrimonio satis egisset, nihil profuit. Ea quidem conditio ei dabatur, ut si innocens esset de adulterio, fiducialiter corpus Domini perciperet: sin verò, illud nullate-

nus

nus accipere præsumeret. Sed ille temerarius accessit, & cum suis complicibus inevitabile judicium sibi suoque regno, heu nimium demens, percepit. Nam tanta clades præsumptionem hanc divinitus subsequuta est, ut ejusdem Lotharij regno tota virtus ac nobilitas non peste, sed hostili gladio deleta esse videretur. Itaque cum rediret domum, Placentiæ perijt, fautoresque sceleris omnes penè in itinere periere, regnumque ejus Rex Galliæ Carolus, patruus ejus, invasit.

Carolus Crassus imp.

Anno Domini DCCC.LXXX. Carlomannus Rex Bavariæ, apud villam OEtingen obijt. Tertio anno Ludovicus frater ejus Rex Germaniæ, absque hærede decessit. Itaq; frater ipsorum Carolus Rex Alemanniæ Romam veniens, una cum Regina Richarda Imperiali unctione à Papa coronatur, anno Domini DCCC.LXXXI.

Andlo Cœnobium Alsatiæ.

Anno Domini DCCC.LXXXVII. Richarda imperatrix adulterij vitio cum Liutvvardo Vercellensi Episcopo incusata, divino judicio se ab omni uxorum commixtione integram & virginem approbavit, quamvis jam XII. annis in conjugio Imperatoris apparuit: moxque ab Imperatore separata, in Andelahe, cœnobium virginum à se constructum, secessit, ibique Deo serviens, virgo Regina permansit. Imperator autem ab omnibus deseritur, & Arnolfus, fratris sui Carlomanni filius, Rex eligitur. Itaque Imperator Carolus jam privatus devotè Deo serviens (ut quidam dicunt) à suis strangulatus obijt: anno Domini DCCC.LXXXVIII.

Anno Domini DCCCC. XXIV. sanctus Udalricus Augustæ factus est Episcopus.

Anno Domini DCCCC.XLIX. Lothario Rege Italiæ mortuo, Berengerus regnum ejus invasit, viduamque ejus Adelheidem, Rudolfi Regis Burgundiæ filiam, multis injuriis afflixit. Sequenti anno Otto Rex Italiam petijt, sibique eam subjecit, & expulso Berengero, Dominam Adelheidem liberavit.

Otto primus Imp.

Anno Domini DCCCC.LII. Otto Rex cum filio suo Ludolpho Italiam intravit, & Regales nuptiæ cum Adelheide vidua Papiæ celebrantur. Postea privignus Regis, Ernestus Dux, filius Adelheidis Reginæ, qui pro excessibus, Regia majestate læsa, proscriptus & exul factus erat, per plures annos & post infinitos labores exilij sui, Imperatori reconciliari meruit.

Anno Domini DCCCC.LXI. Otto Rex filium suum Ottonem ex Adelheide, Regem eligi fecit, & ipse cum exercitu Italiam petijt, accepturus Imperialem coronam. Sequenti anno Otto Rex Romam venit, repugnantem subegit, ordinari se à Joanne Papa Imperatorem exegit. Otto Imperator factus Joannem Papam pro scelerib. suis arguens, minime eum corrigere potuit.

NB.

Imperator Papam constituit.

Anno DCCCC.LXIII. Imperator natalem Domini Papiæ moratus, iterum Romam venit, pro sceleribus Joannis Papæ dijudicandis. Sed eodem Joanne Papa Imperatorem in Campaniam fugiente, in locum ejus à Romanis & Imperatore vis venerabilis Leo ordinatus est. Sequenti anno Romani Leonem Papam expellunt, mortuoque Joanne Papa priore, Benedictus nolente Imperatore ordinatur. Igitur Roma ab Imperatore obsessa est, & tanta fame oppressa, ut sextarius furfuris væniret XXX. denarijs. Non multo post dedita Urbe, traditoque Benedicto, Imperator Papam Leonem restituit, & Romanos ei fidem per Sacramenta promittere coegit.

Urbis Romæ clades & occupationes.

Usque ad hæc tempora Roma sæpiùs capta est. Primò capta est à conditione sua, anno CCC.XXXV. nec unquam postea similem passa est ruinam: cujus destructionis casus hic fuit. Galli senones, Duce Breuno, exercitu copioso freti, totis viribus Romam contenderunt. Hos dirè irruentes Fabius consul cum exercitu excepit, nec tamen obstitit: imò hostilis ille impetus Romanos quasi aridas segetes succidit, stravit, & transivit Urbe destructa & incensa. Secundo Roma capta est, à conditione sua anno M.C.LXIV. ab Alarico Rege Gothorum, sub Honorio Imperatore. Tertio capta est Roma, à conditione sua, anno M.CC.IX. à Genserico Rege Africæ, sub Maximo Imperatore. Odazer Rex Torcilingorum & Rugorum, pervasa Italia Romam capit quarta jam vice, à conditione sua anno M. CC. XXX. & Augule Imperatore exiliato, ipse Romæ tyrannicè regnat. Exinde res Romanæ & omnis Imperij Status apud Constantinopolim solummodo esse cœpit: Hesperia ferè omni

& Ly-

& Lybia barbaris addicta. His temporibus Theodoricus Rex Italiæ Zenoni Imperatori, qui tunc in Orientis partibus apud Conſtantinopolim Romanum apicem gubernabat, cum ſuis Gothis militavit. Qui miſſus ab Imperatore eodem, Odakarum *R*omæ obſedit, capit, & interemit, anno Dominicæ incarnationis CCCC.IX. & ipſe *R*omam conſenſu Zenonis & Occidentis Imperium XXX. annis obtinuit. Hic *R*omæ, *R*avennæ, Veronæ, & alibi, per ſingula quæque *R*egia habitacula conſtruxit: qui etiam Arrianis favit, occiſis Boethio poeta, Symmacho Patricio & Joanna Papa. Iſte eſt Theodoricus, de quo Teutonica extant carmina, filius Dietmari, de quo etiam Gregorius in dialogo ſcribit. ¶ Quinta vice ab incarnatione Domini D.XLV. ſub Juſtiniano Imperatore, Totila *R*ex Gothorum tranſpadanorum *R*omam petijt, eamque obſidionibus circumcludit. Quæ tantam famis penuriam paſſa eſt, ut præ magnitudine inopiæ, natorum ſuorum carnes comedere vellent. Feſſis nimium *R*omanis, nec valentibus ſe tueri, Totila *R*ex Urbem ingreſſus eſt, quæ tamen citò per Narſem eunuchum & cubicularium Imperatoris recuperata eſt, & liberata à Gothis, ipſis penè omnibus ad internecionem deletis; & Totila *R*ege eorum interfecto. ¶ Sexta vice à conditione ſua obſeſſa & capta eſt *R*oma, anno Domini DCCCC.LXIV. ab Ottone magno Imperatore, ut ſupra dictum eſt. Qui decus tanti nominis, ſcilicet Imperatoris, à Francigenis in Teutonicos primus magnanimiter tranſvexit.

Mirandum eſt, eandem civitatem, ſc. *R*omam, toties captam, nec tamen deletam, nec ſervituti ullatenus addictam: quod in ſummis & præcipuis regnis non ita contigit. Nam Niniven & Babylon, & Alexandria, & Perſepolis aliquando numeroſiſſimis imperabant, poſtea tributa pendebant. *R*oma verò etſi interdum irrupta, ſemper tamen libera: ſi plærumque humiliata, ſemper tamen domina. Sed de his dicta ſufficiant.

Anno Domini DCCCC.LXXI. ſanctus Udalricus Epiſcopus infirmus, Adalberoni, ſororis ſuæ filio, Epiſcopatum impetravit. Itaque Synodo apud Ingelnheim ab Epiſcopis collecta, beatus Udalricus Epiſcopus & Adalbero tranſgreſſionis Canonum accuſantur: ſed cauſa ſua dicta & excuſata, abſoluti diſceſſerunt.

Anno Domini DCCCC. LXXIII. Otto magnus Imperator ſubito mortuus apud Parthenopolim, id eſt *Medegeburg*, ubi Epiſcopatum fecerat, ſepultus eſt: & filius ejus Otto, cognomento Mirabilis, regnavit pro eo. Imperatrix verò Adelheidis poſt ipſum ſanctè & religiosè vivens longo tempore, multa contulit Eccleſiis de *R*egali munificentia: & ad ultimum ſuper littus *R*heni fluminis nobile cœnobium conſtruxit, dictum nomine Sehlſe, & illud prædijs & alijs opibus ditavit, ubi & ipſa poſtea moriens quievit. Eodem anno, Adelbero futurus (ut ſperabatur) Auguſtenſis Epiſcopus, obijt. Ipſo etiam anno ſanctus Udalricus migravit ad Dominum, anno ætatis ſuæ LXXXIII. Epiſcopatus L. Sequenti anno ſanctus Cunradus Conſtantienſis Epiſcopus de hac vita deceſſit.

Otto ſecundus Imp.

Anno Domini DCCCC.XCI. Otto *R*ex peragrata Italia, venit in montem Gargani, & cognovit à referentibus, Angelorum obſequia nocturno tempore ibi eſſe, nec ullum mortalium velint intereſſe. Cujus cauſæ notitiam cum diſpoſuiſſet curioſius indagare, Apoſtolicum convenit ſuper hac re primum. Cui cum Apoſtolicus conſilium ſuum indidiſſet, ſibi minus placere illum angelicis miniſterijs intereſſe: parvipendit conſilium Papæ, & eo ignorante proficiſcitur in montem Gargani. Ubi dum pernoctaret, inter cætera quæ cognovit Sanctorum myſteria, veniam conſequutus eſt angelorum. Quòd temerè ſacratum locum introierat, tantùm ab angelis proſtratus, pro quodam judicio, quod perfeciſſe debuerat, nec fecit: pro negligentijs tranſverberatus eſt. Deinde ſanctus Michael juſſit eum *R*omam remeare, ſtatuto ſibi die, quo eum vellet inviſere. Sic que cruentatus *R*ex *R*omam repedavit, & Benedicto Papæ cuncta à ſe viſa retexuit. Igitur *R*ex valido languore tactus, vita deceſſit, & ab archangelo receptus, ſuperis eſt ſociatus, anno Domini DCCCC. XCIV. cujus exequiæ per apoſtolicum condigno honore celebratæ, in porticu ſancti Petri ſepelitur: pro quo filius ejus Otto adhuc puer regnavit.

Ottonis ſecundi obitus.

Otto tertius.

Anno Domini DCCCC. XCV. Henricus Dux Bavariæ, frater Ottonis magni, obijt, cujus Ducatum filius ejus Henricus obtinuit.

Anno

Anno Domini DCCCC.XCVII. Bruno, filius Ottonis Ducis Alemanniæ Romæ Papa electus & ordinatus, Gregorius Quintus vocatur. Otto subactis rebellibus in Italia, Romam veniens, à Gregorio Papa Imperialem accepit unctionem.

Anno Domini M.II. Otto Imperator obijt, & Aquis sepelitur, pro quo Henricus Dux Bavariæ Rex electus est. Eodem anno Leo Papa, qui & Bruno de castro Egensheim, natus est.

Henricus sanctus Aug.

Anno Domini M.VII. Henricus Rex summo studio apud castrum suum, Babenberg dictum, nobilem construxit Episcopatum, in honore sancti Georgij martyris,

Anno Domini M.XIV. Henricus Rex Imperiali benedictione, à Benedicto Papa octavo coronatur.

Anno Domini M.XV. monasterium sanctæ Mariæ virginis in Argentina surgit primò à fundatione sua.

Anno Domini M.XXIV. Henricus Imperator absque filiis obiens, quia conjunx sua Kunegundis virgo permansit, apud Babenberg Episcopatum ambo sepeliuntur: & Cunradus de Guebelingen in Regem unctus est, & anno Domini M.XXVII. à Johanne Papa decimo octavo Romæ in Imperatorem coronatur.

Conradus Saliquus Rom. Rex.

Anno Domini M.XXVIII. Wernharius Argentinensis Episcopus primus obijt, & Wilhelmus succedit.

Anno Domini M.XXXI. monasterium sancti Thomæ Apostoli in Argentina, à wilhelmo consecratur, & sancti Petri ab eodem inchoatur.

Anno Domini M.XLV. dedicatum est monasterium Hohenburg, in honore beatæ Mariæ virginis à venerabili Brunone, Leucorum, id est Tullensium Episcopo, postea Apostolico.

Hohenburg monasterium Alsat.

Anno Domini M.XLVII. wilhelmus Argentinensis Episcopus obijt: cui Hetzel successit.

Anno Domini M.LXXVII. Bertoldus Dux Carinthiorum, qui & Zeringen, vir catholicus, obijt.

Anno Domini M.LXXIX. Wernharius Argentinensis Episcopus secundus obijt, cui Otto schismaticus successit. Eodem tempore in Alemannia tria monasteria primò instituta, egregiè pollebant: sancti Blasij in nigra sylva, sancti Aurelij in Hirsaugia, sancti Salvatoris in Schafhusen, quod navium domus dicitur. Wilhelmus etiam Hirsaugiensis Abbas in caussa S. Petri ferventissimus, eo tempore plura monasteria usque quaque ex integro construxit: sancti Georgij in Nigra sylva, alterum sancti Gregorij, item aliud ad Duplicem aquam prope Danubium, item aliud in loco qui Kamberg dicitur; aliud quoque monasterium in Rheni fluminis ripa, Petershusen dictum, quæ omnia regularibus disciplinis instituit.

Cœnobia recentiora è Hirsaugiensi nata.

Anno Domini M.LXXXVII. sanctus Nicolaus Archiepiscopus Mirea in Barensem civitatem translatus est.

Anno Domini M.XC. fundata est Margbach Ecclesia sancti Augustini, à militari & illustri viro Burchardo de Gebelsuilre, cujus adjutor & cooperator fidelissimus Magister Manegoldus de Lutenbach extitit. In sequenti anno in Teutonicis partibus caro cum sanguine pluit, & bufones cum piscibus cœlo ceciderunt, & sanguis de panibus fluere videbatur.

Marbach cœnob. superioris Alsatiæ.

Anno Domini M.XCII. principes Alemanniæ, ad defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, unanimiter convenerunt, sibique ad hoc negotium exequendum fratrem Gebehardi Constantiensis Episcopi, Bertoldum de Zeringen, Ducem totius Sueviæ constituerunt, qui nondum Ducatum aliquem habuit, etsi jamdudum nomen Ducis habere consueverit. Hic præterito anno in proprio allodio Brisgaugiæ Friburg civitatem initiavit.

Friburgum Brisgoiæ conditum.

Anno Domini M.XCIII. Bertholdus Dux Alemanniæ, qui & de Zeringen, cœnobium monachorum in honore sancti Petri in Nigra sylva construxit, quod postea frater ejus Gebehardus Constantiensis Episcopus consecravit.

Monast. S. Petri.

Anno Domini M.XCIX. Jerusalem à gente Francorum, & à Duce Godefrido capitur, & multa laudabiliter ibidem peraguntur. Eodem anno inchoatur Cisterciensis ordo, & per multas provincias mundi dilatatur.

Anno

Anno Domini MC. facta est fames incomparabilis & mortalitas horribilis. Otto quoque Argentinensis schismaticus de Ierosolymitano itinere reversus, sed de schismate (ut putabatur) non emendatus, diem clausit extremum: cui Baldeuuinus, sex tantum victurus hebdomadas, successit. Cui eodem anno Cuno successit.

Anno Domini M.CXXII. Bertoldus Dux de Zeringen Mollesheim occiditur.

Anno Domini M. CXXIII. Cuno Argentinensis Episcopus de sede pellitur: cui Bruno Episcopus supraponitur.

Anno Domini M. CXXV. Henricus Imperator junior, in ordine Imperatorum quartus, Regum verò quintus, apud Trajectum rebus humanis exemptus in civitate Spira patribus suis appositus est. Hujus sororem Agnetem Pater suus Henricus Imperator cuidam Friderico de castro Stauffen, ob opem sibi ferendam in matrimonio tradiderat, eique Ducatum Alemanniæ dederat, quem Bertoldus de Zeringen ex nobilissimis Optimatibus regni prius possidendum acceperat, ut superius dictum est. Fridericus igitur Dux Suevorum & gener Imperatoris factus, Bertoldum pacem petere coegit. Conditio autem pacis talis fuit: ut Bertoldus Ducatum exfestucaret, sic tamen ut Turegum nobilissimum Sueviæ oppidum, à manu Imperatoris ei tenendum remaneret. Quidam totam Teutonicam terram Alemanniam dictam putant, omnesque Teutonicos Alemannos vocare solent. Sed illa tantum provincia, id est Suevia, à Lemanno fluvio vocatur Alemanni.

Alemannia pars Germaniæ tantum. Bertoldus igitur quamvis in hoc negotio Imperatori cesserit, tamen strenuissimus ac fortissimus fuit: qui vacuum exhinc nomen Ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit. Hic Bertoldus postea Mollesheim occisus est. Omnes enim usque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes. Nisi quis Ducatum esse dicat comitatum inter Juram & Montem Jovis, quem post mortem Wilhelmi Comitis, filius suus Cunradus ab Imperatore Lothario suscepit: vel à Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat: in alijs tamen rerum & honoris non parva pollentes magnificentia. *Duces Zeringiæ.*

Fridericus autem Ducatum Alemanniæ sine contradictione habuit, & ex nobilissima compare sua Agnete duos filios habuit, Fridericum Ducem & Cunradum postea Regem ac post multa virtutum insignia diem ultimum claudens, in proprio fundo Lorche humatus est.

Henricus verò Imperator junior, sororem suam Agnetem viduam, Leopaldo Marchioni Orientali, id est Osteriche, in uxorem dedit, quæ ei quatuor filios & tres filias peperit. Leopaldum Ducem Bavariæ, Henricum Ducem Austriæ, Cunradum Salzeburgensem Archiepiscopum, Ottonem Frisingensem Episcopum, Gertrudem Ducissam Bohemiæ, Bertam Ducissam Polonorum, & Itam Marchionissam de Monteferrato. Fridericus igitur Dux Alemannorum, frater Cunradi postea Regis, duxit filiam Henricum Ducis Noricorum, id est Bavarorum, nomine Juditham uxorem, genuitque ex ea Fridericum postea Imperatorem, & Juditham, quæ Matthæo Lotharingorum Duci nupsit.

Henricus iste Noricorum Dux erat natione Alemannus, ex antiqua & nobilissima Welphorum familia originem trahens, ac per hoc multas possessiones ex ea parte qua Pyrenæos montes attingit Alemannia, jure hæreditario habens. Hic Henricus duos filios habuit, scilicet, Henricum, Welphonem & Juditham filiam, ut supra dictum est de ipsa. Unus filiorum id est Henricus Patri in possessione & in Ducatu Noricorum successit, qui etiam Gertrudem filiam Lotharij Regis cum Ducatu Saxoniæ accepto, uxorem duxit. Alter filius id est Welpho, fuit Princeps Sardiniæ, Dux Spoleti, Marchio Tusciæ. Sed unde digressi sumus revertamur.

Henrico Imperatore defuncto, uti dictum est, Lotharius Dux Saxonum in Regem eligitur. *Lotharius Imp.* Anno Domini M.CXXVIII. Lotharius Rex ab Innocentio Papa Romæ in Lateranensi monasterio consecratur in Imperatorem.

Eodem anno constructum est monasterium, quod vocatur Novum castrum, in fundo Reinaldi Comitis de Lutzelnburg, & cœpit crescere in personis & rebus, & religione, ad laudem Jesu Christi.

Eodem anno, quarto Nonas Augusti, Sol obscuratus est, sexta hora diei, & tenebræ factæ sunt.

Anno

Anno Domini M CXXX. facta est pugna inter Gebehardum Argentinensem Episcopum & Fridericum Ducem Alemanniæ apud Gugnheim. Eodem anno combustum est majus monasterium Argentinense primò.

Anno Domini M.CXXXVIII. Lotharius Imperator obiit: cui Cunradus frater Friderici Ducis Alemanniæ, contra quorundam Principum voluntatem in regno successit. *Conradus 3. Imp.*

Anno Domini M. CXL. combustum est monasterium Argentinense secundò. Sequenti anno Gebhardus Episcopus obiit: cui Burchardus successit.

Anno Domini M.CXLIII. Rogerius rex Siciliæ classes in Græciam destinat, præfectis eis Ducibus strenuis & navali prælio gnaris. Qui maxima ibi prædia direpta, opifices etiam qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris illius, suique Principis gloriam, captivos deducunt: quos Rogerius in Panormitano Siciliæ Metropoli collocans, artem illam texendi suos edocere præcepit. Et exhinc prædicta ars illa prius à Græcis tantum inter Christianos habita, Romanis cepit parere ingeniis. *Ars panni serici texendi in Italiam.*

Anno Domini M.CXLVIII. facta est expeditio Jerusalem secunda, sub Cunrado Rege Romanorum, Ludovico rege Francorum, Bernhardoque Abbate Claravallensi.

Anno Domini M.CL. combustum est monasterium Argentinense tertiò. Eodem anno obiit Henricus filius Cunradi regis, quem pater ante expeditionem Jerosolymitanam perelectionem Principum regem ordinaverat, habens adhuc filium alium Fridericum nomine.

Anno Domini M.CLII. Cunradus rex obiit: cui fratris sui filius Fridericus Dux Alemanniæ, in regno successit. *Fridericus Barbarossa Imp.*

Anno Domini M.CLVIII. monasterium in Novo castro consecratur, sub glorioso Friderico Imperatore, anno Imperii ejus sexto, in prædio Reinoldi Comitis, quatro Nonas Maij, à reverendis Episcopis Burkardo Argentinensis & Henrico Trecensis Ecclesiæ, in Honore Sanctæ Crucis, & beatæ Mariæ virginis.

Anno Domini M.CLXII. Mediolanum à Friderico Imperatore capitur & destruitur. Eodem anno Horburg à Comite Hugone de Dagesburg destruitur. Ipso anno Burcardus Argentinensis Episcopus obiit, cui Rudolfus successit. *Horburg Alsat. castri.*

Anno Domini M.CLXX. beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus martyrium est passus.

Anno Domini M.CLXXVI. combustum est momasterium Argentinense quartò.

Anno Domini M, CLXXVIII. facta est cædes magna in Lagelnheim juxta Columbariam, cunone de Horburg & Egelolfo de Vrselingen inter se præliantibus.

Anno Domini M.CLXXIX. factum est Concilium magnum sub Alexandro Papa, in quo fuerunt ferè quingenti Episcopi & Abbates, aliique religiosi innumerabiles: in quo Bremensis Archiepiscopus, Rudolfus Argentinensis, Ludovicus Basiliensis & Metensis Episcopi deponuntur. Inchoabatur hoc concilium, V. Kalend. Martii, & terminatum est circa finem Aprilis. *Synodus Romana.*

Eodem anno Cunradus in vigilia Thomæ Apostoli Argentinensis Episcopus eligitur, qui proximo anno eodem die sepeliebatur, & Henricus cathedræ perficitur.

Anno Domini M.CLXXX. dedicata est major Ecclesia inferioris monasterii apud Hohenburg, in honore Sanctæ Dei Genetricis Mariæ, à Montuano Apostolicæ sedis legato.

Anno Domini M.CLXXXV. quidam Astronomicus Toletanus, nomine Joannes, misit literas per omnes mundi partes, asserens, proximo sequenti anno circa mensem Septembrem omnes planetas debere convenire in unum Domicilium, & ventum qui omne penè domicilium destructurus esset, venturum, & mortalitatem & famem, & multa alia incommoda futura, & finem mundi, & adventum Antichristi instare: & in hoc omnes Astronomicos aliosque Philosophos, & magos, tam christianorum quàm gentilium & Judæorum concordare. Unde maximus timor multos invasit, ita ut quidam fecerint sibi subterraneas domos: & per multas Ecclesias jejunia & processiones & letaniæ fiebant. Sed ut probaretur sapientia mundi hujus stultitiam esse apud Deum, prædicto tempore magna aeris serenitas & tranquillitas fuit, & nihil eorum quæ prædicta fuerunt, evenit. *Astrologus metu pavidos reddens.*

H Ipso

Ipſo anno caſtrum Briſache à Rege Henrico initiatur.

Anno Domini M. CLXXXVI. erat hyems calida, ita quòd in Decembri & Januario multæ arbores florerent, in quibus circa Februariam pyra, quantitate in modum avellanæ, magna conſpiciebantur. Sed proximè ſequenti anno, ſcilicet anno Domini M. CLXXXVII. circa Martium magna aeris inclementia & aſperitas algoris veniens, ferè uſque ad Kalend. Junij duravit, ita quod in Pentecoſte, videlicet in medio Majo, nix magna cecidit, & ferè omnia poma perierunt.

Eodem anno Argentina in menſe prædicto ex magna parte incendio vaſtata eſt.

Anno Domini M.CXC. beatæ memoriæ Henricus Argentinenſis Epiſcopus, in annunciatione S. Mariæ virginis, die Paſchæ, ex hac luce migravit, cui Cunradus ſucceſſit. Poſtea anno Domini M.CXCIII. idem Cunradus Epiſcopus Argentinenſis capitur à quibuſdam miniſterialibus ejuſdem civitatis.

Friderici I. obitus.

Anno Domini M.CXC. Imp. Fridericus aſſumpſit characterem crucis, & per terram, non per mare, cum magna multitudine ad liberationem terræ ſanctæ proceſſit. Et cùm eſſet in Armenia obiit in quadam aqua, quæ vocatur Ferrum, ſubmerſus, & Antiochiæ ſepultus.

Henricus 6 Rom. Rex.

Eodem anno Rex Henricus, filius Friderici Imp. hujus cum exercitu in Italiam profectus eſt, tum pro Imperiali benedictione, tum pro regni Apuliæ ſuſceptione.

Anno Domini M.CXCI. Clemens Papa obiit: cui Celeſtinus, qui & Jacinctus ſucceſſit, conſecratus die Paſchæ: qui etiam Imp. Henricum ſecunda feria Paſchæ unanimi omnium Romanorum conſenſu conſecravit.

Eodem anno Fridericus Dux Alemanniæ, frater Imperatoris, in obſidione Acharon obiit, & in domo Teutonicorum ſepultus eſt. Pro quo Cunradus frater ejus Ducatum Sueviæ accepit.

Anno Domini M.CXCVII. cùm Imp. circa Auguſtum in quodam nemore, in quo fontes erant frigidiſſimi, venationis delectaretur exercitio, in quo etiam maximus calor per diem & tale frigus, quod terram gelu & pruina conſtringeret fuit per noctem: quadam nocte tactus frigore, circa feſtum B. Sixti cepit infirmari. Quamobrem juſſit ad ſe uſque Meſſinam civitatem, quæ duabus diætis ab illo diſtabat loco, deferri: ubi Diarrhœa infirmitate laborans, & in bona confeſſione & cordis contritione, pridie ante feſtum S. Michaëlis, de hoc ſeculo migravit.

Schiſma in Imperio.

Anno Domini M.CXCVIII. Philippus Dux Sueviæ, frater Henrici prædicti, apud Franckenfurt/ ab una parte Principum electus eſt in regem. Alia autem pars Principum filium Henrici, quondam Ducis Saxoniæ, nomine Ottonem, qui comes fuit Pictaviæ, regem fecerunt, atque Coloniæ eum in regem unxerunt. Audiens autem Philippus regis Ottonis electionem, trecentos milites cum multis aliis ſcutiferis Aquiſgrani miſit, ut & regem Ottonem ab ingreſſu civitatis arcerent, & ſibi civitatem & ſedem regni ſervarent. Sed Otto rex cum ſuis adjutoribus ipſam civitatem obſedit, & in tempore meſſis cepit, atque in ſedem regni triduo ſedit, ipſamque civitatem fidelibus ſuis cuſtodiendam commiſit. Interim Philippus exercitum colligens, Alſatiam petiit, omne frumentum in meſſe peſſundedit, Molleſheim expugnando cremavit, ſolo cœmiterio in deditionem recepto. Haldenburg præſidium cepit, cœmiterium Epiaci confregit, omneſque homines Argent. Epiſcopi, & comitis de Tagesburg, qui erant aſſentanei Ottonis regis, & totam inferiorem Alſatiam incendio & rapina vaſtavit. Inde procedens, curiam Maguntiæ cum ſuis fautoribus, in aſſumptione B. Mariæ habuit, ubi à pluribus Principibus ſolenniter electus, à Trevirenſi Epiſcopo, qui jam relicto alio etiam hunc elegerat, unà cum Tarentano Archiepiſcopo, qui loco Maguntinenſis Archiepiſcopi accitus erat, inunctus eſt. Ad eandem curiam Philippus rex Ottocarum Ducem Bohemiæ regem fecit, datis ſibi & uxori ſuæ coronis.

Epfich.

Bohemia regni titulo decorata.

In ipſo tempore Conſtantia Imperatrix in Sicilia defuncta eſt, & filius Fridericus poſt multos labores ibidem cœpit regnare.

Philippus Rex Epiſcopo Argen. infeſtus.

Anno M. CXCIX. Rex Philippus iterum collecto exercitu, tempore meſſis Alſatiam petiit, & omne frumentum peſſundedit, adverſas domos in Rubiaco confregit: multa præſidia Argent. Epiſcopi & comitis Alberti deſtruxit, ipſamq; civitatem obſedit. Tandem mediantibus Bertoldo Duce de Zeringen, & aliis multis Principibus, talis compoſitio

positio pacis inter Regem & Episcopum Argentinensem facta est: quòd beneficia quæ pater & frater suus ab Episcopio tenuerunt, omnimodè libera dimitterent, & Episcopus ei ad retinenda regni gubernacula pro posse faveret.

Inde expeditione facta, exercitum versus Aquisgrani movit, atque Mosellam fluvium transiit: sed inde infecto negotio rediit, obstantibus sibi Ottone rege & fautoribus suis. Habuit præterea magnum conventum Principum apud Badenberg. ubi multi Episcopi & Saltzburgensis Archiepiscopus affuit, ubi ipse cum Episcopis ossa S. Henrici & S. Kunegundis levaverunt, sicut ab Innocentio Papa canonisati fuerant, & pluribus miraculis prius coruscaverant.

Contigit eo tempore res miranda, & nostris temporibus valde inaudita, apud Rhetiæ Augustam. Nam quædam mulier dum communicare deberet, Corpus Dominicum in ore reservavit, quod postea cera circumdedit, & apud se domi retinuit, nescio quid tali machinatione tentatura. Postea pœnitentia ducta, ad quendam presbyterum religiosum & bonæ famæ accessit, & ei peccatum suum indicavit: qui nullam ei pœnitentiam injungere voluit, quin prius corpus Domini redderet, quod apud se malè domi habuit. Abiit illa & Dominicum corpus, ut erat in cera, presbytero *. Qui assumptis secum multis aliis fidelibus, honorificè illud recepit, & aperiens ceram, invenit corpus illud Dominicum & panem mysticum in veram carnis sanguinisque mutatam esse substantiam. Ad cujus rei novitatem non tam de propinquis regionibus, quàm de longinquis partibus terræ multitudo maxima confluit, & multa ibi Dominus miracula in laudem nominis sui operatur.

In eodem anno ante nativitatem Domini, combustum est monasterium Hohenburg.

Anno Domini M. CC. Otto Comes, frater Philippi Regis, in bona confessione & longa ægritudine apud Bisuntium defungitur.

Anno Domini M. CCI. Præclarissimus Princeps Philippus rursus exercitum colligens, Mosellam transivit, Coloniam obsedit, Brunonem Episcopum cepit, & sic civitatem & totam provinciam ad deditionem coëgit. Postea Aquisgranum veniens cum multis Principibus in sede, unà cum Regina, Regni sedit, ac deinde prosperè ad propria rediit. *Philippus Cæsar Coloniæ & Aquisgrani.*

Anno M. CCII. Cunradus Episcopus Argentinensis obiit: cui Henricus de Veringen successit. Hic religiosè cepit vivere, & guerras & prælia declinare.

Ipso tempore cùm sedes Moguntinensis esset in errore, vix à Domino Apostolico licentiam ordinationis suæ impetravit. Tandem ut Senonensis Archiepiscopus ipsum consecraret, vix obtinuit, Anno Domini M. CCVII. Qui in Pentecoste in Argentina celebrans ordines, XVI. Calend. Julij fere quingentos clericos ordinavit & consecravit: summa verò sacerdotum CIV. extitit. Ipsa die Christianissimus Rex Philippus in urbe fuit cum principibus suis.

Anno Domini M. CCVIII. cùm piissimus Rex Philippus in procinctu itineris esset eundi in Saxoniam, ut * diutina ibi finem accipere deberet, atque Babenberg venisset & militum collectionem expectaret, ibique venam incidisset, & cum quibusdam regni fidelibus in secreto loco palatii quiesceret: Palatinus de Witelsbach, qui lubricus erat & multorum nobilium homicida, veniens, sicut diu dolum in corde conceperat, introitum petiit & impetravit, spatha extracta quasi joculator ludum simulans, nacta opportunitate Regem circa cervicem percussit, & statim fugere cepit: & de ictu illo vitam finivit. Corpus ejusdem ibidem humatur, sed postea revoluto tempore à Friderico Rege Spiram ad sepulturam Regiam ossa deportantur, ac gloriosè ibi tumulantur. Marschalcus verò de Cathalin illum persequens, apud quandam grangiam sitam apud Danubium occidit, & caput ejus in aquam projecit. Regina verò audita ipsius morte, & sentiens unicum solatium in eo (quia peregrina erat) perdidisse, & cùm esset prægnans, dolorem dolori cumulans, ad Stoup castrum deducta est cum festinatione, ubi post modicum tempus aborsum fecit, & sic vitam cum fœtu finivit, & ad monasterium Lorche deportatur, & ibi gloriosè sepelitur. Paulatim verò longa concertatio de Regni electione quievit. *Philippus Rex scelerate interemptus.*

Anno Domini M. CCIX. Otto Rex pro Imperiali benedictione tempore messium *Otto Imp.*

Romam proficiscitur, qui etiam ab Innocentio Papa in Imperatorem consecratur, juramento prius præstito, quòd terram & bona sancti Petri, quæ sui antecessores usque ad id temporis contra justitiam tenuisse videbantur, Romanæ Ecclesiæ libera dimitteret.

Anno Domini M.CCX. Imperator non sano usus consilio rupit fœdus juramenti quod fecerat cum Papa & Romanis, occupando & vendicando sibi bona sancti Petri contra pactum. Unde à Papa sæpius admonitus & correptus, desistere contempsit, & ob hoc meritam excommunicationis sententiam incurrit.

Eodem anno Otto Imperator profectus ab Italia transiit in Apuliam, ut terras illas, quas hæreditario jure possidebat Fridericus, filius Henrici quondam Imp. sibi subjugaret, ipsumque Fridericum persequi & exterminare intendebat, pravo usus consilio: quia si statim post coronationem repatriasset, omnia in prosperum sibi cessissent.

Otto Cæsar excommunicatus.

Anno Domini M.CCXI mandante Papa per totam Alemanniam promulgari cœpit sententia excommunicationis lata in Ottonem. Omni autem tempore Ottonis per totum regnum Alemanniæ summa pax & securitas fuit, ita ut omnes mirarentur, quòd etiam in absentia ejus, dum esset in Sicilia, tanta pax esse potuit in terra.

Turingia bellum infertur.

Anno Domini M.CCXII. Otto Imperator ab Apulia & Italia reversus est ad partes Teutoniæ, celebravitque Curiam apud Franckenfurt, & circa messes coadunato exercitu, movit expeditionem in Turingiam, adversus Hermannum Lantgravium sibi adversantem: ubi etiam expugnavit & destruxit duas munitiones satis munitas, scilicet Rotenberg & Saltzungen: & inde progrediens, obsedit oppidum Wizense, quod similiter expugnavit usque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi usus instrumenti bellici, quod vulgo *Trybock* appellari solet.

Nugatoria expeditio.

Ipso tempore facta est nugatoria quædam expeditio, parvis & stultis hominibus sine aliqua discretione signum crucis arripientibus, curiositatis caussa potius quàm salutis. Pergebant autem de utroque sexu pueri & puellæ, non solùm minores sed adulti etiam, nuptæ cum virginibus, euntes vacua crumena, non solùm per totam Alemanniam, sed etiam per partes Galliarum & Burgundiæ: nec retineri ullo modo poterant à parentibus & amicis, quin totis conatibus iter illud arriperent, in tantū ut passim per villas & agros, relictis instrumentis suis, & his q; tunc præ manibus habebant, transeuntibus se sociabant. Et sicut ad tales novitates sæpe & de facili credula turba sumus, multi quidem arbitrati sunt, hoc non de levitate mentis, sed per divinam inspirationem fieri, & ex quadam pietate. Unde & subveniebant eis in expensis, victum & necessaria ministrantes. Clericis autem & quibusdam aliis, quibus erat mens sanior, contradicentibus, & iter illud vanum & inutile judicantibus, vehementer laici resistebant, dicentes: clericos esse incredulos, ipsosque propter invidiam & avaritiam huic facto se opponere magis, quàm propter veritatem & justitiam. Sed quoniam omne negotium quod sine libramine rationis & sine vigore consilii fuerit inchoatum, non bonum sortitur exitum: postquam hæc stolida multitudo pervenit ad partes Italiæ, diffusi sunt & dispersi per civitates & oppida, quorum multi ab indigenis terræ detenti sunt in servos & ancillas. Alii dicuntur venisse ad mare, qui seducti à nautis & marinariis, transvectique ad alias partes terrarum remotas. Reliqui verò pervenientes Romam, cùm viderent quod non poterant habere processum, utpote nulla fulti auctoritate, tandem laborem suum cognoverunt esse frivolum & inanem: & tamen à voto crucis minime fuerunt absoluti, præter pueros, infra annos discretionis existentes, & eos, quos senium deprimebat. Sic ergo decepti & confusi, redire cœperunt: & qui priùs gregatim & per turbas suas, & nunquam sine cantu celeumatis transire solebant per terras, modò singillatim & in silentio, nudipedes & famelici redeuntes, facti sunt omnibus in derisum: quia plurimæ virgines raptæ sunt, & florem pudicitiæ suæ amiserunt. Redeamus nunc ad Historiam de Ottone.

Videns igitur Papa pertinaciam Ottonis, quem prius in omnibus foverat, & in altum sublimaverat, cum neque pro absolutione neque pro compositione aliqua laboraret, misit in Siciliam, & eduxit inde Fridericum, supra præmemoratum Henrici quondam Imperatoris filium, & literas suas direxit universis terræ Principibus, quibus dedit in mandatis, ut eundem Fridericum loco Regis susciperent & manutenerent, & in

& in omnibus ei astarent, sibique transeunti per terras quisque suo loco conductum honorifice præberent: quod & factum est.

Comperiens ergo Otto Friderici adventum, desistens ab impugnatione Lantgravij, proficiscitur obviam adversario. Qui dum in partibus Sueviæ convenissent, Otto cum suis cedere compulsus est, & prævalere non potuit: quia pro tenacitate sua multi eum reliquerant. Qui secedens inde reversus est in Saxoniam, conducentibus eum quibusdam terræ nobilibus. Fridericus autem obsesso & dedito sibi castro Hagenowe, quod adhuc tenebant fideles Ottonis, veniebat de civitate in civitatem, & receperunt eum, & in brevi obtinuit terram. Idem Fridericus jam duxerat uxorem, Reginam Arragonum, de qua genuit filium, nomine Henricum, postea Regem.

Fridericus 2. Cæsar.

Anno Domini M. CCXIII. Fridericus curiam Aquisgrani in festo B. Jacobi habuit, ubi de consensu Principum locatus est in sedem Regni.

Generalis synodus Romæ.

Anno Domini M. CC. X V. celebrata est sancta & universalis synodus Romæ, in Ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, præsidente Domino Innocentio Papa, Pontificatus ejus anno XVIII. in qua fuerunt Episcopi CCCCXV. Inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus & Jerosolymitanus. Antiochenus autem gravi languore detentus, venire non potuit: sed misit pro se Vicarium Anteradenum Episcopum. Alexandrinus verò sub Sarracenorum Dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum germanum suum. Primates autem & metropolitani LXXIV. cæterum Abbates & Priores ultra DCCC. Procuratorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, Capellanorum absentium non fuit numerus comprehensus. Legatorum verò Regis Siciliæ, in Romanum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, regis Franciæ, regis Angliæ, regis Ungariæ, regis Jerosolymitani, regis Cypri, regis Arragonum, nec non aliorum Principum ac Magnatum, civitatum etiam aliorumque locorum, ingens fuit multitudo.

Ante tempora hujus Concilii ferè triennio, disponente Deo, hæretici, qui perverso dogmate latenter seducunt fideles Ecclesiæ, comprehensi sunt in civitate Argentina. Producti verò cùm negarent hæresin, judicio ferri candentis ad legitimum terminum reservantur, quorum numerus fuit LXXX. vel amplius de utroque sexu, & pauci quidem ex eis innocentes apparuerunt. Reliqui omnes coram Ecclesia convicti, per adustionem manuum damnati sunt, & incendio perierunt.

Anno Domini M. CCXVI. Innocentius Papa obiit: cui Honorius successit.

Eodem quoque tempore Otto Imperator obiit.

Anno Domini M. CCXIX. Fridericus rex pro imperiali benedictione Romam proficiscitur, ubi ab Honorio Papa, circa festum beatæ Ceciliæ, in Imperatorem consecratur & inungitur.

Henricus, Frid. 2. filius, Rex.

Anno Domini M. CCXXVII. Henricus filius Imperatoris admodum puer, quasi decennis per Ottonem Wirtzeburgensem Episcopum, cujus tutelæ deputatus fuerat, à Patre de consensu Principum in regem electus, copulata sibi uxore filia Ducis Austriæ, ex qua duos filios habuit, cum ipso Duce & Saltzeburgensi Archiepiscopo, & aliis multis Principibus gloriosè in sede Aquisgrani est inthronisatus, unà cum regina. Ipse quoq; Imperator Fridericus, mortua uxore sua regina Arragonum, matre prædicti Henrici, postea duxit uxorem filiam regis Jerosolymitani, de qua suscepit filium, nomine Cunradum, postea regem.

Motus Persarum.

Anno Domini M. CCXXII. de terra Persarum exercitus magnus valde & fortis egressus de finibus suis, per adjacentes sibi provincias transitum fecit, qui dicebantur fuisse homines magnæ proceritatis & staturæ horribilis: quod tamen non credimus. Sed qua de caussa egressi fuerint, vel quid egerint, ignoramus: in brevi reversi sunt ad propria. Dicebant tamen quidam, quòd versus Coloniam vellent ire, & tres magos de gente eorum natos ibidem accipere. Unum tamen scimus, quòd Judæorum gens super eodem rumore ingenti lætitia exultabant, & vehementer sibi applaudebant, nescio quid de futura libertate sua ex hoc pervenire sibi sperantes: unde & regem multitudinis illius filium David appellabant.

Anno Domini M. CCXXIII. orta est pestilentia maxima pecorum & jumento-

rum, incipiens (ut dicebatur) ab Ungaria & per omnes provincias interiacentes transiens, usque ad nos, quæ etiam duravit amplius quàm per triennium.

Ipso anno Henricus Episcopus Argentinensis obiit: cui Bertoldus successit. Hic cùm esset juvenis, sano semper utens consilio, in omnibus agendis suis seniorem se gessit in opere, quantum ad augmentum suæ Ecclesiæ: quam suis temporibus plus ditavit, quàm omnes sui antecessores, & quocunque se vertebat prosperis successibus pollebat, & monasteria in suo Episcopio sita, satis humanè & sine magno gravamine protexit & fovit, atque suis rebus contentus fuit: & idcirco gloriosum nomen sibi acquisivit.

Anno Domini M. CCXXVI. fundata est domus apud Argentinam in honore sanctæ Trinitatis, à Wernhero Marschalco, non sine gravi impensa Marbacensis.

Anno Domini M. CCXXVII. Bertoldus Argentinensis Episcopus completo ferè uno mense in obsidione castri Bernstein, tandem expugnavit & obtinuit illud.

Bellum inter Episcopum Argent. & præsidem Alsatiæ.

Anno Domini M. CCXXVIII. dissensio gravis orta est, inter Bertoldum de Tecke Argentinensem Episcopum, & cognatos ipsius Comites de Pfirt, quæ dum magis ac magis invalesceret, tota ferè provincia usque ad triennium incendiis & rapinis afflicta est penitus & vastata. Igitur Episcopus cum multas sustinuisset injurias sui & suorum, tandem collecto exercitu, ipse & Comes Albertus de Habesburg, qui simili modo damnificatus erat in multis, paraverunt se ad resistendum. Nihilominus & Phirretenses freti auxilio & favore regalium civitatum, & habentes secum in auxilio Comitem Egenonem de Friburg, contrahentes magnam copiam armatorum, occurrerunt eis inter Bladoltzheim & Hirtzefeld, & facta congressione, in fugam versi sunt Comites de Pfirt & eorum adjutores, relinquentes ibi spolia castrorum plurima in papilionibus, in vestibus, in armatura, in animalibus: quæ omnia sublata sunt à parte adversa: plures ibi mutilati & vulnerati, plurimi captivati sunt. Ex hoc autem Pfirretenses & civitates regis tantum pudorem & rerum amissionem non ferentes, commoti sunt ira vehementi, cum etiam regis indignatio super hoc accensa fuisset, & augmentato postmodum exercitu, sequenti videlicet anno, villas Episcopi plurimas incendio concremantes depopulati sunt.

Pugna auff der Hard.

Anno Domini M. CCXXIX. prænunciatum est à quodam magistro Toletano, qui dicebatur Andreas, & à quibusdam prædicatum est in tectis, quòd post septem annos venturi essent venti turbinis, tantæ vehementiæ, qui ædificium omne destruant & subvertant, & multas civitates terræmotu ruituras, & ecclipsin Solis futuram: corruptionem quoque aëris & exinde mortalitatem hominum, & alia quædam inaudita mortalibus. Hoc idem vaticinium pleniùs scriptum reperies, in his ejusdem Chronicis, si retro perquiras, ante annos ferme quadraginta quatuor.

Anno Domini M. CCXXX. reconciliati sunt Rex Henricus & Episcopus Argentinensis, & pace reddita siluit & quievit terra à tumultu bellorum.

Anno Domini M. CCXXXI. facta est persequutio contra hæreticos, hostes fidei, veritatis inimicos, quorum multitudo magna latitabat in populo Dei, in civitatibus, oppidis, & villis, subvertentes & in errorem mittentes quos poterant de Ecclesia. Quorum plures comprehensi, & in præsentia cleri & populi convicti fuerunt, & inter cætera nefandi erroris sui flagitia confessi sunt, quòd etiam ab esu carnium in Quadragesima non abstinerent, & quòd annualem censum transmittere solebant Mediolanum, ubi diversarum hæresium primatus agebatur.

Eodem anno Ludovicus Dux Bavariæ interfectus obiit. Fuit autem transfixus cultello præacuto, quem nos possumus appellare sicam, à quadam persona (ut dicebatur) vili & ignobili, quales mittere solet quidam potens, qui dicitur senex de Montania. Comprehenso autem interfectore, cum multis suppliciis torquerent eum & cogerent ad confitendum, cujus instinctu vel jussu tantum facinus attentare præsumpsisset, nihil ab eo poterant extorquere: & sic per omnia laniatus & discerptus periit.

Anno Domini M. CCXXXIII. frater Cunradus de Margburg, per multa tempora

pora crucis prædicator, à malignis hominibus interfectus est.

S. Elisabeth. Ipsis temporibus Elisabeth Provincialis Comitissa Turingiæ, filia Regis Ungariæ, uxor quondam Ludovici Lantgravii, qui in itinere crucis apud Brundusium vita decessit, mulier sancta & religiosa. post mortem mariti signis & miraculis clarescere cœpit.

Henrici Regis obitus. Anno Domini M.CCXXXV. cùm Fridericus Imperator esset in Italia, & cum aliquo tempore mansisset ibidem, filius suus Henricus rex patri suo se opposuit. Fridericus reversus in Alemanniam circa festum Johannis Baptistæ, filium Henricum captivavit, & eum in Apuliam transmisit vinculatum, ibique in captivitate mortuus est & sepultus, Anno Domini M.CCXXXVI.

Imperator & Episcopus Argentinensis circa initium Quadragesimæ, pacificè convenerunt de feodo, super quo prius longo tempore inter eos contentio vertebatur.

Pueri à Judæis necati. Eodem tempore apud Fuldense monasterium Judæi quosdam pueros Christianos, in quodam molendino, ut ex eis sanguinem elicerent ad suum remedium, peremerunt. Unde cives ejusdem civitatis multos ex Judæis occiderunt. Sed cùm puerorum corpora in castrum Hagenowe delata, & ibidem venerabiliter tumulata fuissent: Imperator tumultum, qui tunc contra Judæos ortus est, aliter sedare non valens, multos viros potentes, magnos & literatos ex diversis partibus convocans, diligenter à Sapientibus inquisivit, utrum sicut fama communis habet, Judæi Christianum sanguinem in Parasceve necessarium haberent: firmiter proponens, si hoc ei de vero constaret, universos Imperii sui Judæos fore perimendos. Verùm quia nihil certi super hoc experiri poterat, severitas Imperialis propositi, accepta tamen à Judæis magna pecunia, acquievit.

Cunradus Frid. F. Rex. Anno Domini M.CCXXXVII. Imperator profectus est in Austriam, cui ministeriales Ducis de Marchia Stirensi se tradiderunt. Inde venit ad civitatem Viennæ, quæ similiter ipsius Dominio se subjecit: ubi etiam Cunradum filium suum, de uxore transmarina genitum, eligi fecit in regem, quem elegerunt Archiepiscopus Moguntinus & Treverensis, & Rex Bohemiæ, & Dux Bavariæ, qui & Palatinus Comes Rheni, consentientibus cæteris qui aderant, tamem paucis, & relicto ibi præsidio militum, rediit ad partes Rheni.

Deficiunt Lantgravii Alsatiæ. Anno Domini M.CCXXXVIII. Henricus Comes Provincialis Alsatiæ decedens sine hærede, feoda plurima quæ tenebat ab Imperio & Episcopatu & ab aliis ad Dominiũ suæ proprietatis sunt revocata, quia frater ejus in ipsis feodis nihil juris habebat, & uxori ejus nihil aliud remansit nisi pauca prædia quæ ejusdem erant: quæ pauco tempore post enixa est filium.

Dissidium inter Pontificem & Imp. Fridericum. Hic Fridericus postposito juramento quod fecerat Innocentio Papæ, usurpavit sibi bona Ecclesiæ, & tenuit ea violenter usque ad Papam Greg. à quo fuit excommunicatus: sed facta compositione, absolutus fuit. Transactoque brevi tempore, compositionem violavit, usurpando sibi bona Ecclesiæ, & tenuit ea violenter, usque ad mortem Honorii & Celestini Papæ, per auxilium civium Romanorum, qui eum contra Apostolicum fovebant. Cùm autem infra discordiam Innocentius Papa quartus electus & exaltatus fuisset, & in Urbe Roma non posset resistere Friderico, transtulit se occultè in civitatem Januensem. Janua recedens, venit in civitatem Lugdunensem, ibique convocatis Cardinalibus, & multis Pontificibus & Prælatis Ecclesiarum, præfixit & statuit Concilium, & citavit Fridericum, ut in Concilio compareret, super objectis coram Principibus responsurus. Qui non comparuit, sed responsales pro se transmisit minus sufficientes. Innocentius autem Papa celebrato Concilio, mediantibus Patriarchis Antiochiæ & Aquileiensi, Imperatori Constantinopolitano & multis majoribus Ecclesiæ, recitavit damna & gravamina, excessus plurimos & crimina Friderici: & lata sententia excommunicavit eum, & privavit eum Imperio & omni honore.

Principes verò Alemanniæ, scilicet Archiepiscopus Moguntinus, & Coloniensis & Treverensis, cum cæteris Episcopis, Argentinensi, Metensi, Spirensi & aliis, ele-

Contra Fridericum novus Rex eligitur.

elegerunt apud Herbipolim, Henricum Lantgravium Turingiæ in Regem. Electio-ne verò facta, idem Rex præfixit Principibus Curiam solennem apud Francfenfurt. Cùm autem Fridericus depositus Imperator filium suum Cunradum Regem in Alemannia haberet: ille Curiam præfixam in Francfenfurt prævenire cupiens, & impedire volens, collegit magnum exercitum, & venit ad campos apud Francfenfurt. Henricus verò Rex qui Curiam præfixit, cum Episcopis & fautoribus Ecclesiæ collegit etiam magnum exercitum & insequebatur Cunradum Regem usque ad eosdem campos, ibique facta est pugna & maximus conflictus inter prædictos duos Reges, in festo B. Oswaldi, & Deus dedit victoriam Ecclesiæ & Regi Henrico. Cunradus autem Rex fugiens, amisit multos milites & maxima bona, & imposuit Suevis, qui cum eo venerant, & cum ipsis multis amissis fugerant, quòd ipsi eum infideliter prodidissent. Suevi proinde ira moti, conspiraverunt cum Ecclesia & Rege Henrico, moventes bellum in Regem Cunradum & suos fautores per Sueviam, & circa Danubium & Mogum & ubique.

Episcopus verò Argentinensis, nomine Henricus de Stahelecke, obsedit in Alsatia munitiones, oppida & castra, quæ Fridericus & filius suus possidebant: & expugnavit firmissima & nobilissima duo castra......& Kronenburg/ quæ funditus destruxit, & alia munita castra igne consumpsit. Fautores verò ejusdem Episcopi expugnaverunt ex altera parte Rheni nobile castrum Mulberg/ & castrum Husen & multa oppida. Posthæc expugnavit idem Episcopus castrum Ortenberg/ & subjugavit sibi oppidum Offenburg/ & Kintziger thal & Gengenbach.

Cunradus autem Rex, filius Friderici, videns, quòd non poterat resistere fautoribus Ecclesiæ, duxit filiam Ducis Bavariæ, spe consilii & auxilii: sed parum profuit ei, quia Suevi fugaverunt eum de civitate in civitatem, & cum Rege Henrico obsederunt civitatem Ulmam in Suevia, sed non expugnaverunt: propter magnum frigus & defectum pabuli oportebat eos recedere de civitate. Rex autem Henricus ab Vlma recedens, venit in Turingiam, & mortuus est, anno ab incarnatione Domini M. CCXLVII. & non regnavit per annum unum.

Wilhelmus Hollandus Antiæsar.

Mortuo verò Henrico rege, Innocentius Papa pro alio rege laborabat, & inter Principes non invenit aliquem, qui se de regno vellet intromittere contra Fridericum & filium suum Cunradum. Tandem Dux Brabantiæ, filium sororis suæ, Wilhelmum Comitem Holandiæ, Domino Papæ & Episcopis Alemanniæ præsentavit. Quem Episcopi elegerunt in regem apud Coloniam, promittentes ei juramento præstito, rebus & personis fideliter assistere. Qui cum Episcopis, Comitibus & Nobilibus obsedit Aquisgranum & firmissimum castrum Werde in fluvio Rheni, & Ingelnheim: quæ omnia sibi subjugavit. Colonia, Moguntia & Argentina Ecclesiæ assistebant: sed Wormatia, Spira, & aliæ civitates & oppida Rheni, Sueviæ & Bavariæ, & Metis, favebant Friderico & filio suo sub vinculo excommunicationis: & eorum favore Cunradus natus Friderici tenuit bellum contra Ecclesiam, & terram adversariorum suorum devastavit incendio & rapina, usque ad mortem Patris sui Friderici.

Fridericus 2 moritur.

Anno Domini M. CCL. Fridericus Imperator cùm post suam ab Imperio depositionem inter civitates Lombardiæ Parmam, tanquam magis exosam sibi, forti manu obsideret: à legato Domini Papæ & à Parmensibus est devictus, & amissis thesauris suis & rebus aliis in Apuliam rediens, ibi gravi infirmitate correptus, defunctus est.

Anno Domini M. CCLI. Cunradus rex filius Friderici, ut mortuo patre Siciliæ regnum susciperet, per mare in Apuliam devenit, & capta Neapoli, muros illius funditus destruxit. Sed cum sequenti anno introitus sui in Apuliam infirmari cœpisset, clystere, quòd à Medicis judicabatur ad salutem, veneno mixto intulit sibi mortem. Post hæc Wilhelmus rex à Frisonibus occisus est.

Richardus Anglus Conrado Friderici F. oppositus.

Hæc audiens Episcopus Coloniensis, ad Angliam perrexit, & inde duxit Richardum Ducem Cornubiæ, quem ipse & Episcopus Moguntinensis elegerunt in regem: quibus dedit multam pecuniam, & cæteris Episcopis Alemanniæ & Nobilibus terræ. Et cum adhuc opulentus esset in divitiis, vehebatur per Principes Alemanniæ ad singulas civitates & oppida Imperii super fluvium Rheni: & ab omnibus civitatibus, ob reverentiam Principum qui cum eo aderant, honorificè est receptus. Cùm autem

Richardus

Richardus Rex pervenisset usque ad civitatem Basileam, defecit ei substantia: tunc reliquerunt eum Principes Alemanniæ solùm, dicentes: quòd eum non dilexerunt propter personam, sed ratione substantiæ, & dederunt ei libellum repudii, & per aliam viam reversus est in regionem suam: cujus regis memoria cum sonitu periit. Tunc vacavit regnum Romanorum, annis XXIII. usque ad tempora Domini Rudolfi Dei gratia Romanorum regis.

Vacante autem regno prædicto, Cunradinus, Cunradi Regis filius, filii Imperatoris Friderici, pollens divitiis & honore, adhuc adolescens de morte patris sui Cunradi & avi sui Friderici Imperatoris dolens, cùm esset infra dies luctus, consilio usus suorum, volens & patrem & avum ulcisci, licet esset teneris sub annis collegit exercitum magnum, venit in Italiam, volens invadere regnum Siciliæ, quod ad eum ex successione hæreditaria asseruit pertinere, tempore Clementis Papæ quarti. Hoc audiens Carolus, qui tunc ex donatione Apostolica sibi assumpsit Regni Siciliæ gubernacula gubernanda, collegit vice versa exercitum, & inito cum Proceribus, qui cum eo aderant, consilio, qualiter & quomodo ipsi Cunradino & suis resistere posset. Favore tamen & auxilio Domini Clementis Papæ congregati sunt, ac acies hinc inde ordinatæ, aggressi sunt conflictum & bellum magnum, & facta est cædes magna hominum, & obtinuit prima facie fictè Cunradinus & sui victoriam. Et cum Teutonici insistentes spolio, fugarent adversarios, adhuc Cunradino existente in tentoriis, supervenit quædam acies Caroli, Cunradinum captivare conantes: & cum se desolatum vidit, fugiebat. Demum captus & capite truncatus est, anno Domini M.CCLXVIII. de cujus morte tota dolet Germania.

Curradini Siciliæ hæredis fatum.

Cùm autem Regnum Romanorum vacaret à tempore Richardi Regis, qui Romani Imperii (licet profecisset modicum) assumpsit gubernacula gubernanda, & nullus Alemanniæ Principum, propter metum aliquorum Alemanniæ, sibi Romani regni regimen assumere vellet, qui partem Imperatoris & suorum contra Ecclesiam fovebant: & medio tempore in partibus Alemanniæ & aliarum circumjacentium per diversos spoliatores viarum & nobiles ipsius terræ fuerint insolentiæ perpetratæ quamplurimæ, tempore Gregorii Papæ decimi, apud quem per diversos Alemanniæ nobiles & alios transeuntes sæpe & sæpiùs querimonia super tanta importunitate vertebatur: inito consilio præcepit principibus Alemanniæ electoribus duntaxat, ut de Romanorum rege, sicut sua ab antiqua & approbata consuetudine intererat, providerent, infra tempus eis ad hoc de Papa Gregorio statuto: aliàs ipse de consensu Cardinalium, Romani Imperii providere vellet desolationi.

Mandato autem Apostolico viso ab ipsis Principibus & recepto, convenerunt apud Franckenfurt, de electione Romanorum Regis tractaturi. Qui utique se Electores diversis inter se tractatibus & diverticulis habitis, non poterant de electione concordare, reducentes sibi invicem memoria universorum nobilium per omnem gyrum Alemanniæ regionis. Qualiter autem ultimò concordabant in Dominum Rudolfum Comitem de Habesburg, eligendum in Romanorum Regem, in sequenti opusculo patebit.

FINIS.

M. ALBERTI ARGENTINENSIS

Chronicon Integrum, Continens Historiarum seriem, à Rudolfo Primo Habspurgensi, usque ad Caroli quarti Imperatoris obitum; id est annum Dominicæ incarnationis. M. CCC. LXXVIII.

Adjectus est ejusdem (ut videtur) Alberti Commentarius, de Bertoldi, è Comitibus Buchecкianis, Episcopi Argentinensis rebus gestis, Ludovico quarto Imperij habenas moderante.

Omnia jam primùm typis evulgata.

In Albertum Argentinensem Præfatio.

CUM Albertus de Argentina historias Germanicas illius seculi, quod Rudolfi Habspurgensis Electionem & Caroli quarti mortem intercessit, sincera fide literarum æternitati commendârit, resq; multas ab aliis vel intactas, vel non tam plenè tractatas scripserit: Equidem sæpius fortunam ejus miseratus sum, quæ eum non nisi membris truncatum ac toto penè corpore tabidum, in hominum conspectum prodire passa esset. Quod enim istius lucubrationis fragmentũ in publicum abierat, id infinitis penè verborũ & sententiarum mendis adeò corruptum erat, ut quamplurimis locis sensus nullus, quibusdam etiam falsus & depravatus inesset, atque ideo velut exangue & putre corpus, contemptu laborarit. Cuspinianum certè, virum in historiarum Rep. clarissimum, hasce boni auctoris mancas pagellas non magni fecisse constat: unde & lectorem cautum esse jubet, ne his nimiùm fidendo in errorem agatur. Ac sanè fateri debeo, me illius ductu, in historia Basiliensi alicubi (quâquam in re non usque adeò magni momenti) impegisse. Verùm enimverò quod Scriptor hic ἄδοξος permansit, eique tantum non fides derogata sit, eum certè nævum non sua culpa contraxit, sed temporum & vetustatis invidia, quæ exemplaria longos vitiata per annos, tantum non aboleverat. Neque enim cuiquam dubium esse potest, auctorem illum quo antehac habitu comparuit, ex veteri codice lacero, aut squalore & carie corroso vel obliterato, transcriptum esse: qui si hanc injuriam non persensisset, majore & fide & dignitate polluisset. Cuspin. equidẽ duo se M. Alberti antiqua exemplaria nactum esse memorat: unum quod præ vetustate vix legi potuerit: alterum, à priore diversum, fenestratum atq; mancum.

Lætatus igitur sum, cùm liber is totus ac integer, quantumvis à recentiore quodam transcriptus, in manus meas incidisset: quanquam primo intuitu (eo quòd nullum auctoris nomẽ præ se ferret) Albertum esse ignorarim. Nec diffido, quin alij quoque patriæ amantes, quando eum sui temporis historias, si non eleganter & ornatè, verè tamen atq; synceré, tradidisse animadverterunt, voluptatem inde fructuosam sint percepturi, atque eum aliis mediæ ætatis scriptoribus fide neutiquam inferiorem habituri. Contuli autem prædictum hujus scriptoris apographum, cũ vetusto è membranis codice, quem (ut reor) bibliotheca cœnobij Noviententis seu Ebersheimensis, siti in Alsatia, in insula Illæ fluminis, conservarat. Eum Clariss. vir, D. Joannes Pistorius, Marchionum Badensium & Hochbergensium medicus, amicus optimus, juvandi mei instituti caussa, Carolsburgo ad me perferri curavit. Is codex meo per omnia ferè consentiebat, nisi quòd Principium libri, de Comitum Haspurgensium è Romana gente origine (quam sanè opinionem & alii quoque docti non satis verisimilem censent) in meo desiderabatur, his verbis incipiente: Rudolfus Comes de Habspurg, cùm esset apud Fridericum Imp. &c. Eo autem prorsus erant similes, quòd uterq; continuo orationis filo nullis argumentis (ut in impresso fragmento) interfertis, descriptus erat, prætermissis utrinque nonnullis quæ in eodem fragmento leguntur. Hæc tamen audacius eiicere nolui, sed ut quæ in manuscriptis codicibus nõ extant, à reliquo contextu dignoscerentur, ab initio signo ☞, ad calcẽ verò signo ☜, notanda esse duxi. Denique in utroq; exemplari antecedebat Fragmentum historicum, à Dagoberto Franc. Rege, usque ad Rudolfi tempora, quibus Albertus historiam inchoat, deductum: sequebatur verò Commentarius ille de rebus gestis Bertoldi Episcopi Argent. quibus tractatibus ego quoque auctorem huncce vestitum in theatrum exire volui.

Porrò quòd ad auctorem, dubitatio aliquando incidit, num is, de Basiliensium rebus tam multa referens, è vetusta & equestri illa urbis nostræ familia ortũ duceret, quæ cognomine de Argentina, ante CCC. annos floruit, & aliquot dignitate & muneribus insignes viros produxit. De quorum numero fuêre equestri baltheo decorati, Albertus de Argentina, circa annum 1236. in urbe Basil. Imperii advocatus, & Wernherus anno 1263. civium magister, quorum hic (ut Colmarienses fasti memorant) à Richeimensibus rusticis posteà occisus fuit. Item Ludovicus, anno 1318. summi templi mysta seu canonicus. Verùm eas mihi nebulas discussit, locus in historia Ludovici quarti, quo scribit, se ab Episcopo Argentinensi Avinionem ablegatum fuisse, ut & eum Pontifici Romano excusaret, eique Ludovici decretum per omnẽ Germaniam promulgatũ, afferret, quo palam astruebat, Pontifici in exauctorando Cæsare nil juris esse, &c. Inde conjicio fuisse hunc Albertum Episcopo Argentinensi familiarem, fortè Doctorem (quod magistri nomen insinuat) aut sacerdotem: cujusmodi plures Argentina habuit, qui res ejus urbis & Episcopatus literis ad posteros transmiserunt. Quales sunt Fridericus Closnerus qui historiam a Rudolfo Habspurgensi, usque ad annum salutis 1362. perduxit: & Jacobus Kongelshofius qui res Argentinensium ab urbis origine usque ad principium seculi à nato Christo decimi quarti, collegit.

MAL-



M. ALBERTI ARGENTINENSIS CHRONICON Integrum, à Rudolpho Habspurgensi, adusque Caroli quarti Imperatoris obitum, id est annum Dominicæ incarnationis, M. CCC. LXXVIII.



RUDOLPHUS Comes de Habspurg ex antiquis progenitoribus ab Urbe Roma traxit originem. Olim namque duobus fratribus, propter potentis Romani occisionem, eliminatis ab Urbe: pater eorum nobilior Romanus, dans cuilibet eorum immensam pecuniam, ipsos jussit in partes abire remotas. Qui se in superiori Alemannia receperunt. Antiquior autem ad emptionem prædiorum & munitionum, junior verò ad habendam vasallorum multitudinem contendebat. Patre autem in Urbe existente post aliquot annos cùm intellexisset, filios cum pace stare in Alemannia, ipsos visitabat. Et cùm vidisset senioris empta prædia, ejus prudentiam nimium commendavit. Requirens autem à juniore, quid cum sua substantia egerit, ille se omnem in unam munitionem fortissimam collocasse, respondit: & jussis omnibus vasallis suis, cum eorum liberis masculis optimè armatis ad munitionem pertinentibus, & ab eo infeodatis, venire ad montem, ubi castrum Habesburg est collocatum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem, quos & omnes eorum posteros masculini sexus suos & posteritatis suæ fideles vasallos illis confitentibus patri, probavit. Quo viso, pater in illius animosa nobilitate gavisus, reversus ad Urbem, magnum thesaurum destinavit eidem. Ex quibus duobus fratribus omnes de Habesburg postea processerunt. *Stirpis Habspurgensis ortus.*

Rudolfus verò cùm esset apud Fridericum Imperatorem secundum in Lombardia, qui & ipsum Rudolfum levavit de sacro fonte: Astronomus Imperatoris ipsi Rudolfo, quamvis juveni frequenter assurgens, ipsum præ cæteris cunctis spectabilibus & clarissimis honoravit. Sciscitatus autem à Cæsare Astronomus, cur illi juveni præ cæteris tantùm exhiberet honorem: respondit, quòd ad eum Imperii honor & Principis potestas in posterum deveniret. Turbato ex hoc Cæsare, & juveni illi indignanti, Astronomus dixit: Non indignemini ei; quia antequam incipiat ejus Dominium, ex vobis, qui jam decem habetis filios, & ex eis qui succedat in Imperio penitus nullus erit. Verùm Rudolfus abinde recessit, propter Imperatoris indignationem. *Imp. Fridericus & vaticinium Rudolfi.*

Malè autem succedente Principi, deposito ab Innocentio quarto, & dolis cleri prævalentibus contra eum, ipsoque tandem in regno suo Siciliæ in Panormo defuncto: Principes Germaniæ, virtute translationis ad ipsos factæ ex morte Ottonis tertii Imperatoris, Richardum regem Angliæ inclytum in regem Romanorum eligere decreverunt: qui regi Franciæ invidens, illico eidem quandam civitatem obsedit, & in obsidione jaculo est occisus: statimque postea electo per Principes Lantgravio Turingiæ, deinde Wilhelmo Comite Holandiæ, qui Rhenum ascendens Brisacum venerat, & descendens Frisiam invaserat, ipse inibi est occisus. Sic post Fridericum Imperium regnumque Romanorum XXX. annis vacavit. Richardus enim & Wilhelmus, quia non duraverunt in regno, non fuisse censentur, & ambo caruerunt benedictione imperiali. *Cæsares contra Fridericum 2. electi*

Sicilia Regnum ad Gallos translatum, Anno 1265.

Innocentius autem Papa quartus, qui Fridericum deposuit, Carolum Martellum Comitem Provinciæ, fratrem scilicet Regis Franciæ, constituit Siciliæ Regem: contra quem Cunradinus nepos Friderici ex Cunrado filio suo, veniens in Italiam cum Duce Austriæ, & magna multitudine Germanorum, cum Carolo inivit conflictum: victoque per Germanos Caroli exercitu & fugato, Germani prædam fugientium insequentes, Cunradinum cum Duce & paucissimis reliquerunt. Quod videns Carolus, qui se in montem cum magna parte exercitus sui receperat, ut videret recessus Germanorum: Cunradinum quasi desolatum invasit. Quo cum Duce & quibusdam aliis capto, indeque abducto, exercitus ejus dispersus ob prædam, miserabiliter fugatus est & occisus.

Cunradinus Suevia Dux capite multatus 1267.

Scripsit autem Carolus Clementi tum Papæ existenti, quid faciundum esset de Cunradino capto. Qui rescripsit eidem, quia ei favebat: *Vita Cunradini, mors Caroli: mors Cunradini, vita Caroli.* Quo scripto viso, statim Carolus Cunradinum cum Duce Austriæ & cæteris decollavit.

Petrus Arragonius Siciliæ occupator.

Quod Petrus Rex Arragonum, Cunradini proavunculus ægre ferens, habitis machinationibus occultis cum incolis insulæ Siciliæ, per mare potenter insulam ingressus, occisis Francigenis, & fugato Carolo, insulam Siciliæ occupavit: quam ejus posteritas postea tenuit, & ejus abnepotes hodie detinent sine lite. Carolus autem Neapolim & reliquam partem quæ est citra mare, unà cum Comitatu provinciæ, cum posteris suis quietè possedit, semper resistendo Germanis: sub quo Guelforum, de parte Ecclesiæ: & Gibellinorum, de parte Imperii sunt nomina inchoata.

Erat autem mater Caroli, filia Regis Castellæ, cujus regni arma sunt, castra: regni autem Franciæ, lilia. De quo Carolo, antequam mater ejus Regi Franciæ nuberet, prophetizatum dicitur in hæc verba: *Castra floribus conjungentur, & ex equa equus generabitur generosus, qui pugnabit contra pullos Aquilarum, & prævalebit eis.* Papa autem Alexander contra Petrum Arragoniæ ac filios & regna ejus in tantum processit, quòd multis annis in regnis ejus nunquam sunt celebrata divina, etiam nominantes eum regem, damnando. Qui Petrus Rex in senio duos filios suos, unum Arragoniæ, alium Siciliæ reges constituens, sibi hujusmodi titulum adscripsit: *Petrus Arragonensis natus, Pater duorum regum, Dominus maris & miles imperterritus.* Tandem sedes Apostolica cum ultrò revocasset processus, juvenes qui in eisdem regnis tempore interdicti successerant, vel succreverant, ante non visam celebrationem divinorum deriserunt: propter quod post multa tempora Bonifacius Papa octavus decretalem *Alma* condebat.

NB. Franciscani & Dominicani honoribus aucti.

Post Fridericum crevit potentia & superbia sedis Apostolicæ, ac Minorum & Prædicatorum, quos eò quòd Fridericum & suos detestabantur, ipsa sedes Apostolica præ cunctis Ordinibus privilegiis exaltavit in tantum, quòd nunc ipsa sedes & clerus vix defensantur ab illis.

In diebus illis Henricus de Stahelegge, Episcopus Argentinensis, quem Imperator forsan vivens læserat, *Kronenburg*, *Haldenburg*, *Illewickersheim*, & quædam alia castra Imperii demolivit.

Crevit autem Rudolfus de Habspurg temporibus prædictis, astutia & honore: qui cum litem duram haberet cum Abbate sancti Galli, & duæ lites aliæ sibi etiam succrescerent, venit ad domum Abbatis, qui eum persequebatur odio capitali, sedens ad mensam ejus edentis, inscius & non vocatus. Abbas verò miratus, ipsum honorificè & gratanter recepit. Facto sic simul prandio, illico in tantum sunt amici effecti, nullo se interponente, quòd Abbas cum exercitu, ad invadendum alios Comites adversarios, in auxilium cum eo perrexit. Dixit enim Comes ad suos: Quicunque tres lites habet, duas si poterit reformet: hoc est consilium meum.

Cùm autem quadam vice idem Comes, animo quædam invadendi, in *Ensensheim* servitores congregaret paulatim, & illis panem de siligine, & vinum durissimum ministraret, quidamque milites ex illis, panem album & bonum vinum super mensam Comitis emerent sibiipsis: Comes levata mensa illos milites licentiavit secretè, dicens: se non indigere ipsorum. Illis verò caussam licentiæ quærentibus, ipsos quòd non contentabantur iis, quibus meliores contentarentur, arguendo confudit.

Sororii Rud. Habspurg.

Habuit autem Comes de Kussenberg sororem ipsius Rudolfi: quo defuncto sine liberis,

liberis, eadem ſoror Ottoni de Ochſenſtein data eſt in uxorem: ex qua Domini de Ochſenſtein & Strasberg poſtmodum prodiêre.

Kiburgenſium ditiones ad quos devoluta. Anno 1264.

Obiit autem antiquus Comes de Kiburg, ipſius Rudolfi avunculus, ſolam relinquens filiam, quam ipſi recommiſit, qui eam Eberhardo, filio patrui ſui, dedit in uxorem, retinens ſibi Dominium in Kiburg/Winterthur/Dieſſenhofen/Baden/Mellingen/Arowe/Friburgum Vehtlandiæ, & quædam alia: aſſignans tandem eidem patrueli, poſtquam aliquandiu cum Duce Burgundiæ avunculo ſuo morabatur ſuperius Dominium, quod ſocer ejus à matre ſua, ſorore Ducis Zeringiæ habuit, ſc. l. Burgdorf/Thune/& alia, quæ illius poſteritas hodie tenet. Alia verò ipſe Rodolfus ſuæ poſteritati reliquit. Ipſe verò patruelis & ejus poſteritas deinceps non de Habſpurg, ſed de Kiburg ſunt vocati, eò quòd illud Dominium aliud præceſſit, tempore, divitiis & honore.

Kiburgum Briſgoia. Zeringenſe caſtrum conditur.

Erat autem antiquum caſtrum Kiburg olim in Briſgaugia, ex oppoſito nunc caſtri Friburgenſis, cumque olim Dux Zeringiæ à ſororio ſuo Comite de Kiburg precibus obtinuiſſet, ut annueret Ducem facere domum venationis in monte caſtri Friburgenſis: uxor territa dixit marito Comiti: Bene dixit frater meus, quòd domum venationis ibi facere velit, quia venabitur & expellet vos per ipſam domum de partibus iſtis, & omni honore: quod & breviter poſtea factum eſt.

Hæredes ditionum Ducum Zeringiæ. Origo dynaſtarum à Furſtenberg.

Mortuo autem tempore Friderici, Berchtoldo Duce Zeringiæ, anno M.CC.XVIII. Calendis Maij: uni ſororio de Kiburg ceſſit illud Dominium in Burgunden alteri Egenoni cum barba, Comiti de *Urach*, ceſſit inferius Dominium. Quo mortuo, cùm reliquiſſet duos filios, ſcilicet Chunradum ſeniorem, cui ceſſit Dominium in Briſgaugia: & Egenonem, cui ceſſit Dominium in Suevia, à quo Comites de *Furſtenberg* proceſſerunt. Chunradus verò Comes Friburgenſis moriens, reliquit duos filios: Egenonem ſeniorem, cui ceſſit Dominium Friburgenſe: & Henricum, cui ceſſit *Neuwenburg* & *Badenweiler*. Qui Henricus cùm Neuwenburg veniſſet, animo recipiendi in craſtino ab hominibus fidelitatem: in ſero ſub maceriis cujusdam Burgenſis uxorem ſtupravit, propter quod Neuwenburgenſes illi fidelitatem facere renuerunt.

Ingenuorum Baſilienſium factiones.

Erat autem in diebus illis partialitas inter nobiles Baſilienſes, hodieque durans, inter Pſittacos & Stelliferos, quæ ex eo ſumpſit originem. Cùm olim milites Baſilienſes ad torneamenta haſtiludia, vel parlamenta alia cum multitudine egrederentur, & dicerentur: Qui ſunt iſti? Tum dicebatur: *Scalarii & Monachi Baſilienſes*, qui erant excellentiores. De quo alii commoti, conſilio habito, fecerunt vexillum albæ ſtellæ magnæ in rubeo campo, quod in Torneamentis & alibi efferebant: ſub quo ſigno erant progenies de *Eptingen*, Vicedomini, *Uſheim*, *Krafften*, *Reichen*, *Pfaffen*, aliqui de *Ramſtein*, Am Kornmarckt/poſtea dicti de *Neuwenſtein*, *Macerell*, *Frick*, & plures alii. Alii verò fecerunt viridem Pſitacum in albo campo: ij erant Scalarii, Monachi, de Rheno, Marſchalci, Camerarii, & multi alii, qui ſemper in civitate Stelliferos præceſſerunt. Erant autem omnes Comites & nobiles vicini, de alterutra partium earundem. Omnes enim de progenie Novicaſtri *am See*, Marchiones de Hochberg & Domini de Rotelen fuerunt Pſittaci. Comites verò de Habſpurg & de Pfirt, item Henricus cui ceſſit *Neuwenburg* & *Badenweiler* ſupradictus, fuerunt Stelliferi.

Soboles Ulrici Comitis Neocomenſis ad lacum, ſeu ultra Iuram montem.

Orta autem briga inter Henricum Comitem de Badenweiler & Neuwenburgenſes, eum pro Domino receptare nolentes, cui Henrico Rudolfus de Habſpurg pro viribus aſſiſtebat: quidam incolæ oppidi dicti *Wilre* & plures alii, clam pro Henrico Epiſcopo Baſilienſi, de Novocaſtro dicto, miſerunt, qui veniens media nocte, intromiſſus, caſtrum Neuwenburg juxta portam ſuperiorem, quod Comes tenebat, confregit. Erat autem idem Epiſcopus filius Ulrici Comitis Novi caſtri: qui Ulricus moriens reliquit fratrem, qui habuit Novum caſtrum & dominia Gallica: ipſe verò habuit Comitatum Novi caſtri & dominia Teutonica. Qui Ulricus reliquit quatuor filios antiquos, de *Nidowe*, de *Strasberg*, de Arburg & Henricum Epiſcopum prædictum. Iſte reliquit multas filias, datas Dominis de *Tockenburg*, de *Valckenſtein*, de *Rotelen*, de *Regenſperg*, de Grandiſone, ex quibus multæ progenies proceſſerunt.

Bellum inter Neoburgenſ. ad Rhenum, & Henr. Comitem, oppidi dominum.

Invaluit autem bellum contra Newenburgenſes in tantum, quod pluribus annis nec agri, nec vineæ, imò nec unus hortus, culti fuerunt: multisque occiſis & captis, ultra quinquaginta pedibus ſunt truncati. Ipſi verò auxilio Epiſcopi oppidum *Bla-*

doltzheim, prædicti Rodolfi, item turrim in *Otmarsheim*, destruxerunt. Nobiles autem oppidi, dicti *Sermentzer*, & alii cum Comite existentes, nimis læserunt Burgenses, quibus duo fortalitia in *Ougheim* & castrum *Gerneck*, item unum castrum *Froschbach*, per Comitem ædificatum juxta Rhenum prope *Bantzenheim*, ubi tunc alveus Rheni fuerat, demolita fuerunt.

Multa etiam alia acciderunt, quod duravit usque ad creationem Rudolfi, in regem promoti, qui tandem conquerentibus illis de stupro, oppidum ad jus Regni Romani recepit, sinens tamen, quòd Comes per se captos excoriaret ad unguem. Insuper Rex decimam partem omnium bonorum oppidanorum recepit, quam Comiti assignavit.

Wernerus à Falckenstein Archiep. Moguntinus Rudolfi promotor.

In diebus illis, Electo Wernhero Archiepiscopo Maguntino ad Urbem pro confirmatione proficisci volente, Rudolphus Comes prædictus per electum literis rogatus, ipsum ab Argentina usque ad Alpes euntem, eoque feliciter confirmato redeuntem conduxit. Qui Archiepiscopus grates sibi agens, optavit ut nunquam moreretur, nisi Comiti de tanto officio respondisset. Itaque Maguntinus feliciter procedens & prospere ad Ecclesiam suam est reversus. Quod postea fecit idem Episcopus, qui pro creatione regis Romanorum Principes quorum intererat ad oppidum Franckfurt convocavit. Interea accidit, quòd Psitaci Basilienses Stelliferos expulerunt: propter quod Rudolfus Comes congregatis suis amicis, cum Stelliferis & eorum fautoribus juxta capellam Binningen Basileam obsedit. Congregatis autem Principibus electoribus in Franckfurt, rege Bohemiæ dempto, & inter se de periculo diutinæ vacationis Imperii, & de perditione juris Principum invicem conquerentibus, ac de persona eligenda, quæ Imperio expediret, tractantibus: Maguntinus Rudolphi Comitis de Habspurg magnanimitatem ac sapientiam commendavit: multisque aliis potentibus nominatis, Maguntinus asserens, sapientiam & strenuitatem divitiis & potentiæ esse præferendas, pro Rudolpho Comite institit: Coloniensem quoque & Treverensem ad id ipsum inducens. Dux autem Bavariæ, qui clarissimam uxorem suam, ex patre Duce Brabantiæ, & ex matre de Hollandia natam, ob falsam adulterii suspicionem decollaverat, pater post Ludovici quarti Principis, convocans Burggravium de Norinberg præsentem, qui & ipsius Rudolphi extitit consobrinus, ait illi: Si Rudolphus præfatus promoveretur in Regem, quomodo essem ab ejus læsione securus? Habet ne aliquam filiam, quam mihi daret in uxorem? Et illo asserente, quòd Rudolphus sex haberet filias, & de danda sibi una, sub omnium bonorum suorum hypotheca Duci cavente, Dux annuit Maguntino. Quod audientes, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgensis, qui & ipsi non habebant uxores, receptis cautionibus de dandis sibi Rudolphi filiabus, similiter consenserunt, sicque concorditer est electus, Anno Domini M. CC. LXXIII. XII. pridie Calendas Octobris.

Rudolfus Habspurgensis Rom. Rex 1273.

Burggravius autem de Nurinberg acceptis de electione Principum literis, Basileam ad Rudolphi exercitum properavit, & venit ibi repentinè in media nocte: & excitato Comite, dixit sibi, quòd esset Rex novus electus. Ille credens se deludi, contra Burggravium commovebatur. Ille verò dixit: Absit quòd vos deludam, valentissimum, dominorum: & sibi exposuit seriem rei gestæ. Rex verò audiens, filias suas nupturas tantis principibus, & de prosperitate sua dignè gavisus, Burggravium in civitatē Basileam ad Episcopum & ad Psitacos ejus inimicos, pro amica reformatione direxit. Audiens autem Episcopus, quod erat factum, se percutiens ad frontem, dixit: Sede fortiter Domine Deus, vel locum occupabit Rudolphus tuum. Ambæ igitur partes cum Magnatibus illarum partium, cum Rege & Regina Alberti sorore Comitis de Hohenberg, Aquisgranum pro ipsorum coronatione, egregiè sunt profecti, rebus per omnia bene gestis.

Rudolfi Cæs. liberi eorumq; progenies.

Ex his itaque tribus filiabus multi Duces Bavariæ, Saxoniæ, & Marchiones de Brandenburg processerunt. Dedit quoque Rex unam filiarum Carolo tertio, nepoti Caroli Martelli prædicti Regis Siciliæ, ex qua Reges Ungariæ, Clementia Regina Franciæ & mater Delphinorum, & Andreas Rex Siciliæ, processerunt. Non dico Rex insulæ Siciliæ, quam semper Arragonii tenuerunt. Habuit autem & Rex à prædicta uxore de Hohenberg, tres filios, Albertum Rudolfum & Hartmannum: qui Hartmannus postea prope Rhinawin Rheno submersus, Basileæ cum matre prædicta & adhuc uno filio parvulo, in choro majoris Ecclesiæ Basiliensis sunt sepulti. Tempore autem electionis Regis, iverat

iverat Albertus ad Comitem Tirolis, ad recipiendam Elisabet filiam suam. Et intelligens Comes electionem regis, Alberto filiam illicò copulavit. Erat autem ipsa Elisabet soror quondam Chunradini ex matre, quæ defuncto Chunrado rege recepit Comitem Tirolis. Vacaverunt autem Imperio à tempore occisionis Chunradini; Ducatus Austriæ, Stiriæ, & Carinthiæ. Rex autem de Ducatu Carinthiæ, quem aliàs ipse Comes occupavit, recepta ab eodem magna pecunia, investivit eundem, qui postea non Comes, sed Dux Carinthiæ vocabatur.

Ducatus Austriæ ad domum Habspurgicam.

Ducatum autem Austriæ quem occupavit Otthocharus rex Bohemiæ, contulit Alberto & Rudolfo filiis suis, & veniens cum exercitu, est in Vienna civitate Austriæ capitali receptus: habitisque multis tractatibus, Ottocharus qui Bohemiam, Austriam, Moraviam, & quasi Hungariam, & totam quasi terram usque ad Prussiam, & usque ad mare, tenuit, à rege sua feuda recepit. Venit autem ad regem cum ineffabili pompa & ostensione potentiæ & divitiarum. Rex autem longus & gracilis statura valde, aquilum habens nasum, indutus grisea rusticali tunica, cum alto galero, in communi strata sedens, Ottocharum indutum pretiosissimè, genu flexum, more regio investivit de feudis. De quo indignatus Ottocharus, & per uxorem suam, quæ Polona extitit, durè tentus, pro eo quòd se in tantum subjecit, cœpit regem infestare & Austriam occupare.

Anno 1276

Henrici Episcopi Basil. res gestæ.

Obierat autem diebus illis prædictus H. de Novocastro, Episcopus Basiliensis, cujus gesta (qualiter tempore prædecessoris sui Berchtoldus de Pfirt, administrator Episcopatus fuit, & illo defuncto, quasi sine electione, sed solo Capituli consensu, non audentis contradicere, Episcopatum tenuit, quamvis quasi illiteratus: qualiter quadam vice citatus per Papam personaliter, nuncium post magnum honorem sibi exhibitum, coëgit quasi, ut Papam ad eundem diem coram eodem Episcopo citaret, ad castrum suum Birsecke: qualiter tunc Comes Ferretarum, ex quadam indignatione suorum, quandam permutationem terræ suæ fecit cum Episcopo, ad munitionem & vallem Teischberg, & ob hæc sui in eum iracundè irruentes, pro eo quòd eos infideliter alienaverit, ipsum facti pœnitentem, cùm vidisset tantùm suorum dolorem, coëgerint quasi ad rescissionem contractus: & quod castrum * Zouger & Advocatiam in Sergowe, quæ ipse Comes tenebat, Episcopo resignavit, ac Ferretum, Altkilch & alia ab eo, propter rescissionem permutationis, in feudum recepit: qualiter duo milites de Butenheim, ea quæ ab Ecclesia Basiliensi habuerunt à prædicto Comite de Habspurg in feudum recognoverant, & Episcopus postea in præsentia Regis eisdem dixit: Vos alienastis vos à beata virgine, & ego vos ab ea tollo, Sathanæ committendos: qualiter postea quilibet eorum alter alteri suam cognovit uxorem, qualiter postea Landser regi vendiderunt, & in rebus & in personis perierunt, ita quòd nullus est superstes ex eis, & alia ipsius Episcopi acta) causa brevitatis relinquo.

**Sougeren castrum antiquum ad Birsam.*

Henricus minorita Episcopus Basil. 1275.

Erat autem in diebus illis quidam frater Henricus de Isena Suevus, de ordine Minor. filius fabri, lector domus Moguntinæ, Theologus & Nigromanticus, qui dum quadam vice dæmonem cuidam bonæ mulieri in specie viri diu cohabitantem, per characteres ejecisset: dæmon non valens ultra illam accedere, dixit dæmon: Ab initio meæ ruinæ solitus eram cohabitare mulieribus, nunquam dilectiorem habui: nunquam ergo desistam, quin illum qui te mihi abstulit in eam altitudinem perducam, qua obliviscatur penitus Dei sui. Hic Henricus cum pro Petro divitis Canonico Basil. & præposito Ecclesiæ Moguntinensis, pro Episcopatu Basiliensi ivisset ad Papam, Papa sibi, videlicet Henrico, non illi, de Episcopatu providit. Hic regi familiarissimus est effectus.

Petri Reich præpositus Basil.

Ottocharus Bohemus Rudolfo bellum infert.

Rex autem congregato forti exercitu, Bohemiam contra Ottocharum est profectus, cum quo ipse Basiliensis Episcopus cum C. dextrariis ivit in propria persona. Transeuntes autem sylvam Bohemiæ per invasores, quasi fugientes, damna plurima sunt perpessi. Episcopus autem Basiliensis tenens extremam exercitus custodiam, invasores iterum venientes invasit, qui in amnem fugientes more solito, transire credebant. Episcopus verò personaliter in flumen prosiliens, quem sui sequebantur, cepit eos, quos nudos ligans super equis secum duxit ita diu, quousque fuerunt à muscarum corrosione perempti: nec amplius talibus fuerunt infestati. Dicebatur autem de magna multitudine inimicorum latitantium in sylva. Quod cùm Rex dixisset Episcopo: statim

Episcopus procuravit, quòd ducenti galeati ultra flumen juxta Regis exercitum processerunt. Quærenti autem Regi, qui essent illi galeati & ignoti, Episcopus respondit: pro vobis sunt illi. Rex habens tædium de illis, rogavit Episcopum ut abirent: qui jubente Episcopo abierunt.

Cæsar Bohemo occurrēs.

Venit autem Ottocharus cum exercitu innumerabili contra regem. Rex autem non in signis regalibus, sed in armis non signatis & rubiginosis prodiit in conflictum. Venit autem quidam Valens ad regem, cupiens ab eo donum, eo animo ut sibi serviret. Quod cum Rex renueret, venit ad Ottocharum: & illius dono recepto, promisit regem, quantumcunque se abscondentem, positurum ad terram. Videns Ottocharus exercitum regis, & quòd eum (quod credidisset) vitare nolebat, accessit dictum Zewusch Bohemum potentem, cujus fratris filiam ipse Ottocharus dolosè cognovit, & patrem ejus in turri igne occidit, dicens illi, quòd ignosceret, si quid unquam mali egerit contra ipsum, ut perpetuò ditaret eundem. Ille verò respondit quòd pro eo fideliter pugnare non posset: segregans se cum Ottocharo cum electis duobus millibus Bohemorum.

Rudolfus de Rhein eques Basil.

Appropinquantibus autem timorosè & paulatim exercitibus ad conflictum, Rudolfus de Rheno miles Basiliensis, sonora voce cantavit, quod per ambos exercitus audiebatur: *Domina sancta Maria, Domina sancta*, quod tempore Litaniæ rustici cantant. Præordinaverat autem Henricus Marchio de Hochberg, quòd quandocunque ipse tempore conflictus acclamaret, *ipsi fugiunt, fugiunt*, idipsum cæteri etiam accclamarent: quod & factum est, per quod territi sunt Bohemi. Henricus quoque Schorlin Suevus, Episcopi Basil. servitor, habens equum indomitum, pressuram bormis seu acici exercitus regis sufferre non valens, tacto equo cum calcaribus, primus Bohemos invasit. Dixitque Rex: Tempus est ut ille juvetur. Initoque conflictu, prædictus Valens, qui donum ab Ottocharo recepit, cognoscens regem quamvis absconditum per scapulas proclives, occiso equo regis, regem prostravit in terram. Quo Valente ab aliis occiso, cum servitores regis pro illius erectione se occupare vellent, dixit Rex: non curetis de me, non est vis de uno homine, sed progredimini ad conflictum, & juvetis alios. Illi dimisso rege prostrato, trudentes & progredientes viriliter, Ottocharum occiderunt: imò eo capto, ipsum finito conflictu quidam Bohemus occidit, cujus relictam prædictus Zewusch postea recepit uxorem, quem Wenceslaus Rex, Ottochari filius, postea decollavit. Reliquit enim Ottocharus filium & filiam, quibus Romanus Rex prædictus Rudolfus suos liberos copulavit, dans Wenceslao unam filiarum suarum, & sorori ejus filium suum Rudolphum, cui sorori dominium de Kiburg quod ipse Rex sibi retinuerat, morganitico jure donavit. Rudolfus verò Dux postea moriens unicum filium Joannem Ducem, Alberti regis occisorem, reliquit. Wenceslaus verò Rex Bohemiæ absq; briga vivens quietè & sine armis in lecto moriens, filium & duas filias ex prædicta uxore reliquit. Filius factus Rex per traditionem clam in lecto occisus est. Unam filiarum habuit Henricus Dux Karinthiæ, quem pro rege receperunt Bohemi: qui tamen propter infestationes Alberti regis, qui & ipse filium suum Rudolphum primogenitum ibi regem constituerat, possessionem pacificam habere nequivit. Aliam verò filiam wenceslai, diu postea occisi, successivè Adolpho & Alberto regibus, & creato Heinrico Comite de Lutzelburg Romanorum Imperatore, recepit in uxorem, & regnum Bohemorum cum ea, Joannes filius Imperatoris ejusdem. Occiso itaque Ottocharo, Rudolphus Rex in Austriam pergens, diu quousque omnia bene disposuit, permansit in Vienna.

Ottocharus prælio victus & occisus 1278.

Yuanus dynasta Vngarus supplicio affectus.

Erat autem quidam potens Comes Ungarus, nomine Uwan, qui regem & Austriam plurimùm infestavit, pluries pacta inita inter ipsos infringens. Pro quo Rex verbis pacificis misit in dolo, & cùm venisset Viennam, timorque magnos irruisset super eum, accedens mensam, bibit de cypho regis, dicens: Modò sum securus, quia bibi cum probiore vivente in hoc mundo. Verùm statim post mensam arreptus, sub glacie est submersus. Videns autem quidam de Liele magister militum regalis curiæ arreptionem, irruit in gladium suum pro illius Comitis defensione. Rege verò dicente: desiste, quid ad te? ipse videns perfidiam regis, mœrens quievit. Quidam verò miles probissimus, qui eundem Comitem jubente rege illuc conduxerat, videns quæ fiebant per se impediri non posse, quasi amens factus, postea præ verecundia latitavit.

Cum autem in Vienna nocte famuli euntes pro vino spoliarentur, & resistentes vulnerarentur: Fridericus Comes de Liningen, qui cum rege erat, quadam nocte, assumens, Gruem

Gruem militem suum dictum Kranich/personaliter cum milite solo ivit pro vino, circuiens undique cum cantharo tanquam garcio, omnes ribaldos in eum irruentes occidit, & omnibus illis amputatis capitibus, Kranich miles cujuslibet caput posuit super ventrem occisi. Manè autem facto, plures civium filii occisi reperti sunt in plateis, & magnus clamor factus est per cives coram rege, de occisione filiorum suorum, ipso in civitate stante. Quis autem fecisset, nemo scivit. Progrediente autem rege ad Missam, & sequente eum Friderico Comite, viderunt unum in strata occisum, non tamen caput supra ventrem habentem: & clàm dicente Friderico ad Gruem, se illi non rectè fecisse; Rex audiens duorum colloquium, tacuit. Sed pòst in Camera sua quærens à Friderico & audiens ab eo facti seriem, ipsum commendavit: de cujus Friderici consobrini regis gestis nobilibus, integra historia opus esset. De Viviano etiam cive Basil. socero prædicti Schorlin, quanta in prædicto conflictu peregerit, & de mirabilibus factis ejus, ad præsens relinquo.

Reliquit autem rex cum filio suo Duce Alberto multos Suevorum in Vienna, quorum unius scil. de Walsee liberi postea propter eorum virtutem constantiæ ditissimi sunt effecti: ita quòd, qui per pedes venerant in Austriam, finaliter decem millium marcarum reditus habuerunt.

Incrementa Dominorum de Walsee,

Veniente autem rege Nurenberg, Henricus Schorlin, filiam hospitis sui speciosissimam, violenter corrupit & stupravit. Cùm autem populus commotus, à rege propter hoc judicium postularet: rex diu protrahens, cum se nemo interponeret, tandem dixit commotus: de illo judicabo, & in hoc loco judicans, quàm diu vixero judicabo. Perterriti autem Nobiles & populus civitatis, videntes quanta ille affectione diligebatur à rege, Henrico Schorlin puellam in conjugem legitimam copulabat, & ducentas marcas argenti eis dabat, & sic clamor contra Henricum cessabat.

Henrici Schorlini facinus.

Rediens autem rex ad Rhenum cum Episcopo Basil. castrum & oppidum Brundruti, quod Comes montis Biligardi tenuit, quod antiquitus fuisse dicebatur Ecclesiæ Basil. obsedit. Quo tum victo, Ecclesia Basil. deinde quietè possedit. Construxit etiam ipse Episcopus de auxilio regis castrum *Goldenfels* ultra *Brunndrut*, in territorio Gallicorum, terram quæ circa est attrahendo. Cumque Comes Novicastri, dicens se advocatum super oppidum *Biele*, terram usque ad Biele in sua potestate teneret, prædictus Episcopus castrum *Schlossberg* ædificans, illam terram per duas leucas Ecclesiæ suæ Dominio attrahebat. Item in valle S. Immerii castrum forte *Arguel* ædificans, inibi meatum Gallicorum præclusit.

Pourrentrutum ad Ecclesiam Basil. revocatum 1283.
Goldenfels.
Schlossberg.
Arguel.

Item Episcopus post multos bonos actus & strenuos, & utiles Ecclesiæ Basiliensi, ad Maguntinum Archiepiscopatum promotus, Petrum Divitis, mediante favore Papæ, ad Ecclesiam Basiliensem promovit.

Ex Episcopo Basiliensi Elector Moguntinus

Rex autem nullum motum habens ad Italiam, forsitan quia vidit cæteris multis malè successisse: misit prædictum Henricum Episcopum Basiliensem, cum membranis sigillo suo sigillatis, ad civivatem*Romanam, qui ibidem sedi Apostolicæ Romandiolam & quædam alia, in damnum grave Imperii dedit: ibi habitis quibusdam tractatibus nomine regio sigillavit.

1286.
**alii Cumanam.*

Ipse quoque Henricus factus Archiepiscopus strenuè multa peregit: volensque visitare Episcopatum Constantiensem, Rudolfus de Habspurg Episcopus Constantiensis filius patrui regis, sibi restitit. Quibus ambobus postea coram rege constitutis, & instante Archiepiscopo pro visitatione: Episcopo verò dicente, modicum esse Episcopatum suum & pauperem: illo verò dicente, se benè scire qualis esset: Episcopus respondit: Bene credo, quia soleis vestris sæpius percurristis eum, quàm ego unquam potuerim equitare. Ultimò tamen dixit rex, eum admitti debere & admissus fuit ad visitationem. Fuerunt autem tres fratres de Habspurg, filii patrui regis, sc. Rudolfus Episcopus Constant. Gotfridus Dominus in Lauffenberg, & Eberhardus qui dicebatur de Kiburg.

Scommata in Archiepisc. Franciscanum jactum.

Habuit autem Archiepiscopus majorem affectionem ad milites quàm ad clerum. Unde quadam vice habens festum, cum clerici citiùs quàm milites sederent ad mensam, dixit Archiepiscopus: bini & bini milites, recipiant unum clericum pro pulvinari. Unde & super ejus morientis sepulchrum scripsit quidam versus:

Nudipes Antistes, non curat Clerus ubi stes:
Dum non in cœlis, stes ubicunque velis.

Indicta autem Curia Coloniæ per regem,& adducto per eum genero suo, Duce Bavariæ,in die hastiludii progrediuntur centum milites,ad hastiludium parati,omnes ducentes mulierem decapitatam in armis,in despectum Ducis Bavariæ. Quod videns rex, & Ducem de accessu suo arguens,Curia dimissa recessit.

Conflictus proximè Bernam 1289.

Rex quoque postea oppidum *Petterlingen* situm versus Lausannam obsedit, & oppidum *Murten*,de manibus Comitis Sabaudiæ eruens, ad regnū retraxit. Rex quoq; Bernam sibi rebellantem obsidens,& evincere non valens, sed quotidiana lite infestans: tandem Rudolfum filium suum clam cum quadringentis equitibus misit,qui se ponens in insidiis,quosdam abductores pecorum solito more præmisit: quos illi insequentes usq; ad locum insidiarum, capti sunt & occisi. Ipsi verò Ludovicum Comitem de Honberg, Patrem valentissimi Wernharii,primum aggredientium cuspidibus recipientes,necârunt: sicque Berna regi est reformata.

Pseudofridericus crematus.

Cùmque etiam rebellantem sibi Columbariam obsedisset, quidam verò quondam Imp.Friderico simillimus,in inferioribus Rheni partibus seipsum Fridericum fingens,ac Barones & civitates sibi aggregans,usque Wetzflar venisset: rex pertimiscens, admissa cum Columbariensibus concordia, ū gente descendens, ac se illum velle tanquam Imp. venerari fingens, ipsum apprehensum quæsivit unde venisset, & quis esset, & eum crematavit.

Dicitur quoque quòd cum rex Franciæ illis diebus monasterium S. Dionysii,quod Imperio pertinebat,nimis gravaret,& pluries à rege Rudolfo rogatus non desisteret: tandem rege scribente Franco inter singula,quòd desisteret,alioquin in partibus suis ipsum visitaret,per vires & viros, quos sibi felix Germania germinavit: Francus se nolens inbrigare cum illo, à gravaminibus cessavit & quievit.

Rudolfus Burgundos bello petit pro Episcopo Basil.

In diebus illis cum Petrus Basiliensis Episcopus habens litem cum Gallicis vicinis, succubuisset in conflictu, militum præsertim Basiliensium magna multitudine captivata: Rex Rudolfus pro illorum recuperatione veniens,Bisuntium potenter obsedit: ubi manicas Wambasii sui fractas,cum novis peciis reparans, dedit exemplum aliis ita faciendi. Dux autem Burgundiæ cum omni quasi potentia Gallicorum, cum exercitu maximo se posuit contra regis exercitum,ne regi victualia possent afferri: ita quòd uno die regis exercitus in victu defectum maximum est perpessus. Videns autem rex rapas in campo, rapam unam rasam comedit. Quod videntes alii,admirati de eo, omnes quodammodo rapis sunt saturati.

Rex autem retrocedens ad Gallicorum exercitum in valle positum juxta ripam, in montem desuper se recepit,ita quòd unus exercitus in alterum posset respicere: & in sero tractans cum satrapis suis,de ineundo mane conflictu, cum quidam ex eis miraretur, addens,de quo vivere vellent? rex ipsum inanem habere curam, respondit dicens: Si ipsos vicerimus,victualibus eorum vescemur: si nos vicerint,cùm Nobiles sint, dabunt victum captivis. Ipsisque sic tractantibus,nox accessit.

Theobaldus Comes in Pfirt.

Erat autem tumultuosum murmur in exercitibus, ut moris est. Et ecce quidam de Suitia,quorū rex mille ducentos habuit,soliti currere in montanis,descendentes montem,irruerunt in castra Theobaldi Comitis Ferretarum,qui fuit adjutor in acie Gallicorum,& aliquibus occisis,ipsius spolia deferendo,& plurima laniando; ita quòd in valle facta est commotio clamorosa. Gallicis quoque tractantibus de præcludendo regi discessu,cùm arbitrarentur,se propter eorum multitudinem, & quia non erat aptus descensus ad eos,securos à conflictu: quidam ex eis dixit,Nosco regem talem,etsi deberet manibus & pedibus repere,nos invadet.Sicq; timentes,diluculo solennes ad rēgē pro concordia nuntios destinârunt. Cumque rex aliud nollet, nisi ante omnia captivis liberè restitutis: Dux & majores Burgundiæ se Basileā corporaliter præsentârunt,ibi de concordia tractantes. Vasalli Imperii quoque præstita fidelitate,sunt de regalibus investiti. Dicitur etiam,regem in ipso exercitu dixisse,se in qualibet mundi parte cum electis quatuor galeatorum,& quadraginta peditum armatorum de Alemannia millibus, stare invictum: æstimans hos omnem multitudinem aggressuros.

Cæsaris secunda nuptiæ.

Mortua autem domina Anna de Hohenberg regina,& in choro Ecclesię Basiliensis cum duobus filiis sepulta: rex filiam sororis regis Franciæ in senio juvenem recepit uxorem,quæ tamen post mortem regis rediit satis egens.

☞ Rex autem Rudolphus cum Anna de Hohenberg, sorore Alberti de Hohenberg,

berg, habuit tres filios: inter alios Rudolphum, Albertum & Hartmannum. Qui Hartmannus apud Keynow, in Rheno periit, & cum matre & parvulo fratre Carolo in choro Basiliensis Ecclesiæ est sepultus. Item habuit sex filias, quarum unam habuit Dux Bavariæ superioris, alteram Dux Bavariæ inferioris, tertiam Dux Saxoniæ: quartam Dux Uratislaviæ: quo defuncto, recepit Marchionem in Brandenburg: quintam habuit Rex Wenceslaus Bohemiæ, filius Ottochari, per ipsum Rudolphum Regem occisi: sextam habuit Carolus primogenitus Regis Siciliæ sive Apuliæ. *Rudolfi Cæsaris liberi.*

Ex Rudolfo filiorum primogenito & sorore Wenceslai, descendit Joannes Bohemiæ Dux, occisor prædicti Alberti. II.

Ex Alberto, qui habebat Elisabet, filiam Comitis Tirolis, antequã pater promoveretur in regem, quem Comitem ipse rex postmodum Ducem Carinthiæ creavit, creati sunt: 1 Rudolfus primogenitus, qui factus est rex Bohemiæ, & filiam regis Franciæ ducens, sine liberis est defunctus. 2. Item Fridericus, in Romanorum Regem in discordia electus & coronatus: quia ex filia regis Arragonum sola relicta filia, quæ postea Comiti *Carinthiæ data est, sine liberis est defunctus. 3. Item Dux Leopoldus strenuissimus, qui relictis duabus filiabus, ex filia Comitis Sabaudiæ, quarum una postea data est Duci de *Sueinitz* Silesiæ, alia Domino de Cusin Franciæ, sine aliis liberis defunctus. 4 Item Otto Dux, ex filia Ducis Bavariæ inferioris duos relinquens filios, Fridericum & Leopoldum, qui mortui sunt sine liberis. 5. Item *Dux Austriæ, qui ex filia Comitis Ferretarum habet filios & filias: quorum Rudolfus primogenitus habet filiam Caroli Imper. & Bohemiæ Regis. 6. Item Agnes, ducens Andream Regem Ungariæ, sine liberis est defuncta: quæ hodierno die ducit vitam sanctam & beatam. 7. Item *Ducissa Lotringensis, ex qua Rudolfus filius, & Rudolfus nepos, & domina de Chabilone sunt nati. 8. Item Catharina desponsata Henrico Imp. eoque defuncto Duci nupta Calabriæ, filio Regis Ruperti Siciliæ, sine liberis est defuncta. 9. Item * comitissa de OEtingen. III. *Alberti Regis liberi.* ** fortè Goritiæ.* ** Albertus.* ** Elisabet.* ** Guta* *Progenies filiarum Rud. Regis.*

Ex filia Rudolfi Regis in inferiori Bavaria, † IV. V. *† supplendum fortè, nulli processerunt.*

Ex superiore Bavaria nati sunt, Rudolfus primogenitus, Dux & Palatinus Rheni, Ludovicus Romanorum Imperator quartus, & Lantgravia Hassiæ. Ex Rudolfo & Metza filia Adolfi Regis Romanorũ, ejus conjuge, descenderunt: Adolfus, Rudolfus & Rupertus minor, quem Arnestũ nominant, cujus mater fuit de OEtingen & de Wirtenberg: qui Arnestus filiam Regis Siciliæ duxit uxorem. Ex Rudolfo & filia Ducis Carinthiæ, descendit uxor Romanorum & Bohemiæ Regis. Ex Ludovico Imperatore descenderunt: ex Polona, Ludovicus & Stephanus filii, & Marchionissa de Missen; ex Holanda autem, descenderunt Romerius Marchio Brandeburgensis, Wilhelmus Comes Holandiæ, & Albertus, & duæ filiæ, quarum unam habet frater Regis Ungariæ, aliam Masturus Dominus Veronensis. Ex Ludovico primogenito Marchione in Brandenburg & filia regis Daciæ, descendit filia nupta regi Norwegiæ: ex filia verò Ducis Carinthiæ, ablata Joanni Bohemi propter impotentiam, nati sunt filii & filiæ. Ex Stephano & filia Regis Siciliæ, & postea ex filia Burggravii de Nurenberg, multi filii & filiæ sunt creati. Ex Marchionissa Missenensi plures filii & filiæ creati sunt.

Ex Saxonia, Rudolfi Regis filia, plures Saxoniæ Duces sunt creati. VI.

Ex Ducissa Uratislaviæ, postea Marchionissa in Brandenburg, Volmarus & quidam alii Marchionis nati sunt. VII.

Ex Regina Bohemiæ, ipsius Rudolfi Regis filia, & ex Wenceslao rege, descenderunt Wenceslaus filius, qui rex factus sine liberis est defunctus. Item duæ filiæ, quarum unã habuit Henricus Dux Carinthiæ, ex qua descenderunt duæ filiæ: aliam habuit Joannes Rex Bohemiæ & Marchio Moraviæ, unde Carolus Imperator descendit. Ex carolo Romanorum Imperatore, & sorore Regis Franciæ, descenderunt duæ filiæ: una Regina Ungariæ, quæ sine liberis est defuncta, alia Ducissa Austriæ. VIII.

Ex Regina Siciliæ ipsius Rudolfi filia, descenderunt Carolus successor Patris etiam Rex Siciliæ, sed per Patrem Rupertum & per Papam ejectus, & de adjutorio Alberti Regis Romanorum avunculi sui Hungariæ rex creatus. Item Delphina, ex qua duo Delphini filii sunt nati: Item Clementia Regina Franciæ, quæ absque liberis est defuncta. Ex Carolo rege Hungariæ prædicto descenderunt, nunc Carolus primogenitus, rex Hungariæ; Item Andreas rex Siciliæ, jugulatus per Johannam uxorem & Patruelem suam. IX.

De

De animoso & probo Comite Alberto de Haigerloch & Hohenberg, qui dicebatur esse unus de XII. pugilibus.

Comitum de Hurmingen ditiones Alsaticæ.

Hugeshofen monasteriũ.

ALBERTUS Comes de Hohenberg & de Haigerloch, frater prædictæ Reginæ, Dominæ Annæ, duos comitatus habuit antiquos valde, scilicet *Haigerloch* & *Hohenberg*: et siti sunt in corde Sueviæ, & dicebantur Comites de Hurmingen, & illi Comites fuerunt potentes in Suevia & Alsatia. In Elsatia habuerunt castrum, quod dicitur *Ortenberg*, & magnas villas & totam vallem quæ dicitur Albrechts thal/ cum omnibus pertinentiis. In qua valle duo Domini & fratres de Hurmingen, quorum unus fuit laicus, construxerunt claustrum solenne ordinis sancti Benedicti, in honorem sancti Michaëlis, & procuraverunt eximi ab omnibus exactionibus & muneribus quibuscunque, à Sixto Papa: excepto quòd annuatim debent præsentare ad Cameram Papæ unum marmotinum, hoc est, denarium aureum, qui bene noscitur in Curia, & est minoris valoris, quàm parvulus florenus de Florentia. Nomen claustri, Latinè Hugonis Curia, Teutonicè Hugeshoffen. Prædicti verò duo Domini ambo mortui sunt, & in dicto claustro sepulti, ubi corpora eorum hodierna die requiescunt. Quod Dominium Albertus Comes postea dedit Rudolfo de Habspurg, in dotem Dominæ Annæ, prædictæ sororis suæ.

Marmotinus nummus.

Albertus verò prædictus multa bona fecit tempore suo, & laudibilia. Fuit bellicosus, animosus & probus: & cantatum fuit à quodam magistro, qui dicebatur *Kumier*, quòd idem Albertus esset sustentaculum Romani Imperii totius Sueviæ. Qui Albertus fuit occisus in proprio comitatu suo, per quendam Ducem Bavariæ, juxta castrum Lintstetten, pessimè derelictus à servitoribus suis: quorum progenies hodie prædicto Domino est nota, qui fugitivè recesserunt à Domino suo, sicut canes quibus alligantur vesicæ, quibus impositæ sunt fabæ. Progenies fugientium dicuntur, die Lemmer von Wuringen/ & duxerunt agnum per ista. Et sicut legitur, quòd una ovis interficit totum gregem: ita Dominus eorum interfectus fuit per fugam ipsorum. Utinam fuissent lupi rapaces, qui devorassent corpora eorum.

Familia Hohenbergensis.

**fortè Nurtingen.*

Ex prædicto Alberto descenderunt, Albertus & Rudolfus. Albertus dicebatur Röschmann. Rudolfo existente Albertus mortuus est. Rudolfus multa & laudabilia fecit; & potentior Sueviæ fuit, qui tunc vixit. Et habuit tres comitatus, scilicet *Rotenburg*, *Haigerloch*, *Hohenberg*, exceptis pluribus munitionibus, *Horwe*, **Nordlingen*, *Wersch*, *der Busch*, *Buggingen*. Obsedit etiam Rudolfus Eberhardum de Wirtenberg, & filium suum Ulricum unicum, cum machinis & aliis instrumentis, cum quibus castra & munitiones invaduntur, & duo sibi castra destruxit, & eum obsedit pluribus septimanis cum magnis expensis: quorum unum dicebatur *Hoheneck*, aliud verò *Pfullentz*, & *Gravenwiler* ita destruxit, quòd Domini de Wirtenberg nunquam audebant eum depellere de loco.

Ex Rudolfo & Domina de Werdenberg descenderunt Albertus, Rudolfus, Hugo, Henricus, & una filia. Albertus missus fuit in Constantiam per patrem suum Rudolfum caussa studii, ubi stetit honorificè pluribus annis, & multum profecit in artibus: factus est Canonicus majoris Ecclesiæ, & rector cujusdam Ecclesiæ in Austria quæ dicitur *Rußpach*, & rector trium Ecclesiarum in Suevia, quarum pater ejus fuit Patronus. Postea missus fuit Parisios, ubi stetit pluribus annis cum magnis sumptibus, & profecit in magnum clericum: & legebat jura ad tempus multis audientibus. Postea Licentiatus fuit in Decretis, non caussa Domini sed caussa veræ scientiæ. Postea rediens in patriam, receptus est in canonicum Argentinensem. Mortuo autem Domino Rudolfo Episcopo Constantiensi, electus est in Episcopum; sed in discordia non habuit processum, quia major pars Capituli & Burgenses erant contra eum, qui timuerunt potentiam patris.

Postea factus est Cancellarius Domini Ludovici Imperatoris, & ejus Advocatus Provincialis totius Elsatiæ, in cujus servitio multa peregit, & in solennibus negotiis missus fuit per Imperatorem in Franciam, tunc in Provinciam ad Papam, modò ad Regem

Regem Angliæ, tunc ad Ducem Auſtriæ. Poſtea videns Imperatorem eſſe pigrum, & non multum promotum ab eo, tranſtulit ſe Avinionem, ibi diu ſtetit per longum tempus, ubi proviſum fuit ſibi de Epiſcopatu Herbipolenſi, à Papa Clemente ſexto: ſed non obtinuit, propter potentiam illius de *Hohenloh*, concorditer electi à toto Capitulo. Poſt mortem Domini de *OEtingen*, qui fuit famoſior phyſicus mundi, Papa Clemens ſextus providit prædicto Domino Alberto de Epiſcopatu Friſingenſi, quem potenter & ſine impedimento tenet. Qui fuit virtutibus plenus, ſociabilis, affabilis, largus, ſed minus humilis, quia nimia humilitas parit contemptum.

Rudolfus ſecundo genitus fuit probus, virilis, ſed crapuloſus. Ex quo & domina ſua de Naſſowe, deſcendit unus filius, qui ſepultus eſt in collegio Ehingenſi, juxta Neccarum, quod pater ipſius conſtruxit. *Ehingen oppidum.*

Hugo verò tertio genitus, animoſus, bellicoſus, mitis, virtuoſus, ſociabilis & audax, non curans de futuris contingentibus, ſed exceſſit in multiloquio, contra dogma Catonis:

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam.

& Ariſtotelis: *O quàm ſpecioſum eſt & honeſtum in homine, abſtinere à multiloquio?* A quo & filia Ferretarum Comitis, deſcendit filius.

Henricus verò quartogenitus, animoſus, bellicoſus & prodigaliſſimus erga ſervitores ſuos, ita quòd omnes munitiones & villas eis diſtribuit, exceptis paucis villis & una munitione optima ſuper Danubio quam tenuit, ſcilicet Fridingen vel Neuwen Hohenberg. Qui Dominus Henricus occiſus fuit, & cum eo optima judicia Sueviæ, in Epiſcopatu Curienſi, per Dominos de Bellmont & adjutores eorum, in Montanis. Qui ſepultus fuit honorificè in clauſtro quod dicitur *Salmanſwiler*, Anno Domini, M.CCC LII.

Quædam fàbula de quodam Notario Alberti Comitis de Hohenberg.

FUIT quidam Notarius Domini Alberti Comitis de Hohenberg, qui dicebatur *Capadocier*, ſociabilis, curioſus & ſubtilis, non curans pecuniam, qui fuit rector cujuſdam Eccleſiæ in Schera, nomine *Tieringen*. Rex verò *Rudolfus* libentiſſimè confabulabatur cum eo, in cujus Curia frequenter morabatur propter Dominum ſuum, cujus ſororem rex habuit in uxorem. Quadam vice rex indixit Curiam Principibus in *Franckfurt*, Cappadocier veniens à longè, & vadens ad Cancellarium, invenit menſam paratam, & Cancellarium & notarios ſplendidè prandentes. Sedit verò & ipſe ad menſam, & pauca cibaria dabantur ſibi, licet magnam haberet famem: & ſuperius in menſa erant magnæ ſcutellæ, impletæ optimis cibariis. Ipſe verò vocavit unum de ſervis ſuis, & dixit ad eum: *Redeas* ad modicum tempus, & voca me feſtinanter, & dicas quòd Dominus meus miſerit pro me. Ille verò interim circumvoluit ſecretè menſale, & ſine rotæ calcaris ſui fortiter firmavit. Servus verò intravit, & feſtinanter vocavit Dominum ſuum. Ille ſurgens feſtinanter & menſale cum omnibus ferculis & ſcyphis traxit in terram & exivit ad Dominum ſuum. Rex verò percipiens, quæſivit ab eo dicens: Quid modò feciſti? Ille reſpondit: Dum veni ad menſam Cancellarii & Notarii veſtri, habuerunt fercula diverſa, & dabatur mihi quod ſanæ mentis & corpore infirmus bene comediſſem: tunc egi quòd ipſos mecum oportuit jejunare. Rex verò ridens, reſpondit: optimè feciſti. Ille verò poſtea gratulanter & honorificè tractatus fuit à Cancellario & omnibus Notariis Regis.

Item, quæſitus fuit à rege, ſi haberet Eccleſiam bonam. Ille reſpondit, fortem & bonam Eccleſiam habere, & bonas campanas, ſed quòd Dominus ſuus nimis frequenter acciperet ſibi fructus Eccleſiæ. Quod rex audiens, promiſit ſe acturum, quòd Dominus permitteret fructus cum Eccleſia.

Alia fabula de eodem.

ITEM, Rex quadam die erat in Ulma, ubi oleum nucum erat in cariſſimo foro. Cappadocier dixit, Dominum ſuum habere plures arbores nucum in Comitatibus ſuis quàm

quàm in tota Elsatia & tota Westaugia: idque jurando affirmavit coram multis Dominis, & aliis. Aliqui credebant eum mentiri, & dixerunt regi. Rex verò vocavit Capadocier, & dixit: Quid dicis de arboribus nucum sororii mei? Respondit: Ego dico, & dixi per juramentum Dominum meum plures habere arbores nucum, quàm in tota Elsatia & Westaugia sunt: sed sunt coryli, quæ sunt arbores nuces proferentes, si non magnas, tamen parvas. Rex ridens dixit: Sicut te dimitto, ita te invenio. Multa talia fecit prædictus.

Vasogia.

Alia fabula de quodam milite, qui dicebatur Jacobus Müller *de Thurego.*

RUDOLFUS Comes de Habspurg fuit inimicus capitalis Jacobi dicti Müller, militis Turicensis, antequam fuit electus in regem. Cui quadam vice obvians, cum nullo modo posset effugere manus Comitis, sapiens fuit, & festinanter descendit equum & projecit gladium suum in terram, & extraxit braccam, & sedit in viam quasi merdando. Comes verò & servitores sui venerunt, vehementer exevaginando gladios suos, volentes eum occidere. Ille verò extensis manibus clamavit Comiti: Non decet Dominationi & honestati vestræ occidere merdanten: detis mihi pacem quousque attraham braccam. Comes respondit: Sit ita. Ille verò dixit: Tunc bracca mea nunquam plus veniet ad culum meum. Comes verò hoc audiens, furore repletus, recessit ab eo, & idem postea factus est servitor ejus specialis.

De morte & sepultura Henrici, dicti Frauwenlob/ *magni dictatoris.*

Fabula de Rege Rudolfo

ANNO Domini M.CCC.XVII. in vigilia sancti Andreæ, sepultus est Henricus dictus Frauwenlob/ in Maguntia, in ambitu majoris Ecclesiæ, juxta scalas honorificè valde: qui deportatus fuit à mulieribus ab hospitio usque ad locum sepulturæ, & lamentationes & querelæ maximæ auditæ fuerunt ab eis, propter laudes infinitas, quas imposuit omni generi fœmineo in dictaminibus suis. Tanta etiam ibi copia fuit vini fusa in sepulchrum suum, quòd circumfluebat per totum ambitum Ecclesiæ. Cantica canticorum dictavit Teutonicè, quæ vulgariter dicuntur Unser Frauwen Lied/ & multa alia bona.

Fabula alia.

Rex quadam vice transiens pontem Turegi, cùm vidisset stantem quendam senem sanguineum, cum canorum multitudine pilorum, dixit ad quendam confabulantem sibi: O quot bonos dies in vita sua peregisse potuit ille canus? Quod audiens ille, dixit suaviter: Domine, fallimini, quia nunquam habui bonum diem. Quod quasi audiens rex, quæsivit ab illo, quid factum fuisset ab eo? Respondit & dixit: Se egentem in juventute vetulam, deformem mulierem ratione pecuniæ & divitiarum recepisse uxorem, cum qua diu vivente iracunda, ipsumque præ timore aliarum mulierum corrodentem, dixit, se sic vitam miserabilem peregisse. Qua, ipso jam sene facto, defuncta, illico aliam juniorem recepi, nec illi in lecto complacere possum, vitam cum ea rixosam & duriorem peregi. De quo rex in risum est provocatus.

Dicitur autem, quòd cùm dives quidam mercator, sagacior præ omnibus in mercatura, semper gerens negotia sua verisimiliter pro utiliori, continuè defecisset: quadam vice eum rogavit rex, quærens, si vellet recipere eum pro socio mercaturæ, & consilium suum sequi. Quo annuente, quilibet eorum posuit centum marcas. Dixit autem rex: Volo omnino, quòd Argentinæ emptas haleces traducas Coloniam, & ibi vina empta reducas Argentinam. Cui consilio ille socius, quamvis nimis & meritò territus, acquievit. Erat autem eo tempore Argentinæ tanta multitudo halecum, quod quasi pro nihilo vendebantur: & cùm venisset Coloniam, accidit quoddam periculum in lacu, ubi haleces piscantur, quòd non erat spes illo anno de halecibus capientibus, itaque mercator valde in halecibus lucrabatur. Accidit autem quòd tanta multitudo vini descenderat per Rhenum ad partes inferiores, quòd vina leviori foro & pretio vendebantur Coloniæ, quàm in Alsatia. Vina itaque tunc super curribus Argentinam ducens (cùm interim vineæ repentina geliditate perirent) illa pretio vendidit triplicato: ita quòd rex & ipse maximè sunt lucrati. Dixit ergo rex: Oportet quandoq; contraria, non semper lucri verisimilia inchoare.

Furti astuta indagatio.

Venit autem quadam vice quidam mercator clam ad regem in Nürenberg/ indicans

dicans regi, quòd hospiti ibidem noto & famoso commiserit ducentas marcas argenti ad conservandum, quas hospes se recepisse negabat. Rex autem sciscitans, in quali sacco esset argentum mercatorem abscondit. Venientibus autem civibus, & inter illos hospite ad alloquendum regem, Rex alloquens jocosè hospitem sibi notum, videns eum pulchram valde habere mitram in capite, sicut tunc moris erat: dixit Rex, se oportere mitram eandem habere: & ipsam extraxit de capite illius. De quo hospes ridens, gaudebat. Proposito autem sermone civium, Rex pro consilio intravit cameram, & clam quendam de civitate cum mitra pro intersignio misit ad uxorem hospitis, quòd ipsa hospiti talem saccum cum argento illico destinaret. Quod cum illa fecisset, nuncius ille regi præsentavit argentum. Quo ostenso mercatori, & illo dicente suum esse: Rex abscònso argento, & vocato ad se hospite solo, ei querelam exposuit mercatoris. Quo negante præcisè, mercatore verò asserente instanter: Rex producto sacco hospitem nimis territum de fraude convicit. Redditoque mercatori argento, hospitem prædivitem in substantia bonorum mulctavit.

Rex quadam vice à Henrico Marchione de Hochberg, qui parcè dicebatur vesci, quid comederet, requisivit. Quo respondente, quòd & ipse & sui comederent unum pulmentum cum carnibus, & ipse & uxor ejus unum caponem, & qui plus habere vellet, acciperet alibi: rex respondit, Verè non malè comedis, si sic facis. *H. Marchio Hochbergensis.*

Deficiente tandem rege præ senio, & dicentibus sibi Medicis, quòd ultra certos dies durare nequiret, ipse dixit: Eamus Spiram ad alios reges inibi in majori Ecclesia sepultos. Et manens in oppido Germersheim juxta Spiram, ibique moriens Spiram deductus, & in sepulchro regali honorificè est sepultus: anno regni ejus XVIII. cujus epitaphium in silice superposito sculptum, tale est. *Rud. Regis obitus 1291.*

ANNO DOMINI, M.CC.LXCI. PRIDIE CALEND. OCTOBRIS,
OBIIT RUDOLFUS DE HABSPURG, ROMANORUM REX.

Mortuo itaque Rudolfo, & veniente Alberto Duce Austriæ filio ejus (pro quo eligendo Principes Electores miserant) cum magnis expensis usque Hagenow: Adolfus Comes de Nassauwe in Regem Romanorum à Principibus Alemanniæ concorditer est electus: à quo idem Albertus de feodis suis, præsertim Ducatu Austriæ, investitus, in Austriam est reversus. A quo Duce cum postea missis legatis Rex peteret, filio suo Ducis filiam copulari: Dux respondit: Se, si posset ex filia sua facere Principem, hoc facturum. Vel, quòd Rex filiam suam uni ex filiis Ducis conjungeret, quem se Principem facturum promitteret. Ex quibus & aliis inter Regem & Ducem odium est subortum. Rex autem Metzam filiam suam Rudolfo Duci Bavariæ Palatino in uxorem copulavit, qui ex ea genuit tres filios: Adolfum, Rudolfum, & Rupertum. Intoxicatus autem Dux Albertus in Austria, & diu per pedes suspensus, oculum perdens evasit. *Adolfus Rex Rom. renunciatus.* *Albertus Austriacus uno oculo captus.*

Iisdem temporibus Bonifacius Papa octavus Columnenses persequebatur ad unguem, Cardinalibus de Columna depositis, aliisque plurimùm molestatis. Fovens autem Rex Franciæ Columnenses, Papam persequebatur odio capitali: propterea quòd Papa in odium Franci Regem diligebat Adolfum. Rex autem Angliæ propter antiquam Dominiorum guerram, cupiens aggredi Francum, centum millia marcarum argenti pro auxilio sibi promisso, sed non præstito, Adolfo Principi destinavit: qui Rex Rom. infideliter agens, se non disposuit ad bellum, sed à Marchione Missenensi, nepote olim Friderici Imp. ex filia, odio habente filium suum, eundem Marchionatum emit, & tempore brevi possedit, exceptis quibusdam munitionibus: quia filius Marchionis, Fridericus nomine, ejecto Principe, occupavit eundem. Princeps autem Misniam potenter ingressus, crudelia multa peregit. Unum enim castrum vincens, CL. qui Domino suo castrum manu tenuerant, decollavit. *Marchionatus Misniæ ab Adolfo emptus.*

Cuono autem de Bergheim miles, præses Principis in Alsatia elatus, infestans C. de Lichtenberg Episcopum & etiam cives Argent. contra eos Principem incitavit. Illi autem oppidum Cunonis Sermersheim/destruxerunt, & post obitum Regis idem Episcopus castrum Crax Cunoni destruens, lapides quadros ad constructionem oppidi Lichtenawe traduxit. *Sermersh. opp. Alsatiæ.*

Princeps autem Columbariam, quæ sibi fidelitatem fecerat, rebellantem, obsedit: cui inter alios aderant Episcopus Basil. & Comes Ferretarum. Multi autem baronum,

Colmaria à Cæsare obsessa 1293.

scilicet de Liechtenberg & Rapoltstein, & alii Episcopi Argentinensis consanguinei, in oppido existentes, cùm per quosdam plebejos porta de nocte aperiretur Principi, effugerunt, & fugientium multi sunt comprehensi, inter quos Anshelmus de Rapoltzstein vix decollationem evasit. Captum etiam Waltherum Sculretum Columbariæ, & Joannem filium ejus per Episcopum Basiliensem, Rex omnino eos habere volens, sed eis propter officium Episcopi vitam reservans, patrem omni die longo tempore fecit ligari super rotam erecta manu, in signum perfidiæ, & per vias & civitates ante se duci, & tandem in turri servari: ubi patre extincto, filius post mortem Regis est liberatus.

Intenderat autem Princeps facere brigam Duci Austriæ: propter quod multi Australium superbiebant contra Ducem. Dixerat enim Dux: Si Dominus meus Romanorum Rex stipendiarius est Anglici factus, & ego minore dedecore stipendiarius ero Franci. Plures autem electorum Principum & specialiter Gerhardus Moguntinus, Principem ipsis æstimantem ingratum, Duci, quòd veniret ad Rhenum, nuntios & literas destinârunt. Dux autem timens se à Rege in Austria visitari, allata secum pecunia, partes Rheni & Sueviæ est ingressus: malens in partibus consanguineorum suorum potiùs Regi litem inferre, quàm in Austria visitari. Rex autem ascendens, Cunradum de Liechtenberg Episcopum Argent. Duci faventem, in Rubiaco oppido diu potenter obsedit.

Albertus Austrius contra Adolfum arma capit.

Fuerant autem quatuor Duces Bavariæ fratrueles, Rudolfus & Ludovicus fratres, superioris: Stephanus & Otto inferioris Bavariæ Duces. Veniente autem Ottone in auxilium Regis, Albertus strenuissimus Comes de Hohenberg in Suevia ei obstaculum ponens, ab eo est in conflictu occisus.

Cùm Dux Austriæ veniens de Suevia cum exercitu, juxta oppidum Kentzingen castrametaret, Rex in Rubiaco eundem locum accessit. Cumque propter flumen Eltzam exercitus se mutuò invadere non possent, oppidumque Regi aperiretur: Dux cum hostili exercitu Suevorum & Rhenensium equitum descendens, Moguntiam venit, ibique à quibusdam Principibus quasi congregatis, regemque tanquam inutilem Reipublicæ & Imperii destructorem destituentibus, in Romanorum Regem est electus. Cumque Regi Adolfo post eum descendenti, adesse nimiam multitudinem populi assistentis sentiret; se doluit descendisse, & ascendens juxta montem *Dornsperg*, prope Wormatiam, expectavit. Rex autem fervens, metuensque Australem aufugere, non expectato peditum exercitu suo, cum equitibus suis celeriter sequebatur. Argutus autem à suis, dicentibus, aciem equitum esse minus fortem, noluit assentire. Aspiciens autem exercitum Ducis, quem credidit non mansurum, dixit: Verum dixistis, nostrum exercitum nimis brevem esse. Illis verò dicentibus, modò neglectum esse, inierunt conflictum. Erat enim Rex animosus valde. Australes autem habito consilio, exercitum suum declinaverant, ut acies Regis obvium haberet Solem. Ipsisque aggredientibus, multisque hinc inde occisis & præ calore extinctis, inter quos Otto Dominus de Ochsenstein vexillifer Alberti, & Ludovicus Monachi, Pater valentis Petri custodis Lutenbacensis, cum aliis, caloribus sunt extincti. Rex ipsum Albertum aggrediens dixit: Non evadetis, sed hîc Imperium dimittetis. Ille verò dicens, hoc est in potestate Dei, Regem juxta oculum vulneravit gladio. Prostratus autem Rex in terram per Comites Sylvestres & alios quos læserat, per quendam armigerum descendentem de equo levata Regi galea, modico in collo vulnere est occisus. Quod videns Dux, nullum amplius occidi, sed capi præcepit. Sicque Adolfus, cum octo annis regnasset, nolens expectare suos, stultitiæ furia est occisus, & in monasterio *Frowenfeld*, ad quod præsente Alberto venerunt, est sepultus. De quo scripti sunt versus:

Adolfus Cæsar in conflictu occumbit, 1298.

Anno milleno, trecentis bis minus annis
In Julii mense Rex Adolfus ruit ense
Per manus Austrani, Processi & Martiniani.

Victo autem Regis exercitu, cùm Rex per garciones spoliatus, omnino nudus jaceret, Moguntinus scilicet Gerhardus de Eppenstein occisi consanguineus, & machinator facti, videns Regem, flevit, dicens: cor validissimum periisse. Dux autem timens eundem G. Moguntinum variare promissa sua, dixit ei: A me non recedetis, meo negotio non perfecto.

Albertus Austrius rex Roman.

Occiso itaque Adolfo, Albertus Dux Austriæ occisor, ab omnibus principibus est electus,

electus,& Aquisgrani solenniter est coronatus. Quem Papa Bonifacius diu odio prosequens,& læsæ majestatis crimine reum dicens,tandem similiter in odium regis Franciæ approbavit. Quem Albertum cum Papa contra regem Franciæ instigare vellet, ille se hoc non facturum,nisi sibi & hæredibus suis regnum & Imperium confirmaretur per sedem,respondit. Quod si hoc sibi fieret,aut se Francum expulsurum de regno, aut se per hoc moriturum, promisit. Noluit enim in hæredum destructionem se tanto periculo exponere,pro incerto. De quo cùm multum tractaretur per Sedem,tandem in contrarium resedit consilium. Recensuerunt enim,quantum à tempore promotionis Rudolphi regis Patris sui illa fuerit progenies exaltata: in servitutem redigi se timentes. Dixit ei Papa: Non fiet vivente ista Isabel: denotans Elizabet Reginam,quæ ex matre soror extitit Chunradini.

Institutio anni Iubilæi 1300.

Hic Bonifacius alludens suo tempori, centesimum annum statuit Jubileum,quod ante eum nunquam aliquis attentavit:in quo sc.millesimo trecentesimo,Romam multitudo maxima Christicolarum confluebat. Hunc Bonifacium Columnenses de auxilio Franci Anagniæ captivarunt, qui tentus, necdum illos absolvere voluit: imò amplius maledixit,& præ ira manus corrodens,tandem liberatur per Rom. Egrediens de Anagnia,conversus ad eam dixit: Si non meminero tui,oblivioni detur dextera mea. Verum breviter expiravit.

Hic est Bonifacius,de quo dicitur,quòd Cælestino prædecessori suo,viro utique sancto,de quo Curia doluit se in lucris non proficere, per longam cannam loquebatur ad lectum, *Cælestine cede, Cælestine cede*: quo etiam cedente,& Bonifacio tanquam certissimo creato,tamen populus adhuc Cælestinum venerabatur ut Papam. Bonifacius hoc sub excommunicationis pœna prohibens, constitutionem edidit, quo Papam posse renunciare papatui declaravit: quia multi asserentes contrarium, eum Papam negabant. Hic condidit sextum Decretalium,in quo claritate & venustate dictionis omnes qui unquam in jure scripserant,antecessit. Edidit etiam constitutionem *Super Cathedram*,gravem Minoribus & Prædicatoribus. Quo mortuo, Benedictus X I. successor, qui fuit Prædicator,fecit constitutionem, *Inter cunctas*, per quam revocavit aliam. Quo etiam sub Alberto Rege mortuo, creatus est Clemens V. Vasco, qui constitutionem *Super Cathedram* renovavit. Ex tunc Curia fuit à Roma translata: primò enim fuit in Burdegali,postea super Rhodanum.hic concurrit cum Heinrico Imperatore.

Benedictus II. Papa.

Curia Pontificia in Galliam translata

Alberti Regis liberi.

Iste Albertus rex monoculus,potens in regno Alemanniæ, & inibi filiis suis omnia quæ potuit attrahens,partes alias non curavit. Habuit n.sex filios: Rudolfum primogenitum,qui cum relicta,secunda scilicet uxore Wenceslai regis Bohemiæ(filio ejusdem regis mortuo) contrahens,& rex Bohemiæ effectus,sine liberis est defunctus. Fuit autem eadem relicta de Polonia: prior n.uxor soror fuit Alberti regis. Item habuit Fridericum,elegantem,formosum & fortem: Leopoldum bellicosum & prudentem, Henricum,Albertum & Ottonem. Unam filiarum suarum Andreæ regi Ungariæ copulavit: cujus Andreæ Pater olim de regno Ungariæ ejectus,Venetiis filiam ditissimi civis ducens, ex ea hunc Andream genuit. Qui veniens ad Curiam hujus Alberti adhuc Ducis Austriæ,& receptus in regem Ungariæ,petiit Alberti filiam. Quod cum Dux renueret,dicens,eum mercatoris filium: ipse Ungarus Viennam in omni parte obsedit,& ad dandũ sibi filiam Ducem coëgit,dans filiæ Presburg & multas alias munitiones jure morganitico: cujus fratres postea Henrico & Friderico Ducibus Austriæ,Carolus rex Ungariæ ab ipsis *Presburg* extorsit. Quo Andrea sine liberis defuncto,relicta in loco occisionis Patris sc.Königsfelden vitam cœlibem diu duxit. Item aliam filiam nomine Elsam dedit Duci Lotharingiæ,quæ ex eo Ducem Rudolfum Lotharingiæ procreavit. Tertiam filiam dedit Woldemaro Marchioni Brandenburgensi: quo mortuo sine liberis,ipsam dedit Duci in Presla Poloniæ: Item relictam Comitis de Strasberg, sororem Ottonis de *Ochsenstein*, consobrinam regis,ipse rex Albertus dedit Rudolfo Marchioni de Baden.Item unam filiarum ejusdem relictæ Rudolfo juniori de *Baden*,senioris filio,& aliam walthero Domino de *Horburg* matrimonio copulavit:quæ filiæ sine liberis obierunt.

Hic Albertus cum magna potentia descendens,Comitatus Holandiæ & Selandiæ, qui vacaverunt Imperio,& quos Comes de Henegowe occupaverat, apprehendere volens,præmonitus à fratruele sua de Kiburg, uxore Comitis de Cleven,quòd omnes inferiores Principes contra eum convenerant: sic quod infecto negotio est reversus.

Carolo, nepos Alberti ex sorore, Rex Hungariæ.

Mortuo autem (ut præscribitur) Andrea Rege Hungariæ, & Ottone Duce inferioris Bavariæ recepto in Regem, & postea per Magnates Regni capto, & commisso custodiæ Comitis Transsylvestris, & per uxorem ejusdem Comitis absentis, consanguineam ipsius Ottonis liberato, & ad Prussiam, deinde Bavariam remisso: mortuoque illis diebus Carolone Rege Siciliæ, ac Carolone quarto filio Regni hærede, per Robertum patruum suum Regni occupatorem excluso, ac Regno Hungariæ (ut præmittitur) vacante, eidemque Caroloni quarto, filio sororis Regis Alberti, ad instantiam Roberti, de Regno Hungariæ per Papam proviso: Albertus Rex eundem nepotem in Regnum Hungariæ traducens, ipsum potentem effecit: quæ ejus potentia postea pluries liberis Alberti Regis in perniciem conversa est. Ipse namque Carolo strenuè se tenens, ejectis pluribus Magnatibus Regni, potentissimus est effectus. Accepit autem filiam Regis Cracoviæ, filiam sororis Regis Lithuaniæ gentilis, in uxorem. Quæ uxor quadam vice, volente quodam ipsum Regem interficere sedentem in mensa, per gladium: ipsa manibus suis protegens caput Regis, tres digitos amisit. Ille autem malefactor per quendam repente fuit occisus.

Elisabeta Bohema, vidua Rudolfi ducis, obitus 1301.

Alberto autem in Regem electo, vixit adhuc relicta olim Rudolfi Ducis Austriæ, fratris Alberti: qua morante tunc in Brugga, misit frater ejus Wenceslaus Rex Bohemiæ pro ea, volens eam copulare Regi Hungariæ: quæ cum filio suo Duce Johanne veniens in Bohemiam, inibi est defuncta, anno M.CCCI. Rex autem Albertus omnino volens rehabere Joannem fratruelem suum, ipsum sibi remissum cum filiis suis, quousq; tandem ab ipso est occisus, enutrivit.

Albertus regnum Bohemiæ affectans.

Orta autem discordia inter Albertum Regem & Wenceslaum Bohemum, super quibusdam terris: Albertus cum tribus millibus galeatorum de Suevia & Rheno, & cum L. millibus Hungarorum & aliorum, Bohemiam potenter ingressus, eam decem septimanis ignis incendio devastavit, sed nullam munitionem evicit. Quo egresso, mortuoque postea Wenceslao, & post eum filio suo, vix per annum in Bohemia regnante, in lecto fraudulenter occiso, dictoque Rudolfo, filio Alberti, facto Rege inibi, sine prole defuncto, ac Henrico Duce Carinthiæ genero Wenceslai & avunculo Alberti, sibi Bohemiæ Regnum ascribente, sed non possidente: iterum Albertus Rex animo obtinendi idem Regnum, Bohemiam cum potentia est ingressus. Sed Baronibus Regni terram pro juniore filia Wenceslai tenentibus, Rex infecto negotio est reversus: qui iterum postea paratus ingredi Bohemiam, morte est præventus.

Idem autem Albertus factus Rex, tenensque quasdam munitiones in Misena, quas & Adolphus tenuerat, misso exercitu & capitaneo in Missenam, animo capiendi Marchionatum, initoque conflictu, Fridericus Marchio victo Regis exercitu, obtinuit terram suam.

Albertus Electores ad Rhenum bello petit.

Anno etiam ipsius Alberti Regis Regni quarto orta est invidia inter prædictum Gerlacum Maguntinum & nonnullos Principes contra Regem, ac Moguntino, Treverensi, Coloniensi & Rodolfo Palatino, filio sororis Regis conjurantibus contra Regem: ipse Rex cum robore descendens, primò Palatinum invasit, *Wissenloch* & quædam alia destruendo eidem, postea Moguntinum infestans. Qui convocato Coloniensi ad quoddam castrum suum, cum eum juxta conspirationem adjuvare non curaverit, ipsum voluit captivasse, si non per quosdam probos (asserentes, hoc dedecus esse, quòd in domo sua, postquam cibum suum comedisset, hoc faceret) fuisset aversus. Sicque Principibus non ausis sibi invicem assistere, vel resistere Regi, Rex post multas oppressiones alias, oppidum Pinguiam obsedit & expugnavit, sed castrum non obtinuit, & terram *Ringowe, Altewil, Gisenheim, Ostringen, Nudersheim*, &c. per incendium devastavit: sed tandem multorum precibus devictus, eundem Moguntinum sibi sufficienter caventem, ad gratiam reassumpsit.

Bellum Friburgense.

Alberto Rege facto, Ego Comes de Friburg, habens sororem Chunradi de Liechtenberg, Episcopi Argent. ad subiiciendum sibi Friburgenses conabatur. Et orta lite inter eos, Rex aliquandiu in favorem Episcopi Friburgum obsedit. Cives autem castrum Friburgense machinis deturbârunt. Veniens autem Episcopus ad devastandum Friburgenses illisque exeuntibus, inierunt conflictum: multisque Friburgensium occisis, quidam carnifex Episcopum super dextrario in rubea Wambasia circumeuntem, & exercitum suum ad pugnandum incitantem, cuspide perforavit. Quo occiso, Comes & sui per cives postea continuè debilitati sunt & depressi. Post Conradum, frater ejus Fridericus

dericus præpositus Argent. valentissimus in armis, in literatura nullus, ad amicorum instancias, quasi invitus, in Episcopum est promotus. Quo (postquam annis aliquot Ecclesiam suam viriliter rexit) defuncto: Rex Albertus, Joannem Episcopum Eiftetensem Cancellarium suum, illegitimè natum, pro Episcopatu Argent. obtinendo, Joanni de Ochsenstein scholastico Argentinensi, consobrino Regis, ad Romanam curiam destinavit. Papa autem non Scholastico, sed eidem Cancellario de Episcopatu Argent. providit. Quem Rex tanquam suum manu tenuit, & vix à Scholastici amicis defendit: Episcopo multa pro illis faciente & magna donante. Hic Joannes in structuris & emptionibus benefecit Ecclesiæ, & postea filiis Regis, præterquam in fine Bavaro, adhæsit.

Theobaldus Phirretarii Comes.

Rex quoque in Principio creationis suæ, cum Chunrado de Ochsenstein Episcopo, Theobaldum Comitem Ferretarum invasit, ejus terram vastando. Qui Comes, dando filiam suam Ottoni de Ochsenstein, Regi reformatur. Aliam filiam dedit Udalrico de Wirtenberg Comiti: ex quibus duabus nunc domini de wirtenberg & Ochsenstein provenerunt.

Petrus de Asphelt medicus Episc. Basil.

Mortuo autem Petro Divitis Episcopo Basil. Petrus de Treviri Physicus per Sedem in Episcopum est promotus. Prædictus Petrus divitis cùm esset de parte Stelliferorum Basil. omnes suos & suas Psitacis copulavit. Hic ordinavit quod cum uno anno Basileæ Psitacus magister esset civium, eodem anno Stellifer esset Zunftarum magister; & anno sequenti econverso: & quod tot milites & tot probi cives in Consilium de una parte, sicut de reliqua, sumerentur. Qui Episcopus cum quadam vice quædam in consilio Basil. peteret: Joannes de Arguel, cui plebs adhæsit, contradicens, ab Episcopo dicente: ego faciam tibi erui oculos tuos, illa vice de loco Consulum est expulsus. Cui etiam civi de Arguel Petrus Scalarii senior, miles valentissimus, in consilio sibi resistenti, respondit: nescis quod in una domo paterfam. & scrofa morentur, sed aliter & aliter teneantur? De hujus Scalarii commendatione integra historia opus esset. Hic Petrus de Treviri Episcopus multa bona fecit Ecclesiæ Basil. & magna fecisset, si non inibi molestatus fuisset. A Hartungo enim monachi Canonico Basiliensi alapa est percussus. Hunc Hartungum monachi consiliis & armis strenuum, qui Regi & Rudolfo Patri suo ferventer adhæsit, ipse Rex Albertus post multas preces, personaliter Capitulum ingrediens, vix ad Canonicatum promovit: regemque iratum honorare nolebant, nisi pro tribus peteret: qui eorum largitate tres promovens commendavit. Episcopis quoque in Suevia per Comitem Montisfortis captus, non per Regem, sed per pecuniam liberatur. *Anno 1302.*

Petrus medicus Archiepiscopus Moguntinus.

Habuit Rex tractatum emendi oppidum *Liestal* à Comite de *Honberg*. Comes autem obmisso Rege, vendidit & tradidit idem oppidum eidem Episcopo & Ecclesiæ Basil. quo hodie tenet illud. Ex quo Rex contra Episcopum, Capitulum, Ecclesiam & civitatem Basiliensem commotus fuit odio capitali. Idem autem Petrus, occasione artis medicæ, in Archiepisc. Mogunt. postmodum Otto de Grandisone Gallicus in Episcopum Basil. per sedem sunt promoti.

Basil. Episcopi audax consilium.

Hic Otto Episcopus cum Rex ipsum nollet de suis regalibus investire, & aliàs esset infestus eidem: quadam vice Rege existente Basileæ in curia monachorum, in monte S. Petri, assumptis servitoribus suis, accessit Regem, ac genuflexus coram eo, per Hugonem ad Solem, scientem Gallicum, per Regem se petiit investiri. Rex enim Gallicum, Episcopus verò Teutonicum nesciverunt. Venit autē Episcopus eo animo, quod si eum renuisset investire, quod eum voluit occidisse. Petente ergo Hugone in Teutonico à Rege, Episcopum humiliter investiri: Rege verò respondente vulgariter: quid vellet iste scholaris? Episcopus non intelligens dictum Regis, sed credens eum recusasse preces suas iratus dixit: *Qui dit? qui dit?* in Gallico. Hugo verò videns furiam Episcopi (erat enim juvenis & animosus) mansuetè dixit Episcopo in Gallico: Domine, Dominus noster Rex dicit, quòd cras libenter velit vos investire, & omnia facere, ad quæ Ecclesiæ Basiliensi tenetur. Et Episcopus inclinans se, dixit, *Grammersi*, & recessit. Rex videns motum Episcopi, post recessum Episcopi illico recessit, non ingrediens amplius Basileam, sed contra illos duriùs est incensus.

Eo tempore progenies *Zerkinden, Vorgassen*, de *Raperc*, de *Lorrach*, de *Schouwenberg, Pincerna*, Basileæ fovebant Episcopum. Rex autem castrum *Furstenstein*, Wernheri & Joannes de *Raperc*, per suos obsedit.

Ioannes Dux Austriæ ca-

Joannes autem Dux fratruelis Regis, quem Rex in curia sua cum filiis suis nutrivit, esserens munitiones Dominii de Kiburg ad se spectare, tanquam matri suæ per Rudolfum

pitali odio in patruum accensus.

Regem olim morganitico jure donatum, libenter habuisset sua: instans ferventer, ut sibi saltem munitiones aliquas assignasset. Ad quod cum Rex induci nequiret, & insuper multos Baronum bonis suis & juribus spoliaret, instante frequenter regina, ut liberos suos sibi commendatos haberet, ac ipsius Joannis prodigalitatem nimiam accusante: tandem ipse Joannes Dux, cum Baronibus Rudolfo de *wart*, Walthero de *Eschibach*, & Udalrico de Palma, Regem interficere cogitavit.

Ascendente autem Regina versus Rinfeldam, cum juxta minorem Basileam venisset, exivit ad eam currens Otto Episcopus Basil. juxta currum, ejus gratiam pro Rege placando implorans: & dicente Cunrado Monachi milite Basiliensi ad vectores currus, quòd percuterent equos, illisque percutientibus, Episcopus luto fuit perfusus. Crastino autem Rege existente apud locum suum Balnearum, ac Joonne Episcopo Argent. rogante Regem, ut prædicto Duci de munitionibus suis aliquid assignaret: rege verò respondente, quòd vellet ipsi Duci committere centum galeatos in expeditionem regis versus Bohemiam, & post reversionem vellet sibi aliqua assignare, hocq; per Episcopum ad Ducem perlato: Dux dicens, se nihil habere, & commissionem gentis sibi faciendam esse onerosam, Episcopo respondit: se mortem & suorum ablationem ad paria judicare. Waltherus quoque de Eschibach, cum à rege sibi ablata repeteret, dicens: se regis consanguineum, & patrem suum in servitio regis occisum: nec proficeret, quod pariter ipsum posset submergere, dixit regi. Prandentibus autem illis cum rege ejusque filiis: rex cuilibet filiorum & Joanni Duci unum crinile rosarum posuit super caput. Dux autem flens, suum crinile posuit super mensam: ipseque & sui censortes prænominati comedere noluerunt in mensa.

Albertus Cæs. ad Rusam flumen occiditur. 1308.

Cùm autem post prandium Rex vellet equitare ad reginam in Rinfeldam, venissetque ad flumen Rusam: Joannes Dux & sui, primi in navi ascenderunt, quæ ibi unica erat. Sequenti autem vice transeunte Rege & equitante per sata, sicut in more habuit, colloquente sibi dicto de Casteln, milite: accesserunt Joannes Dux & sui, primusq; *Rudol.* de wart dixit: Quàm diu istud cadaver equitare permittemus? ac Rulassingen famulo ejus frenum equi regis apprehendente: Joan. Dux cultrum extrahens, collo regis infixit. Rudol. verò de wart regem gladio perforavit: Udalricus verò de Palma faciem & caput gladio divisit. waltherus verò de Eschibach, licet regem facto non læserit, interfuit tamen. Sic Albertus Rom. rex potens, filius Rudolfi regis, in terra sua, anno Domini M.CCC.VIII. Cal. Maij, in meridie anno regni sui decimo, est occisus. In quo loco occisionis solenne monasterium *Konigsfeld*, ordinis Minorum, est constructum, in quo rex primò sepultus, Spiram postea est translatus, in quo etiam loco plures filiorum suorum sepulti sunt.

Konigsfeld cœnobium Ergoia.

Percussorum Cæsaris fata.

Occisores autem fugati, primò venerunt in castrum *Froburg*: dolo autem clusi per Comitem de Nidow Dominum castri, postea sunt dispersi. De Palma n. miles fortis diu Basileæ in domo Conversarum latitans, tandem obiit: in vita sua castro suo *Alspuren* obsesso per Lupoldum regis filium, & victo: in quo decapitati sunt quinquaginta. Castra verò *Schnabelberg* & aliis bonis waltheri de Eschibach destructis, ipse in terra Comitis de wirtenberg pastor pecorum est effectus: post annos 35. in morte se pandens, honorificè est sepultus. De *wart* verò, postquā in castro *Valckenstein* aliquandiu latitasset, volens ire ad sedem Apost. veniens ad Ilam oppidum Theobaldi Comitis de Blamont, pandente eum histrione Comiti & uxori suæ, quæ fuit de Veringen, illaq; cum lacrymis dicente: absit quod is evadat, qui Dominum & consanguineum meum interfecit: per ipsum Comitē fuit captus, cum famulo suo Rulassingen, recepta pro eo pecunia Duci Lupoldo sunt assignati. Unde & mercator dictus est idem Comes. Rulassingen juxta Ensisheim est positus super rotam. Rud. de wart verò, juxta locum occisionis regis ductus ad judicium, cum nō daretur ei advocatus pro se loquens, primò negans occidisse regem, obtulit se duello. Secundò dixit, in eo nullum fuisse crimen commissum, qui occidendo Dominum suum Adolfum Roman. regem, reus læsæ Majest. fuisset. Sed ex quo ipsi occisores fuerunt per sententiam Henrici Imp. damnati, quando ipse Henr. in regem Roman. fuerat creatus, ut ferebatur: sententiatum fuit, nulla alia sententia contra ipsum Rud. de warte opus esse, nec suas defensiones esse attendendas. Sicque ligatus ad caudam equi, tractusque ad locum supplicij, fractis dorso & membris, flexus est super rotam. Ejus uxor de Palma veniens noctu sub rotam, prostrata ad terram ad modum crucifixi in oratione permansit. Ille verò interrogatus, si suam vellet uxorem adesse? respondit super rota, quod non, quia pari modo in uxoris compassione atque in propria pateretur. Quæ relicta, multis annis postea Basileæ beatissimam duxit vitam. Joannes verò Dux post multas occultationes, tandem in forma Beghardi veniens Pi-

sar

ſas, ab Imp. Henrico inibi captus, & poſt Imperatoris mortem pluribus annis ibi tentus, tandem mortuus inibi honorificè eſt ſepultus. Occiſo autem Rege, cum obſeſſi in *Furſtenſtein* ſe mane voluiſſent captos dediſſe, in Crepuſculo noctis veniens nuntius, in vertice montis clamans: Domine de *Raperg*, Rex eſt occiſus. Eoque audito, etiam exercitus, qui & de hoc ipſo ante medium noctis nuntium habuerat, territus, ſummo mane receſſit.

Obſeſſi autem venientes Baſileam, contra Monachos movebantur: ac diſſenſione facta, & Nicolao ad pueros per Petrum Scalarii vulnerato, ac rumore facto in populo: Otto Epiſcopus Baſil. apprehendens panerium civium, Curiam Monachorum ad S. Petrũ acceſſit, & ingreſſus omnis populus, Monachis & eorum liberis per muros & cloacas fugatis, omnia pretioſa domus tollens, quinquaginta plauſtra vini effundens, non quievit, quouſque omnia ſunt deſtructa. Congregati autem multi amicorum ſuper caſtro Baſileæ, deſcendentes animo ſubveniendi illis, fugati à plebe, ingreſſique domũ Rubei leonis, inſequente plebe per tecta diſcurrere, & de tecto Stebelini ad tectum ad Clavem ultra viam ſaltare coacti ſunt. Ceſſante autem furia populi, collectisque viribus Scalariorum & Monachorum, prædictæ progenies non credentes ſe ultra menſem excludi jurantes egredi per duo milliaria à civitate Baſil. ad gratiam Conſulum, annis XIV. exulârunt. Epiſcopus autem Otto, qui initio occiſionis Regis bene potuiſſet agere facta ſua, recepta pecunia cum Regina & ejus liberis concordavit. *Tumultus Baſilea.*

Orta autem diſſenſione inter Epiſcopum & Theobaldum Comitem Ferretarum, & Epiſcopo cum civitate volente egredi in terram Comitis: Comes munitionem *Blumenberg* propriam, in feudum recipiens ab Epiſcopo, reformatur eidem. *Blumberg oppidum cum caſtro.*

Mortuo autem Othone Epiſcopo, Gerhardus de Wippingen, ex matre de Grandiſone, per Clementem Papam V. Baſilienſi Eccleſiæ eſt præfectus. *Gerardus de Wippingen Epiſcopus Baſil.*

Occiſo itaque Alberto Rege, Hainricus Comes de Lutzelburg, ſtrenuus & acer, eodem anno in feſto omniũ Sanctorum, à Principibus concorditer in Franckfurt eſt electus, & Aquiſgrani in ſequenti anno in Epiphania coronatus. Aſcendens autem Rhenum, cùm veniſſet Spiram, venit Eberhardus Comes de Wirtenberg cum CC. equis in magna ſuperbia, qui cùm de multa tyrannide in homines Imperii commiſſa, non concordaret, à rege indignanter receſſit: propter quod idem Comes poſtea ad mandatum regis in Italia exiſtentis, per Cun. de Winſperg præſidem regis, civitatem Eslingam & reliquas civitates Sueviæ adeò eſt deſtructus, quòd ſibi vix tres ex omnibus ſuis munitionibus remanſerunt: quem de caſtro Aſperg obſeſſum, cum multo tremore fugientem, Heſſo Marchio de Baden in oppido Beſickheim recepit, ubi in turri latitabat uſque ad mortem Imperatoris. Qui Comes depauperatus, cùm concepiſſet Imper. gratiam in Italia quæſiviſſe, poſtea mortuo Imp. paulatim revixit. Venientibus autem nuntiis Argent. ad regem ac proponentibus, ſe per Dominos ſuos Argentinenſes, pro gratia regis & privilegiorum innovatione tranſmiſſos: nec Spiræ nec Argent. ab ipſo reſpoſum habebant. Aſcendentes autem verſus Columbariam ad Regem, edocti à quodam Secretario Regis, dixerunt ei: cives veſtri Argent. hoc petunt. Quos rex, dicens, ſe ante non intellexiſſe quorum fuiſſent nuntii, cum Dominos Argent. nominaſſent, favorabiliter exaudivit. Aſcendens autem homagia & fidelitatem Dominorum & civitatum capiens, cùm non abundaret, concepit in Italiam proficiſci: & veniens interum Spiram, Fridericum Ducẽ Auſtriæ, Alberti Regis occiſi filium, poſt plures tractatus & tentationes, ſi poſſent Alberti liberi ab Auſtria ſeparari (dicente conſilio regis, quinque reges propter Ducatum Auſtriæ occiſos, ac Friderico reſpondente: & iſte, ſi carere noluerit, poterit eſſe ſextus) tandem de ipſo Ducatu & aliis Dominiis quæ pendẽt ab Imperio, eum inveſtivit: addito, quod Duces Regi ultra montes cum ducentis galeatis ſervirent. Delato autem corpore Alberti Regis navigio Spiram: Rex obviam pergens funeri ad Rhenum, Reginam Ungariæ, occiſi filiam, ſub brachiis in civitatem traduxit, ſed omnino voluit corpus Adolphi Regis inibi ſimiliter ſepeliri. Quo allato uno die ſic Albertum & Adolphum Rom. Reges occiſos: Henricus Rex Spiræ in ſepulchris regiis ſepelivit, Alberto in uxoris olim Friderici Imp. Adolpho verò in ejuſdem filiæ ſepulchris, ſepultis. *Henricus Lutzelburgenſis Rex Roman.* *Argentinenſium oratores à Cæſare quomodo tractati.* *Albertus & Adolfus Cæſares Spiræ humantur.*

Audito autẽ eo tẽpore quod Elſa puella circiter viginti annorũ, grandis & bruna, olim Wenceslai Regis, Bohemiæ filia, neptis Rod. regis, Joanni, filio Hẽrici regis, annorũ circiter XI. nuptui, & cum ea ipſo Johanni regnum Bohemiæ traderetur, eaque Spiram cum excellenti decentia veniente, ac Principe propter falſam ſuſpicionem fornicationis *Infans regni Bohemici. Ioanni Lucelburgenſi nuptui collocatur 1309.*

illo copulare filium dubitante: illa moræ anxia, cum causam protractionis omnino scire vellet, & à suis causam suspicionis difficulter audisset, dixit: Absit quod Dominus rex filium suum mihi deneget ex hac causa, quia virginitatem meam per aspectum corporis comprobabo. Examinata ergo per honestas matronas, & reperta virgo, fuit filio regis solenniter copulata. Quos conjuges Petrus de Treviri, Archiepiscopus Mogun. Bohemiam traducens, Pragæ in regem & reginam, prout antiquitus ad Moguntinum pertinet, coronavit. Solennitas autem nuptiarum Spiræ, paratis sedibus, propter contentionem antiquam Moguntini & Coloniensis, quorum quilibet ad dextram Principis sedere voluit, est turbata.

Conventus Imperialis Spiræ.

Mansit verò ibi rex sex hebdomadibus cum Principibus electoribus & aliis Principibus & civitatum nuntiis, de suo transitu & de præstandis servitiis in Italiam, disponendo, ubi & ad eum venerant Matheus Mediolani & Theobaldus Brixiæ Magnates, & plurimi Lombardorum. Prædictum Theobaldum Brixiensem inibi militavit.

Henrici in Italiam expeditio.

Post hæc rex patriam suam Lutzelenburg accedens, & cum Dominis terræ illius & amicis de auxilio tractans, cum uxore sua, filia Ducis Brabantiæ, ac fratribus suis, Balduino videlicet Archiepiscopo Treverensi, ac Walramo de Lutzelburg milite egregio, ascendens, per terram Comitis Sabaudiæ, qui sororem reginæ habuit in uxorem. Lombardiam viriliter est ingressus. Ingressi sunt autem cum eo, Ludoldus Austriæ, Rudolfus Bavariæ Duces, Archiepiscopus Treverensis, Leodiensis, Basiliensis, & plures alii Episcopi, Comes Sabaudiæ, Comes Flandriæ, multique alii Comites, & omnium quasi totius Alemanniæ stipendiarii civitatum. Et veniens Astam, post receptionem suam de eis dubitans, meliores ex eis secum Mediolanum perduxit. Receptus est autem pacificè Mediolani per Guidonem de Turri Guelfum, Dominium civitatis habentem, credidit enim eum cito recessurum. Misit autem rex pro melioribus in tota Italia, de utraque parte Gibellinorum & Guelforum, tentans, si quo modo posset inter eos concordiam ordinare. At illis post magnam deliberationem dicentibus, hoc impossibile esse: Rex desistens, illos negotio imperfecto reliquit.

Guido de Turri dynasta Mediolanensis.

Mediolanensium in Cæsarem conspiratio.

1310.

Videns autem Guido, regem diu & potenter in Mediolano morari, & de traditione & nece regis & suorum per se & suos cogitans: quendam de Sodomia damnatum educere decreverant ad cremandum, ut Alemannis egredientibus ad videndum, clausis portis regem occiderent desolatum. Et irruentibus illis cum populo ad Palatium regis: primi fratres Teutonici S. Mariæ, signati armis & vexillo ordinis, qui decreverant non exire cum cremando, cum quibusdam aliis, irruentem populum viriliter invaserunt: defensoque Palatio regis, ad portam ubi jacuit Lupoldus Dux Austriæ cum ducentis galeatis, cum magno labore properantes, projecta in vicum vasorum & alia obstacula, removerunt, ictusque lancearum & lapidum de domibus sustinentes, & violenter aperta porta: cum Dux & alii ad regis Palatium pervenissent, ad mandatum regis Guidonem & suos invadentes, nemini pepercerunt. Illoque extra civitatem fugato, suisque occisis, cum Comes Sabaudiæ, qui fuit Guelfus, conquestus esset regi, quod Teutonici illos sine misericordia occidissent: rex respondit, quòd ipsos in pecuniam noluerunt talliare. Quibus victis & ejectis, rex de Mediolanensibus pro sua disposuit voluntate. Matthæum Vicecomitem ponendo ministrum, qui & liberi sui etiam post mortem Cæsaris, illius terræ Dominium tenuerunt: rexque postea Gibellinis adhæsit.

Wernherus de Honberg Comes.

Wernherus autem Comes de Honberg, relictus in Lombardia à rege, quot & quantas incredibiles habuerit victorias, & quàm feliciter nomine Imperatoris triumpharit, integra historia non caperet.

Brixiæ obsidio.

Postea rex obsidendi animo ad Cremonam transivit, qui eum & suos missos renuerant receptare. Territi autem Cremonenses, ferendo funes in collis, obviam ibant regi. Habita igitur Cremona, & multis aliis civitatibus Lombardiæ, Brixiam obsistentem invenit: quam cum Mediolanensibus, Veronensibus & aliis civitatibus, suaque militia, per integram æstatem potenter obsedit: ubi Walramus frater regis jaculo est occisus. Hujus obsidionis & exercitus multitudine fœtorem & pestilentiam esse factam, quid opus est narrare? Cùm multæ civitates ibidem quasi cum Domicilio residerent, ut hac gradientes per dua milliaria fœtorem senserint. Exercitus ambitus habebat tria milliaria: nec erat numerus captivorum, & continuè occisorum, nec unquam mors communior videbatur. Omnes autem Guelfi eidem civitati in hominibus & victualibus auxiliū præbuerunt.

Habebant

Habebant autem intrinseci pro se montem, contiguum civitati. Et ecce quodam die mane ascendens montem virilis regis exercitus, vicit multitudinem ascendentium ex adverso, in quo conflictu, Theobaldus, Brixiæ Dominium tenens, auctor hujus belli, quē Rex Spiræ militaverat, lethaliter est vulneratus. Allato autem eo regi, rex eum in tuendo cognoscens, mirabiliter est gavisus. Cùm autem ille ope Medicorum curari non posset, ut duriùs puniretur, per quatuor tauros membratim est laniatus, & quælibet partiū postea super rotam, & caput versus portam civitatis lancea figebatur. Quæsitus autem ille adhuc vivens, cur tantum nefas attentaverit contra Regem? respondit: Se regis superbiam ferre non potuisse. Intrinseci autem videntes quæ fiebant de illo, captivorum de exercitu regis magnum numerum juxta mœnia suspenderunt: Obtento autem monte ab extrinsecis, tandem illi deficientes se & civitatem regis gratiæ obtulerunt, funes ferentes in collis. Rex autem demolita porta & parte muri, ingressus est, ultra murum.

Post hæc circa hyemem Januam profectus cum regina, honorificè est receptus: ubi Beatrix regina moriens, sepulta est ad Minores. Ibi pluribus mensibus rex permanens, postea ivit Pisas. Pisis autem mensibus aliquot manente eo, Joannem Ducem Austriæ, occisorem Alberti regis, clam venientem de Papa & volentem regis gratiam quærere, captum in hospitio per quendam de *Salah*, intuitu Ducum Austriæ, commisit Pisanis. Antea enim ipsius Alberti damnaverat occisores. Qui diu ibidem honorificè tentus, in captivitate diem clausit extremum.

Henrici Cæs. conjunx Genuæ moritur. 1311.
Ducis Joannis percussoris Alberti, mors.

Venerunt autem subinde nuntii solennes Romanorum pro rege. Erat autem ingressus Italiam de assensu & approbatione Clementis Papæ quinti, qui & ei Hostiensem Episcopum, cum tribus aliis Cardinalibus, pro impendendis unctionis & confirmationis insignibus, destinavit. Rex igitur properavit ad Urbem, quem Robertus rex Apuliæ, tenens Romam, nisus est impedire, pro eo, quòd rex eum, per nuntios suos Mediolani investituram feudorum petentem, investire distulit, quousque veniret ad Urbem.

Stephanus verò de Columna & sui potentiores Laterani tenebant unam turrim super pontem Tyberis: aliàs enim tenuerant Ursini, qui quasi omnes adhærebant Roberto regi. Misit autem Robertus Joannem fratrem suum cum magna gente, ad obstruendum iter regi: qui ad fractionem pontis regi parati machinis & aliis, quàm plurimum laborabant, quibus in hoc Stephanus resistebat. Veniente autem rege, gens Roberti retrocessit ad S. Petrum. Rex autem in vigilia Pentecostes pontem transiens, multos fecit milites. Guelfi enim ex turri quam habebant super pontem, in regem & suos instar grandinis direxerunt sagittas. Laterani autem honorificè est receptus: & super castro, quod Militia dicitur, manens, quasi quotidie ex parte Roberti & fautorum suorum multas pugnas pariter & conflictus sustinuit.

Henricus Romam venit.

Misit autem pro quinquaginta melioribus in Lateranum, qui & pro eo miserant, petens ab eis, ut sibi sua urbis fortalitia aperirent. Qui cum se difficiles redderent, aliqui verò prætendentes fingerent, se esse Roberti vasallos: rex ab ipsis discedens, eos fecit includi, quousque sibi & liberos in obsides, & fortalitia assignarent, turrimque prædictam illico assignarunt. Sicque nunc Capitolium, nunc hac nunc illac contratas habentes, continuè pugnârunt, quousque totaliter occuparunt Lateranum. Occisis autem in ejusmodi pugnis quadam vice Episcopo Leodiensi, regis consanguineo, & Abbate Wissenburgensi, cum Henricus dictus de Blanckenberg id regi flendo nunciaret: rex ipsum redire cum fletu ad sinum matris dicebat.

Differentibus autem Cardinalibus, quorum unus obierat coronationem Regis, & deprehenso quodam cum literis Papalibus, quibus ipsis Cardinalibus Papa regis coronationem interdixerat, eisdemque destructis ex persuasione Hostiensis, qui & Gibellinus fuit, & Stephani de Columna: multitudo Romanorum irruit in Palatium Regis. Et requirente rege, quid vellent? Illi se velle occidere voratores dixerunt, qui stipendia militum devorarent: & sic territi Cardinales, regi in Ecclesia sancti Joannis, Calendis Augusti, unctionis & coronationis Imperialis insignia impenderunt (erant autem alba omnia ejus indumenta, cum equo albo) præstito per eum juramento, secundum formam, quam Imp. coronandi Ecclesiæ Romanæ præstare solent. Postea autē nunquam

Unctio & coronatio Imperialis 1312.

assur-

assurrexit Cardinalibus, sicut antè, nec quemquam in suam mensam locabat. Pœnituit autem Papam, videntem ejus potentiam ac rancorem inter Robertum & ipsum Principem: imò & inter Philippum Regem Franciæ, & ipsum Regem. Turbavit enim Francum quod ipse Rex se in scribeudo præposuit: ipsique tres Papa, Robertus & Philippus in ejus exterminium cogitabant. Cæsar autem ab Urbe recedens, inibi reliquit Hugonem de Buchegge Comitem, cum trecentis galeatis: qui cum Stephano prædicto viriliter se tenens, & frequenter cum Guelfis confligens, urbem S. Petri, quam Cæsar habere non potuit, acquisivit.

Hugo de Bucheck Comes.

Cæsar autem Florentiam, habentem ultra centum millia armatorum (omnes n. Guelfi illuc subsidium destinârant) cum pauca gente obsedit. Infirmus autem factus aliquantulum, in villam vicinam sub monte, caussa melioris aeris collocavit, & ascendentes inimici in montem, vexârunt Cæsarem lapidibus & sagittis. Et dicente Cæsare: Ah quòd neminem habeo cui hæc cordi existant: multi ascendentes de turba Cæsaris, difficulterè monte inimicos fugarunt, interficiendo ducentos, & ultrà. Decrescente autem turba Cæsaris, misit pro relictis in Urbe, & sic Hugo de Buchegge cum relictis Romæ, urbe Stephano commissa, ad Cæsarem properavit, in itinere duobus conflictibus feliciter triumphando: plures enim quam ipsi fuerant in obsidione Florentiæ, Cæsari præsentarunt captivos.

Rupertus Apulus à Cæsare hostis declaratus.

Post hæc Cæsar Pisas rediens, citato inibi Roberto rege, & habitis processibus debitis, in eum tanquam in majestatis læsæ reum, ac proditorem & hostem Imperii, privationis omnium Dominiorum & decapitationis, si unquam veniret in Imperii fines, sententiam promulgavit. Quam sententiã Clemens Papa post mortem Cæsaris revocavit, prout notatur in Clem. *de re judicata. c. pastoralis cura.*

Convenit autem Cæsar cum rege Siciliæ, de danda filia sua filio Siculi: & disposuit se iturum Neapolim, & in partes illas. Rex quoque Robertus disposuit recedere de regno Cæsare veniente, & in Provinciam se transferre. Decrevit autem Cæsar, se Apuliam & terram Roberti, Siculo commissurum. Præceperat etiam omnibus civitatibus, Episcopis, & aliis magnatibus Alemanniæ, ut transmitterent novam gentem, quæ jam erat in itinere veniendi. Venerat etiam mater Imper. filia Comitis Flandriæ cum filia Siculo danda, usque Basileam, ad Cæsarem profectura. Ducebatur etiam domina Catharina soror Ducum Austriæ quondam Alberti Rom. regis filia, Imperatori nuptura. Præmiserat etiam Cæsar prædictum Comitem de Blankenberg ad Urbem, sibi apud S. Petrum domicilium paraturum: & venit Cæsar cum exercitu suo juxta Senas, aliquot diebus, ad Senensium sibi rebellium terram ignis incendio devastando, & captos ex eis in arboribus suspendendo. Et in assumptionis virginis Mariæ vigilia, decantata coram eo Missa, eoque per quendam Prædicatorem communicato, post missam cœpit illico infirmari. Dicebatur enim quod ipse Prædicator venenũ sub ungue digiti tenens absconsum, post communionem potui Cæsaris immisisset, & illico discessisset. Cùm autem consuleretur Cæsari quod Pisas reverteretur, ipse se in servitio Domini esse, & non retrocessurũ respõdit, & procedens, cùm venisset ad villam quæ dicitur Bonconvet, progredi ultrà nequivit: sed in die B. Bartholomæi decessit, quem exercitus Pisas reduxit, ubi cum ineffabili lamẽtatione est honorificè sepultus, anno Domini M. CCC. XIII. Sicque heu periit columna magnanimitatis & justitiæ ac flos germinis Germanorum.

In synaxi Cæsari toxicum miscetur. 1313.

Pisani autem cum magnates Cæsaris repatriantes secum retinere non possent: multi tamen militares de exercitu remanserunt cum illis. Et facta est briga magna inter Robertum regem capitaneum Gelforum, & Pisanos, ut & facto postea per annum conflictu ante montem Catinum, ubi omnis pars Gelforum convenerat, Pisani cum Alemannis vicerunt: & occisi sunt in die illa multa millia Gelforum: & cecidit Joannes Princeps, frater regis Roberti. Super quem sedens Comes Niger Pisanus, miles factus est super eum. A tempore n. quondam Chunradini, nullus de progenie eorundem Comitum militari voluit, nisi in bello ubi fieret vindicta in stirpe quæ Chunradinum occidit.

Mortuo itaque Hainrico Imp. & vocatis Principibus in Francfurt, Fridericus Dux Austriæ filius Alberti regis, & nepos Rudolfi regis, pro regno laborabat. Cui Petrus Treverensis, Mogunt. & olim Episcopus Basilien. quem Albertus quondam rex læserat, & Balduinus Treverensis, & Joannes Bohemus, se opponunt. Fridericus autem Australis alloquitur Rudolphum & Ludovicum Duces Bavariæ, Palatinos Rheni, exhibens se ad assistendum eis. At illi æstimantes se tanto negotio impotentes, se Friderici servi-

Fridericus Dux Austriæ ad regnum aspirans.

servitio astrinxerunt. Dux quoque Saxoniæ, & Voldemarus, Marchio Brandenburgensis, Friderico adhæserunt. Hi enim laici omnes & uxor Bohemi, fuerunt quondam regis Rudolphi nepotes. Item Hainricus de Virnenberg Coloniensis, acto inter alios tractatu fecit, quòd filia fratris sui Comitis de Virnenberg copulata fuit Hainrico Duci Austriæ, fratri Friderici, similiter adhæsit eidem.

Veniente autem Friderico cum forti exercitu valde, & castrametante juxta Frankfurt apud Saxenhausen: Petrus Moguntinus naves afferens, victualia juxta Moguntiam abstulit Friderico. Exercitus autem Moguntini, Treverensis & Bohemi, se ex inferiori parte Mogani collocavit. Inductus est autem Dux Ludovicus Bavariæ junior, qui & aliàs Friderico prævaluit in conflictu, quòd contra eum eligi se permisit: quia in promissione facta Friderico, ipse Ludovicus intelligebatur exceptus. Inductus est etiam N. miles Goldemari Brandenburgensis, habens ab eo mandatum sufficiens in genere eligendi, Ludovicum elegit contra Domini voluntatem. Electi sunt igitur in discordia, in die beati Lucæ Evangelistæ, anno Domini M. CCC. XIV. Fridericus Dux Austriæ, ab Archiepiscopo Coloniensi, à Rudolpho Bavaro, Palatino Rheni, & à Duce Saxoniæ: Ludovicus verò, à Petro Moguntinensi, Balduino Treverensi Archiepiscopis, Woldemaro Marchione, & Joanne rege Bohemiæ: nec ij Principes convenerant, sed quisque in suo exercitu, per se vel per procuratorem elegit, & in suis exercitibus publicarunt. Fridericus autem Australis præ fame recedere est coactus, multique detrarij in ascensu manserunt in via.

Fridericus & Ludovicus in discordia electi 1314.

Ludovicus itaque Aquisgrani à Moguntino & Treverensi, in loco quo debuit, sed non à quo debuit: Fridericus verò in Bunna à Coloniensi, à quo debuit, sed non in loco in quo debuit, coronati sunt. Adhæserunt autem Ludovico civitates inferiores Rheni, usque Seltz: Friderico autem, Seltz, & superiores regni civitates, exceptis Berna & Solodora, quæ neutrum curabant. Descendit autem Lupoldus Dux Austriæ frater Friderici cum grandi exercitu Spiram, contra Ludovicum: ubi Ludovicus cessit de campo in cœmiterium Judæorum. Lupoldus autem villas Spirensium & aliorum inibi adversariorum comburens, ascendit. Transivit post hæc ipse Lupoldus juxta Augustam, flumen Lech, & in superiori Bavaria multa, & inter alia oppidum Landsperg per se victum, ignis incendio devastavit.

Indicta est autem Basileæ Curia in festo Pentecostes, solennissima per Australes, ubi inter Fridericum electum & filiam regis Arragonum, & Lupoldum & filiam Comitis Sabaudiæ nuptiæ celebrantur. Ibi quot & quanta hastiludia, etiam torniamenta peracta sint, quis enarraret? Ubi Comes de *Katzenellenbogen*, per dictum *Grat* de *Gebwilre* militem hastiludio prostratus, cum maxima pœnitentia moriens, cum magno fletu mulierum Basiliensium, ad Rhenum est deductus. Monstrabantur ibi sanctuariorum insignia, quæ regum dicuntur, scilicet lancea, clavus, pars crucis Salvatoris, Corona, gladius Caroli, & alia, per quendam Cisterciensem: & cecidit machina, præ multitudine hominum, ubi plurimi sunt oppressi. Cecidit & tempore hastiludii alia machina, ubi læsæ sunt plurimæ dominarum, & multa clenodia subtracta. Ubi Joannes de Clingenberg, præteritis & præsentibus, & postea XXX. annis continuatis, valentissimus militum censebatur.

Austriorum Principum nuptiæ Basileæ habitæ 1315.

☞ Obsedit autem Lupoldus Solodorum, & ad recognoscendum fratrem suum pro rege coegit. Ascenditque cum magno exercitu versus Suiciam, volens fratri villas illas, quæ sunt de jure Imperii, subjugare. Et cum Ottho Comes de Strasberg cum uno exercitu ex parte Ducis ingrederetur, per vallem *Underwalden*, artans eam partem, ac declinare volens ad Ducem, & ascendente Ducis exercitu magno ex alia parte montium: ecce descendit populus Suiciæ cum impetu per clivum montis quendam, & læsis ibi atque sine misericordia interfectis melioribus nobilibus, qui præcesserant, Ducem cum exercitu suo lamentantem fugaverunt. Et Otto de Strasberg intelligens, per clivum montis, per quem descenderant pedites festinanter ascendit: ex quo læsus intrinsecus, postea breviter est sepultus. Perierunt autem ibi mille quingenti. Sicque valles illæ post adhuc stant invictæ. ☜

Nota de Helvetiis. Austriorum clades ad Morgartum montem.

Celebravit autem Clemens Papa quintus post mortem H. Cæsaris Concilium Viennæ, revocans sententiam Imp. contra Robertum Regem prolatam: & eidem sancto Impe-

Concilium Viennense contra Henricum Cæs.

Imperatori perjurium impinxit, mulas faciens constitutiones, quas non pulbicavit, morte præventus. Obiit autem Burdegalæ, ubi curiam habuit: Cujus thesaurum ejus patruus occupavit. Vacavit autem Curia plus quàm per annum.

Joannes 22. Papa.

Post hæc Cardinales congregati Avinionem, per Robertum regem inclusi, Jacobum Episcopum Caturcensem, ipsius regis olim Cancellarium, elegerunt in Papam, anno Domini M.CCC.XV. mense Augusto: & vocatus est Joannes XXII. qui constitutiones Clementis publicavit & sanctum Ludovicum ordinis Minorum, prædicti Roberti fratrem Marsiliæ sepultum, canonizavit: Episcopum Caturicensem ex quadam suspicione sortilegii in Papam facti, degradatum, excoriari fecit, & in omnibus favit Roberto.

Postea Fridericus & Ludovicus electi Roman. reges cum magnis exercitibus in Suevia juxta Eslingen, pro regno quod uterque habere conabatur, convenerunt, ubi in fluvio Neccaro non ex proposito, sed casu, adaquantibus equos hincinde abeuntes, & adjuvantibus utrisque suos paulatim, magna est facta strages utrinque, multique nobiles utrinque capti. Ubi & Wernherus Comes de Honberg est captus, Neccarusque sanguineus videbatur, propter occisionem equorum.

Lusus equestris ad aquas Helveticas.

☞ Indixitque Lupoldus Dux Curiam in Baden, in terra sua: ad quam quanta multitudo nobilium confluxerit, quantaque hastiludiorum solennia sint peracta, de Machinis spectaculorum, de XII. candelabris, & candelarum magnitudine & longitudine, quarum unam vix XII. viri portabant, & multis aliis, quis enarrabit? Ibique soror Dominorum Ducum Austriæ, Ludovico seniori de OEtingen est conjuncta, quæ ante ex sorore Comitis de Wirtenberg habuit filium & filiam: qui Ludovicus ante fuit Secretarius Ludovici electi, & servitor: postea eum persequebatur ad unguem. ☜

Austriorum expeditio contra Ludovicum Bavarum.

Lupoldus quoque Dux iterum cum grandi exercitu versus Spiram descendit, adversantium villas comburendo, & cùm ascendisset, dimissa gente sua, illico sibi nunciatur, Ludovicū ascendere cum magno equitatu feroci. Ipse Lupoldus dilapsa gente sua, nuncios misit, ad Comitem Udalricum Ferretarum & Joannem Episcopum Argent. repentè descendit: qui duo cum suis populis ad Broscam flumen (ab Occidente versus Orientem fluens in Argentinam) se cum magno tremore locârunt. Et venit super Bruscam Ludovicus electus, cum Treverensi, Bohemo, gente Maguntini, & aliis, cum quatuor millibus galeatorum electis. In nocte autem Comes Ferretarum de Brusca versus *Molesheim*, præ timore recessit. Manè autem reversus ad Bruscam, populi, quos adversarii quodam modo comedissent; illi asserentes, se nolle cum rusticis pugnare, Bruscam juxta Argentinam transibant, se juxta *Thoroltzheim* collocantes, tamdiu confligere differendo, quoad Lupoldo gens magna equitum & peditum affluebat. Argentinensium autem pars una, scilicet Zornonum Friderico: alia verò, scilicet Mulnheimensium Ludovico favebat. Et cum Argentini prius Fridericum recepissent, nunc in transitu Ludovicum multis cum armatis ingredientem & citò egredientem, more regio in majori Ecclesia receperunt, qui & ipse eorum privilegia confirmavit, Anno Domini, M.CCC.XX. de mense Augusto.

Partium hostiles exercitus prope Argentinam.

Fridericus autem cum in Austria de congregatione Ludovici intellexisset, cum paucis, spadonibus cursu velocissimo properavit ad Rhenum. Veniensq; Rinaugiam, intellecto discrimine fratris, properavit ad ipsum, & appropinquans aciei Ludovici, quam credebat esse Lupoldi, retrocedentes per aliam viam ad aciem Lupoldi venerunt: qui amplectens fratrem præ gaudio, flevit amarè, dicens: O Domine, quàm diu & in quanto periculo me dimisistis? & distabant acies in plano campo ad invicem, non ad quartam partem miliaris, paratæ ad conflictum. Gens autem Lupoldi abductis equis se paravit ad pugnam, clamatumque fuit sub pœna capitis, ne quis calcaria retineret: gravisiq; sunt de Friderici adventu. Dicto autem in acie Ludovici, de adventu Friderici, missus est miles cum conductu de acie Ludovici ad tentandum, de pugna ad aciem Lupoldi. Prætenderant enim inferiores, se nolle confligere cum Lupoldo: quia eo victo, finem negotii quò ad Fridericum non haberent. Adducto autem milite coram Friderico, dixit Fridericus militi: Dicite avunculo meo, me hîc ad conflictum paratum, & tempus esse ut finem nostræ guerræ, Imperii fidelibus faciamus. Et cùm jam superiores, in angustia & tremore cōstituti fuissent, eò quod inferiores nobilissimā habētes militiā, evaginatis jā gladiis

se istos

ſe iſtos ſimulaverant invaſuros: ecce reverſi ſunt ultra Bruſcam, quantocyus poterant deſcendentes, quos iſti per biduum ſunt ſequuti.

Eisdem temporibus, anno M.CCC.XIX. menſe Julio, obiit Woldemarus Marchio Brandenburgenſis abſque liberis, Marchionatus diſpoſitione ad Imperium devoluta, fuitque cum magna lamentatione manifeſtè ſepultus, quem poſtea ad 28. annos vivere dixerunt. De quo Marchionatu Ludovicus Princeps poſtea Ludovico, filio ſuo primogenito, providit, de quibus infrà dicetur.

Woldemari Brandenburgici obitus 1319.

Eisdem temporibus, Gerhardo de Senar Epiſcopo Conſtantienſi mortuo, & electis in diſcordia in Curia Romana litigantibus, H. de Klingenberg præpoſito, & H. de Werdenberg Canonicis Conſtantienſibus, iidemque per ſententiam deberent excludi, & ſpes eſſet de Mathia cuſtode Monaſterii Morbacenſis, ordinis S. Benedicti, Baſilienſis dioeceſis, fratre Hugonis Comitis de Buchecke/ ſervitoris Roberti Regis Siciliæ, poſt excluſionem electorum promovendo: ecce moritur Petrus Archiepiſcopus Moguntinenſis. Quo intellecto in Curia, Joannes Papa, ad preces prædicti Roberti Regis Siciliæ, ob ſervitia prædicti Hugonis, eidem Mathiæ de Buchecke/ dilecto etiam Ducibus Auſtriæ, de Moguntinenſi Archiepiſcopatu providit. Qui deſcendens primum Spiram, à clero honorificè receptus, cum proceſſione & crucibus venit Moguntiam, honorificè quoque ibi receptus, qui ipſam Eccleſiam quinque annis potentiſſimè gubernavit, cui in magnanimitate & virtutibus ſimilis tunc non eſt viſus.

Mathias à Buchek Archiepiſcopus Moguntinus 1320.

Excluſis autem dictis electis, Rudolphus de Monteforti per ipſum Papam ad Conſtantienſem Eccleſiam eſt promotus, * cui etiam vacans monaſterium S. Galli committitur. Sed eo tam diu aſſiſtente Ludovico, idem monaſterium ad preces Hugonis de Buchegge, collocatum eſt N. de Bonſtetten/ avunculo Berengarii de Landenberg qui ſe fecit extra cœmiterium ſepeliri.

Rudolfus Monfortius Epiſcopus Conſtantienſis.

Mortuo Baſileæ illi diebus Udalrico, unico Comite Ferretarum, abſque filiis, & Comitatu pro majori parte ad Eccleſiam Baſilienſem devoluto, jamque in ipſius Comitatu populus adventum Baſilienſis Epiſcopi expectaret: Ecce Johanna Comitis filia cum Dominio traditur Duci Alberto: & poſt multa diſcrimina, poſt ſubmerſionem Montanam, nuncij plures literas legentes, poſt expugnationem aliquam caſtrorum per chabilonem factam, de Epiſcopatu litigante cum commiſſione Baſilienſis, poſt multos proceſſus, tandem ceſſit Hartungus diſpenſatione ſuper beneficiis, & pro receptis obtenta. *

Comites à Pfirt deficiunt 1324.

Egreſſus eſt autem de Auſtria ſub anno M. CCC. XXI. Fridericus electus cum gente magna in Bavariam, ad quem Lupoldus frater ejus cum DCCC. galeatis de Suevia properavit. Ludovicus autem cum exercitu ſuo, antequam fratres convenire poſſent, aciem ſuam ad invadendum Fridericum direxit. Lupoldus autem juxta Monacum Bavariæ Iſeram tranſiens, ſe ſatis ambiguè committēs fortunæ, Ludovici exercitum ſequebatur repente. Quod Ludovicus intelligens, receſſit de campo, munitionibus ſe committens. Sicque Fridericus & Lupoldus convenientes (quod non poſſe fieri credebatur) mirabiliter ſunt gaviſi, terramque Ludovici ſuperiorem Bavariam decem hebdomadis ignis incendio, omnique inquietudine vaſtaverunt.

Auſtrii Bavariam populantur. 1321.

* Poſt hæc miſerunt Auſtrales Heinricum fratrem ipſorum cum exercitu, in favorem Papæ Joannis Brixiam in ſubſidium partis Gelfæ: qui cum inibi aliquandiu ſtetiſſet, non multùm viriliter agens, concordatus cum Cane Veronenſi adverſario, clam comportaverat pro conductu: & ſimulans ſe cum exercitu ſuo quosdam Gibellinos invaſurum, repentè receſſit, & in Auſtriam eſt reverſus. *

Henricus Auſtriacus in Longobardiam anno 1322.

Ingreſſi ſunt itaque iterum ſuperiorem Bavariam ſub anno Domini M. CCC. XXIII. de menſe Septembri, Fridericus & Heinricus Auſtrales, cum duobus millibus & ducentis galeatis, & quatuor millibus Hungarorum & gentilium ſagittariorum, miſſis ſibi à Rege Hungariæ, & de Suevia Lupoldus frater eorum cum DCCC. galeatis electis. Tardante autem ſe Lupoldo in vaſtatione terræ Wilhelmi Comitis de Monteforti, qui tunc Ludovico adhæſit, cui aderant Joannes Rex Bohemiæ & Balduinus Archiepiſcopus Treverenſis cum exercitu ſuo, ſcilicet mille D. galeatis, & cum XXXM. peditum ad Friderici exercitum declinavit, vexillum conflictus committens Comiti de Schlüſſelberg. Ipſe autem met Ludovicus duodecimus in armis blaveis, cum albis cruci-

Anticæſarii apparatus bellicus 1323.

bus,ne cognosceretur,absque signis Regiis apparebat. Non enim dubitavit,se si vinceretur,occidi. Aderant etiam sibi Ludovicus Burggravius de Nurnberg, duo de Oetingen, Wilhelmus de Monteforti, multique Comites & Barones. Cumque venissent ad flumen parvum, quod eorum exercitus dividebat,sagittarii Australis ipsum adeò infestabant,quòd ad castrum suum vicinum situm super ipso flumine,scilicet Wasserburg/declinavit,manè transeuntes ibidem. Intellecto autem quòd Bavari transivissent,& consulentibus pluribus,quòd Fridericus paulatim discederet versus iter Lupoldi declinando: ipse Fridericus animosus nimis,omnino se disposuit ad conflictum in armis Regiis contra suorum consilium procedendo,& præmisit aciem quingentorum galeatorum, quam sequebantur cum vexillo acies octingentorum galeatorum. Postremò ipse in acie octingentorum processit,& progredientibus ad conflictum,fractoque vexillo Bavari, acriterque certantibus Australibus,& præsertim Friderico manu sua,qui valentior in pugna reputatus est inter omnes, cedenteque acie Bavarorum, ita quòd Australis vicisse credebatur omnino: ecce equites Bavari revocantes pedestres qui cesserant,ac se terræ committentes,cum illis reversi sunt ad conflictum. Post hæc venit Burggravius de Nurenberg cum acie equitum, cum clamore: & fugientibus sagittariis Australibus, multisque cum illis,captoque Heinrico Australi,ac dejecto Australium vexillo, eisque pro majori parte terga vertentibus,& valentioribus captis, tandem armiger quidam Fridericum desolatum à suis,equo etiam ejus perforato,eoque se demittente ad terram, capere volens, nec eum cognoscens,quæsitus fuit ab illo,cujus esset servitor. Quo respondente, quòd Burggravii: Fridericus fecit Burggravium advocari,cui gladium porrexit,& ejus gratiæ se commisit,qui eum certificatus de vita,Bavaro præsentavit. Salutante autem eum Bavaro,& dicente: Avuncule,libenter videmus vos. Ille autem consternatus animo,non respondit. Licet autem multi consuluerint, quòd in signum victoriæ per noctem in campo manerent: Ludovicus tamen timens aciem Lupoldi recessit. Lupoldus hoc intelligens, dolenter recessit, miratus, quòd Rex Romanorum in discordia captus, non esset occisus. Et factus est conflictus in die sancti Michaelis, quo quinquaginta anni fuerant,quòd avus amborum,Rudolphus de Habspurg, in Regem electus est Romanorum,& postea Australes in potentia decreverunt.

Fridericus Rex in conflictu à Ludovico captus.

Habuit autem Ludovicus quendam Martinum monachum devotum & humilem, postea factum sacerdotem, qui sibi multa futura prædixit. Hic ante medium annum, Fridericum ante diem Michaelis finitum captivandum prædixit, curiam suam in valore centum marcarum cuidam de Monaco, paciscenti in contrarium, ad certam summam pecuniæ obligans super eo: & in die sancti Michaelis, alter, invito Martino, & continuò dicente, Vos aliud audietis, curiam per judicium occupavit: quæ sibi, comperta veritate, est restituta: ipseque Martinus pecuniam acquisitam jussus est recipere.

Heinricus quoque Australis captus Regis Bohemiæ, restitutis ipsi Regi quibusdam munitionibus Moraviæ, quas Australes occupaverant, liberatur. Fridericus verò in castro Trausnit Ludovici fortissimo detinetur, multique Australium, præsertim de Walsee, durè tenti in magnis sunt pecuniis talliati.

Alsatia in Ludovici partes transeunt.

Civitates autem Elsatiæ, Columbaria, Schletstat/ Ehenheim/ Roßheim/ Hagnowe/ quæ Friderico adhæserant, territæ, Albertum Humelionem de Liechtenberg militem Suevum, in advocatum Ludovici nomine receperunt. Joannes quoque Episcopus Argentinensis convenit cum eis, de non assistendo alicui eorundem. Marchiones verò de Baden perseverantes in Lupoldo, oppidum Seltz Imperiale eis obligatum per Fridericum, ingressi, infestationes plurimas patiebantur. Lupoldus autem veniens Basileam, militiam convocavit. Congregati verò sunt nobiles utriusque sexus, qui Lupoldum chorisare & jucundari quantum poterant compulerunt: at ille fecit omnia absque risu. Misit autem L. galeatos in Ensisheim, qui Columbarienses cum inquietudine infestarent, quos post hæc in Seltz destinavit: qui civitates & Bavaros spoliis & incendiis infestantes, inibi potenter sunt obsessi. Lupoldus autem gentem in navibus traducens, quamvis respectu obsidentium minimam, liberavit obsessos, & contra suorum consilium, suadentium eum tutiùs ultra Rhenum reverti, per Elsatiam est reversus, undique cum incendio prætereundo. Argutus autem ab Argentinensib. damnificatis per incendia, malè

malè in ſe actum eſſe, & ob hoc ſe hujuſmodi incendia non obmiſſurum reſpondit. Verecundantes autem Bavari, quòd ob tam paucam gentem receſſerant de obſidione, ſcripſerunt Lupoldo; qui jam verſus Apri-Monaſterium aſcenderat, ſe cum eo, ſi eos expectaret per biduum, pugnaturos: quos cum biduo expectaſſet, aſcendit.

* Poſt hæc Eberhardus de Wirtenberg/ caſtrum Richenberg/ quod Marchiones de Baden tenebant, potenter obſedit. Matthias Maguntinus cum magna gente ſubvenit eiſdem. *

Lupoldus arte magica fratrem è vinculis eximere conatur.

Invenit autem Lupoldus tunc temporis expertum nigromanticum, cum quo de eductione Friderici tractavit. Conſidentibus autem ipſis duobus ſolis in camera bene firmata, Lupoldo, & magiſtro faciente characteres ſuos: ecce venit dæmon ſtans coram eis, in ſpecie viatoris, habentis calceos corruptos, & pileum in capite, oculosque lippos. Cui Lupoldus ait, Noſtis me? at ille ait: Benè noſco te, & quæſitis aliquibus, injunctoque ſibi, quòd absque omni periculo deduceret Fridericum à captivitate: Dæmone reſpondente, quòd ſic eum educeret, dummodo ei conſentiret, nimis territus eſt Lupoldus. Dæmonque veniens ad caſtrum Trauſznit in ſpecie ſcholaris cujusdam, in partibus Ergoviæ, habentis pannum circumvolutum per collum, ac ſi in eo panes portare vellet, dixitque Friderico: Ingredere hunc pannum, & ducam te ad tuum fratrem Lupoldum. Quo reſpondente, quis eſſet? & illo dicente, Non cura, ſi ingrederis, ſecurè te ducam: Fridericus facto crucis ſigno, & invocato Chriſti nomine, dæmonem profugavit, dicens cuſtodibus ſuis, quòd per aliquas reliquias vel preces à dæmone ſe cuſtodirent, quod & factum eſt diligenter. Qui poſtea liberatus, videns ſcholarem dixit: Hic fuit dæmon, qui voluit me eduxiſſe.

Eo tempore mortuo Matthæo Mediolanenſium Domino, relictis Galeatio, Joanne, Marco, Luca, & Stephano filiis, & Galeatio ſeniore Dominium occupante, cum Papæ Joannis mandatis pluribus paruiſſet, tandem eo non deſiſtente, parere contempſit: qui citatus perſonaliter, etiam de articulis fidei reſponſurus, non comparens, excommunicatus, poſt annum de hæreſi eſt damnatus. Hic à Ludovico electo Romanorum Rege, cùm Fridericum cepiſſet, regimen Mediolanenſe aſſumpſit. Conglutinatis autem Papa, Franco & Lupoldo: Papa Ludovicum ſuper eo, quòd nondum approbatus per ſedem Apoſtolicam, jura Imperii adminiſtraret, & Galeatium hæreticum foveret, Avinionem citavit, & non comparentem excommunicavit, & poſt annum ſimiliter de hæreſi condemnavit (contra quos tamen proceſſus Ludovicus electus ex quibuſdam cauſis rationabilibus appellavit, ipſamque appellationem eidem Papæ intimavit) privationis juris electionis, Ducatus ſui & Dominiorum, & aliis pluribus in eum, & filios, & fautores ejus, ſucceſſivè ſententiis promulgatis: quas Lupoldus undique ubi potuit in odium Ludovici procuraverat promulgari.

Ludovicus Cæſ. piorum communione motus.

Convenerant autem Francus & Lupoldus in Bare, ubi multa, & præſertim contra Ludovicum tractaverunt, Papa eis annuente. Convenerunt & Principes Eccleſiaſtici, nuncii Papæ & Franci, ac Lupoldus in Rens, prope Confluentiam, ac ſoli ducti ſuper Rhenum in navi, diu tractaverunt de Franco in Imperatorem promovendo. Sed per fratrem Berchtoldum de Bucheck/ Commendatorem domus Teutonicorum in Confluentia, fratrem Domini Matthiæ Moguntinenſis Archiepiſcopi principaliter extitit impeditum: de quo eum ſecretariis Papæ Joan. Decanus Moguntinenſis detulit, quod ipſum poſt mortem Matthiæ Maguntini, ab ipſius fratris Berchtoldi proviſione retraxit. Reverſæ ſunt autem prædictæ civitates Alſatiæ à Ludovico ad Lupoldum, nomine fratris ſui Friderici captivi, & crevit potentia Lupoldi. Qui aliquoties ſcribens Franco vel Papæ, tali titulo utebatur: LUPOLDUS *Dei gratia, Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & & Moraviæ Dux: Dominus Carniolæ & portus Naonis, Comes in Habſpurg & in Kiburg, ac Landgravius ſuperioris Alſatiæ.*

Obſedit autem eo tempore Ludovicus oppidum Burggowe/ Ducis Lupoldi, tempore hyemali, quo Dux in illa parte eum impedire poſſe nullatenus credebatur. Scripſit autem Dux Burchardo de Ellerbach, miniſtro ſuo, quòd ſe viriliter teneret, quia eum infra dies XIV. liberaret, & repentè veniens cum gente forti, cum illis ignorantibus appropinquaret, Ludovicus tardè intelligens, dimiſſis ex prato, ne eum inſequeretur Burchardus, machinis & caſtris evaſit.

L 2 Tracta-

Tractabatur autem sæpe de liberatione Friderici: & impediente liberationem ejus, quòd Dux insignia sanctuariorum Imperii, lanceam videlicet & alia, noluit resignare. Dicentibusque suis, quòd frater suus esset ejus captivus: Dux prænoscens astutiam Ludovici, dixit tractatoribus: Ecce ne hoc mihi impingatur à vobis, dabo vobis ea insignia, & scio quòd nec adhuc prout tractastis compositionem, fratrem meum rehabebo. Quod etiam cum factum esset, Lupoldus Ludovicum adeò infestavit: quòd tandem Ludovicus cum Friderico, communicante eos ambos post Missam uno Cartusiensi, eorum confessore, & servare pacta jurantibus, latenter convenit. Emisso autem Friderico, & servante pacta, Lupoldus usque ad mortem suam restitit Ludovico.

Fridericus è custodia liberatur.

Obsedit autem Lupoldus oppidum S. Hippolyti, Lantgravij Elsatiæ, servitoris Ludovici, qui ipsi Lupoldo, sæpe Veneris causa Argentinam eunti, dicebatur insidias posuisse. Ipse Lupoldus muros destruens funditùs, villam tenebat. Quamvis autem Medici sibi prædixerint, quòd eum labores necarent, non destitit ab expeditione, sed cum exercitu descendens Spiram obsedit. Spira reversus, Argentinæ in curia Dominorum de Ochsenstein decumbens & insaniens, absque pœnitentia diem clausit extremum.

S. Hippolytus Alsatiæ oppidum.

Iverat autem illis diebus Ludovicus in Lombardiam, quem Galeatius Dominus Mediolanensis sumptuosè deduxit, quem tamen post magnam sibi datam pecuniam, Romam quasi captivatum traduxit, Wilhelmo de Monte forti Mediolanum committens: quòd non Imperii, sed facta sua agens, & pecuniam ad partes transmittens, Imperium negligebat: propter quod, quamvis æstimaretur in virilibus gestis valentior hujus mundi, non tamen extitit ibi nimiùm commendatus.

Ludovicus in Italiam movet, 1327.

Fuit autem Ludovicus Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii, à Joanne Archiepiscopo Mediolanensi, in festo Pentecostes, cum Margareta uxore sua, anno Regni sui XIII. corona ferrea coronatus: & post hæc Romam veniens à Romano clero & populo gaudenter & comiter est receptus, ac XVII. die Januarij, qua cantatur. *Omnis terra*, anno Regni sui XIV. ex parte totius Romani populi, per Senatores, præfectum urbis & cancellarium populi Romani, omnibus nobilibus acclamantibus, in Ecclesia S. Petri, cum ipsa conjuge, Imperiali extitit diademate insignitus. Prætenderant enim urbici, hoc eis competere, Papa etiam nolente: præsertim cùm Senatores priùs Papam requisiverant, ut ad urbem se transferret. Ludovicus etiam Joanni Papæ pro tunc crimen læsæ majestatis & hæresim impingebat.

Ludovici corona tio, anno 1328.

Post hæc Petrum de Corbario fratrem Minorem in summum Pontificem, quantum in eis est, creaverunt. & ob hoc multis creatis Cardinalibus & Episcopis, per illos magnũ in Ecclesia Dei scandalum est subortum.

Petrus de Corbano Antipapa creatus.

Ipse autem Ludovicus habitis tractatibus cum Rege Siciliæ, terram Roberti Regis, scil. Apuliam, ingredi intendebat. Robertus quoque collectis omnibus terram illam relinquere, si Cæsar accelerasset, & in Provinciam intenderat se transferre. At ipse Cæsar segnis tanto tempore, stetit otiosus in urbe, quòd quasi omnia expendebat. Quadam autem vice veniens idem Princeps * in urbe ad castellum, in quo olim Conradinus dicebatur decapitatus, ipsum funditùs demolivit.

Mortuis autem inclytis Principibus Lupoldo, Henrico & tandem Friderico Ducibus Australibus, & in Künigsfelt monasterio, ubi pater eorum Albertus Rex fuit, sepultis: Ludovicus in Alemanniam est reversus. Dicebatur autem tunc temporis, quòd quidam miles Friderico quiddam ad comedendum dederit, per quod eum in sui favorem inclinaret, per quod à pediculis mundari non valens, paulatim defecit. Et hi omnes quanquam valentissimi fuerunt, sine masculis filiis sunt defuncti.

Ludovico autem egrediente de urbe, cum Wilhelmo de Monteforti, Azzonem, filium Galeatij, secum in Lombardia regnare permiserat, post eorum egressum quicquid potuit occupavit, & nil in partibus illis remansit.

In diebus illis post egressum Ludovici Principis de Italia, vivente Joanne Papa, Joannes Rex Bohemiæ cum consensu Principis ingressus est Italiam, & diu inibi manens, Lucanam civitatem pro se tenens, quæ eum pro Domino recepit: non more patris sui quondam Henrici de Lutzelburg Imperatoris. Qui inibi viriliter se tenuit, & constanter se tenens, ac se successorem Imperatoris & pacificatorem Italiæ scribens, Papæ & Imperatori complacere cupiens, & ambobus displicens, obligata Luca cum verecundia reversus est, nulla sibi vel Principi in Italia parte relicta.

Joannis Bohemiæ Regis profectio Italica, 1330.

Erat

Erat autem in diebus illis Bononiæ legatus Papæ, Bertrandus de Pogeto, Hostiensis Episcopus, Dominium civitatis durè tenens, crudeliter multis occisis: qui Bononiam muro circundans, & sibi fortissimum castrum inibi construens, multaque mala peragens, cui quamvis Guelfissimo ipse Rex Bohemiæ familiaris extitit: tandem per rumorem populi victo repente castro & funditus demolito, turpiter est fugatus.

Castrum Bononiense.

Habuit autem Rex Bohemiæ duos filios, quorum major Carolus nomine, qui marchio Moraviæ nominabatur, habuit sororem Philippi Regis Franciæ in uxorem. Minor verò habuit filiam M. Ducis Carinthiæ. Habuit & duas filias, quarum unam habuit Joannes primogenitus Regis Franciæ: aliam Henricus Dux Bavariæ. Et ecce mortuo duce Carinthiæ sine filio, sola ipsius Regis Bohemiæ nuru relicta, cùm ipse Rex sine omni briga crederet in ipso Ducatu filium successurum: Ludovicus Princeps de ipso Ducatu Duces Austriæ, filios sororis ipsius, quondam Ducis Carinthiæ, investivit: filio autem Regis Bohemiæ Comitatus Tirolis remansit. Ex quo ipse Rex contra Principem movebatur odio capitali: juramento affirmans publicè, se nunquam reformaturum eidem: Papam etiam, Regem Franciæ, & Henricum Ducem Bavariæ, item Reges Hungariæ & Cracoviæ incitans contra ipsum.

Ioannis Bohemiæ Regis proles.

Ducatus Carinthiæ ad domum Austriacam, anno 1331.

Papa autem Joannes de militari progenie natus, ditans fratris & sororum suarum filios & nepotes divitiis & honoribus, anno Pontificatus sui XIX. moriens, reliquit Sedi decies septies centum millia florenorum, Anno M. CCC. XXXIV. Erat autem quidam vicinus Episcopus Romæ, in via eundi ad Curiam Avinionensem ad Papam, cui in nocte mortis Papæ in somno apparuit quidam dicens: *Papam quæris? non est.* Et post pusillum: *Vis videre Papam, ecce iste est*, monstrata sibi persona magna incognita. Qui procedens in itinere, audivit de morte Papæ Joannis. Veniens autem Avinionem, ivit in consistorium: ingredientes diligenter inspiciens singulos Cardinales. Et cùm non vidisset personam sibi monstratam, quæsivit à quodam, numquid omnes Cardinales ingressi fuissent? Et responso accepto, quòd omnes, excepto Cardinali Blanco, ordinis Cisterciensis, illum quæsivit in domo ipsius, ipsumque inspiciens faciem perpendit monstratam, sibique soli in camera sua dixit: Pater, vos estis Papa futurus. De quo cùm ille risisset (nulla enim fuit spes promotionis ejus, cùm esset humilior & pauperior inter omnes) Episcopus exposito sibi somnio adjecit: Pater, ille qui mihi monstravit faciem vestram, introduxit me ad stabulum immundissimum, stercoribus plenum, ubi vidi arcam marmoream albissimam, sed vacuam. Vos estis illa arca, quam debetis in officio vestro implere virtutibus & signis. Et ô pastor & stabularie, Curiam & sedem apostolatus, jam immundissimum stabulum, ab avaritiis & simoniacis stercoribus expurgate, vobisque sanctam Romanam Ecclesiam & urbem recommissas habete.

Ioannis 22. Papæ decessus 1334.

NB.

Et ecce in electione à tot Cardinalibus quasi insciis, sub altercatione electus extitit: *Ego N. nomino illum: qui si esse non poterit, nomino Blancum*, quòd repertum est à duabus partibus nominatum, dictusque Benedictus XII. Itaque statim pro reformatione Ecclesiæ S. Petri in urbe L. millia expendit florenorum. Et sicut à Joanne Papa discrepabat in statura (ille enim fuit pallidus statura & voce pusillus: iste in corpore maximus, facie sanguineus, & voce sonorus) ita & in moribus discrepabant. Ille ad magnificandum & ditandum consanguineos, ad regnandum nobilibus, & exaudiendis eorum petitionibus, ad vestiendum annuatim plus quàm LXX. Comites & milites intendebat: iste de talibus non curavit. Dixit enim: Absit, quòd Rex Franciæ, si per consanguineos meos super me ditaretur, me sicut prædecessorem meum ad sua quævis vota coartaret. Fuit enim ex Tholosa Regis Franciæ, filius pistoris, Theologorum summus, sed nullus in jure, quem inter omnes à longissimis temporibus justissimum æstimabant, cui & ante suam mortem quidam sanctus homo, se pro eo captivum tradens, quòd illo anno moreretur, prædixit, quod & factum est.

Benedictus 12. Papa.

Huic Benedicto in principio creationis suæ Philippus Rex Franciæ mittens legatos, audacter, quasi nihil sibi denegare auderet, petiit inaudita: inter alia scilicet, ut filium suum primogenitum, generum Regis Bohemiæ, faceret Regem Viennæ: quòd se faceret vicarium Italiæ: quod sibi per totam Christianitatem daret decimam deci-

Regis Galliæ ad novum Pontificem legatio.

 marum

marum per decennium: & sibi daret totum Ecclesiæ thesaurum in subsidium terræ sanctæ. De quo ipse & Cardinales territi, se reformare cum Ludovico Romanorum Principe decreverunt.

Ludovicus Cæsar Pontificias diras deprecatur 1335.

Quid Ludovicus Princeps ex scriptis quorundam familiarium suorum, quos in curia Papæ semper habuit, qui & hoc ex Cardinalibus certissimè intellexerant, intelligens: statim Papæ, & collegio nuncios & literas humillimas destinavit, qui nuncii à Papa & fratribus edocti, qualiter & sub qua forma redire deberent, & sub quibus articulis absolutionem & gratiam petere: iterum à Principe, cum illis articulis & mandatis sufficientissimis sunt reversi. Inter quos duo erant Comites de Otingen, & præpositus Augustensis, & Marquardus de Randecke Canonicus Augustensis R. Bambergensis, postea per Papam ejusdem Ecclesiæ præpositus effectus: & magister Udalricus protonotarius Principis, decretista. Et proposito in publico consistorio, per prædictum de Randeck ex parte Principis humillimè, super petitione absolutionis & restitutionis, facundo sermone, de quo omnes qui aderant mirabantur: Papa gratiosissimè respondens, dixit: Se & fratres suos de hoc, quòd nobilis ramus Ecclesiæ Alemannia, qui se in persona Domini Ludovici, lædi per Ecclesiam æstimaos, jam ab arbore Ecclesiæ separari cœperat, eidem arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimùm gratulari: multùm commendans Alemanniã, & Dominum Ludovicum, quem nobiliorem mundi dicebat: conquerens Regi Italiam per tyrannos, ac Regnum Armeniæ capi à Paganis, cujus Principes tempore Joannis Papæ & suo Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari: unde meritò dixit absolutionem eidem impertiri se debere, quæ & dari crastino sperabatur.

Pontifex à Cæsaris reconciliatione aversus.

Verùm prædictus Rex Franciæ, & Rex Siciliæ, seu Apuliæ, omnes quasi Cardinales à proposito averterant præconcepto. Venerant enim ad impediendum factum ad Curiam, duo Archiepiscopi, duo Episcopi, & duo Comites, ex parte Regis Franciæ, & totidem ex parte Regis Roberti: proponentes erroneum esse, tantum hæresiarcham præponere Dominis eorum Ecclesiæ fidelissimis: Papamque cavere debere, ne fautor hæreticorum diceretur. Papa verò dicente: Quid volunt Domini vestri, quòd non sit Imperium? illis verò protervè dicentibus: Pater non impingatis hoc Dominis nostris, vel nobis, quod non dicimus, quia contra Imperium non loquimur, sed contra personam Ludovici damnatam. Cumque dicerent, Ludovicum multa contra Ecclesiam fecisse, Papa dixit: Imò nos fecimus contra eum: Ipse enim cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri, si voluisset, sed ipse noluit eum recipere: & quicquid ille fecit, quasi provocatus fecit. Quantumcunque autem Papa assereret, se meliora pacta ab ipso Ludovico, pro prædictis regibus, eorum Regnis & posteris extracturum, quàm si eum in turri tenerent: penitùs nil profecit. Rex Franciæ etiam in terra sua undique bona & reditus Cardinalium interdixit & occupavit. Scripserant etiam illis diebus ad Curiam, Joannes Rex Bohemiæ, & Heinricus Dux Bavariæ, gener ejus, quòd de auxilio Hungariæ & Cracoviæ regum & aliorum, alium vellent constituere Regem Romanorum potenter. Et sic Cardinales Papam pro tunc ab absolutione Principis retraxerunt, dicentes: cum sui in partibus suis vellent eum destituere, inconsultum esse sedi, si propter impotentem & inopem tot Principes offensaret. Sic dato alio termino deliberationis, nuncii Principis infecto negotio sunt reversi.

Austrii & Bavari à vicinis Regib. bello incassum petiti.

Et ecce illis diebus Carolus Rex Hungariæ, filius fratris prædicti Roberti Regis, terram Ducum Austriæ, tunc fautorum Principis, ingressus, ipsam multis hebdomadis potenter vastavit. Prædicti autem Bohemiæ & Cracoviæ Reges, & H. Dux Bavariæ, terram Principis Bavariam superiorem ingredi intendebant. Princeps autem gentem invictissimam congregans terram Henrici Ducis inferiorem Bavariam ingressus est, cũ septẽ millib. Galeatis, illam XVII. hebdomadis devastando. Rex autem Hungariæ audiens tam fortem exercitum adesse Principi, ab Austria sine mora recessit, adventum ejus etiam in Hungaria pertimescens. Alii verò tres, quamvis magnam haberent gentem, expectare Principem in campo non audebant. Veniens autem Dux Austriæ ad Principem, exercitum ejus in Bohemiam ducere nitebatur. Exercitus verò diu in campo fatigatus, se gravem reddebat, ita quod hinc inde exercitus sunt reversi. Dicebatur autem, quòd exercitus Principis, quamdiu habuisset victum, in omni parte mundi jacuisset invictus. Gloriabatur autem Papa Benedictus ab exercitu Principis, cum sibi referebatur, dicens ad Cardinales:

nales: Isti dicunt eum esse destitutum (notando Principem Ludovicum) sed quis adhuc ingressus est locum suum?

Obsidentibus quoque oppidis Imperialibus ad mandatum Ludovici, oppidum Keisersberg, Regi Bohemiæ obligatum: conventum est: quòd nisi Rex Bohemiæ infra certum tempus ipsos liberare posset, Ludovico ex tunc obedirent. Rege verò Bohemiæ eos non liberante: Ludovicus ad jus Imperii oppida Keisersberg/Kirckheim/Münster/castrum Bleckoberg/prius per se obligata Bohemo, retraxit.

Cæsar Bohemo pignoratitia Alsatiæ oppida eripit.

Misit autem Papa solennem legatum ad Ludovicum, Episcopum Magalonensem, qui mores & motum Principis erga Ecclesiam indagaret. Prætendebat etiam Papa occupationem Archiepiscopatus Maguntinensis per Balduinum Treverensem Archiepisc. postulatum per Capitulum Ecclesiæ Moguntinensis factam, & exclusionem Henrici de Virnenberg Archiepiscopi sedis Moguntinæ provisi, reformationi obstare. Volensque procedere contra Treverensem, & Treverensis cum H. proviso concordatus, Archiepiscopatum Moguntinensem, quem potenter tenuit, Capitulo resignavit. Capitulum verò, præsertim Magister Joannes Underschopf/Decanus sedis provisus, adhærentes Imperatori, prædictum Henricum Archiepiscopum, ligantem se, primò Principi, retentis in manib. Capituli sex castris, & abjuratis per eum ne variare posset, sc. Oppenheim/Bingen/Erenvels Starckenberg/Lonstein & Miltenberg/concorditer receperunt, qui & postea ferventer Ludovico adhæsit. Rex quoque Joannes Bohemiæ videns se non proficere, se cum Principe reformavit, homagium præstando eidem. Dataque certa pecunia eidem Bohemo per Australem, in recompensam Ducatus Carinthiæ, cum Australi concordati sunt Hungarus & Bohemus. Quantumcunque autem Benedictus Papa ad absolutionem Principis niteretur: in prædictis tamen Franciæ & Apuliæ Regibus, & quasi omnib. Cardinalibus, seductis per eos, assensum habere nequivit. Unde tandem legatis Principis sæpe ad Curiam venientibus, quibus & legati Regis Franciæ plures in Curia verecundias inferebant, in tantum, quòd nullum poterant habere finem: respondit asserens, sibi hoc non à homine, sed à S. Spiritu inspiratum. Et creditur habuisse reformationē in animo, non cū tanto honore & commodo prædicti Regis & sedis, sed cū eorum detrimento & scandalo processuram: quod & ipsius Regis discrimina subscripta demonstrant. Et ex tunc Papa, qui ab initio quasi mortem non curans, ea quæ gessit in animo, patefecit, motum suum didicit occultare.

Henricus Comes à Virnenburg Archiepiscopus Moguntinus.

In diebus illis Spiræ convenientibus Principe, Henrico Moguntinensi de Virnenburg Archiepiscopo, item Argentinensi, Augustensi, Eistettensi, Spirensi, Curiensi, & quibusdam aliis Episcopis Provinciæ Maguntinæ, convocatis, missisque per eos literis & nuntiis, scilicet Episcopo Curiensi & Gerlaco Comite de Nassawe ad Papam, pro absolutione Principis: & deliberato per eos, si Papa nollet, quod iterum convenire deberent, & deliberare, quid faciendum esset de eo. Cùm Papa Benedictus nuntios recepisset benignè, in aurem nuntiis flens quasi conquerebatur, quod ad Principem esset inclinatus, & quod Rex Franciæ sibi scripserit certis literis, si Bavarum sine ejus voluntate absolveret, pejora sibi fierent, quàm Papæ Bonifacio à suis prædecessoribus essent facta: nuntiique ad rogatum Papæ, per Delphinum per montana sunt usque Lausannam perducti.

Alia Cæsaris ad Pontificē legatio, à Cōventu Spirēsi a. 1336.

Eduardus autem Rex Angliæ valentissimus, renovato contra Philippum prædictū Regem Franciæ odio antiquo prætendens, se verum regni hæredem, habitis tractatibus cum Flandrensibus, Duce Brabantiæ, Comitibus Hollandiæ, Gelriæ, Juliacensi, Montium, & aliis inferiorum partium Magnatibus, qualiter posset ipsum Francum invadere, cogitavit. Quamvis autem iidem Principes Aquilonis ipsum Francum ipsis gravem, exosum haberent: cum tamen omnes quasi ejus essent vasalli, nisi ab Imperatore moverentur, cujus essent homines ligii, invadendi eum cum honore occasionem aliquam non habebant. Et ecce Rex Angliæ cum reverentia accedens Principem in villa Rens, super Rhenum sibi facto homagio, colligavit se eidem. Princeps verò ipsum Regem, datis super eo literis Imperialibus, generalem Vicarium per Germaniam & Teutoniam deputavit. Scripsit quoque literas Princeps Regi Franciæ, quem Philippum de Valesio nominavit, quod ab occupatione terrarum Imperii desisteret, ac fideli Imperii Eduardo Regi Angliæ, Principi suo dilecto super querelis suis justitiam faceret coram ipso Principe: alioquin cùm ipse Philippus feuda quæ teneret ab Imperio, non recognovisset sicut Rex Angliæ, ipsi Eduardo assistere cogeretur in quantum justitia persuaderet, & diffidare Philippum. Quo diffidato, & monitis inferioribus Principibus, ut assi-

Anglus cum Cæsare adversus Gallos fœdus pangens.

NB.

 sterent

sterent Imperio, ut tenerentur: omnes iidem Principes sunt Regi Angliæ colligati. De qua diffidatione Papa Benedictus, ea intellecta, multum jucundabatur.

Dedit autem Rex Angliæ Ludovico Principi LXXX. millia aureorum, & in duplo tantum, ut cum eo cum magno exercitu terram accederet Franciæ, quod eidem promisit. Fuit autem Rex Angliæ recens, & paratus Franciam visitare: sed ex persuasione & astutia Principis, simulantis se illico progredi, non iverunt. Rex autem Franciæ timens eorum adventum, se in finibus regni sui versus Flandriam posuit, cum XXX. millibus galeatis, decem hebdomadis eorum expectans adventum, nunquam in aliqua parte terram inimicorũ attingens, sed quolibet die duos florenos pro quolibet galeato expẽdẽs, exceptis equorum perditionibus, & aliis damnis, ita quod brigarum sarcinam didicit inconsuetam.

Anglus Galliam infesto exercitu petit, 1337.

Sequenti autem anno Rex Angliæ se simulans non iturum in Franciam, cum duodecim galeatorum millibus est ingressus, terramque ipsam per XL. miliaria in circuitu ignis incendio, & aliàs crudeliter vastavit, multasque munitiones non bene fortes funditùs demolivit: Ludovico Marchione de Brandenburg filio Imperatoris, qui tunc eidem Regi cum centum galeatis aderat, in ipso exercitu cum incendiariis Regem continuè præcedente. A Parisiis autem ipsius Angli exercitus minus una diæta distabat, quẽ Francus cum XXX. equitum millibus, & omni sua multitudine aggredi non audebat. Et cùm ipse Anglus conflictum diebus aliquot expectasset, tandem præ carentia victualium illæsus recessit.

Tertio autem anno, Rex Angliæ cum omni potentia Flandrensium, & præscriptorum Aquilonis Principum se parans, Principi Ludovico pecuniam sibi promissam aliquot diebus post terminum statutum in oppidum Franckfurt destinavit, desiderans eum secum propria in persona transiturum. Princeps autem prætendens lapsum termini, & pactum partium de amittendo jam datam pecuniam, cum liberatione promissi, nisi intra terminum præfixum pecunia solveretur: pecuniam remisit eandem: prætendens etiam se non cum quingentis galeatis, prout Rex exegerat, sed cum duobus millibus sub expensis Regis, prout conventum asseruit, & prout deceret Principem, transiturum: sicque conquerente Rege de ipso Principe secundum quosdam, secundum alios ipsis occultè in unum concordantibus, Princeps cum magno vituperio, Alemannorum in partibus remansit. Anglus verò cum prædictis Principibus & Flandrensibus civitatem Tornacensem Regis Franciæ pluribus mensibus potenter obsedit. Francus verò se ponens in vicino, cum maxima hominum multitudine, Angli exercitum non invasit. Habuit enim Anglus, exceptis equitibus, ter centum millia peditum armatorum. Et post multa discrimina, relicta quondam Comitis Hollandiæ Monialis, soror Franci, mater Comitis Hollandiæ, socrus Ludovici Principis, Angli & Comitis Juliacensis de uno exercitu in alium sæpe transiens, treugas ad triennium inter Francũ & Anglum & eorum consortes, cum difficultate maxima ordinavit. Dixit autem Papa Benedictus de Franco: Iste pacem noluit, & elongabitur ab eo.

Induciæ inter Anglos & Gallos.

Cæsar Gallo reconciliatus

Post hæc misit Francus nuntium & literas Imperatrici, filiæ sororis suæ, quam dominam Alemanniæ scripsit, ut inter ipsum & Principem concordiam, si posset, ordinaret, & sibi nuntium, de quo Princeps confideret, de concordia attentanda destinaret. Et missis hinc inde pluries nuntiis & literis inter Principem & Francum interpositis juramentis, & confectis literis, liga perpetua est firmata: in qua ipse Francus Principem cum sede Apostolica reformare juravit. Et sic Princeps per Francum, & in tota Francia, post hæc & Parisiis scriptus est & nominatus Imperator. Cùm autem consiliarii Franci propter processus Apostolicos anxii, dubitarent, dicebant nuntii Principis: Si estis in proposito nostro, quòd processus non ligent, bene consuluistis Domino nostro: sin aliter, tradidistis eundem. Et sic Princeps commissionem Vicariatus factam Regi Angliæ, in Parlamento publico & literatoriè revocavit.

Missisque interim sæpius nuntiis Imperatoris, unà cum legatis & literis Franci, ad Papam, pro reformatione Principis, Papa Benedictus nunquam Ludovicum Principem ad arbitrium Franci, nunc hæreticum, nunc Christianissimum haberi debere, respondit: Et protracto variis occasionib. negotio: Francus (ut credebatur) quod noluisset, simulavit se velle: Benedictus verò quod voluisset, simulavit se nolle.

Inte-

Interim convenientes in villa Rens super Rhenum Imperator & Principes electores, cōfectis desuper literis & juramentis præstitis, quòd imperium & ejus jura contra omnes, nullo excepto, manu tenerent, & ad ipsum omnes quos possent, arctarent, nulla absolutione vel quavis occasione obstante, firmarunt. Post hæc Ludov. Princeps, An. Domin. M.CCC.XXXVIII. Regni sui XXIV. Imperii verò XI. die octava mensis Aug. in Franckfurt vocata Curia, decretum quoddam, de consilio quorundam fratrum Minorum, confectum, sub sigillo suo magno, edidit: in quo & inter alia declaravit, processus quondam Domini Joannis Papę nullos: & quòd Papa non possit contra Imperatorem talia attentare, cùm jurisdictiones sint distinctæ, januis suæ Curiæ affigebat, cum jurium approbatione: ubi & præcepit per Principes invadere prædicatores. Quarum copiam & conjurationis principium cum Papæ tulissem, exponendo, Episcopum Argentinensem non posse plus resistere Principi suo, quò minùs ab eo Regalia, faciendo homagium, recognoscat: ipse visus durè loqui de Principe, cùm à me audivisset benignum sermonem, suum principem plus extulisse, quàm si ei centum millia marcarum dedisset, Papa ultra modum ridens dixit: O vult ergo pro beneficio malum reddere. Ex quo risu apparuit, quòd ex corde verborum duritia non processit.

Decretum Imperiale contra Pontificius in Cæsarem diras, 1338.

M. Albertus de se ipso.

Obiit autem Henricus Dux Bavariæ, gener Joannis Bohemi, relinquens filium parvulum: quo breviter mortuo, Princeps totam ejus terram, scilicet inferiorem Bavariam, excepta parte, in qua matri Henrici relictus usufructus ad tempus vitæ, illico occupavit: quod non solùm Bohemus, sed & Australes ægrè tulerunt. Duo enim filii quondam Ottonis Ducis Austriæ, qui fuerant filii sororis prædicti Henrici Bavariæ, ad terram aspirabant eandem. Rex autem Cracoviæ, qui prædictam relictam etiam non visam, marito vivente amavit, assumpto sibi Bohemo patre, causa videndi ipsam, in Bavariam est profectus, quam invenerat infirmantem. Ingrediens autem pater, rogavit eam, ut advenam Cracovium, eam diligentem, salutaret benignè. De quo Cracovio quasi gentili illa probissima valde territa, cùm eum salutasset, se vertens ad parietem, nullo verbo dicto amplius, expiravit, cujus terram Princeps similiter occupavit. Histriones autem quidam, super prædictorum nece Bavarorum, intoxicationis fraudem Principi impingebant.

Cæsar inferiori Bavaria potitur, 1339.

Eo autem tempore quo Princeps & Anglus amicitiam contraxerant, ut præfertur, actum est quòd filia pulcherrima novennis Angli, quæ ob hoc Monacum missa fuerat, & diu ibi morabatur nuptui dare deberet Friderico, filio quodam Ottonis Ducis Austriæ, cui Princeps de pecunia sibi per Anglum data, dare debuisset XL. millia florenorum. Quam cum non daret, nec Fridericus eam traduceret, Anglus filiam reassumpsit, de quo cùm improperaretur, Australibus iterum missis ab Austria in Angliam nuntiis, de eisdem nuptiis est tractatum. Actum etiam fuerat, quòd filia Principis nubere deberet Lupoldo Australi, ejusdem Ottonis filio juveni: verùm illi duo fratres unus post alterum obierunt.

Item eo tempore Duces Austriæ obierunt, ita quòd de Australibus nemo remansit, nec Albertus arthritide in manibus & pedibus contractus, qui ex Joanna de Phirt conjuge sua Rudolfum filium parvulum habuit, qui cum non crederetur ejus Contracti filius, ipse tamen Albertus suum fecit filium esse & sermonibus prædicari. Cùm autem Ludovicus Princeps aspirare ad Ducatum Austriæ diceretur: idem Albertus ac Carolus Marchio Moraviæ Bohemus, de prædicto Rudolfo puero & filia Marchionis sponsalia contraxerunt.

Rudolfus Dux Austria

Cùm autem Rupertus Rex Siciliæ imò Apuliæ non haberet filium, misit ad Carolū Regem Hungariæ, fratruelem suum, ut sibi unum de filiis suis destinaret, post se dominia sua obtenturum, recognoscens se eundem Carolum supplantasse. Misso itaque Andrea Hungari filio, Robertus ei neptem suam ex filio copulavit. Mortuo autem eodem Carolo quarto Hungaro, successit ei filius primogenitus Carolus quintus: idemque Carolus quintus Rex Hungariæ filiam Caroli Marchionis Moraviæ duxit in uxorem. Obierat autem sine liberis masculis, uxor Ludovici Marchionis de Brandenburg, primogeniti Principis, quæ fuit filia Regis Daciæ.

Andreas Regis Vngaria F in spem regni Apulia vocatus.

Cumque Joannes Comes Tyrolis, filius Bohemi impotens, uxorem suam semifatuam plurimùm molestaret, inter alia ejus mordendo mammillas, illa cum Baronibus suis habitis occultis tractatibus, ejecto Bohemo de comitatu, prædictum Ludovicum Marchionem de facto in maritum recepit. Sicque Ludovicus Princeps, filium Joannis Regis

Comitatus Tyrolis ad Brandeburgicum, Cæsaris filium.

Regis Bohemiæ, uxore & Dominio spoliavit, inconsuetum & horribile facinus attentando. Filium namque ad hoc maleficii genus induxit invitum, quòd videlicet uxorem sui consanguinei in tertio gradu, non separatam ab ullo judice Ecclesiæ, ipsamque suam consanguineam non uxorem, sed mœcham traduxit. Prætendit autem Princeps, se justè illum à comitatu ejecisse, de quo (ut tenebatur, & ut sibi per Regem Bohemiæ patrem promissum asseruit, sub cautione rehabendi civitatem Egram, quod non fieret) nunquam se à Principe petierit investiri. O idolorum servitus avaritia, quæ tantos Principes confudisti, ex quibus iterum inter Bohemos & Principem & filios suos non immeritò livor edax, & odia suscitantur.

Progredior autem ad gesta sub Clemente Papa sexto, ad aliqua quæ sub Benedicto gesta sunt, reversurus.

Mortuo namque Ruperto Siciliæ Rege, & prædicto Andrea fratre Hungari regnum comitatumque Provinciæ, & omnia Roberti dominia obtinente, eoque apud Papam Clementem pro coronatione laborante: Papa sibi Cardinalem dare nisus est, curatorem: quod ille potens nimium, vilipendit. Cardinalis quoque Petragoricensis (ex cujus sorore olim Joannes, frater Roberti Regis, reliquit filium Principem Taranti, pro eodem Principe in Consistorio allegavit: ipsum tanquam una linea Ruperto proximiorem, quàm fuerat Andreas, in dominiis præferendum) coronationem plurimùm impedivit. Cumque ipse Andreas eadem dominia annis aliquot tenuisset, tandem missis Papæ, per Regem Hungariæ, fratrem Andreæ, octoginta millibus florenorum, pro coronatione Andreæ, cùm crederet coronari debere: nocte Neapoli, cùm ipse Andreas in camera sua jam ingredi vellet lectum, quidam vocantes eum, dicebant, sibi de fratre suo nuntios destinatos. Quos cùm in crastinum expectare juberet, & illi pro ejus egressu instarent, uxor Andreæ ipsum egredi incitavit. Quo egresso de camera, illi mittentes laqueum in collum Regis Andreæ, ipsum crudeliter jugularunt, ipsum etiam præcipitantes de muro. Nutrix autem ejus, quam de Hungaria secum adduxerat, quæ frequenter Reginæ aderat, de mora reversionis Andreæ attædiata, egressa cameram, cùm neminem invenisset, prospiciens per fenestram, videbatur sibi videre regem in terra jacentem, ac territa dicens, Domine; ac repentè descendens, ipsum reperit jugulatum. De quo crimine non solùm uxor & Princeps Taranti, sed & Papa & aliqui Cardinalium tenebantur suspecti. Factum est autem hoc facinus, anno Domini, M. CCC. XLV. Sed quid ex hoc sequutum sit, reservans, regredior ad priora.

Andreas Apuliæ Rex dolosè peremptus. 1345.

Nota regressum ad priora.

Temporibus prædictis erant duo fratres Delphini Viennenses, nepotes Caroli tertii Regis Apuliæ, ex filia, & pronepotes quondam Rudolphi Romanorum Regis: quorum junior Humbertus nomine, ducens filiam sororis Roberti Regis, fratris prædicti Caroli, cum ipso Roberto Neapoli morabatur. Socer autem prædicti Humberti, quem uxor ejus clam receperat, Comes Novellus à * novitate est dictus. Orta est autem briga durissima inter Delphinum seniorem, & Aimonem Comitem Sabaudiæ, & tempore Joannis Papæ multis annis durans: ac tanden Delphino per jaculum in cujusdam castri prædicti Comitis obsidione occiso, Humbertus frater ejus dominium Delphinatus nanciscens, ita Aimoni Comiti reformabatur, quòd pro majori cautela quilibet eorum vasallus alterius est effectus, sicque inter eos briga cessavit. Hic Humbertus benè liberatus, liberis carens, faciem quasi muliebrem habens, plus sermonibus & studiis, quàm militiæ insistebat. Hunc Benedictus Papa diligens, statim promoto Curiam suam Avinionem dedit eidem. Et quia Papa Regi Franciæ exosus erat, multum in Delphini defensione confidit. Cùm autem Papa quandam terram Delphini, vicinam Curiæ, ab eo emisset, si sine liberis decederet, ad Romanã sedem devolvendam, pro quinque millibus florenorum, ipsique Delphino pro vita sua castrum pontis Sorgiæ assignasset, recepta pecunia: homines terræ illius cùm consentire nollent, distracto contractu pecunia Delphino ferè tota remansit.

Delphini Viennenses.

**al. nativitate.*

Misit autem Rex Franciæ pro Delphino: qui cum bona fide ad Curiam Regis venisset, quidam eum salutans in transitu, dixit ei: Facite quicquid petetur à vobis, vel perpetuò estis tentus: Ductus autem Delphinus ad cameram Regis, in præsentia consilii audivit à Rege: Avuncule, cupio quòd recipias pecuniam, & sis servitor meus,

meus, annuens omnibus factis meis. Ad quod respondit Delphinus: Domine, cùm sitis consanguineus & promotor meus, aliàs in omnibus vobis consentirem: ex quo ergo largitatem vestram mihi ostenditis, fervenrer in omnibus vobis astringar. Rex autem grates ei referens, & annuos redditus eidem promittens, dixit: Cùm intendam villam Viennensem citra Rhodanum circundare muro, rogo quòd tibi placeat? Cui ille: Non solùm illud, sed quicquid volueritis placet. Delphino itaque evadente, Rex illico ex opposito Viennæ civitatem construxit, turrim in ponte ponendo, quod ante præ Delphinis aggredi non audebat.

Villa Viennensis Galliæ.

Post hæc idem Rex cum auxilio Archiepiscopi Viennēsis attrahere conabatur Viennam. Veniens autem Delphinus, Archiepiscopum expulit. Transeuntes autem ministri Regis, dixerunt Delphino: Domine, factum Archiepiscopi est factum Regis. Quibus ille: Satis habet agere rex vester, vehementer abite: & sic dolus regis est impeditus. Post hæc tempore Clementis Papæ sexti, cujus & regis Franciæ unum cor erat, actum est, quòd terra Delphini post mortem ejus liberis carentis, pro multa pecunia data & promissa, ad regem devolvi deberet: quæ tamen terra quasi tota ab Imperio detinetur.

Delphinatus regno Galliæ attributus.

Temporibus prædictis rex Lithuaniæ gentilis, juvenis & recens, tempore ipsius Clementis, fratres Teutonicos sanctæ Mariæ in Prussia & Livonia plurimùm infestavit, multa Christianorum millia occidendo, & conversos ad fidē reducendo in perfidiam. Venerunt autem Magistro Ordinis, sequenti anno, scilicet sub anno Domini M.CCC.XLV. in subsidium, reges Hungariæ, Bohemiæ, Marchio Moraviæ filius Bohemi, Comes Holandiæ, & multi Dominorum. Sed propter desidiam Magistri, de eis diffidentis, cùm venissent in terram Lithuaniæ, & diceretur regem Lithuaniæ in Prussiam ex alia parte ingressum, reversi sunt, & infecto negotio discesserunt. Ob quam desidiam deposito Magistro, alter virilis est substitutus.

Eisdem diebus Comes Holandiæ, juvenis & recens, qui fuit frater Imperatricis & Reginæ Angliæ, gener Ducis Brabantiæ, reversus à Prussia, civitatem Utrich longo tempore cum innumerabilibus expensis, in odium Frisonum, potenter obsedit. Quibus sibi cum quibusdam pactis reformatis: postea Frisiam ingrediens, à Frisonibus est occisus: cujus relictam postea ad septem annos accepit filius Joannis Regis Bohemiæ, Comes de Ingelburg in uxorem. Sicque eodem anno Domini M.CCC.XLV. ante autumnum Comes Holandiæ, & Andreas Rex Apuliæ perierunt.

Trajectum infertur.

Wilhelmi Holandiæ Comitis interitus, 1345.

Eo tempore gentiles, scilicet Turci, qui & ante regnum Armeniæ ad perfidiam coegerant, & terras Christianorum, scilicet Cyprum Insulam, Rhodo Hospitalariorum, & alias vicinias cœperunt viriliter infestare. Quibus Veneti, Rex Cypri, Hospitalarii & alii Christicolæ restiterunt: quibus etiam Delphinus cum CCCC. coopertis equis, quasi sub nomine Papæ, in subsidium transfretavit: qui prædictum Regem Andream Apuliæ, consobrinum suum, in itinere jugulatum invenit.

Tempore Benedicti Papæ anno Domini M.CCC.XXXV. Sabbato quo cantatur *Charitas*, cùm Berchtoldus Episcopus Argentinensis monuisset omnes Rectores Ecclesiarum, & alios ad sacerdotium astrictos, ut ad sacros ordines ascenderent, & ob hoc conspirantibus contra eum, cū Gebhardo de Friburg præposito, Conrado de Kirckel thesaurario, & quasi toto clero appellantibus: inter Episcopum & clerum grave scandalum est subortum.

Mortuo Gebhardo Præposito Argentinensi, ac Joanne de Liechtenberg/& Ulrico de Signowe/filio sororis prædicti Berchtoldi Episcopi, in discordia ad præposituram electis, & Ulrico per Episcopum, Joanne verò postea per H. Archiepiscopum Moguntinum in discordia confirmatis, C. de Kirckel & pluribus aliis Prælatis habentibus rancorem contra Episcopum: Ecce ipse Episcopus in villa Haselach/circa mediam noctem per Rodolphum de Hohenstein, & suos complices familiares, C. de Kirckel & Jo. de Liechtenberg/fuit captus, & primò ad castrum Waldecke, & postea ad castrum Kirckel adductus honorificè, sed tutissimè est detentus, & eductus fuit nudo corpore, anno Domini M.CCC.XXXVII. quinto Non. Septemb. Quod intelligens Papa Benedictus, illicò Joanni Senepiscopo Basiliensi, Argentinensis Ecclesiæ administrationem commisit, quia fuerat filius sororis ejusdem Berchtoldi Episcopi, & contra captivatores prædictos, per excommunicationis sententiam processit.

Berchtoldus Argentinensis Episcopus capitur 1337.

Venit a. iisdem temporibus Argentinā Albert. Dux Austriæ, Episcopi confœderatus

de A quis-

de Aquisgrano in peregrinatione, cujus intentio tunc fuerat ad obsidendum Nüwilre/ & alias munitiones Joannis de Lichtenberg/ & Sigismundi fratris sui, propter captivationem prædictam: quæ obsessio fuerat obmissa, quia asseruerunt prædictum C. de Kirckel fore principalem hujus facti. Tandem cùm ipse Episcopus XVI. hebdomadis fuisset captivatus, post multos tractatus amicorum suorum, sub multis cautionibus, fidejussoribus, & obsidibus, ac variis pactis extitit liberatus, & cum C. de Kirckel concordatus.

Moguntinæ Provinciæ Episcopi pro Ludovico apud Pont. intercedunt.

Veniente autem illis temporibus Ludovico Principe Columbariam, Argentinensis & Basiliensis Episcopi ipsum cum magna multitudine accesserunt, & qualiter circa Episcopum Argentinensem actum fuisset, eidem enarraverunt. Ille autem simulans se dolere, ad attrahendum eos suo servitio insistebat. Argentinensis autem Episcopus congregationem Episcoporum Provinciæ Moguntinæ persuasit. Quibus sic Spiræ congregatis, ac Henrico Archiepiscopo Moguntino sedis Apostolicę proviso, qui & ipse Principi se colligaverat, ad inducendū in idipsum Argentinensem plurimùm laborante, communi consilio missi sunt, Ulricus Episcopus Curiensis, & Gerlacus Comes de Nassowe, ex parte Episcoporum Moguntinensis provinciæ, ad Papam & Cardinales, pro reformatione Principis Ludovici laborantes, quibus Papa Benedictus, præ timore Regis Franciæ annuere non audebat, sicque infecto negotio celeriter ad partes suas sunt reversi.

Cùm autem Princeps & Moguntinus prædictum Berchtoldum Episcopum Argentinensem ad concordandum cum ipsis, & ad recognoscendùm sua Regalia à dicto Principe, precibus, muneribus vel minis inducere nequivissent, ipsi Principes asserentes ipsum Episcopum dixisse: Si nuntii prædicti infectò negotio à Papa reverterentur, se velle concordare cum illis, quod tamen ipse Episcopus negavit, & quòd ipsi se pro liberatione Episcopi, fidejussoris & obsides constituerunt, & quòd eos liberare nollet: ligæ pacis generalis Rheni inferioris acriter sunt conquesti, de quo instrumentum publicum produxerunt contra ipsum.

Papa vetat Argentinensem Cæsari homagium præstare.

Præmiserat autem illis temporibus Episcopus Argentinensis Papæ & Cardinalibus nuntios, & literas pro consilio & auxilio, vel quod sibi indulgeretur, quòd posset Principi homagium exhibere, cùm non præsumeret se posse finaliter reluctari. Papa autem dicens, illum Coronam Imperialem non à Papa recepisse, respondit, quòd si in hujusmodi consentiret homagium, per hoc posset Romanę Ecclesiæ præjudicium generari, & quòd ipse Episcopus in resistendo illi, sine jactura Ecclesiæ suæ faceret posse suum. Licet autem multi Cardinalium ad subveniendum Episcopo ferventer instarent, Papa parvipendens factum dixit, Isti vellent, quòd facerem perire istum bonum hominem, quem scio reluctari non posse.

Victus Argentinensis officium facit.

Tandem cùm Argentinenses & terra *Mundat* per advocatum Principis, propter rebellionem Episcopi Argentinensis, damnificati fuissent: ecce Argentinenses inito consilio, Episcopum nisi concordaret cum Principe, diffidarunt. Tunc Episcopus in expensis exhaustus, à suis derelictus, metuensque se à suis oppidis excludi, propter favorē Argentinensium anxius, licet paulo ante in capitulo suo respondens Consulibus Argentinensibus dixit: Potius se velle reverti in Ordinem suum Teutonicum, quàm Ludovico Principi homagium exhibere: de communi consilio omnium suorum fidelium, Spiram Principem accedens, scrupulum conscientiæ obmittens, sibi homagium fecit, & regalium suorum ab eo, tanquam Imperatore, investituram accepit: protestans in Principis præsentia, eo consentiente, quòd non minùs Domino suo Papæ vellet in omnibus obedire: protestans etiam ante accessum, in præsentia multorum Comitum & Baronum, quod hujusmodi homagium faceret non voluntarius, sed coactus. Sicque in choro majoris Ecclesiæ Spirensis, cum Principe & Moguntino Missas audivit. Papa autem ob hoc Episcopum Argentinensem pro excommunicato non habuit, nec eò minus causas delegandas ei scienter commisit.

Clemens 6. Pontifex, 1342.

Obiit autem feliciter Benedictus Papa, octavo anno Pontificatus sui, scilicet Anno Domini, M. CCC. XLII. de mense Maij, & inclusis Cardinalibus per Seneschalcum Provinciæ, statim electus est, Petrus Rogerii, ordinis S. Benedicti, Cardinalis, qui fuit Rotomagensis Archiepiscopus, progenie militaris, qui nominatus est Clemens

sextus.

sextus. Statim ergo ut electus est Petrus, sermonem faciens, & grates DEO referens, qualiter primò in divitem Abbatem, postea in meliorem Episcopatum, tertiò in optimum Archiepiscopatum Franciæ promotus fuerit, & has dignitates omnes gravibus reliquerit sarcinis debitorum gravatas, & postea ad Cardinalatum, & postremò ad summam hanc dignitatem pervenerit, nutu divino, eò quòd priora cum nutrire nequiverant, per ordinem enarravit. Hic ab antecessoris sui moribus multùm distans, mulierum, honorum & potentiæ cupidus, ac suorum avidus promotor, ac seipsum & Curiam de Simonia diffamans, ipse Francus Franco ferventer adhæsit. Tempore quoque coronationis suæ, primogenito Franci, qui cum Duce Burgundiæ avunculo suo aderat, magnam pecuniæ summam erogavit. Qui filius Franci, gener Bohemi, intrans Consistorium, pro Rege Alemanniæ rogavit, sed in dolo.

Curia papalis simonia nomine diffamata.

Hic Papa cum arma progeniei suæ haberent quinque rosas contra morem antecessorum, totidem rosas poni fecit in Bulla. Qui cùm adhuc esset Rotomagensis, Parisiis in præsentia Franci & Bohemi, publicum sermonem faciens, ipsos contra principem: quem nominavit Baurum, animavit: interpretans nomen Baurus, id est, *nesciens tergere barbam*, quia tantam dixit esse fœditatem oris sui, quod ipsam abjicere non valeret. Hic omnes Ecclesias mundi per petitiones in immensum gravavit. Et cùm quæreretur, an pauperes clerici bene examinari deberent: respondit, quòd montes & colles ipsos examinassent. Cui Papæ Rex Angliæ de consilio cleri & populi Angliæ rescripsit, quòd in concessiones hujus, quas ipse Papa faceret, præsertim advenis, qui thesauros Ecclesiæ deferrent, & in provisiones prælaturarum, nullatenus consentiret: quia cùm olim Reges Angliæ Ecclesiarum patroni de consensu sedis Apostolicæ capitulis concesserint electionem, si Papa pacta hujusmodi non servaret, res in pristinam reverteretur naturam.

Simulavit autem Papa se reformationem principis affectare: missisque iterum atque iterum nunciis per Principem ad Papam & ad Regem Franciæ, illoque literis & nunciis intercedente pro ipso, sed ut videbatur in dolo: legati verbis diu tenti, finem habere non valentes, infecto negotio sunt reversi. Papa autem munitionem literis ostiis Ecclesiæ Avinionensis affixit, contra principem, ut usque ad certum diem satisfaceret Deo & Ecclesiæ, & ab occupatione jurium Imperii desisteret, & plura alia faceret sub gravium comminatione pœnarum. In quo termino, in Consistorio, & crastino similiter, Latinè & Teutonicè clamari fecit, si aliquis adesset pro Ludovico de Bavaria: nemine tamen comparente. Et licet contra eum intendisset acriter procedere: támen ipsum Ludovicum reputavit solummodo contumacem. Scripsit etiam Princeps Franco, cùm certum esset Papam ad nutum suum regi, si quid contra se fieret, hoc à Franco haberet, & secundum hoc se regeret: & ipse princeps literas Franci principibus ostendebat. Unde pro tunc Francus scripsit Papæ, quòd nullatenus procederet contra Ludovicum.

Cæsar à Pontifice contumacia damnatus.

Missisque iterum per principem literis & nunciis ad Curiam & ad Francum, ad sciscitandum causam impedimenti reformationis, cùm ipse paratus esset omnia facere quæ sibi injungerentur à Papa: datoque responso per Francum, quod diceretur per Papam, quòd non peteret eo modo gratiam, quo deberet. Nunciisque (prout in mandatis habebant) dicentibus, quòd daretur eis forma Procuratorij, Papæ placens, secundum quam, qualiscunque esset, se petituros, dicebant. Conceptumque est procuratorium turpissimum & rigidissimum, quod non credebant Ludovicum sigillaturum, etiamsi captus fuisset. Dabatur enim in eo potestas, Humberto Delphino, avunculo principis, item Augustensis & Babenbergensis Ecclesiarum præpositis, item M. Ulrico Cancellario suo, in solidum confitendi omnes errores & hæreses. Item resignandi Imperium, nec resumendi, nisi hoc fieret de gratia Papæ, & se ac filios suos, ac bona, ac statum suum in manus & voluntatem Papæ ponendi, & multa insolita faciendi. Verùm Princeps mandatum hujusmodi non solùm sigillavit, sed etiam coram tabellione, misso per Papam, se servaturum, nec revocaturum juravit. De quo Papa ipse & Collegium mirabantur, dicentes intra se: iste homo diffidentia est perplexus. Illisque quatuor procuratoribus juxta formam mandati jurantibus, ac pro articulis injunctionis & pœnitentiæ denuò instantibus, nec sine articulis abire volentibus: tandem Papa de consilio Collegii, articulos quos principem facere voluit, qui non tangebant personam ejus, sed statum Imperii, assignavit. Quibus articulis principi præsentatis, ipse eorum copiam universis

Indigna Pontificis postulata Ludovico proposita, 1343.

Principibus, præsertim Electoribus & magnis civitatibus destinavit, omnes principes & civitates & oppida totius Alemanniæ ad Parlamentum publicum super ejusmodi facto in Franckfort convocando. Electores autem Principes, & inferiorum partium magnates, octo diebus ante hujusmodi terminum Coloniæ convenerunt, hujusmodi articulis se opponere concorditer decernentes.

Capita reconciliationis à Pontifice dictata, Imperii decreto repudiantur, 1344.

Convenientibus autem in Franckfurt principum & magnatum & civitatum, & oppidorum imperialium nuntiis, scilicet sub anno Domini M. CCC. XLIV. de mense Septembri, & quærente Principe de civitatibus Aquensi, Augustensi & Uberlingensi & aliis si adessent: & dicto quod sic, & auscultantibus omnibus: Magister Wigkerus protonotarius Archiepiscopi Treverensis jussus per Principem, sic incepit. Gratiose Domine, Domini nostri Principes, Electores, & alii Imperii fideles, pridem Coloniæ congregati, recensentes articulos reformationis vestræ, quos Papa requirit, & in quibus intentio Apostolicæ sedis resedit, concorditer decreverant, illos articulos in perniciem & destructionem Imperii esse conceptos: & quòd nec vos, nec ipsi, virtute juramenti Imperio præstiti, annuere valeatis, & quòd ipsi nuncios & literas dirigere velint, Papæ & collegio, ut ab his desistant. Quod si nolint, jam alium terminum in Rens super Rhenum, ad octo dies statuerunt, ubi vobiscum deliberare volunt, qualiter in eventu tali hujusmodi conatibus resistatur.

Quo dicto pro illum finito, quæsivit ipse protonotarius à Moguntino præsente, & à legatis aliorum principum, si ita esset in facto: illisque respondentibus, ita esse: dixit Princeps nunciis civitatum: Vos audîstis decretum & consilium principum. Vos igitur nuncii exite, nobisque vestram deliberationem referte. Illique exeuntes, diuque deliberantes, ad principes redîere, & per civem Moguntinum de mandato omnium taliter responderunt. Domine (notando Principem) Civitates adverterunt, qualiter Papa cum articulis ad læsionem Imperii nititur. Et cùm civitates non possint stare nisi cum Imperio, & Imperii læsio earum sit destructio: si Dominus Papa in talibus persistere vellet, nos inopes omnibus viis, quas cogitaverunt Domini Principes Imperii, ad manutenendum jura, honorem & integritatem Imperii, erimus obedire & manutenere parati. Et quærente illo cive à nunciis, si ita esset, omnibusque nunciis dicentibus, quòd sic: Princeps grates multiplices referens, ait illis: Post octo dies ego & principes conveniemus in Rens super Rhenum, & avunculus noster Carolus marchio Moraviæ, & deliberationem nostram cum vobis scripserimus, circa honorem nostrum & Imperii (ut confidimus) faciatis: qui hoc facere concorditer promiserunt.

Litera ordinum Imperii ad Pontifice.

Post hæc convenientibus Principibus in Rens, & de scribendo Papæ conferentibus: Princeps & Bohemus cum filio suo, cùm super læsionibus illis factis concordare non possent, in invidia discesserunt. Nuncii autem Principum cum Papæ contradictionem articulorum referrent, nec tractandi de aliquo mandatum haberent: Papa cogitans se delusum, majore dolo & invidia contra Principem movebatur, cum Bohemo & filio, ac Treverensi eorum patruo, ad perpetuum Principis & liberorum suorum exterminium cogitando, qui conceptus biennio parturiens, fecit aborsum.

Bellum inter Angliæ & Franciæ Reges recrudescit. 1346.

Post hæc Eduardus Anglus Papæ & Collegio scribens, se Franciæ & Angliæ regem, ac Dominum Hiberniæ, qualiter Philippus de Valesio occupator Regni Franciæ, ipsi Anglo jure hæreditario tanquam proximiori in gradu debito, pacem & treugas ab ipso Anglo dolosè per Sedem quasi extortas, infregerit, in hominibus & in rebus: nonnullos Angli fideles occidendo, aliquas terras, quas tempore treugæ initæ possederant, spoliando: cum tamen actum fuerit, quòd quilibet ipsorum & fideles eorum in ea possessione qua tunc fuerant, manere deberent, & quod ipse Philippus & sedes Apostolica sæpe per ipsum Anglum requisiti super reformatione attentatorum, aliud non fecerint, nisi quod legati Sedis, Cardinales videlicet, vel ad avertendum fideles Angli ab ejus servitio nitebantur, & sic pacem, quam Philippus non servaverat, nec sedes reformari juxta promissum procuraverat, ipse Anglus observare non posset, sed se & suos defendere cogeretur. Philippus sic diffidando, statim cum magno exercitu Flandrenses expugnabat, comitemq; Flandriæ, quia ea quam ab Imperio tenuit, recognovit se à Philippo tenere, à terra Flandriæ ejecit.

L. Cæsaris execrationes à Pon-

Eodem tempore, anno Domini M. CCC. XLVI. in cœna Domini, Clemens Papa contra Ludovicum principem crudelissimum faciens sermonem, contra ipsũ durissimè proce-

procedens, & eos processus Papæ Joannis innovans, ipsum hæreticum & schismaticum declaravit, in processu pœnas juris hæreticorum, & omnes maledictiones antiquas inferendo: in quo etiam monuit Principes Electores, ut Regem eligerent idoneum in Imperatorem, promovendum infra certum tempus expressum, ne Ecclesia diu advocato careat: alioquin circa hoc sedes Apostolica cogitaret.

...tifice repetita

Moguntinus Cæsari favens officio privatur.

Illis etiam temporibus Papa Clemens, H. de Virnenberg Archiepiscopum Moguntinensem deposuit, Gerlacum filium Ger. Comitis de Nassawe, nepotem quondam Adolphi Regis, circa vigesimum annum agentem, in archiepiscopum promovendo. Causa autem depositionis fuerat, quod adhæserat & favebat Principi, propter quod excommunicatus fuerat, & in excommunicatione animo indurato pluribus annis perseveraverat. Idem namque H. Archiepiscopus, cùm antè habuisset litem, cum Roberto Duce Bavariæ, filio quondam Rudolphi fratris Principis, propter castrum & oppidum Winheim/an der Bergstrassen/& iisdem diebus litem haberet cum Marchione Missenensi, filiastro Principis & lis Ducis & Archiepiscopi in principem compromissa fuisset, qui in Franckfurt partibus terminum statuit, ac partes, cùm mutuò cum armata gente inibi convenire niterentur, ac Princeps circa quatuor millia galeatorum ibi convocasset: Robertus Dux videns, se non posse inibi dominari, cum paucis veniens, & se deprehendi suspicans, repente recessit. Propter quod Princeps Moguntino adjudicavit petita, Ducem in multis condemnando expensis. Post hæc Roberto Duce se cum patruo reformante, & iterum per Principem partibus termino statuto: Princeps (quod Winheim pro certa pecunia, pro qua obligatum dicebatur Archiepiscopatui Maguntino, eidem Duci per Moguntinum restitui deberet, decrevit: de quo Moguntinus commotus, Winheim cum omni jure suo Capitulo resignavit, dicens: se fine illis compromittere nequivisse. Et ex tunc quæsivit se absolvi à Papa: sed cùm Papa eum nimis astringere vellet, non solùm contra Ludovicum principem, sed etiam contra jura Imperii: nuncii ejus infecto negotio sunt reversi, ipseque se cum Duce & Principe reformavit, propter quæ depositus est per Sedem, ut supra.

Eisdem diebus B. Episcopus Argentinensis per Papam est absolutus præstito juramento, quòd eidem Ludovico de cætero non assistat, nisi fuerit cum Ecclesia reformatus.

Episcopus Pragensis Archipiscopali dignitate donatur.

Eisdem diebus Joannes Rex Bohemiæ, & Carolus Marchio Moraviæ filius ejus, fuerunt in Curia, de oppressione Ludovici principis, & promotione Caroli cogitantes. Antea autem idem Carolus in Curia existens, in odium Heinrici Moguntini, Pragensem Episcopum, subditum Moguntinensi, promoveri in Archiepiscopum procuravit, & duos Episcopatus in Bohemia sibi subjici, & à Moguntinensis Ecclesiæ ditione absolvi, & eidem Pragensi jus coronandi regem Bohemiæ, quod antea habuit Moguntinus, concedi: jurans, idioma Bohemicum à Germanico distinctum. De quo postea argutus Joannes Rex Bohemiæ, pater ejus, Principibus, quod fine scitu ejus factum esset, juravit.

Carolus 4. contra Ludovicum Cæs. renunciatus

Post hæc provisus Moguntinus Gerlacus de Nassowe, ad villam Rens super Rhenum, ad feriam quartam post Margaretæ, sub anno Domini M.CCC.XLVI. volens Apostolico mandato obedire, quantum in eo fuit, ad eligendum Regem, principes convocavit: ubi convenientes Balduinus de Lützelburg Treverensis, Walderamus de Juliaco Coloniensis, item Gerlacus de Nassowe noviter provisus Moguntinensis, Archiepiscopi, item Rudolfus Dux Saxoniæ & Joannes Rex Bohemiæ, & Imperium diu vacasse decernentes, prædictum Carolum Marchionem Moraviæ in regem elegerunt Romanum. Pro quo facto, prædicti Coloniensis & Dux Saxoniæ magna pecunia sunt corrupti.

Holandiæ comitatus ad Imperatricem devolvitur.

Intenderat autem idem electus in instanti ire Aquisgranum pro coronatione, quam Coloniensis ei nitebatur impendere: cui tamen Aquenses, quantum in eis fuerat, intenderant resistere. Imperatrix autem tunc in Holandia scripsit Ludovico principi, quod per gentem suam posset resistere Carolo, ne posset Aquisgranum venire. Occiso enim à Frisonibus anno priore Comite Wilhelmo Holandiæ sine liberis, cùm Imperatrix esset senior sororum ejus (regina enim Angliæ & Comitissa Juliacensis juniores fuerunt) gentes autem Wilhelmi occisi, Imperatricem & unum de filiis suis accipere in Dominos decreverunt. Transcenderat autem in hyeme Imperatrix cum uno filio suo novenni per Lotharingiam & Franciam, & primò veniens Hennegowe / inibi est recepta: ita tamen quòd de reditibus terrarum nihil reciperet in usus suos quousque occisi omnia debita essent persoluta. Promovit autem Rex Franciæ Imperatricem, neptem

suam forsan non amore Principis, sed quia terras per Anglum timuit occupari. Anxius autem princeps, qui tunc steterat in terra sua Bavaria, propter diutinam uxoris absentiam, cùm misisset pro illa, gentes autem illæ vellent habere seniorem filium Imperatricis pro Domino: Princeps Wilhelmum filium suum misit ad terram illam, cum Comite de Katzenelnbogen, post quem idem filius spadonem more garconis equitabat: timot enim erat, propter litem prædictam ipsum deprehendi in via.

Episcopus Leodiensis contra cives suos infeliciter dimicat.

Cùm autem Carolus electus, ad coronationem ivisse debuisset, eodem mense Julii Episcopus Leodiensis, propter quędam homicidia & injurias clero allatas, civitatem Leodiensem obsedit, volens ibi ad condemnandum illos pro tribunali sedere, ad quem Episcopum tanquam consanguineum & adjutorem suum, idem Carolus properavit, & pater ejus. Habuit autem Episcopus secum circa septem millia galeatorum. Aderant enim sibi Rex Bohemiæ, & Carolus filius ejus, item Comes Marchiæ, & frater ejus. Item Marchio Julicensis, Comes Montium, Dominus de Valckenburg/& alii multi Barones. Miserant autem quædam civitates vicinæ populo Leodiensi X L. millia peditũ armatorum, qui se posuerunt in locum judicii, qui sunt extra muros civitatis, se circumvallantes, ne ibidem Episcopus posset præsidere. Cùm autem extra locum illum Episcopus præsidere niteretur, habitisque inter partes tractatib. volenteque populo Leodiensi restituere clerum in personis & rebus, & super injuria ad arbitrium meliorum Episcopi adjutorum satisfacere: Episcopo autem contra consilium suorum omnino præsidere volente: ecce quidam ribaldi de populo impetum facientes in aciem equitum, qui versus stratam, ubi popularibus patebat exitus, fuerant ordinati, eosdem equites ad ingressum per eandem stratam ad populum provocarunt, & ingredientibus circa quingentis galeatis, occisisque in impetu multis de populo non armatis: populo verò armato in equites impetum faciente, multisque occisis, & præcipuè Domino de Valckenburg valentissimo, quingenti ingressi, cum alii non sequerentur, eò prout poterant evaserunt, totaque acies Episcopi statim confusa recessit. Juliacensis autem Marchio in loco libentissimè permansisset.

Anglus infesto exercitu Galliam invadit.

Venientibus autem Joanne Rege Bohemiæ & Carolo filio suo Treverim, statim venerunt nova, de transitu Regis Angliæ in terram Franciæ, Francusque Bohemos pro adjutorio deprecatur: qui illico in Franciam sunt profecti. Anglus autem Normandiam partem Franciæ ingrediens, cum aliquibus egregiis victis civitatibus, aliis verò modicis omnino destructis, spoliisque in Angliam destinatis, terram illam per LX. milliaria in circuitu ignis incendio devastavit. Post hæc ad civitatem Parisiensem ad unum miliare transivit, ibique multis diebus glorians, multaque vastans, non audente Philippo cum longè majori gente Parisios egredi contra ipsum, tandem præ defectu victualium recessit: versusque civitatem Ambianensem descendit. Egrediebatur autem Philippus, sequens eum cum gente innumerabili equitum & peditum, ad quatuor diætas, & ubi Anglus præcedente nocte jacuit, se posuit Francus sequenti nocte. Sentiens autem Anglus illos sequentes, uno die eò velociùs quandam sylvam transivit, manè juxta sylvam quasi absconsus se ad conflictum disponens. Transiens autem Francus cum exercitu suo, cum credidisset Anglum ad unam diætam transiisse, ecce reperit eum ad conflictum paratum. Anglus enim omnes equos suos cum Garconibus à se juxta sylvam collocans, pedestribus se commisit, curribus se circundans, ne equites Franci alibi quàm in cornu anteriori invadere eum possent, ante se & milites suos præmittens triginta millia sagittariorum.

Gallorum clades ad Cresciacum.

Francus autem præmisit X. millia sagittariorum, & gentem innumerabilem CCC. millium peditum, ac paneria fratris sui Comitis, item Comitis Flandriæ, Ducis Lotaringiæ, & aliorum, post illos ponens Bohemos & Alemannos. Nolebat enim honorem progrediendi dare Alemannis. Ita se Franci crediderunt securos: manens ipse Francus cum exercitu suo circa XVI. millium equitum.

Congredientibus autem primis ad conflictum, circa meridiem, sabbato post Bartholomæi Apostoli, anno Domini M. CCC. XLVI. diuque certantibus, sagittariisque Franci terga vertentibus, ac cum populo fugientibus: tota Franci acies fugam dedit, eo reclamante, diuque cum paucis manente. Diu autem in certamine remanserant Alemanni, ita quòd multa millia hominum sunt occisa. Ceciderunt inter alios Joannes Rex Bohemiæ, qui cœcus fuerat, & se ad conflictum per Henricum Monachi de Basilea, & H. de Clingenberg milites, fecit adduci: Rudolfus Dux Lotaringiæ, Comes Flandriæ, Comes

mes de Blefs nepos Franci, Comes de *Salmis*, dictus de *Rotbach*, H. de *Ratsamhusen*, Henricus Monachi de Basilea, H. de *Clingenberg*, & alii plures electi.

Anglus autem post recessum inimicorum, videns Joannem Regem Bohemiæ occisum, dolens super eum dixit: Alter lectus Regem Bohemiæ decceret, quàm sic jacere in terra: celebratisque solennissimè exequiis ejus, ipsum in Lützelburg cum XII. dextrariis, habentib. arma Bohemiæ deorsum versa, transmisit. Doluit autem Anglus de Alemannis dicens: Et bene hi in mortem cum Franco pergunt, qui eos odio prosequitur, nec eis quicquam largitur: & ego eos diligens, largitus sum eisdem. Carolus autem cum armis Imperialibus fugiens de conflictu cum aliis, cùm à Franco aliquid peteret, saltem pro Alemannorum expensis, qui sibi in adjutorium venissent, nihil dedit eidem. Dicebatur autem, quod Francus magnam pecuniam dederit Joanni Bohemo Regi pro stipendio Alemannorum quos adduxerat: quam ille eis non assignans, sed eam sibi retinuit, & Coloniensi Archiepiscopo pro coronatione Caroli filii sui destinavit. Filius autem Franci, ac Dux Burgundiæ, existentes in Vasconia cum viginti millibus, in obsidione cujusdam munitionis, optimè per Comitem de Herbe, capitaneum Angli victæ treugas fecerunt cum Comite animo subveniendi Franco: sed antequam eò venerunt, Francus victus est, ut præfertur. *Ioan. Bohemiæ Rex occisus.*

Ejecerat autem Francus Robertum Comitem Atrebatensem, sororium & consanguineum suum de Comitatu, pro eo quod dixerat, se scire juvenem, quem secum tenuit, Anglus, fuisse filium quondam Caroli Regis Franciæ, & ob quædam alia: conferens Comitatum Duci Burgundiæ, cujus sororem habet Francus. Qui Robertus Anglo ferventer adhæsit. Anglus autem post victoriam rediens ad mare, obviam invenit Reginam, quæ cum victualibus transfretârat, & cum gente.

Obsedit autem Anglus civitatem *Kalis* maritimam, habentem portum propinquiorem versus Angliam, ex qua damna plurima est perpessus, quæ est de Comitatu Atrebatensi prædicto, & Duci Burgundiæ est subjecta.

Licet autem ab antiquo inter Anglos & Francos super terra Vasconiæ lis fuerit immortalis, causam tamen specialem discordiæ horum Philippi & Eduardi super regno Franciæ, digrediens à materia, duxi breviter exprimendam.

Olim Philippus Pulcher, Rex Franciæ, qui regnavit tempore Clementis Papæ quinti & Heinrici Imperatoris, quique omnes Judæos a terra sua expulit, eorum thesauris retentis: ordinem quoque Templariorum, propter eorum potentiam & divitias, pro quibus aspiravit, confictis in eos quibusdam turpibus, ab ipso Papa destrui procuravit, quorum domus & bona Hospitalariis Hierosolymitanis sunt unita, fecitque idem Papa quosdam fratres ejusdem ordinis Templariorum, ad instinctum Franci igne cremari, per quod tamen fratres Hierosolymitani modicum profecerunt. Qui Philippus habuit fratrem Carolum, hujus Philippi de Valesio Regis patrem. Item habuit tres filios, Ludovicum, Philippum & Carolum: quorum primus & tertius de Burgundia sorores duas habuerunt uxores. Habuit etiam ipse Rex filiam Reginam Angliæ, matrem prædicti Eduardi. Hæc post nativitatem Eduardi veniens ad Philippum patrem, Eduardum maritum suum de Sodomia deferens, ipsum de patris, auxilio captivavit, & usque ad mortem tenuit captivatum. Quo defuncto, hic Eduardus præclarus regnans, matrem captivavit, & detinuit captivam: multosque qui in necem patris conspirasse propter adulteram Reginam dicebantur, occidit. Hæc Angla antequam discederet à curia patris, nedum maritum de Sodomia, sed & tres uxores fratrum suorum de trium militum adulterio accusavit, nec cessavit, nisi decollatis uxoribus, militibus excoriatione extinctis. Ludovici quoque uxore extincta, idem Clementiam filiam Caroli tertii regis Siciliæ neptem quondam Rudolphi Romanorum regis, duxit uxorem. Quibus Ludovico & Philippo, post mortem patris successivè regnantibus, & sine prole defunctis, cùm jam Carolus frater eorum regnaret: venit ad eum Ducissa Burgundiæ, mater uxoris ejus captæ, timens huic similiter mortis periculum imminere, dicens eis: Peccavi Domine, jungens vobis matrimonio filiam meam, quam pater vester de sacro fonte levavit. Et adducens Ducissa quosdam testes repertos ad Clementem Papam quintum, gaudente Rege, divortium per Papam fieri procuravit. Regique Carolo, filia quondam Heinrici Imperatoris, soror prædicti Regis Bohemiæ, ex tunc data est in uxorem, quæ formosa valde, omnes alias virtutibus & moribus mulieres antecessit. Transiens autem *Causa funesti belli inter Anglos Gallosq.*

autem quadam vice Rex, & Robertus Atrebatensis Comes, causa venationis juxta castrum, in quo prior uxor morabatur captiva, missa familia sua in sylvam, ipse Rex & Comes sunt castrum ingressi. Illa autem existens in lotione capitis, fugiente familia, viso Rege, se in modum crucifixi ad pedes Regis prostravit: timuit enim ex aliqua delatione clàm Regem iratum venisse. Erat autem pulchra & amabilis valde. Rex autem elevans ipsam, egresso Comite, eam repentè cognoscens, recessit: ex quo illa impraegnata, soli nunciavit Comiti, rogans, ut ipse virtute sua vitae mulieris & partus insidias praecaveret: quae pariens masculum, clam eo subtracto, alienum submisit. Verus autem filius ex ordinatione Comitis, ad amitam suam, praedictam Reginam Angliae est transmissus, quae eum clàm delicatè nutrivit: putativus autem filius breviter expiravit. Dicebatur enim, Carolum patruum, praedictorum trium filiorum curam, quasi regni, gerentem, ad regnū aspirasse, & ob hoc filiorum Regis mortem petiisse. Mortuo autem eodem Carolo, & post eum Carolo Rege ex uxore sua de Lützelnburg nulla prole relicta, ecce hic Philippus, antiqui Caroli filius, sibi regnum usurpat; qui omnes Reges Franciae à tempore Caroli Magni divitiis & potentia antecessit.

Mortuo autem Eduardo Anglo in captivitate, eique Eduardo succedente praeclaro, filiumque Caroli avunculi sui secum habente, victoque per eum Rege Scotorum: idem Anglus cum praedicto Philippo litem pro regno viriliter est ingressus, non praetendens tam avunculi filium propter sententiam Papae: quàm se praedicto ultimo regi Carolo proximiorem haeredem: cum Francia à nullo haberi dicatur in feodum, quamvis econtra nullus per foemininam lineam in regnum successisse dicatur.

*Praedicto anno XLVI. Albertus Dux Austriae emens à Joanne de Stauffen oppidum Münster Brisgaugiae S. Ruperti, castrum Scharffenstein/ quòd à Duce tenebatur in feudum, sub Friburg/ castrum cum oppido confregerat, asserens sibi obligata, nec tempore statuto redempta.

Anglo illis temporibus in obsidione occupato, Rex Scotorum ex instructione Franci, latenter, ut creditur, Angliam est ingressus. Anglus munitus scripsit Anglis: qui ingrediente Rege Scotorum, occisa omni sua gente, ipsum ceperunt.*

Caroli 4. inauguratio, Bonnae facta

Eisdem temporibus, scilicet anno Domini M.CCC.XLVI. Dominica ante festum Martini, Papa in Consistorio publico praedictum Carolum in Romanorum Regem solenniter approbavit: quem cum Aquenses & Colonienses non recepissent, in Bunna ab Archiepiscopo Coloniensi, Dominica ante Andreae, extitit coronatus, & ab ipso Coloniensis, Treverensis, Gerlacus de Nassaw provisus Moguntinus, Archiepiscopi: item Monasteriensis, Metensis, Leodiensis & Virdunensis Episcopi, de suis regalibus sunt investiti. Propter quod Papa sciens sibi adversari Ludovicum Principem & Ungarum, cum Mediolanensi, antiquo hoste sedis Apostolicae, amicitiae ligam firmavit.

Praedicto anno XLVI. mense Julio, Carolus Rex Hungariae de jugulatione fratris dolens, cum magno exercitu, scil. LXX. millium equitum, Aquileiam est ingressus, Patriarcham coercens, ingrediendi Apuliam viam quaerens. Intromisit autem se defensioni Rhodis civitatis maritimae, quam olim Veneti obsederant, cupiens ibi portum maris habere. Et cum diu Rex in terra, Veneti verò circa ipsarum civitatem jacuissent in mari: Venetorum exercitus latenter de montanis egrediens, magnam occidit multitudinem Hungarorum (triumphaverant enim Veneti cum Domino Mediolanensi & Veronensibus, ita quòd potentes fuerunt) sic quòd Hungarus juvenis & inexpertus litium, frustratus proposito suo & negotio, Ungariam est ingressus: Veneti autem civitatem vicerunt. Papa enim sciens sibi adversari Ludovicum principem Ungarum, cum Mediolanensi antiquo hoste foedus amicitiae ligavit.

Eodem Julii mense Ludovicus Princeps cum Ludovico & Stephano filiis suis, Comitatum Tirolis ingressus, in Tridento, quod sibi & filio ratione ipsius Comitatus subesse credidit, sicut antè cum Ungaro & Mastino Veronensi habere colloquium nitebatur. Episcopus autem Tridentinus ad preces Regis Bohemiae sedis provisus, assumpta sibi gente Mediolanensi, Tridentinos à praedicti Ludovici Marchionis devotione retraxit, & custoditis montanis, ne illi convenire possent, impedivit.

Licet autem scriberetur Principi, de praedictis Principibus Electoribus, quòd ad eligendum Regem terminum statuissent, credere hoc noluit, de Archiepiscopo Treverēsi

& du-

& Duce Saxoniæ, qui ipsum elegerant, quousque veritatem percepit. Et veniens in Sueviam, sibi Comites & Barones quos potuit, attraxit, Marchionique Missensi filiastro suo, (cujus uxor relictis pluribus liberis, eodem anno obiit, qui filiaster in lite, quam cum Moguntino habuit, de Principe conquerebatur) magnam, ut contra eum non esset, pecuniam assignavit. Convocatis quoque civitatibus Spiræ, ipsas concorditer reperit in sua devotione ferventes: ita quod nec una earum, Rheni, Sueviæ, vel Franconiæ, electionem Caroli aut processus Papæ curavit, nec quisquam illarum partium, aliquos contra Principem publicare processus audebat. Basilienses tantum, licet ratione Episcopi sui, & progeniei Monachorum inibi prævalentium & Caroloni faventium, ipsum receptare crederentur; videntes tamen tantam aliarum civitatum concordiam, se adhæsuros Principi firmiùs aliis decreverunt.

Vrbes Imperii in fidelitate Ludovici constantes.

Reversa autem Imperatrix de Hollandia in mense Novembri, anno prædicto, relicto inibi Wilhelmo filio, à Principe cum gaudio in Franckfort est recepta, qui simul transiêre Monacum. Venerunt autem cum ipsa solennes nuntii Angli in Franckenfurt/ Principem & Anglum colligare quærentes, cum quibus Princeps cum pleno colligandi mandato, Robertum Ducem Bavariæ, filium fratris sui, Wolframum de Nellenburg/ magistrum ordinis Teutonicorum per Alemanniam, & Lud. Comitem de Ottingen/ destinavit.

Carolus autem electus latenter per Elsatiam & Sueviam transivit, & ad terram Bohemiæ properavit, ubi honorificè est receptus. Postea de mense Februarii anno Domini XLVII. ipse Carolus electus, cum Carolo Rege Hungariæ genero suo, & cum Alberto Australi colloquium habuerunt in Vienna. Quibus simul euntibus in Presburg ejusdem Ungariæ, Ludovicus Princeps statim in Vienna colloquium secretissimum habuit cum Australi prædicto. Bohemus autem veniens Tridentum, pro rehabendo Comitatu Tirolis, de auxilio Mediolanensium institit. Iverat autem Marchio Brandenburgensis Prussiam contra gentiles, cujus uxor castrum Tirolis omnibus necessariis munivit ad annum. Engelmarus autem miles, potens in Comitatu, qui & ipsum tradidit Marchioni, tractatus habuit hinc inde. Marchio autem intelligens hoc, illico est reversus. Bohemus autem cùm oppidum Meron, & alia plurima vicisset, veniente Principe cum magno exercitu, victa per se comburens, reversus est Tridentum. Princeps quoque similiter est reversus, quia maxima fuit caristia utrobique. Ludovicus autem Marchio, ipseque Bohemus, in ipso Comitatu multis mensibus se invicem infestarunt. Bohemus quoque, cui etiam adhæsit Episcopus Curiensis, aliquas munitiones per se victas, Mediolanensi pro multa pecunia obligavit.

Carolus Rex Comitatum Tirolis occupare conatur.

Temporibus prædictis, de mense Aprili, Domini de Westerburg & de Isenburg habitantes in terra ex opposito civitati Confluentiæ, ultra Rhenum, Archiepiscopum Trevirensem & suos, in favorem Principis, diffidârunt, pro eo quòd elegerant Carolonem, contra electionem Principis, literam hujusmodi diffidationis ad Bopardiam mittentes. Confluentini autem Trevirensi attinentes, cum exercitu Rhenum transeuntes, quoddam castrum, quod erat commune, tam Treverensi, quàm Domino de Westerburg/ pro Domino suo solo apprehendere voluerunt. Illi autem Domini habentes latenter multitudinẽ armatorũ, irruentes in illos, ducentos occiderunt & captivarunt. Receperat autem Treverensis in Treveri civitate de Carolone electo, nuntios cũ literis, qualiter plures munitiones Comitatus Tirolis vicerit, de quibus cum fidelibus suis gratulans, est gavisus. Et ecce venerunt sibi nova de strage prædicta, ob quæ se abscondens, collapsus animo est perplexus.

Treverensis Ludovico infestus bello vexatur.

Eo tempore de consilio Principis & voluntate H. de Virnenberg Archiepiscopi Moguntini, assignatis, eidem redditibus mille marcarum, commissa est administratio Moguntinensis tribus Canonicis de Capitulo, quibus & Princeps auxilium juramento promisit, & ortum est schisma magnum: judicibus Gerlaci provisi Archiepiscopi constitutis in civitate Maguntina absolventibus ligata per judices H. depositi in Altavilla constitutis: processusque Apostolici pro Gerlaco proviso directi, per aliquos Moguntinos ostiis Ecclesiæ Moguntinæ affigebantur, affixos semper aliqui tollebant. Clerus quoque divisus, qui H. adhærebat & obediebat, cœpit paulatim adhærere Gerlaco. Marchio quoque Missenensis & Lantgravius Hassiæ in partibus Thuringiæ multùm infestaverant Archiepiscopum, Principe non eum defendente, aliis occupato. Erfordenses verò Gerlaco adhæserunt verbo, sed non facto. Marchio quoq; Misenensis oppidũ Salzach/ ipse verò & Comes de Hennenberg castrũ

Contentio de Archiepiscopatu Moguntino.

Mulburg/Lantgravius verò Hassiæ oppidum Nüwstat/munitiones Maguntinæ Ecclesiæ, pro se habendi animo, occupaverunt: prædicti enim Marchio & Comes, quilibet scorum filium & filiam, alterius filio & filiæ, matrimonialiter copulârunt.

Eodem tempore, de mense Septembri, Conradus de Kirckel, præpositus Ecclesiæ Spirensis, & Canonicus Maguntinus **** à Principe, & H. Mogũtino, se solus, volentibus aliis duob. sibi coelectis, de administratione Ecclesiæ Moguntinensis intromisit, cui munitiones & gentes obediverunt. Hic statim omnes redditus præpositurae majoris Ecclesiæ Moguntinensis abstulit Joanni de Columna Cardinali, qui ut præpositus eam tenuit, redditusque omnium Prælatorum Henrico non obedientium, occupavit. Hic treugas inter Principem & suos, specialiter de Westerburg & Isenburg/ & inter Treverẽses, usque ad festum nativitatis Joannis Baptistæ ordinavit, omnia gerens strenuè & prudenter.

Carolus Bohemus Bavariam vastat, 1347. Eodem anno Domini M. CCC. XLVII. in principio mensis Julii, gens Caroli Bohemi ingrediens Bavariam inferiorem, cum duobus millibus galeatorum, multas ibidem villas combussit, multis Barbarica feritate occisis, & pluribus captivatis contra quos Princeps pro custodia terræ multos ibi destinavit armatos.

Bellũ in Leodiense. Eodem mense congregante Archiepiscopo Treverensi exercitum animo invadendi Dominos de Westerburg & de Isenburg: ecce populus Leodiensis expugnans quoddam castrum Episcopi Leodiensis, custodes castri evicti decapitavit, nobiles & plebejos. Propter quod Episcopus Leodiensis de adjutorio Treverensis, Ducis Brabantiæ, & aliorum terræ magnatum, volens obsidere Leodium, populis illius & aliarum plurium civitatum, quæ illis in adjutorium advenerant, egredientibus civitatem contra eos, confligens, eis terga vertentibus X. millia occidit ex illis: Dominus enim de Valkenberg/frater priori anno ibidem occisi, & Comes Montium, nemini pepercerunt, sicque Episcopus Leodiensis de populo Leodiensi disposuit ut volebat.

Iacobus Laurentii tribunus Romanus Eodem tempore quidam Jacobus Laurentii, notarius prudens & facundus, plebejus, Romæ in tribunum electus, scelera vindicans, ac omnem jurisdictionem urbis exercens, unum de Ursinis decapitavit, Columnẽses ab urbe exterminans. Papa de his turbato arguente Romanos, idem tribunus Clementi Papæ scripsit, quod nisi infra annum rediret ad urbem, & ibidem resideret, se cum Romanis alium Papam creaturum.

Occiso autem priori anno Comite Flandriæ in conflictu, Flandrenses filium ejus honorificè receperunt, sibique filiam Regis Angliæ desponsantes. Ille autem opportunitate capta, ad Francum rediit, dicens: Se nolle ducere illius filiam, qui sibi patrem occidisset. Flandrenses autem Marchionem Juliacensem in favorem Angli, & filiæ, in Capitaneum receperunt. Misit autem Anglus pro Duce Geldriæ, filio sororis suæ, qui filiam Ducis Brabantiæ promisit ducere in uxorem, sibi juveni non audenti contradicere, filiam ejusdem Marchionis Juliacensis desponsans. Verùm ipse Dux Gelriæ & Comes Flandriæ cum filiabus Ducis Brabantiæ matrimonium contraxerunt. Idemque Dux Brabantiæ duobus filiis suis, primogenito scilicet, filiam Joannis Ducis Normanniæ, primogeniti Franci: secundo verò, filiam Ducis de Bourbon, sororem relictæ Bohemi, in matrimonium copulavit. Direxit autem Anglus gentem in Scotiam pro disponendis rebus Regis capti, sororii ipsius Angli, quibus se quibusdam terrigenis opponentibus de instinctu Franci, multi iterum capti sunt & occisi.

Anglus Calesium occupat. Perseverante autem Anglo in obsidione *Kales* ferè per annum & nolente eam recipere ad gratiam quoquo modo: strinxerat enim eam in tantùm, quòd nec introitus nec exitus patebat. Ad eam tandem Francus (qui interdum per se, interdum per Joannem filium suum pluries congregavit exercitus, sed Angli exercitum non accessit) in principio Augusti appropinquavit exercitus Angli & Flandrensium ad unam leucam. Quapropter etiam nolente Anglo Flandrenses Cales ad gratiam receperunt, & forenses & intrinsecos Angli gratiæ commiserunt. Quod cernens Francus per tres leucas illico retrocessit. Anglus autem ejectis incolis & occupatis thesauris, civitatem Cales rexit per Anglos. Data sunt autem ei tam per Sedem Apostolicam, quàm per Franci terram LXXX. millia marcarum argenti, quòd inducias usque ad festum nativitatis beati Joannis Baptistæ ex tunc concessit, ita quòd in statu, quo nunc fuerunt, quilibet remaneret.

Eodem

Eodem anno M.CCC.XLVII. de mense Septembri, cùm ingressi fuissent Stephanus, filius Ludovici Principis, & omnes civitates Sueviæ cum eo juxta Zolre/ animo invadendi Barones, quorum octodecim priori anno in Oberendorff Ducis de Decke conjuraverant, & qui Carolum electum dicebantur fovere: oppidum Hechingen Comitis de Zolre vacuum invenerunt, quod quibusdam pactis initis non fregerunt. Volentibus autem eis obsidere oppidum Sultz/ Waltheri de Geroltzecke/ servitoris & consanguinei Comitum de Wirtenberg/ iidem Comites quamvis essent præsides Principis, asserentes hæc sine eorum consilio inchoata, restiterunt, quibus & eidem Walthero tanta affluxit nobilium multitudo in auxilium, quòd civitates Sueviæ recesserunt de campo.

Ludovicus Cæs. Caroli fautores persequitur. Obrendorf. Hechingen. Sultz.

Erant autem duo fratres habentes munitionem juxta sylvam Bohemiæ, Principis servitores, nominati Kammerouwer/ quorum junior dicens, sibi Principem nil dare, Caroloni Bohemiæ se obstrinxit. Princeps verò seniorem Innocentem capiens, decollavit.

Kammerouwer ingenui.

Eo tempore Joanna Ducissa Austriæ veniens Alsatiam, se Argentinensi, Basiliensi & Constantiensi Episcopis, item Turicensibus & Bernensibus colligavit, & cum Ottone de Ochsenstein, quòd resignavit Thanne & Senheim/ de quibus Berchtoldus Episcopus Argentinensis ipsam investivit, amicabiliter comportavit: quæ in reditu ad Austriam Ludovicum Principem visitans, ab eo honorificè est recepta.

Tann. Senheim.

Eo tempore Humbertus Delphini, qui per annum steterat inter Curtos, defuncta sibi uxore, nepte quondam Ruperti Regis ex sorore, infecto negotio est reversus. Papa enim juxta promissum suum, nec thesaurum nec gentem misit eodem, Rex enim Curtorum, cùm venisset Delphinus in terram suam, in quandam civitatem fortem per Christianos obtentam, ex quo nomine Ecclesiæ venerat, suspicatus eum magnam habiturum sequelam, treugas fecit cum eo, animo visitandi personam: & intelligens quod absq; Alemannis venerit, nec ex facto Imperii cernebat muliebrem personam, ipsumq; parvipendens recessit, & magis ex adventu ejus animosus factus est.

Curti.

Eodem anno Princeps Ludovicus in venatione ursi, in sylvis juxta Monacum, paralysi percussus de equo corruens, expiravit, anno Domini M. CCC. XLVII. quinto Idus Octobris, anno regni sui XXXIII. finito minus octo diebus, Imperii verò XIX.

Ludovici Imp. obitus

Egressus est itaque de Bohemia, cum magno equitatu, in Bavariam, animo invadendi terram Ludovici Principis, Carolus Rex Bohemiæ electus in Regem Romanorum, filius quondam Joannis Regis Bohemiæ, nepos quondam Henrici de Lützelburg Romanorum Imperatoris: item pronepos ex filia & nepte Rudolfi de Habspurg/ Romanorum Regis: item nepos ex filia quondam Wenceslai Bohemorum Regis, proneposque Joannes Ducis Brabantiæ, sororius Philippi Regis Franciæ: cujusque Philippi primogenitus Joannes Dux Normandiæ ipsius Caroli est sororius: ipse Carolus socer Caroli Regis Hungariæ, socerque Rudolfi Ducis Austriæ: & veniens in terram ipsius Ludovici Bavariam, intellecta morte Principis, Ratisponam perrexit, ubi tanquam Rex Romanorum illico est receptus. Deinde veniens Nurnberg, ac gravibus factis promissionibus Burggravio ibidem, quem evadere non potuit, in Nurnberg est receptus.

Caroli 4. parentela.

Caroli 4 Ludovici Imp. successor.

Miserunt autem Eberhardus & Ulricus fratres, Comites de Wirtenberg, Secretarios suos singulos ad Regem, & ad Ludovicum Marchionem in Brandenburg/ quærentes, cujus eorum se servitio obligarent: & revertentibus Secretariis priùs ad Regem missis, ipsi Comites cautione recepta de LXX. millibus florenorum, ejus se servitio astrinxerunt. De quo alii Secretarii à Marchione venientes, & pactum de centum millibus florenorum afferentes, Comites plurimùm sunt commoti. Duoque fratres de Hohenlohe/ unus Bambergensis Episcopus, alter Herbipolensem tenens Episcopatum contra Albertum de Hohenberg/ Sedis Apostolicæ provisû, similiter se regis servitio astrinxerût.

Interea Berchtoldus Episcopus Argentinensis, convenientibus Argentinæ Civitatibus & Baronibus ligæ Alsatiæ, ipsius Regis commendationi insistens, ac se eum manu tenturum affirmans, cùm & omnes de Liechtenberg sibi faverent, civitates Alsatiæ, timentes infringi ligam pacis, quasi invitos ad ejus obedientiam inclinavit, sicque Argentinæ etiam honorificè est receptus, ipsum Episcopum in gradibus Ecclesiæ, indutus regalibus insignibus, habens coronam auream in capite, & pomum & Sceptrum in manibus, de suis regalibus, præstito sibi homagio, solenniter investivit.

Argentina totaque Alsatia in fidem Caroli concedit, 1348.

Deinde

Deinde per civitates Imperii Elsatiæ, quæ & singulæ eum receperant, Basileam ascendit. Spospondit enim civitatibus, se relaxationem processuum Papalium curaturum.

Interea Conradus de Kirckel minister Maguntinæ sedis ac Treverensis omnimodam concordiam tractaverunt, inter H. Archiepiscopum Moguntinum ac Regem, & Treverensem Archiepiscopum, oppidaque Imperialia in Wederaugia, Gerlacumque de Nassowe/provisum sedis Apostolicæ competenter providerant in via: H. destituto post ejus mortem ipsam sedem habiturum quietè. Verùm ipse Gerlacus de potentia & adjutorio Caroli confidens, negotio infecto ascendit Argentinam. Quod videntes H. Moguntinus, Conradus minister ejus & prædicta oppida, se liberis defuncti Principis colligarunt, quod totum, si de Argentina descendisset Carolus Rex, celeriter expeditum fuisset.

Carolus 4. Basileam venit.

Venit autem Rex Basileam, in vigilia Thomæ, anno Domini M. CCC. XLVIII. ubi interdictum Papale diu servatum fuit, nec Basilienses eum recipere intenderant, nisi divina rehaberent. Et ecce in sero venit Marquardus de Randecke præpositus Babenbergensis de Curia Avinionensi, ferens commissionem factam Babenbergensi Episcopo, & absolutionibus & relaxationibus impendendis, & unam clausam bullam regi directam: & gavisus Rex misit illicò & Argentinensi, Basiliensi, Babenbergensi, Herbipolensi Episcopis, præsentibus.

In clausa autem Bulla hortabatur Papa Regem, ut averteret Carolum Regem Ungariæ generum suum, ne se colligaret prophano Nicolao Laurentii, urbis Romæ tribuno. Exosus enim erat Papæ Tribunus, quia eum vocaverat ad residendum in urbe.

Laurentii Rom. tribuni insolentia.

In clausis etiam literis misit copiam literæ per Tribunum Papæ directæ, in qua Tribunus eum per Papam de pluribus fuisset argutus, respondit inter alia: Se terram S. Petri, animo defendendi à tyrannis, tenere, seque quasi invitum ad Tribunatum assumptum, nec oportere Papam procedere contra ipsum, ut officium ipsum dimittat, quod dimittere quantum in eo est, asseruit se paratum. Cùm autem antiquitus Romani habuerint Patricios, Senatores, præfectos, tribunos, & multos officiatos, quis eis inhibuerit, tales hodie habere? quæsivit. Cùm & honore dignos olim variis coronis insignìverint: quis eos arguet, quòd ipsum Tribunum Laurea & quibusdam coronis aliis coronaverint? Nec mirum, quòd in concha marmorea Constantini Imperatoris se lavari permisit, in qua Paganus extitit baptizatus, cùm in ipsius Tribuni lavacro plura fuerint signa facta; quàm in Constantini baptismo: prosequendo mirabilia de pace & tranquillitate urbis & patriæ, quæ brevi tempore suo asseruit divino intuitu esse facta, cum tempore promotionis suæ, tam de dote uxoris, quàm de calamo suo vix habuit quinquaginta florenos, & in persona sua plura operatus sit, quàm Bonifacius Papa cum thesauro suo, vel Carolus Magnus cum sua potentia, procuraverint. Argutus etiam quòd in citatione qua coram se & Romanis citavit Ludovicum Ducem Bavariæ, & Carolum Regem Bohemiæ, se intromittentes de regno Romano, Bavarum Ducem nominavit, cùm per Papam Ducatu fuerit privatus: Bohemum verò Romanorum Regem non nominaverit, quamvis fuerit in Regem Romanorum per sedem Apostolicam approbatus; respondit: Se non magnam de hujusmodi titulis vim fecisse, cùm & olim Romani sibi colligarint Principes & amicos: cur & hodie Regi Ungariæ & aliis se colligare non deberent, non viderent: pluraque alia seriosa rescripsit.

Summa autem Commissionis, Babenbergensi Episcopo factæ, talis erat:

Forma absolutionis fautorum Imp. Ludovici defuncti.

Cum multi, qui sententias, processus & pœnas Joannis Papæ, inflictas adhærentibus quondam Ludovico de Bavaria hæretico, & de hæresi damnato, redire cupiant ad Ecclesiæ unitatem: committimus tibi, ut qui confessi fuerint errores suos, confessatos & non confessatos, & pœnas quas inciderunt explicitè vel implicitè, & juraverint, deinceps fidem Catholicam habere, & fideles fore sedi Apostolicæ: & nulli deinceps hæretico vel schismatico favere, & credere quòd non spectat ad Imperatorem, Papam deponere, & alium creare, sed hoc hæresim esse damnatam: & quòd nullum pro Imperatore habebunt, nisi per sedem Apostolicam probatum, nec relictæ & liberis ipsius Ludovici favebunt, nisi cum Ecclesia reformentur, & Carolo Romanorum Regi per sedem approbato parebunt, ab hujusmodi sententiis & pœnis absolvas, &c. ita quòd si in aliquo contravenerint in sententias & pœnas pristinas relabantur: & quòd procuratoriorum & gestorum formam ipse Bambergensis Papæ rescriberet, sub publicis instrumentis.

Visa autem forma hujusmodi dura, omnibus displicente, aliqui consuluerunt eam non

non acceptandam esse per Regem, sed occultandam; & pro alia forma Papæ scribendum. Sed quia timor erat Basilienses non juraturos Regi, nisi reformarentur divina, rescriptum oportuit exhiberi. Cùm autem cives nec errores vellent fateri, nec secundum formam jurare, clerus autem quasi pœnitens quòd cessavit, etsi non tam occasionem quæreret celebrandi, animo nunquam mandata similia receptandi: ecce comparuerunt Magistri & Consules Basilienses coram rege, & prædictis Episcopis & multis de Capitulo Basiliensi: coram quibus Chunradus de Berenvels magister civitatis, nomine universitatis vulgariter coram tabellione proposuit in hæc verba: Domine Bambergensis, sciatis, quòd nec fateri nec credere volumus, quòd quondam Dominus noster Ludovicus Romanorum Imperator unquam fuerit hæreticus. Quemcunque etiam nobis dederint Principes Electores, vel major pars ex eis, pro Romanorum Rege vel Imperatore, illum pro tali habebimus, etiamsi nunquam Papam requireret: ne quicquam aliud faciemus, quod sit contra jura Imperii quovis modo. Sed si habetis potestatem à Domino Papa, quòd vultis nobis remittere omnia peccata nostra, placet. Et convertens se ad populum, dixit: Datis mihi & Chunrado Monacho potestatem petendi, ut absolvamini à peccatis vestris? Qui dicebant: Placet nobis: nec aliud procuratorium habuerunt. Qui duo milites seorsum coram Secretario Papæ, Joanne de pistorio præsente, juraverunt secundum mandati formam: sicque relaxatis processibus divina publicè sunt reassumpta, civesque regi solitum præstiterunt juramentum, sc. quòd jus suæ advocatiæ servarent. Basiliensis quoque Episcopus Joannes Sennæ, & Abbas Morbacensis de regalibus suis solenniter investiti sunt. Civitates autem, præsertim Argentina, exasperatæ fuerunt propter formã hujusmodi. Rex quoq; cum mulierib. Basiliensib. in choreis satis fatuos gestus habebat. In die quoque sancto nativitatis Domini, Rex communicatus fuit, legitque in Missa Galli cantu alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Evangelium: *Exiit edictum à Cæsare Augusto.* In die Stephani autem à Basilea recedens, cùm crederetur cum sua gente iturus, clam ingressus naviculam, cum paucis in Rheno descendens in castro Burck[illegible] pronoctans, crastino transiens versus E[illegible]enheim quasi latenter. Cùm autem gens sua descenderet per terrãm, eisque in Alsatia & in Basilea multa fuisset abstracta: quidam valentes Bohemi se postremò ponentes insidiis, præmiserunt duos, quorum unus spadonem duxit ad manum. Ipsi verò transiverunt per sylvam, in loco qui dicitur [illegible]. Et venerunt quidam nobiles Basilienses, ascendentes econtra, qui credebant, ducentem spadonem alicui abstulisse, ipsum abstulerunt eidem. Altera verò fugiens, dixit Bohemis: qui insequentes, alios captivarunt, & Wernherum de Eptingen Hospitalarium eis resistentem graviter vulneraverunt. A quo recepta cautione, de præsentando se regi, alios Mülhusen oppidum Imperiale secum duxerunt. Amici autem captorum, cum noctu se circa Mülhusen posuissent, ac genti Regis transitus non esset securus, dimissi sunt captivi ad gratiam Regis: Bohemique Regem celeriter versus Hagenowe sunt sequuti. Dedit autem & obligavit Rex servitorib. suis omnes utilitates Alsatiæ, ita quòd inibi per diem non haberet expensas. Descendit etiam per W[illegible]genb[illegible]erg versus Spiram, ubi sub quibusdam pactis extitit intromissus. Lectis autem ibi quibusdã processibus ex parte Gerlaci provisi Moguntini, contra H. Archiepiscopum & suos fautores, quorum aliqui domicilium Spiræ habebant, de hoc populus ibidẽ est commotus.

Basiliensium constantia.

Locus infra Basileam duobus milliaribus Mulhusium versus,

Postea Rege veniente Wormatiam circa vesperas, convenerunt clerus & Consules civitatis, & quæsitum est à clero, num vellent absolvi? quid sentirent de processibus? Qui cùm econtra quærerent à Consulibus, quid ipsi sentirent: Illisque dicentibus: Se de illis nihil sentire, clerusque diceret id ipsum, animo nihil faciendi ab invicem recesserunt. In crepusculo verò Collegia constituentes procuratores, singulares verò curati & clerici per se ipsos, & religiosi per procuratores, juramentis præstitis, per Bambergensem absoluti fuerunt. Et cùm mane populus more solito vellet audire divina, clerusque nollet coram populo celebrare, factus est tumultus: Clausisque portis omnibus, populus ad hospitium Regis, ad quod Bambergensis confugerat, armatus accessit: Ipseque Bambergensis mandante Rege territo, omnem clerum & populum Wormatiensem sine omni conditione & juramento absolvit: Et statim omnis clerus, religiosus & secularis, contra juramentum serò præstitum, publicè divina resumsit.

Cæsar Wormatiam venit 13549.

Post

Eduardus Anglus adversus Carolum Cæsar renunciatus.

Post hæc Rex ivit Moguntiam, ubi sub pacto ne introduceret Gerlacum provisum Papæ vel aliquas legi literas permitteret, honorificè est receptus. Ubi ad eum venerunt Balduinus Treverensis, quasi latenter, cum paucis ubi & nova receperant, quòd feria quinta præcedenti, sc. proxima post Epiphaniam Domini, anno M. CCC. XLVIII. procuratores & secretarii Ludovici Marchionis in Brandeburg, item Ducum Palatinorum Rheni, Erici Ducis Saxoniæ, & H. Archiepiscopi Maguntini per Papam, tanquã electores Principes majorem partem facientes, in Eduardum Regem Angliæ, habentem cum ejs procuratorem & secretarium suum, in Romanum Regem, ex opposito villæ Rens super Rhenum, sub castro Lonstein concordaverunt eligendum, de hoc quoque confectæ sub sigillis eorundem Principum literæ, in præsentia omnium inibi convenientium, publicè legebantur, & quòd ipse Anglus se vellet intromittere, dicebatur, de quo & literæ à Principibus civitatibus sunt directæ: ex quo in Germania turbatio magna est suborta. Nuntii autem Francofurtensium, à rege, inquirente eos super sui receptione, infecto negotio recesserunt: Sicque rex cum timore Wormatiam à Moguntina est reversus. Maneque volens recedere, expectante omni gente sua armata ante hospitium suum, non pagatis hospitibus Curiæ & coquinæ suæ: & diu expectante tota gente, iterum ad querelam unius carnificis, regem arrestantis, ne discederet, factus est in populo tumultus. Promittentibus autem pluribus ne discederent hospitibus non pagatis, Rex Spiram perrexit. Proscripto autem carnificè à Wormatia, ipse Spiræ ad gratiam Regis veniens, ad preces regias est resumptus.

Rex Spiræ arrestatus.

Ascendente autem Episcopo Argentinensi & Baronibus Alsatiæ, qui descenderant Rex Sueviam perrexit, animo fidelitatem à civitatibus Sueviæ recipiendi, in quadragesima. Pergens autem Rotenburg Comitum de Hohenberg/ ubi hastiludiorum Curia est indicta, & latenter sub armis Schilhardi de Rechberg hastiludens, per N. de lapide militem fuit in terram prostratus. Intelligens autem miles Regem esse, equum sibi adtraxit: quem Rex LX. marcis redemit. Mane autem volentib. illis dividere per galeas torneamentum, & reperta casside sine signo, intellectoque quòd regis esset, consilio inito per milites, à torneamento cessarunt. Dicebant enim, si periclitaretur nobiscum, posset dici in futurum, regem traditum fuisse per Suevos. Veniens autem Ulmam ibidem à XXIV. Sueviæ oppidis, sub quibusdam pactis juramentis per ea pręstitis, est receptus. Volens autem ire Norenberg, & deinde Bohemiam, positis sibi insidiis per Marchionem de Brandenburg, reversus est Ulmam, & deinde per aliam viam veniens Norenberg, Bohemiam est reversus.

Lusus equestris Rotenburgi ad Neccarum.

Sueviæ urbes Carolũ Regẽ agnoscunt.

Eodem anno de mense Martio, misit magnam gentem de Bohemia, quæ terram Ruperti Ducis Bavariæ, Palatini, plurimùm devastavit. Constantia autem Thuregum, & quædam alia oppida vicina, ipsum recipere noluerunt.

Interea Engelmarus miles, qui comitatum Tirolis tradidit Marchioni Brandeburgensi, cum uxore ex quadam suspicione per Marchionem capitur, & ante castrum suum forte, quod tenuit frater ejus, decollatur, & successivè omnia sua, per Marchionem, mediante Duce Conrado de Teck, sibi fidelissimo, occupantur.

Mulhusiũ à præside Alsatico occupatum.

Eodem tempore oppidani in Mülhusen Alsatiæ, usurpantes sibi regimen oppidi, nobiles ejecerunt, manente cum eis Happone Monachi, novo Sculteto. Venientem autem Jo. de Vinstingen præsidem Alsatiæ, nisi cum paucis intromittere voluerunt. Ille verò iratus recedens, cum multa gente revertitur. Oppidanis verò discordantibus, & præsidem sub quibusdam pactis intromittentibus, cum paucis ut credebant, ipse cum multis de auxilio generis *de Domo*, ingrediens, multos populares bannivit, occupans res eorum. Veniens autem Columbariam, & cum cautione ingrediens, videns populum in eũ commotum, propter factum in Mülhusen/ repentè recessit, nam & ipsi Columbarienses Henricum de * Wickersheim & suos, qui diu inibi rexerant, excluserunt.

Vom Hauss ingenus Alsata.

**al. Wittenheim.*

Brisacum.

Brisacum quoque Australi per olim Ludovicum Principem obligatum, eo mortuo se ab Australi retraxit, dicens se ultra vitam illius obligari non posse. Rege autem nolente eos recipere, tenuere seipsos: qui postea mense Octobri, mandante Rege, Duci denuò jurarunt.

Lituanorum clades.

Eodem anno, scilicet XLVIII. de mense Januarii, Magister ordinis Teutonicorum Suevus, cum XXII. millibus equitum ingressus terram Regis Lituaniæ gentilis, sex hebdomadis terram vastavit, quem in reversione, usque ad glaciem fluvii revertentem, Rex Lituaniæ cum XL. millibus insequitur, animo eos cum simul ad glaciem venissent, submer-

submergendi. At Christiani, qui jam super glaciem partim venerant, videntes, illos reversi de glacie, ad campum iniere conflictum, illosque trudentes ad glaciem, ipsorum circa sex millia submerserunt, & circa duodecim millia occiderunt, reliquos verò fugientes ad sylvas Lituaniæ insequuntur. Duo autem Regis fratres non valentes effugere, arbores ascenderunt: quas cum Christiani succidere vellent, illi videntes se non posse evadere, ne de Christianorum morerentur manibus, cum singulis suis ad ramos arborum se suspenderunt. Christianorum etiam electorum occisi sunt quinquaginta vel circa.

Eodem anno, mense Februario, Conradus de *Kirckel*, minister Moguntinensis Ecclesiæ, à Joanne juniore Comite de Nassawe, cum multis armatis capitur, & Cuno de *Valkenstein* Canonicus Moguntinensis in ministerio per Capitulum subrogatur, qui surrogatus nullis pactis Conradum liberare valens. Audito etiam quòd captor etjam eum captum optabat, Gerlacum patrem de Nassawe, natum quondam Adolphi Regis Romanorum, ignis incendio & omni inquietudine infestavit, eidem ultra LXX. villas comburens: Carolone Rege in Bohemia existente, nec eundem Comitem in aliquo adjuvante, quamvis Conradum captum duriùs tenuerit, propter Regem. Emisso autem capto ad tempus, sub cautione aut dandi VIII. millia florenorum, vel se repræsentandi: non minùs idem Comes per ministros Moguntinenses, & oppida in Wederaugia extitit infestatus, ita quod tandem captos dimisit, & cum H. Archiepiscopo concordavit. At H. Archiepiscopus & prædictus minister de Valkenstein, Conradum de Kirckel, etiam petentem, non ultra ad ministerium admiserunt: timentes eum convenisse clam de aliquibus munitionibus Archiepiscopatus tradendis cum captore: propter quod inter ipsos Conradum & Cunonem dissensio fuit suborta, propter impensas & damna, quas & quæ Conradus de Kirckel in ministerio se asseruit sustinuisse. Mortuo interim Jo. de Columna Cardinali, præposito Ecclesiæ Moguntinensis prædictus Cuno de *Valckenstein* & Reinhardus de *Spanheim* Canonici Ecclesiæ Moguntinæ, in discordia sunt electi.

Rex autem ipse Carolus licet Comites de Wirtenberg & Burggravium de Norenberg in parte promissorum expedierit, alios tamen multos pluribus mensibus Bohemiæ expectantes, graviter pagati de promissis, minime expedivit. Uxor enim ejus & Joannes frater, alijque Bohemi, ne per tantas erogationes terram Bohemiæ destrueret, maximè ei restiterunt: collecta enim inibi imposita, quæ Ursus dicitur, & de novo Regi creato debita, apud Bohemos remansit. *Ursus tributũ novo Regi Bohemo pendi solitũ.*

Mortuo autem, ut supra, Ludovico Principe,, Beatrix de Holandia relicta ejus cum privignis suis amicabiliter concordans, ipsos in agendis suis plurimùm confortavit. Discordantibus autem Rodolpho & Ruperto fratribus ac Ruperto eorum fratrueli, duabus Bavariæ, & Palatinis Rheni, cum filijs defuncti Principis pro eo quod dicebant, sibi in inferiori Bavaria similiter cum illis jus hæreditarium competere, dataque & promissa eis certa pecunia, & hujusmodi dissensione sopita: Ecce H. Moguntinus, Ludovicus Marchio Brandenburgensis, Rupertus Palatinus cui in hoc alij duo consenserant, & Ericus Dux Saxoniæ, cui ex successione patris sui senioris, Rodolpho Duci jus eligendi competere dicebatur, quamvis Rodolphus Caroli elector quædam dominia, quibus principatum annexum asserit, se habere prætendat, de eligendo Rege alio, cum electionem Caroli irritam asserant, concordarunt. Missisque per eos pluries solennibus nuntijs ad Eduardum Angliæ Regem, sibique electione oblata, remissisque per eum nuntijs literisque, sibi sub castro Lonstein, de non variando, sub sigillis ipsorum Principum assignatis, eoque deliberationem suam diutius protrahente, eò quòd inter ipsum & Francum tractabatur de treugis: Francoque sciente, Anglum electionem Romani regni appetere, & ob hoc (ne crescat ejus potentia) treugas alias sibi gravissimas, recusante: Angloque propter litem cum Franco in festo beati Joannis Baptistæ renovatam, de electione de ipso facta intromittere se nolente: cum literis sibi desuper datis, remissis, Principibus rescripsit, se ijsdem Principibus favoris sui auxilium polliceri. Quo facto, ijdem Principes Electores vocato Friderico Marchione Missenensi, ab nepote quondam Friderici Imperatoris ex filia ejus, genero prædicti Ludovici Principis defuncti, in principio mensis Junij in *Kans* Bavariæ convenerunt, ubi *Eduardus Anglus imperialem electionem detrectat.* *Fridericus Marchio Misnensis Rex Rom. declaratus.*

ubi inter eos actum est, quod idem Marchio prædictam Beatricem, olim Imperatricem, in uxorem duceret, & de Romano regno ad eorum electionem intromittere se deberet. Oppidum quoque Nurenberg ejectis potentioribus Regis fautoribus, dicente populo, se non consensisse in Regem, Marchionem de Brandenburg, pro Rege acceptavit.

Idem electionem suam resignat.

Posthæc Marchio Missenensis desistens à proposito, receptis à Rege Carolone X. millibus Marcis, facto sibi homagio, & excepto ne contra filios defuncti Principis faceret, à Rege ipso feudorum Imperialium investituram accepit: quamvis enim juvenis, arthritico tenebatur, & infra biennium moritur.

C. Comes de Medeburg.

Interea inter Bohemiam & Austriam, Carolone Rege prædicto & Alberto Australi, pro perficiendis nuptijs inter eorum liberos, convenientibus in vicino & dicente Australi tractatoribus, quòd scire vellet, quòd Rex non assisteret Comiti C. de Medeburg, in confinio Austriæ, Ungariæ & Bohemiæ residenti. Rex verò eundem Comitem, tanquam servitorem, diceret se relinquere non posse: ambo sic infecto negotio sunt reversi. Idem enim Comes juvenis & elegantis formæ tempore obsidionis in Kales, in servitio Franci existens, & relictam quondam Domini de *Kusti*, filiam quondam Lupoldi Ducis Austriæ visitans, & præhabitis pluribus internuncijs, cum ea inscio patruo matrimonium contrahens, ipsius Alberti patrui (dolentis eam cum impare contraxisse, & forsan timendis se per ipsum Comitem super hæreditate vexari) indignationem incurrit.

Postea tamen reversi ipsi Rex & Dux, liberorum nuptias perfecerunt: Duce tamen in hujusmodi amicitia excipiente liberos quondam Ludovici Principis, quibus in vita Principis extitit alligatus.

Conventus Pataviensis.

Reverso autem de partibus Apuliæ Ungaro propter pestilentiam: Albertus Dux Carolum Bohemum, Ludovicum Bavarum, Marchionem in Brandeburg & alios multos in Pataviam, ad Dominicam post Jacobi, pro tractanda concordia, convocavit. Interea fama evolavit, quòd tractante Duce Brabantiæ, ac Treverensi & Marggravio Juliacensi, Bohemus nomine Romani Regis terras Holandiæ & Selandiæ, quas Wilhelmus filius quondam Ludovici Principis tenet, filijs Regis Angliæ & Juliacensis contulit, amicitia inter Bohemum & Anglum contracta: in qua tamen Bohemus Francum excepit. Propter quæ Bohemus & Brandeburgensis, à Patavia, ad quam Marchio cum duobus millibus equitum venerat, infecto negotio recesserunt: Marchione quòd nunquam Bohemum pro Rege Romano ex prædicta electione habeat, asserente. Bohemus autem & Australis navigio Austriam descenderunt. Signa autem Imperialia aquilarum, Pataviæ hospitijs Bohemi impicta, per familiam Marchionis, præsertim Hugonem Comitem de Hohenberg, stercoribus sunt deleta, & barræ in vicubus hospitiorum Bohemi violenter apertæ. Factis autem & alijs terminis minime concordarunt.

Obijt autem eo tempore de Francia uxor Regis.

Freundsberg Castrum forte Freundstein.

Eo tempore in principio Augusti, liga pacis Alsatiæ, castrum Frundesberg, propter quosdam Mercatores Suevos, in terminis ligæ inibi captos, destruxit, captivos absolvens.

Trevirensis Archiepiscopus cum magna gente castrum Issenburg obsedit, & læsis pluribus de suis, parante quoque H. Moguntino se ad obviandum ei, quasi confusus recessit.

Bellum in Marchia Brandeburgensi à veteratore excitatum.

Rodolphus autem Dux Saxoniæ quendam in terra sua, similem quondam Wolmaro Marchione in Brandenburg, inveniens, eumque Marchionem fingens esse (prætensis multis figmentis, qualiter olim Marchio se fingens mortuum, à terra clam recesserit, ex causa pœnitentiæ, alio nomine ipsius defuncti) multas civitates Marchiæ ad recipiendum eundem induxit. Et veniens Rex repente cum magno exercitu Bohemorum, quasi totam Marchiam, à Ludovici Marchionis ditione retraxit. Gens enim terræ luxuriam cum filiabus & uxoribus suis, & quòd liberi sui non

non sint legitimi, nec digni tanto principatu, impingere dicebatur. Ipse verò Marchio celeriter cum exercitu suo ingrediens, in oppido terra Franckfordensi se recepit, quem Carolus ibidem obsedit, sed factis pluribus insultibus hinc inde recessit. *Francofurtum ad Oderam.*

Post hæc venit Dux Rupertus Bavariæ junior, filius quondam Adolphi Palatini, habens uxorem Siculam, cum Comite de Schvvartzenburg, & multis alijs, ex parte patruelis sui Ludovici Marchionis, in Marchiam, viriliter se tenens. Visaque in campo multitudine inimicorum, dixit Comes: Domine, expedit nos abire. At ille: Valentissime Comes, ne loquaris ita, quod in primo conflictu meo recedam. Quo audito, aggressi sunt inimicos, ipsos vincentes. Confortatus itaque Rupertus progressus nimis in partes inimicorum, temereque quærens conflictus, tandem captus est, & per Rudolfum, Ducem Saxoniæ multis annis detentus.

Reverso autem propter pestilentiam Ungaro, Joanna relicta Andreæ fratris sui, uxor Ludovici Ducis Thoraciæ de auxilio Papæ Neapolim revertitur, & ejectis Ungari fidelibus, terra sibi iterum subjugatur: Wernhero de *Vrselingen*, Suevo (qui primò Ungaro adhæsit, & ab eo propter quandam suspicionem falso sibi impactam, ut dixit, licentiatus fuit) eidem Joanna propter pecuniam assistente. Nicolaus enim tribunus Urbis, fautor Ungari, disparens, sede inibi quasi prævalente, eo tempore non erat potens in Urbe.

Vendidit autem ipsa Joanna, quantum in ipsa fuit, Papæ civitatem Avinionensem, pro multa pecuniæ quantitate.

Eodem anno M. CCC. XLVIII. mense Januarij, in conversione Sancti Pauli, factus est terræmotus generalis & magnus, ex quo homines pati syncopam putabantur, & in aliquibus locis multis diebus duravit, præsertim in Carinthia, ubi oppidum grande *Villach* cum multis castris & villis ejusdem vallis corruerunt & perierunt, & in multis locis ex hoc incredibilia evenerunt. *Terræmotus.*

Facta est & Pestilentia mortalitatis hominum præsertim in partibus ultramarinis & maritimis & alijs, qualis à tempore diluvij non est facta aliquibus terris hominibus penitus evacuatis, multisque triremibus in mari cum mercibus habitatoribus extinctis, sine rectore repertis. Marsiliæ Episcopus: cum toto Capitulo, & quasi omnes Prædicatores & Minores cum dupla parte inhabitantium perierunt. Quot verò in Montepessulano, in Neapoli, & alijs regnis & civitatibus mortui sint, nemo posset enarrare: Avinione in curia per contagionem morbi infecta, ex quo multi sine Sacramento perierunt. Nec curam habebant parentes de filiis, nec econtra, nec socij sociorum, nec famuli Dominorum, quòd domus cum omni supellectile vacuæ fuerunt, quas nullus ingredi audebat. Horror est scribere vel narrare: Nulla fuit ibi causarum agitatio. Papa inclusus cameræ habenti ignes magnos continuè, nulli dabat accessum, terrasque hæc pestis transibat: nec poterant Philosophantes, quamvis multa dicerent, certam de his dicere rationem, nisi quòd Dei esset voluntas. Hæcque nunc hic, nunc alio loco, per integrum annum & plures annos durabat. *Pestis sævissima.*

Et infamati sunt Judæi, quod hujusmodi Pestilentiam fecerint, vel auxerint, fontibus & puteis injecto veneno: & cremati sunt à mari usque ad Alemanniam, præterquam Avinione, ubi eos Papa Clemens sextus defendit. *Iudæi venefícii insimulati*

Post hæc tortis quibusdam in Berna, in Comitatu Friburgensi & alibi, & reperto in Zofingen veneno, extinctisque Judæis in pluribus locis, scriptoque de hoc consulibus Basiliensis, Friburgensis & Argentinensis civitatum, majoribusque ad defensionem intendentibus Judæorum, ac quibusdam etiam nobilibus Basileæ, ob quandam injuriam Judæis illatam ad longum tempus bannitis: ecce irruit populus cum Baneriis ad Palatium Consulum. Quibus territis, & quærente Magistro, quid vellent? responderunt: se nolle redire, nisi bannitis reversis: pro quibus illicò est transmissum, Consulibus non audentibus egredi, quousque banniti venirent. Adjecitque *Tumultus Basileæ Iudæorum causa.*

populus, se nolle quòd inibi ampliùs remanerent Judæi. Et juratum est per consules & populum, quod in CC. annis ibi nunquam Judæi residerent. Conveneruntque pluries nuntij meliores earundem trium civitatum, quibus cordi erat retentio Judæorum, sed populi timuerunt clamorem. Capti sunt autem undique Judæi in partibus illis.

Judæi in Germania cremati. 1349.

Indictus est autem terminus in *Bennefelt* Alsatiæ, ubi convenerunt Episcopus, Domini & Barones & nuntij Comitum, nuntijs Argentinensibus dicentibus, se nil mali scire de Judæis suis: quæsitum est ab eis, cur urnæ de eorum puteis fuerint sublatæ, omnis enim populus clamabat contra eos. Convenerunt autem Episcopus Argentinensis, Domini Alsatiæ, & Civitates Imperij, de non habendis Judæis, & sic modò in uno loco, & postea in alio, sunt cremati. Alicubi autem sunt expulsi: quos vulgus apprehendens, hos cremavit, aliòs interfecit, alios in paludibus suffocavit. Cremati sunt igitur absque sententia, ad clamorem populi, omnes Judæi Basilienses, in una insula Rheni, in domo nova eis facta, feria sexta ante Hilarij, anno Domini M.CCC.XLIX. & sequenti feria sexta in Friburgo, duodecim ditioribus retentis, ut per illos possent eorum debitores artare.

Basilea.

Spira.

Spiræ autem Judæi in domibus suis congregati, seipsos combusserunt, aliqui per populum interfecti fuerunt, Sabbato post Epiphaniam Domini, anno prædicto, & in plateis mortui jacuerunt: aliqui etiam effugerunt cremationem, qui reservabantur ac baptisabantur. Populus etiam Spirensis, timens aerem infici ex fœtore cadaverum in plateis jacentium, etiamsi comburentur, fecerunt eadem cadavera in vasis vacuis vinosis includi, & in Rhenum deduci. Consules etiam civitatis edictum fecerunt publicum, ne quis de populo domos Judæorum ingrederetur, & vicos Judæorum firmarunt, ne quis introire posset, & totum thesaurum per Judæos absconditum quæsierunt, & repertum conservarunt: ferebatur enim magnum thesaurum in auro & argento se invenisse.

Wormatia. Oppenheimij.

Wormatienses etiã Judæi, ut Spirenses, Oppenheimenses & Maguntini, se ipsos combusserunt. Quidam etiam inventi sunt, quasi omnia maleficiorum genera commisisse, sed in Hispania habito per eos dudum consilio, de veneficiis, convenisse: item de multorum puerorum nece, de falsis literis, de corruptione monetarum, furtis, & aliis multis, in quibus offendebant Altissimi majestatem.

Argentina.

Aliqui etiam Argentinæ ut sedarent clamorem populi, super rotis sunt positi statimque necati, ne super rotis viventes quid dicere possent: ex quo contra majores civitatis major suspicio est suborta. Fuerant autem quidam Judæi divites Argentinæ ad domum unam super Bruscam ducti, quasi ut abduci possent, qui postea ducti sunt ad Cœmiterium eorum, in domum combustioni paratam, & in ducendo per vulgum, vestibus sunt omnino nudati, in quibus magnus thesaurus florenorum est repertus, quem secum cum vestibus volebant comburi.

Pauci autem defensi sunt in civitatibus baptismum eligentes, ut combustionem evaderent, & plures Judææ pulchræ quasi invitæ, multique pueri erepti, ab invitis sunt baptizati, multique prosilientes de igne & per plateas currentes sunt interfecti. Pluresque Duces & Barones & milites propria castra habentes, suos tenuerunt, qui per Judæos baptizatos & Christianos multa intoxicasse dicuntur, multique talium fatentes ea, postea sunt cremati. Pluresque Christiani torti, fassi sunt, se recepta à Judæis pecunia, & dictis quibusdã verbis super eos per Judæos, promissoq; per eos de intoxicando, in tantam pervenisse dementiam, quòd libenter omnes Christicolas occidissent. Unde successivè omnes quasi baptisati Judæi sunt cremati: quia fatebantur, eos omnes culpabiles. Indignatæ sunt autem civitates Alsatiæ contra omnes, tenentes in suis partibus Judæos. Unde minister Ducum Austriæ vix obtinuit, ne obsideretur, quòd captis omnibus Judæis Ducum in Ensisheim, nuncium in Austriam destinaret.

Rupertus

Heidelbergæ. *Francofurti.*

Rupertus etiam Dux Bavariæ in oppido *Heidelberg*, & aliis munitionibus, & Engelhardus de *Hirtzenhorn* miles in oppido *Semesheim* Judæos tenuerunt, qui de civitatibus Spiræ & Wormatiæ effugerant, propter quod contra ipsos mussitatio à Civitatibus fuit: quia magnam pecuniam ab eis habuerunt. Insultu quoque in eos facto in Franckfurt, post Regis Caroli recessum, se & omnes domos suas, & sibi vicinas cremarunt.

Moguntiæ.

In fine autem Augusti, Moguntiæ multis fidelibus se flagellantibus advenis, facto rumore ex abscissione unius bursæ, & credente populo, quòd rumor esset contra Judæos: ecce omnis populus irruit in Judæos, & occisis multis Christianis per eos, videntes se non posse evadere, combusserunt domos suas, & seipsos cum rebus in eisdem. Judæi etiam omnium civitatum Imperialium & aliorum locorum, quia quondam Ludovicus Princeps, ipsis dum vixit, tanquam servis suis, satis fuerat favorabilis, & ergo ante cremationem & ipsorum interemptionem mortuo Principe, multùm fuerant de nece sua dolorosi: quia talem spem habuerunt, ex quo in tantùm populus Israel crevit, quòd de suo auxilio in brevi omnes Christicolas debebant occidisse. Civitates autem domorum Judæorum interemptorum fractorum cum lapidibus super sepulcris constitutis, & Cœmiteriorum suorum, & thesauro reperto, turres novas in suis civitatibus construxerunt, ac cum lapidibus muros refecerunt, & thesauros repertos in usus Reipublicæ converterunt. ☞ Facta sunt hæc & multa alia de Judæis, anno Domini M.CCC.XLIX. Dominica ante Valentini. ☜

Cum autem indictus fuisset dudum conflictus, ad diem beati Joannis Baptistæ, prædicti, ut supra anno M.CCC.XLIX. inter Angliæ & Franciæ Reges: tanta fuit utriusque regni pestilentia, quòd vix tertia pars hominum dicebatur remansisse, propter quæ conflictus est prorogatus. Comesque Flandriæ, qui recusata filia Angli, quam ducturum se promiserat, à terra recedens, Ducis Brabantiæ filiam duxit, & ambo Franco faverunt, reversus Flandriam, in populi favorem Anglo adhæsit.

Flagellantium habitus ritus & superstitio.

Incipiente autem paulatim Pestilentia, in Alemannia cœperunt se populi flagellare, transeuntes per terram, & venerunt CC. de Suevia Spiram, anno prædicto XLIX. in medio Junij, habentes inter se unum Principalem, & duos alios Magistros, quorum mandatis omnino parebant. Et cum hora primæ Rhenum transissent, accurrente populo, fecerunt Circulum in civitate Spira ante monasterium latum valde, in cujus medio se exuentes, depositis vestibus & calceamentis, habentes in modum braccæ camisias à femore ad talos prætensas, circumiverunt, unusque post alium in circulo se in modum crucifixi prostravit: quilibetq; eorum super quoslibet transeuntes passibus, & leniter prostratos flagellis tangentes, ultimi qui se primò straverunt, primò surgentes se flagellaverunt, flagellis habentibus nodos cum quatuor aculeis ferreis, transeuntes cum cantu vulgari invocationis Dominicæ, habente multas invocationes: & steterunt tres in medio circuli sonori valde, præcinentes, flagellando se, post quos alij canebant: in quo diu immorantes, ad unum prætentum omnes genui flexi, in modum crucifixi in facies suas corruerunt, cum singultu orantes, & transierunt juxta circulum Magistri, monentes eos, ut orarent ad Dominum pro clementia super populum, item super omnes eorum benefactores & malefactores, & omnes peccatores, & in Purgatorio existentes, & pluribus alijs. Post hæc se levantes, extensis manibus in cælum, genu flexi canebant: & iterum surgentes, diu se flagellabant, euntes ut prius, quibus se induentibus alia pars eorum, quæ indumenta & substantiam suam custodierat, se exuens, idem fecit. Post hæc surrexit unus sonorus, legens literam, quia aliqui fuerant inter eos Sacerdotes & Literati, nobiles & ignobiles, mulieres & pueri, cujus literæ tenor similis in sententia esse dicebatur, in Ecclesia S.Petri in Hierusalem per Angelum præsentata, in qua narrat Angelus: Christum offensum contra mundi pravitates plurima exprimens crimina, violationum diei Dominicæ, & quòd non jejunetur feria sexta, blasphemias, usuras, adulteria. Christumque rogatum per beatam virginem & angelos pro misericordia, respondisse:

quemlibet per triginta quatuor dies se debere exulando flagellare, ut misericordiam Dei consequantur.

Tantus erat Spirensium affectus ad eos, quòd citò omnibus invitatis, non inveniebantur, qui invitari possent: non enim recipiebant cujusvis eleemosynam in specie, sed in genere, pro parandis contortis cereis & vexillis. Habebant enim pretiosissima vexilla de serico & purpura, & ornatè depicta, cum quibus processionibus transibant: sed invitati de Magistrorum suorum licentia ibant, vocati, nec audebant invitare per ditiores vocati. Hocque faciebant bis in die, aut in civitate, vel in campis, & quilibet clam semel in nocte: non loquebantur mulieribus, nec super plumis jacebant: omnes gestabant cruces, ante & retro in veste & pileo, habentes flagella vestibus appensa, nec in una parochia ultra unam noctem manserunt.

Ingressi sunt fraternitatem eorum humillime, centum & plures de civitate Spirensi circa mille Argentinensium, promittentes per prædictum tempus obedientiam prædictis Magistris. Nullus recipiebatur, nisi promitteret servare prædicta, per prædictos dies, & nisi haberet expendere in die ad minus quatuor denarios, ne mendicet, & nisi promitteret se esse confessum & contritum, & remisisse omnem injuriam inimicis, & habere uxoris suæ assensum. Diviseruntque se Argentinæ, pars enim descendit, altera pars ascendit, Magistros inter eos similiter dividentes. Magistri quoque Argentinis repentinam castigationem nimiam prohibebant. Tantæque ad omnes confluebant multitudines, ascendentium, descendentium & transversalium, quòd nemo poterat numerare.

Post hæc in civitate Spira pene ducenti pueri, duodecim annorum ætate, colligationem fecerunt, & se flagellaverunt. In civitate Argentinensi tanto confluebant multitudines flagellantium, quòd nemo poterat numerare.

Flagellantium concursus abrogatus.

De quo Carolus Rex & plures Ordinum Mendicantium, & multi Sacerdotum dolebant, & propter aliquas colligationes & nimias multitudines, & quia volebant fraternitates facere durabiles, desistere sunt coacti.

De Basilea enim civitate de melioribus centum vel circa colligationem fecerunt, & secundùm modum prædictum se flagellaverunt, & ex devotione Avinionem iverunt: ubi cum venissent & se flagellassent, relatum fuit Clementi Papæ de modo pœnitentium, ipse pro eo quòd sibiipsi hujusmodi afflictionem & pœnitentiam injungebant, volebat eos incarcerasse. Sed quidam Cardinales eos excusabant, quòd non credidissent malè in hoc fecisse. Et Papa sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsis & omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne de cætero flagellationibus publicis uterentur, sed pœnitens solus in Camera posset carnem suam sic flagellare.

Guntheri Schuartzenburgensis magnanimitas & pietas.

Guntherus Comes de Schuartzenburg Thuringiæ, ætatis circa XLV. annorum, vir robustus, bellicosus, strenuus & prudens in bellis: qui in servitio Heinrici Moguntini & quondam Ludovici Principis plurimùm laboravit, quique in pluribus conflictibus feliciter prævalens proprijs, capiendo & talliando Barones, plurimùm est ditatus, à Principibus, Carolo contrarijs, ut se intromitteret de regno, rogatur. Qui primò renuens, tandem eo pacto annuit, si in Franckfurt per Principes & nobiles sententiatum fuerit, vacare Regnum & Imperium, majorque pars Principum, qui similiter per sententiam declarati fuerint jus habere, ipsum absque omni Simonia elegerint propter Deum, dicens: se expositurum periculis pro Deo & Imperio corpus suum. Hoc facto, cum exercitu suo in campo se posuit juxta Franckfurt, feria sexta post Hilarij, anno M.CCC.XLIX.

Guntherus adversus Carolum Cæsar renunciatus. 1349

Convenientibusque inibi Principibus quatuor, & multis alijs Baronibus, & per sententiam decreto, Imperium vacare, & eisdem quatuor competere jus eligendi: electus est in Purificatione, per Henricum, Archiepiscopum Moguntinum, Ludovicum Marchionem de Brandenburg, Rudolfum de Bavaria Palatinum Rheni, annuente Ruperto suo fratre, & capto tum Ruperto fratrueli eorum, & Ericum Ducem Saxoniæ, in Regem Romanorum. Huic etiam Erico, tanquam filio fratris Senioris Rudolfi Ducis, electoris Caroli, decernebatur jus eligendi habere.

Cumque

Cumque idem Guntherus per sex hebdomadas potenter jacuisset in campis Franckfurt/ more Regio per eandem civitatem est receptus. Aliæque civitates Imperij in Wederaugia, eum similiter receperunt.

Intelligens autem Carolus Guntherum jacere in campo, ad Rhenum se transferens, Treverensem, & Coloniensem Archiepiscopos Leodiensem Episcopum, Ducem Brabantiæ & alios Principes amicos alloquitur. Scribens etiam Baronibus & civitatibus quæ eum receperant pro subsidio, & quòd in villa Castel, ex opposito Moguntiæ, castrametari vellet, dominica *Esto mihi*: ad quos locum & terminum Guntherus quasi in derisum torneamentum indixit.

Carolus autem quia fuerat viduus, tractaverat cum Rudolfo de Bavaria Palatino, qui Guntherum elegerat, de sponsalibus cum filia Rudolfi Palatini, quæ unica fuerat filia ex matre de Carinthia, & duxit eam uxorem: quamvis ipsi duo Carolus & Rudolfus, quondam Rudolfi Regis pronepotes fuerant, ipseque Rudolfus & quondam uxor ejus mater sponsæ, similiter fuerunt ejusdem Rudolfi Regis pronepotes, super quo nunquam dicitur fuisse dispensatum: materque sponsæ & sponsus similiter liberi duarum sororum fuere. Cum autem Carolus pro tunc Guntherum præ potentia sua & sibi adhærentium, invadere non posset: indixit Colloquium Spiræ, ad Dominicam *Lætare* tunc sequentem, de villa Castel recedendo. Cumque Spiram venisset, convenientibus ibidem Treverensi, Gerlaco Moguntinensi, Eberhardo Comite de Wirtenberg/ multisque Baronibus & Civitatum nunciis, cum speraretur Guntherum in vicino venturum, pro concordia inter electos tractanda, prout Principes ipsi Gunthero scripserant: ipse scriptum spernens, castrum Friedberg obsedit, cujus castrenses sibi rebellabant: & tandem vicit. Post hæc in principio Maij infirmante Gunthero in Franckfurt/ Magister Fridanckus famosus medicus, & Comitibus de Nassovve antiquitus familiaris, cum Gunthero potionem dedisset, quam asseruit eidem expedire, eam (licet invitus) ad mandatum Guntheri primò tentavit & probavit, ipso præsente. Post hæc Guntherus eam sumpsit. Statim Medicus in facie incœpe[r]at decolorari, & infra triduum moriebatur, Guntherus inflatus, quò ad valentiam corporis statim inutilis est effectus, & creditur famulum Medici injecisse potioni venenum.

[Margin: *Caroli 4. nuptiæ secundæ.* — *Fridberg.* — *M. Fridanck medicus.*]

Mortuo autem illis diebus Luca de Mediolano, occupatore quasi Lombardiæ, ac Joanne fratre suo, scilicet Archiepiscopo Mediolanensi, se intromittente de Dominio: mittitur pro Marchione de Brandeburg/ qui vadens ad Comitatum Tirolis, Tridentum & quædam alia ibi obtinuit, quæ in Bohemi devotione fuerunt. Quod audiens Joannes de Pistorio provisus Tridentinus sedis, clero & populo Tridentino exosus, recessit. Cui Papa postea de Episcopatu Spoletano providit.

Eo tempore ad preces Joannis, filij quondam Joannis Bohemi, quem Comitem Tyrolis nominavit, Papa commisit Episcopo * Curiensi à captivitate liberato, ut si inveniret consanguinitatis vel affinitatis, vel aliud impedimentum inter eum & Margaretham: quondam Heinrici Ducis Carinthiæ filiam, Ludovico de Bavaria, nominanti se Marchionem Brandenburgensem, de facto copulatam fore, quòd ob maleficium divortium celebraret: quod si non invenerit cum X. annis & interim per continuum triennium cohabitaverint, operam copulæ dantes, nec potuerint commisceri, non posset sibi reddi sine strage & scandalo, ipseque se habilem asserat ad alias mulieres, & cupiat esse pater, quod justum fuerit decernat. Qui Curiensis inter eos divortium propter maleficium quod invenit, celebravit.

[Margin: * *fortè Gurcensi.*]

Intenderat autem Rex & Marchio simul pro perficienda concordia se transferre ad Papam, sed quia Archiepiscopus Mediolanensis scripsit Papæ, literam quandam sibi directam, in qua narrabatur, Regem Aquisgrani ex novo consensu Principum, electum & coronatum in Regem, ex vacatione quondam Ludovici Principis: de hoc Papa commotus scripsit Regi, sicque ambo manserunt. Marchio autem cum Mastino Veronensi ligam contraxit, ejusque filio, suam ex prædicta Margaretha filiam, desponsavit.

N 4 Reversi

Reversi autem sunt Mediolanum post mortem Lucæ tres filij fratris sui quondam Stephani Marchionis, Matthæus, Barnabas & Galeatius, quos Lucas ejecerat de terra, ne dominarentur loco patris, quos quondam Aimo Comes Sabaudiæ nutrivit, cum filio suo nunc Comite: qui tenentes singulariter Palatium, strenuè se tenent, quos & Archiepiscopus Mediolanus abhorret. Reliquit autem Lucas duos filios, quos prædictus Galeatius suos esse prætendit, cum uxorem Lucæ, eo vivente, clam cognovisset adultere frequenter.

Nundinæ Francofurtensibus ablatæ, sed mox restitutæ.

Convocavit autem Rex Carolus exercitum ad Moguntiam, in Majo anni prædicti. Moguntini enim sibi in odium Heinrici Archiepiscopi qui eos læserat, & Franckfurtensium, à quibus Rex abstulerat nundinas, dans eas Moguntinis, firmiter adhæserant. Intentio autem Moguntinorum fuit, expugnare oppidum cum castro Altevill constructum per Moguntinum super Rhenum, ad duas leucas distans à Moguntia. Guntherus autem letaliter infirmus, cum gente sua se in Altevil apud Henric. Moguntinum tunc collocavit. Transeunte autem Carolo Rege Rhenum, ducenti equites Guntheri impetum facientes, Carolum terruerunt. Accelerantes autem equites Eberhardi de Wirtenberg/ & quidam alij fugarunt eosdem: de qua fugatione multi milites novi sunt creati.

Guntherus cedit Imperio & paulò post moritur.

Veniens autem Marchio de Brandenburg sine gente, habitis tractatibus cum Rege Carolo de concordia, videns etiam Guntherum factum invalidum: negotium inter eos comportavit, ita quòd Gunthero pro renuntiatione juris suæ electionis, data sunt viginti duo millia marcarum argenti, & duo oppida Thuringiæ Imperialia, pro tempore vitæ suæ. Quod ipse Guntherus, licet infirmus, difficulter consensit: si sanus fuisset nullatenus consensisset, de Principum suorum electorum, specialiter Bavarorum, perfidia multa conquerendo. Obijt autem ipse Guntherus post comportationem hujusmodi, infra mensem, in Franckfurt/ & in Ecclesia parochiali ibidem, præsente Rege Carolo, fuit cum lamentatione sepultus. Quo sepulto, Francofordenses in perpetuam memoriam, solenne ut decet Regem, fecerunt sepulchrum. Rex Carolus ex tunc Franckfurtensibus omnia sua privilegia confirmavit & nundinas restituit, datis sibi viginti millibus marcarum, quæ recepta sunt à Judæis crematis ibidem.

Nundinæ Francofortenses.

Descendit autem circa finem Julij Rex cum uxore versus Aquisgranum, sed præ multitudine peregrinorum se flagellantium, inibi recipi non poterat: sed expectavit in Bunna, ubi Aquensibus omnia antiqua & plura nova privilegia sigillavit.

Descenderat autem Ludovicus Marchio cum Rege. Interim autem Romanus, frater Ludovici, in terra Brandeburg conflictum iniens cum adversariis, ubi miles viriliter est effectus, feliciter triumphavit: captis pluribus & occisis, alij autem se acriùs firmantes, plurimùm Marchionem infestant.

Neostadium Palatinorũ destructum.

Reversus est autem Rex Spiram, vocatisque Baronibus & Civitatibus tractans cum eis, de pace generali circa Rhenum, sed non perficiens. Conquerebantur tum civitates Rhenenses, quòd Rupertus Dux Bavariæ haberet Castrum dictum nova Curia, distans ad unam leucam à civitate Spira, in qua latitarent latrones, qui Mercatores, transeuntes publicam viam versus Wormatiam, in nemore dicto Rechholtz/ despoliarent. Rex hoc audito, statim bannerium suum, quod dicitur Sturmfahn/ super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit, & populo civitatis ad arma mandari, per Magistros civium præcepit: & egressus civitatem cum sua gente armatus, populo eum sequente cum Bannerio ante castrum prædictum, ipsum funditus destruxit.

Postea reversus ad civitatem Spiram, conquerens Dominis & Civitatibus de Metensibus, eum pro Rege habere nolentibus, vel scribere Regem Romanorum: sed non habens responsum ab eis super scripto suo, & in expensis Spiræ deficiens, ivit ad Nurenberg/ ubi nolente Marchione Regi reformato cum Gunthero eis assistere, sub gratia est receptus, & quodam dolo receptis civium armis, & extorta ab eis pecunia, Bohemiam est reversus, circa finem Se-

ptembris

ptembris, male terra regni pacata. Reliquit autem in Suevia præsidem Eberhardum de Wirtenberg.

Eberhardus autem de Wirtenberg / præses Sueviæ, cum oppida Imperialia, Nordlingen/quod consuevit respicere Comites de Oettingen/& Wörd super Danubio, quod in Dominio Bavarorum ab antiquo steterat, ad suam nomine Regis obedientiam assumpsisset: tunc inter Duces Bavariæ, Comitesque de Oettingen/ contra ipsum Eberhardum odium est subortum. Civitates autem Sueviæ ipsi præsidi vicinæ, aliis quantum audebant faventes, præsidem, sicut & patrem & avum, habuerunt exosum. Ipse Eberhardus oppidum Ladenburg super Neccaro, Episcopi Wormatiensis quod antè Rupertum Ducem Bavariæ defensorio nomine Episcopi respexit, sibi de Episcopi consensu attraxit. Ex quo inter Ducem & Comitem exercitus congregantur & remittebantur. Tandem oppidum ipsum Comes propter bonum pacis dimisit, & sic permansit in Ducis defensione. Quem etiam Ducem incolæ oppidi à sua potestate excluserunt, & Walramum Comitem de Spanheim pro defensore elegerunt & assumpserunt, Salmanno Episcopo patiente & sciente.

Eberhardus Wirtenbergicus Imperialis præses Sueviæ.

Ladenburg ad Neccarum.

Rupertus autem Dux in Bohemia Carolo Regi nimis familiaris est effectus, qui & vicarius Regis effici dicebatur: postquam fratruelem suum Rupertum, quem & Arnestum nominant, de captivitate redemit. Postquam in Brandenburg pro pace laboravit plurimùm, civitates Sueviæ contra Comites de Wirtenberg acriter incitavit: ac multi Episcopi & Comites, qui Eberhardum de Wirtenberg habere credebantur exosum, propter ejus virtutes, & quia malam timuerunt consequentiam, si adversus illum oppida prævalerent, se mutuo colligarunt, sicque furor vulgi quievit.

Palatinus Carolo Cæs. reconciliatus.

Interea anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono moritur Walramus de Juliaco, Archiepiscopus Coloniensis & postea de mense Decembri, frater ejus Marchio Juliacensis à filiis suis capitur, de vitio Sodomiæ suspectus. Decanus verò Olmuncensis Cancellarius Regis, ad petitionem ejus apud Papam pro Archiepiscopatu laborat. Sed Papa Wilhelmo præposito de Sust / uni de gremio Capituli Coloniensis, magna summa pecuniæ pro eo suscepta, de eo providit. De quo Rex (cui Papa de omnibus Episcopatibus Alemanniæ, tempore quo se de regno contra Ludovicum Principem intromisit, promiserat providere personis per Regem præsentatis) plurimum est commotus, de hoc Cardinalibus & alibi conquerendo. Papa autem, mortuo Comite Convenarum sine masculis, unam de filiabus Comitis, filio fratris sui, matrimonio copulavit, cum pecunia per Colonienses sibi data: omnes reditus sedecim millia florenorum annuos, relictæ & aliis filiabus Comitis assignavit, Comitatu eidem fratris filio remanente.

Wilhelmus de Genepe Archiep. Coloniensis.

Comitatus Convenarũ.

Humbertus verò Delphinus, vitæ quodammodo tædiosus, terram suam, retentis aliquot munitionibus, nepoti Regis Franciæ, ex filio primogenito, vendens, frater Prædicatorum est effectus. Breve tamen tempus stans in ordine, egressus, factus est Cardinalis, & postmodum Patriarcha. Rex autem Carolus Romanus eundem nepotem Franci, filium sororis suæ, de ipso Delphinatu, qui est feudum ab Imperio, investivit.

Delphinatus Galliæ feudum ab Imperio.

Baldewinus autem Archiepiscopus Treverensis, cum quadraginta duobus annis Ecclesiam suam laudabiliter rexisset, ac propter senium & tenacitatem nihil amplius proficeret, cum frequenter solitarius vitam quasi Cartusiensium duceret: Joannem de Liechtenberg / qui & in Argentinensi Ecclesia præposituram, decanatum, Cantoriam & Pincernatum simul tenebat, valentem & providum, in spiritualibus & temporalibus administratorem & vicarium Ecclesiæ suæ deputavit, qui tamen assumpta administratione illico discessit abinde.

Ioan. de Liechtenberg administrator Trevirensis.

Cuno verò de Falckenstein Canonicus & minister Heinrici Moguntini, invito Papa, Carolo Rege, & Gerlaco proviso sedis, viriliter administrat, omnesque fructus & reditus, quos Ecclesiæ collegiatæ, sive personæ privatæ, sive Monasteria Religio-

Religiosorum, & omnium indifferenter Henrico Moguntino non parentium extra civitatem Moguntinam existentes, sive consisterent in blado, vel in vino, recepit, & ad castrum & munitiones sibi subjectas, deduxit: tenens semper familiares tot & tantos, quod in his Gerlacum provisum nec suos formidabat. Gessit enim suam administrationem tam viriliter, quòd in civitate Moguntina familiares sui ipso Cuno (ut ferebatur) annuente, Conrad. de Ansenbruch concanonicum occiderunt. Henricus etiam Moguntinus, quòd in quondam Gunthero de Schwarzenburg electo, fideliter egerit, ab omnibus laudatur, Bavari verò de perfidia diffamantur.

Alb. de Hohenberg Episcopus Frisingensis.

Iisdem temporibus in Curia Avinionensi Joanne de Gottingen Episcopo Frisingensi, Medico famosissimo mundi mortuo, Papa Alberto de Hohenberg (cui dudum de Episcopatu Herbipolensi providerat, quem tamen propter potentiam N. de Hohenloh detentoris ejus obtinere nequivit) de ipso Episcopatu Frisingensi providit. Rex enim Carolus ipsum detentorem, propter servitia sibi per eum & fratrem ejus Episcopatum Babenbergensem in negotio regni impensa quantum potuit promovit: unde Albertus ipse de Hohenberg in facto suo difficilem processum habuit.

Principum multorum obitus.

Moriuntur quoque eodem quadragesimo nono, circa finem in pestilentia filia Caroli Romani Regis, & Bohemiæ, Regina Hungariæ, & soror ejusdem Regis, uxor Joannis primogeniti Franci: item uxor Franci de Burgundia, qui Francus filiam Regis Navarræ pulcherrimam, de suo genere, duxit uxorem. Item primogenitus Ducis Brabantiæ, gener prædicti Joannis: item & Domina de *Couzin*, filia quondam Lupoldi Ducis Austriæ, & Conrad. de Medeburg maritus ejus. Item filia Regis Siciliæ, uxor Stephani Ducis Bavariæ, relictis sibi pluribus liberis. Qui Stephanus filiam Burggravij in Nurenberg duxit uxorem: tantaque fuit in Francia & Anglia pestilentia, ut Parisiis & in pluribus locis vix nonus homo dicitur remansisse.

Bellum inter Anglos Gallosque renovatum.

Anglus quoque, qui durante pestilentia quievit, non inquietando Francum, iterum cessante pestilentia in Vasconia per suos Francum invadit, aliquas munitiones expugnans, & terram quasi usque ad Tholosam suæ subjiciens ditioni.

Anno 1350.

Circa principium anni Domini, quinquagesimi, Francus clam uni servitorum Regis Angliæ Lombrado, tenenti custodiam unius portæ in Cales, pro traditione munitionis pecuniam maximam pollicetur: at ille brevi termino deliberandi recepto, velociter Anglum alloquitur. Jussusque recipere pecuniam ipsam à Franco recepit, & gentem Franci venire jubet hora ad hæc assignata. Anglus autem cum filio suo & suis nocte veniens per mare, gentem Franci, intromissamque multitudinem videlicet nobilium maximam, interfecit, & aliquos captivavit, conflictum nimis dubium iniendo. Habita autem victoria, sciscitatus, quis ab utraque parte valentior fuerit in conflictu, & nominato sibi quodam milite Franci capto sibi coronam destinavit in turri, prolem ejus liberatione paciscens. Postea mense Junio, cum iterum congredi vellent, missis per Papam nuntiis & data Anglo pecunia, induciæ firmantur ad annum. Anglus autem dicens, pacem violatam fore, misit gentem in Britanniam contra Francum, quos Francus per suos invadens, prævaluit Anglis, multis occisis. Breviter Francus moritur, circa finem Augusti, anno Jubileo, & Joannes ejus filius primogenitus coronatur.

Joannes Valesius Rex Galliæ. Comes de Guines.

Hic Joannes Francus Comitem de *Gines* valentissimum, patris sui capitaneum fidelissimum, & inter Francos excelsum, qui dudum in servitio Franci captus per Anglum, & sæpe sub cautione emissus, cum nullum liberationis adjutorium posset habere à Francis, patre vel filio, pro LX. millibus aureorum, tandem Anglo pro liberatione sua, duas de suis munitionibus assignantem, pro eo improbè decollavit. Hic Joannes anno Domini M. CCCLI. de mense Januario, Curiam Romanam accedens duodecim Cardinales procuravit promoveri per Papam. Anglus verò super

promo-

promotione unius solius scribens Papæ, non est exauditus: propter quod omnes in regno suo per Papam ad beneficia quæcunque promotos expulit, sub pœna submersionis ne quis inibi literas Apostolicas quascunque & cujuscunque tenoris exequatur inhibendo. Francus autem timens de uxore sua, duos terræ Magnates decapitat, propter colloquium habitum cum eadem.

Annus Jubilæus.

Cum autem Clemens Papa VI. quinquagesimum annum perpetuò statueret Jubilæum, quem Bonifacius Octavus centesimum statuerat, quasi novum inchoans, timorosus, dicente ipso Clemente, quinquagesimum magis Levitico convenire: ecce inchoante eodem anno, & per totum quinquagesimum, tanta Romam Christicolarum confluit multitudo, qualis non illic ab Urbe condita confluebat.

Requisitus autem Papa per Carolum Regem Romanorum, processum dedit, quo Flagellatorum sectam detestans, eos inhiberi præcepit, & religiosos eis faventes, per Episcopos captivari: castigationes tamen occultas in hospitijs bona intentione permittens. Prætendit quoque in processu, quòd sicut manus in necem Judæorum, quos pietas Christiana defendit, laxarunt: similiter de eis contra probos alios sit timendum.

Wenceslai Bohemi ortus.

Natus est autem ijsdem diebus Carolo Regi in Bohemia, ex nova uxore, filia Rudolphi Ducis Bavariæ, filius Wenceslaus ex proavo nominatus, qui Rex Joannes fratri suo Marchionatum Moraviæ, ut juri suæ hæreditatis in Bohemia cederet, assignavit. Quamvis autem modicam pacem Germanis, magnam tamen procurat Bohemis, omnes indifferenter decapitando raptores, unde inibi potens est, plebique acceptus, qui & Pragam magnificavit in duplo.

Feralis nox Tigurinorũ.

Eodem anno quinquagesimo, de mense Martij, Thuricenses, qui ante paucos annos Joannem Comitem de Habspurg occiderant in conflictu (ubi Berengarius de Laubenberg miles fortissimus oculum post magnum laborem amisit) Joannem ejusdem Joannis filium, ex persuasione quorundam intrinsecorum nocte cum multis armatis ingredientem animo capiendi civitatem, ceperunt: Berengario prædicto multisque bonis occisis. Qui multos civitatenses decapitarunt, multosque flexerunt super rotas. Egressi sunt autem ante oppidum Raprechtschwiler ipsius Comitis: quod fratres ejus juvenes, occidi captum timentes, aperuerunt eisdem: in quo itinere Rodolphus Bruno Magister civitatis, diuque potior ibidem, quamvis plebejus, est miles effectus.

Rudolphus Brun consul Tigurinus.

Waldner, ingenui Alsatæ.

Antea autem habentibus Waldenarijs de Sulz Alsatiæ litem, cum Molitore milite Thuricensi, & nolentibus Thuricensibus aliquam illis facere justitiam coram civitatibus vel alibi, nisi coram Sculteto ipsorum, illisque pignorantibus Thuricenses: ecce centum cives Basilienses, & septuaginta Argentinenses in peregrinatione euntes ad monasterium Heremitarum, captivati sunt in Thurego, & induciati ad tempus sub maxima cautione. Et cum à Thuricensibus intollerabilia peterentur, sunt in captivitatem reducti: & confœderatis ad quinquennium cum Ducibus Austriæ, Argentinensi, Basiliensi, Friburgensi & Brisacensi civitatibus, indictisque exercitibus, omnibusque paratis & volentibus Argentinensi & Basiliensi Episcopis cum illis in personis proprijs proficisci, captivi civitatum sunt restituti.

Rhenus Argentinæ clauditur.

Eodem anno quinquagesimo cum Rex Carolus Romanus pluribus civitatibus & alijs Rheni nova contulit thelonia, per quæ traducentes vina & alias merces, plurimum sunt turbati. Argentinenses verò tamdiu Rhenum obstruxerunt, quòd tandem obmissis novis thelonijs in Majo, sub anno LI. Rheno aperto magna cum vino navium multitudo descendit.

Fertilitas anni 1351.

Eodem anno quinquagesimo primo, medio Junij, vineis dudum efflorescentibus, grana communiter sufficiebant ad agrestam: ità quòd non est memoria, blada & vina adeò floruerunt tempestivè: & aperto Rheno, cum crederetur precium bladi & vini ascendere, ipsum valdè descendit, & circa Spiram & Wormatiam ante diem Joannis Baptistæ blada sunt collecta, vinaque optima ipso anno creverunt.

Eodem

Conventus Augustinianorum Basileæ.

Eodem anno, in festo Pentecostes, fuit capitulum generale Augustinensium in Basilea, ubi fuerunt XIX. Magistri Theologiæ. Papa quoque omnibus fratribus ibidem venientibus, dedit eam gratiam, quàm in Jubilæo habuissent in urbe. Quibus fuit per Papam, Basil. & Argentinensem Episcopos, aliosque contribuentes, egregiè ministratum, & concordavit Capitulum in M. Thomam de Sarburg / priori anno generalem electum, vita & scientia excellentem.

Eo tempore Treverensis Episcopus castrum Munckler fortissimum diu obsidens, expugnavit.

Eodem anno LI. quidam Carmilita lector, faciens sermonem in Missa Papæ, eum & Cardinales de eorum vitijs adeò reprehendit, quòd omnes qui aderant terrebantur, qui extitit propter hoc à statu honoris rotatus.

Pasquillus palatio Papæ affixus.

Affixa quoque fuit quædam clausa litera ostio Cardinalis, Papæ & Cardinalibus directa: qua aperta, reperitur, quòd Leviathan Princeps tenebrarum salutat Vicarium suum Papam & Cardinales servitores suos, quorum ope jam vincat Christum, nitentem exaltare pauperes & humiles contra Rempublicam mundi, & introductis Prophetis eos de omnibus commendat vitijs, & salutant eos mater eorum Superbia, & sorores eorum Avaritia, Luxuria, & cæteræ, quæ se jactant eorum adjutorio bene stare, & multa talia, Et scribitur: *Datum in centro inferni, præsente caterva Dæmonum.* Et commotus Papa perquirere nititur, & postea statim in infirmitate gravissima detinetur, de qua tamen convaluit, sed scriptor literæ prædictæ certificari non valuit.

Anno 1352.

Anno quinquagesimo secundo, Anglus munitionem fortem nepotis Papæ juxta Tholosam obtinuit, de quo Papa plurimùm conturbatur.

Infirmatus autem Papa obijt in die S. Nicolai, anno LII. & positus in calce pro destructione carnis, in monasterio Casæ Dei, in quo olim Abbas fuerat, jussit se sepeliri.

Innocentius sextus.

Mortuo Clemente Papa infra XIV. dies electus est concorditer, Stephanus de prinu Claræmontensis Francus, qui fuerat summus pœnitentiarius Clementis, & Hostiensis Episcopus, & vocatus est Innocentius Sextus, qui in die Epiphaniæ Domini postmodum coronatus, statim revocat omnes reservationes factas per priorem Papam Clementem, exceptis majoribus Prælaturis, & in omnibus ostendit se rigidum, qui antea in magna clementia fuerat constitutus erga etiam Cardinales. In die Conversionis Pauli, facit gratiam pauperibus cum rigida examinatione, & revocavit omnes gratias prædecessoris non consequutas jus in re. Hic justus est reputatus. Nicolaum quoque Laurentij, olim Tribunum in urbe, captum per Clementem, absolutum dimisit: qui reversus ad urbem, resumptus est honorificè in Tribunum. Qui postea Innocentio Papæ commendans se resumptum in tribunum cum obsequij exhibitione.

Ludovicus junior, dictus Romanus, Marchio Brandenburgensis.

Ludovicus quoque Marchio, mediante Carolo Rege, anno LI. cum Duce Saxoniæ & Episcopo Magdeburgensi comportatur, promissis eisdem XVII. millibus marcarum, ut Arnestus Palatinus, Dux de Bavaria, liberaretur.

Postea anno LII. in Februario, actum est inter Marchionem & fratres suos quòd Romanus Marchio efficitur, & fratri suo Alberto pars Marchiæ datur, & filia Comitis de Mechelberg copulatur: Ludovico autem olim Marchioni, cedit tota superior Bavaria, attingens ad Comitatum Tirolis, & tertia pars inferioris Bavariæ: Wilhelmo autem remanerent Comitatus Holandiæ, Selandiæ & Hennegoiæ, quæ nolebant dividi: constituto matri annuo redditu multorum millium Florenorum, pro tempore vitæ suæ. Ludovicus autem Marchio de mense Decemb. cum Mediolanensi & sororio suo Mastino Veronensi, parlamentum habuit in Tridento.

Insignia imperij ad Carolum.

Convenerant autem Rex Carolus & Ludovicus Marchio in Nurenberg / de mense Aprili concordantes omnino. Et cum Rex non posset concordare occupatores Marchionatus cum Marchione, quòd cederent: ipse Marchioni adhærens, alios coram se citavit, fictumque Marchionem cum suis bannivit. Marchio quoq; lanceam, clavos, partem crucis Christi, & alia insignia, quæ imperio dicuntur per Ludovicum Imperatorem patrem suum relicta, Regi præsentavit, recepta cautione de reducendis infra triduum, vel in Nurenberg / vel in Franckfurt / per Regem: quod non fuit impletum,

impletum, sed ea Pragam perduxit, de quo Bohemia nimium gratulatur.

Joannes autem frater Regis, filiam Ducis Poloniæ, quam de Tropowe nominant, inscio Rege traduxit uxorem, de quo (cùm multi sint eorundem Poloniæ Ducum, attingentes versus Bohemiam) utique Rex perturbatur.

Postea anno quinquagesimo secundo, mense Martij, Wenceslao fratri Regis ex Francigena, invito Rege, filia Ducis Brabantiæ copulatur, & terra Lutzelburg in Comitem assumpsit eundem.

Ludovicus autem Marchio, de mense Julij & Augusti, ingreditur Marchiam, cum M. C C. galeatis, plurima reacquirens, cui per totum annum præteritum Rex Daciæ cum trecentis galeatis & quingentis scutiferis aderat in Marchionatu, cum Romano, fratre Marchionis virili: qui Rex ad priorem gentem suam ducentos galeatos, & quingentos scutiferos de novo transmisit. Marchio quoquo Missenensis, filius sororis Marchionis, similiter ad gentem per annum ibidem habitam, tantundem transmisit. Recepta autem multa pecunia, idem Ludovicus filio Mastini Veronensis, sororem suam, quondam Ludovici Principis filiam, matrimonio copulatur: ex quo Rex Ungariæ, cujus frater similiter ejus sororius est, plurimùm, nec immeritò, conturbatur.

Peregrini quoque Jubilæi, licet undique competenti pace potirentur: circa partes Rheni plurimùm periclitati fuerunt, tam in submersione navium circa Brisacum & Rhinaugiam, ex quo plurimi perierunt, quàm invasione prædonum. Bertoldus enim Comes de Eberstein / Baldemarum militem dictum der rothe Baldemar / de Westerreich / de urbe redientem, cepit, & in aureorum grossorum sex millibus talliavit. De quo tamen multi Nobiles sunt gavisi, quia idem miles multos diebus suis, post etiam cruciatus magnos, excoriavit ad unguem.

Iisdem temporibus, de mense Decembri, Hannemannus Dominus in Liechtenberg / qui spernens Dominam de Liningen, sororem Emiconis Comitis de Liningen, conjugem suam legitimam & probam, cuidam Lisæ mulieri adhæsit adulterinæ, ex qua plures liberos procreavit, quarum unam filio Gotzonis de Grostein militis Argentinensis, matrimonio copulavit, in castro suo Liechtenberg: per Henricum filium suum & Emiconem prædictum captivatur, & Lysa præcipitatur ab alto: priùs enim fuerat capta, & per multas petitiones dimissa, iterum ipsi Hannemanno adhæsit, & post reditum ab urbe, in uxoris & filij mortem machinando. Qui Hannemannus data cautione de non exhæredando filio, liberatur. *Hannemannus de Liechtenberg Baro*

Anno Domini, millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, venit Nicolaus Laurentij, de mense Julij, olim tribunus Romanus, Pragam, incognitus inibi: qui propter quosdam ejus sermones, à Pragensi Episcopo detinetur diu captivus, quem postea de mense Julij, Carolus Rex Papæ transmittit. Rex quoque tunc infirmitate gravissima & durabili detinetur, quod multi ex toxico factum fuisse crediderunt. Multos enim Dominorum Bohemiæ, munitionibus & bonis suis, per patrem Regis eisdem obligatis, spoliavit dicens, eos recepisse plurima ultra sortem. Convaluit autem competenter ac sub anno millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, de mense Maij Ducem Austriæ visitat, inter alia fratrem suum Patriarcham Aquilegiensem reconciliando cum Rege, amice etiam se gerens olim Marchione de Brandenburg / ejus adversarijs adversatur. Quilibet etiam eorum Barones alterius, qui tempore eorum inimicitiæ detradendo Dominum suum, cum altero vias quæsierant, patefecit. Marchio etiam quamvis se exininaniverit inexpensis, in Marchia tamen feliciter triumphavit, victisque quibusdam munitionibus, inhabitantes cremavit. *Tribunus Roman. vinctus traditur*

Romanus autem frater ejus, venit ad matrem in Holandiam, assistens matri contra fratrem suum Wilhelmum, quem terra illa pro Domino ad mandatum matris recepit, quam mater aspirans ad cujusdam imparis matrimonium, ut dicitur, nititur rehabere: at illi Wilhelmo assistunt, & inter ipsos discrimina oriuntur. Scripsit autem mater filio, si eum obtinuerit, ipsum in quatuor partes divideret: ipso econtra, si eam obtinuerit, ut matrem tractaturum benigne, scribente, inito conflictu in lacu, ex parte matris perierunt G C. viriles, & ultra, multique Anglorum.

Eodem anno LI. de mense Junij, Marchio Juliacensis quem filii biennio tenebant captivi, penitus liberatur. Dominus enim de Schönecke/qui postea in obsidione Munckter jactu periit, filios litibus infestavit, cui tandem Coloniensis & Treverensis Archiepiscopi assistebant. Filii enim capto Patre (quamvis antiquior haberet Comitatum Montium) in substantia & sumptibus defecerunt, debitis oneratis: unde Pater cum filiis bene concordat, ut dominium restauretur. Dux quoque Gelriæ à juniore fratre suo, dicente eum inutilem, de adjutorio Comitis Marchiæ impugnatur.

Angli successus in Gallia.

Anglus eodem anno LI. de mense Aprili, cum uxore & liberis veniens in Cales terram prædicti Comitis de Gines invadens, obtinuit ferè totam, & contra Comitem Lemovicensem, eum cum Franci auxilio aggredientem, conflictum obtinens, & postea eum Comite Beloniensi pari modo confligens, Comitem cepit, multis occisis, & pluribus captivatis, diversis insultibus feliciter triumphando Comitatum quoque Bellifortis, quem frater Papæ tenuit, omnino quasi destruxit. Francus autem fratri & nepoti Papæ, ut cum expressis armatorum multitudinibus ad eum venirent, sub privationis feudorum, Marschalco verò Papæ, sub capitis pœnis, mandavit.

Erat autem eo tempore lis durissima in Westrania, Episcopo & civitate Metensi ac Comitissa Barrensi ex una Ducissa Lotharingiæ, Comitibus de Sarbrug & Geminoponte, Dominis de Vinstingen & pluribus aliis ex parte altera, se omni discordia vastantibus hinc inde, quos Francus, ut ab eis mutuò more solito haberet auxilium suo tempore pacare conatur. Destructis autem mutuo aliquibus munitionibus & convenientibus utrinque circa Metim in Augusto ambarum partium armatura, habentibus extrinsecis circa duo millia & quadringentos galeatos, factisque multis militibus negotium comportatur. Inter Francum quoque & Anglum facto conflictu, in quo pars Franci prævaluit, ad annum induciæ confirmantur. Et post hæc anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, de mense Julij, Francus castrum Gines obsedit.

Rinfelda oppidum.

Anno Domini M.CCC.LI. de mense Augusti, venit Albertus Dux Austriæ ad partes Rheni, redimens à Comite de *Nidovve* oppidum Imperiale Rinfelden/ dudum Ducibus ab Imperio obligatum; sicque habuit de oppidis Imperialibus super Rheno, Schafhusen/Rinfelden/Nuenburg/& Brisacum.

Tigurum ab Alberto Austrio obsessum.

Obsedit autem Turegum, cum duobus millibus galeatorum, & XX. millibus peditum, de auxilio Basiliensis & Argentinensis Episcoporum & Civitatum: item Friburgensium, Bernensium, de Wirtenberg Comitum, de Hohenberg & aliorum multorum. Confœderati autem erant Turicensibus valles Suitiæ, Urah/& Underwalden/& oppidum Lucern ipsius Ducis, quod se ab ejus ditione retraxit, & compromissum est in quatuor arbitros, Agnete olim Regina Ungariæ, sorore Ducis, pro superiore electa. Qua concordante cum arbitris Ducis, post recessum exercitus, illiusque Turicensibus pronunciationi parere nolentibus, sed XVI. obsides meliorum Turicensium in Brucke & in Baden positos in obstagio, in observatione obstagii quasi perpetuò dimittentibus, qui turribus sunt inclusi: Dux ergo in mense Novembri, civitatum hominibus dimissis, equites & sagittarios pro custodia munitionum suarum & pro infestandis illis, & ne eis adduci possent victualia, destinavit. Uxore ejus Joanna de Ferreto interim, relictis quatuor filiis & duabus filiabus, mortua, Austriam est reversus, Joanne de Habspurg captivo manente.

Suitenses autem vallem Ducis *Glaris*, destructo inibi castro Hermanni de Lattenberg/ subegerunt. Burckardus autem de Ellerbach Capitaneus Ducis, equites Argentinensis, Basiliensis & Friburgensis civitatum, circa dicentos posuit in locum Balneorum extra oppidum Baden; Turicenses autem in die sancto nativitatis Domini de nocte cum quatuor millibus peditum armatorum, duobus millibus bragantum, & ducentis equitibus armatis, latenter egressi, cum post castrum Balnearum descendentes, viam arboribus invenissent obstructam: in tollendo obstacula usque circa ortum Solis fuerunt impediti. Equites vero civitatum cum equitibus Ducis disposuerunt, post Missam, ipso die Stephani, visitare Turegum, & ob hoc equos & arma paratos haberent: Illis venientibus, dimissis

Austriaci prope Baden fusi.

missis omnibus suis, vix cum equis & armis ad oppidum evaserunt. Turicenses vero tollentes spolia, locum Balneorum & quædam alia, incendio vastaverunt.

Et cum circa occasum Solis reverterentur, alii cum CCC. equitibus, & DCCC. peditibus de *Brucke* & *Baden* eos sequerentur: Turicenses se de sylva montis trahentes ad planum conglutinaverunt: Et appropinquantibus istis, equites Turicenses dixerunt eis: Vah vos non audetis. Alii verò dixerunt: Vah, vos fugitis. Et ecce sub banerio Basiliensi, qui hoc illa vice forte obtinuerunt, increpusculo iniere conflictum, & cecidere de parte Ducis centum & ultra. Ex parte Thuricensium ceciderunt CCCC. & præ nocte ab invicem discesserunt. Interea ante reditum Ducis in Austriam, Thuricenses & sui successivè omnia Ducum & suorum in illis partibus extra munitiones incendio vastaverunt, oppidum Zuge, sæpe tentantes expugnare, sed propter Argentinenses nequiverunt.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, de mense Aprili, promisit Dux CCC. Astrales in Baden contra eos, & ipse subsequitur de mense Julii, omnibus quos habere poterat convocatis. At Suitenses Zuge machinis, cattis & jaculis igneis adeo infestarunt, quòd oppidani emissis extraneis, Suitensibus se dederunt. Dux verò cum duobus millibus galeatorum equitum, & X. millibus peditum armatorum Thuregum obsedit: inter quos erat Lud. Marchio de Brandenburg, multi Comites & Barones. Constituto autem Eberhardo de Wirtenberg invito quasi per multas preces capitaneo, cum alii familiares Ducis, eo inscio omnia tractarent, & res esset in spe compositionis, pro Duce, Eberhardo recedente: totus exercitus negotio infecto recessit. Et est tandem compositum, quòd Thuricenses & sui, nullum de hominibus Ducis reciperent in Burgenses. Et liberatus est Joannes de Habspurg, restituta sibi Marchia & oppido Rapprechtswiler/ restitutaque sunt Duci *Glaris*, *Zuge*, & Lucerna ac *Thune*, cum pertinentiis in *Suize*, & nihilominus ligam contraxere juratam. Post hæc finita liga Bernensium cum Ducibus, ipsi se Suitensib. & Thuricensibus colligarunt.

Tigurum ab Austrio denuo obsessum 1352.

Berna Helvetiis conjungitur.

Item eodem anno quinquagesimo secundo, Rex Litoviæ cum auxilio Tartarorum innumerabili, per Russiam (quam quasi destruxit) transiens, animo destruendi Cracoviam, cum rehabuisset fratrem suum Ludovicum captivum dudum, & cum omnes vicinæ terræ ad ejus resistentiam properarent, recessit, in pristina perfidia perseverans.

Lituani in Poloniam effusi.

Item eodem anno Liga pacis generalis Alsatiæ finita festo Martini, Rodolphus Palatinus, nominans se Vicarium Imperii, & Hugo de Hohenberg cum civitatibus Imperii Alsatiæ, noluerunt prorogare ligam pacis, nisi nonus cognitor, qui ante fuit Argentinensium, detur civitatibus Imperialibus: Episcopo autem & civitate Argentinensi nolentibus mutare in hoc morem antiquum, liga expirat. Quo facto, Rodolphus de Vegersheim armiger Argentinensis, qui Dominis de Vinstingen multùm servierat, de multorum auxilio Hagenowenses (pro eo quòd in anno Jubileo Joannem fratrem suum decapitaverant) hostiliter invadens, ipsos ad magnam artavit emendam. Anno enim Jubileo Joannes de Vegersheim prædictus valens, & robustus in sacra foresta, in invasione quorundam Angliæ peregrinorum, captus cum famulo, evadente Joanne de Wolffgangsheim adjutore suo, licet probationes pro eo offerrentur, quod pignorare voluerit regem Angliæ, in cujus servitio plurima expenderit, post preces innumerabiles nobilium Argentinensium, virorum & mulierum & dominorum Alsatiæ, in *Hagenowe* decollatur.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, Rex Carolus egreditur de Bohemia, mense Septembri & veniens Ulmam, ligam pacis generalis fecit omni, Sueviæ Imperii civitatum. Et cum jussisset Eberhardum de Wirtenberg præsidem hujusmodi ligam jurare, & ille diceret, se velle deliberare cum fratre: Rex indignatus dixit: delibera quantum velis. Tunc territus Comes, juravit. Venit autem Rex Constantiam, ubi cum invenisset cives quasi omnes armatos, & catenas per vicos, omnia tolli jussit: Erant autem omnia paramenta mensæ suæ ad comedendum & bibendum, & navicula continens eleemosynam illius mensæ, omnia de auro puro, nec quicquam inibi apparebat argenti: omnia autem inferiorum

Fœdus Suevicum Cæsaris auctoritate initum 1353.

mensarum paramenta, etiam pro garrionibus, & currus ducens navem, continentem eleemosynam, de argento fuerunt. *Carolus IV. Tigurum venit.* Convenitque ad eum multitudo Baronum, & missum est pro Thuricensibus, pro discordia cum Duce sedanda. At illi cum vallibus Suitiæ nolentes Duci subiici, se ad serviendum Regi, & Imperio obtulerunt: sicque venit Thuregum, & ostenduntur privilegia Imperatorum pro vallibus antiqua. Et cum per ministros Ducis diceretur, cur ea non antea monstrassent: responderunt: quod pro nullo motu ea alteri, quam eorum Domino Principi Romanorum, monstrarent. Et obedierunt Regi valles, quæ in XXXVI. annis nulli parebant. Et descendens Rex per Basileam & Brisacum venit Argentinam, ubi honorificè est receptus.

Decubuit autem infirmitate durabili in **Mollesheim**/ Berchtoldus Episcopus Argentinensis, qui Joannem de **Lichtenberg** (qui in Ecclesia Argentinensi præposituram & Decanatum in lite, Cantoriam vero & Pincernatum sine lite tenebat) Regis Secretarium, Vicarium constituit, in spiritualibus & temporalibus, & pro eo præficiendo Ecclesiæ, Episcopus cum Capitulo, & Rex Papæ literas dirigunt seriosas.

Vini uber proventus. Eo autumno tanta fuit vini abundantia, quod bona mensura vini communiter pro obulo, vas autem vacuum pro triginta solidis Argentinensibus vendebatur. Multitudo quoque agrorum in Alsatia incollecta remansit, & etiam circa festum Luciæ in bonis vineis erant adhuc botri. *Fœdus Rhenense.* Et venit Rex Hagenoviam, ubi in die omnium Sanctorum communicatus fuit. Facta est etiam liga Pacis ibidem ad triennium, in qua quindecim judices sunt statuti, duo per Episcopum, & duo per civitatem Argentinensem, tres per oppida Imperii, unus per inferiorem Landgravium, unus per Dominos de **Lichtenberg**/ de **Ochsenstein** & **Geroltsecke** in Vosago, unus per Abbatem Morbacensem, Dominos de **Rapoltsteine**/ de **Geroltsecke** in *Mortenowe*, & de **Usenberg**/ unus per Episcopum, & unus per civitatem Basiliensem, & quindecimus per Regem. Recessit autem Weckerius Marchio de Baden, nolens esse in liga, cujus frater Fridericus, & Hermannus patruus in brevi sunt ante defuncti.

S. Florentii corpus. Concordavit etiam Sletzstatenses introducens expulsos & instituit telonia super Alsa quæ breviter revocavit. Ascendens quoque Rex visitat Bertoldum Episcopum Argentinensem, in Mollesheim decumbentem, & crastino, casu in die Florentii, veniens Haselahe aperit tumbam Florentii, trecentis annis auro & argento reclusam, & invenit caput & corpus ejus. Et faciens ibi tabelliones, instrumenta sibi dari jussit, de inventione hujusmodi, quia Canonici Argentinenses S. Thomæ, ubi sepultus fuit, asserunt se caput & corporis majorem partem habere: & aderant ibi Moguntinus, & plures Episcopi. *Andlo Erstein.* Visitat etiam Rex Monasterium de Andelahe, ubi est corpus beati Lazari, & Monasterium in **Erstein**/ ubi est corpus beati Urbani tunc & ante nunquam apertum. Et de his omnibus & aliis multis ibi & alibi reliquiis partes accepit, animo Bohemiam traducendi. Et deponit Hugonem de **Hohenberg** præsidem.

C. de Falckenstein res apud Moguntinos gestæ. Reversus autem Rex Argentinam per Hagenowiam, **Wissenburg**/ & **Landawe**/ venit Spiram, ubi ad eum venit cum cautione Cuno de **Valckenstein**/ minister Henrici de **Virnenberg**/ Archiepiscopi Moguntini depositi. Qui Cuno Dominum suum contra Papam & Regem, ac Dominum de Nassawe & suos, manutenens, in tantùm prævaluit, quod pluribus annis omnia bona quorumvis clericorum, civitatis & diœcesis Moguntinæ beneficialia & matrimonialia, Gerlaco proviso sedis adhærentium, sine lite recepit, multisque qui mandatis Apostolicis paruerant, trucidatis, & exequentibus aliquibus submersis, multisque exulare coactis, literas quoque Apostolicas gratiosas vel alias repertas apud quoslibet, laniavit. Novum telonium apud Oppenheim instituit, & empta Curia Monachali super Mochano ad unum miliare à Moguntia, ibidem castrum construxit. Servantes mandata Apostolica undique per diœcesin tanquam excommunicatos vitari coegit, favorem quasi omnium habuit, pro eo quod Domino suo & Ludovico Principi adhæsit deposito, tantæ constantiæ fidelitatem ostendit: & reputatus est animosior Alemannus. Plura Ecclesiæ Moguntinæ bona obligata redemit. Hoc anno quinquagesimo tertio, quatuor millia plaustra vini, & XL. millia maltera bladi collegit; Servitores habuit prudentissimos & constantes

constantes, quibus omnia regenda commisit, ipse venationibus & jucunditatibus assistebat. Cui cum Rex Spiræ plura commissa contra Imperium objecisset: ipse se super his non deliberasse respondit. Et quantumcunque sibi magna exhiberentur, ipse nil se auditurum, per quod Dominus suus cederet, respondendo, recessit.

Et descendit Rex Moguntiam, comportans cum Gerlaco Moguntino & Capitulo potentium, quod restituta sunt sibi nomine Imperii Oppenheim / Oderteheim oppida imperialia super Rhenum, cum castris & villis attinentibus, quæ obligata fuerant Ecclesiæ Moguntinæ pro XC. millibus florenorum. Et feria quarta ante Thomæ in atrio Ecclesiæ Oppenheim/ipse Gerlacus absolvit universitatem ibidem, ipsaque nomine Imperij Regi juravit.

Oppenheim, Oderzheim.

In die vero beati Thomæ, Rex cum Principibus & Baronibus Moguntiæ præsidens declaravit, Cunonem in multis contra Imperium fecisse, super quibus respondere & justitiam facere renuit coram Rege: exhibens omnibus autoritate Regia ne quis assistat eidem. Et declaratum est per Principes & Imperii fideles, quod quicunque scienter contra hoc fecerit, corpus & res ad gratiam Regis amisisset.

Eodem die venit Trevirensis notans Cunonem, moriturque Henricus de Virnenberg Archiepiscopus depositus, paralysi, quem fingunt vivere tractatores Cunonis. Et componit ejus Rex amice de consilio & auxilio Joannis de Liechtenberg / electi Argentinensis, quod Cunoni remanet castrum Vogtsperg pro tempore vitæ, & quòd sibi & hæredibus remanet pignus Erenfels/ cum multa terra vicina, quousque redimantur per Archiepiscopum pro quadraginta millibus florenorum. Item quod remoto Wilhelmo *Pintschon* Gallico, sedis proviso præpositura Cunoni permaneat in quiete, ipseque Cuno in blado & vino retinebit collecta, & quod Archiepiscopus contracta debita per quinque administratores, dudum per Henricum Archiepiscopum & capitulum electos, solvere teneatur, & quod collecta & facta per quondam Henricum etiam post depositionem rata manebunt, & ipsius & suorum fiat per Papam, vel ejus autoritate absolutio & relaxatio generalis? sicque expeditis omnibus, statim factus est Cuno Regis & Archiepiscopi intimus & dilectus. Dataque sunt suis fidelibus, præsertim *Herbotoni*, humili servitori ejus & prudentissimo, provisiones & munera ab eisdem. Qui Cuno postmodum factus est Archiepiscopus Trevirensis. In die vero beati Stephani, Rex præsidens Moguntiæ coronatus.

Hac hyeme anni LIII. Marschalcus Prussiæ, cum multis advenis glaciem transiens cum quinquaginta millibus, in terram Regis Litoviæ veniente pluvia [ne fracta glacie reditus præcludatur] illico est reversus & fratrum exercitus est dispersus. Interim Rex convocatis duobus fratribus suis cum multa gente venit illis insciis, ad conflictum paratus. Et intelligens illos transisse confortata noctibus glacie, per viam illorum Prussiam ingreditur, & per integrum diem vastans & comburens, multa millia hominum captiva traduxit, illico revertendo, filius autem Regis cum multis, aperta & fracta in parte illa glacie, est submersus.

Lituanus Prussiam populatur.

Anno Domini M.CCC.LIV. in Januario, reversus à Rege Balduinus Treverensis Archiepiscopus moritur, & statim Comes de Sarbrugge se Archidiaconus concorditer eligitur & breviter confirmatur & consecratur à Papa. Post hæc venit Rex ad civitatem Metensem, ubi honorifice receptus, multis ibi diebus permansit, faciens ibi ex comitatu Lutzelburgensi Ducatum & ex comitatu Barrensi Marchionatum. Non tamen eum receperunt tanquam regem, dicentes se soli Imperatori ad plura jure teneri. Deinde in hebdomada sancta Kaysersberg Alsatiæ reversus, ibi Pascha peregit. Et venit in monasterium Hohenberg / quinto Nonas Maij & tumbam beati Otiliæ una cum Joanne Episcopo Argentinensi paulisper aperuit, tollens ex integro corpore ibi reperto, partem brachii dextri fideliter ipsam recludens.

Boemundus Sarapontinus Archiep. Treverensis 1354. Lutzelburgensis Ducatus. Tumba S. Otiliæ in Hohenberg.

Cum autem Albertus Australis scire vellet, an Rex manu forti sibi vellet assistere contra Thuricenses & valles Suitiæ, & confœderatos eis: Rex in Aprili ascendens Thuregum, libenter induxisset eos: quod Duci reliquissent sua, scilicet Lucernam, *Zuge* & *Glaris*. Illi responderunt, sibi placere, quod Duci darent ea, ad quæ tenerentur

Cæsaris cum Helvetiis tractatus.

rentur eidem: sed nolebant sinere, quod Dux vel sui, munitiones in sua potestate tenerent, prætendentes, quitasse cum illis. Rege vero dicente, eos tanquam Imperij homines non potuisse sine Rege talia jurare, cum ejus autoritas sit excepta: illi vero dicentes: se simplices talia non intelligere, omnino suo proposito inhærebant. Sicque Rex factis inter eos treugis ad prædicendum per unum mensem, negotio invecto recessit. Interim autem tractaverat cum Thuricensibus, de emendo pro Imperio Lucernam & *Zuge* munitiones, Australis, ratione quarum tot scandala sunt suborta. Dicens etiam Rex, se illi daturum plures & meliores circa Austriam, pro lite sedanda: quæ Dux intelligens, nimium est, commodus, dicens: se melius posse emere bona Regis.

Conveniunt autem in Ratispona, Rex, Dux & Marchio Brandeburgensis, extra civitatem tamen manens, accedere nolens Regem: & irato Duci dixit Rex: se credidisse ei complacere in tractatibus prædictis: sed ex quo ei displicent, se in propria persona cum omni gente Imperij, cum Duce in Thuricensium obsidionem iturum: Et egressus est Dux de Austria, anno prædicto de mense Julij cum innumerabili pecunia, & gente magna Australium & Suevorum, monens omnes civitates ibi colligatas, ac fideles quoscunque. Rex quoque monebat omnes Civitates & fideles Imperij in Ducis subsidium contra illos.

Dux autem descendit in *Brucke*, cum C. galeatis, & mittuntur ei secunda die mensis Augusti, ab Argentina centum galeati meliores & nobiliores civitatis, & trecenti pedites, quorum quilibet sex habuerant currum sex equorum ab Argentina, præter alios currus & bigas, omnia eis necessaria deferentes: quorum florens Joannes Zornius miles in *Brucka* moritur.

Tigurum tertiò obsessum.

Similiter & aliæ civitates & Domini Sueviæ & Rheni fecerunt. Confluit autem ad Ducem contra Thuricenses nimia multitudo. Rex vero veniens juxta **Regensperg**, distans per unum miliare à Thurego, castrametatur. Grave autem erat civitatibus Imperialibus obsidere Thuregum Imperiale, nisi & illorum sermone audito. Obtulit autem Rex civitatibus, quod ex parte Ducis & sui, omnia committerentur: Dummodo & illi facerent, arbitrio civitatum. Et missis in Thuregum cujuslibet civitatum nunciis, & exposito Thuricensibus Civitatum favore & oblato eis tali cum promisso: illi, quòd omnia libenter in civitates compromitterent excepta liga, cum aliquibus Ducis munitionibus responderunt. Et objecto eis, quòd si contingeret Regem eis adversari, an eis assistere vellent, petebant, ne intricaretur eorum juramentum, & sic civitates invecto negotio sunt egressi.

Meilan.

Vincitur autem villa *Meilan* magna, Thuricensium, & multi occiduntur, hortusq; delitiarum inter *Raprechtsvvilre* & Thuregum vastatur omnino. In progressu autem ad Thuregum, ubi juxta vallum quod Thuricenses & Suitzenses non longe ante civitatem fecerant, & se ibi in campo posuerant ubi timebatur conflictus: Joannes **Windtloch** Episcopus Constantiensis, Ducis Cancellarius voluit, quod vexillum suum & omnes Suevi sub illo, juxta antiquum jus Suevorum, præire deberent. Quod cum Dux nollet, sed suum præire vexillum Episcopus cum suis recessit, nolens minuere jus Suevorum de quo Dux nimium est commodus. Gens namque Suevorum à tempore Caroli & aliorum Principum, quod in expeditionibus primum conflictum habere debeant, viribus & virtutibus meruerant.

Suevorum privilegium in ineundo conflictu.

Postquam autem Dux septem hebdomadis circa Thuregum vastavit, dimisso exercitu (quia Rex manere noluit) reliquit Equites in munitionibus circumquaque, qui impedientes illis adduci victualia captionibus & interfectionibus se mutuo infestarunt. Dux autem cum R. filio suo Austriam est reversus, animo breviter revertendi.

Pugna in lacu Tigurino.

Et in Decembri, cum afferretur bladum Thuricensibus, & cum viginti quatuor navibus armatorum, bladum deducere voluissent: Hermannus de **Laudenberg** hæc præintelligens, absconsis navibus suis cum armatis, illos retro invadit. At illi fugientes de navibus, occisis pluribus, pedes evadunt, navibus Hermanno relictis. Dux autem post Pascha dirigit multo plures,

Iisdem

Iisdem temporibus.... de Hohenloh, Episcopus Herbipolensis, de auxilio Moguntini & Comitum de Wirtenberg & aliorum, civitatem Herbipolensem potenter obsedit, pro eo quòd unus Civitatensis præbendam Ecclesiæ Herbipolensis contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ nunquam Civitatenses receperat, impetravit à sede. Et non obstante appellatione Capituli, ad invocationem executoris, bona Capituli occuparunt. Et veniens Rex illic negotium reformavit: ita quòd cives curias Canonicorum, quas interim destruxerant, reædificare deberent, & quælibet pars in suis libertatibus remanere.

Episcopus Herbipolensis Urbem obsidione premit.

Eodem anno de mense Septembri, moritur Joannes Archiepiscopus Mediolanensis: & tres fratrueles ejus, Matheus, Barnabas & Galeatius, filij quondam Stephani, dominia occuparunt. Dederat autem ipse Archiepiscopus pecuniam dudum Wernhero de *Urselingen* Capitaneo societatis, quod in patriam est reversus, & breviter in Suevia sepultus.

Post cujus obitum alia surrexit societas millium equitum & ultra, in partibus Lombardiæ, quibus primò præfuit frater Memorialis hospitalarius, apostata provincialis, strenuus & prudens in armis, qui recedens cum societate sua, & per Urbem de conductu Tribuni transitum faciens, propter quandam suspicionem decollatus est à Tribuno. Qui Nicolaus Laurentij tribunus in brevi postea facto insultu, occiditur à Romanis, præcipue à Columnensibus, quibus & in hoc favebant Ursini. Populi autem videntes eum mortuum, ne viderentur illis suspecti, ipsum conciderunt in frusta. Societas autem, recedente Provinciali R. de Landavve Suevum, de genere Comitum, pro Capitaneo, tanquam virilem recepit. Hæc societas semper morabatur in campis ad dandum sibi victualia Dominos & civitates cohercens. Hæc societas diu stipendiata est à Venetis, in Regis favorem. Et jacebant juxta civitates Mediolanensibus subditas, à quibus ne infestarent eas, victualia receperunt. Tenebant autem inter se maximam pacem & judicium, & afferentibus venalia, securissimus dabatur conductus. Post hæc se transferebant ad partes Ravennæ, & postea in Apuliam.

Societas Italica.

Tribunus Romanus occisus.

Rex eodem anno LIV. mense Septembri, quasi occultè cum paucis ingreditur Lombardiam, & veniens Mantuam, mittit ad Civitates Alemanniæ, & Episcopos & ad alios, ut sibi gentes armatas dirigant, juxta morem. Et Robertum Seniorem Bavarum Palatinum Rheni, tempore absentiæ vicarium Regni constituit generalem. Rex quoque in Decembri, factis treugis inter Venetos & Mediolanenses, cum tribus fratribus Mediolanensibus reformatur, recepta ab eis grandi pecunia, & promissis sibi annuis redditibus de terra, ita quod illi nomine Regis ministri terræ maneant, sicut ante: sicque Mediolani honorifice est receptus, & in palatium Episcopi traductus, ab Archiepiscopo Mediolanensi, quem de genere prædictorum Vicecomitum Papa præfecerat, corona ferrea coronatur.

Caroli expeditio in Italiam.

Principes Mediolanenses ministri imperii.

Anno Domini M. CCC. LV. in Januario, Rex oblatis sibi portarum clavibus à Pisanis & Senensibus, Pisas perrexit, ubi ad eum in Februario Regina pervenit, & habuit mille galeatos Bohemos & paucos Alemannos. Hostiensis verò Episcopus Cardinalis, crastino Purificationis flens, animo coronandi Regem à Papa, recessit, associatis omnibus Cardinalibus ad duas leucas, dicens, se timere, se amplius non visurum. Rex autem in festo Paschæ coronatus à Cardinalibus, Pisas revertitur, quia se non mansurum in Urbe promisit. Imperatore autem ab Urbe in die coronationis recedente, factis multis militibus super ponte, eoq; quinq; diebus ante Pascha latitante in urbe, templaq; visitante latenter, & in reversione à Senensib. & aliis gloriose recepto, duorum fratrum filiorum, quondam Principis Moregiæ, quos Ungarus à captivitate reliquit, unus junior in Apulia manens, sibi societatem aliquam assumens, & Ludovicum patruelem, scribentem se Regem Siciliæ, & habentem Joannam quondam conjugem Andreæ Regis jugulati & ejus dominia, dilectum nimis sedi Apostolicæ vehementer infestabat. Alter vero major, qui & antea dudum forsan simulatè coram Franco patrueli suo Ungaro, duellum induxit

Carolus 4. Imperator coronatus 1355.

castrum fortissimum Provinciæ, in quo idem Ludovicus thesaurum suum habuit, obtinens, militem, de quo prædictus Ludovicus confidit, custodientem castrum, qui & Clementis Papæ habuit filiam, cum uxore dejecit, omnibus per eum occupatis in castro repertis. De quo cum Papæ Petragoricensem Cardinalem, ipsorum fratrum avunculum, & quosdam alios Cardinales sibi faventes, de fautoria haberet suspectos, ut eis ablutionem pilei, ipsi vero sibi divisionem capitis minarentur: nimia Avinioni scandala sunt suborta. Papaque conquisitis stipendiariis ad custodiendum se in palatio, cum Petragoricensis cum suis, plures Cardinalium assistentes Papæ, de suis curiis ejecisset, Papa Rhodanum in tuitionem Franci transivit.

His diebus Veneti Ducem suum, cum quibusdam aliis, decollarunt.

Basilea terræ motu concidit 1356.

Anno Domini M.CCC.LVI. in festo beati Lucæ Evangelistæ, corruit civitas Basilea, ex vehementi terræmotu, & plura castra & alia ædificia corruerunt. Ille terræmotus venit circa vesperas. Et in sequenti nocte fiebant plus quàm decem, ex quibus etiam plus quam XL. castra circa Basileam sunt subversa: per plures etiam dies sequentes, fiebant plures terræmotus.

Imperialis Curia Metis celebrata.

Eodem anno venit Carolus Imperator ad civitatem Metensem in adventu Domini, celebrans ibidem natalem Domini: fueruntque ibi Principes Electores, & Officiales seu ministrales Imperii, quorum quilibet ministrabat Imperatori sedenti in mensa, in officio seu ministerio suo proprio. Quilibet autem veniebat super equo, usque ad mensam. Descendente vero de equo coram mensa, histrionibus & mimis dabatur equus: & aliæ plures solennitates fiebant ibi, de quibus longum esset scribere. Erat enim solennior curia, quam de aliquo Imperatore scribitur temporibus retroactis multis.

Carolus IV. Argentinam venit 1365.

Anno Domini M.CCC.LXV. crastino Georgij, venit Imperator Carolus Argentinam, & susceptus fuit cum magna solennitate, tanquam Imperator: dudum enim receptus erat, tanquam Rex Romanorum. In festo vero sancti Marci, recessit versus Avinionem ad Papam. In festo autem Petri & Pauli reversus fuit Argentinam per navigium: inde recedens ivit in *Seltze*.

Britannorum in Alsatiam irruptio.

Feria sexta sequenti, quæ erat festum Udalrici, intravit quidam Capitaneus, cujusdam societatis Anglicanorum, qui dicebatur Archipresbyter, cum sua societate, videlicet populo innumerabili, habens secum XII. millia equorum, ut æstimabatur, in Alsatiam, & de nocte combusserunt quàm plurimas domos in **Künigeshofen** / apud lobium ibidem situm. Sequenti Sabbato eadem multitudo ipsius societatis infra prandium vel circa meridiem, apparuit impetuose ante muros civitatis Argentinensis, offerens se ad bellandum. Ex cujus terrore & horrore omnes forenses & incolæ villarum & camporum circumquaque, ad civitates & munitiones seu fortalitia fugerunt.

Eodem tempore venit Carolus de Aviniona, ut dictum est, & morabatur per aliquot dies in oppido *Seltze*. Hic congregavit exercitum magnum, ad expulsionem societatis. Quòd percipiens Archipresbyter cum suis, fugit ex partibus Alsatiæ, & dixit se illuc venisse ex jussu Imperatoris, culpans. Imperatorem, quòd iniquè circa se egisset, eo quòd exercitum ad expellendum eum congregasset.

Periculum Vrbis Friburgensis 1366.

Anno Domini M.CCC.LXVI. vigilia annunciationis beatæ Mariæ, Egeno Comes in *Friburg*. cum suis fautoribus voluit fraudulenter cepisse civitatem seu oppidum *Friburg*: sed cives præmoniti parum, clauserunt portas suas, & exteriores fraudati sunt desiderio suo. Postea intra Pascha & Pentecosten destructum fuit castrum *Friburg*, per cives Friburgenses: ex hoc oritur briga inter Comitem & Cives.

Clades ad Endingam Brisgoiæ 1367.

Anno Domini M.CCC.LXVII. in die beati Lucæ, bellatum seu pugnatum fuit à Comite & Civibus prædictis apud *Endingen*, & prævaluit Comes, civibus graviter succumbentibus: ita, quòd ex parte civium & eorum fautorum, plusquàm mille occisi sint, & plurimi captivi abducti. Cæteri fugerunt à facie Comitis. Hæc acciderunt eis propter superbiam eorum, quia ita elati erant, quòd nolebant Dominum suum prædictum recognoscere pro Domino suo, & quia renuerunt habere ligam pacis cum Argentinensibus, quàm prius plus quàm XL. annis cum eis habuerant: Quam si tenuissent cum eis, hæc nullatenus contra eos attentata fuissent. Posthæc subdiderunt

diderunt se Duci Austriæ, magna summa pecuniæ data Comiti, pro jure suo, quod habuit infra muros seu territorium, jure extraneo sibi reservato: Et sic propter superbiam eorum ira Dei ascendit super eos & occidit pingues eorum, & omnem eorum actum impedivit, ita quod nunc non serviunt Domino suo, sed diis alienis. *Friburgum Brisgoiæ ad domum Austriacam.*

Anno Domini M. C C C. L X V I I I. post Pascha circa Calend. Maij transtulit se Urbanus V. Papa de Avinione ad urbem Romanam, quasi ibi jugiter manento, quia Curia Romana vel sedes Apostolica per multos annos steterat in Avinione, & sequenti anno reversus est Avinionem. Iterum intentionem habuit revertendi Romam sed morte præventus fuit. *Curia Romana 1368.*

Anno Domini M. C C C. L XXIII. captum erat castrum *Herlesheim* per Præsidem Alsatiæ & oppida Imperii, & Argentinenses, & comprehensi sunt in eo quiquaginta prædones, & alii pessimi nequam, quorum aliqui capitibus truncati sunt, reliqui vero patibulis sunt suspensi. *Herlisheim.*

Anno M. CCC. LXXIV. venerunt tres inundationes aquarum succedentes se infra festum Epiphaniæ, & festum S. Valentini: Ita quod interim non erat transitus per fluvium dictum *Snelling*, nisi mediante navigio. *Inundationes 1374.*

Anno prædicto, scilicet L XX I V. circa festum Martini, civitas Argentina cæpit ampliari, id est suburbia novis muris circumdari. Et inchoatum fuit, an der Steinstrassen/bey dem weissen Thurn/licet eadem turris & alia turris ejusdem nominis apud sanctam Aureliam, multis ante annis constructæ fuissent. Tertia verò turris, dicta Kronenburg an dem Bruch prope capellam, etiam prius constructa erat, sub anno Domini M. CCC. L X IX. Prædicti verò muri per has tres turres perducti fuerunt, usque ad flumen Brusche/apud fratres Teutonicos. Et hęc est tertia ampliatio Civitatis Argentinensis. *Vrbis Argentinensis ampliationes.*

Primitus enim ipsa civitas protracta fuerat, à monasterio S. Stephani, usque ad hospitalem antiquum, scilicet capellam Sancti Erhardi: Ita quòd Ecclesia sancti Martini erat extra muros. Nam vallum sartorum jam comprehendens cloacas multas, transiens tunc temporis per vicum Sporergaß/ & per locum ubi jam sunt prædicatores, in vallum dictum Kuntschnider Grabe / tunc temporis non fuit omnino in tali loco, ut jam est. Nam forum annonæ, scilicet der Holweg und Oberstrasse/hoc tantum fuit extra muros Argentinenses. Etiam patibulum & locus supplicii malefactorum, fuerat tunc ubi jam est collis & capella sancti Michaelis, apud Domum Augustinensium, ubi etiam beatus Arbogastus Pontificum Argentinensium sanctissimus, Christi volens sequi vestigia, sibi sepulturam elegit. Igitur sanctus Arbogastus apud patibulum, ut vivens disposuit sepultus, multis signis & virtutibus ab eodem loco deportatur, & in memoria sanctæ sepulturæ & devotionis loci, capella sancti Michaelis ibidem ædificatur, in qua retro altare sepulchrum ejus elevatum adhuc cernitur ac patibulum ad locum, ubi jam est, transfertur. In cujus etiam sancti Arbogasti honore, Dagobertus Rex Francorum, cujus filius à morte suscitatur à sancto Arbogasto construxit duo cœnobia: unum super Alsam fluvium prope Argentinam, & aliud in Sarburg/ quæ largissimè dotavit, in quibus & corpus sancti Præsulis requiescit. Deinde iidem locus pratis amœnus, fontibus irriguus, & variis commoditatibus utilis & opportunus, à multis hominibus cœpit inhabitari. Igitur civitas Argentinensis prima vice ampliatur, & protrahitur usque ad sanctum Petrum seniorem, circa annum Domini M. CC. L.

Deinde secunda vice, processo aliquantulum temporis spatio, ampliatur & protrahitur à sancto Petro seniore, usque ad sanctum Petrum juniorem, usque ad turrim versus pœnitentes, circa annum Domini M. CCC. Deinde cum civitas Argentinensis haberet versus Rhenum nisi unum vallum, & unum murum tunc construitur Metzger Thurn exterior, cũ sancto suo muro & vallo, tendente à S. Agnete, usque

usque ad **Vtengasse**/ anno M. CCC. XXIV. reliqua verò pars ejusdem muri, usq; ad turrim prope sanctam Catharinam, cum ipsa turri, quæ tendit usque ad torrentem, fluentem de sancto Joanne construitur, anno M. CCC. XLIII. Dein mœnia muri antiquitatis prædictæ, exaltata sunt, cum peribulo seu deambulacro novo, anno M. CCC.LXX. postea vero anno Domini M. CCC. LXXIV. ampliatur civitas tertiò, & incipitur, **an der Steinstrassen**/ ut patet supra.

Wenceslaus Rom. Rex Anno 1376.

Anno Domini M. CCC.LXXVI. feria tertia, infra hebdomadam festi Pentecostes, electus est wenceslaus, filius Caroli Bohemi Imperatoris, in Romanorum Regem, patre suo adhuc vivente, & eandem electionem fieri procurante per omnes Imperii Electores concorditer, non sine magna pecunia. Quæ facta & celebrata est in Franckfort, in Ecclesia sancti Bartholomæi Apostoli.

Prisca stirps Lantgraviorum Alsatiæ, deficit.

Item eodem anno, Nono Cal. Augusti, obiit Domicellus Joannes Landtgravius Alsatiæ, in quo cessavit progenies Landtgraviorum Alsatiæ. Licet idem Joannes ipsū Dominium prius vendiderit Joanni de Liechtenberg Episcopo Argentinensi, sub anno Domini M. CCC. LVIII. Ipsi etiam Domini Landtgravii quondam dicti sunt, Comites de *Werde*.

Clades Wirtenbergica apud Rutelingam 1378.

Anno Domini, M.CCC.LXXVII. facta est cædes seu conflictus inter civitates Imperiales Sueviæ, per Dominum Eberhardum de Wirtenberg, qui succubuit, & ex parte ejus occisi sunt Comites & Barones tres, scilicet Dominus de *Schwartzenberg*, Dominus de Zolre, & Dominus de *Tuwingen*, nobiles. Filius autem prædicti Domini de Wirtenberg per fugam evasit, cum aliis quam pluribus. Facta sunt hæc apud oppidum Rutelingen, pridie Jdus Maij.

Decessus Caroli IV.

Anno Domini M. CCC. LXXVIII. obiit Carolus Quartus Romanorum Imperator & rex Bohemiæ, in vigilia Andreæ Apostoli.

FINIS

DE BERTOLDI A BUCHECKE, EPISCOPI ARGENTINENSIS, REBUS GESTIS COMMENTARIUS:

Auctore M. Alberto Argentinensi

Ex quo superius sermo processit, de Berchtoldo de Buchecke, Episcopo Argentinensi, de progenie ipsius, & origine, & de gestis ejus, atq; tempore ipsius, scribere nitendo, sic incipiendo.



ENRICUS Comes de Buchecke, Landtgravius in *Burgunden*, ex filia Comitis de *Strasberg* conjuge sua, hos reliquit liberos: spectabilem Hugonem Comitem in *Buchecke*, Bertoldum Commendatorem & Provincialem Alemanniæ, ordinis sanctæ Mariæ Teutonicorum, qui sapiens valde & mitis in omni Germania in vulgari sermone eloquentior dicebatur: Mathiam custodem monasterii Morbacensis, Dominam in *Klingen*, olim Comitissam in *Friburg*, liberis carentem, Dominam in *Sigenovve*, Dominam in *Munsingen*, & Abbatissam in *Frawenburne*, quæ tandem ex humilitate Abbatiæ renuntians, in ipso Monasterio, vitam duxit quietam.

Soboles H. Comitis de Buchegke.

Hugo autem in armis miles strenuus (quod in exercitibus Alberti Regis Romanorum, cujus & consanguineus extitit, in Bohemia & in obsidione Pinguiæ, & alibi cum magnanimitate ostendit) cum Henrico Imperatore, nato de Lutzelburg, in Italiam proficiscens, in illius gloriosissimis expeditionibus, & strenuissimis actibus (quibus quasi omnibus interfuit) adeo virilem se ostendit, quòd idem Imperator de Roma recedens, ipsum Capitaneum & Urbis Senatorem reliquit. Hic Hugo per quotidianos quasi conflictus, Romam quasi totam obtinuit, quam ipse Cæsar habere nequivit. Cæsari autem in obsidione diutina Florentiæ per mortem & recessum Alemannorum, adeò gens parva remansit, quod de se ipso diffidens eundem Hugonem cum quadringentis galeatis, quos Romæ habuit, postposita Urbe, ad se celeriter venire præcepit; Qui cum omni multitudine Gelforum, qui se apud Perusium, ad impediendum ipsius Hugonis transitum congregaverant, cum prædictis quadringentis Alemannis conflictum iniens inevitabilem, turbam multorum millium equitum armatorum & peditum, viriliter invadens, multis occisis, aliisque fugatis, ultra trecentos ex ipsis captos, Cæsari apud Florentiam præsentavit.

Hugonis à Bucheck fortia facta.

Hic Hugo, intoxicato Imperatore in calice per quendam prædicatorem, ipsum communicante post missam, & Pisis sepulto; Dominam Catharinam, filiam prædicti Regis Alberti, quæ eidem Imperatori, si vixisset, nuptura erat, de Austria Duci Calabriæ, filio Roberti Regis Siciliæ in uxorem traduxit: cum qua Neapoli & in partibus illis manens, ejusdem Roberti (cognoscentis ejus strenuitatem in servitio Imperatoris peractam, cujus idem Robertus adversarius extitit Principalis) Princeps militiæ & familiaris dilectissimus est effectus. In cujus servitio Genuam quæ tunc ipsi Roberto adhæsit, assumpto ejus exercitu, ab obsidione, qua eam Gibellini obsederant, liberavit: In omnibus ejusdem Regis Roberti expeditionibus se fidelissimum & animosum ostendens. Eodem autem Roberto, qui & Comes Provinciæ est cum Domino Papa Joanne XXII. tunc noviter creato, in Avinione Civitate sua Provinciæ [in qua idem Papa cum sua residebat Curia] commorante, duobusque inhabilibus pro Episcopatu Constantiensi in Curia litigantibus, dictoque Roberto (quem dictus Papa olim ejus existens Cancellarius, favore prosequebatur, pro cunctis mundi Principibus gratioso) eidem Hugoni spem faciendæ, de promotione fratris sui Methiæ prædicti, ad Episcopatum Constantiensem, post exclusionem litigantium in brevi futuram: Ecce vacavit Archiepiscopatus Maguntinus de quo ipse Papa prædicto Domino Mathiæ, custodi Morbacensi, ad preces ipsius Roberti, & ob cognitam ipsius Hugonis fidem, providit.

Mathias à Bucheck Hugonis frater Archiepiscopus Moguntinus.

Hic

Hic Mathias terram Maguntinam sine obstaculo potenter ingressus, vitam duxit, castissimam. Ignoranti ei cum Camerarij sui quandam pulchram fœminam intromisissent in cameram suam, credentes, juxta dictum Medicorum, continentiam ejus sanitati obesse: ipse fœminam pulchre alloquens, prout bene scivit, post ejus recessum, Camerarios redarguit iracunde, jurans, eos: si amplius facerent, in sui familia non mansuros. In largitate quoque & potentia omnes qui in illa sede ante eum fuerant, antecessit, extinctisque multis illius terræ Nobilibus sibi rebellibus, tandem Landgravium Hassiæ injuriantem Ecclesiæ suæ, super quibusdam Dominis, cum exercitu validissimo persequitur, cum quo decem hebdomadis in terra Hassiæ copiosissimè manens, factis conflictibus, combusta terra, captisque aliquibus munitionibus, mirabilia & inaudita peregit.

Landgravius Hassiæ bello persequitur.

Hic filiam sororis suæ de Signovve, Eberhardo Comiti unico de Kyburg tradidit in uxorem: qui licet antea impotens crederetur, multos ex ipsa filios & filias procreavit.

Iste Mathias Rudolphum Marchionem de Baden affinem suum, ab obsidione Ulrici Comitis de Wirtemberg, viriliter liberavit. In cujus Marchionis favorem, captum Conradum Risen militem strenuum Marchionis inimicum, tandem nolente Marchione dimisit, qui miles in ipsius Archiepiscopi servitio in Rustberg fideliter magna peregit. Hunc Mathiam Papa Joannes valde diligens, sibi & consanguineis suis multas fecit gratias.

Ioan. Sen de Munsingen nepos Archiepiscopi Moguntini.

Inter alia Joannem Sennem de Munsingen, filium sororis suæ, Canonicum Maguntinum, & præpositum S. Victoris Maguntini, creando.

Habuit autem ipse Mathias confessorem, fratrem Ulricum de Lentzburg, lectorem ordinis Heremitarum ordinis sancti Augustini, qui in magnam familiaritatem ratione ipsius Domini Mathiæ assumptus, tandem post multos labores, post Domini Mathiæ obitum per ipsum Papam in Curiensem Episcopum est promotus. Hic Augustinensis strenuè se tenens, Dominum de Vatz, antiquum Ecclesiæ Curiensis persequutorem, usque ad ipsius de Vatz mortem, persequi & destruere non cessavit, qui antea Episcopos Curienses & Dominos eis assistentes destruxit.

Vlricus de Lentzburg Monachus, fit Episcopus Curiensis.

Vacante quoque Episcopatu Spirensi per obitum Domini Emiconis de Liningen, prædictus Dominus Mathias, fratri suo Domino Berchtoldo commendatori prædicto quasi invito, cùm armatæ militiæ miles strenuus fuerit, per Dominum Papam de ipso Episcopatu procuraverat provideri. Hic Berchtoldus, qui semper in ordine vixit egregiè, sibique Basileæ, domum, sui ordinis domui contiguam, construxerat speciosam, in qua cogitavit vitam habere quietam, cum difficultate & dubio barbam rasit, in vestitu & alijs, pro Episcopo degerendo. Et ecce Rhenum descendens, fratrem in Miltenberg decumbentem invenit. Qui in omni virtute honoris & corporis, crastino nativitatis Beatæ Virginis, anno Domini, M. CCC. XXIX. ab hac luce subtractus, in medio Moguntinensis Ecclesiæ est sepultus. Hugo autem frater eorum qui & ipse interfuit, ad curiam illico est profectus.

Berchtoldus de Buchek Episc. Spirensis.

Archiepiscopus Moguntinus moritur. Anno. 1329.

Audita verò morte Archiepiscopi, Comes de Wirtemberg & alij Barones munitiones Ecclesiæ Spirensis occupantes, eidem Bertholdo, ne Episcopatum Spirensem posset ingredi, restiterunt. Qui Bertholdus diu stans in Wormatia sumptuose, ab amicis & alijs extitit desolatus. Conradus autem de Kirkel thesaurarius Argentinensis se de ipso fideliter intromittens, initis cum prædictis Baronibus quibusdam compositionibus, ipsum Bertholdum ad Ecclesiam Spirensem & ejus munitiones traduxit, promissis inter alia Domino de Wirtemberg, & post Argentinæ solutis, marcis mille trecentis.

Stante autem ipso Bertholdo in Luterburg, Hugo sibi apud Papam, pro Moguntino Archiepiscopatu institit, quod Papa ob dilationes & Scripta Magistri Joannis Underschopff de Constantia, Decani Moguntinensis, quem prædictus quondam Mathias pauperem Clericum suum, ad Canonicatum & Decanatum promovit, tam diu distulit, quousque ipse Decanus & Capitulum Maguntinense, Dominum Baldewinum Trevirensem Archiepiscopum, contra reservationem sedis Apostolicæ, in administratorem Maguntinæ Ecclesiæ receperunt, sibi castris & munitionibus præsentatis.

Quem

Quem Archiepiscopatum, hoc facto prædictus Hugo, à Papa volente pro fratre suo, tanquam inevincibilem, renuit acceptare. De quo ipse Papa Henrico præposito Bunnensi, fratri Comitis de Firnenberg, repente providit. Qui tenente prædicto Baldevino violenter multis annis ipsum Archiepiscopatum penurias, tribulationes, & angustias est perpessus. Prædictus quoque Joannes Decanus, fratrib. Domini sui Mathiæ, & aliis consanguineis suis, se post hæc infidelem ostendit.

Henricus de Virnenberg Archiepiscopus Mogunt.

Decumbente autem Joanne Episcopo Argentinensi & de ejus morte ad Curiam rumore delato, Papa Joannes prædicto Bertholdo Spirensi electo, de Argentinensi Episcopatu providit. Et quamvis cum ille viveret, doluerit se delusum, ac irasceretur Hugoni: intellecta tamen veritate mortis illius, nihilominus in memoriam defuncti Mathiæ, invitis pluribus Cardinalibus, ipsi Bertholdo iterato providit. Geberhardo autem de Friburg præposito Argentinensi habente in se magnam partem Capituli, & ad Episcopatum Argentinensem aspirante, ipsi Bertholdo obstaculum faciente: ipse Bertholdus acquisitis pro maxima pecunia Dominis & Baronibus terræ, & melioribus in civitate Argentinensi, mediante dicto thesaurario, sibi fideliter adhærenti, desistente etiam dicto præposito: Argentinam cum sexcentis galeatis potentissimè est ingressus, in festo sancti Thomæ, anno Domini, M. CCC. XXVIII. jura & munitiones Ecclesiæ obtinendo quietè.

Bertholdus de Bucheck ex Spirensi fit Argentinensis Episcopus 1328.

Hic Bertholdus duas filias sororis suæ de Sigenowe, unam Conrado Comiti Friburgensi: alteram Ulrico Domino in Schwartzenberg, & filiam sororis suæ de Munsingen, Dieterico de domo, solutis per eum dotibus, tradidit in uxores. Hæ omnes filiæ, quasi ex quadam simplicitate faciant, viris suis sciunt se amabiles ad amplexus venereos exhibere, & ideò liberis sunt felices. Hic Bertholdus ex nimiis debitis anxius, cùm à Judæis suis trecentas marcas mutuo habere non posset, de concordi consilio suorum, dicentium Judæos excoriasse populum suum, una Sabbato hora prima, omnes Judæos suos capiens sex millia marcarum recepit ab ipsis. Judæi autem non minùs sub ipso manentes, in brevi postea in oppido suo Mutziche, clam masculum annorum XI. necaverunt, qui post clamorem populorum contra Judæos, sub rota molendini inventus est, in uno latere habens vulnera infinita: & tortis quibusdam ex Judæis, & confitentibus maleficium, & ex perspicuis indiciis, contra eos sententia est prolata. Et positis tribus super rotis, alii divites Judæi, qui de illo, quo masculus disparuit, inibi fuerant, sunt proscripti: & captis aliquibus, aliis Columbariam fugientibus, contra quos, Officialis Basiliensis ad requisitionem judicii in Mutziche, eorum exequendo sententiam, sua jurisdictione processit; à quibus etiam dictus Episcopus, duo millia marcarum extorsit.

Episcopus Argentin. mulctat Iudæos.

Iudæi scelesti pulsi.

Episcopus Basil. à Iudæis 2000. marcarum emungit.

Hic Bertholdus diu Spirensem & Argentinensem Episcopatum tenuit, Spirensem gubernatorem se scribens, quousque Joannes Papa Walramo de Veldentze Decano Ecclesiæ Argentinensis & præposito Spirensis, de Episcopatu Spirensi providit. Contra quem ipse Bertholdus ratione gravium expensarum, diu munitiones Spirensis tenuit cum magno scandalo, ipsas super turribus de Argentina cibando. Familia autem Comitis de Wirtemberg Walramo assistentes, oppidum Bruschsal fraude cœperunt. Castrum verò Rottenburg vi ab ipso Bertholdo, captis qui ex parte sui desuper fuerant, est evictũ. Kiselowe verò & Luterburg tenuit, quousque sibi à Johanne Papa, quòd hæc dimitteret, est Præceptum. De quo ipse Papa pœnitens (audito, quòd ipse Walramus, Ludowico Principi à se damnato, obedientiam fecerat) ipsi Bertholdo, ut munitiones retineret, quas jam resignavit, rescripsit.

Walramus de Veldentz Episcopus Spirensis.

Crevit autem magna invidia inter Bertholdum & Comitem supradictos. Cum autem idem Comes de Wirtemberg, tempore Joannis Episcopi, eo invito, à Waltero & Burckardo Dominis de Horburg, carentibus liberis, dominium de Horburg (cujus magna pars, ab Ecclesia Argentinensi tenebatur, in Feudum) pro septem millibus marcis emisset, relicto usu fructu eorum, cuilibet suæ partis, & partem jam mortui Waltheri teneret: ipse Bertholdus convocatis suæ Ecclesiæ Vasallis, & ad requisitionem sui in genere factam, pronunciato per eos, quod Feudum alienatum à Vasallo sine Domini consensu, ad Dominum devolveretur: congregato exercitu, se

Dominium Horburg venditur.

P posuit

posuit in Ostein, prope Cellenberg, volens totum Dominium in Horburg evincere. Et habito tractatu, cum dictus Comes & Burckardus de Horburg, resistere non possent, concordati sunt, quòd datis per Episcopum Comiti sexcentis marcis, Comes de omnibus cederet, quæ prædicti fratres in feudum ab Ecclesia tenuerunt, scilicet Zellenberg castrum oppidum, villam, cum omnibus bannis & attinentiis. Item Benwilre: item redditus viginti marcarum de Egensheim. Item Curiam in Wettelsheim, cum hominibus suis: Item jus quod dicitur, die Scheffa, cum quibusdam aliis, quorum suam partem dictus Buckardus pro vita sua tenere deberet, post ejus obitum ad Argentinensem Ecclesiam devolvendam, non obstante etiam si liberos procrearet: & sic posito vexillo Episcopi ad castrum Zellenberg, ipsum possedit per suos, per sex hebdomadas & tres dies. Licet autem ipsi Episcopus & Comes, sic reformati fuerant: Comes tamen Episcopo invidebat.

Episcopus Argent. feudi Horburgensis vindex.

Post hæc cum Reinboldus miles de Stouffenberg Albertum militem de Owe, Episcopi servitorem, in sua parte castri Stoffenberg molestaret, nec in ipsa parte fineret commorari. Episcopus monitis Argentinensibus, sibi tunc conjuratis, idem castrum potenter obsedit, & funditus demolivit: propter quod Rodolphus Marchio de Baden, dictus de Pfortzheim, cujus servitor extitit Reinboldus prædictus, de auxilio Comitis de Wirtenberg, per Dominium Rodolphi Marchionis senioris de Baden, dilecti affinis Episcopi, ex alia parte Rheni, terram Ecclesiæ Argentinensis & ejus homines, invaserunt. Requisitus autem sæpè per Episcopum, prædictus Marchio ne talia fieri fineret per terram suam, respondit: se non esse Episcopi janitorem: propter quod ipse Episcopus monitis Argentinensibus, terram Marchionis potenter ingressus, ipsam præter munitiones, ignis incendio devastavit, Comite de Wirtemberg cum quadringentis galeatis existente cum Marchione prædicto, ita quod Episcopus Stolhoffen & Baden quæ obsederat, evincere non valebat. Relicto autem exercitu in terra Marchionis, Episcopus cum ducentis armatis ad villam Hergesheim prope Landawe, rogatus per Ottonem Ducem Austriæ, ad colloquium, quod idem Dux cum Rege Bohemiæ habuerat, est profectus. In qua villa Rex & Dux prædicti, & cum Duce prædictus Argentinensis, & Rodolphus Constantiensis Episcopi: Cum Rege verò Walramus Spirensis provisus, & frater ejus Comes de Veldenze, & prædictus de Wirtenberg, utrinque cum multis Comitibus & Baronibus, convenerunt. Ubi idem Otto in crepusculo noctis juravit, ejusdem Regis filiam se ducturum: ipsaque nocte nimis tenebrosa, idem Episcopus per sylvam cum suis non sine cura ad oppidum Luterburg, quod adhuc tenuit, est profectus, in ipso egressu, se quasi ad conflictum disponens: cum prædicti, provisus Spirensis, & duo Comites, ejus capitales existerent inimici: & crastino ad exercitum rediens, terra Marchionis combusta recessit. Prædictus autem Dux, cujus & suorum Marchiones ab antiquo fuerant servitores, convenientibus ad eum in Bischoffsheim juxta Rhenum, Episcopo, Comite, Marchionibus & Reinboldo prædictis, ipsos, data Reinboldo per Ducem certa summa, & concesso ut Stouffenberg reædificaret totaliter reformavit.

Castrum Stauffenberg eversum 1329.

Episcopus Argentin. Marchioni Badensi bellū movet.

Colloquium Landaunense inter Regem Bohemiæ & Ducem Austriæ.

Iis autem temporibus mortuis successive Magnificis Principibus, Henrico, & postea strenuissimo Lupoldo, & tertio Serenissimo, Friderico, qui pro Rege se gessit, Austriæ Ducibus, ac Domino Ludovico de Urbe (ubi à Populo Romano in Imperatorem coronatus fuit: ubi filium ex uxore sua genuit: ubi Antipapam creavit in odium Domini Joannis Papæ, quem è contra Hæreticum asseruit) in Alemanniam reverso: Johannes Papa pro impediendo eodem Ludovico, apud Duces Austriæ & per se creatos Episcopos, ferventer institit. Et ecce Dux Otto de Austria, cum auxilio prædicti Bertholdi Argentinensis, & Rudolphi Constantiensis Episcoporum sibi unitorum, Columbariam diu potenter obsedit, eodem Domino Ludovico cum Rege Bohemiæ, Comite de Wirtemberg, & multis potentibus è contrario Hagenojam veniente. Prædictus autem Berchtoldus Episcopus habens circca Munziche armatos multos, apud Ducem, ut contra Dominum Ludovicum descenderet incessanter institit. Egrediente autem dicto Berchtoldo, uno dierum de oppido suo Bene-

Columbaria obsessa 1331.

suo Benefelt versus Mollesheim, Comes de Wirtenberg credens Episcopum versus Argentinam iturum, cum ducentis armatis versus Benefelt ad insidiandum Episcopo, est profectus. Cumque quatuor præcedentes appropinquantes portæ Benefelt, ibi neminem invenissent (erant enim omnes incolæ pro habendo consilio sub Lobio congregati) unum miserant qui XX. eos sequentes, sustinere præcepit. Qui uno misso pro sequentibus, portam celeriter sunt ingressi, certantes cum incolis, quousque & cæteri advenerunt. Et sic omnes obtento oppido multis septimanis, ejectis incolis, omnia sibi usurpavit. Credente autem Papa & Episcopis, quod Dux vellet Domino Ludovico, more fratrum, viriliter adversari, jam enim Papa nuntiis Ducis responderat, quod ei L. millia florenorum dare vellet, & ad suam voluntatem conferre Episcopatus Alemanniæ vacaturos: ecce Dux reformatus est cum Domino Ludovico, sibi Brisaco Nuwenburg & quibusdam aliis munitionibus: Regi verò Bohemiæ Keisersberg & multis aliis munitionibus, pro certis pecuniæ quantitatibus assignatis: Episcopo Benefelt vacuo restituto, & pro damnis quatuor millib. marcis promissis, & rarò solutis. Sicque deluso Papa & Episcopis, Princeps cum prædictis, Rege & Duce, per Alsatiam, Basileam, & (ut supra) receptis homagiis, potenter transivit.

Benfelden à Wirtergico occupatur.

Otto Dux Austriæ concedit in partes Ludovici Bavari.

Brisacum & Nuwenburg ad Austriacos.

Post hæc Conradus & Joannes de Schouwenburg dicti de Winterbach de auxilio quorundam servitorum electi Spirensis & Comitis de wirtenberg, oppidum Oberkirch, positis scalis de nocte furtim apprehendere tentaverat, sed ruptis scalis & audita ruptura, vigiles clamantes, incolas vocaverunt, ita quòd conatus non habebat effectum. Propter quod idem Bertholdus Episcopus, non solùm dictos duos sed omnes de Schawenberg quorum aliquos olim Joannes Episcopus delicate foverat, depauperavit quantum potuit & destruxit: Conrado Risen tunc advocato suo in Ulemburg ipsos persequente ad unguem: castrum autem Schowenburg habere nequibat. Econtra autem homines Ecclesiæ illius districtus, per multos Dominos, illis assistentes, damna & in corpore & in rebus plurima sunt perpessi. De Schmalstein autem miles, super optimo castro Winestein, sustinens Conradum de Winterbach, Episcopum ad multas coegit expensas: propter quod ipse Episcopus & Hagennowenses, quos etiam idem miles læserat, idem castrum X. hebdomadis potenter obsidentes, quatuor machinis, duobus cattis, & LXXX. fossoribus ipsum funditus destruxerunt. Et antequam discederet de loco Episcopus, obiit Burckardus Dominus de Horburg: & advocatus Rubiacensis castrum Zellenberg obsidens, ipsum & oppidum cum villa Bebelnheim & omnibus attinentiis, apprehendit. Nam Dominus altæ Rapoltzsteine, cujus sororem habuit dictus Burckardus, prædicta omnia, nomine infantis prædictæ sororis, detinere volebat: quem infantem prædictus Burckardus de Horburg, cum natus jam esset, post prædictam compositionem, Tardum seu *Spaten* vocavit, dicens quòd in duobus annis nunquam cognoverit matrem ejus. Et sic hodie Ecclesia Argentinensis tenet illam partem Dominii in Horburg quietè.

Ludovicus Bavarus Basileam venit.

Weinstein destruitur.

Dominium Horburg ad Ecclesiam Argentin. revocatum.

Illis diebus waltherus de Tuwingen, Dominus in Gerolsecke, in Swannowe & in Schuttern, quique oppidum Erstein tenuit nomine pignoris, in quibusdam læsit Argentinenses. Regnabant autem tunc Argentinæ populares, exclusis Nobilibus, propter magnam cædem multorum nobilium, inter Zornones & Mulnheimnenses, & eorum partes factam. Et ecce in die Parasceve mane venientes Argentini oppidum Ersteim expugnantes cœperunt, cujus muros & turres post destructionem castri Swannowe, funditus destruxerant. Ipsi quoque & Episcopus prædictus, item Basilienses & Friburgenses, & omnes Civitates Imperii harum partium, castrum Swannowe fortissimum, & omni Alemannia, propter nimia mala inde facta, famosum, illico vigorosissimè, & cum omnibus paramentis, quæ excogitari quasi poterant, obsederunt: facientes pontem cum navibus ultro Rhenum. Transeuntes quoque de obsidione oppidum Schutter & solenne monasterium, ignis incendio vastaverunt, muris oppidi funditus demolitis: quibus postea reparatis, denuò ab Argentinensibus demoliuntur, Anno Domini, M.CCC.XXXIIII. in autumno. Victo etiam castro Swannowe, & radicitùs demolito, unus miles & alii XLIX.

Bellum Argentin. cōtra Geroltzeckum anno 1333. Erstein

Schnanow.

Schuttern.

 qui

qui ipsum custodierant, capite sunt truncati. Magistri quoque carpentarii, & fabri qui intus fuerant, ligati tanquam lapides versus castrum machinis sunt projecti. Episcopus autem cum suis equitibus, & omni multitudine garcionum de Swanowe transcendens, villam Steinbach sub castro Yberg, quod tum tenuerunt pignore Comites de OEtingen, adversarii Episcopi, & tres domus vallatas in ipsa villa, quarum Domini auxiliatores fuerunt eorundem de Schowenberg, ignis incendio demolivit.

Incitabant autem illis diebus prædicti Comitis de Wirtemberg & de OEtingen Dominum Ludovicum Principem contra Episcopum. Qui Princeps Episcopum, ut ei faceret homagium de regalibus suis, indicto exercitu infestavit. Episcopus autem è contra de auxilio Episcopi Metensis & Ducis Lotharingiæ, qui sibi conjuraverant, exercitum congregavit. Manente autem pro tunc Principe, Episcopus oppidum Richenwilre Comitis de Witemberg expugnavit, de ipso oppido, sibi fidelitatem præstante, plurima vina traducens. Nitebatur autem exercitum suum traducere Rhenum, ad obsidendum Offenburg & Gengenbach oppida Imperii: sed in Gallicis maximè propter auram mutatam, habere nequivit. Reversus autem Gallicis positisque multis armigeris in oppida Reineken & Oberkirche, pro eorum custodia, quæ oppida prædicta Imperii plurimum infestabant, Episcopus ad pratum juxta Vinstingen, ubi indictum fuit duellum, inter Joannem fratrem Comitis de Sarwerde, & Henricum Dominum de Vinstingen, ad eundem Henricum servitorem & vasallum suum, cum CCC. galeatis accessit. Expectante autem in termino eodem Henrico armato intra circulum, adversarius qui in eo loco duellum obtulit, præ multitudine quæ ad Henricum venerat, (habuit enim circa quatuor millia galeatorum, exceptis peditibus) accedere non audebat. Plures autem quibus oppidum Reinekem commissum fuerat cum ad duellum accessissent: Ecce prædicti Comites de Wirtemberg & de Oetingen oppidum Reineken viriliter expugnarunt, duodecim armigeros, & rusticos qui ibi remanserant capientes, qui tamen se quantum poterant viriliter tenuerunt, Henricum de Lapide militem Comitis de Wirtemberg validissimum, occidentes. Unus autem captivorum incola oppidi evadens, circa meridiem, cùm esset intensus calor, oppidum in pluribus locis incendit, ita quòd Comes de OEtingen & sui, qui in oppido remanserant, vix evadentes, in equis & armis damnificati sunt.

Richenwiller oppidum.

Reinicke oppidum Argent. Episcopi, à Wirtenbergicis occupatur.

Venit autem Princeps quasi latenter repente Hagenogiam, cum magna multitudine armatorum. Episcopus autem quasi perplexus cum gentes præsertim Gallicas, quæ nuper ab eo recesserant, adeò celeriter rehabere non posset: cum suis equitibus quos habere poterat, in castrum suũ Kochersberg, collocavit. Intrusus autem per Principem in Ecclesia Herbipolensi contra provisionem Papæ, scilicet Dominus de Lichtenberg in Suevia, scholasticus Spirensis, Cancellarius Principis, cùm valde circa Herbipolim Principis indigeret, concordiam inter Principem & Episcopum ordinavit, scilicet, quòd ipse Episcopus Principis officiatos in Alsatia non impedire, sed promovere deberet. Pro tũc autem homagium renuit exhibere.

Erat autem liga pacis illis diebus, inter Argentinenses, Basilienses, & Friburgenses, quibus Episcopus (nisi & ipse contra eos cognoscere deberet, quando sibi assistere tenerentur, sicut quælibet prædictarum civitatum in suo facto cognovit) uniri nolebat, sed cum terra Ducum Austriæ ligam contraxit.

Tempore autem Benedicti Papæ, cum Bertholdus Episcopns Argentinensis monuisset omnes Rectores Ecclesiarum, & alios ad Sacerdotium adstrictos, ut ad sacros ordines ascenderent, & ob hoc conspirantibus contra eum Geberhardo de Friburg præposito: Conrado de Kirkel thesaurario, & quasi toto Capitulo, multisque de clero, multisque appellationibus interpositis, ad sedem Apostolicam, factisque per Episcopum absolutionibus ad cautelam, renovatisque processibus & iterum appellato, inter Episcopum & clerum grave nimis scandalum est subortum.

Clerus à Berchtholdo Episcopo Argẽtin. offensus

Mortuo autem illis diebus Joanne de Chabilone Episcopo Lingonensi, & administratore Basiliensis Ecclesiarum, qui & eo tempore castrum Pfefingen, Walrami Comitis

rami Comitis de Tierstein, potenter obsedit: Capitulum Basiliense Joannem Sennen, filium sororis prædicti Argentinensis Episcopi, in Pastorem elegit. Quem cùm Archiepiscopus Bisuntinus, ob scripta Papæ, non confirmaret: Idem electus cum avunculo suo Hugone Comite de Buchecke, ac pluribus Comitibus, Canonicis, & Magistro civitatis Basiliensis, ad curiam proficiscens, ac per annum post renunciationem in consistorio per se factam (eò quod Capitulum Basiliense olim fuit perpetuo jure eligendi privatum) in curia manens: Tandem ob favorem ipsius Hugonis, per Benedictum Papam provisus extitit, & in curia consecratus.

Iohannes Senn nepos Episcopi Argent. fit præsul. Basil.

Nota.

Mortuo autem Gebehardo Præposito Argentinensi, anno Domini M.CCC.XXXVII. in die sanctæ Petronellæ, ac Joanne de Liechtenberg, & Ulrico de Sygenowe, filio sororis prædicti Bertholdi Episcopi, in discordia ad præposituram electis, ac Ulrico per ipsum Episcopum: Joanne verò postea per Henricum Archiepiscopum Maguntinum in discordia confirmatis: Habentibus etiam Conrado de Kirkel, Nicolao de Kagenecke præposito sancti Petri Argentinensis & pluribus aliis rancorem & odium contra Episcopum: Ecce ipse Episcopus in villa Haseiach, in curia præpositi, circa mediam noctem per Rhodolphum de Hohenstein, & complices suos, & alios, prædictorum Conradi à Kirkel & Joannis de Liechtenberg familiares, captus, primùm ad castrum waldecke, & postea ad castrum Kirckel adductus, honorificè sed tutissimè est detentus. Eductus autem fuit nudo corpore, sub anno Domini M.CCC.XXXVII. quarto Idus Septembris. Quod intelligens Benedictus Papa, illicò prædicto Basiliensi Episcopo, Argentinæ Ecclesiæ administrationem commisit, ac contra prædictum Conradum de Kirckel, & alios culpabiles processus durissimos destinavit. Rodolphus autem de Andelah Vicedominus Episcopi, crastino captivitatis, incœpit ab officiatis Episcopi & munitionibus, quòd sibi parerent tempore captivitatis, recipere juramenta.

Berchtoldus Episcopus Argent. capitur, 1337.

Basil. Episcopus fit administrator Argentinensis.

Venit autem illis diebus Argentinam Albertus Dux Austriæ, Episcopi confœderatus de Aquisgrani, qui in peregrinatione descenderat, cujus intentio ad obsidendum Nuwilre, & alias munitiones Joannis de Liechtenberg & Sigismundi fratris sui, omnimodè versabatur: sed officiati rehabere Dominum quibusdam pactionibus nitebantur. Quamvis autem notorium fuerit, prædictum thesaurarium fuisse principalem detentorem, & habuit domicilium Argentinæ: quamvis etiam Vicarius Episcopi decreverit interdictum servandum, juxta Consilium provinciale, quod & Augustinensibus placuisset: Prædicatores tamen & Minores, ac Clerus majoris Ecclesiæ, non veritatem, sed affectum privatum considerans, celebrarunt.

Fuit autem liga pacis illis diebus inter Argentinenses, Basilienses, & Friburgenses: item alia liga inter Argentinenses & oppida Imperii: item alia inter Episcopum & Ducem Austriæ & terras ipsorum. Noluit enim Episcopus esse in liga Argentinensium, nisi & ipse cognoscere posset in suo sibi illato, sicut & ipsi habebant. Et ob hoc, & quia Episcopus confirmavit Sigellinum de Mulnheim contra Ulricum Suffen, ad præposituram sancti Thomæ, Argentinensis, & ob hoc pars Zornonum provocata fuerat contra ipsum: à civitate Argentina auxilium aliquod non habebat. Habuit autem ab ipso Episcopo Conradus de Kirckel officialatum Argentinensem, cum sigillo & cum emolumento & potestate ponendi officiatos: Item cantoriam Spirensem, & Scholastriam Argentinensem cum Thesauraria, cum multis officiis & præbendis, ad suam voluntatem collatis. Venit autem Episcopus Basiliensis ad castrum Dachenstein Ecclesiæ Argentinensis, constituens Joannem Erlini Scholasticum S. Thomæ vicarium priorem Episcopatus, autoritate apostolica vicarium generalem. Qui facta autoritate Conradi prædicti penitùs revocavit, latis hinc inde mutuis excommunicationum sententiis & appellationibus interjectis.

Fœdera.

Episcopus Argentinensium auxilio destituitur.

Tandem post multos tractatus amicorum Episcopi, Episcopus cum XVI. hebdomadis captus jacuisset in Kirckel, cum multis fidejussoribus & obsidibus, cũ variis pactis, insciis amicis, extitit liberatus, quorum fideiussorum aliqui in favorem Episcopi, aliqui se in favorem Conradi strinxerunt. Inter alia autem pacta actum fuit, quòd dare deberet mille quingentas Marcas argenti: item procurare præposituram Argentinensem Joanni de Liechtenberg: item multas Ecclesias certis personis procurare: item prædictum Conradum cum viginti personis ab omni jurisdictione Episcopi eximere:

Episcopus Argent. liberatur.

item quòd Ecclesiam Argentinensem in spiritualibus & temporalibus regeret, juxta consilium & consensum prædicti Conradi, & omnium amicorum ejus amicitiam procuraret.

Episcopus Basil pactū dimissi avunculi irritum reddere conatur.

Episcopus autem Basiliensis & plures consanguineorum videntes Episcopum sine eorum cautione dimissum, promiserunt inter se, nolle convenire cum illis nisi de communi eorum placito, & specialiter, quòd nollent Ulricum de Sigenowe desistere à præpositura. Prima autem die captivitatis Episcopi, inclusa fuerunt ejus Sigilla, & pluribus sigillis signata. Basiliensis autem etiam post liberationem Episcopi, dicens eum non plenè restitutum, per se & vicarium prædictum, jurisdictionem aliquandiu exercebat: prohibens Episcopo restitui Sigilla vel prædicto Conrado in officialatu parere. Verùm tandem Episcopus omnino volens rehabere sigilla, & rehabens, prædictum Conradum in omnem potestatem jurisdictionis restituit, in qua erat, & prædicto Joanni de Liechtenberg, tanquam præposito pareri præcepit. Expletis autem pluribus liberationis articulis, ac Episcopo valde laborante, ut Basiliensis & cæteri amici reformationis literas sigillarent, sed non proficiente, eoque se offerente ad dandam in promptu prædictam pecuniam, & ad explendum illico omnes liberationis articulos sibi possibiles, & ad cavendum sufficienter de aliis articulis servandis, & quàm primum posset explendis, & quòd sibi obsidum litera redderetur, nec aliquo modo apud prædictum Conradum posset liberationem obsidum obtinere: ipsos pro toto sicut pro parte obstagium servare promisit. Offerens se tamen ad liberandum eos totaliter, non in parte, prout aliqui sapientes & probissimi eum posse & debere decernerent, juxta literam cautionis. Propter quod iterum inter prædictos Conradum & Joannem & eorum complices, grave scandalum est subortum.

Ludovicus Imp. Columbariam venit.

Conventus Spirensis causa Ludovici Bavari.

Veniente autem illis diebus Ludovico Principe Columbariam, prædicti Argentinensis & Basiliensis Episcopi, ipsum cum magna armatorum multitudine accesserunt, qualiter circa Argentinensem actum est enarrantes. Ille autem simulans se dolere, ad attrahendum eos suo servitio insistebat: Argentinensis autem congregationem Episcoporum provinciæ Maguntinæ persuasit. Quibus ferè Spiræ congregatis, ac Henrico Archiepiscopo Moguntino similiter sedis Apostolicæ proviso (qui & ipse Principi se colligaverat) ad inducendum in id ipsum Argentinensem, plurimùm laborante: communi consilio missi sunt, Ulricus Episcopus Curiensis, & Gerlacus Comes de Nassowe, ex parte Episcoporum Maguntinæ provinciæ, ad Papam & Cardinales, pro reformatione Principis laborantes, quibus Papa præ timore Regis Franciæ annuere non audebat: sicque infecto negotio celeriter sunt reversi. Interim autem facta est liga pacis generalis, de authoritate Principis in Alsatia, tam per Episcopum, quam civitates, IX. cognitoribus desuper constitutis. Rodolphus autem & alii de Hohenstein, Castrum Hohenstein, cujus major pars fuit Episcopi Argentinensis, pro se tenentes, ab ipso castro custodes Episcopi excluserunt. Restituto autem Episcopo ad mandatum novem cognitorum, Episcopus asserens ipsos de Hohenstein infregisse pacta castri: idem castrum fortissimum funditus demolivit. Papa autem Benedictus denuntians juramenta Episcopi & obsidum nulla, & relaxans, dedit executores, qui contra prædictum Conradum & sibi assistentes multipliciter procedendo, ipsum Conradum, Joannem de Schwartzenberg decanum, & plures Canonicos, & alios Prælatos, & Clericos, suis Ecclesiis & Prælaturis Ordine Judiciario denunciando privatos, ac ipsorum beneficiorum reditus colligendo, prædictum quoque Ulricum de Sygenowe in præposituram restituens, fructus collegit ejusdem, prædicto Joanne de Liechtenberg etiam fructus præposituræ quos colligere potuit, colligente. Prædicti quoque Conradus & Joannes eorumque complices villam Gugenheim Episcopi, & quasdam adjacentes, incendio devastarunt.

Fœdus Alsaticum authoritate Lud. Imp. initum.

Hohenstein eversum.

Episcopus Argent. apud confœderatos accusatus

Cum autem Princeps & Maguntinus prædictum Bertholdum Episcopum ad concordandum cum ipsis & ad recognoscendum sua regalia à dicto Principe, precibus, muneribus vel minis inducere nequivissent: ipsi Principes asserentes, ipsum Episcopum asseruisse, si nuntii prædicti infecto negotio reverterentur à Papa, se velle concordare cum illis, quod ipse negavit, & quòd ipsi se pro liberatione Episcopi fidejussores, & obsides

obsides restituerint, & quod eos liberare nollet: Ligæ pacis generalis Rheni inferioris acriter sunt conquesti. Produxerant enim instrumentum sub sigillo Curiæ Argentinensis, quod prædictus Conradus detentor habebat, in quo apparuit, Episcopum eidem Conrado, rogandi fidejussores, & ad liberandum eos se obligandi potestatem dedisse: & aliud, in quo ipsos Principes se astrinxisse pro Episcopo liquebat. Episcopus autem sibi nunquam de eisdem Principibus factam fuisse mentionem, dicebat. Unde judices inferioris ligæ pro dictis Principibus decernentes, diffidarunt.

Præmiserat autem Episcopus aliquoties Papæ & Cardinalibus nuntios & literas pro consilio & auxilo, vel quòd sibi indulgeretur, quòd posset Principi homagium exhibere, cum non præsumeret se posse finaliter reluctari. Papa autem dicens, illum coronam Imperialem non accepisse, resp ondit: Quod si in ejusmodi consentiret Homagium, per hoc posset Romanæ Ecclesiæ præjudicium generari: Et quòd ipse Episcopus in resistendo illi, sine jactura Ecclesiæ, faceret posse suum. Licet autem multi Cardinalium ad subveniendum Episcopo ferventer instarent, Papa perpendens factum, dixit: Isti vellent quod facerem perire illum bonum hominem, quem scio reluctari non posse.

Monuit autem Princeps civitates Imperiales Alsatiæ contra Episcopum. *Argentinensis Episcopus bello petitur.* Sletzistatenses autem, quorum Joannes de Eckerich & plures alii fuerunt prædictorum Conradi & Joannis servitores, primò Episcopum diffidarunt, ipsum ignis incendio invadentes, quos Episcopus potenter obsedit. Aderant autem sibi homines Ducum Austriæ, item Episcopus Basiliensis, cum quatuor millibus peditum & ducentis galeatis. Item Abbas Morbacensis, miserat etiam sibi Ulricus Comes de Wirtemberg trecentos galeatos, ita tamen, quòd nil contra oppida Imperii attentarent, cum quibus & cum Zabernensibus, oppidum *Nuwilre* eisdem diebus obsedit, & hi Suevi nemini pepercerunt. Episcopus quoque recedens de Slethstat, vallem Läberachtal/in odium Joannis de Eckerich, cum exercitu est ingressus, *Leberthal.* omnia inibi reperta devastans. Disposuit autem in sero, mane sub castro Eckerich castrametari, verùm quidam de exercitibus Ducum & Basiliensib. summo mane comburentes villam Läberach/ direxerunt cornu exercitus extra vallem: de quo turbatus Episcopus egrediebatur cum illis. Equitibus autem Basiliensibus custodiam postremam habentibus, cum venisset ad locum nimis arctum, ecce Equites de Eckerich sagittis & lanceis insequentes, rusticis etiam lapidibus aciem Episcopi infestantibus de montanis, terruere postremos. Et volente regredi Episcopo, Jacobus Erberter fecit vexillum Episcopi cum acie progredi festinanter, ita ut ultimi ipsos quasi fugere æstimabant. Cumque per viam arctam transissent, inimicis constitutis in arcto, dixit Jacobus, modò revertamur in illos: hisque irruentibus in illos, unus inimicorum prostratus in via arcta, totam aciem impedivit, aliàs multi eorum capti fuissent. Quidam etiam ascendentes montana, rusticos fugaverunt, sicque in obsidione Sletzstat Episcopus revertens, vineas devastavit, remittensque Ducum & Basiliensium acies, repente ad obsidionem *Nuwilre* accessit, ubi Joannes de Turckelstein/& alii aliqui occisi & capti fuerunt: quod cum aliquandiu obsedisset, recessit. Oppida quoque Columbaria & Ehenheim Episcopum diffidarunt. Venientes quoque Conradus de Kirckel, & Nicolaus de Salmis, Ehenheim cum pluribus equitibus, aliquas villas Episcopi incenderunt. Episcopus verò cum ducentis galeatis ad locum Ehenheim accedens, & aliqua comburens, cum multi de Ehenheim egressi sagittarent, irruente in eos Joanne Domino de Liechtenberg ferè usque ad muros oppidi, aliisque repente sequentibus, multos illorum vulneravit & captivavit. Eodem autem die Columbarienses & Sletzstatenses, villas Pfaffenheim & Geblerswilre incendio vastarunt. *Bellum Alsaticum contra Episcopum Argent. Imperatori rebellem.* Erat autem tota gens Episcopi superioris *Mundat* & Abbas Morbacensis cum eis ad conflictum præparata: sed Bertholdus Waldener advocatus Episcopi gravis, gentem retrahens, factum confudit. Post hæc Rodolphus de Ochsenstein, & quidam alii de gente Episcopi, auferentes quosdam equos juxta Sletzstat, omnes quasi de Sletzstat (quibus ex parte Principis aderant Albertus & Hugo de Hohenberg præsides) exire & agitare fecerunt. *Insidiæ Seletstadiensib. frustra positæ.* Cum autem prædictus Rudolphus, equitibus Episcopi, qui fuerunt in Aprimonasterio & in Thanbach/ hujusmodi agitationem intimasse debuisset, ut *Ebersheim munster.*

prospere egisset: solus cum paucis deducere spolium credidit versus Tanbach. Sletzstatensibus autem repentè insequentibus, multos de Tambach vulneraverunt, occiderunt & captivarunt.

Cumque hujusmodi dura commotio diu durasset, nec fuisset aliqua villa ex utraque parte, quæ non fuisset incensa, vel cum adversariis de pecuniarum summis pacisci coacta, Ducesque Austriæ genti suæ, ne Episcopo contra Principem assisterent, inhiberent, Argentinensesque in immensum damnificati fuissent: Ecce Argentinenses inito consilio, nisi concordaret cum Principe, diffidarunt. Tunc Episcopus in expensis exhaustus, & à suis derelictus, metuensque se à suis oppidis excludi, propter favorem Argentinens. anxius, licet paulò antè in Capitulo suo respondens Consulibus Argent. dixerit, potiùs se velle reverti in ordinem suum Teutonicorum, quam Principi homagium exhibere: de communi consilio omnium suorum fidelium, Spiræ Principem accedens, sibique homagium faciens, regalium suorum ab eo tanquam Imperatore investituram accepit: protestans in Principis præsentia, eo consentiente, quòd non minùs Domino suo Papæ vellet in omnibus obedire: protestans etiam ante accessum in præsentia multorum Comitum & Baronum, quòd hujusmodi homagium faceret, non voluntarius, sed coactus. Sicque in Choro majoris Ecclesiæ Spirensis cum Principe & cum Maguntino Missas audivit. De omni quoque controversia Episcopi ac Conradi, & Joannis prædictorum in ipsum Principem ac in Ulricum de **Wirtemberg**/ & Ludovicum & Fridericum, de **Oetingen** Comites, Episcopi fideles, extitit compromissum: qui Princeps, post plures tractatus in Monaco Bavariæ habitos coram eo, cum non possent partes concordari, ratione præposituræ Argentinens. tandem pronuntiavit cum aliis, quod Episcopus omnia quæ promiserat prædictis Conrado & Joanni ante captivitatem, in captivitate vel post captivitatem, servare deberet, & ipsi è contra. Quicquid autem partes desuper haberent inter se experiri, ipsis salvum esse deberet, quàm pronuntiationem pars utraque commendavit. Comes enim Ulricus qui Episcopo in prædictis itineribus multos honores exhibuit, ipsam pronuntiationem sigillare noluit, nisi Episcopo placuisset. Cum autem coram Consulibus Argentinensibus super prædictis verbis fuisset plurimum disputatum, tandem Princeps omnia interpretaretur contra Episcopum, de quo & Maguntino liquere incepit, quòd captivitatis Episcopi fuerunt conscii & authores, Argentinenses omnes destitutos à beneficiis restituerunt, & Episcopum ad restituendum prædictum Conradum ad officialatum, quodammodo coegerunt. Tandem post multa discrimina, datis per Episcopum mille marcis prædicto Conrado, ac mille marcis prædicto Joanni, ac trecentis marcis Rodolpho de **Hohenstein**/pro sua parte castri, & multis aliis eidem Conrado factis cautionibus, & specialiter de annuis CCCC. L. libris denariorum sibi dandis, de sigillo Curiæ, ac restituto judicio ipsi Episcopo, & Ulrico de Sigenowe præposito remanente, ipsisque Episcopo Conrado, & Joanne ligam juratam contrahentibus, fuerunt in simul reformati.

Berchtoldus Argent. Episcopus Imp. Lud. coactus fidē dat.

Post hæc mortuo Ludovico de Strasberg Cantore Argentinensi, Episcopus prædicto Joanni de **Liechtenberg** contulit Cantoriam. Spectat autem ad solum Cantorem Capituli conservare sigillum. Papa autem ob hoc Episcopum pro excommunicato non habuit, nec eò minus ei causas scienter commisit. Ligam etiam prædicti Ludovici Principis ac Regis Franciæ, dissimulans ægrè tulit. Rogatus etiam ipse Benedictus super promotione suorum respondit: Si mei non fuerint damnati, tunc immaculatus ero.

Clemens VI. Papa.

Mortuo autem Benedicto, successit ei Clemens VI. per quem Bertoldus Episcopus est absolutus, præstito juramento, quòd eidem Ludovico de cætero non assistat, nisi fuerit cum Ecclesia reformatus.

Terræmotus.

Carinthiacus.

HUJUS etiam Episcopi temporibus scilicet anno M.CCC.XLVIII. in mense Januario, in die conversationis S. Pauli factus est terræmotus generalis & magnus, ex quo homines pati syncopem putabantur, qui & in aliquibus locis multis diebus duravit Præsertim in Carinthia multa castra subversa sunt. Nam in valle **Steintal**/castrū **Oeterburg** cecidit: **Lenzeburg** & **Rosach** ciciderunt: **Ortemberg**/**Waldemberg**/**Schellenburg**/**Schwarzenburg** ceciderūt: civitas magna nomine **Villach**

cum

cum omnibus muris, claustris & Ecclesiis suis cecidit, ibique duodecim homines perierunt. Item **Waldenstein**/**Wildemburg**/**Hohenburg**/**Wartemburg**/**Kemmeze**/**Tranburg**/**Krancke**/**Lümburg**/ omnia ciciderant cum hominibus & rebus. Item mons quidam in eadem provincia, qui jacet prope castrum **Löwenburg**/ cecidit, transferens se per dimidium miliare à loco proprio, unde maximus fumus exivit, ibique lacus factus est per duo miliaria, qui submersit villas XVIII. item castrum **Landemburg**/ situatum super quodam monticulo, in eadem valle, per impetum aquæ portatum est per dimidium miliare, & tunc primo cecidit mons & castrum **Nüwenburg**/ **Gutenowe**/**Gutenburg**/**Bemburg**/**Geilenstein**/ ibi cecidit mons super montem, cum arboribus, lapidibus, & domibus. In multis etiam locis aliis ex hoc incredibilia evenerunt.

Pestis ingens

Facta est autem pestilentia mortalitatis hominum, præsertim in partibus ultra marinis & maritimis, & aliis vicinis, qualis à tempore diluvii non est facta, aliquibus terris hominibus penitus evacuatis, multisque navibus in mari cum mercimoniis, habitatoribus extinctis, sine rectore repertis. Massiliæ Episcopus cum toto Capitulo & quasi omnes Prædicatores, & Minores cum dupla parte inhabitantium, perierunt. Quid in monte Pessulano, in Neapoli, & in aliis Regnis & civitatibus actum sit, quis narraret? Multitudinem morientium Avinione in curia contagione morbi, ex qua sine sacramentis perierant homines, ut nec parentes filiorum, nec è contra, nec socii sociorum, nec famuli Dominorum curam habuerint? quòd domus cum omni supellectile vacuæ fuerint, quas nullus ingredi audebat? horror est scribere, vel narrare. Nulla fuit ibi causarum agitatio, Papa inclusus Cameræ, habenti ignes magnos continuè, nulli dabat accessum, terrasque hæc pestis transibat, nec poterant Philosophantes, quamvis multa dicerent, certam de his dicere rationem, nisi quòd Dei esset voluntas: hoc nunc hîc, tunc ibi per integrum annum, imo plures, durabat.

Pervenit autem ad civitatem Argentinam hæc pestilentia, Anno Domini M. CCCXLIX. in æstate, & moriebantur ibi (ut dicebatur) XVI. millia hominum. Judæi autem propter pestilentiam præcedentis anni infamati sunt, quòd eam fecerint vel auxerint, fontibus & puteis injecto veneno, & cremati sunt à mari usque ad Alemanniam: præterquam Avinioni, ubi ipsos Papa defendit.

Iudæorum persequutio.

Posthæc tortis quibusdam in Berna, in Comitatu Froburg & alibi, & reperto in Zofingen veneno, extinctisque Judæis in pluribus locis, scriptoque de hoc Consulibus Basiliensis, Friburgensis & Argentinensis civitatum, majoribusque ad defensionem nitentibus Judæorum, ac quibusdam etiam Nobilibus Basileæ, pro quadam injuria Judæis illata, ad longum tempus bannitis: Ecce irruit populus cum banneriis ad Palatium Consulum. Quibus territis & quærente Magistro quid vellent? Responderunt, se nolle abire, nisi bannitis reversis: pro quibus illicò est transmissum, consulibus non audentibus egredi, quousque venerunt. Adjecitque populus, se nolle quòd inibi amplius remanerent Judæi. Et juratum est per consules & populum, quod in ducentis annis inibi nunquam residerent Judæi. Convenerantque plureis, nuntii meliores earundem trium civitatum, quibus cordi erat retentio Judæorum, sed populi timuerunt clamorem, capti sunt autem undique in partibus illis Judæi.

Conventus Ordinum Alsatiæ.

Indictus est autem terminus in **Benefelt** Alsatiæ, ubi convenerunt, Episcopus, Domini, ac Barones, & nuntii Civitatum. Nuntiis autem Argentinensium dicentibus, se nil mali scire de Judæis suis: quæsitum est ab eis, cur urnæ de eorum puteis sunt sublatæ. Omnis enim populus clamabat contra eos. Convenerunt autem Episcopus, Domini Alsatiæ, & civitates Imperii de non habendis Judæis. Et sic modò in uno loco postea in alio sunt cremati. Alicubi autem sunt expulsi. Quos vulgus apprehendens, hos cremavit, aliquos interfecit, alios in paludibus suffocavit. Nitebatur autem Petrus Swarber magister scabinorum & aliqui alii Argentinenses adhuc defendere eos, dicentes populo: Si Episcopus & Barones in hoc eis prævaluerint, nisi & in aliis prævaleant, non quiescent. Sed nihilominus invaluit vulgi clamor. Cremati sunt igitur absque sententia ad clamorem populi omnes Judæi Basilienses in una insula Rheni, in domo nova eis facta, feria sexta post Hilarii, Anno Domini M. CCCXLIX. & sequenti feria sexta Friburgi, duodecim ditioribus retentis, ut per illos possent eorum

Iudæi cremati.

rum

rum debitores, arctare. Spirae autem & Wormatiae Judaei in una domo congregati combusserunt se ipsos, & inventi sunt quasi omnia maleficiorum genera comisisse, scilicet in Hispania habito per eos dudum consilio, de veneficiis convenisse. Item de nece multorum puerorum, de falsis literis & corruptione monetarum, furtis & aliis multis, quae offendebant Altissimi Majestatem. Aliqui autem Argentinae, ut sedaretur clamor, sunt positi super rotis, statimque necati, ne super rotis viventes quid dicere possent. Ex quo contra majores, major suspitio est suborta. Factus est autem exosus propter potentiam suam, Petrus magister Argentinensis praedictus, tam Nobilibus quam plebeis, & reformata est dura dissensio meliorum, cupientium habere quatuor magistros, quemlibet per quartam partem anni regentem, sicut servatum est ab antiquo, praeter quam XVII. annis, post caedem magnam inter partes factam, quibus duo magistri, & unus magister scabinorum perpetui, praefuerant civitati.

Tumultus Argentinensis iudaeorum causa.

Anno autem Domini, M. CCC. XLIX. Dominica ante Valentini, convenientibus Episcopo & Dominis Argentinae in negotio Judaeorum, & crastino venientibus quibusdam carnificibus ad domum Petri praedicti, petentibus aliquid dari mechanicis de pecunia Judaeorum. Illoque commoto & aliquos in Curia retinere volente, illi excepto uno, vi sunt egressi per vicos, clamantes ad arma. Veneruntque mechanici cum paneriis ante Ecclesiam majorem, armatique sunt Nobiles & eorum fautores. Cumque plura paneria fuerint cum magistro, ipse territus, omnes ad hospitia redire mandavit: manentibus autem carnificibus & timentibus se banniri, illis primi pellifices assiterunt. Relato autem aliis plebeis qui recesserant, illos mansisse: illi illico sunt reversi carnificibus assistentes. Mandantibus autem Magistris ut abirent, ipsos cum cuspidibus petierunt. Abeunte autem Petro in domum suam, alii duo iverunt ad stubam societatis prope monasterium, ubi jussi per populum, officium resignarunt. Et euntes simul in domum Petri, se absolvi à juramento, eumque resignare officium, & dare claves portarum, Campanae, sigilla & omnia talia, petierunt: quibus cum timore factis, & illo disparente, quatuor magistros, & unum carnificem magistrum scabinorum, annales & novos Consules creaverunt: multis recitatis latisque sententiis contra Petrum. Sicque Sabbato sequenti, Judaei, qui per priores magistros ducti fuerant ad domum super Bruscam infimam, dictam Stoltzeneck/ quasi ut abduci possent, ducti sunt ad eorum cimiterium, in domum combustioni praeparatam, & in ducendo per vulgum vestibus sunt omnino nudati, in quibus multa pecunia est reperta. Defensi sunt autem pauci Baptismum eligentes, & plures mulieres pulchrae, quasi invitae, multique pueri erepti ab invitis, sunt baptizati. Omnes alii sunt cremati, multique prosilientes de igne sunt interfecti. Duces autem Austriae, & Maguntini tenuerunt suos, qui per Judaeos baptizatos & Christianos multa intoxicasse dicuntur, multique alii talium facientes ea, postea sunt cremati, pluresque Christiani torti, fassi sunt se recepta à Judaeis pecunia, & dictis quibusdam verbis super eos per Judaeos, promissoque per eos de intoxicando, in tantam devenisse dementiam, quòd libenter omnes Christicolas occidissent. Unde successivè omnes quasi baptizati Judaei sunt cremati, & fatebantur eos omnes culpabiles.

Iudaei Argentinae cremantur.

Indignatae sunt autem civitates Alsatiae contra omnes tenentes Judaeos: unde minister Ducum Austriae, vix obtinuit, ne obsideretur, quòd captis omnibus Judaeis Ducum in Ensesheim/ nuntium Austriam destinaret. Ulricus verò de Hasenburg experta perfidia, per se servatos cremavit. Post haec in fine Julii Judaei in Oppenheim sunt occisi. Insultu quoque in eos facto in Franckfort/ post Regis recessum, se & omnes domos suas & vicinas cremaverunt. In fine autem Augusti, Maguntiae flagellantibus se multis advenis, facto rumore ex abscissione bursae, & credente populo quòd rumor esset contra Judaeos: ecce omnis populus irruit in Judaeos, & occisis multis Christianis per eos, videntibus se non posse evadere, combusserunt domos suas, & seipsos cum rebus suis.

Amandus Waldner occisus.

ORTA sunt autem iisdem diebus, scilicet anno Domini M. CCCL. contentio inter partes in *Gewilre* & vicinia, & Abbatem Morbacensem, qui partem Sculteti tenuit: postquam sopitam, Rüter de Stouffenburg & alii quidam, Hannemannum Waldener nepotem Argentinensis & Basiliensis Episcoporum, in oppido Lore, in mensa

mensa sedentem, nocte occidentes, ultra muros fugerunt. Quapropter Bertholdus Episcopus Argentinensis qui & ante castrum **Stouffenberg** destruxit, totaliter, iterum in anno Jubileo de mense Augusti, pro parte prædicti **Rüter**/funditus demolivit. Hic **Reuter** postea anno Domini LV. in Julio à Conrado de **Waschenstein**/duobus de **Hadestat**/Joanne waldener, & aliis de nocte intermissis, per quosdam famulos traditores, in ipso castro crudeliter est occisus. *Stauffenberg demolitum.*

Bertoldus quoque Episcopus Argentinensis redemit à Marchionibus de Baden, de consensu regis, oppida **Offenburg**/**Gengenbach**/**Zelle**/ cum attinentiis, obligans pro his telonium Argentinense: Item constituit Joannem de **Liechtenberg** præpositum Argentinensem administratorem Episcopatus, post mortem, & juraverunt ei ut sit minister, etiam de consensu & ordinatione consulum. Quæ Conradus de Kirkel thesaurarius & Lodovicus de **Tierstein** Camerarius, & quidam alii Papæ scribentes, scandalum suscitarunt. Decubuit autem infirmitate durabili in **Mollesheim** Bertholdus Episcopus prædictus, qui Joannem de **Liechtenberg** prædictum Regis Secretarium, Vicarium constituit, in Spiritualibus & temporalibus, & pro eo perficiendo Ecclesiæ, ipse Episcopus cum Capitulo, & Rex, Papæ literas dirigunt seriosas.

Mortuus est autem venerabilis Bertholdus Episcopus Argentinensis in **Mollesheim**/Anno Domini M. CCC. LIII. in vigilia sanctæ Catharinæ, in nocte: & in die Catharinæ in Ecclesiæ Argentinensi in Capella, per se in honorem beatæ Catharinæ preciosissime constructa, & pro quatuor presbyteris lautè dotata, cum veneratione maxima sepelitur. Cujus progeniei Lantgraviorum de **Bucheke** nullus de genere masculino remansit. Et vacat Clypeus aureus cum tribus rosis rubeis, à summo deorsum, de **Bucheke**. Et statuitur Joannes de **Lampertheim** officialis per Capitulum Vicarius in Spiritualibus & temporalibus generalis. Et quarto nonas Decemb. eligitur concorditer, Joannes de **Liechtenberg** prædictus, & quarta Januarii per Abbatem S. Albani Maguntini, autoritate Gerlaci Mogunt. Archiepiscopi, in Ecclesia Argent. solenniter confirmatur, & sibi inscio per sedem similiter providetur. Quod audiens cessat ab administrando, non habitis adhuc literis. Et curiam ingrediens, sabbato quo cantatur *Intret*, Diaconus & Presbyter, & crastino Episcopus, ordinatur. De præpositura verò Lutoldo de **Arenckingen**/ præsenti Argentinensi Canonico, providetur. Episcopus autem sequenti feria quarta in Ecclesia Cathedrali celebrat primam missam: & in die Palmarum reversus, in cœna Domini Chrisma conficit, & pœnitentes introducit in novillari & mille homines communicat. Zaberniæ verò festum Pascale peragens, ordines celebrat, magnamque Baronum, & militum solennitatem habens, nimis se religiosum ostendit. In qua religione usque ad mortem perduravit.

Bertholdi Episcopi Argent. mors.

Deficiunt Comites à Buchecke.

Io. de Liechtenberg Episcopus Argent.

FAMILIA BUCHECKIANA, CUJUS SEDES IN ea parte Burgundiæ minoris seu Cisiuranæ fuere, quæ olim pagus Aventicensis, nunc verò Nuithlandia dicitur, & Helvetiis paret.

Henricus Comes in Bucheck, Lantgravius Burgundiæ. N. Comitissa de Strasberg, conjunx 1590.

- Hugo Comes de Bucheck 1315 heros rerum gestarum gloria clarus.
- Berchtoldus, ordinis Teutonici, Spirensis primum, dein Argentin. Episc. 1336.
- Matthias, ordinis Benedict. Archiepiscopus Moguntinus.
- Filia à Bucheck. N. de Clingen baro maritus.
- Filia de Bucheck. N. de Signovv baro maritus.
  - Ulricus de Signovve Canonicus Argentinensis.
  - Anna de Signovve, Conr. comes Friburg. marit.
  - Hugo de Signovve, monachus Murbacensis.
  - Filia, de Signovve, Eberhard. Comes Wirtemb.
  - Filia, de Signovve. Ulricus Baro in Suartzenb.
- Johanna de Bucheck Burkardus Sen. de Münsingen, Baro & Eques.
  - Joannes Sen, Episcopus Basil. 1356.
  - Benignosa Senia, Fridericus *vom Hauß* Eques, Alsata, maritus.
- Filia de Bucheck, Abbatissa in *Frauenbrunn* prope Bernam.

SERENISSIMO PRINCIPI Domino K. Regi Francorum illustri, consanguineo carissimo, Wenceslaus D.C. Romanorum Rex, salutem, & fraternæ dilectionis mutuum incrementum.

SERENISSIME *Princeps, consanguinee carissimè. Venientibus ad nos proximè honorabilibus ambasiatoribus vestris, in facto sanctæ matris Ecclesiæ hucusque miserabiliter laniatæ, deliberavimus ad serenitatem nostram, Serenissimos Principes & Dominos, Sigismundum Regem Ungariæ, fratrem nostrum carissimum, ac* W. *Regem Poloniæ, Marchiones Moraviæ patruos nostros carissimos. ac Duces Poloniæ, nostro Regno Bohemiæ subjectos aliosque nostros Imperii sacri regnique Bohemiæ Principes Ecclesiasticos & seculares, Prælatos & nobiles advocare. Verùm dictorum Regum imminens necessitas & occupatio grandis natalium sedium, eorum adventum ad nos, quanquam nobis invitis, pertraxit. Veruntamen cum eisdem Regibus & Principibus tali sumus intentione concordes, quòd ulteriori mora postposita, apud nos in civitate nostra Uratislavia, intra festum natalis Domini debebunt finaliter convenire. Quibus auspice Deo nobiscum convenientibus, ipsorumq; consilio, in facto sanctæ matris Ecclesiæ, & signanter super via cessionis, sicut expedit, communicato: serenitati vestræ in hujusmodi facto per ambasiatores nostros solennes finale responsum volumus destinare. Præsertim cum etiam à Domino nostro Apostolico, Domino Bonifacio, de intentione & desiderio vestro nondum obtinemus responsum. Ideoque eandem serenitatem vestram studiosius exoramus, quatenus vestra dilectio serenitati nostræ Regiæ non imputet, quod hucusq; vobis, absque dictorum Regum & Principum, quorum in hac parte res agitur, quorumque consilia vitare non possumus, ne videantur esse contemti, quodq; omnes tangit, debet ab omnibus approbari: & quod à pluribus quæritur, facilius invenitur, responsum non valuimus exhibere, singularis in eo vobis amoris gaudium ostensuri. Si enim à dictis Regibus, quorum hucusq; adventum, confecti tædio, præstolati sumus, responsum & consilium participassemus, dudum Dilectioni Vestræ responsum debitum dedissemus. Datum in Burgelins, die sexta decima mensis Octobris Anno &c.* M. CCC. XCVIII.

SENTENTIA EXAUTORATIONIS ET Privationis Domini Wenceslai Romanorum Regis, lata ab Imperii Electoribus, Anno Domini M. CCCC.

E Chronico Iacobi Kongelshovii translata.

IN nomine Domini, Amen. Nos Joannes Dei gratia sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, notum facimus universis, præsentibus & futuris. Quàm varia, multiplicia & gravia cum incommoda tum diffidia multis abhinc annis, in sacram Ecclesiam invecta sint, etiamnum durantia, atque indies uberiùs pullulantia, in sacri Romani Imperii (quod Ecclesiæ Dei & orbi Christiano præsidio esse debebat) gravissimam convulsionem, imminutionem & dissipationem: id omne ut scribi nequit, sic mala indies ingruentia, manifestè satis docent atque comprobant. Eamque ob rem sacri Romani Imperii Domini Electores, intervenientibus sacræ Ecclesiæ, Principum, dynastarum, civitatum, provinciarum, & subditorum sacri Imperii, prudentem moderatorem expetentium, ardentibus precibus, Illustrissimum Principem Dominum Wenceslaum Bohemiæ Regem, tum sua, tum amicorum opera, literis denique, jam pridem, persæpe & seriò nobiscum admonuere, eiq; diligenter ob oculos posuere, privatim ac publicè, indecentes ac detestabiles ejus in imperando mores & actiones, nec non ejusmodi Ecclesiæ orbisque Christiani defectus, incommoda atque diffidia, gravissimas item membrorum sacri Imperii avulsiones, diminutionesque, contra nominis sui dignitatem damnosè factas, fierique permissas, nempe quòd pacem in Ecclesia non promoverit, quanquam id summa orbis Christiani necessitas, nec non ipsius, ceu advocati & defensoris Ecclesiæ munus flagitaret, & ad id faciendum sæpiùs rogatus, requisitus & admonitus esset:

esset: ipso nihilominus Imperium membris aliquot perniciose mutilante, & mutilum reddi permittente. In quorum numero sunt Mediolanum & Provincia Longobardię, quæ juris sacri Romani Imperii fuerant, redeuntibus inde ad Imperium amplissimis emolumentis: in qua ditione Mediolanensis, veluti minister, sacri Imperii partibus fungebatur: cum is, contra quàm ejus sublimitatem & dignitatem decebat, accepta pecunia Mediolani Ducem & Comitem Papiensem creavit. Complures insuper urbes terrasque, tam in Germania quàm Italia, ad Imperium pertinentes, quarum quædam ad idem redierant, alienavit: parum pensi habens, ut eas sacro Imperio retineret.

Præterea, membranas perplures nudas, rasasque, suæ tamen majestatis sigillo munitas, amicis pecunia vendidit, in quibus cum illis, tum aliis, in quorum manus istiusmodi membranæ venerunt, sub regio sigillo quæ scribere vellent, licuit. Qua ex re, ob sacri Romani Imperii jurium & emolumentorum damnosam imminutionem & dissipationem graves querelæ subortæ sunt. Controversias porrò bellaque, quæ (proh dolor) Germaniam, aliasque sacri Imperii terras miserè afflixerunt & pessundederunt, atque etiamnum pessundant, nil unquam curæ habuit. Hinc prædationes, incendia & latrocinia orta, adeo funestis vel hodie incrementis, ut nulli neque clerici, neq; laici, neque agricolæ neque mercatores, neque viri neque mulieres, sive terra sive mari, tuti versentur: templa, cœnobia, & domus sacræ, quas sacrum Imperium manu asserere atque tueri decebat, rapinis & incendiis pateant & ad interitum redigantur. Eò res abiit, ut quivis contra juris & æqui rationem, alium pro arbitrio tractarit, ac etiamnum tractet, absque ulla sacræ, pretæque diu, Imperialis auctoritatis reformidatione: sic ut & locus conveniendi quempiam, ubi nomine Imperii juris defensio & patrocinium suscipiatur, planè ignoretur. Denique, quod horrendum & immane dictu, cum propria, tum aliorum facinorosorũ quos secum habet, manu, reverendos sacrorũ Antistites, Sacerdotes & spirituales personas, alios item plures honestæ notæ homines, contra juris normam, secus quam Romanorum Regem decebat, neci dedit, aquis submersit, igne cremavit, miserabiliter ac truculenter peremit. Quæ quidem memorata, aliaque multa gravia facinora atque damna adeò divulgata sunt & palam nota, ut excusari vel celari nullatenus queant. Nos igitur, ut præscripsimus, sæpius eum perquam studiosè oravimus, admonuimus & requisivimus, ut indecenti hac vitæ ratione repudiata, id sibi studii & laboris sumeret, quò sacræ Ecclesiæ, opem ejus veluti Romanorum Regis & advocati sui multoties implorantis, pacem & trãquillitatem, sacro autem Imperio pristinum honorem, terras, ditiones, emolumenta denique sua recuperaret, in subsidium & consolationem orbis Christiani, hoc nomine graviter debilitati atque oppressi.

Etsi verò prædicto Domino Wenceslao, hos aliosque graviores defectus, ipsum tanquam Romanorum Regem Imperiumque concernentes, clarissimè explicuerimus, ac scriptis exhibuerimus: auditis tamen illius responsis, reiteratisque seriis nostris exhortationibus, communicato quinetiam sacræ sedi Romanæ negotio, nunquam adhuc deprehendimus, eum, sic ut Romanorum Regem decet mores composuisse, scilicet ad Ecclesię pacem, orbi Christiano summè necessariam, sacro item Imperio dignitates, terras ac ditiones suas, recuperandas, & fructuosè conservandas: id quod per universas Imperii Provincias est notissimum.

Quoniam igitur commemoratos pluresque alios defectus, sacram Ecclesiam & Imperium, gravi cum damno gemituque tangentes, ob instantes prædictorum preces, maxime verò sacramenti ratione, quo nos, ceu sacri Imperii proximè superiora membra, eidem obstringimur, nec reticere nec sustinere diutius potuimus: idcirco ex officio debito cogitandum annitendumque nobis fuit, ut sacro Imperio, cujus vecordi & negligenti administratione incommoda isthæc irrepserunt, in orbis Christiani præsidium & consolationem, rectiùs & salubriùs provideretur. Et sanè ut is parendo nobis rem gratam præstitisset, sic eum sufficienter & seriò vocavimus atque citavimus, adeò ut ei significaverimus, nisi loco & die definitis præsto esset, fore, ut cum exhibitarum nobis precum, tum juramenti nostri respectu, ejusmodi consilia capere & inire cogeremur, quibus sacrum Imperium meliùs constitueretur: literis id nostris clarissimè attestantibus. Eapropter loco & tempore præscriptis, unà cum Coelectori-

bus noſtris ſufficienter exoratis, cæteris item ſacri Imperii Principibus & urbibus, comparuimus, de die in diem expectantes, num præfatus Dominus Wenceslaus compariturus eſſet, morbis prædictis remedium adhibiturus: ac S Imperii rebus rectiùs deinceps conſulturus. At is nec comparere nec quemquam procuratorio nomine ad nos deſtinare dignatus eſt. Quare cum tot prægnatium & pernicioſorum, defectuum cauſſa, eum crebrius privatim & benignè, inde verò, cum nil proficeremus, coram Principibus, Optimatibus & Urbibus Imperii, in diverſis conventibus, non ſine magnis gravibusque expenſis, absque tamen ullo fructu, admonuerimus & redarguerimus: ideò commemorata omnia, ad ſacram ſedem Romanam detulimus. Cæterum cum nec tum cuncta hęc quicquam penſi habuerit: nil aliud inde conjicerere potuimus, quàm eum & Eccleſiæ & Chriſtiani orbis, inprimis autem ſacri Imperii, curam depoſuiſſe. Idcirco malum hoc toti Chriſtianæ Reip. exitiale minime diutius ferendum & tolerandum cenſentes, animo bene confirmato, poſt multos variosque tractatus conſultationesque tum inter noſipſos, tum etiam cum aliis Principibus & Optimatibus ſacri Imperii ſeriò habitos, pro Eccleſię ſalute, Chriſtiani orbis conſolatione, ſacri Imperii honore & utilitate, præfatum Dominum Wenceslaum, tanquam negligentem & deſtructorem Imperii, eoque indignum, à ſacro Romano Imperio, omnique ejus dignitate hoc tempore penitus removendum eſſe, duximus.

Nos itaque Joannes Archiepiſc. nomine prædictorum Dominorum ſacri Rom. Imperii Coelectorum, noſtroque, tum commemoratis, tum pluribus aliis inſignibus defectibus cauſſisque moti, hac noſtra ſententia, quam præſenti ſcripto damus atque ferimus, prædictum Dominum Wenceslaum, ceu inutilem, negligentem, diſſipatorem & indignum ſacri Romani Imperii defenſorem, eodem Rom. Imperio, omnique ejus gradu, dignitate ac ditione ad idem pertinente, privamus & ſubmovemus: cunctis Principibus, Optimatibus, equtibus, ingenuis, urbibus, Provinciis & ſubditis ſacri Romani Imperii denunciantes, eos ab omni homagio & juramento, perſonæ Wenceslai, nomine Imperii, præſtito, prorſus eſſe liberos: requirentes atque monentes eos, ſub jurisjurandi fide, qua ſacro Imperio adſtricti tenentur, ne prædicto Domino Wenceslao, tanquam Rom. Regi deinceps obediant & obſequantur, neque illi jus ullũ, obſequium, cenſum, reditum, aut ullam aliam obventionem, quocunque nomine tandem appellanda veniat, ceu Rom. Regi pendant, exhibeant, aut exhiberi permittant: ſed ejuſmodi debita utili & idoneo Rom. Regi, divino favente numine deinceps ſufficiendo, aſſeruent.

In quorum omnium fidem & teſtimonium, nos Joannes Archiepiſc. Moguntinus, præſens inſtrumentum, per ſubſcriptos Notarios, hac forma patente, confici & majus noſtrum ſigillum appendi curavimus. Lecta & renunciata fuit ſententia præmiſſa, per nos Joannem Archiep. Moguntinum, noſtro & Dominorum Coelectorum noſtrorum ante memoratorum nomine, ſub caſtro Lonſtein ad Rhenum, Treverenſis diœceſis, Brubachium verſus progeſſi, è publico ſolio, in tribunalis uſum erecto, Dominis Coelectoribus noſtris ibidem judicio aſſidentibus: Anno Dominicæ incarnationis 1400. indictione octava, feria ſexta, die 20. menſis Auguſti, paulùm ante Nonarum tempus: Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Domini Bonifacii noni, divina providentia Papæ, anno XI. præſentibus Illuſtriſſimis Principibus ac Dominis, Joanne, Illuſtriſſ. Principis ac Domini Ruperti Ducis Bavariæ, & Comitis Palatini ad Rhenum filio, Friderico Burggravio Norimbergenſi, Nobili Philippo, Domino in Naſſau & Sarbrucke, Emichone de Liningen, Joanne de Zigenhain, Cunrado Burggravio, Canonico noſtro Moguntino, Comitibus: Bernhardo à Weſterburg, Joanne à Limpurg, Reinhardo de Hanowe Baronibus. Domino Nicolao Browin ſacræ paginæ, Joanne à Wittenburg & Nicolao Burgman decretorum, Domino Hermanno præpoſito S. Gereonis Colonien. legum Doctoribus. Item, ſtrenuo equite Sigfrido de Lindowe Vicedomino noſtro in Ringaugia, Joanne Boſſen à Waldeck, Burggravio noſtro Beckelnheim, & fidelibus Henrico Rulmanno à Dadenberg, Gerardo ab Emenberg, Domino in Lantſcron, Friderico de Sachſenheim, Kulmanno à Coneren, Joanne de Dalburg, Rudolfo de Zeiſſikon, nec non pluribus aliis Dominis, equitibus & ingenuis, ſpiritualibus & ſecularibus, magno numero aſtantibus, ad ſuprascripta vocatis atque rogatis.

Et ego Nicolaus Berchtoldi Fridberg. clericus, Moguntinæ diœceſis pontificia & impe-

imperiali auctoritate Notarius Publicus, ac prædicti clementissimi Domini mei, Domini Joannis Archiepiscopi Moguntini scriba juratus, quoniam tum temporis cum judicialis isthæc, quam præscripsimus sententia lata & renunciata fuit, unà cum subscriptis publicis tabellionibus, testibusque commemoratis, præsens interfui, eaque omnia fieri vidi atque audivi: ideo jubente atque petente prædicto Moguntino, Domino meo Clementissimo publicum hoc instrumentum bona fide perscriptum, in publicam redegi formam, illudque consueto mei Notariatus signo ac nomine, appenso etiam prædicti Moguntini, Domini mei Clementissimi, majore sigillo, in fidem & Testimonium prædictorum omnium, subsignavi atque munivi.

Nomina Notariorum sunt.

Nicolaus Berchtoldi Fridbergensis.
Joannes Meier Junior Gasterveldensis.
Conradus à Leiborn, Clericus, Padebornensis diœcesis.
Henricus Stalberg Rotenbergensis.
Tilmannus à Honberg.
Conradus Coler Zustensis, Coloniensis diœcesis.

RERUM & VERBORUM,

quæ in hoc II. Germaniæ Historicorum Tomo memorabilia aut alioquin notatu digna occurrunt, INDEX.

Caroli

Henricus

INDEX.

Wat-

I N D E X.

F I N I S.

